ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

JO. JAC. MANGET. M.D.

BIBLIOTHECA
MEDICO-PRACTICA
SIVE
RERUM MEDICARUM
THESAURUS
CUMULATISSIMUS
QVO

OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS
MORBOSÆ AFFECTIONES

Tum ARTEM MEDICAM in Genere, Tum CHIRURGICAM
in Specie, ſpectantes
ORDINE ALPHABETICO EXPLICANTUR.
ET
PER CURATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, ac CADAVERUM
ANATOMICAS INSPECTIONES, tam hinc inde proprias, quàm à variis,
iiſque præſtantiſſimis Authoribus, Veteribus & Recentioribus, petitas,
abundè, imò & curioſè, tractantur.

TOMUS TERTIUS.



GENEVÆ,
Sumptibus JOAN. ANT. CHOUËT ET DAVID RITTER.

M. DC. XCVI.

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER DECIMUS.

De Morbis à Litera L incipientibus.

LABIORUM MORBI.

LABIA præter muſculos duos quos habent cum maxilla communes, quadratum ſcilicet & buccinatorem, alioſque etiam, tum utrique famulantes, obliquè ſcilicet ſurſum trahentem, obliquè deorſum trahentem, oris conſtrictorem, ſeu orbicularem; tum cuique proprios, ſuperiori, nimirum, duos, ſurſum trahentem, unum; ac deorſum moventem, alterum; inferiori verò unicum nempe deorſum trahentem; innumeris præterea glandulis ſerô copioſò irriguis, fibrillis nerveis ac vaſis non unius generis invicem connexis, interſperſa ſunt; ſicque variis obnoxia ægritudinibus. Nam ſi ſerum quod illa alluit acrius redditum, corroſivum quid induat, *ulcera & cruſtas* imò etiam carcinomata excitabit. Si parcius affluat, ac ſtipticitatem aliquam acquirat, glandulas conſtringendo ac fibrillas iis intimè connexas & ad dextras ac ſiniſtras varie protenſas paulò validiùs retrahendo, *fiſſuras* procreabit. Si abundantiùs depluens inibi cumuletur, *magnitudinem* faciet *excedentem*, ad quam referri poteſt affectus *Cheilocace* dictus, ubi præter tumefactionem partis non eſt quód aliud reperias, quàm quòd labia à gingivis & dentibus abſcedentia longiùs & foràs aliquatenus replicentur multa cum deformitate, ac in utroque latere, dextrô ſcilicet & ſiniſtro, anguſtô ſed profundô ſulcô, inde à gingivis, aut gingivarum confiniô ad uſque extimam labii viam, ſeu ejuſdem marginem, (nunquam ulteriùs aſcendendo) dividantur, perque hoſce ſulcos ſanie ſemper madeant, aut craſsô pure obſita ſint. Si irritatio in ſpiritus fibras muſculares animantes invehatur, *tremor* inducetur. Si retractio aliqua peculiaris fibrarum muſculoſarum à quacunque demùm cauſâ enaſcatur, *perverſio* partis orietur. Si ulcera in utrôque labio poſita dum cicatriſantur ea invicem conglutinent, *labiorum continuitas* fiet. Si glandula aliqua in ſpecie ad magnam intumeat molem *labiorum globum* efformabit. De *labiô leporinô* hic nihil addo, quia ejus natales internæ non debentur cauſæ, nec humorum pravæ cuipiam diſpoſitioni adſignandi veniunt, ſed imaginationi maternæ fœtui impreſſæ unde ejus labium ſuperius ad inſtar labii leporini unica vel etiam duplici fiſſura diviſum videtur ab ipſo naſo adſui uſque marginem. Alios affectus eoſq; memoratos quod ſpectat; Carcinoma remediis propriô capite deſcriptis, curabitur, ut & etiam Tremor, ac Perverſio convulſiva, aut inflammatoria. Hic itaque de reliquis tantùm.

Curationes.

Vlcera Cruſtoſa.

Labia ulceribus cruſtoſis inficiuntur, quæ à pituitæ cujuſdam ſalſæ putredine, aut ab humore melancholicô, aut à bile retorridâ, vel à pituitâ & melancholiâ ſimul mixtis generatur. Si hæc ulcera non ritè curentur, faciem deformem efficiunt, & ſerpendo cancroſa evadunt.

Curatio, diætâ, purgatione, venæſectione aliiſque præſidiis univerſalibus perficietur, deinde lotione cruſtarum cum aqua plantag. aut aqua aluminoſa, deſcriptionis noſtræ, in qua, ſi ulcera ſint putrida, diſſolvantur unguentum Apoſtolorum, aut pulvis mercurii. Si verò ſimplicia ſint, abluentur hydromel. aut œnomelite, addendo parum aluminis rochæ. Vel uſurpabitur aqua ſequens, quæ valdè efficax eſt.

℞. Sacch. albiſſ. ℔ j. ſal. comm. ℔. ß. alum. rochæ ℥ j. m. & deſtillentur in alembicô vitreô, fiat aqua, cujus guttulæ aliquot immiſſæ in cruſtam, exſiccant, ſanant, & cicatricem inducunt: dictæ cruſtæ guttulis quibuſdam hujus aquæ cum paucô bombace tangentur.

Vel ℞. Tutiæ præp. ℥ j. olei roſar. & ſucci

ſolani an. ℥ ij. ponantur ſimul in mortariô plumbeô & agitentur cum piſtillô plumbeô tamdiu donec acquirant convenientem conſiſtentiam: poſtea cum modicô ceræ albæ liquefactæ fiat unguentum molle, & ſervetur in pixide plumbea ad uſum. Quòd ſi ulcus non poſſit exſiccari, tangatur aquâ aluminoſâ magiſtrali Fallopii cap. de ulceribus venereis deſcripta, vel aqua ſublimatâ ſecundâ, oleô vitrioli vel ſulphuris, ſolis, vel temperatis aquâ plantagin. deinde uteris unguentô de plumbô, vel collyriô ſequenti.

♃. Aq. alumin. deſcriptionis noſtræ ℔ j. trochiſcor. de tuthia, & collyrii alb. Rhaſis ſine opio ana ʒiij. ceruſſæ, & utriuſque litharg. præp. & lot. aquâ roſarum an. ℥ß. diſſolvantur omnia ſimul & fiat collyrium, de quô abluatur frequenter ulcus. *Johann. Vigierius in Chirurgiâ magnâ.*

Fiſſuræ.

In curatione fiſſuræ labiorum, evacuatâ materiâ, lintea tenera ſuccô ſempervivi madida imponi; & ſi profundiores fiſſuræ ſint, adipe anſerinô & caponis illiniri debent. Prodeſt & unguentum ex lithargyr. argent. & myrrh. an. ℈ ß. cum cerâ virgineâ & oleô communi paratum. Foris imponitur in petiâ ſalvia. *Joh. Jonſtonius in Idea Medicin. Pract.* Pro remediô præſtantiſſimô hocce in caſu, oleum ceræ deſtillatum habet *Joh. Harthm.* tractatu de oleis chymicè deſtillatis. Non minoris eſt efficaciæ oleum è vitellis ovorum.

Magnitudo excedens, & Cheilocace ſeu Labroſulcium.

Labia tumentia ſanant fotus ex hyſſopo, origano, ſatureia, ſalvia, & roſis rubris parati; ut & ſuffitus ex maſtiche, olibano, myrrhâ, ſuccino, benzoino &c. Item oleum myrrhæ per deliquium elicitum & applicitum: Præmiſſis univerſalibus. Imò ſi malum paulò pertinacius ac rebellius fuerit, & cauteria, & aurium perforationes, & veſicantia emplaſtra, locis aptis ac commodis veniunt admovenda. Atque hæc de tumefactione ſimplici; aliud jam ſupereſt, ſcilicet de peculiari illa tumefactione ulceroſa quæ vulgô Cheilocace ſeu Labroſulcium audit, breviter agamus ex *Arnoldo Boetio* de affectibus omiſſis, tract. 10.

Morbus hic cui græcum nomen à parte affectâ, latinum à præcipuô ac maximè conſpicuô ſymptomate fecimus, familiare in Hiberniâ omni tempore, interdum verò etiam epidemiæ luis inſtar in quamplurimis populariter graſſatur, rariſſimè tamen, ac vix unquam, adoritur adultos, ſed infantes duntaxat, eoſque ferè ab altero ætatis anno ad quartum aut quintum, quanquam & teneriores aliquantò, & paulò vetuſtiores non ſunt ſemper ab eô immunes.

Labra in eo admodum tumeſcunt, tumore duro & nonnihil rubicundo, ſed nequaquam fervido, aut inflammatorio, & qui nunquam ſuppuretur aut caput fœdet. Vergit autem aliquantò magis introrſum, quàm ad exteriorem partem, unde labia à dentibus & gingivis abſcedunt, ac longiùs & foras aliquatenus replicantur ſulci qui labrum à dextris & ſiniſtris interiùs dividunt, ſemper ſanie madent, aut craſſo pure obſiti ſunt, interdum quoque cruſtulæ in iis ſuccreſcunt. Malum hoc quandoque utrumque labium inceſſit, ut plurimùm tamen ſuperius tantùm eô afficitur; & quando ambo ſimul hæc labes obſidet, longe tamen ſemper deterior eſt ſuperioris quàm inferioris labii conditiô. Ut plurimùm, ac ferè ſemper hunc morbum comitantur aphthæ in palato, linguâ, buccis, labiis, gingivis, quamquam infinitus eſt infantium numerus qui aphthas patiuntur abſque eo ut in cheilocacen incidant, ſicuti rurſus non rarò accidit ut idoneis remediis adhibitis aphthæ aboleantur, cheilocacę ſuperſtite.

Malum hoc nonnullis ſpontè aut levibus remediis ſaneſcit, aſt plerumque ſi diutius negligatur, aut perperam curetur, contumaciſſimum evadit, ita ut poſtea difficillimè tollatur, & multo opere ægrè ſanatum, aut ſanitati proximum improviſô rebellet; in nonnullis verò immedicabile penitus redditur, & ſerpente contagio miſeros infantes lenta tabe conficit, & tandem letho mittit; id quod tum præcipuè uſu venire ſolet quando epidemicè hæc labes ſævit, ob quas cauſas Anglicum vulgus cancrum oris appellat, quod tamen de aliis quoque ulceroſis ac malignis oris affectibus uſurpat.

Ad peragendum feliciter curationem corpus purgandũ eſt, non ſemel ſed repetitis vicibus ita ut idoneum temporis ſpatium ſemper interponatur. Purgationes pro captu corporum & ætatis ſatis validæ eſſe debent, præcipuè ex ſenna & mercurio dulci, quæ duo cæteris in hoc caſu præferenda. Quòd ſi cum infante tractabili res eſt, magnopere conducet purgare decoctis paratis è fumaria, betonica, phyllit. rad. lapathi. cichor. polypod. ſenna, agaric. coriandr. tamarind. cujus decocti bini, ternive hauſtus die dandi per ſat longum temporis ſpatium. Quòd ſi grandior ſit infans, ſanguis quoque è brachiis detrahendus, vel hirudinis ſuctu aperta vena, vel ſcalpello etiam. Interea etiam oris ulcuſculis adhibenda idonea remedia, & labra fovenda illinendaque iis quæ tumorem imminuere, ſordes detergere, ſulcos emundare atque implere valeant, eoſque cum reliquâ labiorum carne æquare.

In hos uſus multa ſunt quæ inſervire valeant, ſed cæteris præcellit decoctum chærephylli, quinquefol. myrrhid. roſar. ac ſalviæ, in quo ſal vitrioli alb. ſat magna copia diſſolutum ſit, ac linimentum factum è ſacchar. ſaturn. aq. plantag. & aceto roſaceo. Utiliſſimum quoque eſt hirudines faciei admovere, iiſque ſanguinem, tum ex fronte & temporibus, tum ex labiis ipſis affatim deplere, idque bis aut ter facere. Quòd ſi hæc omnia non ſatis juverint tandem in alterutro, aut utroque brachio excitandæ fontanellæ; & per multos dies potui dandum infanti decoctum concinnatum ex ſarſapar. radic. chin. fumar. phyllit. lapath. integr. ſem. card. rad. ſcorſon. & paſſul. maj. ac quamdiu hoc bibet omni alio potu arcendus erit. Ubi tenellum admodum infantem invadit hoc malum, nonnulla iſtorum omittenda, quædam aliter ordinanda, & in omnibus clementiora deligenda ſunt, quod minimè opus eſt particulatim explicemus.

Labiorum continuitas.

Curatio inſtituenda 1. Dividendo ac ſeparando ab invicem labia conjuncta & conglutinata

& conglutinata per cultellum acutum. 2. Eadem ab invicem disjuncta tenendo, per lamellas præſertim plumbeas. 3. Cuticulâ obducendo, & cicatriſando ſeparata hæc labia, initium ducendo à loco ubi committuntur ſecundum naturam labia. In quem finem optimò cum ſucceſſu applicantur utrinque hami plumbei obtuſi, os in longum expanſum ſervantes, ne ſcilicet coalitio utriuſque labii denuò habeat locum, ad novamque cogat diſſectionem. Ubi autem locus commiſſuræ fuerit ſua tectus cuticula, adeoque cicatrice obductus, facilis erit reliqua curatio, dummodo cicatricem admittat reliqua labiorum pars media. *Franciſcus Sylvius de le Boë.*

De Labiorum nodo, ſeu globo vide quæ inferiùs in obſervationibus ex Stalpartio *&* Meekren *adducentur.*

Labia Leporina.

In Labio Leporino (quicquid demum dicat *Gaſp. Amthor* in Noſoc. Infantili de curatione per ſuum unguentum perficienda, ſi ſtatim ſecundo à nativitate die, ter de die imponatur cum linteis. Cujus unguenti hæc eſt compoſitio.

℞. Olei olivar. picis comm. pingued. canis, taxi, an. ℔ j. liquefiant ad ignem, poſt diſſolve maſtich. oliban. galban. an. ℥ j. M.) Non poteſt tamen felicior ſucceſſus ſperari quàm ab operatione; quæ licet crudelis admodum ſit, ut plurimùm optime cedit, ſi modò ſcilicet temporius inſtituta, non expectetur donec patiens adoleſcentiam, aut maturam attigerit ætatem; tunc enim etiam ſi margines labii diviſi ad invicem adducantur, ac inter ſe conglutinentur, deformitas ſemper magna ſupereſt ex cicatrice in parte ſicciori, quæ & dilatationi ineptæ, imò vox non parum inde depravatur. Itaque in junioribus perficiatur, non quidem ſtatim poſt nativitatem, quia ſi illic ſiccitas partis extimeſcenda venit, hic ſane major mollities non minus faceret difficultatis, continuique infantis è dolore ejulatus, totum opus diſturbarent ac ſuturas diſrumperent. Hac autem ratione illa abſolvatur ſuo tempore.

Ægro in ſedili luci objecto, collocato, chirurgus forcipibus aptis labiorum ab utraque parte portionem apprehendet, poſt cultello recurvo cutem intermediam reſecabit, à parte ſuperiori naſoque proxima, ad inferiora deſcendens, ut ſic vulnus recens & ſanguinolentum fiat. In idem negotium poſſunt etiam adhiberi forfices eximiæ aciei. Tum permittendum ut aliquot ſanguinis effluant guttæ & oræ labii quàm maximè æqualiter fieri poterit ad invicem adducentur, ut acus argentea, aut chalybea, per eas ſatis altè transfigatur, quæ acus in ipſo relinquetur vulnere, poſtquam filo per ipſius foramen immiſſo circumducta fuerit, ea prorſus ratione quæ ſartoribus familiaris eſt, dum acum filo indutam conſervare volunt. Si fiſſura fuerit grandior, in ipſius oras duæ acus poſſunt immitti, alia quidem in ſuperioribus, alia in inferioribus. Si partes diviſæ ad ſe invicem facilè adduci nequeant, ut uniantur, duæ inciſiones, in ſuperiori labii cutis parte ad formam lunæ creſcentis, ita ſunt inſtituendæ, ut earum cornua vulneri ſint objecta, ſic enim ejuſdem oræ facilius ad ſe invicem accedunt. Si tantùm ab una parte labium difficilius accedat, unica ſufficiet inciſio. Si acus per labium transacta multum ab utraque parte promineat forcipibus eſt exſcindenda, ſub ejuſdem extremis apponendo minores pulvillos deſuperque emplaſtrum de betonica, & inter duas inciſiones ad formam lunæ creſcentis confectas applicandum linteamentum ſiccum, ut quæ excreſcent carnes vulnus compleant, ſicque labium laxius faciant. Ut plurimum die poſt operationem octava, vel decima conglutinantur atque uniuntur labii oræ; tunc ſi ſatis valida fuerit unio exſcindendum eſt filum acui circumductum, ipſaque acus amovenda, & ulcus atque parvula quæ ſuperſunt foramina deſiccantibus curanda. Aliquando labia duplici finduntur loco, ſed hoc nihil intereſt, nam dummodo diſtantia inter utramque fiſſuram major non fuerit, eadem illæ curantur ratione ac ſi unica tantùm adeſſet. Si fiſſuræ hæ in auribus, aut naribus reperiantur eodem modo ac in labiis procedendum. Quidam in hiſce operationibus inciſionem fiſſuræ marginum non adhibent, ſed poſtquam ſub labio pulvillum minimum impoſuerunt, cutem intermediam penicillo oleo antimonii aut lapide aliquo cauſtico fuſo, intincto, leviter attingunt; ſic quicquid cutis ſeparare volunt ſeparant, quò peractò acum, ut ſuprà dictum, transfigunt.

Obſervationes.

De Roſtro Leporino ſingulari.

Honeſta fœmina, ſub geſtationis ferè finem, negotii expediundi cauſa, ad vicinam oſtio minus obſerato inviſens, tandem illam per cameræ rimam meridiari cum amico videt, non ſine riſu & joculari apprehenſione. Poſt tres præter propter ſeptimanas enititur puellam; cum vigilaret, variè ſemet (ſed modo quem apud Martialem facilius quis legerit, quam ego deſcripſero) moventem; ut cum annicula jam in ſella ſederet, etiam facies inde cum rubore nonnunquam intumeſceret. Primo torminibus parentes adſcripſerant, ſed cum poſtmodum minus verecundam viderent, ad me detulere annum tunc cum dimidio natam; uxori rem aperuit mater, nec per expanſiora adhuc exempla abſonum id ratus ſum; curam verò pro talium more, aut nullam aut perdifficilem futuram. Nihilominus experiundi gratia, per 14. dies veſperi quidem quotidiè granum unum cinnabaris nat. mane guttas tres vel quatuor ſpiritus cephalici Hart. dedi, ſicque incompta illa motitatio evanuit. Sexennem autem Quartillam hanc Petronianam dyſenteria ſuſtuliſſe dicitur. Incidit hìc in memoriam ſingularis & (inter ſimiles conceptu difficilior) puellæ, etiam in geſtationis demum fine, deturpatio, ante biennium obſervata. Eſt in vicinia ruſticus, (per inflictam à patre gravidæ matri alapam) roſtro leporino admodum præ aliis deformis; ſiquidem palati ſ. cœli extremitas aliqua, cum ipſius maxillæ parte (quaſi exciſa) verſus nares ſurſum flexa iiſque adnata eſt, cum myſtace & dentibus aliquot. Hunc (injunctum tegmen ne-

gligentem,) intuita ex improviſo, & exhorreſcens gravida quædam, poſt tres ſeptimanas puellam peperit, cætera perfectam, niſi quod ſimile penitus oſtentaret roſtrum. Cum autem fruſtum ipſum, quaſi per columellam quandam, extremitati narium annatum, ac poſt dies aliquot, duos inciſorios, molliculos adhuc dentes utrinque protrudens, lactis ſuctionem penitus ſuppreſſo ſpiritu impediret, cochleari vero infuſum vegetiori infanti non ſufficeret, parentes quidvis tentare prius voluerunt, quam puella denegato alimento tandem fatiſceret; aut deforme malum amplius increſceret. Moniti de difficultate, præſertim ob palati anticam illam excavationem; non tamen deſtitere. Præcidit proin chirurgus noſter aulicus illam excreſcentiam, & actuali cauterio (non tamen planè candenti) leviter admoto hæmorrhagiam ſtatim compeſcuit, infante ne minimum quidem vagitum edente, ſed quaſi bene ſecum actum foret, ſtrenuè poſtmodum ſugente, & lac applicantibus ſe invicem labiorum extremitatibus (quorum unitionem convenientiori tempori reſervabat,) deglutiente, carne quoque glandulosa in palato, ad hiatus occluſionem ſemet protendere incipiente. Verum poſt 14. diem, citra externam hinc cauſam, dum hactenus benè valuiſſet, noctu ſubito, & epilepticè aliterve, ſpes noſtra hæc occidit. Addamus huic, ſed feliciori eventu, aliam ante annos aliquot binis in quavis maxilla inciſoriis ab ortu armatam. His ſibi linguam totaliter transfixerat, ut modicè ſaltem utrinque ad latera cohæreret. Parentes ad tonſorem detulere, quo (ob deficientem ſuctionem ac nutritionem) aut dentes evelleret, aut linguæ illud fruſtum auferret. Interveniens illos ſuo loco relinquerent ſuaſi; (ſiquidem evulſos lacteam quandam materiam, & hinc lethales convulſiones inſequi notum eſt) vulnus autem ſolis oculis cancri inſperſis, ac per vices extracto pyrolæ ſaccharato inſperſo intra paucos dies (ceu plurimis aliis, per caſum aliterve ſic læſis) perſanavimus: Provectioribus ætate inſperſum vitriolum albicans ſimiliter confert. *Dan. Ludovici.*

De Excreſcentia in Labio ſuperiore.

Venit ad me ex pago Loſſen paupercula, ac inſpiciendum præbet Labium, quod mirum in modum excreverat: in medio Labio ulcus fuerat; Ex eo principio caro iſta fungoſa ſuum ortum habuit: Nullam aliam ſpem eam habere quam ſectionem oſtendo. At illa paupertatem obtendit, aliud conſilium expetit. Conſulo ergo, ut tumorem cum ſetis equinis fortiter apprehendat, & indies arctius aſtringat. Fecit hoc, licet, ut ipſa poſtea dicebat, magno dolore, multis noctibus inſomnibus, tandem tamen decidit caro iſta ſuperflua. Venit ad me lætior, ego unguenta conſolidantia illi præſcribo, quibus adhibitis in totum convaluit, Deoque gratias egit; Quia enim paupercula erat, & lino in fila ducendo ſe ſuſtentabat, labium ad hunc laborem obeundum maximo erat impedimento.

Scholion.) De excreſcentia ejuſmodi carnea in ſupremo vulvæ labro orta, exemplum refert Marc. Donatus Hiſt. Med. Memor. l. 5. c. 3. Curatio cum ſetis equinis eſt egregia & admodum conveniens, contricta enim arteria nutrimentum afferente, ut tumor tabeſcat neceſſum eſt. Unde verò iſta arteria originem trahat? quæſtio movenda. Arteria enim eſt pars ſpermatica, & non generatur extra uterum: Marc. Aurelius Severinus de Abſc. anomal. c. 13. pro veris arteriis habere non vult, ſed putat illas ſaltem aliquid ſimile eſſe, ut venulæ illæ in affectu, qui Arabibus zebel vel ſebel vocatur, ubi textura rubra venularum in annata oculi tunica ſive albo oculi videtur. Quod verò ad illum affectum attinet, cum Sennerto l. 1. P. 3. S. 2. c. 15. ſentio venulas illas revera exiſtere, viſum verò effugere, niſi ſanguine valdè turgeant. Itaque, ſalvis aliorum judiciis, putarem, quod creſcente iſta hyperſarcoſi adjacentes arteriæ & venæ ſimul creſcant, ut in pueris & nondum adultis fieri videmus, ubi arterias & venas cum aliis partibus augmentum acquirere nemo negare poteſt. Hoc quidem ſecundum naturam fit, ſed quid naturam per errorem idem facere prohibeat, non video. Vocatur verò iſte tumor encanthis ſive hyperſarcoſis, & oritur exulcerata parte è materia affluente nutritia & ad glutinationem ſuperflua. *Georg. Chr. Wincleri.*

Labiorum tumor in puero, ab humore Bufonis conquaſſati in ea reſiliente

Puer cum offenſum Bufonem lapidibus inſectaretur, nonnihil humoris conquaſſati Bufonis forte proſiliit in Labium pueri, quæ ſtatim ſingula tumeſcebant in craſſitiem duorum circiter pollicum: Cum vero principiis obſtare negligeret, neque uteretur medicina, quæ labia priſtinæ tenuitati reſtitueret, ad hoc tempus uſque Labia eandem monſtroſam figuram ſervant. *Dom. Nath. Fairfax, in Actis Philoſoph. Febr. 1666.*

Tuberculum Labii exciſum.

Viſitavi cum D. Caſparo Kolichen Po iatro meritiſſimo, infantem XVI. menſes natum, cui tuberculum rotundum ſuperius labium occupavit. Occaſionem huic ceraſum dediſſe creditur, quod matri prægnanti quidam per jocum alliſerat. Jamque metus eſt ne excreſcat. Dependet enim inſtar ceraſi maturi. Sectionem perfecit Laurent. Nicolai Lithotomus ex voto. Filo cum acu tranſverberatum tuberculum novacula abſcidit. Mox fibulis labium ſuperius conſuit, vulnuſque curavit. Fibulæ vices apud illum ſupplet acus crinalis, quæ utrinque laminula plumbea rotunda perforata clauditur. Tuberculum diſſectum glandulæ ſpeciem præ ſe ferebat, ſine ulla alia materia extranea. Ex glandulis illis quæ circum labia habitant, auctus hic tumor fuit. *Th. Bartholini.*

Curatio Labii Decurtati temeraria.

Medicus quidam inſignem ſuam Chirurgiæ ſcientiam gloriatus, civis cujuſdam Ratisbonenſis filiæ cœlibi, Labii ſuperioris decurtati vitium nativum emendare certò promittens, ipſas manus adhibuerat, ſectionem tranſ-

verſim per malæ muſculos ducens, nihil aliud perfecit quam quod Labii vitium carne nova denuo obduxerit, & ſimul novam, oblongam ac indecoram buccæ cicatricem temeraria ſectione ſua induxerit. *Helvvigii.*

Labii pſeudo cancer.

Singulas corporis noſtri partes, invadere poſſe cancrum jam olim Galenus libro ſecundo ad Glauc. capite decimo & lib. introd. 16 docuit. Sæpenumero tamen contingit, ut nonnulli ſe cancros ſuſtuliſſe glorientur, cùm ne ſimile quidem illis malum fuiſſet. Unde non famam tantùm laudemque inter plebeios affectant, ſed & plus aliis ſapere videri volunt ægroſque non rarò decipiunt.

Muliercula quædam gravida, nec ætate provecta 22. April. 1682. meum imploravit auxilium, cujus labii inferioris parvum tumorem, minoriſque fabæ magnitudinem nonnihil excedentem, cæruleique coloris, ac quibuſdam cancrum habitum ſecabat Medicus Chirurgusque. *Corn. Solingius.*

In diſſectione quæ craſſo fiebat forcipe, è tumore præter viſcoſum, lentumque quendam humorem, nihil omnino profluere animadvertimus, qui, commordentibus labium dentibus, in læſam quandam glandulam (qualibus infimum labium, nec non aliæ oris abundant partes) juxta arteriolam quandam effuſus, commodo exitu negato, ſtagnavit, unde glandula magis, magiſque intumeſcens, quicquid hoc eſt vitii produxit. Tumore itaque ſublato, Hungarico ſupprimebatur ſanguinis affluvium vitriolo, nec non lapide hæmatitide, ac poſtridie in partem affectam Syrupus è roſ. ſicc. illinebatur, unde brevi percuratum vulnus. *Corn. Stalpartius in Obſervationibus rarioribus*

Labii nodus.

Ictu, caſu aut percuſſione, imò etiam ubi dentibus apprehendimus labium, nodus in eo producitur, quem ex doctrina Albucaſis quæ habetur 2. part. Chirurg. part. 27. cultro primo exſcindere, hinc alumine uſto conſpergere tenetur Chirurgus.

Nodum hunc quidam oleo vitrioli, alii cauterio actuali tollere tentarunt. Nobis arriſit modus mox declarandus, non niſi ubi cancri naturam induere incipit, locum inveniens. Inter varios in quibus extirpatio ejus à nobis inſtituta, etiam nominari poteſt Reverendus Doctiſſimuſque Vir, Dn. Jacobus Heyblok, amicus ſingularis, qui fabæ magnitudinis nodum jam ab aliquot annis, cum moleſtiâ ſumma, venarumque tenſione, in labio inferiore geſtaverat.

Labium ipſum ope pollicis & indicis ſiniſtræ manus incurvabamus, hinc cultro acuto crucialem apertionem inſtituebamus uſq; ad nodum, ita tamen ne læderetur ipſe; ſeparatis hinc integumentis volſello nodum ſenſim extraximus, eo educto cavitatem replevimus linteo combuſto ad hæmorrhagiam, firmiter eapropter linteum hoc digitis compreſſimus, partim quo in totum ſanguinis fluxio inhiberetur, partim quo quod in vulnere reſiduum, auferendum, tolleretur.

Styptico hoc ablato, ad mundificationem vulneris nil niſi Mel Roſarum cum Spir. vini, hinc ad conſolidationem ipſam tutiam pulveriſ. applicavimus.

Nodos præter dictos obſervare itidem licuit nobis Veſiculas pituitoſas, in labiis exiſtentes, quas cancris annumerarunt varii, quo in arte Chirurgica plurimum experti habeantur Chirurgi.

Nihil aliud veſiculæ hæ ſunt, quam lymphæ extra vaſa lymphatica dicta, prolapſæ, eò quod per compreſſionem labii ex mutuo dentium contactu, lacerata. Sæpiùs eas forfice aperuimus, applicatoque Melle Roſ. cum aq. vitæ curavimus.

Non rarò obſervare nobis datum veſiculis his diſſectis, exſiccatiſque, duritiem aliquam relictam eſſe, quæ & dolorifica, & moleſta. Hanc ſequenti modo tollere ſoliti ſumus, uti teſtatur, inter alia, exemplum viri Reverendi Dn. Chriſtiani Hariſocher, Theologi apud Alcmarienſes in Eccleſia Remonſtrantium, in quo præſenti Viro magno D. Egberto Veen, Medico noſtri loci curatio hæc peracta. Acum falcatam filo fortiore inſtructam cruciatim per labium affectum trajecimus, ſic ut fila inter partem ſanam & induratam continerentur, hinc ſiniſtrâ manu filum utrumque, quatuor extremis gaudens, ita extendimus, ut, cultri acutioris ope, ictu uno alterove, duram partem ab ea quæ ſana ſeparaverit dextra. Vulneri impoſuimus, ut ſupra, linteum combuſtum Spiritu Vitrioli madefactum, hinc *Mel Roſar. cum aq. vitæ. Job. à Meekren in Obſervationib.*

De globulo mobili inferioris labii.

Juvenis viginti tres annos habens oſtendebat mihi in labio inferiori tumorem rotundum, mobilem, parum dolentem, ſed interea tamen ſatis moleſtum mole ſua, quæ æqualis erat globulis illis, quos pueruli in luſibus ſuis adhibere ſolent; color à reliquo labio non differebat.

Patiens ante trimeſtre ſpatium labium inferius ſuis dentibus momorderat, & ab illo tempore animadvertit hunc tumorem.

Jam temporis nemo fere eſt, qui neſciat, quam multæ exiguæ glandulæ non tantum per reliquas oris partes, ſed etiam per labium inferius diſſeminentur, quarum una ſine dubio à morſu læſa fuit ita, ut humores ex arteriola egreſſi, in glandula, occluſo exitu, ſubſtiterint, & ſic glandula hæc parva in tantum tumorem excrevit, quantum in hac Obſervatione mox exhibui.

Quamvis hic tumor in praxi ſæpius occurrat, tamen neminem novi, qui ipſius cauſam explicuit, & unum tantum, qui ejuſdem curam exemplo proponit, nempe Jobum van Meckeren Chirurgum Amſtelodamenſem, qui, niſi me mea fallat memoria, huic affectui nomen indit, quod Belgice ſonat *een ſteen knoop.*

Sed quid miraris? num putas impoſſibile, glandulam tam exiguam ad talem magnitudinem poſſe pervenire? perpende, quæſo, quantum unius & ejuſdem uteri magnitudo differat

in virgine & parturiente; perlege diſputationem, quam Clariſſimus Dominus Johannes Munnicks, Profeſſor Ultrajectinus, anno 1678. die 20. Novembri publice ventilandam propoſuit, in qua narrat, virginis alicujus tubam uterinam tam late extenſam fuiſſe, ut centum & duodecim aquæ libras contineret.

Sed quid hæres? oportet, ut afferam adhuc unum experimentum, quod ad rem propoſitam propius accedit; ego nempe, ubi à frigore ſupra modum læſus eram, non raro glandulas circa collum, quas in ſtatu ſanitatis tactu reperire non poſſum, in tantam molem excreſcere animadverti, ut ovum columbinum ſuperarent.

Ut tandem ad curam properem, dico, quod medicamenta hîc loci commode applicari vel retineri nequeant, ideoque ſectione ſcalpelli ſimul & ſemel totum tumorem ſuſtuli, vulnuſque relictum ſolo melle roſarum ſanavi. *Joh. Muys in Praxi Chirurgica rationali.*

De affectu oris apud noſtrates vulgo nuncupato de Water-kantzer.

Puerulum biennem, qui jam per tres integros menſes quartana laboraverat, non ita pridem inviſi, ac inter ejuſdem labium ſuperius & gingivam inveni ulcus, quod ante quatriduum initium ſuum ceperat, ſatis alte ſurſum vergens, cavum, durum, dolens, nigricans & grave-olens.

Hujus nempe ægrotuli ſanguis à cibo potuque acido & aceſcente, nec non à quartana diuturna, multo, quam par eſt, evaſit acidior, atque ita non tam alibi ſubſtitit, quam inter labium ſuperius & gingivam, quia ſanguis & humores ibi facile coagulantur ab aëre frigido per inſpirationem admiſſo, nec non à reliquiis cibi inter dentes hærentibus, atque morâ ſuâ acorem contrahentibus.

Sanguis autem & humores ſtagnando tandem valde corroſivi evaſerunt & ſic Fibrillas labii & gingivæ non tantum vellicarunt valde, ſed earum multas diſruperunt etiam, atque hoc pacto exortum eſt ulcus altum, cavum, durum, dolenſque.

Ut autem nigroris mox adducti rationem eò felicius inveſtigemus, prius referre libet, quod non ita pridem fruſtulum lintei candidi per microſcopium meum conſpexerim, & quod ſingulæ Fibrillæ, ex quibus fila contorta erant, glaciei inſtar, pellucidæ apparerent, ſed unumquodque filum ex pellucidis iſtis Fibrillis conflatum album cernebatur, non aliter ac aqua apparet quidem pellucida, ſed ſpuma alba, quæ conſtat ex multis aquæ ſuperficiebus ſibi invicem ita ſuperpoſitis, ut multum aëris interjaceat.

Cum autem linteum hoc combuſſeram, non tantum tota fila, ſed ſingulæ eorundem Fibrillæ oculo meo microſcopio armato colorem nigrum offerebant, quia nimirum pori in linteo à vi ignis valde diſtorti ſunt, & particulæ multæ ſub forma fumi ex linteo avolarunt, ſic ut radii ſolares in poris illis ſuffocati ad oculum meum non reflecterentur.

Et quod ignis in linteo effecit, hoc particulæ acido-corroſivæ præſtiterunt in ulcere, dum Fibrillas diſrumpebant, illarumque poros aliter figurabant & mutabant, imo multas particulas ex ulcere ſub forma vaporis avolare cogebant, ut manifeſtum erat ex fœtore.

Ut autem multis mirandi cauſam præripiam, quod acidum ad nigritiem inducendam concurrere ſcribam, volo ut conſpiciant, quam bonum atramentum ex decocto gallarum conficiatur cum aceto, in quo limatura chalybis prius infuſa fuit; aut ſaltem malum citrium cultello diſſecent, nam tunc mox cultellum egregie nigreſcere videbunt.

Sola igitur ulceris graveolentia adhuc enodanda ſupereſt; ac ut prædicta comparatio hîc loci mihi iterum inſerviat, unumquemque olfacere jubeo ingratum odorem, qui in combuſtione lintei noſtras nares plerunque ferit, nam quod agit ignis reſpectu lintei, idem operatur humor acido corroſivus ulceris reſpectu, dum ſalis volatilis (quod magna copia in ſtatu ſanitatis continetur in partibus corporis humani, aliorumque animalium, ut deſtillatio docet) multas particulas corrumpit, illarum figuras immutat, ac ita eaſdem, ſolutis vinculis, quibus prius alligabantur, avolare facit, quo tempore cum aëre, quibus ſe miſcent, in nares propulſæ fibrillas nervorum olfactui inſervientium nimio tremore agitant, & ſic animæ graveolentis odoris conceptus exhibetur.

Phœnomenis hujus morbi in praxi tam ſæpe occurrentis, & a nemine, quod ſciam, hactenus bene dilucidati perſpicue ſatis explicatis, mihi perinde erit, an cum Hildano gangræna, cum Carolo Batto cancer, an vero cum Cornelio vander Voorden dicatur ulcus noma, quandoquidem ego meras illas quæſtiones de nomine parum admodum moror, qui nihil capto niſi res.

Hoc autum malum celerrime proſerpit & brevi ægrum jugulare poteſt, ſicut ego ante duos menſes expertus ſum in puella quatuor annorum, quæ quinto poſt morbi invaſionem die ad me deportata fuit, adeo deformis, ut homini vix ſimilis videretur, nam dimidia naſi, & quarta linguæ pars jam abſumta erat, ac mala ſiniſtra lapidis inſtar dura, magnoque foramine perforata, unde intra quatriduum juxta meam prognoſin obiit.

His igitur ſedato animo ponderatis ſequens unguentum acido-corroſivo reſiſtens præſcripſi:

♃. Theriac. ℥iiß. ung. ægyptiac. ℥iß. gum. laccæ Spir. ſalis armon. ana ℈ij. ſpir. cochlear. parum M. F. ung. quo cum pauculo ſpiritus vini mixto calide quotidie lavabatur ſexies pars affecta, eique imponebantur lintea carpta eodem medicamento imbuta, atque hoc ſolo remedio non tantum hunc puerulum, ſed etiam plures alios feliciter ac intra breve tempus ſanavi. *Idem ibidem.*

De labio leporino.

Puella ſemeſtris jam à nativitate ſua laborabat labio leporino, hoc eſt, fiſſurâ hiante labii ſuperioris, formam puellæ aliàs haud adeo deformis miſere dehoneſtante.

Pater meus accerſitus labium liberavit à partibus

tibus adjacentibus, ut extremitates melius ac facilius ad ſe invicem appropinquarent; deinde utramque labii fiſſi extremitatem ſufficienter excoriavit, ac univit, unitamque ſervavit tribus acubus argenteis, circum quas fila decuſſatim ducebantur, ut acus in ſitu ſuo retinerentur; interim cuſpides acuum abſciſſæ ſunt inſtrumento idoneo, quia metus erat, ne illi alias ſtragulis, aliiſve rebus infigerentur, & ſic carnem, cutimque dilacerarent & exciderent, ſicut id ipſum contigiſſe recordor.

Octavo die acus extractæ fuerunt, ac utraque labii leporini extremitas prorſus coaluerat ac conſpiciebatur unita, ſanguine ſcilicet ac humoribus ab una extremitate in aliam circularem ſuum motum peragentibus. Foramina autem ab acubus producta nonnihil puris adhuc fundebant, procul dubio non alia de cauſa, quam quod acus nimis diu labiis infixæ permanſiſſent, quare pater, ubi poſtea ſimilem affectum in aliis curavit, citius exemit, & quia acus argenteæ non minus quam chalybeæ tanguntur rubigine, in locum argentearum ſubſtituit acus confectas ex chalybe, quia hæ carnem cutimque facilius perforant.

Clariſſimus Sylvius vult, ut labium leporinum abſque acubus ſanetur ſola ope emplaſtrorum; atque chirurgum quendam ægrotulos nonnullos hoc pacto ſanaſſe memini.

In infantibus ſemeſtribus hæc operatio plerunque exercetur, nam juniores ſi ſint, carnem adeo mollem habent, ut illa minima de cauſa laceretur ab acubus inhærentibus, ac in ætate magis matura labii fiſſi extremitates tam prompte non coaleſcunt.

Sed unde fit, ut infantes labio leporino deformati aliquando ex utero prodeant in lucem? plerique mirabilem hunc effectum adſcribunt matris imaginationi; verum hanc aliquid hîc efficere alii iterum negant ac pernegant. In ovo gallinaceo ante incubationem pullum jam-jam formatum per microſcopium conſpici poſſe perhibent; voluntque eodem modo in ovo humano, ex quo nos generari ſtatuunt, corpuſculum jam-jam formatum contineri, ſive illud ſit integrum, ſive labio leporino affectum; atqui res hoc pacto nondum ſatis dilucidatur, ratio addi deberet, cur in uno ovo humano corpuſculum labio fiſſo laborans generetur potius quam in alio, ſed hæc penitius inquirere, ad praxin parum aut nihil conducit, ideoque hoc labore ſuperſedebimus. *Idem ibidem.*

LACHRYMATIO

Vid.

EPIPHORA.

Hic tantùm obſervationes adducemus aliquas ſuper lachrymis ſanguineis. Item de lachrymarum ſacculo in cervis repertô.

Lachrymabile vivimus tempus, quod ſi non infanti, ſed vel cordato Herculi, inquit Hœchſtetterus, lacrymas extorqueret cruentas, quid mirum? Sed parvulum tantum omnium, quæ geruntur, ignarum vobis ſiſtam Heraclitum, ſanguinem lacrymando non ut rem portenti ſimilem & ominoſam, ſed tanquam curioſam veſtris non indignam Ephemeridibus. Fruſtra namque ſunt ſuperſtitioſi quidam, qui ex talibus lachrymis, quas naturalibus ex cauſis probabimus, malè Reip. ominantur. Non enim tales lachrymæ, ſed peſſimi mortalium mores Deique contemptus, ut cum Barth. c. 1. obſerv. 11. pergam, Reſp. evertunt. Emendemus in melius mores, me ſponſore nihil lachrymæ nocebunt cruentæ, nihil mali portendent. Interim conſiderandæ omnino & minimè negligendæ veniunt Medico curioſo, qui illas inter rara, imò rariſſima, naturæ reponit, inque illarum cauſſas inquirit, quarum diverſæ hinc inde apud Authores reperiuntur. Nam, teſte Aëtio Tetrab. 2. ſ. 3. c. 63. fit ſanguinis eruptio ab angulis oculorum maximè pueris ob aſſiduos ejulatus ac diſtenſiones apertis circa palpebras vaſis. Dodon. c. 15. tales notavit in virgine ſanguinea, menſtruis non obſequentibus, cùm ſanguis per inferiora expurgandus, facta regurgitatione ad ſuperiora, per canthum exitum ſibi fecit oculorum: In vetula icterica per aliquot ſeptimanas ſanguinis fluxum ex oculis loco lachrymarum obſervavit Foreſt. l. 11. c. 13. Puellæ undecim menſium alias ſanæ, vegetæ, optimè valentis quater diſtinctis vicibus & diebus ſanguinem lachrymantis meminit Hœchſteterus Dec. 1. Obſ. 1. Cui planè ſimile, quod hic accidit anno 1674. menſe Aprili poſt feſtum Paſchatos.

Viri cujuſdam Generoſi hic ad Danubii ripam habitantis filiolus, quindecim vel ſedecim circiter menſium; habitu pleno & ſanguineo prædítus, optimè valens, nihil ante nec poſt conqueſtus, poſt levem commotionem ad ploratum, guttulas aliquot lachrymavit ſanguinis, & hoc ter, vel quater in die. Exterrita mulier, quæ curam ejus geſſit, Parentibus indicavit, & hi Avo, tertiò vel quartò die mihi ſupervenienti quoque narrarunt omnes. Ego ut tardioris in talibus ſoleo eſſe fidei, facta inquiſitione diligenti, ab omnibus rem uno ore percipio, in infante nihil, in oculis, in genis, reliquaque facie nihil deprehendo, ſtatim in mentem venit illud Aëtii, & cùm alias valdè iracundus ſit puſio, vehementibuſque deditus clamoribus, credo vas aliquod capillare in cantho oculi ruptum, ſanguinemque extillaſſe, ſalvo manente reliquo oculo, nulloque ſubſequente in eodem livore, aut ſugillatione, ſanguine ſcilicet non intra, ſed extra cutim effluente. Sic cognita cauſa timor apud circumſtantes & ratione ſignificationis, & ratione pueri, qui in hodiernum uſque diem vivit, beneque valet, evanuit.

Cum hiſce diebus ex occaſione Drief. Helmontiani Miſcellaneorum veſtrorum Annum VI. & VII. evolverem, (utpote in cujus Appendice Excellentiſſimum Dn. D. Martinum Bernhardum de Bernitz, Amicum meum ſingularem, arcani illius lapidis compoſitionem, quondam ab ipſomet Helmontio celeberrimo Dn. Andr. Cnoffelio communicatam fuiſſe memorat, & qua ratione inſtituenda ſit addit;) incidi ſimul in Obſervationem 200. in qua de lachrymis ſanguineis Nobiliſſimus agit autor,

Revocavit ea mihi in memoriam ſimiles lacrymas, olim à me in recens nato infante Thorunii obſervatas. Suſceperat nimirum T. W. aromatopola ex repetito matrimonio filiolum, cui vagienti loco ſeri guttulæ ſanguineæ è dextris oculorum canthis erupere. Cum per dies hæ lacrymæ continuarent, nec, quod Parentes ſperarunt, mutarentur in alias, iſti conſternati me tandem ad ſe invitarunt. Accedens ego rem omnino ita ſe habere deprehendi. Quia autem infans ille ab ipſo partu hucuſque clauſos ſervaverat oculos, ſublata aliquantulum palpebra ſuperiori quales iſti eſſent inquiſivi. Cumque eos benè diſpoſitos eſſe, nec niſi ex majori angulo ſanguinem exſtillare obſervarem, collyrium ex aq. roſar. ac euphraſ. atque tutia præparatum, præſcripſi, & illud ſenſim in canthos oculorum inſtillare juſſi. Quo aliquoties facto, reſtitit ſanguis, nec impoſterum amplius apparuit. Oculis itidem per Dei gratiam ſanis exiſtentibus. D. Georgii *Segeri*.

Lachrymas ſanguineas vidi copioſè ac non ſemel fundentem mulierem, formoſam, ex quo mœſtitia intenſiori affligebatur. Sæpius itidem vidi infantes in ophthalmiis lachrymas ſanguineas reddentes; atque hoc ſane minus mirum, quandoquidem delicatula glandularum in palpebris ac oculorum canthis poſitarum ſtructura facilè à ſerò acriori lacerabatur, unde locô lymphæ per hæcce organa ſeparandæ purus promanabat ſanguis. Primum verò quod ſpectat, quodque aliis obſervationibus mox allatis reſpondet, illud non utique ita portentoſum videbitur iis qui organorum variorum humoribus ex ſanguine ſecernendis deſtinatorum rationem ac officia attentiùs perquiſiverint; nam ſi laxior reddatur eorum compages; tum quia ſanguis impetuoſiùs in illa procurrit; tum quia frequentiùs ac validiùs quaſi exprimuntur, dum ſcilicet ex mandato animæ ſpiritus affluentes fibras undiquaque ea cingentes ac colligantes, coarctant; tum etiamſi à natura talis ipſis data eſt diſpoſitio, quis ſtupeat ſi locô humoris peculiaris ſecernendi aliquid cruoris in ipſa plenô torrente invecti quandoque prorumpat. Sic è mammis locô lactis, è cute locô ſudorum, è partibus generationi inſervientibus locô ſeminis, ſanguinem aliquando effuſum quis non vidit, aut audivit?

De Lachrymarum receptaculo ac earundem in cervis concretione obſervatio anatomica.

De lachrymis cervinis in ſcholiis obſerv. obiter quædam commemoravi: ab illo tempore Sereniſſim. Principis ac Domini Domini Friderici Magni Marchion. Badenſis & Hachbergenſis Domini mei Clementiſſ. gratioſiſſima liberalitate capitibus cervorum cervarumque compluribus potitus, in haſce ipſas inquiſivi, & aſſervatorium ſeu mavis receptaculum ipſarum examinavi; nam forte vel glanduloſæ aut poroſæ texturæ ratione concurrente vaſorum ſanguiferorum, diſſeminatione taliter eſſet extructum ut pro fonte primario commodum agnoſci poſſet: aſt jam tum temporis præter ſubſtantiam denſam & ligamentoſam diſtinctius nihil deprehendere potui, de qua pariter ac de muſculis, in ejus ſeparatione ſatis conſpicuis, eruditè jam diſſecuiſſe video, Helvetiæ noſtræ Coum, Celeberrimum Wepferum, ann. 6. Decemb. 2. Ephem. noſtr. cui incolumem ſenectutem animitùs precamur: inde magis incenſus fui, in fontem dictarum lachrymarum inquirendi, præprimis quòd in oculorum cervinorum anatome glandulam reperi inſignem, amplam latamque, & ex pluribus aliis conglomeratam, ſubrubram ſecus ac reliquæ oculorum glandulæ ſubſtantiæ friabilis ac molicellæ quâ damæ gaudent pariter ac cervi, ſitaque eſt in interiori orbita oculi in peculiari cavitate, pone muſculum oculi adducentem, quid hujus occaſione animadverterim paucis addam. Menſ. Octob. labentis hujus anni cum denuo hanc ipſam perveſtigarem incidi in ductum ex hac ipſa ſub glandula vulgò ſed male dicta lachrymali pergentem, quem cùm glandulam verſus proſequerer ejus inſignes ramificationes, ceu totidem ductus laterales, diſtincte commonſtravi, exitum autem & terminationem certò oſtendere non potui; poſtridie hinc cùm ad alterius oculi examen pergerem, ductum eundem è glandula exoriẽtem ſub præfata lacrymali glandula, citra ullam cum hac communicationem, progredi & citra initium membranæ, vulgo nictatoriæ, ſeſe orificio ſatis conſpicuo exonerare deprehendi, evidentibus in confinio poris excretoriis duobus è glandula lachrymali vulgari provenientibus. Cujus rei teſtes ſunt Vir Clariſſ. & Præſtantiſſ. D. D. Emanuel Konig. Acad. Cur. ſoc. D. D. Stehelinus Dn. Koferlin. Dn. Tels Dn. Spieſſus Dn. Rombecg. Dn. Weiſſ. aliique Philiatri. Inſequentibus diebus damæ capite potiti, ductum eundem immiſſa per orificium ſeta, citra oculi exectionem, adſtantibus demonſtravimus: vergit iſtud orificium verſus canthum oculi interiorem atque animali hoc pronis oculis pabulum quæritante, menſe præprimis Auguſto, quo lachrymæ cervinæ copioſiſſimæ deprehenduntur, commodum lachrymalem lympham ſtillare videtur, quæ mora in ſupra nominato receptaculo in ejuſmodi ceruminoſam materiam concreſcit, quam conjecturam adhuc magis veriſimilem depilis crena cantho interno proxima in ſuperiore receptaculi parte, ceu canaliculus ſtudio extructus, efficere poſſet: Ipſo vero æſtivo tempore, ſi Deus vitam conceſſerit, fontem hunc lachrymarum denuo luſtrabimus: De ductibus quoque ſalivalibus inferioribus aliqua nunc ſubnectam: ductus ſalivales inferiores bini, quorum alter Warthonianus, à glandula vulgo maxillari inferiori exoritur, alter v. ex ſublinguali glandula oblongiuſcula emergit, ceu etiam Clariſſimus Rivinus pridem notavit, uterque in vitulo peculiari oſtia ſeſe oſtendit. Enim circa ſalivæ fontes in cervis occupatus, reperi ductum ſublinguali glandulæ communiter addictum, cum altero ſocio è glandula Warthoniana exurgente, conjungi, unciæ unius circiter diſtantiæ ab hujus terminatione, ſive papilla ordinaria, atque uno communi oſtio ſatis patulo, utrumque ſeſe exonerare, quod ipſum etiam in lupis obſervavi, in quibus ductus è glandula ſublinguali ad

radicem

radicem linguæ incipiente & ad hujus medium ſeu pertingente emergit, hancque ipſam emenſus ℥iii. circiter à papilla, ſive oſtio communi diſtantia in ductum Warthonianum inſeritur, ſecus ac in cervis in quibus glandula ſublingualis duplex eſſe videtur, una antica, poſtica altera; ex hac ductus ſuum ſumit exordium, indeque protenſus per glandulæ anticæ ℥iii. plus minus longæ medium pergit, modoque ſupra dicto cum altero combinatur, ductulos laterales haud dubie in itinere iſthoc nactus: cæterum ductus Warthonianus amplus eſt, amploque principio è glandula vulgo maxillari, inſigni prodit, quæ cum parotide conglomerata arcte ſatis eſt connexa, imo prout repetitum in cervis examen me docuit, glãdulæ parotidi ſubſternitur ope quæ plurimarum intercedentium membranularum nectitur & verſus aures expandi cernitur, ſicque connexæ hæ glandulæ ductui ſalivali utrique ſuperiori nempe, glandula ſuperior ſeu parotis conglomerata, inferiori autem, glandula ſubſtrata inferior, ſeu maxillaris originem præbent. *Ex communicatione amica Præclariſſimi ac Celeberrimi Viri D. Ioh. Iac. Harderi Medicinæ Doctoris, ac ejuſdem in Univerſitate Baſileenſi Profeſſoris meritiſſimi.*

LACTIS VITIA ET LACTATIO LAESA.

DE Lactis ſecretione ac ejuſdem organo, vide Diſſertationem noſtram de Mammis Bibliothecæ Anatomicæ Parti ſecundæ inſertam. Hic tantùm de lactis vitiis per *Curationes* & *Obſervationes* aliquot.

Curationes.

Uti fœtus in uterô nutritur lacte, ita quandiu infans tenellus eſt, nec ſolidiora alimenta commodè comedere poteſt, lacte ex mammis hauſtô nutritur. Lactis autem vitia ſunt; quando deficit quando copioſiùs abundat, & quando præternaturaliter depravatum eſt.

Deficit lac, vel vitiô materiæ ex quâ generandum eſt, vel vitiô mammarum illam ſeparantium. Deficit materia, licet rarius, in juvenculis tenerioribus, ac iis in quibus immenſius fluxerunt lochia, in febrientibus, item in iis quæ nimium ſudant, item quæ parum vel nihil comedunt; ſed hoc, ut jam dictum, rarius.

Ut plurimùm mammarum ſubeſt vitium, quando nempe harum glandulæ vel induratæ, vel obſtructæ, vel anguſtatæ ſunt, aut quando viæ ad mammas, aut per glandulas ſunt nimis obſtructæ. Fit hoc in ſpecie quando mulieres adhuc virgines, nimis adſtringunt veſtimenta thoracis: unde comprimunt mammas, & vaſa ſeu meatus ad has tendentes. Hæc eſt cauſa quare noſtrates puerperæ tam raró poſſint lactare proprios fœtus, quoniam in juventute nimis adſtringendo & comprimendo mammas impediunt lactis proventum. Præterea huc etiam facit quando exterius admotis mammarum augmentum & turgeſcentiam ſub pubertatis annis impediunt, aut etiam quando mediis geſtationis menſibus, dum mammæ itidem augeri incipiunt; ſimilibus earundem augmentum coercent.

Accedit huc etiam, indirectè licet, infans debilis, nec ſufficienter ſugens aut attrahens lac ex mammis. Nam hoc quò magis attrahitur, eò magis influit, ac magis etiam ampliantur vaſa: unde interdum ex nimio infantum ſuctu ſanguis purus, loco lactis emanare obſervatus eſt. Hinc tales puerperæ interdum priùs catellos, aut alios infantes robuſtiores admovent mammis; ut horum ſuctu promoveatur lactis affluxus.

Signa defectus materiæ per ſe manifeſta ſunt; idque in primis ſi ſimul acceſſerint mammæ flaccidæ, aut pendulæ minuſque turgentes, ex quibus parum vel nihil lactis effluere poſſit. Cauſæ antecedentes facillimé poſſunt cognoſci.

Quoad prognoſim. Puerperis equidem parum aut nihil nocumenti exinde contingit: ut ut infantes interdum nutricibus admovendi pœnas luant.

Curam quod attinet. In hac, aut internis appropriatis lactis proventus accelerandus, ſubminiſtrando ſimul victum euchymum & laudabilem; denique viæ externis admotis, reſerandæ, mammæ laxandæ, & quaſi ſpongioſiores ac molliores reddendæ. Quæ ergo hic conducunt interna appropriata ſunt, fœniculum, cujus ſummitates recentes comeſtæ laudabile & copioſum lac generant. Unde aliæ decoquunt ſummitates fœniculi ut plurimùm, vel cum potu ordinariô, vel in lacte, & ita hauriunt. Unde mihi oleùm deſt. fœniculi in uſu eſſe ſolet ad lac augmentandum. Poſt fœniculum inprimis conducit aniſum ejuſque ſemen: hoc enim egregium eſt remedium copioſiùs comeſtum ad generandum lac, ſive in ſubſtantia aſſumatur, ſive oleùm eius deſtill. ſubinde guſtetur. Quod oleum etiam externe mammis illitum inſigniter confert, in ſpecie ſi miſceatur cum oleô lumbricorum terreſtrium, & ita inungatur. Poſt hæc ſemen dauci, ſemen cardui Mariæ, ſemen erucæ, ſemen nigellæ, optime conveniunt. Flores ſambuci ſingulare ſunt remedium, ſi eorum manip. 1. coquatur in lacte, hocque decoctum hauriatur ad augmentandum lac; hâc tamen ſimul obſervatâ cautelâ, ne horum florum ſiccorum ultra manip. 1. coquatur: vidi enim aliquando quòd hi flores copioſiùs in lacte cocti, & à muliere aſſumti, lac equidem ejus augmentarint; ſed & nutricem & infantem inſigniter purgant, id quod cùm interdum ſit minus conſultum, propterea in minori ſumantur quantitate. In uſu etiam eſt ut oryza, aut hordeum excorticatum, contuſum in lacte coquatur, & capiatur inſtar pultis, quæ puls condienda eſt cum cinnamomô, galangâ, caryophyll. ac ſimilibus. Porrò lumbrici terreſtres pulveriſati ad ʒi. hauſti, etiam conveniunt; aut, quod melius eſt, decoctum lumbricorum terreſtrium in brodiô fœniculi, experimentum eſt Helidæi Paduani ad generandum lac. Hinc chryſtall. præp. ad ℈i. aſſumpta; lac item lunæ ad ʒi. propinatum, lac augmentant. Hinc

℞. Sem. anis. ʒii. lact. lunæ ʒi. chryſtall. præp. ʒß olei deſtill. anis. gtt. viii. m. f. pulvis pro 4. doſibus aſſumendis in decoctô fœniculi.

Quoad externa, conveniunt applicata mammis fomenta, ex decoctis ſimplicium appropriatorum

torum cum emollientibus miſtorum; v. g. ex fæniculo, ex malva, ex flor. ſambuci, meliloti & ſimilibus: Sunt etiam qui commendant fermentum cum farinâ hordei mammis applicatum; item herba pimpinell. mammis appoſita, aut vinca pervinca contuſa iiſdem circumdata lac augmentat; quin & poſt paſtum & abſolutam concoctionem frictio mammarum cum pannis aſperis ut incaleſcant nonnihil ac turgeſcant, non eſt inconveniens auxilium.

Contrarium vitium eſt nimia lactis redundantia, ita ut plus debito luxuriet ac non tantũ modo ſufficiat nutriendo fœtui, ſed præterea etiam vel ſponte effluat. Origo ejus eſt, vel materiæ copia in ſubjectis ſanis & ſalubribus, vel mammarum laxitas mollitieſque ac ſpongioſitas glandularum in mammis, à quibus uberior lactis copia emulgetur & tranſcolatur, quò & accedit ipſe fœtus robuſtior & famelicus, fortius exſugens lac, ac proinde ejus abundantiam per accidens procurans.

Quoad ſigna. Venit interdum, ut mulieres lactantes percipiant intenſum dolorem compreſſivum in regione, id quod maximè moleſtum eſt, ſomnumque impedit, & hoc ſæpiſſime evenit ex redundantiâ lactis, aut quando ſimpliciter abundat, aut quando non ſufficienter emulgetur. Mulieribus ſucculentioribus hoc interdum evenit mediis geſtationis menſibus, dum ſcilicet lac in mammis ſuboriri in quibuſdam ſolet. Et talis, ut dico, dorſi compreſſivus dolor, oritur ex redundantia lactis ſtagnantis, quaſi in locis, & vaſis per quæ eſſet deferendum ad mammas. Præterea abundantia lactis patet ex copioſiore ejus excretione, quæ inprimis tunc eſt curanda, quando tam copioſe abundat lac, ut ſimul ſpontè effluat; unde emaciatur fœmina, aut etiam nonnihil debilitatur.

Quoad prognoſim. Moderata abundantia minus mala eſt, cùm fœtus ſucceſſivè grandior ac robuſtior plus ejus in ſui nutrimentum abſumat. Verùm ſi nimis abundet, ut atrophia ſequatur, aut virium debilitas, curationem omnino poſtulat.

Quoad curam ergo: poſt moderatam diætam, interna quædam appropriata, in ſpecie autem externa, vel adſtringentia, vel reſolventia, vel appropriata, lactis abundantiam tam præſervant, quàm curant. Opera ſimul danda eſt ut, aut uberiùs fluant lochia, aut revocentur in ordinarium curſum menſes, in lactantibus ut plurimùm ſuppreſſi, aut inſtituatur venæſectio in brachio.

Quoad remedia interna, omnia ea quæ ſemen extinguere dicuntur in viris, etiam lac muliebre imminuunt: Et hâc ipſa ratione etiam curandæ ſunt iſtæ mulieres quæ lactare nolunt, nec ex lactis præſentiâ in mammis aliquid nocumenti ipſis tandem ſuperveniat. Remedia ergo inprimis interna ſunt mentha, cujus decoctum eſt unum ex optimis lac abſumentibus: ſicuti & ipſa mentha contuſa inſtar cataplaſmatis, mammis circumpoſita, lac diſcutit & diſſolvit in iis quæ lactare nolunt, uti & calamintha. Hinc vitex, ſeu agnus caſtus, ejuſque ſemen, & ex eodem parata remedia. Roſmarinus etiam & chærefolium ad lactis copiam imminuendam laudantur. Nicotianæ uſus lac potenter abſumit, autore Sandiez in obſervat. Ex apio etiam & anethô, chærefoliô item, cuminô, & coriandrô, quæcunque aſſumpta lac imminuunt. Inprimis tamen externis hic inſiſtendum eſt; quæ ſunt fotus ex ſemin. cumini in aceto & aq. decocto. Aut paratum cataplaſma ex ſemine cumini contuſo cum aceto ſimplici, & ita applicatum, cui etiam interdum aliquid aluminis, cautè tamen, addi poteſt. Hinc fiat etiam fomentum ex decocto cicutæ; menthæ, cum ſemine cumini & coriandr. quæ in aq. vel vino decocta ex linteis multiplicatis applicantur calidè mammis. Aut ex decoctis fiat cataplaſma cum farina fabarum, cum oxycrato, ſeu aq. & aceto, quod cataplaſma etiam egregiè conducit. Succus plantaginis mammis illitus confert ad imminuendum lac, uti etiam emplaſtrum de cicuta mammis impoſitum, quod præterea etiam lactis coagulationem & glandularum indurationem præcavet. Papyrus gryſeus melle virgineo illitus, mammis impoſitus lac imminuit: ac denique cancri fluviatiles calcinati, ſacculo lineo incluſi & mammis applicati, uſurpantur ad lac imminuendum.

Quod ſi mulieres lactare nolunt, ut evaneſcat denuò lac, externè convenit inprimis cataplaſma ex micâ panis, pulvere menthæ, aceto & ſale, quo uſus ſubinde Timæus. Nec inconveniens eſt emplaſtrum Hœferi in Hercule Medico p. 340.

♃. Ceræ alb. flavæ, pinguedinis gallinæ, axung. cervin. ā ā. ℥ß. M. & liquatis adde camph. myrrh. aſſæ fætid. an. ʒß. croci ℈i. F. emplaſtrum, quo tingantur lintea in formam mammarum concinnata, & ita perforata, ut papillæ exeant, ſicque geſtentur per 6. ſeptimanas. Noſtratibus in in uſu eſt ut mox poſt partum, aut quando lac ſe manifeſtat, aut etiam dum jam influere incipit, ut imponant mammis herbam alſines viridem, contuſam: Hæc enim ſæpius applicatur nonnihil calidè contuſa, & ita lactis proventus in mammis ſiſtitur. Obſervatum aliàs eſt mulierculis, quod mus, ſi lac nutricis geſtaverit, hinc ſtatim illud è mammis abſumatur & evaneſcat; ſicuti experimentum magneticum eſt ad lac abſumendum, ſi mulier de eô aliquid ſuper carbones ignitos, aut in ignem excernat, ſic enim fit ut lac abſumatur ſucceſſivè: Notat hoc Helmont. in ſuis ſcriptis per experientiam. Certum expertum fuit à Petro à Caſtro medico Veronenſi, ſi poſt fœtus ablactationem, mulier in ſacculo ſuſpendat chryſtallum & ſuccinum in regione dorſi mammis oppoſita, ſic enim abſumitur interdum lac, interdum etiam ſenſibiliter per alvum educitur.

Tertium vitium eſt, quando lac depravatur ac vitioſum fit, id quod variis modis in ſapore, in colore & conſiſtentia fieri poteſt: qua ratione Meara contra Williſium obſervavit lac cæruleum ex mammis excretum. Præ cæteris tamen vitium eſt in lacte ſi concreſcat & coaguletur in grumos; quod fit ab omni acido, ſive aliunde allato, ſive in ipſo lacte in mammis genito: (nam in lacte eſt copioſum acidum) Hinc enim acorem, & per conſequens coagulationem lacti inducunt omnia ea, quæ ejus alterationi, vel aliquali corruptioni occaſionem præbent: Hinc namque ſubito aceſcit lac, unde ejuſdem congrumeſcentia. Fit hoc à mœrore, à terrore

gravi, item ab acido quocunque inconſultè & intempeſtivè mammis applicato. Quâ ratione fomenta nimis acida, & quæ recipiunt acetum ab aliis admiſſis non ritè temperatum (ubi notandum quod cuminum temperat acetum) facilè lacti coagulationem inducere poteſt. Facit huc etiam ſi poſt ſudorem mammæ ſubito exponantur aëri frigido; ſic enim ſubito induci ſolet ſicuti ſanguinis, ita etiam lactis, ab acore ſuborto coagulatio: quin & ipſum lac diutius in mammis retentum, nec excretum, occultâ fermentatione ſpontè aceſcit, grumeſcit, & hinc mammarum ſupervenit tandem inflammatio.

Cauſæ hæ, ſi fuerint graviores, lac totum coagulant mammaſque induratas reddunt: Leviores ſi fuerint, lac tantummodo in una alterave glandulâ grumefaciunt, aut exinde ſaltim aliquot loborum infarctum inducunt, unde tunc fit ut permaneat adhuc lactis per papillas effluxus & tamen grumoſa & caſeoſa materia in mammis deprehendatur tactu.

Subito hoc percipiunt fæminæ, compreſſionem enim quandam doloroſam, ſed levem, in mammis percipiunt. Item tactu idem deprehendunt, dum duritiem & renitentiam quandam percipiunt, modo majorem, modo minorem, modò continuam, modò interruptam, prout plus vel minùs continuæ, aut ſecretæ ac diſcretæ affectæ fuerint glandulæ. Malô procedente mamma rubeſcit, pulſare incipit, febris ſupervenit, ac tumor durus, aut in ſcirrhum induratur, aut doloroſiſſimâ efferveſcentia ſuppuratur. Unde Prognoſis facilè patet; ſcilicet metuendum erit de febre, aut de inflammatione, de abſceſſu mammarum, aut de ſchirrho facilè tandem in cancrum degenerante.

Quoad curam. Coagulum erit ſolvendum & lac reſolutum emulgendum. Faciunt hoc ex internis primario ſpir. ſal. armon. acidum deſtruens quodcunque, & hinc lactis grumos diſſolvens. Si ejus uſus ſit nauſeoſus, commodè diſſolvitur, vel aſſumitur cum lacte, ſic enim ſapor & odor ejus fit inſenſilis. Poſt hunc ſperma ceti grumos quoſcunque reſolvit à ʒß. ad ʒi. uſurpatum. Hinc etiam emplaſtrum de ſpermate ceti Mynſicti externè impoſitum, & ad præcavendum, & ad reſolvendum lactis grumos non habet æquale remedium. Hinc oculi cancrorum vulnerarii acido abſorptô, lac reſolvunt, inprimis ſi myrrhæ paululum iis addatur. Pulvis millepedum, ſeu aſellorum mira præſtat in chirurgicis caſibus, ita etiam in ſpecie in reſolvendo lacte coagulato, ſi à ʒß. ad ʒi. crebriùs hauriatur, idque experientia Riverii Cent. 4. obſ. 89. Sicuti vel millepedes internè crebriùs uſurpati ulcera mammarum cavernoſa mirabiliter ſanant. Porrò ſemen fæniculi, cumini, crocus, ſalvia, mentha, chærefolium ac ſimilia internè uſurpata etiam lactis reſolvunt grumos. Quoad externa, jam monui emplaſtrum de ſpermate ceti tanquam optimum, aliàs etiam mentha contuſa & tanquam cataplaſma mammis impoſita per octiduum, quotidie novam recipiendo, optimè reſolvit lactis grumos, inprimis ſi propinetur internè omni mane ʒi. ſeminis anethi. Hinc cicuta contuſa & impoſita etiam lac grumoſum reſolvit, id quod etiam facit decoctum chelidonii majoris inſtar fotûs applicatum & impoſitum. Alias etiam ſimul fomenta ex decoctis fæniculi, anethi, abrotani chamomillæ, cherefol. cicutæ, menthæ & ſimilibus.

Ubi jam incipit cum dolore rubere mamma & intenſiùs indurari, ita ut metus ſit ſupervenientis eryſipelatis, optimũ eſt ſi recipiatur rob ſambuci, hinc inducatur linteo, & poſtmodum probe calefactum, tam calidè quam mulier perferre poteſt, imponatur, & hoc omni horâ repetatur. Sic enim & lac reſolvitur, & imminens eryſipelas diſcutitur. *Michael Ettmullerus in Collegio Practico.*

Obſervationes.

Ex lacte coagulato ſcirrhus cancroſus &c.

Ante dies aliquot matronam illam Soloduri, quæ graviſſimo illo affectu, Cancro ſcilicet occulto, ex lacte coagulato olim contracto laborat, quamq; aliquando mecum vidiſti, iterum viſi: medicamenta quinetiam nonnulla tam interna quam externa præſcripſi, ex quibus & fructum aliquem percipit. Morbum tamen planè inſanabilem eſſe aditantibus denuò ſignificavi. Suaſit Empiricus quidam, ut cauſticum aut veſicatorium aliquod adhiberetur, & incluſa materia hoc modo evacuaretur, hoc verò quàm abſurdum ac periculoſum ſit conſilium, ipſis & rationibus & multis exemplis oſtendi. Inprimis autem hiſtoriam, funeſtam profectò, matronæ cujuſdam ex nobili familia, hic in vicinia, ad quam ego Anno 1606. vocatus fui; (quamque ægra noſtra optimè cognoverat) in medium adduxi. Illa cùm cancro occulto per multos annos ad pupillam dextram laboraſſet, tandemque tuberculum à Chirurgo quodam ruptum fuiſſet; ſequutum eſt malignum ac fœtidum ulcus, ex quo maximo cum cruciatu vitam finivit: uti fuſiùs in tertia Centuria Obſervationum mearum videbis.

De Cancro porrò ex lacte in mamma concreto; ſingulare exemplum mihi hìc obſervare contigit, quod tibi nunc communicare viſum eſt. Honeſta quædam mulier, in agro Bernenſi infantulum lactans, phlegmone in dextra mamma corripitur. Ex qua lac in mamma iſta coagulatum, atque in grumos concretum eſt. Extincta inflammatione, grumus quidam in ea parte mammæ, quæ reſpicit axillam remanſit. Ex quo paulatim exortus eſt ſcirrhus, qui tandem in cancrum malignum degeneravit. Quantumvis enim exulceratus nondum eſſet, tantus tamen aderat dolor, præſertim noctu, ut aliquoties prunas ſubeſſe ſibi perſuaderet. Cùm per annos quinque (ſi rectè memini) in iſto cruciatu vixiſſet, & ſcirrhus ille cancroſus proximus eſſet exulcerationi, me convenit; tum in dextra mamma cancrum occultum, pugni magnitudinem longè excedentem, duriſſimum, ac lividum deprehendi. Sub axilla quoque ſcirrhi tres, quorum unus magnitudinem ovi adæquabat, deliteſcebant. Hi tamen maligni nondum erant, neque cancrum ſapiebant. Præparatô ſatis corpore, tum optima victus ratione, tum purgationibus & venæ ſectione, die 21. Junii Anno 1606. præſente Reverendo viro Dn. Joh. Merula, hujus Eccleſiæ miniſtro fide-

liſſimo

iſſimo, ac Dn. Emanuele Urſtiſio, Artium liberalium magiſtro, convictore meo ſuaviſſimo, tumores hoſce ſcirrhoſos omnes excidi, ita ut brevi convaluerit. Id verò inprimis fuit notandum, ipſam interim dum ſcirrho iſto laboraverat, ſemel utero geſtaſſe, & ipſammet infantulum lactaſſe, qui tamen infantulus vix ſextum menſem ætatis attigerat, cùm circa emunctoria undique ſcirrhoſis tumoribus ſcaturerit: unde tamen languidè vitam finivit. Materia enim cancri in mamma concreta atque incuneata, lac procul dubio acre, malignum & ſemi-venenoſum effecerat. Matres itaque ſic affectæ, infantulos lactare minimè debent. Sic enim lac in ſtomacho coagulatum, veneni inſtar graviſſima ſymptomata infert, ut Galenus, Aëtius, & multi alii teſtantur; multò malignius efficietur, ſi in mammis coaguletur ac includatur.

Difficilem autem ſimul & periculoſam eſſe exciſionem tumorum axillarum, præcipuè ſi magni fuerint, cùm in aliis, tum in primis in illa fœmina, obſervavi. Periculoſa propter venarum thoracicarum eo in loco concurſum, ex quo hæmorrhagia timenda: deinde quoque eam ob cauſam, quòd attrahendo hujuſmodi tumores, muſculi pectorales, & reſpirationi inſervientes, ſimul lædantur, hinc ſuffocationis periculum. Quamobrem paulatim, modeſtè & clementer hiſce in partibus operandum convenit. Difficilis vero propterea, quod brachio dependente tumor in profundo deliteſcat atque abſcondatur, & brachio tota axilla obtegatur: ſin vero elevetur brachium muſculi, membranæ, vaſa, ſimul & tumor ipſe adeò extenduntur, ut difficillimè ſeparari poſſit, inprimis vero, ſi profundius membranis adhæſerit. Prudenter itaque in hujuſmodi operationibus agendum eſt. Sed & ante omnia diligenter explorandum, an tumor ex una in alteram partem vacillari atque moveri, & radicitus extirpari poſſit? Inanis enim foret operatio, ſi pars aliqua tumoris, quantumvis minima, imò etiam membrana, qua ut plurimum hujuſmodi tumores integuntur, remanſerit: repullulat enim malum, fitque priori malignius. Nec ſperandum, id quod remanſit, cauſticis auferri poſſe: iis enim cancri ita irritantur, ut ad ſummam malignitatem perveniant, ſicuti Obſ. 1. Centur. 1. & alibi, demonſtravimus.

Hoc autem modo in operatione proceſſi. Brachio mediocriter à miniſtro in altum elevato, cutem in longitudinem ſecundum tumoris magnitudinem incidi, poſtea tumorem diligenter ſeparavi, cavique, ne venæ abrumperentur aut inciderentur, propter hæmorrhagiam, quæ in hac operatione totum negotium invertiſſet. Ab ea itaque ut ſecurus eſſem, majorem partem iſtius tumoris, qui magnitudinem ovi gallinacei adæquabat, unguibus ſeparavi. Deinde tumore ſequenti forcipe apprehenſo, miniſtrum juſſi, ut forcipis hujus beneficio tumorem, quantum (abſque tamen maximo dolore) fieri poſſet, deorſum attraheret. Poſtea acu incurvata, quam in promptu habebam, interim dum miniſter forcipe tumorem ad ſe attrahebat, venas, quæ tumori inſerebantur, primò ex ſuperiori, deinde quoque ex inferiori parte tumoris apprehendi, ac firmiſſimo nodo ligavi. Tandem tumorem audacter ſeparavi, atque intra ambas ligaturas fili, excidi, ita tamen, ut filum extra vulnus propenderet, quò & ſuo quoque tempore extrahi poſſet. Reliquos quoque binos tumores, avellanæ magnitudinis, majori adjacentes, parvo cum negotio avulſi atque extraxi.

Tandem ad ſcirrhum cancroſum, totam ferè mammam ad coſtas penè uſque occupantem pervenimus. Inciſâ itaque cute circumcirca tumorem (quandoquidem cuti tenaciter adhæreſcebat) ipſum tum digitis, tum cultellis ſeparatoriis, facili negotio ſeparavi atque extraxi, & poſtquam aliquid ſanguinis effluere permiſiſſem, pulverem noſtrum ad ſanguinem ſiſtendum, ſtupis albumine ovi madefactis, impoſui: Pectus, humerum & brachium oleo roſarum inunxi, & pulvillum ex ſtupis mollibus, vitello & albumine ovi cum ol. roſar. conquaſſato, intinctis, applicui, faſciaque omnia colligavi. Cordi verò epithema admovi, & ad virium lapſus nonnihil aquæ cinamomi abſque vino deſtill. in qua confectio Alkermes diſſoluta erat, ea die, & ſequenti nocte frequenter ex cochleari exhibui. &c. *Gulielm. Fabric. Hildanus Obſerv. Chirurg. Cent. 2.*

Pro Lacte deperdito.

Matronæ cuidam in primo puerperio, cum propter res adverſas in ſummam triſtitiam & mœrorem incidiſſet, mammæ ita exaruerunt, ut ne guttulam quidem exugere poſſet infans: illam ego ſequentibus remediis reſtitui. Primò, ut ſe exhilararet, admonui; deinde corpus pulvere Senæ Braſſavolæ leniter expurgavi. Poſtea ſingulis diebus in aurora ad ℈ij. pulv. lumbric. terreſtr. præpar. cum decocto augalacti, liquirit. & ſummit. fœnic. rec. propinavi; & mammas ol. lumbric. bis die inungere juſſi: his per aliquot dies adhibitis remediis, & optima obſervata victus ratione, lac copioſè ad mammas iterum profluxit: eadem methodo multas alias matronas fœliciter curavi. Guil. Fabritius Hildanus. obſerv. 27. cent. 4.

Sunt qui nutricibus ad augendam lactis copiam pollinis lapidis galactitis [qui & lac Lunæ appellatur, & in montibus Helveticis reperitur) ℥j. è jure exhibent. Poteſt autem commodius ex lacte amygd. cui immixtus hic pollen aliquot horis fuerit, colato propinari, cum pauco ſaccharo, & aqua fœnic. Aiunt enim mamillas evidenter hoc auxilio turgere, & repleri lacte. *Anſelmus Boetius. lib. 2. De Lapid. & Gemm. cap. 229.*

Pro Lactis exſiccatione in puerperis quæ proles ſuas nutrire nolunt.

Quædam Obſtetrices mammas oblinunt melle, aliæ linteum aceto inculcatum, in quo prius ebullierat crocus hortulanus, commodè applicant. Sunt qui prohibent lactis generationem in mamillis cum unguento populeo, aut panno lineo ſucco menthæ imbuto. Matronæ Venetæ inhibent lactis proventum à partu emplaſtro ex melle, croco, terebinth. confecto, & mammis impoſito, atque eo tempore juſcula non ſumunt, neque vinum album bibunt, ne-

VIRO MAGNIFICO,
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
DOMINO, D.

CAROLO DRELINCURTIO;

IN GALLIIS OLIM

MEDICO REGIO,

ET CELSISSIMI PRINCIPIS DE TURENNA
ARCHIATRO.

NUNC VERO

MEDICINÆ PRACTICÆ
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
PROFESSORI PRIMARIO,
AC UNIVERSITATIS DECANO.

SPECTATISSIMI,
AC REVERENDISSIMI VIRI

CAROLI DRELINCURTII,

THEOLOGORUM DOCTISSIMI,
PRÆDICATORUM FACUNDISSIMI,
ECCLESIARUM REFORMATARUM
MAGNI COLUMINIS,
FILIO.

CLARISSIMI
ET EXCELLENTISSIMI VIRI

CAROLI DRELINCURTII,

MEDICINÆ DOCTORIS,
VIRTUTUMQUE PATERNARUM
EX ASSE HÆREDIS,
PATRI.

MEDICORUM HUJUS ÆVI,
ET ANATOMICORUM
VERE PRINCIPI.

POLITIORIS LITERATURÆ,
AC SOLIDIORIS OMNIS DOCTRINÆ
PROMPTUARIO INEXHAUSTO.

MEDICÆ SAPIENTIÆ
ORACVLO FAMIGERATISSIMO,
ET PLVRIMORVM ARTIS ASCLEPIADEÆ
MERITISSIMORVM ANTISTITVM,
PER TOTAM EVROPAM DIFFVSORVM
PRÆCEPTORI AC PROMOTORI FELICISSIMO.

SPLENDIDISSIMO
SECULI ORNAMENTO.

APOLLINI SVO
DEVOTISSIMO CULTU
ÆTERNUM VENERANDO.

IN DEBITÆ OBSERVANTIÆ
ET GRATITUDINIS MONIMENTUM,
BIBLIOTHECÆ SUÆ, SEU
COLLECTIONIS MEDICO-PRACTICÆ
TERTIUM HOC VOLUMEN,
SACRUM FACIT

JOHANNES JACOBUS MANGET
PRACTICUS GENEVENSIS.

ſtituunt ſplenicum, in quem è ventriculi fundo venulæ tendunt ternæ, vel quaternæ, quas vaſa brevia vocitant, quæque ſanguinem unicè revehunt è ſtomachi fundo in lienis venam, & inde in portam, ut perappoſitè notant Jac. de Back, & Fr. Zypæus. Averroes igitur, B. Gordon. Joh. de Vigo, Jac. Guiliem. Fabr. Hildan. Rob. de Fluctib. Jn. Gelæus, ac illuſtris ipſe Gaſſendus male fidi ſunt, e vaſis tot illis retegentes unicum. Inſidus pariter Leonh. Botallus dum ex illis quaternis duo tantùm exhibet. Fallax inſuper, & circuitui ſanguineo penitus adverſa, ingens illa Scriptorum turba, quæ tubis illis chylum in lienem deducunt. Sic rurſum perinde fallaces, apud nos audiunt, qui vel hilum ſucci proficui à liene in ventriculum corrivantur. Atque ita ingens illud Philoſophiæ lumen, Renatus Carteſius, Medicis non illuxit. Is enim ipſis, ſuper hac lite, tenebroſo Heraclito tenebricoſior eſt. Ambiguam verò mentem ejus quocunque flexeris, in totidem Anatomes tenebras denſas inflexurus es. Devii ſunt inſuper à Naturæ Libro, nodum qui Gordianum illum execant, mordicus negando vaſa exiſtere brevia: confutantur enim cadaverum inſpectione, nec-non Hippocrateis atque Galenicis ſtylis ſtanneis, æneis, ferreis, argenteis, atque buxeis, in iſtæc vaſa intruſis. Valeant igitur qui hoc ſeculo, & quidem hac in media ſcientiarum meridie, noctuarum inſtar, adhucdum caligant, nec vaſa tam luculenta detegunt. Deflectunt tandem & à tramite recti Bauhinus, Spigelius, Highmorus, atque Diemenbroek vaſa hæc fingendo inoſculari ſplenicis arteriis ſed amica manu peritiſſimi Bohnii reducuntur in viam.

Nos verò, non ſolum hinc, ſed ab omni viſcere, arteriarum cum venis commiſſuras longe ſummovemus. Hic enim Hippocratem & Galen. inſimul, nec-non Carteſium rurſus, atque conjunctiſſimum olim Rev. Par. condiſcipulum Joh. Pecquetum ejuramus: illorum quippe ſinguli extremas arteriolas venulis extremis inſerunt, atque ita procedere putant μετάχυσιν transfuſionem illam, qua ſanguis ab arteria elutriatur in venas. Pectore igitur aperto profitemur (unà cum oculatiſſimis G. Harveo atque G. Charletono) nullam omnino dari ullius arteriolæ cum venulis anaſtomoſin, millies licet ab ævo Priſco recitatam.

No. x. Lienales deinde nervi numeroſe fruticant à pari vago, quod laryngis, pectoris, & abdominis eſt; imò brachiorum & crurum, ex ἐγχειρήσει paterna, cujus ope protinus è phænomenon labyrintho, aliàs inextricabili, ſeſe extricat. Illi autem nervuli comites indivulſi ſunt arteriarum ad reconditiores uſque viſceris porulos, ſicut induſtriè Gliſſonius atque Whartonus ſcrutati ſunt. Veſalius igitur atque Veſlingius, cum ſuis lienalibus nervis unicè externis, Tireſia ſunt cæciores.

No. xi. Reliquias tandem Anatomes noſtræ vaſa lymphatica excipient, è profundis uſque lienalibus cavernulis. Sed cavere eſt, ne ruditate cæca J. de Muralto iſtæc à liene in pancreas exportemus. Qui igitur peritior & oculatior avet haberi, conſulat velim Rudbeckii tabulas, Siboldi Hemſterhuys Meſſem auream, D. Lamy & p. m. Præc. meum D. Nuck, qui multis quidem flebilis occidit, Nulli flebilior quam mihi.

TH. II.

Splenis porro textum illud mirificum rarum eſt & molle Hippocrati, Celſo, atque Galeno, atque ita lien perperam enunciatur coactus atque compreſſus à Mercurio Trimegiſto. Nuſquam eſt ergo parenchyma ſicuti vult Eraſiſtratus, Aphrodiſeus, Lactant. Oribaſ. Septalius, & Entius. Longè appoſitiùs, & ad naturæ normam, lien eſt Hippoc. ἀραχνοειδής; telam enim araneæ refert, & veluti reticulum eſt, & ab illo reti Gallis dicitur la Ratte. Totus ergo lien fibroſus audiat, obluctante licet Nicolao Maſſa, & ab illis fibris, univerſum ſyſtema lienis, ab Hippocrate, velut ipſum afflante Minerva, ἰνῶδές τε καὶ ἑλικῶδες ad ravim uſque proclamatur, ſed Ulyſſeam ceram ſibi auribus obdunt. Lienales ergo fibræ in helices contortæ ſunt atque revolutæ, & ſuis ſpiris Galenicas conſtituunt κοιλότητας. Aſſurgant igitur Hipp. noſtro pulmonei viri, qui priſcum illud ejus inventum, ſibi tumentes arrogant. Is enim Magiſter primævus eſt, qui hancce docuit filorum καταπλοκήν τε καὶ συμπλοκὴν, quam in uno nuſquam demiror Ruffo Epheſio, Profeſſione Medico, ſed in Marco Antonino Cæſ. qui corporis univerſi tale textum eſſe ſolerter obſervat, κροκύφαντον γὰρ καὶ πλεγμάτιον nobis ob oculos ponit.

TH. III.

Iſtud porro viſcus, uſus ſui gratia, planè litigioſum eſt. Quot capita, tot ſenſus: nemine idem ſentiente, ne videatur acceſſio alterius. Tantas autem inter viros tantos componere lites meæ tenuitatis non eſt. Potiores interim ſententias proferam, aperturus deinceps ani-animi paterni ſenſa.

No. I. Democritus, Eraſiſtrat. & Ruffus Epheſius lienem fruſtra eſſe fabulantur; & iſtud putre atque olidum Iſidorus movet, dum ſplene ſupplet, ſive replet inanitatem hypochondrii ne vacua exiſtat, qua in re meritò carpitur à Voſſio. Lien autem Helmontio ſedes eſt Archei, & Veneris nidus, atque hoſpitium animæ, nedum inutile viſcus. Putidum verò Democriti dogma Civitate Medica nuſquam donatum eſt. Norunt enim Medici naturam ἀπαίδευτον licet, tamen αὐτοπαίδευτον nihil fruſtra facere, ſed ubique boni operis Magiſtram eſſe. Immo profitentur nil nobis ineſſe, quod ſapientiam ſummam, poteſtatem immenſam, & bonitatem ſupremam non ſapiat, nam Opera Dei ubique mirabilia & memoratu digniſſima.

No. II. Animum autem Hippocr. atque Philoſophi dum hîc perſcrutor, unanimes ipſos deprehendo lienem nobis cedere ſpongiæ modo luxuriem humiditatis è ventriculo combibere. Iſtæc autem idea ſpongiæ Helmontii mentem ita permulſit, ut lienem (nuper ipſi ſolium animæ & Veneris delicias) ad plantanimalia depreſſerit: illum enim delirat, ſpongiæ vitam vivere, & purum putum Zoophyton eſſe. Har-

væum autem & Entium, quibus plus mentis eſt, cor ipſis acrius limante Minerva, hic mirari ſubit, ab Hipp. & à Philoſopho vix tranſverſum unguem diſceſſiſſe, chylum enim aqueum in lienem, viâ naturæ inviâ, chimærice deducunt.

No. III. Plato autem, Plinius, Galenus, Aphrodiſeus, Falco, Cœlius, Bonaciolus, Montuus, Veſalius, Varolius, Duretus, Mercurialis, Perdulcis, Zacutus, Plempius & innumeri alii, quibus aliàs Jupiter magis favet, lienem jecoris fæcibus expurgandis ſerviliter addixerunt, & illum exinde riſus organum eſſe ſymphoniaci cecinerunt,

Cor ſapit, pulmo loquitur, fel continet i[illegible]s:
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Sic apud Serenum;

Splen tumidus nocet, & riſum tamen addit ineptum.

Defæcatus ſcilicet ſanguis nitet, at ab eo nitidiori riſus, imò cachinnus, unde Perſius,

Sum petulanti ſplene cachinno.

Ita Sammonico lien, de mente Plinii;

Dicitur exſectus faciles auferre cachinnos;
Perpetuoque ævo frontem præſtare ſeveram.

Quaſi hoc amoto viſcere Saturni, hic & Apulei Deus, (riſus nimirum) amoveretur. Mentem interim illam peramanter Galliæ fovent, quoties enim ſuam frontem erugant, toties perhibentur *s'épanoüir la ratte*. Sic Belgicum milt (viſceris noſtri nomen) à Gallis non abludit, hilaritatis enim intellectum perinde habet ac *munificentiæ. Laus verò dogmatis tam lepidi in unum Platonis ἐκμαγεῖον refundenda venit. Id enim ἐκμαγεῖον malè audit jecoris effigies, ſimulacrum, character, ſigillum, impreſſa figura, imago expreſſa, uti volunt; ſed veluti mantile eſt, quod ſordes jecoris ἐκμάσσει abſtergit & exterget, uti perappoſitè, meum ad Mercurium, Divus profitetur Ambroſius. Sic iterum ad rem Aretæus & Avicenna, dum hepar ipſis eſt nigri ſanguinis emunctorium. Sic tertium rem ipſam Jul. Pollux acu tetigit, Platonicum lienis miniſterium attingens. Ita certè Galenicus lien hepatis expurgatorius eſt. Inde fit ut Oribaſio (qui Galenum fidelis exſcripſit) lien machina ſit jecoris fæculenta repurgans.

Ab iſtis itaque fontibus Meletius, Magn. Etymolog. atque Phavorinus ſplenem deducunt ἀπὸ τοῦ εἰς ἑαυτὸν ἐπισπᾶσθαι τὰ φαυλισθέντα τῶν ὑγρῶν quod alliciat in ſe humorum inquinamenta. In partes autem illas ruunt agminatim, & impetu veluti cæco, viri aliàs oculati, atque moderati, Vaſſæus, Argenterius, Euſtachius, Hucher. Gratiol. Liebaut. Marquard. Cornacchin. Varand. Licet. du Vallius, Merindol, Ranchin. Campanel. Weickard. Hellvvig. La Serna, de Campis, German. Chicot. Menjot. de Blegny & Jac. tandem Sponius, cujus extrema fata, præmaturaque, non unus Apollo, ſed Muſæ lugent.

No. IV. Avicenna & Averroës ſuccum putant ſubauſterum à liene in ventriculum deferri, qui blanda ſtypticitate orificium ejus ſupernè vellicet, appetitus ergo. Sed profecto, ſi qua dictis veritas inſit, celebrandus eſt eo nomine Galenus, qui vel ſeculis integris octo ante Avicennam, id ipſum conceptis verbis procudit. Id verò deinceps Theophilus, Nemeſius, atque Meletius plenis buccis inculcarunt. Mirari ſubit itaque aſſeclas Avicennæ Albucaſin, Actuarium, Mundinum, Aponenſem, Gordonium, Guidonem, Savonarolam, Zerbin, Vigonem, Taliacot. &c. paginam illam vel Gal. vel Theophili, vel Nemeſii, vel Meletii, nuſquam attendiſſe. Sed dum iſthæc opinio vana eſt, partes Avincenn. vel Gal. tueri, diceptare eſt vel de fumo vel de aſini umbra. Illam verò mentem chimæricam eſſe, & jure merito que à M. Curtio impugnatam, vel fida docet Anatome, quæ viam omnem à liene ſalubri in ventriculum præcludit. Immo ratio & experientia ſuccum auſterum pariter omnem à nobis ſanis jugiter arcent.

No. V. Rondeletium quod attinet, & ejus ſequaces Fr. Ulmum, Car. Piſonem, & Aemil. Pariſanum, ſanguinis florem à liene, tanquam pollen à cribro ſecerni finxerunt. Sed iſtæc Chimæra, Lunæ ad incolas, difflatur à Laurentio. Illam nihiloſecius deperire videntur Corn. ab Hogelande, Lambert. Velthuſ. Th. Cornel. Conſentinus, Alb. Kyperus, & ipſe Fr. Sylvius atque Th. Burnetus, ſanguinem enim comminiſcuntur à liene ita ſubigi, ſpirituum animalium ope, ut in tincturam, vel fermentum exaltetur. Sed citiùs illi viri ſuper aquâ ædificarent, quàm talia nobis cordatis aſtruerent. Quoniam autem illa juveniliter me convellente ruitura non forent, genuinos omnes veritatis candidatos ad ſolidiſſimum ablego Bohnium, qui viriliter iſtæc evertit.

No. VI. Sed menti noſtræ obverſantur alii benè multi, qui pariter explodendi forent, cum liene ſuo, vel ſeminifico vel ſucci nervoſi ſtudioſo vel ſpirituum fabricatore. Verũ iſtæc opinionum monſtra dies delet, nec-non maſcula virtus Highmori, Malpighii, atque Bohnii. Nobis itaque, & aliis, victoriæ palmam omnem præripuerunt. Me igitur conſtituo extra teli jactum omnem, quò me tradam informationi paternæ.

TH. IV.

Illis itaque ſententiis valere juſſis, in patriam mentem inquiſivi, ut ex ea mihi tandem veritas affulgeret, qua fidem meam, ſub ipſa initia hîc obſtrictam, lætus & tutus liberarem. Genuinum itaque lienis uſum, ex ipſis ut ita loquar naturæ fontibus, placidiſſimô & limpidiſſimo rivô deducturus ſum. Illum autem uſum Rev. Parens, vel jam à quinque fermè luſtris hanc in Academiam invexit. Evicit enim 1. rationibus & experimentis * plurimis, arterias vel decuplo plus continere lymphæ quam venas, (ſanguinis enim totius continent ἅπαντα τὸν ὀῤῥὸν) & idcirco rivi dicuntur humanæ naturæ, cujus aquileges ſimii ſunt, tubis aquas diducendo. 2. Sanguinem illum vel decupla portione in ſplenem impelli, quam in hepar, quoniam arteria ſplenica decies amplior eſt hepatica: lymphæ igitur plus decies lienalis arteria convehit quam jecoraria. 3. Ex eo quod experientia & ratione ſan-

* Beverwiiks Schat der Geſondheyd. p. 150. Edit. 1660

* Quæ duo firma ſunt veritatis indagandæ crura, è Gall. l. 8. κατὰ τόπους. T. 2. pag. 284. Atque adeò Thaletis & Anaxagoræ ſequaces illorum altero crure mutili claudicant, S. Empir. adv. M. p. 153. c.

ſanguis venoſus craſſior ſit decies arterioſo, neceſſitas exurgit illius intra venas diluendi, quò refluat in cor. At providus opifex illius dilutionis ergò toti venæ cavæ proſpexit, dum in illius truncum infernum, supernumque vaſa lymphatica largiter corrivatus eſt. Jam verò ſtabilita æquali neceſſitate diluendi ſanguinem venæ portarum, ac ſanguinem venæ cavæ, Rev. Parens ad oculum demonſtrat vaſa lymphatica nulla venæ portarum inſeri, atq; adeo alluvione nulla lymphæ puræ putæ ſanguinem illum venæ portæ dilutiorē eſſe. Aliunde igitur, concludit, dilutionis fontem eſſe arceſſendum quàm à lymphaticis vaſis. Jam verò viſcus nullum extat, quod tantam lymphæ diluendæ ubertatem venæ portarum ſuggerere queat, quàm lien, qui dum ſanguinem ſuum arterioſum uberrimè lymphaticum, ſpiritibuſque turgidiſſimum, atque ita mobiliſſimum, in ipſam portarum venam affatim refundit, novis illam ſpiritibus imprægnat, & in faciliorem ocyoremque refluxum ſanguinem ipſius univerſum impellit. Is igitur venæ portarum ſanguis univerſus longè commodiùs atque citius minimos permeat hepatis acinos, quibus dum percolatur, influit pedetentim in venæ cavæ radiculas, quo regeratur in ejuſdem cavæ truncum, tanquam fluvius in ſuum Oceanum. Iſtæc autem percolatio non procedit, quin jecoris acinuli bilem omnem ab illo ſanguine portarum emungant, quam in tubulos radiculaſque bilarias ſenſim, ac ſine ſenſu propellant. Lien itaque non unum ſanguinem venæ portarum in ejus oſtia convehit, ſed & percolandæ bili manus veluti præbet adjutrices, dum aliunde, (ventriculo contiguus) chyloſin ejus blando ſuo complexu, atque fotu promovet, uti meritò ſenſerunt Ariſtoteles, & Anonym. Græcus, atque Galenus, qui ſubjungit non modò lienem, ſed & reliqua viſcera ſanguinea ventriculum ambientia, tot veluti focos eſſe ad lebetis fervorem. Id vero perappoſite prorſus ad Platonis mentem, qui viſcerum calorem à ſanguine repetit, velut ab ignis fonte vivifico. Plato autem beneficum ignem illum Hippocratea domo ſubduxit, ubi nihiloſecius vel adhuc dum jugiter mobilis, luculentus lucet, & omnia movens per omnia, functionum omnium unicus audit Opifex, haud ſecus ac Baſilio Valentino Vulcanus ipſe omnium operationum effector unus eſt.

TH. V.

Sed quò feror? Jam fermè meum ἔργον γέγονε πάρεργον. Nunc itaque mea in lienoſos pietas ad illos me convertit, manus ut ipſis porrigam auxiliares. Singuli quippe ſub pondere gemunt, & Medicam opem implorant, quò leventur. Sunt ſiquidem, omnes ad unum, liene gravi, atque ita morboſo; partes enim ſanæ non gravant. Nolim interea lienis gravitatem in unam illius regerere molem adauctam. Rev. quippe Parens lienes præ manibus habuit plane contractos, ſed ponderis interim ſaxei. Nullo itaque Scriptoribus contradicendi percitus œſtro, lienicos profiteor eſſe viſcere quidem graviori ſemper, ſed non utique turgidiori. Tumor itaque mihi neutiquam genus eſt ſupremum, ad quod ſingulæ ſpecies referantur, nam gravitas primas hic tenet, & præ mole ponderat. Lienes enim dantur exigui, & planè coacti præduríque; coriacei nimirum calloſive; ſcirrhoſi, ſaxeive; atque ita longe profectò graviores turgentibus aliis, ſed pulmoneis, ſeu ichore ſpumoſo diſtentis & expaſſis. Nullus itaque in genuinam & adæquatam tumoris definitionem inquiram; nec me tricis implicaturus ſum, quibus lemmatis illius explanatores ſeſe intricant. Dictis fidem qui detrahit ad Galenum adeat, ad Gordonium, ad Guidonem, ad Vigonem, ad Tagautium, ad Gourmelin. ad Ingraſſiam, ad Fallop. ad Arant. ad Foreſt. ad Paræum, ad Saportam, ad Aquapend. ad Rudium, ad Riolan. patrem, ad A. de Corbie, ad Sennert. ad Thevenin. & ad Munnickium, illorum enim quiſque eandem aſſiduus de Tumoribus præter naturam tutudit incudem.

No. II. Quò autem dilucidior ſit hæc narratio mea candidus eloquar quod res eſt, Theſes ſcil. meas primitùs fuiſſe de Tumoribus lienis: ſed rem ipſam enucleaturus, protinus deprehendi me teneri per longas ambages. Illis itaque miſſis, & ſuaſu paterno, ad ſplenicos me contuli, quorum ſcrutandorum ergò Rev. Parens Codices mihi recluſit Hippocrateos, luce perfuſos Galeni, Philothei, Cornarii, Mundellæ, Fuchſii, Braſſavolæ, Hollerii, Valleſii, Cardani, Dureti, Argenterii, Mercurialis, Jacotii, Gorræi, Marinelli, Chr. à Vega, Svvingeri, Cordæi, Foëſii, Heurnii, Pini, Varandæi, Martini, Martiani, atq; M. Curæi, & inibi lienoſos comperi obſtructos eſſe liene. Dum autem obſtructos imaginarer tumidos omnes eſſe, priorem mentem de tumoribus lienis recolebam, idque juxta Philothei ſententiam, qui lienoſos vocat liene tumentes. Sed Rev. Parens me certiorem fecit, ſe viſcera vidiſſe ſexcenta penitus quidem obſtructa, verùm coacta, atque compreſſa, nedum diffuſa atque turgida. Imò univerſe me docuit, partem omnem coalitam, obſtructam inſimul eſſe atque denſatam. Quis enim v. g. dubitet, inteſtinum concretum ſtrictius planè atque compactiùs eſſe inteſtino pervio & extento. Sic rurſus partis cujuſvis maraſmum, obſtructionem eſſe profitetur quidem, ſed inſimul molis exilitatem inibi detegit. Sic certè Rev. Parens glandulas vidit oris, colli, pectoris, & abdominis, planè vietas & marcidas, atque ita mole nullas. Imò pulmones ipſos, utut priùs amplos & extentos, ſæpius de pectore revulſit, & ob oculos poſuit, uſque adeô tabidos, & arctatos, ut charactere nullo agnoſci potuerint, vel ab ipſis Medicis, ſed arte rudibus. Sic denique calloſum mihi protulit pancreas, hepar, & lienem intimè quidem obſtructa, atque præcluſa, ſed volumine nihiloſecius tam exili, ut illorum imago nativa fuerit penitus obliterata, licet exilitas iſtæc tenuitatem nondum attigiſſet Theſ. XVII. Non ergo lien obſtructus tumidior omnis eſt, uti Diocles inſinuare videtur, neque adeò tumor obſtructionis eſt character indelebilis.

TH. VI.

Jam verò prout obſtructio vel levior atque recentior; vel gravior atque diuturnior eſt, ita Medicis lienoſorum injurias gradatim veluti demonſtrat: prout enim morbus aſcendit

ita ſymptomatis variis atque variis evectionis ſuæ gradum luculenter prodit.

Id autem vitii non unicè poſtgenitum eſt, diætæ vitio, præſertim gulæ, quâ nulla hîc capitalior peſtis; ſed & congenitum,

Nam patrum in natos, abeunt cum ſemine morbi.

Sicut ergo mutili mutilos, claudi claudos, & cæci cæcos, ita lienoſi lienoſos generant, qui propterea dicuntur natura lienoſi, uti liquet è Cranonia, ſive Theſſala Hippocratis ægra. In utriſque autem Rev. Parens lienis tegmen atque ſubtegmen omnino culpat. Prout enim illud vel firmum eſt, & inſimul ſtrictum, rarumve; vel debile, & inſimul arctum, laxumve, ita pororum exurgit Aſclepiadis vel ἀμετρία morbifica, vel συμμετρία ſalubris. Sicut enim hominum alii cute & carne ſunt vel ſtipata, atque ſtricta; vel rara atque laxa, ita & viſceribus ipſis vel compacti ſunt, rigidique; vel remiſſi, flexilèſque. Id autem in omni cadavere Rev. Parens unguibus, vel ſcalpris haud ſecus deprehendit, ac matronæ carnes elixandas, aſſandaſve, præduras nimirum vel teneras, levi fibrarum evulſione diſtinguunt. E tali porrò viſcerum diſcrimine Rev. Parens infert homines illos obſtructionibus longè obnoxiores eſſe, quibus fibræ rigidæ ſunt & aſtrictæ; quàm ubi firmæ quidem, ſed flexiles, nec ita ſtipatæ atque coactæ. In his enim liberior fit fluxus, atque refluxus, in aliis verò levi de cauſa humores ſiſtuntur, quoniam in præcordiis hoſtem inteſtinum gerunt, qui ferocientis externi promovet impetum.

TH. VII.

Diſpicere eſt igitur quid in nos extrinſecì vel malis avibus involet, vel teſtudineo gradu impingat Id omne porrò Diæteticum eſt, ac unicè repetendum è ſex rebus non naturalibus dictis. Si quis v. g. Bœotum in craſſo aëre natus, ſtatariis utatur aquis, piſcibus, azymis, leguminibus, caſeo vetuſtiori, ſaccharo multo, acidis plurimis, & ſegnitie demum veternoſa, atque μισανθρώπῳ Bellerophontis, vel Heracliti, vel Timonis adinſtar; is certè, tali Acheruſia vita & tali teredine cordis, non modò ſibi ſtipaturus eſt alvum, ſed & ſanguinem particulis inferturus ita craſſis, ita viſcidis, ita ramuloſis, ut in lienale reticulum impingentes, texti præſertim ſtrictioris, ab eo non ægrius irretiantur, quam piſciculi maculis denſioribus. Sic igitur retibus implexæ, captivæ fiunt, atque ſic hoſtiles, commeatum enim intercludunt cujus uſura carere nequit viſcerum Oeconomus. Hinc prima mali labes. Hinc lacrymæ. Hic prima belli ſedes. Hîc primus hoſtilis inſultus. Hic denique primus morbi gradus, in quo conſtitutus æger ὑπόσπληνος eſt, ſublienoſus. Sed ubi novæ particulæ, priorum vitiis ſcatentes, in eaſdem plagas incidunt, confeſtim etiam illaqueantur, atque congeneres has implicant, & quidem non ſola particularum Anaxagoræ homæomeria, ſed & craſſi ſui corporis oppoſitu. Sic enim vias obſident, atque ita particulas omnes intercipiunt, quò ipſas, ceu totidem copias auxiliares, ad ſuum bellum internecinum adjungant. Tunc ergo clade majori lienem afficiunt, & lienoſos priori gradu movent, illiſque aditum veluti quendam ad pejora jaciunt; nunc enim deſinunt eſſe ſublienoſi, & ruentes in pejus reapſe fiunt σπληνικοί τε καὶ σπληνώδεες: ἐπισπληνοῦντες & σπληνιῶντες; ſplenici nempe vel ſplenitici; lienoſi vel lienici. Quòd ſi demum ejuſdem diætæ vitio novæ ſanguini ſuggerantur particulæ, prioribus analogæ, conſequens eſt illas glutine ſuo primævis ac etiam ſecundariis adhæreſcere, quas ſecum conglutinent atque ſtringant. Temporis autem tractu quicquid in iis tenuius eſt, avolat; craſſamen verò fæcis inſtar remanet, quod in dies arctius atque arctius ita compingitur, ut indureſcat, & ſcirrhus audiat, atque ſic ad ſupremum vitæ diſcrimen ægrotantes attollat. Nunc enim traducuntur ægri è ſpleniticorum gradu ad ipſos σπλῆνες, hoc eſt, ex illo fati ſui gradu ſummo Splenes abſolutè proclamantur, quaſi nunc toti conflarentur ſplene, ceu toti ſplenes eſſent. Eadem nimirum Metaphora ac ipſe morbus è pernicioſo tranſit in perniciem ipſam, ita certè ægrotantes è ſubſplenicis facti ſunt ſplenici; & è ſplenicis tandem, lugenda Metamorphoſi, tanti quanti ſunt, toti ſunt lienes, & quidem nullius fatiferæ Circes incantamentis, ſed unius Hipp. ore fatidico Hîc itaque Terminus eſt, iſque vel ab una ſanguinis *a* fæce, ſed quovis ſaxo minus hinc movenda. *b* Hic igitur decumana noxa. Hîc ægritudo ſacra. Hîc fata ſuprema· Hîc tandem ultima linea rerum, nam tragœdiæ hic ultimus Actus eſt.

TH. VIII.

Sed dum Tragœdus ille, perunctus fæcibus ora, ſuam agit tragœdiam, attendendi ſunt illius Actus, hoc eſt motiones ejus obſervandæ veniunt, quo providi tot ſicarios declinemus, quos unà circumducit, tot volo ſymptomata funeſta, quæ noctes & dies lienoſos, in apice ſuo conſtitutos, undique circonſtant. In primo itaque illius Actu, ſeu morbi gradu priori, notantur primum, hypochondrii ſiniſtri dolor acutus, erraticuſque, & ad minima diætæ vitia repungens. Sed non omnis inibi dolor lienalis eſt, nam inteſtinum colon, quod eò loci ſtrictum & inflexum eſt, colicoſum fit atque torminale, ut in Hippocr. Polycrate, cui enemata recluſerunt inteſtini vias obſeptas atque dolentes.

Secundùm, Tumor hypochondrii lienalis, (vel Abſyrto notus) & ad infimæ coſtæ confinia pertingens, molliuſculus & laxus; modò autem elatior, modo depreſſior. Aſſurgit enim paſtu largiore, motu celeriori, ira fervidiore, & animo mœſtiore; ſubſidet autem Theſſalico jejunio, Socratica *c* quiete, & Stoicorum ἀδιαφορία, nec-non Pyrrhonis ἀπαθεία. Imò, citius adhuc tota commotio ſedatur Democriteo riſu, ocyus inſuper & pie, animo læto, non unum vultum, ſed & lienem bene afficiente. Verùm non omnis inibi tumor lienis eſt, viſus enim ren ſiniſter ſex librarum pondo ſcirrhoſus illuſiſſe Medicos idea lienis.

Tertiùm, Decubitus æger dextrum in latus, &

a *è Theſ.* XVII. b *è Theſ.* XVIII. c *Hæc enim* ipſo momento, *impetum lienis ferocientis veluti frænat, ſed protracta morbo favet, è Th.* XX. *num.* 6.

& ſomnum fugans in aurem utramque, notante Caſſio è lienoſorum querimoniis.

Quartum. Spiritus anhelus, vel ab ipſis Veterinariis jam olim notatus, & levi momento longè gravior, terrore v. g. & ira, vel impetu quovis animi ad aliquod opus; omaſo diſtento, aſcenſu, curſu, equitatione, eſſedo, ſaltatione, ludo demum vel laniſtæ, vel follis, vel pilæ, vel diſci, vel tudiculæ. Tunc enim, Camarina mota, lienalis humor impendiò rareſit, & viſcus ſuum enormiter dilatat, ſicut Alex. Bened. Bald. Timæus, & H. Regius conſideratè notant.

50. Flatus non modò ſub fornice coli tumultuantur, ſed & intra lienis clauſtra fremunt, unde hypochondrium univerſum luſorii follis inſtar contenditur, & ſonorè ſtrepit, ac ipſe lien murmurat altè. Hinc cecinit Fr. Portus eſſe præcordia læva

Flatibus aërii cum murmure tenſa ſonoro.

Sic rurſus (apud eundem)

Mollia ventoſa reboant hypochondria flatu.

Hic ergo genuinus eſt Tralliani atque Jonſtoni fluctuationum alveus. Hic inſuper remugiens eſt Averrois antrum ventoſitatis inflativæ. Hic tandem ſpelæum eſt Rhaſis, & Herculani rugitus. Atque ita immeritò prorſus Nicol. du Chêneau lienem rugire negat: Leoninum ſcilicet rugitum ſeriò putat Scriprores velle. Platerus verò, utut ad hunc rugitum ſurdus; Scepticum gerit, aſſenſionemque cohibet, Academicorum more atque Xenophanis & Anaxagoræ.

60. Flatus illi fiunt Veneris irritamenta, venas enim inflant, & jacentes nervos, atque funeratos erigunt. Flatuum enim iſtorum indivulſus comes eſt ſerum acre & aculeatum, quod ſpiculis ſuis genitalia fodicat, ceu genuinum foret Veneris œſtrum. Inde fit ut mediis in ſomniis lienoſos iſtæc urtica tangat, quæ ipſis vel citra bulbos, erucaſve ſalaces; vel citra Falerni concham, Satyriive potum; vel citra ſalivas junctas, animarumve miſturam, vel citra tandem Διογένους ἑρμαῖον, ἤτε Δομιτιανοῦ κλινοπάλην, non Herculeam ſed Democriteam excitat Epilepſiam; quâ Venereum ignem; lienali ſpiritu ſufflatum modico ſanguine reſtingunt, dum immundo viſu Nocturnam veſtem maculant; ventremque ſupinum.

Modicum porrò ſanguinem hîc protuli; lienoſi quippe, ut ut libidine prurientes Salmacida bibunt à fonte, & accenſendi prope veniunt non Laſtauris, ſed Gallis, non Satyris ſed Eunuchis, qui dum nihil poſſunt εὖ νεῦ ἔχουσιν, ipſis intento nervo flatibus irritis.

Illius autem nocturni fluxus declinandi gratia lienoſorum nullus * Phariſaïcis ſpinis incubat, jam quippe Venereis acribus urticis plus ſatis punguntur.

70. Appetitus vegetior, imò voracitas Bœotica vix ullis dapibus Siculis, vel Pontificum cœnis exſatianda: atque ita in proclivi ſunt rem ſuam ut ſtringant, & obliment, edaces enim præ κυνορεξίᾳ ab eſurino ſale; ſed illâ capiuntur eſcâ ſicut hamo piſces. Ventridæmonem quippe gerunt, qui mentem ipſorum infodit in ventre, cujus ſervi fiunt.

8. Potui præterea Scytharum vel Thracum in morem lubentes indulgent, ſiticuloſi ſunt enim, atque ita Scythiſſare ſuſtinent, nec verentur Herculaneos ſcyphos, vel Alexandri calices affatim exſiccare, ſed protinus egent Æſculapio, nam potu læduntur.

90. Exinde eſt ut nauſeoſi fiant ſputatores, ſemoti longè vel ab Antonia Druſi, vel à Perſis, naſturtio frugi, nec unquam expuentibus. Verùm ubi ſuam lympham profuſiori ſalivâ profundunt, os ipſis exareſcit, quaſi dipſade morſi forent, atque ita novam expoſcunt amyſtidem, qua fauces ſibi proluant latice Lyæo; atque ſic, mutuas operas ſibi tradunt infeſtas ſaliva exundans potuſque profuſior.

10. Sudore pariter toti quandoque diffluunt, Thracis illius Maximini adinſtar, qui duos treſve ſudoris ſui ſextarios calicibus excipiebat, quum ediverſo Petronii Safinius Aſiatici quid habuerit, nam ab eo ſudor abfuit, abfuit & oris mala ſaliva.

11. Salivæ porrò atque ſudoris illius ubi divortia fiunt, univerſa microcoſmi lympha in unos corrivatur mictuales ductus, & ſiphunculis urinariis largiter erumpit, Diabetis in modum.

12. Ex illis autem lymphæ divortiis alvus areſcit, quicquid enim vel ſalivoſos in ductus (quos ævo Gal. vix ullus ignorabat *a*) vel ſerias in urinarias confluit, id univerſum alvo deducitur, per humoris παλιῤῥοιαν refluxum, cujus ergò fæcutina remanet colluvies ſicciſſima, imò ſtyptica & auſtera; atque ita fluere neſcia. Segnior igitur alvus, & quaſi veternoſa, naturæ neceſſitati vix paret, niſi ſtimulis evigilata.

TH. IX.

No. 1. Tot porrò phænomena lienoſos nobis cedunt ſanguine ſeroſiori; imò acido-ſalſo atque tartareo. Id autem prout tubis amplis lien ubertim excipit, ita & id ipſum, intra primum morbi ſui gradum, affatim in hepar refundit.

No. 2. Verùm ubi ſecundus movetur Actus tragœdiæ noſtræ, omnia ruunt in pejus, & ſymptomata catervatim ingruunt; lethum tandem illatura. Univerſus quippe ſeri tanti limus, & veluti tartarum, fibroſo detinetur lienis texto, à quo, veluti palude Lernæa malorum Ilias ſeſe diffundit in microcoſmi tractus. Primò quidem maculæ viſuntur cæruleæ, fuſcæ, nigricanteſve, & per areas cutem deturpantes, inſtar ſuffuſionum. Illas porrò acoris ſobolem eſſe profiteor è paternis experimentis, *b* quibus mihi compertum eſt, acidis ſanguinem nigreſcere, & in globulos præcipitari, exindéque viſcera obſtrui, & cuticulam ipſam à vertice ad calcem conſpici *atratam*.

C 3

* *Suid. in* Φαρισαῖοι.

a Ὅτι δὲ καὶ οἱ τὸ σίελον φλυοῦντες οὐδένες αἰσθητοῖς ἀγγείοις εἰς τὸ στόμα προχέουσιν αὐτό, σχεδὸν, οὐκ ἔτι οὐδεὶς ἀγνοεῖ Gal. *To.* 1. *p.* 246. 25. *Id inculſant* Gal. ibid. *p.* 490. *v.* 43. Oribas. *p.* 23. *Edit. Pariſ* 1556. & Avicen. *l.* 3. *Fen.* 6. *cap.* 1. *T.* 1. *p.* 579. *Edit. Venet.* 1564. *Sunt igitur perinde ſeculi hujus inventum, ac alia, quæ hîc in Epimetris recitantur innumera. Vid.* Præluð. Anat. *Rev Par. p.* 62. *Edit.* 2. 1680.

b Sparſim in Diſcipulorum Theſib. *præſertim in eruditis illis de* Liene, *p. m. Viri* Joh. von Flamesdinge, *Præſide* Rev. Patre *propugnatis Ann.* 1671. *n.* 19.

No. 3. Illius autem acidi muriatici virus tam acre eſt ut peſtilens illud & perniciale Scriptores execrentur. Vulgò tamen tantam ſtragem non edit; ſed prout interim invaleſcit, ita & ferocius graſſatur, ſcorbuticamque labem, viſceribus aſpergit, Et exinde ἐκχυμώσεις illæ cuticulares, ὑπωπίων, vel etiam vibicum inſtar, quæ primùm blandæ & indolentes erant, evadunt acres, & prurigine tandem ulceroſæ.

No. 4. Illinc itaque tibiarum ulcera parva quidem vulgò, ſed rebellantia ſeſe produnt, qualia 70. Interpretes πονηρὰ vocant καὶ δυσίατα; Hipp. verò κακελκίας καὶ δυσελκίας, ut in Antilocho, & Aleva. Mala idcirco ulcera dicuntur à C. Celſo; & δυσαλθέα ab Aret. & ab Aëtio, quibus ſuffragatur Avicennæ praxis. Iſtæc enim ulcera ſero ſcatent ſalſuginoſo fodicante atque corrodente, cujus muriaticam indolem arguunt cicatrices nigræ, quibus ita leviter obducuntur, ut continuò recidivent. Illæ ſiquidem particulæ ſalinæ, ſuis aculeis intimiùs defixis, etſi lateant ad tempus, brevi tamen aſſurgunt, & ulcera produnt altiora atque altiora, ſpontaneo ſero quandoque manantia, & ab Hippoc. & Aret. graphicè depicta. Altius itaque ſerpente virus edaci, aures ipſæ roduntur, & fœtorem emittunt. Imò gingivæ fiunt roſionis, fœtoriſque conſortes, denteſque ſuos denudant, brevi vacillaturos, prout Hipp. Strab. Plin. Paul. Marcell. Empiric. Avic. atque Suidas ſtylo notarunt atro quidem, ſed verè Pæonio.

No. 5. Altius adhuc evectô vitiô, narium vaſa recluduntur, & hæmorrhagiæ moventur enormes, quæ ſanguinis κρᾶσιν vitiatam produnt, qualem Hipp. paſſim culpat, utpote pravo fermento prægnantem.

No. 6. Jam verò acres illæ particulæ ſalino-fixæ Hippocrateâ ſanguinis περιόδῳ, atque Platonicâ περιφορῇ, ita conquaſſantur atque ſubiguntur invicem, ut nihil relinquant in maſſâ quod non inquinent. Inde fit ut infima trunci vaſa, vel turgeſcant impendiò, & varicibus aſſurgant; qui vulgò cæcæ dicuntur hæmorrhoides; vel arrodantur & fluant, eruptionis inſtar è naribus ſummis.

No. 7. Idem ergo ſanguis, qui recens balſamicus & conſocialis partibus erat, in acrem ipſarum hoſtem evadit. Partium igitur cum ſanguine neceſſitudo primæva planè intercidit, atque ita ſingulis illis ipſum veluti refugientibus, totæ macreſcunt, nutrimenti defectu. Aſſurgamus igitur Hippocrati, Platoni, Ariſtot. Aretæo, Gal. Avicenn. & Averroi, lienoſos tabentes dum digito monſtrant.

No. 8. Quoniam autem illæ ſanguinis portiunculæ ſalino-fixæ craſſiorem præ ſe ferunt molem, quàm ut porulos nutriendi corporis ſubire queant, plurimæ in lienem, texti laxioris, vel pondere proprio ruunt, vel ſuis in illum ſpiculis ſeſe defigunt. Dum verò hic alta palus eſt, è cujus profundis haud facilè emergant, conſequens fit, ut illæ complures eò demerſæ, inibi ſtagnent, neſciæ refluxus. Stagnatione igitur ſua concreſcunt, & ita conglomerantur ut lienem enormiter diſtendant; corpore interim tabeſcente. Atque adeò feſtivus eſt Trajanus lienem comparans fiſco. Hoc ſiquidem diteſcente populus depauperatur, uti liene creſcente corpus emarcet.

N. 9. Tumentiore itaque ſplene, non ſolùm ſpiritus ille ſublimis urget, quem Athen. Polemon meritò tribuit mœrore preſſis, ſed reliqua ſymptomata graviùs undique premunt. Imò novi tumores conſurgunt, quibus palpebræ, pedéſque gravantur, e particulis ſeri viſcoſi genarum pedumque texto tenaciter implexis. Atque ita non meræ ſunt inflationes, ut apud Averroem, quaſi flatuum unicè ſoboles eſſent.

No. 10. Partium autem illarum uti color fœdus multiplex exurgit, ita & corporis univerſi floridus omnis atque vivax funditus perit. Etenim

Qui viret in foliis venit à Radicibus humor.

Hìc vero mala radix, mali ſtolones. Prava germina, pravi ſurculi: decolor lien atq; luridus; decolor & vultus atque Saturninus. Sed ne mentem Saturninam induamus ipſi, ſtigmate notandi * aſtrologico, Citharœdum vocemus, qui nobis animum exhilaret. En Stratonicum, dicteriis facetum, qui lienoſos dum intuetur Caunios, pallore ſuffuſos, ceu reduces vel è Trophonii antro, vel è mediis ſilentibus umbris, in ipſos Homericum illud jactavit, hominum genus foliis eſſe ſimile. At culpantibus eum Cauniis, quod civitatem ut morbidam ſubſannaret, abſit, inquit, morbidam dicere auſim, ubi vel ipſi mortui ambulant.

THES. X.

Nec tumidus lien cutis florem unicè decerpit, ſed viſceribus damnum multiplex infert. Ejus enim globuli non omnes lienali reticulo coërcentur: quidam igitur ſanguinis fluentô huc & illuc abripiuntur, atque ita glomere facto venas inferciunt, intra quas nequeunt liberè volvi atque revolvi. Accidit itaque ut vegeto licet cordis impulſu ab aliis atque aliis urgeantur à tergo, inibi nihilominus, hoſtili ſuo globo, vias obſideant. Interea perennis à corde propulſio in iſthæc allidit obſtacula. Tunc verò quicquid in ſanguine tenuius eſt atque dilutius, præterfluit; craſſius autem atque compactius inibi ſiſtitur, & venas paſſim in varices attollit, uti ſingulatim de venis in ano prænotatum eſt, Theſ. ix. num. 6.

THES. XI.

Nec iſthæc à ſanguine in grumulos coacto unica vaſis infertur noxa, nam glutinoſæ ſi confluxerint particulæ, globulos protinus inviſcant, & partibus affigunt. Inde fit ut ipſæ arteriæ vocentur in detrimenti partem. Nam portiunculæ, viſco ſuo tenaciores, arteriis internis agglutinantur, & pares ſe præſtant ſanguini reprimendo. Illarum enim alveis præpeditis, fluento ſunt vel nullo, vel laborioſo. Sanguinis interim perennes, ac etiam ingentes volvuntur ſub pectore fluctus, qui alluvione ſua ad remoras illas fortiter allidunt, quo gluten illud, arteriis impactum, deglutinent. Ingens ergo procella ſurgit, ceu maris æſtuoſi intra ſtrictiora freta, nam hic quoque

* Joh. Hasfurti Virdungi. *Novæ Med. lib. 2. p. 18. ubi teterrimè* Saturninos *ſugillat. Sed* φλυαρεῖ. *Noli autem* ἀντιφλυαρεῖν *e* Gal. T. 3. *p.* 41. *verum* Ariſt. *oppone* T. 2. *p.* 815. Cic. *Tuſc.* 1. *num.* 33. Plut. T. 1. *p.* 114. *E.* & Fr. Bonav. *l.* 4. *p.* 240.

que ſtrictior eſt fluxuri ſanguinis alveus. Is autem quia ſpiritibus turget, recens à corde, impetu ruit in globum obſtantem. Sed dum ſuos fluctus, inſtar proceloſi maris ad ſaxa inibi frangit, cor minimè ſaxeum, reſiſtit atque tumultuatur. Cordis autem iſtæc commotio atque tumultus Palpitationis nomine vel lippis atque tonſoribus jam olim innotuit. Rudem teſtor Plauti lenonem, qui experientiæ ſcutica vapulans moroſe queritur, geminos ſeſe filios in ventre habere. Rude & alterum cor Euclionis atteſtor, arte ludicra continuò emicans in pectus, hoc eſt, palpitatione repentina, ceu ſeditione commota, confeſtim in pectus inſurgens. Idiotas igitur apage, qui, ceu aſini ad Lyram, ſeſe ad Hippocrateos codices adjungunt, quò Virum in Arte Medica detritiſſimum traducant, ceu cordis iſtud terrificum ſymptoma vel ſiviſſet, vel ignoraſſet. Sed iſti Sycophantæ, ſi quid modò ipſis Arcadicis læva in parte mamillæ ſaliat, adeant quæſo, Cl. D. D. Gronovium, Pr. meum ad aras uſque colendiſſimum, & ex illo Literarum omnigenum inexhauſto fonte, opimos doctrinæ ſuccos largiter hauriant, quò ſibi mentem aridam, ſterilemque irrorent atque fœcundent. Gloriæ igitur ducant à Viro tanto doceri τ̃ σφυγμὴν τε ϗ παλμόν. Deinceps verò diſcant quid ſit ὁ τ̃ φλεβῶν ἀπηδηθμὸς, quidve αἱ φλέβες ἐὶ σφυγμώδεις, quid rurſum οἱ πόνοι παλμώδεες, vel in univerſo corpore, vel ad tempora, vel ad collum; vel in toto abdomine; vel in hypochondriis; vel ad umbilicum; nominatim autem quid ſit τ̃ καρδίης παλμὸς διὰ τέλεος ξυνεχής; quid inſuper παλμὸς περὶ καρδίην οἷος ὑπὸ δρόμου, ὑπὸ δείματος, quid tandem Latinis auribus iſthæc Divini Genii verba ſonent? αἱ φλέβες περὶ τῇ καρδίῃ πηδῶσι, ϗ ἡ καρδίη παλλεται. Cor nimirum concutitur atque ſubſilit, ubi vaſa ſubſultim ad illud aſſurgunt. Sicut enim rapidi fluminis fluxu repreſſo tumeſcunt aquæ, multo cum tumultu, ita hic ſanguinis cohibito motu tumefiunt vaſa, atque commoventur, & illis turgentibus atque concuſſis, totum cor exagitatur, & impendio convellitur. Hippocr. ergo fons genuinus eſt, atque primævus ſcriptionis περὶ παλμ.

Quæ igitur ſeros apud ejus Nepotes palpitationum cordis & arteriarum proſtant exempla, Rev. Parenti neutiquam vel Archetypa ſunt, vel Protorpa; ſed Apographya, & ſæpius Apocrypha, utpote mendoſa, & à Naturæ libro penitus abhorrentia. Hic igitur Hipp. uti alias, dum Medica fundit, ab aliis ebibenda, Galatonis † Homerum refert, carmina vomentem, ab Ariſtophaneis ἐπιφυλλίσιν c abligurienda. Sed quia iſtæc idea nauſeoſa eſt, Hippocratem dicam virum eſſe tantum, ut Medici plures (in Jalepos aſcribendi) tot pygmæi ſint, thyrſô pollicem ejus metientes. Imò Hipp. Phœbus eſt alter, fulgore non ideo carens, quia non videtur à cæcis. Uno verbo meritas viri laudes nequidem linguæ centum, oraque centum condignè celebrarent.

a Ipſum cor *Antiocho depereunti Novercam* δεινῶς πηδᾷ, è Juliani *Miſopog. p.* 69. b Ælian. *V. H.* 13, 22. *p.* 502. c Salſum *eſt in Poëtas inficetos* Scomma. *Act.* 1 *ac.* 2. *p.* 215. *in Raniſ.*

TH: XIV.

Nuſquam igitur cor unicè ad moles ſuis oſtiis injectas ſubſilit; ſed & ejus primarii tubuli, ad obices quoque reſiliunt; aſſultim enim impetuntur à ſanguineis globulis cunctis, qui ab offenſa ſua tumultuoſe & confertim fere in ſe reſultant. Tunc quippe neceſſum eſt, ut ſenſiles illi ſanguinei canales toti contremiſcant & motu ſuo incondito viſcera concutiant. Unde conſequens & alterum ut inteſtinus ille ſanguinis tumultus arctiores ſuos dilatet alveos, & maris iterum implacidi more, ſinus ſibi formet, intra quos reciprocet. Dum autem ſinus illi cavantur, univerſum Arteriarum ſyſtema micare non deſinit, pulſuque ſuo irrequieto turbas ubique ciëre, ſed præſertim in ipſa lienis arteria, quæ propterea pulſat enormiter, & petulanti ſanguine ſuo hypochondrium concutit atque convellit. Exinde eſt, ut lienalis arteriæ validi percuſſus frequenter occurrant, qui ſuis ictibus fortiter repetitis fornicent. Fornicatur ergo lienalis arteria reliquarum more, quæ hinc inde fornicis in morem extruuntur, ἀνευρύσματος nomine paſſim infamantur à Dioſcoride, à Galeno, ab Aëtio, à Paulo & ab Actuario.

No. 2. Iſtæc autem aneuryſmata vel jam mihi notiſſima ſunt, nam tales arterias cùm in pectore, tùm in abdomine pugni mole fornicatas legi apud Fallop. Paræum, Harvæum, Riverium & D. de Marchettis. Singulatim verò Par. Rev. lienales mihi ceſſit benè multas Dædaleas omninò, & ambaginis, celluliſque paſſim excavatas. Tales porrò fuiſſe prontetur lienales illas, quæ ſuis anfractibus longè lateque protenſis, atque tædioſe pulſantibus Plautinum Cappadocem zona quaſi cinxerunt. Tales iterum aſſerit melancholicis ineſſe, qui corde lienoſo cantuntur, quòd ſcilicet lien ipſis ſaliat, & de labore pectus tundat, ac ſeditionem veluti faciat, occupando præcordia.

No. 3. Tales denique fuerunt pulſationes illæ, quas memorant, & quas ignorant Arculanus, Eraſtus, Claudinus atque Bontius, ſed quas debuiſſent ab Hipp. didiciſſe. Parens autem Rev. mira ſuavitate meum animum delinivit, ubi me docuit ſe intra lienales illas; nec non intra pulmonales, & quandoque intra coronarias cordis (quas mihi dedit expaſſas & duratas omnino, atque ita horrendæ quondam palpitationis fontes) mucilaginem quandam, oſtrearum inſtar, & lividis cirris. Id quidem Benivenius, Veſal. Holler. Rumler. Ballon. Hildan. & ipſa ſeculi ſupercilia Severin. Velſchius & alii, viderunt tam in aorta, quàm in corde, ſed chimæræ formâ, vermis nimirum, puris, calli, carnis, caruncula, vel adipis. At ipſorum intererat, ab Hipp. doceri tales concretiones eſſe à pituita frigida ſanguinem refrigerante atque ſiſtente. Merum igitur gluten pituitoſum eſt, ſicut Hippocrati experimenta paterna luculentam fecère fidem: iſtæc enim mucoſa ſæpius exſiccavit, decoxitve aqua, vinô, acetô; vel etiam exuſſit prunis vel flamma, & aliud nihil deprehendit quàm gelatinam ſanguinis eſſe ſimilem illius, quæ ſanguini ducto tenax accreſcit, & inſtar expanſi totum vaſculum obtendit, in pituitoſis, in cachecticis, in ſcorbuticis, in pleneticis, atque ſingulatim in rheumatiſmo.

TH. XIII.

Dum autem tot illis arteriarum percuſſibus corpus ita complodituṛ, ut vel è longinquo ſonus audiatur, cuncta certè ingraveſcunt, properatque morbus ad cataſtrophen. Præprimis flatus inſoleſcunt,& ex utre velut Æolio laxati, quoquoverſum furibundi diffunduntur, dirasque tempeſtates ubique commovent. Singulatim autem ventriculum diſtendunt, & excruciant, ni ructibus, ut-ut fœtidis, explodantur. Lienoſos diceres cavos folles eſſe, olida ſpirantes, ſed toto diviſos Orbe à Pomponio Conſulari poëta, quem perhibent ructaſſe nunquam. Nec flatuum ſævities effrænis tenuibus parcit inteſtinis. Illa ſiquidem vel crudelius dilaniat, quàm ipſum colon, quod uti obtuſius, ita & capacius, nec luctantes ventos ita coarctans. Sed accidit oppido fauſtè ut dum cruciamentis ſuis omne frangunt animi robur, ipſi, tanquam ſævi hoſtes, ad tibiæ cantum, portâ decumanâ trudantur. Lienoſorum enim inteſtinæ fibræ Edicti Claudiani *a* ſunt amantes, & * Argyrii ſimiæ, audacter quippe, ne periclitentur, nervis undique contentis hoſtilem ſpiritum omnem vel publicitus elidunt, etſi nuſquam λιβανωτὸν *b* oleat. Et ca in re ſplenici prudenter ſibi conſulunt, alias tanta intus rabie furunt venti, ut Diocle narratore, Medici non veriti ſint, perſtrepentis lienis murmura ſæva, tempeſtateſque ſonoras τὸ φυσῶδες τὸ πιθηκά morbum flatulentum vocitaſſe, inſtar Hippocratei νοσήματος ἐρυγματώδεος morbi ructuoſi.

No. 2. Alii vero flatus iſtos Dæmonas eſſe finxerunt abdomine cluſos, quibus lienoſi non modò fiant ventriloqui, ἐγγαστριμύθων æmuli, altô ſuô lienis roncho, ſed & ventre turgeſcant collativô, ſeu aqualiculi propenſo ſeſquipede, ad intenſiſſimum luctantis flatus, & exilire nitentis elaterem. Flatus autem illi ſicut in ventriculo & in inteſtinis fœtura ſunt pituitæ ſalſæ & acidæ; ita in liene ſoboles ſunt ſeri muriatici. quod ſplenem non modo fermentat, ſed & ſanguinis maſſam, in quam, detrimentum ſibi illatum, cum fœnore refundit. Inflantur ideo venæ & impendio nigreſcunt; atque varicibus hinc inde protuberant, nec ad tactum ita reſiliunt, uti dum ſanguis integer ævi & purus putus inerat; ac intimè perfuſus portiunculis balſamicis, volatilibus; & plenè nutritiis. Nunc enim acribus ſcatet ſaliniſque fixis, & roſione, fermentoque promtis, quæque pravam indolem ſuam noxa produnt. Hic ſiquidem hæmorrhoides Th. 9. num. 6. noxiores ſunt, ſive crepent, & fluant; ſive conſiſtant & ſtagnent. Sic & hæmorrhagiæ nocentiores, reliquum enim naturæ theſaurum profundunt, reſiduis ſpiritibus oppido paucis, atque ſic lienoſi tabent elumbes, aſſurgentibus interim pedum œdematis. Imò rediviva fiunt oris atque tibiarum ulcera, quibus vires magis adhuc atteruntur, ſpiritibus caſſæ. Nequeunt igitur lienoſi firmo inſiſtere talo, ſed impares ſunt ad inceſſum, præſertim ad acclivia, uti Polemarchi filius. Sed iſtæc ſcorbutici lienis enervata crura imperitè ſcriptitant ἀνιατρολόγητοι. ſupra plantam (ut dicitur) evagati crurum eſſe paralyſin, cùm interim totô cœlô diſcrepent vel à paralyſi vulgari, vel ab illa crurum & brachiorum impotentia, quæ vel febribus intermittentibus, vel colicæ Pictonum conſectaria fit, qualem Rupellæ, Pariſiis, atque hic Rev. Parens annotavit, monitus à Fernelio, Citeſio, * Salmaſio, atque Riolano.

TH. XIV.

In iſtis itaque lienoſorum ſanguineis effluviis, ſuggillationibus & ulcuſculis, concipienda venit acidæ colluviei luxuries, quæ vaſa corrodat, ſanguinemque denigret, ac in globulos cogat. Quid enim aliud loquuntur hactenus prolata? & quid rurſum ipſe ſanguis è ſpleniticorum venis eductus? Is enim totus luridus eſt,& craſſus, grumuliſque compactus. Diſſectus deinceps ipſe lien, qui totus τρυγώδης eſt, hoc eſt, qui totus diffluit conſimili tabo, picis navalis adinſtar, uti lien Fernelii. Imò lienes benè multos Rev. Parens præ manibus habuit, univerſe fluxos, hoc eſt ab acido ita corroſos. ut tunicâ revulſa toti fluerent, & toti funderent ſuam amurcam, fibris ſcilicet ipſorum totaliter arroſis, & ad leviorem attactum diſſilientibus, haud ſecus ac pulpa mali vieti atque putris, (ſoluta compage) contrectari non ſuſtinet. Ipſa denique curandi methodus luculenter arguit ſanguinis acorem dominatum occupaſſe, nam quæcunque acidum infringunt, tyrannidem illam opprimunt.

No. 2. Sed quò evagor? & quorſum è cadaveribus argumenta mutuor, ut lienis acidum deprehendam. Ipſi lienoſi, ſpirantes adhuc mentiſque ſuæ compotes omnino, producendi veniunt coram veritatis tribunali, quò teſtentur, ore uno, & pectore recto, quanta noxa ſit illius acidi, quo cruciantur; illud enim v. g. integro biennio, Fernelium exenteravit. Tanta autem iſtæc eſt edacitas ut ſæpè ſæpius ventriculum ſubvertat, & vomitu ſeſe prodat ſtyptico prorſus & auſtero. Fauces enim non ſolum ſtringit atque coarctat, vitrioli more, ſed abradit, atque corrodit, aquæ Stygiæ ritu, & exinde eſt ut illæ vomitiones, in terram profuſæ velut acetum efferveſcant, & nidore ſuo abominando vel ipſa fugent animalia, mures puta, feles & canes, qui ſanorum vomitus aliàs abliguriunt.

No. 3. Imò enormis acor ille in tantum exaltatur, ut oſſium duriſſima pontico ſapore pungat, hæmodiam enim infert, quam vir eruditus inerudite Galeno tribuit, illa ſiquidem Sacrorum Codicum eſt. Quinimo ante LXX. Interpr. Ariſtotelis eſt, & ipſius Hipp. Poſt LXX. autem, ſed ipſorum ævô, Dioclis eſt Caryſtii. Tribus vero deinceps ſeculis exactis, ſed ante Gal. adhuc, Dioſcorid. eſt Anazarbei.

No. 4. Illius inſuper acoris edacitas eſt tanta, ut medio in ventriculo vaſa recludat, vomitumque ſuſcitet ſanguinei coaguli nigri, odore cadaveroſo, quem vulgo ſubſequitur hydrops

a Suet. in Claud. *num.* 32.
* Ariſtoph. *in Plut. Act.* 1. *Sc.* 2. *p.* 19. *A. F.* & Suid. *in* Ἀγυιεῦ.
b Ariſtoph. ibid. *in Plut. Act.* 3. *Sc.* 2. *p.* 73. *E.*
* De Ann. Climacter. *p.* 731.

drops remedii neſcius, uti mihi conſtat è praxi Paterna, in qua me roboravit Dodonæus cap. de Abſinthio, atque Valverda, cum ſuo Cardinale de Cibo; nec-non Riolanus, cum ſuo Senatore; & ipſæ demum Ephem. Germ. cum ſua Matrona. In illorum enim cadaveribus, unum è brevibus vaſis inſigniter hiabat, è quo tale coagulum mortiferè eructatum eſt, occupato hydrope. Dictis demum grave pondus acceſſit ex Hipp. lienoſo, qui tali ſanguine affatim rejecto, poſtridie periit.

No. 5. Immo talem ſanguinem lethaliter alvô dejectum Rev. Par. in fœmina vidit, cujus lienale carcinoma ſubjectum colon arroſerat, & tabum torminale lethiferumque in inteſtina fuderat, quale in abdomen effuſum Ballonius notat.

TH. XV.

Quid demum Achilleis argumentis illis Hippocrateum pervigilium ſi adnumeremus, Herophontis, v. g. Scopi, & Chartadæ, ab ichore ſcilicet acri cerebri meningas fodicante. Eodem igitur aculeo, quô fiunt inſomnes, fiunt cephalalgici & quidem punctim, præcipue autem ad tempora, ubi aſſultim micant arteriæ. Etenim acor ille ſeri ultro citroque fluctuans intra vaſa, plurimus certè in cerebri gyros influit, unde piam illorum blandamque matrem dentata feritate ſua mordet. Quinimò dum locorum inibi difficultates atque Dædala arctius illud coërcent, & vim ejus promovent inſitam, meningem & alteram admordet. Nec enim facile diſſlatur, nec exinde facilè diffluit. Novo igitur veluti meteoriſmo concepto, fermentatur & bullit, ſuiſque aſſurgentibus undis meningas expandit, ſpiculiſque vellicat, ſingulatim verò tempora verberat, atque confodit; utpote, præ ſinuum amplitudine, fluctibus illis & aculeis magis obvia.

Iſtæc mehercle doloris eſt inſimul & inſomniæ ſontica cauſa. Qui mephitin igitur è liene concipiunt in caput efferri directò, ut inibi dolorificè atque vigilanter volvatur atque revolvatur chimæram concipiunt bombinantem in vacuo, ſicuti me docuerunt Rev. Par. atque Schneiderus.

TH. XVI.

Nunc itaque ſum in proclivi, ut in illius acidi facinus teterrimum me convertam. Id enim, ceu ſepia foret, ſanguinem nigrore ſuffundit, & nigram illam infert * Averroïs morpheam, hoc eſt icterum nigritia horridum, quô † cuticula vel nive candidior colorem induit Aquilum & Æthiopicum, unà cum oculis vulgò plumbeis, ſed quandoque herbeis.

Non ſimpliciter ergo lienoſi decolores viſuntur ut Anaxenor, ſed ſua nigritudine trucu-

* *Colliget.* 3. *cap.* 26. *fol.* 45. *Tom.* 9. *& ibid.* 4. *cap.* 12. *fol.* 64.

† Cuticulam *dixi*, Cutis *enim Æthiopum albet, uti* Riolan. *Anthr. l.* 2. *cap.* 4. *mihi teſtis eſt oculatiſſimus, nec-non Sereniſſ. Cimbriæ Ducis* Ἀρχία-τρος Pechlinus, *in eruditiſſ. & mellitiſſ. ſuo de* Nigritie Æthiopum *Tractatu, quem inſcripſit* Par. Rev.

lenti, ut Antilochus & Alevas. Ex eodem deinceps lienis velut aheno tinctorio eliciendæ veniunt nigricantes maculæ & aphthæ, imò cicatrices Th. 9. num. 4. necnon urinæ atratæ, quæ Galeno, Avicenn. Actuar. Averroi & C. Piſoni colliquati ſplenis fideles ſunt internunciæ: quaſi nempe illarum effluxu totum illud infectorium effunderetur ahenum. Revera autem iſtud Galenicum effatum ab ore veridico Hipp. emanavit. Is enim è ſuis phænomenis placitum iſtud ratum atque fixum habuit. Nobis enim Herophontem, ἐν τῷ δεῖνι ponit in medio; Nicodemum inſuper atque Metonem, nec-non Heropythum & Epicratis uxorem; qui ſinguli nigris urinis tartareum ſuum caldarium ſalubriter exhauſerunt. Sic Eraſiſtratus fœminam vidit, menſtruis defectam, quæ ſalutariter nigras urinas excluſit. Sic rurſus amico Valetii, vere & autumno, tumet lien, ſed urinis nigris detumeſcit.

TH. XVII.

Iſtis poſitis facilè eſt imaginari 1°. Sanguinis grumulos, ſua intra lienis cavernulas coitione denſa, fæcem illam & amurcam conſtituere, quâ ſplenicos ſcatere profitemur.

2. Fæcis illius ſatietate lienem diſtendi, nec aliunde arceſſendas eſſe obſtructiones ejus vel recentes & leves; vel vetuſtas atque rebellantes.

3. Fæcem illam & amurcam, ſero dilutiores adhuc, ſedimenti more vel in dolio vini, vel in oleario vaſe, fluxiles adhuc eſſe. Lienis itaque tumores ſuſcitat primi generis molles, & flaccidos, atque fugaces, qui ſcilicet modò tumultuentur, modò ſileant; juxta diætæ vitia, & veteris ſuæ ſpurcitiei miſturam variam atque variam; imò juxta fermenti novi vel parcioris, & mitioris; vel uberioris & acutioris acceſſum; idque vel πυρέτωδῶς vel ἀπυρέτως.

Si verò febris aliunde ſuccenſa fuerit, ſopitum lienis ignem ſub cinere doloſo ſuſcitat, quo ſuſcitato ſplen ardet ut ignis, & tollitur in altum, atque turbulentiſſimas ubique moleſtiarum tempeſtates excitat. Sed lienalis ille tumor tunc certè febris incendiarius non eſt, verùm febrile ſymptoma, uti Plutarchi b Hieronymus peritè notat. Conſequens ergo ut ſymptomaticus ille tumor ad febris vel intentionem vel remiſſionem cùm aſſurgat, tùm ſubſideat, ſicut idipſum quotidianus rerum eventus luculenter aſtruit, & ſicuti rurſus ex Hipp. Herophonte liquet, cui lien alternis vel tumebat vel minuebatur. Sic in Hippoſtrati uxore, quam febris querquera jactabat, lien equidem faſtigiatus evaſerat, ſed is totus unà cum febre ſudoribus, menſtruiſque reſtincta, depreſſus eſt. Pariter certè fæx eadem, cùm uberior, tùm compactior, tumores excitat ſecundi generis, quibus lien turgidior quidem conſiſtit & permanet, ſed mollitie quadam adhuc dum reſidua, atque ſic.

Diſtendens tumor eſt in molli ſæpè liene.

Et exinde lien mole auctior, nec-dum compactus atque duratus omninò, in tantam amplitudinem excreſcit, ut hepar volumine ſuo

a Averroës, *Colliget.* 7. *cap.* 14. *fol.* 157. *C.*
b *De Irap.* 460. *D.*
c *Vid. Sext. Pomp. Feſt.* Querqueram febrem.

quando

quandoque ſuperet, immo limites ejus occupet iniquè, & univerſum abdomen oppleat, uti fert erudita pagina 222. Enchiridii Anonymi Medico-practici, & ſicut id ipſum mihi, poſt Aretæum, Aëtium, atque Trallianum videre contigit, prælucente φιλιάτροις p. m. Viro D. Nuck, cujus præcocem obitum animitus lugeo. Quoniam autem tenues fibrillæ ſunt, quibus diaphragmati lien adnectitur, facilè accidit ut illis ruptis, totum viſcus veluti luxetur. Dum enim turget impendio, mole ruit ſua: Sic lien lib. quinque viſus eſt à Cabrolio in abdomen devolutus. Sic ab Hildano lien deprehenſus eſt peramplus, in ilibus ipſis, ubi graviditatem mentitus erat. Sic grandiorem alium, & ad pubem uſque delapſum idem narrat Hildanus. Dereliviorem adhuc, & librar. quatuor pondo, in ipſa pelvi Cl. Ruyſch. detexit. Sic lienem ipſemet ego, hiſce oculis, ex illa pelvi revulſum vidi, qui per areas quaſdam tunicâ fuit corneâ, quam inter κειμήλια mea repoſui. Ita Riolan. ſplenem recitat, in eodem hypogaſtrio, Medicos, molæ ſpecie, integro biennio deluſiſſe. Sic exinde lienem alterum eduxit lib. decem, qui gravitate & mole ſuis, nec-non ad uterum adhæſu mortem intulerat.

Sed quid Riolanici ſplenis pondus & molem enormia demiror, dum Joh. Helluvigius lienem ponderat lib. XII. Columbus verò lienem non unum, ſed lienes nobis in medio ponit, adeò grandes ut viginti librarum pondus unuſquiſque ex illis longè tranſcendat.

Horridius verò monſtrum aliud è Gregorii Garneri bilancibus Joh. Schenckius nobis reponit, ſplenem ſcilicet librarum viginti trium. Sed iſtæc Columbi atque Garneri exempla Rev. Patri ſubleſtæ ſunt fidei, reputat enim priùs occluſum iri abdominis vaſa, & viſcera; atque adeò vitam priùs extinctum iri, quàm moles lienalis tam ſtupenda conſurgat. Sic lienem mihi ante oculos conſtituit, (à ſe ex hypogaſtrio deductum, & fideli manu D. Doctoris Hubreht Anatomici Dexterrimi delineatum) qui limitibus ſuis peramplis, & gravitate enormi mortem invexit, vel antequam pondus attigiſſet octo librarum. Iſtud porrò Rev. Par. exemplum, quod ipſi ſine exemplo eſt, inter portenta refertа, tantùm beſt ut credat lienem unquam ponderaſſe libras viginti tres, nedum libras triginta duas, ſicut Foraventi ſuis Siculis illudit. Sed decet Agyrtas, avidum genus auricularum, ita ſplendidè mentiri, quò popularem auram lucripetæ captent.

4°. Jam verò tumores tertii atque poſtremi generis ut concipiamus, præ mente revolvendi ſunt globuli Theſ. 9. num. 2. qui ſeriatim quidem atque madentes, in lienis cellulas devoluti ſunt, ſed qui inibi conglobatim quieſcentes ita ſtipentur atque cogantur, ut ſerum ſuum vel omne, vel plurimum è ſuis porulis elidant. Imò particulæ ſeri tenuiores ſponte avolant, craſſamine intus relicto, ſalino-tartareo, volatili parte ſua ferme caſſo. In eum itaque modum globuli primùm formantur exiles, ſed compacti atque coacti, qui coitione ſui denſa globos deinceps efficiunt ubique hoſtiles, e quorum rurſus concurſu multiplici, velut è copiis junctis, internecinum bellum viſceribus infertur. Tales ſiquidem globuli atque globi duritie ſunt ſcirrhoſa, id eſt, calloſa, & indolenti. Sic Aretæo univerſus ipſe lien parvus, durus, renitens, & indolens fit, nam ejus regio tunc ſi doleat, id partibus adnexis tribuere eſt, non autem lieni.

Nequeunt igitur illi globuli particulis illis, ut-ut glomeratim in ſe irruentibus, ita fortiter colliди, ut præ moleſtia ſecedant atque diſſipentur. Juncti ergo & adunati conſiſtunt intra lienem, illumque numero ſuo innumero ita replent & expandunt, ut figuram ejus vitient, tumoribus tertii generis, præduris ſcilicet & indomitis. Sic Hipp. lienem vidit aliàs durum & rotundum uti Rhodius, & Stalpaert; aliàs craſſum & latum, uti Riol. & Piccolhom. aliàs denique longum & tenuem, qualis fuit qui Plautinum lenonem zona veluti cinxit; & qualis rurſum extitit, qui canitur (apud Serenum) tumido circumligans ilia vinclo.

Nominatim porrò juxta Hipp. Chartadæ globoſus ciat & ſublimis; Scopo autem expanſus, atque declivis; Bioni verò atque Philiſco gibber & prædurus, unde uterque μεγαλόσπλαγχνος audit, inſtar & Apollonii, & eorum quos liene memorant (M. Donat. & Ephem. Germanicæ) enormiter longo, lato & profundo. Jam autem ſi globuli durati minutiores globos forment, quos, ceu totidem hoſtes, fibræ lienales arctius & undique cingant, accidit ut hæ fibræ, taliter contractæ, lienem quoque contrahant univerſum, atque ſic molem ejus, ſeu volumen minuant, arctatis ſcilicet atque ſtipatis cellulis ipſius, Tumque tumor minor eſt, gravius ſed pondus in illo.

Conſequens ergo, ut lien ſcirrhoſus licèt atque corneus tota mole ſit minor; utpote contractior, & iſtud occupavimus Th. 5. n°. 1. cum ex Obſervat. Paternis, tùm è Jac. Bontio, lienem nobis delineante inſtar minimæ pilæ coactum; nec-non è Vido Vidio, qui lienem detexit ovi columbini mole, & è Salmutho, cui lien obtigit pollicis duntaxat magnitudine; uti demum ex Riolani Thuano, cujus lien unciam non pependit. Imò contractior alius, fabæ nimirum inſtar, viſus eſt à Peyero, & illo minimo tandem, Cl. Conringius minorem vidit, unguis ſcilicet latitudine.

Tales porrò (quibus lien ad enormem illam gracilitatem deductus eſt, Rev. Par. hactenus inviſam,) è lienoſorum cenſu excludimus, utpote quibus lien, præ mole tam exili minimè gravet, uti Th. 5. num. 1. A nobis itaque reducuntur ad ἄσπληνες TH. 1. num. 2. Sunt igitur liene nulli nuſquam ergo lienoſis aſcribendi.

TH. XVIII.

Id porrò Phænomeni Satyricis oculis ſubjectum, novo * Poëtam afflaret enthouſiaſmo ad corneas viſceris fibras, vel ipſo veridici Apollinis plectro decies modulandas. Hic enim lienem videret, vel totum cornu, vel corneum altem per quaſdam areaſque ſæpè ſæpius Rev. Par. novacu-

a Averroës, *Colliget. 7. cap. 14. fol. 157. C.*
b *De Irap. 460. D.*
c *Vid. Sext. Pomp. Feſt. in* Querqueram febrem.

* *Perſ. Sat. 1. v. 47.*

las,

las retuderunt. Nec mirum; talem enim concretionem vel ipſæ Ephem. Germ. oſſeam agnoſcunt. Occalleſcit ergo lien vel univerſè vel partim; & dum iſto callo fibras ſuas arctiùs ſtringit, atque ſtipat, haud inſolens eſt, ut particulæ quædam ſalino fixæ atque tartareæ in callorum anguſtiis implicentur, atque ita lieni calculos ingenerent, ſicuti paſſim viſceribus aliis, ac ipſis digitorum internodiis ingenerantur. Lapideſcit ergo lien, & qui nuper mollitudine fuit vel ſtœbes vel lanuginis, veriori nunc metamorphoſi quàm vel Niobe, vel Atlas vel Polydectes, Saxum eſt. Verax igitur Hipp. & Aret. cum ſuo ſplene καθὰ λίθος lapidis inſtar. Veraces adhuc Serapion, Jac. Sylvius, C. Steph. A. Veſal. Vid. Vidius, Jac. Holl. Petr. Foreſt. & F. Hildanus, cum ſuis lienibus ſaxeis.

N°. 2. Ubi ergo lien ita corneus evaſit, atque ſaxeus (citra Ciconum aquas) conſequens eſt ut fibris rigidis illis, atque etiam ſuorum calculorum ſcabritie, lymphæ ſuæ curſum reprimat; & hydatidas excitet, quæ tandem mediæ crepent, & abdomen oppleant. Imò, citra hydatidas, tenera iſtæc lymphæ vaſa, à tali ſplene duriter preſſa, colliſaque, recluduntur, ſtillantibus pariter aquis in peritonæi cavum, quod ita replent & expandunt ut lien nequeat ampliùs attrectari: totus enim aquarum altitudine (velut in lacunæ fundo, vel gurgite in imo) demerſus latet. Rurſum autem conſequens eſt, ut aquarum iſta mole pedetentim increſcente, pedetentim & hydrops aſſurgat, qui peritonæi complexu malè coërcitus, in ſubjectas partes irruat, quas hydrocelê & œdematis inundet. Salientis ergo ſeri totius in abdomen fons vivus atque perennis lien eſt, qui ſcatebris ſuis ſurgentibus indies, hepate indemni, lienoſos tandem ad tertium ſui diſcriminis gradum attollit.

No. 3. Hic porrò coronidis vice, notare eſt hydatidum tunicas, tam craſſas interdum atque firmas eſſe, ut ſuam lympham omnem tutò cludant. Coïterus enim talem hydatida, unicam quidem, ſed utriuſque pugni capacem, & lymphâ turgidulam, de lienis fornicibus illaceram revulſit. Atque ſic rurſum tali phænomeno Ephem. Germ. noſtras menteis oblectant, & erudiunt.

T. H. XIX.

Jam ergo prognoſi tuta, nec uſpiam fallaci, lienoſos præſentimus, quò elatiori ſunt gradu, eò propiores eſſe (etſi Sacra ſua, ac ipſum Acheronta moverint) præcipites ut in illud ruant barathrum, unde negant redire quenquam. Rem verò minutatim ſi excutiamus, neminem habemus reliquum, præter Hipp. in quo ſpem præſagii noſtri collocemus. Is ſiquidem certiora fixioraque è proprio Tripode vaticinabitur, quàm ullæ Phœbades. Jure igitur potiori quàm Herophilus & Æſculapius Medicinæ Vates, & Augurii Præſes vocitandus veniet. Nec enim vel Apollinis more Loxias erit, in effatis obliquus; nec uſpiam Sibyllæ ritu horrendas canet ambages, ſed.

Sanctiùs & multò certa ratione magis quàm
Pythia, quæ tripode è Phœbi lauroque profatur.
Multa tibi expediet doctis ſolatia dictis.

Vīrum igitur, auribus arrectis, auſcultemus Pythio fidiorem & Cumæa candidiorem, ringente licèt vel juratiori Medicorum hoſte Mich. Montano. Sed ut à tanto præceptore doceamur, ad pedes ejus nos advolvi decet, id eſt, ab hoc lienoſorum gradu ſupremo repetamus infimum Th. VII. & ſublienoſos ſumus ab Hipp. audituri hæmorrhagiis, è nare ſiniſtra, ſudore largo, & urinis craſſis feliciter judicari, uti contingit Ariſtæi affini, & Pericli Abderitæ, atque Antigeni Perinthio.

Sic lienoſis ipſis Bioni, Scopo, & Lycino, necnon τῷ δεῖνι, in Dealcis horto, hæmorrhagia καὶ ἐξ ἴσ ſalubris fuit. Lienes idcirco αἱμοῤῥόους τε ϗ αἱμοῤῥαγικοὺς ſanguifluos vocat Hippocr. ſed omine ſemper ſiniſtro, ubi ſanguis à dextris erumpit.

Si verò ſponte non fluxerit, narem ſiniſtram fodicat fluxûs ergo. Hic enim ubique laudat fibrarum rectitudinem; ſalubreſque profert tumores à ſiniſtris, parotidem v. g. in Ariſtæi affine, œdema verò ad teſticulum τῷ δεῖνος & bubonem demum in Herophontis inguine. Sic econtrariò ignis agreſtis in interno crure dextra Cteſiphontem abſumſit. Abſceſſus autem ſiniſter Anaxenorem ſi extinxerit, ideo eſt quia retroceſſit: ſi verò Bionem, ideò rurſus quia lienalis ejus hydrops jam olim occupaverat præcordia. Immò, apud Hipp. tanta vis eſt fibrarum è directo, ut Lyciæ ſplenicæ baſilicam proferat arteriam ſiniſtram dextra vehementiùs longè pulſantem. Et reverà miratus ſum Rev. Par. gloriari ſe ex illo uno alterutrius arteriæ baſilicæ validiori ſucceſſu, protinus agnoſcere an interna pleuritis dextra, ſiniſtrave ſit? Et illa ſua diagnoſi fidâ, ſuis æmulis, artis ſphygmicæ rudibus atque λογιατροῖς os obturaſſe. Sic certè lienoſis tanti ſunt arteriarum è directo concuſſus, ut lienalis univerſa regio ad umbilicum uſque vibretur, è TH. 12. num. 1. 2. 3. Ex iſtis autem pulſibus inconditis delirium perinde præſagit Hipp. ac mortem ipſam vel è gemina præſentit ſpiritus intrò revocatione; vel ex ejuſdem ſtertore atque ſibilo. Sic illam rurſus vel è longinquo, in nigris odoratur urinis Philiſci, Sileni, Eraſini, Pythionis & Apollonii, ϗ τε τ͂ δεῖνος, in Thaſo decumbentis. Si verò lienoſi nequaquàm judicentur vel hæmorrhagiâ, ut Ariſtæi affinis; vel ſudore, uti Pericles; vel urinâ, ut Heropythus; vel ſudore & urinâ, ſicut Herophon; vel ſudore & menſibus, ſicut uxor Hippoſtrati; vel urinis & hæmorrhagia, ſicuti Bion; ſi inquam per nullas ex iſtis viis judicentur, reliquum eſt ut derivetur humor vel per hæmorrhoidas, quarum uſus elucet ex Hippocratis Alcippo; vel per abſceſſum, ſicut obtigit τῷ δεῖνι, qui ab Alcibiade venerat; vel per catharrum, ut Epid. VI. Sect. 2. Si verò nihil ex iſtis acciderit, ſupereſt ut dyſenteriâ vel leviori atque brevi ſanentur; vel graviori atque diuturna pereant, inteſtinis ab humorum mordacitate inducto cancro. Quod ſi cancer non occupet, eſt in procinctu vel lienteria, quæ lienoſos abripiat; vel aſcites qui ipſos ſuffocet. Verè igitur lienes necant, uti Comicus luget. Ita Bion, (quem lienoſum ſimpliciter hæmorrhagia liberaverat,) è ſecundo ſuo gradu depulſus eſt in ter

tium

tium; & è tertio in ipſam mortem ab aquis. Sic rurſus lienoſum Cteſiphontem crurum, ſcroti, & abdominis præfocans ſeroſa colluvies oppreſſit. Iſtis enim, ita malè fortunatis, ſanguis ſereſcit ac inferiora ſerò turgent, dum ſuperna graciléſcunt. Interim arctior in horas dyſpnœa præ faucibus angit, donec ſpiritum omnem elidat, ſicut evenit filio Hippocratei Polemarchi, Hippocratem enim Rulandi, Renealmi atque Poterii defecerunt antliæ, quibus iſtas aquas funditus exhauriret. Apud iſtos enim (Centuriis mendaciorum pingues)

Curta laboratas antlia tollit aquas.

Quum itaque homini fatale ſit igne vel aqua perire, è duobus fatis lienoſi deterius explent. Nihil enim Gentibus * vetuſtiſſimis horridius fuit, quam aquis, & velut altero Deucalionis Cataclyſmô ſubmergi. Quoniam, dubio procul, vel tunc temporis ſententiam ſenſerunt Hipparchi & Heracliti, Empedoclis & Epicharmi, nec non Zenonis Stoici, quibus anima ignea Thaletis extinguitur elemento. Et revera dirum iſtud fatum Syneſius deſcribit ὄλεθρον εἶναι ϗ αὐτῆς τ ψυχῆς, animæ ipſius interitum eſſe, elementi ſcilicet contrarietate, ut Servius ait de Miſeno undis extincto.

TH. XX.

Indicationes quod attinet, ventriculo imprimis Oeconomiæ animalis promo, ſtudere eſt, ut nihil de ſe promat, quod tono firmo atque fermento laudabili non confecerit. Sic enim id univerſè lævigatum ad unguem lævore ſuo nullum inteſtinum exaſperabit, ſed ipſorum ſiſtuam molliter præterlabetur, quò ſuos in tubulos plenè digeratur.

2°. Seri luxuries, vel primùm aſſurgens, eſt alvô deprimenda, nec-non renibus & cute eliminanda.

3°. Sanguis interim perfundendus eſt particulis oleoſis, balſamicis, volatilibus & activis, quæ tartareas & fixas attenuent, & exaltent; quæque obſtruentia vel explodant, vel perrumpant; pungentia verò vel infringant, vel implicent.

In illa ſiquidem ſanguinei fluvii renovatione potiſſimus vertitur Medicinæ cardo. Hîc ergo fiat quod in fluvio turbido, cujus impuras undas puræ propellunt, juxta lepidiſſimam M. Antonini ac Origenis de corpore noſtro jugiter fluxo Metaphoram, quam ab Heraclito mutuati ſunt.

4°. Lienalis inſuper texti ſingularis eſt habenda ratio, ne ſtagnanti limo magis ac magis pateat, ſed econtra, tonô ſuô firmô influxum elidat, influxurum arceat.

5°. Symptoma demum, ſi quod ingruat ſævius, illi, pro re natâ, ſubvenire eſt, conſilio in arena ſumto, à Viris qui in Artis operibus conſenuerunt, & quorum canities remediis fidem & auctoritatem conciliet. Me igitur iſtæc minutatim excutere dedecet, utpote qui recèns Medicinæ tirocinia depoſuerim; quique juvenilibus duntaxat annis effloreſcam. Abunde ſit itaque mihi, ne uno collyrio curem omnes, in illos ſcopos collineaſſe primò diæteticis, quæ vel ipſi Medicina rudes extollunt, ἀχύμοις, ἀπέπτοις τε ϗ πολυπότοις, vino nuſquam proſcripto, præſertim rubro tenui, quod maſculum eſt, & opimum ſanguinem ſufficit in locum ſeroſioris educti. Id enim, uti ſerum luxurians evocat, & ventriculo ſtudet, ac vires inſtaurat; ita lienoſos erigit abjectos, tetricos erugat, commovet ignavos, & timidos incendit.

At ne quis modici tranſiliat munera Liberi. Vinum enim parcum & tenue bibendum eſt; & ab ebrietate cavendum; animam quippe lædit. Sic in Sibyll. Oraculis.

Μὴ δὲ φρένας βλάπτειν οἴνῳ: μὴ δὲ πίνειν ἄμετρα.

In lues enim vinolentia deprimit ineſcatos.

6°. Iſtud itaque lienoſis palmarium eſſe putem, vita uti meliore, cibis parcis, ſed multo labore, quo remis veliſque Bacchum & Venerem defugiant effuſos. Venere ſiquidem Damagoras Hippocratis enormiter intumuit. Igitur

Cōpedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat uterque ſuis.

Spartanorum itaque condimentis fame & ſiti; omnia ſua obſonent lienoſi, atque ex Leonidæ præcepto, prandium condiant itinere antelucano; cænam autem prandio parco: eſt enim hebetis ingenii edere diu, & potare diu: nam ipſum edere & bibere, miſerum eſt homini devoto. Nuſquam igitur lienoſis onere cibi pridiani marceat ſtomachus, præ gula Caligulæ: talis enim ſtomachi ſarcina damnoſa eſt, imo venefica; ſed animum lætum in poſtridie ſibi præparent Platonica cæna. Sic Eudemus venæ ſectione, cibo & potu parcis, exercitio & vino rubro tenui, lienis morbum depulit. Sic Laomedon curſibus & labore lienē ſuum ita ſubegit, ut in perniciſſimum dolichodromum evaſerit. Sic denique Straton, in Olympicis, ſplenem tumidum ita maceravit, ut Olympionices, vice plus una, fuerit renunciatus. Inde fit ut à *a* Comico, & à Veterinario *b* decantetur ambulatio lieni optima; & id ipſum millies inculcetur ab Hippocrate. Sed ambulationem vehementem, cane pejus & angue, lienoſus declinet, ſtatim à paſtu, uti prudenter atque peritè monent Haly Abbas, & Alex. Benedict. atque Lucas Tozzus.

TH. XXI.

Pharmacia deinceps lienoſis pharmaca ſuppeditet, non minorativa, ſeu debilia; ſed mochlica, hoc eſt mole parva, effectu magna, quibus ſeroſa colluvies acriùs concitata, fæcem omnem ſicciorem largiùs proluat, & Augiæ veluti cloacas pleniùs repurget. Si verò quidpiam adhuc glutinoſi, tartareique viſceribus tenaciùs hæſerit, id omne molliatur, tergeatur, & expurgetur frequentibus clyſmis (quibus balani intercalentur) atque diureticis, hydroticiſque, reclamante licèt Amato Luſitano, qui Galenum ſuas in partes pertrahit. Sed Gal. aliter alibi. Diſſentit igitur à ſe ipſo; & iſthæc Galeni pugnantia, nec Amat. Luſitan. nec Brit. Bauderon. attenderunt, ſicut apprime præſtitit. Joh. Hieron. Pulverinus. Ea igitur in re, ipſis ἱππιάτροις rudior eſt Amatus; diureticis enim atque hydroticis paſſim utuntur mulomedici, apud Abſyrtum, quin etiam hoc ſeculo, Nobiliſſ. Markam, atque Solleyſel. Lacti autem aſinino, & ejus ſero, gloria prima venit apud Hipp. atque Meſuæum; urinæ verò humanæ

* Homer. *Odyſſ. E. v.*305 *& atque* Heſiod. Ἐργ. ϗ Ἡμ. *v.* 6. 86.

a Plaut. *Curc. Act.* 2. *Sc.* 1. *v.* 29.

b Abſyrto, *p.* 140. & 141.

apud

que tenue. Aqua etiam marina prodeſt fotu. Obſtetrices Delphenſes lac exſiccant in puerperis panno lineo oleo raparum intincto, undique mamillis impoſito, aliumque pannum lineum melle illinitum primo panno ſuperimponunt; interim ſub parte inferiore incipiendo mamillas debitè conſtringunt, ut minus propendeant. illud in cognata noſtra experti ſumus. Petrus Foreſtus. obſ. 20. lib. 17. *De Cordis & Mamillarum Affectibus.*

Ex nimio abſinthii uſu lac puerperæ abſinthites.

Sophia Dorothea Riboltia, honeſtiſſima fœmina, cùm in febrim prægnans incidiſſet, eluctata tandem, ut firmaretur debilis ventriculus, ex conſilio vicinæ capit diu quotidie in juſculo guttas 30. extracti abſinthii, unde validior reddita enititur juſto tempore filiolam, quam cum proprio lacte educare deſtinaret, advertit plorare ab adſumpto nutrimento virgunculam, & torminibus ventris oppido divexari, comitante diarrhœa pertinaci, & viridium continua egeſtione. Itaque hortatu prudentiorum nutricem circumſpicit, cujus lacte ut convenientiori alatur infans. Dictum, factum; quieſcit illa nutricis lacte aſſumpto, ceſſant ſymptomata, ſiſtitur diarrhœa. Igitur mater ſubirata mamillis ſuis, exprimit inviſum ſuccum, & deguſtat, ſed ut merum fel ſe libare mœſta advertit, guſtandum & aliis præbet, quæ rei novitatem admiratæ cauſam inquirunt, & in nimio abſinthii uſu paulo ante puerperium frequentato facile inveniunt. Ut vel hinc conſtet, quam conveniat prægnatibus reverenter, & non niſi ex conſilio Medentium uti medicamentis. *D. Olai Borrichii.*

Lac Solius ſuctus ope in mammas evocatum.

Sunt aliquot anni, cum in vico, quatuor ab hac urbe leucis diſtante, Ruſticana quædam, at certe piiſſima vidua, prope ſexagenaria, bimeſtris infantuli repertitii nutricationem apud ſe motu charitatis aggreſſa, ſuas quanquam flaccidas ad ejus ſedandos vagitus, primis diebus ita accommodarat mammillas, ut lacte paulo poſt, frequentis & avidi ſuctus occaſione tandem excito, ſeptem illum ad hebdomadas aluerit, & plures, opinor, menſes aluiſſet, alienigenum niſi caſus alumnum ſubmoviſſet. *D. Franc. Bouchardi.*

Lactis in Mammis generatio. Ulcus mammarum.

Lactis Materiam; illiuſque ad mammas vias nemo adhuc de facto benè exprimere viſus eſt. Quis enim Sanguinem menſtruum aſſignabit, ubi in vaſis mammariis cum vaſis Epigaſtricis nullam ἀναςόμωσιν niſi venam cum vena, arteriam cum arteria, ac conſequenter nullum uteri cum mammis conſenſum inveniet? Accedit quod ſanguis menſtruus nonniſi inutilis & extravaſatus primo ſanguis menſtruus vocari conſueverit: Quis nervoſum ſuccum adducet, ubi paucos in Mammis oſtendet Nervos? Quis colliquamentum ſanguinis accuſabit, ubi in omnibus hominibus illud unum eſſe advertet, nec tamen in omnibus mammis Lac experietur? Quis lacteſcentem humiditatem per vapores chyliferos à Pancreate attractam aſſeret, ubi chylus in Pancreate oculos Scrutatoris ſubterfugiet? Quis Chylum ponet, ubi nullum ductum à ventriculo ad mammas à Natura factum conſpiciet? niſi mecum à ductu thoracico Chylum ad Subclaviam & mammariam in mammas deportari, ibique à glandulis magis elaborari, in Lactantibus quidem pro nutrimento fœtus, in non lactantibus vero & viris pro mammarum proprio nutrimento defendat. Ad quod credendum me ante annum compulit ſequens Hiſtoria.

Mulier cujuſdam Lanionis Brunenſis, hic in Moravia, degens in ſuburbio, 34. circiter annorum, multum obeſa & ſterilis; quæ cum per annos duos, & quod excurrit Tumore mammillæ ſiniſtræ ad inſtar lyripipii correpta fuiſſet, carens toto illo tempore menſtruorum fluxu, ad dolorem immaniter excruciantem ſuaſu vetularum Cataplaſma appoſuit ex Lacte dulci, pane albo, croco & fl. Chamom. confectum, ſed invalido effectu. Ubi Tumor plus augeri, dolor exacerbari, & vigiliis torqueri cœpit, vocatus fui una cum P. du Pleſſis, Chirurgo peritiſſimo in conſilium, quatenus tumorem hunc maturaremus. Appoſitis itaque per 4. & 5. dies maturantibus, ſed & his fruſtra tentatis, Tumor potius grandior & duriuſculus evaſit. Quare præmiſſis Univerſalibus, ut aperiretur conſuluimus, adeoque appoſito cauterio potentiali id ipſum feliciter obtinuimus. Sed ecce! ubi ex aperto vulnere ingentem copiam puris egredi ſuſpicaremur, ſanguis ſinceriſſimus effluxit, quem ad ℔I. & ultra extraximus, Tumore nonnihil declinante, appoſita cannula, & deligata ipſa Mamma per noctem ægram quieſcere reliquimus. Mane eandem viſitantes, & ſanguinem per cannulam extrahere cupientes, nullus amplius ſanguis, nec guttula quidem profluere viſa eſt. Obtupeſcentibus nobis retulit ægra, ſibi ea nocte menſtrua, quæ jam per totum affectus decurſum non habuerat, rediiſſe: ex quo luculenter apparet diuturnis menſium ſuppreſſionibus optimum remedium eſſe primo Venarum ſuperiorum ſectionem. Quapropter cum nec tantis ut antea in mamma excruciaretur doloribus, bono ut animo eſſet ſolati ſumus, futuram enim per ſupervenientia menſtrua Tumoris imminutionem. Sed quid fit? Elapſis tribus diebus noctu dolor acerbiſſimus una cum Inflammatione recurrere cœpit; ubi verò me demum matutino tempore ægra vocare potuiſſet, accedens gangrænam, imo ſphacelum jam imminere deprehendi, adeoque vocato ſimul Chirurgo partem gangrænatam ſcarificavimus, quæ vero poſt in ſphacelum degeneravit, amputavimus, prohibendo ulteriorem progreſſum, Spiritu vini camphorato immiſſo per ſyringam, Ungu. Ægyptiaco, Butyr. Antimonii. ad intrà verò Syr. de ſcord. Sp. Vini theriacal. camphorat. aliiſque corroborantibus, putredini ac malignitati reſiſtentibus. Hæc cùm per aliquot dies continuaſſemus, & Glandulas om-

nes, (quæ corruptæ, putridæ ac inſtar caſei verminoſi apparuere) extraxiſſemus, vidimus contextum membranoſum, quem Ciſternam ſeu Capſulam mammariam vocare liceat, plenam materia albicante Lacti ſimili, ſuos ductus (qui in hoc ſubjecto ad inſtar calami ſcriptorii erant) hinc inde per haſce glandulas putrefactas diffundentem, evidentiſſimo Signo, Chylum à Subclavia ad mammariam Ciſternam, ab hac per ductus ſuos ad Glandulas deferri, ut ab his magis perficiatur, vel in non lactantibus & Viris in proprium Mammarum, & in Lactantibus in ipſius fœtus nutrimentum convertatur.

Voluimus quidem curioſius Ciſternæ hujus divaricationem ſcrutari, niſi in vivam carnem ita debacchari crudele duxiſſemus; quievimus; itaque & medicamentis, quæ carnem generant & cicatricem induunt priſtinæ ſanitati ægram, Deo Benedicente feliciter reſtituimus. *D. Joh. Ferdin. Hertodi à Totenfeld.*

Lactis muliebris abundantia.

Mulieri uterum gerenti, ſi lac copioſum è mammis effluat, fœtum imbecillum indicat, verba ſunt Hippocratis ſect. 5. aphor. 52. Sed ſi poſt partum lac copioſum in mammis invenitur, obſervavi denotare fœcundam naturam, bonamque conſtitutionem. Novi fœminam 30. annorum, optimæ conſtitutionis, quæ quando lactat infantes, tanta lactis abundantia laborat, ut ſponte fluat per mammas veſtes humectans, cogitur ideo honeſtatis gratia lac indies aliquoties exprimere, & tamen ſufficit ad geminum fœtum alendum. Alia mihi eſt nota fœmina primaria, quæ dum lactat, ita turgidas habet mammas, ut doleant, & cogitur emulgendo imminuere copiam lactis. Una harum per aliquot ſeptimanas ſingulis diebus mihi exhibuit aliquot uncias lactis calentis ad uſum, ſummeque profuit in aridura & diſpoſitione phthiſica, & credo lac hocce humanum in arthritide magis profuturum quam vaccinum, videatur obſ. 70. Anni 6. & 7. Ephemeridum Decuriæ primæ.

Aliud prodigioſæ lactis copiæ exemplum producit Petr. Borellus cent. 3. hiſt. med. 82. & Collega meus honor. D. Vit. Riedlinus Obſerv. ſuar. 150. nec non Joh. Riſtius in ſuis Colloq. menſtr. menſ. Januar. Qua ratione abundans tale in mammis lac exhauriri queat, modum eruditè expoſuit Celeb. D. Joh. Chriſtoph. Sturmius in Colleg. experim. act. 6. *D. Samuelis Ledelii.*

De Inſolita lactis abundantia.

Mulier paupercula, pane atro veſcens, undam bibens gravida, duodecim ſeptimanis ante partum tantam lactis copiam habuit in mammis, ut coacta fuerit id evacuare, quo ſtato dein & juſto tempore ſanum & benè formatum fœtum enixa fuit. *Buxtehuda 19 Novemb. An. 74.*

Scholion. De generatione lactis diverſæ plurium & doctiſſimorum virorum quondam fuere opiniones, ut quidam ex ſanguine lac fieri penitus ſibi habuerint perſuaſum. Contra eos primum ingenioſiſſimus Proſper Martianus doctiſſimè diſputavit, quem ſequutus Marquardus Schlegelius in diſputatione, Deuſingius, & alii hactenus multi.

Alii propius ſcopo huic naturæ appropinquantes chylum in ſtomacho elaborari autumant, cui natales ſuos debeat ſanguis: hinc tot virorum clariſſimorum de materia locoque fermenti illius in & extra ſtomachum generati aſſerta paſſim ambulant, ut ſaltem eidem ventriculo virtutem concoquendi & fermentandi integram conſervent. Sed quo id confirment fundamento, videant illi, qui etiam poſt obitum inanem ſaltem ſtomachum membranaceum, ſine qualicunque fermenti officina aut ſcaturigine invenerunt. Cum verò præter qualemcunque digeſtionem aſſumptæ in ſtomacho maſſæ nil fieri poſſit, qui deinceps ſe paulatim contrahens, eandem per pylorum excludat, hinc poſt reflexum ad orificium ventriculi inferius inteſtinum duodenum ſtatim individuum pori cholidochi & ductus pancreatici conjugium in oculos venit. Unde effluentes paulatim ex utroque diverſi ſaporis & naturæ ſucci materiam fermenti ſuppeditant, bolumque ex ventriculo cibi bene digeſti egredientem fermentant, qui deinde per miros tenuium inteſtinorum anfractus varie actus, ſecundum meliorem ſui partem virtute effervеſcente peculiari ſeparatus in chylum faceſſit & per meſenterium in receptaculum Pecquetianum ſe recipit; inde aſſurgens ille pectus permeat, donec in ramos axillares ſe inſinuat, unde rurſus delabitur in cor cum reffluo ex hepate ſibi occurrente ſanguine ſe ſociaturus. Ante verò, quam thalamum cordis ſubintrat; deſcendens ex axillari ramus, evidenti ſatis itinere, in ciſternam mammariam chylum mittit, unde pro ubertate illius major lactis copia provenit. Videatur præter alios Excell. Dn. Hertodius in primo Miſcellaneorum curioſorum volumine obſervat. vi. fol. 25. ſupra dicta paupercula, quamvis atro ſaltem pane, undaque ſimplici corpus ſuum fœtu jam auctum reficere fuerit contenta, vegeto tamen inter labores ſpiritu vitali exiſtente ex ſiligineo iſto pane bene fermentato, & in ſtomacho ſuo cum aqua bene impaſtato, lactei hujus cremoris prodromum in tenuibus inteſtinis in chylum vertere potuit, qui ex ſubclaviis tandem deorſum in mammas abunde affluxit; ut Borellus etiam teſtatur in ſuis obſervationibus, Centur. 3. Obſervat. 82. Quibus autem gravidis è mammis lac effluere ſolet, teſte ipſo Hippocrate ſ. V. aph. 52. fœtum illæ geſtare imbecillem creduntur, ni ſolidiores habuerint mammas. Hoc in ſubjecto, ubi ritè ſe habuere omnia, perfectus omnibus numeris infans, & incolumis tandem prodiit in lucem, in hunc uſque diem vegetus & ſanus. *D. Ludovici Hannemanni.*

Lactis copioſa quidem & diuturna è mammis mulieris gravidæ, at innoxia effluxione.

Quamvis Hippocrates S. V. Aphor. 52. expreſſè pronunciet; ἢν γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχέσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει, ἢν δὲ ςερεοὶ οἱ μασ

θεῖ ἔωσιν, ὑγιαινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει; Novimus tamen mulierem primariam 28. annorum plethoricam & primiparam, cui à quinto conceptionis menſe uſque ad tempus partus ſingulis diebus maxima lactis copia è mammis ſponte effluxit, ita ut quantitas effluentis lactis ℔iß. quotidie non ſolum æquaret, ſed per continuum hunc lactis effluxum mammæ etiam ſatis extenuarentur, ſalvo tamen & robuſto permanente fœtus motu. In conſilium vocatus effluxum hunc à nimia tam ſanguinis, quam alimenti copia provenire arbitratus ſum, ideoque, ne fœtus à nimia ſanguinis copia obrueretur & ſuffocaretur (ſicut in diverſis gravidis mulieribus plethoricis, quarum fœtus a nimia obruente & ſuffocante plethora ob repudiatam & averſatam Venæſectionem fuere extincti, obſervari licuit) mulieri huic autor fui, ut ſanguinem per ſectionem Venæ Medianæ in brachio detrahi patiatur; quam etiam ternis repetitis vicibus in utroque brachio inſtitui, & ſingula vice ℥vj. ſanguinis detraxi, quo facto effluxus ille nimius, adhibito inſuper victu tenuiori, conductiſque in auxilium ligaturis partium inferiorum, adjunctoque modico corporis motu, non penitus quidem evanuit, ad ℔ß. tamen remiſit & in hac quantitate uſque ad tempus partus perſeveravit, quo elapſo fœtus ſatis robuſtus & perfectus eſt ſubſecutus in hunc uſque diem ſuperſtes.

Simile abundantis in prægnante lactis exemplum recenſet Exc. D. Vit. Riedlinus in Centur. Obſ. 100. Cui imprimis addendum, quod Nob. D. Hannemannus in Vol. 3. Act. med. Hafn. Barthol. Obſ. 16. notaverat, in paupercula, pane licet atro ſolum veſceretur, undamque biberet, obſervatum; & ſuperioris decuriæ anni 6. & 7. obſerv. 70. *D. Benjamini Scharfii.*

De Lacte ex Mammis non gravidæ, nec puerperæ, nec lactantis.

Degit in agris Gorlicenſium fœmina quædam, quam infelix puerperium ante biennium fecit valetudinariam, ulceratis ſcilicet uteri tunicis, hincque utero per totum invaletudinis tempus ſanioſa plorante materia. Hæc varias perpeſſa manus & artes, tandem affertur ad me. Penſitato à me miſerabili affectu diuturnoq; pauperculæ conſilio adfui & auxilio. Quibus etiam effectum eſt, ut ulcus mundatū promitteret ſanationē. Salubrius paulo ſic viſa ſibi habere, ad me venit enervata, cauſam rogans, unde ſibi nec prægnanti, nec puerperæ, nec lactanti, ſed diutius valetudinariæ, copioſum illud ex mammis lac? Quæſita, an iterum cum marito rem habuerit; an antehac extra puerperium aut ingravidationem tale quid ſit perpeſſa? negative reſpondit. Cœpi ſic mecum ratiocinari, num pars quædam Saniei ex Vaſis Uterinis cum ſanguine circulato ad mamillas ſit amandata, hocque modo viam affectaſſe novam, qua ſe repurgaret? Verùm hoc non ſatisfecit curioſo, obſtante, quod tota ſanguinis maſſa bene purgata, etiam ulcus Uterinum ad ſanationem vergere ceperit: obſtante itidem, quod lac illud, ſi ita dicendum, fuerit candidum, juſtæque conſiſtentiæ. Igitur cauſam quæſivi in Chylo: num is copioſius ad mammas delatus lactiformi iſti materiæ cauſam dederit? ſed cum paupercula parum habuerit unde viveret, per multum quoque temporis parùm comederit, etiam ſic ſententiam mutavi, negotium hoccè tam diu differens, uſque dum certior factus ero, an ille lactis proventus continuaverit &c. *D. Ehrenfried Hagendorn.*

Lac Gravida fundens.

Mulier paupercula apud nos pane atro veſcens, undam bibens, gravida, duodecim ſeptimanis ante partum Lactis habuit copiam in Mammis, ut coacta fuerit id evacuare *D. J. Ludovici Hannemanni.*

Lac ex Mamilla juvenis deſtillans.

Quamvis Hippocrates libro de Glandulis Viros Lac non habere ſtatuat, id tamen de ordinario Naturæ curſu intelligendum: extraordinariè autem lac non ſolum in mammis virginum & mulierum menſtruis carentium, ſed etiam in virorum quorundam mamillis effectum & productum fuiſſe; teſtes ſunt Schenckius Obſerv. Medicin. lib. 2. Titul. de mamill. Obſ. 11. Marcellus Donatus lib. 6. Hiſt. Medic. mirab. cap. 2. Valeſc. Tarant. Med. Obſ. Exempl. rar. à Dodon. Collect. p. m. 214. De viro lactante ſuum puerum. Jonſton. Thaumatogr. Natur. Claſſ. 10. cap. 5. Artic. 2. Thom. Bartholinus Ciſtæ Medic. Locul. 23. & Hiſtor. Anatom. rar. Cent. 1. Hiſt. 27. Item Anatom. Reform. lib. 2. cap. 1. Veſal. de Corp. Human. Fabric. lib. 5. cap. 18. Paul Zacchias Quæſt. Medico-Legal. lib. 1. tit. 3. quæſt. 1. Jul. Cæſar Baricell. Hortul. Genial. p. m. 323. Et mihi in Academia Pruſſorum Regiomontana ſtudiis incumbenti, Anno Chriſti Milleſimo Sexcenteſimo quadrageſimo primo, notus fuit Studioſus quidam Medicinæ annorum viginti duorum, jam Doctoris titulo gaudens, adhucque vivens, cui fere per anni ſpatium è ſiniſtræ mammæ papilla lacteus liquor quotidie ſine ullo dolore & acrimonia ſponte exſtillabat, ceu ipſe oculis meis vidi, meque id vidiſſe verè affirmare poſſum: Hic liquor aliquando ita viſcoſus & craſſus erat, ut induſio papillam adglutinaret, poſt cujus tandem ceſſationem papilla iſta altera minor reddita eſt.

Scholion. Non ſolum fœminæ prægnantes Lac habent, ſed & virgines, virique. De virginibus eleganter Joh. Bettus in de Nat. Sangu. cap. 1. S. 1. §. 4. p. b. Ignoſcat virginum verecundia, inquit, ſi ipſas illæſa pudicitia, & nonniſi ab iniqua nimis vulgi opinione vitiatas, fœtum, quem non pepererunt, lactare poſſe contendam: niſi enim in anteceſſum delituiſſet Lac in earum naturis, nunquam laxorum Uberum diſtentione ac ſuctione in mammas illud evocari conceſſum fuiſſet; neque enim poſtmodum fit organorum alteratio ad conficiendum Lac, ſed tantum ad reponendum in nativis Utribus extra corporis molem recedentibus, eidemque quaſi appenſis, ne dum una cum ſanguine circumagitur diutius,

dulcedinem amittat. Exempla Lactantium Virginum notarunt præter Schenck. Chriſtoph. à Vega Comm. l. 5. Hipp. §. 39. Roder. à Caſtro l. 4. Medic. Polit. c. 12. Petr. Caſtellus de Angela Meſſanenſi, Kornmann. de Virgin. c. 9. Thom. Bartholinus Hiſt. Anat. rar. c. 1. h. 27. & in Virgine Cane Lac notavit Libav. Ciſt. Hornung. Ep. 47. f. in ancilla pudica. Salmuth. Cent. 1. Obſ. 92. Pariter mulieribus ætate provectioribus ſuctu frequentiore Lac profluxit tanta copia, ut infanti alendo ſat eſſet: narrat namque Bodin. Theatr. Nat. l. 3. p. 429. in Oppido Hami-Veromanduorum infantem cum aviam vetulam ſicciſſimam mortua matre ſuxiſſet, tandem Lac emulſiſſe, eoque abundè nutritum; qualia exempla quoque videre licet de fœmina quinquagenaria, quæ ſine conceptione Lac habuit apud Loy ſ. Bourgeois in de Obſtetric. Offic. part. 1. c. 1. p. 26. & de alia ultra 50. annos, quæ aridis ab 11. annis mammis infantem lactavit copioſo ſupervenienteLacte. Henr. ab Heer Obſ. 14. f. Idem de viris quoque pronunciandum, quorum plura exempla in notata obſervatione allegata, quibus adde Borell. Cent. 1. Obſ. 49. Laurenberg. Acerr. Phil. Cent. 3. c. 82. Abenſina, inquit, Th. Bartholinus Anat. Ref. l. 2. c. 1. p. 215. è viro tantum Lactis emulctum vidit, ut caſeus ſit confectus, talem in Anglia hoſpitem habuit Rhodius: & Calabrum novit Santorellus, qui mortua vxore, cum non poſſet nutricem conducere, ſuo lacte prolem aluit; & vidit ſimilem natione Flandrum Joh. Walæus 40. æt. annum habentem De Luſitano ex Manuel. Faria Epitom. Rev. Portugall. l. 4. c. 17. refert Caſp. à Reies Campo Elyſ. Quæſt. Med. quæſt. 47. §. 9. qui proprios filios uberibus ſuis ſatis copioſe lactavit: & de Auguſtini Niphi filio Domitio, quem Pater ipſe Comm. l. 3. de Animal. c. 20. teſtatur Lac habuiſſe in uberibus, nec ſuctu frequentiori, nec eduliis provocatum, ſed ſua ſponte. De hiſce viris ita loquitur Bettus l. a. §. 6. non ſolùm fœminarum peculiare eſt iſtud generandi Lactis privilegium, maribus quandoque indultum ex accidentali organorum formatione, compertum eſt: utrique enim ſexui ex æquo ineſt, licet rarius in his inveniatur, repoſitorium capax, ita ſcilicet inſtituente Natura, quia nulli omnino uſui, ſtante rerum ordine, inſervit. *D. Simonis Scholzi.*

Lac recens natæ Puellæ.

Lac in mammis prægnantium ordine naturæ generari, quotidiana docet praxis: extra ordinem virginum quoque mammillas lac reddidiſſe, immo nonnunquam viros lac è mammis fundentes viſos eſſe, varii fide digni autores teſtantur, quos citatos vide Ephem. Germ. Cur. Ann. 2. obſ. 135. p. 218. quibus ſi lubet adde Alex. Bened. l. 3. c. 4. Ariſt. Hiſt. Anim. lib. 1. c. 12. & lib. 3. c. 20 Marcell. Donat. de variol. & morbil. c. 8. Andr. Laur. Anat. l. 2. c. 2. Ipſeque vidi in juvene quodam τετραγώνῳ Joach. Chriſtoph. Riccio Cognato meo, cui mammæ protuberantes compreſſæ lac reddebant copioſum, aquoſum tamen; ſæpius etiam ſpontaneo fluxu induſia madefaciens. Inverſo planè naturæ ordine infantes quoque Lac in mammis habuiſſe raro legimus: nec aliud occurriſſe mihi memini Exemplum, præterquam illud quod Cardanus acutiſſimus lib. 12. de ſubtil. habet, de infante, primo menſe mammis manifeſtè tumentibus Lac copioſum è papillis emittente; itemque alterum trimeſtris puellæ è mammillis conſpicuis lac fundentis, apud Joach. Camerarium de illuſtr. Norimb. Med. Exempl. Liceat ergo mihi tanquam rariſſimum quiddam, hic notaſſe, quod non ita pridem hic apud nos obſervare mihi contigit, in filiola duarum ſeptimanarum, nobiliſſ. cujuſdam viri S. K. νῦν ἐν ἁγίοις cujus papillæ per octo & amplius dies album præbebant liquorem lactis æmulum; cætera rectiſſimè in hunc uſque diem valente. *D. Johann. Schmidii.*

Mammillæ juvenis lacte turgentes.

Cum Monſpelii in Gallia ſtudio medico vacarem, narravit mihi Gothofredus Zehmen, Schleuſingenſis, vir juvenis doctus, pius, & fide dignus, quod Pariſiis juvenem viderit, cujus mammillæ præter ſexus naturam adeo turgebant, ut &, quandocunque libuerit, merum lac ex illis guttatim expreſſerit. *D. Joh. Helvvigij.*

Scholion Schrockii. Quamvis utplurimum verum comperiatur illud vulgatiſſimum, Lac habet in mammillis; Ergo peperit, vel prægnans eſt; non tamen perpetuam in eo veritatem eſſe, adeoque Virgines rivulis illis dotatas amiſſæ virginitatis ſuſpicionem præter meritum incurrere, vel ex eo ſatis adparet, quod non tantum Hippocrates ſect. 5. aphor. 39. expreſſè contradicat: Quæ neque peperit, ſcribens, neque gravida eſt, ſi Lac habet, à menſtruis defecta eſt, uti Cornel. Celſus lib. 2. de re med. cap. 8. interpretatur, ſed etiam recenter natarum puellarum juvenumque mammillas lacte ſtillaſſe, fide digniſſimorum hominum relatione conſtet, quorum inprimis teſtimonia plura congeſſerunt Exc. Viri, D. Simon Scholzius, & D. Phil. Jacob. Sachſius Ann. 2. Miſcell. German. Cur. obſ. 135. D. Gerard. Blaſius Comm. in cap. 9. Syntagm. anat. Veſling. & D. Jo. Chriſtoph. Bitterkraut cap. 10. Threnod. med. Quibus meritò jungimus exemplum à Cl. Jo. Rhodio not. in Scribon. Largum, compoſ. 82. notatum, quo Veſlingium, dum Cairi per quinquennium commoraretur, viros lactantes in Ægypto conſpexiſſe refert. Exc. D. Gregor. Horſtius generoſum quendam vidit Baronem, carnoſum & corpulentum, qui quoties voluit è mammis lac exprimebat; vid. ejus lib. de Nat. hum. exercit 7. quæſt. 8. Cui ſimilem conſpexit Nob. D. Joh. Schmidius juvenem, cui mammæ protuberantes compreſſæ lac reddebant copioſum, aquoſum tamen, ſæpe etiam ſpontaneo fluxu induſia madefaciens; & Vincentius Alſarius Crucius de quæſit. per epiſtol. cent. 2. qu. 100. à Gaſp. Taliacotio ſibi relatum, ſcribit, dum quendam intra carcerem detentum inviſeret, ex ejuſdem mammis lac multum, ſed aquoſum valdè manibus ſuis expreſſiſſe. Ipſe quoque quadrati & obeſi habitus juvenem, J. V. Candida-

didatum, in Academia Salana noveram, qui prominentibus è mammis ſuis lac poterat exprimere. Imò puellularum mammillas lacteum emiſiſſe humorem, præter exempla tum ex Cardano & Camerario, tum propria obſervatione petita, & à prælaudato D. Schmidio Ann. 8. dict. Miſc. obſ. 86. propoſita, aliud inſuper Johann. Rhodius cent. 2. obſ. med. 37. exhibuit, Spigelii nempe juſſu An. 1624. in Theatro anatomico obſtetricem puellæ octo dies natæ papillis lac expreſſiſſe. Sic & in brutis idem quandoque deprehenditur, prout Petr. Andr. Matthiolus, tres in Bohemia hircos lac affatim effudiſſe, lib. 3. epiſtolar. auctor eſt. De hirco & cane lactante docet Henricus Comm. in Guid. Pancirol. lib. 2. rer. memorato. tit. 10. pag. m. 215. Quibus addatur canicula Melitæa, quæ nunquam mater, nunquam gravida fuerat, quotidiano tamen felis ſuctu lac tandem copioſum præbuit, deſcripta à Theod. Kerckringio Spicil. anat. obſ. 21. Optimè autem Horſtius l. c. cum, data materia & efficiente, ſequi effectum in actionibus partium, præmiſiſſet, Virgines lac generare poſſe, concludit, quia glanduloſa mammarum ipſis adſit ſubſtantia, ad quam materia lactis tranſmitti queat; & revera tranſmitti dicendum, ſi lactis materia ſit chylus, cum ſanguine per arterias thoracicas & mammarias ad glandulas mammarum delatus, (quod inprimis egregiè docet Cl. Thom. Cornelius Conſentinus progymn. phyſ. 6.) earumque vi à ſanguine ibidem ſecretus; ſi itaque arteriarum oſcula laxiora & patentiora extiterint, quæ chylo ſeceſſum paranti exitum concedant, in ipſis etiam Virginibus lac colligi poſſe vero eſt conſentaneum; quod etiam in Viris lactifluis locum obtinet, quos ob locorum coarctationem, corporis denſationem, & hinc glandularum parvitatem, Hippocrates lib. de glandul. lac minimè, ordinario ſcilicet naturæ curſu, habere ſcripſerat, quemadmodum viciſſim mulieribus pectus, mammas, reliquumque corpus laxum & molle eſſe edixerat.

Lac muliebre corruptum noxium.

ANno Chriſti 1654. Fœmina quædam nobilis, temperamenti ſanguineo bilioſi, aliquando poſt partum gemellarum, lichenibus in facie, brachiis & pectore obſeſſa, & doloribus colicis adflicta, nihilominus gemellas lactans, infantes ambo ventris tormina perſæpe patiebantur, & vix admoti matris ubera abhorrebant, inde ſuſpicio de lacte corrupto orta, quod & colore ſubflavum, ac guſtu amarum inventum fuit. Ideoque ex conſilio meo, præmiſſo univerſali & alterante, in puerperio quidem, catelli lactentes per dies aliquot bis terve, prius quàm infantes ſugerent, uberibus admoti, & ſic extracto prius pejori lacte, reliquus lactis liquor albus ac ſubdulcis infantibus ultra non nocuit: catellorum verò unus cum magna tortura & convulſis cruribus intra biduum vitam perdidit, atque alter tortis collo ac cruribus miſerè ſupervixit. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schroekii) Lacte, adpropriato illo à Natura noviter natis infantibus alimento, quæ fœtus proprios, ipſo ejulatu illud præfame depoſcentes enutrire recuſant matres, quamvis ad lactandum aptiſſimæ, alienis tamen uberibus eoſdem committentes, ipſi Naturæ repugnare, atq; novercarum potius mereri titulum extra omne dubium eſt poſitum; quas acriter propterea multi reprehenderunt, incommodorumque metuendorum gravitatem expoſuerunt; quæ inter variorum morborum periculum, & indolis vitioſæ implantatio præcipuum ſibi locum vindicant. Ut enim genitricis lac infantis conſtitutioni ſimile admodum exſiſtit, cùm integro novem menſium ſpatio, connexione mutua, vitam quaſi eandem & unicam hic & illa vixerint, eodemque alimento ſingulæ eorum partes nutritæ fuerint: ita peregrinum adſcititiæ nutricis lac ſugens dein recens in lucem editus infans, magnam eo ipſo ſubire tenetur mutationem, magna utpote in lactis qualitatibus, ſubjectorum ratione, occurrente differentia; quæ ſanè mutatio in tenello corpuſculo non adeo abſque periculi metu eſſe poteſt; præſertim ſi nutrices morboſa aliqua laborent labe, quam lucro intentæ ſummopere celare conantur, atque hac ratione puerulus ille, apud Lazar. Reverium cent. 2. obſ. med. 95. Luem veneream fœdamque ſcabiem à nutrice acceperat; alterque ille, à noſtro Georg. Hieron. Welſchio in Epiſagm. ſuor. obſ. 90. memoratus; palatum penè omne à veneno, cum lacte nutricis lue iſta infeſtæ hauſto abſumptum tradit Excell. Carol. Raygerus annot. in lac. Rolandi agloſſoſt. c. 7. Cui videlicet impuritati iſtud hominum genus ſæpius eſt expoſitum, cùm ad lactandi munus famæ ut plurimum pejoris fœminæ deſtinentur, quibus ab impura venere talis fœditas facilè communicatur, ut de inordinata earum diæta, quam ſæpe clam, palam frequentant, parum dicam, cujus damnum in debile lactantis corpuſculum recidit; unde & infantes ex catharticorum à nutrice adſumptione purgari, experientia docet, ab Hippocrate etiam lib. 6. epidem. ſect. 5. monſtrata, ubi cucumeris ſilveſtris & elaterii à muliere & capra comeſtionem, pueris quoque in purgationem cedere innuit. Quantum verò lactis bonitas vel vitium ad indolis ac ingenii ornatum aut depravationem faciat, multorum exemplis multi conantur oſtendere. Infantes, ſcribit Exc. D. Sebaſt. Wirdig. lib. 1. Medic. ſpirit. cap. 25. §. 26. alieno lacte nutriti, ut plurimum degenerant, & ad naturam nutricum naturaliſantur; ex lacte & ſpiritibus nutricum aſſumunt naturas nutricum & mores: Lacte humano cicurantur ferociſſima animalia, ob ſpiritus temperatos, quos una cum lacte ſugunt; ut contra homines ferino lacte educati ferini fiunt & feroces, ut Romuli teſtatur exemplum & Remi. Agnus aliàs balans lacte caprino nutritus hirquit; ut adeo Huartus in ſcrutin. ingenior. cap. 23. benè cum Platone ex Dialog. de natur. unam earum rerum, quæ maximè ingenium ac bonos hominis mores corrumpat, malam eſſe in eſu potuque educationem ſtatuat, ita ut, ſi cerebrum, ex ſero delicato generatum, craſſis & male temperatis cibis nutriatur, ſapientiæ adquiſitio non parum inde inhibeatur. Subjungitque Huartus: Nutrix ſi & conſiderata prudenſque ſit, multum utilitatis ingenio quoque conferet. Lac enim ejus & calidum & ſiccum eſt: quibus

qualitatibus multa illa frigiditas atque humiditas, quam ex utero matris ſecum aſportavit infans, facilè corrigetur. Licet non ignorem, alium quendam Virum Clar. vanitatem in metu iſto, quaſi mores inoleſcerent, ac indoles ex natura lactis configuretur, arguere; cùm non adeò facilè mores imbibantur, nec conſtitutio ſanguinis vel corporis ita promptè mutabilis ſit, lac quoque in mammis haud ita diu immoretur, ut conformitatem naturæ hauſerit, quia non per modum metamorphoſeos ex ſanguine, ſed ſola duntaxat ſeparatione ab eodem producatur. Aſt ſi imbecillem in corpore & innatis ſpiritibus recens natorum, facileque à potentioribus adventitiis immutandam vel ſubjugandam naturam; ſi lactis recenter è ſanguine per modum ſecretionis generati, ſpiritibuſque vitalibus non planè orbati, adeoque calentis è mammis muliebribus infantis in corpuſculum diu continuatam derivationem conſidero, non poſſum non ab ejuſdem ſententia deflectere. Quamvis diligentiori poſtea educatione ceream puerorum naturam mutari, atque pravam ſpirituum inclinationem emendari facilius poſſe, non diffitear, quam etiam in crudeliſſimo Nerone poſſibilem fuiſſe, credit Jul. Cæſ. Baricellus in hortul. genial. qui à benigniſſimis progignitoribus oriundus, à crudeliſſima autem nutrice lactatus & connutritus pravam inclinationem vincere potuerit. Cùm tamen lactis defectus & vitia, mammarum ulcera, aliaque poſt puerperium invadens morborum cohors, non mox emendari ſemper apta, quin & circumſtantiarum aliæ, matres, quo minus lactationi prolis ſuæ vacare poſſint, interdum prohibeant, eaſque excuſent, nihilominus tamen lacte humano nutrire infantem ſi adſit voluntas, haud parva in nutricum electione adhibenda eſt circumſpectio, de qua Cl. Dan. Sennertus tract. de infant. curat. part. 1. cap. 1. Ill. D. Franc. Ignat. Thiermair lib. 1. conſil. medic. cap. 2. in ſchol. Rodericus à Caſtro lib. 4. de nat. mulier. cap. 12. aliique videri poſſunt.

Cereviſia è mamma excreta.

In Honeſta quadam Matrona puerpera ex vulnere circa papillam ſiniſtræ mammæ, pro educenda materia ibidem ex ſuppuratione collecta, inflicto, quadam die, ubi deligandum erat vulnus, remoto cum turundula emplaſtro, vidi effluere ipſam cereviſiam, paulo ante aſſumptam, in ipſa fere ſubſtantia, qualitate & ſubſtantia, manifeſtiſſimo ſeſe odore, ac parum mutato in pallidum colore prodeuntem. *D. Salomonis Brannii.*

De Lacte per ſcarificationem extracto

Lac γνησίως tale non emulgeri cenſeo, niſi è glandulis Mammarum, quibus ſolis conceſſam eſſe vim γαλακτοποιητικὴν, non diſputandam hiſce glandulis, etiamſi chylus agnoſcatur pro materia Lactis, non ſanguis, indubie conſtat, in ſequiore præſertim ſexu, & poſt partum: ut ita providente Numine & Natura Fœtus à Nutricatu ſeparatus uterino, porro fruatur alimento ſibi familiari.

Lactis tamen ejuſmodi proventus qualiſcunque non denegandus eſſe videtur ſexui potiori, multo minus Virginibus, nec aliis, à quibus Natura non extorquet hanc liberalitatem, quam ſolet exigere poſt Partum Lactationis neceſſitas. Hiſtoriarum teſtimoniis ſatisfaciunt Miſcellanea Curioſa Ann. 2. Obſerv. 135. Ann. 3. Obſ. 10. & 136. Ann. 8. Obſ. 86. Vid. ſi placet; & Charleton Exercitat. de Oeconomia animali 3. p. 30. Bartholin. cent. 1. Hiſt. Anat. 27.

Liquores autem Lactiformes, qui non è Mammis, ſed ex aliis corporis partibus eliciuntur, etſi Lac veriſſimum tum colore, tum conſiſtentia mentiantur; Lactis nomine indignos judico, quod officinam γαλακτοποιητικὴν non ſubierint. Titulum igitur Obſervationis excuſo quaſi uſu receptum, licet καταχρηστικόν. Ita mictionem lacteam habet Platerus l. 3. obſ. p. 784. Sylvius Pr. M. l. 1. c. 55. Fœminas illas, quas è Schenckio & Laurembergio producit Sennertus l. 4. M. Pr. p. 5. ſect. 2. c. 4. Lac verum à Mammis refluum per veſicam & uterum reddidiſſe non facile dixerim.

Lac è venis ſectis profluxiſſe abunde teſtantur Miſcellanea Curioſa Ann. 1. obſ. 28. & 132. Ann. 3. obſ. 123. Ann. 6. & 7. obſ. 214. ubi de hujus ſucci natura & origine videantur Judicia exactiſſima.

Placet illic ſubjungere duas ejuſdem farinæ ſeu potius lactis hiſtorias.

Religioſus quidam ex ordine Ciſtertienſium, officio & dignitate Præpoſitus in vicinia, ex conſuetudine ſcarificationem inſtituit, & liquorem cucurbitulis extractum, quod non eſſet coloris quotidiani, tranſmiſit, ut viderem & judicarem. Liquor ille, qui innatabat loco ſeri, totus erat lacteus. Vix quarta pars ſubſidebat in fundo vaſculi, ut ſanguis concretus, judicabam ſanguificationis qualecunq; vitium, ob quod chylus non convenientem induiſſet purpuram, & hanc metamorphoſin non adeò eſſe inſolitam confirmabam hiſtoriis.

Excidebat judicium hoc extemporaneum ad ægri captum, ne viderer mirari duntaxat & nihil dicendo imperitiæ ſuſpicionem incurrerem. De liquoris autem hujus natura & origine forſan accuratius in hiſtoria ſequenti.

Ut plenius informarer, an in toto liquor hujuſmodi abundaret, an in parte duntaxat ſtagnaret, exoravi virum, ut me præſente poſt menſem repeteret cucurbitulas, ſingulas ſaltem ſingulis artubus cum ſcarificatione affigendas, & ut ſingulis ſcutellis excipiatur ſanguis. Promiſit & præſtitit me tamen non vocato. Referebat interim totum ſanguinem ſcalpello extractum fuiſſe ſine colore lacteo ſeroſiſſimum.

Paucis poſt diebus, ſigno tranſmiſſo, iterum vocabat. Urina erat inſtar aquæ limpidiſſima. Sitim urgere querebatur per aliquot ſeptimanas ſatis importunam; narrabat præſenti mihi nonnunquam excretionis illius abundantiam. Ex his nuntiis Prognoſticon erat metus venturi tandem hydropis, quod ſine metu excipiebat & cum aſſenſu, ſibi ab aliquot annis fatum hoc eſſe prædictum. Conſilium petiit: ſatisfeci & poſtridie tranſmiſi præſervationis normam, ſpe fultus fore, ut diu poſſit protrahi hoc in diluvio microcoſmico vitæ naufragium. Erat enim vir ætatis vegetæ, nondum quadragenarius, εὔσαρκος ſatis bene coloratus, ſtaturæ ultra quotidianam proceritatem tam eminentis,

nentis, ut crederetur non morbis tantum reſiſtere poſſe, ſed morti. Verumtamen ſexto, ab hoc prognoſtico, die, affectu ſublatus eſt, ut nunciabatur, Lethargico; conjicerem potius Apoplectico; à colluvie ſeroſa forſan ad ſeri metropolin ἀϑρόως tranſpoſita.

Hoc de obitu tam repentino ὡς ἐν παρόδῳ. Seri nigri cauſam, quam proponit obſervatio paulo poſt ſecutura, ſub titulo Urinæ Nigræ, non cenſeo eſſe dubiam. Lactei origo multum obſcurior, niſi conjecturæ ſit locus, ut concedatur ſubſtantiæ chyloſæ miſtura. Obſcuriſſimus lactis ortus in hiſtoria ſequente. *D.L. Sigiſmundi Graſſii.*

De Lactis è femore fluxu.

Monſtra dari in Medicina monſtrat monſtroſiſſimus affectus qui ſequitur. Vivit Mercenarius hic annorum 49. qui Autumno Anni 1669. affectu correptus eſt ἐρυσιπελατώδη. Reliquit ille tumorem femoris œdematoſum quaſi, cum exanthematibus initio tribus, colore rubeſcente protuberantibus, eumque pertinaciſſimum. Commotionem Ægri peregrè euntis & ſub noctem dormientis aliquando conſecuta eſt Tuberculi unius, quod ſupremum erat & inguini proximum, apertio ſpontanea, cum fluxu tam copioſo ut à ſomno evigilans miraretur ſe præter conſuetudinem & veſtes & ſtragula inundaſſe, licet nihilominus urgeretur ad veſicæ exonerationem. Deprehendit tandem fluxum non urinoſum fuiſſe, ſed lacteum, cum qualicunque femoris detumeſcentia & inſigni levamine. Tragœdia hæc eadem exercuit virum hactenus in novennium, & non tantum tumor obſedit fœmur perpetuus cum exanthematum frequentiore protuberantia (is tamen mane à decubitu minor, ita ut etiam tubercula lactiflua diſpareant fere, niſi quod maculis ſe prodant reſtantibus) ſed & eryſipelas ſubinde & ferè per periodos menſtruas, imo ſæpius repetiit cum horrore & pandiculatione: & licet hoc malum remediis domeſticis, è quibus cretæ præprimis laudavit efficaciam, placaverit & tandem uſu & eſu petroſelini quotidiano plane ſe eradicaſſe putet, ut per menſes fere decem non redierit, ſucceſſerunt tamen jamdudum alia ſymptomata: ſtranguria nimirum, ſenſus frigoris interni in femore affecto, diurno pellium & nocturno plumarum munimine vix ſatis temperandi, etiamſi ad contactum pes inſigniter caleat, paralyſis ſeu potiùs artuum rigiditas σπασμώδης & dolorifica, quæ virum per hebdomadas 19. aliquando lecto conſtanter affixerat.

Circumforaneis fruſtra conſultis, & ob rem domi anguſtam vix conſulendis, tandem olei therebinthinæ litu affricto, & artuum exercitio quotidie pro viribus tentato, ſymptoma ultimum & maximè moleſtum mitigavit, ut etiam aliquando licuerit flagello victum quærere; aliquando tamen etiam à leviore brachiorum fila ſaltem è colo trahentium motu dolorem ſe ſentire narravit, in humeris & ſcapulis præſertim, haud exiguum, hinc & brachiorum impotentiam.

Accedere tandem conqueritur ſenſum gravativum & oppreſſivum circa regionem pectoris, haud leve liberæ reſpirationis impedimentum, ſi non ſucceſſerit periodica liquoris evacuatio ita ut ſupino non detur liber decubitus. Hoc ſymptoma ſi urgeat, nec ſpontanea ſuccurrat apertio, acu ſe quærere narrabat levamen & femoris detumeſcentiam. Tuberculi vel unius tantum punctura tam liberaliter me præſente proliciebat liquorem hunc lacteum, ut horulæ ſpacio colligeret ultra 20. unc. Reſtricturus fluxum faſcia conſtringebat partem, & brevi ſine aliis auxiliis conſolidari vulnuſculum aſſeverabat. Liquoris excepti pars coagulabatur in gelatinam quandam palleſcentem ejuſmodi conſiſtentiæ, quo ſolet cruor extravaſatus. Illa in medio ſeri natabat, quod non erat inſtar lixivii flaveſcentis, ſed coloris lacteſcentis, ut non ſanguinis, ſed lactis ſerum ſine hæſitatione dixeris.

Ut hiſtoriam hanc omnibus circumſtantiis curioſius expedirem, menſe Auguſto Anni 1676. virum ad ſcarificationem urgebam. Femori exteriori, in quo nullam unquam apparuiſſe efflorеſcentiam narrabat, cucurbitula applicabatur vitrea cum inciſionibus, extrahebatur ſanguis puriſſimus. Parti femoris domeſticæ ſeu interiori, quæ ſparſim ſcatebat tuberculis, nullibi tamen quàm in poplite numeroſioribus, affigebatur altera, ita ut comprehenderet tuberculum. Scalpello incidebatur & hoc & vicinia; tuberculum unico ictu vulneratum & inciſiones duæ huic proximiores, licet primitus à ſcalpello ſimularent exſudationes ſubcruentas, mox tamen fundebant liquorem merè lacteum, reliquæ remotiores omnes ſanguinem. Remota tandem cucurbitula ſanguis ſponte ſiſtebatur; lactis autem fluor perſeverabat, ita ut motu levi guttæ frequentarentur. Et deſtillationem hanc ajebat eſſe tam pertinacem, ut niſi coërceatur faſciis, perennet uſque ad lipothymiam.

Interrogatus de crure, nunquid patiatur, narrabat ſe frigoris ſenſum non minus experiri quam in femore, nullam tamen unquam intumeſcentiam, nec extuberantias, adeoque nec lactis ſcaturigines; creditque pertinaciter, ſe faſcia aliquoties ſub genu ſtrictiſſimè circumvoluta præſervaſſe pedem, ne deſcenderet tumor, timuiſſe enim ne malum idem, quod patiatur femore, pedem efficeret uſui inhabilem.

Menſe Junio 1678 me hortatore ſecabatur vena in brachio lateris affecti, non ſolum ad præſervationem eryſipelatis, vere prægreſſo frigido & pluvioſo frequentius affligentis, ſed etiam ut explorarem quænam ſit ſanguinis in partibus ſuperioribus conſtitutio, verum nihil inſueti & notatu digni obſervabatur; Serum enim erat pro more citrinum, & ſanguis à coagulatione nigricans, ſuperficies ejus inſtar gelatinæ mucoſæ nonnihil in colorem cæruleum declinans, & hinc inde ſpumoſa.

Ad augendum hiſtoriæ tam miræ fidem, repetendam eſſe duxi ſcarificationem præſentibus teſtibus. Invitati itaque ſunt ad ſpectandum 28. Junii Anni currentis Clariſſ. Dn. D. Joh. Frider. Hubrigius, Phyſicus in hoc Ducatu Provincialis; & Dn. Heinr. *Gottlieb* Schoberus, Med. D. & in urbe patria Practicus.

Æger mane vocatus ad ſcarificationem querebatur de noctis prægreſſæ inquietudine, & oppreſſione pectoris, ſuffocationem commina-

ta tantam ut extorſerit ſolitam tuberculi unius apertionem. Denudato genu oſtendebat guttulas liquoris deſcripta è poplitis tuberculo acicula transfoſſo deciduas. Cucurbitulis duabus vitreis excipiebatur quantitas aliqualis, quæ intervallo brevi coagulabatur in gelatinam albumini ſimilem, ſero lacteo circumfluo immerſam, adeo lentam, ut virgula tota maſſula ſuſpenderetur, quæ tamen eadem virgula huc illuc volvendo, in aſſula iterum diluebatur, remanentibus tandem, è maſſulis utriuſque cucurbitulæ, globulis perquam exiguis in colorem fuſcum declinantibus, quos pro conglobatione fibrarum habebamus.

Affigebatur vulnuſculo cucurbitula, ut guttulæ ſequerentur crebriores, ſed fluxus potius ſufflaminabatur, eo quod cucurbitula, cute in monticulum tractu violentiore elevata, clauderet vulnuſculum tam exile, aciculæ tantum apice inflictum. Remota illa fluxus redibat tanto liberalior. Apponebatur hinc, ut pridem, femoris parti domeſticæ cucurbitula cum ſcarificatione, hæc dolorem inferebat ad clamorem uſque, ſed nihil extrahebatur niſi ſanguis. Tuberculum quod vulneratum erat ſcalpello, induruerat aliquantulum, hinc collegimus, tubercula non omnia indifferenter hunc fundere liquorem, ſed mollia tantum, quæ non ita pridem effloruerint. Alia enim ægro referente, indureſcunt, & tandem diſparent, alia iterum effloreſcunt.

Merebatur affectus hic ut rarus ita mirus, qui conſignatus proponeretur ingeniis curioſioribus, ut ſcrutentur liquoris hujus lactiformis naturam & originem & vias; conjecturas meas adjicerem, ſed vereor ut ſatient animum veritatis avidum, Adjiciam tamen illas, vel potius ſubjiciam ſcrutatoribus ingenioſioribus Conjecturæ non difficulter impetrabunt in galaxiæ hujus aviis aberranti, aberrationis veniam.

Liquorem hunc lactiformem lactis honore indignum eſſe in hiſtoria prægreſſa diximus: quia color non eſt exactiſſimè lacteus, ſed palleſcens & dilutè declinans ad luteum: non ex officina lactis emulgetur; nec hinc per καταδρομὴν ad femur deferri credibile eſt.

Materiam purulentam eſſe nemo aſſeveraverit, quia coagulatur extravaſatus, quod puri, humori nimirum corrupto, denegatur ob fibrarum defectum; nec cavitas hic aliqua concipi poteſt, in qua tanta puris copia colligatur & deliteſcat. Ex ſtomiis igitur vaſorum acu læſis indubiè liquor hic elicitur.

Sanguinem in ductibus ſanguifluis corruptione qualicunque exuiſſe purpuram, & ita transformatum aut dealbatum eſſe, aut chylum ſanguificationis vim ſubterfugiſſe difficulter creditur.

Reſtat igitur; ut ſtatuamus, aut liquorem chyloſum, aut ſecundum Recentiorum placit ſuccum nutritium depravatum per nervos præternaturaliter huc exportari.

Verùm per quas vias, ſi chylum eſſe velis, me aſtaſis hæc inſtituatur, inquiſitionis eſt extremè difficilis, adeò ut promptius ſit negare, quam ſine hæſitatione oſtendere vias. Refugium ad ξύῤῥοιαν Hippocraticam, ſine viarum monſtratione, Philoſopho eſt indecorum. Vaſa communia, quibus diſtribuuntur in corpore fluxibilia juxta veteres & recentiores ſunt, venæ, arteriæ, vaſa lactea, nervi, ductus lymphathici.

E venis aliquando elici humorem lactiformem teſtatur experientia exemplis plurimis illuſtrata in Miſcellan. Curioſ. Ann. 1. Obſ. 28. Hic ſine dubio error facultatis diſtribuentis ſive chyli per vaſa lactea, ſive ſucci nutritii per nervos agnoſcendus: ſed impoſſibile videtur, errorem ejuſmodi poſſe tam eſſe fixum & continuum per tot annos & quaſi perpetuum.

Arterias ſanguinis à corde ad exteriora effuſioni tantum ancillari manifeſtum eſt. Chylum autem cum ſanguine per cordis ſinus ſine alteratione & commixtione ſanguinis tranſportari poſſe per certos ductus ad certas partes, creditu eſt difficillimum.

Nec ad lymphæ ductus recurrendum eſſe videtur. Revehunt enim ſecundum illos, qui ſtatuunt nutritionem per nervos, humorem limpidum, utplurimum tranſlucentem, inſipidum, nonnunquam ſanguineo, aliquando flavo colore penè tinctum.

Reſtant itaque vaſa lactea & nervi.

Per vaſcula lactifera chylum tranſvehi ſi ſtatuas, vias abſtruſiſſimas, eaſque nondum notas, multò minus tritas nominabis. Ingenioſiſſimus Charleton Exerc. de Galaxia, chyli motum ad has vel illas partes, non negandum eſſe adſtruit, etiamſi de manifeſtis ductibus eò tendentibus ὕψει ϗ ἔργῳ nihil certi adhuc demonſtratum ſit. p. 29. 40. 42. Ita chyli fluxum ad mammas & Uterum p. 25. ſtatuit: ad veſicam p. 43. concedit, licet huc præternaturaliter: anatomicorum tamen nemini contigiſſe refert adhuc detexiſſe, per quos ductus chyli aliquid ad ea loca derivetur. Siquidem juxta ſagaciſſimum illud Hippocr. l. de Arte effatum, licet oculorum viſum effugiant, ea tamen mentis acie comprehendantur.

Speramus interea, ex Senecæ vaticinio, fore tandem, ut Poſteriores noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur. Immò eventum, ratione itineris chyloſi ad ciſternam mammariam, evidenter comprobat Miſcellan curioſ. obſervatio elegantiſſima 6. Anni 1. ſic ut difficultas illa, quam Charletonio, lac merum eſſe chylum, affirmanti exerc. 3. de œconom. animali p. 25. opponere videtur Adrianus Auzotius, Med. Pariſienſis in Epiſtola Diſſertationi Anatom. Pecqueti annexa p. 196. jamdum expiret: nullam, licet diligenter indagantibus, ſe prodere viam, per quam chylus poſſit ad mammas deferri.

Etiam ad Renes & hinc ad veſicam iter compendioſum, quo nimirum potus copioſior, præſertim diureticus tanta celeritate inveniat veſicam, innuere videtur Pecquetus Diſſertat. Anatom. c. 11. p. 155. ubi quidem ſeri tantum partem majorem è chyli receptaculo in arteriarum emulgentium firmiter ei adhærentem truncum adſtruit quaſi per incerniculum tranſcolari, veruntamen ſi tranſcolatio iſta ſeri naturalis ſtatuitur, quidni præternaturalis chyli ex hoc oceano chyloſo concedatur?

Quod ſi pertinacius refugium ad hoſce ductus partim occultos placeat, tueri, iterum citandus eſt Autor laudatiſſimus l. d. p. 23. 24. his verbis propius ad ſcopum collimans: Ex varia venarum lactearum in abdomine diſtributione Anatomici quidam conjectandi anſam ſumpſerunt, venas lacteas in complures corporis partes diſſeminari, quibus

ri quibus tamen ſolum appropinquant, & mox præterlabuntur ne guttulam quidem chyli in eas expuentes, &c. Si in varias corporis partes, & femur non erit excludendum, etiamſi ne guttula quidem chyli expuatur, intelligendum id eſt de conſtitutione naturali; præternaturalis autem exudatio non erit excludenda.

Qui nutritionem partium illam novam admittunt per ſuccum nutritium, minoribus itinerum difficultatibus premuntur, Nervi enim tranſportantes quaquaverſum diſtribuuntur, etiam ad ipſas cutis extremitates, Nec obſtat nervorum conſtitutio ſolida quaſi & impervia, Reſpondet Charleton objectioni huic exercit. 10. p. 194. & ſeqq. Addo, ſuccum ex betula verno tempore copioſe ſatis extillare eodem prorſus modo, quo liquor noſter lactiformis è femore, licet arbor nullos oculis exponat canales, per quos ſuccus ejus nutritius ope radicum imbibitus, ſurſum ad extremitates uſque tranſportetur,

Nec reclamat ſucci nutritii ſubſtantia, eſt enim ovi albumini, poſtquam incubantis gallinæ calore nonnihil colliquefactum fuerit, perſimilis. Exerc. 1. p. 12. & 5. p. 78. Mucoſus, ovique albumen craſſius plane referens. Exerc. 5. p. 31. Hanc formam & faciem exactiſſimè, ut ovum ovo non poſſit eſſe ſimilius, refert liquor, tam qui è femore elicitur, quam qui non raro copioſe cum urina per veſicam excernitur.

Hæc ſunt, quæ balbutire placuit de monſtroſo hoc affectu; nemini ſatisfacturas eſſe haſce conjectationes facile credo, quia nec mihi ipſi, Audaciam tamen, ſeu conjectandi ſeu fingendi, indulſit Charleton ipſe utut ſagaciſſimus; dum Exerc. 3. de galaxia p. 42. ſcribit: Philoſophorum mos eſt, cum rem ipſam, ut ſe habeat, clare percipere nequeunt, fingunt ſaltem modum ejus aliquem naturæ operibus conſonum & veritati proximum, Ita conſtat cauſas morborum interdum eſſe tam abſtruſas ut tranſcendant captum humanum. Raritas effaſcinavit multos, ut ſibi perſuadeant affectum hunc veneficio eſſe inductum: quibus ego non adſtipulor, cum viderim ejuſmodi fluxum mucilaginoſum, ſine ſuſpicione veneficii, copioſe per veſicam in multos annos perennaſſe. Ruſticus ex pago vicino aliquando attulit lotium, in quo plus ejuſmodi mucilaginis quàm ſeri; cum dicerem, non adeo inſolitam eſſe hanc excretionem, aſſeveravit jurejurando, ſi collegiſſet hanc materiam, dolium dimidium cereviſiarium (*ein halb Achtel*) ſe eſſe repleturum, *D. L. Sigiſmundi Graſſii*

Lactationis difficultas: Globuli pingues butyracei per infantum alvum magnis cum torminibus ejecti. Clyſterum uſus in infantum morbis.

Qui ſtomotrophiam fœtus in utero, ſaltem ultimis menſibus, defendere ſatagunt, parum ſibi fiduciæ ſciant in recens natis infantibus collocatam, eo quòd hi, conſuetudine (quaſi in utero materno contracta, illico mammam adoriantur, quamquam propterea cum celeberr. Sylvio non dimicemus, qui primam infantis nuper nati paſſionem ſitim pronunciat, l. 1. Prax. c. 1. §. 1. Non ſunt profectò tam ad ſugendum prompti infantes, ac ſibi quiſquam imaginatur, ſed eſt ſæpiſſime opus artificio, ut papillam apprehendant. Hinc aliquæ mulieres Coloſtrum illud primum, ſapore ingratum, prius emulgent quàm infanti mammam præbeat, quod tamen minus eſſe conſultum B. Ettmull. in valetudinario infantili arbitratur, dum coloſtrum illud ſit cibus medicamentoſus, laxandi vi præditus, cujus ope meconium exturbari queat. Aliquæ lacte vel proprio vel amygdalino, vel Syrupo violarum areolas illinunt, quibus nil juvantibus, infantes adultiores & ſugendi peritos adſciſcunt, qui mammis per affluentis lactis copiam in tumorem ſublatis, varicibus fœdatis & inflammatis opem ferant, ubi juniori infanti ab adultioris matre interim lac in oſculum mulgetur, ut vel ſenſu diſcat infans eſſe in illis collibus unde ſitim leniat, atque adeo exercitio demum, quid opus ſit factu, diſcat. Experimentum in ipſis meis ædibus moleſtum ſatis in filiolo meo factum, qui primis à partu diebus, quamquam papaverculum in magna ſatis copia redditum, continuis tamen clamoribus dies noctesque tranſegit, & mammam ſugere omnino detrectavi. Pulticulis hinc & amygdalino lacte aluimus, interim verò mammæ puerperæ in tumorem ingentem, cum dolore & ardore ferè intolerabili, excreverunt, quæ, cum non adeſſem, mulieris cujuſdam ſuaſu, unguentum ex albumine ovi, alumine & pauxillo croci ſuper carbones mixtum & chartam cœruleam explicatum, mammis impoſuit, unde quidem tumor, ſed una lac, evanuerunt, ſuccedente in ejus locum præcordiorum anxietate magna, & ſpirandi difficultate. Dum hæc aguntur, alia mulier quadrata & à tribus menſibus puerpera acceſſitur, quæ vix denique, magno cum labore, infantem ſugere docuit, interea nos in eo eramus. Uti medicaminibus lactiferis, & quocumque modo lac in mea rurſum adduceremus, ſed, nihil hic emulſiones, nihil pulveres, intrita, pulmenta, ubera vaccina; nil pileoli, vitra, ora ſugentium, nil denique lapis galactites appenſus (dum alioqui hujus farinæ amuleta, quæ, præter ſignaturam, nil habent, unde ratio poſſit acquieſcere, à me parvifiunt) nil, inquam, hæc omnia, niſi lactis tenuis & aquoſi parum extuderunt. Perreximus itaque ad quadram alienam puellum ablegare, ſed tam exiguo cum emolumento, ut, quamdiu lactaretur ab hac infans, torminibus ferè continuis, flatibus, ructibus affligeretur miſellus, nullis remediis cedere volentibus. Nunquam alvus, qualia debuit, excrementa dedit, ſed liquida nonnunquam, interdum ſpiſſiuſcula, ſed viridia, & minutalium ad inſtar granulata, denique globulos cum excrementis, nunc plures, nunc pauciores, aliquos Ceraſorum acidorum magnitudine, aliquos piſorum majorum, qui prima facie pellicula quaſi induti videbantur, curioſius autem explorati, nil niſi pituitam conglomeratam exhibuerunt, acidum ſpirantes; ante verò, quam hos excerneret, horrendis clamoribus totas ædes explevit, cohibita reſpiratione, ut parum abeſſet quin ſuffocaretur; excretis verò iſtis paulum conquievit.

Mirabantur omnes, qui, aut quæcunque hos inſpexere globulos, matronæ polytecnia beatiores, atque propterea multiſciæ, nunquam antehac ſibi tale quid viſum profeſſæ, ita ut aliquæ incantamenta cauſſarentur. Ego verò ſtatim recordor, eſſe mihi è multis ſcriptoribus Medicis

dicis unicum, unicum inquam, (nec enim ullibi me parallelam obſervationem legiſſe memini) ex quo geminum paradigma petere liceat. Et verò hic Laur. Hoſmannus tr. de vero uſu & fero abuſu medicam. chim, p. m. 48. Ubi caſum, quantum ipſe quidem tunc novit, inauditum, matronæ valde obeſæ, 4. filiolarum Parentis recenſet, quæ omnes primo ætatis anno elapſo, mediante epilepſia, vitam cum morte commutarunt, nec Medici, nec mœſta mater caduci hujus morbi & interitus cauſam noverant. Cum vero quintam enixa eſſet filiam, hæc queprimum ætatis annum ferè compleviſſet eorundem motuum convulſivorum ſeſe præbuerunt indicia, hunc igitur in Conſilium vocavit, qui, cum de ſingulis percontaretur, mater ſe nihil obſervaſſe ajebat, quàm grana quædam butyracea inſtar piſorum & ceraſorum, copioſe cum excrementis permiſta, aliquoties fuiſſe excreta, qualia quinta quoq; filia tunc temporis excerneret: Ille itaque ſtatim pingues haſce excretiones epilepſiæ cauſam fuiſſe ſuſpicatus eſt, rationemque tam granorum butyraceorum, quam ipſius quoque ſubſequentis epilepſiæ, hanc excogitavit, ad quam eruendam ipſi vetula quædam, premendis caſeis præfecta, anſam dedit, quod ſcilicet magna ſit differentia lactis ab hac vel illa vacca emulcti, quodque lac aliud alio magis butyraceum, Similiter rem cum mulierculis ſe habere exiſtimavit, lacque lacte pinguius. Hoc itaque poſito infantes adhuc tenellos ſolo plerumque lacte materno & mollibus quibuſdam pultibus paſci, ubi pinguedo iſta lactis in infantis alimentum non cedat, ſed in inteſtinis tanquam partibus membranoſis & frigidioribus condenſetur, atque in coli cellulis admodum profundis accumuletur, ibique latitans ſulphureos & auripigmentales halitus de ſe mittens, epilepticorum paroxyſmorum auctor exſiſtat. Quod verò primo ſemeſtri pinguedo illa granulatim cùm excrementis non excernatur; in cauſa eſſe fœcum liquiditatem & mollitiem: quamprimum verò infans juſcula, carnes & alia ſolidiora comedere incipiat, alvi feces duriores & compactiores factas, cum materia iſta butyracea in coli inteſtini cellulis contenta fortiter aduniri, majorique niſu excerni. Hanc novam, de nova epilepſiæ cauſa, opinionem, præter doctiſſimorum quorundam virorum judicia effectum ipſum ſatis ſuperque probaſſe, quintam enim filiolam talia quoque butyracea excernentem granula, & quoſdam etiam leves perpeſſam paroxyſmos epilepticos, ſolis clyſteribus abſtergentibus, & ſingulari quodam liquore hordeaceo, auxiliante Deo, exoptatæ ſanitati ſe reſtituiſſe: Hæc ille. Circa quæ monendum eſſe duxi 1. Satis hunc accuratè eſſe de hiſce globulis & epilepſiæ cauſa philoſophatum; Nam, ſicut à lacte nimis tenui & ſeroſo, ita ab eodem nimis butyraceo & pingui, neceſſario damnum lactenti, immo majus ab hoc quàm illo, infertur. Toto die experimur, quantum negotii pinguia largius comeſta adultorum ventriculis faceſſant; in hæc enim difficulter agit ventriculi fermentum, & ab iſtorum lævibus & globoſis particulis, hujus acutæ & cuſpidatæ obtunduntur partim, partim deflectunt, quemadmodum e. gr. globulus aut vitreus aut marmoreus politiſſimus fruſtra mucrone petitur, qui aut obtunditur, aut ob lubricitatem declinat (*glitſcht ab.*) Hinc ab ejuſdem fermenti particulis corroduntur quidem & diſſociantur pinguia, non intime ſolvuntur, quemadmodum ab aq. Reg. & aq. fort. Sol & Luna diſcerpuntur magis & dilacerantur, quàm ſolvantur; hinc facilè ſunt reductibilia, ſecus atque perfectè ſoluta; hinc ab ejuſmodi dilacerationibus violentis magni tumultus cum efferveſcentia excitantur; hinc flatus efferveſcentiæ comites; hinc à diſpaſſis inteſtinis tormina; hinc etiam ceu imperfectè ſoluta exſpirante menſtruo priorem naturam & conſiſtentiam induunt. Novimus matronam, quæ, ubi pinguia comedit, poſt triduum cum ſudore frigido & anxietate vix credibili, ea nihil quidquam mutata, immo ad tactum frigida, & tali conſiſtentia, qualem pinguia refrigerata habere ſolent, revomit; quæ hiſtoria ſeorſim alio tempore tractari merebitur. 2. Rectè officina horum globulorum Coli cellulæ adſeruntur; ejuſmodi enim pinguia ſunt per ſe ad motum inepta, hinc ubi in coli membranulis, quaſi remora ipſis datur, ibi morantur & in globulos juxta cellularum ἀνρυχωείων efformantur, non ſecus ac animalium excrementa ſicciora, equorum puta & caprarum: hinc quia & flatibus & excrementis liquidioribus ab inteſtinis tenuibus illuc tendentibus tranſitus denegatur, facilè concipi poteſt, unde tam horrendi clamores, unde denique quies à globulis excretis? Non autem 3. ideo in illis cellulis hi globuli condenſantur, quòd inteſtina, ceu membranacea, ſint frigidioris temperiei, aut quòd cibi ſolidiores admixti ſint: Illud enim quod attinet, condenſationis cauſa, uti dictum, cenſebitur potius liquoris viſcidi ad motum ineptitudo, cellularumque favorabilis configuratio, hoc autem refellit filiolus meus, vix uno poſt nativitatem menſe tales excernens. Quòd autem 4. filiolæ Hoſmannianæ totius anni terminum attigerint; cauſam eſſe ſuſpicor, quòd lac maternum ſuxerint, pedetentim butyroſitatem illam adſciſcens, ſecus autem meus, qui ſuxit lac obeſæ & peregrinæ mulieris, filiolam aliquot annorum jam lactantis, adeoque reſpectu corpuſculi tenelli, lac jam butyroſius, quàm ut meus concoquere potuerit, generantis: argumento fuit, lac non alio quàm bonitatis (liceat ita loqui) vitio peccare, quòd infans, quantumlibet torminibus, flatibus & clamoribus excruciatus, tamen ſecundum omnes dimenſiones augeretur, nec quidquam emaciaretur. 5. Exhalationibus autem acidis & ſulphureis ex vitioſa efferveſcentia prodeuntibus, nervoſumque genus ac cerebrum lancinantibus, & in convulſivos motus cientibus, epilepſiæ cauſam rectè adſcribi, totus ferè Medicorum chorus adſtipulabitur, ut qui cumprimis in recens natis id agit, ut aciditati obviam procedatur, ne ea accumulata epilepſiam excitet. 6. Denique cura rectiſſimè inſtituta; hanc enim cùm imitarer, & ſingulis ferè diebus clyſterem ex aqua hordei, cum parco Saccharo & oleo rutaceo injici, poſt etiam infantem ablactari curarem, nunquam id genus globulos amplius obſervavi.

Multi ſunt admirati, me infanti tenellulo clyſteribus mederi velle: Sunt enim adhucdum in ea opinione noſtrates, non tantùm è plebe homines, ut arbitrentur, clyſteres eſſe remedium in-

ſigniter

ſigniter violentum, & hos, qui ſufferre velint, athletico robore præditos requiri? alii putant, enemata eſſe remedium extremum, reliquis nil juvantibus exhiberi ſolitum, adeoque hæc ubi vident præſcribi, conclamatum eſſe de ægro autumant, *man nehme ihn fur einen todten Mann an, er ſey ſo gnedls hin, man geb ihn keinen Heller uͤber, um ſein Leben.* Hinc multis precibus & perſuaſionibus vix eo ſe adduci patiuntur, ut hos admittant; quinimò ante uſum aliqui teſtamentum condunt, exemplo eorum qui aut lithotomis aut id genus Medicinæ operatoribus ſeſe ſubjiciunt. Aliquando mulier, cujus marito clyſterem ordinarem, in faciem mihi dixit me occidere maritum ſuum, quo audito diſceſſi, nec quidquam medicaminis amplius præſcripſi. Ego verò, ſi clyſteres interdicto publico Medicina exulare juberentur, nollem eſſe Medicus, tanti à me fiunt plurimis in affectibus, quidquid contra Helmontius & adſeclæ auſint, quibus mea, ſpero, Oologia cum emphaſi ſeſe opponet. Poſtremò omnes Medicinæ Practicos obteſtor, per Dei Charitatem & Proximi, ubi ſingularem quandam encheireſin aut ſecretum contra puerorum epilepſiam norunt, propalare illa ne graventur; graſſatur enim peſtilens hoc malum cum primis in his regionibus in miſellos infantulos, ita ut vix opus ſit quærere, quo morbo infans interierit? nec eſt quidquam ferè certi remedii. Ubi nil opis in mediis naturalibus invenitur, ſuperſtitioſa prodeunt in ſcenam, nec dici poteſt, quot & quantis ſuperſtitionibus vulgus noſter ſit undequaque quaſi ſuffurcinatus. Unam curam appono, cuilibet liberum relinquens judicium, ego nullum fero: Lingua Urogalli, ei vivo, dum laſcivit, evulſa, & regioni cordis intra linteolum exſiccata, ſic alligata, ut deorſum apex vergat, quam vel centum epilepticis opem tuliſſe perhibent. *D. Rubini Lemilii.*

LASSITUDO
Vid.
VIRIUM PROSTRATIO.

LEPRA ARABUM
Vid.
ELEPHANTIASIS.

LEPRA GRÆCORUM
Vid.
IMPETIGO.

LETHARGUS.
Vid.
CARUS.

LENTIGINES
Vid.
CUTIS VITIA.

LEUCE
Vid.
IMPETIGO.

LEUCOMA
Vid.
CORNEÆ VITIA.

LEUCOPHLEGMATIA
Vid.
ANASARCA, item CACHEXIA.

LIENIS MORBI.

De Lienis fabrica, de ejus uſibus, ac etiam affectibus morboſis, tam doctè ac nervosè diſſerit, *Clariſſimus Carolus Drelincurtius*, verè *Magni Patris* dignus ſanè, Filius in ſuâ *de Lienoſis Diſputatione inaugurali*, quam amiciſſimè nobis communicavit; ut meritò illam ante alia omnia quæ in eadem collegimus materia legendam hic exhibeamus.

Diſputatio Anatomico-Practica Inauguralis De LIENOSIS.

Prooemium.

Lienoſos ſcrutari nequeo quin lienem ipſum in puris naturalibus explorem, rectum enim eſt index ſui & obliqui. Potiora igitur de liene ſalubri delibanda veniunt antequam viſcus ægrum plenè ruminer. Medico quippe futuro corpus humanum Lynceis oculis contemplandum eſt, immo manibus oculatis attrectandum, ut intimos ipſius rimetur receſſus, & partium ſingularum ſitum, numerum, magnitudinem, figuram, colorem, ſtructuram, connexionem, communionem, actionem & uſum, à capite ad calcem, pernoſcat. Nequaquam igitur ſimplex interiorum imago, expreſſiſſima licet vel penicillo, vel ære, attendenda eſt, ni velimus eſſe ex libro Naucleri; ſed extiſpicio opus eſt, ut ſcrutemur quæ naturæ latibulis abſcondita ſunt, & veluti ſecreta corporis in arcano atque operto. Quid enim nobis certius ipſis ſenſibus eſſe poteſt, quò vera ac falſa notemus? Manum idcirco operi admovi, ut pro modulo, quo me dimetior, mecum habitans, quid de liene ſentiam enunciem.

THES. I.

N°. I. Lien poſitus eſt in hypochondrio ſiniſtro, è regione jecoris ὡς ἀντίζυγον, ἤτε νόθον ἧπαρ ceu oppoſitum, vel ſpurium hepar, quod genuini ſit hepatis æquipondium. Id enim viſceris ab Ariſtot. & anonymo Græco, necnon ab Aretæo, Gal. Pollucê, & Heſychio, hepati ἰσόῤῥοπον, ἰσοβαρές, ἰσοσταθμόν, & ἰσόζυγον, paſſim enunciatur. Is autem lienis ſitus ſub diaphragmate eſt inter coſtas adulterinas atque ventriculum, quem parte ſuiſſimâ complectitur, dum gibbâ ſuâ per fibrillas nervoſas diaphragmati cohæret. Tam profunde porro reconditus eſt ut palpari nequeat, niſi natura vel morbo declivior ſit. Lienalem quippe ſitum ſæpè mutari conſtat, non modo ratione ſedis vel humilioris, vel elatioris, ſed ratione ſedium ejus univerſe. Is ſiquidem ab Ariſtotele & Plinio recitatur prodigialiter locum, in quadrupedibus, cum hepate permutaſſe, uti ſingulatim de cuniculis oculatus id ipſum teſtatur Adr. Spigelius: ſed iſtud, ſeculis aliquot ante Plin. in ipſis cadaveribus humanis Herophilus viderat. Hoc autem ſeculo medio tam fortunatæ fuerunt Rev. Parentis Anatomes primitiæ

mitiæ, ut Pariſiis monſtrificum illud viderit cadaver, cujus viſcera, ſedibus permutatis, lienem ceſſerunt à dextris, & hepar à ſiniſtris.a

Tanti prodigii, à ſe viſi, luculentum & alterum teſtem mihi produxit, Riolanum ſcilicet, qui monſtri rumore permotus, ut-ut ſenex & ſilicernius ad cadaver convolavit, quò rem ipſam ſeros ad Nepotes tranſmitteret. Nec defuerunt Muſæ ejuſdem æmuli, id enim certatim evulgarunt Mentellus, atque Cattierus. Sicut autem Herophilus id ante Plinium, ita Panarolus id ipſum ante Riolanum detexit: Imo Fabric. ab Aquapendente prodigium parile noviſſimo ſeculo ſedulus annotavit, & ante ipſum rurſus Cornel. Gemma conſimili phænomeno ſuas locupletavit Cyclognomicen atque Coſmocriticen.

Huc refero Par. Rev. phænomenon & alterum, fœtum ſcilicet nonimeſtrem, cujus lien nullus erat in hypochondrio. Is enim veluti cuniculis actis ſeſe per medias diaphragmatis fibras carneas in pectus ſuſtulerat, & pulmonis lobum, ſibi contiguum, compreſſu ſuo tabefecerat.

N°. II. Numerum quod attinet, lien unicus eſt è naturæ præſcripto; nihiloſecius duplex obſervatus eſt ab Ariſtotele, à Cælio Rhodigino, à G. Rondeletio, à C. Gemma, à B. Cabrol. à D. de Marchettis, ab A. Bourdonio, & ab Excellent. D. Hardero, nec-non ab Ephem. Germ. Obſervatoribus ſeduliſſimis & acutiſſimis. Cæcilius vero Folius, Venetiis, duos, tres, imo quatuor vidit. Fallopius pariter tres lienes enumerat, unum juſtæ magnitudinis, alterum dimidio minorem, tertium denique ovi columbini mole. Qui verò id fiat legere eſt apud Levin. Lemn. & G. Hofmann. Sed è contra liene nullo Philoſophus cadaver narrat, cui ſuffragantur Holler. Bauhinus, Laurent. H. ab Heer & Kerkring. Tales itaque homines comparandi veniunt vel cum volatilium quibuſdam vel cum inſectis, quæ liene carent, etſi vulgo de ipſis jactetur ἔχει δὲ καὶ ὁ μῦς τὸν σπλῆνα. Imo nihil inter homines iſtos atque inter quadrupedem intereſt, Democritus enim, Ariſtot. Plin. Solin. Alb. Magn. Geſner. & Aldrovandus unanimes atteſtantur lienis exortem eſſe chamæleonta. Id ipſum vero teſtatius apud me reliquit Panarolus animalculi proſector, nec-non Regia Pariſienſis ſocietas, quæ diſſecti chamæleontis nitidiſſimam icona, lienis neſciam, Rev. ad Par. tranſmiſit.

No. III. Illius porro viſceris magnitudinem ſi dimetiar, illa certè nuſquam eadem neque ſecundum, neque præter naturam. Longitudine vulgari ſex digitorum eſt, latitudine trium, craſſitie autem unius alteriuſve pollicis.

No. IV. Figuram pariter variare Fern. docet, vulgo tamen oblonga eſt & plana atque lata, hoc eſt plantæ pedis æmula, juxta Hipp. Ruff Epheſ & Germ. Ephem. Exinde eſt ut à Dioſcoride. Plinio, Martiali, Polluce, & Heſychio, lintea oblonga, & ipſa emplaſtra fronti vel ubivis admovenda Splenia vocitentur. Rei autem ipſius, ut & nominis excogitator, teſte Galeno, celebrandus eſt Hippocrates. Aliàs vero lien vel rotundus vel trigonalis, vel tetragonus eſt. Uno verbo, id viſceris Proteo & Thetide, vel ipſa Empuſa mutabilius eſt, uti conſtat ex Horſtio, Piccolhomino, Riolano, Rhodio &c. Is autem naturæ luſus in liene eò facilior eſt, quo lien tenerior, & mollioribus glandulis laxior. Sic enim ipſi multiplex character, veluti ceræ, vel univerſe vel partim imprimitur.

No. V. Colorem ſi luſtremus, is certè variatur ratione animalium, & ætatum, nam in calidis leone & cane nigricat; albicat autem in frigidis, ſue & vitulo; ſic qui rutilus in fœtu, nigreſcit ætate. Rariùs enim in adultis vel purpurâ ſplendet, vel fulgenti candore notatur, ut apud Horſt. Spigel, Rhod. & Veſalium.

No. VI. Vagatur lien in zibetta, in hyſtrice, & in ſimia mare & fœmina diſſectis à Par. Rev. In nobis verò fibrillis aſtringitur ad hypochondrium ſiniſtrum, quas Mundinus & Maſſa tenuiſſimas delineant. Ventriculo præterea ſiniſtroque reni cohæret, per epiploon & vaſa: immo fiſſuris ſuis, veluti fibris atque digitis, ventriculum ſingulariter amplectitur, uti viderunt Riol. Horſt. Highmor, Lindan. atque Par. Rev.

No. VII. Viſceris autem univerſa compages, tunica ſuccingitur atque firmatur tenui quidem vulgò, ſed quæ morboſe corii bubuli craſſitudinem & robur contrahat, uti viderunt Andernac. Columb. Bauhin. Hoſmann. Spigel. Riolan. Bartholin. Tulpius, & ipſemet ego, anſer inter olores.

No. VIII. Arteriam lien excipit jecorariâ decuplo majorem, ex dimenſione paterna; ſextuplo licet illam, vel quincuplo duntaxat, Clariſſ. Moebii atque Wedelii dexterrimus alias atque fidiſſimus circinus deſcribat. Iſtæc autem adeo capax, vel à cæliaca prodit, vel ab ipſo conſurgit Aortæ trunco. Atque ita jure meritoque mirificus ille Naturæ Pictor Hipp. ampliſſimam illam exprimit. Nec iſtæc capaciſſima tantum eſt, ſed & longiſſima, atque adeo longum iter agens ſurculos impertitur epiploo ſuo, ac illi glandulæ Hippocrateæ majori, quam Ariſtot. R. Epheſ. Gal. Theophilus, & Oribaſ. pancreas indigitant. Quod autem reliquum eſt trunci multiplici ſuo ramulorum diremptu lienem ſubit univerſum & in intimiores ejus cryptas longè lateque ſeſe diffundit. Falſo igitur adverſus Hippocratem & Naturam ipſam ſcriptitant lienis arteriam in ejus limine hærere, ut exinde Sanguinem ſuum, roris adinſtar, in viſcus effundat, tanquam in ſpongiam; αὐτοψία quippe reclamat, qua docemur arteriarum myriada vel abſtruſiores lienis cellulas quoquoverſum pervadere, & affatim irrigare. Lien ergo ſincerum ſanguinem accipit à corde, nec uti Fallop. putidè docet, excremento nutritur, quaſi bos Cyprius eſſet. Putidior adhuc Lælius à Fonte, cui lien corporis eſt cloaca. Apage hinc ſtercoreos Doctores illos ad Ariſtophanis σκατοφάγους merdivores.

No. IX. Venas ſortitur numeroſas & amplas, quæ ab ejus concavis aſſurgentes ramum conſtituunt

a *Phænomenon iſtud* Abr. Berkelius *ab omni prorſus oblivisne vindicavit, id enim, in* Rev. Par. honorem, *adamantino ſtylo publicis ſuis*, æterniſque *Steph. de Vrbib.* monimentis *inſculpſit, in Ἀρδανία p.* 129.

a *Vt in Simiis à* Rev. par. *diſſectis, quos Animalibus ſuis, Edit. in* 4. Blaſius *interſeruit. p.* 109 *&* 111.

apud Avicenn. Aponenſem, Pedemont. atque Zacutum; & quidem meritò, ſcatet enim urina particulis tenuiſſimis & agilliſsimis, quæ viverræ inſtar vel invia permeant, & lienalis tartari nexum vel arctiorem feliciter diſnectunt, Nulla quippe machina potior eſt, ad ſales fixos evehendos, atque diſſlandos, quàm ſal Urinæ volatili prægnans perniciſſimo. Quid enim vividiori energia in ſalem agat, quàm ſalinum, ſpiculis inſtructum analogis corpori ſolvendo ſalino fixo. Hic igitur vere ſal ſalem curat, ſicuti Paracelſus ſcienter profert. Nos itaque immerito prorſus, W. Gabelchoverus allatrat, dum urinam potulentam diris devovet.

No. 2. Urinæ porrò, non Medicos duntaxat, ſed & Mechanicos uſus, vel ab ipſis Artium atque Medicinæ cunabulis innotuiſſe liquet ex Herodoti hiſtoria lepida; nec non ex Hippoc. Dioſcor. Sueton. Gal. Athen. Iſidoro, & G. Agricola. Nuſquam igitur de urina primævi Scriptores habendi ſunt vel Untzer. vel Helmont. vel Croll. vel Barletus, vel Faber, vel Glaſerus, vel Lemery. Minus adhuc recentiſſimi quique perfrictæ frontis, & decocti pudoris ciniflones, qui Majorum inventa ſibi ſumere nequaquam erubeſcunt.

No. 3. Nuſquam interim excludantur anodyna atque hypnotica, quò feri dentati feritas infringatur, & blandus ille ſopor, Deorum hominumque menteis ex æquo deliniens, mulciber obrepat, ac ipſos flatus, fervidè licet depræliantes, imperiò premat, adjutrice ſibi Anemotide Minerva, jure tunc eodem à lienoſis, ac à Lycurgo, & à Pericle ſalutis ſuæ cognomento decoranda.

TH. XXII.

Chirurgia demum tota ſit naturæ benè agentis imitatrix, & auxiliatrix; perperam verò ſe gerentis ſpeculatrix quidem, ſed emendatrix. Segnes igitur vel è nare ſiniſtra, vel ex ano ſanguinis eruptiones concitet atque promoveat; idque vel naribus fodicatis, vel affricto podice, vel hirudinibus margini ejus admotis; vel ſcalpello, vel forfice demum, uti Pariſiis obtinet; peritaque fert Ant. Chalmetæi Chirurgia. Sic è contrario ſanguinis impetus effrænes, ſuis è directò cucurbitulis atque ſtypticis Chirurgus infrænet atque comprimat. Aliàs verò, in plethoricis, otiante natura, ſiniſtram tundat cubiti venam, ſic enim fluxum è nare ſiniſtra, lienoſis ſalutarem, felix imitaturus eſt, idque citra baſilicæ præ mediana, vel caphalica, electionem anxiam. Naturæ ſiquidem emiſſario largo, κατ' ἕξιν ubivis parato, ſeroſa colluvies ex æquo profluit, uti ſagaciter ex Hipp. Gal. atque Trall. Antonius Maria Venuſtus obſervat. Sed hic Trincavellius tranſverſus agitur, dum fibrarum rectitudinem illam ceu fabulam deridet. Rectius certe, & ad naturæ normam, Hollerius ſingula dirigit, experientiæ ductu. Immo Helmont. ut-ut Hipp. olor phænomenis illam conſonam eſſe profitetur ore rotundo. Abunde igitur eſt venam inciſiſſe in cubiti ſiniſtro flexu. Quorſum ergo Græcos, Arabas & Barbaros venulis vel digitorum, vel aurium ſecandis, religio vetus addixit? Apage nænias aniles, ne talibus officiis fucus ullus nobis fiat.

Eheu quanta ſuperſtitio Gentium! quid ſi redivivi Chryſippus, Medius, Ariſtogenes, & Eraſiſtratus, qui nullas unquam venas reſolvere, ſed omnem prorſus phlebotomiam ab arte Medica proſcripſerunt? Quid ſi ferreo ſomnò ſuò ſolveretur Citienſis Apollonius, qui venæ ſectionem à ſplenicis nominatim ſuſtulit? Quantis quæſo ſibilis iſtæc erudita quinque pectora Nepotes ſuos conſcinderent?

No. 2. Chirurgia deinceps, ubi ſeroſa colluvies exundat, & mole ſua ventrem infimum attollit, totam molem illam aquarum ſua paracenteſi deprimat; ſed nuſquam omiſſo præſagio ſupremi diſcriminis quod impendet, nam hic profectò vere nodoſus eſt Æſculapii baculus, nunc enim ſtant ægri inter ſaxum ſacrùmque, & res ipſa in cuſpide ferri ſita eſt, è compunctis quippe vix ullus mortis laqueos eluctatur. Qui autem evadunt, evadunt fati ope, non Medici. Hic itaque ratio moras adferat, & inſcitiæ fiduciam auferat. Ægros ſiquidem acu punctos vel intricat ſyncope; vel illaqueat dyſpnœa, aſthma, & orthopnœa; ac ipſa tandem apnœa, quæ totius ærumnæ clauſula ſit extrema; quà corpus morti (nulla Mercurii virgula revocandum) traditur in eſcam. Tantis igitur ægrorum in anguſtiis ſagaciſſimum iſtud Hermetis Trimegiſti caninum caput lubentes conſuleremus, ni jam olim, Pirithoi fatò, ſorptum eſſet ore trifauci.

No. 3. Sed iſtæc profectò, quæ ſunt operæ multæ, & ſagacitatis exquiſitæ, omittenda forent, ſi modò vel ægrorum mollities; vel Chriſtianorum pietas nos nuſquam abſterreret à Gentilitio more lienem vel urendi, vel verberandi, vel eximendi.

Abſit itaque ut ægro inſonti, totque jam ſymptomatis dolorificis obvio, inuramus ſtigma, & quidem eſcharis octo vel decem ut apud Gentes obtinuit. Threiciis itaque notis Medicus ille * Leproſus compungendus eſt, qui, vel hoc ſeculo, talia ſtigmata lienoſis ſuis inſcribere ſuſtinet. Abſit pariter, ut ſpirantibus ægris vel contundamus exta, veluti fuſtuario dignis; vel incidamus præcordia, & Herophili more; vel Eraſiſtrati, ſalutis humanæ præſidem Artem, non ſolum peſtem alicui, ſed hanc peſtilentiſſimam inferamus.

No. 4. Comicorum igitur eſto arte ludicra mimorum, atque ludionum, ſed non arte magiſtra Pæonis atque Chironis; Machaonis atque Podalirii τὸ σπλῆνα ἐκβάλλειν, lienem ejicere, ſeu exſectum abjicere, ἀποβάλλειν ὡς fert Scholiaſtes.

N. 5. Longè optatius cum ægrotantium teneritudine, & noſtra miſeratione comparatum foret, ſi modò Pyrrhus excitaretur à mortuis, lienis atterendi gratia, pedis ſui dextri vel blandiori contactu. Id enim apud nos, tantæ eſt fidei, ac icterum ab Hungariæ Regibus diſcuti; dæmonas vel ab Hiſpaniar. Monarchis, vel à Tobia, vel ab Eleazaro fugari: cæcos, claudos, & mancos à Veſpaſiano & ab Adriano ſanari: leproſos oſculo mundari B. Martini: ipſos denique vitâ functos vel carmina fundere, moxque tenebris reddi; vel per Simonem Magum, Apolloniumve Tyaneum umbris ab infernis ad lumina ſurgere vitæ.

No. 6. Lienoſorum inſuper eo nomine dolenda

d

* Lazarus *eſt Meyſſonnierus*, *lib.* 4. *cap.* 5. *p.* 287. *cujus talis æger*, Patiens *meritò vocatur*, Nam plus quàm morbus torquet eum Medicus. *Joh. Ovvenus lib.* 1. *Epigr.* 44.

ſunt fata quòd Archigenis & Andromachi ſplenia ſint virtute caſſa: quod Plinii Secundi Empiricique Marcelli ſplenes e ſpirantibus beſtiis educti,& confeſtim admoti, tepore ſint irrito: quòd Joh. Beguini ſal Planeticus,uti nec alter ille H.à Mynſicht, nihil minùs ſit quàm ſplenicus: quòd exhilarans antidotus Saporis primi,ad Meſuæum uſque devoluta,nihil Jovialis præ ſe ferat: quod album Fr.Ruei corallium, Jovi quidem Phœboq; ſacrum ſit, lienoſis autem pura puta fraudatio; quòd Brendelii aurum potabile, merum ſit opinabile: quod unctiones Angeli Salæ,& Turquetti Angelica grana nihil Angelici ſpirent: quod phænigmi Ἀρχιάτρου Conſtantini Porphyrog.& antidota N. Myrepſi,effectibus inania ſint: quod Scribonii denique Largi, Theodorique Priſciani malagmata ſilices ocyus mollitura ſint, quàm ſcirrhos lienis eliquatura. Celſus ergo deridendum ſeſe propinat,dum malagmatis ſui ſupercilio elatus,præcipit ut ſex tantum horis adhibeatur, ne diuturniori mora lienem univerſè conſumat.

N.7. Agyrtarum igitur eſto futilibus iſtis,nec effundi dignis,ineſcare homines. Nos enim candidos anima dedecet lienoſos ſpe vana lactare. Hinc itaque commenta procul de Aſplenio,déque chalybis aqua. Gerris quippe gerrarum adnumeramus, quæ Vitruvius,Dioſcorid.Plin.Gal. L.Apuleius Aet.& Ægineta à Cretibus, lingua mendaci,ſuper aſplenio mutuati ſunt, & quos demiror notulas non ditaſſe Cl. Mangeti ad Schroderum.

Inane rurſus atque vanum eſt quadrupedes profiteri apud fabros ferrarios eſſe avicularum inſtar, liene vel exili. vel nullo, quum aquam illam ne primoribus labris attingant, utpote vel ab ipſis longè ſemotam; vel obviam quidem,ſed quæ vel fuſcedine & ſpurcitie ſua, brutas illas animantes fugatura ſit, vel acido & auſtero nidore Martis abactura, hoc eſt vitriolicis ſuis effluviis,nares odoras laceſſentibus, ab omni linctu planè deterritura.

No.8. Nugis itaque valere juſſis (quales inſuper narrat H. C. Agrippa) cordati cordatos colamus, & quæ ſeris ab annis compererunt lienoſis eſſe proficua,prudentes & pii revocemus ad praxin, quò, dirigente nos dextera Dei, felix ubique rerum exitus obtingat.

Atque hactenus quæ Clariſſ. Car. Drelincurtius ſuper Liene in ſua Diſputatione inaugurali. Jam ſequuntur Curationes aliquorum hujus viſceris morborum,ut & Conſultationes, Obſervationes, ac Anatomicæ inſpectiones è variis collectæ Autoribus.

Curationes.

Lienis Morborum Tumor Splenis.

Splenis tumor laxus & diſtendens, ſi à ſucco vitriolato, quem vulgus fæcem Melancholicam vocat, propriè melanagogis deturbatur. Talia ſunt Extractum Ellebori nigri.It.Extractum ſenæ aliaque compoſita Extracta cum Eſſentia Epithymi, polypod. Cuſcutæ, capparum, ſcolopend.

Univerſaliter tamen has fæces exturbat Mercurius dulcis (qui ad miraculum uſque operationes perficit.) Item Panchimagogon Quercetani, cujus juſta doſis exiſtente neceſſitate data multùm valet, præſertim ſi acuatur cum Mercurio vitæ ad gr. ij. Merc. dulcis gr. xvi. Merc. vitæ longa tritione miſcendo, & poſteà cum Extracto Ellebori nigri in pilulas formando.

In hoc caſu Pilulæ iſtæ exhibendæ ſunt poſt mediam noctem,repetitâ altera atque etiam tertia nocte, vel eadem, vel aliquantulum immutata doſi.Præſtant ſimul in hac cura,quemadmodum in cæteris ſplenis affectibus, in vino maceratæ radices filicis,quæ ab innata proprietate hujus viſceris affectus curat. It. in victu quotidiano admiſceatur Galiopſidis ſeu lamii pulvis propter diſpoſitam proprietatem, quam habet ad morbos lienis: Itali Milzatellam vocant: (auſſdem Haberacker.)

Externè, ſi opus fuerit, applicetur tale vel ſimile Cataplaſma.

℞ Rad. Cucumeris aſinini, bryoniæ an. ℥j. ſcillæ Num. j.rad. liliorum albor. bulb. j. ſem. malvæ, altheæ, fœnugræci. an. p. j. lini p. ij. flor. altheæ, Malvæ, mercurialis, parietariæ,an. Mj. rad. betæ albæ Mß. Decoque omnia in aqua ferrariorum cum ſexta parte aceti, & F. Cataplaſma, vel etiam fotus ad regionem ſplenis. Huc referantur Emplaſtra uſualia.

Si diſtenſio à flatibus, à purgantibus abſtinendum quidem, ſed infuſum radicis filicis cum pauxillo ſennæ ſufficiat, præſertim, ſi ſemina carminativa ſimul adjecta fuerint.

Extrinſecùs valent inunctiones ex oleo rutæ, capparum, liliorum alborum cum pulvere ſeminis agni caſti, ceterach, corticibus capparum, ad juſtam conſiſtentiam miſtis.

Quòd ſi dolor vehementior urget, cappares contuſi & in forma Emplaſtri exterius applicati dolorem ſubito tollunt.

Obſtructio ſplenis.

In obſtructione lienis ſtatim corpus ab initio leniendum ſequenti ſyrupo:

℞ Rad. ellebori nigri præparat. ʒiß, herbæ ſcolopendriæ Mi. Cuſcutæ M ß. fol. ſennæ Alex. ſ. ſ. ℥jß, galangæ ℈jß, zinziberis ℈j, ſem. aniſi ʒß, medull. Cartami ʒii, Epithymi ʒß. Infundantur in decocti aperitiv, ſ. q. per noctem: manè coque ad ℥viii, exprimantur & colentur. In Colatura infunde rhabarbari elect:℥iii. Cinamomi ʒj.

Colaturæ adde ſyrupi de 5. radicibus & de abſinthio an. M. pro tribus doſib. matutinis.

Inungatur latus ſiniſtrum calide & manè & veſperi Unguentô ſequente:

℞ Unguenti Agrippæ ℥j. ol. de capparibus ℥ß, lauri ℥jß. M. Quod ſi fortè ad primam doſin ſyr. iſtius liquidioris non reſpondeat ſatis alvus, tum ſeq. addi poteſt ex pulvere, qui

℞ Spec. diaturbit. cum Rhabarbaro ℈j. Diagrydii gr. iij.

Quibus peractis, ſi vires permittant, & reliqua, incidatur vena interna brachii ſiniſtri, & plenitudinis ratione emittatur ſanguis. Hinc per biduum utatur ſeq.

℞ decocti aperitivi majoris ℥viii. oxymel. Elleborati ℥iij, ſyr. de betonica, de 5. radicibus ana ℥iß. aq. fœniculi, Cinamomi an. ʒiii.

ſp. vitrioli ℈ß, ſalis ſcolopendriæ ℈j, M. Pro 4. doſibus. Interim fiat Apozema:

℞ Rad. fœniculi, petroſelini an. ℥ß, aſari, ſarſaparillæ an. ʒiii. herb. agrimoniæ, Ceterach, Cuſcutæ, Scolopendriæ an. Mß ſem. aniſi ʒß. fœniculi, Coriandri præp. an. ʒj. flor. borraginis, bugloſſæ, betonicæ an. p. ii. paſſularum ℥i Decoque ad ℔ j. in ſ. q. aq. ſimplicis: Colaturæ adde ſyr. de 5. radicibus ℥ii. de Cichorio cum Rhabarbaro ℥iß. oxymelitis elleborati ℥iv. f. apozem apro 5. doſibus. Singulis v. doſibus horis duabus ante & poſt cœnam addatur Electuarium, quod

℞ Conſervæ fumariæ, betonicæ, bugloſſæ ana ℥iß, Cort. aurant. Condit. ℥ß, Extracti ſcolopendriæ, Croci Martis noſtri an. ʒiii, ocul. Canc. præparat. Salis Corall. an. ℈j, C. C. uſti, ſpec. arom. roſat. an. ℈jß. cum ſyr. de ſcolopend. q. ſ. F. Electuarium, de quo capiat ad magnitudinem caſtaneæ.

Potus ſit Vinum, aut aqua hordei chalybeat.

℞. Vini aut aq. hord. ℔ vi. infunde in cineribus calidis Martem, aut Croci Mart. ℔j, Cinam. ℥iii. ſtent per 8. noctes in vaſe benè clauſo, hinc colentur. De Colatura capiat ad libitum, aut utatur vino vel potu, in quo concocta aut macerata ſint ſequentia, aut, quod melius eſt, ſequentia ſacculo incluſa cum vino novo aut cereviſia deferveant.

℞ Rad. polypodii ℥iiß, herbæ fumariæ, meliſſæ, roriſmarini, Cuſcutæ an. Mii, Cort. radicis Capparum, Tamariſci an. ʒvi. fol. linguæ Cervinæ Mii. tart. albiſſimi ℥j. M. Prodeſt quoquè Extractum ſplenis bovis eo modo præparatum, ut infrà de ſuppreſſione menſium deſcribitur.

Quod ſi morbus in ſcirrhum abiit, iiſdem medicamentis addi poſſunt pilulæ, quæ fiunt ſequenti modo.

℞ Gum. ammoniaci ℥ii. diſſolve in acet. & per pannum rarum trajiciantur. Adde aloes ſucco roſar. nutritæ ℥ß ſalis abſinthii ʒii, incorporentur omnia & F. Maſſa conſervanda in aluta madefacta oleo aniſi, de qua per intervalla.

℞ ℈i. ad ʒj, & F. Pilulæ. Prodeſt quoquè ſequens aqua aſſumpta.

℞ Rad. raphani ſylveſtris ℔iiii. polypodii quercin. ℔jß. ſem. fœniculi ℥i, Cardamomi ʒii. radices incidantur & reliqua contundantur & infundantur in Vini vet. ℔ xv. ſtent in loco calido per tres noctes vaſe quotidiè benè agitato. Deinde adde aq. naſturtii aquatici, bardanæ, fumariæ an. ℔ii, ſeri lactis deſtillati ℔jß, deſtillentur in lento igne per cucurbitam, doſis hauſtus unus vel per ſe, vel cum ſyr. aliquo. It. Fiat ex Naſturtio, Bardana & Fumaria recentibus in mortario lapideo ſuccus, qui depuratus ad uſum ſervetur cum aliis miſcendus aut ad ſyrupos coquendus.

Ad lienis regionem, ubi ſentitur tumor, applicetur Emplaſtrum ex Ammoniaco in aceto ſcillitico ſoluto, prius tamen foveatur locus ſequenti fomento:

℞ Herbæ ſcolopendriæ, meliloti an. Mjß, flor. Chamomillæ, anethi, geniſtæ an. Mj. ſem. filicis ʒß. Decoq. in ſ. q. Vini albi, aq. & aceti ana, uſquè ad conſumptionem mediæ partis, cum hoc decocto foveatur locus ſpongiis manè & veſperi.

Ad confortationem lienis maximè confert Electuarium ſequens, aliàs Electuarium Solenandri dictum:

℞ Paſſularum majorum ℔ß,

Coque in vino generoſo ad pultis conſiſtentiam, excerne per ſetaceum & admiſce conſervæ anthos.

℞ Corticum citri condit. pulveris Cinam. an. ʒj. ſpec. aromatici roſat. diamargariton. calidi, diacinamomi an. ℈ij. ligni aloës odorati ʒß. Croci oriental. vel eſſentiæ ejusdem ℈ß. M. Capiat ad libitum magnitudinis Caſtaneæ.

In paſtu ſæpiùs utatur capparibus & foliis geniſtæ muria condit.

Poteſt quoquè offerri Diacapp. in tabulis.

℞ Diacapparum & croci Martis an. ʒi. ſacchar. in aqua ſcolopendriæ ſoluti ℥iiii. F. ſ. a. Tabulæ de quibus ſumat manè unam & 3. horas poſt paſtum.

Non incommodum quoque erit exhibere ſæpius tartarum vitriolatum, & crem. Tartar. ſpiritum ejuſdem & tincturam, cui ſuccenturiatur Vinum Martiale, pulvis cachecticus, ſp. Vini tartariſatus, adjunctis ſimul externis, aliàs nihil efficientibus. In primis Emplaſtrum de cicuta de quo ſuprà tart. vitr. primas tenet modo præceſſerint mitiora aperientia, præſertim in ſcirrho inveterato.

(Tincturam ſpleneticam vide infra de calculo.) Fomentum pro Hypochondriis:

℞ Rad. althææ ℔ß, bryoniæ Cucum. agreſt. an. ℥iii, apii, petroſelini an. ℥ii, Cort. & rad. Capparum, Tamariſc. an ℥i, fol. hederæ, ſambuci an. Mii. Ceterach. Mj, ſem. agni caſti, abrotani an. ℥ß. fl. geniſtæ, Chamomillæ, melilot. an. p. jß. F. Decoctum.

℞ Ol. capparum, amygdalarum amararum an. ℥iß. Tartari ℥i. Gum. bdellii, ammoniaci diſſoluti in acet. ſcillitico an. ʒvi, Ceræ tantillum. F. linimentum.

Inveteratam plerumque diſſolvunt deobſtruentia hepatis, in primis quæ à Marte ſuppeditantur ſpecifica: ſpir. vitrioli hic multum prodeſt: acidulæ ejusmodi obſtructiones facilè tollunt.

Stirrhus Splenis,

In ſcirrho ſplenis dextrè curando, præſertim, ſi inveteratus fuerit, ſolers cura maximopere requiritur. Nihilominus, ſi quæ huic viſceri ſcirrhum paſſo convenientia adducenda ſunt, ante omnia ab initio acquirenda ſunt mitiora in primis aperientia. Tartarus vitriolatus inter omnia talia principes partes obtinet, cui ſuccenturiatur quaſi Vinum Martiale. It. pulvis Cachecticus, poſtremò omnium ſpir. vitrioli tartariſatus mirificè prodeſt. It. ſpir. V. tartariſatus. Hæc autem omnia parùm aut nihil proficient, niſi deinceps externa quoquè in ſubſidium eant.

Mirabile eſt Emplaſtrum de ſucco cicutæ & de ſucco Mandragoræ (ſuccus Mandragoræ ebur diſſolvit, hinc à Medicis recentioribus in uſum introductus) ſi utrique cum ammoniaco diſtemperati fuerint. Vide, quæ ſupra de ſcirrho hepatis dicta ſunt.

tranti, ut eſt aqua, imbui poteſt, ut non ſit mirum ſi potus ille morboſam illam intemperiem in lienem introduxerit. Atque hiſce omnibus cauſis varia ac penè innumera errata in omnibus ferè rebus non naturalibus, at præcipuè in alimentis improbis aſſumptis, in intempeſtivo, ac nimio motu corporeo, uſuque craſſioris aëris perpetrata adjicere teneor.

Quare ſi egregio patienti (ut pietas Chriſtiana ſuadet) eſt ſuccurrendum, oportet lienem & ventriculum calefacere, jecur refrigerare, prius tamen obſtructiones per attenuantia, ac detergentia, incidentiaque emendare, materiam impactam, præmiſſa emollitione diſcutere, ſed ante hæc iterum, atque iterum toti proſpicere eſt neceſſarium.

Verum quoniam ſcirrus exquiſitus, ut eſt ille, de quo interim agitur, materiis Medicis non cedit, quoniam pars laborans facultate regente, quæ eſt morborum medicatrix deſtituitur, ſcopos propoſitos attingere haud licebit, & eo magis quoniam plura viſcera ſunt malè affecta, ac tolerantia, quæ omnium ſignorum ſalubrium ſigillum exiſtit, quàm maximè deſideratur, quando vires totius corporis in dies magis ac magis languere videantur, quod & ætas egregii patientis inclinans permittit, Sed quoniam ipſe prudens, ac obſequens eſt, & morbus de genere eorum tractatur, qui etiam ſi non ſanentur, ægros tamen (ſi bene hi à Medicis tractentur) non interimunt, ſpero ſaltem futurum, ut à majori calamitate, hydropica nempe paſſione mox imminente præſervetur; quamprimum idcirco materiis præſidiorum eſt ipſi ſuccurrendum.

Si de chirurgicis igitur ſit cogitandum, nunc poſtquam affectus eſt ferè confirmatus, miſſionem ſanguinis ex partibus infernis, interim verò ex talo ſiniſtro per ſectam venam, Autumno futuro ex venis podicis per hyrudines applicitas probo; fonticulum etiam laudo in parte domeſtica femoris ſiniſtri geſtatum immiſſa pila cerea helleboro nigro, & Agarico referta; ſicuti & plures inuſtiones ad lienis regionem factas, veſicatoriaque adhibita non improbo, & eo magis ubi ulcera excitata diutius quàm fieri poterit aſſerventur.

Pharmaca reſpiciunt materiam tum in toto tum in parte determinata, necnon & viſcerum diſcraſias; Quapropter ſi de prioribus ſit ſermo, lenita alvo cum ſyrupo de polypodio Magiſtri Auguſtini vocato, & melle roſato ſolvente, quod ex ſuccis dicitur, præparatiſque humoribus decocto in jure columbi turrialis parato, betonicæ, lupulorum, fumariæ, boraginis, Citrac, Agrimonii, cicorii, & paſſularum, adjecto ſyrupo de cicorea compoſito, & biſantino cum aceto, vel oxymelle compoſito, deturbandi ultimo loco ſunt iidem humores infuſo Agarici, hellebori nigri cum ſyrupo de polypodio; poſt hæc denuo præparandi ſunt humores oxymelle facto cum decocto tamariſci, praſſii, cuſcutæ, corticum capparorum, hyſopi, calamintæ, cicorii, boraginis, radicum aperientium, liquiritiæ, vel Altheæ, ac pro purgante uſurpanda ſunt Catapocia ex helleboro, quinimmò & intervallis quibuſdam uſus alicujus purgantis placidioris mirificè proderit, quare ſyrupus de polypodio propoſitus, vinum cum ſena, & Cartamo, vel cum myrobalanis Indis, & chebulis medicatum, item & pulvis hellebori nigri præparati cum ſucco roſarum ter irroratus, ac in umbra exiccatus ad grana decem ex ovo ſorbili exhibitus arridet.

Sed huc referenda quoque ſunt, quæ inſenſibiliter evacuant, atque obſtructiones reſerant, jus ideo galli antiqui cum ſimplicibus jam dictis, china, & ſaſſafras alteratum, pilula ex Ammoniaco ante ſyrupum matutinum aſſumpta maximè convenit, præcipuè verò ſi Ammoniacus in aceto ſcillino diſſolvatur; vinũ etiam chalybeatum, itemque trochiſci de Agno Caſto Raſis, ac oxymel tum ſcillinum, tum ex decocto aſari cum aceto ſcillino paratum uſui eſſe poterunt; De vino autem ſtatuo, ut prius bulliat in duplici vaſe cum aqua ſcolopendrii, adjectis ſimplicibus ſpleneticis, cariophilis, ac cypero, in quo vino poſtmodum, de more, calybem immacerare oportebit, & aliquando in vino ita præparato helleborum, polypodium, & Cartamum pariter immacerare expediet.

Exteriùs ſtillicidia ex aqua lanarum, vel ex oleo ſem. lini, & rutaceo, vel ex decocto ſimplicium jam dictorum laudantur, potiſſimum verò quod ex oleo communi cum modico aquæ Ardentis, plantis ſpleneticis, radice cyclaminis, peucedani, hellebori utriuſque, liquiritiæ, malvarumque & colocyntide, facta ebullitione in duplici vaſe, paratur; A ſtillicidio adhibendum eſt vel Cataplaſma Oribaſii ex fermento acri in aceto diſſoluto, ac ad ſpiſſitudinem cocto, adjectoque pulvere thymi, pulegii, ſerpilli, & abſynthii, vel unguentum de Artanita Meſ. fotus quoque ex ſpongia madefacta in aceto decoctionis radicum filicis, & extinctionis lapidis pyritis igniti huc eſt referendus, à quo vel oleum ex radicibus cucumeris agreſtis, aut cyclaminis factum, vel unguentum, quod ex partibus æqualibus butyri rec. olei nardini, & ſucci radicis cyclaminis. ſiſimbriique aquatici conficitur, eſt uſurpandum; poſtremò & ceratum ex Oeſipo cum aliqua portione cerati Diapirites, vel Diachilon magnum cum gummis, adjecto Ammoniaco, ſuccoque tabacci, maximè efficax habetur.

Pro lienis autem alteratione conveniunt omnia celefacientia commemorata, ſolum etenim ad illius proportionem ſervandam addendus eſt pulvis lienis Aſini, vel Equuli.

Gratia verò ventriculi grana maſtiches devorata, aromaticum roſatum, & cariophylatum aſſumptum, ac ceratum ex maſtiche cum laudano, & Bezoino videntur accommodata.

Pro jecore demum nil præſtantius excogitari poteſt ſucco cicorii tum aſſumpto, tum adhibito.

Victus ratio jam per ſe viro Excellentiſſimo curanti cognita eſt; id autem ſemper conſtitutum habeat, ut cibaria in aqua calibeata coquantur, & vinum medicatum cum ſimplicibus ſpleneticis, vel calibeatum, aut etiam auratum offeratur; item ut alvus in proprio ſit officio, devorato pane in prima menſa ex tota farina cum pulvere tartari albi, fœniculis, ac paſſulis parato. Atque utinam hæc omnia in ſalutem egregii viri ſuccedant. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultation. Medicinalib.*

Tumor

Tumor inſignis Lienis.

Lienoſa eſt Nob. Virgo, cui ſeptem abhinc annis, poſt febres, lien manifeſtè intumeſcere cœpit, & modò in tantam molem excrevit, ut totius abdominis partem, non ſolùm epigaſtricam ſed & hypogaſtricam quoque obſederit; ſupereminet enim tum meſenterium, tum inteſtina, uterum & ventriculi partem, ac fere totum jecur; quod inſigne incrementum ſuſcepiſſe credendum, ob menſtruorum perfectam ſuppreſſionem, vigeſimum licet ætatis annum attigerit; ſuſpicandum enim naturam ſanguinem impuriorem à jecore, per ramum cœliacum, ad lienem ipſum effundere cœpiſſe, & temporis proceſſu vas illud laxius redditum, & valdè pervium, ſanguinem craſſum, fœculentum atquè melancholicum facilè admiſiſſe, ac in lienem ipſum transfudiſſe; nec hunc rurſus ad hepar, per ramum ſplenicum remeaſſe, propter ejuſdem obſtructionem; ideo lienis venæ repletæ, nec amplius novæ materiæ capaces, humorem eundem melancholicum, ſed naturalem, in ejuſdem corpus & parenchyma eructarunt; unde tumor in hanc magnitudinem ſuccrevit; qui tamen nondum ſcirrhus exquiſitus, ſed ſcirrhoſus dicendus, cum tactui quodammodò cedat, & potiſſimum doloris non ſit expers; præterquamquod, ſi ſcirrhus exquiſitus foret, propriam frigiditatem partibus circumſtantibus, & potiſſimum jecori impertiret, ſicque Pat. in cachexiam aut hydropem incidiſſet; & quidem multò promptius & facilius, ſi jecur unà cum liene tumorem eundem pateretur, ut à Conſanguineis hujus Patientis fuit dubitatum.

Affectus equidem graviſſimus, tum ob magnitudinem tumoris, tum quia jam inveteratus, & cauſam foventem difficulter removendam habet; unde imminentis hydropis periculum inſtat. Aliqua itaque hoc anni tempore hyemali ſunt agenda, ut ſaltem perniciosum hoc malum remoremur; utque accuratam curationem in vernum tempus differamus.

A nobis itaque præſtanda, cauſam potius antecedentem, quàm conjunctam ſpectabunt, ne ſcilicet tumor adaugeatur, neve jecur, hucuſque forſan obſtructum, intumeſcat atque induretur.

Ordine itaque executivo, ſumat primò pot. magiſt. ex manna clarif. inde, quinque dies, matutinis horis, hunc ſyr.

℞. oxymel. ſimpl. ℥ ii. ſ. aq. cinnam ℥ i. pollinis crem. tart. ʒ iii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Deinde ſumat hujuſmodi potionem.

℞. Pot. ex manna clarif. ℥ iv. ſyr. de polyp. ℥ iii. aq. flor. cit. par. m. f. p.

Qua peracta primarum viarum expiatione, ad aliquod medicamentum aperiens, deobſtruens & ſimul evacuans ſtatim deveniendum, ſyrup. ſcil. Fernel. à nobis præſcriptum, ad ℥ ii. alternis diebus, in vino albo non dulci diſſolvendum & exhibendum. Diebus verò intermediis bibat hoc præparans.

℞. Decoct. paratæ in aqua fabrorum, radic. cich. petroſelini, capparum, fol. agrim. cuſcutæ, aſplenii, ſcolopendrii & tamariſci ℥ vi. in qua diſſolve gr. x. tart. vitriol. & Pat. ſummo mane præbeatur ita alternatim perſiſtendo ad dies triginta vel quadraginta; quibus tranſactis ſumat ℥ vi. decoct. epith. Meſ.

His peractis, ſi poſſibile fuerit uteri viæ aperiendæ forent, aliquot dies, horis veſpertinis, præbendo pil. ex optimo aloë non lota, ad gr. x. ſequenti verò mane, epoto cyatho aq. ſtill. capil. Ven. artemiſiæ & matricariæ, in qua diſſoluta ſint grana ſalis ejuſdem artemiſiæ, aut gutt. ol. ſabinæ.

Interim ceratum totum lienem occupans erit applicandum, hac formula.

℞. diachyl. magni ireati ℥ iii. oxelæi ℥ ii. oeſypi ℥ i. m. & ref. ad ignem; addendo ſalis ammoniaci ℈i. ſucci herbæ reginæ ℥ i. ref. ceratum.

Toto autem hyemali tempore, in uſum ducat pulverem archangelicæ, ſive Urticæ maculoſæ Plinii, quæ habetur pro Lamio Dioſcoridis, ad ʒ ſ. in vino albo tamariſcato aſſumendum; quod ſi vinum, jejuno ventriculo, non conferat, diſſolvatur in jure tenui tamariſcato, aut in aqua ſtill. ſcolopendrii ſive aſplenii.

In victus ratione ſe bene gerat, & Medici aſſiſtentis præceptis obtemperet; neque enim exiguos errores ferre poteſt ſtatus ipſius Patientis. Comedat itaque frequenter capparcs, petroſelinum fœniculum, juſcula ſint petroſelino alterata. Vinum paucum, modicè generoſum, & tamariſcatum bibat. Abſtineat omnino à carne ſuilla, bubula, à piſcibus, à lactariis omnibus, à laganis, à leguminibus, à fructibus, exceptis piſtaciis; parùm bibat & multùm laboret, vitam mulieribus familiarem fugiat. Atque bis ſaltem menſe hujuſmodi medicamento utatur.

℞. pil. de tribus cum rhab. de hiera cum agarico an. ʒ ſ. magiſt. mechoac. gr. x. m. ref. pil. & aur. Quæ nunc agenda proponimus, ne in deterius ruat Nobiliſſima Virgo, præſtantiora & efficaciora, opportuniori tempore, proximo videlicet Vere præſcripturi. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. t. 1. Cent 3.*

Pro eadem, Conſultatio Secunda.

Cum Nobiliſſ. Virgo, ſeptem abhinc annis lienoſa, ex præſcriptis à nobis medicamentis præſervativis potius quàm curativis, anni quoque tempore frigido & incommodo adminiſtratis, levamen præter ſpem conſecuta fuerit, juremerito ſperare juvat iiſdem & aliis curativis efficacioribus, hoc Verno tempore purgationibus idoneo, fore ut ſalubres progreſſus ſuccedant, & in meliorem ſtatum Nobiliſſ. Virgo redigi poſſit.

In quem finem primò primarum viarum expiatio erit procuranda. Secundò jecur omnino reſerandum. Tertiò venoſum genus depurandum. Quartò lien aperientibus, attenuantibus, incidentibus, emollientibus & evacuantibus exhauriendum. Quintò uteri venas aperire tentandum. Et tandem viſcera roboranda. Quæ omnia accommodato ordine erunt adminiſtranda, hac ratione.

Prima intentio medicamentis jam alia conſultatione præſcriptis perficietur. Secunda uſu ſuccorum depur. hoc pacto.

℞. Succ. depur. cich. agrim. an. ℥ i. ſ. decoct. cich. borrag. malv. agrim. cuſcutæ, pe-

troſelini ℥ v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis, quinque diebus exhibendis; diebus verò intermediis aſſumat bolos hujuſmodi.

♃. extract. rhab. ℈ i. tart. vitriol. ℈ſ. flor. caſſ. q. ſ. m. f. bol. ii. quibus hora poſt ſuperbibat ſemicyathum aquæ agrim. In horum autem uſu ita alternatim pergendum ad quindecim dies. Verùm die tertia, aperiatur vena magis conſpicua ſiniſtri brachii, & ſanguis ad uncias ſex educatur, accuratè conſiderandus; quo tempore cauterium ſiniſtræ coxæ inuri poterit, niſi antehac inuſtum fuerit.

Quindecim verò exactis diebus, tertiæ intentioni ſatisfaciendum, ſanguinem tum in portæ ramis, tum in cava purificando, ſyr. Fernel. uſu ad ℥ ii. in vino albo, duodecim continuis diebus aſſumendo; quibus exactis, decoctio epithymi Meſ. erit præſcribenda. Inde ad quartam intentionem explendam erit progrediendum, hoc decocto.

♃. Salſæ parillæ electæ, ligni tamariſci an. ℥ i. medii cort. fraxini, ſalicis an. ℥ ſ. aq. fabror. fumar. an. ℔. i. ſ. m. f. inf. per horas 24. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, in fine ebull. adde folior. aſplenii, ſcolopendrii an. pug. i. bull. par. & colat. ſervetur pro duabus vicibus, matutino tempore aſſumenda; cui immiſceantur gutt. xii. ſpir. tart. ter rectif. cui decoctioni præmittantur bol. ita parandi.

♃. Terebinthinæ Cypr. lotæ in aqua malvarum ʒ ſ. trochiſc. de cappar. ℈i. ſalis ammon. gr. v. m. refor. bol. ante decoctionem exhibendi; in quorum uſu triginta vel quadraginta dies perſiſtendum; ſed decimo quoque die præbeantur boli.

♃. extracti veratri nig. ℈i. extracti ſennæ ʒ i. flor. caſſ. ℥ ſ. m. f. bol. quibus hora poſt ſuperbibat ſeri deſtill. vel aquæ hord. ℔. i. ſ. & tribus horis ab iis prandeat.

Poſtrema ſupereſt medica intentio implenda, quæ licet difficillima, negligenda tamen non eſt. Præbeatur itaque ſummo mane cyathus aquæ ſtill. Artemiſiæ & capill. Ven. cui immiſceantur gutt. iii. ol. Sabinæ, vel ejuſdem ſabinæ aquæ ſtill. ℥ i. præmiſſo bol. ita parato.

♃. trochiſc. de myrrha ℈ i. borracis mineralis ℈ ſ. ſucci matricariæ q. ſ. ref. bol. In his autem pergendum ſupra 20. dies; in quorum medio tundi poterit ſaphena pedis, parcè ſanguine educto, ad motum illi conciliandum.

Dum hæc omnia adminiſtrantur, externa medicamenta, emollientia præſertim, ſunt continuò applicanda; ut ceratum præterita conſultatione præſcriptum, & ſtillicidium tumenti lieni adhibitum, ex lotura pingui & oleoſa lanarum, modico aceto addito parandum. Verùm ut Nob. Pat. ad. Luta D. Bartholomæi ſe conferat omnino conſulimus, quindecim aut viginti dies, manè & veſperi admovenda; reliquo autem tempore ceratum jam dictum lieni appoſitum geſtet. Chalybis verò uſus erit in Autumnum differendus.

Victus rationem, paucis ſuperiori conſultatione à nobis præſcriptam, ſervet in omnibus, ut & cætera omnia prodeſſe & ſalutaria evadere poſſint. *Idem ibidem.*

Pro eadem, Conſultatio Tertia.

Repetitis curationibus Nobiliſſ. Virginem lienoſam integræ ſanitati non fuiſſe reſtitutam, nil mirum; quin potius admirari ſubit quod in pejus, verbo, in Hydropem prolapſa non fuerit, ob inſignem adeo & amplum tumorem, qui tamen remediorum ope, dimidia ſaltem parte obliteratus; reliqua verò mollior valdè obſervatur, & quidem non tactu ſolùm ſed & viſu. Sicut enim dum ſplen floreſcit, corpus contabeſcit; ita cum Virginis corpus quodammodo floreat, Lienem contabeſcere conjiciendum eſt. Jure igitur, tertia vice, idoneo hoc Verno tempore, opem noſtram medicam expoſcit, ut in meliorem ſtatum redigatur, & propius ad ſanitatem accedat, ſicque hydropem arceat, quam medicamentis non proficientibus minatur Hipp. oraculum.

In hunc itaque finem Medicæ noſtræ intentiones erunt 1º. primas vias expedire. Secundò emolliendo aperire. Tertiò humores emollitos evacuare. Quartò tumorem quoque laxare, & ſenſibiliter & inſenſibiliter cautè reſolvere. Quintò totum impuritate emundare. Tandem uteri vias aperire, & menſtrua provocare.

Pro prima itaque intentione, Leniens primò ex Manna clarif. & ſyr. de polyp. conveniens erit. Præparans inde ſit oxymel, cum polline crem. tart. aq. cinnam. irrorato; quinque verò exactis diebus, aſſumat ſyr. roſ. ſol. & de polyp. cum elect. lenit. Inde ad ulteriorem humorum præparationem deveniendum, ſyr. hujuſmodi.

♃. Succi depur. cich. borrag. agrim. an. ℥i. decoct. malv. lupul. fumariæ, ſcolopendrii ℥iv. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; cui præmittantur ℥ii. oxymel. ex florib. Geniſtæ parati. Secunda verò die aperiatur vena interna ſiniſtri brachii, educto ſanguine ad ℥ vi. & ſeptem poſt diebus præbeatur infuſ. agar. ſennæ, rhab. in aqua borrag. additis ſyr. roſ. ſol. & Diaphæn. ʒ ii. cui ſuccedat aquæ aut juris hordei potus ad ℔ i. ſiccitas enim in purgationibus prævertenda.

Et quoniam ab expertis medicamentis, aliàs utilibus, non eſt recedendum; melius enim eſt dicebat Avic. medicamentum expertum non experto. Ideo rurſus in uſum revocetur ſyr. Fernel. juxta noſtram deſcriptionem paratus, & more Ferneliano, in vino albo, tertio quoque die oblatus. Intermediis verò diebus, ſumatur jus Columbi, malva, foliis chamæd. ſcolopend. rad. cappar. alteratum, addita aceti ſquill. ℥ i. in quibus alternatim perſiſtat, ad 15. dies; quibus exactis aſſumat decoct. epith. Meſ. ℥ vi. cui pariter aquam, vel jus ex hordeo Pat. ſuperbibat.

His peractis, tumoris emollitio omni conatu, internis & externis molienda. Quare jus Galli anniculi ita præſcribendum.

♃. Salſæ elect. lign. Tamar. rad. Helen. an. ℥ i. radic. gent. cappar. an ℥ ſ. aq. ſtill. agrim. fumar. an. ℔. i. ſ. malvæ ℔ i. m. f. inf. per horas 24. deinde adde quartam partem Gall. & bulliant ad conſumpt. dimidii; colatura verò ſervetur pro tribus diebus, matutino tempore aſſumenda; cui præmittatur bolus

lus ex Terebinth. Cypria, ſucco raph. lota; cui addatur croci Martis aperitivi, cum acido ſulph. parati, granum; quorum uſui integro menſe inſiſtat; decimo tamen quoque die aſſumat hujuſmodi pilul.

♃. pilul. de trib. cum rhab. extr. ſennæ an. ℨſ. extr. Helleb. nig. ℈ i. m. refor. pilul. quatuor horis ante cibum aſſumendæ, à quibus pariter ebibat calycem, aq. hordeac. aut cich.

Externa quoque ſunt adminiſtranda; quoniam vero Luta D. Bartholomæi non parum profuere, ideo repetenda, appoſito ſtatim ab iis cerato, prima conſultatione deſcripto.

Interim menſtruorum provocatio internis & externis tentanda. In quem finem aſſumendus quotidie, matutino tempore, jejuno ventriculo, cyathus aq. ſtill. capill. Ven. & lil. alb. addita aq. Sabinæ ℥. i. Extrinsecùs verò inſeſſus in aq. ſulph. D. Helenæ, ſine tubulo, tempore quo luta adminiſtrabuntur, poterunt adhiberi, illita poſtea uteri regione ol. lil. alb. cum aromat.

His accedat congrua victus ratio jam propoſita; circa quam repetere liceat quod exercitia, & conſueti tantùm corporis motus non ſufficiunt, laborare enim oportet. *Idem ibidem.*

Conſultatio I.

De Tumore Scirrhoſo Lienis.

Comes Illuſtriſſimus ad me pervenit, de Lienis tumore conquerens, quem duobus abhinc annis, non ſine animi perturbatione aut applicatione geſtat; eundem non exiguæ molis, & perdurum manibus deprehendi, qui paulatim ſuccrevit, libera fovente vivendi ratione: non enim inflammationi, febribus, aliiſve hujuſmodi ſucceſſit affectibus, quamvis ſcirrhoſus tumor certo ſit, à craſſo ſanguine, facile exuſtis cruditatibus commiſto, productus: præcalida enim eſt ejuſdem jecoris intemperies, & liberam, atque incautam ſemper vitam duxit.

Purgationes conſuetas, & ne quidem minorativas, nedum eradicativas inivit: modo meo conſilio Purgationem hoc verno tempore, tanto malo neceſſariam aggredi decrevit, ne Scirrhus tumor perfectus evadat, ſicque tracto in conſenſum jecore, Cachexia, & tandem Hydrops accedat.

Medici itaque ſcopi erunt, primas vias & totum expurgare; deinde partem affectam emollientibus nonnihil calefacientibus & evacuantibus tractare.

Et à fonte Chirurgico iterata eſt deſumenda ſanguinis miſſio, ex Jecoraria dextera primum, deinde ex Salvatella ſiniſtra.

Ex fonte Pharmaceutico reliqua depromenda medica auxilia; & primò Leniens ex manclarificata, aut ex lenit. cum tartaro. Primum Præparans erit Julapium acet. ad ℥. iii. cortic. citri alteratum; quinque tranſactis diebus, repetatur præſcriptum Leniens. Deinde ulterior procuretur præparatio ſuccis depuratis cich. fumariæ, pomorum dulc. in decoct. Cichoraceorum, additis malva, lupulis & agrimonia. Septem tranſactis diebus, aſſumat Purgans ex infuſ. agarici, rhabarb. & ſenæ, addito ſyr. roſ. ſolutivo paratum, vel Electuarium lenit. & Caſſ. addita drachma pilul. de tribus. His peractis, opportuniſſimus erit uſus ſyrupi Fernelii duodecim vicibus aſſumendi in vino albo, ſed alternis diebus, ut diebus intermediis aſſumat cyathum aquarum agrimoniæ atque fumariæ, in quibus diſſolvantur tart. vitriol. gr. x. Interim Lieni Ceratum erit apponendum, ita parandum.

♃. Gummi Ammoniaci, in aceto diſſoluti, Cerati oxelæi an. unc. j. ſalis nitri ℨ. j. adipis anſeris, ſucci urticæ mortuæ an. ℨ. ß. m. & ad ignem cum cera q. ſ. reform. Ceratum Lieni apponendum. Hæc pauca præſcripſi, ut executioni mandentur, forſan enim plura omnino omitterentur; repeti namque debebunt medica auxilia, ut prorſus Lien ad naturalem ſtatum redigatur.

Interim victus ratio congrua erit ſervanda, adeo ut loca non inhabitet paludoſa. Abſtineat ab uſu carnis bubulæ, ſuillæ, leporinæ & anſerinæ; à volucribus lacuſtribus; a piſcibus cœnoſis & ſquamis carentibus, ſicut ab Oſtreaceis & à Conchyliis; à fructibus. Ex herbis, à lactuca & braſſica; ab omnibus leguminibus, hordeo, oriza & ciceribus rubris exceptis; à vinis craſſæ ſubſtantiæ, nimis generoſis & dulcibus, & ſit pro menſa Tamariſco medicatum. Somnus diurnus ſit brevis. Exercitium, imo labores, ſed ante cibum, non ſolum convenientes, ſed neceſſarii ſunt. Et ſemel aut bis in menſe aſſumat pilulam ex ſemidrach pilul. de tribus, & ſemiſcrup. Magiſt. Mechoac. compoſitam. Alacrique animo cum ſociis, ſed ſine compotationibus, vivat. *Idem T. 2. Cent 3.*

Conſultatio II.

Pro eodem

Inſignis tumor lienis dimidiam abdominis partem occupans, qui durus quidem, non ſine ſenſu, cum manibus tractatus & preſſus dolorem patiatur, primam originem habuit in Illuſtriſſ. Comite duodecim abhinc annis, dum duplici tertiana tunc temporis correptus, & curatus, in perfecte tamen fuit expurgatus, relicta enim in corpore excrementa, ſi non ſimilem priori febri recidivam excitarunt, ſaltem valetudinarium Comitem Illuſtriſſ. reliquerunt, & facile aliqua febricula detentum: immodice namque continuo ſitiebat, & pro ſiti ſedanda, indiſcriminatim aquam & vina cujuſcunque generis avide potabat; quare humiditates in corpore excrementitias redundantes ſuſcepit Lien. (ideo ab Hipp. fons aquæ dictus) & intumuit, quoniam facile cruditates quoque, quibus ætas illa tenella ſcatere ſolet, humiditatibus immiſtæ erant, unde obſtructiones non in vaſis ſolum, verum & in parenchymate, quæ earundem humiditatum depoſitionem & evacuationem impedientes, tumoris in ipſo liene cauſa fuerunt, non parum conſpirantibus excrementis à Medico non expurgatis, & in corpore relictis.

Delituit tumor per annos, ætatis & vegeti caloris ratione, nec ſuas vires exerere potuit

probo

probo namque totius corporis calore & convenienti nutritione potius, munera omnia, ut ſanus, perfectiſſime Pat. obivit, uſque ad Sereniſſ. Domini ſui obitum, quem adeo ægre tulit, ut mœrore confectus, paulo poſt acute febricitare coactus fuerit, à qua quidem febre medicis auxiliis liberatus fuit, aucto tamen & in tumorem non exiguum elevato liene, adeo ut ab illo tempore, quatuor nimirum abhinc annis, valetudinariam ſemper vitam duxerit, totiuſque color, roſeus antea, in pallidum & flavum mutatus fuerit, macies invaluerit, & verbo, liene ſemper magis florente, totum corpus contabuerit.

Lienoſus itaque factus & confirmatus eſt Illuſtriſſ. Comes, dum lien non quidem Scirrho exquiſito, ſed ſcirrhoſo tumore laborat; & ad ſcirrhum legitimum atque exquiſitum hucuſque perveniſſet, ſi ætas conſiſtens, & ad humoris atrabilaris generationem idonea fuiſſet. At quoniam adoleſcens, & cruditatibus potius producendis obnoxia, ideo ad tumorem hujuſmodi conſtituendum pituitoſam materiam à calore craſſefactam, longe magis, quam melancholicam conveniſſe certo credendum, unde potius à copia humorum replente, quàm à ſiccitate condenſante, aut frigiditate congelante tumorem factum fuiſſe credendum.

Verum quoniam in diuturno lienis tumore, neceſſario & jecur refrigeratur, atque in conſortium trahitur, ideo & viſcus hoc non adeo perfecte ſanguificare cœpit, ſicque craſſum & quodammodo exuſtum ſanguinem gignere, & in ſeipſo retinere incipiens, organicum quoque morbum, obſtructiones ſcilicet, pati cœpit, à quibus intercepto aliqua ex parte bilis, tum ad veſicam, tum ad ductum cholidocum tranſitu, bilis ipſa in eodem viſcere manens, & maſſam ſanguinis inquinans, ictericum Comitem Illuſtriſſ. reddebat; ſicut frequenter augebatur affectus à tumore lienis vaſa jam dicta comprimente.

Modo poſt varia & efficacia medicamenta adminiſtrata, tumoris moles nonnihil diminuta manu percipitur, adeo ut ad jecur comprimendum non amplius perveniat, mollior quoque, quam antea, reddita eſt, obſtructiones in jecore ex toto non adhuc ablatæ, licet & ipſæ imminutæ ſint; ideo præter hucuſque adminiſtrata aperientia, poſt præmiſſam totius convenientem expurgationem, in debellandis prorſus jecoris obſtructionibus, lieniſq; tumore minuendo adhuc inſiſtendum eſſe decerno, ut imminentem Hydropem arceamus.

Et ideo per integrum menſem, alternatim, Rhaponticum infuſum, & ſalem tart. vitriolati ut aſſumat conſulo: ſed ſingula hebdomada medicamentum & aperiens, & per alvum purgans familiare ſibi reddat. Et ſi res pro voto ſuccedat, aliis quindecim aut viginti poſt diebus ſalem tartari quotidie rurſus aſſumat, quorum omnium rectus uſus talis erit.

℞. Rhapont. opt. inc. ℥. ii. Aq. de ſucco cich. ℥. iv. de ſucco agrim. ℥. ii. m. f. infuſ. per integram noctem, & fiat colatura pro potu, cui addatur ſyrupi de ſucco lim. ℥. j. m. ſummo mane quatuor horis ante cibum. Pro ſequenti vero Die ℞. Idem rhapont. in prægreſſa infuſione relictum, juris pullæ tenuis, endivia & galiopſi alterati ℥. vi. m. f. infuſio per integram noctem, & in colatura diſſolve ſalis tart. vitrol. ℈. j. m. pro potu. Sequenti vero die, nova repetatur infuſio novo rhapontico, ut ſupra, & ita pergat integro menſe. Purgans autem ſingula hebdomada aſſumendum erit.

℞. Pilul. de trib. cum rhabarb. ʒ. j. Magiſt. Mechoac. gr. viii. m. reform. pilulæ tribus horis ante prandium aſſumendæ. Menſe peracto, eadem doſi ſal tartari erit exhibendus, quinimo & uſque ad ſemidrachmam aſcendi poterit; quo tempore de horum medicamentorum effectibus certior fieri deſiderabo. Interim toto hoc tempore Diachilon magnum, oxelæum, & de ammoniaco, aceto diſſoluto Ceratum regione lienis ſemper erit geſtandum, congruaque, convenienti atque cauta vivendi ratione utendum.

Et primò fugiat aërem nubiloſum, ventoſum. Summo mane domo non exeat, & aërem nocturnum caveat. Secundò, inter carnes prohibentur, ſuillæ, bubulæ, agninæ, annoſæ omnes & pingues, paluſtres & aquaticæ. Inter piſces, fere omnes prohibentur, exceptis ſaxatilibus, Carpionibus & Troctis junioribus. Legumina omnia infenſa, ita lactaria omnia, excepto exiguo butyro pro condimento. Ab omnibus eduliis paſta paratis abſtineat; ab omnibus pariter fructibus, piſtaciis & amygdalis exceptis. Oleorum uſus nocebit, exceptis fœniculo, apio, capparibus, cæpis coctis, radicibus cichorii & petroſelini ſimul coctis, & pro acetario conditis. Panis ſit bene coctus & fermentatus. Vinum album tamariſco medicatum, ad ℥. iii. pro unaquaque ſitula: quinimo in vaſe è ligno Tamariſci parato detineatur. Pro ciborum condimentis conceditur allium, cæpa, acetum: nonnunquam & ſuccus limonum. Inter aromata piper ruditer contuſum, cinnamomum: præterea pulegium, thymus, ſatureja, & hujuſmodi alia; & frequenter aliquot amygdalas amaras jejuno ventriculo comedat: vel ſaltem abſynthii ad ℈. j. aſſumat. Tertiò, Somnus nocturnus coctionibus magnopere prodeſt. Quartò, Exercitium omnino neceſſarium, mane tamen ante cibum, & horis veſpertinis, quod potius ad laborem vergat: ſolo enim exercitio & abſtinentia à potu nonnulli ſanitati reſtituti fuere. Quintò, Coitus omnino arcendus, & bis in menſe pilulis ſupra propoſitis, excrementorum apparatus erit extraducendus, quibus addi poterit Extracti ſenæ ʒ. j. Tandem alacri & confidenti animo vivat: conſortia genialia quærat, citra tamen comeſſationes & compotationes. Hæcque ſunt pro hoc hyemali tempore ab Illuſtriſſimo Comite obſervanda, ut meliorem ſtatum acquirat, & ad meliorem adhuc ſibi comparandum viam pro venturo verno tempore ſternat. *Idem ibidem.*

Conſultatio II

Pro eodem.

Jam diu lienoſus Comes Illuſtriſſimus durum quidem, ſed ſenſui manifeſtum tumorem in liene habens, & ideo ſcirrhoſum, non autem Scirrhum, plura proxime præteritis annis, & in-

interna, & externa medicamenta, attenuantia, aperientia, emollientia, nunquam tamen vehementer reſolventia, & appoſuit, & aſſumpſit; à quibus niſi juvamentum recepiſſet, in Hydropem jam incidiſſet, aſſerente Hipp. quod Spleneticis, quibus Pharmacorum potiones nihil proficiunt, is morbus in hydropem degenerat: ſubdit vero quod quibus proficiunt, diuturna quidem eſt affectio, ſed non lethalis; profuerunt igitur ideo medicamenta, etiam ſine exacta vivendi ratione, ut non ſolum tumoris augmentum, & intenſive, & extenſive inhibuerint, verum & eundem & intenſive, & extenſive imminuerint: ſiquidem & ipſius moles minor & renitentia mollior facta eſt; idcirco ſumma cum ratione Iuvenis Illuſtriſſ. adminiſtrata remedia quæ iuverunt repetita ſanare poſſe ſperat; & propterea rurſus congruo hoc anni tempore verno pro Curatione ineunda ad me confugit, promittens ſe in vivendi ratione obſequentiorem, quam antea, ut evidentius etiam, quam antea, ex medicamentis iuvamen conſequatur.

Dum igitur modo abdomen manibus tractavi, lienis, ut dixi, molem minorem & molliorem deprehendi. Verum ſicut anno elapſo obſtructiones in cava jecoris aderant, quæ ictericum reddiderunt Co. Illuſtriſſ. ita adhuc earumdem reliquias ſervari cenſeo: quæ quamvis tactu percipi non poſſint, cum in cava jecoris parte lateant, attamen & dolor quo afficitur equitando, & univerſalis ſubſecuta ſcabies à vitioſo ſanguine procedens, & morbo in intemperie, & inſtrumentali jecur affectum eſſe confirmant: nec mirum, cum facile à liene per venam ſplenicam jecur in conſenſum trahatur, Et ut quidpiam rurſus de natura tumoris attingam, cum aut ab utriſque miſtis fieri poſſit, in caſu noſtro miſtionem quidem non excludo, ſed pituitoſum humorem alios ſuperare credo, ex Hipp. diuturno jam præterito tempore, & color totius pravus continuo redditus eſſet, & ulcus aliquod malum in cruribus apparuiſſet, & os graveolens obſervatum, & gracilior evaſiſſet, & ſplen eodem modo & durus, & magnus ſervatus fuiſſet: ſicut cum pituitoſus eſt tumor ipſe, hujuſmodi mala non accedunt, tumorque minor & mollior reddi poteſt, ſicut redditus eſt; cujus generationi non levem occaſionem præbuit præterita libera vivendi ratio, necnon in aëre craſſo & paludoſo commoratio, & aquarum lacuſtrium impuritas; bilioſum autem humorem ſubminiſtrare potuerunt ætas ipſa iuvenilis, jecoris temperamentum calidum & ſiccum, promiſcua ciborum & condimentorum comeſtio, atque forſan vinorum dulcium conſueta potatio.

Quibus paucis prælibatis, Curatio eſt confidenter à nobis inſtituenda ut Illuſtriſſimus Co. ad ſanitatem propius accedat, pro qua ordo talis requiritur, ut primæ viæ prius expientur. Deinde jecoris obſtructiones reſerentur. Tertiò ut ſanguinis maſſa purificetur. Quartò ut moles lienis & mollior, & minor reddatur.

Pro quibus intentionibus exequendis, remedia ordine executivo proponam.

Sic primò ℞. Syr. roſ. ſolut. ℥. iiij. aut pot. ex man. clarif. ℥iij. aq. florum citri parum, m. f. potio quatuor horis ante prandium aſſumenda. Quinque ſequentibus diebus

℞. Iulap. acet. ℥. ii. ß. aq. florum citri ℥. j. aq. cinnam. ℥. ß. m. pro aliis. Inde repetatur ſupraſcripta potio;

Vel ℞. Elect. lenit. ℥. j. cremor. tart. ʒ. ij. m. f. boli. Mox ſeptem ſequentibus diebus aſſumat.

℞. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. borag. agrim. an. ℥. j. tart. vitriol gr. x. aq. ſtillat. cich. agrim. an. ℥. ii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; Et ſi pro aquis libentius eligat jus pullæ tenue, altereturcichorio, agrim. endiv. cuſcuta & malvis.

Secundo verò die dictorum ſuccorum, aperiatur Jecoraria dexteri brachii, Medico Excellentiſſ. præſente, & educatur ſanguis, qui non excedat pondus ℥. vi. ſed quantitas ſit minor, ſi tenuis & ſeroſus apparuerit: educitur enim ſanguis non ratione tumoris lienis, ſed ratione calidioris jecoris & vitioſi ſanguinis, ſcabiem quoque inducentis; ideoque monebat Aëtius, quod in liene indurato curando obſervari debeat Ægri univerſum corpus frigidiuſne ſit, an vero calidius. Septem vero tranſactis diebus

℞. Flor. caſſ. rec. extractæ, elect. lenit. an. ℥. ß. pilul. de trib. cum rhab. ʒ. j. m. f. boli. quibus poſt horam ſuperbibat jus pullæ hordeo alteratum, & tribus horis ab aſſumpto jure prandeat Et quoniam non adhuc jecoris obſtructiones ſatis apertas fore cenſeo, ideo repetatur

℞. Aq. ſtillat. cich. agrim. aſparag. ana. ℥. ii. ſyr. de cich. cum rhabarb. Biſant. cum aceto ℥. ß. ſpirit. tart. ter rectif. gutt. x. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem; à quibus

℞. Floris caſſ. ʒ. vii. electuar. de ſucco roſarum ʒ. iii. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat jus pullæ hordeo aut malvis alteratum, duabus horis ab aſſumpto jure prandeat. Hinc ad lienem convertatur Curatio ita

℞ Succi depur. & per arenam trajecti fumar. unc. ii. decoct. in jure pullæ paratæ cortic. radic. cappar. tamariſci, ſcolopendrii, agrim. polypod. ſenæ ℥. v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem; quibus aſſumptis.

℞. Floris caſſ. rec. extr. ʒ. vi. Extracti ſenæ ʒ. j. Extracti veratri ʒß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat jus pullæ malva alteratum ad lib. ii. & tribus horis ab aſſumpto jure prandeat; vel potu.

℞. Decoct. Epit. Meſ. ℥. ii. aq. florum citri parum, m. f. potio; cui pariter, evacuatione incepta, ſuperbibat ſupradictum jus.

His peractis, vinum chalybeatum ita paretur

℞. Vini albi opt. lib. x. limaturæ chalyb. prius aceto lotæ, lib. j. ligni tamariſci inciſi ℥ ii. cortic. radic. cappar. ℥. j. ponantur in vaſe vitreo, & in hypocauſto detineatur per hebdomadam, ſæpe agitando, cujus doſis erit ad ℥. v. quotidie ſummo mane; efficacius autem medicamentum reddi poterit, ſi præmittatur hujuſmodi bolus.

℞. Trochiſc. de cappar. ℈. j. ſalis Martis gr. iii. cum ſucco fumar. reform. bolus, & aur. in cujus uſu xv. & xx. diebus erit perſeverandum; quo tempore ſeipſum conferat Illuſtriſſ. Co. ad luta noſtra Patavina D. Bartholomæi, pro tumoris emollitione atque reſolutione. Interim Ceratum apponat, ita parandum.

℞. Ammon. pinguis aceto diſſol. unc. j. deinde adde diachil. cum pingued. ℥. j. ſpirit. vini

vini unc. ß. m. bull. ad conſumpt. ſpiritus & aceti, deinde adde floris ſalis unc. ß. pulv. cyclam. nicotianæ an. ℥. ii. m. reform. Ceratum, lieni apponendum; & tunc Avicennam ſecutus, de lacte quoque aſinino exhibendo cogitabo, quod materiam tophaceam emollire atque diſſolvere aſſeruit quoque Galenus.

Et quoniam ſcabies infeſtare poteſt, atque vigilias excitare, ideo ad evitandas moleſtas inunctiones, paretur talis aqua.

℞. Vitrioli Rom. ad albedinem calcinati unc. ii. aq. roſ. ſcabioſæ, plantag. an. lib. ß. m. f. infuſio per horas xxiv. deinde coletur, & ſervetur ad uſum, & ſpongiola hac aqua madefacta mane & veſperi corpus illiniatur.

Quibus, ut neceſſariſſima eſt addenda congrua vivendi ratio. Et primo aër craſſus & paludoſus data opera evitandus, præſertim Æſtate & Autumno. Secundo Victus debet eſſe qualitate attenuans, quantitate mediocris. Panis ſit ſalitus, bene coctus & fermentatus. Vitentur carnes annoſæ, pingues, præſertim ſuillæ, agninæ, ſalitæ. Piſces pariter cœnoſi, paluſtres, ut Tinca, Anguilla, & hujuſmodi alii. Inter lactaria, omnino caſeus vitetur; edulia omnia ex paſta parata; omnia legumina, hordeo & oriza exceptis. Inter olera, conceduntur borago, cichorium, beta: progreſſu lupuli, aſparagi cum aceto, fœniculum, apium. Fructus omnes, ut noxii damnantur: minoris autem momenti ſunt fraga, & parcus melonis, uſus ſaccharo conditi; inter Bellaria concedi tamen poſſunt amygdalæ recentes & piſtacia. Condimenta conceduntur aceti, petroſelini, apii, fœniculi & aromatum quoque, ſed parce. Vinum moderate bibendum, chalybeatum & tamariſcatum, Æſtate aqua quidem, ſed nunquam nive refrigeratum. Tertiò Somnus diuturnus ſit, ſed nocturnus, quo deficiente, ſuppleat diurnus. Quartò plurimum ſpei reponit Aët. in exercitio, adeo ut ſolis deambulationibus & curſibus aliquos ſe vidiſſe ſanatos affirmet: commendat quoque equitationes: quies enim, dicebat Celſus, hoc vitium fovet & auget; labores autem jubebat Hipp. ante cibum. Alvus Æſtate electuario lenit. Hyeme verò pil. de tribus cum Extracto Vesenæ ſemel aut bis in menſe ſolicitanda, & Venus omninò deſerenda; aut ſaltem rariſſime amplexanda. Et tandem animi paſſiones & perturbationes arcendæ, & alacres conſocietates, ſed ſine compotationibus & comeſſationibus procurandæ. Hæcque pro meliori ſtatu Co. Illuſtriſ. cui ſicut omnia bona debentur, ita perfectam ſanitatem à Deo Opt. enixe precor. *Idem ibidem*

Conſultatio IV.

Pro eodem.

Tumorem ſcirrhoſum in liene Illuſtriſſimi Comitis hoc Vere proxime præterito tractavi, & medicamentis emollientibus, modice calorificis aperientibus, nec non evacuantibus imminuere tentavi, quod equidem ſi non ex toto, aliqua ex parte pro voto ſucceſſit, dum tumoris circumferentia minor & renitentia ejuſdem mollior reddita eſt, quinimo moles ejus antea pluribus in locis indolens & inſenſibilis, dolens atque ſenſibilis eſt facta. Et quamvis præcalido hepati in remediis adminiſtrandis ſemper proſpectum fuerit non ſolum moderate calefacientibus, verum & aperientibus, quam citiſſime & ventriculum, & jecur permeantibus, aliqua tamen caloris impreſſio copioſioris bilis proventum induxit, quæ cum ſanguine per venam cavam ad cor delata, indeque per arteriam magnam ad univerſum corpus diſtributa, illud ictericum reddidit, cum tamen Icteritia Lienoſis familiaris: unde dicebat Gal. quod quibus lien augetur, corpus minuitur, cacochymum redditur, & regio morbo ſæpe laborat: Icteritia autem poſtea remiſſa eſt ejuſdem bilis electiva eductione, & aliqua fervoris jecoris contemperatione, quam tentare cum Hipp. lacte aſinino auſi ſumus, quod admittere noluit bilis præſentia.

Verum quoniam tumor inſignis magnitudinis & renitentiæ conſiderabilis ſolis Purgationibus ſemel aut bis in anno peractis, ſi remitti, non tamen auferri, vel ſaltem novum augmentum inhiberi poteſt; ideo perſeveranti affectioni perſeverans quoque, atque continua curatio & præſervatio debetur, quæ depromenda erit à congruo & convenienti ſex rerum non naturalium uſu, necnon ab aliquo leni & familiari elective purgante medicamento, toto anni curſu frequenter uſurpando, ut mox Autumno proximo leni adhuc prægreſſâ corporis expiatione, quotidiano, aliquo diuretico medicamento per menſem exhibito, lienoſi tumoris major adhuc imminutio obtineatur.

Peractis igitur quatuor hiſce diebus rhabarb. infuſionem in jure endivia alterato aſſumit Illuſtriſſ. Comes, jecoris ejuſdem fervor quodammodo erit tepefaciendus, præbendo ſeminum melonum Emulſionem in jure pullæ paratam, addita uncia ſyrupi de ſucco limonum, aut ejus loco, ſucco endiviæ depurato ad unc. iii. in eodem jure Pullæ diſſoluto, addito limonum ſucco, idque continuato octiduo. Mox vacandum ab omni opere medico, ſed nunquam congrua vivendi ratio deſerenda.

Et primo loco paludoſa, æſtivô præſertim, & autumnali tempore, non incolat, ſi fieri poſſit, & crepuſcula, tum matutina, tum veſpertina effugiat. Secundò inter carnes, abſtineat omnino à ſuillis, aprinis & leporinis, bubulis. Inter piſces, eligat ſaxatiles, ut Tructas, Carpiones, neque Bulberes mali. Edulia, ex paſta parata, ſicut lactaria omnia mala, concedi tamen poteſt reſiduum ab extracto caſeo & butyro (vulgo Puina recens dictum) Legumina prorſus mala, excepto jure cicerum rubeorum. Inter herbas, conceditur borago, petroſelinum, apium, fœniculum, menthaſtrum, orminum; Condimentum allii & cæparum, imo & cæpa cocta in Acetariis ſicut & cappares. Inter fructus, Pepones conceduntur, optimi ſaporis, à Sole bene concocti, ut qui durities ſcirrhoſas emollire, & quodammodo detergendo, urinas quoque movere valeant; Piſtacia quoque conceduntur. Condiantur cibi aromatibus quidem, ſed moderate, cinnamomo nempe & pipere ruditer contuſo. Acetum in condimentis libenter conceditur, in vaſe Tamariſci ſervatum. Vinum ſit album, tenue, maturum, non dulce, non acidum & tamariſco medicatum. Tertiò Somnus nocturnus diuturnus eſſe poteſt, diurnus brevis. Quartò Exercitium, etiam immodicum, opportune tamen factum, magnam partem obtinet in hujus mali de-

deſtructione, ſive deambulando, ſive equitando, ſive in rheda longum iter faciendo, ut autem opportunum ſit, jejuno ventriculo fiat. Quinto Evacuationes peccantis humoris ſolicitandæ, decimo quoq; die aſſumendo bolos ita paratos.

℞. Extracti ſenæ, Extracti polypod. elect. lenitivi an. ʒ. j. Extracti rhabarb. ℈. j. m. reform. boli: ait enim Hipp. Splenicum purgabis modico ingeſto, multum educente; quibus poſt horam ſuperbibat jus tenue hordeo vel malvis alteratum, & duabus tranſactis horis ab aſſumpto jure prandeat. Venus autem omnino ablegenda, imo ut pollutiones nocturnæ arceantur, talis inunctio erit conveniens.

℞. Vng. roſati Meſ. Infrigid. G. l. popul. ſantal. ſucci ſempervivi, majoranæ an. unc. j. m. reform. in mortario plumbeo, pro renum inunctione, ſuperponendo folia vitis, vel folia nymphææ, antea aqua frigida lota: ita enim contemperari poterit renum fervor ex cingulo plurium annorum contractus, & eorundem laxitas corrigi. Sexto ſtudiis & applicationibus nonniſi ventriculo vacuo eſt incumbendum, & curæ, quantum fieri poteſt, ablegandæ, geniales Conſocietates procurandæ. Autumnalis Purgatio ita exequi poterit, primo ſumendo pot. ex man. clariſ. unc. vi. exigua addita aqua florum citri, quatuor horis ante prandium. Inde quinque ſequentibus diebus matutino tempore aſſumat.

℞. Iulap. acet. unc. ii. aq. flor. citri unc. j. aq. cinnam. cochlear. j. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Repetatur deinde potio ita paranda.

℞. Syr. de polypod. ℥ iii. roſati ſolut. unc. iii. clariſ. deinde adde aquæ florum citri cochlear. j. m. Mox ſeptem ſequentibus diebus ſyrupum hujuſmodi quotidie ſumat.

℞. Oxymel. comp. ſyr. Biſan. cum aceto, ſyr. de cich. cum rhab. an. unc. ß. decoct. malv. ſcolop. tamariſci, cort. radic. cappar. radic. apii unc. v. tart. vitri, ol. cgr. x. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis. Hoc tempore, ſi Icteritia forſan reverteretur, Salvatella dextera aperiri poterit, quatuor aut quinque ſanguinis uncias educendo; ſicut ſi ad plumbeum colorem vergeret, aperienda eſſet ſiniſtra loco dexteræ. Septem tranſactis diebus, aſſumat

℞. Decoct. epith. Meſues clariſ. unc. v. & tribus poſt horis ſuperbibat juris hordeac. libram, & duabus horis ab aſſumpto jure prandeat; vel.

℞. Extracti ſenæ ʒ. j. Extracti veratri nigri ʒ. ß. Extracti de rhab. ℈. i. m. f. boli: erit enim medicamentum forte debile, ut dicebat Avic. & fortiora ſine moleſtia tolerat lien.

Tandem ad Diureticorum uſum erit deveniendum, cum facilis ſit in Comite Illuſtriſſ. aditus ad urinam, ad quam conſpirat quoque anni tempus, & per quam alii quoque Lienoſi ſponte à natura expurgati & liberati fuere; parentur itaque boli ii. ita.

℞. Terebinth. noſtræ in aqua raphani lotæ ʒ. j. ſalis tart. fixi gr. x. ſalis ammon. gr. iiii. m. reform. boli n. ii. & aur. quibus ſuperbibat jus pulli junioris, alteratum foliis ſcolop. tamariſci, radice cich. apii, fœnic. cappar. petroſel. ad unc. vi. In hujus autem uſu perſeveret integro menſe; & decimo quoque die aſſumat bolos in præſervatione ſupra deſcriptos.

Ceratum jam à me præſcriptum atque paratum mutetur, & ſemper congrua victus ratio ſuperius deſcripta, ſervetur, ut Illuſtriſſimus Comes ad ſanitatem optatam, & à me ex corde expetitam atque tentatam propius accedat. *Idem ibidem.*

Conſultatio V.

Pro eodem.

Lienoſus Illuſtriſſimus Com. multis abhinc annis, qui repetitis validis & appropriatis Purgationibus à tumore ejuſdem partis ſcirrholo nunquam vindicari potuit, quamvis tumor ipſe non parum imminui viſus fuerit, adeo ut anno proxime præterito habitus ejus multo, quam antea, carnoſior, totiuſque color floridior factus fuerit, imminuti lienis teſtimonium verax, dum Hipp. tradidit, quod dum lien floret, totum corpus contabeſcit, & è contra. Verum quoniam Pat. Illuſtriſſ non minus corporis, quam animi delicatioris, deliciis libenter indulſit, ut ex quatuor anteactis Conſultationibus, pro eodem à me habitis, facile elici poteſt, in quibus de eodem crimine ſemper accuſatur, addito quoque incolatu & permanentia in Vrbe, aerem lacuſtrem ſpirante, hinc factum fuit ut congeſta in toto excrementorum moles, fermentata ac putrefacta, Autumno præterito febrem continuam tertianam duplicem excitaverit, quæ quidem auxiliis medicis ceſſit, ſed lienis tumorem extempore magnopere adauxit, dum natura per venoſum & arterioſum genus omnis generis excrementa ad partem illam imbecilliorem & antea affectam depoſuit, qua ſecuta metaſtaſi, ceſſavit febris, & lien intumuit. His acceſſit quoque flavus totius color, qui eidem Comiti etiam ſuperioribus annis valde familiaris fuit, tum propter obſtructiones, jecoris cavam occupantes, tum propter biliarii ductus compreſſionem, à lienis mole procedentem. Et quamvis plura fuerint adminiſtrata remedia aperientia, utramque bilem educentia, quæ à me præſcripta, & in patrio ſolo adminiſtrata fuere, exiguum tamen juvamen tulerunt; ut propterea Patavium rurſus hoc verno tempore accedere decreverit. Convenimus igitur Medici tres, cum in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, & abdomine manibus tractato, invenimus tumorem in liene inſignis circumferentiæ & intumeſcentiæ, ad oſſa Ilii & Pubis inferius ſeſe extendentem, & ad latera dimidiam etiam hypochondrii ſiniſtri regionem occupantem, in ſitu lienis durum & fere indolentem, non autem adeo durum & cum dolore in circumferentia. Præterea profundas obſtructiones obſervavimus quoque in hepate ipſo, permanente fœdo icterico colore in toto. Quare inita fuit & repetita Conſultatio de agendis, ſequenti ordine propoſitis & adminiſtratis. Primum Leniens fuit.

℞. Pot. ex man. clariſ. unc. v. aq. cinnam. parum, m. f. potio. Primum Præparans.

℞. Julap. acet. unc. iii. aq. florum citri, cinnam. an. unc. ß. pro una vice, & ſic pro aliis quatuor. Mox repetitum Leniens.

℞. Pot. ſolutivæ magiſtr. unc. v. addendo infuſioni conſuetæ rhab. opt. ʒ. i. ß. aq. florum citri, cinnam. an. unc. ß. m. pro potu, cui ſu-

perbibat jus pullæ ſimplex, aut hordeo alteratum. Inde ad ulteriora Præparantia devenimus, ita præſcripta.

♃. Succi depur. cich. borag. fumar. an. unc. i. ſalis tart. fixi gr. x. decoct. fol. endiv. beton. petroſel. unc. iii. m. pro una vice, & ſic pro ſex aliis. Secunda vero die dictorum Præparantium extractus fuit ſanguis ad unc. vi. ex Jecoraria dextera, ab initio nigricans, progreſſu vero floridus. Interim vinum Aperientibus & Attenuantibus pro menſa medicatum ita præſcriptum fuit.

♃. Salſæ parillæ. unc. iiii. ligni tamariſci unc. vi. m. pro duabus vini ſitulis. Secutâ præſcripta præparatione, tale Purgans aſſumpſit

♃. Pot. ſolut. magiſtr. unc. v. addendo infuſioni conſuetæ fol. ſenæ, rhab. el. an. ʒ. ii. aq. florum citri unc. ß m. f. potio, jure pullæ tenui ſuperepoto. Mox in Aperientibus inſiſtendo, præſcriptum fuit

♃. Decoct. cich. borag. fumar. agrim. lupulorum, ſcolopend. unc. v. Aperientis circulati ʒ. ß. m. pro una vice, & ſic pro quatuor aliis. Et tertio quoque die ſumpſit Purgans

♃. Extracti ſenæ, rhab. an. ℈. i. m. f. pilulæ n. ii. pro una vice, & ſic pro aliis. Interim tumorem lienis quotidie perfricandum eſſe juſſimus, manibus tali inunctione illinitis.

♃. Ol. cyclam. capp. amygdalarum amar. an. unc. i. m. Hinc ad ulteriora Aperientia & Purgantia devenimus.

℞. Decoct. cich. borag. fumar. agrim. lupulorum, ſcolopend. unc. v. ſalis tart. volatiliz. ʒ. ß. m. pro una vice, & ſic pro tribus aliis, tertio quoque die; Intermediis vero diebus minorativum Purgans fuit ita præſcriptum.

℞. Extracti ſenæ ℈. i. pilul. Paracelſi gr. xv. m. f. pilulæ duæ, & aurentur. Inde alia Aperientia validiora ita præſcripta fuere

♃. Decoct. ſupraſcriptæ unc. v. ſalis tamariſci gr. x. Aquilæ cœleſtis gr. v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; in quorum intermedio aſſumpſit pilulas Paracelſicas.

♃. Extracti ſenæ ℈. j. pilul. Paracelſi gr. xv. m. f. pilulæ ii. & aurentur. Et tandem tale Purgans.

♃. Decoctionis Epith. Meſ. pot. ex man. clarif. an. unc. iii. aq. florum citri parum, m. f. potio.

Et quoniam jam dicta omnia incaſſum adminiſtrata fuiſſe obſervavimus, ad uſum ſyrupi Ferneliani cum aliis Attenuantibus & Aperientibus deveniendum eſſe conſuluimus; ſed anteà aperta fuit vena ſiniſtra, & modicus extractus ſanguis ſubſtantiæ ſolidæ atque floridus. Inde præſcriptum fuit.

♃. Decoct. cich. fumar. aſplenii, ſcolopend. unc. v. oxymel. ſquillit. unc. tart, vitriol. gr. x. m. pro una vice, & ſic pro quinque aliis, tertio quoque die; intermediis vero diebus.

♃. Syr. Fernel. unc. ii. diſſolvatur in vino albo, & ſummo mane aſſumatur. Hinc ad majora Attenuantia & Aperientia interna, atque Emollientia externa deveniendum eſſe cenſuimus, nimirum ad luta D. Bartholomæi, utpote valide emollientia, apponenda, & eodem tempore præſcriptum fuit Decoctum ſplenicum attenuans & aperiens hunc in modum.

℞. Salſæ parillæ el. inciſæ, radicis ligni tamariſci inciſi an. unc. i. aq. ſtillat. cich. lib. ii. agrim. lib. i. ſucci limon. unc. i. m. f. inf. S. A. per hor. xxiiij. bulliant ad conſumpt. dim. & in media ebullitione adde radic. althææ ℥ß. poſtea f. colatura, & ſervetur pro duabus vicibus ſummo mane aſſumenda, cui præmittantur hujuſmodi boli.

℞. Terebinth. Cypræ ʒ. j. croci Martis aperitivi gr. vi. m. reform. boli n. iiii. pro duabus vicibus; in quorum uſu viginti diebus perſeveravit, & in intermedio hujuſmodi Purgans aſſumpſit.

♃. Pot. ſolut. magiſtr. ℥. v. addendo infuſioni conſuetæ polypod. querc. ℥. ß. radic. hellebori nigri præpar. ʒ. ii. aq. cinnam. cochlear j. m. f. potio, cui ſuperbibat jus pullæ.

Quæ omnia licet parum, aut nihil hucuſque profecerint; nihilominus dura provincia deſerenda non eſt, ut ad meliorem ſtatum ducatur Illuſtriſſ. Co. & imminens Hydrops totis viribus arceatur; in quem finem in Emollientibus, Aperientibus & Reſolventibus inſiſtendum. Et quoniam emollientia primum locum expoſtulare videntur, idcirco parumper ab Aperientibus & Digerentibus deſiſtendum, & Emollientia majora, tum intrinſecus, tum extrinſecus ſunt eligenda. Intrinſecus lac aſininum efficaciſſimum erit Emolliens, cum tantum in ſe contineat unctuoſitatem, quæ quidem emollire poterit, at tumori craſſam & viſcidam materiam addere non valebit; quare præmiſſo ſequenti medicamento evacuante deſcripto, lactis uſus de more cum ſaccharo ad triginta dies uſurpandus erit. Potion. ex man. clarif. unc. v. addendo infuſioni conſuetæ polypod. querc. ʒ. iii. radic. veratri nigri præpar. ß j. aq. florum citri parum, f. potio, cui ſuperbibat jus hordeac. vel aquam, cum ſerum reſpuat Pat. Illuſtriſſimus. Decimo quoque die, dum lac aſſumit, aliquo minorativo medicamento purgante utendum erit, quale eſſe poterit illud à Paracelſo compoſitum, quod continet Extracta diagrydii. helleb. nigri, & colocynth. ad ſemidrach. exhibendum, cum exigua portione elect. lenitivi, aut floris caſſ. reformatum. Interim extrinſecus quoque efficaciora Emollientia ſunt quotidie apponenda, & ſi poſſibile fuerit, tota nocte detinenda, hunc in modum paranda

♃. Radic. cucum. aſinini, brioniæ, althææ, lil. alb. an. ℥. j. ſem. lini, fœnugræci, an. pug. ii. fol. malvarum, mercurialis, betæ, parietariæ, ebulorum an. manip. ß. contund. contund. incid. incid. & m. bulliant in aq. ferrariorum cum ſexta parte aceti, cui adde œſypi humidi ℥. ii. m. f. Cataplaſma.

Terminato uſu lactis, & Emplaſtri jam deſcripti, ad Aperientia & Reſolventia efficaciora deveniri poterit, & intrinſecus, & extrinſecus adhibenda. Intrinſecus erit vinum chalybeatum, ita parandum.

♃. Vini albi opt.[i] lib. xii. chalybis præparat. lib. j. ponantur in vaſe vitreo per octo dies, & quotidie bis vas agitetur; tandem adde rad. tamariſci, corticum radicis. cappar. an. ℥. j. rad. polypod. querc. ℥. ii fol. ſenæ rec. mundat. ℥. ii. & poſt tres dies ex hoc bibere incipiat Patiens ſummo mane ad ℥. v. Toto hoc tempore illiniatur bis aut ter in die tumor lienoſus adipe leonino, quem extollebat Gal. dicens, quod ſit medicamentum

cap-

optimum, quia ob partium tenuitatem & caliditatem valenter duros tumores emollit ac digerit.

Tandem medicamenta à proprietate & vi occulta juvantia nullo modo ſunt omittenda, per experientiam inventa, cui fides ſemper habenda; inter plura ab Antiquioribus & recentioribus recenſita, in noſtro caſu eligi poſſunt Talus bovis pulverizatus; Vulpis hepar pulverizatum; decoctio lienis bovini; pulvis herbæ galiopis, quæ milzatella quoque, & urtica mortua, imo & Arca Angelica appellatur. De talo bovis aſſerebat Gal. quod durum ſplenem liquefacit; de Vulpis hepate dicebat, quod duros lienis & hepatis tumores diſſolvit. Decoctio lienis bovini extollitur à Quercetano, ſicut herba galiopis, ſive milzatella commendatur à Dioſcoride, Matthiolo, & omnibus Recentioribus. Quare modo unus, modo alter ex pulveribus tali bovis, hepatis Vulpis, aut galiopis herbæ exiccatæ ad ʒi. in decoct. lienis bovis aſſumi poterit ſummo mane per plures dies, dum univerſo lienis tumori apponetur Ceratum noſtrum lienoſum, ita efformatum

♃. Ammoniaci pingu. ℥. ij. ſal. albi ℥. j. comarum abſynth. manip. j. m. contund. omnia per horas, ita ut à calore piſtilli atque mortarii liqueſiant, & fiat Ceratum ſuper aluta extendendum, & lieni apponendum, quouſque à ſeipſo decidat.

Jam dictis omnibus congrua vivendi ratio addenda, quæ in ſuperioribus Conſultationibus fuit ſatis ſuperque deſcripta; inter quæ duo præſertim repetitione indigere nobis videntur, nempe parce bibendum, & quampluri mum laborandum eſſe jejuno ventriculo. Deus omnia fortunet, & vota noſtra ſecundet. *Idem ibidem.*

Conſultatio. IV.

Pro Virgine Lienoſa. Quæ aliis tribus prius allatis reſpondet.

Nulla mihi vel gratior, vel expectata magis, quam ad Te ſcribendi, Vir Inclyte, offertur occaſio, utpote in quo medica vere prudētia effulgeat, quam ſerio in te agnovi, & unice diligo, & ex qua ſolidiora ſemper excipiam. Quæ igitur in Illuſtriſſima Comitiſſa circa ſanguinem obſervanda imperaſti, adamuſſim peregi. Primò namque, & quæ tempeſtive, nec excedentes ſupervenere menſtruæ expiationes, extitere coloratiores initio, poſtmodum dilutæ valde, & viſcida mucoſitate oppletæ. dein qui ex vena cubiti eductus ſanguis in prima matula niger ubique valde, in altera laudabilior. Concrevit uterque ex toto vix dimidius, conſiſtens tamen, ac in ſublimi obſiſtenti ex pituita, cruſta velatus: reliquus purum ſerum. Alvi excretiones bilioſæ ſimul & pituitoſæ. Vrinæ ſæpius cum craſſiori ac copioſiori ſabulo, nonnunquam cum farinaceo ſedimento deponuntur. Quæ omnia ulteriorem Alterationem & Defæcationem deſiderantia, tuis præſidiis tractantur, ex quibus nil omittendum cenſerem, cum Indicantibus appoſite reſpondeant. Tibi vero annuenti inſerviet ſedulo ſingularis obſervantia mea, qua ſummam tuam Virtutem ſemper ex animo colam. Vale.

Dum quæro, & Te vere hominem invenio, quid mirum, ſi præſentem, aut ſaltem alloquentem, ut temetipſum videam, perpetuo concupiſcam? Et cum in profligandis morbis, ſpe quoque medica deſtitutis, te nonſemel, Duce Virtute, fortunatum obſervaverim, cur teipſum comitem ſemper non optabo? Et præſertim pro hac Comitiſſa Illuſtriſſima, moribus præclara, meritis referta, & ut priſtinæ ſanitati reſtituatur, totis noſtris viribus digna: Hujus itaque ſanguinem è brachio extractum, & ſolita diligentia à judicio tuo perſpicaci conſideratum, in genere quidem primò exuſtum vocari debere mihi quoque videtur, tum ratione copioſæ ſeroſitatis, & tandem ratione cruſtaceæ & omnigenæ naturæ excrementis abundans, quæ ne tumori ſuperaddantur, purgationem requirunt; eoque magis, cum ab illo non valde diſtet menſtruæ purgationis conditio. Verum conſideratione non minus dignum, quam utile eſt, ad craſſam illam, furfuraceam, arenoſam atque tartaream ſubſidentem materiam efformandam non ſufficere venarum & arteriarum calorem, ſed renum quoq; fervorem concurrere omnino neceſſarium eſſe, cujus ratio in Curatione erit habenda; & ideo ſalſæ Decoctum in tertia Conſultatione præſcriptum, diureticum libenter redderem, infuſione facta in aquis, moxque emulſione ex ſeminibus frigerantibus diureticis præſcripta; adeo ut & Decoctum, & Emulſio ſimul præbeantur: ita enim toto prius Purgantibus evacuato, tutius per locum conferentem naturæ expellenti inſerviemus, & unà renum fervorem contemperabimus; non omiſſo tandem jam propoſito lactis aſinini uſu. Meum tamen ſit proponere, Tuum vero diſponere; ſiquidem tuæ ſummæ Virtuti confiſus, tuis quoque decretis lubens perpetuo ſubſcribam. Vale. *Idem ibidem.*

Conſultatio V.

Pro eadem.

Lienoſa Illuſtriſſima Virgo, tribus præteritis meis Conſultationibus deſcripta, quarta vice modo ad me pervenit, ut de agendis pro meliori ſtatu conſulat; Etenim cum de integra ſanitate aſſequenda ſpem exiguam ſemper concepit, cum ab infantia uſque ad vigeſimum ſuæ ætatis annum tumorem in liene citra ullam animadverſionem, minuſque medelam, libera vivendi ratione nutriverit atque foverit, eundem tumorem uti ſibi familiarem atque connaturalem ſemper patienter tulit, donec tandem ad tantam molem evectus eſt, ut totum abdomen, cæteraque omnia viſcera naturalia occupaverit atque compreſſerit, ſicque & Menſtrua prorſus interceperit, & coctiones, tum in ventriculo & primis viis, tum in hepate impedierit, & Virginem Nob. prope Cachexiam duxerit: tuncque ad Medica auxilia confugere coacta, tantum ab eorum adminiſtratione levamen conſecuta fuit, ut tumor magnus & durus ad multo minorem molem ſit modo redactus, ita ut in præſens à me manibus tractatus, multum à jecore diſtans obſervetur, nec adeo ventriculum obtegat, minuſque Uterum comprimat, & in ipſius lienis regione, inter tumorem ipſum & coſtas mendoſas manus tangens apponi & intercedere poſſit; & idcirco & coctiones

melius procedunt; unde totum corpus & magis nutritum, & probiori colore præditum eſt, ad motum quoque agilius; & menſtrua tandem poſt tertiam peractam Purgationem apparuere, quæ ſingulo quoque menſe, ſtatis temporibus, naturaliter & ſufficienter perſeverant; tumoris autem qualitas ea eſt, ut in inferiori hypogaſtrica parte durus & fere indolens ſit, in epigaſtrica vero ſuperiori, & mollior, & majori ſenſu præditus obſervetur. Quibus ita ſe habentibus, de agendis me conſulit Virgo Nob. ut aliquid in melius adhuc proficere poſſit: prolixas tamen & laborioſas Purgationes evitare cupiens; cui ſatisfacere intendo, cum ejuſdem tumoris partem molliorem magiſque ſenſibilem attenuare, magis emollire, & imminuere ſpem habeam, dum interim & hypogaſtricam partem molliorem reddere, quoad poſſibile fuerit, tentabo.

Sed prius primæ viæ ſunt expiandæ. Secundò Aperientibus & Attenuantibus à craſſis humoribus vindicandæ. Tertiò Tumor lienis emolliendus, & Purgantibus per epicraſin exhibendis imminuendus.

Præbeatur itaque potio magiſt. ex manna clarif. additis quoque duabus unc. mel. roſ. ſolut. & exigua aqua florum citri. Mox primum Præparans, ſex diebus matutinis horis offerendum, erit oxymel dilutum ad ℥.iii. cum polline crem. tart. & cochleari aquæ cinnamomi. Præparati vero humores expurgentur potione ex manna clarificata, conſuetæ infuſioni addendo portionem agar. atque rhabarbari. Inde ulterior procuretur humorum præparatio ita.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, cich. agrim. an. ℥. j. ſalis tart. gr. xv. dec. in jure pulli paratæ, meliſſæ, lupulorum, aſparag. cuſcutæ, petroſel. ℥. iiii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem. Interim de ſanguinis miſſione nulla fit mentio, quoniam jam fluunt Menſes, quorum ordo naturalis à ſuperiori ſanguinis miſſione facile perverti poſſet; ideo poſt jam dictam præparationem ſequatur Purgans ex infuſione rhab. agar. & ſenæ, addito ſyr. ſolut. & de polypodio. Tandem ad lienem emolliendum ac imminuendum internis & externis deveniri poterit. Præparans.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, fumariæ, agrim. an. ℥. j. aceti ſquilit. ℥. ß. tart. vitriol. gr. x. decoct. in aqua fabrorum paratæ, cich. lupulorum, ſcolopend. ſplenii, radic. cappar. ℥. v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis. Sequenti verò die bibat vinum chalybeatum, ita parandum.

♃. Vini albi maturi lib. j. limat. chalybis ℥. iiii. fol. tamaricis, aſplenii, ſenæ rec. mundatæ an. pug. j. cinnam. integri ʒ. ii. m. macer. xxiv. horas, & facta colat. ſervetur pro duabus vicibus, matutino tempore, ſummo mane præbenda. Tertia die repetatur ſyrupus ex ſuccis & tart. vitriolata. Quarta reaſſumatur vinum chalybeatum, & ita progrediatur, alternatim utrumque ſumendo ſupra viginti dies. Et interim tota lienis regio erit illinienda.

♃. Adipis anſer. ℥. ii. leonini ℥. j. ol. de cappar. de cyclam. an. ℥. ß. m. reform. linimentum ſplenicum. Sed tertio aut quarto quoque die, frequenter toti regioni lienis cucurbitula ſicca apponatur, ſed ſtatim appoſita detrahatur.

Verum quoniam Melancholicos per inferiora purgandos præcipiebat Hippocrates; ideo vinum medicatum elective purgans, ut ſibi domi paret, & in uſum ducat familiarem Nob. Virgo, conſulo, hunc in modum: Accipiat phialam vitream, amplo oſculo fabrefactam, vino albo in menſa conſueto repletam, cui addantur hujuſmodi ingredientia.

♃. Fol. ſenæ rec. opt. mundatæ, radic. polypod. quercini an. ℥. ß. rhabar. opt. mat. ʒ. i. m. reponantur in phiala, & f. infuſ. citra ignem per diem naturalem, oſculo phialæ bene clauſo: deinde coletur, & colatura ad uſum ſervetur, cujus cyathus primus, poſtquam comederit, in prandio hauriatur; reliquo vero tempore prandii bibat vinum purum, ſibi conſuetum; hoc autem uti poterit quandoque etiam tempore æſtivo, frequenter vero Autumno & Hyeme; in cujus præparatione tunc addi quoque poterit limatura chalybis ad unc. v.

Hiſque omnibus victus ratio conveniens erit ſemper addenda, adeo ut panis ſit bene ſalitus, bene fermentatus beneque coctus. Vinum ſit medicatum, ſaltem tamariſcatum. Alimenta ſint attenuantia & acria: ſic acetum, non ſolum in medicamentis componendis, verum & in cibis condiendis utiliſſimum exiſtimavit Galenus.

Plurimum fiduciæ in exercitio ante cibum ponebat Aetius: unde quietem hoc vitium augere, dicebat Celſus. Ad alvum autem ſolicitandam utatur vino ſolutivo, jam præſcripto. Quæ Nobiliſſimæ atque Honeſtiſſimæ Virgini pro nunc ſcripta ſufficient. *Idem ibidem.*

Conſultatio VI.

Pro eadem.

Tumor ſcirrhoſus qui multis abhinc annis Virginem Illuſtriſſimam corripuit poſt febrem perpeſſam & immodicum potulentorum uſum, dum à menſium ſuppreſſione fomentum, imò augmentum ſemper ſuſcepit, licet à præteritis Curationibus quodammodo ceſſiſſe viſus fuerit, rurſus tamen invaluit, & univerſam abdominis regionem, uno excepto jecore, occupans in ſuperiori parte, quia indolens, ſcirrhus omnino abſolutus atque perfectus factus eſt, cujus augmentum inhibere, nedum jam factum curare, impoſſibile mihi videtur: ſiquidem ſolam Uteri compreſſionem ab adeo inſigni tumore, præter ſanguinem, in Uteri venis craſſiorem redditum, menſtruorum expurgationem ſupprimere poſſe credo. Quare pauca aliqua, ſed efficaciora, adminiſtranda proponam, ut portio non adeo ſcirrhoſa minuatur, utque augmentum remorando, Cachexia & Hydrops, quoad fieri poterit, arceatur.

Idque primas vias expiando; humores atros atque melancholicos præparando, & per epicraſin expurgando; atque portionem tumoris lienis emolliendo & reſolvendo.

Pro quibus explendis, aliqua, ſed parca ſanguinis miſſio ex Jecoraria dextera admitti poterit, ad ſanguinem potius explorandum, quam evacuandum. Cauterium ſiniſtræ coxæ inuſtum, præter rationem non eſſet. Leniens tumori tale

Ceratum

Ceratum adaptari poterit.

℞. Diachil. magni cum pingued. ℥. iii. ſucci cyclam. petrolei an. unc. ß. pulv. rad. ireos, herbæ reginæ an. ʒ. ii. m. reform. Ceratum ad ignem, extendatur ſuper aluta, & lieni apponatur.

Primæ viæ expientur potione ex manna clarificata. Inde quinque diebus ſummo mane aſſumat julapium acet. cortic. citri aromatiz. ad unc. iii. tribus additis pollinis crem. tart. drachmis, ut repetatur potio jam dicta, addito rhabarb. & agarico infuſioni conſuetæ. Deinde pro humorum præparatione parari poterit hujuſmodi oxymel.

℞. Fol. capill. Ven. ceterach. tamariſci, fumariæ an. manip. ß. rad. petroſel. fœniculi, cappar. cyclam. an. unc. j. aq. ſtillat. malv. agrim. capill. Ven. cichor. an. lib. ß. m. bulliant ad conſumpt. tertiæ partis, deinde f. fortis expreſſio, & colaturæ adde aceti opt. unc. vj. mellis opt. ſacchari albi an. q. ſ. m. f. oxymel longum S. A. ad igem, & in ebullitione addatur globulus, ex pulveris radic. ireos odorat. & cinnam. an. ʒ. ß. paratus, cujus doſis eſt ad unc. ii. in decoct. malv. agrim. borag. & ſcolopendrii, in cujus uſu inſiſtat ad xv. dies. Verum poſt ſeptem primos dies aſſumat medicamentum minorativum, ex lenit. confect. Hamech & Extracto ſenæ paratum, quod repeti poterit ſeptem aliis diebus tranſactis.

Inde ad uſum alicujus validi Aperientis deveniendum erit, quod ſuave ſimul & efficax ita parari poterit.

℞. Fol. malv. meliſſæ, borag. fumariæ, matricariæ, matriſil. herbæ reginæ, ſcolopend. origani, pulegij, calamenthi, dictami Creten. an. manip. i. radic. cappar. cyclam. althææ, an. unc. ii. liquiritiæ unc. i. gummi ammon. chalybis præpar. an. ʒ. ß. ſalſæ parillæ opt. inc. ligni tamariſci inc. an. unc. iii. aq. ſtillat. capill. Ven. artemiſ. agrim. lil. alb. malvarum an. ℔. iv. m. macerentur per duos dies, deinde f. torcularis expreſſio. Expreſſioni iterum ſimilia prioribus ingredientia addantur, & fiat nova maceratio per duos alios dies; deinde fiat rurſus fortis expreſſio, fæces omnes calcinentur, & reponantur in manica Hipp. deinde liquor expreſſus fervens ter fæcibus ſuperaffundatur, mox tale lixivium B. M. deſtilletur, & aqua deſtillata ſervetur ad uſum; atque tandem colligatur Extractum in fundo Continentis, ad melleam conſiſtentiam redactum. Deinde

℞. Jam dictæ aquæ unc. vi. ſummo mane quotidie aſſumendæ cui præmittatur bolus ita paratus.

℞. Extracti jam dicti ℈. i. Trochiſc. de cappar. ℈. ʒ. m. reform. bolus, in hujus autem uſu perſeverare poterit integro menſe, decimo quoque die aſſumendo Extractum ſenæ & polypodii cum flore Caſſiæ. Interim in conſueta victus ratione perſiſtat, ut vitam diutius protrahere valeat. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Pro Lienis dolore, duritie, & inflammatione.

Detur primo vomitus cum vino emetico. Deinde exhibe hoc electuarium ſpleneticum.

℞. Raſ. chalyb. præp. ℥i. ſcolopendr. ℥i. ſpic. nard. Lap. lazul. an. ℈ii. cinnam. ℥ß. cum melle cocto deſpumato. F. elect. cujus ſumat cochl. j. mane tribus horis ante cibum: & veſperi alterum cochl. duabus horis ante cœnam. *Rodericus a Fonſeca. tom. 2. conſult. 75.*

Multis & variis tentatis remediis, æger tandem hoc unguento ſanus factus eſt.

℞. Ol. communis ℔iiij. medull. cruris bovis ℔i. butyr. rec. ℔ß. ſucc. bryon. ſucc. cyclam. an. ℔i. bulliant ad lentum ignem uſque ferè ad ſucci conſumptionem. colat. adde pulv. ceterach. cort. cappar. tamariſc. ſem. agn. caſt. an. ℥iii. M. F. unguentum. Eſt hoc unguentum mirabile quo omnes doctiſſimi Medici Ferrarienſes uſi ſunt, inter quos numerare eſt Savanarolam, Ugonem de Senis, Leoniceum, Bonaciolam, Manardum, Braſſavolam, & omnes hodie ibi artem medicam exercentes, cum quibus nos per ſeptennium ibidem agentes, eo quoque ſæpe uſi ſumus & magnum ex ejus uſu obſervavimus juvamentum. *Amatus Luſitanus. cent. 1. curat. 86.*

Pro Lienis obſtructione.

Mulier quædam obſtructione Lienis cum levi tumore non admodum duro laborans, ſequentibus medicamentis utens egregie habuit.

℞. Endiv. cichor. cum rad. ceterach. cap. ven. cuſcut. ſcolopendr. an. M. i. ſummit. lupul. M. ß. cort. rad. cappar. tamar. an. ℥ß. ſem. agn. caſt. ʒii. ſem. aniſ. carvi, an. ʒ. fol. ſen. ℥iß. epithym. ʒiii. exa civar. nat. ℥i. F. omnium decoctio pro ℔iß. add. ℥iii. aceti in decoctione, in colat. diſſolv. oxymel. ſimpl. ſyr. de quinque rad. & de ſcolopendr. an. ℥i. M. F. julepus. Deinde ſecta eſt vena lienaris in manu ſiniſtra, quod egregiè profuit. Poſtea denuo purgata eſt, pilulæ iii. ex ℈i. ammoniac. aceto diſſolut. exhibitæ ſunt, ſuperſorbendo oxymel. ſcillit. ℥iß. hoc enim ſolo vidi præceptorem meum Elidæum Bononiæ curaſſe quendam ſpleneticum tribus annis eo malo detentum. Juſſi quoque ut uteretur vino decoct. rad. filicis, quo & idem præceptor meus uti ſolebat. Idem dedit Amatus, cent. 6. ad ſplenis duritiem poſt univerſalia remedia, ad viginti dies minuit enim lienem, ut & fotus aceti acerrimi in quo lapis pyrites candens extinctus fuit, quod acetum ſpongia exceptum ad Gal. mentem optimum eſt remedium.

Utebatur etiam Elidæus hoc unguento & cerato.

℞. Succ. Brion. ſucc. cyclam. an. ℔i. dialthææ, ammoniac. in aceto ſolut. ol. cappar. amygd. d. an. ℔ß. omnia in duplici vaſe bulliant, adde ceræ q. ſ. ut F. unguentum.

℞. Pingued. anſer. mucilag. alth. an. ℥i. pulv. tamariſc. ceterach. rad. cappar. rad. filic. an. ℥i. reſin. colophon. ʒii. ceræ, reſin. pini, an. q. ſ. F. ceratum: commendabat pulverem tamariſci in furno exſiccati cum cinnam in cibis, & in potu dabat pulv. rad. filicis. *Petrus Foreſtus* obſ. 2. lib. 2. *De Lienis Morbis.*

Cum Villicus quidam Lienoſus ſiti maxima torqueretur, jus cum tribus aut quatuor gut-

tulis ſpiritus vitrioli ſumens, ad temperandum immodicæ ſitis æſtum, ex hac potione ventre ſoluto plus quam quadragies, ſiti & obſtructione lienis liber convaluit, ita in multis caſibus res eveniunt inexpectatæ. *Dominicus Panarolus.* obſ.21.pentecoſte 2.

Sacratiſſimus Imperator Ferdinandus tertius, pro cura verna, & conſilio medicorum, ſolius limaturæ chalybis crudæ in vinum paſſulatum infuſione utebatur, quam malè colatam & filtratam frigidè bibebat, & in curru vectus celeriter, quia pedibus uti non poterat, ſeſe per horam exercebat. *Wolfgangus Hoeferus, Herc. med.lib.3.cap.3.*

Pro Lienis Scirrho.

Poſt univerſalia remedia, imperavi, ut hoc arcano Præceptoris mei Faventini uteretur ad quindecim dies quo omnis durities ſplenis diſſolvitur.

℞. Rad. filicis ℥ß. rad. cuſcut. ʒii. M. & bulliant in ℥viii. vini albi potentis ad tertiæ partis conſumptionem: colatura patienti detur. Poſtea ut hoc unguento regio lienis inungeretur mandavi; quo & alii curati ſunt, & magni pretii apud me habetur.

℞. Ol. cappar. ℥i. ol. lil. alb. amygd. d. chamæm. butyr. rec. an. ℥ß. ſucc. brion. cyclam. an. ℥ß. ebulliant olea ad conſumptionem ſuccorum; adde ammoniac. in aceto ſolut. ʒiiß. pingued. gallin. medull. crur. vitul. œſyp. humidi an. ℥ß. pulv. cort. rad. tamariſci, cappar. ceterach. rad. filicis, an. ʒi. pulv. ſem. agn. caſt. geniſt. an. ℈i. ceræ parum. F. unguentum. *Petrus Foreſtus*, obſ.8.lib.20.

Ceratum meum de ammoniaco, quo ego utor, fuit impoſitum: cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Ammoniac. diſſolut. in aceto, ℥i. dialth. & empl. de melil. an. ℥ß. furfur ʒi. pulv. rad. bryon. ſicc. pulv. rad. ireos ſicc. an. ℥ß. pingued. anatis, anſer. gallin. an. ʒiii. bdell. galban. an. ʒiß. ol. irini ʒiß. bulliant leniter in mucilagine ſem. lini, fænugræc. an. q.ſ. adde ceræ ℥ß. terebinth. & reſin. pini, an. ʒiß. F. ceratum S. A. Plurimum emollit & reſolvit duritiem ſcirrhoſam, ut hoc ipſum pro arcano habeam, ac in officina pro me ſemper paratum inveniatur. Deinde lien fomentabatur cum aceto in quo lapis molaris vel pyrites candens extinctus ſi . Idem. obſerv. 10.lib.20.

Virum quendam à multis annis ſcirrho lienis graviter laborantem, divino favore fœliciter & brevi, his quæ ſequuntur medicamentis, ſanitati reſtitui. Inſtituta itaque primò optima victus ratione, ſequens lenitivum exhibui.

℞. Fol. agrimon. veronic. cuſcut. ſcabioſ. fumar. an. M. ß. ſem. aniſ. & fol. ſen. an. ʒii. F. decoctio in colat. ℥iiii. diſſolv. confect. hamec. ʒiii diacathol. ℥ß. M F. potio.

Purgato corpore, ſequens præſcripſi apozema.

℞. Rad. fœnic. aſpar. lapat. acut. ſcrophulat. polypod. q. ſaniculæ cort. inter. rad. frangulæ, an. ℥i. fol. agrimon. veron. cuſcut. ſcabioſ. ceterach. fumar. ſcolopendr. cap. ven. cochlear. naſturt. aquat. an. M. j. fl. geniſt. ſambuc. an M. ß. ſem. fœnic. aniſ. an. ℥i. liquir. raſ. uvar. paſſ. exacinat. an. ℥iß. fiat decoctio S. A. in colat. ℔i. diſſolv. ſyr. de ſcolopendr. de epithymo, an. ℥iß. aq. cinnam. & aceti, an. ℥i. M. F. apozema pro tribus matutinis. Interim loco affecto ſequentem applicui ſacculum.

℞. Rad. alth. malv. cum toto, an. ℥i. fl. chamæm. melil. ſambuc. fol. cochlear. naſturt. aq. an. M. ß. incidantur & contundantur, indanturque ſacculo, quo filo intertexto, & in aq. cocto, calidè bis aut ter quotidie applicetur. Poſt fotum totum latus unguento meo, ad ſplenes induratos inunxi, emplaſtrumque meum de cicuta ſupra alutam extenſum applicui. Hiſce ſcirrho emollito, ſequentem potiunculam propinavi.

℞. Confect. hamec. ʒiii. extract. hellebor. nigr. gr. vi. aq. cinnam. ℥ß. cum decocto præſcripto F. potiuncula, ſumatur mane. Corpore hac potione tam per ſuperiora quam inferiora (abſque tamen ulla violentia) probè expurgato maximum levamen perſenſit, evomuit enim multum humoris aduſti, nigri, & melancholici, procul dubiò ab elleboro ventriculum verſus attracti: quapropter ne imperfectum relinqueremus opus inceptum, denuo apozematis præſcripti doſes ſex vel ſeptem exhibui, interim quoque fomentationibus, inunctionibus, & emplaſtro præſcripto uſi ſumus: per intervalla quoque potiunculam ex confect. hamech. & extracto ellebori propinavi. Sic divino favore pleniſſimè convaluit, multoſque deinceps annos incolumis ſupervixit. *Guil. Fabritius Hildanus* obſ. 49. cent. 2.

Unguentum ad ſplenes induratos ex oleo amygd. d. ol. de cappar. pinguedine humana, urſi, caponis & anſeris, in quibus ſuccus cochlear. naſturt. aq. & tamariſc. coxerit, conficio. Addo nonnunquam nonnihil gummi ammoniac. diſſoluti aut in prædictis ſuccis aut aceto ſcillitico Idem. pag. 657. Ibi etiam habetur deſcriptio empl. de cicuta.

Mirabile eſt Emplaſtrum ex cicuta cum ammoniaco aceto diſſoluto. Accipe cicutæ M. iiii. ammoniac. ℔ß. infunde aceto acerrimo dies octo. Deinde bulliant dum ammoniacum ſolvatur, hinc per pannum fortem lineum validè exprimatur, iterumque expreſſus liquor ebulliat quinquies, & adjecta cera, cum oleo amygd. d. F. unguentum. Hoc ſit pro ſecreto; nam omnem duritiem mollit. *Ioann. Heurnius. lib. 2. Method. ad praxin. cap. 10.*

In lienis ſcirrho remedium habeo probatum; ceratum nimirum compoſitum ex duabus partibus ammoniaci in aceto diſſoluti, una ſucci tabacci, dimidia reſinæ pini, terebinth. & ſucc. ebuli, una olei de cappar. & ceræ novæ q.ſ. ad empl. ſeu cerati formam adipiſcendam, quod emolliente & digerente ſua facultate plurimos obduratos lienes ſanavit: dicam vobis aliud quod oſtendit aliquando experientia: curabam quendam nobilem, cujus cuſtos domus erat hydrope affectus ex ſcirrho lienis, quem habebat permagnum, cui ego ordinavi ſpongiam ex aqua calcis vivæ expreſſam. Sanato domino non amplius acceſſi, neque ille me adivit, ſed expertus indies magis ſpongiarum earum utilitatem perpetuò uſus eſt ſpongiis jam propoſitis, quouſque tum ex hydrope, tum ex ſcirrho lienis fuerit curatus. *Hier. Fabrit. ab Aquapendente* libr. 1. *Chirurg. cap. 51.*

Puella

Puella ſeptem annos nata correpta fuit febre quartana, & poſt curationem ipſius incidit in tumorem durum & ſcirrhoſum lienis: curata fuit ſolo uſu aq. ſtillat. tamariſci, cum oleo vitrioli: ſumebat ſingulis matutinis horis jejuno ventriculo, iſtius aquæ ℥iv. cum ol. vitriol. gt. vii. & intra menſem perfectè curata fuit. *Io. Faber* curat. 67.

Novi vetulam quandam (cum viginti annis ſplenetica fuiſſet) tumore lienis duriuſculo laborantem ſolo continuo eſu capparum convaluiſſe. *Petrus Foreſtus*, obſ. 2. lib. 20.

Obſtructio Lienis.

Catharina N. mulier annorum quadraginta quatuor; toto anno lienis obſtructione laboraverat; flatus in lienis regione obaudiebantur; ejuſdem lateris, ob viſceris ac vicinarium partium magnam diſtentionem, ſummis doloribus torquebatur, ita ut omnino in affectum latus incurvata incederet; tandem autem à continuis cruciatibus inſtar ſceleti emaciata, ampliùs incedere non poſſet. Lienem multùm intumuiſſe foris manibus percipi poterat: appetitus quoque dejectus erat. Ad hujus morbi curationem menſe Martio vocatus, primò corpus cathartico leniore expurgavi; à qua purgatione cùm parum levaminis ſequeretur, biduo pòſt ſequens apozema præſcripſi, quò viæ obſtructæ aperiri, & materia morbifica præparari, ſimulque clementer ſubduci poſſet.

℞. Radicum polypodii querni, taraxici, ana unc. j. fœniculi, helenii, petroſelini, cort. rad. cappar. tamariſci, ana unc. ſ. herbar. meliſſæ, fumariæ, trifolii paluſtris, ſummitatum lupuli, ana m. j. centaurii min. m. ſ. ſem. fœniculi drach. ii. prunorum damaſc. nº xi. paſſul. corinth. unc. ii. coquantur ſ. art. in aquæ communis q. ſ. in colatura macerentur per noctem herb. cochlearcæ, naſturtii hyemalis, ana m. j. fol. ſenæ mundat. unc. ii. ſem. aniſi drach. vi. fiat apozema ad lib. ii.

Hujus decocti matutinis temporibus hauſtum bibens, bis terve de die dejiciebat; ſed nondum ſequebatur expectatum levamen; quapropter evacuato apozemate rurſus purgans medicamentum aliquantò fortius exhibere placuit, quod in hunc modum præſcripſi:

℞. Foliorum ſenæ mund. unc. ſ. agarici albi drach. j. radic. hellebori nigri drach. ſ. tartari rhenani, ſeminis aniſi, ana drach. j. aquæ fumariæ q. ſ. factâ per noctem infuſione, addantur colaturæ elect. hieræ picræ, diaphænici, ana drach. ii. miſce, fiat hauſtus.

Hôc aſſumptô, primò excrementa communia dejecit; paulò poſt ingentem ſentiit in latere ſiniſtro dolorem, qui ſtatim inde ad inteſtina tranſlatus fuit, quò dolore tantopere debilitabatur, ut aliquoties animo linqueretur: non diu poſt deorſum [illegible]crevit aquam quandam (mirum viſu) nigram, ferè inſtar atramenti, tantâ copiâ, ut eâdem integræ tres matulæ replerentur ad ſummum. Hinc maximum ſentiit levamen, & ſiniſtri hypochondrii dolores ferè in totum evanuerunt. Quatriduo poſt, illud ipſum purgans iterum exhibitum fuit, à quo rurſus magnam aquæ nigricantis copiam dejecit, ſed non tantam ut antè, neque etiam hæc erat adeò nigra ut prior, ſed non abſimilis lixivio in quo fœminæ noſtrates filamenta linea coxêre. Poſt hanc evacuationem valdè debilis erat, & tormina in ventre ſentiebat, quapropter circa veſperam exhibui Mithridatii Democ. drach. j. cum olei aniſi gut. v. in hauſtu vini calefacti. Poſt horum medicamentorum uſum ægra mediocriter valuit, cùmque jam adeò nauſearet, ut vel ſolum medicamenti nomen horrorem incuteret, curationis reliquum uſque ad menſem Majum differre coacti fuimus; interea ipſam diætæ convenienti commiſimus. Menſe autem Majo rurſus tria apozemata bibit, & ter quaterve purgata fuit; etiam electuario uſa eſt, atque ita priſtinæ valetudini prorſus reſtituta fuit. *Isbrand. de Diemerbroek in Curationibus & Obſervationibus Medicis.*

Obſtructio Lienis.

Capitaneus Auſſuma, vir florentis ætatis, obſtructione lienis diu laboraverat, atque hinc valde melancholicus evaſerat. Tandem lien etiam induruit, multumque intumuit, ita ut non parum foras protuberaret. Poſtquam in caſtris doctiſſimi Valentii aliorumque Medicorum caſtrenſium conſilio multis variiſque uſus fuiſſet remediis, & malum nihilominus ingraveſceret, tandem Noviomagum ad me venit. Præſcripſi primò diætam convenientem, in qua prohibui cibos muria diu aſſervatos, fumo induratos, omneſque alios difficilis digeſtionis, viſcoſos ac craſſos ut & flatulentos crudoſque humores generantes, quales ſunt caro ſuilla, bubula diu ſalita, vel fumata, anates, anſeres, haleces quocunque modo præparatæ, ſalmones, ſoleæ, oſtrea, conchæ, poma, pyra, omneſque fructus horarii, aliique ſimiles. Prohibui quoque vini fortiſſimi & dulcis, ſpiritus vini, cereviſiæ turbidæ ut Bredanæ & Roterodamenſis, atque etiam fortiſſimæ, ut Bremenſis, & Brunſvicenſis, uſum. Commendavi cibos facilis digeſtionis & boni nutrimenti, præparatos cum talibus rebus quæ coctiones promovere, flatus diſcutere, & lieni prodeſſe poſſent: pro potu autem vinum tenue & mediocre, ut & cerviſiam mediocrem claram, amaram potiùs quàm dulcem. Imprimis in cibo & potu mediocritatem ſervare, etiam ambulationibus aliiſque levibus exercitiis uti, jucundorum ac facetorum conſortiis intereſſe, ſolitudinem ac ſollicitudines & mœrores fugere, ſomnum quoque diuturnum evitare præcepi. His actis, corpus cathartico convenienter expurgavi, & quia ab omnium medicamentorum uſu maximè abhorrebat, tantùm manè & veſperi bonum hauſtum hujus vini medicati ſumere juſſi.

℞. Cortic. rad. tamariſci, cappar. fœnic. helenii, polypodii quer. ana unc. ſ. herb. trifolii paluſtris, m. j. cuſcutæ, ſcolopendriæ, fumariæ, centaurii minor. abſinthii romani, ana m. ſ. nucis moſcatæ, baccarum juniperi ſem. aniſi, fœniculi, ameos, ana drach. j. fiat ſ. art. puppa, cui ſuperfunde vini albi tenuis lib. v.

Hôc epotô, eadem puppa reiterata fuit, addendo foliorum ſenæ mundat. unc. i. ſ. ſeminis aniſi unc. ſ. atque tunc ſemel tantùm de die,

nempem atutino tempore, hauſtum bibit, à quo ordinariè bis terve alvum dejiciebat. Ex horum uſu aliquod quidem levamen percepit, & appetitus reſtitutus eſt, æger quoque aliquantò alacrior evaſit, verùm durities illa lienis cum magno dolore in eodem ſtatu permanſit. Cùm autem æger nulla decocta, pulveres, condita, aliave medicamenta, imò vix jam præſcriptum vinum diutiùs aſſumere vellet, reliquum curationis maximè topicis peragendum erat, quæ in hunc modum præſcripſi.

♃. Herb. abſinthii, althææ, malvæ, flor. chamomillæ, meliloti, ſambuci, anethi, ana m. i. ſem. cumini unc. ſ. aniſi, leviſtici, fœniculi, ana drach. ii. ex his fiant ſ. art. duo ſacculi interſuti.

♃. Radicum ebuli unc. j. althææ, bryoniæ, fœniculi, ana unc. ſ. foliorum ſambuci, braſſicæ, cicutæ, ana m. j. ſ. malvæ, althææ, betæ, florum meliloti, chamomillæ, ana m. j. ſem. cumini, aniſi, ana drach. vi. coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ii. ſ. adde aceti fortis lib. ſ.

♃. Olei de capparibus, abſinthii, amygdalarum amararum, axungiæ anſeris, ana unc. i. olei terebinthinæ unc. ſ. miſce, fiat linimentum.

Matutino tempore his topicis ſequenti modo utebatur. Primò lienis regio aliquandiu duriùs confricabatur; deinde ſacculi illi in decocto calido immerſi & aliquantùm expreſſi imponebantur, uno refrigerato alter: atque hæc fomentatio circiter per ſeſqui-horam fiebat; poſtea oleis calefactis locus affectus inungebatur, & emplaſtrum ex ſolo galbano in aceto diſſoluto, imponebatur. His per aliquot dies continuatis, & ſubinde hauſtu ultimi vini aſſumpto, lien omnino detumuit, & durities quoque evanuit, ad cujus reliquias diſſipandas, relictis aliis topicis, hoc ſolum emplaſtrum impoſitum fuit.

♃. Galbani aceto diſſol. drach. vi. ammoniaci, drach. iii. emplaſtri de meliloto, unc. ſ. miſceantur & extendantur in corio.

Atque ſic æger ab hoc morbo liberatus, iterum ad caſtra reverſus eſt.

Annotatio. Obſtructiones & durities lienis, cùm per os medicamenta exhiberi nequeunt, nonnunquam topicis egregiè curantur. Inter quæ maximè celebrata ſunt talia qualibus nos in hoc ægro uſi ſumus. Imprimis autem commendatum exiſtit galbanum, nec non ammoniacum aceto diſſolutum & applicatum. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente chirurg. part. 1. cap. 51. hoc ceratum valde commendat: In lienis (inquit) ſcirrho remedium habeo probatum, quod eſt ceratum meum pro ſplene, factum ex duabus partibus ammoniaci in aceto diſſoluti, una ſucci herbæ regiæ, quam tabacum vocitant, dimidia reſinæ pini & terebinthinæ & ſucci ebuli, una olei de capparibus, & ceræ novæ q. ſ. ad cerati formam adipiſcendam. Hoc emolliente & digerente ſua facultate plurimos obduratos lienes ſanavit. Mercurialis tom. 2. conſult. 49. hoc ut maximè potens commendat.

Rec. Gummi ammoniaci aceto diſſoluti unc. ii. pulveris utriuſque hellebori, colocynthidos, ana drach. j. miſceantur & applicentur.

Jo. Heurnius method. ad prax. lib. 2. cap. 10. efficaciſſimum emplaſtrum ita componit.

Rec. Cicutæ m. iiii. ammoniaci lib. ſ.

Infunde aceto acerrimo dies octo, dein bulliant dum ammoniacum ſolvatur, hinc per pannum fortem lineum valide exprimantur, iterumque expreſſus liquor ebulliat quinquies, & adjecta cera cum oleo amygdalarum dulcium fiat emplaſtrum. Foreſtus lib. 10. obſervat. 8. tali unguento utitur.

Rec. Olei de capparibus, liliorum alborum, butyri recentis, ana unc. ſ. ſucci bryoniæ, cyclaminis, ana drach. v. coquantur ad ſuccorum conſumptionem, poſtea addantur, ammoniaci aceto diſſol. drach. ii. ſ. pinguedinis gallinæ, medullæ crurum vituli, æſypi humidæ, ana unc. ſ. pulv. cort. rad. cappar. tamariſci, filicis, ceterach, ana drach. ſ. ſem. geniſtæ, agni caſti, ana ſcrup. j. ceræ parum, fiat unguentum.

Amatus Luſitanus hoc ſequens tanquam mirabile extollit, quo ſe pertinaciſſimum lienis ſcirrhum curaſſe gloriatur.

Rec. Olei communis lib. iii. medullæ crurum bovis lib. i. butyri recentis lib. ſ. ſucci bryoniæ, cyclaminis, ana lib. i. bulliant lento igne ferè ad conſumptionem ſuccorum, colaturæ adde, ceræ citrinæ unc. viii. pulv. ceterach, cortic. cappar. tamariſci, ſem. agni caſti, ana unc. iii. miſce, fiat unguentum.

Sennertus ſcribit efficaciſſimum medicamentum parari ex ſucco florum ſambuci miſto cum decocto malvæ & oxycrato. Galenus de comp. med. ſec. loc. lib. 9. & method. med. lib. 11. & 14. & 5. ſimp. acetum maximè conducere refert, quia humores craſſos obſtruentes incidit & attenuat, & ratione viſceris convenit, quia fermentatio illi non eſt moleſta: ac proinde omnibus topicis illud utiliſſimè admiſcetur. Aquapendens loco antè citato etiam gloriatur ſe abdominis fotu ex ſpongia in aqua calcis expreſſa ſcirrhum lienis & hydropem curâſſe, quam experientiam ibidem pluribus verbis deſcribit. Cardanus lib. 8. de rerum varietate cap. 44. mirabilem lienis duri curationem habet: Spleni ſcirrhoſo (inquit) lintea in crucem imponunt, his ſecurim, quam ligneo malleo percutiunt, ſcirrhuſque ſolvitur ſuccedentibus diebus. De hac mirabili curatione Aquapendens loco antè citato, ita ſcribit: Vir cui multùm credebant, hîc Patavii olim profitebatur chirurgiam in ſcirrho lienis, & nominabat hanc chirurgiam, ſplenem excidere, aut ſplenis exciſionem. Hic chartâ ſuper lienem obduratum, & ſupra chartam acie ſecuris impoſitâ, tum malleo ſecurim percutiebat validè & ita dimittebat patientes, ceu curatos; Eratque hic curandi modus divulgatus. Tandem ſemel accidit, ut ſecuris acies, ſub valentiore percuſſione, & chartam, & abdomen, & lienem uno ictu præciderit, cum morte ipſius patientis. Et ſcio fuiſſe hic Patavii Medicum, qui conabatur hanc chirurgiam, de excidendo liene, probabilem reddere, quam ego tanquam abſurdam nunquam volui audire, quia ex Ariſtotele, ſtultas opiniones diſquirere, ſtultum eſt. *Idem ibidem.*

Magnus Lien.

Magno lieni, os graveolens, putridas gingivas

gingivas, ſanguinis eruptionem, ac cruris ulcera, attribuit paſſim prior ætas. Ac proinde credidere nonnulli, hoc nomine aſſiduè ſignari, vel ſtomachacem Plinii, vel ſcorbutum noſtratem. Sed diſtinguunt perperam inter morbum auctæ magnitudinis, & ulcus, ſeu partem à putredine vitiatam.

Utroque enim vitio laborat lien. Sed ſigna à veteribus commemorata indicant magis putredinem, quàm magnitudinem auctam. Atra quippe bile circa lienem putreſcente, vitiatur non tantùm os, ſed erumpunt utique varices, & læduntur tantopere crura, ut meminerim vidiſſe in anu quartanaria, à putrida hac bile, ultra viginti ulcera, non minùs profundè cruribus impreſſa, ac ſi candens ea inuſſiſſet ferrum.

Infans concionatoris pagani, malè habitus à nutrice, & loco lactis altus graviore cibo, quàm tenella ætas fuit ferendo, collegit inde plurimum lenti ac viſcidi ſucci, infarcientis uſque eò anguſtas meſenterii, pancreatis, ac lienis venas, ut inde viſcus illud ſummopere intumeſcens, diſtenderit non tantùm abdomen ac lumbos: ſed emaciaverit etiam corpus univerſum; ad inſtar rapacis alicujus fiſci, plus nimio ditati, ex immodicis tributorum exactionibus.

Verùm ſublata obſtructione, & imminuta uberioris ſucci copia decrevit tam manifeſtè diſtentum hoc viſcus, ut luce clarius apparuerit tumorem hunc non tam fuiſſe à mala conformatione, quàm à redundante alimento. Quo proinde ſubducto, renutriebatur iterum infans. Neque apparuere interim unquam illa ſigna quæ magno lieni attribuit Hippocrates lib. 2. prædict. *Nicolaus Tulpius Obſervat. Medicar. lib. 2.*

De Tumore lienis partu ſoluto.

Varias morborum fieri metaſtaſes, varias materiæ morbificæ ſolutiones Practicorum loquuntur libr. Tumores meſenterii per alvum, pus in Empyemate per urinam evacuatum eſſe obſervationes docent: Lienis intumeſcentiam per urinam nigram ſolutam eſſe ex Schenckio ſupra allegavi; mihi ſolutionem morbi aliam videre hîc contigit.

Virgo quædam formoſa, non inter poſtremas, hypochondriaco malo corripitur, tenſione inſimul hypochondriorum, alvi conſtipatione, cordis tremore, imo gravi non rarò palpitatione, compreſſione oris ventriculi, vomitu humoris acidi: queis cum ſymptomatibus diu multumque cùm conflictata eſſet, non neglectis licet remediis variis ex arte præſcriptis, dolorem tandem ſplenis ſentit acerbiſſimum, hunc tumor ejus loci excipit manifeſtus, qui tandem in verum deſinit ſcyrrhum: quo facto dolor quidem amplius urgebat nullus, ſed hypochondrium totum lapidis ad inſtar durum percipiebatur, nec quicquam digiti compreſſioni cedebat. Varia adhibita ſunt remedia, tam inquàm externa, martialia, tartarea intus extus fomentationes, linimenta, emplaſtra, balnea, &c. ſed morbi vehementia vim eludebat medicamentorum omnem: & licet ſcyrrhus ad mediam penè abdominis partem, & uteri regionem uſque ſeſe extenderet, ſatis tamen commodè aliàs ſeſe habebat; agilis enim choreas ducebat, & ſine ulla anhelitus difficultate ad celerrimas etiam corporis agitationes aptiſſima erat. Ineptam autem ad conjugium illam fore valde metuebam, cùm quomodo uterus extendere ſeſe poſſet non viderem, propter abdominis totius ſaltim non integram duritiem & repletionem. Accidit ut Procus optimæ conditionis eam ambiret; vocor itaque in conſilium à matre timoris plena, num tuto viro deſponſari poſſit; ego dubius licet, cùm virginem amore ſponſi captam animadverterem, ſuaſi tamen, ut virginis ſatisfieret deſiderio. Cecidit meam præter opinionem res optimè: nam poſt nuptias imprægnata, ſatis quidem malè primis menſib⁹ habebat, ſucceſſu autẽ temporis ἀνορεξίας nauſea, vomitus, palpitatio cordis, deliquium, & quæ alia aderant ſymptomata, imminuebantur, imò tandem totaliter ceſſabant. Ipſo autem quaſi partus tempore, de anxietate, calore inſigni, lipothymia conqueri incepit; accedebat febris continua, vomitus, icterus, &c. ut malum ſibi morbi hujus exitum mater mœſtiſſima cum propinquis metuerent. Obviabatur ſymptomatibus gravioribus convenientibus quantum poſſibile erat, & per artem licebat, remediis, nec irrito ſucceſſu; nam licet inter calores & anxietates nimias fœtum ederet, ſanus tamen is erat, & ab omnibus quibuſcum hactenus conflictata erat malis ſimul illa liberabatur. In puerperio lochia fluebant copioſiſſimè, imo præter ſolitum abundanti in copia, unde materiam quæ per uterum indeſinenter effluebat aliunde provenire colligere non difficile erat. Nec me fefellit opinio; nimirum ita detumuit ſplen, ut tumoris nec minimi, minimum tactu perceptibile reſtaret veſtigium, & ſic cum fœtu, moleſtam ex ſplene depoſuit ſarcinam. *D. Johannis Schmidii.*

Tumor Lienis Febriculoſus.

Febricula correptus N. l. de moleſto ponderis ſenſu ſiniſtro latere querebatur: Contactis hypochondriis tumorem Lienis ſat magnum explorare licuit: Hic quia nondum induruerat, applicito malagmate ex Nicotiana, ad Helmontii mentem, brevi tempore percuratus eſt: Sed jam ante illum Indi, Nicotius, Everardus cæterique vim iſtam plantoſi cognovere, literiſque tradidere. *G. Hieronimi Velſchii.*

De exciſo Liene ex homine, ſine noxa.

Sculterus pagi *Henickenhagen*, non procul à Colberg. à ruſtico, quem in terram proſtraverat, ſibi ſubjacente in ſiniſtro latere cum cultro graviter fuit ſauciatus: in cultri acie media ſciſſura magnam ſimul partem lienis extraxit: ſubſequentibus ſubinde vomitibus, magis fuit lien expulſus, & per noctem illam in ſuo ſanguine, ob abſentiam talium, abſque adjutu ullius, qui potuiſſet opem afferre, decubuit. Manè è Colberga juſſu Magiſtratus Nicolaus Matthiæ, Chirurgus Colbergenſis, adveniens miſerum in cruore immerſum invenit, lienemque è corpore propendentem tumidum. Omnes, qui tum præſentes cum Sacerdote fuere, videre ſplenis parenchyma, & admirati ſunt, tam nobile

viſcus

viſcus per vulnus prominere. Chirurgus cum lacte, cæteriſque ad idoneam fomentationem facientibus herbis plagam curare aggreſſus, patientem circa Solis occaſum in urbem Colbergam transferri curavit. Poſtero die Medico ad conſilium vocato lienem per vulnus prætumidum monſtravit, & utrum præſcindere eundem deberet, quæſivit. Ille verò, quia neminem ſine liene vixiſſe unquam docuerint Authores, renuit: nec enim unde poſtea effluens affatim ſanguis ex abdomine, viam vel modum exitus habeat, ſibi conſtare, reſpondit. Chirurgus è contra, quia lien amplius per vulnus intrudi, inque locum ſuum convenientem reponi poſſe non videret, ſatius eſſe illum auferri judicavit. Huic aſſenſit patiens, in tali mortis verſans diſcrimine omnia pati patienter paratus. Tunc ſericeo partem ſplenis propendentem arctè ligavit vinculo, & integrum viſcus extraxit: Hinc eam, qua adhærebat corpori, partem funiculo conſtrinxit, & tertio poſt die univerſum ſectione abſtulit lienem, ſanguinem abunde fluentem pulvere ſtiptico compeſcuit, cæteriſque convenientibus medicamentis intra trium ſeptimanarum ſpatium ad ſanitatem, vulneratum reduxit, remanente ſaltem in illo vulneris loco tuberculo avellanam æquante; quia vaſa ibidem abſciſſa carni ſe agglutinarunt. In hunc uſque diem commodè cum uxore, non exors prolis vivit, laboribuſque ſolitis præeſt. *D. Danielis Crugeri.*

De Lienis reſectione in Cane vivo.

Anno 1663. menſe majo, aſſidente Magiſtro Pearle, Ducis Eboracenſis Chirurgo ordinario, è cane gregario, quoad corporis molem mediocri, non pingui, lienem exſecui, tranſverſim facto vulnere circa lienis regionem, ex quo iratum animalculum, partem omenti, inteſtinorum & ipſum lienem extruſit, quem nulla facta ligatura, partim ſecando, partim digitis ſeparando penitus avellimus, deinde partibus cæteris extruſis repoſitis, vulnus ſtatim conſuebamus, & hirriens animal ſervi curæ commiſimus, qui brevi poſt ſutura priori ab irato animali rupta, vulnus iterum conſuere coactus erat. Ab illo tempore tamen canis perfectè ſanus evaſit, magis quam antea manſuetus, & ad actus venereos poſtea valdè proclivis.

Hoc modo vitam ſanam & multo jucundiorem degit, & pinguior etiam evaſit. Menſe aprili anni ſequentis, canis, quo caſu neſcimus, præ foribus mortuus & rigidus, capite contuſo inventus eſt.

Apertò cadavere partes carnoſas rubicundiores, quàm in aliis animalibus obſervavimus, uti & pinguedo, ubicunque erat, albiſſima apparebat. Meſenterium in vaſorum interſtitiis, diaphaneitatem, illius inſtar quæ in ſepto lucido reperitur, exhibebat; vaſorum tamen ramificationes ubique pinguedine illa albiſſima coopertæ. Partes cæteræ omnes, pro naturæ modo apparebant; partes tamen omnes rubicundæ floridiores erant, quàm in aliis apparere ſolent animalibus, & partes albæ multo albidiores, quod quidem non injucundum præbebat ſpectaculum; ſed ubi lien exſectus erat, pars omenti, & vaſa ſplenica, cicatrici interiori vulneris firmiter annecti videbantur. *D. Timoth. Clarxii.*

Num lien certa veneris ſedes.

Veneris ſedem vel malis nidum in Liene eſſe Helmontius Author eſt Tr. de aſth. & tuſſ. §. 58. Id quod Veteres ſimili illuſtravere, ut conjicit citatus, dum Saturno Splenem Deaſtrorum primo, primam aſcripſere paternitatem, & inde Faunos & Satyros (genus ſalaciſſimum atque ſcurrile) figura depinxere. Quam ſententiam multis firmare rationibus nititur in Tract. Jur. Duumvirat. ubi tandem §. 42. ita concludit. Uti Sanguificatio in venis meſenterii tanquam Jecoris ſtomacho: Sic ſpermatis coctio fit in teſtibus à Splene. Huic Opinioni magnam lucem affundere videtur Experimentum D. N. Frederici Deckers Med. Doct. in notis & obſervationibus nuper editis ad Praxin Barbetrianam p. 221. lit. b. annotatum.

Diſſecuimus quoque ſubinde canes lienem eximendi gratia notatu dignum obſervavimus in cane fœmella jam deſtituta atque curata; nempe quod poſt annum circiter à diſſectione catulire incipiens, cumque aliis canibus bis terve congreſſa, nunquam conceperit nec catulos produxerit; quare nonnulli lieni vim Sanguinem prolem generandi aptum adſcripſere.

Verum autem vero, de ſingulis circa Naturam præprimis verſantibus dubitare magna pars eſt Sapientiæ, vel ad minimum via ad indagandam veritatem, ſic dubio mihi cum D N. Regnero de Graeff amico meo integerrimo Anno 64. Leidæ decretum fuit ſimile experimentum. Canem fæminam ipſe in ædibus paternis Schonoviæ alebat, ut melius cura ipſius haberetur, cui exciſſus lien erat. Quæ Canis poſtea impragnata duos vivaces genuit catulos, & quod mirandum, quod canis alias vegeta duos ſolum produxit. Et quo experimento liquet, licet Lien haberet vim ſpermaticam, tamen non ſufficere, ut illo ſublato toto quoque tollatur animalis fœcunditas, licet imminueretur, niſi quis hic inſtare vellet fœcundum quidem habuiſſe ſemen iſtam canem ſed antea paratum & reconditum antequam Canis liene privata fuerat. Ex altera parte in dubio manet an lieni paucitas annumeranda, an potius maſſæ ſanguineæ, ex qua Spiritus genitales extrahuntur, quæ non ita diſpoſita fuit quemadmodum in aliis, nam licet Lien abſque canis interitu exſcindi poſſit, & canes iſti vivaces æque ac alteri videntur, tamen dubito quod functiones naturales æque peragantur, quemadmodum in aliis; Lien enim non eſt viſcus inutile, uti cenſuere nonnulli Anatomiæ ignari, mirabilis enim & copioſa arteriarum & nervorum textura longè aliud docent, & licet Lien non ad eſſe, tamen neceſſarius erit ad bene eſſe Animalis.

Quæ experimenta jam cum mihi ipſi non ſufficiant ut vel in dubiam vel vanam proclamem Helmontii ſententiam, hic Tibi author ſum B. L. ſi majorem certitudinem deſideras, ut varia experimenta tentes caneſq; fœminas & maſculos quibus Lien ſectus jungas, ex quorum

rum reiterata conjunctione certo certius Sententiæ veritatem invenies.

Scholion.) Notum eſt à multis & primæ notæ Anatomicis ſæpius operationem per quam exſcinditur lien fuiſſe tentatam & levi quoque diligentia illam peragi poſſe, & utplurimum feliciter ſuccedere. Hinc miror nonnullos eſſe Summos Medicos, & inter illos aliquot Anatomicos, qui negant illam aſſertionem abſque interitu animalis impoſſibilem eſſe, quia ipſimet experimentum tentarunt, ſed cum morte canis. Quorum in gratiam, & illorum qui adhuc illud tentare volunt addo, quod cauti ſint in ligatura vaſorum abſciſſorum, nam multi unica ligatura omnia vaſa conſtringunt, quæ vix ſufficit, Sanguis enim copioſus movetur ad vaſa abſciſſa, qui impetu ſuo ſæpius vaſa à ligatura liberat, per quæ Sanguis & cum ipſo Vita exitum quærit animalis.

Et hinc mors non dependet ex defectu lienis, ſed potius ex operatione non ritè peracta. Si itaque ſucceſſus in hac operatione ſperandus, ſingulis vaſis ſingularis & quidem artificioſa injicienda ligatura, vel potius bifida ſi poſſibile eſt. Plura curioſa de Liene addere poſſem, ſed illa tibi B. L. promitto invenienda in anno ſecundo Miſcellaneorum. Unicum addo, quod dubiam meam mentem tenet de Liene, qui ſi Sedes eſſet Veneris, fermentumque præpararet quod ſemen reddit fœcundum, cur non ſecundum leges Circulationis ſanguinis via adſit manifeſta per quam Natura illud duceret ad teſticulos. Poſito enim in liene præparari fermentum aliquod, Lien tamen nulli parti illud communicare poteſt quam Hepati, niſi quis ſtatuere vellet lienis fermentum prius admixtum toti maſſæ ſanguineæ, tandem cum ſanguine devenire ad teſticulos, quod aſſertum tamen an ſubtilitati an potius veritati annumerandum neſcio. *Joach. Georgii Elſneri.*

De Lienis reſectione in homine vivo.

Lanius quidam ruſticus in parte hujus Inſulæ Occidentali, in Comitatu Sommerſetenſi, in villa prope Crookhorne, Wayford dicta, Guilielmus Panier, nomine, ære alieno oppreſſus, ne in jus caperetur, ſemet utplurimum abſcondere coactus erat, tandem dum privatim laniavit, lictores illum jam capturi erant; quos ut evitaret, vir deſperabundus, cultrum laniarium in ſiniſtram abdominis partem adegit; unde magno facto vulnere, pars omenti, inteſtinorum, & lien etiam ſtatim erupere. Hinc lictores perterriti, virum, ut putabant, moribundum, ſtatim dereliquere; Per trium dierum ſpatium, vulnus ſine ſutura manebat; tandem verò acceſſitus chirurgus, retruſis inteſtinis, partem omenti, cum liene, cultro abſcindebat, & conſuto vulnere brevi convaluit lanius, & per totum annum ſequentem ſanus & hilaris vitam degebat, & deinde in novam Angliam profectus eſt, ubi non ita dudum ſanus adhuc vivebat. Vir fide dignus & teſtis oculatus Doubeny Turbevile M. D. & inter noſtrates oculorum medela celeberrimus, hanc obſervationem mecum communicavit. *D. Timothei Clarkii.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Hypochondrii utriuſque tumor à Iecoris & Lienis magnitudine extraordinaria.

Pagana quædam jam pridem morbo detenta, ſibi perſuadebat fœtum motuum poſt partum alterius (qui tum poſt triduum mortuus) per menſes XIV. in utero remanſiſſe: Quod ipſam in ea opinione confirmaverat, erat in latere ſiniſtro durities manifeſta, oblonga, ac ex inferiori parte rotunda, caput infantis repreſentans, quæ ad ilia uſque ſeſe extendebat, comprehendens ſimul regionem umbilici, una cum lateris dextri nothis coſtis.

Hoc cadavere inciſo, tantæ magnitudinis Hepar inveni, ut lobus ſtomachum verſus, ſub coſtis ſiniſtri lateris ſpuriis tranſgrederetur: Splen quoque immenſæ magnitudinis, durus, & in inferiori parte verſus ilium, rotundus, ſanguine aduſto plenus, hepatis lobo adnatus; venæ ejus cum arteriis mediocris pollicis magnitudinem excedebant; vas vero breve exiguum & obſtructum erat. *Fabritius Hildanus Cent. 2. Obſerv. xlv.*

Hypochondrii ſiniſtri Tumor ob Lienem eximiæ magnitudinis & Renem Siniſtrum maximum.

Caſparus Schepſius D. Schepſii apud Suidnicenſes olim Medici, filius anno ætatis 25. anno 1621. denatus, ſtatura procerus, habitu corporis macilentus, colore ſubfuſcus, ad iram pronus, potationum ſtudioſiſſimus, ex ejus lapſu ante plures annos graviſſime concuſſus, & febribus cum Tertianis, tum Quartanis ſemel atque iterum infeſtatus, Tumore Lienis inſigni & renis ſiniſtri exulceratione ab aliquot annis correptus fuit; Ex itinere Gallico ante biennium quaſi redux, cum ex Liene potiſſimum ventriculoque male haberet, conſilium meum expoſcere cœpit. Poſtquam igitur de morbis prægreſſis, & vitæ genere anteacto certior fiebam, fratremque natu majorem ante quinquennium è ſcorbuto periculoſiſſimo decubuiſſe alias noſſem, curam omnem eò imprimis direxi ut membra nutritioni inſervientia roborarem; Lienis inveteratum affectum demulcerem; corpus ab excrementitia humorum colluvie repurgarem; ſanguinem defæcarem, viſcerum intemperies corrigerem, Nec tamen Renis ulcus interim negligerem; Etſi verò iſta curandi ratio, viribus interpolatis, ſucceſſu non caruit, genio tamen indulgendo mala poſtliminio revocavit, Urinæ purulentæ magnum inter emittendum ardorem excitarunt; Acceſſit cibi faſtidium & crebri de mane bilis vomitus: noctes ut plurimum tranſactæ inſomnes, corpus indies magis magiſque emaciatum; Annus brevi complebitur quando ad teſtes, præcipue ſiniſtrum, defluxio ſcirrhoſa decumbebat, quæ nullis emollientibus diſcutientibuſque tolli poterat: Semeſtre propemodum eſt cum perinæum obſedit tumor durus, dolorificus, latus, oblongus, reſolutu & ſuppuratu eò uſque contumax, donec poſt alia incaſſum adhibita, ab uſu

emplaſtri

emplaſtri de Rhabarbaro cutis primum excoriaretur, mox etiam tota perrumperetur; ac pus in eo contentum, quale in ſteatomatibus reperiri ſolet, in conſpectum prodiret: Ulcus illud, tametſi mundificantibus probe tractaretur, ſordibus tamen novis quotidie obductum fuit: bimeſtre abiit quod urinæ inclaruerunt, nec pus ſecum amplius deduxerunt: una atque altera hebdomade poſt, circa renem ſiniſtrum graves initio dolores perſentire, poſtea vero illic intumeſcere viſus eſt: Tumor iſte in tantum crevit, ut magnitudine panem, quales nunc groſſo argenteo vix redimitur, æquaret. Is toris nullum nec ſuppurationis nec rupturæ indicium exhibebat. Fruſtra plurima adhibita, Interea vires vehementer detritæ: Abdomen quandoque à flatibus ita diſtentum ut Tympanitidis metum incuteret, ſputationes & exſcreationes multiplicatæ, alvus etiam alias ſegnior per pluſculos dies ſponte reddita fluidior; vigiliæ & inquietudines nocturnæ amplificatæ: Breviter, omnia in pejus ruebant. Tandem triduo ante obitum, cùm decubiturus alvum prius exonerare vellet, quæ triduo non reſponderat, in ſella capite aperto, & reliquo corpore contra externum frigus nõ ſatis communito, paulo diutius commoratus, ſecuta nocte graviſſimo catarrho prehenſus fuit, periturus ex eo niſi cum tuſſi, tum ſcreatu copioſiſſimum viſcidiſſimumque phlegma rejeciſſet: Succeſſit dolor pectoris ad pulmonem dextrum, & reſpirationis clangoſæ ſumma difficultas, genæ rubore perfuſæ, & ſudoribus diaphoreticis vires reſiduæ ita tandem exhauſtæ ſunt, ut Dominico die proximo, poſt horam tertiam matutinam placide ex hac vita diſcederet.

Aperto abdomine, primo omnium notavimus inteſtina, quæ excepto ventriculo & colo, qua circa renem ſiniſtrum inflectitur, & in rectum deſinit, partim flatibus fuere diſtentiſſima, partim maculis liveſcentibus hinc inde interſtincta: Colon ipſi reni ſiniſtro per communem tunicam fuit adnatum, ut nonniſi inciſione liberaris; potuerit dextra parte idẽ inteſtini cum rene commune fuit: Omento, maxime ſiniſtram verſus, adhæſerant excreſcentiæ quædam globoſæ, magnitudine nucis juglandis mediocris, renum quidem externo aſpectu, lienis vero ſubſtantiæ per medium diſſectæ intus quam ſimillimæ: Lien autem, uti & Hepar, inſignis fuere magnitudinis, qualia hactenus in nullo alio cadavere viſa. Ille quidem quà hypochondrio incubuit, craſſior: quà ad ventriculum deflexit, exilior, oblongus alias, & eo qui è Dom. Bucretii cadavere exemptus ſextuplo ad minimum major, ſubſtantiæ cum incideretur diffluentis, putredinis non obſcuri indicis. Hoc vero extrinſecus ſtriatum, eum exactiſſimè in modum qualis ſcorbuticorum plerorumque ſanguis ſuperficie tenus poſt concretionem conſpicitur: intrinſecus in vaſis ſanguine atro ac coagulato plenum, ſuperne ipſi diaphragmati agglutinatum: Remotis partibus modo recenſitis, Renes contemplati ſumus: dexter totus quidem extrà integer, juſto tamen quam decebat major: ſiniſter admirandæ apparuit magnitudinis, ſubſtantia ſevo ſimilis: diſſectus totus inventus eſt purulentus, cortice duos fere tranſverſos digitos craſſo exterius conſtans, interius copioſiſſimo pure ſubviridi, fluxili & impenſe fœtente oppletus. Ad Thoracem ubi perventum, Ecce ibi pulmo dexter latebat exiguus, ſiniſtrum vix dimidio, quoad magnitudinem, æquans, colore nigricans, ad jugulum retractus, & pleuræ ad claviculam connexus. Siniſter duplo erat grandior, ſubpallidus, & in ſuperioris lobi apice inferiore, tuberculis quibuſdam conſpicuus, quæ diſſecta tophaceam materiam commonſtrabant. Pericardium admodum erat firmum, denſum & amplum, Cor depreſſum & laxum: Accuratiorem anatomiam fœtor deteſtandus non admittebat. Michael *Doringius ad D. Sennertum Epiſt. 30.*

Hypochondrii ſiniſtri Tumor à Liene, intra ſanitatis limites, magno.

Ante aliquot annos quendam magno Liene defunctum aperui, in quo, dum vivebat, eadem Tumoris ratio erat, Poſt mortem vero exſectus Lien, plane molis erat inſtar ſpongiæ madidæ: Ingrediebatur illum inſignis magnitudinis arteria ſplenica, egrediebatur major vena, tunica admodum denſa cooperiebatur. Parenchyma abſolvebant fibræ mire inter ſe contextæ, & ſanguis valde ſeroſus cavernulas, ex mira fibrarum contextura enatas adimplens, Sanguinem hunc penitus non ſolum in hoc, ſed hactenus in pluribus Lienibus, non magno labore detracta tunica elui poſſe didici: fibrarum iſte contextus expreſſa aqua admodum contrahitur, & e. g. reſpectu ſplenis bubuli minima ejus portio apparet, aquæ verò immerſa protinus mire ſecundum omnes dimenſiones dilatatur, inſtar ſpongiæ aqua prægnantis. Similem fibrarum contextum in hepate uterino, huhumano, in uteri ſubſtantia partui vicinarum, & in reti mirabili bovino, video, An ſanguinem qualitate aliqua imbuat? an vero ſolum curſum ejus remoretur, vel aliud beneficium conferat? non definio. *J. Jac. Weplerus ad Thom. Bartholinum in hujus Ep. cent. iv. Ep. 13.*

Hypochondrii ſiniſtri Tumor à Liene impenſe magno.

Illuſtriſſ. Comitiſſa Fuſtenberg, circa xxx. ætatis annum anno 1655. Viennæ poſt largiorem melonum uſum, inſuper epoto vino glaciato, cui tamen aſſueverat, incidit in febrem intermittentem, nullos certos typos obſervantem. Poſt aliquot ſeptimanarum decurſum febris evanuit, at remanſit tumor in hypochondrio ſiniſtro, indolens locoque mobilis: Judicabatur ejus generis tumor qualis poſt febres, imprimis, anomalas in hypochondrio dextro ab epota largius frigida deprehenditur, quem quibuſdam in locis hepatis placentam vocant: atque hoc nomine tumor iſte non magni fiebat, neque à Ill. Ægra, neque à Medicis, imo penitus negligebatur. Biennio, à febre depulſa elapſo, denuo concepit, nam aliquot prolium mater eſt: circa medium geſtationis tempus diu maximo labore, ſingulis mane pituitoſa copioſè evomuit, quin etiam tum temporis menſes impetuoſe ſatis eruperant, ut omni ingenio ſupprimendi fœtuſque conſervan-

conſervandus fuerit. Dum fœtus in utero crevit, tumor ſurſum coſtas verſus adauctus fuit; non ſine dolore, qui ſæpe tantus erat ut lectum petere cogeretur: quam primum recubuit, dolor protinus evanuit: Stato partus tempore, promptius ac unquam, puellam enixa eſt: Excluſo fœtu ac ſecundinis, tamen iſte cum impetu quodam deorſum pubem verſus ruebat, ut Illuſtr. Dom. vel uterum prolapſum, vel peritonæi proceſſibus laxatis, herniam inteſtinalem ſibi obtigiſſe vereretur, Verùm illa in lectum collocata, nihil tale, nec tunc nec hactenus animadverſum fuit: Lochia ritè fluxerunt. Poſt puerperium aliquandiu menſes inordinate & cum fœtore emanarunt: Anno 1660. poſt dies caniculares thermas Helveticas adiit: Earum uſu finito, menſium fluxus debitus rediit ac paulo poſt iterum concepit: verum nondum finito quarto menſe, ob caſum abortum paſſa eſt, Ab illo tempore ſentiit tumorem creſcere, citra notabilem actionum læſionem, aut manifeſtum aliquod deterioris valetudinis indicium: Anno 1661. æſtate acidulas Ripliſavienſes bibit, cùm ex Celſi ſententia, ferrata Lienem imminuant, Earum potum commode pertulit, indéque ſpem integræ valetudinis concipiebat: verum nondum finito potandi tempore, cùm gelidam fontanam æſtuante corpore avidius bibiſſet, in colicam incidit, quæ tamen congruis adhibitis, utcunque ſæviſſima fuerit, brevi ſublata fuit: Ab illo tempore ad hanc uſque diem ſat bene ſe habuit, nullum vitium in actionibus notatu dignum obſervatur, habitus corporis eſt obæſus, facies roſea, cætera cutis candida, ſtatura mediocris: Pridem crebro ſanguinem tenuem ex utraque nare & fere quotidie exſtillavit: Poſt uſum ſpleneticorum hæmorrhagia rarior & parcior eſt: urinam copioſius & potum quantitate ſuperantem, ſed pallidiorem nunc emingit: Tumor quoque horum uſu aliquantulum decreſcit. Ejus facies, dum hæc ſcribo, talis eſt, ſub coſtis nothis in ſiniſtro latere incipit, deſinit prope os pubis: Si ſupina jaceat, lineam albam non tranſcendit, ſed tamen proxime fere attingit, vacuum ſpatium inter coſtas & ſpinam Ilii implet: Si dextrorſum corpus volutet, illuc prolabitur, imo manu facili labore eouſque adigi poteſt, ejus terminos circa lineam albam, ſimiles linguæ bubulæ, non ſemel tactu explorare potui: Ego tumorem hunc ſemper Lienem magnum credidi, ejus ſcilicet affectum à ſcirrho penitus diverſum, ut mecum Dodonæus ſentit, tumor enim attactui mollis & quaſi fungoſus tangenti manui occurrit: Eoque lubentius id exiſtimo, quia ante aliquot annos vidi, &c. (vide §.) In Illuſtri igitur Domina, Spleneticas fibrarum cavernas admodum ſeroſo ſanguine impletas exiſtimo: fibras vero arbitror tonum ſuum & robur, ob annuam p. n. expanſionem tantùm non perdidiſſe, atque ob hanc cauſam tanto tempore molem Lienis eandem permanere. Exc. T. ſummopere rogatum velim quid de hoc affectu ſentiat? Certus ſum magnos Lienes Exc. T. notiſſimos, cùm in oris illis vivat ubi frequentiores ſunt quàm in his regionibus, Humorem melancholicum multi accuſant, at penes Ill. Dom. nulli hujus humoris effectus apparent, ſi molem ſplenis excipiam, quæ tamen æque ab aqua accidere poteſt: Deinde ex te quæro, quid de diureticis in hoc morbo ſentias, &c. *J. Jac. Wepferus in Epiſt. T. Bartholini cent. 4. Epiſt. 13. In miſcellaneis vero curioſis ann. 1670. morbi hiſtoriam perſequitur, obitum & anatomen tradit.*

Illuſtr. Comitiſſa Franc. Elizabetha de Furſtenberg, Splenis ingentis mole jam diu divexata, anno 1668. menſe Aprili, purgans aſſumpſit annuum ex Magiſt. Jalapæ, à quo ſepties alvus alias cum euphoria commota, hac vice ad 4. dies infinitis vicibus corpus diſcruciatum (iræ ſanguinem commoventi cauſa adſcripta) alvo ex parte tranquille reddita, venæ ſectio inſtituta: à V. S. conſtipatio nata. Illuſtriſſima verô cum ſcybala cum violentia ejicere conaretur, ruptionem in cerebro factam eſſe, & apoplexiam imminere fruſtra imaginata eſt, nam nullum motu defraudatum fuit membrum, copioſe bibit aquam apoplecticam: ſequitur vomitus per triduum durans, cum ſumma virium debilitate & perpetuo narium ſtillicidio: cui paucis poſt diebus ſuccedit vertigo; Adſtantes dum Illuſtr. per cubiculum ducere conantur; ſyncope accedit, ut inter greſſum exſpiraret.

Abdomine recluſo, ingens Lienis moles oculos incurrit; longitudine æquavit quinque palmas tranſverſas; latitudine quatuor, craſſitie unam cum dimidia; pondere VI. libras civiles valuit: figura Lienis ſecundum naturam oblonga eſt inſtar linguæ bovinæ, hic eminentiam palma largiorem inferius adnatam habuit, ſemicirculum referentem; & infra umbilicum dextrorſum progredientem. Interior ejus ſubſtantia picem ſaturato nigrore referebat: exterius ob craſſiorem tunicam minus nigreſcebat, tactu, ob craſſam hanc tunicam, durus videbatur, ea excoriata, fungoſus & mollior, fœtor fere abfuit omnis: Stomachum ubi attigit, interna ſuperficie, putridus & inflammatus; Eloto piceo ſanguine, ſæpe repetita aquæ affuſione, fibræ albæ & robuſtæ remanſere: ventriculus in utroque latere, ubi hepate & liene tegitur, non aliter ac ſi combuſtus eſſet tinctus. Intus exulcerationem patiebatur; A levi inflatione ventriculus diſruptus ad illam regionem quam Lien tegebat, ubi diſruptionem examinavi, tenuem valde & levi tractu diſſilientem ventriculum vidi, alibi à fortiore diſruptione non volui disjungere: cerebrum ab omni labe erat immune: Acidulis Rippelſauvenſibus uſa per aliquot annos, vidit abdominis tumorem indies imminui.

Hypochondrii ſiniſtri tumor à Liene indurato.

Mulieris vi morbi profligatæ diſſectioni interfui, ſublata vero fuerat diuturna viſcerum obſtructione: Lienem in cadavere defunctæ invenimus tantæ eſſe duritiei, ut vix cultro cederet, niſi magna vi intruſo: Inter ſecandum non diſſimilis audiebatur ſonitus, quem in lignis ſpongioſis diſciſſis animadvertimus, & ſi clarius loqui licet, & colore & duritie carnem fumo diutino induratam lien referebat, ſive quod interceptis obſtructiſque vaſis ſpleneticis exaruerit, ſive quod atro ſucco repletus nutrituſque fuerit induratus. *T. Bartholinus cent. 4. obſerv. 60.*

Hypochondrii ſiniſtri Tumor ob Lienem durum, magnum, interius putridum, & materia fæci vini ſimili repletum.

26. Auguſti 1670. deduxit me Clar. D. D. Drelincurtius ad Ægrum 30. circiter annos natum, qui artem textoriam exercuerat, & plurimo lacte & caſeo uſus fuerat; laboraverat ille æger ultra annum febre 1. quidem tertiana, eaque nunc ſimplici nunc duplici, poſtmodum quartana, demum erratica; quibus tot febrilibus inſultibus ita attenuatus erat, ut faciem Hippocraticam vere nobis exhibuerit: Venter valde tumidus & durus erat, ſentiebaturque durities in latere ſiniſtro, à coſtis nothis ad latus dextrum tendens, ac infra umbilicum uſque deſcendens: Contrectando vero hypochondrium ſiniſtrum, ad latitudinem duorum triumve digitorum tranſverſorum ab umbilico, Tumor longe durior percipiebatur: Sæpius hæmorrhagiam narium patiebatur, raro tamen ſanguis è nare dextra emanabat, at ferme ſemper è ſiniſtra. Quatriduo autem poſt, id eſt 30. Auguſti, venter detumuerat, eadem tamen aderat durities: laborabat autem dyſenteria, & quotidie duodecies circiter alvum exonerabat, & ab eo tempore dolores diminuti fuerunt, excrementa vero fœtidiſſima erant atque cruenta, & admiſta quædam inteſtinorum ramenta præ ſe ferebant. Dolor in extremitate oſſis ſacri infeſtabat: In dies augebatur debilitas, & præſertim maxime debilitabatur à Dyſenteria, quare præſcriptus fuit clyſter ex lacte & vitellis ovorum, quo ſæpiꝰ injecto dolor & dyſenteria ceſſarunt, & excrementa naturalia ad finem uſq; vitæ ſuæ depoſuit.

Nono Septembris animam exhalavit, ac ſequenti die à Clar. Drelincurtio cadaver ejus apertum fuit, me ſolo præſente: In illo autem ſequentia notatu digna vidimus: Lien nonniſi mediante membranula quadam diaphragmati alligabatur, nec ſuo capite attingebat diaphragmati, neque ullibi alligatus erat; cauda autem ejus duos digitos tranſverſos ultra coſtas nothas deſcendebat: Totus porro Lien durus erat atque plumbei coloris, magnus atque craſſus, ponderis ℥xliii. intus denique materia copioſiſſima, inſtar fæcis vini rubri concludebatur: Duplex polypus in corde, utriuſq; ſubſtantia mollis: qui in ventriculo dextro continebatur, longe craſſior erat, uti aſſolet: Sanguis in arteriis contentus, plane ſeroſus & fluidus: qui vero in venis, nigricans ac inſpiſſatus erat. *J. Von de Flammerdinge Diſputatione de Tumorib. Lienis* ☉ 14..

Scholium.) Cauſa tam efficiens quam materialis Lienem vel putridum & fæculentum, vel durum & ſcirrhoſum reddens, gradu tantum differt: Cauſa enim efficiens mihi Acidum eſt, idque nunc debilius nunc fortius; nunc minori nunc majori copia, præcipue in acinis Lienis, ſive glandulis lienalibus ſubſiſtens: Cauſa materialis, partes ſanguinis, eæque nunc minus nunc magis concretæ induratæque: Cauſæ vero cur talis Aciditas in glandulis lienalibus reperiatur, ſequentes mihi eſſe videntur, 1. Sanguinis craſſities, terreſtreitas aut viſcoſitas 2. Spirituum defectus: Sanguinis craſſities, terreſtreitas aut viſcoſitas, efficiunt ut minus libere per acinos illos tranſcoletur ſanguis, qui copioſus ad illos affluit, & partes quædam ſiſtantur intra acinos, quæ ſtagnatione aceſcunt: Ob ſpirituum defectum ſanguis minus fluxilis, craſſior minuſque temperatus exiſtit, Et cum ſpiritus ubique ſanguini permiſceri debeant, & illud maxime in liene requiratur, ad quem multus ſanguis defertur, & quo proinde naturæ artifex multos nervos deduxit, ut copioſos ſpiritus advehant, non mirum ſi illis parciori copia accedentibus, ſanguis adhuc craſſior evadat, & partes ſubſiſtentes aceſcant, & cum quotidie acidiores evadant, ſanguinem qui percolandus eſſet, univerſum incraſſent, qui poros acinorum, ſive glandularum offerciens ac diſtendens, partem tantum fluxilem magis tranſfluere permittit, ac ſtagnatione diuturniore intra lienem in materiam putrem, & fæci vini rubri haud abſimilem abit: quod ſi verò diutius malum perſeveret, ſanguis terreſtrior ſit, & acidum fortius exiſtat, febris accendatur fortior & corpus exſiccetur, indurabitur lien & ſcirrhoſus evadet, conſumpta tandem humiditate ſanguinis, & impedito novo ejus ad Lienem affluxu propter obſtructionem: Acida autem ſanguinem coagulare, id primum me docuerunt experimenta, quæ jam olim celebres Medici fecerunt in Anglia, quibus conſtat liquorem acidum, in brutorum viventium vaſa ſanguiduca injectum, necem brutis inferre, eamque vel citiorem vel tardiorem, prout acidum vel efficacius vel inefficacius exiſtit: In illorum quippe cadaveribus, dum adhuc tepent, ſeu, ut rectius dicam, ſtatim atque ſpiritum duxerunt ultimum, cauſam mortis rimantes, nihil aliud deteximus quam ſanguinem concretum coagulatumque in vena cava cum aſcendente tum deſcendente, & in ventriculis cordis, potiſſimum autem in dextro, prout hiſce meis, cum oculis tum manibus, non ſemel vidi contrectavique: Quibus certe experimentis, Clar. meus Promotor Drelincurtius lucem atque fidem plurimam nobis fecit, dum brutorum animantium ſanguinem non unice coagulavit, ſed & humanum, cujuſvis fuerit ille & indolis & ſexus & ætatis, concreſcere fecit: Quoniam autem ipſum defecerunt occaſiones, quas olim Eraſiſtratus atque Herophilus Romæ nacti ſunt circa homines morti addictos, ut experimenta ſua faceret in viventium corpore, illa fecit nihilo ſecius bene multa in eorundem ſanguine, ſed extra corpus educto, quæ profeſſus eſt nequaquam fallacia fuiſſe, ſed indubitatæ fidei: Nullum ſiquidem reperit hactenus ſanguinem è quovis vivente miſſum, ſive ſano ſive morboſo, ſive tenero ſive adultiori, ſive conſiſtente ſive declinante, maſculo vel fœmineo, qui acidorum mixtura non fuerit alteratus in colore atque conſiſtentia ſuis: 1. Itaque ut certior fieret de rerum eventu circa ſanguinem virilem è ſano extractum, aliquid alias omphacii, alias aceti, alias limonum ſucci, alias aceti deſtillati, alias ſpiritus vitrioli, alias olei vitrioli, alias ſpiritus ſalis, alias ſpiritus nitri vaſculo, quo ſanguis excipiendus erat, indidit, pro majori hujus vel illius copia & acredine ſemper obſervavit, nec unquam fefellit ipſum rerum exitus, ſanguinem exinde evadere vel fuſcum, vel nigricantem, vel nigerrimum; nec colore duntaxat à nativo longe declinantem, ſed & conſiſtentia maxime varium fuiſſe, ſedulus illum notavit, fluidum quidem 10. ſed valde inſpiſſatum & incraſſatum, nam in alis

picis

picis liquidæ, aut fæcis vinaceæ fuſcioris æmulus erat, atque ubivis ſuperficie plana & lævi; vel fluidum adhuc itidem, ſed per grumos & globulos concretum, uti eſt oleum non omnino frigore duratum: vel demum univerſe compactum atque coagulatum, uti caſeus eſt firmior, idque ſemper citra ſeri ullius guttulam, fortioribus enim acidis ſerum omne una cum ſanguine coit concreſcitque: At mitioribus non item, ſed confuſum permixtumque manet cum ſanguine nigrefacto inſpiſſatoq; Adhæc autem illorum ſanguine uſus eſt qui plethoræ demendæ cauſa, anno vernante, venam ſibi tundi curant, ut prout in hoc vel illud Chirurgorum vaſculum, quo ſanguis excipitur, hoc vel illud acidum, hac vel illa proportione injecit, ita etiam varios nigredinis & cohærentiæ gradus, animadvertit: Idem rurſus ut in ægris comprobaret, conſimili methodo varios gradatim liquores acidos, vel ad cochlearia, vel guttulas aliquot, in vaſcula conjecit, quibus ſanguis, è corpore febrili aliterve morboſo proſiliens ſectione, exceptus eſt, & antequa n ægrotantis de cubiculo pedem referret, rudimenta non levia duplicis alterationis præfatæ contuitus eſt: Imo ſciendi deſiderium compulit ipſum in arterioſo ſanguine idem ut exploraret; Illius autem excipiendi copia fuit Lutetiæ non denegata, eo quippe loci haud infrequentes reperire eſt Chirurgos induſtrios, qui temporariam arteriam, exterioris caroticæ ſurculum gnaviter & dextre ſecant, cum in cephalæa, tum in ophthalmia & oculi protuberantia & ejectione, vel dolore aſperioribus, vel diuturnitate contumacioribus: Qualicunque enim de cauſa ſanguis arterioſus ille fuit eductus, eandem prorſus atque venoſus in vaſculo alterationem unam & alteram ſubivit, Ne autem fucum nobis facere videretur, id reapſe nobis comprobavit 1. namque mihi experiri dedit, ſanguinem virginis non menſtruatæ exceptum vaſculis tribus, quorum prius omphacio delibutum erat, alterum irroratum aceto, 3. tandem puriſſimum erat, unde contigit ut prioris ſanguis nigricans & fæcutinus apparuerit, ſed citra ſerum ſecretum à maſſa, Alterius ſanguis nigrior, ſpiſſior & fæculentior erat, necnon grumis ſeu granulis ſanguineis nigris totus ſcatebat, apprimeqe mihi exhibuit ſapam aliquam nigram granulatamque, ſed citra ſerum innatans ullum: Tertii demum ſanguis concreverat in offulam, quæ plurimo virideſcente ſero inundabatur, uti ſæpe ſæpius obtingit: Inſuper his, toti Collegio ſuo Anatomico Vitulum mactavit, dum axillaris arteriæ utriuſque truncum incidit, & ſanguinem arteriæ ab utraque rivuloſe proſilientem multiplici vaſculo excepit, in quorum unumquodque varia acida infuderat, quæ jucundo nobis ſpectaculo varietatem illam præ oculis poſuerunt quam collegiis in Practicis nos docuerat: Cum primis autem mirari ſubiit tantam illius ſanguinis compactionem, quanta inerat illi ſanguini quem ſpiritu nitri conſperſo vaſe, ab arteria ſalientem exceperat: Tantis experimentis fultus, nullus veritus ſum Clar. Vitii ſ ntentiam amplecti, qua ſum edoctus limoſum, fæcinum atque lutoſum lienalem evadere ſanguinem, unaque craſſum, fuſcum, nigricantem, nigrum grumoſumque acidi ſeri cellulas intra lienales occurſu, ubi hac ſua limoſitate, fæcis craſſioris æmula, meatus & itinerula, naturæ alias pervia, opplet & obturat, ſicque obſtructionum fit primum author, ſubinde vero tumoris durioris atq; durioris, prout partes illæ terrenæ atque fœcatæ magis magiſque inſpiſſantur indurantu. que, vel occurſu novi acidi fortioris quod illas potentius figit denſatque, vel ſeceſſu tenuioris aquoſiorisque partis, quæ terreſtreitatem illam prius diluebat fluxilemque conſervabat, In illam porro mentem eo lubentius deſcendi, quod enim adverterim fæcinum illum ſanguinem atrum, in vaſculis arte factum, penitus analogum eſſe alteri illi, quem propriis itidem hiſce oculis meis obſervavi è lienibus educi morboſis, tumidis nempe, putridis, cœnoſis atque lutulentis: Eo rurſus gratiori mente id arripui dogma, quod mihi luciſſimam facem prætulerit in perquirenda veterum melancholia atra, ſive humore lienali atro atq; morbifico, quem eo pacto non ſolum vidi ſed & palpavi: Hinc itidem animum meum dubiis liberavi circa Chloroſeos naturam, in virginibus potiſſimum illis, quas Monſpelii vidi bene multas, ab eſu limonum & acetariorũ nimio in tanta incidiſſe ſymptomata: Acidum enim nimium ſanguinem inſpiſſat, & illum per conſequens, qui menſtrualis foret, ineptum reddit periodice ut effluat &c. *Idem ibid.*

Hypochondrii ſiniſtri Tumor ob ſubdiium Lienem magnum, Sanguine ſeroſo diſtentum.

Ante aliquot annos quendam Magno Liene defunctum aperuit doctrina conſpicuus Clar D. D. Ioh. Iac. Wepferus, Medicus Schafhuſanus, In quo Lien plane mollis erat inſtar ſpongiæ madidæ: Ingrediebatur illum inſignis magnitudinis arteria ſplenica, egrediebatur major vena: tunica admodum denſa cooperiebatur; parenchyma abſolvebant fibræ miræ inter ſe contextæ, & ſanguis valde ſeroſus cavernulas, ex mira fibrarum textura enatas adimplens: Sanguinem iſtum penitus, non ſolum in hoc, ſed antea in pluribus lienibus, exiguo labore, detracta tunica elui poſſe didicit Vir idem eruditus, & fibrarum contextum expreſſa aqua valde contrahi, ut reſpectu ſplenis v.g. bovini, minima ejus portio adpareat: aquæ vero immerſam protinus mire ſecundũ omnes dimenſiones dilatari, ſpongiæ inſtar: Similemque fibrarum contextum in Hepate uterino humano, & in rete mirabili bovino ſe vidiſſe fidem facit Vir Clariſſ. Idem erit & Hepatis veri fatum, niſi fallunt me auguria: quod eapropter longa maceratione excluſo cruore candicat, & levi opera, concreto ibidem ſanguine excuſſo, vaſorum ſuorũ nudam texturam revelabit, ut ſciat tandem ſe ſuo pede metiri, nec Cordis, ſolida carne præditi, invadat imperium, ut ſola ſeparatione vel miſcela ſanguinis contentum quoque vivat. *Bartholinus Tract. de Hepatis exequiis pag. 28. de conſtitutione Hepatis. Vide Marc. Malphigii T. de Hepate.*

Hypochondrii ſiniſtri Tumor à Lienis magnitudine & duritie.

LAtus ſiniſtrum deciduo ex loco ſuperiore lapſu afflixerat Th. Joannis, ex iis fabris qui ligneam ædificiis adaptant materiam: Hic adhibitis quibuſdam unctionibus & fomentis, cùm dolorem graviorem non perciperet, livorque qui in cute apparuerat, diſparuiſſet

ab uſu medicamentorum quidem abſtinuit, ſed palliatæ ſanationis effectus poſtmodum ſenſit & incuriam in eo morte ſua luit: Surrexit enim quaſi ex inſidiis hectica febris, quæ diutius latentem ſui cauſam celare non potuit, dum paulatim latus extrinſecus illæſum in tumorem aſſurgit, & duriori intus latenti, ſeſeque paulatim dilatanti lieni amplius dat ſpatium, per quod ſuam, quot diebus majorem extenderet duritiem: Accedebat anhelandi difficultas, quam quidam rebantur alterius morbi ſobolem:

Extinctus itaque & anatomice examinatus, oſtendit unicam tot malorum, quibus quindecim menſibus exagitatus miſeram traxerat animam, cauſam fuiſſe læſum iſto lapſu lienem, qui præter modum induruerat, & magnitudine diaphragma premens, anhelandi difficultatem induxerat: Reliqua viſcera cuncta viſebantur & integra, niſi quod inteſtinis biliosa quædam circumfundebatur materia. An ſatius hic fuiſſet heroico Fioravantii uti remedio? &c. *Th. Kerckringius obſervat. Anatom. 33.*

Lien magnus.

Anno 1653. Monſpelii, in Noſocomio fuit cadaver ruſtici cujuſdam diaria febre demortui diſſectum, in quo inventus lien ingentis magnitudinis, ac ponderis duodecim librarum. Lien etenim occuparat totum ſub epigaſtrio ventris ſpacium, ut & ad jecur quodammodo allideret. *Ex obſerv. propr. De Ioh. Helvvigii.*

Scholion Schrockii. Naturam in nullo viſcere magis ludere, quàm in liene fabricando, Joh. Riolani lib. 2. Enchirid. anatom. pathol. c. 26. eſt ſententia, experientiæ reſpondens, cùm figura, numero, ſitu variare ſæpius deprehendatur; interdum planè deeſt; quandoque parvitate inſolita præditus; imò & magnitudine nonnunquam ſpectabilis; quam non tantùm à natura, ſed & morbo adipiſcitur. Hinc magnorum lienum Hippocrates paſſim meminit, quo ſub nomine ſcorbutum indigitari, plurimi ſunt qui ſtatuant, ſunt qui contradicant. Et quamvis ſymptomatum eos comitantium multa ſcorbuto etiam adeſſe, negari haud queat, placet tamen Magni Bartholini judicio ſtare, qui Diſſert. 4. de Medic. Danor. domeſt. diverſos hos adfectus demonſtrat. Interea tamen improbabile non eſt, ſæpe in ſcorbuto magnam in molem extumeſcere viſcus illud; licet & ſæpe abſque illo ſcorbutus in corpus deſæviat: quale quid in cadavere à morbo iſto extincto ſe obſervaſſe memorat. Dan. Sennertus tr. de ſcorb. cap. 3. Sic & Petr. Foreſtus lib. 20. obſerv. med. 11. in ſchol. lienem in quodam minus adfectum fuiſſe notavit; & Cl. Thomas Willis lib. de urin. cap. 4. ſe in pluribus hepar & veſiculam fellis læſa, morboſa lienis nulla mentione facta, deprehendiſſe teſtatur. Cæterùm plura ſplenis in magnitudine, ſive ob morbum, ſive quendam in ipſa conformatione & nutritione errorem Naturæ, excedentis exempla paſſim occurrunt; uti videre eſt in Ephemer. Germ. Curioſ. Anno I. obſerv. 2. 29. Anno IV. obſerv. 30. V. obſerv. 148. apud Thom. Bartholinum cent. 1. epiſt. med. 62. cent. 4. epiſt. 13. 14. & cent. 1. hiſt. anat. 80. in Actis Medic. Hafnienſib. Volum. 1. obſ. 100. apud. Ol. Borrichium tract. de Hermete Ægypt. lib. 2. cap. 8. § 7. Gerad Blaſium Comm. ad cap. 4. Syntagm. anatom. Veſl. Theod. Kerckingium obſ. anatom. 33. Gregor. Horſtium lib. 1. Epiſt. med. ſect. 11. Nicol. Tulpium lib. 2. obſerv. medic. cap. 30. Guil. Fabricium Hildanum cent. 2. obſ. chirurg. 45. Joh. Fernelium lib. 1. Phyſiolog. cap. 7. Andr. Veſalium lib. 5. de hum. corp. fabr. c. 9. Barth. Cabrolium obſerv. 6. Henr. Smetium obſervat. miſcell. lib. 10. Ann. 1603. Reald. Columbum lib. 15. de re anat. Joh. Schenckium lib. 3. obſerv. medic. Marc. Donatum lib. 6. hiſt. med. mirab. cap. 2. Leonh. Floravantium lib. 2. theſ. vit. hum. cap. 8. Quod etiam ex Antiquioribus non latuit Aetium lib. 7. cap. 10. & 16. ſcribentem, longitudine ſua uſque ad inguen nonnunquam protendi, latitudine verò hepar attingere, quo de non minùs conquerentem Cappadocem Lenonem inducit M. Acc. Plautus in Curcul. Act. 2. Scen. 1.

Valetudo decreſcit accreſcit labor; nam jam quaſi zona bene cinctus ambulo, Geminos in ventre habere videor filios nil metuo, niſi medius diſrumpar miſer &c.

De Liene cartilagine oſſea incruſtato.

Anno 1666. Mercator Gedanenſis à multis annis ingluviei deditus, variiſque modis in victus ratione peccans, incidit in varios corporis affectus; qui quidem curati, nunquam tamen in totum ſublati ſunt, quia æger præceptis Medicis parùm obediens fuerat. Tandem totius inferioris ventris inæqualem tumorem perſentiens, hincque ſenſim languore corporis univerſali afflictus, de dolore in regione lumbari gravativo, eoque ſiniſtri hypochondrii obtuſo, ac vinculo ſub ventriculo tranſverſali conqueſtus eſt. Vocatus, deprehendi ex ſignis, pertinaces latere in corpore ejus Obſtructiones, quare omnem movi lapidem ut ipſi priſtinam reſtituerem ſanitatem. Cùm alvus ſubinde aſtrictior eſſet, exhibui blandè evacuantia, quibus tantum profecimus ut videretur ſibi æger aquoties ab illorum uſu ferè reſtitutus, quoniam ſcybala excernebat grandia ſummèque dura, adeò ut in excretione ad pelvim ſonum ederent lapidum inſtar ab alto delapſorum. Quod cùm fortè indicaſſet, juſſi, ut aſtantes excrementa mihi monſtrarent, in quibus aliquot fruſtula caſeorum induratorum, ſicut illa, uti ipſus æger faſſus eſt, ante aliquot Septimanas ruri tum degens pro jentaculo, pravo ſuo more, deglutierat, invenimus, Talia quamvis ſæpius cum ſucceſſu educerentur, tamen longitudine morbi contabuit & naturæ ſatisfecit. Aperto cadavere obſervavi omnes glandulas infimi ventris tam internas Meſenterii, quam externas abdominis induratas, inprimis illas copioſiſſimè regioni lumbari incumbentes, unde dolorem lumborum deduxi gravativum. Luſtratis inteſtinis reperi Cellulas inteſtini Coli per tranſverſum corporis ſub ventriculo ſiti ſcybalis fruſtuliſque caſeorum ingeſtorum ferè omnes infarctas: hinc excretiones præmemoratas ortum ſuum duxiſſe judicavi. Reliqua inteſtina erant omninò vacua. Remotis iis, examinavi hepar, quod miratu dignum, omnibus ſuis partibus inveni ſanum, etiamſi æger, dum

dum viveret, crapulæ nimium indulſiſſet. Ultimò perquiſivi Lienem, &, dum illum circumcirca vellem blande liberare, animadverti duritiem haud levem; quare novitate rei perculſus, totum lienem excidi, eumque dimidia ferè ſui parte oſſea cartilagine incruſtatum vidi, adeo dura, ut acutiſſimo quamvis cultro vix diſcindi, ſineque læſione Parenchymatis ſeparari potuerit. Exinde haud difficulter dolor ſiniſtri Hypochondrii obtuſus patere potuit. Plura avidiſſimè inquirere mens erat; Verùm Uxor defuncti renuit, cadaverque mariti linteis inſui ſtatim juſſit. *D. Chriſtiani Rudnicii.*

De Membranarum & arteriarum cartilagineo toro.

Memini Anno CIↃ IↃC. LXV. in Anatome Fœminæ hypochondriacæ, ea Lienis parte, quâ arteria ingreditur, & plurima deinde ejus ſuperficie, cruſtam fuiſſe obnatam, non cartilagineam adeò, quod aliquando compertum, ſed lapidoſam valdè, & ferro uſque renitentem, ut & cum crepitu reſiliret; craſſities duratæ membranæ, qua maxima erat, ſcutatum nummum facilè ſuperabat: penitius inſpecta ex lamellis coaluiſſe videbatur, partim exhauſto nutricio rore, partim petrifico ſpiritu immiſſo. Membranas, aut cartilaginem, ſive ligamenta in os obrigeſcere, circa baſin præſertim cordis, in vetulis ſiccisque animalibus, & ſeneſcentium avium tendinibus, tum aliis, tum incomparabili Stenoni non ſemel viſum eſt, at toſi induere naturam paulo rarius: vidi tamen etiam certa occaſione, monſtrante Carolo Drelincurtio, Medico & Conſiliario Chriſtianiſſimi Regis, arteriam deſcendentem, potiſſimum Iliacam, variis in locis totam in lapidem induruiſſe, mediis arteriarum ſpaciis quaſi jurato exceptis, & cavitate ſalva, mirabili planè oſtento: rara enim vis ſit oportet, quæ ſeſe in tam diverſa atque incerta ſpargat; hic membranæ, ibi toſi induat naturam. Crediderim in plurimis ſolidorum gradualem eſſe mutationem, & quemadmodum ex cartilagine aut tendine os fit, ita ex oſſe tandem, compactis arctiùs particulis, oleoſaque humiditate emuncta; tofum aut ſilicem enaſci, ibi flexilibus magis, hæmoſiſque particulis, hic paulò rigidioribus, & per puncta cohæreſcentibus. *Ioh: Nicolai Pechlini.*

Cùm de lienis affectibus agatur, miram ſymptomatum à liene συμπλοκὴν dependere ſequentes probant hiſtoriæ, Dominus Alexander de Harſi, vir doctiſſimus & eloquentiſſimus, juris utriuſque Doctor Clariſſimus, temperamentum bilioſo-melancholicum nactus, quadraginta quinque, aut circiter, annos natus, de dolore lienis ſæpius conquerebatur & facies lurida malè morata viſcera arguebat, febre tertianâ & duplici tertianâ primò laboravit, & inde in maraſmū & hydropē incidit, diuque inſtare fatum facies hyppocratica & ſumma macies oſtenderant, à principio urinam craſſam, turbidam, cum copioſiſſimo ſedimento lateritio, inſtar boli contriti ad finem uſque morbi mittebat. Cadaver cultro anatomico, à peritiſſimo Chirurgo Domino Nicolao Danel, apertum fuit 17. Ianuarii anni 1674. Thoracis muſculorum conſumptio coſtarum eminentias & diſtinctionem propalabat, lienis tumidi extremitates duræ ſe ſe attrectanti facile offerebant, ſummæ tibiarum emaciationi tumor œdematoſus ſucceſſerat, quaſi è mediis aquis ignes micarent, ignibus à centro ad ſuperficiem avolantibus, quod in proximè morituris non ſemel obſervavi, ſacri ignes, ruboreſque eryſipelatoſi, à mixti ἀλλοιώσ in tibia & pede fulgebant, ſecto abdomine pluſquam triginta libræ Medicinales aquæ claræ limpidæ ἐκ γλοιώδεως καὶ δυσώδεως extractæ ſunt, nullis epiploi quod conſumptum erat, ſuperſtitibus reliquiis; lien tumidus erat, & ſchirroſus, obſcuri & ſubnigri coloris, putris, & qui facile unguibus diſcerpebatur, Rhombum piſcem fere, figurâ aliquatenus quadrilatera, repræſentabat, excepta tamen extremitate verſus ſtomachum duorum digitorum longitudinis & trium latitudinis, diameter ejus dimidii circiter pedis, vel ſex pollicum, quinque pendebat libras, ſuperficiem convexam circumvolvebat membrana cartilaginea albicans, craſſa, parenchymati lienis arctiſſimè adhærens, quamplurimis fibris ſeu filis undique hypochondrio, & duodeno adſuebatur, ut abſque inciſione ſeparari nequiverit, non procul à canali virſungiano aut pancreatico quatuor calculi reperti ſunt, nigri, leviores, friabiles, unus ad parvæ caſtaneæ molem accedebat, ut omnes adſtantes carbonem eſſe ſtatim crediderint, cui vermiculus longitudinis digiti auricularis ad molem fili contorti, albicans & vivus inſidebat, in veſica fellea continebatur bilis nigrior in pauca quantitate, & ſanguis in vena porta adustus & nigricans vix duas pendebat uncias, hepar etiam alibi obſcurius, alibi albicans variegatis coloribus diſtinguebatur; & eam corruptionem contraxerat, ut lacerum eſſet, illius moles, quàm lienis minor erat; illis inteſtinis videbatur ſuam labem affricuiſſe, quæ ſub ventriculo & hepate poſita, ut colon, ad corruptionem prona videbantur, & rubore inflammationem teſtabantur: cæterùm ventriculus, pylorum, & quæ aquis innatabant labis videbantur expertia, imò inter tunicas adipis reliquiæ minorem conſumptionem in illis partibus quæ aquis innatabant ſubeſſe oſtendebant, quod in tanta macie mirum erat; quaſi aquæ illæ balſamicum aliquid continerent, quod viſcerum ſiccitati & æſtui obſiſteret; uſus erat mercurio vitæ, & guttâ gambâ, à quibus draſticis medicamentis nullam noxam ventriculus contraxerat, venæ lacteæ ſolito majores erant, earum una pennæ columbinæ mediocris molem æquabat, totius meſenterii pars ſuperior exeſa conſumptaque erat, inteſtinum reni dextro aſſidens ſphacelatum erat, & ren ipſe ſiniſtro major verſus inteſtinum eandem corruptionis labem contraxerat, pulmones partim ex abſceſſibus albicantes, partim ex partis aduſtione nigri, & corrupti erant, partim etiam phlegmate, & atro ſanguine inſtar atramenti referti erant, in cordis ventriculis paucus ſanguis repertus fuit, nec concretus, in vena cava pauciſſimus etiam & aduſtus atque niger ſuperſtes erat, ex quibus & morbi & mortis cauſas licet facile colligere: hæc porro ſectio anatomica inſtituta fuit coram clariſſimo viro Domino Stofel, Celſiſſimorum Principum Wirtembergenſium Doctore Medico digniſſimo, & aliis.

Altera hiſtoria graviſſimis aliis ſymptomatibus mira, non minus admirationem merebitur, quàm difficultatem in morbi diagnoſi ſtatuenda, peperit, dum, graviſſimis doloribus æger excruciatus, & diris afflictus ſymptomatibus Medicos, qui in excogitandis & conciliandis graviſſimorum & variorum ſymptomatum cauſis, ſibi crucem figebant, angebat, Dominus Johan. Binet, viginti quatuor aut circiter annos natus, temperamenti bilioſi, vir robuſtus & toroſus, anno 1675. menſe Aprili, conquerebatur de graviſſimis ſtomachi doloribus, per ſpatium quatuor fere hebdomadum, quibus ſucceſſit febris duplex tertiana, & paroxyſmorum tempore, ita vires acciſæ erant, ut tantùm non in lipothymiam incideret, cui accedente oculorum caligine, proximus erat. Bis purgato benignè corpore, ſectaque vena, & adhibitis cordialibus meliùs ſe habuit, poſt novem paroxyſmos ἀπύρετος, aliquot poſt diebus urgentibus indicationibus, ſecta fuit vena, ſed quòd avertere debuiſſet ſymptoma ſanguinis vomitum non impedivit, eodem enim die, enormem ſanguinis copiam ſine tuſſi, violentiâ, primâ & ſecundâ vice coagulatum, tertia dilutum facile evomuit, julepi præſcripti ſunt qui ſanguinis æſtum temperarent, & motum illum impetumque contra naturam reprimerent, applicitæque ſunt ad eoſdem ſcopos cucurbitulæ, & unico redeunti paroxyſmo, maxima ſucceſſit debilitas, per decem dies, quærebant an fotùs qui ſanguinis vomitum præceſſerant, propter θερμότητα ad illum vomitum ſanguinis contulerint, ſed ſine noxa etiam aliàs adhibiti fuerant, purgante leniori inde exhibito ſublevatus fuit, ſed quoties corpus moveret, aut in pedes ſe daret, toties dolor ſtomachi recrudeſcebat, inferiùs, ad renem, ſuperiùs ad humerum protenſus, quibus doloribus accedebant vomitus materiæ phlegmaticæ, bilioſæ, & ciborum ingeſtorum, ſumptiſque apozematibus aperientibus, quæ alternis diebus laxantia reddebantur, expurgatâ bile, & flatibus ἄνω erumpentibus, non parum levatus, placidè dormiebat, iterati tunc fuerunt fotus emollientes, & ita permanſit à menſe Octobri ad principium Decembris, quo tempore αἱματηρὸν ἔμετον iterum paſſus eſt, enormem, cùm circiter ſex libras ſanguinis vomitu rejecerit, cum grumo coagulati ſanguinis duodecim pollicum longitudinis quatuor libras pendenteз pr inſquàm illum ejeciſſet, tumorem duru; circumſcriptum ſub umbilico, à menſe Aumuſto patiebatur, ej ecto illo ſanguinis grumog & tumor & durities illa deſiit, ſed ſimul, præ nimia debilitate ἄφωνος ἄσφυκτος ſine viſu per horam manſit, item dolores ſtomachi poſtridie reverſi ſunt, & cùm corpus non movebat, de renum doloribus conquerebatur, ſed paulo poſt redeuntibus febris tertianæ, duplicis tertianæ, quartanæ, & duplicis quartanæ paroxyſmis, applicitiſque ideo hirudinibus venis ſedalibus, etiam febris deſiit, ſed dolores ſtomachi & ſumma debilitas perſeverarunt, flante boreâ menſe Martio anni 1676. Renis ſiniſtri, ut ex ſitu indicabat, dolores illum excruciabant, etiam ἀκλινῶς & ad humerum & totum latus ſiniſtrum, interdum cum vomitu, interdum verſus lienem, non verò infra protendebantur, nunquam de dyſuria conqueſtus eſt, nec retractionem teſticulorum unquam obſervavit ſed præter modum corpus macreſcebat, ante ultimum illum ſanguinis vomitum, ubi primùm ſeſe ad ſomnum componebat, clauſis oculis, magno ſudore diffluebat, primò ſupra regionem pectoris, deinde ad renes & humeros, poſtea ad totum corpus extendebatur, unde æger in ſummam debilitatem incidens, doloribus denuò torquebatur, & glaciali frigore algebat, qui ſudores per totam hyemem perſeverarunt, donec menſe Aprili ingreſſus in ſemicupium ſudoribus finem impoſuit; ſed continuatis fotibus, à quibus nec incaleſcere poterat, obſervabant & fotus tepidos & linteola admota calidiſſimè ſupra latus ſiniſtrum ſtatim refrigerata fuiſſe, hàc additâ ab ægro & aſſiſtentibus comparatione, quòd ſi linteola æque calida lateri ſiniſtro & marmori frigidiſſimo applicita fuiſſent, quæ lateri ſiniſtro applicabâtur citiùs refrigeratum iri quàm ſi marmori frigidiſſimo applicata fuiſſent, mirabanturque ejuſdem linteoli partem unam lateri applicitam algentem, alteram aliis partibus appoſitam calidiſſimam, continuò fere utebatur laudano, & in enematibus ſæpiſſime ſyrupus de papavere albo cum εὐφορία addebatur, tuncque Medico clinico decumbente, doctiſſimo & experientiſſimo atque prudentiſſimo viro Domino Jacobo Rilliet qui omnium illorum affectuum ſed:m in liene ſtatuebat; cùm ille me ad ſui curationem accerſiri optaſſet, etiam curæ meæ æger hic commiſſus fuit, & cùm hanc diariam hiſtoriam ex ægro & aſſiſtentibus collegiſſem, quia extraordinaria videbantur illa ſymptomata, ideo ut ſingula attentius perpenderem, ſcriptis cuncta notavi, & atrociſſimorum illorum & clamoſorum dolorum ſedem aliam capacem vix eſſe poſſe credebam, quàm renes & ureteres, maximè cùm lenientibus & renibus dicatis, atrociſſimi & clamoſi dolores mulcerentur, additiſque leniotibus diureticis irritarentur, & iterum quia duas arenulas mingendo ejecerat; cumque maximum æſtum obſervarem, & humorum acredinem à γαλακτοποσίᾳ quam præſcripſi multò meliùs ſe habuit, & eadem de cauſa ut aquas minerales refrigerantes adiret, authorfui; cui auſcultans conſilio aquas quaſdam minerales quas dicunt de la Brevine in Comitatu Neocomenſi, quas ſuâ experientiâ quidam commendaverant, quamvis minùs eſſent nobiles, quòd aquarum paludoſarum mixtione ſæpe corrumperentur, adiit, à quarum potu optimè ſeſe habuit, ut nunquam à quo tempore laboraverat, meljùs ſe habuerit, quæ ſententiam meam ampliùs confirmabant & revera conſueta munia obiit, venationi indulſit, & in pedes cum rus iret, non ſemel ſe dedit, poſt plures menſes variis iterum afflictus ſymptomatibus, & dolorum & vitæ finem nactus, obiit menſe Majo anni 1677. cùm illum ſanitati reſtitutum paulo ante crederent. Aperto cadavere, lien omnino corru-

corruptus laceruſque erat, renes & ureteres labis omnino expertes, pulmones inflammati, & tuberculis variis referti, hepatis moles prægrandis ejuſque coloris qui phlogoſim arguebat, inteſtina etiam, inflammata ſecundum totam eorum longitudinem, conſpiciebantur. Quæſtiones hinc variæ moveri poſſunt, inter alias quænam acutiſſimorũ illorum dolorum ſedes eſſet, quid? an renibus aquis mineralibus expurgatis, deſierint? cùm lienis parenchyma tantorum cruciatuum non videatur capax, an materia maligna inteſtinorum tunicas diſtendendo & irritando, cùm inteſtina inflammata conſpecta ſint, accuſari poſſit, an vero ſolus lien in cauſam vocandus? cùm revera Hippocrates, libro de internis affectionibus in lienem dolorem acutum velit incidere & ſæpius acutos dolores lienis memoret, & ſanè membrana tenui à peritonæo exorta circumvolvitur, in quam nervulus à ſexta conjugatione inſeritur, & inſuper connectitur & alligatur parte gibba diaphragmati, & reni ſiniſtro, membranarum peritonæi interventu, & parte ſima, ventriculo, tum per venas quas illi largitur, tum per epiploon, quas membranas dolores acutiſſimi poſſunt exercere, cæterorum autem ſymptomatum ætiologiam omitto, quæ prolixiorem diſquiſitionem poſceret. *Clar. Dom. Daniel Puerarius in Additamentis ad Clar. Thom. Burnet Theſaur. Medic.*

Lien vomicâ circumquaque cinctus.

Cùm mulier quædam, utrimque datâ nuptiarum fide, poſt coitum gravida facta eſſet, ſeque poſtea eluſam videret, uſque adeò fuit contriſtata, ut toto graviditatis tempore continuè ploraret, ejuſque viſcera aſſiduâ animi inquietudine temporis tractu pravâ afficerentur diſpoſitione, ac ipſa de latere ſiniſtrô multum conqueſta jam mortuum eniteretur fætum, cujus in lucem adventui ipſa octo tantùm dies ſuperfuit. Cadavere ejus à Chirurgo *Arnoldo de Wilde*, me, Collegiique Chirurgici ſuperioribus, aliiſque præſentibus apertô, abdomen tenui fœtentique pure repletum apparuit. Colorem hujus quærentes, lienem ſatis mali coloris invenimus, durumque admodum, ac mediô hôc in pure natantem, nec non undique membranaceô ſaccô veſtitum, à quô jam diffractô illud pus provenerot, quique in partu ex nimiis preſſionibus diſruptus fuiſſe videbatur. *Cornelius Stalpartius obſervat. rarior. cent. 1.*

Lien ingens.

Domina ſplene ingentis molis diu vexata, purgans aſſumſit annuum, ex ſe aliàs benè habens, hâc vice ad quatuor dies infinitis vicibus corpus diſcruciatum. (iræ ſanguinem commoventi cauſa adſcripta) Alvô ex parte tranquillâ redditâ; venæ ſectio inſtituta; poſt hæc conſtipatio nata. Cùm ſcybala cum vehementia ejicere conaretur, in vomitum per triduum durans cum ſummâ debilitate & perpetuô narium ſtillicidiô incidit. Poſtea primò vertigine levi & deinde apoplexia ſe tactam imaginatur. Ex ſyncope tandem obiit.

Recluſô abdomine, Lien maximæ molis erat ſex libras civiles pendebat. Interior ejus ſubſtantia picem ſaturatô nigrore referebat. Fœtor aderat. Stomachus putridus & inflammatus; imò in utroque latere, ubi ab hepate & liene cingitur, non aliter ac ſi combuſtus eſſet. Intus exulcerationem patiebatur; à lienis regione erat diſruptus.

Nihil auxilii attulit, nec purgatio, nec phlebotomia: expedit enim conſiderare morbos, num oporteat purgare ſanguinemve effundere, nec ne. In hâc ægrâ obſtructio in liene, idque à craſſô ſanguine: illud malum medicamentis pellitur chalybeatis & volatilibus, quibus obſtructiones tolluntur. Expuli ſæpius ejuſmodi obſtructiones cornu cervini oleô rectificatô ac camini fuligine. In hâc matrona ſanguis non tantùm erat craſſus, ſed poſt catharſin & ſectam venam, multò ſpiſſior redditus eſt: adeò ut lienis tumor ingraveſcere inceperit; cujus ingenti mole ventriculus cum inteſtinis ita premebantur, ut ingeſta per pylorum vix aſcendere, ac per inteſtina vix deſcendere potuerint: exinde ventriculus ſemiputridus factus eſt, quia contenta aceſcebant, acoremque contraxerant. Ob inteſtinorum compreſſionem fuit alvus conſtipata; hinc cùm vi conaretur fæces deponere, in narium hæmorrhagiam incidit. In hôc conatu quid fit, quam quod inſpirando, & diaphragmatis compreſſione, arteria è corde deſcendens adeò comprimatur, ut ſanguis verſus ſuperiora ruat, quàm ad partes infra diaphragma: & ob hanc cauſam vultus tumet, luridoque colore ſæpe tingitur. Tumeſcentibus igitur arteriis ſanguiniſque aditu liberô verſus cor præcluſô, vaſcula ſanguinea nares perreptantia facilè in ῥῆξιν ſive diſruptionem, incidunt. Ex cerebri paralyſi primô vertigine, & deinde apoplexiâ correpta deceſſit. &c. *Stephanus Blancardus Anatom. Practic. rational. part. 1.*

Lien magnus. Icterus cum tertiana, quartana cum motibus Epilepticis.

Ulricus Baumann. Sangallenſis textor, quadragenario major, An. 1672. in noſodochium admiſſus fuit, febri tertiana conflictans (quam paulatim Icterus comitari cepit, malum quo alias comparente, febris evaneſcit) urgebat ſitis, appetitus proſternebatur, artus defatigati erant, dextrumque hypochondrium aliquo modo tenſum: Excell. Glaſerus, Medicus tum temporis ordinarius vinis medicatis deobſtruentibus ac vacuantibus, aliiſque naturam juvare ſtuduit: præſcripſit hinc:

℞. Radic. plantag. ʒvj. fol. taraxac. mi. ſummit. centaur. min. p. ii fol. ſen. mund. ʒviii. rhabarb. el. ʒiii. crem. tartar. ſemin. aniſ. an. ʒi. infund. in aq. font. vi. alb. vet. ana cyat. 2. ſingulis manè cyath. 1;

℞. Sal. prunell. ſacch. albiſſ. ana ℥j. f. pulv. ten potui ord. immiſcendus. Item

℞. Aq. centaur. min. ℥ii. ſyr. de ſucc. plantag. ℥i. pulv. ocul. cancr. ſal. abſynth. ana ℈ß. ſumat ſemihora ante paroxyſm. Quibus

pro ratione inſtitit, aliaque viciſſim addidit cauſæ occurrentia, ſed ferè in caſſum, licet enim inducias febris aliquando dederit, mox tamen recruduit, imò obſtructionibus adauctis in quartanam tranſiit: cui rurſum ſtudioſè obviam ivit medicamentis variis.

♃. Maſſæ pill. tartar. Q. gr. xii. reſin. jalap p. gr. vj. diagryd. gr. iii. ol. deſt. ſuccin. gutt. j. f. pil. No. XI. D. adſc.

♃. Rad. cichor. fœniculi, polypod. querc. ā. ℥ ß. gentian. ʒiii. cort. tamariſ. ʒii. fol. chamædr. mii. ſummit. cent. min. p. ii. inciſa infund. in aq. font. vin. alb. vet. ā. ℔ii. Infuſionis hujus.

♃. ℥iv. cui add. Tinctur. Mart. Tart. ʒ ß. ſumat mane & veſper. &c. Æger cum per annum ferè variis hiſce malis, ita cruciaretur, medicamentis chalybeatis utcunque bene habere videbatur: d. 22. Maji. 1672. Vini abſynthites potui indulgens, convulſionibus miſerè torqueri cepit, tandemque ſuffocatus obiit: In cauſam mortis cultro inquirens Clariſſ. Glaſerus noſter, hepar inſolitæ magnitudinis offendit, ſubdurum, cujus naturalem magnitudinem lien molis ſuæ ratione optimè æquavit: omentum omnino putruerat: inteſtina lumbricis referta erant: ſanguis fæculentus & tartareus lienis cellulis inciſis proſiliit; ſerum quoque acidis ſalibus prægnans magna copia in abdominis cavo ſtagnavit: pariter etiam thoracis capacitas plurimum ichoris continuit: cor omnino flaccidum fuit: Cerebrum apertum circa ſui baſin, ad ſpinalis medullæ principium ſerum acre & auſterum ad ℥v. & ultra exhibuit. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationib. Anatomico-Practicis.*

Lien ſcirrhoſus & calculoſus: Vaſa emulgentia in utroq; Renum duplicata: polypi in vaſis cordi appenſis longiſſimi &c.

N. W. puer 14. circiter annorum, ſcrophulis laborans, cum plurimorum remediorum virtutem, mali hujus pertinacia ſpreviſſet, cum ſociis Empirico cuidam, apud vulgus (quæ hominum ſolet eſſe imprudens imbecillitas) haud incelebri commendatus fuit, qui aureos montes pro more promiſerat: Præparato itaque corpore medicamentis quæ ipſe exhibuit, Mercurium propinavit, ut qualemcunque ſalivationem, ægrorum bono cieret, neque effectus fefellit. Redierunt poſt ſeptimanas plures, quotquot ejus curæ fuerant commiſſi, à malo uti perſuaſit Medicaſter ille, jam liberati & inpoſterum immunes futuri; aſt falſidica fuit iſthæc prophetia, ſiquidem in aliquibus glandulæ partim denuò intumuerint, in aliis verò penitus non detumuerint: Miſellus præprimis iſte mali recrudeſcentis ferociam ſenſit, cui equidem mitigandæ Chirurgus ordinarius diligentem impendit operam, ſed in caſſum, invadente enim interea tuſſi & reſpirandi difficultate, totoque corpore emaciari incipiente, æger in deterius magis magiſque lapſus eſt, àque medicamentis parum omnino levaminis ſenſit: ultimis diebus ſputum purulentum crebrò vexavit mbecillem, & neſcimus, quis bolus è thorace adſcendere videbatur, deglutitionem & reſpirationem ſummoperè intercipiens: præſcripta fuit hunc ob finem d. 8. Aug. 1682. mixtura cardiaco-carminativa per cochlearia ſumenda, ſed vix dum de hac ipſa ſumere potuit, & mortis agone fervide ſub veſperam correptus fuit, uſque dum ſummo mane diei inſequentis blandè obdormiverit, vitamque hanc mortalem cum immortali commutaverit. Cadaver d. ante ſepulturam præſentib. Vir. Clariſſ. & Præſtantiſſ. è quibus præprimis D. D. Zuingerum Baſ. D. D. Zollicoferum & Hochrutinerum Sangall. honoris gratia nominamus, incidimus: Abdomen exterius aliquantiſper inflatum apparuit, intus vero tantillum ichoris in ſui cavitate continuit: Epiploon extenuatum & ab humorum acrimonia aliquantiſper eroſum rubuit, miliaribus glandulis adſcititiis duriuſculis refertum: Ventriculus & inteſtina flatibus erant diſtenta: Hepar à dextris ſuaviter incumbens, pro ratione laudabiliter habuit, & non niſi in extimâ ſuperficie aliquam labem oſtendit: Veſicula fellis bile viſcida, ſubatra turguit, ductus ejus ſummoperè anguſtabatur, præcipuè à glandulis albicantibus & duris, circa exortum ferè ipſum cingentibus: Pancreas ſub ventriculo recumbens duriuſculum extitit, & circa duodenum ubi ejus ductus inſeri conſuevit naturaliter, ſcirrhum minorem exhibuit: Inteſtina cingens meſenterium glandulis ſcatebat induratis & caſeoſis: Lien à ſiniſtris poſitum, ſubatro colore luxit, cœterà ſcirrhoſus, profundè craſſus, & extremitatibus ab intus diſtendente materia verſus baſin tractis corrugatus: prope medietatem ejus corpus protuberavit induratum, globulum majorem exæquans; Inciſione facta, materia caſeoſa & arenoſa & alicubi purulenta, veſiculas ejus infarctas undique deprehendimus: Renes bini fiſſura circa vaſorum introitum inſigni erant inſtructi, vaſis emulgentibus duplicatis, uterque donati, Vaſa ipſa ambiebat undique gelatina, manibus pertinaciter adhæreſcens: Propter vaſorum diverſis in locis ingreſſum, figuram quoque mutaſſe videbantur, verius enim cuniculum in uteri latebris adhuc ſubſiſtentem, quàm phaſeolum retulerunt: neque ſuccenturiantes defecerunt, longitudine ʒiii. ſuperantes & vaſis ab emulgentibus enatis egregiè ornati: Thorace aperto, ex latere ſiniſtro, pulmones liberos, ex dextro autem coſtis fortiter adnatos vidimus, maximam partem purulentos: In ipſa ventris hujus cavitate aliquid aquæ hæſit, cujus majorem copiam in pericardio offendimus: Glandula thymus ſcirrhoſa admodum non fuit, neque ſecundum ſpinæ ductum quidquam iſtiusmodi animadvertimus: Auricula cordis dextra polypum fovit longiſſimum in ramum uſque ſubclavium protenſum, cui ſimilem ferè continuit arteria venoſa cum ſanguine quà grumoſo, quà tenui, ſeroſo, multo. Sola arteria magna hiſce caruit. Atque his ſuo corpuſculum loculo redditum fuit. *Idem ibidem.*

LICHEN.
Vid.
IMPETIGO.

LIEN-

LIENTERIA.

DE Lienteriâ jam ſupra capite de Diarrhæâ. Hic tantum è Clariſſimi Nicolai Pechlini Obſervationibus Medico-Phyſicis.

De Lienteriæ ſymptomaticæ certa ſpecie.

Eſt in frigida Ventriculi intemperie fibrarumque laxitate notiſſimus morbus, Lienteria dictus, quando ciborum moles planè uti aſſumta eſt ita indigeſta ab alvo dejicitur. Vulgò culpam omnem facultati Retentrici, ſed infirmatæ, imputant, ſed ego & Concoctricem, ſi quidem ita loqui fas eſt, laborare exiſtimo monſtrantibus id ſatis remediis, quæ in ſanationem morbi adhiberi ſolent. In Lienteria ſanè ſumma eſt fermenti inertia alimenta ne adorientis quidem, inde etiam fibrarum motricum fluidique animalis tremula mobilitas, quæ receptos cibos ad minimam ſolidi irritationem ſtatim deturbet. Notum eſt fermentationis ſtamachicæ arcanum, quod ſolidiora in ſpeciem fluidi, ſapida in ἄποιον qualitatem, variegata in unum redigat candidumq; colorem: hæc reſpuit Ventriculus in Lienteria acceptosque cibos ſine ulla mutatione demittit, modo ocyus, modo ſerius, vehementiæ gradum fermenti vitio definiente; hinc enim nomina illa Lienteriæ, Cœliacæ paſſionis & fluxus chyloſi. Certè id notaſſe videor, in nonnullis etiam ægris moram traxiſſe alimenta, ſed quod fermentum actionem detrectaret, vexatas tandem anguloſâ & ſolida ciborum ſuperficie cibos fibras contractione cavi ſe vindicaſſe. Eſt tamen & alia Inteſtinorum lævitas, ſi ita nominare licet, noſtris minus obſervata, ſed tota ſymptomatica & Retentricis tantum ſeu ſpirituum furentium vitio obota, mihi in putridis maligniſque & colliquativis febribus non ſine horrore ſpectata; tanta enim ibi eſt fibrarum ἀτονία, tanta ſpirituum ferocia, ut omnia quæ aſſumuntur, qualiacunq; demum illa ſint, ictu oculi citius ab alvo deturbentur, non potus, non medicamentorum, etiam fixorum ſolidorumque, qualitate impetum hunc refrænante; adeò nec ipſi ægri, ſi effervеſcentiam humorum compeſcere non licet, cum valitudine redeunt in gratiam. Profecto tres, qui mihi contigerunt ex illis curandi, ad unum omnes interiere. In Infante duorum annorum febre colliquativâ & Diarrhœa octiduana prorſus exhauſto notavi non potulenta tantum & liquida, ſed ipſos quoque pulveres figentes & gravitate ſua motum periſtalticum morantes intra ſecundam horæ ſeceſſiſſe abſq; ulla mutationis notâ; id quod ſatis mirabile in illa inteſtinorum longitudine & flexu, nunc per altitudinem ferè perpendicularem, planum nunc horizontale, nunc inclinatum, deducto. Terra Catechu, Corallia, Magiſterium Unionum ab alvo euntia non mutata ſpecie ſatis oſtendebant, de nihilo applicatam fuiſſe illam remediorum molem; pulſus adhæc concitatiſſimus comparatione alvi tam celeris & fluidæ, facies collapſa, ingeniumque ſupra ætatis & morbi conditionem ſeſe efferens, mortem in propinquo eſſe ſignificabant, nec fefellit eventus. Aliàs in Sexagenario eadem febris colliquativa delirio comitata tam ſubitam & frequentem alvum excitabat, ut velut ſagitta miſſâ excrementa ante ſecederent, quam eorum aliquid fundum ventriculi attigiſſe conjiceremus: quo intelligatur mirum ſæpe eſſe ſpirituum ſanguiniſque furorem & motum in illa inteſtinorum longitudine & flexu ſupra fidem perniciſſimum.

Hactenus de Lienteria ex præcitatô Clariſſ. Autore jam ob affinitatem. De Diarrhæa inſperata ſed ſalutari ab attenuante Sudorifero.

Eveniunt aliquandò in Medicina, quæ evenire nec poſſe nec debere juratus crederes, adeo aliena illa ſunt tum à ſcopo Medici, tum medicaminis effectu; nunc etiam, quæ ſperas & fingis animo futura, non eveniunt, aut, cum eveniunt, aliter quam oportet. Majus autem eſt & prodigio proximum, ſi contrarium accidit, quam Medicus deliberaverat & medicamenti vires ferebant; ut adeo, cum accidunt, aut Medicus opinione ſua deceptus, quæ eſt humana imbecillitas, aut Natura monſtrum alere videatur. Non inficiandum eſt in morbo difficili ac perplexo, ubi conjectura opus eſt, Medicum non ſtatim primo adſpectu arcaniorum cauſarum fieri participem, ſed cum tempore & experientiæ ſubſidio tandem eò penetrare, quò ſe Natura abdiderat, atq; adeo inter primos experimentorum luſus errores ſæpe committi, quos vel Natura aut maturior conſultatio poſtea deſignet. De Natura verò etiam manifeſtum eſt, eam ipſam ſæpe Medicorum favori militare, & alienorum remediorum uſum commodo ſuo diſponere; quod etſi plurimis exemplis conſtare poſſit, unum tamen ego nunc tantum adducam. Centurio ĕrat ex nobili Danorum familia, qui à multis retrò annis vino ardente implere ſe aſſueverat, eo quidem eventu, ut poſt varia militiæ incommoda & aliquot annorum ἀσωτίας Leucophlegmatiæ & Tremoris paralytici ſigna circumferret. Ille, quod in aliis etiam notavi, nunquam melior & ad membrorum motus agilior conſtantiorq;, quam ſi à vini ſpiritu incaluiſſet, nunquam contra impotentior magiſque tremulus, quàm à ſpiritu illo vacuus, adeo ut neceſſitatem ſibi impoſitam intelligeret quotidiano ejus potu madendi, ſi alias officio fungi & rebus gerendis idoneus eſſe vellet. Hinc ille ſe conſuetudine contra potum tam igneum obfirmabat, & cum habitum contraxiſſet poſt longam frigoris ſorbitionumque patientiam hydrop cum & valde frigidum, non ante vel ſanguinem aut ſpiritus commoveri ſentiebat, quam ſi igneus ille vini ardentis vigor corporis ſphæram pervolaſſet, mox iterum in peſſimum frigus, ad ſubſidentiam ſcilicet phlegmatis acidioris, deſiturus; ut nunc tandem intelligant, qui ignis hujus nimia familiaritate capiuntur, poſt tot tandem calorum fumoſorumque ſpirituum inſultus frigore ſe multari. At noſter Centurio nequidquam contentus vulgari vini ſpiritu, compoſitum & officinalem, & ſi quid erat delibati,

ti, ſpecioſo Aquæ vitæ nomine, carioſè quærebat; cumque inter plurima Elixir quoddam Citri, cujus idonea præparatio oris gratiam conciliaverat, deguſtaſſet, ejus continuo libidine ita fuit incenſus, ut malè ſecum agi putaret, niſi quotidie Citrini Elixiris menſuram biberet. Semel autem, cum multo adhuc largiùs ſeſe invitaſſet, & occaſione præſentis amici duas ejus menſuras hauſiſſet, etiam tertiam appetere cœpit; ſed obſtitit prudentia hoſpitis, ne & illam hauriret totam. Igitur, cum membra & ipſum caput plus ſatis ab ardore ſpiritus inflammata eſſent, ſucceſſit tandem ſolitum frigus tremorque corporis & ipſius oris jam ſæpe infeſtus. Primum quidem ob conſuetudinem ſpernere cœperat hunc morbum Centurio, tandem autem, cum ad novum Elixiris potum, qui aliàs ejus mos erat, nec frigus nec tremor deficerent, ſed in majus, res mira! augerentur, jam etiam Hypochondria valide tenſa, reſpiratio difficilis & tuſſi ſicca alternata, facies livida & ipſe pulſus in cœtera exilitate inæqualis periculum portenderent, me accerſi jubet de ingenio morbi mecum communicaturus. Narrabat ergo titubantibus labris voceque interrupta ſemel iterumq; ab ejuſmodi morbo & ferali Aſotia fuiſſe liberatum, adeo neque nunc diffidere, quin à gravi periculumque minante morbo evadere poſſit. Ego hominis intemperantis fortunam deplorans morbum per omnia verſo & ratione bene deducta concludo, phlegmaticum & ſeroſum ſanguinem, ſpiritu omni exhauſto, rarefactionem amplius abnuere, aut certò hoc caſu inundatione phlegmatis vinoſi velut oppreſſum ancipitem promittere eventum. Si quid tamen à medicina ſperandum erat auxilii, id unum dare operam decebat, ut ſpiritus refecti ſanguinem novo calore, membra motu, animarent, in eam rem potione Cardiaca, ſed & ipſa Spirituoſis calidis & Diaſcordio Frac. temperata uſus. Hinc calor lentè quidem redire, ſed cum moles illa ſtagnantis ſeri hoc uno tolli non poſſet, cætera ſymptomata, tremore excepto, perdurabant, inquies dura nocturnaque, reſpiratio dura, tuſſis ſicca & ventris enormis ſive ab aquis ſeu flatibus tenſio. Videbam hic jam tum, niſi copia illa phlegmatis ſeroſi evacuaretur, vix ſpem fore certam valitudinis; at quia initio & in homine pridem crapulis corrupto purgans medicamentum exhibere religio erat, ſtatui evacuante ſudorifero, cæteris etiam ſymptomatibus accommodato, naturam lentè diſponere. Formula autem hæc erat. Accipe Radic. Apii Unc. ſemiſſ. Ligni Guajaci raſi unc. ii. Herb. Tuſſilaginis Manip. j. Flor. Stœchados Arab. Chamæmeli ana. Pug. j. Bacc. Junip. Paſſul. maj. mund. Liquiritiæ raſæ ana. Drachmas ii. C. Cervi raſi unc. i. Coque in S. Q. aquæ puræ ſecundum leges Artis; Colaturæ Unciarum xxv. adde aq. Cinnamomi, Spiritus Theriac. S. C. ana. Unc. j. Spir. Lilior. Convall. Unc. ſemiſſ. Eſſentiæ croci Drachmam j. Syrupi Fœniculi unc. j. ſemiſſ. M. F. P. Hujus Decocti juſſi ſumeret uncias primum duas, inde tres & calefactas. Sumſit ergo quinque cochlearia in lecto, quæ mea erat opinio, ſudores provocaturus; at vero præter omnem exſpectationem accidit, ut poſt aliquot faſtidia & graſſantes borborygmos alvus flueret tam copioſa, ut intra decem horas quadraginta dejectiones numerarentur, minime ad hæc fatiſcente ægro, quippe qui id unum me potu hoc intentaſſe ſerio putabat. Itaque cum adſtantes numero dejectionum exterriti me vocandum eſſe judicarent, ille ſolus obſtitit & conſtare medico rationes ſuas ſeverè edixit. Ego, quod aliud me negotium diſtraxiſſet, viſitationem in craſtinum differo, ſperans fore, ut poſt frequentatos decocti hujuſce uſus liberior tranſpiratio & calor emergerent. Accidit autem plane inopino mihi, ut, cum poſtridie adeſſem ægri conditionem exploraturus, ille læto vultu alia quidem omnia, ſed & valitudinis & omnium ſymptomatum remiſſionem enarraret; namque, cum ex inſtituto meo duas fere uncias Decocti hauſiſſet, paulo poſt non ſudores, quod ego dixeram, ſed alvum conſecutam fuiſſe copioſiſſimam, ita ut quadraginta dejectionibus maceratum pro depoſito haberent præſentes Amici; ipſum autem animis plenum, quod Cordis pectoriſque anguſtias plurimum levari ſentiret, & hanc crederet fuiſſe mentem meam aliis verbis occultatam, meliora ſibi omnia promiſiſſe. Ego ad hæc perturbatus corporis figuram, & quæ ſcire intererat, attentius luſtro, & invenio ventrem planè collapſum, reſpirationem liberam, pulſum compoſitum, calorem temperatum, vultum optima quæque ſpondentem, verbo illa, ex quibus Naturæ luſum mutatamque in melius valetudinem facilè agnoſcerem. Nec mora, quin Cardiacis & ipſo illo Decocto jam aliter operante, ut intelligi poſſit fortunæ caſus, priſtinas vires reciperet, nihil tamen exinde temperantior, ſed frequentatis aſotiis in perniciem ipſius ſuam ultro contendens.

LINGUÆ MORBI.

De Linguæ fabrica hîc aliquid præfaremur, ni illud abundè factum eſſet in Bibliothecâ noſtrâ Anatomicâ per Illuſtriſſimos Viros Marcellum Malpighium, Carolum Fracaſſatum, ac Laurentium Bellioni, quorum Diſſertationes integras exhibuimus, illuc itaque Lectorem remittentes, inpræſentiarum tantùm de hujus partis morbis agemus.

Sunt autem Linguæ affectus, ejus puſtulæ & ulcera, ardoris ſenſus, nigrities, paralyſis, convulſio, aphonia, magnitudo excedens, tumor, ſanguinis fluxus ex ea immodicus, procidentia, guſtus læſus, ranula, balbuties.

De Linguæ puſtulis & ulceribus, jam actum capite de aphtis, in poſterumque etiam agetur ubi de Lue venereâ. Ardoris ſenſum citra aliquam inflammationis apparentiam obſervavit Clar. Platerus; noſque etiam non ſemel vidimus; cui non aliàs medebamur quàm per univerſalia ſeri acrioris correctoria, ac præcipuè remedia antiſcorbutica dicta, additis topicis quibus ichoris in papillulas fibraſque omnes hujus partis depoſiti, illamque non aliter adinſtar aquarum ſtygiarum adurentis, vis obtunderetur. Nigrities in febribus mali moris ſatis eſt familiaris, ac remediis ibi allatis curatur. Vidi eam autem ſemel exortam ab aſſumptis pilulis lunaribus ejus compoſitionis quam maximè de-

prædicat, pro hydrope curando Illuſtriſſimus Robertus Boyle in ſua Philoſophiâ experimentali; ac eam tam profunde impreſſam, ut nullâ arte detergi potuerit, ſed ad finem uſque vitæ perduraverit. Paralyſis ac Convulſio nihil habent peculiare, quod propriis de hiſce morbis capitibus non explicetur. Aphonia eſt proprius paralyſis partus, vel naturæ vitium inemendabile, ac propterea ſpeciali non opus habet tractatione. Totam linguam tumidam non ſemel etiam obſervavimus, indeque & loquelam & deglutitionem non parum impeditas. Huic malo providebamus per venæ ſectionem, purgantia medicamenta, decoctum ſatureiæ & hyſſopi ex vino & melle, adjectis etiam quandoque cucurbitulis ſcarificatis, raninarum venarum apertione ac ſalivam educentibus maſticatoriis. Tumoris hiſtoriam raram à Clariſſ. Jul. Cæſar. Claudinô mox adducemus, alios præterea multos nos ipſi vidimus inter quos ſufficiat unô verbo adferre illius hiſtoriam quem in Reverendiſſimô quôdam Abbate non ita pridem adnotavimus; enaſcebatur in latere ſiniſtrô, ſpatio inter linguæ apicem ac radicem intermedio, nucemque juglandem magnitudine ſuâ æquabat. Ejus indolem curioſius rimatus, adverti illum quidem lividum, verùm non ex aliqua malignitate, ſed tantùm præ dentium vicinorum continua attritione, nihil durum in ſe continebat, ſed flaccidus ac molliuſculus erat, & à mera reſolutione fibrarum partis oriebatur. Itaque nullatenus probavi ſententiam eorum qui vel ſcarificationes, vel inciſiones, vel ligaturas conſulebant; unicèque in eo fui ut poſt generalia remedia, pars ſpecificis confortaretur: inter quæ ſanè præcipuum tenuit locum eſſentia gummi laccæ paucis admodum volatilibus maritata: ſic enim fibræ ad propriam menſuram propè fuere reductæ: humorque in ſpatium ab earum reſolutione, ac quaſi hernia, effectum in ductus, ita fortiter expreſſus, ut jam commodè tumorem, aliàs ſanè moleſtiſſimum, Vir Reverendus tolerare valeat. Sanguinis fluxus, vel à venis ac arteriis per morſicationem laceratis; vel ab iiſdem lanceolâ compunctis oritur. Illius exempla duo vidimus inſignia, primum quidem in viro epileptico qui non tantùm ineunte paroxyſmo linguam mordebat cum multa effuſione ſanguinis, ſed ſemel etiam totam eam prope per ſui medium conſcidit, ita ut in vulnere curando ſutura linguæ opus fuerit. Aliud in viro admodum plethorico cui ſubinde lingua tumens per dentium attritionem cum multa ſanguinis expuitione lacerabatur. Hujus vero pluries teſtes fuimus, dum ſcilicet ſanguis ſero ſalſuginoſiori prægnans inflammationes enormes in faucibus, trachæâ arteria, æſophago, ac etiam ventriculo pariebat; ac præcipuè in iis qui hydrope pectoris laborabant, aut longis inteſtinorum ardoribus affligebantur, imò qui etiam aliàs ſuffocatione afficiebantur. In illis etenim fluxum non tantùm immodicum, ſed etiam aliquando ad mortem uſque perdurantem, adnotavimus, unde in iſtis tundendis venis in poſterum circunſpectiores ac magis ſobrii fuimus. De Procidentia hæc habet Platerus. Linguæ procidentia evenire poteſt; vix tamen aliud ipſam quàm ſumma pariet vis, cùm connexus per muſculos, tunicam ſuccingentem & ligamentum factus adeò firmus exiſtat. Accidit tamen in contuſione colli, vel pectoris vehementi, qualis eſt ea qua validô rotæ ictu latronibus membra & artus franguntur, ut lingua procul ex ore mortuis exeratur; quod & ex caſu poteſt accidere. Sic memini infanticidæ, cui collum laqueo frangebatur, abrupta reſti deciduæ, linguam ex ore procidiſſe, à vehementi exitu aëris in pulmonibus coërciti, linguam foràs propellentis. Hæc autem procidentia, cùm vix niſi à mortali læſione proveniat, lethalis plerumque eſt; quòd ſi ſupervivant, aliis potiùs accidentibus gravioribus quàm huic cura adhibetur. Guſtus, tum naturalis, tum læſi, rationes in partis explicatione traduntur, hujuſque per conſultationes ac obſervationes curam proprio capite adduximus. De Ranula proprio itidem capite agetur: De Balbutie verò ac Blæſitate mox; ſi modò præceſſerit Joh. Hartmanni linguæ morborum *Curatio generalis.*

Curationes.

Ac primò linguæ morborum Curatio generalis;

In Ranula ſub initium præſertim aperiatur vena ſub lingua: Quidam ranam vivam nuchæ applicant: non tamen ſemper reſpondet effectus.

Paralyſis linguæ præmiſſa univerſali ipſius cura, curatur frictione linguæ cum ſemine Erucæ & theriaca. It. oleo aniſi in apicem linguæ inſtillato. It. Balſamo vel oleo caryophyllorum; ſpiritus cераſorum nigrorum loquelam amiſſam ad miraculum uſque reſtituit.

Aphonia in genere curatur ut paralyſis: in ſpecie autem laudatur (præmiſſâ capitis univerſali purgatione.) 1. Aqua liliorum convallium. 2. Aqua Antapoplectica ex flor. lilii. convallium & lavendula, de qua ſupra in Apoplexia. Quòd, ſi alterutri ſanguis turturis fuit permixtus (ſanguinem turturis univerſum in ℥ii. vel ℥iiii. aquæ miſce) & tandem in uſum revocatus, aqua nempè colluendo linguam aut diutius in ore tenendo; felicius ſuccedet vocis reſtitutio.

Ubi tamen ſemper ad cauſas fuerit reſpiciendum, pro quarum varietate medicamentorum farragines quoq; variant.

Præmiſſis igitur univerſalibus pertinentibus, localia tum loco affecto, tum prætereà in vertebras colli, nucham & collum ipſum reliqua ſunt dirigenda, quæ petantur à Practicis.

Balbuties difficulter tollitur.

Guſtus depravatus amarus corrigitur uſu radicis cichorii conditæ, ſic etiam amaritiem linguæ tollit ſal cichorii. It. raſura ipſius linguæ cum radice zedoariæ. Item gentianæ.

Si abolitus vel imminutus 1. tundantur venæ ſub lingua. 2. Utere gargariſmate, quod in affectibus oris communibus & angina eſt præſtans.

♃ Herbæ malvæ hortenſis Mj, flor. roſarum rubrarum, prunellæ, Veronicæ, ſalv. an. Mß, rad. polypodii quercini ʒii.

Coque in aq. puræ ℔iv. & acet. vini ℥vi. uſquè ad caſum tranſverſi pollicis, poſtea colentur & colatura leviter exprimatur.

3. Fiat talis mixtura. ♃ ſpir. vitrioli ʒß, ſp.

Vini

Vini ℥ ij. mellis ℥ j. M. inſtar linimenti: hoc linimento poſt adhibitum gargariſmum illinatur lingua, & imminutus guſtus paulò poſt redibit. *Joh. Hartmann. in Prax. Chimiatrica.*

Curatio Balbutiei & Blæſitatis.

Curatio balbutiei & omnis loquendi difficultatis dependet à ſublatione cauſarum materialium balbutiem conſtituentium: Has enim qui tollit, efficientes etiam cauſas tollit, & proinde ſi tollantur excrementa viſcoſa ac tenacia, commercium ſpirituum animalium impedientia, tolletur quoque cauſa efficiens balbutiei, aut loquendi difficultatum, quod ſic ſpiritus animalis copioſè rurſus affluere, & partes loquelæ dicatas illuſtrare, ac linguæ motum proprium ſeu naturalem promovere poſſit; ſiquidem ſpirituum animalium defectus ſit cauſa loquendi difficultates efficiens. Tolluntur autem excrementa illa viſcida ac tenacia ſpiritibus animalibus aditum impedientia potiſſimum purgatione antimonio noſtro facta, quod eadem innata ſua virtute potenter evocat, atque ex capite tanquam ex fonte, unde ſcaturiunt illa, & in fauces irruunt, educit. Purgatio ſic fiat.

℞. Antimonii noſtri gr. viii. vin. opt. ℥i. m. & D. ſummo manè ſervato regimine & cuſtodia: Iteretur hæc potio, & per 3. dies iterata doſi exhibeatur. Deinde os lavetur ſapiſſimè cum ſpiritu ardenti ex ſucc. ceraſ. nigror. extracto: Hic enim in cella depoſitus ad inſtar vini ebullit; quo facto poſtmodum per deſtillationem ſimplicem exinde ſpiritus ardens paratur, qui ſummoperè roborat muſculos linguæ ac ſpiritum innatum fixumque illarum partium, quæ loquelæ deſtinatæ ſunt. Si verò membrana linguæ ſubſtrata loquelam per nimiam ſui adſtrictionem ſeu brevitatem impediat, volſellis eſt accipienda, & forcipe tenui incidenda: Deinde os ſtatim aqua plantag. aut roſar. eſt colluendum, ut ſanguis compeſcatur, & pars inciſa ad debitam cicatricem reducatur. Caput & roborandum & excalefaciendum eſt lotione ſpiritus vini per xv. dies tempore ſomni, ne caput ſua frigiditate ac humiditate ulterius excrementa viſcoſa ac tenacia ad fauces mittat, & ſic cauſas balbutiei materiales foveat ac nutriat. Atque ſic balbuties & omnis loquendi difficultas perfectè curabitur. *Joh. Petr. Faber in Patholog. Animata à Chriſt. Langio illuſtrata.*

Blæſitatis & Balbutiei curationem quod concernit, ſi vitium hoc fuerit à nativitate & organi vitio, h. e. à conformatione linguæ inordinata, ferè incurabilis exiſtit, ſi verò dependeat ab inordinato & intermiſſo ſpirituum animalium influxu, & reliquorum ſuccorum, curatur ut paralyſis, hinc conveniunt omnia nervina, cephalica tum interna tum externa, ut robur fibris carneis in muſculis & nervis concilietur: Specificè hic laudatur ſpiritus cephal. cum aq. theriacali mixtus, eoque lingua ſæpius fricetur. Si frænum fuerit impedimento, illud ſolvendum. *Johann. Dolæus in Encyclopæd. Chirurg. rational.*

Conſultationes.

Balbuties in Iuvene Nobili.

Unicus eſt affectus patientis nobilis, annum agentis 22. ætatis, læſa nempe locutio. Quæ cum tripliciter lædatur, non ſecus ac aliæ omnes actiones, quando ſcil. vel aufertur, vel imminuitur, vel depravatur, in ipſo eſt cùm imminuta, ſiquidem cum difficultate loqui incipit, tum depravata. Tripliciter vero depravari poteſt: primò quando eliditur una, ſyllaba, & blæſitas dicitur: ſecundo quando litera in aliam mutatur, ut r. in l, quæ balbuties vocatur, cum lingua eas voces articulatè proferre non poteſt, quæ per t & r ſcribuntur, & tertiò quando continuari ſyllabæ non pount, ſed prior bis, & rer repetitur, antequam integra vox proferatur, quæ linguæ hæſitantia dicitur. Quas tres vitiatas locutiones propoſuit Ariſtot. 2. Problematum 32. & Viſcherus 6. Aphoriſm. 32. explicans Aphoriſmum illum; Balbi longo alvi profluvio corripiuntur, cum Galen. in comment. Ætius Tetrabiblo ſecundo, ſerm. 4. cap. 16. & Paulus lib. 6. c. 29. Patientis verò hujus vitium eſt hæc tertia ſpecies depravatæ locutionis, cui cum potiſſimum dicata ſit lingua non immerito hæc in caſu præſenti eſt pars affecta.

Cauſa vero immediata, eſt impotentia impulſionis linguæ ad dentes, & ejuſdem impeditus motus ad varias loci differentias, quem ſequitur vocis dearticulatio. Motus autem hic fieri non poteſt, vel ob vitia inſtrumentorum linguæ inſervientium, vel ejuſdem linguæ, vel etiam facultatis. Ob vitia inſtrumentorum, quando palatum, dentes, gingivæ, aliæve partes circumpoſitæ ſunt malè conformatæ, quod in caſu præſenti non obſervatur; ob linguæ labem ſimul cum muſculis ipſam moventibus, quando eſt vel malè conformata, quia eſt brevior, vel membranæ, quæ ei ſubjacet, arctius alligata, vel nimis humectata, & laxior reddita, vel durior & ſiccior, quam par eſt, ob vitium facultatis quando deficiunt ſpiritus, vel aliò diſtrahuntur, ut in timore, & animi perturbationibus. Verum in caſu præſenti neque lingua eſt brevior quam conveniat, neque ſuppoſitæ membranæ eſt preſſius alligata, vel naturaliter, vel poſt aliquod ulcus cicatrizandum. Quam ſolam cauſam propoſuerunt Ætius, & Paulus. Jam enim ſine aliquo juvamento tentata eſt ſanatio per chirurgicam operationem, ſectionem ſcilicet minùs provenire poteſt ab exſiccatione nimia, prout aliquando fit in febribus. Linguam enim ſemper mollem habet. Dependet ergo præſens affectus cùm ab inſigni relaxatione, ſeu mollitie linguæ, & muſculorum ipſam moventium, facta à fluxione catarrhi à capite humidiſſimo. Quam cauſam propoſuit Ariſtotel. ii. Problemat. 32. Hippoc. & Galen. 6. Aphoriſm. citato, & Avicenna 6. Ter. cap. vi. ubi de hoc affectu loquitur ſub capite de gravitate, & duritie linguæ. Atque ideo cauſa præcipua hujus affectus eſt nimia humiditas, cui fortè frigiditas aliqua acceſſerit: quandoquidem pituitoſæ materiæ copia tamdiu in parte affecta firmata non poteſt non refrigerare

rare partem ipſam, cùm præſertim acceſſerint externæ cauſæ refrigerantes, iter ſcilicet factum per loca frigida, ſub nocturno cœlo, potus frigidæ, & ſimilia, hincque factum eſt quod in infantia liberiùs loqueretur, cùm tamen naturaliter humidior eſſe debuiſſet: atque facilius loquatur ſtatim à potu vini meracioris. Huc accedit, ab ortu defectu calidi innati ex ſemine contractus. Avum enim habuit, & duos vel tres patruos hunc affectum perpeſſos. Adde vitium animalis facultatis, prohibita ſcilicet ipſius irradiatio, non ob aliquod princeps vitium cerebri, tunc enim alii quoque ſenſus labem aliquam paterentur; ſed propter aliquam denſitatem nervorum tertiæ conjugationis prope linguam ab eadem materia inductam, & ſpirituum retractionem ad ſuum principium in timore. Difficilius enim loquitur coram primatibus, aliiſve venerandis Viris: quod ipſis contingit facilè, cùm ſit habitus melancholici, gracilis, lienoſus, glaber, cum hypochondriis extenuatis. Et hæc de eſſentia & cauſis præſentis affectus.

His ſic habentibus, patet difficillimam fore hujus curationem. Ab anno enim quarto ætatis, quo tempore cœpit affectus, indies deterius habuit; cùm alioquin patrui per mutationem ætatis ſanati fuerint licet auris nunquam melius habuerit, imò ad mortem uſque hoc affectu laboraverit. Ejus tamen melioris ſtatus in ſpe ſumus, ſi generoſis præſidiis id eſſe qui ſtudebit æger, quod per ætatis mutationem nondum eſt conſecutus.

Agendum igitur, calefaciendaque, & exſiccanda eſt lingua cum partibus circumjacentibus, divertenda fluxio, caputque mandans calefaciendum: non neglectis roborantibus cor, & lieni proſpicientibus, præmiſſa totius corporis expiatione.

Quare Chirurgiam quod attinet, laudamus aliquam ſanguinis miſſionem ex vena communi dextri brachii, & ex venis ſedalibus, ratione ſanguinis melancholici in toto redundantis: parca tamen ſit hæc evacuatio ratione intemperiei. Fonticulus vel ſetaceum inuratur occipiti, & alterutri brachiorum, ſiniſtro potiſſimum. Rubificantia, & veſicantia capiti, & retro aures appoſita proderunt: cucurbitulæ item ſiccæ cum multa flamma, occipiti, & ſcapulis ſæpè applicentur.

Inter Pharmaceutica, præſcribatur leniens ex hiera picra, & electuario lenitivo. Præparentur humores ſyr. de hyſſopo, oxymel. ſimpl. & ſcyllitico cum decoctione ſtæchadis, betonicæ, borraginis, ſalviæ, & roriſmarini. Purgentur pil. de hiera cum Agarico, & aggregativis. Repetaturque cum præparatio, tum purgatio pil. coclicis cum helleboro & trochiſcis alhandal. Mox detur aqua Tettutiana quatriduum, cum mell. roſat. ſolutivo. Ac deinde præſcribatur decoctum ex ligno Indico, ſarſaparilla, & viſco quercino cum betonica, origano, thymo, hyſſopo, meliſſa, & cichoreo; non neglectis ſpleneticis medicamentis: ſudorque excitetur circa caput cucurbitis, vel veſicis aqua fervente plenis prope caput appoſitis, vel pane ex furfuribus ex furno recens extracto. Interim localia capiti convenient forma pulverum, lixivii, cucupharum, inunctionum, & frictionum, quæ validè exſiccent. Ad linguam præſcribantur gargariſmi validiores ex aceto ſcyllitico, cum vino Cretico alterato ſcordio, zingibere, & pyrethro: lingua fricetur ſale & nitro: liniatur palatum Anacardina confectione: aliaque præſcribantur fuſè propoſita à Jacobo de Partibus in commentario ad locum Avic. ſupra citatum.

His jungatur congrua victûs ratio; frequenterque in primis & alta voce loquatur. Sic enim in meliorem ſtatum redigetur. Faxit Deus ut ex voto cedat. *Benedict. Sylvatic. Conſil. & Reſponſ. Med. Cent. 2.*

Puellulus inſigniter balbutiens.

Viri cujuſdam ordinis Senatorii apud Colbergenſes Filius, à vino aliiſque potulentis præter aquam & cereviſiam tenuem, quam ſecundariam vocant, per naturam abſtemius, tardius & circa quartum demum ætatis annum loqui incipiens, inſigniter balbutiebat, modo literas quaſdam, modo integras ſyllabas inter pronunciandum, quaſi abſorbens vel penitus ſupprimens, ut vix ac nec vix intelligi poſſit.

Talis balbuties oritur ab humectatione nimia muſculorum linguæ, hinc infans propter humiditatem ante annum non poteſt loqui, poſtmodum verò nimia humiditas conſumitur, unde lingua ritè moveri poteſt: obſervamus hoc in ebriis propter humidam diſpoſitionem ipſius linguæ, ut ſi à mero ſive vino ſanguinis fermentatio nimis augetur, pori arteriarum plus juſto dilatantur, unde humores circulantes majori in copia effunduntur in tubulos & hanc ſeu illam partem quam poſſint recipi à vaſis lymphaticis; & ſi majori in copia effunduntur in linguam ſeu muſculos ejus propter pondus lingua ritè elevari & agitari non poteſt, ſucceſſu tamen temporis illud malum vel ſpontè ceſſat, quando lympha nimia linguam ejuſque muſculos nimis relaxans conſumitur à calore vel per circulationem iterum reducitur; vel ſi non ſpontè ceſſet, gargariſationes poſſunt inſtitui ex decocto lignorum & aliis adſtringentibus nimis relaxatos muſculos & humidam linguam, *Joh. Jacob. Waldſchmidt in Prax. Medic. rational.*

Pro Nobili puella Romandiolenſi linguæ tumore miro affecta.

Memini apud Galenum me legiſſe, linguam naturæ limites ſecundum magnitudinem egreſſam, vario modo intumuiſſe, nam lib. de Differentiis morb. 9. tumorem præter naturam, ſed non à toto genere (quod ibidem linguæ incrementum dicit) citra aliquam ſubſtantiæ mutationem proponit, at 14. Meth. 8. tumor verus, & inflammatorius, tanquam ille, qui ſucco lactucæ adhibito curatus fuit, ab ipſo traditur, ut propterea tumor linguæ propoſitus in nobili puella 12. annos nata neceſſariò, & ipſe vel incrementum ſimpliciter linguæ, vel tumor ejuſdem verus ſit conſtituendus.

Non eſſe autem tumorem verum ex eo convincitur, quoniam eſſet vel inflammatio, Oedema, vel ſcirrhus, non primum quoniam eſt in-

dolens, non ſecundum, quia prementi manui minimè cedit, & fovea non remanet, neque tertium, quoniam haud omnino ſenſu caret; Relinquitur igitur, ut ſit incrementum illud à Galen. propoſitum loco citato abſque ullo ſenſu doloris, quod tamen actionem duplicem lædit, nam & locutionem vitiat, quia puella veluti balbutiens loquitur, & inciſionem ciborum aufert, tanquam eam, quæ dentibus anterioribus, ac inciſoriis dictis celebratur, ut neceſſariò ſit morbus, & morbus in magnitudine aucta valde, quoniam eſt adeo inſignis tumor, ut in ore nullo modo contineri poſſit; Occupat autem apicem, & paulo plus, non autem mediam pro majori parte, atque linguæ radicem, ut unicuique perſpectum eſſe poteſt, ex quo non mirum ſi comedat, ac mandat puella, quoniam illud totum linguæ, quod intumeſcit, extra dentes, & os ipſum detinetur.

Hujus tumoris generatio petenda eſt ex materia, quæ in tumoribus præter naturam à toto genere, non tantum copia, ſed etiam qualitate ex lib. de tumor. præter naturam peccare debet, hic autem cum tumor ſit ſolum incrementum quoddam, & non à toto genere præter naturam, ſufficit ut materia copia tantum peccet; Qualis autem ſit hæc materia ſic adinvenire licet, lingua eſt carnea, ergo neceſſario conſtat, & alitur ſanguine, at quod alit, ut quantum etiam auget, ergo lingua ex copioſo ſanguine augeri debet, quare cùm incrementum, de quo agitur ſit extra naturæ limites, nulli dubium eſt, & ſanguinem ad linguam copioſius ad modum, quam pro illius nutritione, & augmento ſecundum naturam deceat, per venas fluere, quo ubi pervenerit apponitur, appoſitus coquitur ab alteratrice, aſſimilaturque atque ſic jugiter appoſita nova materia, continuo etiam forma linguæ permanens majorem materiæ copiam informat, atque hoc eſt incrementum ejuſdem. Sed ſanguinem hunc primum à dolore occaſione frænuli linguæ in puella noſtra ut diſrupti, concitato attractum fuiſſe; mox verò à natura huic fluxioni aſſuefacta, & imbecillitate à ſanata illa fractione derelicta, tranſmiſſum eſſe; continuoque tranſmitti pro certo habeo.

Verum undenam ſit quod tumor hic in veſpera parum decreſcat, manè verò augeatur, ſemper autem liveſcat, & non rubeat, ut ſanguineus, brevibus oportet explicare.

Quantum igitur ad primum attinet, id totum accidere puto, quoniam in coctione, & aſſimilatione ſanguinis illius alioqui pituitoſi (qualis in pueris ob ætatem humidiſſimam, & ingluviem generatur) multi flatus potiſſimum autem per noctem retracto, & coacto calore concitantur, qui per diem ob motum linguæ ac ambiens diſſipati, ſunt in cauſa, per quam tumor parum decreſcat.

De ſecundo ſtatuo id accidere, quoniam tumor hic in aere continuo verſatur, qui ſua frigiditate ſanguinem ad ſuperficiem linguæ affluxum, antequam aſſimiletur concreſcere, & proinde livere facit, à frigido enim ſanguinem nigreſcere ſcribitur 3. de Sympt. cauſis, 2. & ab Ætio, ac Avicenna, quod in aliis noſtri corporis partibus non contigit, quoniam ad illas ea ſanguinis tantum portio, quæ pro nutritione ſufficit, ſed non ſuperfluit, demandatur, ex quibus facile etiam eſt intelligere cauſam, cur epidermis linguæ in hoc tumore aſſiduo ſquammet, hoc enim accidit, quoniam ab aere corrumpitur.

Ut ergo ab hac linguæ calamitate vindicetur noſtra puella, oportet, quicquid linguæ ſuperfluit potiſſimum per inciſionem auferre, ſed primum habitui totius corporis cacochymo bilioſo inquam, & pituitoſo cum aliquo ſanguinis ſubdominio, eſt proſpiciendum per præparantia, & evacuantia medicamenta. Verùm quoniam hæmorragia venarum linguæ inciſionem eſt ſubſequutura, idcirco oportebit, venas inciſas agglutinare, unire, & ſanguinis motum retrahentibus compeſcere. Quibus peractis danda eſt opera, ut puella præſervetur, quod fiet, ſi ſanguis copioſus minuatur; motus illius ad linguam corrigatur, ac tandem occaſio omnis ſanguinem copioſiorem gignendi ſubmoveatur.

Et quantum ad inciſionem ſpectat, quin illa fœlicem ſucceſſum ſit aſſequutura non dubito, ſcimus enim in aliis animalibus, etiam cum ſalute illorum non ſemel ſectam fuiſſe linguam, quod eo magis fœliciter evenire exiſtimo, quoniam lingua eſt de numero earum partium, quæ ſolum ad meliorem vitam conducunt.

Quantum verò ad alias indicationes cauſam aliquam, quæ quo minus illis ſatisfaciendum ſit, impedimento exiſtat, prorſus ignoro: Difficultatem tamen aliquam obviam futuram fateor, ob multas rationes, maximè vero ob hæmorragiam ex venarum inciſione ſuborituram.

Quare ad curationem deſcendens à fonte chirurgico materias quaſdam ante alias vero poſt inciſionem deſumo, in ſerie priorum reponitur ſanguis mittendus primum à dorſo per cucurbitulas ſcarificatas, vel à cubito per hyrudines venæ baſilicæ applicitas, deinde ab occipitio vel à venis poſt aures per hyrudines pariter adhibitas. Poſt hæc & alia quamplura ad uſum deducenda, ſed ex pharmacia deſumpta, ad inciſionem eſt deveniendum, pro qua facienda tenaculas ſemicirculares parare oportebit, quibus totum illud, quod linguæ tumet apprehendetur, apprehenſumque cultello inciſorio abſcindetur, ſtatimque ad hæmoragiam præcavendam pars ferro candenti erit inurenda, quod adhuc fieri poſſe ignito cultello exiſtimo, poſt inciſionem tandem extrema jugiter fricanda, lavanda, deliganda & ventoſanda ſunt: Et ad præſervationem cauterium in brachio ſiniſtro, & femore dextro non diſplicent.

Medicamenta tum communia, tum privata conveniunt: Ex coordinatione priorum lenita alvo cum ſyrupo, & melle roſatis ſolutivis, humores præpararem decocto ſonchi, hepaticæ, betonicæ, & boragine cum ſuis ſerapiis, mox præparatos deturbarem infuſo agarici trociſcati, & Rhab. adjecto ſyrupo roſ. ſol. (poſt quæ facienda erit inciſio) deinceps de medicamentis privatis cogitarem, quorum alia ad partem uſtam, alia ad ſanguinem referuntur.

Si ad partem, primum ad Cruſtam, & eſcaram ab inuſtione inductam conſervandam inſpergerem pulverem ex calcytide, & myſi, deinde ſublata fere omni hæmorragiæ ſuſpicione eſcaram digeſtivo loto, aut etiam tetra pharmaco abjicerem, ac mox facta ſuppuratione, ſi opus fuerit ad detergendũ melle roſato colato uterer, & ſi aliqua inequalitas præſens eſſet, cavitates pulvere ex thure, & mirrha parato replerem ac tandem pro agglutinatione aquam thermalem aluminoſam cum filamentis, vel Ceratum phœnicinum adhiberem. At gratia ſanguinis cervicem petiis lineis poſca imbutis obducerem, ac intus quæ ſanguinem incraſſant exhiberem.

Manè igitur & veſperè jus medicatum cum portulaca, plantagine, equiſeto, & acetoſa, in quo amylum eſſet diſſolutum offerrem, ſyrupus quoque ejuſdem plantaginis, portulacæ, de roſis ſiccis, ac de ribes ex cochleari datus mihi probaretur.

At ubi rudimentum hæmorragiæ aliquod occurreret, primum à ſaccharo roſato pulvere carabe, & ſeminum papaveris albi, mox à philonio perſico cum trociſcis de terra ſigillata exhibito, necnon & à cataplaſmate ex fuligine ſartagini hærente, atque cotto combuſto, albumine ovi excepto, applicitoque non recederem, quibus non conferentibus filamenta imbuta vel aqua plantaginis, cui immixtus ſit pulvis calcanti uſti, vel oleo ipſius calcanti cum ſucco porrorum, vel oleo pariter ſulphuris cum melle apponerem.

Quoad medicamenta præſervatoria, jus pulli medicatum cum china ad plures dies exhibitum mihi non parum arrideret, ea tamen ratione, ut aliquot intervallis in illo myrobalani citrini, & chebuli macerarentur.

Victus rationem opportunam omnino ſeligerem, quapropter tempore providentiæ totius vellem, ut puella in aëre temperato detineretur, uteretur bonis cibis, ac vinum pauciferum biberet, & ubi facta fuerit inciſio, cibi inviſcantes; & agglutinantes, liquidi tamen offerrerentur, ideo jura parari poſſent ex carne pulli, vel caponis cum extremitatibus vituli in aqua calybeata, & in juribus illis panis tritus aut hordeum, cum farre, vel Oriza ad liquationem uſque incoqui poterunt, & ſi res eò devenerit, ut lingua valdè intumeſcat, & ſic cibum difficile admodum admittat; ut propterea raro idem cibus offerri poſſit, ſuccus carnis caponis ac ova non erunt deneganda, quo in caſu etiam ſi inſtrumentum aliquod ad cibum in os infundendum opportunum videbitur, illud quod ſecundum partem, quæ in os immittitur anguſtioris, ſecundum verò illam, in quam cibus infunditur latioris eſt foraminis, commodè parari poterit, quo tempore patiens, abſtineat à vino neceſſe eſt, & utatur vino granatorum, vel cydonior. cum aqua chalybeata: At ſi vires collabi videbuntur, ab odoro vino, eodemque ſubauſtero aqua diluto non abhorrerem. Lingua verò ad agglutinationem properante, ac detumeſcente, liberalius, ac cibis paulò ſolidioribus nutriri poterit. Tempore autem quo decoctum chinæ puella aſſumet, victus mediocris, ac moderatè attenuans inſtituatur, vinumque dilutum aqua cocta cum china concedatur. Semper tamen alvus clyſteribus, & glandibus communibus irritetur, ac in aliis omnibus mediocritas ſervetur. Faxit autem Deus ut voti noſtri compotes hiſce præſidiorum materiis afficiamur. *Jul. Cæſ. Claudinus in Conſult. Medic.*

De Voce & Loquela in tribus proximè ſubſequentibus Conſultationibus, quamvis non ita exquiſite ad Linguæ morbis.

Conſultatio. I.

Loquela Depravata.

Mutilata in ſcheda, qua temperamentum totius & capitis, corporis habitus, & alia deſiderantur, hæc habentur, quod Nob. Vir 30. annum agens, perfectè alioqui ſanus, ab ineunte ætate pati cœpit difficultatem quandam loquendi, ob quam expedite verba longiori ſermone proferre nequierit, quæ in dies ſemper magis invaluit, & cujus præſens ea eſt conditio, ut ſi tardius loquatur, verba omnia, totumque ſermonem diſtinctè & perfectiſſimè proferat, at ſi conſueta naturali celeritate loqui, & continuato ſermone propriam ſententiam exprimere tentet, vox ipſa non adeò clara edatur; ſed cum ſpiritu ipſo deficere videatur; unde fatetur quidem Pat. linguam promptam & expeditam ſe habere, ſed defectum in ſpiritu percipere. Multa peracta fuerunt à Medicis quibuſdam, cauſam in redundantem humiditatem referentibus; cauteriumque brachio fuit inuſtum. Ab aliis pectus laxantia ac dilatantia adhibita; ſed incaſſum omnia. Modò hujus affectus cauſam quærit, ejuſque ſanationem, aut ſaltem remiſſionem poſtulat.

Duarum itaque actionum, vocis nimirum & loquelæ, quas læſas animadverto in hoc Nob. Pat. illam quidem imminutam; hanc verò depravatam eſſe decerno. Et quoniam ſine voce, loquela explicari & concinnari non poteſt, hujus proinde ſymptoma à ſymptomate vocis, ambo verò à morbo pendere facilè credo. Vox autem læditur imminutè, non læſa facultate; nec læſa larynge, proprio vocis inſtrumento, ubi fit aëris alliſio; ſed deficiente vocis materia, videlicet aëre, etenim ad vocem edendam, cum præcedere debeat aëris inſpiratio, exſufflatio ſimplex & ſonora, hæc omnia vitiata conjicio; quia vitiata ſunt inſtrumenta ad eaſdem actiones obeundas concurrentia; inter quæ licet principem locum obtineat pulmo, unde animalia eo carentia, voce quoque carent; hic tamen thorace utitur, qui hoc caſu, utpote natura anguſtus & malè conformatus tantum aëris unica vice inſpirare & expirare nequit, ut diuturnam exſufflationem edere poſſit, muſculis licet intercoſtalibus operantibus; unde aëre, materia ſcilicet vocis deficiente, hanc quoque deficere fuit neceſſe, & quidem magis magiſque in dies ætate invaleſcente, viſceribus omnibus excreſcentibus, thorace verò ob duritiem, ut antea facilem dilatationem non admittente, prout in pueritia. Quia verò quo tempore Pat. celerem & diuturnum ſermonem meditatur, ſimul etiam inſpirationem & expirationem edere minimè poteſt; ideo ob brevem inſpirationem deficit aër, ſicque exſufflatio, vox & loquendi facultas. Quod ſi lentè loquatur, præterquam

quod aër non cito abſumitur, ut in intenſiori locutione, inſuper quoque brevia quædam intervalla conceduntur, quibus crebrò aër, materia ſcilicet vocis & loquelæ, inter loquendum inſpirari & expirari poteſt, unde Pat. diutius ſermonem producere valet; licet non naturali, ſed lento quodam & depravato modo. Atque ita ſymptoma in actione depravata, ab alio ſymptomate in actione imminuta, hoc verò à morbo ex naturali mala conformatione procedit.

Affectus equidem inſanabilis, utpote ab inſanabili cauſa proveniens; vitioſas enim atque morboſas naturales conformationes, & hanc potiſſimum auferre impoſſibile eſt; quæ licet moderationem aliquam admittere poſſet (quod hac potiſſimum ætate adultiori vix ſperandum) ab externis emollientibus atque laxantibus pectori admotis petendam; quia tamen audio quod vox, dum deficit, non adeo clara editur, unde muſculi, ſi non gutturis, faucium ſaltem ſonoræ exſufflationi inſervientes, humidiores reddi poſſent; ideo aquæ ſulphureæ Vere proximè futuro, per os aſſumendæ, utpote maximè pectorales, forſan prodeſſe poterunt; non quod catarrhalis materia, ullo unquam modo, ut cauſa principalis ſit admittenda, ætatis enim progreſſu imminuta potius, quam adaucta fuiſſet hæc difficultas; & præterea frequens adeſſet hujuſmodi raucedo, meleſta tuſſis, & nonnunquam aliqua ſpirandi difficultas; nec tandem in reliquis, adeò inculpata valetudine gauderet; cum divinus noſter Senex, paucis de deſtillationibus proferat, quod, Quibus nares naturæ humidiores, hi minus integra ſanitate fruuntur. *Raym. Joh. Fortis Conſultat. & Reſpons. Medicin. T. 1. Cent 2.*

Conſultatio altera.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Abbas, annum agens 30. temperamenti ſecundum totum, calidi, & humidi, capitis humidioris, & hepatis, ac potiſſimum cordis calidioris, ſatis boni habitus, ſed pectore ac dorſo hirſutus, ab ineunte ætate locutionis offenſam pati cœpit, adeò ut ei interciperetur locutio, veluti ſi verba proferenda in promptu non haberet, cum tamen poſt remoram illam celerrimè reliqua expromere, vel invitus obſervetur, quaſi tarditatem celeritate mox ſuppleturus; quod tamen rarius contingit ſi lentè loqui conetur, conſueto namque tenore loquens, ſimul cum verbo, reſpiratio quoque eidem deficere videtur. Quibus addendum, quod reliquas quoque proprias actiones celeriter, & ſæpe inordinatè obit. Torvis etiam glaucis oculis legit & aſpicit, capite ad latus converſo, nec adeo acuta & perfecta viſione gaudet. Quo rerum ſtatu, nos conſulit de agendis.

Vocem in Illuſtriſſ. Abbate imminutè læſam; loquelam verò depravatè, juxta hiſtoriam antehac ad nos tranſmiſſam, in ſuperiori conſultatione ſignificavi, hancque læſionem contigiſſe, non quidem affecto nervorum principio, aut vocalibus inſtrumentis, ſed vocis materia, aëre ſcilicet deficiente; non quidem nervis intercoſtalibus affectis, ex ſpinæ contuſione, ut contingit aliquando; vel iiſdem penitus reſolutis, ut pari er notavit ipſe G '. ſed ex mala, & nonnihil anguſtiori; à primordiis naturæ. thoracis conformatione, ob quam tanta materia vocis, quæ ſufficiat ſermoni diuturno, conſueta celeritate proferendo & edendo non ſubminiſtratur; unde lentæ locutionis neceſſitas Viro Illuſtriſſ. ut interim frequentius aërem inſpirare poſſit, atque ita unam magnam & integram reſpirationem ſuppleat pluribus atque repetitis; quæ fuit doctrina Gal. Quare inſanabilem, imò immedicabilem hujuſmodi affectionem pronunciavi, hoc tantum addito, quod ſi aliquod remedium experiri liceat, ſolus foret uſus per plures dies aquarum ſulphurearum, cum dejectorio vehiculo aſſumendarum.

In quem finem Patavium petere decrevit Illuſtriſſ. Abbas, ut principes hujus Academiæ conſuleret quoque Medicos; quo cùm perveniſſet, acciti eorum plerique, cauſam in humidam à capite deſtillationem referendam cenſuerunt, qua & vocis, & loquelæ potiſſimum inſtrumenta perfuſa, non adeo facilem & naturalem loquelam ederent. In hoc autem convenimus omnes, ob capitis plus juſto humidiorem intemperiem, ob Illuſtriſſimi Viri viſum non adeo acutum, oculos ſcilicet glaucos & imbecilliores præ nimia humiditate redditos, ob quam imbecillitatem quia recto tramite objectum viſibile intuentes ab eodem multum afficiuntur, ideo torve illud aſpiciunt, veluti ſi objectum viſibile ad angulum potius quam ex diametro pertingat eoſdem oculos. Sed præterea ob ejuſdem capitis humidam intemperiem graviora mala imminentia reformidantes, ad ejuſdem exſiccationem, congruo decocto cum ſudore devenire, ſaluberrimum fore duximus; quibus tamen, quoad locutionem ſpectat, nihil profecimus.

Verùm poſtquam Virum Illuſtriſſimum vidi, interrogavi, & obſervavi, ad hanc locutionem depravatam, præter vocis læſionem ex deficiente materia, plures alias concurrere cauſas ratus ſum, ideo ad aliorum uſum Pat. Illuſtriſſimum perduxi. Obſervavi ſiquidem in eodem nimiam, nimiſque concitatam in omnibus actionibus obeundis promptitudinem, ob quam ſæpe depravatæ, & inordinatæ evadunt; cùm V. G. ſi ſedens vocetur, ſtatim ſurgens adeò celeriter in vocantem irruat, ut non recta via, ſed ſæpe oblique ac tortuoſe pedes moveat atque incedat. Obſervo præterea, cum familiaribus ipſum expeditius loqui; ſicut tardius multo atque difficilius cum alienis; nec tandem conſuetudinem à cauſis ita depravate loquendi prorſus excludo. Quibus conſideratis ita ratiocinandum eſſe mihi videtur.

Quælibet noſtra actio, ut rectè & naturæ lege perficiatur, requirit determinatum tempus, infra, vel ultra quod eadem minus proprie naturalis dici poteſt; ſic tardus inceſſus, læſionem aliquam ſupponit, prout nimis celer, & ut cauſa, & ut ſignum ſupponitur malus; quia ſignificat cauſam aliquam internam, quæ ipſi naturæ ſtimulum atque irritamentum addit, cujus cauſa exacte à natura actio illa non perficitur; cum celerior inceſſus lapſus ſæpiſſime cauſa evadat; ita in Illuſtriſſimo Viro locutio celerior, quàm par ſit, editur; quæ mala eſt, ut ſignum, ſignificat enim Cordis, & jecotis exuberantem calorem, à quo irritamentum,

p. n. ſuſcipit non ſola locutio, verum & ambulatio, cæteræque omnes ejuſdem operationes; mala quinetiam ut cauſa, interruptæ nimirum & depravatæ locutionis; idque quoniam non poteſt tanta eſſe promptitudo & celeritas in cerebro juſto humidiori, ad reſumenda nomina, aut vocabula rerum ab ipſa memoria, ut intellectui ad loquelam offerantur, quantum irritamentum eſt, quod à corde, jecore, & ſanguine fervidis, non ſolum ad loquelam, verum & ad cæteras omnes, in Viro Illuſtriſſimo operationes obeundas ſuſcitatur; neque celeri linguæ motioni reſpondere poteſt celer adeò verborum apparatus, ex quo intercipitur ipſa locutio; quod non evenit, ſi linguæ celeritatem ex induſtria moderari conetur; quia tunc æquè procedit, & verborum inventio, & eorundem prolatio. Quibus addamus, quod à fervido ſanguine, fervidiſque ſpiritibus vitalibus, qui à præſentia alicujus novi ſpectabilis Viri facillimè agitantur, antequam contemperentur,& moderati ſpiritus animales evadant, intellectus operationes quodammodo confunduntur, adeo ut difficilis tunc temporis fiat verborum repræſentatio, atque inventio, ac proinde ipſa locutio; non ſine aliqua tandem ipſius quoque conſuetudinis opera. Quare concludimus, ad læſam locutionem in Illuſtriſſimo Viro, ut cauſam concurrere quidem nonnihil pectoris anguſtiam; ſed multò magis ad locutionem nimium irritamentum, à cordis, jecoris & ſanguinis fervore procedens; quod ideo à primis annis ad ætatem adultiorem incrementum ſuſcepit, quia calor temperamenti uberior in dies & acrior factus eſt; accedente tamen aliqua animalium actionum tarditate, tum ob ſpirituum animalium quandoque confuſionem; quandoque vero ob cerebri humiditatem, nec utcunque, ſine conſuetudinis culpa. Aquibus omnibus Traulus ſit Vir Illuſtriſſimus, de quo loquutus Avic. & antea Gal. cùm ſyllabam multoties repetat, & præſertim T. & R. antequam dictionem proferat, dum interim verba mox enuncianda quærit atque meditatur.

Et licet hæc læſa locutio ab ortu naturæ ſuam originem traxerit, ac in naturalibus tum in mala conformatione, tum in intemperie, morbis ſita ſit, jamque conſummata confirmataque; nihilominus quoniam eidem proſpicientes, & intemperies corrigentes, melancholicos affectus, quibus balbi obnoxii eſſe ſolent, aliaque mala arcere poſſumus, & eadem opera huic affectui prodeſſe; ideo expiatis primis viis, & corpore primum, mox capite expurgatis, hypochondriorum item, & jecoris fervore contemperato, ac decocto cum ſudore in hypocauſto ſolicitato, humidam intemperiem repreſſimus; mox aquas ſulphureas cum vehiculo dejectorio, ne jecori officerent, in pectoris gratiam exhibuimus; à quibus, Aquis B. V. jecoris calidam intemperiem correximus; atque tandem aquis, ex herbarum refrigerantium ſuccis, per os, & Balneo aquæ dulcis tepido iiſdem alterato, non ſolum jecoris, ſed & cordis, renum, ſanguinis, & totius fervorem contemperavimus, thoraciſque anguſtiam emollientibus laxare tentavimus; addita his proportionata congrua victus ratione, cui inſiſtere conſultum fore exiſtimantes ejuſdem potiſſima capita percurremus, & quid Vere proximè futuro facto opus ſit, paucis præſcribemus.

Et primò quidem Aërem fugiat nebuloſum, ventoſum, ſummo mane à ſole non expurgatum; caveat à diuturna mora ſub radiis ſolaribus, tum & lunaribus, & caput ab igne cæteriſque injuriis externis munitum cuſtodiat.

Secundo bis in die comedat; ſed cœna ſit parcior, prandio tamen concocto, cum nil deterius quam comeſtio ſupra comeſtionem; prima autem menſa de more, ſorbeat juſculum tenue foliis borraginis alteratum. Cibi ſint boni ſucci, facilis coctionis & diſtributionis, refrigerantes potius quam calefacientes, non tamen vaporoſi; atque ideo abſtineat à lactariis, lactuca, apio, ſive hypoſelino, à condimento aromatum, excepto cinnam. & pipere ruditer contuſo; nec utatur carnibus & piſcibus ſalitis, aut furno exſiccatis; neque leguminibus, hordeo cujuſcunque generis, & oriza exceptis. Et quia jam fere abſtemius eſt, non eſt quod vina generoſa illi interdicamus; caveat tamen ab aquæ potibus, quibus delectatur, horis pomeridianis, prandio adhuc in ventriculo hærente.

Tertiò ſomnus ſit diuturnior, verum nocturnus; & ſi diurnus, brevis, & capite elato potius quam ſupino.

Quartò Exercitia neceſſaria, ſed moderata ante cibum, horis nempe matutinis & veſpertinis, ſubcœnam. Semper enim labores ante cibum, cum Hipp. Pectinatio quoque quotidiana, ab antica ad poſticam partem, erit capitis proprium exercitium.

Quintò Alvus lubrica ſervetur, & niſi ſponte procedat, arte ſolicitetur jure carnis foliis malvæ alterato, injecto ſacch. puro, prima menſa; vel prunis damaſcenis, vino dulci incoctis, addito ſacch pariter paſſulis; & ſi quandoque ventriculus cruditatibus ſcateat, aſſumat ʒ ſ. pil. maſtich. cum gr. viii. magiſt. mechoac. hora una ante prandium vel cœnam, ſemel per menſem.

Sextò Alacri animo degat, curas atque ſolicitudines fugiat; nec legendo, minuſque ſcribendo occupetur, niſi ſaltem quatuor aut quinque horis à cibo.

Et quoniam intemperies præſertim partium principalium, non adeo facilè & citò refringuntur, atque difficilius naturales, ut hoc caſu; ideo arboris annoſæ inſtar pluribus ac repetitis ictibus evellendæ Quare proximè futuro Vere, altera, licet non adeo operoſa erit repetenda purgatio, in eum finem, ut primarum viarum expurgatis excremenis minus conſentiat ac impleatur caput; tum ut jecoris, ſanguinis & cordis calida moderetur intemperies.

Quæ præſtabunt primò caſſ. cum lenit. & tart. vel pot. clarif. cum tart. à quibus per quinque dies præparentur humores in primis viis, ℥iii. ſyr. acet. cortic. citri aromatiz. & cinnamom. cui miſceantur crem. tart. ʒiii. qui ſine diluto ſumatur, ut diutius ventriculo & primis viis immoretur; qui tamen ſi placeat, diſſolvatur cum ℥ii. aq. totius citri

Quinque autem poſt diebus, repetatur idem primum medicamentum; mox ulterior inſtituatur præparatio, decoct. cichor. borrag. end. meliſſæ, beton. hepaticæ; cui immiſceantur ſucci depur. cichor. borrag. beton. ad ℥iii. pro qualibet vice; cui potioni præmittantur julap. acet. ℥ii. in qua perſiſtat ſeptem dies. Verùm die ſecunda aperiatur jecoraria dextera, educto ſanguine ad ℥ vii. circiter. Septem verò poſt diebus ſumatur infuſum ſennæ, rhab. agarici in aqua borrag. additis ſyr. roſ. ſol. vel pot. clariſ. atque hoc aſſumpto medicamento, evacuatione jam inchoata, bibat Illuſtriſſimus Vir ſer. capr. aut aſin. depur. vel aquam Nocerae, ad ℔ iii. & duabus, vel tribus horis ab iis prandeat.

Hac peracta evacuatione & expurgatione, ad caloris commoderationem erit tranſeundum, ut humorum exuſtio, ac proinde affectus aliquis melancholicus prævertatur. In quem finem, omiſſo uſu lactis, aut ſeri, utpote capiti infenſo, necnon aquarum Thermalium, ut nimis operoſo, ſat erit uſus ſucc. depurat. cich. & borrag. Menſe Majo, ad 20. aut 30. dies, ita parandi.

℞. ſucch. cich. depur. ℥iii. borrag. ℥i. juris pullæ alterati ſol. ſonchi, & hepaticæ ℥iv. additis quoque, ſi placet conſerva de acido citri, aut ſyr. de ſucco lim. fiat pot. mane ſumenda, quatuor ſaltem horis ante prandium. Verùm decimò quoque die, aſſumat bol. ita paratos.

℞. Flor. caſſ. rec. ʒ. vi. elect. de ſucco roſ. ʒ ii. rhab. opt. ʒ ſ. m. f. b. aſſumendi quatuor horis ante cibum; quibus hora poſt bibat aquam Nocer. ad lib. iii. inde diebus ſequentibus, ad ſuccorum uſum revertatur. Quod medicamentum ſub finem ſuccorum tandem repetendum, & purgationi finis imponendus. Uti verò poterit tota æſtate, de more conſerva roſar. etiam tabulata, epoto quandoque ab ea matutinis horis, cyatho aq. ſtillat. cich. Quæ purgatio, ſi quolibet Vere uſque ad 36. annum repetatur, præſens quidem affectus minui, & alter imminens, mihi metuendus, tuto præverti poterit. Ita D. O. M. vota noſtra ſecundet. *Idem ibidem.*

Vocis Læſio.

Juvenis Nobilis Veſtalis, annum 18. agens, ſubhumidioris totius corporis & cerebri temperamenti, jecoris calidiuſculi, ac ventriculi natura frigidi, ſubalbo colore, ac mediocri ſtatura donata, tribus jam abhinc annis, vocis & loquale inſigni diminutionela boravit, à qua tunc temporis levi peracta expurgatione, poſt menſem circiter libera evaſit. Verùm rurſus anno ſequenti à catarrhali fluxione in laryngem à capite delabente, in raucedinem incidit, quæ multis diebus, levibus ſuperata eſt auxiliis. Jam verò tertius excurrit menſis, à quo vox & loquela imminui cœpit, quæ tandem in aphoniam deſiit, ita ut in præſens ferè vox & loquela omnino præcludantur, & nonniſi ipſius ori auribus propius admotis, aliqua vix perceptibilis vox, & obſcura, ac inarticulata loquela percipiatur, quæ poſt levem & difficilem expirationem intercipitur, nec ulterius locutionem continuare poteſt Pat. Præpeditur inſuper valida inſpiatio adeò, ut interrogata capite tantum annuat, ac veluti Zona pectus ſibi conſtringi percipit. Modo hac de re ſententiam tuam, & opem efflagitat.

N. N.

Non ſolùm vocem in Nobili hac Juvene Veſtali imminutam; verum ferè ex toto abolitam, adeò ut non modo cacophonia, ſed aphonia quinetiam laboret, in hiſtoria enarrata accepimus; & præterea loquelam quoque ferè prorſus ademptam, qua affectione levius correpta jam tribus abhinc annis, levi quoque purgatione reſtituta fuit; rurſus tamen anno ſubſequenti, à catarrhali deſtillatione in raucedinem incidit, & levibus pariter adhibitis medicis auxiliis, omnino convaluit. Modo tandem tribus abhinc menſibus, & voce, & loquela deſtituta, cum difficili inſpiratione & expiratione, qua pectus veluti Zona conſtringitur, auxilium poſcit.

Horum autem affectuum cauſam, in catarrhalem à capite deſtillationem referendam credimus, & quidem non eſſentialiter ſolum, cùm ſubhumidi ſit temperamenti, ſed per conſenſum quoque à toto, ſubalbido colore, & humidiori temperamento prædito, læſo, quod nobis confirmare poteſt pluries recurrens vocis læſio, cauſæ non fixæ atque ſtabilis in parte, ſed aliunde tranſmiſſæ certo indicio: Sicut enim ab humiditate arteriam, laryngem, & fauces humectante, raucedo procedit; ita ab eadem uberiori vox prorſus, ex Galen. & Paul. deperit; quinimò redundans atque perdurans fluxio catarrhalis, ad linguæ quoque muſculos ſe ipſam inſinuans, iiſdem perfuſis atque repletis, loquelam quoque impedit, ac tandem aufert; prout hoc caſu, contingere credendum; cùm enim ad has actiones obeundas, quinque ordine quodam conſpirare ſoleant, nimirum expiratio, exſufflatio ſimplex, eadem ſonora, & ab ea vox, & loquela, atque hæ omnes à muſculis perficiantur, nec aliæ præceſſerint affectiones, eoſdem lædentes, præter catarrhalem à capite deſtillationem, hac imbutos fuiſſe & eſſe omnino ſtatuendum, & non ſolùm proprios, verum & alios communes, jam dictis operationibus dicatos; prout ex quodam veluti cingulo, thoracem conſtringente conjicere licet, inſpiratio enim fit ab omnibus thoracem diducentibus muſculis; exſufflatio ſimplex ab intercoſtalibus; ſonora verò à muſculis faucium; prout vox à muculis gutturis; & loquela à linguam moventibus, obſervatione Gal. Harum autem omnium prima læſa, cæteræ omnes neceſſario læduntur; non tamen contra, cum enim aër ſit vocis materia, hac deficiente, illam quoque deficere & perire omnino eſt neceſſe.

Jure itaque dicebat Gal. quod Catarrhus fons & ſoboles omnium morborum eſſe poſſit; cujus vi totum corpus languere aſſerebat. Prout enim defluens in varias corporis partes, variorum quoque morborum atque ſymptomatum fit parens;

rens; ita hoc caſu, idem præter muſculos thoracem dilatantes & intercoſtales, laryngis quoque proprios potiſſimum obſedit, adeò ut imbutis, ac læſis muſculis Thyroarytænoidibus, Arytænoidibus, Cricoarytænoidibus poſticis, & Cricoarytænoidibus lateralibus, cartilagines omnes Thyroides, Cricoides, Arytænoides laryngi, ſive glottidi famulantes, necnon epiglottidi, proprio munere, nimirum vocis modulandæ deſtituantur, intercepta forſan etiam facultate, à recurrentium nervorum compreſſione. Sed quis non videt, Arytænoide cartilagine immota manente, ob proprios ſuos muſculos humiditate perfuſos, & tumefactos, inſpirationem, ac proinde expirationem neceſſario imminui, ſine læſione quinetiam muſculorum thoracem dilatantium & intercoſtalium; unde neceſſario quoque deficiat vocis materia, nimirum aer, ipſaque vox? de quo hucuſque conſtat. Verùm quoniam deficiente aere, ipſaque voce, quomodo loquela audiri ac percipi poſſit, non videmus; propterea de loquela deperdita dubitamus, licet humida & catarrhalis fluxio muſculos quoque linguæ proprios, nimirum ſtylogloſſos eandem attollentes, Baſiogloſſos deprimentes, & Ceratogloſſos ad latera moventes afficere poſſit, à quibus impedito linguæ motu, loquela quoque impediatur.

Hic affectus non ſolum in præſens Patienti Nob. incommodus, ſed temporis proceſſu vitæ quoque periculum minatur; deficiente namque reſpiratione, cor affici neceſſe eſt, ſicque calor influens ab eodem emanans, languidior ad viſcera naturalia tranſmiſſus, coctiones & ſanguificationem corrumpit, malo habitu paulatim & cachexia inductis. Quapropter quamprimum generoſiora adminiſtranda remedia, antequam materia ipſa radices agat, atque denſetur, ſicque invicta atque inexpugnabilis evadat; cum anno tranſacto raucedines vix amplius ſuperari poſſint.

Nec deſperanda priſtina ſalus, hac juvenili ætate, qua raucedines & gravedines non adeo difficilem coctionem admittunt; cujus tamen facilior curatio foret, ſi anni tempus propria & efficaciora admitteret remedia. Ideo aliqua in præſens agenda; alia verò, & generoſiora, ineunte autumno uſurpanda proponemus, ut omnibus neceſſariis indicationibus ſatis faciamus.

Hæ autem ſunt, primas vias expiare. Secundò totum venoſum genus excrementis depurare. Tertiò caput ipſum expurgare. Quartò idem humidius exſiccare. Et tandem materiam catarrhalem muſculis impactam reſolvere.

Hoc autem tempore ſanguis extractus, cauterium brachio inuſtum, primæ viæ mundatæ, totum expurgatum & caput, ac reliquas duas intentiones implere tentatum fuit; decocto chinæ, uſu terebinthinæ atque theriacæ, omnibus tamen incaſſum adhibitis; quoniam morbus, & ſymptoma, ſive ejuſdem cauſam, jam dictorum vires ſuperant.

Decoctum igitur erit repetendum ex ligno guajaco, viſco quercino, & pauco ſaſſafras paratum; cui omnino ſuccedat ſudor ad 40. dies, abſque cujus ope nihil boni ſperandum; quæ tamen nonniſi proximo futuro autumno præſtari poterunt. Quibus peractis, capitis ſtillicidium convenientiſſimum quidem foret, ex aquis Porretanis, at quoniam eaſdem adire prohibetur Pat. ſubſtitui poterunt Lucenſes, quibus à contumaci raucedine ſe quendam liberaſſe Mercurialis profitetur. Theriaca quoque tunc temporis in uſum duci poterit, ſicut & Anthos conſerva. Vinum item ad menſam ligno roriſmarini & viſco quercino medicatum. Quæ omnia ſi exequi potuiſſet Nob. Virgo, votis noſtris forſan ſatisfactum gauderemus.

Quæ vero hoc tempore agenda, hæc ſunt, accuratius totum expurgare, & caput, ac topicis materiam muſculis infarctam diſcutere.

Pro toto opportunum erit elect. lenit. cum diaphœn. vel pil. de hiera cum agarico, cum aggreg. tribus ſaltem vicibus, parca doſi, quartò quoque die aſſumendæ, à quibus bibat ſemper jus, vel aquam hordeac. intermediis diebus aſſumpti s præparantibus à Viro quinetiam Excellentiſſ. præſcriptis.

Capiti expurgando ad pil. cochias aur. & aggreg. erit progrediendum, duabus ſaltem vicibus exhibendas. Atque per nares capitis quoque expurgatio procuranda, pulvere ex majorana, nigella & iride parato, tabaci more per eaſdem inſpirato.

Topica materiam impactam & adhærentem ſpectantia, erunt exſiccantia atque digerentia. Et primò quidem aqua Tettuciana, quinque vicibus, alternis diebus de more propinanda, cum vehiculo mellis roſ. ſolut. Secundò gargariſmi parati ex mulſa diluta, cui oxymel ſquil. addatur, ad cochlear pro quolibet mulſæ cyatho; necnon ex aqua hordeac. fœnugræco alterata, additis gutt. ol. majoranæ chymicè extracti; vel ex aqua Lucenſi liquiritia alterata addita ſapa; ex aqua item hord. cum ſucco caulium, melle condito; parari quoque poterit aqua hordei decocta cum ſiliquis, in qua diſſolvatur ſal prunellæ, aut cryſtallus tartari. Qui gargariſmi erunt æſtate tota in uſu habendi, ſicut pariter & præſcriptum errhinum. Præterea ſub lingua, noctu præſertim, detineat ſuccum liquiritiæ denſatum, ſtyracem, nonnunquam & confectionem diaireos, & quandoque ex quinta eſſentia roriſmarini, necnon ex butyro ſulphuris, utpote maximè exſiccante, licet pulmones affecti non ſint.

His autem omnibus congrua & accommodata eſt addenda victus ratio, ut aer cubiculi nonnunquam alteretur myrrhæ, aut ſtyraci ſuffumigio, inſpirando quinetiam per tubulum. Cœna ſit parca, & quam minimum bibat. Allium contuſum frequenter comedat ſtatim à cœna; vel ſub ingreſſum lecti deglutiat mellis, vel ſapæ cochlear. Reliqua Viro Excellentiſſ. inſtituenda committimus. *Idem ibidem.*

Linguæ Paralyſis, & Memoria imminuta in Podagrico.

Illuſtriſſimus Senex olim à Secretis Cæſareæ Majeſtatis, & ideo continuis laborioſis applicationibus multo tempore preſſus, modo annum agens ſeptuageſimum ſecundum, tem-

peramento prædítus totius calido & humido, humidiori verò cerebro, & hepate atque corde calidiori, ad operationes promptiſſimus, & in iram pronus, Uxori inſuper juveni junctus eſt. Sexageſimo ſuæ ætatis anno Podagra modo pedes, modo manus occupante laborare cœpit, quæ tamen uſq; adhuc tophacea facta non eſt, licet frequentius per intervalla recurrat. Anno autem elapſo, æſtivo tempore ruri degens, noctu dormiens, feneſtras adapertas detineri juſſit, ut aere ſpirante frigido frueretur: ſed poſt paucos, dies mane expergefactus linguæ motum ſibi impeditum ſenſit, caputque gravatum percepit, copioſa ſequuta catarrhalis materiæ per ſputum excreatione; Quæ omnia non ſolum perſeverarunt, ſed augmentum quoque ſuſceperunt: ſputum enim frequenter & copioſe movetur, linguæ motus ita tardus atque difficilis eſt, ut vix verba proferri & intelligi poſſint; Quibus acceſſit quoque cum capitis gravedine memoriæ imminutio, ſive memorandi difficultas, & ſtomachi imbecillitas, Sumpſit pilulas capitales, opportunum tempus vernum expectans pro regulari Curatione ineunda, quam ab Eximio Viro Patavino Profeſſore, Cæſaris Medico Supraordinario enixe implorat.

Podagra, quamvis ſit Morbus, eſt tamen affectus, qui non raro habet rationem boni, dum natura ipſa, ad tuendas & præſervandas nobiliores partes, redundantes vitioſos humores ad ignobiliores, per modum criſis, per decubitum appellatæ deponit, & malum pro minori malo excitare conatur. Hoc idem præſtitit præteritis annis in Illuſtriſſ. Viro, qui gravioribus negotiis implicitus, & intenſis applicationibus deditus, caput ſibi adeo labefactavit atque debilitavit, ut propriæ nutritioni ineptum catarrhales humiditates multiplicaverit, quæ ab expultrice facultate facile per muſculorum ſpatia, ut Fernelius ab Hippoc. accepit, ad Articulos detruſæ fuerunt, & ſexdecim abhinc annis per intervalla podagricos dolores excitarunt, ſicque à gravioribus malis Vir Illuſtriſſ. præſervatus fuit. Verum quoniam Podagrici tantum abeſt, ut hoc animadvertentes liberum vivendi modum ſibimetipſis corrigant, quin potius, ut dicebat Aretæus, ſedatis doloribus tanquam ab Inferis elapſi licentioſiorem vitam ducant, & ita errores majores committant; ideo hoc facile evenire potuit etiam Viro Illuſtriſſimo, aut in aere hypocauſti nimis calido, aut in cibo & potu, aut in vigiliis, aut in omiſſo exercitio & nimia corporis quiete, aut in Venereo congreſſu, & tandem certè in nimiis animi applicationibus: quæ duplici ratione cruditates multiplicant, primò à ventriculo calorem & ſpiritus divertendo, & caput ipſum debilitando, quo fit ut fluxiones ad Articulos, & frequentiores & feraciores evadant. Quod ſi contingat ætatis progreſſu, ut catarrhalis ipſa materia & copioſior & craſſior reddatur, expultrix vero facultas imbecillior evadat, tunc in capite retenta Vertigines, Apoplexias, vel alia hujuſmodi mala parit: aut ad proximiores partes detruſa, Paralyſes, Paraplexias & Paraplegias inducit, ut contigit Illuſtriſſimo Viro, cui denſata materia in capite, & obſtructis atque ſtipatis poroſitatibus ab ambiente frigiditate nocturna, materia ad inferiores partes expelli nequivit, ſed partim in cerebello retenta, & cerebri ſubſtantiæ immiſta humiditatem in eodem adduxit, & memoriam imminutam reddidit, cum ſpecies in humidiori ſubſtantia imprimi nequeant, & impreſſæ facile deleantur, ſicut ſignacula in humidiori materia; partim vero per nervos ſeptimæ conjugationis ad quatuor paria muſculorum linguam moventium ſeſe inſinuavit. quæ ſemiobſtruendo ſemiparalyſim quoq; linguæ produxit.

Modo prudenter decrevit Illuſtriſſimus Senex Medico ſe committere, non ſolum ut mala præſentia imminuantur, ſed ut arceantur imminentia: facile namque adaucta & craſſefacta cruda & catarrhali materia in capite. Apoplexiam induceret ætati ſenili familiarem; quam evitare poſſe ſperandum, regulari Purgatione mediante, necnon exacta vivendi ratione, ſine qua irrita cætera fuerint; præterquam quod podagrici quoque dolores, remiſſa cauſa, rariores & mitiores fieri poterunt.

Intentiones autem Medicæ erunt, primas vias mundare. Secundo Maſſam ſanguineam depurare. Tertiò Caput purgare. Quartò Humidam intemperiem ejuſdem corrigere. Quinto Caput roborare, & materiam linguæ nervos & muſculos occupantem diſſipare. De Articulis autem roborandis tanquam de parte recipiente non loquor, cum ad partem mandantem ſit dirigenda Curatio, nos monente Galeno hiſce verbis, Semper melius, contriſtantes ſuccos à nobilioribus ad ignobiliores partes detrudere: vidimus enim ipſos repulſos ab Articulis ad principem partem, hominem occidiſſe.

Pro prima intentione primum leniens erit.

♃. Elect. lenit. ℥. j. crem. tart. ʒ. ii. m. f. boli. Primum Præparans erit.

℞. Oxymel. ſimpl. Julap. acet. aq. florum citri an. ℥ j. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis quinque. Deinde repetatur ſupraſcriptum leniens.

Inde pro ſecunda intentione explenda, ad ulteriora Præparantia deveniendum, & eſſe poterunt.

♃. Decoct. in jure tenui paratæ, cichorii, borag. meliſſæ, lupulorum, agrim. beton. ivæ arthrit. ℥. v. oxymel. ſimpl. ℥. j. tart. vitriol. g. xii. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis decem. Primis autem horum ſyruporum diebus venæ hæmorrhoidales hirudinibus aperiendæ, ſanguinem ad ſex uncias educendo. Medio autem dictorum ſyruporum tempore præbeatur tale Purgans.

♃. Elect. lenit. ℥. ß. elect. diaphæn. ʒ. ii. de ſucco roſarum ℥. j. m. f. boli tribus horis ante cibum aſſumendi. In fine autem ſyruporum exhibeatur pulvis hermodactyl. ad ʒ. j. ß. tribus horis ante prandium: duabus tamen horis poſt aſſumptum utrumque medicamentum purgans, haurire poterit jus hordeaceum, vel aquam hordeaceam.

Tertia intentio erit explenda pilulis capitalibus Paracelſi ter quarto quoque die aſſumendis

mendis. Diebus vero intermediis exhibeantur Præparantia.

Ita ♃. Decoct. in jure tenui paratæ, cich. borag. meliſſæ, beton. majoranæ, ſtœch. d. ℥ v. oxymel. ſimpl. ſyr. de beton. an. ℥ i. tart. vitriol. gr. xii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis intermediis diebus aſſumendis; Quo tempore matutinis horis per nares quoque capitis erit tentanda purgatio Errhino ita parato.

♃. Majoranæ, ireos an. ʒij nigellæ ʒi. m. f. pulvis, per nares attrahendus more tabaci.

His peractis, quartæ & præcipuæ intentioni erit ſatisfaciendum ſudorifico Decocto hunc in modum parato.

♃. Ligni viſci querc. veri, ſ. ſaſſaparillæ el. an. ℥ i. ligni buxi, guajaci rec. olcon an. ℥ ß. aquæ ſtillat. cich. beton. an. lib. ii. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde bulliant ad conſumpt. dimidii, & facta colatura, ſervetur pro tribus diebus ſummo mane hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Pro potu vero conſueto.

℞. Reſiduum lignorum, aq. fontis opt. lib. xv. m. bull. ad conſumptionem tertiæ partis, in fine verò ebullitionis adde cinnam. integri ℥ ii. bulliant parum, & fiat colatura, cui adhuc ferventi adde fruſtula citri recentis, & ſacchari albi ℥ iv. ut agitando f. aqua ſuavis vulgò dicta Cedrata. Pro ſudore provocando ingrediatur hypocauſtum, adeo ut caput principaliter ſudet: alioquin tantum abeſt ut caput exiccari poſſet, ut potius ab humoribus in toto fuſis magis magiſque impleretur atque gravaretur; & in hoc potiſſimum conſiſtit rectus uſus tanti remedii, in quo delinqui ſolet cum incredibili præjudicio Patientum. Sudet autem quadraginta diebus mane tantum, nimirum ſemel in die: & primis diebus per horæ quadrantem, ſequentibus vero uſque ad horæ dimidium, & non ultra: ſicut poſtea per dimidiam pariter horam ſudabit in lecto. Maneat autem toto ſudoris tempore ſemper, domi non ſolum, ſed in cubiculo, non hypocauſti, ſed hypocauſto proximo ab aëre & ventis cuſtodito. Decimo quoque die præbeantur pilulæ capitales jam ſupra deſcriptæ, ea die omiſſo ſudore. Victus non ſit adeo tenuis, ſed quotidie in prandio tantum concedatur caro aſſa pulli junioris, aut palumbæ turricolæ, præter panem biſcoctum, nucleos pineos & paſſulas ad libitum; quandoque in cœna permittatur ptiſana hordeacea probe cocta, addito ſaccharo.

Quintæ intentioni adimplendæ, omiſſis ſtillicidiis & lotionibus capitis ex aquis ſulphureis, nitroſis &c. ut, meo judicio, ſuſpectis; ſat ſit in uſum ducere ſub ingreſſum lecti Conſervas capitales, è floribus betonicæ, nonnunquam roris marini, quandoque ſalviæ: imo omnes ſimul ita componi poſſunt.

℞. Conſervæ è flor. beton. anthos, ſalviæ an. ℥ ii. ſpecierum aromat. roſ. ʒ ii. m. reform. Quandoque etiam, ſed frigidiori temporis tempeſtate, aſſumat Mithridati opt. ʒ ß. Et quandoque ſummo digito, quinta eſſentia roris marini intincto, illiniat ſibi ſuturam coronalem, & oleo ſuccini ſuturam ſagittalem. Noctu in ſomno in ore detineat rotulas ita parandas.

♃. Quintæ eſſentiæ ror. mar. ℈ i. ſacchar. albi diſſoluti cum aqua ſtillat. cinnam. ℥ i. m. & reformentur rotulæ ad ignem. Per diem vero in ore detineat rotulas ita paratas.

♃. Ol. de cortic. citri gutt. x. ol. aniſorum, caryophyll. an. gutt. v. ſacchari depurati, diſſoluti cum aq. cinnam. q. ſ. m. f. rotulæ ad ignem. Maſticet quoque fruſtulum modò cinnamomi, modò nucis moſchatæ. Mane quandoque colluat ſibi os ſpiritu vini cinnamonio, vel fœniculo alterato.

His autem omnibus congruam ut addat vivendi rationem omnino neceſſe eſt. Primò caput ab omni exceſſu tum frigoris, tum maximè caloris cuſtodiendo. Secundò Abſtinendo ab alimentis craſſæ ſubſtantiæ, difficilis concoctionis, & vaporiferis, ut à carne ſuilla, à bubula; lacticiniis omnibus; Ab edulis ex paſta craſſa paratis; A piſcibus cœnoſis & ſquamis carentibus, ut ſunt, Tinca, Anguilla &c. ab Oſtreacis quoque & Conchyliis; A leguminibus, hordeo, oriza, piſellis, ciceribus rubris, exceptis; A copia & uſu fructuum; A lactuca, à ſeſino, ſive apio, à carduo, fœniculo, fungis & terræ tuberibus; A potu vini generoſi & à compotationibus. Cœna ſit parciſſima; & nonniſi poſt novem horas ab aſſumpto prandio. Tertiò Somnus nocturnus ſit diuturnus, pomeridianus vero nullus. Quartò Exercitium utiliſſimum erit, ſed ante cibum, nullo modo repleto ventriculo. Quintò Venus omnino ableganda, ut requirit ætas, nedum ipſe morbus. Alvus autem bis ſaltem in menſe ſolicitanda, duas pilulas aſſumendo hora una ante cœnam.

♃. Pilul. maſtic. ʒii. Magiſt. mechoac. ʒ ß. m. & cum vino malvatico reform. pilulæ num. viii. & aurentur. Tandem applicationes ſunt, ſi non prorſus deſerendæ, ſaltem valde minuendæ; & à legendo, aut ſcribendo pleno ventriculo omnino abſtinendum; geniales converſationes ſunt procurandæ, & alacriter vivendum. Quæ omnia Eximio Viro à ſummo Deo ſalutaria precor. *Idem E. 2. Cent. 1.*

Obſervationes.

De Linguæ calculo.

Sororcula quædam Delfia annos nata viginti & tres; cum circa os maxillæ inferioris propè mentum longo tempore doleret, ſub linguam muſculoſa carne laxiore verſus radicem, Chirurgus qui illam quotidie inviſebat cum duritiem diu ſenſiſſet; abſceſſum in lingua futurum ſperabat: huic ficum aridam per medium ſciſſam continuò ad ſuppurationem promovendam, loco dolenti apponit: & præter ſpem tumore jam emollito; lapillus quidam inſigniter durus ultrò exivit abſque inciſione ad magnitudinem nucis avellanæ formæ tamen longioris ut vidimus: illo lapillo expulſo ſtatim omnis dolor ceſſavit, nulla ſuppuratione, aut ſanie vel pure ſubſequente; & quod dictu mirum eſt, labris vulneris per ſe rurſus unitis, abſque ullis medicamentis. Iſtis etiam diebus lapillum ex lingua prodeuntem vidimus paulò ampliorem ab alio quoque tandem expulſum: res admiranda

tu digna, lapillo erumpente, nec ſaniem nec ſanguinem ſubſecutum fuiſſe, linguamque ita per ſe coalitam: fortè, cum & vulnera linguæ facile per ſe coaleſcant, ut conſtat in perjuris & iis maleficis, quibus lingua clavo perfoditur, facilè coaleſcit; & conglutinatur ob mollitudinem carnis. Petrus Foreſtus. obſ. 26. & *Schol. lib.* 14.

Intumuerat mulieri cuidam admodum lingua, ita ut eam movere, aut loqui non poſſet, uti neque aliquid deglutire, rupto tandem ſponte abſceſſu procidit calculus tophaceus, durus & magnus. Felix Platerus. obſ. lib 3. pag. 896.

Vir quidam quadraginta annorum graves & frequentes in fauces & tonſillas fluxiones patiebatur: tandem animadverſum eſt lapillum ſub lingua concretum fuiſſe, qui facilè extractus eſt, ægerque ab eo tempore fluxionibus prædictis vexatus non fuit. Petrus Eſtanove. obſerv. 5.

Lingua ex vulnere ſclopeti curata, partibus ſubjectis arctè coaleſcens, cum impedita locutione, perita ſectione ſeparata, ac reſtituta.

Vir quidam Ruri degens, vulneratus Sclopeto in mandibula inferiori, cum ejuſdem fractura, à ruſtico Chirurgo curatus, digna certe Medico curatio; cum enim in his vulneribus pus erodat plerumque propinquas partes, patiens non omninò fuit ſanatus; quod cum globulus utramque partem mandibulæ inferioris trajeciſſet, lingua parte inferiori, non ab eodem, ſed à pure fuit corroſa; prout & pars inferior ipſi ſubjecta, cui eadem ita annexa erat, ut patiens ne minimum quidem ipſam, non ſolum exerere, ſed nec movere, ac loqui poſſet. Curatione itaque ſuſcepta, ut linguam ad naturalem ſtatum reducerem, novaculæ acie paulatim ſejunxi ab invicem partes ipſas conjunctas ſectione ſenſim quindecim dies continuata, qua ægro loquela integra reſtituta eſt, impoſito tantum ſub lingua, à ſectione, linteolo imbuto ovi albumine, cum pulveribus boli armeni orientalis, nec non uſu aquæ hordei quotidie, cum ſyrupo diamoron, ratione doloris, & inflammationis; quandoque verò lactis, dolore urgente; quibus ægrum ſanavi. *Petrus de Marchettis in Obſervation. Medico-Chirurgic. Sylloge.*

Tumor carneus, & ſcirrhoſus ad raninas, cum impedita locutione, & motu linguæ, ſectione, & inuſtione ſolerti ſanatus.

Alium nobilem Veronenſem ſanavi, laborabat autem tumore ſub lingua, ubi raninarum ortus, magnitudine avellanæ majoris, duro, ſed carneo, qui impediebat locutionem, & motum ipſius linguæ, nulla cavitate, neque alia materia incluſa, quam carnea, qua conſtabat; verbo, tumor fuit potius ſcirrhoſus, quam alterius generis; doloris quippe expers, præterquam, remediis adhibitis. Facta itaque totius corporis expurgatione, deſcendi ad operationem, qui cum nec manubriolo, nec novacula, propter tumoris duritiem poſſem ipſum abſcindere, paravi inſtrumenta illi ſecando, & inurendo accommodata, quibus menſis ſpatio eundem radicitus extirpavi, appoſitis ſolis pulveribus adſtringentibus cum ovi albumine, prout in caſu ſuperius propoſito; ſedato dolore, ac prohibita inflammatione, ab inuſtione & ſectione, anodynis & medicamentis propriis, quorum uſu omnino æger convaluit ſpatio duorum menſium. *Idem ibidem.*

De ligamenti ſub lingua periculoſa ſectione

Nulla Chirurgo committitur operatio quam vulgus magis flocci facit, atque ſectionem ligamenti ſub lingua, ita etiam ut obſtetricibus ut plurimum committatur, quæ ligamentum hoc digito abrumpere ſolent: quod mihi tamen non probatur, ſæpiſſimè enim vicinas partes ſimul lacerant atque diſrumpunt. Hinc dolor & inflammatio, ita ut pueri lac ſugere non poſſint: fiuntque moroſi, extenuantur atque debilitantur. Prudenter itaque hac in operatione agendum eſt, neque ſpernenda, etiamſi minima omnium videatur. In primis autem explorandum convenit, num ancyloglosſus operatione hac indigeat, nec ne? multoties enim pueri aliam ob cauſam, quam propter vinculum ſub lingua, vocem articulare ac proferre non poſſunt, nulloque ligamento lingua annexa eſt. In his ſectionem periculoſam eſſe, ſequens exemplum demonſtrat.

Ruſtici cujuſdam hic in vicinia, in pago Corſellis, Petityeux nomine, filius duorum annorum ætatis, ſuperiori menſe Majo 1608. ad ædes meas adductus fuit, idque ad eum finem, ut ſibi ligamentum ſub lingua ſolverem, quandoquidem abſciſſo ligamento linguam officio ſuo fungi, infantemque brevi ſermonem proferre poſſe, plane ſibi perſuaſum habebant parentes. Porrò aperto ore & elevata lingua, quæ craſſa valdè erat, nullum inventum eſt nervoſum vinculum. Quamobrem parentes cum infante remiſimus, manumque adhibere recuſavimus. Poſt menſem venit Empiricus & circumforaneus, cui idem adductus fuit infans, is linguam mediante ligamento nerveo duriſſimoque annexam eſſe, parentibus perſuadebat, & dummodo pecuniam numerare vellent, ut infans brevi ſermonem proferret, faciliimè ſe efficere poſſe, audacter ipſis affirmare auſus eſt. Numeratur pecunia: in ſinum cujuſdam matronæ collocatur infans, tum impoſtor linguam ex utraque & anteriori parte altè, ut mihi ab adſtantibus relatum fuit, ſeparavit. Sed quid fit? puer iſte, qui prius erectus incedere poterat, in ipſo momento maximis & aſperrimis prius projectis clamoribus contrahitur, ita ut genua verſus inguina, & brachia verſus pectus retraherentur. Cæterum, quia dolores continui, & medicamenta adhibita non eſſent, valdè extenuatus atque debilitatus fuit infans: nunc tamen aliquo modo meliuſculè habet. Heri enim 18. hujus menſis Julii, ipſum una cum doctiſſimo Dn. Eman. Urſtiſio, artium liberalium magiſtro, convictore meo, aliiſque ex meis domeſticis, ipſum adivi, & ea, quæ recenſui, ex parentibus adſtantibusque excepi. Huc uſque, ut antea, ne verbum quidem proferre poteſt, crura, brachiaque adhuc contracta ſunt, quæ cum vi extenduntur, protinus iterum contrahuntur; ſed non ita ut antea, nulloque modo incedit. De dolore tamen non uſque adeò conqueritur, & appetitus redit, ita ut paulatim vires reficiantur, lingua craſſa, caput verò, totaque conſtitu-

tio corporis phlegmatica eſt. Ego, quia pauperes, opem meam ipſis obtuli: ſi accedant, faciam quicquid in me erit, & libenter videbo, qualis erit exitus: Rarus enim eſt caſus, ſimilem enim nunquam mihi obſervare contigit. Eſt mihi frater uterinus, qui cum infans eſſet, admodum valetudinarius fuit. Inter cæteros autem morbos, quibus obnoxius erat, ad quartum annum ætatis ne verbum quidem proferre potuit. Ego, cum apud Chirurgum practicum verſarer, & ſingulis ferè diebus ſectionem hujus ligamenti feliciter adminiſtrarem, & quadam die ad paternos lares perveniſſem, linguam ipſius inſpicere viſum fuit. Tum mediante ligamento craſſo ſpiſſoque linguam adeò annexam inveni, ut ipſa vix dentes anteriores attingere poſſet. Ego ea qua potui diligentia, ligamentum hoc abſcidi, poſteaque ſingulis diebus ter quaterve locum affectum melle roſaceo inunxi. Duobus menſibus à prima abſciſſione elapſis, ligamentum aliquo modo iterum annexum inveni: quapropter eodem modo ut prius proceſſi. Res Dei beneficio ita feliciter ceſſit, ut brevi loqui inciperet, tandemque & huc uſque, laus Deo, vocem optimè proferre & articulare poſſet.

Vacat autem omni periculo operatio hæc, dummodo rectè adminiſtrata fuerit, præcipuè autem perſpiciendum convenit, ne nimis profundè incidatur, ego elevata lingua, apice forſicum ligamentum ut plurimum in duobus, nonnunquam & in tribus locis incido; ſic enim difficilius coaleſcit iterum, quam ſi uno tantummodò in loco inciſio facta eſſet: incido autem tantummodò quicquid nerveum eſt, ita ut carnem vix attingam, quod ſi prima vice non ſatis abſciſſum, aut iterum annexum fuerit, poterit poſtea eadem operatio adminiſtrari; inciſo ligamento, jubeo ut nutrix ſæpiſſime digito melle roſaceo, aut communi madefacto, linguam blande elevet, ſic enim agglutinatio atque conſolidatio impeditur. *Gulielm. Fabric. Hildan. Obſ. Chirurg. Cent. 3.*

Mutus loquens.

Johannes (cui muti cognomen impoſuit infortunium) petiturus Italiam, incidit in pyratas Turcicos: quorum religioni nomen dare quum renueret; adnixi fuere homines feroces, linguam propterea radicitus ipſi evellere: ſed per plagam, ex vulgi ſententia, ſub mento inflictam. Verùm ea crudelitate minùs ex votò ipſis ſuccedente detruncarunt ipſi deinceps totam illam partem, qua lingua homini volubilis eſt; eaque adempta, privarunt juvenem omni voce. Qua re amplius annos ubi caruiſſet; evenit fortè ut intempeſta nocte admodum percelleretur ab inopinato fulgure: cujus perniciſſimum lumen, cælitus immiſſum, perſtrinxit uſque eò pavidum ipſius animum; ut inde ipſi, non ſecus ac olim Cræſi filio, diſſolveretur violenter tenax illud vinculum quod ipſum ſermonis uſu hactenus privaverat. Quem tamen, ubi vidit ſibi reſtitutum, vix credidit ſibi ipſi loquenti; nedum ipſi alii. Commovit quippe hæc inexſpectata ipſius vox uſque eò totam familiam; ut inde protinus abortierit juvencula ipſi cohabitans. Quo rumore latiùs deinceps ſe ſe diffundente, ivimus & nos tandem Weſopum, modicum Hollandiæ oppidum, ſpectatum coram inſolitæ hujus rei novitatem: fama certè ſua nequaquam inferiorem. Qui enim integrum triennium obmutuerat, ob mutilatam mediam linguæ partem; eum audivimus, cum eodem vitio, non tantum diſtinctè loquentem: ſed etiam accuratè pronunciantem quaſcunque literas conſonantes; quarum tamen enunciationem, ſolius linguæ apici attribuunt ſagaciores naturæ indagatores. Sermo quippe non formatur ſine motu: nec conſonantes literæ ſine linguæ apice. Quatenus enim lingua volubilis, eatenus diſtinguit vocem in verba: & prout allidit, vel ad dentes, vel ad palatum, aut labia: pro eo, creditur etiam eruditis, diſcernere vocabula, & modulari concinnè ſermonis ſonum. Ac proinde haud mirum, læſa tam evidenter lingua, genuino dearticulatæ vocis inſtrumento, læſam utique fuiſſe & ipſam vocem: ſed eandem poſt triennii obmuteſcentiam, manente lingua perinde mutilata, integrè ipſi nihilominus rediiſſe: id ſanè excedit omnium eruditorum captum: potuit, quippe, non modo expeditè exclamare, (id enim & aliis integrum fuit poſt abſciſſam, reſolutam, vel ligatam linguam) ſed diſtinxit quoque perſpicuè vocem in vocabula, & eloquutus fuit omnia admodum articulatè. Sed, ut explicem me clarius, quoad repagulum à fulgure diſruptum aſſeveravit mihi candidè, ſe protinus à fulgure percepiſſe majorē motum in muſculis linguæ, Quaſi ſublatô jam inæquali illo coalitu quem ſub mento reliquerat vulnus ibidem à pyratis ruditer ſanatum. Verum deglutitio (cui non minus quam elocutioni inſervit lingua) manſit ipſi perinde impedita: adeo ut ingenue conqueſtus ſit, ne tantulum quidem alimenti, etiam tum temporis tranſmittere gulam, niſi id in eam intruderet violento digitorum ſuorum adminiculo. Vid. Evagrium hiſtor. Eccleſiaſt. libro quarto capite decimoquarto & B Gregor. libro tertio Dialog. cap. 32. *Nicolaus Tulpius Obſervation. Medicarum lib. 1.*

Puella Bilinguis.

Bilinguis fit elinguis: Puella civis cujuſdam Galli hac in Urbe degentis, quintum fere egreſſa annum, à nativitate duplici gaudet Lingua, & eſt elinguis, propter enim magnitudinem, gravitatem ac craſſitiem Linguarum, ſibi invicem incumbentium, rimaque circumcirca tantum ſeparatarum, vix linguam movere, multo minus loqui poteſt. *Joh. Dolæi.*

Putridorum imago guſtui repræſentata.

Nobiliſſima Virgo Holſatica, docta illa, & in Hiſtoriis gentium, immo & Philoſophicis verſata, cum ex affectibus aliis, atque aliis, præſertim hyſtericis, me curam valetudinis ejus agente, convaluiſſet, conſilium meum rogavit, ad rarum quoddam & diuturnum à cibo averſionis genus profligandum, cui pluribus annis varia Medicorum pharmaca incaſſum oppoſuerat. Malum hoc erat; Quotieſcunq; cibaria menſæ inferebantur, etiam delicatiſſima, ad eorundem primum aſpectum in faucibus guſtum eorum

præ-

præſenſit, non nativum illum, ſed qualis ex iiſdem putreſcentibus ſolet oboriri. Viſis piſcibus curioſe præparatis, quam, inquit, fœtent piſces illi, quam rancido ſapore guttur afficiunt! viſis carnibus, cadaver, inquit, carnium palato meo obverſatur: Mira imaginandi ratio! putarim, in viſcere ejuſdem aliquo, hypochondriis, aut fortaſſis ipſo utero abſceſſum deliteſcere, ex quo fœtor ille in corpus reliquum ſpargitur, inprimis autem in fauces, quod illis operoſiſſimè utatur, ut eſt perpetuò facunda, eoque vaſa eadem habet ampliora. Cum autem nidor eduliorum appetitum evocat, & ſimul ex hypochondriis aſſurgit fœtor; miſcentur, ut credibile, hæc duo, & imaginem putridorum cibariorum animo repræſentant. *Ol. Borrichii.*

Apoſtema Linguæ,

Venit ad me ſuperioribus annis juvenis, poſt inebriationem de faucibus, hinc lingua admodum conqueſtus, per ſextiduum. Tumebat illa enormiter, ut amplius eam nec exerere, nec ferè intus movere poſſet, digitò ſaltem inter inconditam vocem malum indicans. Eminentiam quandam erupturientis ſuppurationis conſpicere, vel per ipſam denegatam oris aperturam non poteram; nec intenſior apparebat rubedo, in linguæ qualitercunque apparentis ſubſtantia, ut de reſolutione cogitarem; commodeque incidebat Rulando adeo commendatus ſpiritus ligni Heraclini. Dedi de Guajacino, quem leniter illineret, & cum in tempore, ſive perfecta ſuppuratione veniſſem, poſt aliquot horas ruptum eſt apoſtema, pure non paucò, ingenti cum fœtore prodeunte; Et brevi per eſſent. roſar. ſcabioſæ, ac ſaniculæ ſaccharatam, inſperſiſque ſimiliter oculis canc. perſanata ſunt omnia. *Danielis Ludovici.*

Tumor Linguæ Miraculoſus.

Nuper Ill. quidam Baro in more habuit venenatiſſima Linguæ jacula, non tantum in quemlibet, ſed maxime in Deo devotos religioſos frequentiſſimè jaculari; in flagranti à pio honeſtæque vitæ religioſo deprenenſus fuit, cum infernale hoc pulſaret tintinnabulum: ad quem religioſus ait, quàm maledicta tua lingua jam dudum meruit pœnam, ex juſta Dei vindicta intra breve tempus experietur. Relicto & minimè commoto Barone, elapſis paucis diebus, Tumor exiguus ad Linguæ latera pullulare cœpit, qui paulatim creſcens carcinomatis inexpugnabilis naturam manifeſtavit; à quo tandem incurvata, convulſa & retracta ad fauces lingua, miſerrimè delictum pœnitenter confeſſus, ad ſtrictiſſimum Judicem ſuorum famulorum vindicem acerrimum, commigravit. *Pauli de Sorbait.*

Lapſus palati cum linguæ tumore mirabili.

Mulier quinquagenaria circiter, temperamenti calidi & humidi, cephalæa & fluxionibus catarrhoſis ſæpius laborans, aliquando aëre nimboſo ſæviente, dolore capitis permagno infeſtata, palatum & linguam ſenſit ſubito & inſigniter intumeſcere, atque linguæ motum naturalem impediri, ut vix voculam balbutiret, nec quicquam cibi deglutiret, & cum linguam exerere voluit, linguæ maſſa ad fauces retracta, muſculi primi ſublinguales in utroque latere acuminati ſerpentum linguarum inſtar prominerent, vixque reſpirare ipſa poſſet. Huic dum in primo aditu venas ſublinguales ſtatim incidi, ac palati tumorem ſcalpello pertundi, atque gargariſmis ex aqua tepida cum pauco aceto & ſale commixta, os elui curaram, confeſtim reſpirationis via aperta fuit, & tumor omnis evanuit. Helvvigii.

Scholion Hellvvigianum. Hujuſmodi ferè caſus meminit Nicol. Tulpius obſerv. med. lib. 1. cap. 38. quæritans, caſum prolapſi à Medicis hactenus vel omninò præteritum, vel levi ſaltem brachio percurſum fuiſſe, cum malum tamen omninò grave & rarum ſit, ortumque habeat à diſtillatione humoris deprimentis uſque eò muſculos ſub palati finem ſitos, ut præ pondere prolapſi præcludant viam ſpiritui tum per os, tum per nares erupturo, cum vitæ periculo. Et recordor eodem malo affectum quendam Religioſum, in paucis diebus obiiſſe.

Additamentum Schrockii. Naturalis linguæ magnitudo, ut cum Clar. Lindano pag. 569. Medic. phyſiol. loquar, tanta eſt, quæ impleat capacitatem inferioris tantum maxillæ. Quam ſi excedat, morboſa evadit, magnumque inprimis nobiliſſimæ iſti humanæ actioni, ſive loquelæ, incommodum adfert. Hinc morbos inter, qui membris, naturali figura non depravata, in magnitudine, cum eorum operatione læſa, contingunt, linguam etiam ſupra modum excreſcentem expreſſe denominat Galenus cap. 9. libr. de differ. morb. ubi incrementum iſtiuſmodi vidiſſe ſe, teſtatur, lingua, præter unicam magnitudinem, nullum in ipſa ſubſtantia vitium habente. Et Ill. Thom. Bartholinus cent. 2. hiſt. anat. 22. ex Clar. Joh. Walæi communicatione, puellam producit, quæ manus magnitudine amplam groſſamque linguam nacta fuerat, ut ore vix contineretur, à Medicis mira cura, particularum ſuperfluarum in extremitatibus abſciſſione ad conſuetam molem perductam; qui ipſe etiam aliam horridiorem & portentoſam, ab imaginatione matris, in puero enatam linguam cent. 3. hiſt. 43. deſcribit. Qualem magnum & tragicum linguæ tumorem, miraculo adſcriptum, recenſet Illuſtr. Archiater Cæſareus, D. Paulus de Sorbait Ann. II. Ephem. German. Cur. obſ. 107. Ipſe quoque Pergamenus, uti 14. meth. med. cap. 8. refert, linguam ita tumefactam cuidam vidit, ut ore contineri non potuerit, compendioſe tamen curatam. Subitam linguæ à tantilla menthæ nocturnis horis deguſtatione intumeſcentiam, theriaca & vino curatam habet Borellus cent. 2. obſ. 43. à veneno bufonis in mentham effuſo cauſam deducens. Aliam à viperino veneno excitatam producit Johann. Faber expoſit. in Nard. Ant. Recchi Hiſt. animal. Mexican. pag. 778. In lue quoque venerea ſimilis quandoque adfectus contingit; exempli loco ſit quod ex communicatione D. des Grandſpres, Riverius obſ. 1. ſuggerit, frequentius nempe & diutius celebratas frictiones mercuriales tantum fluxionis impetum in particulam illam corporis excitaſſe, ut quatuor digitorum tranſverſorum menſurâ extra os prominuerit, feliciter tamen ab eodem curata. Plures conſimiles obſervationes apud Marc. Donatum lib. 3. de med. hiſt. mirab. c. 4. videri poſſunt. Cæte-

rum

rum præſenti in Caſu, præter inſignem linguæ tumorem, catarrhus etiam in palatum vicinoſque muſculos impetum faciens, eos in tumorem periculoſum diſtenderat, ſanguine videlicet ſeroſo in corpore abundante, ſeroque iſto, mediantibus innumeris illis lymphaticis ductibus, quos unà cum glandulis, ut vocat, Palatinis, Celeb. Nicol. Steno §. 21. obſ. anatomic. deſcripſit, ibi locorum collecto atque coacervato; quem tumorem Auctor noſter, ad Tulpii mentem, Palati prolapſum nominat; quod an benè fiat, Critici diſpiciant; minùs tamen propriè nominis iſtud obtinere mihi videtur; ad Anginam commodius referendus, quæ ſtrictiori ſenſu faucium adfectum ab earum inflammatione, latiori autem à quacunque cauſa productum earum tumorem, difficultatem reſpirandi inferentem, denotat.

De Calculo ſub Lingua.

Degit hîc Grumbergæ honoratior fœmina, quæ quamdiu hic vixi, (vixi autem per decennium) ſingulo vere & autumno de dolore ſub lingua cum motu læſo conqueſta eſt. Ordinavi varia dolorem demulcentia, qui etiam ſopiebatur. Intercurrebant abortus aliquot, etiam excluſio fœtus mortui cum retentione aliquali lochiorum. Hoc præterlapſo anno, initio Martii accedit iterum priſtinus ejus linguæ dolor, adeo vehemens, ut ad anodyna & narcotica confugiendum eſſet: adponimus emollientia, cum linguæ admodum tumeret; quid fit? linguam dum movet, prorumpit lapillus inſtar nucis avellanæ, cum intermiſſione dolorum, & plenaria reconvaleſcentia. Calculum ſibi ſervat fœmina ſanctè, utpote tam diuturnorum dolorum authorem. Placebat nonnemini hunc lapillum vocare Ranulam lapideam, alii tamen Practici calculum linguæ indigitant, quale exemplum habet Foreſtus lib. 4. obſ. Zacut. Luſit. de Pr. M. adm. lib. 1. obſerv. 72. Talem calculum ſub lingua latitantem Uratiſlaviæ ante annum Civi cuidam etiam extractum fuiſſe memini, nec ſpongioſa linguæ caro poteſt impedire generationem calculi, uti amariſſimæ bilis veſicula generationem vermiculorum non impedit. *Samuelis Ledelii.*

De Calculo ſub Lingua feliciter exciſo.

Ut in omnibus ferè Corporis partibus, ita etiam ſub lingua lapillos generari poſſe, fide digni Authores poſteritati tradiderunt: Quorum Catalogum deſcribit Joh. Georg. Schenck. Lithogeneſ. Patholog. Hiſt. c. 4. Eoſdem ſub lingua repertos connotavit Nicol. Florent. Serm. 4. tra. 1. c. 8. & Serm. 5. Tract. 9. c. 12. Item Laur. Joubert. paradox. 3. Dec. 2. contra Brun. Seidel. Ejuſmodi lapillorum ſub lingua prognatorum & feliciter exciſorum bina ſequentia exempla obſervavit Chirurgus noſter Antonius Stadtlender, è cujus fide digna communicatione utriuſque caſum Lectori fideliter recenſebo. An. 1655. 7. Jan. vocatus eſt prædictus Chirurgus ad Nobilem Matthæum Rudiger Dantiſci de magno dolore ſub lingua per aliquot jam menſes anxie conquerentem, ejuſque opem implorantem: Qui in loco affecto non ſolum tumorem, ſed etiam duritiem animadvertens, dedit ipſi Collutionem ex decocto herbarum partim emollientium, partim diſcutientium, à cujus uſu melius habere cœpit, dolor tamen in totum non ceſſavit: Tum Chirurgus partem dolentem digito tangens, majorem duritiem percepit, ſcalpelloque ſuperficiem parum ſolvens, & inſtrumento tractans, lapidolum quid animadvertit, majoreque inciſione facta, exemit lapidem ſub lingua latentem magnitudine Olivæ conditæ minoris, poſt cujus exemptionem Vulnus melle roſato cum pul. hor. balauſt. inunctum, conſolidatum eſt, Nobiliſque Patiens à dolore liberatus fuit. An. 1662. 12. Febr. accerſitus eſt idem Chirurgus ad mulierem in ædibus Nobilis Jacobi Esken, Conſulis & Camerarii Thorunenſis, miniſtrantem, quæ itidem per longum tempus graviſſimum dolorem ſub lingua perpeſſa eſt, qui licet quandoque poſt uſum anodynorum & emollientium Medicamentorum intermiſerit, mox tamen reverſus, & præſertim à comeſtione poſt motum linguæ atrocior factus eſt: Inciſione itaque ſcalpello peracta, repertus eſt in loco dolente lapillus durus, hujus magnitudinis, coloris cineracei, cujus & prior erat: Quorum utrumque Chirurgus mihi monſtravit. Mulier illa conſolidato vulnere hucuſque bene valet, neque de ullo dolore conqueritur, quam ego quoque de facie novi.

Scholion.) Similis Lapidis (qui modo in Illuſtriſſima Societate Regia Anglicana cuſtoditur) Acta Philoſophica ejuſdem laudatiſſimæ Societatis mentionem N. 83. p. 4062. cum faciant, Hiſtoriæ ſenſus, ut huc transferretur, operæ pretium viſum eſt.

Vir, cui Lapis exciſus eſt, ore tenus retulit, quòd calculus generari cœperit in hyemali expeditione maritima, qua, præterquam opinatus erat, diutius detinebatur, frigusque intenſiſſimum perferre cogebatur. Paulo poſt reditum ſuum quendam Nodum (ſub Lingua) deprehendit, atque annis fere octo pertulit. Creſcente Calculo, moleſtiæ quoque increvere, præcipuè ad omnem frigoris ſenſum intenſus dolor in hac parte, qui ceſſante frigore ceſſavit.

Circa ſeptimum & octavum annum frequenter ac repentè omnes glandulæ oris & faucium intumuerunt ab aſſumpta Cereviſia aut cibo, qui tumor brevi rerum evaneſcebat. Tandem, quod præcipuè obſervatu dignum, vertigine repentina correptus eſt, à primo Vere ad Auguſtum circiter durante, quo menſe ſine ulla alia prævia cauſa, locus, ubi Lapis condebatur, deſubito intumuit, cœpitque, profluere materia purulenta ex ductu Warthoniano; qui fluxus tamen ſtatim ceſſavit (viro nil niſi frigus incuſante) unde Tumor cum inſigni inflammatione & ſummo ſuffocationis periculo, ut vix credi poſſit, quantum dolorem perceperit patiens, cùm cereviſiam, vel alium liquorem vellet deglutire. Hæ anguſtiæ durarunt quinque dies, quo toto tempore tanta ſaliva profluxit, ut caput reclinare non poſſet, quò dormiret; uſque adeò, ut amici ægrum viſitantes inter ſe quæſiverint, numnè medicamento quodam Merc. uſus fuiſſet.

Varietas & conditio ſpontaneæ hujus Salivationis annotatu digna eſt: Prima die Saliva tenuis erat, & inſtar aquæ, limpida ſine ullis bullis. Secundo die erat ſpumoſa, ſalſa (quod calori potius, quàm veræ ſalſedini licet adſcribere, quoniam eo die inflammatio in ſtatu erat:) Tertio die ſummopere lenteſcebat, ac præterea fora-

minulum ſupra calculum fiebat, unde materia purulenta, perinde ut ante, proveniebat. Quarto die ſaliva profluebat inſipida, in ore manifeſte frigida, (quod rurſus opinionem confirmat, ſupradictam acredinem effectum caloris fuiſſe, non verò immediatam ſalſuginoſi humoris qualitatem;) ſpumoſa modicè: Quinto die (quo inciſio celebrabatur) ſaliva profluebat, ut quarto die, ſed relinquebat ſummam viſcoſitatem in dentibus adeò ut ſæpius cohærerent, ac ſi conglutinati eſſent.

Facta inciſione, quæ non ſatis larga erat, membranæ quibus condebatur Calculus, primo removebantur: Lapis vero ipſe adeo durus erat, ut forcipibus tractari poſſet, contectus erat graminei coloris materia, quæ mox exſiccata eſt, & calculum ſubalbum reliquit. Levis eſt Calculus reſpectu ſuæ magnitudinis pendens 7. grana circiter, ac ſimilis eſt fabis, quas Equinas vocant. Apparent etiam in eo Lituræ vaſorum quorundam capillarium, inter quæ prognatus eſt. Denique eſt ſcabroſus & arenoſus, utut ſubſtantia eſt Tophacea.

Symptomata comitantia elaborationem Calculi (nam inciſio erat merè obſtetricalis) & Locus generationis anſam præbent provocandi ad intemperiem Ranulæ. Liquet hinc talismodi Tumorem vocandum eſſe *Atheroma*; proindè nominamus Calculum, Lapidem Atheromatis. *Simonis Schultzii.*

Tophi ſub Lingua.

De Tophis ſub lingua (an Linguæ, an Tonſillis adſcribendi, judicet Lector) ſequentem narrationem Dn. D. Joh. *Jeremias Rutterferus* Phyſ. Oppenheimenſis Dn. D. Chriſtoph. Erneſto Stempelio Practico Annæbergenſi, Amico meo ſingulari tranſmiſit. Erat vir conſiſtentis ætatis, huic frequentiſſimè poſt vehementiorem maſticationem tonſillæ intumeſcere ſolebant, ſine noxa tamen rurſus detumeſcentes. Cùm aliquando ſubito in tumorem inſolentiorem elatæ deglutitionem impedirent, ſenſit vir ille aliquam titillationem circa radicem linguæ, quam ſtatim ſolvit tophus aliquis albicans majoris piſi oblongati magnitudine, quo excreto levamen aliquod ſenſit, ſed exiguum, donec poſt aliquot horas alius priori colore ſimilis & conſiſtentia, quantitate tamen minor ſuccederet, quo facto poſt unum vel alterum diem evanuit planè tumor ſine recidiva, *L. Chriſtiani Frid. Garmanni.*

De vermibus intra Linguæ Venam ſtabulantibus.

Menſe Septembri hujus 1677. Anni vir quidam macilentæ ſtaturæ, ætate circiter quinquagenarius, in Suburbio Uratiſlavienſi habitans, febricitare incipit ſingulis diebus recurrente paroxyſmo, cum horrore & calore enormi in dies ingraveſcente, & delirio periodico. Cum paroxyſmi ſic quater vel quinquies rediiſſent, tandem ingraveſcente febre, lingua ſubito intumuit admodum, & nigrore infecta eſſe viſa eſt, quocirca adſtantes citra moram tonſorem vocarunt, qui venam ſub lingua aperiret: qua dictum factum ſecta, mox vermiculus vivus prorupit, & poſt aliquot guttulas ſanguinis alius paulo major, erucæ per omnia & capite & cauda quam maxime ſimilis. Poſthæc febris ſtatim remiſit, ægrotusque paulatim ad integritatem ſanitatis rediit. *Obſervatio Collectorum.*

De tremore Linguæ poſt Tertianam admirando.

Ex malè curatis febribus varia ſubnaſci conſectaria, ipſa febre longè pejora, paſſim ex praxi conſtat. Memini, me aliquoties poſt Tertianam peſſimè & per modum empiriæ tractatam, fluxum aurium purulentum, alibi verò ipſiſſimam obſervaſſe ſurditatem. Quid? quod ante triennium in puella quadam ruſtica Anaſarcam viderim ſubſecutam; ubi hoc memorabile ſeſe mihi tunc obtulit; quod exhibitis contra Anaſarcam præſidiis, unde etiam evanuit, mox febris ſolito redierit paroxyſmo: curata vero per antifebrilia febre, Anaſarca poſtliminio ægram fatigarit. Inter ſingularia, puto, referri jure poterit ille tremor linguæ cùm ſpaſmo faciei conjunctus, quem die 1. Maii 1674. in puerulo quodam ruſtico annum cum dimidio tunc agente, obſervare licuit. Hic per aliquod tempus febrili quodam conflictatur paroxyſmo, tertianam mentiente. Parentes, ut id hominum genus aſſolet, ad neſcio quæ externa mox acceſſum faciunt. Ceſſavit quidem inde paroxyſmus, ſed in ejus locum ſuccedit tremor modo dictus linguæ, puerulo antehac inſolitus. Adfertur itaque ad me alioquin optimè ſanus, panemque ſimilagineum me præſente comedens. Intueor eundem curioſè, animadvertique velociſſimum adeò, frequentiſſimumque linguæ motum, ut viperam linguam velociter vibrantem eum imitari dixiſſes. Palpitante ſic lingua & muſculi ſubſultarunt faciei. Quæſivi in cauſam, an inter externa Mercurialibus fuiſſent uſi, an frigidam fronti in paroxyſmo, ut ſolent, applicuiſſent? ſed nullam dare potuerunt. Hinc nervina mox in uſum traxi, juſſique, ut de pulviſculo, quem ex C. C. antepileptico cum ſpecifico cephalico concinnavi, manè & veſperi, quantum cuſpide cultri capi poteſt, ex rob. ſambuci exhiberent; linguæ verò muſculiſque faciei frequenter illinerent aqu. apoplecticam meam cum ſpir. ſal. armon. ſuccinato juſta proportione remiſtam. Ita ex his unicè integreque convaluit puerulus. *Ehrenfridi Hagendorni.*

Vinculi linguæ ſectio in puella decenni.

Ratisbonæ puella quædam pulchra & ſana, à cunabulis quaſi muta, & ne vix, licet quam maximè conaretur, voculam proferre potuit. Igitur inſpecto ore videbatur linguæ frænulum nimis conſtrictum, ac ex conſilio Medici Chirurgus ligamentum hoc incidebat forcipe, non tamen abſque hæmorrhagia quadam, ſed non periculoſa. Exin puella inceperat expeditiſſimè garrire, atque ſine hæſitantia verba cuncta proloqui. *Helvigii.*

Scholion Helvvigianum.) Inter linguæ partes ab Anatomicis numeratur etiam ligamentum, corpus membranoſum, latum, valde validum, inferiori linguæ parti inter ambas venas ſublinguales ranulas dictas à natura ſubſtratum, pro firmiori

linguæ cum inferioribus partibus connexione, ac molliori baſi oſſis hyoidis innixæ conſtrictæ, ut laxitate ſua permittat linguam libere loqui. Hujus ligamenti pars extrema apicem linguæ verſus protenſa frænulum dicitur, hoc cum in recens natis plerunque linguam adeo totam alligat, ut lactis ſuctioni impedimentum magnum ſit, & balbutiem moleſtam tempore inducat obſtetrices poſt partum ungue divellere ſolent, (quod tamen periculoſum & non admittendum cenſet Th. Barthol. l. 3. Anat. reform. c. 13.) vel Chirurgi ſcalpello aut forcipe incidunt, ſed adhibita cautela, ne venæ ſublinguales, ſive caro muſculoſa ob metum hæmorrhagiæ, ſive nervi ibidem implantati attingantur, ob metum convulſionis, qualem ſe vidiſſe ſcripſit Joann. Riolanus lib. 4. anthropolog. cap. 8. Cæterum imperitè omnibus indifferenter infantibus frænulum hoc incidi queritur Bartholinus loc. cit. quum ex mille, quibus indivulſum manet, vix unus balbutiat.

Additamentum Schrockii. Compendioſam illam obſtetricum in diſrumpendo vinculo ſublinguali chirurgiam, non immeritò temeritatem vocat Hieron. Fabricius ab Aquapendente in Operib. ſuis chirurg. qua nempe paſſim & ſine diſcrimine recens nato infanti, digiti ungue, quem paratum & acutum ad id perpetuò geſtant, ligamentum ſub eorum lingua incidant, ratæ, niſi id præſtarent, infantem nequidquam loqui olim poſſe; quam tamen inſcitiam & fatuitatem varia incommoda ſæpius ſubſequuntur, dolor imprimis & inflammatio, a qua papillæ maternæ apprehenſionis lactiſque nutricii ſuctionis lethae ſæpe impedimentum exoriatur, cui Excell. non Car. Rayger Collega, an not. in Jacob. Rolandi Agloſſoſtomogr. cap. 3. maxillæ, a digiti craſſioris intruſione luxationem, cum inevitabili infantis interitu junctam ſuperaddidit: Quare peritam Chirurgi operam accerſere præſtat ſi ligamenti illius ſolutione opus fuerit: Funeſtum alias temerariæ iſtius ab obſtetricis unguibus diſruptionis, atque imprudentis poſtea Chirurgi ulterioris diſſectionis exemplum notavit Joh. Scultetus p. 2. Armament. Chir. obſ. 37. Quamvis autem in omnibus operationem iſtam haud neceſſariam eſſe certum ſit, quandoque tamen adminiſtrari debere caſu propoſito Author noſter egregie oſtendit: Quin & hac in urbe jam adultioribus, loquela articulæ deſtitutis vinculum hoc chirurgico auxilio cum fructu ſolutum fuiſſe compertum habeo.

Quatuor annos mutus, ſubito vocalis.

Socium hic adjungimus Crœſi filio, qui, ut perhibet Herodoti Clio, viſo irruente in parentem minaci Perſa, cum ante mutus exegiſſet vitam, ὑπὸ δέος ς κακοῦ ἔρρηξε φωνὴν, Ἄνθρωπε, μὴ Ἄτεινε χροῖσον, Noſter hic, Chriſtiano-hafnienſis civis, per infortunium mutus, toto quadriennio vocem fruſtra exſpectaverat. Tandem ad me ventum: inſpicio fauces, expendo linguæ fabricam, & membrum infelix ſtylo ferreo latiori hinc inde converto. Nihil adeo à natura peccatum obſervo, tantummodo frigus partis flaccidæ diſplicuit, & movendi ſegnities. Deſigno igitur quæ fieri velim, & exaratis quæ in rem videntur, adque pharmacopœum remiſſis, dimitto ægrum; qui domum properans, ut ſe pharmacis recipiendis accingat, in ponte ſublicio, qui utramque urbem dirimit, obviam forte videt vetulam neſcio quam, ob inimicitias funeſtas jam olim ſibi inviſam, ea conſpecta toto animo exardeſcens, & vindictæ accenſus cupidine: Ut te, inquit, Dii Deæque omnes perdant, venefica! ſimulque laxata linguæ ſuæ fræna ſtupens obſervat, tum demum ſibi iratior, quam aniculæ quòd fauſtiſſimum ejus occurſum convitiis excepiſſet, & primum redeuntis linguæ uſum à maledictis eſſet auſpicatus. Scilicet, credibile, grumum aliquem ſive ſanguinis, ſive pituitæ tenaciorem, principio arteriæ loquacis impactum; & hactenus comprimentem vicinos nervos, ad motum illum incandeſcentis animi concitatiſſimum, & ſecutum hinc irritati ſanguinis motum vehementem delituiſſe. *Olai Borrichii.*

Iacobi Rolandi, De Belebad, Chirurgi Salamurienſis.

Agloſſoſtomographia, ſive, deſcriptio oris ſine lingua, quod perfecte loquitur, & reliquas ſuas functiones naturaliter exercet. E Gallica in Latinam verſa, Additis Annotationibus, à Carolo Raygero, M. D.

Curioſo Lectori. S.

En tibi novum & memorabile naturæ miraculum, Os ſine Lingua perfectè loquens. Quod quondam de Africa hodie jure ſuo de Gallia dici poteſt; Ex ea ſemper aliquid novi, aliquid curioſi. Elinguatos olim Martyres ſingulari Dei miraculo aliis pœnas ſuas dixiſſe, & fidem verbis propagaſſe Chriſtianam, in illorum temporum leges hiſtoriis. At noſtra, vel Patrum memoria ſine lingua loquentes vix alibi, niſi in Galliis reperies. Mutilatas aut præciſas linguas locutas, & loqui poſſe, fortuito invento in artificium traducto, ſuperiori ſeculo in Gallia monſtravit ac docuit Paræus Chirurgus. Nunc alius ejuſdem Profeſſionis in eadem Gallia, novo ante & inaudito exemplo, producit, ac deſcribit Os ſine Lingua, ſine artificio, perfecte non tantum loquens, ſed & reliquas ſibi convenientes edés actiones. Ita, quos Natura diſertos vult, ſine Lingua reddit loquaces. Nefas duxi uni Linguæ relin quere omnibus lingua decātandum prodigium. Digna res viſa, quin Orbis ſciat id quod ſola hactenus admirata Gallia. Habe ergo tibi, Curioſe ac benevole Lector, curioſum hunc Diſcurſum, quem vel pauci hactenus habuere, vel pauci ſoli, nempè Linguæ Gallicæ periti, intellexere. Accipe grata mente quod curioſitatis tuæ gratia transferre & communi ſub Literatorum Idiomate tibi communicare volui. Multa hic reperies curioſè tractata, & ad pleniorem hujus hiſtoriæ cognitionem omninò neceſſaria, quæ nec Riolanus annotavit in Anthropographia ſua, nec Bartholinus obſervavit in Obſervationibus, ambo tamen cum nonnullis aliis hujus rei mentionem facientes. Quod de meo acceſſit, una vel altera Obſervatio, recentior ſententia, melior ab Authore dictorum explicatio, non contradicendi reprehendendiq; ſtudio, nec vanæ g'o iolæ aucupandæ cauſa factum puta. Res, ætas, ſemper aliquid apportat novi, aliquid monet Cæterum ſi Translatione hac mea tibi placuero, plaude: ſi nō, dum vel minus rectè ubique Idiotiſmum aſſecutus

fuerim Gallicum, vel cujuslibet verbi ſenſum genuinum non expreſſerim; ignoſce Indigena peregrino, Linguæ Gallicæ peritior imperitiori. Vale. Poſonii Kal. Novembris 1672.

Præfatio Authoris cum Ordine Tractationis.

Ad digne graviterque loquendum vel ſcribendum, de Ore quodam memorabili, ſine ullo linguæ veſtigio perfectè & intelligenter ſe exprimente, aurea me Lingua Angelicis deberet inſtruere verbis, aut ſtylus requiretur ferreus, qui tabulis inſcriberet aheneis miraculum hoc incredibile, quo ventura ſecula ſcirent, quod præterita ignorarunt, & præſentis hujus Doctiſſimi etiam Viri, niſi plane, vel teſtes, vel Judices hac in re, vix credunt. Quod inter incomparabilis noſter fuit Anatomicus Riolanus (ceu teſtatur in Anthrop. l. 4. cap. 8.) priusquam per D. Duncanum & me tranſmiſſum vidit puerum hunc Pictonem, de quo agimus. Verus enim nervus ſapientiæ eſt, non facile credere omnia, quæ dicuntur, ſed lumine rationis quærere veritatem in abdito latentem, & experientia ſe certum reddere de eo, quod controverti poteſt. Ego autem non intermittam & ore, & calamo, & verbis & ſcriptis, qualia etiam ſunt in id incumbere, quo crinibus arripere queam iſtam occaſionem, quæ ſe offert publicandi per univerſum Mundum miraculum hoc, quod jam innoteſcere cœpit Pariſiis in illa totius Franciæ Epitome, ſperans me materiæ hujus novitate ita rara, ac fuit precioſa olim ab Hipponio dicata ſtatua, licet non à Polyclete Excellentiſſ. ſui temporis Sculptore facta, majorē firmioremque operi meo conciliaturum famam, quàm ſi hiſtoriam, vel deſcriptionem ſuſcepiſſem omnium miraculorum Mundi, ſi unumquodque etiam, tàm magnificum, tamque ſuperbum eſſet, ac fuere ſeptem illa tantopere ab antiquitate decantata. Illos inſuper, qui iis Ingenii dotibus pollent, quibus me ad exequendum propoſitum, deſtitui ſentio, quas tamen, tum ad illorum ſatisfactionem, tum ob ſplendorem pulcherrimæ hujus materiæ, vel maximè mihi optarem, benignis meam & voluntatem, & imbecillitatem intuentes oculis, labentem me potius confido relevaturos, defectus meos reparaturos, quam deſtructuros Trophæum hoc, quod in honorem Chirurgiæ, charæ meæ Profeſſionis, erigere laboro, ut facere ſolerent Ariſtarchi & efferati Spiritus contradictionis, ſibi tantum benevolentes quique quod non plantarunt, nec creſcere, nec florere ſinunt ſua ex aliorum ruinis exornantes ædificia; ſed quoniam novo modo & ratione mihi loquendum, loquendo autem omnia quæ ſunt laudantur, ita diſcurſum meum inſtituam, ut Lector indè laudare, & admirari queat Deum, naturam in operibus ſuis quaſi manu ducentem. Ordo itaque, ut benè formatus hic prodeat noſter fœtus, ſeptem erit Capitum, quo tanquā perfecto & ſufficiēti numero includam, quæ de hac materia dici poſſunt.

Et Primum quidem Caput continebit Deſcriptionem illius, qui Lingua caret, & qua ratione ea amiſſa.

Secundum, Conformationem Oris hujus elinguis exhibebit.

Tertium, De Conſtructione & Uſu Linguæ ordinario in homineediſſeret.

Quartum, Linguam ſemel amiſſam nullo modo denuò regenerari poſſe adſtruet.

Quintum, Quare qui Lingua carent, nonniſi cum artificio loquantur? inquiret.

Sextum, Qua ratione hic noſter ſine Lingua & ſine artificio locutus fuerit, proponet.

Septimum, Quomodo guſtare, exſpuere, ore aſſumpta hinc indè movere, & colligere, & deglutire ſine Lingua potuerit.

Agloſſoſtomographiæ, ſeu Deſcriptionis Oris ſine Lingua.

§. I. *Quis ille ſine Lingua loquens, & qua ratione eadem amiſſa.*

In hiſtoria bene tractanda Perſona illa, de qua agere, aut cujus notitiam dare volumus, ita ratione nominis, nativitatis ætatis, patriæ, conditionis, & conſtitutionis deſignanda eſt, ut nihil deſiderari queat, quod ipſum non ab aliis diſtinguat. Iſte ergò, cujus miraculum me has lineas ducere, formam ejus delineare & ad vivum repræſentare impulit: Petrus vocatur Durandus, octo vel novem Annorum puer, natus Andrea Durando, & Margaritha Salè ruſticis inhabitatoribus Pagi de La Rangeziere ſub Parochia S. Georgi, ad Montem Acutum in Pictavio inferiori (*près Montaigu en bas Poitou*) qui quinto vel ſexto ætatis anno correptus variolis, morbo toti propè humano generi communi, quiq; perſæpe horrendas edit ſtrages inprimis autem in infantibus & in facie malignitate ſua crudeliſſimam nonnunquā exercet Tyrannidem, quam & ita in hoc puero exercuit, ut integram indè perdiderit linguam, illamq; gangræna & putredine corruptam (quod in hoc morbo, ubi ægrotus negligitur, nec ritè medicamentis neceſſariis juvatur, faci'e tam ob ſepticam Veneni naturam, quam ob calidam, humidam & laxam linguæ conſtitutionem fieri ſolet) per partes exſpuerit totam; nullo remanente veſtigio adfuiſſe Linguam. Hoc tamen, vel prorſus non, vel parum, obſtante, quinque actiones linguæ competentes perfectè edit, quæ ſunt loqui, guſtare, exſpuere, aſſumpta in ore colligere, deglutire; ceu alibi dicemus. Os namq; hoc Lingua deſtitutum, ejus in locum, noviter aliam acquiſivit conformationem, mirabili plane naturæ prudentia; quæ nunquam non, ita ferente occaſione, benignam ſe quaſi matrem erga liberos ſuos exhibet.

Non alius crudelior, aut turpior hoſtis in mortalium inſurrexit genus, præter Variolas, nulli, nec ſenibus, notante Nicol. Florent. Tr. 2. Sum. 4. Diſt. 6. c. 13. Augen. l. 9. de feb. c. 7. Foreſt. l. 6. Obſ. 44. nec pueris, quibus communiſſimus, nec fœtui in Utero latenti parcens, teſte Schenckio l. 6. obſ. tit. de Variol. & Morb. Fab. Hild. C. IV. obſ. 55. Rhod. C. iii. obſ. 83. &c. & quos non occidit, illos ita quandoque notat, ut per omnem vitam Tyrannidis ſuæ turpiſſimas notas, maxima cum deformatione, circumferat, quod multis videre eſt apud *Schenckium l. c. obſ. penult.*

Unum de meo addo. Ancilla quædam 30. & ultra annos male valens, circa feſta Natalitia ſæviſſima Bruma Anno 1669. Trenſchinio, trium propè dierum itinere, huc Poſonium proficiſci conſtituit; Huc delata in ſuburbio divertit ægrota, videtque totum corpus repleri variolis. Negligentius initio habita, quia paupercula: poſt octiduum de adventu ejus, certior reddita Con-

Conſobrinæ quædam mea, quia eam ante noverat, & reſtitutam ſervitio ſuo deſtinaverat, curam ipſius ſuſcepit, me vocato in auxilium. Nihil intermiſſum, quod ex re videbatur, adhibita expellentia ſufficienter, aliaque huic morbo convenientia remedia: Sed ecce, in morbi declinatione remittentibus ſymptomatibus variolæ quidem decidere ſed remanſere tubercula parva verrucoſa, nullis medicamentis cedentia; Non hic, quicquid externè, vel internè adhibitum, profuit, inunctiones nihil, nihil Balnea artificialia vel naturalia, & licet quandoque diſpareant, vel ſquamularum inſtar decidant, ſtatim iterum recreſcunt, idque jam per integrum triennium. Sed non ſatis eſt, ſæviſſimo morbo cutem defœdare exteriorem, quin & in interiora ſævit. Deprehenſum ſæpè quoſdam ab interitu diſſectos, quibus Jecur, Lien, Pulmones, omniaque interiora, haud ſecus atque Cutis ſordidiſſimis papulis manantibus ſcaterent. Fernel, l. 2. de Abd. rer. cauſ. c. 12. Barth. C. IV. Obſ. 45. Quam ori, palato faucibuſque nocent, vel præſens, de puero iſto elingui, ſufficit hiſtoria. Vidi ego Anno 1668. hic Poſonii in ſuburbio puerum 4. vel 5. annorum, cui poſt variolas, quibus, ut Parentes referebant, os in guttur uſque quantum videri potuit plenum erat, remanens ulcus, & totum palatum, ſuperiores gingivas, labium, & aliquid de dextra gena abſumpſerat, miſerrima inſequente morte. Anno 1670. media æſtate hic morbilli quaſi Epidemialiter graſſantes, ſingulare aliquod oris vitium, idemque periculoſiſſimum conjunctum habebant. Aphthæ erant totum os interius ad Uvulam uſque & fauces, albæ, quaſi inducentes membranam, cum præſentaneo ſtrangulationis ac mortis periculo, niſi promptè ſuccurrebatur. Mulierculæ appellabant *den Meel-Hund*, fortè à colore, quòd totum os, ac ſi alba farina conſperſum eſſet, apparuerit.

(*b*) Inprimis ſi citò deſinunt, aut intermittunt uti pulveribus expellentibus, quibus ego uſque in decimum quartum, & ſi malignitas adfuerit, in decimum octavum, impari tamen doſi, continuare ſoleo bono cum ſucceſſu. Diaphoreticis enim hiſce Ichor ille acris & erodens infringitur, & ad exhalationem, ſeu tranſpirationem quaſi inſenſibilem diſponitur, undè exiccatæ variolæ ſponte decidunt, nullis vel exiguis poſt ſe relictis veſtigiis. Undè non melius, non tutius, ad præcavendas foveas, ſeu variolarum veſtigia commendare tam propria, quam aliena experientia poſſum, præter diligentem & continuatum uſum expellentium.

§. 2. Qualis Conformatio Oris hujus quod ſine lingua loquitur.

Os ab Anatomicis communiter, & externè, & internè conſideratur: Sed ut de hoc noſtro ritè agamus, motus inſuper & quies ſpectari debent. Quod ſi enim extrinſecus id dum non movetur loquendo, intuearis, nullam ab alio obſervabis differentiam. At ſi apertum, & loquendo ſe movens inſpicias, ſtatim nobis differentiam, quid habere debeat, & quid habeat. Quod ſcilicet moveatur pro ratione Conformationis, ut uſus poſtulat, quodque Conformatio ejus interna inprimis conſiſtat in dentibus, in palato, in faucibus, in Uvula, in Amygdalis, in Ranularibus, in reliquis Linguæ, in Salivà.

Dentium interioris maxillæ gemina eſt ſeries extrorſum. Primi ſiquidem, Lacteos appellant, ipſi non excidere, & poſteriores non interne fere verſus interiora ſuccreſcere (ſecus ac faciunt dentes ſupercreſcentes) ubi modo apparent longi, & quaſi inverſi, non aliam ob cauſam, quam quod dentibus ſuperioris maxillæ ex oppoſito non jungantur, qui anteriorem ſeriem tantum tangunt, & quod à primis remanentibus locum ſuum ſemper occupantibus introrſum preſſi, à lingua hic deficiente, ad exteriora non repellantur aut retrudantur. Id quod facile alio & communi exemplo probari poteſt. Dens, verbi gratia, maxillæ cujuſdam, qui vicinum amiſit, ſemper creſcit, & ſe extendit in locum deperditi. Aut ſi dentes accreſcentes, vel etiam primi, non debito tempore evellantur, una creſcunt, & extra naturalem ſitum ponunt illos; qui remanere debent, id quod non exiguam affert deformitatem, quam, ut evitemus, foramen dentis decidui, & qui non amplius regeneratur eſt implendum, ſuperflui autem maturè evellendi.

Palatum, Oris Cœlum, naturaliter convexum, ut ad vulgi mentem vox edatur fortius, potius autem juxta meam opinionem, ut lingua, dum ſe in rotunditatem contrahit, majus habeat ſpatium. In hoc puero depreſſum eſt, & planum plus ſolito, quod linguam non habuerit cum creſceret, quod ipſum formaſſet, aut naturalem convexitatem conſervaſſet.

Faucium Iſthmus, ſive ille introitus, per quem aër, & cibus, & potus, ingrediuntur & egrediuntur, hoc in ſubjecto ovalis eſt formæ, tam anguſtus, ut vix digiti apicē admittat. Una ſui parte palatū altera radicem linguæ attingit. In medio ſuperius annexa dependet Uvula, rimam in ſemilunarem formam dividens & internè ad Epiglotidem deſcendens, cum aliàs fauciū hic Iſthmus aut gulæ introitus ſit rotundus & cum Uvula duos quaſi arcus tribus inſiſtentes columnis repræſentet, nempe ut aër loquendo melius infringatur, & prorumpat.

Uvula in hoc puero longa eſt, tenuis, ejuſque extremitas pendens ac mobilis. Longa eſt, ut Epiglotidem attingat. Tenuis, ne nimis rimam claudat, Deſcendens ad Epiglotidem, ne ſe nimium movendo mutationem & vocis inflexionem impediat, cujus ſcilicet gratia eſt in homine, qui ſolus inter reliqua animantia particula hac pyramidali carnea gaudet, magis ad commodiorem loquelam, quam ut ea pulmones ab aëre frigido, Larynx ab ingreſſu parvorum, (niſi fortè in hoc ſubjecto elingui) Oeſophagus, vel à deglutitione magnorum fruſtorum, & Naſus à regurgitatione aſſumptorum, præſerventur. Primum namque nares & os præſtant; ſecundum Lingua, tertio non repugnat inſervire poſſe Uvulam, quarto verò reliqua animantia magis eſſent obnoxia, quæ demiſſo in terram Capite cibum aut potum capiunt, quam homo erecta cervice comedens & bibens.

Amygdalæ, duæ glandulæ ſunt, ſpongioſæ, à figura nomen ſortitæ; utrinque ad linguæ radicem in ingreſſu faucium ſitæ, ad excipiendam à Capite, & ori reddendam ſalivam, quo irrigentur Lingua Palatum, Gingivæ Ranulares, & imbuantur maſticanda. In hoc verò

ſubjecto inſtar duarum Caſtanearum ſunt apparentiores, quàm alias in hac ætate ſolent, quam magnitudinem iterum à defectu Linguæ acquiſiverunt, in quam, quod non evacuarint ſuam humiditatem, ita excreverunt, Quinimò neceſſarium erat in hoc ſujecto, talem obtinuiſſe figuram, & dimenſionem ad coarctandam gulæ rimam, quo meliùs fieret elocutio.

Ranulares, (*Les Ranulaires ou Grenouilleres*) de quibus etiam recentiſſimi ſilent Anatomici, in hoc ore non inveniuntur. Sunt autem duo corpora rotunda, ſpongioſa, ſubrubra, utrinque in parte maxillæ inferioris anteriori dextrorſum & ſiniſtrorſum verſus dentes maxillares in formam pedum poſteriorum Ranæ ſub apice Linguæ & mento ſeſe extendentia, quo in loco illa tempore ſilentii ſe retrahit, reponit, & quaſi ſuper molliſſimum pulvinar quieſcit. Ultra hanc commoditatem, quam præſtat, inſervit etiam ad continendam ſuperfluam ſalivam, quæ alias ſemper ex ore proflueret. Hinc etiam ſi filum Linguæ minus dextrè ſecetur, perpetua oritur ſalivatio, & hoc in loco fieri ſolet Batrachron ſeu Ranula

Quod ſupereſt, adhuc eo in loco, ubi antea Lingua fuit, duplex eſt corpus planum, & in oris fundo ſitum, carne conſtans muſculoſa, lineaque diſtinctum ſecundùm longitudinem excurrente, & ab interiori menti parte uſque ad gutturis ovale foramen ſe extendente, in medio ſui, utrinque inflatum, ſe colligit, & retrahit verſus palatum, ceu duæ hirudines ſibi junctæ, cum puer loquitur, aut aliquid deglutit, Undè pro reliquiis habeo partium poſteriorum muſculorum, aut Genioglosſorum, aut Myloglosſorum ubi terminata gangræna, quæ nunc conſtituunt iſtud corpus moventque.

Saliva Aquoſus parumque glareoſus humor eſt, qui ex Cerebro ad Infundibulum, & indè, ſcribit Riolanus, per duos parvos canales in ambas fertur amygdalas, ex quibus partes internas oris per illas cavitates circum has glandes, inſtar parvorum loculorum ſitas, irrigat, ut os humectetur, Lingua reddatur agilis, ut ad hujus profunditatem deducat ſapores, & hi penetrent palati membranam, ut melius in ore moveatur cibus, ſerviat inſtar fermenti ad digeſtionem, ut tandem loquelam reddat ſuaviorem, lenioremque reſpirationem. R ſtat ut loquamur de motu Oris hujus externo, qui triplex, ſecundum tres partes, quæ moventur, Labia ſcilicet, Maxillam inferiorem & Genas. Singulæ motus edunt diverſos, in hoc puero dum loquitur, deglutit, aut exſpuit, ab aliis diverſiſſimos. Quæ cum facit, labia magis verſus interiora, vel verſus exteriora inflectuntur & invertuntur, maxilla inferior valdè cogitur, aut ſe extendere, aut contorquere, muſculi buccinatores genas intra dentes trahunt molares ad fungendum officio Linguæ.

Dentes, ut numero, ita quoque & ordine quandoque variant. Viſi quibus triplex, quibus duplex ordo, imò quibus dentium loco nonniſi continuum os fuit, teſt. Schenck. lib. 1. obſerv. T. de Dent. Laur. l. 2. Hiſt. Anat. c. 10. Melch. Sebiz. Diſp. 2. de Dent. aliiſque; Ordinariè homini una eſt ſeries 16. Dentium in utraque maxilla, Quadrupedibus mordacibus ac rapacibus ad proportionem plures & validiores; Omnium autem Piſcibus carnivoris plurimi ordines. Rarum eſt ac notatu dignum, quod Cl. Steno de Canis Carchariæ, aliàs Lamiæ dictæ, Piſcis voraciſſimi & Anthropophagi, cujus in ventriculo nonnunquàm, teſte Rondeletio, integer homo, iſque loricatus, fuit inventus, diſſecto capite refert, ſe tantum in media mandibula (nam pleroſque reſciderant, & quibuſdam in locis reſectis cum dentibus gingivis, ne veſtigia quidem dentium integra reliquerant:) tredecim dentium ordines inveniſſe, quorum interiores inferiora verſus recurvati ſub gingivarum molli & fungoſa carne ita deliteſcebant, ut nonniſi reſectis gingivis in conſpectum prodirent. In alio verò piſce, itidem ex Canum genere, diſſecto, maxillæ inferioris octo obſervavit ordines, ſingulos 19. dentibus inſtructos, in ſuperiori ſex cum 17. dentibus. At cur natura hiſce animalibus tot conceſſerit dentes? cum ob ſtructuram in tàm ubere eorum numero minima pars uſui eſſe poſſit, prædamque inſuper totam ſine prævia maſticatione deglutiat, meritò mirandum: Prælaudatus Author factum hoc ob materiæ abundantiam & neceſſitatem, ut delapſis, vel quomodocunque amiſſis anterioribus, ſtatim interiores ſuccederent, exiſtimat, in diſcurſu ſuo elegantiſſimo, quem de hac Anatomia Florentiæ ſpecimini Myologiæ Elementorum annexum edidit. Fortè etiam, ut & hi verſus interiora reflexi inſtar hami ſerviant, quibus impedita præda ex rictu immanis belluæ extricare minimè ſe queat. Undè annoſis, quibus priores ſæpius exciderе, minor ordinum numerus, quo aliàs multùm variare ſolent Authores.

Rondeletius ſex numerat ſeries; Tot Mercatus, ſed putat Cl. Steno in exiccato capite non tàm benè omnes in gingivis latentes deprehendi potuiſſe. Bellonius in univerſum ipſi 140. dentes tribuit. Lamiæ verò, quam ab hoc diſtinguit, plus minus ducentos per quaternos verſus (ut inquit) in utraque maxilla diſpoſitos. Alii triplicem tantum ſeriem adſtruunt, vide Geſner. lib. 4. de Aqua. In Gaditana littora expulſam belluam marinam cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubita ſexdecim fuere, dentes ejuſdem 120. maximi dodrantium menſura, minimi ſemipedum, ex Turriano citat *Jac. Pont.* in Att. Fellar. l. 2. *Synt.* 3.

Ita dicti à tempore, quòd lactentibus erumpant, non à materia, quòd ex lacte fiant; ut cum nonnullis vult Auth. lib. de Princip. 5. ſeu Carn. Quem librum merito D. D. Melch. Sebitz in Diſp. 2. de Dent. cum Mercuriali Hippocratis fuiſſe negat, quia non pauca continet à veritate aliena, aliiſque Scriptis Hippocraticis contraria. Formantur enim in Utero æquè ac reliquæ partes ſpermaticæ, ſed gingivis teguntur, tam quod minores, quàm ut illas tranſire queant, tum quòd illorum nullus adhuc uſus, quibus gingivis in diſſectione remotis, in alveolis ſuis nemo, niſi Tireſia cœcior, non videre poteſt. Ego certè cùm ex fœtu legitimo tempore, ſed mortuo excluſo

cluſo, ac proinde nunquam lac ſuxerat, Sceleton pararem Lutetiis Pariſiorum, ablatis gingivis, perfectè abſolutos inveni (quos & adhuc monſtrare poſſum) octo priores dentes utrinque, ſub quorum uno vel altero ſatis jam duro, eruto curioſitatis gratia, inveni ſubjacentem materiam cartilaginoſam, ceu rudimentum dentis ſubſecuturi, qualem etiam deprehendi in alveolis maxillarium. Unde non ineptè Cauſa deduci poſſet, cur anteriores cadant & regenerentur, molares vero, ſivè maxillares non.

Fabricavit ſcilicet natura primos dentes primo ſeptenario deciduos, ut ſint operculi loco, ſub quo tutius & firmius creſcant ſecundi, & ut interea, dum hi adoleſcant, convenientemque acquirant duritiem, ſerviant infanti, quem tamdiu edentulum eſſe non decuit. Dentes in ſenectute regeneratos, hinc inde vide apud Obſervationum Scriptores.

Nullum animal Uvula gaudet præter hominem, quia nullum animal loquitur, magiſque articulatam vocem, utut varia avium modulamina & ſuaviſſimas tenellæ vocis inflexiones mireris, edit, præter eundem. Loquelæ enim vel maxime, vel primario inſervit, miſſis aliis actionibus, quæ homini cum Brutis communes, & quas iſta ſine illa facile peragunt. Unde vel eroſa, vel penitus amputata (quod nunquam fieri deb[illegible] vult Rud. l. 4. c. 14.) ſtatim vox læditur, Laurent. Hiſt. Anat. l. 11. c. 18. Muti fiunt, Gal. de uſ. Part. 11. c. 11. Deterius, minuſque perſpicuè loquuntur, Joubertus de Aff. Thor. Viciata voce abſurdè & de naribus loquuntur; Pareus Anat. l. 5. c. 13. raucam vocem edunt, Riol. Anthropogr. l. 4. c. ult. Et quidquid contradicat Fallop. in Obſerv. Anat. certo aſtruens nullum pati vocem detrimentum ab exeſa uvula, Vivum hujus rei exemplum hic Poſonii habemus in Typographi filia 10. vel 11. annorum, quæ a primo ortu hac particula deſtituta, ſine impedimento aut regurgitatione ad nares deglutit, ſed difficulter loquitur, imò quaſdam literas planè pronunciare nequit, ut l. ſ. c. 1. ch.

Andegavi vidi hominem triginta annorum, qui duplicem habuit Uvulam, quæ legitimo in loco pendebat, ſed digitum minorem propè lata, in medio diviſa, in apice verò Epiglotidem verſus iterum coaleſcens, ut mirabilem præbuerit formam. Deglutiebat iſte ſine difficultate quodcunque, ſed lubentius liquida, quàm ſolida, loquela tamen de naribus procedebat, (*il parloit du nez* ut Galli dicunt) Tabidi autem quomodo reddantur hac particula deſtituti, non capio, niſi fortè credam hoc potius fieri à deſtillationibus acribus & erodentibus ad pulmones, quæ cauſam etiam præbuere huic eroſioni, quàm ob ingreſſum aëris frigidi in eoſdem, quem Os & nares ſatis temperant. At quæri poſſet quomodo Aves loquantur, aut vocem humanam imitentur, iſta particula, ad loquendum, ſi neceſſaria, deſtitutæ? Pſittacos certo loquentes plurimos habemus, nota, quæ de Corvo Auguſtum ſalutante dicuntur, & de Pica apud Martialem;

Pica loquax certa Dominum te voce saluto,
Si me non videas, eſſe negabis Avem.

De Auriviti Fringillæ quodam genere refert Deuſingius in Diſſert. de Surd. & Mut. ab Ort. Sect. 4. de Loquela Brut. illam, quoties ſe ad Cantum componeret, ſubmiſſa & rauca voce Belgico Idiomate exclamaſſe: *Bing-Mannecten-te.* Verum enim verò non tam ad loquendum ſimpliciter, quàm ad benè loquendum, ad benè articulandam vocem, ad pronunciandas literas gutturales videtur neceſſaria, Unde loquuntur quidem iſtæ aves, vel potius imitantur humanam loquelam, ſed malè pronunciant, & quandoque vix, niſi ab aſſuetis, intelligi poſſunt.

His novum uſum tribuit Warthonus in Adenogr. c. 22. Guſtus organum eſſe vult, omneſque Oris partes, in quibus Guſtus perficitur, ſubtendere contendit. At merito recedit ab iſta Sententia L. Bellin. in Guſtus Organo c. 13. 14. guſtationem fieri aſtruens in papillulis illis, quas linguales fungos appellat, nihilque aliud eſſe dicit, quàm ſurculos nervorum è linguæ ſubſtantia aſſurgentes, & ſiphunculorum inſtar ad extimam ſuperficiem deſinentes, non ſtratos & linguæ plano parallelos, ſed eidem implantatos & erectos apice ſuo, ut oſculis occurrant ſalibus, quibus mediantibus guſtabilia ipſis communicantur. Atque papillaris hæc extenſio, ſeu papillare corpus, ut amat nominare Malpighius in Epiſt. ad J. Alph. Borellum, per totum corpus linguæ expanſum, impoſuit forte Veteribus, ut linguam duplici carne conſtare crediderint, glanduloſa una, altera muſculoſa; Cùm in contrarium hodiè diligens Inſpectio & Examinatio demonſtret, Linguam verum eſſe corpus muſculoſum, miris quidem fibrarum plexibus donatum, quia miros etiam ac varios, ſi ullum aliud membrum, debuit edere motus, per quos fibrarum anfractus propullulant fungi illi nervei, ſive nervorum extrema filamenta.

Quid velit Author per Ranulares, non ſatis intelligo, denominationem ex Gallico retinui, Non enim ſub hoc nomine quidquam vel legi, vel audivi, vel vidi, vixerunt Muſculi Baſiogloſſi, ratione ortus, inſertionis & formæ exterioris, unde & nonnullis Ypſilogloſſi audiunt, hiſce ſimiles, ſed ratione ſubſtantiæ diſſimillimi. Niſi fortè ita appellet carnem illam plurimis glandulis & pinguedine conſtantem, ad radicem Linguæ ſitam, quam nonnulli, teſte Barth. in Anat. reform. pro undecimo muſculo linguæ habent, quamque longè melius Cl. Wartheonus Glandulas maxillares nominat, & modo huic, quem proponit Author, non abſimili deſcribit in Adenogr. cap. 21. Earum, inquit, pars poſterior parotidi & glandulis jugularibus appropinquat, multò craſſior & rotundior, ut & rubicundior, anterius progreſſa paulatim attenuatur, media autem via videtur primo aſpectu ab interiori parte quaſi diſcontinuari, & recedere, re ipſa tamen exiguo ramento continuatur, dein verò nonnihil iterum craſſeſcit, & cunei inſtar inter maxillam, & linguæ muſculos ad mentum uſque protenditur.

Et hic quidem locus non ſuperfluam ſalivam, ut vult Author, quam ad mentem illius temporis, novos ductus Salivales ignorantis, ex Cerebro deducit, ſed ejus ſcaturiginem continet, quia vas ſalivale tranſit, & ſi in hac parte minus dextrè fiat Ranulæ operatio, va-

ſaque illa diſcindantur, perpetua oritur Salivatio. Id quod jam diu antè Warthonum vidit & prædixit Carpus in Mundinum; liceat mihi locum hunc totum ex Cl. Deuſing. Diſp. de Alim. depur. quem à Brenzelio, & hic ex Beringario habet, mutuare, & quia multum, quæ diximus illuſtrat, huc tranſcribere. Sub lingua, inquit, duo ſunt Orificia ſeu Oræ, ſive fontes, à quibus exit Saliva & duo habitacula Salivæ vocantur etiam ab Avicenna generativa Salivæ, & in illa Orificia ingreditur ſtylus, teſte Avicenna & teſte Senſu, & talia orificia aperiuntur & conſtringuntur per ſuas pelliculas prout clauditur & aperitur burſa. Et interdum aliqui Chirurgi, ignorantes, propter aliquod opus manuale in iſto loco incidendo aperiunt talia orificia, taliter, quòd ſuæ pelliculæ non poſſunt poſtea claudi tempore debito, & tunc perpetuo, velit, vel nolit patiens, ille ſemper eſt cum ore pleno ſputamine: Et ego habui tales præ manibus, quos fontes devaſtarat Curſor de Vercello, Baptiſta vacatus, volendo curare Ranulam ſub lingua: Et tales fontes implantantur ad Carnem glandulosam, quæ eſt ſub lingua verſus radicem, quæ eſt multa, & eſt ſemper plena ſputo, ſuſcipiens illam humiditatem à venis proximis. Hæc ille.

Confundit hic Author, ut & plerique veteres Anatomici Sputum cum Saliva. Humor ille craſſus viſcidusque, qui ſæpè cum Saliva commiſtus è tonſillis, ad quas è Capite, ceu Cerebri excrementum depluit, provenit, Sputum eſt non Saliva, quæ nobilioris naturæ & ortus, vide Warth. Adenogr. c. 21. De cujus materia, modo generationis, uſibus & neceſſitate, cum actum alibi fuſius, & ex profeſſo, hic ſuperſedeo.

§. 3. *De naturali Conformatione & Uſu ordinario Linguæ in Homine.*

Si quis dignè & doctè de Lingua, aut alia Corporis humani parte loqui vel ſcribere vellet, linguam & calamum mutuare à Riolano, aut ex illo ſumere deberet, & tranſcribere, quod in pulcherrimo ſuo Anthropographiæ Opere tanta cum Excellentia, tanta cum elegantia dixit, ſcripſitque, ut curioſiſſimi Anatomici deſperent, aliquid ulterius, aut ipſo melius, proferre, dum nihil tam egregio operi ad ſui totalem perfectionem deeſſe videtur, quàm applauſus, quem jure promeruit, & qui meritò tam raro Authori debetur. In ejus igitur æs incidendum eſſet, ſi non & ſuum cuique tentare talentum, & quid valeant vires experiri liceret, quàm in totum alienis laboribus acquieſcere.

Dicam ergo, quòd Lingua ſit membrum particulare, unicum in ſuo genere, diverſas aſſumens in ore humano figuras, mediante linea quadam ſecundum longitudinem excurrente, diſtincta ſine diviſione in partem dextram & ſiniſtram, carne conſtans duplicis generis, pulpoſa ſive glandulosa, & fibroſa ſive muſculoſa, duplici gaudens motu, uno proprio à ſe ipſo procedente, quo nonnunquam mentem præcurrit, & Velox dici poteſt, altero, qui à voluntate dependet, undè animalis vel voluntarius audit, inſtructum nervis, arteriis, venis, membranis tectum, & tandem duobus alligatum ligamentis, ut ſit inſtrumentum Loquelæ, Guſtus, Exſpuitionis, ut colligat aſſumpta maſticanda, ut juvet deglutitionem, ut ſit inſtar ſpeculi, in quo ſigna ſanitatis, & morbi, & mortis videri poſſint, & ut mentis noſtræ ſit nuncius, noſtrarumque interpres cogitationum.

Figura Linguæ, quæ cum Proteo convenit, quia, prout nobis placet, variatur, certa deſignari nequit, quamvis recentiores Anatomici ipſi Pyramidalem adſcribant, quæ tamen nonniſi certis competit animalibus, Ariſtoteles latam eſſe dicat, ipſa certè conſtat experientia hanc pyramidalem figuram coactè tantùm accipere, tum nempe, quando ex ore protenditur, vel quando conjunctis duabus marginibus in formam imbricis effingitur.

Duplex in Lingua Caro eſt glandulosa ſuperius, inferius muſculoſa. Prima ſui generis (nec non vel glandula, eſt vel muſculus) poroſa, aut imperceptibiliter undique perforata, rara ceu ſpongia, ſubtilis, dura à radice, uſque ad apicem linguæ, ejuſque verum conſtituit corpus. Secunda fibroſa, ſed unita, compacta, muſculis conſtat, genioglosſis, baſioglosſis, ſtyloglosſis, myloglosſis, qui attingunt, inſeruntur, miſcentur cum hoc corpore, ut utrinque abſque confuſione aut commixtione cum glandulosa, ad movendam figurandamque linguam pro voluntatis arbitrio.

Nervi, quorum beneficio lingua animatur, guſtat & movetur, procedunt à tertia, quarta, & ſeptima Cerebri conjugatione, ſecundum plurimos Anatomicos, & ſecundum receptum Diſtichon latinum, ſeptem horum parium inſertiones complectens. Sed Riolan. l. 4. c. 2. Bauhin. l. 3. c. 12. & Spigel. l. 7. c. 2. Tres Celeberrimi Anatomici noſtri temporis, nullam, tertii paris diſtributionem proſequendo, mentionem faciunt, quòd ex illo nervus ad linguam progrediatur. Ipſe quoque Riolanus quartum tantum in oculis abſumi vult. Quod ego in Riolano & Bauhino valdè miror, dum ille quidem l. 9. c. 4. dicit: Quòd Lingua nervos ſuos à tertia & ſeptima conjugatione accipiat; Hic autem, ſui quaſi oblitus, l. 3. c. 89. inquit, nervos habere à tertia, quarta, & ſeptima Conjugatione. Ita Riolanus ſeptimum par ad Linguam deducit, & exiguum ramum quinti, quem tranſire vult aquæductum Fallopianum. Spigelius autem ultra portionem ſeptimi, tertii, & quarti, etiam partem inferioris quinti paris. Quod hic obiter notare volui, quia ad propoſitum & quo unus vel alter anſam habent, hæc loca inter ſe conciliandi.

Arteriæ linguam vivificantes, ex Carotidibus proveniunt, ipſique iſtum ardorem, nigredinem, ſiccitatem, & deglutiendi difficultatem conciliant, quæ in febribus obſervatur ardentibus, magis per immiſſionem ſanguinis calidi & ebullientis, perque communicationem caloris cum Oeſophago, quàm per vapores ex toto corpore huc delatos, ut notavit Spigelius l. 6. c. 2.

Quæ nutrimentum afferunt Venæ ab illo Jugularis externæ ramo, quem profundum appellat Spigelius, & à tertio ramo jugularis internæ oriuntur, ut vult Bauhinus. Harum ſectio

ctio valdè prodeſt in affectibus Cerebri, ut, bono cum ſucceſſu, obſervavit Riolanus.

Membranam lingua involventem communem habet cum interna Oris & Oeſophagi à dura matre procedentem, & ſe extendentem ad hæc omnia inveſtienda, unde etiam guſtus ſpeciem ſenſui communi communicat, ſentitque affectiones Oeſophagi, Ventriculi, humorumque læſorum.

Duorum Ligamentorum, quæ annectunt, ligant, & tenent linguam, alterum eſt membranoſum, alterum nervoſum, & rotundum. Illud baſi ſua leviter alligat linguam ad Os Hyoides, ut eo liberius & ſecurius moveatur. Hoc autem apice ſuo mento interno ſymphyſi ad dentes anteriores annectit, ne linguæ mucro vel nimium ex ore propendeat, aut ſeorſim moveatur, & ut doceamur reprimere ac continere moleſtas illas quandoque in nugas, calumnias, aliaque oris vitia, heu nimis hoc ſeculo ordinaria, proruptiones. Ultra hoc rotundum ligamentum aliquando aliud planum & ſuperfluum reperitur, quod à Linguæ cuſpide verſus medium gingivarum interius tendit, ita ut infantes hoc habentes, nonniſi cum labore & dolore linguam extrahere, aut ubera ſugere queant, quia impedit quo minus papillas mammarum apprehendant, unde quoque reſecari ſolet. Sed quoniam niſi cura habeatur, facilè verum ligamentum offendi poteſt, adminiſtranda eſt iſta operatio, cum una parte fornicis, ut cuſpis ſit inter duo ligamenta, dorſum verſus linguam, acies directa ad gingivas, & ita reſecandum eſt ſubito, tenendo linguam digitis manus ſiniſtræ. Nonnulli fide digni referunt in Canibus ex hoc ligamento rotundo vermem fieri. Siquidem autem inter linguam & ligamentum rotundum eſſe debere ſcio, admonere volui, caveant, ne diſſecent hoc ligamentum, ceu facilè fieri poteſt in exſtirpando, ad præcavendam rabiem, hoc verme, ut Venatoribus ſolenne eſt.

Linguæ motus alius eſt proprius, & ab ipſa ſolum dependens, alius verò ab alio, ut inquit Riolanus. Primus in carne ſui generis conſiſtit, alter in Muſculis. Illum Velocem, vel præcurrentem, vel ideò vocari, quòd præcurrat quaſi alterum à mente procedentem. Nullus enim muſculorum iſtam velocitatem linguæ poſſit dare, quam continuare videmus nonnunquam ſatis diu, dum retentum in ore aërem diverberat, ad formandam elocutionem, aut dum nobis etiam non advertentibus loquitur, ut videre eſt in Oratoribus, qui ſæpè plus loquuntur quàm volunt, aut præmeditati ſunt. Voluntarius in muſculis dependens ad fortiores linguæ actiones requiritur, ſine quibus illas edere nullo modo poſſet. Nam deglutire, colligere cibum, exſpuere nunquam ex ſe ipſa potis eſſet. Verùm hi duo motus conjunctim ad omnes concurrunt actiones. Fertur incredibili velocitate per omnes Oris partes, refferturque, pellitur, repellitur, ut faciat & dicat quod velit, adeò ut non tantum cujuslibet hominis, ſed & brutorum variorum voces imitari queat. Inſuper quemadmodum natura omnes Corporis partes duplices fecit, ita quoque linguam in duas partes diviſit, ne affecto uno latere offendatur & alterum, impediaturque illius functio naturalis. Non quidem, quòd reverà in duas partes diſſecta, aut bifida ſit, ceu in Lacertis, Vitulo marino, aut trifida, ut in Serpentibus, aut ſe habeat quemadmodum Torquemade in Hexaëmero ſuo ex Joh. Bohemi libro de moribus omnium Gentium refert; Eſſe quoſdam qui duplicem linguam habeant, quibus duas diverſas cogitationes ſimul & ſemel erga duos itidem diverſos exprimere aut proferre poſſint. Sed unica eſt & unita, unica ſolum illa tranſverſali ſecundum longitudinem, diviſa in duas partes, & ratione ſuperficiei à parte inferiori, & ratione unius extremitatis ab alia; niſi ita duplex ſit, quemadmodum in plurimis hominibus hodiè Cor reperitur duplex, aliud cogitans, aliud loquens, quod ſimulatoribus frequens, qui non meliùs repræſentari poſſunt, quam in iſtis hominibus duplici lingua præditis.

Omnes qui hactenus de Lingua ſcripſere, nullo modo dubitarunt, illam Elocutionis, Guſtus (addo ego) Exſpuitionis organum conſtituere, & quod multum, ad maſticandum, deglutiendumque conferat adſtruere. Nunquam, ut Exemplis probemus, Thyreus Philomelæ linguam amputaſſet, niſi exinde ipſam mutam fore credidiſſet. Facilè judicarent de ſaporibus illi, quibus Lingua repleta pituitâ craſſa, niſi hoc tantum facere poſſent lingua in ſtatu naturali conſtituta. Deglutirent exhibita Paralytici, exſpuerentque ſine impedimento, ſi lingua non ideò in ore eſſet, ut hæc omnia præſtaret quæ modò diximus. Ita ut quinque notabilia habeat officia, quæ ipſi denegari non poſſunt, licet Exſpuitio à me demum ipſi addita, & nemo illam hactenus inter actiones linguæ humanæ numerarit. Si enim conſideres reliqua omnia animalia, vel ſalivare, vel certè ſpumare; ſalivare etiam Senes, Infantes, debiles qui linguam habent reſolutam, ut & qui ex iracundia, ceu Equi, vel Apri, ſpumant, facilè judicabis Salivationem provenire ex imbecillitate, Spumam ex Commotione, Exſpuitionem autem actionem eſſe voluntariam, dependentem à motu linguæ voluntario, ad onerandum os eo quod ejicere geſtit. Conſtat, linguam ut ſpongioſam, & ex variis compoſitum eſt partibus Corpus, recipere ac abſorbere omnes evaporationes, deſtillationes & tincturas, ex omnibus Corporis partibus, repræſentare harum colores, qualitates: ad ſervitia, ut hoc præſtet, habet nervos, arterias, membranas, quæ inſtar lineæ Communicationis ſunt ad cognoſcendam ſanitatem, morbos, eorumque exitum. Quare huic materiæ non diutius immorabimur, utpote quæ ſatis nota, & apud alios legi poteſt. Tandem nemo ignorat linguam veram eſſe mentis interpretem, judicium rationis & propalatorem noſtrarum cogitationum, etiam intimarum, illam per elocutionem diſcernere hominem à brutis, per hanc fieri converſationes, probari amicitias, hac publicari beneficia & miracula Dei, hac iram placari cœli, hac gratiam concitari, hac benè, vel malè de proximo mereri, hac illum vel laudari, vel vituperari, occidi, vel reſuſcitari eundem. Verbo, gladius acutus eſt lingua, Peſſima ſimul & optima res in mundo. Sed mirandum, quod

certè

certè aliis temporibus pro miraculo habitum fuiſſet, Os ſine lingua, ſine artificio cum parva incommoditate omnia hæc facere, quæ alias facit lingua in ore, quæque balbutientes difficilius, nec melius poſſent peragere, illi cum duplici lingua, quorum meminit Torquemade, quàm puer iſte penitus elinguis peragit.

Operæ pretium eſt hæc loca inter ſe conciliare, ne graviſſimi iſti viri ſibi ſcribendo, vel non conſtitiſſe, vel contradixiſſe ipſis credantur. Quæritur itaque cur Riolanus, Bauhinus, Spigelius perſequendo tertii paris nervorum diſtributionem nullum ramum ad linguam deducunt? Cùm tamen poſtea Riol. l. 4. c. 9. de Lingua agens, ſui immemor nervos habere dicat eam à tertia & ſeptima conjugatione. Bauhinus verò itidem l. 13. c. 89. linguam nervos habere à tertia, quarta, & ſeptima conjugatione adſtruat. Cur Riolanus quartum par in oculos abſumi velit? Et cur Spigelius ultra ſeptimi, tertii, & quarti paris ramum, etiam ramuſculum quinti paris ad linguam deducat? Hic eſt ni fallor Status controverſiæ, quem Author confuſè nimis & obſcurè in diſcurſu ſuo proponit.

Sed ♃. ad 1. Fortè Authorem non benè inſpexiſſe Riolanum, qui lib. 4. c. 2. diſpenſationem tertii paris proponens expreſſe in hæc erumpit: Alter ramus tertiæ conjugationis, qui Cranio excidit, linguæ communicatur. Bauhinus verò & Spigelius nullum quidem ramum in linguam deducunt, ſed tantum in dentes, & gingivas abſumi volunt, quas partes etiam guſtare, & ſapores diſcernere vult Galenus. Bauhinus verò l. 3. c. 89. melius ſe explicat quaſi, cùm in tunicam tantùm vult ferri ramum tertii paris, non totaliter inſeri. 2. Cur quartum in oculos abſumi, atque adeò ab aliis recedere Anatomicis velit Riolanus, Riolano opus eſſet ut ſe explicaret, nam nimis ſuccinctus hoc in loco. Si quid conjectare licet, credo, cùm Authores mirum in modum quarti, quinti, & ſexti paris diſtributionem inter ſe confundant, & non raro tertii paris radicem pro quarto habeant pari, de hoc locutum fuiſſe exiſtimo, quod revera totum in oculis abſumitur. 3. Cur quinti paris ramus addatur, cum illud auditui & auribus ſit deſtinatum ab antiquis verſiculis latinis? facilis reſponſio: Tertia & quarta conjugatio, licet ab iiſdem guſtui ſint deſtinatæ, hoc non obſtante, ſurculos & ramuſculos ſuos in oculos & totum vultum ſpargunt.

Non de Carotidibus, quibus cum Oeſophago nulla eſt vicinitas, ſed de trunco Aortæ aſcendenti hoc dicit Spigelius loco ab authore citato; verba ejus hæc ſunt: Hinc ratio, inquit, reddi poteſt, cur in febribus ardentibus lingua nigreſcat, & difficulter ægri deglutiant. Etſi enim verum eſt, ex univerſo corpore vapores ad caput plurimos tranſmitti, non maximam tamen hujus nigredinis culpam arteriæ vicinitati licebit adſcribere, quæ accenſa & inflammata Oeſophago, & ſic conſequenter ipſi etiam linguæ gravia mala impertit. Poſtquam enim incommoda, quæ ex refrigeratione Oeſophagi Aortæ accidere poſſunt, tractaſſet, illa ſubjicit mala, quæ vice verſa Aorta plus juſto incaleſcens Oeſophago & partibus vicinis aut continuis faucibus nimirum & linguæ aſfert. Undè forte eſt, quod in tenellulis infantibus nullibi meliùs calorem præternaturalem deprehendamus, quàm in ore. Et quomodo ſane exigua illa vaſa ſublingualia, utut ſanguine fervidiſſimo plena, tantum ardorem, tantam ſiccitatem linguæ, totique ori communicarent, qua illæ partes non aliter, ac terra ſub Canicula furenti, omni exhauſta humiditate finduntur. Rectius ergo nigredinis & ariditatis linguæ in febribus cauſa remota erit, inſignis illa ſanguinis efferveſcentia in Aorta partiumque adjacentium incaleſcentia, ex ea autem reſultantes vapores & fuligines pro ultima habendi cauſa, vid. Senn. l. 4. de febribus c. 18. Nihil hoc ſymptomate apud nos in febribus malignis, inprimis in Lue Hungarica, communius, & eſt quandoque cum, ſed ſæpius ſine deglutitionis difficultate. Vulgus appellat *die Braunt*, *oderdie Herg-Braunt*, ſcilicet à Colore linguæ, diverſus tamen toto Cœlo eſt affectus ab Angina: propinant communiter pulverem tormentarium, & credunt eo juvari, forte ob nitrum & ſulphur, vide Hoeffer. Herc. Medic. l. 1. c. 12.

Nihil frequentius hic in Hungaria harum venarum Sectione, in quovis Capitis dolore, febre, Lue Hungarica; quin & nonnulli ſingulis annis præſervationis cauſa, illa utuntur, quemadmodum alii apertione Medianæ. Pro malo, imò lethali, ſigno habeo, ſi apertæ parum, vel nihil ſtillent ſanguinis; id quod bis hoc Anno mihi cum interitu ægroti accidit. Contra autem ſi bene fluunt, bonum ſignum. Accidit quandoque ex apertis his tam exiguis venulis, tam inſignis Hæmorrhagia, ut nullis medicamentis ſiſti poſſit. Ita ante aliquot demum ſeptimanas, Vinitor quidam morbo Hungarico detentus, mane ſibi aperiri curavit raninas, ſtillavit ſanguis per totum diem, quem demum circa veſperam vocatus, omnibus aliis medicamentis fruſtra adhibitis, pulvere compeſcui Sympathetico.

Peſſimus ille mos, in quem merito invehitur Aquapendens in Operationibus ſuis Chirurgicis, & apud nos invaluit, ut Obſtetrices digito ligamentum ſublinguale recens natis rumpere tentent. Ultra enim mala & pericula, quàm ille ibidem notavit, facile & hoc accidere poteſt, ut parvum Os nimis diducendo, inprimis, ſi digiti Obſtetricis vel fœminæ, adminiſtrantis ſint paululum craſſiores, dislocetur maxilla inferior, cum inevitabili interitu infantis. Subito enim Os ipſis quaſi clauditur, maxilla hæret immobilis, nec vagire, aut ſugere queunt, ſicque miſelli coguntur interire. Noſtrates hæc videntes Symptomata, in refrigerationem Capitis, & temporum cauſam conjiciunt, dicentes Germanice: *Dem Kind ſeynd die Angeln erſtarret*. Cui Sententiæ vulgi primò fidem adhibens, varia adhibui calefacientia, & diſcutientia; Sed poſtquam his me nihil prorſus profeciſſe viderem, in eam deſcedit opinionem, luxationem vel dislocationem adeſſe debere inferioris maxillæ, cui niſi ſtatim reponendo medeatur, mors juxta Hippocratem ſupervenit. Non tamen ſemper ex iſta cauſa oritur affectus hic, quippe nonnullos interiiſſe memini, quibus ligamentum illud non ruptum fuit,

fuit, ſed & ſi digitis craſſioribus eſcam præbeant, quin & ſi Matris vel Nutricis pupillæ mammarum plus juſto ſint majores & craſſæ, ut non niſi cum valida Oris diſtenſione apprehendi ab ore ſugentis queant.

Mirum, fabulam iſtam vulgi in omnium doctiſſimorum Virorum etiam eſſe Ore, & Scriptis reperiri: Plerique enim Anatomici, dum de ligamentis agunt linguæ, illud in Canibus ajunt abire in vermem. Quare nonnulli tam ſtudioſè præſcindunt iſtud ligamentum, credentes ita Canem præſervari à rabie, in quam ageretur, ſi vermis iſte vitam acquireret. At qua Metamorphoſi plus quàm Ovidiana ligamentum hoc in Vermem abiret? Quis quæſo unquam vivum illum vidit? Aut quomodo ſub lingua natum exiguum Animal in cerebrum repet, in eo Spiritus accendet, rabiemque introducet? Hinc meritò cum Warthono ridemus illos, ſupponendo rabiem Canum nihil aliud eſſe, quàm Cerebri inflammationem, aut quod in homine eſt Phrenitis. Ajunt enim non diu ſupervivere Canem rabioſum, & poſt mortem Cerebrum liquefactum ex naribus fluere, quod veriſimile, deſinente ſcilicet inflammatione in ſuppurationem, eaque conſumpta maſſa Cerebri. Ut melius facere mihi videantur, qui ad præcavendam rabiem venas incidunt ſublinguales, quod à ſene & perito Venatore habeo, qui Canibus ſuis inprimis petulantioribus, aut fervidioribus aperire illas ſolebat. A vermibus autem non ſub lingua, ſed in inteſtinis contentis rabiem ipſis ſuboriri, æque ac hominibus febres, deliria, phrenitidem valde credibile. Undè & illi Canes, quos Vermem hunc fictitium (certius fortè vermes in inteſtinis) habere, & proclives in rabiem eſſe dicunt, omnia corrodunt, fortè à vaporibus verminoſis, oris tunicas vellicantibus, ut in homine ex ſimili cauſa pruritus narium oritur.

Movetur Lingua beneficio muſculorum, inde ipſi nullus alius, niſi voluntarius aſſignari poteſt motus; Si proprium, & à ſe ſola, ſine ope muſculorum, aut nervorum, motum haberet, & loqueretur lingua, cur Apoplectici, & Paralytici non loquuntur? Præcurrit interim, ut Proverbium ſonat, lingua mentem, ſed rarò ſapientem, id eſt, ad verba ſua attendentem, multo minus Oratorem diſerte & cum connexione perorantem.

Verè Anilem fabulam, & ſuave de delitioſo Utopiæ Regno inſomne ſomnium ſapiunt, quæ bonus ille Bohemus in ſat alias erudito tractatu de moribus Gentium habet, de fortuna Jamboli, ſeu de Inſula à Jambolo reperta. Nam ut taceam, in illa pyrum ſupra pyrũ, malum ſupra malum, uvam ſupra vitim ſeneſcere, terramque abſque cultura, ſponte ſua, uberes fructus ferre, (fortè enim reliquiæ ſunt Paradyſi terreſtris) dabo ſaltem curioſo Lectori Deſcriptionem iſtorum hominum duplici lingua præditorum, interſerendo ita ſeriis jocoſa, cùm fortè non in omnibus manibus ſit Author, ſic autem Ille: Ejus Inſulæ homines corpore aut moribus haud noſtris ſunt ſimiles, eademque tamen Corporis forma, ſed quæ magnitudine quatuor cubitos excedat, horum oſſa veluti nervi (fortè voluit dicere veluti cera, nervi nimis molles ſunt, mirum, quomodo erecti incedunt) quò velis flectuntur, reflectunturque. Corpore ſunt pluſquam nos robuſto ac agili, nam ſi quid manibus ceperint, nemo ex digitis eripere poteſt. (An Herculis progenies? Cui nemo clavam extorquere) pilis corporis adeò perpoliti, ut ne parva quidem lanugo appareat. (nihil ergo ibi Barbitonſores) Pulchri ſunt, decori & Corpore compoſito. Aurium foramina multo noſtris patentiora (ſcilicet reſpectu duarum linguarum, nam qui multa dicit, multa quoque audiat ille) quemadmodum & lingua à nobis differunt. Habet enim eorum lingua privatim aliquid tum à natura, tum ab ingenio datum: Diviſam linguam natura dedit, quæ ſcinditur in inferiori parte, ut à radice duplex eſſe videatur. Ita varia utuntur loquela, ut non ſolum vocem hominum loquantur, ſed & diverſarum avium imitentur cantus. Et quod mirabiliùs videtur, una cum duobus hominibus perfecte ſimul reſpondendo & diſputando loquuntur. Sed mirum cum in iſtis hominibus omnia ab aliis diverſa, quod non etiam duplicem mentem in una anima, ceu duplicem linguam in uno ore habeant. Hoc quippe ſi addidiſſet Author, fidem apud omnes promeruiſſet: nunc cum omnes ſciamus, linguam beneficio muſculorum quidem moveri, ſed non niſi per mentis cooperationem hæc vel illa eloqui poſſe, non poſſe autem unam mentem in uno inſtanti diverſa concipere, vix credit unus & alter, qui διφωνογλώττος iſtam mentis duplicaturam præſupponit. Attamen, inquies, de C. Julio Cæſare omnes Hiſtorici tradunt, potuiſſe eum ſimul legere, ſcribere, audire, Epiſtolas de rebus maximis dictare aliis quatuor, ipſum manu ſua quintam ſcribere, aut, ſi Calamum excipias, ſeptem dictare. De Ælio Adriano Imperatore refert Spartianus uno tempore ſcripſiſſe, dictaſſe, audiviſſe, & cum amicis confabulatum. Origenem ſeptem notarios totidemque puellas, præter alios juvenes, omnes ſimul ex ejus ore diverſa ſcribentes incredibili agilitate fatigaliſſe, ex Trithemio legitur. Antonium Perenottum Granvellarum Cardinalem tanta memoria fuiſſe præditum, ut quatuor aut quinque Scribas de variis Reipublicæ negotiis dictando defatigaret, Lipſius tradit in Præfat. Variar. quas eidem inſcripſit. Item & Communæum non rarò quatuor Scribis de rebus magnis & diverſis eodem tempore dictare ſolitum ex eodem conſtat ibidem: & J. Pontani Artic. Bell. Synt. I. Hiſt. IX. Ergo ſi hæc iſti una lingua præſtare potuerunt, cur non & illi duabus linguis diverſa ſimul & ſemel loquerentur. Sed audi quæſo quid Politianus Ep. 2. l. 12. ſcribat de Puero quodam Pauli Urſini filio, cui ille plura depoſcenti quinque tamen Epiſtolarum propoſuit argumenta; Conſiſtit, inquit, in ſummo puer terram intuens modeſtè cogitans aliquantulum, mox tamen oculos attollens imperat ei, qui ſummus conſederat, ut jam ſcribat. Ubi pauca dictavit, innuit & ſecundo, dictat & huic alterum argumentum: Pergit ad cæteros deinceps donec ad infimum. Rurſus quoque ad primum revertitur: ſarciens quod omiſerat, fulciens, quod pependerat. Diſſidebat ubi nihil. Ita ſæpius in orbem remeans Epiſtolas uno tempore (quis credat)

credat) quinque abſolvit. Ex his ſatis conſtare puto, uni menti unam linguam etiam ad diverſa uno eodemque tempore peragenda ſufficere, plures eſſe ſuperfluas. Sed de his ſatis. Pueri duplicem & bifidam linguam habentis ex relatione Obſtetricis meminit. *P. Borell.* C. II. Obſ. 63.

§. 4. *Nullo modo linguam regenerari poſſe.*

Prodigioſa hæc hiſtoria de parvo noſtro Piſtone nobis anſam daret credendi quæcunque dicuntur, licet longiſſimè à vera ratione abeſſent, quia tam inſolita, tam plena admirationis, niſi & nos quoque rationem & experientiam haberemus diſcernendi credibile à ridiculo, in illis quæ nobis proponuntur. Ad hos ergo duos lapides Lydios (Experientiam ſcilicet & Rationem) examinabo; An Lingua ſemel amiſſa poſſit regenerari? ut vult Horſtius, refert Schenckius, ſubſcribit Riolanus. Ad Chirurgum enim ſpectat hæc Quæſtio, nunquam alias agitata, multum quippè refert ſcire ad faciendum prognoſticum in vulneribus Linguæ, an ſuſcipienda, aut relinquenda ſit, Cura, cùm vel ejus pars, vel tota amiſſa eſt. Quidquid in favorem hujus regenerationis dici poteſt, deſumendum ab experientia Horſtii, à Conſenſu Schenckii & Riolani, à ſilentio Hippocratis, & tandem à molli & carnoſa linguæ ſubſtantia. Horſtius apud Schenckium refert linguam ex variolis contracta putredine ad radicem uſque amiſſam intra 6. Menſes regeneratam fuiſſe in puero ſex vel ſeptem annorum. Riolanus citando iſtam hiſtoriam l. 4. c. 8. videtur approbare, eo quod mollities linguæ mirum in modum apta ſit, tum ad vulnerum acceptorum conſolidationem, tum ad reparationem illius quod amiſſum. Hippocr. 6. Aph. 19. partes recenſens quæ amplius non regenerantur, nullam facit mentionem Linguæ, cujus nunquam oblitus fuiſſet ſi illam reſarciri poſſe credidiſſet. Ulterius Linguæ Caro mollis eſt, multum habens tum ſanguinis, tum ſpiritus, multum calidi & humidi, convenientiſſima ad ſui regenerationem principia. Hinc credibile linguam vulneratam, modo vulnerum labia conjungi queant, facilè iterum coire, & juxta Horſtium denuo regenerari poſſe. Sed quæ in contrarium afferuntur, plus roboris habere videntur rationes. Præter enim quod ad hæc propoſita facilè reſponderi poſſit, en tibi alias quatuor rationes, quæ meo judicio refutari nequeunt. Prima deſumpta eſt à natu- Linguæ; Secunda à materia neceſſaria ad generationem; Tertia à modo tractandi vulnera linguæ; Quarta à quotidiana experientia.

Naturam Linguæ quod concernit, illa ita comparata eſt, ut ſemel amiſſa reparari nequeat, juxta illud: Partes diſſimilares deficientes naturaliter non reſtituuntur. Jam verò Linguam utique partem eſſe diſſimilarem, ex pluribus aliis compoſitam partibus ſimilaribus, nervis, ſcilicet, venis, arteriis, membranis, muſculis, & ligamentis, quemadmodum manus, aures, pedes; Manus autem, Aures, Pedes non regenerari poſſe, æque ac Linguam, quis eſt qui dubitet? Ergo nec in uno, vel altero expectanda regeneratio. Partibus quippe ſimilis eſſentiæ, ſimilia ſunt accidentia Ad regenerationem partis cujuſdam in corpore, in totum deperditæ, requiritur materia in ſubſtantia, qualitate, & potentia conveniens illi, quæ amiſſa, quæque reparanda, Jam ſanguis, qui ſolus fortè hic materiæ nomine veniret, non ita aptus ſecundum omnes conditiones, ut inde regeneretur caro linguæ propria, multo minus fiant nervi, arteriæ, venæ, membranæ, ligamenta, muſculi, quæ omnia ad ipſius compoſitionem requiruntur, ſemenque habent pro principio ſuo materiali; Concluditur itaque talem linguam, quæ inſerviat homini, & ſua officia præſtet, quemadmodum illa, quæ amiſſa fuit, refici, aut reſarciri nullo modo poſſe. Quod ſi ridicula iſta reparatio locum haberet in Chirurgia, aut unquam facta fuiſſet, Authores noſtri à tot ſeculis non omiſiſſent illius mentionem facere. Verùm ne unus quidem uſque ad Ambroſium Paræum Coryphæum illum Chirurgorum Gallicorum docuit, quomodo vel ſimplex tantum linguæ vulnus tractandum ſit. Ut ipſi ſoli hanc Chirurgiam debeamus, quemadmodum & alias pulcherrimas operationes; quas propria, & non niſi ſola liberalitate publicandi inculpabili induſtria in publicum edidit fœcundum hoc ingenium. Accedamus ad Experientiam: Quis unquam vidit, illis, quibus, vel propter malefacta amputata, aut alio modo ablata lingua eam recreviſſe? Nonne obſervatum, illos per omnem vitam manſiſſe mutos? Illos verò qui inſigne in lingua vulnus accepere maleque nec convenienter tractati ſunt, difficulter fuiſſe locutos, propter Cicatricem ſcilicet, quæ non ita benè ſine artificio, ob neceſſarium linguæ motum obduci potuit. Inſuper ſi linguam hominis comparare licet cum lingua Equorum, videbimus illas, quas vel nimis longas, vel ex ore pendentes, præſcindere novit faber quidam ferrarius Pariſienſis, nunquam recreviſſe, ſed potius ita liberatum Equum ab illa deformitate, quæ ipſis valdè moleſta eſt, tempore caloris propter muſcas, pulverem, aëriſque ſiccitatem. Pluribus agere poſſem de iſtius parodoxi falſitate, niſi propoſita brevitas me revocaret ad Examen Hiſtoriæ Horſtianæ, ad demonſtrandum quomodo à Schenckio & Riolano citata, ad dicendum, quare Hippocrates linguam non nominarit, & ad probandum, quòd ejus mollities non poſſit eſſe cauſa regenerationis? In Horſtii Hiſtoria quinque notanda, quæ eam ſuſpectam reddunt, & impoſſibilem. 1. Quòd ipſe fatetur, ſe in principio morbi violentiſſimi Infantem non vidiſſe, ne fortè contagium afferret Illuſtriſſimæ cuidam perſonæ, cui tum medebatur, ita ut ſe referat tantum ad id quod Chirurgi dixerunt, qui infantem inſpexere. 2. Credibile, Chirurgos æquè fuiſſe deceptos, credendo linguam uti Uvulam amiſſam, quam tamen Uvulam Horſtius poſtea, accepta libertate adeundi ægrotum, integram & ſalvam invenit, hinc notandum, non omnibus omnia ſemper eſſe credenda, 3. Poſſibile eſſe, copiam cruſtarum in ore latentium & fœtorem cadaveroſum, qui ordinariè in variolis laborantium ore deprehenditur, impediviſſe omnes, quo minus adeſſe, vel abeſſe linguam dignoverint. 4. Dari

ri poteſt, putredine ablatam fuiſſe portionem ſuperficiei linguæ, illamque abſtinentia à cibo propter difficultatem deglutiendi, uſuque medicamentorum detergentium, ita extenuatam fuiſſe, ut penitus abeſſe fuerit credita. Quin & 5. fortè ita fundo oris affixa fuit, ut propter iſtam cruſtarum & puris copiam, item propter dolorem, propter extenuationem & debilitatem, puer illam ad loquendum, vel deglutiendum movere nequiverit, atque indè etiam ejus abſentia certò ſciri non potuerit, uſque ad perfectam ejus reſtitutionem, quæ ipſam ibi patefecit, ubi non amplius quærebatur, & minimè exſpectabatur. De Schenckio, qui iſtam hiſtoriam in Obſervationibus ſuis refert, dicendum, ipſum vel ideò enarraſſe, ne quicquam, quod memorabile, omitteret, cœterum nec refutaſſe, nec approbaſſe. Idem de Riolano affirmari poteſt, quod & hic eam ſimpliciter ex Horſtio retulerit, fidem relinquens penes Authorem, magis ad exornanda ſua doctiſſima ſcripta, quàm ut probationis loco ſerviret, in re quadam, quæ abſque Authoritate crederetur, ſi de ſimplici vulnere linguæ ſermo eſſet, quia Lingua balſamum in ſaliva continet, & ad propria, & ad aliarum partium vulnera, ut potè quæ, inprimis ſi jejuni hominis, præſentiſſimum remedium eſt, contra multa mala, quin & contra ipſa ſerpentum venena. Sed quid de Hippocratis ſilentio dicemus in allegato Aphoriſmo, niſi quod modus ejus loquendi valdè conciſus paucis verbis, & exemplis conſtans, ipſi non permiſerit nominare linguam inter alias Corporis partes ejuſdem naturæ, quæ amplius non minus regenerentur ac ipſa lingua, licet vel exiguum quid ipſis deceſſerit. Videamus mollitiem linguæ, quæ tam mirabilis ad reſtaurationem dicitur. Sed utut abundat ſanguine, ſpiritibus & calore, non tamen iſta omnia faciunt ad ſui regenerationem, quia pars eſt compoſita ex diverſis aliis partibus, & naturaliter definitam habet magnitudinem, intra quam & creſcens & imminuta manere debet, non aliter ac manus, pes, oculus. Concludamus ergo amiſſionem linguæ totalem vel ſecundum partes irreparabilem eſſe, ſive naturaliter, ſive per medicamenta. Quin & ars admirabilis Taliacotii, difficulter eo perveniret per appoſitionem ſimilis ſubſtantiæ particulæ, ſi vel maxime talem in proprio, aut alieno corpore inveniret.

Non ſunt de nihilo, quas toto hoc Capite, ſat curioſè tractat Author, rationes, quæ contra Hiſtoriam Horſtianam, & affirmativam Quæſtionis, An Lingua mutilata recreſcat? afferri poſſunt. Vix tamen his utut ſpecioſè propoſitis in totum ſubſcribere, aut Hiſtoriæ Horſtianæ fidem omnem denegare poſſum. Verum eſt, non ſtatim omnia, quæ dicuntur credenda, facilè n. qui credit, facilè decipitur. Sed nec omnia quæ in natura accidunt, nimis rigoroſè ad rationem ſemper ſunt examinanda. Plus quandoque in hoc examine valet ſenſus externus, quàm omnes interni, & ubi ſenſus fidem faciunt, ibi ratio ſenſui repugnans ſpernenda. Multa pulcherrimis rationibus adſtruuntur, αὐτοψίᾳ diluuntur: Multa iterum αὐτοψίᾳ probantur, quæ ratione conſequi non poſſumus. Multa fieri videmus, miramur, facta vix credimus. Ita in Naturâ philoſophandum, ut quid fiat, quid factum ſit, diſcamus, non ut quid fieri debeat, doceamus. Ipſa Magiſtra, nos Diſcipuli; In momento non rarò perfectè proponit, quod nos per totius vitæ curriculum imperfectè vix comprehendimus. Arte opus habet, à quâ juvari dicitur, non ratione ſui, ſed ratione noſtri, ut per artem imitatores, intelligamus, credamus, quod ipſa ſine arte peragit. Præcedit ipſa, ut nos ſequamur ratione experientes, & experientia rationales ipſam ſine ratione experientem, ſine experientiâ artificioſiſſimam. Jam ad præſentem materiam. Si Caſp. Taliacotio Bononienſi, ſi Paræo credimus, mutilatas Aures, Nares, Labia, arte reparari poſſe, ceu teſtatur ille in ſua Chirurgia Curtorum, hic in tractatu de deficientium ſupplemento; utut rationi diſſentaneum, particulam Carnis ab integro reſectam, quæ ſtatim mortua, ac putredini obnoxia, alio in loco, quin & alio in corpore reviviſcere: adhærere in aures, nares, labia abire poſſe. Si Burro, ſi Kerckringio, ſi aliis, (vid. Thom Barthol. Epiſt. ad Illuſt. D Burrhi, & hujus reſponſ. de Artificio oculorum humores reſtituendi, Kerckring. Spicileg. Obſ. Anat. ult. D.D. Sachſii Gammarolog. p. 473. 474.) arte viſum reſtitui, & humorem aqueum infuſâ aquâ Chelidonii, vel aliâ reparari; cur non & eundem humorem naturaliter regeneratum fuiſſe credamus R. Columbo, l. 10. Rei Anat. Rhodio C. I. Obſ. 82. Platero, &c. Cur non Horſtio variolis abſumtam, naturaliter renatam linguam? Ulterius, ſi lingua ita naturaliter quandoque in longitudinem & latitudinem excreſcit, ut vix ore contineatur, ſed extra illud pendeat, ceu, præter Galenum, binis exemplis probat Barthol. C. II. Obſ. 22. & C. III. Obſ. 44. ipſeque Autor in Equis oſtendit; cur non & mutilata, vel amputata, in debitam longitudinem iterum excreſceret, & protenderetur. Si enim ejus Caro & ſubſtantia apta eſt ad unum, non inepta erit ad alterum. Inſuper componitur Lingua ex Carne, ex Venis, ex Arteriis, Nervis & Membranis, at Caro citò recreſcit, juxta Hippocratem & Galenum, Carnem lateris recreviſſe teſtatur Barthol. C. 6. Obſ. 59. Venam, præter Galenum, ut & membranam recreviſſe notat Borell. C. II. Obſ. 18. At ſi hæc ſeparatim regenerata, quid obſtat, cur non & conjunctim ad linguæ corpus conſtituendum recreſcerent? Vide P. Zacch. in Quæſt. Med. Leg. l. 5. Tit. 3. q. 5. §. 28. Non ergo abſolutè impoſſibile linguam renaſci, licet unum ſit ex iis, quæ rarò, imò rariſſimè fiunt, nam ſi ſemper, & omnibus, quibus mutilata lingua accideret, non peculiarem mereretur Obſervationem, ſed æquè ac pilorum, unguium, abraſæ cuticulæ regeneratio negligeretur.

§. 5. *Quare ii quibus mutilata Lingua non amplius ſine artificio loquantur.*

Licet ſpinoſa iſta ſit Quæſtio, nodo alligato Gordio, ſoli cuidam Alexandro reſervanda, non intermittam tamen ejus tentare reſolutionem, ſperans, licet non eò, quò collimo,

deveniam, anſam tamen me daturum aliis propius accedendi; Quin imò nullus pudor parvis ingeniis in gravioribus conatibus deficere, ſi quidem nec magnis omnia, quæ ſuſcipiunt, ad voluntatem ſuccedunt.

Conſiderandum igitur, quare ii, quibus præciſus Linguæ apex, non amplius loquantur? ſcilicet, quia Lingua in vocis articulatione debet retrahi, elongari, dilatari, conſtringi, apice ſuo agili ferri modò verſus palatum, modò verſus dentes, ad rumpendum & dividendum aërem, ex quo formatur vox, vel fortior vel ſubmiſſior, prout vel fortius, vel lenius, vel ſuavius litteras, ſyllabas, verba proferre placet. Id quod trunco ſuo, qui utpote nimis craſſus & brevis, neque retrahi, neque elongari, nec dilatari, nec conſtringi poteſt, multo minus ſat agilis eſt, ad movendum ſe contra palatum, & dentes, facere nequit, ut ita iſte plus impediat, quam producat loquelam; Quod videre eſt, comparando iſtum puerum elinguem cum aliis, qui adhuc portionem linguæ habent, & tamen niſi inſtrumento adjuti artificiali, loqui nullo modo poſſunt. Ita ut neceſſe ſit linguam, aliaſque oris partes ſanas eſſe & integras, aut reſtauratas inſtrumento trunco probè admoto, ſi quis velit intelligi. Id quod obſervare licet in iis, qui linguam habent paralyticam, aut calculis impeditam, inflatam, ſiccam, quibus frænum, aut nimis craſſum, aut nimis curtum, aut ſuperfluum, quibus vel naſus fractus, vel portio ablata palati aut labiorum, qui deſtituuntur dentibus anterioribus aut Uvulâ. Quod inſuper probat hiſtoria multi ex Paræo, qui nunquam ad hoc beneficium perveniſſet, niſi patinam ligneam meſſorum fortuitò ori admoviſſet, quæ res ipſi tam benè ceſſit, ut Roſæ Sacerdotis Iſidis ad exuendam formam Aſini Apulejo. Nam ad perfectè edendam actionem opus eſt perfectis organis, ita quoque loquela omnium actionum eminentiſſima, quia per Verbum Mundus factus, & Chriſtianiſmus propagatus, non fieri decuit, quam per inſtrumentum omnibus numeris abſolutum, quale eſt Lingua, quæ dignata inſuper, ut figura fuerit & inſtrumentum Spiritus Sancti ad annunciandum verbum divinum fidelibus. Sed non ſufficit oſtendiſſe, quare in quibus lingua mutilata, ſint muti, oportet etiam monſtrare, quomodo iſti muti facti loqui poſſint per inſtrumentum ad hunc affectum fabricatum. Neceſſitas artium Magiſtra iſtum modum fortuito, ſed fortunato caſu traxit ex abjecto margine patinæ cujuſdam ligneæ, quem ars poſtea expolivit, & juxta hujus formam rudem & imperfectam efformavit inſtrumentum ingenioſum, quo mediante, applicando ſcilicet illud ori, mutus qui præciſam habet linguam, modo ante locutus fuit, ſuas poteſt declarare cogitationes, quin & cæteris paribus, addiſcere, & loqui alias diverſas linguas. Inſtrumentum iſtud fit, vel ex auro, vel ligno formâ ovali, capitato argenteo lato, uno & medio ſuperius, inferius uſio tantum craſſum, habens in medio unius lateris cavitatem mediocrem, in altero planitiem æqualem, in parte craſſiori foramen, per quod filum ducendum, quo in promptu ex Collo geratur. Applicatur hujus inſtrumenti pars tenuior trunco linguæ craſſior dentibus inciſivis, & cava verſus oris fundum, ut aër inſpiratus, & exſpiratus melius frangatur, dividaturque, & ita cum linguæ reliquiæ commotæ feruntur in marginem hujus inſtrumenti fiat elocutio, reparetur que illud quod in linguâ deſideratur.

Ita quendam diu difficultate loquendi, ob tumorem in baſi maxillæ inferioris ſub linguâ, laboraſſe, aperto autem tumore, lapides duos extractos fuiſſe, refert P. Borellus. C. II. Obſerv. 17. Kentmannus lib. de Calculis humanis ex tuberculo ſub linguâ orto, quod Tubicinem quendam valde impedivit, aperto exiliiſſe Calculum durum recenſet. Vide plura apud Schenck. l. 1. Obſ. Tit. de lingua, & Barth. Anat. reform. lib. 3. c. ult.

Mira res, in tam molli carne, in tam tenellâ ſubſtantiâ tam durum gigni poſſe calculum. Sed quid magis tenellum pulmonum ſubſtantiâ, quid mollius hepate, quid laxius Liene, attamen in his omnibus inventi & generati calculi, ceu produnt Obſervationum Scriptores, ut taceam renes & veſicam utramque, in quibus, quaſi jam nihil novum, calculos inveniri. Ruffus apud River. in Obſ. commun. p. m. 670. obſervavit in univerſo cujuſdam corpore inter carnes, muſculos, membranas, nervos, oſſa indifferenter, in auribus, in genis, in ciliis natos calculos, Credo Gorgonis hunc ora vidiſſe, aut Deucalionem agnoviſſe Satorem.

Quomodo iſte Puer naturaliter ſine linguâ, ſine artificio loquatur.

En tibi paradoxum, tam mirabile, tam novum, quod neminem inveniſſet, qui auſus fuiſſet ejus defendere affirmativam, quodque ſemper in contemptu & incertitudine manſiſſet, non aliter ac obſcuræ Centuriæ Noſtradami, miracula Plinii & numerus ſtellarum in cœlo, ſi propoſitum fuiſſet abſque experientiæ teſtimonio, quod hodie perhibet P. Durandus, qui nos aſſerere cogit; Poſſe aliquem loqui ſine Linguâ. Ipſi Patres noſtri nunquam hoc niſi miraculoſè obſervarunt Nihil enim in Naturâ creditur quod veritati non ſit probabile, ac rationi conforme. Nam vidiſſe corda ſine linguâ loquentia, aut Linguas ſine corde diſertas ad propagandam fidem Chriſtianam, hoc naturam ſuperat, & verificatur hiſtoriis Eccleſiaſticis. Sed accidiſſe, ut os aliquod ſine linguâ naturaliter ſine artificio locutum fuiſſet, nullus adhuc Autorum prodidit, neque unquam, niſi noſtris temporibus, viſum.

Multa regit ſacro involucro Natura, neque ulli
Fas eſt ſcire quidem mortalibus omnia: Multa
Admirare modo, nec non venerare, neque illa
Inquiras quæ ſunt arcanis proxima.

Inquit Poëta quidam, quibus docet ac demonſtrat, occultam habere naturam potentiam, quam datâ occaſione, cum vel minimè cogitemus, exerat. Prudentem iſtam opificem ita res ſuas diſponere, ut illa dignior ſit noſtrâ

noſtra admiratione, quam nos illius cognitione; Induſtriam ſuam in minimis tranſcendere etiam altiſſimas noſtras cogitationes, & illa, quæ nos contra omnem rationem putamus, tam regularia eſſe ut nihil deſiderari queat. Argumento Confirmationis ſit os iſtius pueri ſine Lingua loquens, quod nunquam cuidam in mentem veniſſet, niſi viſum fuiſſet, nec adhuc creditur, niſi quis ipſum viderit & audiverit loquentem, aut ſciverit quomodò loquatur. Ad formandam aliàs vocem & verba, quæ differentiam conſtituunt inter homines & bruta, quæ nationes diſtinguunt, oportet, ut organa & cætera media eò pertinentia ita ſint diſpoſita, ne aliquid poſſit deſiderari. Scilicet ut aër intret & egrediatur liberè pulmones per foramen Laryngis ſufficienter apertum, ut Uvula pendula moveatur pro voluntate, ut Lingua ſit integra, ſeque liberè debitâ cum promptitudine, & agilitate moveat ab una parte ad alteram, ut dentes in ordine, palatum ritè cum Naſo formetur, ad faciendum ex aëris repercuſſione ſonum vocis, qui producit loquelam, ut Saliva ſit in ſufficienti quantitate ad humectandas omnes Oris partes, & facilitandum motum Uvulæ, Labiorum & Linguæ. Nam ſi iſta media, ſeu Inſtrumenta, non ita comparata & facta ſunt, neceſſe eſt loquelam deficere, imperfectiorem fieri, aut ut natura, quæ libenter variat, ſi ipſi ex uſu videtur, ſuppleat per aliquod æquivalens id quod deeſt; Et hoc nobis demonſtrandum in hoc ſubjecto, in quo illa exeruit ſuam Prudentiam, Sapientiam & Induſtriam magis, quam in aliis, reddendo loquelam illi, cui nec ipſa ars potuiſſet reddere linguam. At quomodo hoc noſtrum os elingue tam benè loquitur? Cauſa eſt, quod foramen Laryngis valdè exiguum, & ovale, quod Uvula ipſum claudens ex parte longa, quod parvum iſtud corpus carnoſum, reliquiæ videlicet Linguæ, infletur in medio verſus palatum, quod dentes ſint inverſi & longi introrſum, quod labia habeant motum liberum, quod muſculi buccinatores facilè ſe inter dentes molares contrahant, quod ſaliva inveniatur copioſa, tandem quod omnes partes voci & loquelæ neceſſariæ ſint diſpoſitæ ad loquendum ob defectum Linguæ. Per foramen ovale Uvula ſecundum longitudinem donatum fit vox, dum pulmones attrahunt & repellunt aërem, ut videre eſt in linguâ Tibiæ Gingrinæ, aut Utriculi. Per inflationem parvi iſtius Corporis carnoſi, (quod cum lingua ranæ comparari poſſet, niſi alligatum per duas extremitates) per motum labiorum, per retractionem buccinatorum, per tremulum motum Uvulæ, per commotionem maxillæ inferioris, aër rumpitur, prout neceſſarius eſt ad articulandam vocem, & formandam loquelam. Per dentium inverſionem, per palati depreſſionem, amygdalarum magnitudinem, buccinatorum contractionem, abundantiam Salivæ, Oris capacitatem, retracta eſt, quantum opus ad determinandum ſonum. Et per continuum loquendi exercitium in tenerâ iſta ætate partes etiam teneræ aptæ redditæ ad loquendum; quemadmodum fit apud omnes nationes diverſa habentes Idiomata. Quod probari poteſt peregrinis Dialectis, quæ nonnullis ſubindè adhærent, quando aliam quam vernaculam addiſcunt, licet illam perfectè ſciant, & per ſeculum exerceant. Ita facile eſt formare partes ad voluntatem noſtram, ceu mores in tenera Juventute, & difficile mutare, quando in conſuetudinem abivere, ſive bonam ſive malam.

Vidiſſe Venerabiles Viros, qui abſciſſis radicitus linguis, pœnas miſerabiliter loquebantur, inquit Juſtinus Imper. in Cod. tit. de Off. Præfect. Præt. Af. Nonnullos alios quibus Honoricus Vandalorum Rex linguas radicitus præciderat, loquelam tamen habuiſſe integram, præter duos, qui cum ſe ſcortis commiſcuiſſent, loqui amplius non potuere: Ut & alium, qui mutus natus, præciſa poſtea lingua, loqui cœpit, & Arrianorum confutavit impietatem, ex Cujacio refert P. Zacchias. Quæſt. Med. Leg. l. 5. T. 5. q. 5. confer Gaſp. à Reies. Cam. Eliſ. jucund. quæſt. LV. Nempè qui cœlum, qui terram, qui linguam ipſam ſine lingua loquendo in principio rerum condidit, cur non & Idem ſequioribus temporibus & Nominis ſui divinam gloriam, & veritatem verbi ſui propugnare ſine linguâ potuiſſet. Certè non dignari videntur impii hæretici linguâ confutari, qui tot blaſphemias contra *Deum*, contra æternum Verbum incarnatum impudentiſſimâ linguâ effutiebant. Non omiſit & in hoc puncto Diabolus, ſimia illa infernalis, imitari *Deum* etiam ſine lingua loquendo per varias Corporis humani partes, imò, ut impurum & impudicum Spiritum decet, per loca impura & pudenda. Ita enim ex Chryſoſtomo Wier. l. 2. de Mag. Infam. c. 14. Dicitur fœmina Pythia quæ ſuper tripode divaricatis cruribus malignum Spiritum inferius immiſſum, parteſque genitales, è quibus loqueretur ſubeuntem, excipiens furore repleretur, &c. Vocabantur illæ ἐγγαστρίται aut ἐγγαστρίμυθοι. Latinè Ventriloquæ, Ventriloqui, nam & in viris per ventrem, quamvis ſæpius per pectus, quin & per Os vincta lingua locutus legitur. In στερνομαντείᾳ ſpiritus incluſi pectoris, cujus Os στέρνον nominatur, vel ſuggerebant, vel vinctis compreſſiſque linguis obſeſſorum, ipſi per Os efferebant requiſita præſcitaque vaticinia. Wier. l. c. Non autem ſemper ex Tripode acceſſebant iſtum Spiritum, ſed nonnullos à tenella ætate Dæmonium Pythonicum poſſediſſe ſcribit Origenes l. 3. περὶ ἀρχῶν, talemque Ventriloquam fuiſſe, cujus Act. cap. 16. fit mentio, vult Auguſt. in lib. de Doctrina Chriſtiana, & fœminam illam, quæ Samuelem demortuum evocavit, conſtat ex 1. Sam. 28. ubi notanter LXX. μαντεύσαι δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. Vide hac de re Selden. De Diis Syr. Synt. l. c. 2. Sched. de Diis Germ. Syngr. 2. c. 47. & quæ ex Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani Epiſtola habet Camerar. Op. Subciſ. l. 3. c. 71. Wier. l. c. ubi ab Adriano Turnebo recenſitam jucundam leges Hiſtoriam de Petro quodam Brabantio, qui quoties volebat, toties ex ima corporis parte, ore quidem aperto, ſed labiis immotis, loquebatur, hacque ſive arte, ſive Exercitatione, ſive Impoſtura Dæmonis, Lutetiis benè dotatam uxorem acquiſivit, Lugduni verò divitis Mercatoris filium ſex Frãcorum millibus emunxit. Cardan. l. 1. de Ven. c. 17. Engaſtrimythos non ad Dæmoniacos, ſed ad naturæ miraculum reducit, & memini me à quo-

dam ſat celebri Anatomico audiviſſe, dum de duplicatura Mediaſtini ageret, ſi membrana iſta duplex naturaliter unita in duas partes dividatur, loquelam quaſi ex pectore procedere, ut circumſtantes credant, Dæmoniacum hunc aut Sternomythum, quod quidem ſuo loco relinquo, videatur tamen P. Zacch. Quæſt. Med. Leg. l. 2. q. 18. T. 1. Taceo præſtigioſas alias loquelas Arborum, Murorum Babyloniæ, Lapidum, Boum, Canum, quibus ulus Cacodæmon, ut Gentiles deluderet, & in ſui reverentiâ, Diabolica Idololatriâ devinctos contineret. *Gaſp. Reieſ* l. c.

Nullum membrum eſt, per cujus operam homo à cæteris Animalibus differt, ac per ipſum Linguæ officium, nempe per elocutionem tot hominibus utilitates alias perituræ, in ſcientiis addiſcendis emanant. P. Zacch. l. c. l. 5. t. 3. At ſi differentiam ponit inter hominem & bruta, cur & hæc loquuntur. Elephantos inter ſe ſermocinari, diſtinctas ſuſurrare atque emittere voces tradit Oppianus. Philoſtratus probat de Avibus; confer Aquapend. de Loqu. Brutorum. Sed fallunt & falluntur, ſermo externus internæ mentis interpres, hinc Græci Sermonem & Rationem uno & vocabulo λόγον appellarunt, quapropter ubi non eſt ratio, non eſt ſermo. Vocem habent Bruta, quâ aliquatenus affectiones ſuas exprimunt, ſi quid ultra, aſſimilari poteſt humanæ loquelæ, ut Simia humanæ figuræ. Vide Elegantiſſimum Diſcurſum Cl. Deuſing. de ratione & loquelâ Brutorum; Vocem edere naturale eſt, at hoc vel aliud, hoc vel illo modo effari, rationis, artis ac inſtituti.

Cur Animalia ejuſdem ſpeciei ad invicem loquentia ſe intelligant, homine excepto, qui alterius hominem nationis non intelligit, cùm tamen ſub eadem ſpecie humana continentur? Quærit Aquapend. de Loqu. Brut. Tot Linguæ, tanta loquendi varietas, ut externus alieno penè non ſit hominis vice inquit Plin. l. 7. c. 1. Sed id provenire, quia hominis locutio ad placitum, Brutorum naturalis. Habet homo potentiam naturalem ad loquendum, præ omnibus reliquis Animalibus, ſed nullam Linguam congenitam, quia hac vel illa lingua loqui, habitus eſt exercitio comparatus. Aliquid in ſuo univerſali naturale eſt, quod ſi ad ſpeciem revoces, fiet ad placitum: Loqui & ſermone aliquid diſtinctè enunciare inſitum ingenitumque homini eſt, ſed hoc vel illo modo agere ad placitum Rhodig. l. 29. c. 14. Adamus ſine Exercitio, ſine Magiſtro perfectè locutus, nullam facit conſequentiam: Ille in perfectione creatus, nos imperfecti naſcimur ætate perficiendi. Hinc hominem nihil ſine doctrina ſcire, non ingredi, non fari, non veſci, breviter nil niſi plorare inquit Plinius. Camerar. Tom. 3. Op. Subſcis. c. 71. putat, ſi qua lingua naturalis eſſet, Ebraicam, qua concreata credibile Adamum locutum, fore. At cùm ita non ſit & æquè ac reliquæ addiſcendæ, ridendi meritò ii, qui per expoſitionem Infantum primam & connatam ex aliis linguis indagare voluere. Undè autem tanta linguarum diverſitas, & ex una tot Dialecti? Reſpondet Aldrovand. de Monſt. C. de Voce. Noës filios, nepotes, pronepoteſque in diverſas Mundi plagas diſtributos, ut totus Orbis coleretur, hinc verò filiorum immaturam abalienationem, totius diverſitatis, imò & variarum linguarum extitiſſe cauſam, quod non quadrare cum ſacro Codice videtur Gaſp. Reies. l. c. qui varietatem Linguarum a confuſione illarum in extructione turris Babylonicæ divinitus facta provenire aſſerit; Sed licet adhuc controverti poſſet, an Linguæ Confuſio præceſſerit Diſperſionem ſubſecutam gentium? Vel an *Deus* præmiſerit Diſperſionem, quam inſecuta Linguæ confuſio? Certè poſteriori favet textus Biblici connexio. Statim enim ac Gen. c. 11. v. 7. Conſilium inivit *Deus* confundendi linguas, ſubjunctum ſequenti verſiculo legitur: Et diſperſit eos ſuper omnem terram &c. Deinde, ut *Deus* in feſto Pentecoſtes in unanimi & concordi Diſcipulorum congregatione linguas ſanctificavit, & cum Spiritu Sancto ſuper Apoſtolos effudit, ita credibile in Gentium diſperſione cõfudiſſe eaſdem. Tandem quotidiana experientia probat, non magis linguas corrumpi, confundi, immutari, quam nationum diſperſione, confuſione, commixtione. Sed quidquid ſit, videtur Aldrovandus hic locutus magis de variis linguarum accentibus, aut Dialectis, quam de Linguis ipſis. Credamus cum Veneranda Antiquitate, & nonnullis Sanctis Patribus, Irenæo, Epiphanio, Hieronymo, Hilario, Auguſtino, tot Linguas in confuſione Babylonica originem ſumpſiſſe, quot Capita ſecundum familias & Linguas recenſentur Gen. 10. Sed non impedit credere, cùm illæ ſingulæ familiæ iterum in plures fuerint ſucceſſu temporis diſperſæ & diviſæ, nepotes Avorum moribus non ſatis imbutos, in diverſis Oris diverſa feciſſe, diverſa locutos. Hinc cauſam reddunt Autores, cur olim in una Græcia tot Linguæ Grecæ Dialecti, quia ſcilicet tot in ambitu ſuo continebat Inſulas, quarum quilibet ut loco diſtabat ſic Dialecto differebat. Quid quod, ut ſupra dictum, variarum gentium irruptio, cum priſcis Regni vel Provinciæ cujuſdam inhabitatoribus commixtio non novas penitus linguas, ſed novas tantum producit Dialectos. Id quod ſequioribus ſeculis Lingua Latina probari poteſt, ex qua pronata Italica, Gallica, Hiſpanica. Probat hoc elegantiſſimè, ut eſt per omnia Ingenioſiſſimus Immanuel Theſaurus in Regno Italiæ, de Ortu Linguæ Italicæ ita loquens in vita Theodorici Oſtrogothi: *Allora di due popoli ſi fece un popolo, & di due Linguaggi, un Linguaggio; in cui latineggiando la barbarie, & barbareggiando la Latinità nacque la bella lingua Italiana.*

§. 7. *Quomodo Quis ſine Linguâ guſtare, aſſumta in ore colligere, exſpuere, & deglutire poſſit.*

Satis ſuperque demonſtravimus ſolum hominem perfectam habere linguam ad loquendum, & ad exſpuendum, quæ duo ipſi ſunt propria, guſtare verò, cibos colligere, deglutire cum reliquis animalibus commune habet. Sed unde quod Picto hic noſter ſolus inter omnes poſſit deglutire, colligere, exſpuere & guſtare, quod ori ingerit ſine Linguâ? Et hæc eſt illa difficultas quæ ſe offert, quam explicare debeo, quò ſatisfiat & promiſſis & Curioſo

rioſo Lectori. Quantum ad Guſtum, licet Galen. l. 4. de cauſ. Morb. & Sympt. c. 15. & 16. dicat, nihil eſſe in toto corpore, quod diſcernat & judicet de Saporibus, præter Linguam, & Ariſtoteles l. 1. hiſt. Anim. c. 11. Linguam appellet Judicem Saporum, dicatque ejus mucronem mirabiliter differentias illorum diſcernere. Idem tamen Galen. l. 9. de Uſu part. c. 8. ſcribit naturam nervum diſperſiſſe per omnes Oris partes, quibus expediebat Senſum guſtus communicare, & lib. 1. c. 2. inquit, quod & dentes ſentire debuerint, & ſapores diſcernere, quemadmodum reliquæ Oris partes. Sic & Durandus noſter omnes ordinarias Saporum ſpecies quam optimè ſine linguâ dignoſcit. Ut ita, annotante Plinio, facultas guſtatrix in homine ſe uſque ad palatum extendit, propter ejus membranam communem, ut credibile eſt, cum Lingua nervorum extremitatibus dotatam. Recipit enim notabilem ramum à quarto pari, & juxta Veſalium ac Platerum non tantum a quarto, ſed & à tertio dilatantem ſe per omnem palati tunicam, ut vices ſuppleat linguæ, vel amiſſæ vel laborantis, vel craſſo humore obductæ, quâ de cauſa quidem ſæpe guſtum amittit, qui tamen neceſſarius ad ſanitatem, ad benè vivendum non tantum homini aliiſque animalibus, ſed & plantis, quem iſtæ habent in radicibus, quarum quælibet fibrillæ oris loco ſunt ad guſtandum ſeligendumque quod ipſis convenit: Hinc non omnes ubique creſcere, aut naſci herbas, quod non quibuslibet delectentur humoribus, probabile eſt. Quod Maſticationem attinet, lingua ibi inſtar batilli eſt, quo alimenta ab una maxillæ parte in aliam ferantur, comminuantur, meliuſque digerantur in Ventriculo.

Nihilominus hic puer neceſſitate edoctus, quaſi linguam haberet, mediantibus genis & labiis, per eorum muſculos repellit verſus maxillares illud quod maſticando cadere poteſt ab una parte in alteram. Primum enim quem ſumit, bolum nequit maſticare niſi in illo latere cui manu impoſuit. Alterum imponit alteri lateri, & ita variat, ponendo cibum modò in hoc, modò in aliud latus, ad quod ipſi buccinatores maximo ſunt auxilio, donec ſatiatus à paſtu recedat.

Lingua juvat etiam deglutitionem, quare quidam apud Galenum dixere, ipſam ceu alteram manum inſervire Ventriculo, illaque animalia, quæ eandem quaſi recurvatam habent, inſtar Cochlearis, incredibili cum velocitate gutturi infundere aquam. Et quid facere deberet noſter elinguis in re tam neceſſaria ad conſervationem vitæ, niſi & deglutitio ab aliis partibus dependeret, niſi actio eſſet libera, & motu planè fieret animali, muſculos ſuos habens ad operandum orbiculares & Oeſophagicos, fibraſque ipſas Oeſophagi, ubi duo illi muſculi juncti, detrudunt cibum inferius, & fibræ tenſæ trahunt in ventriculum, niſi quoque animalia eſſent quæ deglutirent abſque lingua, ceu Teſtudo, Crocodilus, Ciconia; Alia autem licet habeant linguam, ipſis tamen ad hanc actionem inutilis eſt, ut pleriſque piſcibus, quibus lingua immobilis palato affixa. Certè miſerabilis hic noſter eſſet lingua deſtitutus, ſi attractio & expulſio non à facultate naturali dependeret, & pondera rerum deglutitarum ad hoc non contribuerent. Unde mirandum non eſt, ſi deglutiat etiam majores bolos ſine adminiculo linguæ. Collum enim palatum elongando, caput verò inclinando, retrahendoque buccinatores inter dentes, peragitur hæc actio, modò Os humidum ſit ad reddendam viam lubricam, & humectando dura, ſi quæ deglutienda, quemadmodum hoc facit iſte noſter, quando deglutit.

Licet videatur nullius momenti agere de exſpuitione, ipſa tamen me magis, quam reliquæ actiones affligerent, quippe inter omnia animalia ſolus homo exſpuit, reliqua, vel ſalivant, vel ſpumant, eo quod iſta actio videatur non aliter fieri poſſe niſi per linguam, ſine qua iſte tamen puer exſpuit, ac ſi linguam haberet, niſi & medium viderem aliud, quam linguam, quæ ipſi in exſpuendo jam non ſervit. ~~Alias autem~~ ſputum à colatoriis palati dum mucro linguæ anterius fertur, radix ejus inflatur & verſus ſuperiora aſcendit, attrahitur, rejiciturque ex ore, quando illa ad dentes iterum ſe confert anteriores, extendit ſeſe & dilatat inter labia, quæ & ipſa ad hanc actionem ſummè ad ſanitatem neceſſariam juvant, præſervatur quippe ea Cerebrum ab infinitis morbis, ex abundantia humidi & frigidi pronatis. Quomodo autem hic ſpuat abſque auxilio linguæ, hoc partim dependet à labiis, non minori agilitate præditis, quàm lingua, ſi ad experientiam recurrendum, & credendum Riolano, qui certis hoc probat exemplis. Dependet etiam ab interna Oris contractione, ac parva illa inflatione muſculorum linguæ, & à contractione buccinatorum, ſuper dentes molares, nam quando exſpuere vult, omnes partes ipſi ſerviunt ad id præſtandum.

Finem impoſiturus Diſcurſui de Miraculo, quod in hoc Ore elingui apparet, incipere poſſem alium de duobus aliis ob raritatem non minus memorabilibus, niſi illa aliis reſervaſſem inſerenda obſervationibus Chirurgiæ meæ Gallicæ. Tamen quia iſta quæ ſequuntur, neſcio quam inter ſe habent convenientiam, & Triadem efficiunt, non poſſum intermittere, quin parum de iis agam, ut eò magis Lector anſam habeat admirandi *Deum* in operum prodigioſorum naturæ varietate. Prima Hiſtoria de quodam eſt ex agro Andegavenſi (*de Rille pays d'Anjou*) oriundo, nomine *La Ramée*, 25. annorum, modo Marchionis de Lezay Coquo, qui à nativitate ſua planè nullum habet palatum ita ut interior narium conſtructio penitus videri queat; Nihilominus tamen duas Uvulas habet benè diſpoſitas. Harum quælibet ad introitum gutturis ſita eſt pollice diſtantes, undè difficulter in Infantia fuit educatus, dùm nullo modo ſugere ubera potuit, & adhuc difficulter loquitur, linguæ mucrone nullam ſuperius invenientem reſiſtentiam, ad infringendum aërem ſuctioni & elocutioni neceſſarium, ut ita opus habuerit uti palato factitio ad melius articulandam vocem, & intelligibilius loquendum, id quod ipſi ſuaſi. Altera eſt: Cantor quidam Cinonius (*à l'Egliſe de S.*

Meſme à Chinon) quem curioſitatis gratia viſitavi ultima Septemb. Anno 1630. in præſentia Dominorum Bureau, Santerre, Canonicorum, & Domini Tupini Medici in prædicta Civitate. Inveni ipſum in ætate 60. annorum circiter, jam per octo menſes lecto affixum, à quatuor verò menſibus apparet quaſi planè nihil haberet de partibus interioribus ventris inferioris, cujus partes continentes ita ſunt retractæ, extenuatæ, ſundo alligatæ aqualiculi, oſſi interno Ilio, vertebris lumborum, coſtis ſpuriis, partique inferiori Diaphragmatis, ut verum appareat Sceleton charta pergamena involutum, quem à prædictis partibus detrahere impoſſibile, ita ut in parte anteriori omnes vertebræ ſpinæ Dorſi numerari poſſint. Exindè cogitari poteſt, quod nihil ipſi reſtet Hepatis, Lienis, Renum, quàm ipſa vaſa & membranæ ſiccatæ, per quæ quandoque ſeroſitas in veſicam deſcendit, quam adhuc deponit. Quod ſi verò de Ventriculi, Inteſtinorum, Meſenterii, Epiploi ſubſtantia aliquid adhuc adeſt, Atomi erunt quaſi, in reſpectu quod antea fuere, excepto inteſtino recto, quod aliquando Enema recipit, ſed abſque Excrementis reddit. Pinguis antea & ventricoſus fuit iſte homo, & adhuc firmas habet partes vitales ac animales, brachia & pedes. Ex Lecto ad proximam ſellam proceſſit, pulſum habet æqualem, ſed parvum. Aſſumſit alimenta quædam liquida, inprimis vinum, cui nunquam pepercit, ſed abſque mora revomuit, una cum aliis Sordibus, & materia membranoſa, talia incepit, & continuavit evomere, ex quo & ventrem ſuum perdere cœpit. Unde colligo, partem unam inteſtinorum fuiſſe emaciatam & exiccatam, alteram putrefactam, & per vomitum rejectam. Aërem verò & vinum pro alimento eſſe moribundi hujus corporis.

Modus non variat rem, nec poſſunt animalia in ſpumantia, vel ſalivantia dividi, eadem Animalia quæ ſpumant, poſſunt & ſalivare, ſic homo, ut ipſe ſuperius innui, ſalivat in Senectute ac Infantia, ſpumat & iratus & Epilepticus; Equus & ſpumat ſalivat. Spuma enim eſt profluvium Salivæ Spiritibus, vel alia de cauſa agitatæ & commotæ. Hoc tamen notandum frequentius ſpumare Animalia cornibus deſtituta, quam cornigera.

Ita memini me Puerum adhuc ſæpius luſiſſe cum ſupremi cujuſdam Excubiarum Magiſtri filia, lepida alias mihique coætanea puella, quæ inter ſtrepitus bellorum nata, & nutrici Lue venerea infectæ lactanda tradita, venenum cum lacte hauſit, quod exulceratis faucibus palatum propè omne abſumſit. Curata quidem, ſed cùm Os reſtitui non poſſet, carie exeſum, remanſit foramen, in nares uſque, quod goſſipio replebat, & ſic loquebatur, edebat, bibebat, quo exempto nihil horum præſtare potuit.

Videtur hic ad mentem J. Quercetani loqui, qui in Diætet. Polyhiſt. c. 3. de Puella quadam Conflanenſi, quæ per ſeſquiannum ſine cibo & potu ſubſtiterat, cujuſque abdomen ita depreſſum, & inſtar marmorei lapidis induratum deprehenderat, ut nihil trajici, vel influere potuerit, agens quærit, quomodo vita frueretur? Subjungit partes potiſſimas corporis, in quibus vita ſuam ſedem habet, ideò tam vividas perſtare, quod non ut reliqua membra ignobiliora craſſum alimentum deſiderarent; Sed cum partes ſint ſpiritales, & magis aëreæ, Spiritu ac aëre eaſdem foveri. Hinc Cor intercepto Spiritu ſtatim præfocari, Cerebrum autem odoribus refici, &c. Sed pace Quercetani, non negamus partibus ſpiritalibus ſpiritale & ſubtilius competere nutrimentum, quàm aliis, at unde illud, niſi ex prima concoctione? Ubi verò non datur prima alimentorum mutatio, unde quæſo ſecunda? Unde Alcohol Vini habebis, niſi prius Spiritum vini ex fæcibus, aut communi vino deſtilles? Purum aerem in alimentum cedere diu jam exploſum. Nullum Elementum quatenus tale, eſſe poteſt Alimentum. Odoribus excitamus Apoplecticos, Epilepticos, Syncopticos, non quod materiam præbeant Spiritibus reſtaurandis, ſed quòd Cerebrum & partes magis ſenſibiles vellicando revocent, id quod etiam præſtant Ligaturæ dolorificæ, frictiones &c. in hoc ſubjecto ad aerem confugere mininè opus, quia Vinum bibit, quod natura ſua halituoſum, & alimentum ſpirituoſum, & juxta Hipp. 2. Aph. 10. Facilius eſt potu, quam cibo refici. Si terreſtrem materiam revomuit, ſpirituoſam tamen in Corpore manſiſſe probabile eſt.

De Tumore gravi linguæ, partiumque vicinarum.

Pituita non ſemper eſt, aut humiditas albicans, quæ partibus corporis inhæret vel adhæret.

Ariſtoteles eam ob cauſam Cerebrum album dicit, quod ex pituitâ albâ conſtituatur.

Fallopius Ranulas ſublinguales ex pituitâ tenui, glutinoſâ, originem ducere ſtatuit, eò quod hæc materia copioſè eo loco colligatur, hinc ex admixtione ſanguinis vel bilis flavæ aut atræ coloris ejus fieri cujus Ranula, unde nomen habet.

Nautæ cujuſdam Snekenſis uxor per tres quatuorvè dies faucium laboraverat ariditate, cui originem forſan dederat catharrus frigidus, frequenter hinc ipſi moleſtæ erant mucoſæ collectiones, quarum partem ad faucium humectationem, emollitionemvè deglutiebat, partem ad anxietatis quam ex anguſtiâ faucium patiebatur imminutionem, exſcreatione ejici ebat.

19. Menſis Martii 1656. ſubitò ex delapſu humorum ad aſperæ arteriæ principium quaſi ſuffocari videbatur, illa, ut ab hac materia fauces anguſtante liberaretur omnes intendebat conatus, evacuationemque moliebatur quâ fieri poterat vi, excreſcentia hæc, moleſta valdè, dum peragebatur, ex ſonitu, quem audiviſſe ſe ferebat, aliquid circa fauces diſrumpi colligebat, quod factum certius conſtare videbatur, ex eo, quod Lingua, Amygdalæ, ipſumque palatum illicò intumeſcerent.

Tumor hic partium dictarum brevi tempore incrementum ſumpſit adeo magnum, ut quovis momento, quod fauces ſummoperè præcluderentur, ſuffocationem inſtare ſibi perſuaderet. Cogebatur adeoque de nocte me accedere,

ſubmiſſeque ipiſi in hoc periculoſo ſtatu conſtitutæ ſuccurrerem, licet ſine voce, rogare.

Quæ primò in ore occurrebant ſub lingua ad palatum, imò ad fauces ipſas nil niſi mucum albicantem compactum referebant (tantæ erant albedinis partes omnes locis dictis ſe exhibentes) unde ob ſummam anxietatem, mentum applicare pectori, fauces conſtringere, linguam extra os exſerere, cogebatur. Præcipuum quod in hoc caſu uſurpare conveniens videbatur, quo mucus abſtergeretur, Gargariſmus erat ſequens vi penetrante atque incidente præditus.

♃. Aq. Hord. ℔ j. Lavend. ℥ iiii. Vitæ ℥ ii. Syr. Stœchad. ℥ i ß. M. F. Gargariſm.

Utebatur eo, pro collutione, calidè. Jungebatur huic Unguentum collo, mento, pectori illiniendum.

♃. Mucag. Sem. Lini, Althææ, Fœnugræci, Extract. ex Decoct. Ficuum an. ℥ j. Ol. Lilior. alb. Anethin. Axung. Anatis an. ℥ ß. Ceræ novæ q. ſ. F. Linimentum.

Præter hoc Cataplaſma applicatum collo, mentoque, quod.

♃. Radic. Althææ. Lilior. alb. an. ℥ ii. ſ. Ireos. noſtrat. ℥ i. Fol. Malvæ, Violar. Biſmalv. an. M i. Flor. Chamomill. Anethin. Melilot. an. *M.* i. Ficuum Recent. ℥ i. Coquantur in aq. com. q. ſ. hinc terantur, & paſtentur, poſtea adde Farinæ Semin. Lini, Fœnugræci an. ℥ j. Adipis Gallin. Anſeris. Anatis an ℥ iii. Coq. Mod. F. Catapl.

Nihil omninò hæc omnia effecerunt. Venæſectionem hîc inſtituere nihil erat quod indicaret, Tumor etenim ſplendens, albus, ſanguinis fermentationem haud notabat; imò calorem potius imminuere quàm augere videbatur.

Ad materiæ revulſionem conveniens magis æſtimabam Enema aliquod injicere, Cucurbitulaſque nonnullas cum ſcarificatione applicare. Clyſteris alvum lubricare, ſuperfluitateſque evacuare, apti hæc erat deſcriptio.

♃. Rad. Althææ, Lilior. an. ℥ i ß. Ficus Ping. n. iiii Fol. Malv. Violar. Verbaſci, Mercurial. an. M i. Semin. Lini, Aniſ. Fœnugr. an. ℥ ß. F. Decoct. in aq. com. q. ſ. In Colaturæ ℥ ix. diſſolve Mell. Violar. ℥ i. Confect. Hamech. ℥ i ß. Hier. Picr. ʒ i i. Salis comm. ℥ i. M. F. Enema, Statim injiciendum.

Clyſteris uſu præmiſſo, Cucurbitulas tres quatuorvè Cervici, ac ſcapulis cum ſcarificatione applicari curavi, imò & Veſicatorium ex cantharidibus locis poſt aures.

Nec hæc aliquo cum ſucceſſu uſurpata, quin potius in pejus ruere omnia videbantur, in lingua enim, palatovè, imò partibus ſublingualibus, bucciſque color ſubniger ſe manifeſtabat, qui ſphacelum earum partium minabatur, hinc reſpirandi majorem difficultatem.

Summo mane ægrotantem nobiſcum acceſſit Vir Experientiſſimus Dn. Franciſcus de Vicq, qui affectus gravitate perſpecta, cui ſimilem toto praxeos tempore ſe haud obſervaſſe aſſerebat, Venæſectionem in brachio æque ac ſub lingua inſtituendam commendavit. Sub, lingua eam inſtituere difficillimum erat, eò quod Tumor linguæ partiumque ſublingualium impediret, ſectis nihilominus raninis venis, ſanguis effluxit pravus, niger, cum reſpirandi difficultatis aliqua equidem imminutione, aſt gangrænæ ſignis evidentioribus, ad hanc Collutio ſequens præſcipta.

♃. Decoct. Hord. ℥ vii. Scordii ℔ ß. Aquæ vitæ ℥ iii. Liquor. Ægyptiac. ʒ ii. Mell. Roſar. ℥ i. M. F. Gargariſma.

Imò & Cataplaſma hoc Collo mentoque applicari neceſſarium duximus.

♃. Nidum Hirund. benè purgatum. Flor. Chamomill. m ii. Coq. in cereviſ. tenuis q. ſ. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis. Addendo Ol. Lili. albor. q. ſ.

Circa meridiem, quod & vires & reſpirationem imminui obſervaremus, ad evacuationem materiæ locis dictis hærentis, utrinque linguam longe profundeque vulnerare, utile duximus, ſanguinem etenim hîc collectum eſſe, haud adeo pituitam, in prægreſſis circa affectus curationem obſervata, declarabant.

Quamprimum Inciſiones peractæ, ſanguis effluxit ater, impurus, concretus, ſecuta illicò reſpiratio liberior, tumoris imminutio, loquendi major facilitas, hinc labiorum, linguæ, internarumque partium buccarum ſeparatio, ad hanc promovendam Gargariſmum ſupra præſcriptum uſurparet, Authores fuimus, omiſſo Ægyptiaco & ſpiritu vini. Eundem in uſum Linctum hunc parari juſſimus.

♃. Syrup. Roſar. Portulac. an ℥ ii. m.

Et horum mediorum uſum Curatio ſecuta integra, licet inexſpectata, ſic tamen ut intumeſcentia quædam intra muſculos & glandulas linguæ relicta fuerit, quam ſucceſſu temporis imminui poſſe cenſebamus.

Obſervatio hæc evidenter ſatis, meo judicio, declarat, ſigna quæ ab externis deſumuntur in dignotione morborum, cauſarumque morbificarum fallacia ſæpius eſſe, adeoque quæ ex materiam mucoſa producta judicantur, ideo quod interius latentis calidioris humoris indicia haud adſint, non ſemper medicamentis calefacientibus, incidentibus, diſſipantibus curanda eſſe, ne exaſperetur malum, quale quid in noſtrâ ægrotante obſervare nobis licuit.

Marcus Aurelius Severinus humores pituitoſos ope ſanguinis per partiſi poros diffundi docet, adeoque in ejuſmodi caſu non adeo pituitam, quàm ſanguinem ipſum, Medicum-Chirurgum in ſua curatione reſpicere debere.

Obſervationi huic antequam imponamus finem, inquirere neceſſarium quæ fermentationis gravioris collectioniſque in hôc affectu cauſa fuerit.

Credibile valdè, eô tempore quô magnô conamine faucibus collectum mucum ejicere laboravit, aëris aliquid venæ jugularis ramulum intraſſe, cujus in linguam, fauces, palatumque diſtributio, hinc, diruptione accedente, ſanguinem fuiſſe extravaſatum, quale quid non rarò in vaſis pulmonum contingere notamus, ex clamore, tuſſi, expectoratione.

Sanguis hic circa linguæ baſin collectus, pituitæ quod habet lingua (habet autem ejus quantitatem majorem ac habent partes aliæ) commovit, ſic ut extrorſum delatum ranulas, candore notabiles, excitaverit; hinc etiam univerſam partium ore contentarum ſuperficiem madefecerit.

Annô 1659. mulier hæc ædes noſtras acceſſit, tumore gravi, inæquali, eôque ſatis magno,

dictis locis fauces adhuc non parum anguſtari, non ſine dolore ſummo referens. Hic cancroſi quid accedere poſſe, & ætas ſenilis, & temperies frigidior, & ipſius affectus conditio præſens, inter alia ſuadebant. *Job. à Meekren in Obſervat. Medico-Chirurgicis.*

De Loquela gravi curatâ.

Operatio eſt Chirurgica & antiqua, & nota, balbutientium linguam ponderum appropriatorum ope deprimere, quò tardiùs loqui adſueſcant.

Actio contraria nobis in Noſocomio noſtro obvenit. *Franciſcus Wouters*, miles, ante ſexennium globulum ſclopetarium lingua receperat, vulnere á nucha ad locum dictum penetrante, unde gravis ipſi adeo loquela, ut non niſi longo tempore ſententiam aliquam proferre valeret.

Hujus (ſiquidem poſſibile) quo curatio inſtitueretur, præmiſſa purgatione commoda, venæ ſectioneque inſtitutæ largiore, ſiniſtra manu linteo munita, (quo firmior certiorque apprehenſio) linguam apprehendimus, mox eo loco ubi globulus hærebat, dextra ſcilic. linguæ parte, eaque ad poſtica vergente, ſectionem inſtituimus, foramine facto, cyſtique, cui incluſus globulus, diſſecto, beneficio inſtrumenti incurvati commodi, ſen ſim globum extraximus.

Sanguinis ad fluxum cohibendum, vulneriſque ad mundificationem, collutio hæc præſcripta.

♃. Fol. plantag. agrimon. violar. acetoſ. an. m. i. flor. roſar. rubr. m. ß. balauſtior. ℥ii. nuc. gallar, ℥ß. coquant. in aq. hord. in colat, ℥v. adde mell. roſac. ℥j. olei vitriol. gut. iv. M.

Collutione inſtituta, linctus hic uſurpatus.

℞. Syr. de ſymph. Fern. ℥i. ſyr. violar. mell. roſac. an. ℥ß. M. f. linctus.

Et horum ſolo uſu, ſex ſeptemve dierum ſpatio integrè æger hic curatus, debitaque gratiarum actione habita, diſceſſit. *Idem ibidem.*

Linguæ ulceroſæ durities ſcalpellô & cauterio extirpata.

Quæ in monetis Belgicis invenitur inſcriptio, *idem tutor & hoſtis*, nempe Mare: Eandem dentibus noſtris accommodare liceat; qui bene conſtituti (præterquam quod linguæ & faucibus tutelæ ſunt) cibum diminuunt variiſque in rebus nobis inſerviunt; malè è contra affecti hoſtes nobis infeſtiſſimi evadunt. Ecquæ pars corporis tam immanes in nobis excitat dolores, prout illi ſimulac carioſi redduntur? imò ne linguæ quidem parcunt, quæ ab illis carioſis non rarò ita induratur ac exulceratur, ut homines è medio tollantur. Varia in medium poſſem proferre exempla, aſt illa extra ſcopum forent. Videamus ſolummodo quomodo curanda ſit lingua, ab hac cauſa non ſolum indurata, verum etiam exulcerata. Curatio iſtæc ſemper ab evulſione dentium malè conſtitutorum eſt inchoanda, linguæque mel roſarum cum olei vitrioli tantillo, pro re nata, mixtum applicandum, idque ſæpius uno die, quia diu non adhæret parti affectæ. Si huic aut ſimili remedio non cedat malum, tumorque incrementum ſumat, aut pars affecta magis magiſque exulceretur, & magis fungoſa appareat, aut labia recurventur, tota pars linguæ indurata & exulcerata extirpanda, & poſt extirpationem inurenda; per experientiam enim ſum edoctus, nil magis valere (malignitatis ſignis apparentibus) quàm inuſtionem cauteriis actualibus, extirpata corrupta portione, inſtitutam. Alii potent ale cauterium præferunt, aſt minus prudenter. Vetula quædam à longo tempore hoc malum perpeſſa, poſt iteratam ſectionem recidivam paſſa eſt; inde exanimis ferè facta, à nobis auxilium petiit; itaque cum magiſtro Petro Mennoniſta, qui antea malum ſemel quoque incaſſum (quamvis ſatis profunde ſectio fuerat facta) amputaverat, deliberavi quo remedio affectus radicitus foret evincendus, decrevimuſque iterandam extirpationem, & poſt eandem peractam, inuſtionem cauteriis appropriatis & ſatis magnis faciendam. Poſtquam ægra à nobis perceperat rem nondum eſſe deſperatam, & aliquod adhuc remedium ſupereſſe, nempe amputationem, & poſt eam inuſtionem; facilè conſenſit, animoque adeo forti & infracto operationes pertulit, ut vix ullos ejulatus emiſerit. Præmiſſis itaque univerſalibus, linguam linteo comprehendimus, quò meliùs poſſet ore extrahi, poſtea ſcalpello acuto, incurvatoque totum malum abſtulit dictus magiſter: quo facto parti interiori buccæ linteum aqua frigida madidum applicitum eſt, ne bucca nimis à cauteriis læderetur. Hoc facto partem læſam cauteriis inuſſimus, ſat fortiter cauteria adigendo, idque ſemel atque iterum iterando. Poſthæc oris collutionibus emollientibus uſa eſt ad dolorem compeſcendum & eſcharæ caſum promovendum; qua ſeparata cura brevi abſoluta eſt tinctura myrrhæ & aloës, mixta cum decoctis exſiccantibus & melle roſaceo, chelidonii, &c. Atque hoc peracta curu vetula iſthæc vivit & valet in hunc uſque diem. *Clariſſ. Dom. Fridericus Ruyſchius in Obſervationum Anatomico-Chirurgicarum Centuria.*

LITHIASIS.
Vid.
CALCULUS.

LIPODERMUS.

Eſt *præputii defectus*; de cujus remediis, & operatione vide quæ capite de variis penis morbis.

LIPPITUDO.

De ea vide proprie in *Ophthalmia.*

LORDOSIS
Vid.
GIBBOSITAS.

LOCHIA
Vid.
PARTUS.

LUES VENEREA.

De ea Diſſertatio Pathologica.

SIcuti qui inſignia Gentium facta aggrediuntur in Hiſtoriam conferre, primas illarum origines veſtigant atque odorantur; ita Lues Venerea ab ovo ordienda eſt, ejuſque deſcriptio à natalibus repetenda.

Οἱ φιλολογοῦντες morbum Venereum ſibi perſuaſerunt mentionem de ipſo haberi in Divinis Codicibus, teſtantibus libidinoſos ſcortis addictos vermes ac tineas ſortiri. Sed oleum è pumice non magis exprimas, quàm ex hocce textu exculpas Veneream labem, Autorque Eccleſiaſtici vel exponendus venit de animi malè conſcii ac veluti σκωληκοβρώτῳ ſecretis roſionibus,

Præteritiſque admiſſa annis peccata remordent,

vel potius pedicularem ac ſordidam paupertatem intelligit amorum meretriciorum ut plurimum ὀπισθόποδα ſive pediſequam, ut liquet exemplo juvenis illius in Evangelio qui narratur τὸν βίον cum proſtibulis devoraſſe; hincque ſententiola in porticu non Zenonis ſed Salomonis ἐξηχουμένη, Venit quaſi curſor egeſtas, & mendicitas quaſi vir armatus.

Autumant nonnulli Davidem hujuſce luis verbere fuiſſe flagellatum, quippe conquerentem, non eſſe ſanitatem in carne ſua, non eſſe pacem oſſibus ſuis, ſuaſq; cicatrices putridas eſſe ac corruptas. Verùm ut ſilentio prætereamus, ſicut ex infra dicendis patebit, manifeſta hujuſce morbi Davidici atque peſtis Venereæ diſcrimina, ibidem lamentabatur Regius Pſaltes Dei ſagittas ſibi infixas ceu ῥόμφαια δαιμόνων ἄτης, fluxum calamitatis divinitus immiſſæ. Jam verò quis crediderit adeo pudendæ ac ignominioſæ affectionis ſtigma dilectiſſimo Davidi à Deo inuſtum eſſe, nec ullum de mortalibus eadem clade poſthac fuiſſe conflictatum?

Non deſunt qui firmiſſimè aſſeverent hunc morbum in membranis Hippocraticis haud penicillo adumbratum eſſe, ſed vivis coloribus depictum, ubi Senex noſter memorat oris ulcera, voces vitiatas & impeditas, obſcænarum partium tubercula & exulcerationes, inguinum tumores, ulcuſcula per univerſum corpus ambulantia, capitis mentique glabritiem, nervorum & oſſium ſpeciatimque brachii ac cubiti defluxus, femorum, tibiarum atque pedum denudationes. Veruntamen Hippocratis contextum accuratè legenti pro certo patebit Præceptorem de Lue Venerea nequidem ſomniaſſe, ſed Iliada tetrorum ſymptomatum, quæ peſtilentiam feralem, cælique nubili ac ventorum μεμυκότων quiete mollioris vitio ſuccenſam concomitabantur, ſigillatim enumerari. Ac profectò morbus Venereus apud Europæos duo ſecula nondum implevit, ſed vertente anno Epochæ Chriſtianæ 1495. oris Auſoniis primùm incubuit; atque ut in prima pugna adverſus Pyrrhum, Elephanti in id tempus Italiæ ignoti Romanas copias, corporis magnitudine ac deformitate vociſque ſtridore quondam conſternarunt; in poſterioribus autem prælis, iſti Lucæ boves domiti fuere ac in triumphum ducti: Sic Venerea Lues truci ac monſtroſa novitate avos noſtros perculit, poſtmodum verò ſuperata eſt & quodammodò triumphata.

Hujus exortum μετεωρολέσχαι rejecere in binas quæ illo anno viſæ dicuntur ſolis eclipſes. Verum defectiones ſolares, trium corporum, Solis, Lunæ, ac terræ concentricitate, aërem ipſomet meridie pauco temporis ſpatio leviter ac infrequenter obſcurantes, perperam infamantur ceu pernicioſæ; ſecus noctes aterrimæ quibus terra ſua opacitate per plures horas Solis ἀνυκτίλυχνος ſingulis diebus nobis eripit, ac per quas denſiſſima terræ umbra involvimur, utpote morantes in baſi τῆς σκιᾶς tenebroſi & acuti coni, Solis eclipſibus longè funeſtiores forent. Niſi forſan quis cum plebe terreatur audiens in ſolaribus laboribus, Solem & Lunam vel in capite vel in cauda Draconis unà reperiri. Verum duo nodi, aſcendens nempe & deſcendens, ineptè prorſus tam odioſis notantur appellationibus, nihilque revera ſunt quàm duo puncta oppoſita, quibus Lunæ orbita Æquatorem ſecat, pariter ac ecliptica in duobus punctis æquinoctialibus eumdem æquatorem ſcindit.

Aſtrologi malevolos certorum Aſtrorum coitus illo ævo obſervatos incuſaverunt, iſtoque articulo concordes in diverſas tamen abiere ſemitas. Nam alii Saturni, Martis & Veneris in Scorpio vonventum, alii aliorum ſiderum infauſtos nexus criminati ſunt; ferturque impendens Lues à Regiomontano è conſtellationibus ac cæli poſituris prævisa. Sed virtutes iſtas ſiderales tam σημαντικὰς quàm ποιητικὰς inconcuſſis rationibus viri emunctæ naris, ac nominatim incomparabilis Gaſſendus, ac eruditiſſimus Bernierius qui Gallico idiomate ingentia Gaſſendi opera ingenioſè conſtrinxit, quaſi ἐπὶ κόρρης ῥαπίζοντες inflicta alapa, jam dudum eliminarunt, nihil reveriti ἀνδραποδώδεις τῶν ἀστρολόγων τεχνητείας ſervilia Aſtrologorum machinamenta. Deinde hæcce Lues ab ipſis quoque primordiis non aliter comparata fuit quàm privata contagione, proindeque cauſam nuſpiam nacta eſt univerſalem ac cæleſtem.

Scribit quidem περιβόητος ac nominatiſſimus ſua ætate Medicus Hieronymus Fracaſtorius, huic affectioni primum ſurgenti σύγχρονος, nonnullos abſque prævia contage, morbo Venereo per ejus initia ictos fuiſſe. Sed contra, mali iſtius eſſentia immutata non eſt, etſi ejus petulantia hodie caſtigata ſit; cùm igitur noſtra hac tempeſtate, haud aliter quàm beneficio vel potius maleficio tranſmiſſorum virulentorum μιασμάτων Lues Venerea queat pullulare, ita ut ſi inſidioſis τῶν ἱπποπόρνων hoc eſt ſcortorum λεωφόρων ac ſummœnianorum caſſibus cautè declinatis interimque ægris qui irretiti ſunt miſeria ſua liberatis, penitus comprimerentur ejus ſeminia, ipſa quoque in poſterum extingueretur & conſileſceret; Sic eandem quoque ab ipſiſmet incunabulis una contagione conceptam fuiſſe veriſimile eſt; quamvis forſan pudibundi ægri colorem quærentes quo delicti ſui dedecus contegerent, ſpontaneam ac immeritam morbi generationem cauſati fuerint; quomodo ridebat Fallopius matronas ſimulatæ caſtitatis oſtentatrices, quæ aquæ luſtralis aſperſione ſe fœdatas profitebantur. Certè qui talibus næviis adhærere non dubitat, ille facilem addet fidem fabellæ ab Averrhoë πεδλκ

traditæ. Vicina quædam mea, inquit, de cujus ſacramento confidere multum bene poteramus, juravit in anima ſua, quod imprægnata ſit ſubito in balneo lavelli aquæ calidæ in quo ſpermatiſaverunt mali homines, cùm eſſent balneati in eo balneo. Subſcribet quoque Valleſio, audenti emendare aphoriſmum Hippocratis, pueri podagra non laborant ante Veneris uſum, quòd Monachi rebus Venereis ad modum puerorum, ut ponit vir εὐήθης, abſtinentiſſimi, experiantur podagram. Hìc nequeo mihi temperare, quominus afferam Arnobii verba: Cùm hiſtorias perlegitis tales, nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire tædioſi operis circunſcribentes moras, aut infantulis credulis avocamenta quæritantes anus longævas?

Neque etiam morbus Venereus propriè loquendo dici meretur popularis quoniam etſi ſub eadem ſpecie in plures cujuſvis temperamenti, ſexus, ætatiſque homines in eadem regione ac eodem tempore ſparſim graſſetur, tamen nec temporarius exiſtit, cùm annum apud nos agat 180. nec à communi cauſa emergit, putà aëris, potus, aut ciborum pravitate, atque idcirco Epidemici titulo minime donandus eſt.

Non ignoro à quibuſdam annotatum eſſe ſub tempora naſcentis Luis Venereæ, aërem imbrium quaſi Deucalioneorum πολυπληθείᾳ, vaſtis fluminum exundationibus, ac tepido Auſtri flatu ſupra modum maduiſſe; ſed talis cæli conſtitutio non Venereorum ſed peſtilentium morborum genitrix eſt, ac anteactis ſeculis aërem citra hanc Luem aquoſiſſimum fuiſſe conſtat; imò paludoſarum regionum cælum continuis ſubtexitur nebulis, ſicut fertur de Sardinia propter nimboſi aëris inſalubritatem tantopere diffamata, ut Cicero in epiſtolis Tigellium Sardoum patria ſua peſtilentiorem eſſe dixerit, item de Ponto in Aſia minore, de quo ſic Tertullianus, Dies nunquam patens; ſol nunquam libens; unus aër, nebula; totus annus, hybernum; omne quod flaverit, Aquilo eſt. (Notandum enim ob Pontum Euxinum, qui Septentrionalia Pontici regni littora allatrat, Aquilonem eò loci pluvioſum eſſe & madidum, ſicut propter interjectum mare Mediterraneum, idem ventus Africæ populis imbrifer eſt) cùm tamen udæ iſtæ plagæ morbi Venerei ſint inſciæ, ni à foris apportetur. Nulla inſuper eſſet ratio cur ejuſmodi labes ad Neapolin primum innotuiſſet potius quàm aliis in locis ac præſertim Romæ, ubi crebræ Tiberis inundationes ob reſidem colluviem ſolent eſſe infeſtiſſimæ. Igitur quemadmodum Athenienſes de ſeipſis, apud Euripidem, λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν, αὐτόχθονες ἔφυμεν. ſic Lues Venerea, Hiſtoricorum conſenſu jactare ſe poteſt Indiis Occidentalibus vernaculam atque ἰθαγενῆ.

Illic namque ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare urbes, paſſimque vagari.

quantumvis incertum ſit, an ab aëris, aquæ, victuſve culpa morbus hicce Americæ Endemius ortum ducat, niſi Anthropophagiæ Barbaris iſtis gentibus conſuetæ, ille forſitan tribuendus ſit, haud ſecus ac, ſi quibuſdam credendum, animalia carnes ſuæ ſpeciei eſitantia conſueverunt pilis deſpoliari, puſtulis ſcatere, cæteriſque ſymptomatis Lui Venereæ affinibus divexari: qua ratione nonnullis etſi falſo lubitum eſt, obſeſſa Neapoli hunc morbum ſurrexiſſe, quod Mauritani mercatores hominum recens occiſorum carnem ſale conditam loco Thunnorum militibus vendidiſſent, hique mentitis iſtis porcorum marinorum caruncuIis paſti eſſent.

Cùm igitur Chriſtophorus Columbus anno 1494. ex America, quam noviter detexerat, unà cum ſociis militibus iſta Lue correptis, poſt biennem peregrinationem redux eſſet, hique in Italia mererent, ubi Carolus VIII. Galliarum Rex cum Alphonſo Rege bellabat, improbæ iſtius mercis portitores fuerunt, ac Hiſpanis in obſidione Neapolitana, propter annonæ caritatem, multitudinem urbis ſupervacaneam exturbare coactis, Galli rem habentes cum meretricibus venuſtis, ſeu caſu ſeu dolo malo in caſtra ſua rejectis, quas alii Europæas ab Hiſpanis nuperrimè inquinatas, alii Indicas ab Hiſpanis advectas aſſerunt, hocce veneno temerati fuere; adeo ut unà cum expilatis populorum Americanorum opibus convectus ſit peregrinus ac ſine more furens morbus, ceu debita avaritiæ ſimiliter ac luxuriæ luela, qui opera præſertim militum ex omni gente collectorum, Italiamque tunc temporis devaſtantium, ac cum infami iſto peccati ſtipendio domum reverſorum, in univerſas terras, veluti ductis longe lateque coloniis brevi imò raptim ſeſe diffudit, Victumque novum ulciſcitur orbem.

Ut ſæpè in ſtipulas cecidit cùm fortè favilla
De face, neglectam paſtor quam liquit in arvo;
Illa quidem tenuis primum ſimiliſque moranti
Incedit, mox ut paulatim increvit eundo
Tollitur, & victrix meſſem populatur & agros
Vicinumque nemus, flammaſque ſub æthera jactat,
Dat ſonitum longè crepitans Jovis avia ſylva,
Et cælum latè circum, campique relucent.

Sic quondam Iſraëlitæ peſtiferum Elephantiaſeos theſaurum ſimul cum Ægyptiorum ſpoliis quaſi convaſarunt, ac ex Ægypto cui propria erat atquè topica in terram Canaan devexerunt, eamque adeò diram ut veſtimentis ac ipſiſmet ædium parietibus agglutinaretur. Multiſque poſt ſeculis Pompeius Magnus è devicta eadem Ægypto Elephantiaſin in Italiam comportavit, cui eò uſquè fuerat incognita, unde Lucretius paulo ante cecinerat:

Eſt Elephas morbus qui propter flumina Nili
Gignitur, Ægyptô in media, neque præterea uſquam.

Ac impetiginoſus morbus, qui ducit ab impete nomen, primum Tiberii Claudii principatu medio irrepſit in Italiam, quodam Peruſino Equite Romanô Quæſtorio Scriba, cum Aſia appareuiſſet, inde contagionem ejus importante. Ita L. Paulo & Q. Marcio Cenſoribus, primum in Italiam carbunculum veniſſe Annalibus conſcriptum eſt, peculiare Narbonenſis provinciæ malum.

Dictas ob cauſas morbus hicce longinquus & alienigena, gentibus aliis in alias ignominiam retorquentibus, nunc à natali ſolo Indicus; nunc ab Hiſpanis ejus vectoribus, Hiſpanus; nunc à Gallis quos narrant illius diritatem primum perpeſſos, Gallicus; nunc ab Europæ regione in qua

primùm ſeſe efferre cœpit, Italus, ac ſpeciatim Campanus, Neapolitanus, & Parthenopæus cognominatus eſt: qui nihilominus diſtingui debet a verrucis illis inſtar cornuum in fronte populorum Campaniæ innaſci olim ſolitis, quas Antiqui morbum Campanum nominavere.

Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus.

Sed præter nomina gentilitia ac injurioſa, alias eaſque legitimas magis poſſidet denominationes. Primo dicitur Variola Magna ad differentiam minoris propter varos ſive puſtulas quibus cutis paſſim obſeritur, hinc Gallicum *Verole*, ac Hiſpanicum *Las Bubas*. Secundò *pudendagra* vocitatur quaſi partium pudendarum ἄγρα ſive captura, non quod lues in ipſis ſua jaciat fundamenta, ſed quod prima hujus veluti ſcintilla in illis ſæpe ſæpius eluceat: ita podagra à catenatis pedibus, & mentagra à mento capto nomenclaturas habuerunt, & odontagra atque ſtaphylagra nuncupantur ab Hippocrate inſtrumenta quibus dentes & columella apprehenduntur. Demum elegans Fracaſtorii de hacce ægritudine poëma, Syphilis inſcribitur, quam nonnulli interpretantur συῶν φιλίαν amorem porcarum, hoc eſt ſcortorum quæ porcarum ut & luparum nomine ſueverunt ἀποπηλακίζεσθαι; unde lupanaria dicuntur meretricum luſtra, ſive ut loquitur Tertullianus libidinum conſiſtoria; hincque Juvenalis de Meſſalina, titulum mentita Lyciſcæ, quo ſenſu idem Satyricus Hippiam dixit de proſtibulo, *Quid fecerit Hippia curas*, nam canente Virgilio.

Ante omnes furor eſt inſignis equarum.

Alii Siphylida exponunt amorem illius particulæ qua mulieres ſunt, & quam pudor vetat proprio nòmine exprimere, Græciſq, χοῖρος Latinis porca appellatur. Sed nihil opus eſt τοῦ θηρολεξεῖν, ut Suidæ verbis utar tricis ac tribulis, fingit in luſibus ſuis ὀνοματουργὸς Fracaſtorius, μέγα κλέος Ἀονίδεσσι θεῖσι, Syphilum Alcithoi Regis in inſula Hiſpaniola paſtorem, Sole ſub ſolſtitium agros ſitientes amburente, ita ut greges præ inopia aquarum καὶ ναμάτων καὶ ἀπορρύτων æſtu rabido marceſcerent, vixque ſpiritum ducerent per ſiccas fauces, Apollinem invidiæ arguiſſe, quòd unó in cælis paſcente Tauro, uno Ariete cum cane binarum pecudum cuſtode, Rex Alcithous armentis opulentus eſſet: additque lepidus poëta Syphilum ſpreto Apollinis cultu ſacra feciſſe ſuo Regi, moxque illum, Deo vindice, nefandæ luis prophanis terris ignotæ ſupplicio primùm fuiſſe multatum, nec deinceps ipſimet Regi ac ejus plebi parcitum eſſe; cumque pro Numine placando ad aram cædi paratus eſſet impius Syphilus, tutatricem Junonem in ejus locum juvencum ſubſtituiſſe.

-----Indèque traxit cognomina morbus.
Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.

Verùm non ad vocularum amœnitates, non ad verborum venuſtates diverſitandum eſt, ſed quantum datur caliganti humano generi, ad rerum pondera & dignitates pergendum, ad ipſa ſcilicet morbi obſcuri atq; inſolentis penetralia, caput ab occiduis regionibus oſtendentis, & qui

Horribili ſuper aſpectu mortalibus inſtat.

Quia porro hic deficiunt Veteres καθηγηταί, qui tanquam λυχνοῦχοι reſtimve ductitantes poſteris præeant, nil mirum ſubortas eſſe inter medicos juniores atque αὐτοδίδακτοις, miſeras ſententiarum concertationes, nullo ferme idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius: diceres conjuratas phalanges concurrere, vel Spartos poëtarum ſe invicem jugulare, ubique enim ſalebræ controverſiarum per quas ille videtur ſuperior ᾧ ἡ γλῶσσα ῥεύσεται πρὸς τὸν ὄχλον, cui lingua fluida eſt, & ad popularem auram accommodata.

Alii itaque morbi Venerei ὕπαρξιν conſtituunt in manifeſtâ primarum qualitatum intemperie, ſeù calida humida, ratione adjunctæ putredinis; ſeù calida ſicca propter materiæ pungentis rodentiſque acrimoniam, pilorum defluvium, ac univerſi corporis marcorem; ſeù frigida humidâ ob tumores nodoſos atque phlegmaticos, dolores νυκτοβίοις noctu viviſcentes, ac modum curationis præſidiis calidis, ſiccis & ſudorificis peragi ſolitæ: Suntqui ob perverſas membrorum figuras, morbis organicis hancce luem annumerent, vel propter aſſidentia ulcera ad ſolutionem continui ipſam referant.

At illi omnes magnopere à vera lapſi ratione videntur, ac rivulos cum ſcaturigine, hoc eſt effectus labis Venereæ juxta gradus veneni, diverſum ſtatum ſingulorum ægrotantium, & harum illarumve repartium morbo petitarum aut robur aut imbecillitatem in infinitum variantes, cum ejus eſſentia temerè confundunt.

Sicuti Amor omnes animi paſſiones, iram, gaudium, mœrorem, audaciam, timorem, ſpem, deſperationem atque adeo odium ipſum dicitur includere; ita quibuſdam lubet paſſionem Veneream, quoniam πολύχυτον καὶ δαψιλῆ τοῖς πάθεσι, copioſè largiterque varias fundentem affectiones, nihil aliud eſſe quàm σύστημα atquè farraginem quarumlibet ægritudinum, & veluti μυρμηκιὰν κακῶν,

---------Circumſilit agmine facto
Morborum omne genus,

ut de ſenectute aiebat Satyricus.

Sed contra una eſt nec compoſita luis Venereæ natura ac ſimpliciſſimis pellitur remediis, diuque nonnunquam perſtat abſque τῶν ἑπομένων malorum glomis ita ut latitet, nec niſi ſolerti indagine atque ſcrutiniô queat deprehendi. Uno verbo morbus Venereus ab affectionum ſymptomaticarum ſatellitiô, non minus quam febris à cephalalgiæ, delirii, vigiliarum, alyſmi, ſitis, inappetentiæ conſimiliumque ſymptomatum febrilium congerie diſtinguendus eſt.

Poſtremò placet nonnullis labem Veneream nec morbi cauſam eſſe, nec morbum, nec ſymptoma, ſed merum errorem externum illibata corporis ſanitate functionibus officientem. Verùm abſurdum eſt humores ac præcipuè ſanguinem ſalvis quæ percurrit ſuſtentatque membris, tali lue conſpurcari; niſi quis etiam perfricta fronte contendat in febre putrida humores conflagrare abſque viventium partium incendio. Deinde cura paſſionis Venereæ haud modo poſita eſt in ſuccorum venenatorum foras excluſione, sed potiſſimum ἐν τῇ ἐκμαξει in caſtigatione malignæ diatheſews membris inditæ, ope remediorum σοφῶν καὶ ἀρείττων, quippe qua perdurante ſenſim coacerventur conſimiles humores propter appellentis alimoniæ etiam ſaluberrimæ corruptionem, juxta illud Hippocratis, τὸ προσενεχθὲν τῇ νόσῳ τροφὴ καὶ αὔξησις; τῷ σώματι φθίσις καὶ ἀρρωστίη, exhibitum alimentum morbo nutrimentum eſt & augmentum; corpori, tabes

& infirmitas. Nam quemadmodum aquæ puræ dum terras calchantoſas, nitroſas, ſulphureas ac ſalſugineas trajiciunt, harum virtutes mutuantur; ita cibi atq; potus ubi per membra morbida percolantur, horum imbuuntur κακίας. Inde igitur contingit ut morbus Venereus qui marcidus fuerat, poſt elapſos plures annos denuò revireſcat, nec modo in veteres reſurgat vires, ſed more hoſtis infide reconciliati acrius exæſtuet.

Utinam, quod in Lactantiô optabat B. Hieronymus, ſententiam noſtram momentoſis rationibus tam facile poſſemus aſtruere quàm aliorum deſtruere. Sed quicquid ſit vitato tot fluctuantium opinionum Euripo, deſcribatur morbus Venereus. Venenata hepatis intemperies verendorum affrictu aliove malefico attactu parta, vitiato ſanguine actiones naturales ac præ illis nutritionem primò & per ſe depravans, & quæ variis cruciatibus, tuberculis, ulceribus, cæteriſve ſævis ſymptomatis nunc his nunc illis, modò in hac modo in illa parte, interdum ocyus interdum ſerius ſeſe exerit.

Hunc affectum reduximus ad claſſem intemperiei, quòd ſanguificationem atque nutritionem offendat, quæ actiones ſunt ſimilares. Etenim ſi vitalium vel animalium facultatum officia quandoque interturbet, id nonniſi ex accidenti contingit atque ſecundario. Deinde quod uni intemperiei, inter tria ſumma morborum genera, datum ſit contagione intermedia poſſe diſſeminari. Verum intemperies iſta ordinaria non eſt ac pure elementaris, quin potius venenoſa & abdita; nec idcircò pharmaca ſimpliciter alterantia ſimul cum purgatoriis ipſam delent, ſed propriis duntaxat alexiteriis edomatur.

Donec Neoterici rerum phyſicarum ſpeculatores venatoreſque, jure vel injuria neminem præ ſe putantes, ingenium fœdæ hujus ac exoticæ virulentiæ ſpeciale bellum gerentis cum hepate imo, ut quibuſdam viſum eſt, hominibus peculiaris ac brutis animantibus inexpertæ, dilucide ac perſpicue explanaverint, liceat nobis noſtram deflere caliginem quibus negatum eſt arcta naturæ portarum clauſtra confringere, ac γραμμικὰς ἢ βιαστικὰς ἀποδείξεις proferre. Sicut Eleuſis ſacra ſervat quæ oſtendat reviſentibus; ita Natura adyta ſua non ſimul patefacit, interimque hominis eſt opinari, Dei ſcire, inquiebat Xenophanes apud Varronem.

Affirmant quidem nonnulli morbum Venereum generaliter ſalinum exiſtere, atque à ſalibus varias cieri fermentationes. Sed illi nihil novi afferunt, etenim dubium non eſt quin in morbo Venereo, punctorii inter meiendum urethræ dolores, ulcera manantia, oſſiumque exeſiones mordaciſſimis ſalibus debeantur; verum declaranda erat ſpecifica horumce ſalium Venereorum eſſentia & quo pacto differant à ſalibus arthriticis, ſed præſertim à peſtilentibus, non minore ferocia quam ſales Venerei carnoſas ſolidaſque partes deprædantibus, necnon à ſalibus variolarum, quæ partes inhoneſtô vulnere truncas poſt ſe quoque interdum relinquunt. Præterea pulmonum ἑλκώματα, dyſenteriæ, cæterique innumeri affectus, remota lue Venerea, à ſalſugineis, corroſivis ac penè dixerim ſtygiis ſuccis progignuntur, ac permultorum venenorum verbi cauſa cantharidum, leporis marini, arſenici malignitas in ſalibus acerrimis poſita eſt, à ſale tamen Venereo, totô genere diſſidentibus. Poſtremò fermentationes paſſim vulgatæ nequaquam mutant ſuccorum naturam, ſed ſopitas duntaxat ſuſcitant ipſorum potentias, captivaſve in libertatem vindicant, ac ex actu primo, ut cum Scholis dicam, ad actum ſecundum deducunt.

Scriptum eſt à quibuſdam ſales Venereos acidos eſſe, ſed iſtud gratis aſſeritur; neque enim vel ſenſu vel ratione conſtat, ipſos acidos eſſe potius quam aut acres aut amaros. Deindè ſales ſcorbutici, elephantici & carcinomatoſi, atque in genere ſucci omnes atrabilarii aciditate pollent, Venereæ tamen pravitatis prorſum immunes.

Hodie percrebuit opinio inſtar orgiorum θεοφάντων à Novatoribus venerata, materiam veneream conflari è corpuſculis certa figura præditis, certoque modo motis: ſed, amabo, an ſubſtitutis ſuppoſitiſque in locum qualitatum occultarum, corporum minutorum ac, ut loquitur Seneca, micarum ignotis figuris & motiunculis ἀῤῥήτοις, peritiores inde ſimus?

Veneni iſtius Venerei, cujus naturam ingenue fatendum eſt non eſſe perſpectam, ὀφθαλμὸς dicamne an φυτοῦ ἴκελον fixis hepati ceu læto ſolo radicibus quaſi ὄζωται, corporis univerſitatem verſus tacitis augmentis ramos ac brachia tendit, non per nudam & incorpoream propagationem deleteriæ qualitatis, ſed interventu ſanguinis eadem inimica labe aſperſi. Neque obeſt quod facies, probatiſſimum hepaticorum affectuum ſpeculum, floridam aliquando ſervet εὔχροιαν, extractuſque ſanguis ad ſenſum integer ac rutilus appareat; virus enim venereum eludit ſenſuum perſpicaciam, nec niſi ex operibus dignoſcitur, atque in ſanguine ἀφανταστῷ ποιῷ probo, poteſt conſiſtere; unde urinæ pariter ac in peſte aliiſque quammultis venenatis affectibus à naturali conditione non deflectunt. Adde quod virulentia partes ſolidas, ut ſæpe evenit, magis quam carnoſas obtinente, neceſſe non ſit vultum ἀφανίζεσθαι, gratiiſque ac decore orbari.

Quemadmodum cor, facultatis vitalis ſedes, primarium eſt & præcipuum febris ſubjectum, ὁυλομελίη verò ſecundarium minuſque præcipuum, ac reliquis partibus utut incaleſcentibus febris tamen abeſt niſi cor flammeſcat; Sic jecur, habitaculum virtutis naturalis, verum quoque eſt luis Venereæ domicilium, externa autem membra nonniſi ſecundario torquentur, eorumque tumores & ulcera, quandiu venenum hepati non intimatur, mera ſunt luis Venereæ προοίμια. Docebat Hippocrates, cutaneas affectiones eſſe αἶσχος μᾶλλον ἢ νοσήματα, ſed labes Venerea verus morbus exiſtimari debet rectius quam ſimplex turpitudo.

Quæres, Cur igitur venenum Venereum tuberculis atque ulceribus externas partes deturpans, hepar tamen nec tumefaciat nec ulceret. Reſpondemus venenum in membris exterioribus meracius eſſe ac idcirco activius, illud verò in hepate minus ferocire, utpote dilutum magis ac ſuccorum benignorum ſodalitiô διακιρνώμενον & contemperatum, ſicque non idem fieri domi quod foris. Si quis tamen obſtinate contendat, gonorrhœam ac externa ulcuſcula, quæ vocavimus morbi Venerei præludia,

ludia, veram eſſe luem Veneream nondùm quidem univerſalem ſed particularem, illius ſententia tolerari poteſt, eô ſcilicet ſenſu quô Hippocrates os πυρετῶδες dixit, hoc eſt πυρῶδες igneum atque, ut ſubjungit, πολλοῦ φλογμοῦ πλέον, multô flagrans calore; alioque locô οὖς πυρετῶδες eſt auris percalefacta, ac iterùm veſicam & alvum ardentem atque inflammatam appellavit πυρετώδη, meminitque πυρετῶν διὰ τῆς κεφαλῆς, id eſt fervorum capitis. Galenus quoque caloris naturalis abſque humoris affluxu in parte aliquâ effervescentiam, ajebat eſſe quaſi febrem membri.

Porrò tanta non eſt hujus veneni tenuitas, ut cuticulam denſiorem valeat transmeare, cùm Chirurgi ægrotantium ulcera ac tumores impunè pertractent, ſed particulam exoptat aut nullâ aut rariſſimâ epidermide velatam, putà penis caput, labia, fauces & mammillarum papillas, ac ſæpè ſæpius per canalem virilis virgæ amplum & patentem in proſtatas, utpotè à coitu propter ſeminis ejaculationem exhauſtas, venenum facilè irrepit, ubi gonorrhœam virulentam primùm ciet: proindeque ſi quandò à parturientibus ad obſtetrices, vel etiam ſimpliciter accubando ægrotantibus tametſi ſudore madidis, porrecta ſit hæcce lues, aliquam oportuit cutis portiunculam in manibus reliquove corpore, ad introitum veneni, vel ſolutâ unitate patefactam fuiſſe, vel epidermidos operimento denudatam, quomodò ſcapha ni fuerit lacera, allabentem aquam reſpuit.

Eadem veneni minor ſubtilitas cauſa eſt cur in ambientem aërem nullos intorqueat histricum more miſſiles aculeos, ac idcircò affectus non agat ad diſtans ſua contagia.

——— nec in ipſos ſæva medentes
Erumpat clades, obſintque autoribus artes.

Quòd ſi forſitan lippientes & tabidi virus venereum oculis & ore aliquandò vibraverint, tunc exiliora ac velociora ophthalmiæ & phthiſeos inquinamenta, veneno Syphilideo per ſe craſſiori atque pigriori pernices alas ſuppeditarunt.

Itaque pernicies Venerea vulgatur vel fomite, ut linteis, indumentis, potu in eodem vaſe, ſorbitione in eodem cochleari; vel contactu, ut ſalivâ oſculi veloci tranſitu communicatâ, ſic nutrice impurum infantem lactante inquinantur mammillarum papillæ, pariterque os lactentis infantuli inficitur ab impurâ nutricis mammâ; at præſertim ſuctô hujus lacte non ampliùs nectareô, ſed jam corruptô atque veneficô alumnus intimè contaminatur, ſub uberum fontibus mortem plerunque obiturus. Sed tantô faciliùs pudendæ partes ſuſcipiunt fœditatem, quantô naturâ ſuâ molliores ſunt, in coitu rareſcunt magis & caleſcunt, atque à ſemine malè ſano proximè contingun-tur. Quapropter non immerito ducuntur Medici ad ſuſpicandum pœnitendam voluptatem hujus tædii δυσκλεοῦς fuiſſe προμνήστειραν ac pronubam, & ſexcentis diuturniſque tormentis volucrem titillationem, ac illiciti delectamenti veluti micam rependi: Favus deſtillans labia meretricis & nitidius oleo guttur ejus; noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & acuta quaſi gladius biceps.

Obſervandum autem primò ſi mulier ſana ab impuro viro ſubigatur, ſtatimque ab alio viro ſano iterùm permolatur, hunc quandoque totum virus abſtergere & rapere, muliere incolumi quæ contagium alioqui non effugiſſet: Secundò æque impuros poſſe innoxiè congredi, cùm non detur actio inter ſimilia, ſed impurorum labem è volutatione cum impurioribus adaugeri, ſicque garo gerrem addi: Tertiò lue occultâ laborantem poſſe labem apertam alteri communicare: Poſtremò luem inveteratam ſoliſque oſſium tuberibus ſeſe promentem, quoniam altè reconditam nec jam volatilem ſed fixam, minùs contagioſam eſſe quàm vernantem ac mediæ ætatis in qua cutis ulcuſculis obſidetur, nec deeſſe exempla mulierum ex ſe vegetarum & valentium, quæ cum maritô vetuſtâ lue medullitùs pollutô per plures annos intaminatæ concubuerunt, imò ſanos infantes ex iis ſuſceperunt.

Labes Venerea inſtar hederæ qualibet arrepta anſa ſe non applicat ſed ad ipſam propenſiores ſunt calida & humida donati temperie; habitu corporis conſtantes tenello atque laxo; cacochymi omnes, ac præ cæteris bilioſi quorum ſanguis propter tenuitatem vel è leviſſimô morbi ſuſcitabulo perfacilè adulteratur; pituitoſi verò ac melancholici ob humorū craſſitiem tardi ſunt & ad accipiendam & ad deponendam luem. Quicunque in percurrendô ſtadiô venereô diù cunctantur, huic etiam morbo ſunt opportuniores; item qui in luctâ Venerea magis ardeſcunt, ut juvenes, amantes, præſertimque Venerem rarius agitantes, quod pluribus ſpiritibus libidinis æſtu ad inguina affatim confluentibus, liberiores viæ patefiant veneno adventanti; necnon gerentes vulturnino mentulam parem collo, vel ut aiebat alter, majorem quam ſint duo Cæſaris Anticatones, quippè ad imas barathri fœminei ſordes pertingentem; item quibus glans præputio contegitur ſub quo malitioſum germen furtivè deliteſcit, contrà quam apellæ ſive recutiti, aut ſaltem curto præditi præputio, ideoque pudendum habentes ἀκρόψιλον, quorum inſuper balanus propter nuditatem, aſſiduo frigidioris aëris tactu fit paulò calloſior, externiſque incurſibus fortius obnititur. Tandem imbecillum hepar paratiſſimum eſt advenientem virulentiam ebibere, obnoxia enim offenſis infirmitas eſt, inquit Celſus.

Nullæ extant eſſentiales morbi Venerei differentiæ, ac ſcrupuloſè à quibuſdam trecenta recenſentur ejus genera. Nam quandoquidem corpus à corpore, natura à naturâ & alimentum ab alimentô diſcrepat, imò innumeræ ſunt individuorum diſpoſitiones; itâ venenum Venereum, etſi natura ſua ſimplex ac uniforme, multifarias tamen in ſingulis ægrotantibus creat paſſiones; quomodo pro immenſa circumſtantiarum diverſitate litium ſpecies in jure civili prodigialiter variant; ſic cùm unica ſit viſus eſſentia etſi diverſi atque diſſimilis pro ratione objectorum, ineptè quis ejus differentias multiplicaret, viſionem alborum Leucotheam, nigrorum Melanotheam appellans, & ita de aliis.

Igitur luis Venereæ gradus differentiarum

locum tenent, hique triplices ſtatui poſſunt febribus ephemeris, putridis ac hecticis aliquo pacto reſpondentes. Primus in vapore conſiſtit tenuiſſimo atque acerrimo, capillorum pabulum diſſipante, vel potius bulboſas eorum radiculas arrodente, ſive, ut ait Hippocrates, exurente, ita ut ægri incipiant φαλακρωθῆναι, fierique Myconii

Ceu Salamandra potens, nulliſque obnoxia flammis

Eximium capitis tactu dejecit honorem.

Secundus gradus dicitur ubi crebræ nec extuberantes maculæ, nunc puſillæ nunc latiores, interdum rubræ interdum flavæ, cutis planitiem devenuſtant moxque ſanguinis maſſa profundiore labe ſigillata ægri evadunt ἰονθάδες, ac frons præcipue cujus cutis denſior materiam difflari non ſinit, vel è contrario (ut alii opinantur) cujus cutis rarior (ſicuti probant è ſudorum frequentia circa frontem) humorem promptius admittit, puſtulis conſpergitur parvulis, rubicundis, duriuſculis ac rotundis in formam corollæ (communiter dicitur *le Chapelet de Saint Coſme*) qui varuli in reliquo etiam corpore paulo poſt effloreſcunt, neglectique vel occalleſcunt in ſcirrhulos, vel ſuppurantur ac in ſordida ulcuſcula degenerant. Tertius denique luis Venereæ gradus vocatur, ubi malum ad membra ſolida, ut membranas ac tendones permeavit, ne oſſibus quidem parcens, ſed inſtar rubiginis quam ἰὸν σιδηροῦ appellabat Dioſcorides, ipſis ſeſe affigens, intravit ſicut aqua in interiora ejus, & ſicut oleum in oſſibus ejus. Quemadmodum autem calore extraneo miſſis ſpiritibus & carnibus partes ſpermaticas occupante, febris hectica primaria enaſcitur; ita lues Venerea carnoſis particulis, utpote rarioribus, ἀψαυστὶ prætermiſſis, compactæ oſſium ſubſtantiæ primò ſeſe interdum annectit, more fulminis integro forulo enſem eliquantis, ſindemnique marſupio aurum & argentum liquefacientis: fertur enim cranium ad meningas uſque aliquando putrefactum & carie conſumptum, ſanâ nihilominus ſuperveſtiente cute, ita ut ægri amiſſo cranio ſuperſtites aliquo tempore vixerint.

Venenum Venereum haud ſine monitu velut è tenebris derepente in jecur, moxque in corporis univerſitatem involat, ſed præmiſſo quaſi feciali bellum indicit atque infert, nec niſi per ambages ac circuitiones profertur, more pugilis congreſſuri, qui

-----Sparſâ ad pugnam præludit arenâ.

Eamobrem illius ſigna ſunt vel πρόδρομα, vel ἐπιδεικτικά.

Illa non infacete à Fallopio, cui lubitum eſt hancce luem morbum Gallicum appellare, comparantur militibus levis armaturæ victorem Gallicum exercitum præcurrentibus, traduntur que triplicia. Primò ulcuſcula ſin externis partibus præſertimque in pudendis ἐκφυσώδινα ſive erumpentia, cum labris duris, tumentibus & inverſis, quibus convenienter tractatis imminens lues præcavetur; quod ſi ulcera iſta cicatrice obducantur, ſed ſuperſit durities calloſa, morbus Venereus ſi non jam præſens, ſaltem mox affuturus deſignabitur. Secundò bubones in inguinibus prorumpentes bubone avi, abominato noctis monſtro, non minus ominoſi; hepate nimirum ingruentem virulentiam in propria emunctoria fortiter eructante atque ejiciente, juxta illud Hippocratis, ἐβεβώνουτο τοῖσι πλείστοισι διὸ ἡπατίτισι. Hi tumores inguinarii ſi nec indurentur nec ἐκτηκόμενοι ſive contabeſcentes intus recurrant verum, ut par eſt, perducantur ad ſuppurationem à lue, inſtar Annibalis ad portas, proxime inſtante totum corpus tuentur. Quoniam autem in peſte pariter ac in lue Venerea οἱ βουβῶνες φυματοῦνται, differunt bubones Venerei à peſtilentibus, quòd illi ſuperiores ſint, feranturque in obliquum juxta ductum vaſorum ſpermaticorum; hi vero inferiores exiſtant & rubra quaſi linea ſecundum vaſorum cruralium longitudinem protendantur. Tertius demum accedentis luis Venereæ præcurſor & emiſſarius, eſt fluor gonorrhoïcus, non quidem à vera atque ſyſtrophica proſtatarum inflammatione, febris enim deeſt, nec anguſtatur à tumore phlegmonoſo cervix veſicæ, ac idcirco comes non it iſchuria veſicalis; ſed à venenata illarum phlogoſi per quam non modo contentum ſemen, ſed etiam quicquid humoris ſeu alibilis ſeu excrementitii ad glanduloſa illa corpora affluit, in flavum viridemve ichorem corrumpitur, ni vas ſincerum quodcumque in fundis areſcit. Viroſa autem iſta ſanies & ſi dicere liceat, garum Venereum, propter infirmatam vim partis retentricem ſed potiſſimum ob jugem expultricis irritationem, vigilanti æque ac dormienti involuntarie effluit è mutone non ampliùs dulces, ut in exercitio Venereo, ſed acerrimas jam lacrymas effundente, ſuumque infortunium veluti plorante: cujus tetræ materiæ fluxus ubi repente ἀπόλωλεν evaneſcit refluuſque eſt, teſtes intumeſcunt, abſceſſus oboriuntur in veſicæ collo, lueſque in totum corpus διαπτεροῦνται. Ejuſmodi ſtilla caſitans è veretro, urethram in tranſitu interdum exeſt ac ex ulcere caruncula excreſcit, hincque urinæ fiunt δυσκολαίνουσαι atque tortuoſæ; ſed ſæpe ſæpius abſque ulla fiſtulæ urinariæ exulceratione, exhauſto ſimpliciter ab ardore proſtatarum, oleagineo & quaſi ſalivali quem perenniter fundunt humore penis cannam lubricante, hancque adverſus præterlabentis urinæ acrimoniam naturaliter muniente, urina cum aculeato ac punctili dolore frequenter ejicitur; maximeque ſub finem mictionis exultat ille ὀδαξισμὸς, ob intenſiorem ſalſedinem urinæ quæ in veſicæ fundo gravitate ſua ſubſidens ultimo loco emittitur. Notandum quoque reſiccata contractaque urethræ membrana, necnon etiam convulſis muſculis colis erectioni miniſtrantibus, hunc inter arrigendum cum intolerando dolore in arcum incurvari, quam gonorrhœam, propter ſenſum ſubtenſi quaſi funis, chordatam vulgo appellitant. Neque hìc omittendum eſt eos qui gonorrhœam virulentam ſæpius experti ſunt, à priore gonorrhœa quam à ſubſequentibus acrius dolere, quòd in illa proſtatæ tenſioni haud aſſueverint; pariter ac primus paroxyſmus doloris nephritici, æquali exiſtente calculo, propter ureterem dilatationis indocilem, cæteris quæ in poſterum moventur acceſſionibus acerbior eſt. Poſtremò referunt Scriptores Medici, uſque ad annum circiter ſexageſimum à nata lue, fœdam gonorrhœam à morbo Venereo abfuiſſe.

Meminit Cicero libro ſecundo Epiſtolarum,

rum, δυσοσφρεκῶν & δυσεντερικῶν παθῶν Epicuro à Stoicis exprobratorum, quorum alterum morbus ſit ebrietatis, alterum turpioris intemperantiæ. Quidam exiſtimant nomine dyſuriæ à turpiore intemperantia gonorrhœam virulentam intelligi, ſed falſo, nam dyſuria, ſimplex eſt meiendi difficultas hancque dicebat Cicero progigni ab uſu Veneris immodeſto, quo ſcilicet urina acrior redditur parteſque urinariæ inardeſcunt, remota veneni Venerei malitia.

Luis non ἄγγαροι ſed ejuſdem jam aſtantis ſatellites ſunt, ſpontaneæ ac ulceroſæ membrorum omnium laſſitudines; mœror ac virium languor ſine evidente cauſa, unde ægri evadunt ἀεὶ πάνυ ἔργων δειλοί; inſueta vultus decoloratio; circulus lividus, ſicut in fœminis menſtruatis, oculos cingens. Coma demetitur in ſenibus reverenda, in ſacerdotibus veneranda, in bellantibus terribilis, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris, adeo ut ſubdititio & quaſi adoptivo vel, ut loquitur Tertullianus, ſutili ac textili capillamento (caliendrum vocant) cogantur ægri capitis ſui dehoneſtamentum operire, hicque quadrat maledictio Divina apud Eſaiam, Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Nec modò denſum cæſarie caput calveſcit, ſed alii etiam pili συγγενεῖς, ut ſuperciliorum & palpebrarum, necnon etiam ὑστερογενεῖς, ut menti, pectoris, axillarum & pudendorum interdum decidunt. Notandum tamen nonniſi quadrageſimo anno Aeræ, ſi dicere liceat, Venereæ, ægrotantes pilorum defluvio cœpiſſe dedecorari.

Cutis porrica ſcabritie aſperatur, varioliſve progemmat; dolores paſſim citantur primùm inſtar animalium μεταβλητικῶν, mutabili ſede degentium, vagabundi ac διαχωροῦντες διὰ τῆς οὐλομελείης, quaſi equitantes per univerſa membra, mox ſtativi, iique δυσκόποι, implacabiles, in cæli mutationibus necnon emerito die ob impeditam tranſpirationem, & modico lecti calore μεγαλωνομένοι ac recrudeſcentes, ſomnumque convellentes; ſed præſertim ſternum veluti manu arctè compreſſum dolitare percipitur tametſi abſit ſpirandi difficultas. Hi dolores venerei diſtinguuntur ab arthriticis quod non ſint interpolati verum continui ac pedetentim nec repente increſcant, ſed præcipue quod internodia tenent non articulos; mediæ ſiquidem oſſium particulæ eorum extremitatibus ſunt σπογγωδέστεραι magis cavernoſæ ac medullarum pleniores, ideoque aptiores cùm ad ſuſceptionem humoris Venerei, tum etiam ad tumefactionem, nam exoſtoſes quoq; ibidem conſueverunt aſſurgere. Addamus mucilaginoſæ materiæ, qualis plerunque eſt Venerea, ingreſſum ad articulos præpediri quoniam denſis ligamentis obvallatos, cùm cæteræ oſſium partes ſolo veſtiantur perioſtio. Hic porro è ſcriptis Medicorum Hiſtoricis obſervare eſt, in prima luis origine, cutem ægrorum puſtulis ac ulceribus fuiſſe ſpurciſſimam, artuum vero dolores vel nullos extitiſſe vel mitiores, ſed inſequentium annorum ſerie cutem ægrotantium fuiſſe minus immundam, cruciatus autem membrorum σπερχνοὺς ac intolerabiles ſuperveniſſe.

Aures continuo perſtrepunt tinnitu; cephalalgia urget σχῶλος, pertinax & ad rabiem uſque περιή, ſed præſertim nocturnis horis κατ' ἐγκέφαλον πηδᾷ σφάκελος, per caput excitantur dolores; mirumque hoc morbo cerebrum graviter angi, cor vero intactum ſtare; An quod illud ſpongioſum ſit & bibulum, hoc durum ac ſolidum? ἡ δὲ χρῆμα & πυκνόν ἐστιν ἡ καρδίη, & διὰ τοῦτο οὐ πονέει, inquit Hippocrates, Cor res eſt ſolida atque denſa, ac propterea non affligitur. An quod cerebrum ſit metropolis ſucci frigidi atque glutinoſi, qui in hacce lue dominatum & principatum habet? An ea eſt veneni Venerei proprietas, ut cerebro non cordi bellum moveat?

Nares fiunt gravedinoſæ atque etiam ozænicæ, moxque ulcere non modo narium carnes populante, ſed ipſaſmet naſi cartilagines ac tenella oſſicula inſtar teredinis lignum arrodentis conterebrante, turpicula σιμότης inducitur. In oris particulas ac præcipue palati teſtudinem aphthæ late alteque ſerpunt animam reddentes olidam, oſque τοῦ οὐρανοῦ paulatim demolientes, quo abſcedente medius naſus tametſi per ſe illæſus, ſublato fulcro deprimitur ac reſimus fit, quibus ex palato os diſceſſit, iis μέζη ἵζει ἡ ῥὶς medius naſus deſidit. Ulcera quoque gargareonem, tonſillas & fauces impetentia ipſas depaſcuntur, oris σῆψιν χλωρὴν putrefactionem viridem, hoc eſt vigentem ac frondentem vocat Hippocrates: omniaque ejuſmodi ulcuſcula emori contumacia ſunt, vel ſaltem in uno membro extincta ac obliterata, inſtar hydræ in alio regerminant immortali propagine.

Vox à ferinâ deſtillatione rauceſcit, fitque (ut loquebatur Crantor δεινὸς ὀνοματοποιῆσαι apud Diogenem Laërtium) ἀπελέκυτος, vel ut alii legunt ἀπελέκητος & φλοιοῦ μεστή, quaſi non dolata, non ſecuri complanata ſed plena cortice & aſpera, aut quod pejus eſt intra cameram palati è deperditione oſſis baſilaris cavatam illa obſcuratur. Volæ manuum ac plantæ pedum rhagadibus hiulcantur; ficus & condylomata in ani crepidine & verendis partibus exurgunt; habitus corporis interdum cachecticus eſt, interdum exuccus. Ægri ſunt ἥκιστοι λαγνεύειν, etiamſi ſpectatiſſimæ formæ matrona ad libidinem inſtigaverit

Ulcus habens, Priami quod tendere poſſit alutam,
Quodque ſenem Pylium non ſinat eſſe ſenem;

niſi forſan citata ob acrem ſaniem prurigine illi fœminis adhinniant. Uſum iſtum Veneris flaccidum appellant clinopalen nudipedalem, quaſi mollem lecti palæſtram, quod pedum nuditas refrigeratis τῷ τὸ συνεχὲς genitalibus, Venereos ſtimulos hebetet, fitque ideo caſtitatis ſymbolum, hinc feſta Nudipedalia à Lacedæmoniis inſtituta, hinc ἀνυποδησία Cynicorum, hinc ſacra à Judæis ἀνυποδήτοις celebrata.

Morbo in dies aggraveſcente, diroque tabo ac penetrali per tenuiſſimos velut tubos, in tendinum & cartilaginum ſed maximè oſſium licèt durorum atque στερεωτάτων ſive rigidiſſimorum ſubſtantiam ſubeunte, frons, clavicula, humerus, cubitus ac pars tibiæ anterior ſpina dicta, præ cæteris oſſibus, vel in gummata communiter appellata, vel etiam in tophos præduros protuberant, fiuntque amplioris magnitudinis & abſurdæ figuræ: interdum verò illa non amplificantur, ſed minutatim tabeſcunt, ac tandem clanculum ſuffoſſa partium ſoliditate atque putrefactis earum compagibus & quaſi ſub

ſcudibus, lapſabundi corporis membra fruſtillatim decidunt, turpeſque reſtitant eorum detruncationes.

Neque mirum ſi virus Venereum in partes corporis ſolidas λεληθότως ſe inſinuet, nam membrorum pori, quos διαφύσιας vocavit Hippocrates vaſorum ferme uſum præbent, ita ut per media quoq; oſſa abſceſſus enaſcantur. ἀποστάσιες, inquit idem Hippocrates, fiunt aut per venas, aut per Oſſa, aut per nervos, aut per cutem, ἢ διὰ τῶν ἐκροφέων ἑτέρων, aut per alia ejuſmodi diverticula & quaſi ſubterfugia: alioque loco docet humiditatem ex ventre ad caput evectam, circa illud fluere atque ad cerebrum per os tenue penetrare. Sed quid annon hydrargyrum etſi metallorum omnium, excepto auro, ponderoſiſſimum ac in parvo volumine, ut loqui amant, plurimum complectens materiæ, ad oſſium intima prorepit, morbumque Venereum in profundiſſimis latibulis degentem venatur expugnatque?

Ex dictis perſpicua fit illorum hallucinatio, qui Elephantiaſin non ſejungunt à lue Venerea, hancque Elephantiaſin Indicam nuncupant, quòd uterque affectus radicetur in hepate, fluidâ contagione impertiatur, ac pilorum defluvio, tuberculis, ulcuſculis, aliiſque ſimillimis ac maximè geminis ſtipetur ſymptomatis. Nam contra

--Sydera terra
Ut diſtant & flamma mari

ſic ambæ iſtæ affectiones cum cauſis tum ſignis immenſum diſſident, nec ſunt παραπλήσιαι ipſarum τιμωρίαι, quin potius multum abhorrentes curationes poſtulant. Primùm elephãtiaſis ſolius eſt humoris atrabilarii & aduſti, labes autem venerea in omni humore præpollente indiſcriminatim ſita eſt; unde nonnulli ipſam diviſerunt in ſanguineam, bilioſam, pituitoſam, & melancholicam; nam quamvis Venereo morbo tacti, phlegmaticis humoribus ſpeciatim reſtagnent, venenum tamen Venereum in ejuſmodi excrementis habitare nequaquam affectat, nec idcirco pituitoſæ iſtæ impuritates ſtatim congeruntur & in morbi exordio, ſed duntaxat in ejus vel augmento vel ſtatu, ac errori facultatis aſſimilatricis imputandæ ſunt. Deinde Elephantiaſis vix unquam inchoat à locis naturalibus, lues Venerea utplurimum inde exorditur; in illa pax eſt à doloribus ob ſenſus ſtuporem, in hac immanes cruciatus laborantem adfligunt; in illa cutis atra eſt, dura atque oſtracoſa, ac tubercula ſub lingua & glandulæ ſub auribus extant ac eminent, in hac non item; in illa premit indeſinens fermè, ut in Satyris, penis rigor & quaſi tetanus cum οἰστρομανεῖ ἀσελγείας inſano libidinis ſtimulo, in hac languet virile faſcinum torpetque Veneris appetitus; illa ob æqualitatem intemperiei, naturamque ægrotantis corporis prorſus alienatam, quodque morbus nonniſi præcordiorum victor producatur ἐπὶ τῶν ἐξώπαλυ, curationem omnem explodit, hæc medelam nec adeo arduam admittit. Poſtremò ad calida, ſicca ac hidrotica remedia, quæ τεύχουσι morbum Venereum, Elephantiaſis μὴ ἀκούουσα, quaſi dicto audiens non eſt, ac Mercurius, provocata triſti ac fœda ſalivatione, Syphilidos acerrimus domitor ejuſque δίκη, & qui tanquam ἑρμαῖον ac tibiæ ad fontem repertus eſt, ne minimum valet adverſus Elephantiaſin. Ut ſileamus Elephanticos lue Venerea quandoque percuti, quod affectionum diſcrepantiam luculenter convincit.

Attamen circa diagnoſin fatendum eſt, nullum dari ſignum pathognomonicum quod teſtatiſſimam faciat luem Veneream, ac nequidem è ſordidorum, calloſorum atque ἰσθιομένων, ulcerum obdurato renixu, ipſam planè denuntiari; cùm omni ævo & ante morbi Venerei ad nos adventum ulcera rebellantia, ſpurca, dyſepulotica, phagedænica, oſſibuſque ἀκατάλυσι ac ſiderationem afferentia conſtet apparuiſſe; imò in peſtilenti conſtitutione, integrarum quoque partium ἀπορρύσιας ac elapſus jam pridem obſervaverit Hippocrates.

Sed neque è plurimorum ſignorum συνόδῳ, velut centuriatis calatiſque comitiis conſtituto jure, certo pronuntiari poteſt de venerea lue, quod monſtrificum virus ſit πολύμορφον ac inconſtantibus pateſcat ſymptomatis, nuncque in hoc, nunc in illo membro floreat: nam, ex Hippocrate, Si pars quæpiam antea laboraverit, inibi obfirmatur morbus, ac Celſus, quem dicere poſſumus dimidiatum Hippocratem ſicut Terentius audiit dimidiatus Menander, quoties, inquit, offenſum corpus eſt, vitioſa pars maximè ſentit. Quinetiam mendax cutis atque ὑπόχαλκος, patrata in ſinu corporis à veneno facinora κατηρωνευομένη, ſubdola fallacia interdum nitet, ac ægri habitus ἀσύμπτωτος carnemque habens ἐπίθρεπτον, utpote potiens τῆς ἀκραιφνείας τοῦ αἵματος, plus habet in receſſu quàm in fronte minetur.

Quid igitur facto eſt opus ad internoſcendam luem veneream? Primùm ſingula quæ adſunt ſigna ex ſe ambigua atque ancipitia ad amuſſim penſitare expedit & quaſi φυσιογνωμονεῖν, nam quemadmodum, inquit Seneca, argumentum morum è minimis quoque licet capere, nempe impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum, improbum, riſus; inſaniam, vultus habituſque demonſtrat: Sic vel unica nota perverſam & ἐνδόμυχον Venerei morbi indolem Lyncæo Medico atque ἐν τῷ ὄμματι τῆς ἰατρείας introſpicienti patefacit ac, ut loquitur Plutarchus, τὸ κακοηθὲς ἐν τῷ ὑπούλῳ ὥσπερ τινὰς διπλόας ἀναπτύσσει malignitatem latentem tanquam duplices plicas explicat, ſicut è ſegullo latitans auri vena detegitur. Poſtmodum de ſignis etiam ἀναμνηστικοῖς atque præteritis exactè inquirendum eſt puta an appropinquantis luis venereæ æneatores, videlicet bubo, gonorrhœa, ulcuſve mali moris præſertim in genitali membro præceſſerint; deinde an ſuſpicio ſit ægrotantem cum muliere inquinata ſtupri conſuetudinem feciſſe, etenim ſceleris in ſcelere ſæpe ſupplicium eſt, vixque contingit, quin φίλογοι ac volgivaga vagi venere, à meretricibus buſtuariis, χαλκιδίτισι ac diobolaribus δῶρον ἄδωρον non reportent, graveſque promiſcuæ veneris uſuras non pendant.

Hic autem omittendum non eſt Americanos propria ac pinguia luis venereæ latifundia incolentes ab illa vix durius vexari, quàm noſtrates à vulgari ſcabie, ac unâ alterave doſi decoctionis Ligni Sancti ipſos fideliter

ſanari, cùm tamen in recenti apud Europæos graſſatura, propter corpora militum Neapolin oppugnantium è victu caſtrenſi atque aſpero cacochymia fœta, crudeliſſime nec teneris & retuſis unguiculis ſed validis & acutis unguibus ſævire cœperit, vireſque eundo acquiſierit, ita ut Europa morbum non ab America accepiſſe, ſed ei dediſſe potuerit videri. Adde quòd virus noviter ſatum, quoniam nulla reprimebatur Antidoto utpote primis illis temporibus adhuc ignota immaniter fuerit efferatum, indeque atrocior ſubſequuta ſit contages, ut liquet exemplo peſtis cujus venenum, ni convenienti alexeterio ægrotantibus exhibito obtundatur eleveturque, ad cæteros exitialius ſerpit. Hodie vero modeſtior eſt morbus Venereus, multumque deſæviit ejus inclementia

Qualis erat, quantum mutatus ab illo,

partim propter ſalutaria remedia quotidianis experimentis comperta, quibus ejus tyrannis in dies mollita minus feroci contage debacchatur, partim quod venenum quaſi ſenio ſterileſcens ſuam ponat flagrantiam, ac velut concidentibus criſtis ſponte vietum evadat atque edentulum, tempus enim, morborum quoque reſpectu, eſt ἀγγεῖον φθορᾶς ἢ γενέσεως. habentque illi ſua etiam fata. Quemadmodum ſtirpes novo ſolo commiſſæ velut peregrinatione gaudentes abundantius luxuriant, paulatimque de ubertate aliquid remittunt; Ita priſca feritas veneni venerei ex Americâ in Europam tranſvecti, viridior fuit nuperis ejus offenſis, ita ut quod idem eſt non idem eſſe videatur: ſicut viciſſim variolæ præterito ſeculo in Mexicam traductæ centum myriadas ægrorum feruntur brevi temporis intervallo jugulaſſe.

Vidi ego tranſfertos alieno in robore ramos
Altius ire ſuis

De Syphilide mox à primordiis [illegible] ſic canebat Pegaſeio nectare coætaneus Fracaſtorius.

Lue hâc naſcente ſimul putem omnia diras
Eumenidas ceciniſſe fera & crudelia nobis.
Tartareos etiam barathro dira omnia ab imo
Exciviſſe lacus, Stygiaque ab ſede laborem,
Peſtemque, horribilemque famem, bellumque, necemque.

Venereus morbus chronicus exiſtit, ſed ἀγαθὸς nec lethalis, ἢν μὴ τι ἄλλο κακουργῆται ὁ ἄνθρωπος, niſi ex eventu mortiferæ affectiones, ceu malæ aves advolaverint; ſiquidem notatum eſt à Galeno è cordis affectibus homines citiſſime interire, tardius è cerebri morbis, ſed læſis functionibus naturalibus vitam trahi diutiſſime; quamvis enim lues Venerea deleteriam naturam participet, ejus tamen venenum rapidum non eſt, ſed lentum atque tabidum.

Primus ipſius gradus in quo minuta ſigna promi incipiunt, eſt εὐλύτος facile cedit; Secundus difficilius evincitur; Tertius eſt δυσράπτητος ægerrime fugatur, morbo quippe membris ſolidis ἐγκεχρωσμένῳ, quæ propter ſubſtantiæ ſuæ denſitatem profundæ ac ſaturæ veneni Venerei tincturæ tenaciſſima ſunt, quomodo veſtes dibaphæ non eluuntur. Ejuſmodi ægri habent luem ut aves captæ habent eſcam, hoc eſt haluem ut aves captæ habent eſcam, hoc eſt habentur à lue, tædioſamque laborioſiſſime ſuſtinent lucis ſarcinam: hæc veritas confirmatur autoritate Hippocratis, Morbus qui in ſicco eſt, inquit, πήγνυται ſtabilitur, nec ceſſat; qui vero in humido, διαῤῥέει diffluit & aliàs aliam corporis partem occupat, ac ſemper tranſmigrans requiem affert; citius quoque ſedatur utpote non ſtabilitus.

Morbus Venereus natalis & ingenitus, omni cura ſuperior eſt. In ſenibus more cæterarum diuturnarum ægritudinum plerunque commoritur.

In aëre tenui, calido & qui magis digerit, ut in Hiſpania, labes Venerea & vulgatior eſt & ſanabilior; in craſſo & pingui, ut in Germania, rarior & rebellior: hinc Rothomagenſis lues, tanquam δυσέκπλυτος, Gallico proverbio circumfertur; ut taceamus Hiſpanos eſſe ſobrios, Germanos autem intemperatos & gulæ deditos.

Jecur vel natura vel caſu ferventius curam reddit operoſiorem, quòd calida ſiccaque luis alexipharmaca quaſi torribus ipſum magis inflamment; quapropter peracto curationis penſo, jecur diæta refrigerante ac πλαδαρωτέρῳ τρόπῳ attemperandum eſt & quaſi conſolandum, ac præſertim conducit lac aſininum καζωτρώγειν. Recidiva primigenio morbo magis refractaria eſt, quod reſiduum fermentum, ceu reliquiæ Danaum & immitis Achilli, vix queat πυθμηδόθεν extirpari.

Quicunque à Venerea lue pleniſſime, ac eradicato, ut cum Tertulliano dicam, omni aconito hoſtilitatis, fuerunt reſtituti, illi tamen ad novam contagionem ſunt εὐάλωτοι, namque omnes plerunque cadunt in vulnus: Imò quod maximè notandum, etiam leviora quibus in poſterum tentantur vulnera ac ulcera, propter contractam κακοσαρκίαν, ſerius coaleſcunt.

Obſervatu dignum eſt, inter medendum huic morbo, non raro ejus ſymptomata ac præſertim dolores, ex motione excrementi Venerei ejuſdemque in halitus diſſolutione, cum ægrotantis terrore verum ἀσινέας invaleſcere. διαχέοντα τὰ ὑπερέχοντα ἐν τῷ σώματι ἐς πλείονα ὄγκον, quæ ſupereminent in corpore, diffunduntur in majorem molem, ſed poſtmodum deprimuntur.

Poſtremo an ſicut aquilæ & draconis, cornicis & noctuæ, pari & carduelis ſanguis ob mutuum arcanumque odium recuſat miſceri; ita propter venena non bene convenientia, nec eadem ſede morantia, labe Venerea maculatus, à peſte ſecurus vivat, fides penes Autores eſto.

Antonius Menjotius Diſſertationum Pathologicarum parte 4.

Iam rurſus alia è Clariſſimo Martino Liſtero cujus hæc eſt de Lue Venerea, Exercitatio Medicinalis.

Jam de plus quam ferina Lue, ſcilicet de Venerea, dicturi ſumus. Hic novus quidem morbus eſt, ejuſque adeò deſcriptio è modernis petenda eſt. Morbi autem tam vulgaris deſcriptio ſupervacua eſſe videtur; adeoque ejus definitio, & ſymptomatum præcipuorum enumeratio ſufficiat. Morbus autem contagioſus ab humore aliquo venenato ferè in Coitu contractus, ulceribus, doloribuſque ſe manifeſtans, definiri ſolet. At hæc ferè mala morbum in omni ejus ſtatu

circumſcribunt; nimirum Gonorrhæa virulenta, interdum ſine ulla alia exteriore Luis nota; inflammati Teſtes; Bubones; veſiculæ cancroſæ in pene & alibi corporis; in tota cute puſtulæ; Capitis dolor; Verrucæ ad radices linguæ; ficus & condylomata in ano; ſcabies; ſerpigines; in volis & plantis pedum fiſſuræ; Tumores duri; nodi; dolores acerbiſſimi, qui noctu fere ingraveſcunt; Oſſium caries, in primis in cranio, & naſo, & palato; exoſtoſes à carnibus carcinomatoſis intra ipſum os genitis dolorificæ, Pilorum defluvium.

Una tamen Lues, variis diſtincta ordinibus eſt; imò etiamſi multis modis & accidentibus oriatur; maximè tamen ex Venereo fit concubitu, à quo ferè propagari ſolet Lues Venerea in hominum genus. Itaque qui venereo complexu jungitur cum inquinata, à pudendis Lue inficitur: nutrix, à qua infans pollutus lac ſugit, à mammis; obſtetrix, quæ infectæ parienti opem tulerit, à manu: infans à vitiata nutrice altus, nunc ab ore, nunc ab interioribus; condormiens inquinato ſudore diffluente, à cute, & à ſummis partibus; qui effuſiore oſculo ſalivam exceperit, ab ore.

Ab Inſulis autem Americanis, in quibus, ante Hiſpanorum adventum, hic affectus populariter graſſatus eſt, illum per Hiſpanos in Europam allatum eſſe, nullus jam dubitat.

Unde autem primum inter Americanos Lues illa orta ſit, quæritur? Reſpondeo, Vel à morſu alicujus animalis venenati vel à victu certe aliquo venenato, credibile eſt. Americanos autem Serpentes quoslibet (quorum innumeræ novæ ſpecies nobis incognitæ apud Indos ſunt) libenter comediſſe, notiſſimum eſt; adeoq; vel à victu eorum impuro, (maxime ſi qui ſerpentes darentur, ex eſu hanc labem infligere proprii) vel per ſe, vel certè ex ſua natura viroſa, ab interna cauſa primum malum oriri dicendum eſt: aut ſi qui ſerpentes ex morſu (ut Hydrophobiam canis rabidus infigere ſolet) iſtiuſmodi Lue aliquem contaminare apti nati ſunt, tunc ab externa quidem cauſa primùm originem habebit Lues; quæ ſemel genita, non niſi contagione poſtea afficere ſolet. Imò non multum refert, quæ primum via, à ſerpentino genere certe vel morſu, vel cibo aſſumpto oriri, veriſimile eſt.

Huic autem rei hæc fidem faciunt; nimirum Oviedi obſervatio; is autem vir omnium Hiſpanorum primus rerum Naturæ apud Indos inventarum fide digniſſimus Hiſtoriographus, idem & plurimis annis Inſularum unus è primis Gubernatoribus fuit: hujus vero aliquot libri extant, quamvis multi, ab eo ſcripti, periêre; vir, Cardano judice, antiquis ſcriptoribus comparandus. Inter alia animalia Indiæ occidentalis Inguanas exactè deſcribit, ſcilicet ex ſerpentum Quadrupedum genere beſtiolam haud mediocrem; eo Indi avide veſcebantur, & in deliciis habuerunt; homines verò Hiſpani ad eorum exemplum illum in cibis ſuis quoque poſuerunt: neque enim ejus guſtus diſplicuit, etiam cuniculorum carne multo Sapidior; imò neminem, inquit ille, eorum eſus lædit, niſi quem Lues Venerea affecerit; de quo quidem morbo, etiamſi diu ſanati ſint, tamen iis noxam protinus infert, & morbum, ex aliquot annis ſopitum, denuò excitat, renovatque; id quod noſtri homines infinitis exemplis experti ſunt: Hæc ille. Adeoq; haud ita abſurdum eſt credere Luem hanc originem ſuam ex ſimili, ſi non ipſa illa, cauſa habuiſſe; cum ex eorum quidem eſu protinus renaſcatur malum, diu ante quaſi extinctum.

Ad hæc à me facit illud, nimirum in pudendis utriuſq; ſexus hoc malo affectorum, etiam cum alia ſymptomata diu deſierunt, tamen ibi naſci ſolere Criſtas quaſdam ſpiſſè dentatas, non aliter, quam in ſerpente Inguanas; cujus corpus iſtiuſmodi criſtis ex toto fere circumſcribitur; propria ſane repræſentatio, à quo animali ortum ſuum deduxiſſet malum: hæc autem mala criſtata, inter condylomata & mariſcas ab aliis fortaſſe numerata ſunt; etiamſi ea fere ſine ullo dolore & tenuitate membranacea conſpicua ſint.

Animalia autem venenata contagii ſui characteres proprios & peculiares imprimere haud rarum eſt, e. g. In hydrophobia à canis rabioſi morſu, & antiquis & modernis authoribus confeſſus Latratus; item deglutiendi canina voracitas; tem Lambendi potius, quàm bibendi aſſidua linguæ exertione, aptitudo. Ab aranei Pulicis morſu, Tarantula dicti, aſſidua ſaltandi cupiditas; neque iſtiuſmodi araneorum greſſus alius eſt, quam, more pulicum, de loco in locum ſaltatio. Illud quidem non ignoro, à quibuſdam etiam doctis viris pro fabula haberi; at mihi certe non ita, cui araneorum mores cæteris paulò diligentius perſpecti ſunt: imò, id genus araneorum in fervidis, Calabriæ putà regionibus dari poſſe; à quibus pernicioſiſſimi morſus inferri poſſunt: Rerum quidem naturæ hiſtoria tantum incepta eſt, adeòque nihil miror illud & id genus infinita alia Phænomena nos latere, & non ſine injuria ſuſpecta eſſe.

Porrò qui leporem marinum ſumpſerint (id eſt, limacis nudi marini aliquam ſpeciem, qui fere omnes, etiam in noſtro mari inventi, purpurei ſunt) urinam purpurei coloris reddunt; & in ſomnis litoris pulſi fluctus ſubinde audire videntur: Corpus fit iis lividum, Scribonio Largo, & Dioſcoride authoribus.

A Salamandra (quod è ſerpentum quadrupedum genere eſt, greſſu invalido & pigerrimo, lingua longum exerta & aſpera, muſcas captans) lingua exaſperatur, corpus invalidum & exolutum fit; eodem authore; ſed de his plus ſatis.

Denique, nonnulla ſymptomata (ſupra comprehenſa) à morſu canis rabidi huc accedunt, & ad hanc noſtram conjecturam firmandam apprimè faciunt; nempè Satyriaſis, & haud diſſimilis Gonorrhæa; ita infectio propagari poteſt de beſtiola in hominem, & de homine in hominem ex ipſo jam infecti traduce.

Hujus autem Luis origine ſic poſita, ad ejus cauſam efficientem procedam; quæ, ut mihi videtur, pernicioſa labes eſt ex ſui generis veneno, attactu multiplici, ſupra comprehenſo, & contagione, contracta. Hujus autem veneni vis & efficacia hebetior eſſe videtur, quod ſeminudas tantum partes & cutem minimè integram contaminare potis eſt; item quod aliquando diutius in nobis deliteſcit, antequam maniſeſtis ſignis ſeſe prodat. Item, ut venenum magis eluceſcat, cuicunque particulæ primum

inſe-

inſederit, illic inhæreſcens puſtulam fere excitare ſolet; ſi à pudendis ex. gr. initium habet, puſtulas in his primum, & ulcuſcula evocat contumacia & mali moris: Igitur ſi hæc & ſimilia bene perpendamus, non ſimplicem humorum putredinem cauſam adæquatam, ſed veneni alicujus peculiaris participem eſſe Luem hanc nobis affirmare neceſſe eſt. Etenim à minimâ portione in totum corpus diſſeminata, non aliter ſerpit, quam quæ à canis rabioſi morſu infertur.

Contagionem autem Veneream, ubi ſcilicet integra cutis eſt, nec aliquo vulnere læditur, ut in canis fere rabidi morſu, ſic breviter intelligo: Nimirum, humor aliquis venenoſus è muliere Lue affecta homini transfertur, adhæretque; is vero humor, quod tenuis & acris, ſeſe primum inſinuat in oſcula vaſorum excretoriorum, quæ ferè ab œſtro Venereo patent, perindè ut à frigore contrahi, ac in tubercula ſe erigere ſolent. At nec iſtiuſmodi veneni vis tanta eſt, quin integra cutis ſatis benè ei reſiſtere poſſit: ideoq; in ore, circaq; glandem penis nudatam, vulva, mammarum papillis, quod in his partibus oſcula vaſorum excretoriorum minus firmentur, id malitiam ſuam potentius exerere ſolet.

Cum autem vaſa excretoria non meri canales ſint, & perpetuo ſine mora humorum tranſitui tantùm deſtinati; ſed etiam receptacula, quatenùs humores excernendi diutius inibi reſtitent; id quod à Gliſſonio noſtro de Poro bilario ejuſq; ramificationibus ſatis confirmatur, ex quo reliquorum ductuum excretoriorum analogia manifeſta eſt. Item, cum humores excernendi ex aliqua certè ſui parte poſſint regurgitare in habitum corporis; maximè ſi ab aliqua cauſa ductuum excretoriorum oſcula coarctentur: Cumq; is humor in Lue venenoſus ſummè inflammatorius ſit, ut ex ejus infectu aliquando prompto, adurenteque, veſiculas excitando in ipſa glande, aliiſq; infinitis exemplis, in progreſſu ſtatuq; morbi ſeſe prodentibus, abundè conſtat: Phænomena in Lue vulgaria facile intelligantur. Hinc itaque Gonorrhææ virulentæ ratio, ex qua prima ferè hujus Tragœdiæ notitia, nempe ubi paraſtatarum, glandularum & veſicularum ſeminalium ductus acredine venerea inflammantur & regurgitat humor infectus: ita ipſi etiam ductus vellicantur ab humore acri, ſerumq; adeò ab arteriis eò propulſum validius effluit ex habitu corporis, atque ex fracedine ductuum venenoſa citius corrumpitur. Item Bubonum intumeſcentia hinc eluceſcit, nempe ubi ſtagnat iſtiuſmodi humor Infectus. Item cur tantoperè caput, ejuſq; ductus, ſalivales, in oculis, in ore, in faucibus, in palato, petat, ratio eſt, quod ex iis ſerum infectum (ex regurgitatione ductuum, circa penem puta) facilius erumpat, nimirum tali humori recipiendo, evacuandoq; maximè totius corporis uſitatis & capacibus vaſis.

Cum autem hujus morbi infinita exempla paſſim occurrant, ea, quæ maximè nota, & ſuis ſymptomatibus facile diſcernenda ſunt, ferè omitto; alia verò magis occulta, incognita, & ſuſpectæ tantum labis, & ferè ex adjuvantibus tantum agnoſcenda, exempla in Lucem proferre operæ prætium eſſe exiſtimo.

Ægrotus I.

Mulier quædem marito ex viginti annis Lue Venerea affecto, & jam diu ſano, (certè ex propria opinione) nupta, ex ſecundo Puerperio, menſe jam finito, tumorem contra uterum obliquum, non ſine aliquo dolore, ſenſit: ab Utero verò toto puerperii tempore gravis odoris quædam ſanies effuſa eſt, tandem uterina purgatione ex conſueto ceſſante, is tumor paulum auctus eſt; item ſub eo tempore febricula acceſſit, quæ, certis quaſi periodis quotidiè exacerbata, ex intermittentium genere eſſe videbatur; fœminam lenioribus medicamentis purgavi, at ſine effectu; nam tumor & dolore & magnitudine indies multum increvit; adeoq; curationis rationem protinus mutavi, & cataplaſmata ex emollientibus, maturantibus, & anodynis ſuperinjeci; item ſimul antivenereum Apozema, cui Cortex Peruvianus ficuſq; larga manu injectæ ſunt, aliquoties in die propinavi; poſt 10. dies Chirurgus, cauſtico primum admoto, abſceſſum media plaga aperuit, quo vulnere magna puris copia effuſa eſt; ad 20. dies vulnus clauditur, interim apozema ſupra ſcriptum aſſiduè, & vulnere ad integritatem ſe contrahente, Hieram antiquam ſimplicem ter, quaterve ſumpſit. Convaluit. Hoc mihi contigit ante aliquot annos.

Ægrotus II.

Mediæ ætatis mulier quædam à puerperio graviſſimis doloribus ab utero affecta eſt; tandem ex altero latere, paulo infra umbilicum ad inguen, tumor ortus eſt; altero menſe à tumore incepto accerſitus, fœminam tabidam ſuprà fidem inveni, cubili defixam, die noctequе præ cruciatibus exclamantem; tumorem admodum durum, capitis infantis ad inſtar magnitudinis, vidi; tumor pleriſque medicis cancer uterinus exiſtimatus eſt; multa tam extra quam intra adhibita ſunt, at ſine ullo effectu. Huic protinus purgatoriam medicinam validam, ex Hiera antiqua, ſecundùm Scribonii Largi mentem duplicata, propinavi; item alternis diebus Antivenerea, & alternis diebus invicem purgationes, repetere juſſi. Quid fit? Octidui ſpatio tumor ex toto diſparuit, lecto egreſſa eſt mulier. Convaluit præter omnium expectationem.

Ægrotus III.

Mulier 30. annos nata in *Clare-Market* habitans, ex ſecundo puerperio, ad ſecundum menſem tumore duro è regione Uteri, ad alterum inguen paulum inclinante, graviter affecta eſt, nod ſine febricula. Me vocavit; cùm pus ex tactu confectum eſſe videretur, anti-venereum Apozema ter quotidie propinavi, biduo autem ab adventu meo Chirurgum incidere tumorem juſſi; à quo vulnere infinitum pus fœtidum effuſum eſt. Paucis ſeptimanis fœmina ad integritatem reſtituta eſt. Maritum clam, & in aure, monui de malo Uxori inflicto; neque ſe olim Lue Venerea affectum fuiſſe negavit, sed jam à multis annis, certè ex propria æſtimatione, ab illo morbo o naluit.

Ægrotus IV.

Mulier quædam ex puerperio, multo fluore, albo dicto, valde afflicta eſt: mox eo ex parte ceſſante in aſſiduam diarrhæam, at citra graviora tormina, incidit. Etenim huic à multis multa data ſunt; at inutilia omnia. Aquæ chalybeatæ, falſo ſic dictæ, & ipſe crocus, ferrumve vario lenocinio apparatum, infinita aſtringentia ſimplicia, cumq; rhabarb. toſto admiſta, opiumq; diverſimode confectum, ne hilum profuere. Ad tertium annum malum aſſidue protractum eſt; pene jam tabe conſumpta eſt fœmina; ipſe tandem accerſitus maritum clam monui de uxoris malo, quod graviter tulit; tamen libenter confeſſus eſt, ſe prima juventute iſtiuſmodi labem contraxiſſe; at præter aliquos, idq; rariſſime, contingentes dolores vagos, ſe ne ſuſpicionem quidem alicujus mali habere; imo nec ejus filiam, octo jam annos natam, alicujus vitii impreſſionem unquam indicaſſe, adeoq; ejus uxorem minime contaminari poſſe. Amplius contendere nolui: Reſpondi, tardius eſſe quam ut propriis medicamentis opem ferre poſſem. Rus abiit mulier uno vel altero lapide ab urbe; eoque malo obiit.

Ægrotus V.

Mulieri cuidam primariæ, marito Lue Venerea affecto, &, ut fieri ſolet, bene ſanato, plures annos nuptæ ſaliva tenuis vehementer moveri conſuevit; at ſine gravedine aliqua, tuſſi, aut deſtillatione certe moleſta: tamen ſaliva ad libram unam vel alteram die nocteq; effundi ſolebat, ut ipſa & ego etiam aliquoties ex linteis madidis conjecturam fecimus. Hæc autem obiter notavi: Cum marito, ex febre putrida laboranti, bis, aut ter triennii ſpatio, medicinam feciſſem, aliquoties è magnis periculis evaſit; vir tricongiarius tandem obiit; altero poſt ejus obitum anno optima fœmina, ea ſalivatione ſpontanea jam in aſſiduam tuſſim converſa, graviter afflicta eſt: in manibus præcipuorum hujus Urbis medicorum diutius fuit; ab omnibus malum pro ſimplici Phthiſi habitum eſt; biennium & amplius medice vixit, tandem fato ſuccubuit.

Ægrotus VI.

Quidam quinquagenarius, ante 14 annos Gonorrhæa leniter virulenta, ſi id fieri poteſt, affectus eſt, remediiſq; vulgaribus, ex ejus relatione, ſubito convaluit, nec amplius recidivam paſſus eſt, aut ullum grave ſymptoma. Vino & potationibus aſſidue deditus eſt, ex improviſo tandem ambabus manibus & altero pede reſolutus eſt, non ſine oris tortura: hanc paralyſim ſubitam levis ſalivatio excepit, indies increſcens, ſeſquiannum rurales Medici hominem fruſtra tractarunt. & aquas calidas ad dies plures bis ingreſſus eſt: at nihil profuerunt. Londinum venit, & ſe meæ curæ commiſit: Alterum pedem trahebat, manuſque ita contractæ fuere & rigidæ, ut nec digitis aliquid comprimere, nec intra eos aliquod depoſitum ejicere potuit, pleraque verba vix articulatim pronunciavit; at omnium jam longe graviſſimum ſymptoma ſalivatio ſpontanea fuit, quæ hominem die nocteq; vehementer moleſtavit, imbecillem reddidit, & omnibus remediis obſtitit. Hujus autem lamæ lentorem & fœtorem ingratum curioſius obſervavi, qualis eſſe ſolet ab Hydrargyri inunctione. Huic autem malo ſic protinus occurrendum putavi. Apozema ex Guajaco, &c. confectum citra ſudorem propinavi. Vinum & carnem homini marceſcenti, & quia eo in bona valetudine admodum uſus eſt, induſi; quarto quoque die Hiera Diacolocynthidis ſimplici ex decocto Epithymi, alvum movi: at Salivatio non ante tertium menſem ex toto deſiit: tandem cardiacis & calidis aromatis ejus viſcera confirmata ſunt; intra ſex menſes manum ita firmam habuit, ut jam ſcribere poſſet, imò aliquot milliaria ambulare, & domum tantum non integer rediit.

Ægrotus VII.

Quidam juvenis, admodum robuſtus, vino & ſcortis deditus, Rheumatiſmo graviſſimè correptus eſt, maximè nocte præ cruciatibus infinitis, in capite, mediiſque tibiis, regione interſcapulari, & alibi corporis, citra ullum tumorem, afflictus, ut nec cubili ſe continere, nedum dormire, poſſet; item his malis febris inſuper aliqua intermittens annexa eſt, horrore, incendio, ſudore certis horis quotidie circumſcripta; quod ex pulſu celeri, urina valde biliosa, & tempore acceſſionis, mihi liquido conſtitit. Venam in brachio protinus incidere juſſi, è quo ſanguis admodum lentus & crudus ad libram miſſus eſt; deinde Apozema ad Luem ſimul & Febrifugum validum ter quotidiè propinavi. Sudorem Sp. C. C. ad ℈j. ß. ex aq. lact. alexiterii dict. excitavi. Alternis diebus per tres vices ſanguinem mittendum curavi; quotidie enematis fortioribus alvum ſollicitavi, nocte ſomnium opio conciliavi. Octiduo elapſo, cum Urina primum paulo pallidior viſa eſt, Corticem Peruvianum ad ʒii. ex vino, bis quotidie ſumendum propoſui. Decimo quinto die exiit foras integer; at multo diutius Apozemate ſupra poſito uſus eſt. Convaluit.

Ægrotus VIII.

Mulier, viginti quinque annos nata, ex ſeptennio nupta, obeſa, ad tres minimum menſes doloribus quibuſdam punctoriis in cruribus, maximeque pedibus, eorumque vehementi ardore graviter cruciata eſt. Item huic aſſiduus capitis dolor; huic præterea tuſſis die nocteque vexatiſſima, ut inſomnis plane fuerit ad aliquot menſes. Accerſitus, fœminam inveni febricula lecto detentam, Urinam admodum ruffam, qualis Ictericorum eſſe ſolet. Clam maritum de Uxoris malo monui; haud inficias ibat, mutuſque aſſentire videbatur. Huic protinus ſanguinem ad libram miſi. Poſtridie calamelanos ℈j. ex Eluctuarii lenitivi ʒj. dedi. Potionemque hora unâ elapſa, Decocti amari cum Senna ad ℥iiij. propinavi. Et vomitu & dejectione bene fecit; ea nocte opio ſomnum conciliavi. Tertio, hujuſmodi pulverem præſcripſi,

(℞. Cocheineil. ʒi. Oſſis ſepiæ optime lævigati ʒß. m. f. Pulvis.) Hujus ʒii. ſexta quoque hora ſumpſit. Item Decoctum validum Guaiaci, &c. ex more noſtro, omnis potionis loco, vino albo omnigeno non excluſo. Bolum & Hauſtum purgatorium tribus amplius vicibus ſumpſit, at ex calamelanos ad x. tantum grana. Octidui ſpatio urina primum fit optimi coloris & conſiſtentiæ qualis ſanorum: ad decimum quintum diem

diem & dolor & omnino tuſſis deſiit. Convaluit.

Ægrotus IX

Infans quædam ex nutrice inquinata, annum tertium agens, hæmorrhagia, capitis dolore præcedente, uſque ad deliquium, affecta eſt; ad annum verò ætatis ſuæ decimum quartum, Veſiculæ ſive puſtulæ quædam, modo in fronte, at ſæpius ad imum naſum, oriri conſueverunt; hæ veſiculæ mali moris fuerunt, & aliquot veſtigia ſive cicatrices ſui reliquerunt ad inſtar variolarum; ubi jam menſtrua apparere cœperunt tuſſi graviſſima & febricula affecta eſt; & ſimplex Phthiſis judicata eſt: Fonticulo in brachio, & diæta ex Guajaco, cui Cortex Peruvianus adjectus eſt, & medicamentis purgatoriis tandem convaluit; imò ejus extrema macies in habitum pleniorem pinguémque mutata eſt. At deinceps valetudinariam vitam egit; modo capitis dolore, modò raris aliquot puſtulis circa faciem orientibus, at ſæpius tuſſi & ſpirandi difficultate oppreſſa eſt.

Ægrotus X

Lichenes Venereæ admodum vulgares ſunt, & paſſim occurrunt; non tantum in iis hominibus, qui Lue affecti & pro ſanatis habentur, ſed in aliis etiam non ſuſpectis. Ejus autem mali hæc fere conditio eſt: In cute alba, vel pectus totum, vel præcordia, vel collum, aut fœmina & inguina læte occupat quædam flavedo, minutiſſimis puncturis rufis exaſperata; iſtiuſmodi verò maculata cutis, fere tempore æſtivo moleſtiſſimo pruritu ægrum torquet, præcipuè noctu; quas ideò inſomnes peragunt.

Item in hac Urbe valde frequens eſt Herpes, dicam an Scabies quædam ſicca Venerea, admodum contagioſa, vexatiſſimum malumque, ut nihil ſupra. Hujus autem notæ ſunt, puſtulæ quædam exiguæ, modo totum corpus infeſtantes modo brachia, aut crura tantum, fere ſine pure, imò etiamſi unguibus incidantur, tamen ſiccæ eſſe non deſinunt; interdum in cute permanent, ſæpius verò latent & ægrè ſentiri poſſint, niſi ab infeſto & aſſiduo, maximè nocturno, pruritu.

His verò remediis uti ſoleo, præter decoctum Guajaci, &c. & purgationes proprias; nimirum, priorem labem ſucco limonis ex ſero lactis fovere ſoleo: item illæ, ſi admodum pertinaces ſunt, & poſterior, etiam labes, maxime Unguento Catapſoras, vel per ſe, vel alio diluto, cum bono eventu & tutò illini poſſint; ut ſæpius expertus ſum; Imo tu velim ſcias hæc mala nullis remediis niſi ex Hydrargyro confectis extirpari poſſe.

Ægrotus XI.

Quinquagenarius quidam ex aliquot annis Iſcuria graviter affectus eſt; à tertio ejus conjugio id illi accidit; ejus fœmina valetudinaria, & quantum ex voce impedita, ob aliquem, puta in palato, defectum, & vultu, conjicere mihi licuit, ex Lue inquinata: certè is vir mucum quendam fœtidum & ſanguineis fibris interſperſum copioſè cum urina excernere ſolet, non ſine infinito cruciatu in pene. Huic autem ſic putavi ſuccurrendum eſſe: nimirum,

(℞. Spiritus Vini rectificatiſſimi ℔ ß. Gummi guajaci ℥ ß. Cantharidum ʒ i. Cocheineil ℥ ij. Succi Hypociſtidis ʒ ii. Spir. Sulph. ℈ j. digerantur cinere calido ad 12 horas: filtrentur per chartam bibulam.) Hujus medicinæ guttas XL. ex cereviſia tepida manè & tantundem veſperi quotidie propinavi; quo ſane remedio, bono effectu, ad tres menſes uſus eſt; idemque à me, infinitis gratiis propter inſigne beneficium redditis, etiam atque etiam rogavit: Etenim malum diuturnum jam potuiſſe tolerari, haud nihil eſt.

Ægrotus XII.

Vidua quædam juvenis, graviſſimo Urinæ ardore & punctionibus ibidem, item Condylomatis cancroſis in pudendi labiis, non ſine vehementi capitis dolore, afflicta eſt; maritus ejus ex anno ruri Lue mortuus eſt; ipſa Londinum venit, & me coram obſtetrice de morbo conſuluit. Hanc autem ſic curare cogitavi; nimirum illam purgavi quarto quoque die pilulis de duobus, quibus æqua pars Mercurii dulcis adjecta eſt. Item Apozemate ex Guajaco, &c. pro potu quotidiano, citra ſudorem. Item. (℞. Cocheineil ℥ iii. Cantharid. ʒ i. Vini Rhenani ℔ j. miſce, digerantur per diem B. M.) hujus cochleare è decocto Guajaci ℥ iiii. bis quotidie ſumpſit; quorum uſu Gonorrhæa admodum virulenta, fœtidum, & ſanguineo-viridem purem effundens, integrè ſublata eſt; & duobus plus minus menſibus ſine ulla ope Chirurgica, etiam ulcera ſiccata ſunt, dolorq; capitis ex toto deſiit.

Ægrotus XIII.

Quidam juvenis ter Gonorrhæa affectus eſt, non ſine aliis gravibus Luis ſymptomatibus. Tertia vice ad me venit, Urinæ ardore punctorio, item deſtillatione puris ſubviridis. Hominem ſtatim calomelano purgavi pilulis fortioribus additis: intra triduum pus attenuatur, & pellucidum fit; quo tempore collyrium injeci hujuſmodi,

(℞. Aquæ Plantan. Papaveris Rhæados, an. ℥ iii. Opii bene uſtulati ʒ j. Mellis Roſati ℥ i. Trochiſcorum ex Minio puro metallico ʒ ii. m.) intra ſeptiduum & Urinæ punctiones & Gonorrhæa ex toto deſierunt. Decocto autem Guajaci diu uſus eſt citra ſudorem, quo integre convaluit.

Ægrotus XIV.

Quidam juvenis jam primum Lue inquinatur; illi in Glande veſicula cancroſa orta eſt, at ſine Gonorrhæa aut ullis punctionibus inter meiendum: ſub eodem tempore in utroque inguine inſuper bubo ſentitur; & jam inhorruit & febricula incenſa eſt: præterea ingens capitis dolor, & in cruribus puncturæ intolerabiles. Hominem ſic protinus reſtitui: Alternis diebus calamelanos ℈ i. ex Electuario lenitivo dedi; ſanguinem è brachio ad libram miſi; decoctum valentiſſimum guaiaci, cui Cocheineil ad ℥ iii. adjectum eſt, propinavi. Chirurgus veſiculam citò curavit præcipitato rubro ex aliquo digeſtivo: bubones à tertia medicina purgatoria diſparue-

diſparuerunt; ad tres ſeptimanas convaluit: diu tamen Apozemate ſupra ſcripto uſus eſt citra ſudorem, & vino albo carneque minimè abſtinuit.

Ægrotus XV.

Juvenis quidam, triginta annos natus, bis Lue infectus eſt, & toties ſalivationem cum Hydrargyro paſſus eſt; at non ſine recidiva; etenim huic lingua & fauces & ipſe penis Ulceribus cancroſis miſerè affectæ ſunt; etiamſi optimorum chirurgorum ope, & methodo vexatiſſima diu à ſalivatione ultimâ uſus fuit. Hunc ſic reſtitui. Propter ſummam ſtomachi imbecillitatem, vinum ei album Gallicum libenter indulſi: item, propterea quod Hydrargyri copiam ſupra fidem ſumpſiſſet, (nam ultima ſalivatio per calamelanos admodum difficulter mota eſt) ſucco limonum in omni intinctu uſus eſt. Hiera antiqua duplicata eum admodum frequenter purgavi: interdum aliquot grana, idq; rarò & parce, Mercurii dulcis ex bolo Mithridatii dedi; pridie nocte ante medicamentum purgatorium deſignatum, Decoctum Guaiaci, &c, aſſidue citra ſudorem propinavi. Chirurgus Mullins, egregius artifex, quem acceſſivi, & oris & penis Ulcera diligenter curavit: intra ſex menſes integram ſanitatem recuperavit, nihil mali relicto præter lichenes quoſdam; at citra cruciatum aut contagium, quod ſcio, Uxori datum, & optima valetudine fruitur jam ex ſeptennio.

Hactenus de Lue Venerea aliquot pauca at diverſa pro inſtituto noſtro exempla breviter expoſuimus: mox de Curationis ſcopo dicemus, qui in purgatione, medicamentis ex Hydrargyro confectis, præcipueque nunquam ſatis laudando illo Mercurio dulci dicto, & Guaiaci decocto conſiſtit: imò his fere duobus medicamentis tota curationis methodus hodie includitur. Horum itaque medicamentorum virtutes paucis pro more noſtro examinare volumus.

Hydrargyrus autem primum inventus, & huic malo cum aliquo ſucceſſu adhibitus eſt, at extra tantum & in unguentis. Hoc debemus Arabum Scholæ, authore Fernelio. Illud quidem non ignoro, Arabes literarum ſtudia coluiſſe poſt Græcos: Arabes, inquam, ab Octavo Seculo omnium ſcientiarum artiumque utilium & præcipue medicinæ monumenta è Græca in linguam ſuam traduxiſſe. At pace tanti viri, facile ſui ſeculi doctiſſimi Medici, Hydrargyri multiplex uſus, etiam ad Scabiem ab antiquiſſimis Medicis Græcis diducendus eſt. Etenim Dioſcorides expreſſis verbis ita perhibet, cinnabaris, cerato excepta, papularum eruptionibus, ambuſtis igni medetur, cinnabaris autem & optimum & ipſiſſimum Hydrargyri metallum eſt. Item idem medicamentum alio nomine apud antiquos minium appellatur, & Sinopicum præ cæteris valde commendatur. Hydrargyrus fit ex Minio, quod abuſive cinnabaris dicitur; lib. 5. cap. 6. Unde conſtat cinnabarim & minium, certe antiquis pleriſque, ſynonyma fuiſſe: imò cinnabaris optimi coloris minium quoddam Africanum fuit, quo nomine inſtitores ejus temporis omnigenum minium appellaſſe veriſimile eſt.

Atque ex hoc fit Emplaſtrum rubrum adverſus morſus ferarum apud C. Celſum, quod ſane pro nobis maximè facit: ſiquidem Hydrargyrum ex reſina Terebinthinæ ad contagioſa vulnera aptum eſſe confirmatur. Rurſus, apud Æginetam extat Emplaſtrum ex Cinnabari ad Tophos & alios omnis generis induratos tumores. Porro, adeò mite remedium apud antiquos creditum eſt, ut ad oculorum inflammationes efficaciter cohibendas commendarunt, Dioſcoride authore: atque hæc ſatis ſunt de externo ejus uſu apud antiquos Græcos. De interno autem Myrepſius audiendus eſt, (cap. 62. de Antidotis) is inter Antidotos omnino neceſſarias ad difficultatem Urinæ & ſtillicidium & calculoſos unam à Galeno tranſcripſit, in qua cinnabaris drachmæ ſex inſunt. Ætius quidem eandem Antidotū Philagrio inſcribit, cui fortè cinnabari ex aliqua temeraria, non minus quam timida ſuſpicione minus arriſerit; ſed animadvertendū eſt in hac Antidoto ineſſe quoque Lapidis Syriaci (forte Judaici) drachmas 32, adeoque vim ejus potiorem metallis deberi, veriſimile eſt: & perperam cinnabarim ideo ab Philagrio excludi: qua tamen omiſſa Antidotum à Philagrio denominare voluit Ætius, quam à Galeno, cujus compoſitio cinnabarim incluſam habuit.

Hinc adeo evidenter diſcimus (quod demonſtrandum propoſuimus) apud antiquos Cinnabarim, id eſt Hydrargyri purum putum metallum, medicamentum natum & non ullo lenocinio vitiatum, ad omnes uſus in Lue Venerea maxime requiſitos tam intra, quam extra, adhibitum fuiſſe; nimirum ad urinæ difficultatem, quod genus remedii Gonorrhæa virulenta maximè deſiderat: ad ignis ambuſta & inflammationes; ambuſtis autem veſiculæ priè oriuntur: eadem mala in pene frequentiſſima ex Lue: ad tumores omnigenos induratos: ex quo mali genere Bubones Venerei ſunt; ad papulas erumpentes: & quæ, quæſo, fœdiores papulæ, quam quæ ex lue oriri ſolent? Poſtremò, ad ferarum morſus ex reſina Terebinthina: atque ita prodeſt ad Luis efficientem & primariam cauſam. Quorſum itaque Arabibus damus, quod antiquis Græcis jure merito debetur?

Illud quidem fateor, aliam rem eſſe Hydrargyrum, atque aliam Cinnabarim: at in Cinnabari Hydrargyri vis nativa lenis, & benigna eſt: cum idem ex lapide coctus, & ignem expertus tantum non venenum eſt, & inteſtina exedit: imò ex Terebinthina aut adipe articulis inunctus, linguam, fauces, totumq; caput intumeſcere facit, ſalivamque vehementer movet, haud aliter quam ex intenſo aliquo frigore, cui corpus exponitur gravedines deſtillationeſq; pituitæ protinus oriuntur: ad eundem modum venas quaſlibet, præcipuè lymphæ ferendæ dicatas, torpore quodam infeſtat: rigorem autem torporemque genuinum eſſe Hydrargyri effectum cuilibet experiri licet. Etenim tu velim demittas digitum in Hydrargyrum, paucis momentis illum pallidum, mortui inſtar membri, extrahes: imò vi quadam narcotica tremores nervorumq; reſolutiones ex ejus aſſiduo uſu oriri neminem operariorum latet: ad hæc, quod Hydrargyro inunctis ægrè adeò medicamentis purgantibus alvum moveri, ut ea duplo validiora, quam ante, facile perferunt: ſcilicet, à ſtupore viſceribus inducto.

At qui fit, inquies, ſalivam, non ipſum ſanguinem moveri? Ita quidem haud rarò evenit; ab intenſo gelu multi hæmorrhagis corripi ſolent; ad eundem modum in

Ptyaliſmo

Ptyaliſmo ex Hydrargyro interdum dyſenterias, & ſanguinis è gingivis profluvium contingere ſolere abundè teſtatur Hiſtoria medicinalis: Saliva tamen ſola diu & vehementer movetur. Ea autē res paulo altiùs deducenda eſt. Cum lymphæ & aſſidua ſeparata & in ſanguinē reditꝰ neceſſarius eſt, propter rationes alibi exponendas, ubi de natura ſanguinis privatim agemus; ubi de natura ſanguinis privatim agemus; cumque propter ſummam Lymphæ ductuum teneritudinem quâ ſtupore facilè afficiantur ab Hydrargyri inunctione, illa debita lymphæ ſeparatio redituſque in venas ſanguineas multum impediatur, neceſſe eſt; vaſaque adeò ſanguinea ſupra modum impleri ſuo alienoque humore, tantamque lymphæ copiam ſolis arteriis veniſque contineri non poſſe. Igitur aſſidua vi & pulſu arteriarum, lympha per propria vaſa ægrè jam reflua (quæ ex intenſo Hydrargyri frigore tonum jam ſuum & vigorem amiſiſſe diximus) ad Salivæ majores ductus excretorios, (ſcilicet quà patentior porta detur) qui ferè in ore ſunt, propellitur, effunditurque. Etenim niſi lympha, propter dictam cauſam, jam ſupervacanea aſſiduè evacuaretur, nè cor ſuffocatione perpetua deficeret, ſuoque gravi oneri ſuccumberet, metuendum eſt: hinc adeo frequens & familiare eſt deliquium in primo Salivationis impetu; item Glandularum capitiſque infinita intumeſcentia. Ad hæc, ſi ob aliquam cauſam ſalivæ exitus in ore impediretur, ea protinus totis inteſtinis excerneretur, & Diarrhæa, (ſalutifera tamen) vehementer infeſtaret; ſiquidem ibidem quoque innumeræ glandulæ Salivæ excretoriæ ſunt, non aliter quam in ore; etiamſi præter unum pancreaticum ductum alii minutiſſimi ſunt, tamen multitudine infinita eorum parvitas compenſatur. Adeoque in hoc tota ſalivationis ratio verſatur, nimirum intra ſanguinea vaſa lympham cohibendo, quæ jugi circuitu aſſiduè & neceſſariò ſeparari & denuò inferri debet; ab artuum verò inunctione, propter vaſorum Lymphaticorum torpidorum tenuiſſimæ texturæ depravationem & ineptitudinem, ejus reditus eò præpeditur, veniſque adeò ſanguineis uſque circuire cogitur ad gravem cordis arteriarumque inundationem, per emiſſaria Salivæ-ductuum tantùm deplendam; neque enim arteriis ſe exonerandi alia ratio niſi ductibus excretoriis relinquitur. Quemadmodum ſi fortè à frigore, mutilatione alicujus membri, vel à ligatura, menſura & modus Venarum diminuatur, pulmo à catarrhis infeſtari, vel hæmorrhagia, hydropſve oriri ſolet.

At noſtri homines magna induſtria Hydrargyrum operi interno tutò adhibuerunt, ejuſmodi itaque remedii jam ſecuri eſſe poſſumus; quod ejus ferocia domatur, & ſalibus multipliciter adjunctis, compedes ei injiciuntur, quorum ligatura ſtrictiore fit lene remedium. Hoc equidem ſentio, noſtros homines aliquid ampliùs quam actum egerunt, & eorum artificium prætio longè materiam excedere.

Atque ea hujus ſæculi felicitas eſt: adeoque amplius quæritur, cur ab Hydrargyro in Mercurium dulcem confecto, eadem tamen ſalivatio oriatur; maximè ſi adjectum ſit aliquod medicamentum aſtringens, ut in corpore, etiam invitis ſalibus ei connexis, tantiſper moretur, idemque ſpiſſius detur. Atque illa ſanè differentia eſt inter medicamentum natum, atque idem artificioſum; nimirùm ſales adjectivos pro ſua natura à madore caloreque ventriculi, & inteſtinorum diſſolvi, & à ſale urinoſo, è concoctione Stomachi Septica orto, vinculis & connexu cùm Hydrargyro liberari; huncque adeò ſibi jam reſtitutum relictumque, vim ſuam indolemque denuò exerere poſſe; ſcilicet torporem Lymphæ ductibus conciliando; quod illic tanto faciliùs efficere potis eſt, quanto corporis interior pars cute externa, digitorum putà, tenuior eſt.

Ex hoc autem Lymphæ mirifico profluvio (quæ prorſus nova purgationis forma eſt, veteribus incognita) multa commoda nobis accedunt; nimirùm puſtularum ardorem extinguit, exſiccatque Ulcera; non externa tantum, ſed & interna; quæ ipſa quoque veſiculis, puſtulis, ulceribuſque fœdantur: cætera omitto, illud quidem veriſſimum eſt, ſolo Ptyaliſmo morbi radicem non evelli; imò ſuperiore ſeculo infinitis experimentis conſtabat, multos decies & ampliùs curationem ex perunctione fruſtra expertos fuiſſe: Atque idem teſtantur noſtri homines, inter alios Wiſemannus, Obſ. 53. optimus ſanè chirurgus idemque fide digniſſimus, nuperus Anglicanus Scriptor: vitium quidem lenit, differtque, at perniciem non aufert, neque ulla cura ſine Guajaco efficax; ut nec à Guajaco ſolo aliquid expectandum eſt citra periculum recidivæ.

Igitur ut rem conficiamus Guajaci etiam facultates nobis breviter expediendæ ſunt. Hic verò aliquis objiciet, Ægrotum 16. noſtrum ſuprà comprehenſum, uſu Guaiaci, Hydrargyro modicè dato tantùm ad grana aliquot, curatum fuiſſe; item in illa præclara Fernelii cura, cujuſdam quinquies fruſtrà inuncti, ſolo Guaiaci cremore tandem reſtituti? Reſpondeo, Hiſtoriæ Fernelianæ facilè fidem do; at nec ſuus æger, nec meus, nec alius quilibet ſine uſu Hydrargyri unquam integer erit; mihi autem perinde eſt, ſi unquam datus eſt, Hydrargyrus: quandiu ſanè ab ejus exhibitione ſit, non magnopere quæro; nam corpus afficit, etiam poſt triginta & ampliùs annos, ut ex Trepano, & Salivatione aliquoties per ſe redintegrata nobis certò conſtat: imò nulla concoctione domari poteſt, & in glandularum Mæandris aliiſve corporis receſſibus latere ſolet; aliquâ tandem occaſione loco moveri, & genium ſuum denuò exerere ſolere; adeoque ſi quis Hydrargyrus vel intus ſumptus vel extrà corpori adhibitus unquam fuit, ex uſu Guaiaci è latebris excitari, & cùm antiqua ejus impreſſione, hominis ævo non delenda, tùm nova operatione partibus adhuc vitiatis curam facilitari, perficique.

Guaiacum ſanè eſt medicamentum admodum tenuium partium & piperati guſtûs, ſudoreſque adeo movere aptum. Hæ vero piperatæ Reſinæ, ab India Occidentali, Nova medicamenta ſunt: hujus notæ ſunt Balſamum Peruvianum & Gummi falſò, dum Reſina Guaiaci dicenda eſt, Paralyticos, ſtupidos, & quovis modo reſolutos, curat. Ejuſque adeò præ-

præcipua facultas eſt, ſtupori ab Hydrargyro inducto mederi, ipſumque Hydrargyrum ponderoſum & hebes medicamentum digerere, & in omnes corporis partes diſſipare, tandemque expellere, ſcilicet viſcera eorumque vaſa calefaciendo, penetrando, corroborando. Igitur Guajacum Hydrargyri, ut Hydrargyrus Veneni, in Lue Antidotum eſt. Hydrargyrus puſtularum ardores extinguendo, atque ulcera ſiccando, aliquot teneriores corporis partes ſtupore reſolvit labefactatque; contra Guajacum eaſdem partes labefactatas ſuo calore piperato fovet, expeditque; & quatenus valdè reſinoſum, vi ſua emplaſtica, ex integro ſanat: viſceribus autem jam denuò invigoratis, ipſum tandem Hydrargyrum, Hoſpitem torpidum & alienum, ne intra nos æternùm pernoctet, circuire cogunt, ſudoreque præcipuè rarefactum aut Urina, aut Vapore inſenſibili expellunt.

Atque hæc via quidem brevior & expeditior eſt; tamen citra ſudorem idem ab eodem fit, certè medicinis purgatoriis adjuto; maximè ſi cætera boni regiminis præcepta ſerventur, at cura diutius procraſtinetur, certiſſimi tandem effectus: imò vinum, quod ſæpiùs expertus ſum, ſucceſſum non impedit; potiùs auxilio eſt. *Martinus Liſter in Exercitationibus Medicinalibus de quibuſdam morbis chronicis.*

Curationes.

Ac primo Clariſſ. Iulii Palmarii Curatio. præmiſſô prognoſticô ab eodem. Prognoſticon Luis Venereæ.

Luem veneream indies mutari, & jam ita inclinare atque conſeneſcere, ut ſit poſthac brevi finem habitura multi literis prodiderunt. Ajunt enim tanta fuiſſe, quum primum oriretur fœditate, ut quæ nunc graſſatur, vix illius generis eſſe putetur. Ulcera erant innumera, in quernæ glandis ſpeciem & magnitudinem, aſpera exporrectaque, ſpurcus ab iis profluens humor, fœtor vero tantus exhalans, ut cujus nares contigiſſet, is mox inſici crederetur. Color puſtulis ex nigro vireſcens, ipſo aſpectu non minus ægros, quam dolore, cruciabat. Fugiebant idcirco omnes ejus aſpectum, contactu vero ſic abſtinebant, ut morbi præterea nullius. Qui vero ſequutus eſt, & nunc paſſim vagatur, puſtulas quidem habet paucas, ut & ulcera, dolores autem atroces, cum tuberculis ſcirrhoſis, & ut fœditate tolerabilior, ita certe doloribus & cruciatibus immanior evaſit. Id vero minime ſeneſcentis luis naturæ & conditioni tribuerim, ſed præpoſteræ multorum curationi. Eſt enim hoc vitii genus mortalibus adeo formidabile, ut vel illius minima ſuſpicione perculſi, confeſtim ad remedium ex hydrargyro concurrant, quod puſtularum ardorem extinguit exiccatque ulcera, ſed cerebrum refrigerat ac debilitat, deſtillationes exaſperat, articulorumque dolores plerunque diuturnos movet. Itaque niſi Deus Opt. Max. ſua clementia iſtam hujus ſeculi labem deleat, aut effrenatam hominum libidinem coerceat, nunquam illam penitus deſituram putaverim, ſed quandiu obſcœnæ libidini dabitur opera, humano generi perpetuam fore comitem. Porro hæc lues pro varia corporum, in quæ incidit conſtitutione, alias facile, alias ægre ſaneſcit. Quæ puro & integre ſano ſunt corpore, facilius multo reſtitui ſolent, quam qui cacochymo & cachectico. Cacochymia ſiquidem præterquam quod veneni perniciem fovet, remediorum etiam vires hebetat & obtundit. Adhæc qui raro & laxo ſunt corporis habitu, ac cuti perſpirabili, ut facilius quam qui contrario modo ſe habent, luem admittunt, ſic præhenſi minus diſcruciantur, citiuſque ſaneſcunt. Sed & nativam temperiem inſpicere oportet, nam qui vel temperati, vel calidi & humidi, & proinde benigno ſanguine præditi ſunt, ſi in luem incidunt, hos illa & mitiſſime affligit, & facillime ac citiſſime deſerit, nullo fere reverſionis metu. Ab his ſunt frigidi & humidi, in quibus pituita redundat. Tertio loco ſunt calidi & ſicci bilioſi. Frigidos & ſiccos humore melancholico, terreniſque fæcibus, aut etiam atra bile perfuſos, ut omnium acerbiſſime angit lues, ſic omnium difficillime relinquit, ſæpe in totum conſumit. Poſtremo ex iis, quæ in cute effloreſcunt, indicatio petenda. Siquidem quæ pilorum defluvio ſe prodit lues, omnium facillime tollitur. Ejus enim pernicies in vapore, aut humore tenuiſſimo ſita, ſudoribus facile exſpirat. Non multo tenacius inhæreſcit lues, quæ crebris maculis, iiſque parvis, lentiginis inſtar, cutem deturpat, in tenui quippe ſanguine virus habet. Quæ tubercula aut latas maculas profert, ægrius tollitur: Omnium denique ægerrime, quæcunque vel laborantis incuria, vel medentis imperitia, eouſque invaluit, ut ſolidas partes obſidens, ſcirrhoſis jam tumoribus & doloribus, vel oſſium carie moleſta ſit. Quod ad anni tempora pertinet, vere & ineunte æſtate facile curatur hic morbus, nam & vires corporis tum temporis valent, & cutis rareſcit, & interim humores ſponte in ſuperficiem corporis feruntur. Æſtate media & gelida hyeme, ægrius profligatur. Æſtatis fervor vires exhaurit ad curationem neceſſarias. Gelidæ hyemis frigora cutim ita occludunt, denſantque, vix ut quicquam exhalet ac perſpiret. Convenit & incipiens autumnus, quod neque ingenti ardore corpora adurat, neque frigore vehementius adſtringat. Hoc tamen ſciri velim, luem veneream omni tempore curari poſſe, ſi quis in conclavi in quo ignis aſſiduus ſit hyeme concluſus, frigoris incommoda propulſet, vel æſtate in umbroſo loco temperato ſe contineat. Qui cœli clementiam diutius expectat, morbum plerunque contumaciorem facit. Itaque quum primum genita lues eſt, nulla mora profligetur, ne tempore altius ſubiens interiora populetur. Quanquam autem luis curatio tot modis variat, nulla tamen tam fœda, neque tam inveterata occurret, quæ non hac, quam mox exponam, curandi ratione vincatur, ſi morigerum & firmis viſceribus præditum ægrum prudens & ſagax medicus nanciſcatur, ſicut jam antea teſtatus ſum: idque nulla amaritudine, nullo periculo, nulloque malo effatu memorabili digno.

Quæ Fuerit Luis Venereæ vetus curatio.

Qui omnium primi luis venereæ recens natæ, & vix dum ſatis cognitæ curationem ſunt aggre-

aggreſſi, ſymptomatum fere, tuberum nempe & ulcerum rationem tantum habuerunt. Ac primum quidem, quoniam corpus illa depaſcebantur, cauſticis comburere ac ſiſtere conati ſunt, verũ quia uno extincto, mox nova renaſcebantur permulta, cogitaverunt unguento eodem extinguere omnia, in aliarum puſtularum & ſcabiei modum. Aliter atque aliter hoc tentabant, verum nullo quiſquam effectu, argentum vivum qui non addidiſſet. Hujus enim uſum ex Arabum ſchola, aut noſtri deduxerunt, quos conſtat hydrargyrum ad ulcera maligna & cacoëthe coercenda, atque ad omnem ſcabiem ſiccam cohibendam fœliciter uſurpaſſe. Itaque eo, cum aliis quibuſdam oleis & pulveribus in unguenti modum concinnato, inungebant brachiorum, & crurum juncturas. Aliqui & ſpinam, & cervicem, nonnulli etiam tempora, item & ventrem: atque iterum alii univerſum corpus: quibuſdam ſemel die, quibuſdam bis, nonnullis tertio iterum die, aut quarto. Claudebatur æger in æſtuario, quod calebat aſſidue, alius viginti, alius triginta totos dies, nonnulli plures. Perunctum in lectum qui intra æſtuarium ſternebatur, collocabant, ac multa superinjecta veſte ſudare cogebant. Empiricam hanc curandi rationem, quæ neglecta morbi eſſentia ſymptomatis tantum ſuccurrit, hactenus ſecuti ſunt medici ac chirurgi complures, non ſine magno humani corporis detrimento. Tanta ſiquidem hujus unguenti crudelitas eſt atque ferocitas, ut tertio ſtatim aut quarto aut quinto, aut ad ſummum ſexto die langueſcere incipiat æger. Quippe argentum vivum, quod in ſummo corpore eſt, & in toto corporis ambitu, ſumma ſua tenuitate colliquat atque diſſolvit: humiditate vero corrumpit atque putrefacit, ac tandem extrema refrigerandi qua pollet facultate ad interna repellit. Inde in ventriculum & thoracem, è quibus dein ſenſim partium continuatione ad gulam & ad os compellit, tanta tamque violenta injuria, ut dentes (quibus ut & cerebro & nervis & articulis inimicum eſt) ſtatim omnibus vacillent, ac nonnullis lividi decidant omnes. Quædam etiam è corpore, per ſudores diſſipat, quædam purgatoria ut in alvum deturbat magnis torminibus. Sæpe etiam peculiari eaque occulta proprietate dyſenteriam movet nonnullis lethalem: atque ut paucis complectar, omnibus certe qui ita curantur, exulcerantur fauces, lingua, & palatum, intumeſcunt gingivæ, dentes vacillant, pleriſque ſputum per ora ſine intermiſſione profluit, omni protinus fœtore olentius, tanto contagio ut labia ejus contactu ulcus contrahant, & intus buccæ vulnerentur frigefacto interim ſtomacho, & turbante fœtore appetentia cibi deſtituuntur ægri: quumque ſiti intolerabili crucientur, vix tamen bibere poſſunt, os alioqui totum uno obſidente ulcere. Quinetiam lingua balbutiem, & aures ſurditatem contrahunt, nonnullis immedicabilem. Fœtet omnis circumhabitatio, atque adeo durum eſt hoc curationis genus, ut perire morbo complures malint, quam tanto periculo tam acerbo diſcrimine levari. Quanquam vix centeſimus quiſque levatur, recidivo utplurimum morbo, qui tamen raro ſimilis eſt radici: neque iiſdem ſymptomatis exercet, ſed fere deſtillatione, arthritide, tophis, vel oſſium carie. Neque pari contagione eos cum quibus ſocietas eſt, afficit, quod humoris furor & impetus illis auxiliis repreſſus ſit, etiam nondum mali radice evulſa. Tempore ſiquidem ea revireſcit, recurritque interdum poſt annum vigeſimum, aut etiam trigeſimum: tantoque intervallo mali fomes quaſi ſepultus intus deliteſcit. Fit tamen interdum, ut qui ita curati ſunt, ſeque expertes mali prorſuſque expeditos putant, alios cum quibus concubuerint, contaminent, prolemque gignant ea lue conſperſam. Indicium ſane tum temporis mali fermentum in venis ipſiſque partibus reconditum reſervari, & ut dicere ſolent, in ipſis quaſi medullis deliteſcere. Eſt igitur omnium curationũ acerbiſſima, quæ hydrargyri perunctione fit: & in ea miſerrimum hoc quoque eſt, quod plerique omnes qui ſic medentur, medicinam non callent, ſed ut audaciſſimus quiſque aut in aliis vidit, aut ipſe tulit, ita medicum agit impudentiſſimum uno quopiam unguento ad omnes utens, & ut ille ait, uno collyrio omnes perſanans, nullius neque temporis, neque corporum qualitatis habita ratione. Si quid accidat interim ægro, conſilii inopia, quid ſuadeat non habens, morbi pervicaciam & malignitatem arguit, quæ niſi iterata ſimili unctione tolli haud poſſit. Hinc alius bis, alius ter aut quater, nonnulli decies, atque alii etiam undecies, aut duodecies eandem curationem experiuntur, tanta cum doloris acerbitate & malorum acervo, ut credi poſſit nimis vivendi cupidus, qui non mori maluerit, quam ſic vitam proferre. Multis namque ad vertiginem, quibuſdam ad inſaniam uſque infeſtatur cerebrum, poſt curationem. Tremunt multis non manus tantum, ſed etiam brachia, pedes, crura, femora, & univerſum corpus: aliis quidem ad annos aliquot, aliis ad omnem vitam. Multos in media curatione interire vidimus, dum illos in hypocauſto, plus æquo calido concludunt, in quo illi ſalutis, quam ſic adepturos ſe ſperant, ſtudio, patientius conſiſtunt, donec reſolutis caloris vehementia ſpiritibus ac deficientibus animi viribus, mori ſe non ſentiant. Alios vidimus, intumeſcente ad fauces gutture, quum exitum non haberet ſanies pituitoſa aut ſpiritus interciperetur, ſuffocari, quoſdam cum meiere non poſſent. Alios exorta gravi dyſenteria ac febre, alios extincto nativo calore nullo doloris ſenſu commoti. Omnino pauci ita convaleſcunt, iique valido & robuſto corpore, quibus malum inter initia conſiſtit, ſoluſque corporis ſpiritus aut humor, non autem partium ſubſtantia obſidebatur: atque illi hoc periculo, hac calamitate, his malis, quæ diximus, liberantur. Nam cum lues initium præterlapſa, ipſam jam partium ſubſtantiam obſidet, ut argentum vivum puſtulis, ulceribus, tophis, doloribus, aliiſque ſymptomatis, tanto periculo opem ferat, ſæpe tamen mali radicem haudquaquam evellit: & ſi quid adjumenti ejus adferat uſus, id profecto vix ad paucos menſes, ne dicam dies, durare conſuevit. Attamen pro hac tam acerba, tamque periculoſa curatione, multi penitius (credo) naturæ arcana intuiti, veluti pro aris ac focis decertant, nec inventa meliore

fruge, glandibus etiamnum veſci deſinunt, veriti ne vel ſibi de ſuo aliquid decedat lucro, vel à junioribus aliquid didiciſſe videantur.

Hanc medendi rationem quum docti aliquot medici inefficacem & parum tutam multorum periculo experti eſſent, aliam tentare aggreſſi ſunt, quam & ſcriptis mandare, & omnibus commendare poſtea cœperunt. Hi initio ſæpius & valide purgant, deinde ſanguinem mittunt pro plenitudinis & virium ratione, mox reliquias idoneis ſyrupis præparant, quas poſtea purgationibus identidem repetitis exhauriant. Ita luis radicem varia mitigatione præparatam, penitus evelli, citra ullam virium jacturam, aut corporis noxam ſperantes. Quæ quidem curatio, ſi vitium recens eſt contractum, ſoluſque ſpiritus, aut humor contaminatus, interdum liberare poteſt, ſi modo poſt purgationes guaiaci decocto, ſudores aliquot matutinis promoveantur. At ſi jam obſeſſa eſt partium ſubſtantia, impetum quidem morbi, & veneni furorem reprimit, ac mitigat: ſed quod poſtea crudelius excandeſcat, lenſim & clanculum radice altius defixa, vixque ullis remediis inveteratum poſſit extirpari. Hæc igitur curandi ratio, ſymptomata lenit, non cauſam eorum evacuat, differt perniciem, non aufert. Quod cum reprehendiſſent poſteri, cœperunt tenui, extenuanteq; victu & potu è guaiaco, vel ex chinarum aut ſarceparillæ radice corpus magis exiccare, humores attenuare, atque in urinas & ſudores digerere ac diſſipare. Sic enim neceſſe eſt, puſtulas & ulcera cum corpore extenuari & ſuccreſcere, tophos præduros incidi atque diſſolvi, ex hiſque natos dolores miteſcere. Quæ curatio tametſi quam ſuperiores multo tutior ſit & mitior, periculo tamen recurſus minime liberat: quum præſertim lues initium præterlapſa, & doloribus & tophis ſcirrhoſis moleſta eſt. Itaque quibus machinis firmiſſima, ac munitiſſima iſta arx jam diu obſeſſa, tandem aliquando ſubverti & expugnari poſſit, dicere aggredior, ab ipſius amuleto exorſus.

Luis Venereæ Amuletum.

Quum lues venerea totius ſit ſubſtantiæ morbus, iſque occultus, contagioſus, & venenatus, nemini mirum videri debet, ſi tamdiu vera ejus deſiderata fuerit curatio. Ut enim eorum affectuum inexplicabilis fere vis & natura eſt: ſic remediorum quæ tota ſubſtantia, totoque genere, & abſtruſa quadam facultate illis reſiſtunt & adverſantur perdifficilis exiſtit inveſtigatio. Hæc namq; vulgata & ſimplici via aut ratione inveniri nullo pacto poſſunt; ut quæ manifeſtos morbos perſpicua contrariorum virtute oppugnant; ſed ſola experientia, quemadmodum & deleteria & purgatoria. Quæ enim facultates totius ſubſtantiæ proprietate fiunt, à methodo & ratione omnes alienæ ſunt. Cur hic lapis, inquit Galenus, tacto vulnere ex quo ſanguis prorumpit, curſum ejus reprimat ac reſiſtat, haud novimus. At in oculorum medicamentis, quas vires habeat lapis quem vocant hæmatiten, haud latet, nam id rationis inventum eſt. Deinde quod lepus marinus ſolum pulmonem, cantharides renes ſolos & veſicam exulcerent, coriandrum in furorem agat, hyoſciamus inſaniam ebrietati ſimilem inducat, papaver vehementem ſoporem, ſtuporemque excitet, non aliter quam longa obſervatione uſu cognovimus: ſicuti nec quod rhabarbarum, bilem flavam, ſenna, melancholiam, agaricus & ſcammonium pituitam expurgant. Cur enim à papavere ſtupor, ab hyoſciamo verò inſania, quæ & naturam & cauſas habet maxime à ſtupore differentes, proveniat, quum utrumque frigidum exiſtat? Aut cur rhabarbarum & ſenna bilem utramque, & craſſa lentaque excrementa, è viſceribus primiſque venis ſubducant, neglectis ſeroſis, tenuibuſque humoribus in abdomine cumulatis, & ad fluendum paratiſſimis: ſcammonium vero & agaricus tenues ſeroſoſque humores vel è longiſſimis corporis partibus extrahant, craſſis lentiſque excrementis circum viſcera relictis? Hæc, credo, cauſa etiam fuit, cur hactenus febris peſtilentis nullum ſatis efficax amuletum ſit deprehenſum, quod tamen & eſſe & inveniri poſſe non diffido, ſi medici omnes in id ſtrenue incumbant. Siquidem verum id eſt, quod doctiſſimi Philoſophi literis mandarunt, naturam mundi hujus procreatricem ex contrariorum permiſtione, ita omnia contemperaſſe, ut nihil prorſus in eo notari poſſit, cui illa contrarium non protulerit, etiamſi noſtra incuria, ne dicam ignavia, multa hactenus nobis ignota deliteſcant. Ita enim affecti ſumus plerique fere omnes, ut aut lucro potius, quam publicæ utilitati ſtudentes, & veterum inventis nimis forte inhærentes, à novorum remediorum inveſtigatione, vel novis emergentibus morbis abſtineamus. aut ſi quod novum præſidium experiamur, id invidiæ ſtimulis perciti, veluti arrhitum & arcanum quoddam nobis recondamus.

Joannes Fernelius præceptor meus, medicus clariſſimus, ab hydrargyri uſu alieniſſimus, primus auſus eſt luis venereæ curationem polliceri, ſine illius ope, medicis & chirurgis, hujuſce urbis, quibus hactenus perſuaſum eſt citra hydrargyri litum & ſputationem neminem à lue venerea vindicari poſſe, repugnantibus: multa domi ſuæ elexipharmaca componenda curavit, quæ adverſus ejus morbi perniciem cum guaiaco, aut etiam ſine hoc adhiberet. E quibus præſtantiſſima & efficaciſſima iſthæc comperi, quæ proxime deſcripta ſunt.

℞. Scordii, &c.

℞. Foliorum ſcordii ℥ ß.

Polii montani, pulegii, praſſii, origani, calamenti, hyperici, ſingulorum ʒ ii. centaurii minoris, Stœchados, chamædryos, chamæpityos, ſpicæ nardi, ſeminum, aniſi, fœniculi, petroſelini, dauci, ſileris montani, rutæ, ſingulorum ʒ ß. ocymi, hormini, thlaſpi, baccarum lauri, juniperi, ſem. pæoniæ maris radic. ariſtolochiæ, gentianæ, ſingulorum ʒ i. dictamni, valerianæ, azari zinziberis, nucis moſchatæ, ſingulorum ℈ iiii. caryophyll. piperis, croci cinnamomi electi, myrrhæ, ſingulorum ʒ iii. caſtorei, ſtyracis, calamitæ.

℞. Morſus diaboli, ſcabioſæ, pimpinellæ, florum calendulæ, verbaſci, plantaginis, ſingulorum ʒ iii. meliſſæ, rutæ, florum geniſtæ, origani, anthos, roſarum, rubrarum, ſem. citrii, acetoſæ, fœniculi, cardui benedicti radicis dictamni ſingulorum

tunicæ tormentillæ, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, zedoariæ, doronici romani, ſingulor. ʒi. cornu cervi raſuræ eboris ligni aloës, ſantali citrini, cinnamomi electi. ſingulorum ℥ ß. croci caryophill. nucis moſchatæ ſingulorum ʒ ii.

Primam compoſitionem, opiatam majorem, ſecundam minorem vocitabat. Alterius ʒ ß. cum conſervæ bugloſſi pari pondere, & mitridatii ℈ ß. pro doſi exhibebat, interdum & ſine mithridatio fœlici ſucceſſu utebatur, ea methodo, quæ poſtea tradetur: minorem tanti faciebat, ut vel mithridatio, & theriace in febribus peſtilentibus, & aliis morbis malignis, anteponere. Ego, quum è vivis exceſſiſſet. ex utraque adjectis etiam aliquot aliis medicamentis, quæ adverſus venena valere, & ad ſudores ciendos aptiſſima eſſe compereram, unam concinnavi, quæ hactenus neminem fefellit, qui, qua ratione poſtea dicetur uſurpaverit. Parata proſtat in vico Antoniano apud Antonium Fanerea, nobilem pharmacopœum. Et ſic habet.

♃. Scordii ℥ ß. morſus diaboli, ſcabioſæ, pimpinellæ, polii montani, pulegii, calamenti, praſſi albi odorati, origani, menthæ, ſingulorum ʒ ii. hyperici, centaurii minoris, ſtœchados, chamædryos, chamepithyos, plantaginis, meliſſæ, rutæ, thymi, ſampſuchi, hyſſopi, ſalviæ minoris, foliorum polypodii ſingulorum ʒ ii. verbenæ, veronicæ utriuſque florum betonicæ, calendulæ, verbaſci, geniſtæ, roriſmarini, jaſmini, ſalviæ ſingulorum ℥ iii. roſarum rubrarum, hyperici, Bugloſſi, borraginis, violarum, nymphææ, ſeminum aniſi, petroſelini utriuſque, dauci, granorum tinctoriorum, hyperici, ſileris montani, ſingulorum ʒ i. ß. rutæ, liguſtici & ſmyrnii, ocymi, baccarum lauri baccarum juniperi, ſeminis pæoniæ, utriuſque, ſeſeleos ſeminis citrii, acetoſæ, ſingulorum ʒ iii. cardui benedicti, fœniculi radicum pæoniæ maris, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, ſingulorum ʒ i. calami aromatici, ireos florentiæ, cyperi, angelicæ, dictamni, tunicæ ſingulorum ʒ ii. ß. tormentillæ, zedoariæ, doronici romani, margaritarum, cornu cervi utriuſque ℥ i. ʒ ii. ß. raſuræ eboris ligni aloes ſantali citrini ſingulorum ℥ ß. oſſis de corde cervi corallii utriuſque, cinnamomi electi ʒ i ß. xylobalſami, ſi haberi poteſt ℥ i. lapidum omnium pretioſorum, ſingulorum ʒ ß. nucis moſchatæ macis, caryophillorum, myrrhæ ſingulorum ʒ ß. ſtyracis calamitæ, benjoin, croci caſtorei, ſucci glycyrrh. ℥ i. oleorum è ſemine fœniculi, E ſemine aniſi, E ſalvia, E menta, E junipero ſingulorum ʒ i. E nuce moſchata, E caryophill. Xylobalſami rubri ex america allati, ſi in manu eſt. ſingulorum ʒi.

Legantur ſingulæ herbæ, flores & radices quo tempore viribus pollent maximis, ſiccentur, ac in popyraceis ſacculis aſſerventur, dum in pulverem tenuiſſimum omnes redactæ vino & melle excipiantur, & in electuarium coquantur, donec mithridatii bene præparati craſſitudinem aſſequatur. Poſſunt tamen flores ſaccharo condiri & aſſervari ut aliis miſceantur ſub coctionis finem. Libra mellis pulverum unciis duabus miſceatur. Servetur in ampliſſimo vaſe terreo, cujus tertia pars vacet, ne ebulliat aut effervefcat: nec in uſum qui mox detur, veniat ante triennium. Hujus loco mithridatium à Galeno deſcriptum, è ſelectiſſimis medicamentis confectum, fœliciter ſæpe uſurpavi: nonnunquam & id, quod à Nicolao traditur. Sed pharmacopœorum impoſtura tanta eſt, ut vix uſquam fideliter paratum habeatur, & multa deſunt medicamenta, ad id recte conficiendum neceſſaria. Ideoque vel opiata vel ea cum mithridatio permiſta, ei utendum eſt, qui perfecte ac tuto curari deſiderat.

Aquæ cardiacæ deſcriptio, quæ opiatæ ſuccedanea ſit.

♃. Foliorum ſalviæ, mentæ, majoranæ, rutæ, hyſſopi, origani, ſummitatum betonicæ, ſingulorum M. i. Contrita omnia in fictile majuſculum reconde loco calido, & aqua attractalydis, quem carduum benedictum vocant, obrue ne extent, quotidie rudicula agitentur antequam aceſcant, (quod quarto quintove poſt die contingit) expreſſus humor ſervetur & magma abjiciatur. Rurſus

℞. Foliorum plantaginis, calendulæ, meliſſæ, verbaſci, hyperici, centaurii minoris, pimpinellæ ſingulorum M ii. His, poſt quatridui macerationem & expreſſionem, abjectis, rurſus accipies ſcordii, morſus diaboli, fœniculi, petroſelini, bugloſſi, borraginis, angelicæ ſingulorum M. i. quibus dies totidem maceratis expreſſis & abjectis.

♃. Radicum angelicæ, dictamni, tormentillæ, betonicæ, zedoariæ, ſingulorum ℥ ß. rad. cyperi ʒ iii. nucis moſchatæ, caryophyll. utriuſque ʒi. ſeminis fœniculi, citrii, acetoſæ, cardui benedicti, baccarum juniperi, ſingulorum ʒii. raſuræ eboris, cornu cervi, ligni aloës, ſantali citrini, cinnamomi ſingulorum ʒi. croci ʒ ß. paratum pulverem expreſſo liquori commiſcebis. Exin amuleti luis, mithridatii ſelectiſſimi utriuſque ſeſquilibram, theriaces veteris ℥ iv. pendes & dicto liquori atque pulveri confuſa in alembico vitreo aut terreo vitrato recondita Junii ardoribus, ſex octoque dies expones, dum conferveant & perfecte fermententur, tandemque fiat deſtillatio in diplomate igni quam lentiſſimo. Si deſcripta ſimplicia olla nova indita cum aqua attractalydis dies quindecim fimo equino calente conferveant, præſtantior aqua eliciatur.

♃. Aquæ prædictæ ℥ iii. ſyrupi de limonibus & violati ſingulorum ʒvi. fiat doſis ß.

Pulveris diſcriptio.

♃. Raſuræ eboris, cornu cervi junioris, margaritarum electarum, ſingulorum ʒ ß. ligni aloes, ſantali citrini, oſſis de corde cervi, ſingulorum ℈i. ſem. fœniculi, coriandri præparati, utriuſque ʒ i. foliorum mentæ, plantaginis, verbenæ, pimpinellæ, ſingulorum ℈ii. radicis tormentillæ, betonicæ, zedoariæ, ſingulorum ʒ ß. florum betonicæ, calendulæ, geniſtæ ſiccorum, ſingulorum ʒ ß. ſacchari roſati triplum: fiat pulvis tenuiſſimus doſ. cochlear unum initio paſtus, & ante ſudorifici cremoris hauſtum, ſi æger opiatæ uſum refugiat.

Luis Venereæ Præcautio.

Cauſas externas quum nobis occurrunt, nihil in nos moliri poſſe ſine afficiendi corporis præparatione ac imbecillitate multi arbitrantur: qui quum vident ex iis, qui in eodem peſtilente aëre diu verſati ſunt, alios febre peſtilenti opprimi, alios vero incolumes evadere: rurſumque ex iis, qui cum eodem ſcorto volutantur, alium penis ulcus, alium bubonem, alium luem veneream contrahere, alios vero nihil perſentire iſtiuſmodi: nullam aliam tantæ varietatis cauſam inveniri poſſe dictitant, quam quod alii puro & minime cacochymo ſint corpore, alii multa illuvie ſcateant, concipiendæ putredini, aut cuivis aliæ labi admittendæ aptiſſima. At vero cum diuturna obſervatione compertum ſit, homines nulla nec plenitudine, nec cacochymia oppreſſos, ſed exacte ſanos, febris tamen peſtilentis aut luis venereæ non raro diſcrimen incurriſſe, quod cacochymi & cachectici ſæpe effugiſſent, præter eam quam certis ſignis internoſcere licet afficiendi corporis præparationem in humorum plenitudine ac vitioſitate poſitam, aliam occultam ſuperiore multo periculoſiorem ſtatuere cogimur, quæ nec certis ſignis deſignari, nec verbis explicari poſſit, ut occulti morbi occulta ſit nulliſque notis conſpicua præparatio: hanc qui volet in luem veneream proclivitatem, aut propenſionem appellet occultam. Hæc certe cauſa fuit, cur eos qui tuto & impune, vel in peſtilenti aere verſari, vel cum impuris ſcortis permiſceri poſſint, ab aliis qui citra gravem noxam non poſſint, nemo hactenus docuerit internoſcere. Quæ quum ita ſe habeant, ſi cui luem veneream declinare eſt animus, eum vel in totum ab impuro concubitu, alioque venereo attactu abſtinere, quod Chriſtianos omnino decet, vel ita corpus præparare ac præmunire oportet, ut eam minime admittat. Hoc autem non tam venæ ſectione, & purgantibus medicamentis vitium facientibus humoribus accommodatis, quam alexipharmacis perficitur, quæ quum viribus & facultate ſua corpus immutent, ſuaque qualitate imbuant, ipſum ſimul adverſus eum morbum, cui tota ſpecie adverſantur, veluti adamantinũ reddunt. Ut igitur Mithridatem regem ſuo alexipharmaco corpus adverſus venena ſibi ſuſpecta ita comparaſſe commemorant, ut nullius poſtea veneni pernicie lædi labefactarique potuerit: ſic nos luis venereæ contagionem prohibere, malignumque ejus virus arcere cupientes, antidotum ſeu amuletum invenimus, cujus uſu hominum corpora adverſus luis incommoda, tuta reddantur. Quo tamen perditos ſcortatores graviſſimas flagitiorum ſuorum pœnas tandem daturos ad explendam libidinem abuti nolim, quin potius cupiditatibus frænum injiciant, ſummam divini numinis iram & ultionem ſibi ante oculos ponant, & ſcortari deſinant ſedulo moneo, medicoſque & chirurgos omnes oro & obteſtor, ne libidinoſis morem gerentes iſthuc communicent atque patefaciant. neve libidinum fautores ſe præbeant. Videndum autem antequam amuletum porrigas, purumne & integre ſanum ſit corpus, an cacochymum. Nam ſi vel plethora, vel cacochymia, vel obſtructione, vel alia gravi & manifeſta præter naturam cauſa tenetur, non ante amuleto utendum, quam plethoram, obſtructionem aliamve cauſam præter naturam medendi arte ſummoveris. Hæc ſiquidem antidotorum vires infringunt. In cacochymia quæ ventriculum, primas venas, viſceraque ipſa occupat, occultæ alexipharmaci vires quaſi ſepultæ franguntur atque hebeſcunt, perinde ac ſi in lutum ſordidiſſimum demergerentur. In obſtructione, ſive ab humorum copia ſit, ſive ab eorum craſſitie, præcluſæ ſunt ac impeditæ viæ, quibus eſt iter ad pudenda, aliaſque partes externas, nec eo poteſt antidotus integris viribus pervenire. Itaque ad eam quam quærimus luis venereæ præcautionem, ſi purum & integrum ſanum ſit corpus, ſtatim nulla curatione præmiſſa præter venæ ſectionẽ: ſin impurũ eſt, poſt venæ ſectionem & convenientes purgationes, alexipharmacum impuros & ſuſpectos concubitus antevertat, dum ipſius vi & qualitate imbutum prorſuſque perfuſum corpus luis perniciem repellat ac ſuperet, quod plurimum ſolet quindecim aut viginti ad ſummum diebus evenire.

℞. Amuleti luis mithridatii veteris deſcriptione Galeni, utriuſque ʒvi. cõſervæ bugloſſi, florum geniſtæ & anthos, ſingulorũ ʒiii. miſce; præbe ʒi. aut ʒi.ß. aut ʒii. ad ſummũ, mane horis duabus ante cibum octo aut decem continuos dies. Si juvenile corpus eſt, & jecur calida intemperie laborat, recte permiſcentur conſervæ refrigerantes è floribus cichorii & nymphææ. Nec vero adverſus luis venereæ perniciem, ita ſemel corpus præmuniiſſe ſatis ei ſit qui ſuſpectam habet uxoris pudicitiam, aut contaminatis aſſidet: ſed quarto quoque die amuleti ſuprapoſiti ʒ i. mane deglutienda eſt: ne ea qua imbutus erat amuleti qualitate extincta, luis perniciem facile ſuſcipiat. Jam vero ſi quis in impurum ſcortum, ſine ea quam dixi præparatione, vel etiam poſt eam, incidit, è quo vel penis ulcus, vel virulentam gonorrhæam, vel inguinum bubones venereos contraxerit, quoniam ex iis partibus, longo uſu & diuturna obſervatione compertum eſt malignum virus per venas & arterias, aut etiam per continuatas quaſque partes, in jecur aliaque viſcera, ſæpe clanculum ſeſe inſinuare, è quibus, ſi non arceatur, in totum corpus poſtea ſpargitur ejuſque mox conſtitutionem pervertens luem infligit veneream: quum primum illa apparebunt majori neceſſitate quam unquam in luis præcautionem incumbendum eſt, eſtque hæc vera, certa & nemini negligenda luis præcautio. Itaque modo deſcriptum alexipharmacum arripiendum, ejus ʒi. aut ʒi.ß mane & ante cœnam deglutiendæ octo decemve dies continuos, cujus vis, ut remotiores partes facilius attingat, eo devorato julapii hujus nonnihil ſtatim ſuperbibere expedit, quo veluti vehiculo, quoquoverſum deferatur.

℞. Aquarum cardui benedicti, pimpinellæ & ſucciſæ ſingulorum ℥ ii. ſyrupi de ſucco acetoſæ & de limonibus utriuſque ℥ i.ß. fiat julapium ad duas doſes ſtatim poſt aſſumptam amuleti ʒi.ß. mane & horis duabus ante cœnam hauriendas. Quod ſi nihilominus, vel multum ſerpere, accreſcereque modo propoſita pudendorum vitia videbuntur, vel diutius affligere, poſt vacuationes univerſales guajaci aut ſarſeparrillæ decoctum, qua ratione in luis comparatione dicemus comparatum, alexipharmaco adjungendum

dum eſt, promotis mane quotidie ejus beneficio ſudoribus, dum res in tuto eſſe videatur. Ita enim dubio procul luis pericula vel proxime imminentia declinantur, tutumque corpus redditur à ſæviſſimis, quæ neglecta præcautione tandem aliquando emergerent, ſymptomatis. Quum autem vix ulla lues incidat, quin diu ante vel ulcus, vel gonorrhœa virulenta vel bubo in obſcœnis partibus ſe prodiderit, ſi horum quopiam exorto medici ac chirurgi continuo ad hanc quam proxime poſui præcautionem, ægros remittant: vix ulla in poſterum lues venerea in toto orbe deprehendetur; tanta eſt remediorum deſcriptorum efficacia, tamque facilis imminentis hujuſce morbi præcautio. Sed etiam atque etiam vereor, ne medentium avaritia admiſſum hoſpitem ejicere malit, quam adventantem repellere, quod illinc multo uberius lucrum eſſe ſoleat. Si cui nimium diſplicebit amuletum, & aqua cardiaca ſupra deſcripta in promptu non ſit, ex illo arte chymica aqua prolicienda, cujus ope inſertum in corpus extinguatur venenum in hunc modum.

♃. Amuleti hujus ℔ ß. mithridatii ℥ iiii. theriaces ℥ ii. conſervæ roſarum, bugloſſ. violarum, borrag. ſingulorum ℥ vi. ſucci endiviæ, aquæ cardui & ſucciſæ, ſingulorum ℔ i. Extrahatur aqua in balneo mariæ. Cujus ℥ iii. cum ſyrupi violarum, aut è limonibus ℥ i. ſudore deterſo propinabis.

Quæ ad luis curationem recte inſtituendam prænoſcenda, quæque curationi præparatio præmittenda ſit.

Antequam agnitæ luis curationem aggrediaris, primum quamdiu illa ægrum afflixerit, & quibus ſymptomatis ſtipata ſit, videto. Recens contracta nullo gravi ſymptomate comitata, ſolis maculis, aut puſtulis quibuſdam conſpicua, humores & carnes tantum obſidens, aut vixdum ſolidas attingens, facile curationem recipit; ægrius, quæ præterea doloribus & ſcirrhoſis tumoribus moleſta eſt: omnium difficillime confirmata, quæ doloribus, tophis, oſſium carie, & ulceribus exedentibus ſe prodit, quam in interioribus etiam viſceribus ulcera & tubercula multa excitare in mortuorum corporibus diſſectis notavi. Conſiderandus eſt præterea totus affecti corporis habitus, & viſcerum, præſertim vero jecoris nativa conſtitutio. Nam quibus calida & ſicca, aut alioqui imbecilla ſunt viſcera, maxime vero qui ventriculi os debile nacti ſunt, mitiora quam qui contrario modo ſe habent, remedia expoſcunt: quemadmodum qui raro & laxo ſunt corporis habitu, leniora quam qui craſſo & denſo. Idem de his quoque ſentiendum, qui improba vivendi ratione, tales evaſerunt. Hi enim omnes nec magnam inediam, nec validas ullas purgationes perferre poſſunt, quin tenui bile & malis humoribus os imbuatur ventriculi, atque graviter compungatur, unde in graves & ſtomachicas ſyncopas incidunt. Inſpicere vero oportet, & qui in ipſis viſceribus humores exuperant. Nam ſi vel partium nutrientium inſito vitio, vel vivendi errore & longa crapula, vel alimentorum impuritate & uſu intempeſtivo illuviem multam in primis venis & viſceribus congeſſerunt, quæ etiam inde in venas majores effundatur: antequam luis propria ſuſcipi poſſit curatio, purgandum corpus ſæpius eſt, & cacochymiæ ſentina prorſus exhaurienda: primum quidem apozematis aliiſque quibuslibet blandioribus medicamentis catharticis, primæ corporis regioni expurgandæ deſtinatis: deinde paulo validioribus, quæ è venis majoribus aliquid etiam attrahant. Quin & vena ſecta ſanguis mitti debet, ne qua in venis plenitudo relinquatur, quæ morbi curationem retardet ac præpediat. Quod ſi quis temerarius, & rei medicæ faciendæ ignarus, cacochymia & plenitudine neglectis, ad propriam luis curationem (quæ per alexipharmaca & ſudorem provocantia fit) aggrediatur, ut ipſam rem ſane perdifficilem radicitus tollat, corpus tamen variis affectibus in omnem fortaſſe vitam obnoxium relinquet. Non enim biliosa, melancholica, aliave craſſa illuvies, circum viſcera collecta tota in ſudores digeri diſſiparive poteſt: ut pituitoſa quæ circum membranas aliaſve nervoſas ac ſolidas omnes partes maligna luis congeſtione ſuccreſcit: ſed tenuiori parte reſoluta reliquum ſicceſcit, impingiturque viſceribus, ac tandem acrem malignamque qualitatem contrahens, ipſorum ſubſtantiam labefactat. Hinc profecto curata lue ſæpe lienis, interdum & jecoris ſcirrhus conſequitur, non ſine hypochondriorum tenſione; hinc & herpetes ſæpius in manibus, nonnunquam & in aliis corporis ſedibus maligni enaſcuntur, qui non niſi longa viſcerum deterſione, humectatione & refrigeratione miteſcunt. Contrario errore tenentur, qui partibus externis jam impactam craſſam lentamque materiam, alvum ducentibus, aut vomitoriis medicamentis validioribus revocare, atque ita luem veneream curare contendunt. Hi certe ventriculum & viſcera omnia graviter offendunt, ac multis ſymptomatis nullo pene uſu laborantem convellunt, ejuſque vires adeo proſternunt, ut nequeat poſtea totam curationis viam conficere. Neque igitur, eam quæ in primis eſt corporis ſedibus humorum illuviem per urinas aut ſudores evacuare, neque quod externis partibus tenacius jam inhæſit excrementum per alvum revocare tentandum, ſed Hippocrati auſcultandum, quæ ducere oportet per loca conferentia, quo natura vergit, ducere monenti. At vero ſi per univerſum corpus fuſa jam ſparſaque erit cocochymia, quæ tamen è viſceribus prodierit, non modo ante luis curationem, primæ ac ſecundæ corporis ſedes, juſtis purgationibus identidem repetitis detergendæ erunt, & ab omni illuvie liberandæ: ſed etiam per totam curationem, ſic enim ne quæ in male affectis viſceribus denuo ſuccreſcant ſordes, diligenter providebitur. Nam ſi bene habiti (ut recte cenſuit Alexander Aphrodiſeus) fameſcentes, ſolito cibi uſu prætermiſſo, bileſcunt, & materiam congerunt acriorem: multo certe magis, quibus viſcera latenti vitio & prava affectione laborant, per inediam alimenti portionem corrumpent. Itaque purgatione, quod ſic quotidie cumulabunt extrahetur, ut vacuum maneat ægri corpus, tutiorque ſit alterius affectus curatio.

Conſideranda & conſuetudo, hæc enim nec ſanis, nec ægris repente mutari poteſt ſine diſcrimine: oportet igitur ad inſuera paulatim tranſire. Videndum & quod anni tempus ſit, quæ

ambientis aëris conſtitutio, hæc enim ſi ad calidum declinaverint, blandioribus agendum eſſe ſuadent: ſi vero ad frigidum, validioribus. Ætates quoque puerilis & ſenilis, eandem præbent indicationem, cæteræ contrariam: ſed & ſymptomata gravia quum ſupervenerint, ſi vires adimant, curationis ordinem pervertent, dum leniantur. Sed de his ſatis. Jam guajacum, quod cauſæ ſine qua nec commode, nec cito perfici poteſt curatio, vim obtinet, paucis perſtringamus ab ejus deſcriptione exorſi.

Guajaci deſcriptio.

Inſula quædam ſuperioribus annis inter novas terras, & antiquis incognitas reperta eſt, cui Hiſpaniola à repertoribus Hiſpanis nomen inditum eſt. Ipſius inſulæ incolis luem quandam venereæ hìc graſſanti perſimilem, ſæpe familiarem eſſe & endemiam, quemadmodum exanthemata & ecthymata epidemica hìc nobis, literis prodiderunt. Hujus igitur luis illis remedium eſſe ligni cujuſdam decoctum, quum animadvertiſſet nobilis quidam Hiſpanus, illic lue venerea, quam in Hiſpania contraxerat, diutius & immanius diſtortus, eadem medicina uſus fœliciter convaluit: cujus idcirco uſum poſtea in Hiſpanias attulit, primum anxius ne non trans mare, qualis in inſula, ejus eſſet effectus. Nomen ei ligno fecerunt guajacum, quod cum hiatu huajacum pronuntiant inſulares. Ajunt creſcere qua apud nos fraxinus, proceritate, arborem teretem, folia habere fraxini nervoſa, rotunda, dura, & nuces gignere caſtanearum ſimiles. Cortex huic quum ad nos pervenit, colore cineritio haud ita denſus, ſed immodice durus. Color fere qui buxo ligno externæ parti, nigreſcens internæ, quam medullam dicunt. Pondus ei, quale nulli præterea ligno. Nulla ejus quantumvis minima pars in aqua fluitat, ſed demergitur continuo, & ſubſidet: duritie robur omne ſuperat, ſed tamen ſæpe dehiſcit, rimiſque & fiſſuris diffinditur, hiatum reſina propria referciens. Suffitur, uritur, & inflammatur ob pinguedinem, odore jucundo ſine fumi tædio. Ab accenſo reſina profluit ſubnigra, ac prædura ubi refrixerit: ſapor hujus ſubamarus levi acrimonia palatum ac fauces compungens, qui ſemel cognitus, nunquam errare in dignoſcendo ſinit emptorem, ut neque odor. Hujus varia ad nos advehuntur fruſta, alia craſſiora & nigriora, quæ ab arbore: alia minora intus & foris fere albicantia, quæ ab ejus ramis deciſa putant. Præferendum quod recens ſatis, non vetus ac carioſum exiſtit, cui cortex proxime adhæret, quod quamplurimum nigri habet, quod quammaxime pingueſcit & pondere valet. Ejus enim ſenecta levitas eſt & marcor. Quod igitur undequaque albeſcere ac omnino buxeum eſſe guajacum videtur, ut minus odoris habet, ſic minus ad luis venereæ curationem efficax exiſtit. Et certe hujus decoctum clarum & lympidum cernitur, nulla aut admodum exigua acrimonia fauces vellicans. At quod intus nigri multum continet ut odoratius & acrius, ita decoctum facit obſcurum magis & minime lucidum, quod fauces acute cõpungit atque mordicat: plurimam enim obtinet reſinam, quæ aquæ incocta turbidam illam albidamque reddit, ſero lactis nuper expreſſo perſimilem. Eſt enim rationi conſentaneum arbori quam ramis majorem ineſſe vim, & quanto fruſtum quodque radici propius accedit, id tanto eſſe præſtantius. Ac rurſum qui ab arbore nec ſenio marceſcente, nec recens orta deciduntur rami nuper natis, aut ſeneſcentibus multo eſſe præſtantiores & efficaciores. Præcipiunt tamen nonnulli fugiendum ejus uſum, cujus rami adferuntur magni & valde craſſi in totũ fere nigri. Id enim contingere ſeneſcentibus arboribus & ſucco deſtitutis, ut paulatim nigreſcant. At verò quũ craſſiſſima illa fruſta experiundi gratia ſæpius diſſecuiſſem, in his reſinam copioſam concreviſſe animadverti, quæ accenſo ligno guttatim ſtillarit. Itaque ejus decoctum uſurpare cœpi, quod ut maxime craſſum & albidum, ita omnium efficaciſſimum longa experientia deprehendi. Quocirca ego vel naturali ſolo, vel arboris parte non ſolo ſenio ab aliis differre exiſtimo, ejuſque ut maxime ſucculenti uſum inprimis commendo.

Quanquam autem guajaci cortex multo majore acrimonia & amaritudine pollet, atque idcirco validius fortaſſe ſiccare, attenuare ac digerere poteſt quam lignum: quoniam tamen non tam his quam occulta quadam proprietate in humido illo præpingui (quod ligni interna parte plurimum ineſſe diximus) inſidente maligna & venenata luis venereæ natura profligatur, ejuſque cohibentur ſymptomata: idcirco ſane pars guajaci interior in luis curatione cortici & externæ ligni parti præferenda eſt. Adde corticem tanta ſiccitate non parum viſceribus, ipſi præſertim jecori diuturno uſu nocere, præſertim vero in calidis & ſiccis corporibus: nam in frigidis & humidis commode uſurpatur. Jam vero quum in multis Americæ inſulis reperiatur guajacum, nullius tamen literis certo proditum legi, ex qua omnium mittatur præſtantiſſimum. Qui Americam ipſam rerum novarum deſiderio luſtrarunt literati viri, duas in ea reperiri ſpecies, mihi ſancte affirmarunt, quarum una lignum in totum fere nigrum exhibet, corticeque tegitur admodum tenui & levi. Altera vero lignum habet in totum fere albicans corticemque gerit craſſum, inæqualem & aſperum. Atque illud quidem hoc longe efficacius, & ad omnia multo præſtantius barbara gens arbitratur, eoque ſolo recenti utitur, ad endemiam puſtularum eruptionem cohibendam.

Utcunque res habeat, olim ex inſula Cruci & Dominico ſacris, magnam copiam albicantis, quod imbecillius diximus, perexiguam vero nigri, ejuſque in inſula Ioanni ſacra nati, ad nos advehebant. Nunc vero luſtrata, credo, penitus America, nigri ingens copia mercatorum diligentia ſuppetit. Itaque guajacum aliud ab alio differt, vel pro arboris parte à qua deciditur, vel pro ſolo in quo ortum incrementumque ſumpſit, vel certe pro ætate. Eſtque nigerrimum & maxime ſucculentum ad luis venereæ curationem ſeligendum.

Diſputatio in quoſdam de guajaco parum philoſophicè ſentientes.

Lignum guajacum quod omni ex parte albicat eo quod interiorem partem cineritiam vel nigram exhibet, longe acrius, odoratius, & amarius eſſe, & idcirco illius quam hujus craſſius, pinguius & acrius eſſe decoctum, hujus ætatis medici quidam literis tradiderunt, hiſce firmiſſimis (ſi Diis placet) rationibus impulſi: Eo nigrius cernitur lignum guajacum, quo ad maturiorem

riorem ætatem pervenerit arbor, à qua fuerit deciſum: contra vero, tanto magis albeſcit, quanto minus illa adoleverit. At quo magis adoleverit arbor, eo ſiccius ejus lignum exiſtit. Nam quælibet conſeneſcens planta (quod animalibus etiam evenit,) continuo exareſcit humidoque privatur. Quo vero recentior, ac minus annoſa, eo humidior ac proinde efficacior. Itaque in eo guajaco quod omni ex parte albicat, utpote juniore, non ſolum vis ineſt vegetandi præſtantior, ſed & major optimi ſucci ubertas & vis ad luis curationem quam in nigriore præſtantior. Quapropter in luis curatione albidum ac buxeum, ut efficaciſſimum & peculiari nomine ſanctum appellatum ei præferendum eſt, quod parte interna plurimum nigricat. Illorum qui ſic ratiocinantur opinionem, quum plerique omnes medicinæ tyrones, magno ægrotantium damno amplexentur, certis argumentis refellere conabor. Primum igitur quoniam illi medicamentorum vires, pro humorum qui in illis ſunt copia, aut penuria firmas imbecilleſve eſſe contendunt, qui id cum veterum ſententiis conſentiat, inveſtigandum.

Ariſtoteles Philoſophos veteres inſectatus, qui naturalium corporum facultates atque vires à calore, frigore, humore & ſiccitate proficiſci contendebant, rati ex his & per hæc omnia effici luculenter demonſtrat elementarias illas naturalium rerum qualitates, cauſæ cujuſdam præſtantioris, quæ rei cujuſque ſua ſit, & propria (quæque aut forma aut natura appelletur) inſtrumenta duntaxat eſſe, cujus vi niſi cierentur, per ſe otioſa prorſus & inutilia manerent. In naturali namq; rerum effectione ſpecies ſive forma primum & præcipuum efficiens habetur, in qua vires & facultates quædam ineſſe intelliguntur, quibus temperamentum & materia tanquam inſtrumenta ſubſidio veniant: pro quorum apta aut inepta commodior aut infirmior formæ ipſius evadit effectio. Itaque à guajaci perfectione formave, actiones ejus omnes primum & per ſe proficiſci ſtatuere oportet: quæ tamen guajaci calore, ſiccitate & materiæ tenuitate ad tenuandum, ſudores movendum & ſiccandum utatur: non autem eo qui in recens natis, cum animantibus, tum ſtirpibus exuperat aqueo crudoque humore. Quod nobis luculentius explicandum videtur.

Triplex quum ſit omnium viventium humor, unus primigenius (radicalem dicunt) pinguis & olei perquam ſimilis, atque idcirco ad flammam concipiendam aptiſſimus. Alter ſuperiore tenuior, minime ad inflammationem idoneus, ab alimentis accitus (alimentarium idcirco dicunt) & per corporis molem diſperſus. Tertius omnium craſſiſſimus, quo tanquam viſco terrenæ corporum partes inter ſe junctæ cohærent, univerſum in animorum genus conglutinatum ſuſtinens. Neminem tamen non dico philoſophorum, ſed ne medicorum quidem proximas ſenſuique ſubjectas cauſas ſpectantium invenias, qui calefaciendi, attenuandi, & ſudores promovendi facultatem ab ipſorum quopiam deducat. Omnes ſiquidem efficientes iſtorum operum proximas cauſas agnoſcunt, exuperantem in temperamento calorem & ſiccitatem una cum partium tenuitate: niſi forte aliquiſpiam ad humorem referens, humoris nomine, non ſolum pinguem illum & oleo perquam ſimilem humorem primigenium nuncupatum, ſed etiam vitalem & nativum calorem, cujus humidum illud fondamentum & pabulum exiſtit, intelligat: in quo tamen calorem efficientem agnoſcat neceſſe eſt. Non igitur quo humidius ſed quo calidius, & tenuius, hoc ad luis curationem efficacius guajacum cenſeri debet. Quanquam autem quicquid vivit primo vitæ ingreſſu humidiſſimum quum eſſet, indies longius procedens magis atque magis ſiccatur & exareſcit, ejus tamen calor (quo ſtatim ut in lucem editum eſt ingenti affluit) ad medium vitæ curſum non mutatur, ſi quidem Galeno credimus, qui ſingularum ætatum temperamenta tactu explorans, cum pueros, adoleſcentes, juvenes ſæpius obſervaſſet, & præterea eundem infantem puerum, adoleſcentem, juvenemque factum, hunc nihilo calidiorem deprehenſum confirmat, nec puerum quam ætate florentem, nec ætate florentẽ quam puerũ. Hoc tamen diſcriminis intercedit, quod puerorũ calor multo alimentario humore ſepultus, halituoſus ſit & tangenti blandior ſentiatur: Ætate vero florentiũ calor ſubacre, quiddam ac non ſuave referre percipiatur. Quod ille de hominum calore affirmat, id nos ad ſtirpes cõmode transferre poſſe arbitror. Sunt enim ut animalium, ſic & ſtirpium ſuæ ætates, plerunque etiam multo longiores, pro quibus ut hominum, ſic illarum temperamentum immutari eſt neceſſe. Si calorem eundem aut etiam acriorem in matureſcente guajaco quam in eo quod minus annoſum eſt, majoremque partium tenuitatem ineſſe ex Galeni ſententia fateri cogimur, quid cauſæ eſt cur album immaturum nigro maturo & acriore validius cenſeatur? In utroque idem agens calor eſt, inquis, ad ætatem conſiſtentem uſque, ſed in albo recentiore humoris major copia, altrixque facultas validior quam in nigro, quod magis adolevit: Ita enim videris philoſophari. Albicans guajacum quia nigro minus adolevit & humidius eſt, ideo altricem vim majorem obtinet, quocirca efficacius & præſtantius eſt, & ad luis venereæ curationem nigro præferendum venit. Bona verba. Quaſi vero & ſtirpium & animalium vires omnes à nativo calore profectæ, humorum reſpondeant copiæ, & non ſæpe potius copia humoris hebeſcant & refrænentur. In infantibus quidem & recens editis ſtirpibus altricem vim firmiorem, majoremque humoris copiam ineſſe veteres prodiderunt, quam ætate florentibus: reliquas autem functiones omnes à calore aut ſiccitate, aut partium tenuitate profectas multo imbecilliores. Primum enim animales functiones omnes in infantibus infirmas eſſe & obſcuras, compertum habent medici omnes: idque non alia ex cauſa, quam quod caro illis inſit præhumida atque mucoſa: deinde nervi, vincula, imo & oſſa præ humoris copia tenera, flexilia adeo ut facile ſequantur quocunque ducas. Quæ ſi aliter ſe habere in guajaco aliiſque ſtirpibus contendas, tota (quod ajunt) erras via. Quid enim? Immaturum piper, aut vix dum è terra emergens origanum, vel ſerpillum, vel pulegium, vel mentham, quia non ita adoleverunt, humidiſſimaque ſunt, validiuſne calefacere, ſiccare, digerere & roborare exiſtimabis, quam illa ipſa

æſtate media cum vigent maxime collecta, & ſacculis ad uſus futuros aſſervata? Abſurda ſane opinio, quam vix medicorum quiſpiam audire ſuſtineat. Nam ut medicamenta, quæ refrigerandi, aut humectandi facultate pollent, præſtantiora & efficaciora concedimus, non ita pridem nata & viridia, quam matura, ſicca, & arida (humore ſiquidem in quo vis illa refrigerandi & humectandi inerat exhausto, infirmiorem illam reddi neceſſe eſt) ita certe quæ partium tenuitate aut calore, aut tota ſubſtantia agunt, ſupervacanei humoris expertia ſiccaque, & quæ maturam attigerunt ætatem, recentibus & humidis efficaciora eſſe contendimus. Illorum quippe inſitus calor in humido primigenio inhæreſcens alimentario humore (quo copioſiſſimo ſtirpes recens ortas ad ſui incrementum perfundi neceſſe eſt) obtunditur, atque hebeſcit, illorumque materia mollis ac mucoſa ut odore fere & ſapore, ita viribus incidendi & attenuandi pene deſtituitur. Quod animadvertentes qui de legẽdis reponendiſque herbis, ſeminibus & radicibus præcepta tradiderunt: quæ attenuando, digerendo, ſiccando & calefaciendo, aut etiam tota ſubſtantia proſunt, quo tempore viribus pollent maximis (quas maturitatem illis adferre inter eos conſtat) legi reponique voluerunt. At quæ refrigerandi aut humectandi facultate valent recentia ac viridia, ſiccis multo præſtantiora, atque idcirco ſi haberi nequeunt, ex iis aquas quo tempore multo humore turgebant arte prolectas ad futuros uſus adſervant. Quis enim vel plantaginem, vel cichorium, vel ejus claſſis reliqua ſicca humidis præferre viſus eſt, aut in humidorum locum ſufficere? Si quo à maturitate longius abeſt guajacum, quia humidius, hoc efficacius eſt ejus decoctum: nonne quo maturius eſt, quia ſiccius, hoc ejus decoctum imbecillius & infirmius eſſe oportet? vide in quem abſurdum errorem tua te deducat opinio. Sed iis omiſſis quid de guajaco ſentiendum paucis perſequi præſtat.

Lignum guajacum ut reliqua omnium ſtirpium genera, quum primum è terra prodire cernitur, humidiſſimum eſſe argumento eſt, quod à ſemine terrea humiditate perfuſo, nuper ſit concretum, quodque valde molle & quocunque velis ductile flexibileque ſit: quod denique guſtantis linguam nec ſiccet nec mordicet, nec jucundum odorem ſpiret, atque poſtea quum ætate progrediente ad maturitatem pervenerit. Aqueum autem eum humorem quo perfunditur ejus alimentum eſſe, è terra nuper prolectum, & idcirco nondum probe elaboratum nec concoctum, nemo in naturæ contemplatione vel leviter verſatus negaverit. Trahitur autem humor hic elementarius ab eo, qui à ſemine arbori ipſi eſt inſertus nativo calore omnium naturalium functionum auctore ab alendi facultate ſtimulato per radicis tenuiſſima quæque filamenta longe lateque per terram extenſa: idque in arboris corticem, in quo aliquandiu moratus primam concoctionem ſubit, & è quo poſtea in totam nutriendam arborem ſpargitur, hoc indicio, quod cui arbori cortex ademptus eſt, tandem illa alimento deſtituta & quaſi conſumpto penu ſiccescat & emoriatur. Maxime autem partes arboris craſſiores, ipſum inquam, truncum & ſtipitem hic humor pervadit, quem conſtat veteres animalium viſceribus comparaſſe, quod præcipua vis arboris in eo recondita deliteſcat. Arboris porro alendæ vis atque facultas in caudice ſita, alimenti varii elaborati atque concocti puriſſimam portionem primigenio ſuo humido à ſemine ducto (quantitate quidem exiguo, ſed viribus maximo) ne id præpropere deficiat, licet non perfecte aſſimilans, ejus molem continenter auget, dum vigorem attigerit: impuriorem vero ad externas ignobiliores partes alendas amandat: excrementitiam denique amaram, acrem & prorſus alendæ arbori ineptam partem, vel in cortice relinquit, vel in eam poſtea regerit, circum quem eam ſiccescere judicabit quiſquis ætate continenter non ſolum craſſeſcere, ſed etiam denſas cruſtas contrahere animadvertet: qua ex cauſa acrior longe & amarior guajaci cortex deprehenditur. Primigenium autem & ingenitum guajaci humidum oleagineam aut reſinoſam potius ſubſtantiam refert, eamq; nigricantem & inflammationi concipiendæ aptiſſimam, cujus portio major in caudicis parte nigricante (medullam dicũt) haud ſecus quàm ſanguis in animalium venis reconditur, in eaque elaborationem, & ſummam perfectionem nanciſcitur. Quæ res efficit ut neque ea ligni pars facile inareſcat, neque facile refrigeretur: quin humoris ejus præpinguis beneficio uritur ac facile inflammatur, & ex ea accenſa, non autem è parte externa buxea reſina nigricans deſtillat. Quod etiam animadvertentes artis chemicæ periti guajaci oleum multis expetitum è parte ligni nigra facile & copioſum proliciunt: vix unquam aut paucum ex albida & buxea. Quibus intelligere eſt guajaci fruſta omnino, aut magna ex parte ſubflava ac buxea, vel ab immatura arbore deciſa eſſe, vel certe majores eſſe ramos, & idcirco ad luis venereæ curationem nigricantibus multa reſina perfuſis merito poſtponi. Quippe præcipuam guajaci vim & facultatem luis venereæ malignitati adverſam, in calore inſito, cujus pinguis illa ſubſtantia pabulum eſt, inſidere inter omnes medicos longa experientia claros convenit. Quod & ſenſus commonſtrant, quibus quo nigrius guajacum & pinguius, hoc & odoratius & majori acrimonia præditum deprehenditur: decoctumque efficere, ut craſſius, ſic certe efficacius: Quo vero albidius videtur, & à maturitate longius abeſſe, hoc minus odorum & minus acre percipitur decoctũq; clarum & ptiſſanæ vulgaris inſtar fere limpidum efficit. Immaturam porro voco arborem quæ copioſo illo humido alimentario perfuſa, nondum eo ætatis proceſſit, ut oleagineæ ſubſtantiæ multum collegerit. Jam vero quum à primo ſtatim ſui ortus die ad conſtans uſque tempus) quo omnia viventia in eodem ſtatu aliquandiu manere ſervarique aſſeverant) majorem in dies ac majorem præpinguis illius ſubſtantiæ, quam præcipuam guajaci partem diximus, copiam ſibi reponat, ſenſimque idcirco in dies magis ac magis nigreſcat pars ejus interior, eouſque ejus quoque vires magis magiſque accreſcere putantur. At ubi ætate conſtante elapſa ſenectutem jam attigit, ut ſenſim humor illi inſitus abſumitur, ita certe vires guajaci paulatim atteri frangique neceſſe eſt, dum eo prorſus exhauſto ſiccescens virib. deſtitutum cariem tandem contrahat. Quocirca certæ quædam notæ, quibus

quibus guajaci ætates internoſcuntur, adjungendæ, ut ad malignam illam veneream luem depellendam efficaciſſimum eligi poſſit. Quod igitur internam partem nigram exhibet guajacum, ſi ſciſſuris veluti lineis quibuſdam colore fuſco in orbem ut nigrum actis per longum interſectum eſt, efficax quidem illud cenſendum, ſed quod tamen vel ex arborum ramis deciſum eſt, vel certe ætatem maturam nondum attigit. Idcirco enim comparent lineæ hujuſmodi, quod præpinguis illa ſubſtantia, quam in medio arboris caudice recondi cumularique diximus, nondum ita redundet, ut internas omnes ligni partes impleat. At quod in totum parte interna nigricat ſuperficie duntaxat albicante, id ſiquidem integrum, firmum, ponderoſum & odoratum exiſtit, levique acrimonia linguam vellicat atque compungit, vel nullis lineis interſectum eſt, vel iis reſina plenis: ideoque dum accenditur præter odorem, quem ſpirat jucundum, reſinam etiam reddit ſubnigram, id ſummam maturitatem extremumque bonitatis ac perfectionis gradum aſſequutum eſſe putato, atque ex arboris ſtipite deciſum. Sin vero lineis diſtinctum & toraminulentum quum ſit, attamen nec pondere, nec odore, nec acrimonia valet, nec inflammatum reſinam de ſe profundit, id ſenectutem attigiſſe certum eſt, ac proinde ejus vires in dies magis magiſque hebeſcere.

Guajaci vires.

Quum medicamentum unumquodque calidum aut frigidum, humidum aut ſiccum ad corpus humanum dicatur, quod ipſum per ſe ac ſemper calfaciat, refrigeret, humectet aut ſiccet: guajacum temperamento calidum & ſiccum eſſe putandum eſt. Etenim ſi quis ipſius ramentum aut pulverem diutius mandat, caliditatem quandam percipiet acrimoniæ participem: quin & externa ulcera ejus decocto ſi abluantur, diu poſtea calor & acrimonia quædam in iis ſentietur. Huic opinioni ſubſcribunt odor & ſapor. Nam, ut auctor eſt Galenus (etſi ex odoribus medicamentorum temperiem ac vires non poſſe certo conjici exiſtimo) odorata omnia calida eſſe, certum eſt. Fit enim, ut ſcripſit Ariſtoteles, odor a vaporatione ſeu exhalatione quapiam, quorum utrunque calorem arguit. Sed quoniam quæ in guajaco percipitur acrimonia, moderata eſt, mediocrem & mitem caliditatem declarat, quæ ſecundi ordinis finem non tranſcendat. Eſt enim ſecundo ordine calidum, frigidum, humidum, ſiccumve medicamentum, quod manifeſte ſuam qualitatem imprimit: primo vero quod obſcure. Neque (ut quibuſdam placet) ſiccitas in eo ita obſcura eſt, ut in primo ordine ſubſiſtat, quin potius ſecundi finem aſſequi ex manifeſtis morborum humidorum curationibus opinor. Quanquam vero guajacum calidum & ſiccum deprehenditur: eſt tamen humoris cujuſdam particeps, maxime parte intime nigra præpingui & reſinacea, quo viſcerum & partium ſolidarum humidum primigenium conſervat, fovet & alit, præterquam dum ſudores promoventur. Quod ſi cuipiam mirum videatur, veteres conſulat artis proceres, qui medicamentum unum & ſimplex ſæpe pluribus, iiſque interdum plane contrariis pollere facultatibus prodiderunt, ut excalfaciendi & refrigerandi, aut exiccandi & humectandi, aut tenuium partium & craſſarum. Et certe niſi primæ illæ & efficaciſſimæ qualitates ita in uno medicamento confunderentur, haud ſane quæ ex illis oriuntur ſecundæ ita implicatæ forent. Jam vero materia guajaco ejuſque cortici ineſt valde tenuium partium, cujus vi quam ſua temperie præſtantiora edit opera. Hinc enim craſſa attenuat, lentaque incidit, & deterget, obſtructa aperit, & liberat, ſudores & urinas ciet, ventriculum præhumidum, nauſeabundum, & reſolutum ſua ſiccitate adſtrictionis participe exiccat & corroborat, ut & alia omnia viſcera; Oris fœtorem tollit, diuturnas & inveteratas jecoris & lienis à frigido potu aut ab aliis crudis potulentis & eſculentis obſtructiones, icterum, hydropem, aliaque vitia ex iis orta profligat. Omnium corporis partium ſuperfluos humores frigidos diſſipat atque abſumit: capitis deſtillationes omnes exhaurit, ex iiſque natos dolores tollit: Anginam notham, podagram, chiragram, iſchiadem, omnéque arthritim mire juvat: Aſthmaticos, paralyticos, ſtupidos & quovis modo reſolutos in integrũ reſtituit: frigidis nervorum affectibus omnibus ſubvenit, tumores frigidos & duros ad ſuppuratioñe perducit, ulcera cacoethea & chironia ſiſtit, exiccat & cicatrice obducit. Luis poſtulas, tubercula ulceraque omnia, ad omnes ex iis natos dolores, aliave ſymptomata nulla corporis noxa, nullaq; virium jactura, ſi quis oportune utatur, paulatim cohibet & tollit, ut non abs re lignum hoc guajacum ob admirabiles in hoc percurando morbo dotes, ſanctum à multis nuncupetur. Ut autem cortex ligno aliquanto acrior & amarior guſtu deprehenditur, ita ſane majorem quam lignum vim ſiccandi, tenuandi, & ſudores promovendi obtinet, præſtantiorque & efficacior in hoc profligando morbo merito cenſeretur, niſi & jecori calida ſiccaque intemperie laboranti & febricitanti officeret. Adde luem veneream non tam tenuantibus & ſiccantibus, quam occulta proprietate agentibus profligari, quæ nequaquam in cortice, ſed in oleaginea guajaci ſubſtantia inhæreſcit.

Guajaci Præparatio.

Lignum cortice ſpoliatum in ſcobem leviſſimam & pulverem tenuem redigere oportet, quo & penitius permeet, & ejus vis in decoctum transfundatur facilius. Nonnulli ad tornum uſque ad minutias comminuunt, quæ res inefficacius quidem, ſed limpidius & aſpectu jucundius reddit decoctum. Hujus igitur pulveris dodrantem aquæ fontanæ aut fluvialis lib. vi. diem integrum macerare convenit in fictili olla nova, plumbo intus illita, & diligenter prius illota, dein percoquere, idque ad prunas dum ad libras duas decreſcat, magna cura & obſervatione, ne nimio calore ebulliens & exæſtuans regurgitet, & in fumum diſſipetur, Nam quod exundaverit potiori facultate exhauſta, multum de vi & efficacia ſua deperdit, ob idque ad flammam coqui non ſuſtinet, & prunam quoque modicam petit, ac ollam quæ non repleatur, ſed cujus quarta pars vacet, ne ſuperfluat, vel diffundatur, quæque perpetuo ſit operculo tecta, ut quam minimum virium expiret. Sunt qui ad dimidias partes tantum percoquant, ſed illud certe de-

decoctum in frigidis & humidis naturis magis probo, quod ad ignem diutius fuit, & è multo ligno paucum evaſit, ita ut ſuadeam in pituitoſa cacochymia, ſi nativus calor nimium elanguit, ad quartam etiam partem decoquere, præterquam quum hepatis ſqualor, aut ejus ineſt ſuſpicio. Sic decoctum guajacum perfrigere ſinendum, dum ſcobs reſideat, dein percolare & in vitreum calicem transfundere oportet, qui orificio diligenter obducto, frigido loco ad uſum ſeponitur, & cremor guajacinus appellatur. Color huic decocto ineſt qualis aquæ ex limo aliquantum conturbatæ, ſapor guſtanti ex amaro ſubacidus, primùm quidem delibanti inſuavis & ingratus, ſed paulatim aſſueſcenti jucundus. Vulgata & pharmacopœis uſitata præſcribendi ratio hæc fere eſt.

♃. Pulveris guaiaci nigerrimi quartaria tria, horis xxiv. aquæ puriſſimæ tepentis libris ſex macerato, dein igne remiſſimo percoquito dum tertiam ex toto reliquam feceris, ubi inalſerit transcolato, & vaſe terſiore exceptum aſſervato.

Simpliciſſimum exiſtit hoc guajaci decoctum in ſimplici affectu, ubi neque corporis impuritas, neque partium ſolidarum inſignis quædam intemperies aliorſum medentis animum abduxerit, uſurpandum. Fere tamen ægrotis decocto paſſis & glycyrrhiza dulcorato gratificamur ablandimurque, & perniciei morbi cardiacis obſiſtimus in hunc modum. Adde ſemihora priuſquam coctio ſit abſoluta, paſſarum mundatarum, glycyrrhizæ, ſeminis cardui benedicti contuſi, ſingulorum ℥ß. ſeminis citrii, fœniculi, acetoſæ radic. tunicis. & pentaphill. raſuræ cornu cervi, ſingulorum ʒ i. Eſt & alia præparandi decocti guaiacini ratio, in qua nihil prorſus virium ipſius deperit, vel divaporat.

♃. Pul. guaiaci interioris nigerrimi dodrantem, uvarum paſſarum, glycyrrhizæ, ſeminis cardui benedicti, ſingulorum ℥ß. raſuræ cornu cervi ʒi. macera horis viginti libris tribus aquæ fontanæ tepentis in olla nova diligenter luto chymico obſignata, dein in diplomate fervefacito horis minimum decem. Hæ quidem in decoquendo guaiaco obſervationes non immerito teneri ſolent. Reddunt enim ipſius cremorem vi tota ligni in liquorem transfuſa quam efficaciſſimum: citra quas tamen ſi minus religioſe paretur, non idcirco tota ejus facultas exolvi & diſſipari poteſt. Quippe quæ in eo tanta ſit, ut parte profuſa atque perdita, non mediocrem tamen ad ſiccandum & digerendum retineat efficientiam.

Quibus in genis floridus color elucet, his ſic comparatum decoctum ſua ſiccitate non parum incommodare ſolet. Sunt enim fervido & tenui ſanguine, qui per inedias, & potionem meracam brevi exardeſcit & exuritur, tenellaque jecoris & pulmonum ſubſtantia, quæ facile reſiccatur & inareſcit. Sed iſta mala adjectis meraciori decocto tribus quatuorve unciis radicis cichorii facile declinantur. Qui verò pituitoſum aut melancholicum habitum præ ſe ferunt, non modò deſcriptæ potionis vim diu ſuſtinent citra ullam viſcerum noxam, ſed etiam meraciorem atque calidiorem deſiderant. Siquidem melancholicæ naturæ tardiùs remediorum omnium vim perſentiſcunt: pituitoſæ vero remedia poſtulant, quæ una ope luem veneream extirpent, ſimulque frigidam & humidam intemperiem emendent. Sic igitur in ejuſmodi naturis præſcribendum.

♃. Raſuræ medullæ guaiaci ℔ß. corticis ejuſdem levigati ℥ ii. ß. macerantor horis viginti aquæ tepentis libris vi. percoquantor dum libræ quatuor abſumptæ ſint. Adde ſub finem coctionis paſſarum purgatarum, glycyrrhizæ, utriuſque ℥ ß. baccarum juniperi ʒ i. ſeminis cardui benedicti ʒ vi. raſuræ cornu cervi ʒ i i. rad. tunicis & tormentill. ſeminis fœniculi, ſingulorum ʒ i. foliorum ſalviæ minoris, ſummitatum betonicæ, florum roriſmarini, ſingulorum p. i. Quod quum refrixerit, colato & ad uſum ſeponito. Eſt quidem in baccis juniperi magna quædam vis adverſus luis perniciem, ſed ob inſuavitatem pleriſque ſic paratum decoctum reſpuitur. Nonnullis ex relicta ſcobe cum libris decem aquæ quandam quaſi loram & ſecundariam potionem comparant ad libras octo admiſtis uvis paſſis & glycyrrhiza: hoc tenue percolatum in epulis potui dant, quum medicinæ loco mane & ante cœnam cremor ſorbeatur.

Ego verò pulverem crudum è medulla guaiacina ſelibræ pondere cum glycyrrhiza & paſſis in aquæ tepidæ libris decem, horis quindecim maceratum ad prunas coquo, dum ad ſex octove libras redeat, & hoc mihi potius utendum cenſui. Nam præterquam quod ſuavius eſt, alit etiam plenius, & morbum validius oppugnat ac depellit, licetque ea potione & in ipſis epulis, & quavis hora ſitim explere.

℞. Raſuræ guaiaci ℔ß. macerato horis quindecim aquæ tepentis libris decem, ad prunas dein coquito, dum duæ treſve portiones expirarint, adde ſub coctionis finem paſſarum mundatarum & glycyrrhizæ tuſæ, utriuſque ℥ i. ß. ſi modo eum dulcorem æger non averſetur. Colato & aſſervato ad uſum.

Graviſſima hîc quæſtio æquales noſtros exercet, aliis ſolius guaiaci uſu (dum ſibi non ſatisfaciunt extollendo) luem poſſe percurari contendentibus: ejuſque vim rerum aliarum miſtarum conſeneſcere & intermori. Aliis aliarum rerum permiſtione ejus exſuſcitari facultatem profitentibus, & qua parte manca atque inops vis eſt in guaico, nonnullis & ſuccedaneis operarum ſociis ſuppleri confirmantibus. Ego vero dum ita indefinite alii extollunt, alii deſpiciũt, ab utriſque aſſenſionem lubenter cohibeo: nec enim tanti eſt guaiacum, ut veneni venerei radices & omnem perniciem brevi prorſus extirpet: nec ita imbecillum, ut nihil ſine aliorum ope & connixu proficiat. Ejus quidem unius uſu abſumptis humoribus omnia luis ſymptomata tandem ſopiri atque prorſus deliteſcere certum eſt: ſed tamen venenata mali labes, quæ jam partibus ſolidis inſederit, in pleriſque eo præſidio expugnari prorſuſque extingui haud poteſt. Quo fit, ut hydrotico decocto ſemper aliquod aut præmittam, aut permiſceam alixepharmacum, quo in omnibus perfecta ſuccedat curatio. Itaque ſi ſola lues profliganda ſuſcipitur, ſolius guaiaci decoctum ad ſudores proliciendos, omniaque ejus ſymptomata cohibenda ſatis eſſe profiteor, ſed cui ad extinguendam latentis veneni perniciem, atque ad morbi reverſionem præcavendam, & ſuſpicionem omnem metumque demendum, deſ-

cript

picionem omnem metumque demendum, deſcriptum alexipharmacum adjungi neceſſe eſt. Poſſunt etiam haud incommode ſicut ante commonefeci ad ægroti gratiam uvæ paſſæ & glycyrriza guajaco incoqui, quæ ipſius decoctum ſuavius & jucundius reddant, ſed in miſtione modum teneri valde neceſſum eſt. Exolvit enim medicamentorum ſimplicium ingens copia, quæ guajaco combulliit, ejus decoctionis facultatem adeo, ut optatis vix unquam reſpondeat. Ineſt enim medicamentis ipſis inter ſeſe quædam nonnunquam conſenſio, nonnunquam diſſenſio, quam niſi medicus longo uſu habuerit comprobatam, ſæpe quæ ignorat miſcendo, ea quæ noverat, obſcurabit & extinguet. At vero ſi lues corpus præhenderit quod aſthmate, arthritide, jecoris, lienis obſtructione, ſcirrho aut inſigni aliqua intemperie laboret, quorum uno tempore ratio habenda ſit, decocto deſcripto ea accedent, quæ & effectibus implicitis & particulis affectis erunt idonea. Exempli cauſa, ſi aſthmati lues venerea ſupervenerit diris ſymptomatis diſcrucians, uterque quidem affectus diuturnus & contumax: ſed hæc quoniam multo quam illud crudelius ſævit, primam medici cogitationem ad ſe transfert, cum ea tamen aſthmatis ſollicitudine, ut guajacino cremori ea incoquat, quæ ipſius ſcaturiginem fontemque deſiccent, cerebroque opitulentur, nimirum flores roriſmarini & ſtœchados, folia ſalviæ & betonicæ: & quæ pulmones multa lenta craſſaque pituita infartos expediant. Quo in negotio probantur helenii (ſed hæc decoctum valde amarum reddit) & ſerpentariæ majoris radix, utraque ſicca, glycyrrhiza, polypodium, hyſſopus, ſcabioſa, tuſſilago, mel: nonnunquam & liquor cyrenaicus & ſtyrax calamita, ſi nulla ſubeſt ſqualidioris hepatis & fervidioris ſanguinis formido.

℞. Raſuræ guajaci nigerrimi ℔. ß. corticis ejuſdem triti ℥ii. macerentur horis viginti quatuor libris ſex aquæ puriſſimæ & egelidæ, dein coctionis finem ne prius facito, quam libræ quatuor deceſſerint: media in coctione adde radicis enulæ campanæ ſiccæ, & in orbiculos ſectæ, polypodii querni, glycyrrhizæ, ſingul. ℥ß. gran. juniperi, ſeminis cardui benedicti contuſi, utriuſque ʒ iii. in fine coctionis ruſus immitte foliorum ſiccorum ſalviæ, ſummitatum betonicæ, bechi, ſcabioſæ, capil. ven florum ſtœchados & anthos, ſingulorum p. i. mellis albi optimi ℥iiii. Conducet ſub curationis finem, præſertim ſi valde craſſus, lentus, frigiduſque toto in corpore humor abundaverit, & bronchia pulmonum occupaverit, ſtyracis calamitæ, & ſucci laſeris di-drachma. Hujus decocti uſu luem & aſthma, graviſſimos hercle morbos tam valenter profligari ſæpe notavimus, ut uno prope tempore utriuſque contigerit ſanatio. Et quod de aſthmaticis, exempli cauſa hic notatum eſt, ad omne morborum implicitorũ genus pari ratione trahi debet. Sic enim jecore male affecto hepatica, liene laborante ſplenica, & affecto capite cephalica utiliter guajaco incoquuntur. Et ut in pauca conferam, in affectibus lui venereæ complicatis, ea guajaci decocto vel incoquere, vel admiſcere licet medicamenta, quæ cum adverſus implicitum affectum vires habere, tum partes primario obſeſſas ab excrementis & intemperie vindicare & roborare putantur. Eſt enim guajaci decoctum, optimum aliorum omnium, quæ illi vel præmittuntur vel permiſcentur vehiculum, ad ſolidas quaſque partes etiamnum illa deducens. Quum igitur ſimpliciſſimum guajaci decoctum, & in ſimplici lue uſurpandũ, hujus capitis initio, deſcripſerim, non erit difficile, ut occurret morborum cum lue complicatio atque connexio, ita remediorum naturas juſtis & idoneis portionibus ad ægri ſalutem confundere & permiſcere.

De chinæ viribus & præparatione.

Radicem quandam exoticam ante annos aliquot Luſitani mercatores è vaſtiſſimo Chinarum regno huc ad nos advehere cœperunt, cui chinæ idcirco nomen eſt impoſitum, lampatam tamen Chinenſes indigenæ vocant. Trium aut quatuor palmorum altitudine aſſurgere traditur, cauliculis tenuibus qui raris foliis cinguntur, mali Aſſyrii minoris ſimilitudine, ſuoque amplexu hederę modo proximas arbores ſcandunt. Radicem autem habere palmi longitudine, interdum craſſam, interdum tenuem, quæ recens eruta adeo tenella ſit, ut cruda aut elixa mandi poſſit. Chinenſes enim hac adhuc tenera cum carne elixa veſci, veluti apud Belgas napis & rapis cum carnibus elixis veſcitur vulgus. Quum ergo in Chinarum regione ſæviret lues venerea, multoſque ea correptos hydrargyri litus perdidiſſet, Deum opt. maximum illius regionis incolis uſum iſtius radicis aperuiſſe tradunt: quemadmodum in America, ubi venerea lues ab omni hominum memoria endemia eſt, monſtravit guajaci uſum, quo humanæ huic miſeriæ opem ferret. Hanc partim in maris litoribus legi, partim in paludibus & montibus atque etiam mediis in ſylvis, (ubi paſſim enaſcitur) effodi mercatorum nautarumque teſtimoniis comperimus. Quæ in paluſtribus litoribus, aut quorundam magnorum fluminum in mare illabentium ripis creſcit, plerunque undarum impetu proximos margines alluentium è ſolo eruitur, & in vaſtum pelagus aquarum vortiginoſo lapſu rapitur, tandemque exoneraate ſe mari, à partibus æſtuoſis, in tranquillas, id eſt, ab aquarum vortigine in litora rejicitur. Radix eſt tuberoſa, inæqualis, in varia fruſta quum ad nos pervenit, diſrupta. Quæ in maris litoribus legitur, rubeſcit magis, quemadmodum cocta quam cruda; quæ è ſolo eruitur & illota ad nos tranſportatur, minus. Quæ paluſtrium & uliginoſorum locorum eſt indigena, craſſior, fungoſa magis & levior exiſtit: quæ apricorum & montium ut magis tuberoſa, geniculata, compactaque, durior & ponderoſior, ita ſuam integritatem tuetur diutius. Sapor recenti qualis ſit, nos antehac latuit, exiccatæ & huc tranſlatæ plane nullus magis ut neque ſapor, neque odor. Antefertur tuberoſa, quæ pondere gravior colore albicanti, nec teredinibus, nec carie tentata, nec inter reſecandum pulverulenta. Hæc enim ut robore decoctum plenius tingit, ita & efficientia præcellit. Vix unquam ad nos è Chinarum ditione viribus integris advehitur, non tam locorum intervallo, quo diſtinguimur, quam cœli plaga atque tractu torrido, quo mercatoribus & nautis non modo navigationibus remigrandum, ſed ſæpe aut commeatus reparandi, aut aquarionis gratia, aut adverſa tẽpeſtate cõmorandum. Ideoque tolerandus eſt immenſus

fervor

fervor ejus ſpatii, quod inter duos tropicos jacet, ubi neceſſe eſt, quicquid in ea humoris reſtiterit, ſummo ardore atque æſtu retorreri & exuccum reddi. Hæc quanquam inſipida & plane inodora, carioſa, & emarcida à nobis tractatur, aliqua tamen partium tenuitate etiamnum prædita, ſudoribus eliciendis manifeſtiſſimo experimento conducit, ſed multo quam guaiacum imbecillius. Cujus uſurpandæ vulgata hæc fere ratio eſt. Chinæ unciæ duæ cum ſemiſſe in orbiculos acutiore cultro reſectæ in olla fictili & terſa aquæ tepidæ & puriſſimæ libris quatuor, horis xii. macerantur, poſtridie igni remiſſo ad mediæ partis reſolutionem decoquuntur, perfrigeratum & colatum id totum condo, datur, ut ſit uſui. Hujus decocti color ad vini fulvi, aqua copioſa diluti ſpeciem accedit quam proxime. Reliquos orbiculos plerique denuo ſiccant, ut ex iis potum alimentarium concinnent. Ego vero quum prima coctione totam facultatem emarcidæ iſtius radicis in juſculum transfuſam & exolutam præ tenuitate deprehenderem, uncias tres orbiculorum crudorum horis duodecim aquæ puriſſimæ libris octo maceravi & percoxi, dum aquæ libræ duæ diſcuſſæ ſunt. Hæc decocta ſi quis paſſis & glycyrrhiza condiat, ſapori ſane aliquid adjecerit, utilitati nihil ademerit. Non aliæ ſunt utendi leges, non alia victus ratio obſervanda in chinæ uſu, quam quæ in curatione per guajacum ſequenti capite exponetur, præterquam quod paulo pleniorem victum requirit quam guajacum: ut idcirco quæ ſit his de rebus fuſior oratio & prolixior & ſupervacua videri poſſit. Cum primum ad nos per Luſitanos delata eſt exotica hæc radix, licet carioſa & emarcida, tanto omnium ſtudio atque applauſu excepta eſt, ut guajaci & auctoritatem & gratiam elevarit atque ademerit, & à proceribus & magnatibus ad diuturnorum affectuum curationem quaſi certatim ſit expetita. Hæc autem (ſi quid judico) à mercatoribus rei & lucro inhiantibus primum conficta eſt, dein hominum ſcriptitantium ſubornatis teſtimoniis & per Europam disjectis libellis confirmata opinio. Chinam quanquam inſipidam, ob partium tamen tenuitatem tenuandi, reſerandi & digerendi facultate ligno guajacino plurimum præſtare, urinas & ſudores mire promovere, omnis generis excrementa abſumere, viſcerum ſordes omnes extergere, eorum obſtructionibus inveteratis mederi, ſanguinem vel impuriſſimum à putredine vendicare, capitis deſtillationes omnes & externarum partium natos ab iis dolores compeſcere, convulſos contractosq; artus laxare, laxatos, & remollitos ſiccando roborare. Ea res Carolum Quintum, Imperatorem arthritide laborantem ad chinæ uſum pepulit. Sed & præter egregias dotes illas, literis eſt proditum una hac china luem veneream ſive recens ſit, ſive jam diu occupaverit, percurari, & omnia ſymptomata multo præclarius & perfectius quam guajaci ope poſſe conſopiri. Quod commentum hoc argumento veroſimilius eſſe duxerunt, quod quum china temperata ſit, omni ſexui, ætati, corporis habitui atque etiam febricitanti tuto dari poſſit, quas opes in guajaco nemo unquam audeat profiteri, quum palam ſit hoc lignum ſiccis & bilioſis naturis omnique morbo à ſqualida jecoris affectione non leviter adverſari. Hæc igitur confidenter de exotica radice inſtitores primi confirmarunt, quæ tamen quam longe à veritate abſint, magno ſuo incommodo ſunt experti, quotquot fere hujus utendæ tenuit deſiderium: niſi forte ex tanta turba unus aliquis, qui neque hydrargyri litu, neque guajaci potione ante ſit levatus, chinæ decoctis ad ſanitatem dicat ſe revertiſſe, cui ego poſſim reponere naturam remediorum varietate gaudere, ideoque nonnullos qui diu guajaco uſi fuerant, aut ſæpius per hydrargyrum inuncti, à chinæ alteriuſve parum efficacis præſidii decocto aliquando fuiſſe allevatos, atque idcirco in recidivæ luis leviuſculæ percuratione chinæ decocta non eſſe forte aſpernanda. Verum id ne levamen naturæ morbum ex aliis remediis imminutum conficientis, & tenuis victus beneficio, an chinæ viribus magis obtigerit, haud facile conjectari poteſt. Quum enim exteram illam radicem emarcidam, & pulverulentam, inſipidam & inodoram, experiundi cauſa, in uſum guajaco ſuccedaneam, arte ac methodo retuliſſem, præterquam quod illam uſu diuturno in magna etiam victus parſimonia adverſus luem inefficacem comperi, ſæpe etiam ejus decocto ita humeſcere ventriculus viſus eſt, & calor nativus opprimi, ut lienteria gravis ingenſque cruditas non raro iis ſit ſubſequuta, quibus imbecillus inſiti caloris fomes inerat. Sed præter has incommoditates & vitia, quæ commemoro, non raro lienis tumores atque duritiem diutius utentibus inducit. Unde quam imbecilliter calfaciat, ſiccet, extenuet, digerat ſudores & urinas ducat, manifeſtum eſt. Nec vero tota ſubſtantia, aut occulta proprietate adverſus luem præcellentes vires habet, quum in morbum recidivum, qui ſibi bene eſſe ejus uſu crediderunt, quotidie collabantur. Itaque commentitias illas & falſas impoſtorum nugas antehac nimio emptas deſerentes nunquam ſatis laudatum lignum ſanctum abunde ſucculentum, & inde advectum, unde primo morbus exortus eſt, in frigido hoc terrarum tractu amplexemur, cujus exploratiſſimæ facultates neminem hactenus, qui ejus decocto diu & recte uſus fuerit, fefellerunt. Sed ita eſt hominum ingenium, ut peregrina quæque & rara, licet plerunque inefficacia & putida, magno in pretio habeant & admirentur: vulgaria vero & quæ parvo conſtant, flocci pendant. Quis neſcit infinita remedia omnium manibus contrectari, & pedibus conculcata ſordeſcere multo potiora? quæ tamen ſi quis in uſum accire deſideret, tanquam popularem & imperitum ſe ad ludificandum exhibeat? Ita noſtra contemnimus, externa probamus omnia.

Garcia ab Horto proregis Indiæ medicus literis prodidit, recentem hanc radicem inſigniter adeo calfacere, ut ſi quis ejus decocto paulo meraciore utatur, aut calidum hauriat, ob nimium medicamenti calorem, in maximos hepatis ardores, in eryſipelata, in phlegmonas atque in alia graviſſima ſymptomata incidat, quæ pericula hîc nemini metuenda ſunt, quum non niſi carioſa & longa vectura emarcida ad nos perveniat.

Mirabiles recentis hujus radicis vires eſſe ſcripſit, ſi quis methodice utatur: utpote cujus deco-

decoctum interdum intra vigeſimum diem luem veneream percuret: ita tamen ut ad decimum quintum uſque diem dolores augeantur, deinde paulatim leniantur ac miteſcant. Ille tamen fatetur nonnullos ſe vidiſſe, qui licet aliquoties hoc decoctum hauſiſſent, attamen poſtrema tantum dieta curati ſunt: alios item qui nullo modo curati ſunt, ut nemini mirum eſſe debeat, ſi carioſa & pulverulenta radix huc allata inefficax pene, & inutilis deprehendatur. Ille hanc efficaciorē putat in inveteratis morbis, quam in recentibus; ego autem interdum illis profuiſſe comperi, qui guajacino decocto nondum plane reſtituti fuiſſent. Cujus tamen rei cauſam ad naturæ vim referri poſſe exiſtimo; quæ poſt longam per guajacum & hydrargyrum curationem, paulo pleniore victus ratione recreata, interdum contumacium morborum reliquias per ſe profligat atque percurat, multo magis cum etiam leviuſculo aliquo præſidio juvatur. Eſt & alterum chinæ genus, quæ nuper è terra Florida afferri cœpit, qua ſi quis utendum contendat, non magnopere recuſem. Hæc enim (ut aliquid etiam adverſus conſuetudinem decernam) quoniam recens eſt & amarore quodam guſtanti ingrata, multo efficacior eſt, quam carioſa illa ante per Hiſpanos advecta & hactenus à Gallis tanti habita. Hujus, ut & Hiſpanicæ propinandæ locus eſt, in tenellis & macilentis corporibus, ſudore facile diffluentibus, in levi recentique morbo, aut poſt longam per guajacum curationem, quæ corpore nimium reſiccato morbum radicitus non extirparit. Quæ quoniam quamplurimis ægrotis ſaluti fuiſſe mihi ſæpe comperta eſt, unde ad nos advecta ſit, & qua proprietate prædita, ſilentio præteriri non debet.

Ante annos aliquot nova quædam terræ plaga Americæ contigua per Nortmanos luſtrata eſt, quæ ob cœli clementiam & loci fertilitatem atque amœnitatem, Floridæ nomen retinuit. Illi non aliter ad auſtrum, quam Paleſtinæ ad ſeptentrionem ab æquatore receſſus, non altera cœli & ſoli temperies contigit: ideo multis herbis, fruticibus & plantis ea terræ plaga decoratur & luxuriat, quibus noſtra, quæ multo plus à ſole abceſſit, Europa deſtituta eſt. Jam enim nos & opobalſamo & xylobalſamo, & aliis medicamentis præſtantiſſimis illinc advectis fruimur. Illinc & radix quædam chinæ finitima afferri cœpta eſt: quæ primum in maris litoribus à nautis reperta, dein vero in ſylvis & montibus & paluſtribus locis inventa eſt. Stirpes huic qui rubi aut vitis aculeis cinctus, humi proſtratus & repens ingredienti moleſtiſſimus. Color quum effoditur, ſecanti primum albus apparet, ſed mox in fuſcum abit, ſervatque dum ſenſim ſicceſcens, ſenſim quoque candorem recuperet. Hujus duæ ſunt ſpecies, alia enim magis tuberoſa, quæ in locis ſaltuoſis & nemoribus naſcitur: Alia vero minus vulgaris acoro, aut appellatæ nobis galangæ ſimilior. Neutra enodis, ſed acori vulgaris inſtar geniculata, ſapore aſtringenti & ſubamaro quandiu recens eſt. Nam reſiccata & inveterata (quo magis china cenſeri poſſit) apios fere exiſtit. Recentis decoctum vini nondum plane defecati, veteris & ſiccæ, dilutioris & limpidioris colorem repræſentat. Utraque jecoris obſtructiones ſolvit, recens tamen efficacius, ſed quæ ſudoribus excitandis, quam ſicca eſt ignavior. Nec me fugit aliter ejus ſpecies à nautis eſſe primum diſtributas.

Affirmant enim radicem uni eſſe exiguam, ſtipitem procerum, & ſemina baccas lauri referentia: Alteri ſtipitem ſine ſeminibus, radicem craſſam & longe per terram ſparſam, modo magis, modo minus tuberoſam, qualis acorus noſtras cernitur. Hanc radicem cum guajaco in uſum potionis adhibens, adverſus luem efficaciſſimum decoctum eſſe deprehendi, ejuſque etiam unius decocto, quum alexipharmacum acceſſiſſet, complures ſanitati reſtitui: Nam & ſudores ciet, & venenatam morbi qualitatem foras propellit, & viſcerum obſtructiones ſolvit, illorum etiam impuritatem in alvum interdum protrudens. Valeat igitur illa Luſitanorum & Hiſpanorum falſis nominibus & titulis gratioſa china, quum noſtrorum commerciis multo præſtantiore potiamur.

De ſarſaparilla.

Advehunt & radicem aliam ex India Luſitani & Hiſpani mercatores, non minus quam china inſipidam & inodoram, ebulorum aut ſmilacis aſperæ radicibus exiccatis non multum diſſimilem: hanc alii ſpartam parillam, alii ſalſamparrillam, & qui Hiſpanice ſciunt, ſarçamparrillam nominarunt. Et ſparta quidem appellata eſt Veſalio, quaſi parva morus, ſed manifeſto errore, quum nec ſpecie, nec viribus cum parva moro ullam habeat affinitatem. Salſaparilla vero ab imperitis linguæ Hiſpanicæ, quæ ſarçamparillam illam appellandam hortatur ob ſimilitudinem, quam cum ſmilace aſpera, planta ſpinoſa, & hederæ folia ferente, habere videtur. Ob ſpinas quidem ſarçam (dumus enim Hiſpanis ſarça eſt) & ob folia & racemos parillam: inde proprio idiomate ſpinoſam vitem vocant. Naſcitur paſſim in provincia Peru, quam Honduras dicunt, idque in ſæpibus, ut lupus ſalictarius & ſmilax aſpera, & vitis alba, quibuſcum affinitatem, & ſimilitudinem quandam habet,

Radix lata illi, quæ ſæpe pondus ſeſquilibræ pendit, interdum multo plus. Hæc de ſe multas fibras perinde atque elleborus promit, & per terram longe adeo lateque diſperſas, ut ſæpe ſex cubitorum longitudinem ſuperent, & complicatæ in faſciculum aſſurgunt trium quatuorve librarum pondere. Præfertur recentior, lenta, alba & craſſa. Ab Orbe Novo aſportatur, ex loco qui Honduras dicitur, rubra, emarcida, ſqualida & pulverulenta, quum frangitur, pene inutilis eſt. Ruffa decoctum reddit ſubrubrum, paulo quam chinæ obſcurius & conturbatius: Alba vero multo limpidius. In fruſta reſecta, & chinæ exemplo aquæ incocta, ad promovendos ſudores guajaci ope vicaria propinatur profectu ſane quam china meliore. Tubercula namque, ulcera & dolores, reliquaque luis ſymptomata profuſis ſudoribus paulatim reſtinguit & imminuit, dum tandem (quod aut quadrageſimo, aut quinquageſimo poſt ſuſceptam curationem die contingit) penitus aboleat. Vis ejus eximia in inveterata lue. quæ guajacino decocto, aut hydrargyro minime ceſſe-

rit, atque in omni ejus reverſione ac recurſu. Nullus enim dolor tam contumax, neque tam diuturnus occurrit, quem non tandem aliquando conſopiat atque eximat, ſi quis ejus decocto diu ac conſtanter utatur. Neque dubium eſt, quin nodoſos omnes luis tumores, qui oſſei non ſint, quacunque parte conſiſtant, extirpet, liquefacta, & ſudoribus profuſa, aut intus conſumpta, & in ſenſili perſpiratione vacuata eorum materia. Eadem de ulceribus ſententia ferenda. Sed & fluxionum omnium frigidarum ſcaturiginem ſiccat & exhaurit, natoſque hinc dolores compeſcit. Nulla tamen qualitate noxia eſt, niſi forte præ nimia ejus copia craſſius decoctum, meraciuſque concinnetur ad modum decocti corticis ulmi, quem hominum etiam plagium & impoſtura pro guajaco auſa eſt venditare, & ad luis venereæ curationem ejus decoctum propinare.

Quanquam enim luis venereæ aliorumque frigidorum morborum meteriam incidit, attenuat, & in ſudores digerit, eaque ratione ſiccare & calfacere videtur: nullus tamen in ejus tempore caloris exceſſus tangenti aut guſtanti occurrit, qui vel jecori ſicciori, vel ſqualido corporis habitui noxius eſſe poſſit, ſi uvis paſſis ejus decoctum condiatur. Contra enim uſu compertum eſt, ejus decoctum lentoris cujuſdam eſſe particeps, quo viſcerum humidum primigenium fovere videtur, & præproperam illorum ſiccitatem præpedire. Quam dotem nulli præterea ex his, quæ ſudores movent, conceſſam video. Quumque ad hominem relata vel temperata, vel ſecundi gradus initium non tranſcendat, non tam caloris vi, quam partium tenuitate tenuare, aperire, & ſudores ciere conjicienda eſt: quod nemini paradoxon videri debebit, quum hydrargyrus quem quarto ordine frigidum ſtatuunt, eadem efficacius præſtare tradatur. Quod ſi verum eſt, id maxima qua pollet materiæ tenuitate, non frigida & humida nativa ſua temperie efficit. In hunc autem modum ſarçeparrillæ decoctum concinnetur.

Unciæ duæ cum ſemiſſe fruſtatim reſectæ macerantur horis duodecim in aquæ puriſſimæ libris quatuor, dein coquuntur igne remiſſo, dum pars media exhalarit, decoctum colo transfuſum uſui aſſervatur. Uvis paſſis & glycyrrhiza condiri poteſt, velut & guajacinum, & adjectis aliis ſimplicibus medicamentis ad alios affectus implicitos una & eadem opera eximendos accommodari, ſi curationem moderanti medico viſum fuerit. Quoniam autem, quæ hujuſce decocti beneficio intercidiſſe videbantur luis venereæ ſymptomata curatione intermiſſa in pleriſque recrudeſcere comperiuntur, veneni reliquias in corpore demerſas reſtare neceſſe eſt, quæ propriis antidotis huic adjectis profligandæ ſunt, ſi morbi perfecta quæratur curatio. Ideoque noſtra alexipharmaca, qua methodo poſtea tradetur, ſarçeparrillæ ſemper adjungimus, quæ venenatam perniciem intus deliteſcentem extinguant, ne ea aliquando denuo pullulet. Jam vero uſu comperi ſarçamparrillam contuſam, ſic decoctam ut nihil virium depereat, multo majoris eſſe profectus. Quatuor ejus uncias aquæ libris ſeptem mecerant, & in diplomate percoquunt vaſe ſic obſignato, ut nihil tranſpiret. Decocto percolato mane & ante cœnam ad ſudores eliciendos & in epulis utuntur.

Qua Arte ac methodo guajaci aut ſarçeparrillæ decoctum deſcriptum, ac luis alexipharmacum adhiberi debeant.

Luis venereæ curatio hyeme in cubiculo, aeri minime obnoxio, nedum ventis perflato ſuſcipienda eſt: ubi focus perpetuo colluceat, aut (ut in Germania fit) in æſtuario tepido, cujus oſtio aulæa intus foriſque obducta in ingrediendo & egrediendo neceſſitatem intromittendi flatus & aeris prohibeant. Satius enim eſt corporis ſpiracula laxa & patentia reſervari, quo virus quavis corporis parte facilius tranſpiret. Æſtate tam diligens cautio & ſupervacua eſt, & plerunque intolerabilis. Primo ſtatim curationis die alvus levi cathartico ducenda eſt, ut quod in primis corporis ſedibus hæſerit excrementum, expellatur: alioquin attenuante decocto concitatum, inchoatam curationem neceſſario abrumpet & interpellabit. Poſtridie purgationis tundenda vena alterutrius cubiti interna (axillarem vocant) maxime ſi ſucculentum & bene habitum ſit corpus, aut venarum plenitudine laboret. Vacuationis vero modus ex plenitudinis, virium ratione & cæterarum rerum, quæ à Galeno peculiari traditæ ſunt libro, captandus eſt. A venæ ſectione ante decocti ſudorem prolicientis uſum ſemel iteratoque, ſi opus ſit, repetenda fuerit purgatio, tantoque ſæpius, quanto prima corporis regio erit impurior: nec tamen continuatis diebus, ſed vel alternis tantum, vel bidui mora interpoſita. Sic enim ad puritatem corpus citra virium jacturam reducetur. Sin corpus quod medicationis opem implorat, minimum habuerit impuritatis, una alterave purgatio præparationi ſatisfaciet. Nam toto morbi decurſu alvus libera fluxaque retinenda eſt: quæ ſi ſponte excrementa quotidie non deponet, alternis diebus vel enemate, vel caſſia, vel catapotiis ex aloe, vel alio blandiore præſidio ante cibum exhibito, ſollicitanda eſt: etiamſi ante contractam luem, aut inceptam medicationem corpus excrementis vacaverit. Quod ſi excrementis ſcatebat, & viſcerum obſtructionibus tenebatur, præter ſuperiorem purgandi modum, ſemel ſaltem quaque hebdomada validior inſtituetur purgatio, indictis eo die decocto hydrotico & æſtuario feriis.

Debet autem, ut medicamenti quantitas pro virium robore, ita & ſpecies & qualitas habita humoris exuperantis ratione à perito exercitatoq; medico præſcribi. Quibus omnib. abſolutis quaſi fauſtiſſimis auſpiciis, negotio eſt incumbendum. Prius illud & valentius decoctum (cremorem nonnulli vocant) bis die propinetur tepidum, pondere ſelibræ, vel ut fert ægrotantis natura plenius aut parcius, mane quidem ad quintam circiterve horam, veſperi quarta aut quinta. Hauſto decocto in lecto quietum horis aliquot ſtragulis obvolutum & contectum eſſe conducit, dum caloris nativi robur medicamentum in artus parteſque diſperſerit atque diſtribuerit, ejuſque vi ſudores promoverit, qui-

quibuſcum venenum exudet atque tranſpiret. At quum permulti, qui laxa & patenti ſunt cute, ſeroſiſque humoribus referti, à potionis hauſtu ſtatim madore & ſudoribus diffluant: alii vero, quorum denſior firmiorque eſt corporis habitus, humores craſſi, lenti & frigidi non niſi exactis vel duabus vel pluribus horis, nemo poſſit certis carceribus ſudoris excipiendi tempus præfinire. Conſtat tamen eos, quibus quamprimum ſudores ab exhauſta potione dimanant, maturius eſſe reſiccandos linteiſque tepidis abſtergendos, ne vis deficiat: alios multo tardius. Sudandum ergo cuique fuerit quamdiu per facilem toleratiónem licuerit. Nam ſi vis exolvi, aut labaſcere ſentietur, etiamſi paulum ſudoris promanarit, ceſſandum eſt. At ſi forte hauſto guaiaco ſudor non facile elicitur, utres aqua calente aut decocto attenuante pleni, vel lapides candentes, vel titiones vino extincti pedum plantis & genubus ſunt admovendi, ut applicito tepore fuſus liquatuſque humor in corporis extima citius ſubduci, & per cutim meare poſſit. Qua etiam ratione, ſi nihil negotium promovetur, ſacculi è melio, ſale, ſemine aniſi, fœniculi apte calentes capiti inducendi ſunt, caputque totum linteo calenti obvolvendum, ne qua inferatur ab externo aëre injuria. Hæc tam ſedula ac diligens cautio hyeme, præſertimq; in regione frigida pernece ſſaria eſt: in iis maxime, quos capitis dolor conficit, ac divexat: neque enim, qui in capite firmatus infartuſq; humor conſedit, ſine topicorum ſuppetiis facile ſolius decocti vi digeritur. Sudore igitur quantum vires perferre poſſunt profuſo, linteis tepidis extergendum exiccandumque corpus eſt, & leni frictione quod partibus extimis adhæſit, diſſipandum. Caput omnium maxime reſiccari & frictione exerceri poſtulat. Fere autem accidit, ut vitioſi humores ante cœptam curationem in corpore deliteſcentes ſexto, aut octavo, aut aliquo poſt hujus curationis die incidentis attenuantiſque decocti uſu concitati, non modo ante curationem natos dolores exaſperent, ſed etiam multo graviores inferant, aliaque inſuper inuſitata & varia ſymptomata pro partis in quam decumbunt, conſtitutione, producant. Nam quum (verbi gratia) accidit in os ventriculi humorum derivatio, & nauſeam & inappetentiam, & interdum ſyncopas cardiacas: in pulmones vero tuſſes, initio quidem ſiccas & inanes, quum aquoſus & tenuis humor, ſed tandem ubi incraſſatus & concretus eſt, humidas: In thoracis partes externas, dolores novos & atrociſſimos, & ſpirandi difficultates pleuritim ementientes; In dorſi & lumborum vertebras, aut in iſchium diros cruciatus, & dira dolorum exempla edunt, quibus ita animus & vis ægrotantium frangitur ac proſternitur, ut pejore loco quam antea, res eſſe videatur. Quæ res non modo ſpem laborantis de recuperanda valetudine diminuit; ſed etiam medicos nondum uſu confirmatos de cœpta curandi ratione plerunque dubitantes & ancipites deturbat, & ad aliam novamque meditationem tranſverſos rapit. At ea certe guaiaci eſt proprietas atque natura, ut quos initio impetus fuſis liquefactiſq humoribus concitarit, hos tandem iiſdem abſumptis cohibeat & compeſcat, ſi quis ejus cremore diu ac conſtanter utatur. Sed tamen ubi apparet tanta humorum concitatio, intermiſſo ſudatorio decocto, appoſitiſſimus erit uſus phlegmagogi, aliuſve cathartici ægri naturæ convenientis.

Ad diem hujus curationis decimum aut duodecimum corpore exquiſite repurgato, reſeratis viſcerum obſtructionibus, patefactis omnium partium occultis & cæcis meatibus, deſcriptum alexipharmacum guaiacinæ potioni hoc pacto eſt adjiciendum. Quotidie mane & veſperi ante cœnam guaiaci cremorem hauſturus amuleti ℨ j. deglutiat, ac continuo ipſum cremorem exorbeat, & in lecto appoſitiſſime ſe ſudoribus incitandis componat, vel vaporarium ingrediatur. Quorum præſidiorum uſus eſſe continuus debet dies quindecim, aut ſi morbi contumacia requirit, diutius, dum veneni radix penitus evulſa ſit, & plane confecta pernicies. Id enim alias breviore, alias longiore temporis intervallo, pro laborantis habitu, & morbi contumacia atque diuturnitate conſequimur. Cum primum à vaporario in lectum æger ſe receperit, calente adhuc corpore patentibuſque adhuc cæcis meatibus deſcriptæ aquæ cardiacæ ℥iiij. exhauriet: ut gemino connixu opiatæ & cardiacæ, tanquam duplici machina venenum propulſetur. At ſi quis præ mollitie opiatæ tædia & amarorem detrectet, huic ejus loco, ante guaiaci cremorem deſcripti pulveris cardiaci cochlear unum vorandum eſt, & in vaporarii egreſſione deſcriptæ cardiacæ doſis exorbenda.

Qui perfectiſſime periculo defungi cupit, hyeme aut cœlo frigidiore, & aquilonio, conclavi, in quo pernoctatur, non egrediatur: non ante remediorum uſum aut remittat aut intermittat, quam morbo profligato ad certam, & non vacillantem valetudinem redierit. Tutior ſane in utendis hiſce remediis eſt, quæ fit paulo ultra progreſſio, quam quæ infra ſubſiſtit; ut idcirco ſuadeam ſedatis doloribus aliiſque ſymptomatis omnibus, ſuperiorum remediorum efficientia ſublatis, ne quid ex altis radicibus & Medicum latentibus denuo propagetur & ſcaturiat, cremorem guaiacinum decem duodecimve dies poſt omiſſam opiatam continuandum; vel ejus loco ſarçaparillæ decoctum, & aquæ cardiacæ adverſus luem veneream alioſque venenatos morbos valentiſſimæ tres, quatuorve uncias ad ſummum deterſo ſudore exhauriendas. His abſolutis ad priſtinam vivendi normam æger redeat, & aëri cœloque ſe committat: ſed hyeme quidem conſideratius, nec primum in aëris aperti & ventorum tempeſtate, ſed pedetentim in ædificii cænaculis, mox in vicinia obambulet, dum aëris injuriis occalleat. Nihil enim hic repente fieri aut mutari debet: omnibus paulatim aſſueſcendum. Nonnulli vicenum, alii tricenum dierum latibula ſatis eſſe ad percurationem putant, morbique reliquias naturæ inſtinctu poſt penetralis egreſſum, & remediorum intermiſſionem celerrime poſſe conſaneſcere; modo ſe confeſtim ægrotus ad vinum non convertat, ſed dies ut minimum quindecim, ſecundario dilutiſſimo indulgeat. Æſtate vero vel cœlo clementiore domi obſeratos ægrotantes habere duco ſupervacaneum, ſed expreſſis ſudoribus matutinis ac deterſis pranſos vel voluptati ſe tradere, vel negotiis conce-

do, ſi & viribus valent, & veſpertinis æſtuariis ſe abſtinent, decocto ſine ſudorum profuſione contenti, quibus nihilominus cum ita gratia, perfecta ſuccedit præ medicamentorum efficacia, curatio. Sed quia quam leviſſimum luis fermentum, ſi in corpore relinquitur, recurſiones morborum ſuſcitat, quamdiu vel ulcera, vel tubercula, vel maculæ, vel dolores ſupererunt, tamdiu profecto fideli medico ſuſpecta debet eſſe ſeparata valetudo. Quamobrem ſi quis integram exiſtimationem tueri, & nominis famam præclaris curationibus propagare contendit, remedia non ante intermittat, quam omnem luis ſobolem funditus ſuſtulerit, tantique ac tam immanis tyranni veſtigia deleverit. Sed quia quæ melancholico ſucco redundant corpora, & ad recurſus morborum ſunt proniora, & ad medicationem ineptiora minuſque idonea, eis longiore tempore ad adipiſcendam valetudinem opus eſt, ut neque de dierum numero, neque de ligni & opiatæ pondere quicquam certi poſſit præfiniri. Recens inquinati ſæpe triginta aut quadraginta ad ſummum diebus perfecte reſtituuntur: præſertim vero ſanguine puro præditi, & quorum genæ lucido rubore florent. Expendunt ligni ſeptem octove libras, antidoti uncias quatuor. At melancholici, & quicunque morbi diuturnitate extenuati, aut tuberculis & doloribus nodoſis obſeſſi, vix ante ſeptuageſimum aut ſexageſimum diem convaleſcunt, ligniqne libras viginti aut eo plus, & opiatæ ſelibram inſumunt. Multo plus negotii & difficultatis exhibent, qui ante hanc curationem hydrargyro ab alyptis noſtris ſæpius peruncti ſunt, tum quod hydrargyrus à noſtrorum remediorum perceptione naturam ægrotantium ſummo ſuo frigore alienarit, tum quod hujus veneni fomitem atque cauſam altius impegerit. Subverentur nonnulli, quum prægracilis aliquis & ſiccus, aut morbi diuturnitate exanguis & ſqualidus medentis opem implorat, ne aut in medio vacuationum & ſudationum progreſſu conſternatur, aut hecticæ febri exponatur, aut atrophia peſſundetur. At certe multorum fide & experientia comprobatum eſt, cremore guajaci longa per hydrargyrum curatione reſiccatos humeſcere, & macros pingueſcere, eaque eſſe natura ut utentem quam maxime refocillet, ideoque ſine periculo quantumvis infirmis atque collapſis, & ab hydrargyro debilitatis exhiberi, quum ſanitatem non ſubitario impetu, ſed lento proceſſu promoveat, & ejus maleficium corpori impreſſum deleat. In aliis qui calido & ſqualido ſunt corporis habitu, guajaci calor & ſiccitas ita aliorum adjectione temperentur, ne calidis, aut ſiccis viſceribus obeſſe poſſint, aut in vicem guajacini, ſarceparillæ decoctum uſurpetur. In iis vero, qui morbi diuturnitate, aut imperfecta curatione ſupra modum contabuerunt, parce ſudores cieantur, donec vires cremore guajacino, aut ſarceparillæ decoctis & euchymiis alimentis paulum recreatæ largius ſudandi & vacuandi facultatem facient. Ita quidem Fernelius olim ſudorem in lecto ſollicitandum & eliciendum curabat: cujus exemplo quamplurimos quoque reſtitui. Verum quum longius curationis iſtius tempus perſpicerem, & qua non niſi recens contaminatis breviori ſpatio fideliter proſpiceretur, cœpi potiorem viam inveſtigare, atque omnium tandem certiſſima ac breviſſima viſa eſt, quæ in laconicis & vaporariis conſiſtit. Quippe attenuantium herbarum ex aqua & vino ferventium vapor, è caldario per tubulos in æſtuarium tranſmiſſus, non externas duntaxat corporis partes attingens & irrorans, ſed etiam penitius & cutis ſpiraculis hiantibus, & ore & naribus ſeſe inſinuans, non modo humores quovis corporis loco latentes partim vi ſua, partim caloris nativi quem ſuſcitat impetu, colliquat & meatuum reſeratione maximam ſudoris ubertatem profundit, ſed etiam guajaci cremorem atque una cum eo amuletum in omnes corporis partes venenata qualitate perfuſas, celerius diſtribuit. Itaque ſi quis celerrime ac tutiſſime ſaneſcere cupit, vorato antidoto hauſtaque potionis ſelibra, non in lecto, ſed in vaporario quotidie mane ſudoribus ſeſe exponat, ibique quamdiu vires tolerabunt, permaneat. Tolerant autem quoque diluculo hora prope dimidia, pro vaporarii calore & affecti corporis virtute: ut etiam à quibuſdam bis uno die ſudoris moleſtia, mane & ante cœnam faciliime poſſit ſuſtineri: debet autem æſtuarii calor tepore eſſe paulo intenſior, ne fervido partes inteſtinæ excandeant, & vires confeſtim reſolutæ aut nullo, aut minimo ſudore profuſo laborantem ad egrediendum compellant. Ita igitur ignis lebeti ſubditus à clinicis diſpenſetur, ut vaporarium ingredienti benignus calor occurrat, diutius commoranti certo tenore, ſed paulatim increſcat, dum deſudandi finis fiat. Non tamen omnibus naturis unus calor idemque conveniet: ſiquidem frigidæ naturæ ſero aut ne vix quidem vel fervido calore hyeme præſertim, aut aquilonia tempeſtate concaleſcunt: calidæ vero vel blando tepore, idque maxime æſtate & auſtrino cœlo ſudoribus diſſolvuntur. Hoc in omnibus perpetuum eſt, ut priuſquam virium exolutio, vel exolutionis ſuſpicio contingat, ex laconico ad cubile, ex labore ad quietem traducantur, nec ante reſurgant quam vis caloris eos dimiſiſſe, & venas concidiſſe deprehenſum ſit, & apothetapiæ, quæ in reſiccando & extergendo ſita eſt, ſatisfactum.

Deſcriptio Æſtuarii.

Aſſeres querni ſeptem pedes alti, opere fabri expoliti & artificioſe complanati, impagibus firmiſſimis cohærentes, mutuis proceſſibus & ſinubus quaſi ginglymis ſeſe excipiunt ea conformatione, ut moles æſtuarii quadrata ſeptem pedes alta, quatuor vero longa & lata exurgat. Nam altitudo hominem erectum ſine moleſtia & corporis inflexione debet capere. In anteriore vaporarii parte ad ægros & inducendos, & educendos oſtiolum conſtituatur, quod feneſtram habeat, quæ, ſi opus fuerit occluſo oſtiolo aperietur, ut æger frigidiorem auram ducat, induſium & ſudaria à clinicis accipiat, aut vehementiorem calorem aëris externi appulſu moderetur. Laquear ne rimis dehiſcat, neve aërem admittat, lateribus fideliſſime adhæret. Solum geminum eſſe debet, externum quidem cum reliquis hypocauſti partibus arctiſ-

partibus arctiſſimè committatur: internum, quod ab externo juſto palmo aut dodrante diſcedit, crebris foraminibus ad vaporis aditum tranſpiret. Redditur enim ex caldario per ſalientes & tubos ignis vi ſublata expiratio in æſtuarii infimum ſpatium interlacunare, unde ſe ſummitent ſuperiorem partem & quaſi cœnaculum implet, corpus ægroti circunfundens, qui ſedi circa æſtuarii poſticum inſideat, ac eo corporis ſitu ſe contineat, qui ad tuendas vires eſt idoneus minimeque defatigat, ut eſt crurum moderata divaricatio, & in ſede quæ ſit indolens pedum ſublatio, omniumque partium, ut Hippocrati videtur, media quædam inter extremitates flexionis & protenſionis compoſitio. Incumbet autem tripodi focario vas aheneum tutiſſimo operculo tectum, quod parte fiſtulari tubi alterum extremum ſubeat, altera labrum caldarii comprehendat. Tubus vero altero extremo laconico inſeratur, in id comparato inter utrumque ſolum foramine. Liquor & exhalationis materia, quæ ex cephalicis & attenuantibus conſtat, medium ſaltem aheneum impleat, quod quinquaginta librarum aquæ capax, plus minus eſſe debet.

Hæc igitur lex in præſcribendo vaporarii decocto obſervetur, ut primo die aquæ fontanæ libris triginta vini albi ſex immiſceantur cum juſtis deſcripti cujuſque ſimplicis medicamenti partibus.

♃. Salviæ, betonicæ, ſtœchados, ſampſuchi, origani, foliorum lauri, roriſmarini, mentæ, flor. chamæmeli, meliloti, anethi, hyperici, ſingulorum M. IV. ſeminum aniſi, fœniculi, radicum cyperi, calami aromatici, iridis Florentinæ ſingulorum ℥ IV. miſce omnia fruſtulatim conciſa. Quotidie ea aquæ copia, quæ videbitur, cum vini libris tribus & deſcriptarum ſtirpium, florum atque ſeminum manipulo adjici debet, ne exhauſta materia, & caldarium igni exuratur, & vapor deficiat.

Quæ victus ratio ſervanda ſit.

Hac in luis curatione cibus (ut aliquid etiam de dieta perſtringam) bis quoque die exhibendus: nimirum exactis à ſumpta guajaci potione quatuor horis, id eſt, ad nonam matutinam, & ſeptimam pomeridianam, ſatis quidem tenuis, boni ſucci, & facilis coctionis. Nam inanem ventriculum guajacum imprimis deſiderat. Itaque qui ad ſanitatem maturant, cibum ſumant, non qui vires augeat, ſed ſuſtentet, non erigat, ſed refocillet, ac deficere non ſinat: & quo quiſque pleniore & humidiore erit corpore, eo tenuiorem ſiccioremque rationem victus ſine infirmitatis metu inſtituat. Tanta enim ad confirmandum in guajacina medulla vis eſt, ut hactenus neminem, quantumvis exacta uteretur parſimonia, præcipitem dederit, ſed ſuſtinuerit, & ad propoſitum curationis ſcopum perduxerit. Quod in ſua xyphillide non inelegant poemate cecinit Fracaſtorius.

Quid mirandum æque memorem ſuper omnia victum,
Quam tenuem quam magna cibi jejunia poſcant?
Quippe ſolet ſatis eſſe ipſum dum corpus alatur,
Dum ſuperet vita, & tantum ne membra fatiſcant
Ne tamen, ah! ne tanta time, ſacer illicet hauſtus
Ille modo ambroſiæ vires reficitque fovetque,
Inque occulta gerit jejunis pabula membris.

Quoniam vero e mutata conſuetudine, ſi repente fit, quamplurima conſequi ſolent incommoda, paulatim cibum deduco. Initiis quidem media cibi portione detracta ſenſim progredior, dum conſueti cibi tertia parte æger contentus ſe nutriat, qui ut quantitate exiguus, ita qualitate atque ſucci bonitate præſtantiſſimus, eſt deligendus. Itaque piſcium, caſei, lacticiniorum, aliorumque omnium crudorum, & vix coctilium ciborum uſu, laboranti interdico. Carnes quidem, ſed aſſas quam elixas potius concedo, quæ tamen, tanquam ex lege ſumptuaria, pulli vel gallinacei, vel columbini quantitatem non tranſcendant: præſertim in iis quos adhuc vegetos & valentes venerea lues recens occupavit.

Nam languidos & morbi diuturnitate effœtos operæ pretium fuerit, ut curationi pares ſint, paulo liberalius enutriiſſe. Ergo divitibus caro vitulina interdum conveniet, interdum capreoli fruſtulum, interdum perdix junior, interdum pullus gallinaceus aut columbinus: nonnunquam carnes aliæ ad coquendum faciles. Sit autem in paſtu unius generis & naturæ alimentum, ne ex varietate & epularum diſſidio exoriatur in ventre conturbatio. Egenis vero ova ſorbilia, vitulinæ aut vervecinæ carnis fruſtulum aliuſve laudabilis ſucci cibus, & paratu facilis. Omnibus vitanda ſunt juſcula & ſorbitiones. Adhæc ſalſa, ſaccharo pipere, aliove aromate condita: & quæcunque vel difficilis concoctionis, vel pravi ſucci eſſe auctorum teſtimoniis comprobantur. Nec clam me eſt quampluriſmos carnes omnes laborantibus negare, ſolum biſcoctum panem pondere unciarum duarum cum prunis, uvis paſſis corinthiaceis aut damaſcenis concedentes. Quod ut in inveterato morbo & altius defixo interdum tolerari poteſt: ita in recenti minime neceſſarium videtur. Sed illi in ſiccantium medicamentorum adminiculis ſpem omnem curationis collocarunt: nos guajaci decocto, & alexipharmaco luis malignitatem facile extingui & evelli poſſe obſervavimus, citra eam, quam tanti faciunt, corporis reſiccationem maciemque. Itaque carnem concedimus, ſed ex moderatione qua vires ſuſtententur, non opprimantur. Primis etiam menſis aliquot pruna cocta, quo alvus ſit liberior, indulgemus. Secundis vero uvas paſſas, aut panis nautici, aut intermediæ panis cruſtulæ, quæ ad ignem exaruit, nonnihil. Quinetiam capparum fructus, qui ſalis vim depoſuerint, & ſi ſitis urgeat, mala arantia aut citria condonamus. Sit igitur in ſumma tenuis ſiccanſque vitæ ratio laborantis naturæ accommodata. Nam quo tenuior vitæ lex inſtituitur, hoc mihi brevior ac ſecurior ſemper viſa eſt curatio. Cavendum tamen eſt, ne quid nimis. Nam viribus magna cibandi parſimonia exolutis, proſtratiſque, neque morbus ferri, neque medicamentum ſuſcitari, neque venenum cum ſudoribus abigi poteſt. Sed & in ἀνάληψι, id eſt, in ea Medicinæ parte, quæ in naturalem habitum reſtituit eos, qui à morbo convaleſcunt, multus ineſt languor & valde difficilis, ac ſera ad negotiorum tractationem reverſio, contra quam fit quum ea quam deſcripſi adhi-

betur cibi moderatio. Potus eſto cum in paſtu, tum extra ſuprapoſitum guajaci decoctum dilutium, quo quantolibet perfruatur. Vinum delibare toto curationis tempore, qui ſunt valetudinis avidiores, haud debebunt. Nonnulli cœna abſtinendum præſcribunt, horiſque duntaxat meridianis reficiunt. Ego bis die ſudoribus toto corpus diu exerceri haud poſſe exiſtimem, niſi exactis ſudoribus ſingulis animi viriumque jacturam levior cibus reſarciat. Alii non ante cœnam, ſed tribus horis ab ea ſudores hauſto guajacino cremore proliciunt, crudum & inconfectum cibum in totum corporis habitum disjicientes. Porro id tempus quod inter utrumque paſtum interjacet, jucundis hiſtoriarum recitationibus, gratiſſimiſque familiarum colloquiis & facetiis, cantorum, & citharœdorum modulis, aliiſque animi oblectationibus tranſigendum eſt: omnia vero negotia, omnes graviores cogitationes circumcidendæ, cavendum ab omni ſolicitudine & iracundia, quæ bilioſam materiam accendunt, denique à venere, tanquam à nefario tyranno fugiendum.

Infantium Lue Venerea affectorum curatio.

Præſcriptis remediis, quæ natu grandes & adultos à lue venerea poſſunt vindicare, ad tenellos infantes, & puerulos transferenda eſt oratio. Multos enim nec deſcriptum guajaci decoctum ebibere, nec alexipharmacum deguſtare, nec ſudorem tuto poſſe perferre crediderim. Sed ſua nihilominus cuique ætati eſſe præſidia, haud obſcurum eſt: & aliquam mortalium partem morbis diripiendam ſine medicinæ adjumentis relinqui & jacere, turpe & ignominioſum eſſet. Itaque lactantem infantulum, quum primum à contaminata nutrice venereum venenum ſuctu prolectaſſe comperiemus, ſi ea erit ætate, qua cibos ſolidiores & alias à lacte potiones conficere poſſit, ut paulatim eis aſſueſcat, curabimus. Nam ſi illum alii nutrici nutriendum credamus, uſque dum adoleſcat, eam mali contagione quam breviſſimo temporis intervallo contaminabit. Cibos inuſitatos ſi primum refugiet, lac caprinum, aut aſininum tepidum recenſque emulctum propinandum eſt, dum & juſculum carnium ſorbere, & ova tremula alioſque cibos coctu faciles deglutire conſueverit. Quo quum ventum fuerit, antequam curationem mediteris, à mamma disjungendus eſt. Fruſtra enim, quamdiu mali materia aliunde miniſtratur, in ullis præſidiis ſpes ſanationis collocatur. Primum igitur potus illi deſignetur, vel ſarſeparillæ, vel chinæ decoctum, qua mox ratione præſcripſero.

Macera horis xxiv. medullæ guajacinæ ℥iv. tepentis aquæ ℔. decem, dein lento igni percoque, dum libræ duæ abſumptæ ſint, adjice ſub finem paſſarum mundatarum ℥ii. glycyrrhizæ ℥ß. mellis optimi aut ſacchari ℥iv. decoctum colo tranſmiſſum loco frigidiore in uſum recondito, ne tepidiore protinus corrumpatur aut aceſcat. Eadem de cauſa æſtate quoque biduo, hyeme vero quoque triduo iterato.

Vituperant id quidem plerique & abjiciunt, quia quum ſit calidum & ſiccum, puſionum naturam longo uſu demutat, & vitæ primordia, quæ in humido vernaculo conſiſtunt, præpropere abſumit: ſed experientia rerum magiſtra compertum eſt, puſillis per trimeſtre aut amplius ſine ulla viſcerum & facultatum læſione, & vitæ incommoditate exhiberi poſſe.

Qui tamen ab eo tantopere metuent, ſarſeparillæ decoctum ſubſtituant, ejus unciis duabus pro guajaci ℥iv. in aquæ ℔ viii. incoctis, dum duæ abſumptæ ſint. Hæc enim in calidis & ſiccis naturis commodius uſurpatur.

Pullum gallinaceum aut columbinum, aut carnem vitulinam, in hujuſce decocti libris duabus, & aquæ fontanæ libra una, coquito, dum libra una ſuperſit. Decoctum per pannum ſetaceum tranſmiſſum à lacte depulſo infanti pro alimento eſt, veluti & caro in eo elixata. Sed utroque crepuſculo nonnihil amuleti, ſi vorare poterit, huic potioni promiſcendum: quod ſi averſetur, aquam cardiacam ſuccedaneam ſufficimus, exhibemuſque quater quotidie modo cochlearis unius.

Horum remediorum tanta & tam conſtans debet eſſe continuatio & perſeverantia, ut in menſes duos aut amplius propinentur: & ſi quid his intermiſſis repulluleț, atque revireſcat, repetantur, dum vitium omne exhauſtum atque extinctum ſit. Neque tamen in penetrali puer eſt continendus, niſi hyems vigeat, cujus frigore denſata, occluſaque cute venenum exitu prohibeatur.

Et horum quidem præſidiorum tantam efficientiam perſæpe notavimus, ut ſine ſudorum aſpectabili profuſione omnes externas maculas deleverint, puſtulas reſolverint, & ulcera deſiccarint: in aliis quidem maturius, in aliis ſerius, ut ſe morbi vis atque veneni diduxerat, & corporis natura occurrebat.

Si quæ tamen vel in ano, vel in ore ſordidiora erunt ulcera, interim bis terve quotidie aqua ſublimati repurganda erunt, & exiccanda, dum ad cicatricem ſint perducta. Dum hæc elucubrarem, illuſtris familiæ infantulum hiſce præſidiis à lue percuratum: nec hunc modo, ſed & olim alios complures varii habitus, variarumque fortunarum dimiſi, qui nec decoctum guajaci melle aut ſaccharo dulcoratum, nec deſcriptam antidotum detrectarunt: quotquot autem refugerunt, ſarſeparillæ decoctis diu continuatis, & aqua cardiaca reſtituti ſunt.

Qui ſunt quadrimi aut natu majores, vel in vaporario, vel in lecto ſumpto guajacino, aut ſarſeparillæ decocto ad leviuſculos ſudores exciendos detenti, convaleſcunt facilius, & ſi id cum modo fiat, periculo non exponuntur. Qua arte ac methodo, quibuſque præſidiis ab ubere avulſus lue correptus venerea, curandus ſit, ſatis conſtat. Jam quid facto ſit opus, quum per ætatem ſolo nutricis lacte & pulte veſcitur, explicandum.

Primum quidem contaminatæ nutrici, quam citiſſime fieri poteſt, auferendus, & alteri integræ ac ſanæ committendus, dum ætatem ſit aſſequutus, quæ propoſita remedia poſſit ſuſtinere. Nutrici vero ne ſtatim inquinati infantis contagione luem contrahat, providendum.

Alumnus cujus os nullis ulcuſculis ſcabrum eſt,

eſt, quanquam reliquo corpore tum iis, tum puſtulis ſcatet, ſerius nutricem contaminat, qui contra, citius. Itaque oris ulcera quum inſunt, generoſo eoque innoxio præſidio ſæpe eluenda exiccandaque ſunt. Quinetiam ante ſuctum nutricis papillæ aqua plantaginis, ut conniventes earum pori, cæcique cutis ductus virus ægrius admittant, perfunde, & poſt ſuctum aqua tepida, ne quod venenum ex ſuctu & præmanſione ſupereſt, ſe intromittat, eluendæ.

Sed omnium efficaciſſima præcautio alexipharmaci uſu perficitur, cujus occulta & cæca vi perfuſum nutricis corpus adverſus luem non modo adamantinum evadet, ſed & alumno ſimul cum lacte vim amuleti ad ipſius ſalutem & conſervationem traducet.

♃. Amuleti luis ℥i. mithridatii optimi ℥ß. conſervæ, bugloſſi, borrag. roſ. nymphææ, florum violarum & tapſi unicaulis, ſingulorum ʒij miſce. cape ʒiß. in ſingulis doſ. dein ſuperbibat ℥ iv. decocti ſarſeparillæ.

Nutricis cibus eſto vitulina aut vervecina caro, aut gallina, aut pullus gallinaceus, aut columba junior, aut alius ejus generis ex decocto ſarſeparillæ elixus, & frequens ex iis ſorbitio. Potus vero cum in paſtu, tum extra quum ſitis premet, dilutius guajaci aut ſarſeparillæ decoctum.

Infans interea minime negligendus. Plures enim mihi olim occurrerunt maculis, puſtuliſque venereis obſiti, quos unius aquæ cardiacæ frequens potio, in os ex cochleari injecta incolumes ac vegetos prorſuſque ſanos effecit. Ea igitur frequenter ingeratur, puta tertia aut quarta quaque hora modo cochlearis unius. Sed & in pultem pulvis cordiacus indatur, & aquæ cardiacæ momentum.

His per duos treſve menſes continuatis, niſi in totum evanuerit morbus, quum jam bibere & edere poterit puer, ſuprapoſita curatione tractandus, dum nihil veteris & pervicacis mali ſit reliquum Deſcriptam porro in legitima luis curatione aquam cardiacam, non niſi cum maturo ſucco turgeſcunt herbæ, quibus conſtat (quod hic vix ante medium Junium evenit) efficacem parari poſſe, medici omnes pronunciarunt. Attamen, ſi aliquando ejus erit penuria, extemporanea comparanda eſt, quæ ad illius vires accedat quam proxime, hunc in modum:

♃. Amuleti luis venereæ, mithridatii optimi, utriuſque ℔ ß. theriaces veteris ℥ iv. conſervæ florum roſ. bugloſ. geniſtæ, tapſi, roriſmar. cichorii & nymphææ, ſingul. ℥ iii. ſem. fœniculi, cardui, citrii, acetoſæ, rad. betonicæ, coronariæ, tormentill. dictamni, ſingulorum ℥ ß. aquarum cardui, bugloſſ. ſucciſ. ſcabioſæ, ſingulorum ℔ ß. ſucc. plantag. acetoſæ, utriuſque ℥ v. miſce, exponantur ſoli aut igni remiſſo diebus tribus, ut leviter ferveant, dein fiat deſtillatio in diplomate. Aqua ſervetur ad uſum: Uſus tempore ſic comparetur.

℞. Aquæ cardiacæ ℥ iv. ſyrup. de limonibus, & ſyrupi violarum, utriuſque ℥ ß. miſce, utatur ex cochleari ſæpe vel poſt deterſum & exiccatum ſudorem.

Sin alterutrius parentis ſemen impurius infanti vitium communicavit, vix ulla perfectæ ſanationis ſpes ſupereſt. Nulla enim ars nullaque induſtria congenita ſeminis & naturæ vitia prorſus eximet: levantur tamen & in longum tempus vitam producunt ſupra poſita curatione.

Puellam, quæ à patris male curati ſemine virus hauſit ante triceſimum ætatis annum, ſexies miſerabilem hydrargyroſim perpeſſam, ulceribus & tuberculis renaſcentibus, cum in capite, tum in reliquo corpore etiamnum conſpurcatam video. Antequam igitur infantuli lue inquinati curatio ſuſcipiatur nutricis an parentis vitio contigerit, quærendum: illi enim, quemadmodum expoſui, medicina etiamnum ſupereſt, huic vero quaſi manca & imperfecta, deeſt.

Luis aliis affectibus implicitæ aut inveteratæ curatio.

Curationem luis venereæ ſimplicis, & non ita pridem contractæ, quam breviſſime licuit, perſtrinximus. Nunc quum vel aliis morbis implicita eſt, vel jam diu inveterata, quænam tenenda ſit curandi methodus, perſequendum. Morbis autem quibuſcum implicatur, vel omnino conſentit curandi genere, vel ab iis disjungitur. Conſentit, quum & lui & connexis una proviſio atque curatio remedio eſt, aut neutri ſaltem incommodat: diſſentit, quum quæ lui peculiaris eſt medela, reliquis officit, & impedimento eſt. Lui conſpirant & conſentiunt arthritis omnis, dolores externarum partium omnes à frigida capitis diſtillatione, intemperies jecoris, aut ventriculi, aut lienis humidior & frigidior, hincque nata obſtructio, atque etiam hydrops, epilepſia, ſtupor, paralyſis, pernicioſique alii complures affectus à frigida & humida cauſa morbum adhuc fovente contracti. Hos itaque & ſimul cum lue, & ſeorſum, quemque ſanare licet. Sed quum implicitorum cura dividitur, ab eo quod magis urget, magiſque fatigat, ſemper auſpicandum, altero quoad fieri licet minime neglecto. Diſcrepant febres omnes, jecoris ſiccior & calidior intemperies, pſora, lepra, aliaque omnia ſiccæ ſcabiei genera, omnis ſanguinis ſive ex utero, ſive ex ano, ſive ex pulmone rejectatio, omnes denique affectus quos vel calida cauſa progenuit, vel genitos fovet ac conſervat. Horum enim legitima curatio, poſt vacuationes neceſſarias, refrigerantibus & humectantibus interdum & aſtringentibus abſolvitur, quorum uſu, quoniam luis cauſa multo fit deterior, ipſa quoque lues multo difficiliorem ac magis anxiam curationem eſt habitura. Verumtamen quum horum aliquiſpiam acutus & præceps, qualis eſt pleuritis & cauſus, lui ſeſe implicuit, ea certum in tempus poſthabita, ad complicati affectus curationem properamus illius memores quo jubemur, in omni complicatione affectuum, graviſſimo atque urgentiſſimo, vel præpoſtero ordine, quam celerrime ſubvenire: iis tamen remediis, quæ aliorum cauſam quam-

minimum irritent. Id autem graviſſimum cenſetur, vel quod in vitæ diſcrimen celeriter adducit, vel de quo ægrotus maxime conqueritur. Sæpius interfui, ubi quum ab alyptis & empiricis in maximo reliquorum morborum lui implicitorum cruciatu, unius luis ratio habita fuiſſet, mors eſt conſequuta: velut quum anginam venereo faucium ulceri implicitam, temerarius inunctor vel ſpernens, vel minime agnoſcens, fluxione ex frictionibus & litu hydrargyri concitata hominem jugulat: Aut aſthmaticum lue prehenſum adhibito ex argento vivo remedio, proritata in fauces & thoracem pituitoſa materia, derepente ſuffocat. Haud mitius cum aliis agitur, qui lue prehenſi, temerariis indoctorum alyptarum manibus ſeſe committunt, quoties vel febris implicita eſt continua, vel gravis morbus aliquis ſupervenit, cujus poſtponitur curatio. Jam vero ſibi lui diſſentaneus affectus, & diuturnus & lentus implicatus ſit, cujus quamprimum curatio non poſſit abſolvi, & à quo aliquandiu neglecto, minus quam à lue periculi impendeat, eo poſthabito ſolius luis curatio recte ſuſcipitur, dum nihil fiat, quod implicito affectui poſſit officere. At ſi æque graves & periculoſi exiſtunt, neutri curationis primas partes, ſed æquas utrique impartimur, remediorum contrariorum confuſione atque temperatione, eadem opera utrique ſuccurrentes.

Exempli cauſa, faciamus juvenem annorum viginti quinque, lue contaminatum, corpore ſicco & arido, variis febribus bilioſis obnoxium, inappetentem, ſiticuloſum, cui & manuum volæ, & depum tarſi impendio caleant, & os amarore perfuſum ſit, nunc ad ideam curationis proponi. Quem, ſi quis prædictis remediis confiſus, nulla cachexiæ & intemperiei viſcerum ratione habita, quamprimum ſudorificis extenuet & reſolvat, maximo vitæ diſcrimini atque periculo objiciet. Itaque ſingulari ingenii ſolertia ſummaque methodo, vel potius æquitate opus eſt, quæ uno tempore & juſtis (geometrarum non arithmeticorum more loquor) portionibus confuſis medelis, utriſque affectionibus ſubveniat, ut inflammationum incrementis digerendi & reprimendi conſiliis conjunctis paremus. Sit autem hujuſmodi: Primum victus inſtituatur, non ut id curatione ſuprapoſita, valde tenuis & exiccans, ſed qui moderate humectet & refrigeret, Itaque per initia guajaci loco, aut ptiſana vulgaris, aut ſarſeparillæ aquoſius decoctum propinetur: In eſculentis vero omne cibi euchymi & eupepti genus, cujus aſſatio (nam elixa ſunt potiora) condimento acido & refrigerante corrigatur. Exhibetur autem cibus non bis tantum, ut ante præſcripſi, ſed ter aut quater diebus ſingulis, verum unumquemque paſtum moderatur parca manus. Deſcripta victus lege prima corporis regio blandioribus catharticis ἐπικρατικῶς expurganda, ſanguiſque ducendus eſt pro plenitudinis & virium ratione. Neque propriæ luis curatio prius ineunda, quam partim idoneo victu partim crebra vacuatione, ſed blanda, viſcerum impuritas magna ex parte exhauſta ſit. Quo quum ventum erit, ptiſanæ ſuccedet potio guajacina, qua ſe non ſolum quum cibus apponetur, ſed quoties ſitis urgebit, quantum appetet, ſatiabit. Nullis enim in hoc morbo fallaciis ſitis eluditur, quum in pleniore potu liberalior inſit medicatio. Itaque ſemilibra ligni ſancti nigerrimi recens in minutias redacti, horis viginti-quatuor in aquæ tepentis puriſſimæ libris decem maceretur, dein igni remiſſo bulliat, dum ad octo libras decreverit. Adjicientur ſub coctionis finem, uvarum paſſarum & glicyrrhizæ cujuſque ſeſcuncia, & radicum cichorii tres quatuorve unciæ: denique decoctum ad uſum colo trajectum reponetur. In deſcripta corporis conſtitutione ſarſeparillæ decoctum tuto uſurpari poteſt, ſed guajacinum deſcriptum multo majore profectu: quod ſi amarore faſtidium afferet, cichorio, ſylveſtri, endivia, ſcariola & plantago ſubſtituantur. Ad ſudores quoque proliciendos meracius ſarſaparillæ decoctum concelebrant. Sad magis probo cremorem guajacinum, in huuc modum comparatum. Sæpe enim carioſa, & viribus deſtituta ad nos pervenit ſarſaparilla.

℞. Radic. cichorii ſylveſtris ℥ iv. paſſarum, glycyrrhizæ, utrinſque ſemunciam. Coquito in aquæ puriſſimis libris octo ad libras ſeptem. Adde ad finem plantaginis, endiviæ, ſcariolæ, borraginis, bugloſſi, ſcabioſæ, morſus, pimpinellæ, ſingulorum M. i. In colati decocti libris ſex, turſum ſexdecim horis guajacinæ medullæ dodrantem, & polypodii querni unciam unam macera, dein igni remiſſo, dum duæ tantum libræ ſupererunt, coquito, adjecta hora una ante coctionis finem foliorum electorum ſennæ ſeſcuncia, Coletur, ubi refrixerit. Sic paratum decoctum, una eademque opera & luem percurat, promotis ſudoribus quibuſcum venenum expirat, & cacochymiæ fontem exhaurit, nulla viſceribus illata noxa. Ideoque extenuatos & macros, in pleniorem & pinguiorem habitum reducit, & omnia ſymptomata à calida & ſicca jecoris intemperie profecta emendat. In ſolitariæ & ſimplicis luis curatione præſcripſimus alvum perpetuo mollem ac facilem eſſe oportere: quod hic tanto impenſius curandum eſt, quo ad illuviem exhauriandam, cachexiam tollendam, & virus ſummovendum, bonumque corporis habitum reſtituendum, magis neceſſarias dotes habet alvi liberior ſubductio. Non enim ſine gravi periculo excrementa in meſenterio circa jecur aut ſplenem colligi, indureſcere ac reſiccari ſinuntur. Sic enim laborantes hepatis aut lienis ſcirrhum contrahunt, vitamque reliquam calamitoſam & valetudinariam degunt. Itaque ſi decocti uſus cœperit eſſe odioſus, eo intermiſſo, ſive adſtricta ſive fluxa alvus extiterit, quoq; quatriduo alvus cienda ſyrupo purgatorio, vel caſſiæ atramento, vel alio blando cathartico, ut quod jam pridem venas obſtruxit, vel de quotidianis cibi reliquiis congeſtum circum viſcera vitium contrahit, frequenti purgatorio deducatur: ita tamen, ut quo die purgandi conſilium erit, ſudorum nulla tentetur provocatio. Qui quarto aut ſexto quoque die ſennæ ſemunciam in decocti guajacini unciis ſex macerant, coquunt ac colant, apozema reddunt purgando, & ſudores promovendo aptiſſimum. Verum, quoniam nonnullos innoxie purgant ſenna & caſſia, alios diris torminibus & ventriculi morſu

morſu cruciant, peculiares ſingulorum proprietates & naturæ, medico ante delectum catharctici medicamenti ſunt explorandæ. Sed præſtat quo minus medicationis ægrotum tædeat, ſyrupum deſcribere, quo bis quaque hebdomade ei utendum fuerit, qui decoctum purgatorium reſpuat.

♃. Rad. cichorii ℥ iii. rad. acetoſæ, graminis oxylapathi, paſſul. polypodii, ſingulorum ℥ ß. radicis dictamni, tormentillæ, cujuſque ʒ i ß. endiviæ, ſcariolæ, lupuli, borragin. bugloſſi, fumiterræ, betonicæ, eupatorii, ſingulorum M. i. capill. ven. polytrichi, ceterach. ſcolopend. ſuccisæ ſcabioſæ, pimpinell. ſcordii, plantag. florum cord. anthos, nympheæ, geniſtæ, ſingulorum p. ii. ſem. iv. frigidor. major. ſem. citri, acetoſ. fœnicul. & aniſi, ſem. cardui, ſingulorum ʒ i. foliorum ſennæ ℥ iv. coquito ad libram unam. Adde in fine agarici albi ℥ ii. cinnamomi ʒ ii. In expreſſione diſſ. ſacchari albiſſimi ℔ i. fiat ſyrupus mediocriter coctus. Cui adde ſub coctionis finem, maxime ſi robur jecoris nimium elanguet, expreſſionem unciæ unius rhabarbari electi, macerati in aqua bugloſſ. cum ʒ i ß. cinnamomi. Doſis erit unciarum binarum, ſeu per ſe ex cochleari, ſeu cum ptiſana, idque mane tribus horis ante cibum.

Iſtorum præſidiorum alternato uſu, quum primum potior, eaque craſſior cacochymiæ pars per alvum detracta & tenuior in ſudores digeſta videbitur, corpuſque ad opiatæ uſum rite præparatum: balneum ex aqua tepente adverſus ſervorem & ſqualorem viſcerum inſtruatur: in quo quaque hebdomada biduum mergetur, bis quoque die, mane & ante cœnam, quod priuſquam ingrediatur, definita opiatæ moles mandetur, ac guajaci decoctum ebibetur. Sic autem concinnabitur opiata, in propoſito corporis habitu.

♃. Opiatæ luis mithridatii optimi, conſervæ nympheæ, florum cichorii, roſarum, bugloſſ. & borrag. ſingulorum ʒ ii. miſce. cap. ʒ i. in ſingulas doſes.

Porro in inſeſſu horam integram commoretur mane & ante cœnam, dein in lecto obvolutus ſudorum profuſionem, ac moleſtiam tacitus quietuſque perferat pro virium modo. Balnei tepore non ſolum copioſus ſudor è ſqualido corpore facile elicitur, quocum venereum virus emanat, ſed etiam viſcerum & partium ſolidarum calida & ſicca intemperies ſic emendatur, ut ſudorum eruptionem & ſiccantium remediorum uſum innoxie tolerent. In primis autem naturis calidis & ſiccis conducit, quas curatio per guajacum & alexipharmacum lui venereæ eripuit, ſive in ipſa curatione, ſive ea abſoluta adhibeatur. Sed quoniam, quod media in curatione uſurpatur balneum, dura mollire, craſſa attenuare, fundere ac digerere par eſt, poſt ejus egreſſum ſudorem in lecto promovere oportet. Quod vero peracta curatione, ad ſqualorem viſcerum temperandum humectandumque imperatur, tepidum duntaxat eſto: ut diu in eo inſidere poſſit, citra ſudorem ac citra virium jacturam, neque in lecto poſtea ſudor eliciatur. Alioqui quod humectare & reficere oportuit ſqualidum corpus, exiccari & elangueſcere continget.

Sunt autem qui lue venerea recens correptos non prius audeant balneis committere, quam abſoluta ſit curatio, quod venereum virus quoquoverſum diffundant, & in ſolidas quaſque partes deducant. Ego vero in media curatione, fœliciter eo ſæpe ſum uſus in ſiccioribus naturis. Quod tamen ſi metuitur, ejus loco vaporarium commendo, cujus tot ſunt commoditates in hujuſce luis profligatione, ut ſive quis per argentum vivum, ſive per guajacum & alexipharmacum curationem inſtituat, ipſius uſum minime negligere debeat, quocunque temperamento, aut corporis habitu fuerit, ſi modo ejus calor ſingulorum aptetur naturis. Abſoluta curatione ſi vel in facie, vel in alia quavis parte rotundæ maculæ, vel herpes, vel in volis manuum ſciſſuræ ſuperſint aut expullulent, minime ſtatim ad vini potum ſe convertat æger: ſed diluto decocto, quod ſecundarium nuncupant, utatur dies minimum quindecim. Hic quod è china aut ſarſaparilla conficitur, ad paſtum præſentiſſimæ opis atque ſubſidii comperi, & ad mali reliquias amoliendas, & ad partium intimarum ſqualorem decocto guajacino contractum temperandum. Continuatur autem dum omnia recurrentis morbi veſtigia deleta ſint. Sed interim mane quoque die ſequentis decocti doſis in balneo exorbenda nulla ſudorum provocatione primum, deinde etiam iis promotis, ſi opus videbitur.

♃. Sarſeparillæ, & chinæ, polypodii, paſſul. radic. cichorii, ſingulorum ℥ i. plantaginis, agrimoniæ, bugloſſ. borrag. fumiterræ, ceterach. ſcolopendriæ, endiviæ, ſcariolæ, pimpinell. calendul. ſuccisæ, ſingulorum M. ß. flor. comm. & geniſtæ, ſingul. p. i. ſem. iv. frigidorum majorum, ſem. fœnicul. ſingul. ʒ i ß. raſuræ eboris & cornu cervi utriuſque ʒ i. ſem. citri & cardui, rad. tunicæ, & tormentill. ſingulorum ℈ iv. foliorum ſennæ ℥ iß. coquito ad libram. In colato diſſ. ſyrupi de ſucco acetoſæ, de limonibus & violarum, ſingul. ℥ i ß. Concinnetur apozema ad quinque doſes, quas capiat mane in inſeſſu, in quo tepenti horam ſaltem unam maneat. Conveniet tamen & ſine balneo, quum nec æſtus ingens, nec ſqualor à nimium ſiccanti victu & guajacina potione viſcerib. impreſſus videbitur.

Eorum qui per Hydrargyrum reſtitui non potuerunt, Curatio.

Jam vero ſi vel neglecta, vel per hydrargyrum male curata lues venerea, tamdiu in corpore moram fecerit, ut non dolores modo implacabiles, ſed ſcirrhoſos etiam nodos malignaque ulcera & cacoethe convexerit, ſuperior quidem curandi methodus tenenda, ſed cui pro laborantium natura, & ſymptomatum varietate ac magnitudine, multo plura eaque potiſſima & lectiſſima remedia accedant. Quæ res quo plus habeat perſpicuitatis, è ducentis quorum ſaluti profuimus unus hic ad curationis exemplar in medium producetur.

Vir quidem honeſta familia, annos natus quadraginta, corpore mediocriter carnoſo & bene conſtituto, venerea lue perculſus, accitos celebriores Lutetiæ medicos ac chirurgos de recuperanda valetudine conſuluit. Cui communi ſententia poſt catharſim & phlebotomiam litus

litus ex hydrargyro decernitur, & aliquot diluculis adhibetur. Exinde quum & multa ſputatio ſeptimo poſt die, & alvi fluor contigiſſet, ſpes miſello brevi affuturæ ſanitatis injicitur. Sed quum poſt exactum vicenarium (quanquam omnia ſumma fide ac ſedulitate fierent) nullatenus ſe levari ſentiret, eos ipſos, quorum ſe tutelæ commiſerat, in conſilium revocavit. Hic illi morbi contumacia & humoris malignitas ad excuſationem prætexitur, & iteranda hydrargyroſis inſtituitur, in qua nihil omnino quod in hoc curandi genere ſanctum & ſacrum haberi conſuevit, prætermiſſum eſt: ſed ſucceſſu non minus quam in principiis infauſto.

Tum chirurgi eam eſſe in hydrargyro tarditatem profeſſi ſunt, ut non niſi pedetentim, ſed continenter tamen, poſtquam eſt intromiſſus, morbum conficiat & atterat: ſeque multos vidiſſe, qui quum deplorati & conclamati haberentur, temporis tamen tractu & diuturnitate convaluiſſent. Id quia facile ſibi ægrotus (quod ita eſſe maxime cuperet) perſuaſit, tres totos menſes magno fortique animo, atroces dolores ſine ulla querela auxilium expectans ſuſtinuit. Sed tantum à ſanitate abſuit, ut ſubortis circa oſſa tophis & novis dolorib. miſerior, chirurgos denuo accerſere coactus fuerit, qui uno omnes ore, curationem per argentum vivum tertio repetendam, adjecto decocto guajacino cenſent. Neque prius inungendi finem faciunt, quam quater uno biennio eandem frictionem & illitum, infinito prope dolore, immenſis cruciatibus ſine ulla ope perpeſſus ſit. Inde tam ſiccum & exangue corpus evaſit, ut τιφὰρ ἄνδρος potius, quam vividum corpus putaretur: adeo nihil reliqui præter cuticulam, & ſolidorum corporum ſtamina fecerat calamitoſa morbi diuturnitas, exceptis tophis permultis qui brachiorum, crurum, & capitis oſſibus adnati, præ doloris acerbitate, ſomni benignitatem toto jam biennio ſuſtulerant. Hos chirurgi cauterio aperiunt, facto à capite initio: cumque ſubjecta illis oſſa carioſa & ſubnigra occurriſſent, ea terebello eximunt, veneni maleficio, qua parte meningas ſpectabant, jam exeſa ac corrupta. Sed quum ne ſic quidem ulla ſalutis ſpes affulſiſſet, emplaſtris Joannis Vigonii, quæ duplo fiunt Mercurio, hominem circumveſtiunt: Quo remedio irrito, alii rurſum vinum guajacinum per menſem exhibent, alii denique balneis ex guajacino decocto aliquot diluculis moribundum ægrotantem immergunt: quæ omnia quum infauſta, & plane nullo ſucceſſu fieri viderentur, ſumma virium imbecillitas, tandemque lienteria gravis extincto pene ab hydrargyro calore nativo ſupervenit, nullis concedens remediis. Itaque hominem moribundum pro deplorato deſerunt, nulla arte, nullaque induſtria eum curari poſſe profeſſi, cujus jam oſſa pene omnia caries labefactaſſet.

Quam, cedo, cauſam tam immedicabilis luis inunctores prætendent, aut quid tandem conquerent & comminiſcentur? Cur hydrargyro, ſi verum luis alexipharmacum prædicant, toties repetito & tandiu continuato profligari non potuit? Empiricos, credo, curationem dicent ſuſcepiſſe. At Chirurgi erant celeberrimi, non ſuis modo, ſed etiam medicorum conſiliis adjuti, Ægroti aut mollitiem, aut debilitatem prætexent? At is & quadratus fuit, & laboris patientiſſimus, cui nihil unquam tam durum tamque laborioſum præſcriptum eſt, quod dicto citius non exanthlaret. Nemo à ſervis accuratius, à medicis fidelius, ab amicis diligentius unquam tractatus: eidemque non opes, non ætas, non vires, non viſcerum robur, non quicquam aliud quam medicamenti efficientia defuit.

Hanc hiſtoriam fuſius explicui, quo palam fieret in hydrargyri uſu minime ſitam eſſe luis antidotum, ſed empiricum inventum, falſis titulis & laude hucuſque celebratum.

Jam qua methodo propoſiti ægroti curationem abſolverim percurram.

Quum miſelli hujus prorſus exuccum & effœtum corpus in noſtras manus incidiſſet, primum operam dedimus, ut quam optimis coctuque facillimis cibis renutricaretur: & quo minus eum tæderet dietæ frugalioris, varietatem pullorum gallinaceorum, columbinorum, perdicum, avicularum montanarum, vitellorum ſorbilium, carnis hædinæ, vitulinæ, cæterorumque præſtantiorum ciborum indulſimus. Sed quia tanto marcori & virium proſtrationi quamprimum ſubvenire pa erat, ad juſcula quæ celeriter id præſtant, & deglutiendi difficultatem qua laborabat, eludunt, confugimus: Sed ita comparata ut dum vires reficerent, ipſius etiam morbi occultam perniciem vimque retunderent. Itaque ex decocto guajaci vitulina caro cum pullo gallinaceo elixabatur, adjectis ſub coctionis finem hyſſopi, bugloſſi, borrag. pimpinell. foliis, hincque expreſſi juſculi ter quoque die unciæ ſex exhibebantur, quod & vires collapſas mirum in modum inſtauravit, & morbi malignitatem mitigavit. Ab ea ſorbitione quæ octava quaque hora ſumebatur, aſſi nonnihil, ſi poterat (diu autem non potuit præ faſtidio & deglutiendi difficultate) aſſumebat. Epulas uvis paſſis & pane biſcocto claudebat.

Quanquam autem graviſſima, eaque diuturna lienteria exercebatur, curationis tamen decurſu idcirco vino interdiximus, quod ejus uſus guajaci & amuletorum facultates atque beneficia ita elevet & obſcuret, ut ſanitatis optatiſſimum fructum multis eripiat. Cujus loco dilutum guajaci decoctum quale in legitima curatione deſcriptum eſt, tam in paſtu quam extra in ſiti uſurpavimus, cui inter coquendum ad robur viſcerum raſuræ eboris, & ad veneni perniciem infringendam, cornu cervi, utriuſque ſemuncia adjiciebatur. Qui ſolidos cibos deglutire poſſunt, nec ita ſicco ſunt corpore, non niſi aſſis & ſiccis alendi veniunt. Sunt enim humida omnia luis venereæ curationi adverſa. At qui calido & ſicco ſunt jecore elixorum uſu ſaneſcere non prohibentur. Confirmatis viribus iſtorum præſidiorum ope, medicamentoſo juſculo decoctum ſuffecimus hujuſmodi.

℞. Guajaci nigerrimi recens in pulverem redacti dodrantem, corticis ejuſdem comminuti, polypodii querni contuſi, utriuſque ℥ i ß. macera horis 24. aquæ tepidæ libris ſex, dein ad tertias percoque, addeque ſub coctionis finem ſem. cardui contuſi ʒ ß. radicis betonicæ, coronariæ & tormentill. utriuſque ʒ i ß. foliorum ſiccorum pimpinell. ſucciſæ, ſcabioſæ, ſingul. p. i. glycyr-

glycyrrhizæ ℥ß. Coletur decoctum, ubi refrixerit. Longe efficacius, ſed multo inſuavius decoctum fuerit, ſi radicis helenii ſiccæ & baccarum juniperi utriuſque ſemuncia incoquatur.

Non in levi ſunt errore, qui hermodactilos, turpethum, agaricum, aut maligna alia cathartica ſimul cum guajaco coquunt. Nam & facultates ligni ſancti clandeſtinis odiis demoliuntur, & viſcerum maximeque ventriculi robur diſſolvunt, & ſeroſorum humorum eodem tempore motus cient contrarios. A cortice guajaci nulla offenſæ ſuſpicio, quamlibet extenuatis eſſe debet, qui ſæpius argento vivo inuncti ſunt, ob eam, quam viſceribus, aliiſque partibus ſolidis impreſſam atque inuſtam reliquit frigidam humidamque intemperiem. In aliis, qui calido ſunt jecore, neque hydrargyroſim perpeſſi ſunt, guajaci cortex noxius eſſe ſolet, ſæpiuſque ſarçeparrillæ, quam guajaci decocto uti præſtat. His ergo diei horis omnia digeſſi, ut mane ad horam ſextam, a prandio ad quartam ℥ vj. ſuprapoſiti decocti exhauriret, neque tamen ſudores, qui vix unquam ab imbecillis & præaridis excientur, promovere conaretur. Siccat enim per ſe, attenuat & digerit guajaci decoctum, ut etiam ſæpe diuturno uſu ſine ulla ſudoris aſpectabilis eruptione, imbecillis ſatisfecerit, quod etiam ſæpe in raro & tenello corporis habitu ſarçeparrillæ decoctum præſtat.

Cohibita lienteria reliquo curationis tempore corpus ſingulis hebdomadibus repurgare viſum eſt, ne qua circum viſcera imbecillior a craſſioris humoris colluvies ſubſiſtens, pernicioſa ſymptomata poſtea accerſeret. Quo impuriora occurrunt viſcera, hoc crebrior catharſis imperanda, ne ichoribus ſudore profuſis, craſſiores ſordes in meſareo & circum viſcera ſicceſcant.

Hoc autem loco Lectorem monitum velim, eorum corpora, quos hydrargyrus ſæpius attigit, ægre adeo catharſi conturbari, ut niſi medicamentum duplo validius propinetur, quam vires ferre poſſe videantur, nihil efficiat; cujuſmodi videri poterat in deſcripta corporis natura, quod ſic habet.

♃ Rad. betonicæ, coronariæ, dictamni, tormentill. ſingul. ʒ j. ß. paſſar. enucleatarum, foliorum ſennæ purgatorum utriuſque ʒiii. ſcabioſæ ſuccisæ, pimpinell, eupatorii, fumiterræ, flor. cord. familiarium, ſingul. p. j. ſem. cardui, citrii, acetoſ. fœnic, aniſ. ſingul. ʒß. Coquito ad ℥ iv. In decocto colato macera horis duabus rhabarbari electi ʒ ii. agarici ℈ iv. cinnamomi ʒß. In expreſſo diſſ. catholici, ſyrupi capill. veneris, utriuſque ʒ vi. diaphœnici ʒ ii. Concinnetur potio.

Qui tamen curationi præerit medicus peritior, purgantium modum, & ſpeciem captatis indiciis & virium & humoris redundantis melius præſtituet, & inter purgantium vices ad dolores leniendos, ſcirrhos emolliendos ac digerendos, fotus, unguenta, cataplaſmata & emplaſtra ea methodo in uſum adhibebit, quæ ſequenti capite tradetur. Quorum uſu quum tophi & dolores omnes delituerunt, ſtatim huic noſtro ægrotanti & ſomnus benignior obrepſit, & lenta febris diſparuit, & crudum alvi profluvium conquievit: nec multo poſt corpus firmiorem & priſtinam molem ſenſim recipere viſum eſt, adeo ut qui in initiis citra animi defectionem dimoveri non poterat, ad trigeſimum hujus curationis diem, per ſe in lecto ſeſe erigere ac ſedere poſſet. Hic tum primum (quod ſatis viribus eſſe perſpectum conſiderem) cœpi in vaporarium (opiatæ ʒ j. & decocti ℥ vj. exhauſtis) inducere, non quotidie primum, ſed alternis dieb. duntaxat, idque minima mora (quod vires nimium adhuc eſſent accisæ) & in ingreſſu ad focum caput & reliquum corpus excepto pectore & facie oleo lenibus frictionibus irrorare, in quo egregia facultas inerat noxias hydrargyri qualitates nervoſo generi impreſſas ſummovendi, ac nativum calorem ejus frigore ſtupefactum ſuſcitandi.

Quum eò virium miſellus pervenit, ut ſervo, aut ſcipioni innixus, corpus erigere, & in conclavi ſpatiari poſſet, plenius ducendi ſudores occaſione data, eos quotidie & in vaporario, & in lecto prolicere cœpimus paulo longiore mora. Sed & ſorbitiones omnes, & elixa circumcidimus, ſolius aſſi copiam facientes, ne (quod in pleriſque aliis morbis, imprimiſque diuturnis, contingit) ex nimio potu & humidorum cibariorum uſu jecoris robur elangueſceret, & profligatæ lui tumor œdematoſus in cruribus & pedibus ſupereſſet. Hujus enim rudimenta veſperi jam in pedibus cernebantur, magiſque quo ſe plus vel ſtando, vel incedendo fatigaſſet. In id electuarium triumſantalon, rhabarbaro quadruplicato inſtitui, cujus teſſelam unam ad viſcerum robur quotidie manu guajaco præmitteret. Hanc remediorum viciſſitudinem pertinaciter continuanti moribundo homini vires ita ſenſim recreari viſæ ſunt, deliteſcentibus ſymptomatis omnibus, ut ad ſexageſimum hujus curationis diem, ſanitatem certam agnoſcerem, & æger ipſe eam ſibi animo ſponderet.

Quum igitur omni dolore dies amplius viginti vacaſſet, primarium ac validius guaiaci decoctum menſes aliquot intermittendum cenſuimus, ſi quid non prorſus extirpatum dolores aut tubercula rediviva protuliſſet, appetente vere (nam hyeme curationem ſumus aggreſſi) id tutius faciliuſque repetito remediorum uſu, & natura quiete ac cibo roborata nobis ſuppetias afferente reſtincturi. Verendum enim videbatur, ne ſi natura remediis aſſuefieret, aut eorum vim non amplius perſentiſceret, aut dedignaretur. Neque enim hac in ſpecie, ut in recens contaminatis erat à morbo periculum, ne ſe aut quotidie in corpus graſſando diſpergeret, aut miſerabilius obfirmaret. Quin potius qui in tam calamitoſam conditionem vel ſua negligentia, vel alio errore ſunt devoluti, vix unquam niſi repetita propoſita curatione, integra valetudine perfruuntur. Sed in his etiam induciis curationis, ſecundarii decocti guaiacini uſum minime intermittendum cenſuimus, in quo nobis exactiſſime morem geſſit. Ideoque ſic in dies auctæ ſunt vires, ut brevi muniis & negotiis ſe tradere, libere ſe cœlo & aëri committere, frequenſque in foro, frequens in plateis diſcurrere poſſet, nullo vel leviſſimo doloris veſtigio, in iis etiam locis, quos ſcirrhi occupaverant, ſuperſtite. Tantum capite & artubus ſibi gravior, & veluti quadam laſſitudine fractus videbatur, maximeque quum cœlum è ſereno in nubilum, ex ſudo in udum

demuta-

demutabatur: & poſt exercitationes appetente nocte, crura œdematis exturgebant, quæ nocturna quies & à labore intermiſſio diſſipabat. Quanquam autem poſt exactos menſes quatuor, neque dolor, neque aliud quidpiam formidandum recurreret, auctor tamen fui, ut fœliciter uſurpatæ curationi exceptis topicis denuo ſe committeret, ne qua fermenti venerei portio in perioſtiis & medullis ſuperans, revireſcentis morbi materiam ſuppeditaret. Itaque in æſtuario quotidie mane ſudores rurſum excepit menſem integrum, hauſto ante ingreſſum guajacino cremore, vorataque opiatæ drachma dimidia, paucis diebus exceptis quibus cathartico convenienti craſſiores primæ regionis ſordes eluebantur, ſemel minimum in hebdomade: aſſis interim non elixis, ſed paulo quam per initia liberalius ſe ſuſtinens. Quorum remediorum uſu decem jam annos adeo ſalubriter vixit, ut nunquam ægrotaſſe videri poſſit.

Quam Deus mentem omnibus indet, ut mirandas hujus alexipharmaci vires, qua ratione ſupra poſui, experiri velint antequam tam immaniter fuerint excarnificati.

Plura de lue venerea, quæ ex hydrargyro aut vetuſtate ferociit, commentari non eſt animus, quod medico diligenti expeditum ſit, omnibus individuis naturis ac affectibus, iſtius imitatione remedia conſentanea adhibere.

Quidam non ita pridem ad me venit, cujus & penis radicem, & inguina & imum ventrem umbilico tenus ulcus cacoëthes nec hydrargyro, nec aliis vulgaribus remediis concedens exederat, & vires corporis ita dejecerat, ut jam libitinæ devotus cenſeretur.

Alius etiam qui malignitate ulceris totius columellæ & reliquarum faucium ac palati tenellarum partium jacturam fecerat. Qui ambo ante deſcripta methodo, ſed curatione utriuſque naturis accommodata intra 50. dies ſanitati reſtituti ſunt, etiamſi eorum ulceribus nihil præter ſublimati aquam adhibitum ſit. Eſt enim in curandis venereis ulceribus præcipuum, clandeſtinam perniciem intus omnia devaſtantem, idoneis medicamentis cohibere atque extinguere, qua ſuperſtite fruſtra externis præſidiis ſubvenitur.

Extinguitur autem (ut rem in compendium conferam) noſtris antidotis, & potione guaiacina. Quibus, ſi malum inveteratum refragetur, vaporarium accedit, in quo quicquid vel circum perioſtia aliaſque ſolidiores partes obduruit, vel in alto corpore demerſum latitat, tenuari, incidi, atque in ſudores digeri poſſit. In tenellis & raris corporibus potioni guaiacinæ ſarceparrilæ decoctum ſubſtituitur. Balneum diximus iis ex uſu eſſe, qui calida & ſicca ſunt viſcerum temperie: maxime vero in recidivæ luis curatione, quod tamen haudquaquam in iis locum habet, qui ſæpius litum ex hydrargyro pertulerunt, quem plus æquo partium ſolidarum temperamentum diſſolvere, ſubſtantiam mollire & relaxare compertum habemus.

Recidivivæ Luis Cauſa & curatio.

Jam vero ſi forte ab hac curandi ratione quidpiam nondum plane reſtinctum ſit, quod aliquanto poſt prorumpere atque pullulare contingat, non dubito quin illam ſtatim inde data occaſione, ut inefficacem, & parum tutam methodum inſimulent argenti vivi propugnatores. Verum medentis ne inſcitia, & ægrotantis intemperantia ac moroſitate an vero guaiaci & amuleti imbecillitate potius eveniat, perſcrutandum.

Quanquam autem omnis luis venereæ, quæcunque illa corpora obſederit, una eademque natura atque eſſentia eſt: eam tamen pro varia corporis, in quæ incidit, conſtitutione, alias facilius, alias multo ægrius profligari atque reſtingui videmus. Etenim ſi quis melancholica corpora, iiſdem remediis & eodem temporis intervallo, atque ſenguinea reſtituturum ſe ſperet, eum ſæpe falli atque expectatione fruſtrari, neceſſum eſt. Illa quippe ut humoribus prædita ſunt craſſioribus, magis compactis ac terrenis, ſic venereas ſordes, ſi ſemel admiſerint, adeo pertinaciter retinent, ut ægrius multo, quam ex ullis aliis naturis deleantur. Id quod non hic modo, ſed & cæteri melancholici morbi arguunt, ex ipſius humoris pendere contumacia. Itaque niſi efficacior longiorque his adhibeatur curatio, quam cæteris, labes vix in totum eluitur. Id autem non tam remediorum infirmitate, quam vel medentis (qui remediorum continuationem, antequam prorſus extincta eſſet veneni pernicies, diſſuaſit) imperiti, vel laborantis, qui medicorum præſcripta contempſerit, intemperantia contingere declarat perfecta ſanatio: quæ ſi intermiſſa aliquamdiu remedia affecti corporis conſtitutioni conſentanea repetuntur, facile ac brevi ſuccedit. Non enim in morborum venereorum recurſione, alia medicamentorum eſt ſylva quam ſuperior, non alia apozematum decoctorumve componendorum ratio, non laconici, non amuletorum alius apparatus, quam qui deſcriptus eſt, inſtruitur. Sed idem ipſe repetitus & diutius continuatus, reliquias morborum prorſus conſumit, ac funditus evellit.

Porro, ut ſunt curationis, quæ per hydrargyroſim ſuſcipitur, & ejus, quæ per guaiacum & amuletum, contrariæ & pugnantiſſimæ viæ, ita qui ex iis fiunt recurſus, plurimum à ſe invicem disjuncti receſſerunt.

Guaiacum à viſceribus & venis omnibuſque interioribus partibus in ſuperficiem, & cutim una cum humore virus exigit, indeque per ſudores & inſenſibilem tranſpirationem, nihil intro regerens, evacuat; alexipharmacum vero, ejus perniciem atque malignitatem partibus ſolidis inſertam prorſus delet & extinguit. At hydrargyrus, quanquam ſua tenuitate (qua omnia pervadit ac penetrat) multa colliquare ſolet, & calidorum oleorum, quæ admiſcentur vi, tenues quoſdam ichores in ſudores diſcutit atque digerit, ſumma tamen qua præditus eſt refrigerandi facultate, craſſos lentoſque humores à valida natura è centro in corporis ambitum & peripheriam disjectos, vel illic genitos, in partes penitiores & in viſcera regerit, è quibus confertim aliquando in fauces & in os conſcendere, ac ſputatione rejici, aut in alvum magnis torminibus præcipitari cernuntur. Quibus ex cauſis obſervavi, morbi regreſ-

ſionem, quæ curationem per hydrargyrum ſequitur, rarius in cute tubercula aut maculas excitare, ſed vel in faucibus, palato & ore ulcera exedentia, vel certe circum oſſium membranas dolores crudeliſſimos, ac duriſſima tubercula parere. Repulſum enim in viſcera, aliaſque partes interiores cum humore malignum virus, licet humor ſputatione aut alvi fluore excernatur, in ipſis tamen partibus ſolidis ſe altius impingit & obfirmat, peſſimaque tandem profert furoris ſui & malignitatis indicia. At quæ per guajacum fit curatio, quoniam naturæ in cutem virus propellentis impulſiones, motuſque ſequitur atque imitatur, vix ejus quicquam in partibus ſolidis derelinquit, nec, ſi quid aliquando revireſcat, in iis, aut in perioſtiis figitur, ſed vel in externa cute effloreſcit, vel in ore & faucibus erumpit. Id autem idcirco contingit, quod quum firmus denſuſque ſit corporis habitus, atque imprimis externa cutis, ea erumpentis, & foras emergentis veneni curſum diutius remoretur & inhibeat, ejuſque ſe fœdiſſima portione contaminet.

Itaque partibus abditioribus à luis pernicie juſta curatione prorſus vindicatis, non raro latæ & rotundæ quædam maculæ, colore ſubflavæ, aut ſubrubentes in cute emergunt, interdum herpetes & cutanea ulcuſcula, interdum in manuum volis & pedum plantis, ſciſſuræ admodum moleſtæ ac deformes cum callo duriore: aut ſi quid forte veneni in partibus internis ab imperfecta curatione deliteſcit, id poſtea naturæ beneficio in cutem amandatur, quæ cum minus ſit, quam reliquum corpus perſpirabilis, & longius à caloris ſcaturigine diſcedat, ea, quæ modo dixi, ſymptomata pro ſua illic mora & cunctatione admittit.

Sordeſcunt igitur ab imperfecta luis curatione, quæ per hydrargyrum fit, internæ corporis partes, externis nitentibus: contra vero in ea, quæ per guajacum & alexipharmacum tentatur, ſi morbus non prorſus adimitur, viſceribus puriſſimis, cute tenus duntaxat infeſtantur externæ. Adhæc, quicquid ab hac curandi ratione intus reſtat ac ſupereſt, id intra duos treſve menſes certis ac manifeſtiſſimis notis ſe prodit: at ab hydrargyro recurſio, ſæpe ultra annum, interdum ultra decem, viginti aut triginta, inſultus ſuos differt & protrahit, tantoque intervallo clandeſtinus mali fomes intus latitat ac deliteſcit.

Denique curatione per guajacum & amuletum, ſi quæ ſuccedant maculæ (ut remediis præpropere omiſſis venenum intus reſtitans ſe prodat, neceſſe eſt) aut herpetes, aut faucium & oris ulcera: vel ipſa ſua ſponte tandem diſparent ſine artis ſubſidio, vel (quod magis arridet) ſi quis majorum malorum metu & ſcabiei probro perculſus naturæ conatum anteverrat, ſuprapoſitis remediis repetitis citiſſime obſequuntur.

At quæ hydrargyro illitis eveniunt, adeo pervicacia & refractaria ſunt omnia, vix ut ulli diligentiæ & curationi morem gerant.

Ut igitur de renaſcente, & rediviva lue paucis exponam, quid in quamplurimis ſum expertus: quoties à curatione quam proxime deſcripſi, præpropere miſſa, vel circulares quædam maculæ, vel herpetes, vel tubercula alicubi eruperint, vel in iſthmo, palato, gingivis ulcuſcula prodierint, vel dolores medios artus & caput obſederint, malignam luis naturam ipſamque contagioſi veneni perniciem nondum prorſus eſſe diſſipatam atque radicitus evulſam certum eſt, quæ deſcriptis ante remediis indubitanter repetitis, uſque ad internecionem continuatis delebitur.

Neque tamen iſto luis recurſu magnopere terreri, & animum abjicere (perinde ac ſi in ancipiti ac lubrico poſita ſalus ſub hac curatione vacillaret) quiſpiam debet. Ea enim in pleriſque deprehenditur hujuſce morbi pervicacitas & contumacia, ut vix, niſi iterato deſcriptorum remediorum uſu, prorſus edometur, & radicitus extirpetur. Sed nemo uſque adeo infœlix, aut iſto morbi genere tam fœdatus, tamque miſerabiliter divexatus occurrit, qui idem ſi nos audierit, ſi frugaliter vixerit, ſi hydrargyro non illitus, noſtra medicina ante duos treſve menſes, non dicam non levetur, ſed prorſus percuretur: quum ab hydrargyroſi recurſiones quamplurimas invitis medicis ſenſim conficiant, ac tandem enecent. Penitius ſcilicet hydrargyrus venenum impingit, & in penetralibus naturæ obfirmat, quam ut aut unquam, aut vix admodum, & non niſi multo poſt tempore domari, coqui, ſecerni, evellique poſſit. Sed nulla vis naturæ inferenda eſt, quantumlibet ſit inveteratus, & alte inſederit morbus. Quippe hujuſce morbi cauſa, ſecurius ſenſim ac pedetentim, quam affatim & repente, vere & autumno, quam hyeme aut æſtate, repetita, quam in annum continuata curatione tutius atteritur. Quanto enim longior & mitior, tanto minus periculi & recurſionis habitura eſt, quæ per guajacum & amuletum fit curatio. Nihil ergo triſtius illis dolendum eſt, quibus à prima curatione quidpiam revireſcit ac pullulat, ſi modo ſe repetitis noſtris remediis & medelis aliquamdiu addicant. Quoniam autem in vaporario ante deſcripto, apte calenti, quicquid vel in abditiſſimis corporis ſedibus præter naturam deliteſcit, vel in ſcirrhos manifeſtos concrevit, expeditius fundi, liquefieri, & in ſudores digeri poteſt, multo ſecurior ac brevior eſſe ſolet, & primariæ luis & recrudeſcentis curatio, quæ in eo quoque die, quam quæ in lecto ſudores elicit.

Itaque ſumpto quoque die opiatæ fruſtulo, hauſtoque guajaci cremore ſudor provocetur, ætatis, regionis, virium, & peculiaris cujuſque naturæ habita ratione. Bibant & in paſtu & extra, ſi ſitis invitarit, ſecundarium, aut certe dilutius guajaci aut ſarſeparillæ decoctum, & frugaliter vivant, dum veneni germina prorſus extincta ſint.

Sed ſæpe fit ut ab imperfecta luis curatione volæ manuum pedumque plantæ ad digitorum uſque extremum ſciſſuris multis, tanquam ſulcis quibuſdam exaſperentur atque dehiſcant: multorumque opinio invaluit præ jecoris maxima ſiccitate ex guajacinis potionibus & diuturna ſudorum profuſione contracta, eas exoriri, atque etiamnum foveri.

Verum enimvero quum hydrargyroſis, quam ſolidas partes impendio refrigerare & humectare novimus, eadem vitia accerſat, quæ guajaci & ſarſeparillæ potionibus ſiccantibus deleantur, non aliunde quam è venerea pernicie

n

quæ ſe viſceribus, maxime vero jecori communicant, ſuæ originis primordia nanciſci veriſimile eſt.

Itaque non aliis remediis egent, quam quæ adverſum morbum ipſum, unde dimanarunt, ſunt præſcripta, dummodo in multum tempus producta ſint: ea tamen conditione, ut ſi guajacum uſurpetur, ejus ſiccitas radice cichorii temperetur, & ſi ſqualidior ſit utentis natura, frequenti balneo ex mollientium ac tergentium ſtirpium decocto emendetur. Præſtiterit tamen, quum longa per guajacum inedia non ſatis tempeſtive delentur, ſarſeparillæ aut chinæ potionem arripere ac continuare, dum radicitus venenata labes ſit evulſa, interjectis (ſi opus videbitur) balneis tepidis, quibus & viſcerum ſiccitas corrigatur, & venenata qualitas his impreſſa foras ad cutim proferatur.

Ego eas ſæpe cohibui, quum imputa videbantur viſcera, ſolius decocti ſequentis uſu, nulla ſudorum profuſione.

℞. Scobis tenuiſſimæ ligni ſancti nigerrimi dodrantem, polypodii querni, uvarum paſſ. purgatarum, utriuſque ℥ i. macera horis viginti, in ℔ vi. aquæ, dein igne remiſſo coquito, dum media pars abſumpta ſit, tumque adde (ſi ſiccum & ſqualidum corpus erit) radicum cichorii ℥ iv. vel (ſi pituitoſum) baccharum juniperi ℥ i. & radic. helenii ſiccæ ℥ ß. Ferveant rurſum dum libræ dumtaxat duæ ſuperſint. tumque adde foliorum ſennæ purgatorum ℥ i ß. ſem. fœniculi & cardui, ſcobis cornu cervi, ſingulorum ʒ i. glycyrrhizæ ℥ ß. bull. p rum, dedein ubi refrixerint, decoctum colo tranſmittatur, addanturque ſyrupi violati ℥ iij. doſ. ℥ v. quoque mane ad dies quindecim. Quo quum ventum erit, niſi manuum ſciſſuræ ac rimæ & morbi reliquiæ omnes penitus deleantur, ſudores aliquot diluculis elicere conveniet, detractis ſennæ foliis: dein balneis aquæ dulcis tepentis, ſi opus erit, viſceribus proſpicere.

Jam vero ſi hiſce aliiſve ſimilibus præſidiis. ſingulorum naturis accommodatis, ac methodice & diu in uſum adhibitis, ſciſſuræ, herpetes, maculæ prorſus deletæ, denuo pullulent atque demortuæ reviviſcant, quæ luis fomitem nondum prorſus extinctum eſſe teſtentur, neque ad alia remedia confugiendum, neque efficacior & tutior perquirenda curandi methodus, quaſi manca & fallax ſit ſuperior. Sæpe enim venenata labes, his qui hydrargyro illiti ſunt, tam alte in viſcerum ſubſtantiam ſe inſinuat, tamque tenaciter ſe obfirmat, ut non niſi temporis diuturnitate ſenſim concoqui, domari, & extingui poſſit, quæcunque remedia adhibeantur. Hic igitur ſatis ſit intermiſſa remedia repetere, dum rediviva omnia luis veſtigia obliterentur, atque iis extinctis annum frugaliter agere. Quæ ſi nihilominus rurſum germinent, vere & autumno iteratis iiſdem præſidiis, quindecim aut viginti diebus eodem modo tollentur. Sic enim repetita identidem ex intervallis curatione, veneni contumacia viſceribus & partibus ſolidis inſerta, radicitus deleri extinguique ſolet, nulla illata noxa.

Quod ſi ne ſic quidem obfirmatum vitium tollitur, catapotia ex ſole& mercurio tuto nullaque moleſtia id funditus evellent, omnemque reverſionis ſuſpicionem atque metum eximent.

Brevis ſed fallax, & quæ fucum faciat, eſt curatio, quæ mali cauſa intus relicta externa vitia delet & obliterat: cujuſmodi eſt, quæ malactico fotu aut litu, ſcabras & duras manuum ſciſſuras præparat, quas ſuffitu ex cinnabari, cui ſuccus cyrenaicus, thus, roſæ, ſtyrax calamita, & ſimilia ad fœtoris emendationem adjecta ſint, biduo aut triduo excutit. aut quæ aqua è ſublimato in aqua vitæ ſoluto, ita exaratam in ſciſſuras manuum cutem detrahit, dein litu malactico partis aſperitatem lenit.

Germinat enim ac pullulat identidem relictus in viſceribus mali fomes, & externum vitium ſic detractum brevi inſtaurat ac reducit: Si tamen placet fucata curatione cuipiam id magnopere expoſcenti, aliquando adblandiri, hydrargyrus in aquam limpidiſſimam converſus ſolo fotu omnem cutis aſpredinem, impetiginem ac maculam delebit.

Quibus hydrargyri litus citra inſignem noxam adhiberi poſſet.

Quanquam autem, quæ per guajacum & alexipharmacum fit luis venereæ curatio, certiſſima, tutiſſima, ac facillima: quæ vero per hydrargyrum, crudelis, periculoſa ac nihilominus inconſtans & prorſus incerta eſt: in ea tamen corpora plerunque incidimus, quæ vel in ipſa quam tradidi, vel ea jam abſoluta curatione, moderato & tempeſtivo hujus litu non mediocriter adjuvantur. Quocirca ne quid hoc loco deſiderari poſſit, quod ad luis recurrentis curationem momentum habeat, quibus hominum naturis, qua lege, quo loco, & quatenus admoveri tuto poſſit, explicandum: Frigida humidaque corpora, ſive a ſemine ipſiſque naturæ primordiis, ſive poſtea errore vivendi, & otiis talia evaſerunt, quum ſuapte natura morbis plus æquo pateant pituitoſis, ſi quis impendio frigido & humido hydrargyro perunxerit, ita pervertet, vix ut unquam poſtea integra valetudine frui poſſint. Licet enim hydrargyrus, dum pituitæ mucoriſque vacuationem ſputatione, aut alvi profluvio procurat, conſecutione quadam corpus reſiccet: quoniam tamen propria vi, & congenita frigiditate & humiditate partium ſolidarum ſubſtantiam mollit, relaxat, humefacit & perfrigerat, illorumque temperamentum demolitur, langueſcente poſtea primigenio calore, & fruſtrata quæ ab eo fit concoctione, excrementa multa, craſſa & pituitoſa in corpore ſuccreſcunt, unde aſthma, arthritis, aliique naſcuntur morbi pituitoſi, quibus id haud raro conſumitur.

His quidem paulo minus hydrargyro læduntur frigida & ſicca corpora, frigido terreno & vix dimovendo ſucco perfuſa: verum ab eo vix quicquam auxilii percipiunt. Vix enim ſputatione repurgantur, ſed ſæpe illitus quo fuerit crebrior, hoc magis diſtorquentur, aut ſi initio morbus remiſerit, brevi perceptæ levationis ac remiſſionis atrociſſimas pœnas perſolvunt, recidivo ut plurimum morbo. Quum igitur in melancholica aut pituitoſa corpora

lues;

lues graſſabitur, quia nec hydrargyri litu, nec ullis purgantibus pharmacis divelli atque elui poteſt, non alia quam ſupraposita curandi ratione diu continuata, & iterum (ſi res poſcit) uſurpata, quaſi firmiſſimo ariete oppugnanda eſt. Calida & humida corpora, quæque benigno ſanguine prædita, incommodo minore quam melancholica & pituitoſa hydrargyroſim patiuntur: unius enim qualitatis, ſed admodum inertis & pigræ diſſidio ab hydrargyro receſſerunt: verum hi facile præſcripta curandi methodo convaleſcunt, & litu ex hydrargyro (niſi prudenter adhibetur) in moleſtiſſimam ac periculoſiſſimam ſputationem præcipites feruntur, quam, quum velis, haud cohibere queas.

Calida & ſicca corpora, in quibus bilis redundat, ſuperſunt qui moderato uſu hydrargyri minimum lædi, ſæpe inſigniter juvari comperimus. Perfervidam namque & ſiccam viſcerum, maxime hepatis intemperiem contrariis, quibus pollet qualitatibus citra manifeſtam vacuationem ita emendat & reprimit, genitamque in his naturis acrem & furibundam bilem demulcet & mitigat, ut omnia in cutim erumpentia ſymptomata brevi deleat & obliteret.

In iis igitur corporibus poſt eam, quam per guajacum & amuleta propoſui, curandi rationem, ſi vel in manuum volis, vel in plantis pedum cutis occalluerit, & ſciſſuris velut ſulcis ſcabra evaſerit, vel in quavis alia parte herpetes aut maculæ, aut tubercula promanarint, quæ moræ impatiens & refractarius æger curatione, quæ intermiſſa fuerat repetita tolli haud ſuſtineat, hydrargyri litus prudenter adhibitus, valde conducet. In calidis, ſiccis, & extenuatis corporibus balneum aquæ dulcis conveniet, ex emollientium ſtirpium decocto, cui bis die mane & ante cœnam æger inſidere poterit, & veſperi dormiturus illini unguento ex hydrargyro quam ſimpliciſſimo. In id argenti vivi unciæ duæ unciis octo axungiæ ſuillæ, quæ in aquis roſar. & ſalviæ elota fuerit, permiſtæ ſatis eſſe poſſint.

Interim dum venenata morbi pernicies viſcerum ſubſtantiæ impreſſa mitificatur balneis aquæ tepentis ſimulque ipſorum viſcerum ſqualor (ſi quis longa inedia & potionibus guajacinis contractus erat) oppugnatur, ſemel quoque triduo aut quatriduo corpus unguento, quod modo poſui, illinere ſatis erit, cavendo diligenter cervicem, caput & pectus, idque paulo ante ſomnum, ut eo accedente tota nocte præſidium corpori inſideat. Nam poſtridie mane in balneo omnia eluentur. Porro autem bis, aut ter, aut quater ad ſummum corpus unxiſſe ſit ſatis: idque ex intervallis quæ dixi, alioqui ſputatio ſuccedit moleſtiſſima, forte & pernicioſiſſima, quæ haud facile ſiſtatur. Ideoque poſt ſingulas unctiones triduum vel etiam quatriduum naturæ motus obſervandus, ut quum primum vel ſputum profluet, vel gingivæ dolebunt, omnia intermittantur vel omittantur.

Hæc dum fiunt, nemo à guajacinis potionibus metuat, ne utendi perſeverantia partes principes nimia deſiccatione reddat effœtas. Ut enim ſupra teſtati ſumus, quæ hydrargyro illinuntur corpora, nulla re tam inſtaurari, nulla pharmacia adeo juvari queant, quam crebra & diuturna guajaci potione.

Quemadmodum enim guajacum hydrargyri, ita ſane hydrargyrus guajaci amuletum & antidotus eſt: illud quidem ſua caliditate & ſiccitate ab hydrargyri contrariis qualitatibus profectas noxas tollit: hic vero à guajaco viſceribus impreſſam calidam & ſiccam intemperiem, ſuo frigore & humore demulcet ac contemperat. Hic igitur modus in hydrargyri uſu, quem probamus, adhibeatur, ut viſcerum calidam & ſiccam intemperiem ac ſqualorem ad naturæ leges revocet, non liquefactam partium ſubſtantiam ſputationibus evacuet, humoris venenati ferociam compeſcat, partium ſubſtantiam non corrumpat, cutim detergeat ac perpoliat, non intro ad viſcera ejus inquinamenta regerat.

Quo ubi acceſſeris, dum vires euchymis & eupeptis alimentis reſarciuntur, ne quid novæ illuviei in convaleſcentibus aggeratur, quod recurſionibus materiam ſuppeditet, cathartico leniore ex intervallis repetito antevertendum eſt.

Sunt qui interim dum curatione ſupraposita, venenatæ externorum ſymptomatum cauſæ intus latenti obſiſtitur, remedia innumera adhibeant, maxime vero volis manuum pedumque plantis calloſis & ſciſſuris exaratis, & maculis frontem & reliquam faciem dehoneſtantibus. Alii in decocto emolliente bis terve quoque die manus mergunt, quo emolliatur durior & ſcabra cutis, partem dein aqua vitæ, in cujus unciis ſingulis octo ſublimati grana inſint, perfundunt. Alii ſuffitum è cinnabari præferunt, quibus quidem medicamentis quicquid in cute externa germinat, brevi reſiccatum excidit: ſed quod non ante pullulare ac revireſcere deſinat, quam ejus radix intus deliteſcens evulſa ſit prorſuſque extincta pernicies.

Ideoque molliente duntaxat præſidio manuum ſciſſuris, & callo duriori adblandiri ſoleo, dum eorum cauſæ internis præſidiis ſublatæ ſponte diſpareant atque obliterentur.

♃. Olei lini & amygdal. dulc. recent. utriuſque ℥ ii. ceræ lotæ in decocto malvæ & violar. modicum. Paretur ex iis linimentum, quo bis die ſcabræ partes illinantur. Maculis vero, quæ faciem dehoneſtant, oleum bis terve die affrico, quo & expedite reſiccari, & cicatrix venuſtior effici ſolet, quod ſic habet: Tartar. optimi exquiſite calcinati libra in aquæ plantag. libris quinque diſſolvitur, dein reſidere ſinitur horis minimum ſex, tum lympidiſſimum lixivium transcolatur atque in olla nova plumbo intus illita fervere ſinitur, donec liquore prorſus abſumpto craſſamentum album in ollæ fundo ſuperſit duriſſimum, quod humido loco repoſitum in oleagineam materiam liqueſcet herpetibus coercendis ac dealbandis cicatricibus præſtantiſſimum.

De Luis Venereæ ſymptomatis levioribus.

Lues venerea tot tantiſque ſymptomatis propriis ac peculiaribus ſtipata eſt, maculis cutaneis

neis, pilorum defluvio, puſtulis, tuberculis, ulceribus, doloribus, nodis, tophis, oſſiumque carie: minime tamen omnia in omnibus deprehendes, ſed in alia in aliis, ut eſt corporis natura, & veneni affectio atque pernicies. De quibus omnibus breviter & aperte dicere atque ex ordine agere, ab inſtituto noſtro alienum non erit. Primum itaque de levioribus & curatu facilioribus, dein de contumacioribus & gravioribus, diſputare aggredior.

Maculæ, puſtulæ, omniſque ſcabies venerea & pilorum caſus, quoniam ſuperiori & jam tradita methodo ſponte conſaneſcunt, peculiarem medici curam ad ſe non traducunt.

Ulcera quoque, ſi ſunt exigua, neque linamenta, neque chirurgorum ſolicitudinem, quia ſupereſſe morbis extinctis non poſſunt, exigunt: ſin profundum aut latera depaſcuntur, quamcunque partem præhenderint, topicis confeſtim coercenda, ſiſtendaque ſunt, ſed præcipue ſi vel fauces tenellas occuparint, quas periculum eſt ne celeriter populentur, atque raucitatem miſerabilem ante curationis fructum inducant, vel penem, qui gangrenam & ſphacelum inflammationis magnitudine facile contrahit, obſederint. Itaque ſi ulcus cacoethes & depaſcens fauces corripuerit, ne interim, dum morbo proſpicitur, palatum & columellam exedat, diligenti proviſione obſiſtendum. Singulare præſidium eſt aqua è ſublimato rudicula, cui linteolum alligatum ſit, bis, ter, quaterve quotidie ulceri adhibita. Deſiccat enim ſtrenue, & citra morſum terget id præſidii genus, gliſcentemque malignitatem brevi coercet, unde quicquid in ulcere aut obduruit, aut occalluit, ſenſim vincentis naturæ robore in pus deducitur, & purgato ulcere caro deperdita renaſcitur, cui cicatrix facillime ſuccedit. In id tonſorum vulgus collyrium Lanfrancii uſurpat, aut aquam chemyſtarum, qua fabri aurarii metalla dividunt (aquam fortem extinctam vocitant) minime malo, ut quidem reor, conſilio, niſi ulcus in faucibus aliiſve altis & abditis partibus deliteſcat, mox à lotione tergens & ſiccans unguentum ex carpto linamento inducitur, biſque diebus ſingulis id remedii genus immutatur.

℞. Aquæ plantag. ℥ ii. aquarum ſolani & roſarum, utriuſque ℥ i. ſublimati grana viii. Ferveant in ampulla vitrea ſuper cineres calidos, dum diſſolutum ſit ſublimatum, dein ab igne ſummota ampulla ſinatur dum aqua refrixerit, & fæx ſubſederit: tum enim aqua defæcatior eximenda in uſumque reponenda.

Sin ulcus vetuſtate labrorum duritiem & ſordes jam contraxerit difficilioriſque fuerit curationis, iſtud remedii genus ſapienter intendendum erit, ita ut pro ſingulis aquarum unciis ſublimati tria quatuorve grana confundantur, validiuſque unguentum ſuperdetur, ſi pars id commode ferat. At ſi pars ulcere laborans exquiſito ſenſu prædita ſit, vel inflammatione tentetur, vel corpus univerſum acrioribus humoribus abundet, medicamentorum acrimoniam ſubvereri, & deſcriptum præſidium ita moderari adjecta plantaginis aqua convenit, ut ſine acri morſu ſiccandi & leniter tergendi facultatem retineat. Pleriſque enim ſublimati granum unum ſingulis aquarum unciis contemperatum abunde ſatis fecit. Quo uno medicamento, ſi rite pro naturis & indicationibus intendatur, aut obtundatur, quia omnia oris, palati & faucium ulcera bis, ter, quaterve quotidie abluta ad ſanitatem perducuntur, plurium deſcriptione frivola ſuperſedebo, ſi hoc unum adjecero, cum à prædicta perfuſione, tum quavis hora alia os fauceſque gargariſmate quod ſiccando extergeat, collui etiam debere.

℞. Hordei integri p. ii. eupatorii, nicotian. (petum appellant) plantag. morſus gallinæ, roſ. rub. ſingul. M. j. decoquito in aquæ libris iv. ad lib. iii. & percolato: tum admiſceto mellis roſ. & ſyrupi roſ. ſiccarum, utriuſque ℥ iii. aluminis uſti, chalcanthi uſti, utriuſque ʒ ß. utitor ſæpius, dum ulcerata pars redintegretur.

Oleum è myrrha extractum maligna omnia ulcera mire lenit, & citra morſum exterget, ideoque naturis bilioſis, & iis ulceribus, quæ omni alia tractatione exaſperantur, appoſitiſſimum eſt, quumque nihil habeat ingratum, gingivarum, iſthmi, palatique ulceribus, vel penna, vel ſtylo citra tædium admoveri poteſt. Penis ulcera recens contracta, ſi præputium obſident extrinſecus, bis terve quoque die ablui, & unguento ſiccanti & tergente obduci debent. Ipſe vero penis ſi fluxione tentabitur, vel præſenti inflammatione dolebit, vel ejus periculis erit expoſitus, ut ab iis vindicetur, ſpleniis linteoliſve in oxycrato, aut in aquis refrigerantibus & repellentibus irrigatis obvolvetur, atque identidem irrorabitur quandiu fluxio, inflammatio & dolor negotium faceſſunt. Qui impuro corpore ſtatim curationis initio penis ulceribus acria unguenta inducunt, aut pulveres cathæreticos inſpergunt, fluxiones, inflammationes, & dolores implacabiles efficere ſolent: unde ſe vix æger expediat. Præſtat igitur dum toti corpori adhibetur proviſio ulceratæ parti lenioribus medicamentis ablandiri. Extincta enim mali radice, omnia omnium partium ulcera, quæ ejus ſunt ſoboles, leviſſimis topicorum adminiculis, aut etiam ſponte conſaneſcunt, Quæ ſerpunt à lotione, oleo myrrhino fovenda ſunt, dein unguento obducenda, quo gliſcens pernicies infringatur. Cujuſmodi eſt quod ſic habet.

℞. Terebinthinæ lucidæ ℥ i. eluito aqua plantag. dein hydrargyri ſemunciam in ea extinguito, his poſtremo adde pulveris tenuiſſimi plumbi crudi ℥ ii. myrrhæ electæ, maſtiches pulveratæ, utriuſque ʒ ß. olei myrrhini quod ſatis erit ad unguenti craſſitiem.

Oleum è ſulphure elicitur arte chemica, quod citra morſum ulcera maligna ſiccando ac tergendo perſanat.

Quatuor hæc præſidia abunde ſatisfecerint ulceribus, quæ callum nondum contraxerint. Nam quæ ante cœptam curationem occalluerunt, cathæreticum præterea poſtulant, quo quicquid vel durum, vel calloſum extiterit, abſumatur. Chirurgorum vulgus mercurii pulverem alias ſolum, alias quibuſdam unguentis & oleis remiſtum adhibere conſuevit. Quod remedii genus, ubi eſcharotici uſus incidit, ſemper mihi placuit, quo non ſolum ſordes craſſiores deterguntur, ſed etiam callus exeſtus,

& gliſcens pernicies cohibetur, nullo aut minimo dolore, ſi rite conficiatur, abſque ſeparationis aqua, aut cum ea paratus pulvis recte cicuretur.

Sed in curandi initiis, quum maxime fluxionum & inflammationum materies reſecanda eſt, non niſi temerario conſilio uſurpatur cujuſmodi vulgo circumfertur. Sic autem præparari & cicurari debet.

Pulveris uncia, aquæ plantaginis ℥ ij. biduum maceretur, dein aqua abjicitur, tum aqua vitæ additur, ac ſuccenditur: ruſum aqua plantaginis imponitur, quæ poſt bidui macerationem effunditur, ſiccatus denique pulvis ad futuros uſus reponitur. Callos exterit & hyperſarcoſim ſine morſu exeſt.

Alii plerique Ægyptiaco aliove cathæretico medicamento pro corporis partiſque natura temperato & tanquam enervato curationem moliuntur. Quum autem vel interior præputii pars, vel balani exterior ulcere tenetur, aut ſimplici, aut cum inflammatione conjuncto eadem ablutio utilis eſt, & ſi glans detegi poteſt, unguentum aliquod citra morſum ſiccans ac tergens. Sin præ tumore phymoſis conſequuta unguenti adhibitionem impedit, ejuſdem aquæ perfuſio, olei myrrhini inſtillatio bis die repetita, & refrigerantium extinſecus adhibitorum uſus ſatis opitulantur dum cauſis decocti & alexipharmaci beneficio ſublatis, inflammatio, tumor & ulcus evaneſcant & diſſipentur.

Joannes Fernelius plumbi crudi pulverem cum ſempervivi & plantaginis ſuccis ex ſplenüs imponebat inflammatis ulceribus malignis, dum inflammatio ſerpenſque pernicies internis remediis cohiberentur.

Quæ in reliquo corpore ex venereo complexu ſubnaſcuntur ulcera, eo expeditiorem ſanationem percipiunt, quo partes ad reſiſtendum firmiores, & ad repellendam fluxionem vegetiores prehenderunt. Eſt autem in omnibus ulceribus venereis tutiſſima ac compendioſiſſima ad ſalutem via, qua topicis præſidiis generalia & interiora, quæ mali fermentum funditus evellunt, ipſamque fluxionis ſcaturiginem exhauriunt, conjunguntur. Qui ſolis topicis, vel minima luis vitia tollere contendit, plerumque ſine ullo valetudinis fructu magno cruciatu & diſpendio ægrotantes divexat, ac luis virus clanculum in viſcera obrepere ſinit, quod brevi ſe proferat. Superſunt ex ſymtomatum numero dolores, tophi & caries oſſium, de quibus jam dicendum.

De Inveteratæ Luis Venereæ ſymptomatis.

Multa lui inveteratæ ſymptomata ſuperveniunt, quorum non aliud dolore moleſtius. Hunc diximus raro in articulis, ſæpe in mediis artibus, aut in capite & pectore excitari, & noctu multo quam interdiu gravius inſoleſcere ac ſævire: in his notis ab aliis internoſci doloribus, qui à ſimplici fluxione proficiſcuntur. Hujus cauſa non ſimplex ulla intemperies, ſed frigidi pituitoſique humoris circum perioſtia aliaſve ſentientes partes venerea labe infectas congeſtio cenſetur: quas, dum malignitatis ſuæ ſtimulis ferit, vellicat atque compungit, aut certe copia diſtendit, cruciatus acerbiſſimos parit, qui veſperi (quo tempore pituita moveri dicitur) invadentes atque ferocientes, aliis quidem ad mediam noctem, aliis autem ad auroram uſq; producantur & perdurent, interdiu autem remittant vel prorſus intermittant. Quo ſerenum magis ac lucidum cœlum eſt, & quo victus ratio frugalior, & continentior, hoc mitius cum laborantibus agunt: quo vero udum ac pluvium magis, quoque liberalior vitæ lex & mollior, hoc crudelius angunt ac diſcruciant: quo fit, ut fere noctes inſomnes traducant his obſeſſi, interdiu vero dormiant.

Quanquam autem partes omnes venerea labe aſperſæ, depravata coctione excrementa multa, cruda ac pituitoſa colligunt, unde doloris origo; fere tamen fit, ut in capite frigido & humido multo plus ſuccreſcat, quam propriis ejus conceptaculis contineri aſſervarique poſſit. Hinc ejus portio ſecundum pericranium in dentes & maxillas, vel etiam ſecundum cervicis membranas & muſculos in ſcapulas & omoplatæ articulum, ſæpe & in thoracis externas partes influat, unde ſæviſſimi cruciatus cieantur. Quemadmodum & è viſcerib. ac venis natura vegetior multa in inguina, aut alias externas corporis partes disjicit, unde dolores fiant intolerabiles, noctu omnes quam interdiu ſæviores, ſi cæca incit luis venereæ pernicies Sed hi à fluxione dolores venerei in recenti morbo potius, quam in recidivo vel inveterato deprehenduntur. In his enim fixi fere ſunt dolores omnes & in parte aliqua obfirmati ab eo excremento quod pars maligna labe perfuſa collegit, ac fere tophis impliciti.

Venereus dolor in recenti morbo ſæpe vel ſponte divaneſcit, vel certe ſedem mutat, humore cujus erat ſoboles, aut à natura concocto abſumptoque, aut liquato & in aliam partem effuſo. At in ea quæ in vetuſtatem abiit, vel reverſione torquet, vix unquam ſponte ſolvitur. Nam & naturæ vires morbi diuturnitate elanguerunt, & doloris cauſa craſſa & lenta eſt, atque inter oſſa & membranas fere abſtruſa, aut etiam in ſcirrhoſum tophum indurata. Itaque in morbo recenti, ſi legitima quam deſcripſi curatio adhibetur, quoniam ad octavum, aut quod longiſſimum eſt, ad duodecimum curationis diem dolores omnes venerei funditus delentur, nulla fere remedia topica & externa uſurpari ſolent. Si tamen placet iis ægroto ablandiri, omnia ſunto rarefacientia, digerentia & relaxantia. Hujus generis ſunt oleum chamæmelinum, liliaceum, anethinum, irinum, butyrum ſalis expers, & cum iis lana ſuccida. Validiora ſunt oleum è cera, oleum è butyro, oleum è ſemine ebuli, & terebinthinæ, atque ejus claſſis reliqua. Ad hæc fotus, cataplaſmata & unguenta innumerata, cuivis medico exercitato perſpicua.

Deterſo ſudore pars iis tepentibus illinitur, lana ſuccida ſuperdatur, ac linteolo comprehenditur, alioqui fotus rarefaciens, laxans ac diſcutiens adhibetur, dein reſiccatæ atque illitæ parti emplaſtrum aliquod imponitur, quod humorem ei impactum evacuare, atque in halitum digerere poſſit. Cujuſmodi eſt quod ſic habet.

℞ Gummi, pini emplaſtri de mucaginibus, utriuſque ℥j. rad. ireos Forentiæ & hermodact. utriuſque ʒ j. Fingito emplaſtrum adjecto oleo è cera aut irino, aut è chamæmel.

In lue inveterata acerbiſſimus dolor in parte etiam obfirmatus leviſſimis hiſce præſidiis, & luis curatione quam ſupra poſui, profligari ſolet, ut idcirco validioribus minime opus eſſe videatur. Adſcribam tamen & alia potiora, in eorum gratiam, qui remediorum varietate gaudent, quibus locus erit in nodoſis luis tumoribus, crudeliſſimo dolore diſtorquentibus, ut una & eadem opera, & dolor leniatur, & ſcirrhoſus tophus emollitus digeratur.

℞ Rad. altheæ & liliorum ſem. lini & fœnigræci, ſingulorum ℥iß. malvæ, violariæ, parietariæ, acanthi, chamæmeli, meliloti, hyſſopi, anethi, artemiſiæ, ſingul. M. j. ſem. fœnicul. ℥ß. fiant duo ſacculi, qui in aqua aliquantum bulliant, adjecta ſub finem, vini albi parte quarta.

Foveatur tumor ſcirrhodes bis die, mane & ante cœnam horam unam, dein reſiccatus locus oleo, quod è cera aut butyro ſalis experte extractum fuerit, illinatur. Mollit enim utrumque & digerit inſigniter. Conducit & thuris oleum, & unguentum paratu facile, quod ſic habet:

℞ Mucaginis ſem. altheæ, lini & fœnigræci extractæ in aqua ſalviæ ℥j. ß. gummi ammoniaci ſtillatio vini liquore, quem œnoſtagma dicunt, diſſoluti ℥ ß olei liliorum, butyri ſalis expertis, utriuſque ℥ j. ß. fiat linimentum.

℞. Rad. bryoniæ crudæ ℥ii. ſigilli Mariæ crudi ℥ iiij. axungiæ porci veteris ℥ vi. croci ʒß. fiat cataplaſma, applicetur poſt unctionem.

Vel ſic:

℞ Sigilli Mariæ crudi, axungi- porci, utriuſque ℥iv. croci ℈j. fiat. cataplaſm-.

Vel ſic:

℞. Sigilli Mariæ ſiccati & pulverati ℥ j. rad. ireos Florentiæ & hermodactill. utriuſque ʒ ii. gum. ammon. ſagapeni, galban. aſſæ fœtidæ in aceto & œnoſtagmate liquatorum & colatorum ſingul. ʒß. gummi elemi ℥ j. ceræ ℥ ß. olei irini & axungiæ porci, utriuſque q. ſ. paretur ex his emplaſtrum. Multa ſane antiquitas tum cataplaſmata, tum emplaſtra ad remolliendos, digerendoſque ſcirrhos atque dolores hinc natos profligandos, quæ in hunc locum referri poſſunt, commendavit: ſed haud ſcio an ullum hoc euporiſto & vernaculo cataplaſmate, quod è ſigillo & axungia porci paribus fit portionib⁹, inveniri poſſit, non in venereis ſolum, ſed in aliis etiam frigidis tumoribus induratis efficacius. Eſt enim tam excellens & ad tenuandum & ad digerendum vis in ſigillo, ut nulli medicamento (quod ante adhibuerim) non poſſit anteferri, cui duabus de cauſis adeps ſuillus permiſcetur, partim ut aliquatenus digerendi facultate repreſſa, quum diſcutiendo ſatis eſſe non poſſit, impenſius emolliat, partim ne ſua acrimonia morſuque cutim tenellam vellicet. Emplaſtra tamen quia ſunt puriora & minus inquinamenti relinquunt, ſæpe magis arrident. Quod ſupropoſitum eſt, efficaciſſimum exiſtit, velut & quoſt ſic habet.

℞. Gummi, pini ammoniaci ſtillatitio vini liquore ſoluti utriuſque ℥ j. ladani, ſtyracis, calamitæ, ſucci laſeris ſingul ʒj. ſubigantur ſimul addendo radicis iridis Florentiæ pul. hermodactyl. utriuſque ʒi. ß. gummi elemi ℥ j. rad. ſigilli Mariæ ad ſolem ſiccatæ & levigatæ ℈iv. conficiatur arte emplaſtrum addendo olei è cera extracti, vel ſi ejus copia non ſit, olei liliacei q. ſ. erit. Applicetur ſcirrhoſo tumori poſt fotum & unctionem ex oleo, quod è cera aut butyro manarit. Si uncia argenti vivi in ʒii. terebinthinæ & axungia ſuilla extincti adjiciantur, validius erit præſidium. Horum remediorum loco vulgus emplaſtrum Joannis Vigonii cum mercurio uſurpare conſuevit.

Aliud.

℞. Galbani, gummi ammoniaci utriuſque ℥i. œnoſtagmate & aceto eliquentur, dein adde gummi pini ℥j. emplaſtri de mucag. ℥iß. rad. ireos & hermodactyl. pulv. utriuſque ℥ j. ß ſubigantur in emplaſtrum.

Hanc topicæ medicationis ſylvam potui multis exemplis & concinnis deſcriptionibus reddere pleniorem, ſed dedita opera, quo eſſet oratio conciſior, me repreſſi.

Fruſtra enim in externis remediis ſymptomatum luis venereæ levatio quæritur, niſi primarii morbi, cujus ſoboles & germina exiſtunt, deſcripta curatio uno & eodem tempore adhibetur. Si caput externis doloribus & ſcirrhoſis tumoribus diſtorquetur, deraſis capillis ſudoribuſque deterſis, huic calfaciente, attenuante & digerente remedio ſuccurrendum eſt, quo craſſus & lentus humor circum pericranium collectus colliqueſcat ac diſſipetur, cujuſmodi eſt quod ſic habet:

℞ Piperis, pyrethri, nucis moſchatæ, caryophil. macis, ſingul. ʒ. j. rad. iridis Florentiæ pulv. calami aromatici utriuſque ʒ j. ß. ſem. fœniculi, aniſi, cumini, ſingul. ℈iv. ſem. foliorum ſiccorum mentæ, roriſmar. ſalviæ, betonicæ, ſtœchadis, origani, tragorigani, anethi, majoranæ, calamenti, thymi, pulegii, florum roriſmar. chamæmeli, lavendul. ſingulorum p. j. ladani, ſtyracis calamitæ, ſucci cyrenaici, ſingulorum ℥i. olei communis, aquæ vitæ, utriuſque ℔ ii. ponantur omnia in olla nova, plumbo intus illita, recte obturata, quæ fimo equino dies viginti ſepeliatur, dein oleum exprimatur, & in uſus recondatur. Hinc petroleum, & oleum è terebinthina extractum interdum miſcentur evaditque præſtantius, ut diſſoluto in eo moſcho fragrantius.

Axungia humana in œnoſtagmate lota & oleo è ſalvia elicito confuſa, ſuperiori deſcriptioni haud concedat.

℞ Emplaſtri de meliloto & de mucaginibus utriuſque ℥ i. gummi ammoniaci in aqua vitæ liquati ℥ i. ſucci cyrenaici, ladani, ſtyracis calamitæ ſingulorum ʒ iii. nucis moſchatæ, piperis, caryophyl. macis ſingulorum ʒ i. ß. ſinapi in aqua vitæ & aceto horis viginti macerati, & quam leviſſime ſubacti ℥i. Ex iis omnibus cum oleis è ſalvia & è terebinthina ſubactis atque remiſtis fiat emplaſtrum, affundendo terebinthinæ quantum par eſt, ut juſta ſit craſſities & emplaſtri tenacitas.

Hujus aliquota portio ſuper alutam extenſa capiti ſudore profuſo & deterſo, poſt unctionem quotidie mane applicetur. Nam inter ſudandum parum commode meatus & pori cutis obturantur. Iſtorum uſus continuandus una

cum

cum decoctis ſuprapoſitis & opiata, dum & tophi & dolores omnes deliteſcant.

De Tophis venereis.

Tumores venereos, qui oſſibus adnaſcuntur, non in articulis, ſed in mediis artubus, atque internodiis fieri docuimus, & doloribus noctu quam interdiu vehementioribus affligere. Hos duriſſimos ac maxime ſcirrhoſos eſſe omnibus notum eſt, præterquam in his qui hydrargyri litum ſæpius pertulerunt, aut valde pituitoſo ac frigido ſunt corporis habitu, in quibus non raro œdematoſi deprehenduntur. Cauſam diximus pituitoſum excrementum inter oſſa & perioſtia (quorum functiones naturales luis fermentum labefactat) aut etiam in ipſorum oſſium meatibus, & poris maligna congeſtione cumulatum. Tumor quidem per initia ſæpe parvus adeo, atque obſcurus eſt, ut vix digito notari deprehendique poſſit, etiamſi dolor preſſu exaſperetur. At (ſi diutius differtur curatio) ſic ſenſim increſcit, ut plerunque in ingentem molem attollatur, atque in ſcirrhum induretur. Jam vero ſæpe fit, ut quibus fermenti venerei virus in cutim viam affectans, intro ad viſcera, & ad partes ſolidas argenti vivi litu repulſum, atque repercuſſum eſt, noxia materia in oſſium poris colligatur, atque in tumorem attollatur. In his dolor non prius urget, quam humor perioſtium attingat, feriat, compungat, vellicet, atque ab oſſe divellat. Ideoque ſtatim doloris initio, tumor fere tactu percipitur, qui non ſolum oſſi adhæret, ut in aliis, ſed oſſeus totus fere eſt, oſſis ipſius ſubſtantia, ab humore quo imbuta & perfuſa erat, dilatata atque in tumorem diffuſa. Quod ad curationem attinet, ſolis topicis nihil aut parum proficitur. Quippe venenum partibus ſolidis inſertum, remediis internis oppugnandum, atque ſudoribus digerendum eſt, ſi brevis & minime fallax curatio quæritur. Materia quidem, quam diximus inter oſſa & perioſtia colligi, quamlibet lenta ac craſſa ſit, curatione, quæ ad luem inveteratam tradita eſt, & remediis topicis capite ſuperiori deſcriptis, emollita, attenuata atque liquefacta, ſenſim diſcutitur, tumore prorſus tandem divaneſcente. At in oſſeo tumore, ea curatione venenum quidem profligare, & dolores omnino ſummovere licet, ſed tumorem plane digerere haud conceditur, quin pleriſque in omnem vitam remaneat, ſed qui, quum nec dolore, nec ulla alia moleſtia excruciet, nec candens ferrum, nec cauſticum medicamentum, nec ſcalpellum requirat.

Frequentiores autem ſunt nodoſi ſcirrhi in inveterata aut recurrente lue, quam in recenti. Quum enim fomitis venerei nonnihil, ab imperfecta luis per hydrargyrum curatione in ſolidis partibus, atque in ipſis (ut dicunt) oſſium medullis relinquatur, cujus maleficio, concoctio, & aſſimilatio, depraventur, multa excrementa aggeri, acervarique neceſſe eſt: omnia quidem pro partium conditione, craſſa & lenta, quæ inter oſſa & perioſtia intercepta, non modo dolores implacabiles cient, ſed etiam in ſcirrhos, non tamen ſenſus expertes, concreſcunt, qui oſſium duritiem adæquent, atque ementiantur. In recenti vero lue, tenuiora quum ſint excrementa, quæ expultrix facultas adhuc vegeta in cutim amandat, non ſcirrhoſi tumores circum oſſa, ſed in cute tubercula, ecthymata, exanthemata, ſcabies, maculæ, pilorum defluvium; aliaque cutanea ſymptomata fieri ſolent: aut certe dolores huc atque illuc pervagantes, quum humor nondum parti alicui obfirmatus eſt, ſed fluxione in varias oberrat. Quod ad partes attinet, in tibia, in fronte, & reliquo capite, in claviculis, coſtiſque, & in manuum digitis, crebro adnaſcuntur tophi venerei, quibus in locis pus inſit necne, tactus facile dijudicat. Sæpe etiam in femore oboriuntur, & multo quam in aliis partibus majores, ſed qui tamen in craſſo & obeſo corporis habitu, propter ambientem muſculorum craſſitiem, ad ſuppurationem feſtinent, necne, aut pus jam habeant, non facile tactu perſpici poſſit, ut neque in humore, neque in aliis partibus, ubi carnea moles tactum fallere poteſt. In his igitur, quum dolor juſtis remediis diu obluctatur, atque repugnat, pus, atque etiam forte cariem ſubeſſe conjicimus, cui viam cauterio moliri ſolemus. Neque vero in externis duntaxat oſſium partibus nodoſi tumores venerei gignuntur, ſed etiam in internis, ubi neq; tactu percipi, neque alio ſenſu explorari poſſunt, velut in concava calvariæ parte, quæ meningas ſpectat, in internis coſtarum partibus, & inter tibiæ oſſa: qui ſi negligantur diutius, tenui, ſed maligna ſanie, oſſium ſubſtantiam ſubeunte, oſſa ipſa tandem perforari, carie tentari & corrumpi videas, atque vicinas partes contagione infici, velut in capite fieri obſervavi in quibuſdam, qui poſt diuturnos capitis dolores, quorum cauſa intus lateret, magnam puris copiam per nares reddiderunt. Et in aliis, quiſquum diu continuata juſta curatione, non reſtituerentur, cranium terebello aperiendum curavimus, quod putre, carioſum, & ſubjectis meningibus lividis ac ſemiputridis adhærens deprehenſum eſt. Sed hoc iis duntaxat contingit, qui olim à lue venerea hydrargyroſi vindicati putarentur, non qui decocto guaiacino, & alexipharmaco curati fuiſſent. Quum igitur dolor diuturnus, à venerea colluvie olim fucatis remediis repreſſa, vel in capite, vel in pectore, vel in alia parte recurrit, qui interdiu intermittens, noctu acerbiſſimos cruciatus excitat, neque vulgaribus remediis, quæ alios dolores ab intemperie, aut humore minime venenato, profectos tollunt, diu ac methodice continuatis cedit, ſed contumaciter obſiſtit, atque obluctatur, niſi illius cauſam oſſibus & perioſtiis extrinſecus inhæreſcere, deprehendas, perioſtia interna venereo, eoque ſcirrhoſo tumore obſeſſa, putato; præſertim, ſi vel lues venerea, vel bubo, vel gonorrhœa, vel pudendi ulcus, diu olim afflixit, cui hydrargyri litu, curatio adhibita ſit.

Hic luis curatio ſuprapoſita continuari debet, donec doloris cauſa in totum ſublata, dolor ipſe divanuerit, quod in aliis uno, aut ad ſummum altero menſe fit, in quibuſdam vix integro trimeſtri. Quod ſi per vires aſſequi non licet, aut ſi dolor revertitur, per intervalla

remedia repetenda, vel certe curatione abſoluta, calvaria, qua parte dolor ineſt, terebello perforanda, ut exitus venenatæ ſaniei comparetur. Servanda diu idonea vitæ lex, & decocta quæ ſudorem cient, una cum alexipharmacis, quæ veneream perniciem domant, & extinguunt, vere ſaltem & autumno iteranda, donec prorſus reſtituta ſit priſtina valetudo, omniſque reverſionis motus abactus. In recidiva lue, ſic oſſibus bellum indixit venereum virus, ut ſi ſinitur, in ea inceſſanter agat, dum corruperit: & quemadmodum à veteribus literis proditum eſt, aliquando fulmen dura quæque confringere ac diſrumpere, mollibus illæſis, ſic certe venereum venenum, illæſa & integra cute, atque interdum etiam muſculis, oſſa ipſa putredine miſere vaſtat, atque depopulatur, niſi mature occurritur, longiſſima atque interdum etiam repetita per guaiacum & alexipharmaca, aut per ſarſamparrillam curatione. Et quo quiſque ſucci melancholici plus habet hoc longiori remediorum uſu indiget, in omni luis reverſione. Sæpe in iis, qui quum frigido & humido eſſent corporis habitu, ſæpius tamen crudeliſſimam illam, quæ per hydrargyrum fit, curationem pertuliſſent, molles, & flatulentos tumores vidimus in recidiva lue, qui non modo medios artus, ut in recenti, & in reverſione, quæ curationem per guaiacum decoctum excipit, ſed ipſos etiam articulos, maxime vero cubiti articulum, genua & pedes infeſtent, qui alias meliceridis, alias atheromatis, aut ſteathomatis ſpeciem exhibeant.

Hos non tam luis venereæ peculiari naturæ, ac propriæ affectioni, quam argenti vivi noxæ, acceptos refero. Quum enim crebriore illitu, articulorum robur, & caloris inſiti vim diſſolvat, atque partium omnium coctiones labefactet, præſertim vero in frigidis naturis, cruda multa & flatus in corpore ita illito ſuccreſcunt, unde plumbea ac ſubtumida facies, & anaſarca, & fluxiones, aliique affectus ex cruditate orti, originem habeant, qui præcipue in articulos, quorum robur diſſolutum eſt, impetum faciunt. Itaque in quadratis, ac bene conſtitutis corporibus, quæ hydrargyroſim non tulerint, & lue prehenſa, opportune remediis utuntur conſentaneis, vix unquam circum oſſa tumores venereos incipientes molles reperias, in aliis aliquando, ſed qui multo minori cruciatu, quam ſcirrhoſi fatigent, & citra hydrargyroſim melius tutiuſque guaiaci, & amuleti uſu profligentur, non neglectis topicis præſidiis, quæ attenuent, diſcutiant, ac ſiccent, articuloſque corroborent, fotus, litus, cataplaſmatis & emplaſtris ſpecie, quæ quum antea deſcripta ſint, non eſt neceſſe repetere. Falſum eſt, quod à quibuſdam tradi video, humorem qui maligna congeſtione circum oſſa colligitur, atque in tophos ſcirrhoſos induratur, alias pituitoſum, alias melancholicum, interdum etiam bilioſum, aut ſanguineum eſſe. Semper enim pituitoſus exiſtit, quod indicat curatio, quæ guaiacino decocto, & alexipharmaco, citra topicorum ſuppetias, fieri poteſt. His enim attenuata, liquata, abſumptaque pituita tophaceus tumor ſenſim minuitur, dum funditus eximatur, quum ſcirrhi à melancholico humore, aut bile vix unquam radicitus tolli poſſint, & curatione ejuſmodi ſic exacerbentur, ut in cancrum immedicabilem degenerent. Interdum quidem pituitoſa, interdum melancholica, aut bilioſa exiſtit noxia materia, quam natura vegetior è venis, & viſceribus in inguina, ad bubonum, vel certe in cutem ad tuberculorum, ſcabiei, macularum, defluvii piliorum, aliorumque cutaneorum affectuum generationem deponit & expurgat: verum hæc vix unquam circum oſſa in ſcirrhos concreſcit, ſed ea ſduntaxat, quæ labefactata partium ſolidarum coctione, maligna congeſtione circum eas ſenſim ſuccreſcit quæ omnino alba, pituitoſa, & frigida exiſtit, velut & partes quarum cenetur excrementum.

Qui deſcripta luis curatione, & remediis topicis opportune adhibitis, non diſcutitur ſcirrhoſus tumor oſſi adnatus, ſuppurare ſolet, niſi oſſeus eſt: ægre quidem in frigidis, facile vero ac cito in calidis & humidis naturis. Suppurationis autem ac cariei in oſſe jam contractæ fidiſſimum argumentum ex tactu petendum, qui ſcirrhoſum tophum in pus emollitum, ſibi cedere deprehendit, & forte etiam in oſſe cavum notat. Accedit & aliud ſignum ex dolore, qui, quum non ita pridem acerbiſſimus eſſet, nulla forte adhibita curatione remiſit. His ergo notis ſcirrhoſo tumori ſupervenientibus, ne putredo oſſiſque corruptio altius ſerpat, ſcalpello aut cauſtico medicamento, aut ignito ferro, puri ſtatim molienda via eſt, oſſiſque caries tandem ferro abradenda. Durus vero tumor, qui ſuprapoſita curatione diu continuata, ſenſim ac ſine moleſtia digeri poteſt, non niſi temerario conſilio chirurgia tollitur, velut & qui ſtatim ortus ſui initio, mollis eſt, ubi nec pus, nec alia materia puri reſpondens ſed cruda pituita, & flatus inſunt, qui diuturna ſudorum profuſione, in vaporario tolerata, & topicis ex ſiccanti, attenuanti, à digerenti in materia, obſequuntur & obtemperant. Ignaris igitur, & lucro inhiantibus, qui multo cruciatu venereos tumores in quibus nullum pus ſubeſt, temere inurere, aut ferro aperire ſolent, minime acquieſcendum. Eos diximus, qui neglectis alexipharmacis per hydrargyrum curantur, morbi reverſione ſolere tentari, doloribus nocturnis ac nodoſis ſcirrhis præcipue moleſta: quæ ſymptomata, etſi guaiacinis potionibus & alexipharmaco, ita profligari ſoleant, ut æger prorſus expeditus & percuratus eſſe videatur: ſæpe tamen denuo reviviſcunt, germinantque, in aliis quidem poſt menſes aut alios aliquot, in aliis quotannis, quum reverſiones quæ curationem per guaiacum & alexipharmacum conſequuntur, eadem ſemel repetita, ſic tollantur, ut nunquam poſtea recurrant. Cujus rei cauſa, ab hydrargyro petenda, qui tam alte venereum virus in partium ſolidarum ſubſtantiam inſerit, & obfirmat, tamque contumax reddit, ut ne repetita quidem ſæpius curatione, quæ luem recentem ſemel adhibita radicitus eximeret, prorſus evelli queat, tantum abeſt, ut hydrargyroſi denuo tentata deleri, extinguique poſſit. In his tam contumacibus, tamque ſæpe redivivis nodoſis tumoribus, dolore acerbiſſimo fatigantibus: ſæpe ſarçeparrillæ vim guaiaco ſuperiorem obſervavi, atque adeo ſtrenuam, ut ejus ſolius deco-

cto diu continuato aut vere, aut autumno repetito, complures, quos dolorum & tophorum diuturnitas, aut frequens reverſio ſic tabefecerat, ut nunquam reſtitui poſſe crederentur, prorſus tandem liberatos, atque perſanatos viderim. Ex iis qui tam crebro, dolorum ac tophorum reverſione diſcruciati ſunt, unum & alterum adnotavi, quibus magna ex parte, cranium putredine ſenſim exeſum, atque fruſtulatim tandem evulſum eſt, citra febrem effatu dignam. Adhibitis optimis quibuſque remediis topicis, non prius oſſis putredo cohiberi potuit, quam gliſcens occulta venerei veneni pernicies, ſolidis partibus impreſſa, tenui victu, & diu continuatis potionibus guaiacinis cum alexipharmaco, extincta ſit. Horum alter etiamnum ſuperſtes eſt, in quo ea capitis pars, quæ pilis tegitur, cranio orbata eſt, & quam mollem, ac pulſantem tactu deprehendas. Alterum vero quatuor annis ſalubriter exactis, capitis dolor quo loco pars cranii ſupererat, rurſum prehendit, nec multo poſt putredo, quæ non ſolum cranium, ſed etiam meningas, & cerebri ſubſtantiam vaſtans, ſordidæ ac miſeræ vitæ, quum ad cerebri ventriculos ventum eſt, finem impoſuit. Quinetiam alium vidi jam ſexagenarium, qui quum triginta annos ab hydrargyroſi, nullo luis venereæ ſymptomate redivivo, cum vxore pudica ſalubriter vixiſſet, dolore tandem, ac nodo venereo, in humeri oſſe correptus eſt, à quo quum nullis auxiliis levaretur, adhibito cauterio os carie ac putredine exeſum inventum eſt, morſque conſequuta.

Cujuſdam etiam curationi interfui, quem poſt xx. annos, ab ea curatione, quæ per hydrargyrum fit, faucium ulcus repente invaſit, quod columellam, tonſillas, ac palati baſim, celeriter depopulatum eſt, priuſquam ſe lue olim laboraſſe fateri, ac remedia ſubire voluerit. Huic potus & ſorbitiones per nares remeabant, veluti fieri ſolet in aliis omnibus, quibus columella & palati baſis ulcere periere. Ulcera tam fœda tamque ſerpentia, potionibus guaiacinis, alexipharmaco & gargariſmatis perſanata fuere, & æger xxv. diebus in integrum reſtitutus.

Nobilem fœminam ſuperioribus diebus inviſi, cui ſexto anno poſt hydrargyroſim dolor ad humeri os exortus eſt, ac tandem tophus, qui neglectis aliquot menſes remediis, admoto cauterio ſuppuraſſe, & os carie ac putredine contaminaſſe compertus eſt, illæſis partibus vicinis, integraque cute: quod non multo poſt, ſerpente magis ac magis putredine, una cum pure quotidie vel exire, vel educi videre licet: adeo ut duo duntaxat humeri extrema ſuperſint, quum tamen unicum in parte ſit ulcus, quo ſe pus & oſſis fruſtula expurgant. Alios complures, quibus vel in capite, vel in tibia, vel in claviculis, vel in alia corporis parte, nodoſos ſcirrhos ſuppuraſſe deprehendimus, eadem curatione triginta aut quadraginta ad ſummum diebus uſurpata, & remediis topicis, aliis ulceribus communibus, percuratos vidimus.

Atque, ut in pauca conferam, quemadmodum venereus tophus, qui recenti lui, aut recidivæ, quæ curationem per guaiacum ſequitur, ſupervenerit, ſæpe in calidis & humidis naturis, ſi diutius curatio differtur, ſuppurat, in bilioſis vero rarius, in melancholicis autem rariſſime: ſic in illis quidem adhibita curatione cito ac facile: in his vero ægre ac multo tardiùs digeretur. Ad hæc in illis ſemel deſcriptis remediis omnino ſublatus vix unquam, in his ſæpe revertitur, præſertim ſi hydrargyroſis, quæ venenatam luis perniciem introreprimit, præceſſerit.

Quum autem tumor omnis venereus vel maximus, & duriſſimus, ſi ſine pure, & oſſis carie, aut dilatatione conſiſtit, traditis antea remediis, ſine cauterio, aut inciſione ſenſim emolliri, digeri, atque diſſolvi poſſit, in eum neque ſcalpelli, neque cauterii uſus incidit. At ſi pus, aut oſſis caries ſubeſt, chirurgia quæ ab Hippocrate & aliis veteribus in abſceſſibus, & ulceribus quæ cum oſſis carie conſiſtunt, præſcribitur, una cum remediis internis ad luem deſcriptis, neceſſaria eſt. Jam vero ſi ſublatis omnib. luis ſymptomatis, tophus venereus continuatis præterea integrum menſem remediis, non tollitur: ſiquidem doloris prorſus expers & inſtar oſſis durus, chirurgia & omnis alia curatio aliena & ſupervacanea eſt. Forte enim oſſis ipſius ſubſtantia in tumorem diffuſa atque elata, nec digeri, nec in pus verti poteſt.

De bubone venereo.

Bubo omnis inflammatio eſt, in adenum locis erumpens, maxime vero in cervice, in aliis & in inguinibus: quæ, ſi ſtatim augeatur, atque ad ſuppurationem feſtinet, peculiari nomine Græcis phyma nuncupatur. Phygethlon autem, ſi inflammatio eryſipelatis, aut hoc illius ſit particeps. Sin paulatim contrahitur & increſcit, & ſcirrhoſior exiſtit, & curationi renititur, ſtruma noſtris, Græcis χοιρὰς apellatur.

Bubo alius ſimplex, alius malignus & venenatus: ſimplex febres conſequitur aut dolores partis alicujus, quæ fluxionem in adenes provitant.

Malignus, peſtilens, alius venereus. Peſtilens febris peſtilentis veluti quidam eſt character. Venereus luem veneream alias veluti anteambulo, præcurſor & emiſſarius quidam præcedit & prænunciat, alias quaſi ſatelles comitatur. Eſt tamen quum ſine hac affligit & conſaneſcit. De quo (miſſis ſimplici & peſtilenti) quo uno tenore noſtra fluat oratio, diſſerendum eſt.

Eſt igitur bubo venereus inguinis tumor, qui nec ſponte intimoque vitio, nec ullo ſimplici attactu congreſſuve, aut corrupti aëris inductu, ſed impuro duntaxat concubitu contrahitur. Efficiens ejus cauſa cenſetur, maligna & venenata quædam labes, quæ concubitu in pene primum accepta, nonnunquam puſtulis, tuberculis & ulceribus ipſum conſpurcat, ſeque manifeſto prodit, antequam partium continuatione altius in corpus propagetur: nonnunquam vero integro adhuc pene clanculum penitius ſeſe inſinuans, partes inteſtinas primum afficit fœdatque, nullis adhuc notis extrinſecus conſpicua. Quæ ſi exigua infirmiorque eſt, corpus vero ſanum & firmum, humorum vitium atque corruptela parva conſequitur, quam natura ſuis facultatibus tanquam copiis nixa, in partes externas, ac maxime in inguinũ laxiora deponit unde bubo-

nẽ

num laxiora deponit, unde bubonem venereum naſci contingit. Sin valde impurum ac cacochymum corpus non exigua veneni moles adoritur, tanta fit humorum depravatio atque corruptio, ut parte in adenas ad bubonis creationem amandata, plurimum in venis aliiſque interioribus partibus ſuperet, quod in corporis habitum transfuſum, pilorum defluvium, maculas, tubercula, dolores indubitata luis venereæ ſigna proferat.

Non immerito autem diſputari hoc loco poteſt, diverſane ſit ſpecie labes, quæ bubonem venereum ab ea, quæ luem veneream abſolutam inducit: an eam ſpecie quidem conſentaneam, ſola magnitudo diſtinguat. Equidem quum bubones ſæpe complures in inguinibus erumpant, ſummæ pervicaciæ naturæque malignioris, alias quidem ulcere & fœda gonorrhœa ſtipati, alias ſolitarii, quibus nulla lues ſuccedit, quanquam ex urinis, ex plumbea & liveſcente facie, totoque habitu, & ex aliis compluribus ſignis quoquoverſum ſeſe vitium propagaſſe minime ſit obſcurum: contra vero penis ulcuſculum, aut exiguus bubo, & ad curandum expeditiſſimus, in firmo etiam & bene habito corpore in luem nonnunquam degeneret, veriſimillimum videri poteſt, venenatas qualitates, quarum altera bubonem ſolitarium, altera bubonem lue ſtipatum progenerat, non ſola vehementia & imbecillitate diſſidere, alioquin quoties maligna illa & venenata labes impuro concubitu contracta, plurima ſe in corpus effudiſſet, ſemper in abſolutam luem, parva vero non niſi in bubonem erumperet. Quod tamen eventis quotidianis & crebris obſervationibus tanquam aſſiduis & locupletibus teſtimoniis poteſt refutari. Nam & lues venerea leviſſimis ſymptomatis nonnunquam diu, multumque ſine bubonum inſultu exercuit, & fœdiſſimi bubones (etiamſi negligentius habiti) non ſemper luem intulerunt. Sed id forte ad particularem corporis cujuſque naturam ac præparationem, non ad venerei veneni majorem infirmioremve perniciem pertineat, quæ non tam in humorum impuritate, quam in occulta quadam & inexplicabili corporis cujuſquam luem aut recipientis, aut arcentis, conditione & natura quærenda eſt.

Humor porro, in quo maligna illa & venenata qualitas ſedem habet, quique bubonis cauſa eſt continens, non purus eſt ſanguis, ut in legitima phlegmone, ſed magna ex parte pituitoſus & frigidior, quales omnes fere humores evadunt, quos hujus veneni lues ſemel conſpurcarit. Ideoque in bubonum initiis, neque calorem manifeſtum, neq; ardorem, neq; pulſationes neque diſtentiones vehementes (quæ in ſanguineis & bilioſis ſunt perpetuæ) notare eſt, niſi perquam raro.

Signis his innoteſcit, & à quovis alio earum partium tumore diſcernitur.

Impurus præceſſit concubitus, præceſſit & penis interdum tuberculum, nonnunquam ulcus, vel exorto bubone venereo quamprimum erumpunt. Huic ſe malo virulenta gonorrhœa ſæpe attexit, non repente, ſed paulatim fere adoritur, & iiſdem gradibus adoleſcit, cum calore quodam, rubore & pulſu, ſi humor efferveſcit, ſine iis vero ac imprimis per initia, ſi frigidus exiſtit. Neque diuturnos morbos, neque ſine impuro congreſſu violentas exercitationes, quæ fluxiones in adenas proritant, conſequitur, ut ſimplex.

Hic ſive abſceſſu, ſive inſenſili reſolutione finitur, niſi rite curetur, neminem à lue tutum ac ſecurum relinquit. Solet quippe venenata illa & pernicioſa labes, dum tumor aut digeritur, aut expurgatur ulcus, in jecur ac partes primarias clanculum irrepere, illicque diu interdum deliteſcere, donec bubone percurato recollectiſque in corpore excrementis, in extimas corporis partes cum illis effuſa, vel pilorum prolapſu, vel maculis, vel tuberculis, vel nocturnis iiſque diuturnis doloribus ſe prodat, idque maxime contingit quum ingens tumor ad ſuppurationem minime feſtinat, ſed celeriter deliteſcit intro curſum inflectens: aut, ſi ſuppuret & abſcedat, ad cicatricem non promovetur.

Curatio bubonis venerei incipientis duplicem (ut phlegmone) ſcopum habet: unus, ejus quod influxit, & aggeſtum eſt ſublationem: alter, ejus quod illapſurum eſt, interceptionem indicat. Conſtat tamen id, cujus affluxus eſt avertendus, neque frigidis, neq; aſtringentibus aut roborantibus utiliter poſſe compeſci: quod tamen in inflammationum initiis faciendum eſſe, publica lege jampridem receptum eſt. Sic enim venenum foris intro temerario conſilio repelleretur, & is materiæ aditus, quem natura ſapienter moliebatur, intercluderetur, quem aperire potius, atque promovere conveniſſet.

An vero catharticis & phlebotomia humor influens revocari, & bubonis curatio maturari debeat, inquirendum. Sunt enim qui ratum firmumque habent, & uſu ſe exploraſſe profitentur, neque purgationi, neque phlebotomiæ locum eſſe, antequam vel medicamentis, vel ferro, ad puris emiſſionem via ſit aperta. Qui ſecus faxit, non modo bubonis curationem retardaverit, ſed etiam ægrotum in luis venereæ periculum & diſcrimen conjecerit: veneficis ſcilicet humoribus, ex privatis partibus ad publicas, ex ignobilibus ad principes traductis.

Quæ certe omnia in bilioſis ſanguineiſque bubonibus, qui vel celeriter maturantur, vel hauſto cathartico intro refluunt, laudavero: at quum pituitoſa aut melancholica meteria, durum & pene inſenſilem bubonem effecit, ubi neque maturatio, neque reſolutio in propinquo eſt, neque recurſus ad interiora metuendus videtur, ſi plenitudine alterutra corpus tenetur, utrunque vacuationis genus perneceſſarium exiſtit.

Quum enim veneni pernicie non modo pudenda & inguina, ſed ipſa etiam viſcera (è quibus eo depulſum virus eſt) perfuſa ſunt, quis tam cæcus, & in artis operibus adeo rudis, ut exiſtimet viſcerum totiuſque corporis cacochymiam impuritatemque, una inguinis particula repurgandam? Itaque quum magna viſcerum eſt impuritas & illuvies, bubonisque craſſior materia tardius mota ſubſiſtit, in ipſis initiis ducere alvum, venam tundere, & per ſudores & halitus corporis excrementitium humorem digerere expedit, eatenus ne topicorum ſubſidia aſpernemur. Sic enim bubonis curatio, non modo tutior & brevior, ſed & totius corporis conſti-

tutio laudabilior evadet. Contra, qui neglectis purgantibus topicorum ſolummodo rationem habent, ſibi fortaſſe melius & ſplendidiori cum lucro conſulunt, ſed ipſos ægrotos conſumunt diutius, & graviſſimis morbis paratiores relinquunt.

In ſanguineo vero & bilioſo bubone, qui ad ſuppurationem ſuapte inſtinctu feſtinat, vacuandi tempus poſt ſuppurationis expreſſionem & deterſionem expectandum eſt. Quod autem vacuationibus corpus in luis diſcrimen adduci conqueruntur & objiciunt, ex iis quæ ſupra dicta ſunt, quæque ſequuntur, refellitur. Etenim ſi ea veneni pernicies, quæ luem infligit veneream, ab ea quæ vel bubonem venereum, vel gonorrhœam ſuſcitat, ſpecie diſtincta eſt, non autem ſola vehementia & imbecillitate, ut nonnullis placere video, qui fiet quæſo, ut vel purgatio, vel venæ ſectio, quæ luis materiam reſecant, illarum ſpeciem mutet, depravetque magis?

Deinde ſi ea, quæ bubonis venerei cauſa eſt malignitas, non inguina ſolum, ſed & venas majores & corporis interiora pervaſit ſine luis venereæ diſcrimine, quomodo vel purgatio, vel phlebotomia ei luem excitandi facultatem, qua ante carebat, impertiat?

Aut etiam ſi eadem ſpecie labes ſit, & quæ bubonem, & quæ luem committit, quomodo & catharſis & phlebotomia, quæ interdum à jam contracta, ſed duntaxat incipiente lue vindicant, nondum genitam, & tantum impendentem eam inurent atque infligent? quoniam inter omnes conſtare arbitror, facilius eſſe advenientem morbum abigere, quam jam admiſſum excludere.

Nihil eſt, quod è catharſi & phlebotomia ſibi metuant, quibus amuletum & guajacinum decoctum in manu eſt ad ſudores aliquot diluculis exciendos, quibuſcum labes venerea quoquoverſum in cutem diffuſa, vel expiret, vel extinguatur, quod me longo uſu exploraſſe, eaque arte impendentem luem ſecuriſſime anticipaſſe, profiteor.

Quoniam igitur neque ducta alvus, neque miſſus ſanguis, corpus bubone affectum in luis diſcrimen & calamitatem adducit, ſed ab ea imminenti ſuſpectaque ſecura præcautione, modo alexipharmacum & guajaci decoctum ad ſudores eliciendos aliquot matutinis exhibeantur, potius eripit, accerſitus ad bubonis curationem, una opera & quidquid jam genitum eſt atque congeſtum profligabis, & quidquid futurum eſt, antevertes, maxime in frigidis naturis, in quibus bubo venereus neglecta totius corporis proviſione, longiſſima ſolet percurrere tempora, luemque tandem infligere. Nam in calidis (ut jam dixi) differre præſtat, donec pus facto emiſſario aliquandiu emanarit. Id autem conſequeris ſi purgato corpore, miſſoque ex alterutra vena interna ſanguine, opiatæ juſta doſis quotidie mane voretur, hauriaturque guajaci cremor, ut in cubili corpus inſudet aliquot diluculis.

Sed antequam ad curationem accedam, eorum expendere ſententiam placet, qui neglecta catharſi, tantum alvo per clyſterem ſubducta, ſanguinem non è cubito, ſed ex poplite vel malleolo in plethoricis etiam detrahendum contendunt, nimirum ut ipſi ſentiunt, ſi è viſceribus & venis majoribus in partem affectam & ignobilem materia virulenta pellicitur, quæ ſi in interiores partes ſecta in brachio vena rapeTur, ſuſpicionem propagatæ non repreſſæ, amplificatæ non reſectæ luis injiceret.

Quod bubonis peſtilentis curatione conſtabiliunt, qui ſi in inguine emerſerit, poplitem aut malleolum: ſin in cervice aut axilla, brachiorum flexum ſecant: quaſi ſit in omni venenato morbo præcipuum curationis caput, quam longiſſime à corde præſtantiſſimiſque partibus, humoris malignitatem abduxiſſe.

Quinetiam Galeni ſententiam citant, qui de venæ ſecandæ delectu præcepta deſcribens, partes, quæ ſupra renes ſunt, vena in brachio ſecta exonerari prodidit; quæ vero infra hos ſitæ ſunt, his apertis quæ vel in malleolo, vel in poplite ſunt conſpicuæ. Renes inter utriuſque ambigere, & utriuſque ſectione, pro variis morborum temporibus, adjuvari. Hæc quam vim habeant, accuratius diſcutiamus. Primum quidem ſi venarum majorum ineſt plenitudo, eam minime per tenues exileſque poplitis aut malleoli venas, ſed per ſectam in propinquo loco amplam venam, è qua ſanguis multus facile prompteque effluat, eſſe demendam, jampridem & pronunciatum & receptum eſt. Supereſt igitur revulſionis aut derivationis cauſa, qua venæ in poplite aut malleolis ſecentur. At vero ſi qua venenati humoris ſurſum repentis revulſio aut derivatio, luis impendentis metu, tentanda eſt, eam in partem bubone obſeſſam ignobilem, & venerea contagione jam inquinatam, dum modo ſit capax, nec metus ſit palyndromes, quam in ſanas molliri multo præſtat. Quorſum enim qui in inguine redundant humores, venereaque labe corrupti ſunt, in cruris aut tibiarum venas ſectione exhauſtas, & veneni expertes pertrahemus? Itaque ſi copia peccant venarum ſucci, ſecta, ut dixi, in cubito vena minuendi: ſin qualitate moleſti & naturæ graves exiſtunt, purganti medicamento per alvum ſunt excernendi.

Hi vero, qui ſua congeſtione inflammationem pepererunt, aut protinus digerendi, aut, ſi obtineri id non poteſt, maturandi, ut emiſſario patefacto, vel pus ſua ſponte excidat, vel exprimatur. Nam qui ſecta malleoli aut poplitis vena, è viſceribus veniſque majoribus humorum curſum, impetumque in inguina impendentis (ut dictitant) luis metu convertunt, dum partem affectam & inflammatam, nova fluxione, novaque ſarcina impediunt & onerant, eum humorem, qui jam venereo veneno ſcatebat, è bubone in cruris & tibiarum exhauſtas venas proliciunt ac diſpergunt, in quibus reliquus non minus ad luis procreationem momenti habiturus eſt, quam ſi in ipſo inguine reſtitiſſet.

Peſtilentis quidem febris pernicies, ſi magna ex parte à corde (cui peculiariter bellum indixit) in partem ignobilem à viſcerib. longe diſtantem abducitur, ægrum vix interimat. At minimum luis fermentum, ſi vel extremo in pede aut digitulo ſe impegerit, pares incurſiones (niſi mature itur obviam) ac ſi penitiori alicui parti inſideret paremque ſtragem, licet paulo ſerius edit. Argumento ſunt obſtetrices,

quæ

quæ hac lue infectis parturientib. opem ferentes, non raro à digitis forte exulceratis: & nutrices mammam præbentes pollutis infantibus, quæ à papillis ſæpe luem contraxerunt. Non ut qui ab humorum plenitudine, aut ſimplici eorum putredine fiunt morbi, ſic lues venerea inquinatorum humorum revulſione aut derivatione tollitur: ſed ſola eorum vacuatione relictæque in partibus perniciei extinctione. Tutiſſimum igitur ſic ac expeditiſſimum, in eo bubone, qui ad ſuppurationem haud properat, ſi plenitudo ineſt, vena in brachio ſecta, eam curationis initio diminuere: ſin vero nulla inſit, à venæ ſectione abſtinere ac purganti medicamento uti. Nam quod illi verentur, ne ea illic reſerata vitioſi humores ex affecto inguine in jecur venaſque majores transferantur: ſiquidem inerat plenitudo, fruſtra ſe animo angunt ac cruciant. Preſſa enim natura & ſanguinis multitudine pene obruta, libentiſſime ſe exonerat, nec alimentum, quo copioſiore fruitur, aliunde prolectat. Sed de his jam ſatis, ad id quod inſtituimus, veniamus.

Si recens ortus venereus inguinis tumor celeriter & ſuppurat & percuratur, ulcere cicatrice obducto & purgato corpore, ſat erit aliquot diluculis amuletum præbere opiatæ forma. Sic enim non à ſuſpicione modo, ſed à luis invaſione æger vindicabitur.

At ſi ingens tumor vel ſolitarius, vel penis ulcere aut gonorrhœa virulenta ſtipatus, lentiſſimo ac tardiſſimo progreſſu ad ſuppurationem aſpiret, præcautionis cura & ſolicitudo augenda eſt.

Guaiaci igitur, aut ſi æger eſt moroſior, ſarſeparrillæ decoctis & amuletis ſudores dies minimum decem, longiſſimum quindecim aut viginti movendi ſunt, ut omnis quæ ex bubonis malignitate & contumacia nata erat luis ſuſpicio, eluatur. Præſtiterit autem ſemel die, quam bis, mane quam veſperi hauſto guaiacino decocto in cubili inſudare, ut æger reliquum diei vel negotiis, ſi neceſſe erit, vel jucundis ſtudiis tranſigat: ita tamen ut interim de conſuetis cibis tertias detrahat, & diluto guaiaci, vel ſarçeparillæ decocto utatur in paſtu.

Leviſſimis hiſce præſidiis frigida, craſſa, lentaque bubonis materia incaleſcens & attenuata, brevi vel abſcedet, vel digeretur, diſſeminatumq; per univerſum corpus virus, cum ſudoribus expirabit: ut ſuadeam in omni contumaci bubone iſta remedia arripere, ſi certa, tuta, & brevis curatio expetetur.

Dum hæc fiunt, parti etiam eſt providendum, cujus maxime cauſa curatio eſt inſtituta. Itaque ſi in alto inguine tumor deliteſcit glandulam comprehendens, cujus preſſu ſolo ſit conſpicuus, obtuſo admodum hebetique doloris ſenſu, ſi impurus præceſſit concubitus, qui luis aut bubonis metum intulerit, hunc foras evocare tentandum hocce modo:

♃. Olei liliacei & chamæmeli, œſipi, ſingul. ℥ß. pro embrocha partis dolentis bis die, & ſuperponatur lana ſuccida.

Quibus, ſi non ſatis poſt biduum aut triduum foras erumpat frigidus & craſſus humor, ad fotum eſt tranſeundum, quo validius incaleſcat, tenuetur, & in cutim evocetur. Subeunda etiam vehomens exercitatio, cibis utendum calidis & attenuantibus, alliis, cepis pipere conditis, ſinapi vino generoſo moderate diluto.

♃. Rad. altheæ & liliorum, utriuſque ℥ii. rad acori helenii, ſem. lini fœnigræci aniſ. & fœnicul. ſingul. ℥ß. malvæ, violarum parietariæ, chamæmeli, meliloti, anethi, origani, artemiſiæ, ſingulorum M. j. Includantur omnia ſacellis, qui in æquis partibus aquæ & vini aliquantiſper ferveant, dein foveatur tumens particula mane & ante cœnam.

A fotu deterſo loco unguentum inducatur hujuſmodi:

♃ Gummi ammoniaci liquati in aqua vitæ & aceto ℥i. fermenti acris ℥ß. olei liliacei, chamæ. & anethi ſing. ℥ß. adipis anatis & anſeris, utriuſque ℥ i. fiat linimentum.

Interdiu noctuque emplaſtrum inſideat hujuſmodi:

♃. Gummi pini ℥ i. ammoniaci emolliti in aqua vitæ ʒ vi. galbani liquati in vino albo ℥i. ß. emplaſtri diachylonis ireati ℥ii. hermodactyl. pul. ʒii. ß. ladani, ſtyracis calamitæ utriuſque ʒi. ß. olei irini quantum ſatis ſit, fiat emplaſtrum.

Continuato per dies aliquot horum auxiliorum uſu, ſi tumor non ſatis ſe provexerit, admovenda eſt ſine ſcarificatu cucurbitula. Ab hac vero primum fovere, dein illinere partem, poſtremo paulo ante deſcriptum emplaſtrum aliudve viribus proximum ſuperponere conveniet. At ſi tumor augeſcat quidem, ſed digitorum preſſu durus & renitens ſentiatur, adhibendum erit cataplaſma poſt fotum & litum, quod impactum craſſam materiam ſimul emolliat, attenuet, digerat, & ad ſuppuratum inſtiget.

♃. Rad. altheæ, liliorum, helenii, ſingul. ℥j. ß. ſem. lini & fœnigræci, utriuſque ℥ j. foliorum malvæ, violariæ, altheæ, parietariæ, chamæmeli, meliloti, anethi, cucumeris aſinini ſingulorum M j. Coquantur in aqua, tundantur & in cerniculo tranſmittantur. Tum adde duo alliorum capita, duaſque cepas ſub prunis coctas, ſigilli Mariæ & radic. bryoniæ, utriuſque ℥ iii. fermenti ℥ j. fermenti ℥j. croci ʒi. olei anethi & liliorum utriuſque ℥j. ß. axungiæ ſuillæ veteris q. ſ. fiat cataplaſma.

Quorum omnium, ſi irrita erunt opera, ita ut nec durities reſolvatur, nec materia bubonum matureſcat, alio cataplaſmate eam remollire, & in halitum ac perſpiratum deducere annitendum erit.

℞. Sigilli Mariæ crudi ℔. ß. rad. bryoniæ coctæ in aqua parietariæ ℥ iiii. croci ʒ i. axungiæ ſuillæ veteris ℥ vi. Si emplaſtrum magis arridebit, eſto hujuſmodi:

♃. Gummi pini ℥i. ammoniaci remolliti in aceto ℥iß. rad. ireos Florentiæ & hermodactyl. utriuſque ʒ i. ß. emplaſtri de mucag. ℥j. ſubigantur ſimul, & fiat emplaſtrum.

Hæc dum molimur in affecta parte, ſexto quoque die corporis totius vacuatio repetenda, ſudorque quotidie mane eliciendus, tenuis & exiguus cibus adhibendus. Nonnulli induratos adenas, ſi nec relaxantibus, nec mollientibus, nec attrahentibus faſtigiantur, aut ſe exerant, cauterio aperiendos eſſe ducunt, ne virus in interiora remeans, luis occaſionem ſubminiſtret. Quod tametſi haud inſigne corpori detrimentum afferat, & in hominibus qui ſuæ ſpontis ſunt, &

cura negotiorum liberi, tentari poſſit: grave tamen, ſordidum moleſtumque eſt, ſæpeque nec corpus a lue, nec glandulam à duritie vindicavit. Erit vero multo tutius, eos apozematis guaiacinis multum, continuatis & expoſitis antehac remediis, in perfectam ſanitatem reducere.

At vero ſi ſtatim initio emergentis bubonis non glandulam modo, ſed etiam ſuperpoſitam cutim tumor conſpicuus & effatu dignus, non admodum durus obſidet, eique adhæreſcit: vel quum initio parvus & obſcurus eſſet, mox à fotu & embrocha increſcit ac dolore torquet, ut materiam tenuem & calidam ſui cauſam agnoſcit, proditque, ſi brevi vel digeretur, vel ſuppurabit. Et quo quiſque bubo crudior, renitentior minoriſque doloris atque inflammationis erit particeps, eo longior ac prolixior ejus curatio futura eſt. Hic igitur à ſuperiore & propoſita longe diverſa curandi methodus tenenda eſt.

Primum enim mollientia & digerentia ita confundenda, ut mollientium vis ſuperet, his vero, ſi tumor increſcit, futurum abſceſſum portendit, & ſignificat mollientibus emplaſtica & ſuppurantia eſſe permiſcenda: ſin vero decreſcit, & dolor remittit, reſolutionis ſpes affulget, & in mollientibus & diaphoreticis perſiſtendum.

Poſtulat autem partium natura frigidior, humoriſque malignitas, ea quæ in digerentium aut ſuppurantium ordine vires habent eximias & nobiles, quorum materia è propriis fontibus facile deprometur. Aſcribam tamen unum atq; alterum exemplum in tyronum gratiam.

℞. Rad. altheæ & liliorum, rad. cucumeris aſinini, ſingul. ℥ i. foliorum acetoſæ, malvæ, violariæ, ſingul. M i. Coquantur dum contabeſcant, tundantur & cernantur, dein adde butyri recentis, axung. ſuillæ veteris, utriuſque ℥ iii. farinæ, lini, fænigræci & hordei, ſingul. ℥ß. rad. bryoniæ in lacte coctæ ℥ iv. olei liliorum & chamæmeli, utriuſque q. ſ. ut fiat cataplaſma.

Cataplaſma ſuppuratorium & anodynum.

℞. Medull. pomorum coctorum ℥iii. foliorum acetoſæ coctorum ſub cineribus cum butyro recente ſalis experte ℥ii. rad. cynogloſſi crudæ ℥ iiii. farinæ triticeæ in vitellis quatuor ovorum ſolutæ ℥ j. axungiæ ſuillæ veteris q. ſ. fiat cataplaſma.

Aliud ſuppurans paratu facile, præſtantiſſimum.

℞. Galbani ℥i. gummi ammoniaci ℥ i. ß. diſſolvantur in aqua parietariæ & colentur, deinde adde unguenti baſilici ℥iii. farinæ triticeæ ℥ ß. rad. cynogloſſ. crudæ ℥ iiii. fiat cataplaſma.

Si cui cataplaſma interdiu geſtare grave & tædioſum ſit, eo mane ſublato & deterſo loco emplaſtrum imponendum.

℞. Emplaſtri diachylonis, emplaſtri de meliloto, utriuſque ℥ i. gummi pini ℥iß gummi ammoniaci liquefacti aqua vitæ ℥ i. galbani ℥ß. rad. ireos Florentiæ & hermodactyl. pul. utriuſque ʒ i. fingito arte emplaſtrum, addendo olei irini momentum, ſi opus erit. Mollit, attenuat, & leviter digerit induratos bubones, ſed non ſtrenue tamen eos maturat ac concoquit, qui in halitum digeri nequeunt.

Aliud ad ſuppurandum efficacius.

℞. Gummi ammoniaci in aceto remoll. galbani utriuſque ℥ i. ß. unguenti baſilici ℥ ii. hermodactyl. pul. ʒ i. ceræ parum, ſi opus erit, fiat emplaſtrum.

Neque verò metuendum eſt (quod vulgus aſſolet) ne ſi tumor iſtorum ope digeratur & expiret, humorum labes, corruptela & venefica pernicies intus reſiſtans atq; remeans ad viſcera, luem veneream & pleraque inſuper incommoda referat. Siquidem attrahentia & digerentia omnia calida quum ſint, nihil in adverſum rejiciunt, ſed foras evocant, idque multo quam ſuppurantia præclarius. Quin & in antidotis, quibus utendum eſſe præcepimus, tam ſtrenua eſt facultas & efficientia, ut ſive digeſtione divaneſcat, ſive maturetur bubo, nihil gravius aut periculoſius impendeat. Sed quoniam perſæpe tam frigida tamque intractabilis eſt bubonum materia, ut neque diaphoreticis, neque ſuppurantibus edomari poſſit: hic ſummum ſtudium in apozematis ſudatoriis & in amuletis collocandum eſt, ut ſi digerentibus & maturantibus nihil profectum eſt, abſterſa ſaltem & ſudoribus elicita pernicies à luis incommoditate reddat ſecuros.

Genitum jam pus vel ferro, vel urenti medicamento emitti debet, deinde reliqua omnia, quæ ad purgandum & implendum ulcus, quæque ad cicatricem inducendam pertinent, ſuo ordine perſequenda. Quod ſi forte cacoethes malique moris ulcus remedia vulgaria contempſerit, aut ſi ejus labra & partes circumſitæ occalleſcunt, ſi quidem corpus reliquum etiamnum erit impurum, adhibenda ex intervallis purgatio, ſollicitanda ſudorum per guaiacum & amuletum profuſio, ſi initio vel neglecta, vel in progreſſu præpropere intermiſſa eſt, atque interim quæ obduruerint, fotu & cataplaſmate emollita, bis terve die aqua ſublimati elui, deinde admoto mercurii pulvere quod ſatis erit, abſumi exedique oportet. Totum denique ulcus aqua ſublimati, & unguento naturæ accommodato tergendum implendumque fuerit.

At ſi valet reliquum corpus, ſi non alte vitium penetravit, ut hydroticum guaiaci decoctum utile & amuletum neceſſarium eſt, ſic frequens purgatio ſupervacanea cenſeri debet. Victus eſto tenuis, ſiccans & euchymus, qualis ad luem veneream præſcriptus eſt. Exercitatio, ſi fervida ſit fluxio, dolorque maximus vel nulla, vel moderata eſſe debet: ſin craſſa & frigida ſit materia, vehemens, atque interdum etiam immoderata, quo humor incaleſcat.

De virulenta Gonorrhœa.

Scortatores hoc ſeculo exercere cœpit aliud quoddam inauditum morbi genus gonorrhœæ finitimum, quod idcirco fœdam virulentamque gonorrhœam appellarunt. Eſt autem virulentæ cujuſdam meteriæ per penem profuſio,

quæ in proſtatis ortus ſui initium habet, & externam cauſam, atque (ut vulgo nominant) prophaſim ab amatorio & impuro concubitu ſortitur.

Quum in venereo congreſſu ductus penis, totiuſque corporis, ac potiſſimum partis obſcœnæ pori & meatus ſe expanderint, ſi quis ab inquinato ſcorto vapor ſublatus, his viis in vaſa ſpermatica, in teſtes, in proſtatas perrexerit, eorum conſtitutionem ac habitum naturalem pervertit & conſpurcat, imprimiſque laxas & humidas proſtatas ſuæ malignitatis labe reſpergit, atque inficit. Quo fit, ut quicquid eo poſtea delabitur, in tetrum fœdumque virus album aut ſubflavum degeneret ac corrumpatur, quod dormientibus juxta ac vigilantibus & invitis exſtillat, alias cum moleſtiſſima penis tentigine, alias ſine hac, quum virus acrimoniæ atque ardoris minimum concepit. Fit enim moleſtiſſima illa penis tentigo, quæ ſubtentæ chordulæ ſpeciem laborantibus adfert, dolorque acerbiſſimus ardore atque acrimonia erumpentis materiæ, quam vel in vaſis ſpermaticis, vel in proſtatis phlogoſi laborantibus contraxit.

Ut enim cum in diabete per renes tranſmiſſa trajectaque urina exarſit, per veſicæ cervicem, licet integram ſine punctionis & morſus ſenſu minime tranſire poteſt: ſic profecto in virulenta gonorrhœa putre malignumque ſemen, aut alia quævis acerrima materia, ubi in ſeminariis vaſis aut proſtatis incaluit, vix queat ſine ardoris & acerbiſſimi doloris ſenſu per penis meatum excidere.

Gonorrhœa virulenta ſi negligitur, venenata labe ſeſe altius inſinuante, in veneream calamitatem fere devolvitur ac propagatur. Quinetiam virus in proſtatis tantum ardoris & acrimoniæ concipit, ut veſicæ cervicem, & ductum penis in tranſitu vellicet, atque interdum exulceret, unde dyſuria, ſtranguria, aliaque prope innumera morborum incommoda exortis hyperſarcomatis originem trahunt. Sin temerario conſilio præter rationem ſupprimitur, pure ſurſum migrante atque compulſo manifeſta phlegmone colligitur, alias quidem circa teſtem in epidymide, quæ digeri conſuevit, alias in perinæo, quæ tandem ſuppurans aperta aut dirupta cute, purulentam materiam profundit. Temerariæ autem ſuppreſſionis cauſa, vel ad equitationem, vel ad exercitationem immoderatam & ſucculſionem, vel adſtringentium medicamentorum uſum ſemper fere rejicienda eſt.

Curationis ſcopi tres proponi ſolent: primus idoneam victus rationem dictat ac præſcribit: alter humoris in partem inflammatam ex univerſo corpore per venas & arterias, quæ ſecundum inguina ad ſcrotum perreptant, revulſionem ac vacuationem molitur: tertius genitam in vaſis ſeminariis ac proſtratis affectionem pravam, quæ purulentam materiam quotidie progenerat, coercet & extinguit.

Victus nec tenuis, nec plenus eſto. Ille enim biliosos humores magis magiſque inflammat, & cum dolorum acerbitate incendit. Hic & corpus opprimit, & morbo materiam ſubminiſtrat. Qualitate autem refrigeret & temperet. Frequens igitur uſurpetur ſorbitio, è carne vitulina, borragine, bugloſſo, pimpinella, foliis violariæ & radicibus altheæ parata. Nec omittatur nunquam ſatis laudatum hordeatum. Salſa vero & aromatibus condita maxime devitet, quemadmodum calida & acria, velut cepas, allia, ſinapi, reliquaque ejus claſſis.

Potus eſto ptiſana vulgaris, vel hordei decoctum, vel vinum abunde dilutum. Omnes animi perturbationes fugiendæ, nulla exercitatio vehementior ſubeunda. Venus immoderata nonnullis profuit, profuſa cum ſemine pernicioſa labe, quæ nondum in partium ſubſtantiam altius inſederit, quoniam tamen undique humores in affectam partem rapit, & phlogoſim irritat, omniaq; alia hujuſce morbi ſymptomata exaſperat, intermitti debet, donec extincto veneno repreſſoque ardore inflammatio temperetur.

Ita inſtituto victu, primo quoque tempore redundantia in corpore excrementa, medicamento quod urinæ, renum, ſeminiſque vias leniat ac refrigeret, exturbanda ſunt, quo in genere primas tenet caſſia, deinde catholicum.

Quæ non niſi ſummo cum cruciatu, & vehementiſſima tentigine virulentam materiam rejicit gonorrhœa, venam ſecandam hortatur, ſi alterutra plenitudinis ſpecies moleſta eſt. Deligere autem oportet axillarem alterutrius cubiti, è qua ſanguine multo detracto, totius corporis habitum prompte refrigerari, & humoris in male affectam partem ruentis revulſionem fieri, manifeſtum eſt. Si ſanguinis adſit penuria, ejus detractio noxia, nedum ſupervacanea ducenda eſt. Ab iis ad affectam partem veniendum, dandaque opera, ut in ea contracta labes maligna deleatur, & extinguatur phlogoſis ejus ſoboles hiſce remediis.

℞. Mucag. ſem. pſylii. extractæ in aquis roſ. & plantag. ℥i. paſtillorum albi raſis cum caphura & opio ʒii. olei roſati loti in aceto, unguenti albi utriuſque ℥i. caphuræ ʒß. fiat linimentum pro lumbis & perinæo, utroque diei crepuſculo.

Sunt qui ſolum unguentum album cum caphura & opio uſurpent, prudenti ſane conſilio. Alii unguentum roſarum Meſuæ adhibent minori profectu:

♃ iiii. ſem. frigidorum majorum mund. ſingulorum ʒii. ſem. papaveris alb. ʒi. amygdal. dul. in aqua frigida maceratas & mund. 25. numero. Contundantur, dein affunde decoctionis ſequentis ℔. i. ß. miſce & colo trajice. Cap. ℥iv. pro doſ. ſeſquihora ante paſtus, Renes ſeminis urinæque ductus refrigerant, leviter extergent & contemperant.

♃ Hordei integri p. xii. glycyrrhizæ contuſæ, rad. altheæ & graminis ſingulorum ℥ß. fol. malvæ, violarum & plantag. ſingul. M. j. Coquantur in aquæ puriſſimæ ℔ ii. ad. ℔ j. ß.

Vel ſic:

♃. Sem. hyoſciami ʒi. ſem. papaveris albi ʒi. ß. ſem. lactucæ ʒi. ſem melonum, mand. ℈ ii. caphuræ ʒß. fiat maſſa cum mithridatii ʒ i. & mucag. pſylii extracta in aqua parietariæ. Cap. p. iii. aut iv. pro doſi quotidie mane donec tentigo & dolor remiſerint, dein ſuperbibat ℥iv. decocti ſuprapoſiti. Quum in reddendo lotio dolor urget, in exulceratum penis meatum refrigerans, tergens & ſiccans decoctum ſyphone bis quoque die iniiciunt. Sed hæc medendi ratio virulentam materiam ſurſum repellens, atque gono-

gonorrhœam præpropere cohibens plerunque moleſtiſſimam in teſte inflammationem parit. Lac tamen recens mulctum, aut decoctum aliquod leniens, ſiccans & tergens citra morſum ıudi poteſt. Terebinthina veneta, hujuſce morbi initio data primarum venarum ſordes in affectam partem impellit, ſecumque deducit, & calore atque acrimonia phlogoſim exaſperat. At quum ardor & tentigo remiſerunt ſiccando, tergendoque prodeſt.

♃. Terebinthinæ venetæ ʒ ii. ß. aut ʒiii. eluito in ſucco plantag. datoque in cochleari cum ſyrupo de althea, vel capil. ven. additur interdum caphuræ ℈i.

Quum ardor prorſus remiſit, morbuſque jam abiit in vetuſtatem, nec terebinthina eluenda fuerit, nec admiſcenda caphura, ſed rhabarbarum potius, quod tergendo ſiccandoque prodeſt, & alvum ducit.

♃. Terebinthinæ venetæ ʒ ii. ß. rhab. pulv. ʒ. i. aut ʒ i. ß. miſce & præbeto duabus ſaltem horis ante cibum mane ſemel ſexto quoque die, dum purulenta ſanies ſiſtatur.

Cineris ſiliquarum fabacearum uncia, aquæ parietariæ tepentis libra maceratur horis quatuor, dein limpidiſſimum lixivium colo tranſmittitur, adduntur que ſyrupi de althea ℥iv. ut compoſiti medicamenti quotidie ℥iv. propinentur duabus horis ante cibum. Renes & reliquas urinæ vias terget, & obſtructione liberat, inveteratam gonorrhœam ſiccando & detergendo plane profligat: recentem exaſperat, niſi plantaginis ſtillatitio liquore cinis maceretur, & loco ſyrupi de althea violaceus, aut è limonibus adhibeatur.

♃ Aloes optimæ ℥i. cretæ, ſuccini, rad. gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, rad. dictamni, myrrhæ optimæ, ſingul. ʒ i. mithridatii ʒ i. ß. terebinthinæ venetæ ʒ i. fiat omnium maſſa, addendo ſyrupi de althea quod ſatis erit. Involvatur aluta. Cap. pilul. iv. pro doſ. alternis diluc ul. tribus horis ante epulas.

Nulla tam pervicax gonorrhœa occurret, quam hoc remedii genus non ſuperet & evincat, ſi tentigine & dolore conquieſcentibus arripiatur, ac diu continuetur. Sed videndum ne diuturnum cervicis veſicæ ulcus nobis imponat. Ex hoc enim, curata interdum gonorrhœa, perinde atque è proſtatis per gonorrhœas diuturnas, purulenta materia aliis in totam vitam, aliis donec juſta curatio adhibita ſit, ſtillare, & induſium ægri commaculare conſuevit, quæ gonorrhœam ementitur. Sed hoc longe aliam curandi rationem expoſcit, & certis ſignis diſcernitur.

Si forte vel initio neglecta, vel oſcitanter curata gonorrhœa in longius tempus produci videatur, deſcriptis catapotiis in aliud tempus dilatis, utile ſit aliquot diluculis ſudores hauſto guajacino cremore vorataque opiata promovere. Sic enim luis alioqui formidandæ & impendentis omne diſcrimen antevertitur.

Emplaſtrum Johannis Vigonii cum mercurio, unguentaque omnia ex hydrargyro, quæ empirici in hujuſce morbi initiis perinæo & inguinibus adfricant, idcirco rejicienda, quod virulentam materiam, unde lues originem habeat, intro pellant ad viſcera conſilio admodum temerario.

De ulcere Penis & venerea hyperſarcoſi.

Quæcunque neglecta, aut etiam adhibitis remediis non prorſus deleta fœda gonorrhœa in vetuſtatem abit, in penis meatu & veſicæ cervice carunculam ingenerare, urinæque difficultatem tandem parere ſolet. Etenim acris & virulenta ſanies, quæ per diuturnas gonorrhœas è proſtatis in penis meatum continenter ſtillat & illabitur, non modo ipſius ductum in tranſitu ſenſim atterit, & exulcerat, ſed ſæpe etiam veſicæ cervicem.

Hinc igitur ulcera in cervice veſicæ, & in meatu urinario, aut in alterutro relinquuntur: unde (niſi coerceantur) quotidie ad extremum uſque ſenium purulenta materia exudat, quæ induſium commaculet, atque turpiter conſpurcet: & in quibus raro excreſcens carnoſum tuberculum proferat. Quanquam & aliæ non paucæ cauſæ numerando percenſeri poſſunt, quæ penis ulcus atq; carunculam accerſant citra obſcœnam gonorrhœam. Acris enim & mordax ſanies puſve è renibus in veſicam cum urina illabens, illius cervicem aſſiduo tranſitu nonnunquam exedit atque exulcerat, perinde ac virulentæ gonorrhœæ materia: urinæ etiam limpidiſſimæ, ſed acres & præcalidæ per diabeten redditæ, non raro eadem incommoda accerſere viſæ ſunt, veluti & arenularum aſſidua profuſio, & calculus veſicæ cervici incumbens, & tumor in cervice veſicæ ad ſuppurationem perductus, ſed gonorrhœa venerea omnium frequentiſſima ac peſſima cauſa exiſtit.

Fidem ſuperat ac paradoxum eſt, quod à quibuſdam literis proditum video, craſſam pituitam è capite per renes in veſicam illabi, quæ peni ulcus & hyperſarcoſim inurat, nullæ enim viæ ſunt cerebro cum renibus communes, quibus craſſa illa pituita in veſicam procumbat. Contracti in cervice veſicæ aut penis meatu ulceris argumenta ſunt, frequens emictio, dolor in reddendo lotio excrucians, pus album & craſſum è pene ante emictionem effluens

His igitur ſignis poſt gonorrhœam comparentibus ulcus in meatu urinario contractum intelligitur, cujus acceleranda eſt curatio, antequam in eo vel caro ſupercreſcat atque luxuriet, vel craſſa ſordes in callum obdureſcat, qui ſtranguriam, dyſuriam, iſchuriam accerſit: nonnunquam etiam inflammationem, gangrenam, & mortem præmaturam. Interdum cervicis veſicæ & penis ulcera tam alte colem exedunt atque excavant, ut foras emergant in ſummam cutem, illacque urina profluat.

Ut igitur ulceri mature occurras, antequam vel penem erodat, vel caruncula aut callo obducatur, victus inſtituendus, qui flatus & cruditatis ſit expers, quique omnium humorum atque urinæ acrimoniam temperet. Cruda omnia interdicenda, velut etiam præcalida, ſalſa, acria, & aromatis condita, & quæcunque ſanguinem & humores adurunt. Potus eſto hydromeli valde aquoſum paſtus initio, in cujus vicem hordei decoctum, aut ptiſana vulgaris æſtate ſubſtitui poterit in bilioſis naturis, velut & piraceum aut pomaceum purum ac pellucidum ſatiſque defæcatum concedi poterit, & vinum tenue extreme dilutum.

Frequens ſit uſus enematum, quæ materiam noxiam in urinæ vias contendentem in alvum revocent & expurgent. Crebra etiam adhibeatur purgatio, modo per caſſiam, alias puram & impermiſtam, alias cum rhabarbaro, modo per catholicum aut per aliud leniens, tergens, & blandum catharticum, quod omnem ſanguinis impuritatem atque obſtructionum materiam in alvum derivet. Hyeme, ſi ſordidum ulcus eſt, catapotia ex myrrha & radice gentianæ cum aloes octuplo, & ſyrupi violati momento recte cibo præmittuntur ex intervallis. Sed in calidis naturis ſemina refrigerantia inſerentur.

Topica remedia ſunto decoctum tergens unguentum detergens & ſiccans, & quum ſatis deterſum ulcus erit, aqua aluminoſa unguentum citra morſum ſiccans, & cicatricem inducens.

♃ Foliorum ſaniculæ, nicotianæ, abſynthii vulgaris, verrucariæ, equiſeti, agrimonii, centaurii minoris, hyperici, roſarum rub. ſingulorum M. i. Lupinorum contuſorum, ℥ß. plantag. M. j. ß. fiat decoctum ad ℔. j. ß. In quo colo trajecto diſſ. ſyrup. roſarum ſiccarum, & de abſynthio utriuſque ℥ i. ß. Mel roſaceum melius terget, ſed nimium mordet ac exaſperat penis & veſicæ ulcera, niſi valde ſordida ſint, aut corpus durum & obtuſo ſenſu præditum, in quibus non modo mel loco ſyruporum, ſed etiam aloë, myrrha & radix ariſtolochiæ commodiſſime adhibentur.

♃ Tutiæ præparatæ, lapidis calaminaris præparati, ceruſæ Venetæ, ſingulorum ʒ i. tenuiſſimi pollinis, plumbi crudi, caphuræ, utriuſque ʒ ß. ſucci nicotianæ cocti ad mellaginem ʒ ii. olei è myrrha extracti quod ſatis erit. In cote marmorea diu terito, dein in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo rurſum ſubigito in unguentum. Penis ulcera, ſiccat, & citra morſum terget, & ſi quid excrevit, brevi abſumit citra inflammationem, velut & aqua quæ ſic habet.

♃ Aluminis crudi ℥ ii. albumina ovorum crudorum xv. numero, ſuccorum portulacæ, plantag. ſolani, ſempervivi, nicotianæ, aquarum ulmariæ, lagopi & roſarum, ſingul. ℥ iv. agitentur diu ſimul omnia, dein in ollam vitream ponantur, & aqua proliciatur in duplici vaſe.] Ducunt quidem ſuperiora, etiam cicatricem, ſed quod ſequitur aliquanto validius.

♃ Corticis granatorum exuſti, gallæ uſtæ, tutiæ præparatæ, plumbi uſti ſingulorum ʒß. macerentur in aqua roſ. horis duodecim, dein ad ſolem aut ignem ſiccentur, & in cote marmorea cum oleo myrtino in unguentum concinnentur addendo caphuræ ʒ ß.

Aliud cicatricem duriorem trahens, fluxiones repellens.

♃ Gallæ immaturæ, nucum cupreſſi, baccarum myrti, balauſtiorum, malicorii uſti, calycum glandium, maſtiches ſingulorum ʒ i. omnia in exquiſitum levorem trita dies aliquot in ſuccis meſpilorum & ſorborum macerentur, dein ad ignem aut ſolem ſiccentur, & cum ℥ii. olei roſarum aqua roſarum, in qua liquatum ſit aluminis momentum eloti, & ceræ albæ ℥ ß. fiat unguentum in cote marmorea & mortario plumbeo.

Trahit & cicatricem quod ſequitur paratu facile.

♃. Aquarum plantag. & roſ. utriuſque ℥ iv. trochiſcorum albi raſis ʒß. boli armeni ʒ ß. fiat injectio.

Vtendi ratio.

Mane & veſperi abſtergens decoctum per ſyphonem in penem injiciatur tepidum, & aliquandiu pene contineatur præhenſo atque compreſſo altera manu præputio cum glande, altera pene qua parte ulcus erit contrectato: hora ſomni ſine morſu tergens & ſiccans unguentum è cereolo, qui tota nocte ulceratæ parti inſideat, imponatur, prorſus reddito prius decocto. Utrunque alternatim adhibeatur, dum ſatis deterſum ulcus appareat. Satis autem deterſum & expurgatum fuerit, quum nihil aut minimum puris extillabit, quumque urina inter meiendum acrius, quam dudum ulceratam partem compunget. Tum igitur prætermiſſis tergentibus aqua aluminoſa, aut deſcriptum unguentum, aut utrunque indetur ad cicatricis generationem. Hujus curationis finis erit, quum nullo dolore æger premetur inter meiendum, nihilque puris è pene excidet.

Videndum autem etiam atque etiam, ne quod è pene excidet pus, non è penis ulcere, ſed è proſtatis ſcaturiat. Id enim ſæpe doctiſſimis chirurgis ac medicis impoſuit. Sæpe ad multos annos purulentam materiam proſtatæ profundunt, nullo validius diſcrimine, nulloque penis ulcere, ſed multo ſæpius utrunq; vitium concurrit. At internoſcuntur, quod nulla acrimonia, nulloque morſu moleſta ſit urina, quum in ſolis proſtatis vitium eſt: Contra vero, exulcerato interno penis meatu, vix citra dolorem urina profluit, niſi quum craſſa ſordes, vel callus ulcus obduxit. Sed tum urina aut guttatim redditur, aut tenui quaſi filo ſenſim exit atque dimanat, quod poſtea luculentius exponetur.

Si inveteratum jam ulcus cathetere calloſum deprehenditur abſque caruncula, niſi ante horum remediorum uſum diligenter fotu emolliatur, opera fere luditur.

In ulcere neglecto vel craſſa ſordes, in callum tandem concreſcit atque obduratur, vel caro ſupercreſcit atque luxuriat. Utrunque vitium penis ductum obſtruens ſtranguriam ac dyſuriam acceſſit, nonnunquam & iſchuriam, perinde ac calculus: ut idcirco ſic affecti complures in ſuſpicionem calculi venerit. Sed hinc vitii cauſam innoteſcere licet. Caruncula & callus renuem urinæ curſum efficiunt, qua minime ut in ſanis, urina pleno ductu ac fluore prorumpit, ſed exili quodam quaſi filo exit. Calculus vero emictionem interruptam efficit, qua tamen urina pleno curſu profluit, ſi ſolitarius eſſet

Ad hæc pene digitis compreſſo, durum tuberculum deprehenditur, & immiſſo cathetere, velut offendiculum occurrit, ne facile catheter in veſicam uſque impelli poſſit, obſiſtens. Gravitatis ac ponderis ſenſus in anum minime incumbit, ut fit in veſicæ calculo, neque inter meiendum egerendi deſiderium ineſt, niſi forte perquam

quam raro, quum ſcilicet maximus tumor veſicæ cervicem obſidens rectum inteſtinum non minus premit, quam calculus. Sed ſi forte lapiſne ſit, an caruncula incertis ſignis adhuc ambigitur, hac ratione apertius diſcernetur.

Purgato per caſſiam corpore catheterem cereolumve perita manu in veſicam ſenſim immittere tentandum. Si igitur nullo oſtendiculo ad veſicæ cervicem, atque hinc ad veſicam uſque inſeritur, nec tuberculum carnoſum, nec callus urinæ viam obſidet, ſed in veſica calculus ineſt, cathetere diligenter inveſtigandus. At ſi vel juxta glandem, vel in medio pene, vel in cervice oſtendiculum catheteri occurrit, quod vel nulla prorſus arte, vel non niſi ægre & vi maxima cathetere perrumpi ac ſuperari poſſit, carunculam callumve ea parte ineſſe certum eſt. Sed tum alia etiam inſunt certa eorum ſigna, atque minime ſuſpecta teſtimonia, quæ ante jam propoſui.

Tenuis enim urinæ fluor eſt, iſque minime rectus, ſed obliquus, ac ſæpe in duas partes diviſus. Ad hæc dolor ſub emictionis finem crudelius quam dum urina profluit, diſcruciat. Urinæ enim nonnihil inter veſicæ cervicem & carunculam remanet, quod non niſi maximo conatu ſummoque dolore exprimitur. Quod ſymptoma poſt coitum etiam pleroſque male habet, coërcito ob carunculam in pene ſemine, quod natura ſummo conatu poſt coitum expellere contendit.

Sæpe adeo excreſcit caruncula, ut urina omnino ſupprimatur intolerabili cruciatu. Nonnunquam affluentibus in eam partem humoribus inflammatio oritur, quæ vel in pus vertitur horrendis doloribus inſignique febre, ac rupto abſceſſu expurgatur: vel ante ſuppurationem ac ruptionem ſurſum remeante urina, laborantem proſternit ac jugulat.

Crudele admodum ac miſerabile morbi genus eſt penis caruncula, hominem (niſi coërceatur) ſic tandem laceſſens, ut mori ſatius ducat, quam tantis doloribus tamque acerbo diſcrimine vitam diutius protrahere. Quod tamen omnes fere virulentas gonorrhœas excipit, alias citius, alias ſerius, ut multis incredibile videatur, quoſdam hoc vitio tentari annos plus viginti, poſt contractam gonorrhœam. Hujus ergo obſcura & levia, ſed admodum longa eſſe ſolent principia, ſed ſemel exortum vitium ſenſim increſcens, eo tandem provehitur, ut non minus, ſæpe etiam crudelius, quam veſicæ calculus ægrum excarnificet. Nam præterquam, quod inter meiendum diros cruciatus excitat, & frequentiſſime ad meiendum compellit, (ut calculus (exulceratam enim veſicæ cervicem urina in veſicam illapſa acriter mordet atque compungit) ea etiam reddita circa cervicem veſicæ mira compunctio aliquandiu ſentitur. Sed & urinam plerunque intercipit, non minus quam calculus, humido pluvioſoque cœlo tumeſcente caruncula aut affluente humore imbuta atque inflammata, aut immiſſo cathetere irritata. Et hæc quum ab hac cauſa incidit ſuppreſſio, multo pericoloſior quam quæ à veſicæ calculo. Nam immiſſo cathetere calculum, qui urinæ obviam fit, minimo negotio repellere licet, urinamque ſuppreſſam provocare: at in hac ſuppreſſione, nihil præter mortis imaginem miſero ægrotanti ob oculos objicias, quum nec cathetere immiſſo urinam evocare, nec ſumpto diuretico promovere poſſis. Sed & leviſſima occaſione veſicæ cervicem calido & humido loco ſitam inflammatio prehendit, in calidis præſertim naturis, quam gangrena brevi conſequatur, niſi celeriter ſuppuret ac rumpatur. Quod quum accidit, fœda fiunt ulcera in penis radice & ſcroto, quæ ſinuoſa ac calloſa tandem evadunt, hiſque urina obſtructo meatu naturali præter voluntatis imperium reliquo vitæ curriculo maxima ægri moleſtia & colluvie ſtillat & effluit. In quibuſdam ſcrotum in conſenſum trahitur, & in ingentem tumorem inæqualiter durum cuniculis refertum, quibus putris illuvies & urina profluant, attollitur: quam gangrena vaſtans mortis conſequutionem adfert.

Quum autem omnis caruncula, quæ cervici veſicæ ac peni adnaſcitur, curatu difficillima eſt, tum præcipue quæ gonorrhœæ virulentæ ſoboles exiſtit, ob eam veneni labem, quæ venereo concubitu contrahitur. Quippe nulla ſponte naturæ unquam ſaneſcit, quamlibet mitem cauſam habeat: ſed augetur potius & ſenſim ingraveſcit, dum ſuppreſſa urina hominem ſtrangulet, aut diris cruciatibus ſenſim tabefaciat, aut pudendorum putredine fœde ac turpiter conficiat.

Quæ ſic excrevit, ut catheterem in veſicam impelli non ſinat, difficillime curationem admittit. Sæpe enim ulcus carcinodes levi catheteris aut adhibiti medicamenti irritamento ſic excandeſcit, ut fluxionem proritet, inflammetur, urinam ſupprimat, & mortem accerſat: quod ſæviente bruma potiſſimum fieri in multis obſervavi, partis ipſius ratione, cui frigus infenſiſſimum eſſe conſtat. Aut ſi forte carcinomatis malignitatem minime recipiat, ſæpe ſaltem cœlo humidiore caruncula, quæ ſpongioſa eſſe ſolet, ſic intumeſcit, ut urinam prorſus ſupprimat, atque curationem inchoatam intermittere cogat, dum mutato cœlo ſubſideat, urinamque liberius elabi & effluere ſinat. Periculoſiſſimum ſiquidem vel gelido cœlo, vel ita ferociente caruncula, ut urinam ſupprimat, catheterem immittere. De his igitur antequam curationem aggrediare, ægrotantis amicos commonefacies, aliaque omnia quæ curationem remorari atque retardare, & interdum ægrum in mortis diſcrimen adducere ſolent, metuenda inſinuabis, ne medendi errore & inſcitia, quæ vi morbi ſupervenerint, creata eſſe pericula videantur.

Falſum eſt quod ſcriptum reliquit Alfonſus Ferrius Chirurgicum opus recte ac proſpere ſuccedere, quum caruncula ſpecillo repugnat, eoque ſuperata ſanguinem multum profundit. Sic enim curatos non paucos notavi inflammatione prehenſos ac jugulatos ante diem ſeptimum; multoque magis quod ait, urina abſtergendi, ſiccandique, qua pollet facultate, ſine artis beneficio ſæpe perſanari carunculam. Nam ſi recens genitum ulcus, ſive in renibus, ſive in cervice veſicæ conſiſtat, nec abſtergere, nec ſiccare urina poteſt, quomodo genitam jam in eo carunculam atteret atque adæquabit? Ego quidem urina acriori, nec ſiccari, nec cicatri-

ce obduci ulcera ſed potius augeri atque exaſperari notavi.

Curatio.

Vere & autumno recte inſtituitur hujus vitii curatio, ſi forte det inducias. At ſi vel dolor, vel urinæ ſuppreſſio nimium urgeat, quovis anni tempore eam aggredi licet, cavendo diligenter frigus, quod veſicæ aliiſque partibus nervoſis inimicum prodidit Hippocr. & æſtatis ardorem, quæ humores extorret, acreſque & bilioſos efficit, & fluxionum atque inflammationum proventum gignit. Hyeme igitur in conclavi æger habendus, in quo ignis perpetuus ſit: Æſtate vero in cubiculo, quod flatu aquilonio temperetur.

Porro autem curatio à corporis purgatione inchoanda. Purgatio vero interdum per caſſiam, interdum per catholicum, aut rhabarbarum, modo per apozema, quod mox deſcribetur, decernenda. Vehementiora, quæ humores nimium excalfaciunt, conturbant & exagitant, prorſus declinanda, ne fluxiones promoveant: adhibeantur interdum clyſteres, quibus humorum curſus in alvum convertatur.

♃ Polypodii, rad. cichorii & acetoſ. paſſul. ſingulorum ℥ ß. rad. altheæ ʒii. fol. malvæ, violariæ, parietariæ, pimpinell. borrag. buglоſſ. agrimonii, betonicæ, ana M. j. flor. cord. & nymphææ, ana p. j. ſem. melonum, endiviæ, fœnicul. glycyrrhizæ, ana ʒ j. fol. ſennæ mundatorum ℥ i. ß. Coquito ad ℔. ß. Adde agarici albi ℥ ß. cinnamomi ʒ i. ß. In decocto colato diſſ. ſyrup. violarum ℥iii. fiat apozema ad tres auroras alternas. Convenit in cacochymo corpore. Nam impuro & obſtructionibus minime obnoxio manna, caſſia, catholicum, & clyſteres ſatis ſunt.

His igitur aliiſve lenientibus ac blandis catharticis corporis ſentina exhaurienda eſt, ante topicorum uſum, alioqui iis commota in partem affectam irruet, cœptamque curationem interturbabit atque interrumpet. Sed & vena ſecanda erit, ſi plenitudo inerit, & vires permittent eandem ob cauſam.

Vacuato corpore, ſi vetus vitium eſt, fotu, unguento, cataplaſmate, inſeſſu præmolliri debet antequam cathæretica indantur. Sin recens eſt, citra emollientium uſum hiſce præſidiis tentari poteſt curatio.

Vnguentum cathæreticum.

♃ Ceruſæ, lithargyri auri præparati, utriuſque ℥ ß. olei roſ. & è myrrha, utriuſque ℥ j. ß. liquefacito igne remiſſo, dein adde tutiæ, pompholyg. præparatæ, ſtibii, ſpongiæ uſtæ, omnibus in ſucco plantaginis maceratis, ac dein in ſole ſiccatis, ſingulorum ʒ j. rad. ariſtolochiæ rotundæ, myrrhæ, aloes, maſtiches, pul. tenuiſſimi plumbi crudi, ana ʒ ß. caphuræ ʒ ii. ß. omnia cote marmorea tenuiſſime terito, dein in mortario plumbeo diu in unguentum ſubigito. Sine ſenſu doloris ſordem in callum obduratam, & adnatam in ulcere carunculam, & quicquid in penis meatu, aut in cervice veſicæ in tumorem extuberat, ſenſim atterit & abſumit: ulcera denique ad cicatricem commodiſſime perducit. In molli, laxo, & exquiſite ſentiente corpore ſatis eſt. In foſſoribus aut alioqui duro corporis habitu præditis vitrioli aut aluminis uſti momentum, aut pulveris ſabinæ tantillum adjicitur. Ego tamen Fernelii imitatione eorum loco ſtyracem liquidam olim adjiciebam. Cavendum ſemper etiam atque etiam, ne acriori remedio dolorem acerbiorem inferas. Semper enim præſtiterit longam & tutam, quam brevem & periculoſam curationem adhibere.

Emplaſtrum quo Ioannes Fernelius uti ſolebat.

♃ Aloes optimæ ʒii. myrrhæ ariſtolochiæ, utriuſque ʒ i. ß. tutiæ præparatæ ʒß. fiat omnium pulvis, ex quo cum ſtyrace liquida fiat maſſa, quæ emplaſtri craſſitiem habeat. Cereolo è quo ceræ tantillum abraſum ſit, qua parte carunculam attingere oportet, agglutinatur, quod penis calore liqueſcens, tuberculum cui inſidet, abſumit.

Solida eſſe volebat medicamenta, quæcunque ad carunculam exedendam comparantur, quod liquida in viciniam diffluant, eamque interdum potius quam calloſam carunculam excorient atque corradant: quod tamen quum remedia levia ſunt, metuendum non eſſe, uſus me docuit.

♃. Sabinæ in umbra ſiccatæ & tenuiſſime tritæ ʒ i. ß. cerati de mucaginibus ℥ß. commiſceantur: carunculam omnem tutiſſime, ac ſine dolore ſenſim radicitus exeſt & exiccat, ſi Alfonſo Ferrio creditur. Sed hoc nobilius unumquodque hujuſce morbi præſidium ſemper mihi viſum eſt, quo minoris acrimoniæ & morſus eſt particeps. Moderate igitur tergere debet, ſed validius exiccare hyperſarcoſeos penis remedium. Quæ acrius rodunt, præterquam quod partis ſubſtantiam una cum hyperſarcoſi abſumunt, dolorem etiam, fluxionem atque inflammationem accerſunt, unde multa pericula obrepunt. Valeant igitur atque ab uſu longe repellantur, quæcunque cum ærugine, vitriolo, alumine, aqua chemiſtarum, aliiſque acrioribus parantur, niſi valde durum corpus ſit, & multa ac laborioſa præparatione, aliorumque miſtione obtundantur.

Vnguentum refrigerans dolores atque ardores, qui catheteris uſu, aut adhibiti medicamenti acrimonia concitantur, leniens, atque demulciens.

♃ Ceræ albæ ℥ i. ß. olei roſ. ℥ v. liquata vaſe duplici in vas aliud transfundantur, ſenſimque affuſa, ac ſubinde mutata aqua frigidiſſima diu ſubigantur. Poſtremo autem ſempervivi aut ſolani ſuccus defæcatus ſubigendo affundatur, aut plantag. & roſar. aqua, poſtremo caphuræ ʒ i. adjicitur, & opii in lacte ſoluti ℈iv. in unguenti media parte.

Multo validius eſt ad omnia, quod opium recipit, ſed altero ſæpius utendum in levioribus vitiis. Unguentum cicatricem ducens, ſi expoſcitur, ſupra deſcriptum eſt in ſimplicis ulceris curatione.

Vten-

Utendi ratio.

Veſperi ſub horam ſomni urina reddita, cereolus apte fabricatus in penem ſic indendus, ut ejus pars, quæ unguento deſcripto illita, aut emplaſtro obducta fuerit, carunculam attingat, illicq; ſinendus dum mejendi neceſſitas ipſum eximere hortetur: urina reddita rurſum unguento inungi, & intro pelli ad carunculam uſque debet, & ita relinqui dum rurſum mejere æger cogatur.

Hæc mejendi & adhibendi remedii, è cereolo continuanda viciſſitudo dum radicitus extirpata ſit caruncula, quod alias citius, alias tardius contingit, pro corporis habitu & carunculæ duritie aut mollitie. Sæpe tamen comperi hærenti in pene cereolo, urinam haud ægrius reddi, quam eo exempto.

Si forte hæc remedia dolorem intus in pene cient, ac calorem accerſunt, unguentum refrigerans è cereolo imponendum aliis remediis intermiſſis, dum dolor & calor remiſerint. Neque unquam committendum eſt, ut præſidii quod ad exedendam carunculam comparatum eſt, morſu & acrimonia, fluxio & inflammatio accerſantur.

Eadem curandi ratio, ſed per alia longe præſtantiſſima & efficaciſſima remedia eo quo ſuperiora modo adhibenda, quæ nullo fere doloris ſenſu, & ſine morſu penis cervicisque veſicæ tubercula atque hyperſarcoſes penitus abſumunt, cicatricemque tandem obducunt.

♃ Ceruſæ Venetæ optimæ ℥iv. tutiæ lectiſſimæ præparatæ, & lotæ in aqua roſ. ℥ ß. lithargyri auri præparati ʒ vi. ſtibii ſelecti in tenuiſſimum pul. redacti & excreti ℥ i. ß. caphuræ ʒ ß. maſtiches, olibani, aloes hepaticæ ſingulorum ℈ii. Comminuenda marmoreo lapide diligentiſſime conterantur, adjecto plantaginis ſucco, atque ad ſolem ſiccentur, dein rurſum exacte trita in mortario piſtilloque plumbeo, adjecto oleo roſ. q. ſ. ſit. diutiſſime agitentur, & fiat unguentum, ex quo ad atterendum penis & cervicis veſicæ tuberculum illinatur cereolus.

Aliud quod penis & cervicis veſicæ ulcera egregie lenit, refrigerat, ſiccat, & ad cicatricem perducit.

℞. Unguenti roſ. gal. recens confecti albi, & aqua roſ. loti unguenti è ceruſa cum caphura pomade ex capreoli adipe ſine aromatibus paratæ, cujuſque ℥ i. miſce, & diutiſſime in mortario plumbeo ſubige, fiat unguentum.

Si quis diebus iis unguentis viciſſim uti noverit, illo quidem ad ſiccandam & abſumendam hyperſarcoſim: hoc vero ad dolorem & ardorem ſedandum, nihil ei opus erit aliis omnibus, quæ ſupra retuli.

In vicem cereoli filum argenteum linteolo uſu protrito leviſſimo ac tenuiſſimo apte obvolvitur unguentum dein ſuperlinitur. Filum ſic obvolutum in penem ſenſim ac blande impellitur, quod extrahitur in penis ductu coercito linteolo. Quoties urina redditur, linteolum inſertum extrahitur, ea vero reddita aliud è filo argenteo rurſum inditur. Inungitur autem linteolum ſæpe unguento catheretico, interdum quum dolor & calor inſunt refrigerante. Si forte dura adeo ac magna caruncula eſt, ut eam cereolo aut filo citra vim atque inflammationis periculum curationis initio perrumpere ac ſuperare minime liceat, quotidie altius atque altius citra vim remedium immittitur, viamque ſibi parat ac percurat citra dolorem, citraque periculum. Dum calor ac dolor urgent, non modo è cereolo refrigerantia induntur, ſed etiam aliis refrigerantibus penis extrinſecus obvolvitur.

Curatio abſoluta creditur, quum urina liberrime citraque dolorem ullum effluit, & catheter nullo offendiculo in veſicam facile intromittitur. Horum remediorum viciſſitudine nulla eſt tam inveterata, neque tam contumax caruncula, quæ non ſenſim ac fere ſine dolore exedatur, ac radicitus extirpetur: ſi modo prudenter adhibeantur, & bene valeat reliquum corpus. Nam in valde cacochymis corporibus fluxiones metuendæ, unde urinæ ſuppreſſio, inflammatio, abſceſſus, atque pudendorum corruptio: quæ mala aliquando ægrotantem vel prudentiſſimo medico præter ſpem brevi eripiant. Sed iſta avertuntur, ſi juſta vitæ lex obſervetur, & frequens ſed blanda adhibeatur purgatio, quæ noxios humores exhauriat, & initio, quæ deſcripſi catheretica uſurpentur, refrigerantibus quoties dolor accedit, aut calor adhibitis.

Deſcripta quidem remedia, qua arte ac metohdo tradidi uſurpata tuto carunculam eximunt, ſed multo celerius, ſi ea fotu præmollita cathetere plumbeo atteratur atq; dilaceretur. Id nonnulli neceſſarium cenſent, quum minime exulceratum, ſed callo duriore, aut etiam cicatrice obductum eſt adnatum tuberculum, quod ſic facile diſcernitur. Si enim exulceratum tuberculum eſt, pus quotidie è pene extillat. Sin vero cicatrice obductum eſt, nihil puris è pene effluere deprehenditur, ſed ſola dyſuria aut ſtranguria excruciat. Ego tamen fluxiones, inflammationes ac ſphaceliſmos veritus quæ atterentis catheteris violentia & acriorum medicamentorum morſu non raro accerſi ſolere, obſervavi: hactenus paulo longiorem, ſed multo tutiorem curationem, quam deſcripſi, ſequutus ſum. Præſtat tamen catheteris uſum adſcribere, ut ſi quando durior hyperſarcoſis occurrat, quæ deſcripta remedia diu continuata aſpernetur, ad eum tanquam ad ſacram anchoram perfugium ſit.

Quum catheter ad veſicam uſque citra inſignem vim impelli poteſt, carunculam eo atterere licet: ſin minus, non item. Sit autem plumbeus, ſed affabre factus catheter, paulo tenuior aut craſſior pro penis meatu, iſque cavus, ut urina eo in veſicam immiſſo facile profluat, & qua parte carunculam attingere poteſt, extrinſecus in ciſuris quibuſdam retrorſum ſpectantibus, velut lima inæqualis & interſectus, non quidem in extremo (id enim rotundum eſſe oportet & admodum læve, ut citra dolorem in veſicam inſeratur) ſed paulo citra, ſic enim fabricatus catheter dum in veſicam impulſus eſt, ſi ſæpius paulum retrahitur ac repellitur, carunculam aſperitate & inciſuris dilacerat atq; dilaniat, cruoremque elicit. Sed hoc loco attenden-

dum nihil in hoc affectu repente aut violenter, ſed omnia ſenſim tentanda eſſe: alioqui dolor, fluxio, inflammatio, & febris inſiliunt magno ægrotantis diſcrimine.

Carunculæ igitur dilaceratio in multos dies melius tutiuſque dividetur. Quumque primo die opus peregeris, mox per catheteris adhuc inſidentis parti ductum, collyrium infundes, quod refrigeret ac leniat, arceatque inflammationem. Catheter denique filo lumbis apte alligatur, & in veſica ſinitur horis viginti, plus minuſve, ut æger ferre poterit. Sic enim plumbum doloris quem excitarit, alexiterium evadet, fluxiones repellens, humorum acrimoniam contemperans, inflammationem arcens, ac carunculam ſic comprimens, ut quum eximetur, urina multo pleniore quam dudum curſu effluat, viaque aliis remediis è cereolo immittendis pateat liberior.

Extracto cathetere, reliqua curatio (ut ſupra comprehenſum eſt) abſolvetur: ea tamen lege, ut ſi forte aliquot diebus exactis caruncula haud ſatis dilacerata videbitur, id præſidii genus per intervalla repetere liceat, quumque repetetur dolor, ardorque ſi accedent, lenientibus ac refrigerantibus remediis, tum intropulſis cum cereolo, aut infuſis in penem, tum extrinſecus admotis ſtatim demulceantur. Lac caprinum, aſininum, humanum, vaccinum in id conveniunt. Succi plantaginis, ſolani, ſempervivi, aut eorum aquæ, aqua roſarum, aliaque ejus claſſis.

Mucago liquida, ſeminis cytoniorum & pſyllii in aquis refrigerantib. deprompta, adjecta caphura diu agitata. Ovorum albumina in aqua roſarum aut plantag. linimentum album deſcriptum cum opio & ſine eo, addita caphura celeriter dolorem tollit, & ardorem extinguit. Hæc tum intromitti, tum foris admoveri poſſunt: quæ vero ſequuntur, extrinſecus duntaxat adhibentur. Oxycratum ſimplex, vel cum aquis aut ſuccis plantaginis, ſolani, roſarum & caphura.

Olea, unguenta, & cataplaſmata refrigerantia, & repellentia, quorum ſylva alibi deſcripta eſt. Si forte immiſſo plumbeo cathetere carunculam dilaniare haud placet, urinæ ſaltem meatum, hoc illic relicto alligatoque commodiſſime ac ſine periculo dilatabis, expeditamque adhibendis remediis viam optime ſervabis. Horum igitur remediorum, plumbei inquam catheteris, catheretici & refrigerantis medicamenti alternato uſu adverſus carunculam obſtinate pugnandum, dum radicitus extirpata ſit, quod, ut ante dixi, aſſequutus chirurgus creditur, quum urina citra dolorem libere excurrit, catheterque nullo offendiculo in veſicam facile inſeritur. Sæpe fit, ut abſumpta juſtis præſidiis caruncula ſenſim repullulet, atque denuo ſupercreſcat: quum præſertim adhuc recens ac tenella cicatrix, intempeſtiva venere abrumpitur, aut calidioris & acrioris urinæ decurſu abraditur. Sed incommodum avertitur, ſi quæ citra morſum ſiccant, & cicatricem duriorem trahunt deſcripta præſidia, diu continuentur poſt abſumptam carunculam. Et victus ratio euchyma ac contemperans obſervetur.

Symptomatum, quæ huic curationi superveniunt proviſio.

Symptomata non pauca penis tuberculo obſeſſos exagitare ſolent, quorum non aliud iſchuria gravius. Hæc enim niſi brevi tollitur, urina ſuppreſſa ſurſum refluente lethargum fere acceſſit, ac tandem interitum. Ejus cauſa eſt fluxio in veſicæ cervicem & exulceratam carunculam irruens. Irruit autem catheteris aut medicamenti irritamento prolecta, aut partium ſuperiorum robore in imbecillam depulſa.

Alvo clyſtere ſubducta, ſi febris ineſt, ſanguis illico miſſus, & refrigerantia tum foris adhibita, tum intro ſumpta inflammationem leniunt, repreſſaque fluxione urinam proliciunt: at ſi febris nulla eſt, caſſia cum rhabarbaro phlebotomiæ prefertur. Vacuato corpore fotus emolliens, ac leniter digerens perinæo & imo ventri adhibendus, & à fotu unguentum ac cataplaſma pariter emolliens ac digerens. Si ſuſpecta eſt inflammatio, his refrigerantia permiſcenda tenuium partium, cujuſmodi eſt acetum, neque valde calida inducenda, ne humorum fuſio concitetur.

Si ſphaceliſmus in metu etiam fuerit cataplaſmati farinæ adjiciantur fabarum, hordei & orobi, quæ partis robur tueantur, & putredinem arceant. Interim dum hæc fient, bis terve quotidie clyſteres repetendi, julepi mediocriter diuretici ante paſtus propinandi. Victus ratio tenuis & attenuans obſervanda, ſimulque refrigerans, ſi febris inerit, aut inflammatio metuetur: hydromeli vini loco uſurpandum, ſi febris abeſt. Si his præſidiis ante biduum minime prolicitur urina, cereolus, aut (qui primas tenet in hoc affectu) catheter butyro, vel oleo illitus in veſicam immittendus, iſque cavus, ut eo urina facile emanet, ac profluat.

Si forte abſceſſus ineſt, qui foras viam affectet, mature ſcalpro, aut cauterio aperiendus, ut facto emiſſario pus & urina expurgentur. Si nec abſceſſus ſubeſt, nec deſcriptis præſidiis urina cieri poteſt, ultimum remedium eſt veſicæ cervicem incidere, factoque vulnere urinam elabi ſinere, dum validioribus cathereticis caruncula abſumpta, naturalis urinæ ductus expediatur.

De dolore & ardore inter mejendum.

Si urinæ acrioris occurſus exulceratam penis partem in tranſitu acriter compungit, mordet & vellicat, his occurrendum eſt: Imperanda victus ratio, quæ humectet ac refrigeret, ſanguinem & urinam ejus vehiculum leniat ac contemperet. Syrupus de althea è cochleari mane, & ante paſtum hauſtus, urinæ vias oblinit, ejuſque ardorem & acrimoniam demulcet. Idem præſtat ſyrup. violaceus, & topicorum ſylva. Unguentum album deſcriptum cum opio è cereolo immiſſum quaſi miraculo omnem dolorem & ardorem illico ſedat, & extinguit, hocque ſolo urgentem dolorem compeſcere ſuadeo. Alia tamen infinita in id vires habent, dum vel in penem per ſyphonem infunduntur,

tur, vel ei extrinſecus admoventur, quæ cuivis facile ſit è propriis fontibus depromere, & quorum pars antea relata eſt.

De argenti vivi in hoc affectu uſu.

Fucata eſt, quæ affricto inguinibus & imo ventri argento vivo tentatur curatio. Liqueſcit quidem nonnunquam, ac funditur non modo carunculæ pars, ſed & reliqui corporis ſubſtantia unguine ex hydrargyro, verum nec caruncula radicitus ſic exeditur, nec ulcus ad cicatricem perducitur: ideoque liberalius nutrito corpore denuo incrementum capit, & eadem quæ prius ſymptomata inſiliunt. Adde, hoc remedii genere ſputationem moleſtiſſimam promoveri, cerebri ac nervoſi generis robur diſſolvi, plerunque etiam intumeſcentibus faucibus ſtrangulationem accerſi. Nemini igitur (pace reunctorum dixero) tanti unquam emendum longum pœnitere.

De guajaco.

Quum toto morbi ac curationis decurſu urinæ acrimonia eſculentis ac potulentis mitiganda ſit, quam longe à ſcopo aberrant, qui decoctum guajaci calidi & ſicci propinandum ſuadent? Neque vero, ut luis venereæ externi tophi, hoc decocto diu continuato ſenſim liquati evaneſcunt, exiccanturque ulcera, ſic penis caruncula inveterata eodem præſidio unquam percuretur atque ſeneſcat, quod longa exercitatio me docuit. Quippe maligna ac venenata morbi labes partibus impreſſa, earum coctione labefactata excrementa congerit, unde venerei tophi ſuccreſcunt. Hac igitur perniciosa morbi labe guajaci decocto, & proprio alexiterio extincta, tophos etiam quos committebat digeri, ſiccari, atque diſparere ſiccante præſidio neceſſe eſt. At penis tuberculum non ea tantum malignitas, ſed natura carnis procreatrix in exulcerata parte profert, atq; progignit. Ideoque eam ſiccante guajaco minime, ut tophos venereos extirpari, ſed indurari certum eſt; nonnunquam etiam acriore reddita urina mire efferari. Chynæ aut ſarſeparillæ decocto, cui mellis nonnihil inſit, primas tribuo in hoc affectu. Sequitur hydromeli vinum aquoſum & debile, valde dilutum, pomaceum, aut piraceum limpidum, beneque defæcatum, ptiſana vulgaris.

Jam vero quicunque Lutetiæ hactenus magni nominis fuerunt aliptæ & reunctores, neminem abſque hydrargyroſi à lue venerea integre vindicari poſſe contendunt; guajacum, ſarſamparillam, chinam, aliaque ejus generis ſudoribus movendis idonea, tenues duntaxat, & ſeroſos humores (Græci ichores appellant) craſſis intus relictis detrahere, ſolum vero hydrargyrum proprium & peculiare luis eſſe alexipharmacum, craſſam lentamque pituitam, quæ labis venereæ ſedes at vehiculum exiſtit ſputatione expurgans; à qua opinione, licet falſa, quoniam nullis rationibus dimoveri poſſunt, præſtat (quamvis illorum votis invitus ſubſcribam) ita luis venereæ curationem per argentum vivum temperare, ut periculoſiſſima ſymptomata, quæ ſputationem conſequi ſolent, poſthac declinentur, & nihilominus, perfecta conſequatur ſanitas, quod in ſequentibus docere conabor ab hydrargyri natura ac temperie exorſus.

Quid ſit Argentum vivum, & quibus differentiis diſtinguatur.

Ὑδράργυρος Græcis quod aquæ modo fluere videatur, argentum vivum Latinis quod ſit mobile appellatur: colore quidem argento ſimile, ſed liquidum, fluxile & pellucidum eſt. Ariſtoteles ἄργυρον χυτὸν, hoc eſt, fuſile, ſeu liquidum argentum appellat. Duo hujus ſunt genera, nativum ſeu foſſile & factitium: illud argentum vivum, hoc hydrargyrus Plinio dicitur. Dioſcoridi & aliis Græcis utrunque hydrargyrum appellari video. Naturale quod & foſſile, in argenti fodinarum tectis ſtillatim concretum, vel inter alia metalla invenitur, aut certe ex lapide quodam, qui ex ipſius argenti fodinis eruitur, arte proliicitur in hunc modum; Lapis effoſſus conteritur, & in fictilia anguſti oris conjicitur, quæ recenti arborum muſco obturantur, alia dein fictilia vacua, ſed oris amplioris in terram excavatam recondita, illis ſubjiciuntur, oſcula ſuprapoſitorum ita adaptando, connectendo, & argilla circumlinendo, ut quicquid è ſuprapoſitis exciderit, in ſubjecta illabatur & influat. Vacuis ergo fictilibus terra opertis; plenis vero ſupereminentibus ignis in area circum accenditur, qui plena fictilia undique ambiat, ut calefacta concluſa materia permiſtum ſibi argentum vivum in ſubſtratum fictile guttatim deponat atque expuat. De hoc ſcripſit Plinius in argenti venis lapidem eſſe, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur.

Factitium ex minio excoquitur, ac purgatur in hunc modum. In patinam fictilem minium inditur, operculum dein additur, atque ubi diligenter luto circumlita eſt, accenſis carbonibus ſuperimponitur: poſtea quæ operculo adhæſerit fuligo deraditur. Hæc enim ubi refrigerata coierit, argentum vivum eſt. Fit ex plumbo hocce modo:

Calx viva in fictile anguſti oris immittitur, plumbi dein laminæ ſuperadduntur, ac ſuper his fæx vini uſta. Eadem opera alternatim continuatur, dum facile repleatur. Fictile diligenter obturatum, ne quid expiret, arena ſepelitur, ac ſinitur dies quinquaginta ſub Canis ardoribus loco ſoli meridiano expoſito. Sic plumbum in argentum vivum compage ſoluta liqueſcit. Sunt qui non vini fæcem uſtam, ſed quod doliorum lateribus exiccatum adhæreſcit ac pellucet (tartarum vocant) uſurpent, & fimo equino fictile diu ſepeliant.

Sunt qui ex eboris ſcobe, & rebus aliis pene omnibus argentum vivum elici poſſe (quod rerum omnium ſemen ac principium ſit) literis prodiderunt. Naturale pellucidius, tenuius, purius & præſtantius. Factitium vero originis ſuæ nondum immemor, obſcurius, impurius, craſſius, imbecillius, deteriuſque ad omnia exiſtit. Quod ex plumbo fit, plumbaginis multæ etiamnum particeps, quo fit, ut neque ad inaurandum, neque ad morborum curationem aptum

eſſe

eſſe videatur. De natura igitur, noſtra potiſſimum inſtituetur oratio.

Argenti vivi ex veterum Græcorum & Arabum ſententia vires ac proprietates.

Quum ſummo frigore humoreque præditum ſit argentum vivum, jure miretur quiſpiam qui fieri poſſit, ut maxima partium tenuitate polleat, nihilque craſſi & lenti obtinens, quo veluti viſco ac glutino terrenæ ejus partes inter ſe junctæ cohæreant, perpetua mobilitate valeat ac vigeat: ea tamen res efficit, ut per ſe nec cogatur, nec concreſcat: aliis vero miſtum, quæ ei vel calorem, vel ſiccitatem, vel lentorem impertiant, & addenſari & concreſcere poſſit. Cum calido namq; & ſicco ſulphure ſi teritur, protinus in pulverem atrum redigitur, & in calens plumbum infuſum ſtatim cogitur, atque denſatur argenti inſtar, non novi caloris & ſiccitatis, ut quidem reor, ſed lentoris cujuſdam & craſſitiei appulſu, quam calens plumbum illi communicavit, & quam in ignes conjectum mox exuit. Hoc philoſophi (chymiſtas intelligo, qui hoc nominis peculiariter ſibi vendicant) cum calido & ſicco ſulphure miſtum, in metallorum omnium materiam cedere tradunt. Idcirco ex ſtibio, aut ſale petreo, aut ammoniaco Philoſophicum lapidem ſubjectorum ignium opera diu & prudenter continuata elicere annituntur, qui argentum vivum in aurum tranſmutet. Sed in auro ſolo ſemina auri ineſſe certum eſt, ſi quis inſitum ei calorem vegetiorem efficere, ſicque exuſcitare noverit, ut argento vivo ali, augerique poſſit.

Metalla omnia hydrargyro ſupernatant, ut aquæ ligna, præter ſolum aurum, quod unum ad ſe rapit, tanta huic cum illo neceſſitudo atque amicitia interceſſit. Ideo & ipſum optime purgat, cæteras ejus ſordes expuens crebro jactatu fictilibus in vaſis, ſic tamen ut ipſum ab auro tandem diſcedat. In pelles enim ſubactas ſi effunditur, per has ſudoris modo effluens, purum relinquit aurum. Ad hæc quæcunque inaurantur, hydrargyro intercedente aurum pertinaciſſime retinent, alioqui vix admiſſura. Vix aſſervari poteſt, niſi triticeus furfur inſeratur, vaſa enim fere omnia exeſt, præter vitrea, ſtannea, plumbea, & fictilia vitreo circumlita, & pyxides ligneas reſina, & therebinthina intus oblitas. Sed de his ſatis. Jam ad inſtitutum feſtinet oratio.

Argentum vivum nullius olim fuiſſe uſus in medicina, aperte declarant Galeni de eo ſcripta admodum varia, quibus intelligere eſt, eum nihil certi de argenti vivi natura apud ſe conſtituiſſe. Siquidem Dioſcoridis ſententiam ſequutus, alicubi ſcribit id corporis noſtri calorem eo perducere, ut interimat per eroſionem, alias iſ iis numerat, quæ tota vi & natura, hominibus adeo ſunt contraria, ut ſi vel minima eorum pars fuerit aſſumpta, omnino lædat: alias nullum ſe periculum feciſſe ait, an potum interficiat, an extra corpori admotum aliquid efficere poſſit.

Dioſcorides quidem hydrargyrum potum, vim exitialem habere cenſuit, ejus uſu graviſſima tormina cieri: interna exedi, urinam ſupprimi, corpus intumeſcere, plumbeamque deformitatem concipere teſtatus. Cujus ſententiam ſequuti ſunt Paulus, Aetius, Actuarius, aliique fere omnes Græci.

Paulus ipſum haud ita multum in re medica momenti præſtare arbitratur, quum ſit lethale venenum. Denique è veteribus Græcis medicis vix ullus inveniri queat, qui ipſum in medicinæ uſum introducere ſit auſus. Quorum opinioni ſubſcribens Plinius argentum vivum rerum omnium venenum pronunciavit. Nam quod Paulus ait argentum vivum uſtum, & in cinerem redactum, aliiſque rebus permiſtum, colicis & iliacis bibendum præberi, id ex aliorum opinione, quorum ſcripta non extant, retulit. Arabes vero unguentis exceptum ad omnem ſcabiem ſiccam, & cutis ſcabritiem commendantes atque uſurpantes, illius dignitatem mirifice auxerunt. Cujus rei fidem facit unguentum Saraſenicum ab iis profectum, cujus extat apud Nicolaum deſcriptio.

Poſteritas Arabum imitatione, id ad luem veneream profligandam (hæc enim ſcabiei quoq; ſpecies cenſeri poteſt) atq; ad plurimorum aliorum externorum affectuum curationem transferens, ipſius uſum adeo familiarem reddidit, ut jam ſine ejus cognitione, ea medicinæ pars quæ therapeutice dicitur, manca & imperfecta videri poſſit.

Nos igitur noſtram quoque ſententiam de eo ferentes, quibus viribus excellat, quibuſque obſit incommodis, quantum longo uſu aſſequi licuit, paucis perſtringemus.

Argenti vivi vires & facultates.

Argentum vivum impendio frigidum & humidum quum ſit, ſimulque inſigni partium tenuitate præditum, ſupra cætera omnia, quæ veterum memoria celebrat, legimus medicamenta, non modo calidorum humorum furorem atque impetum coercere, fervorem obtundere, ſiccitatem temperare, & malignitatem cohibere: ſed etiam calida & ſicca viſcera ita humectare atque refrigerare poteſt, ut bilis minimum in poſterum colligant. Quæ res efficit, ut corpori prudenter & methodice illitum, aut intro ſumptum (utroque enim modo, ſi recte præparetur, tuto uſurpari poteſt) omnis generis ſcabiem ſiccam & pruritum demulceat atque compeſcat, herpetes etiam tum miliares, tum exedentes coerceat, impetiginem & pſoram tollat, lichenas & lepram quantumvis inveteratam radicitus exſcindat, incipientem elephantiam, quæ minime hæreditaria ſit, intercipiat, hæreditariam à ſemine ipſiſque naturæ primordiis contractam, differat. In ſumma omnem cutis fœditatem illitum, aut intro ſumptum, nulla ventriculi noxa, deleat & expurget.

At vero occulta proprietate caput petit cuicunque parti affricetur, cerebrum & nervoſas partes commovens & exagitans. Itaque immodicas deſtillationes atque ſputationes moleſtiſſimas movet, aut certe alvi profluvia torminibus infeſta acceſſit. Fundit enim atque liquefacit

facit, non ſolum pituitam, ſed etiam ipſarum ſolidarum partium ſubſtantiam, ut ex iis proprium & peculiarem humorem eliciat atque expurget. Quamobrem chœradas extirpat, profuſa per os maligna pituita, quæ in capite redundabat, illincque in ſubjectas partes delabens, illarum cauſa fuerat. Scirrhos etiam emollit atque reſolvit ſumma qua pollet humiditate partium tenuitati conjuncta. Dolores omnes tum calidos tum frigidos mitigat, illos quidem per ſe ac propria refrigerandi qua præcellit facultate: hos vero ex accidenti, purgatoria ſcilicet vi, vel in alvum deturbans, vel in os regerens, atque expurg ns liquefactos maxima ſua tenuitate fuſoſque frigidos humores, qui horum cauſa fuerant. Quod igitur calidæ & ſiccæ viſcerum conſtitutioni, maxime vero jecoris intemperiei atque inde genitis morbis medeatur, id non alio referri debet, quam ad frigidum & humidum ejus temperamentum, quod vero attenuet atque incidat, craſſa, præſtetque digerendi virtute, ad materiam maxime partium tenuitate præditam, quod ſcirrhos emolliat atque digerat, ad eandem materiæ tenuitatem cum exuperanti humiditate conjunctam referendum. At quod vel extremis partibus illitum omnia, quæcunque intus in corpore deliteſcunt, movens & colliquans, partium ſubſtantiam, in os compellat, atque ſputatione vacuet, vel cum magnis torminibus alvum ducat, id ex eorum numero eſſe videtur, quæ a forma occultave proprietate oriri dicuntur.

His certe viribus hydrargyrus præſtat & excellit, poteſtque ab exercitato, & prudenti medico ad multorum morborum profligationem uſurpari, qua arte ac methodo, in ſingulorum morborum curationibus dicemus.

Jam quibus pariter incommodis eorum ſaluti clanculum inſidietur, brevibus explicandum, ne quid poſtea temerario ejus uſu peccent empirici, aut medicinæ tyrones.

Primum igitur liberalius ſumptus hydrargyrus, maxima qua excellit refrigerandi facultate, calorem inſitum repente extinguit & interimit, concreſcente in venis & arteriis ſanguine: Si minori copia aſſumitur, vel ſæpius illinitur, ut non repente perimat, ſputationem certe cum ſtrangulationis & ſuffocationis periculo, aut horrenda alvi tormina invehit cum cruore, unde multos fato concedere videas. Ad hæc ſua humiditate corporis humores putrefaciens, maxime vero in ore & gingivis calidis & humidis locis, fœtorem intolerabilem excitat. Frigore vero immenſo humori conjuncto cerebrum nervorum principium laceſſens, atque nimiopere perfrigerans, humectans, ac relaxans, nervorum atque articulorum robur diſſolvit, qua de cauſa rheumatiſmis, tremoribus, convulſionibus, reſolutionibus, doloribus articularibus, aliiſque horrendis ſymptomatis, corpus in poſterum concutitur. Si minima doſi ſumatur, quamvis per initia nihil moleſtiæ afferre videatur: continuato tamen uſu, calorem inſitum atterens, nervos ac membranas omnes laceſſens, commutans, ſibique ſimili affectione imbuens, univerſum corpus melancholicis & pituitoſis excrementis onerat atque opprimit. Quo fit, ut ea brevi inſiliant ſymptomata, quæ Dioſcorides & alii veteres medici, ejus uſu fieri tradiderunt: cujuſmodi ſunt, urinæ ſuppreſſio, œdematoſus corporis tumor, & plumbea lividaque faciei deformitas.

Hydrargyrum Frigidum & humidum eſſe.

Quanquam autem hæc ita ſe habere longo uſu comperi, qui tamen hactenus Lutetiæ celebres fuerunt aliptæ, famamque ſcriptis vulgatis collegerunt, hydrargyrum calidum & ſiccum eſſe, atque ad luis venereæ aliorumque fere omnium frigidorum morborum curationem adhiberi poſſe contendunt, & maximo mortalium incommodo uſurpant. Eſt enim frigidum & humidum, corpora, quibus imprudenter ac temere illinitur, vel male perdens, vel pituitoſis & melancholicis morbis opportuna atque obnoxia reddens. Quod nobis hoc loco demonſtrandum fuerit, ſumpto à temperamento initio.

Primum igitur chymiſtis nec temperatum, nec calidum & ſiccum eſſe videtur, quod per ſe nec addenſari, nec concreſcere, ut metalla, in quiquibus calor aut ſiccitas, aut utrunque ineſt, poſſit. Id enim caloris & ſiccitatis inopia contingere tradunt, vel hoc argumento quod cum ſulphure calido & ſicco miſtum, facile in metallorum multorum materiam cedat atque cogatur.

Ad hæc, qui de ipſius fodinis perveſtigandis obſervationes literis conſignarunt, montes locaque omnia, in quibus abſtruſus deliteſcit hydrargyrus, ineunte vere craſſis denſiſque nebulis circumdari tradunt, quæ in altum ob gravitatem ſeſe attollere nequeant. Addunt eoſdem montes aquæ penuria vel æſtate media atq; ardentiſſima, vix unquam laborare, arboribus quamplurimis luxuriare, quæ ut mulo quam aliis in locis ſerius frondeſcere, ſic vix unquam flores aut fructus edere ſoleant: quod non externi caloris penuria, ſed frigidæ materiæ in terræ viſceribus abditæ copia, fieri credendum eſt, cujus vis ad arborum uſque radices pertingens, nunquam ſinat earum fructus maturitatem aſſequi.

Quinetiam herbis tota æſtate viridiſſimis idcirco veſtiri ac decorari ea loca putant, quod frigiditate & humiditate hydrargyri, æſtatis ardor ſiccitaſque temperetur. Contra vero ſulphur, chalcantum & alumen immenſa ſiccitate arida omnia & ſterilia vicina loca efficere notum eſt. Et his quidem argumentis hydrargyrum frigidum & humidum eſſe docent indagatores ipſius, exploratores, foſſores, & chymiſtæ. Quod & teſtatum reliquerunt Albertus Magnus, Placentinus, aliique non pauci. Jam ad ejus opera & effectus veniamus.

Avicennas auctor eſt, argentum vivum nervorum principium ita refrigerare, humectare, mollire, & relaxare, ut rheumatiſmis nulla, aut admodum levi occaſione in poſterum tententur, qui eo ſæpius illiti fuerunt. Et ſi forte in aurem aliquando inciderit, præterquam quod immenſo frigore dolores excitat diuturnos, ſurditatem quoque parere, atque mentem pervertere, ſuaque ſede dimovere. Quinetiam ſæpe convulſionem, interdum vertiginem, ſæpiſſime

piſſime epilepſiam concitare, nonnunquam veternum, aut etiam apoplexiam, cerebri ſubſtantia nimium refrigerata atque commota. Cujus opinionis aſſertores fuerunt Paulus, Actuarius & Ætius.

Quæ ſymptomata ad cauſam caloris & ſiccitatis participem nemo eſt qui referat. Quod ſi verum eſt, quod Galenus memoriæ prodidit, lib. I. ſimpl. ex eo quod ſemper unum idemque efficiat, quoad nos contingit medicamentum, propriam ejus judicandam eſſe facultatem, & hydrargyrus ſive ſumptus, ſive admotus plurimum humectet ac refrigeret, quis (niſi qui in uſum non adhibuit) humidum frigidumque eſſe negare poteſt? Ego vero, ſi mea etiam experimenta proferre licuerit, millies exploravi juſto modo aſſumptum aut illitum hydrargyrum, æſtuantem & perfervidum ſanguinem refrigerare, ejuſque eruptiones & inſultus omnes cohibere bilis, pituitæ ſalſæ, aliorumque acrium omnium humorum impetum refrænare, morſum & acrimoniam retundere, puſtuliſque & ulceribus malignis & exedentibus opitulari: quorum omnium effectorum cauſa frigida ſit neceſſe eſt. Sæpe etiam obſervavi hydrargyri vapore paralyſim, tremorem, convulſionem, ſurditatem, cæcitatem, & deliria infligi, quæ vix ullis remediis cederent.

Faber aurarius Lutetianus 1556. hydrargyri vapore naribus excepto, ſtatim veterno præhenſus concidit, Quæ in os indebantur, deglutiebat ille quidem, ſed urinam & ſtercus nullo ſenſu egerebat. Nullis hic remediis adjutus, exactis tandem ſex menſibus, putreſcente atque incaleſcente humore, manifeſta febre corripitur, tumque excuſſo torpore loqui cœpit, ac quæſitis reſpondere, ſed perturbate omnino atque confuſe. Profligata tandem febre ad ſe quidem rediit, verum caput grave, torpenteſque & obtuſi ſenſus omnes manſerunt, menſque certis intervallis perturbata.

Ex iis qui unguine ex hydrargyro illinuntur, vel ejus aut cinnabaris vaporem ore naribuſque excipiunt, alios videas ſubito reſolutos aut attonitos, repente concidere, quoſdam intumeſcente lingua obmuteſcere: alios tandem aſthmate anhelos, alios paralyticos, collo, manibus, pedibuſque tremulis vacillare, alios ſurdos reliquum vitæ ſpatium miſere exigere. Hiſpanorum & Italorum aliptæ è ſublimato aut hydrargyro fucum mulieribus quærentes, in quam fœda mala illas conjiciunt? Solius faciei illitu dentes his brevi lividi evadunt. & ſeneſcentes rheumatiſmis è cerebro nimiopere refrigerato in pulmones illabentibus, aſthmate tandem pereunt. Quæ ſymptomata omnia à frigida & humida cauſa proficiſci perſpicuum eſt.

Vir quidam illuſtris, lue infectus venerea, quam non deleverat hydrargyroſis, empirici hortatu eam ſubiit curandi rationem, quæ per cinnabaris ſuffitum tentari ſolet: quæ cerebrum totumque genus nervoſum adeo molle, laxum & imbecillum effectum eſt, ut protinus altera coxa ſua ſede exciderit, & duæ ſpinæ dorſi vertebræ in externam partem luxatæ ſint: quæ prius in ſua ſede contineri non potuerunt, quam guajaci decocto aliiſque ſiccantibus, & robur nervis conciliantibus præſidiis, toti eſſet corpori proſpectum: quod non ante menſes quindecim aſſequi licuit.

Anno 1557. militis cujuſdam curationi interfui, in quo exacto decennio ab hydrargyroſi ſemel atque iterum repetita, exorti in ſincipite tophi duriores dolore acerbiſſimo cruciantes, in abſceſſum tandem converſi ſunt, quorum ſanies non modo pericranium & cranium, ſed etiam meningas & cerebri ſubſtantiam putredine infecit, ac plane corrupit, illæſa fere cute: quæ tamen ad puris illic collecti emiſſionem diſſecta maligno ulcere brevi exeſa eſt, quo, cerebri anterioris medulla albiſſima, ſed tamen putris quotidie effluebat, quemadmodum & foraminibus, quæ circum majorem utriuſque oculi angulum putredo ſibi comparaverat. Interim tamen neque æger decubuit, neque gravi febre jactari, neque cibi cupiditate deſtitui, neque macreſcere viſus eſt, antequam ad cerebri ventriculos ulcus ſerpendo propagatum ſit, quo tempore exorto lethargo è medio repente ſublatus atque extinctus eſt, nullo pene doloris ſenſu. Hunc autem ſex menſes ſubſtantia cerebri & meningibus corruptis, atque in pus quotidie abeuntibus ſuperſtitem vidimus. In aliis multis, qui hydrargyroſim copioſam tuliſſent, poſt diu toleratos capitis dolores, integra cute, è qua capilli ſuccreſcunt, pericranium, calvariam, & meningas graſſante putredine ſenſim depaſci, popularique abſque inſigni febre notavimus: quum tamen ex minimo capitis ictu, quo cranium, vel fiſſum, vel fractum ſit, orta putredine, quæ meningas feriat, illico inflammationem proritari, mortemque conſequi quotidiano experimento obſervemus, niſi forte aperto modioli ope (ut fieri ſolet) cranio ſaniei exitus comparetur, antequam inflammatio meningas attingat. Cujus rei cauſa ab hydrargyro petenda, cujus vi imbutum atque perfuſum corpus, ut pituitoſis & melancholicis morbis opportunum evadit, ſic à febre fere & inflammatione tutum & immune redditur. Quod à ratione alienum videri non debet. Ut enim calida & humida corporis excrementa facillime, ſic frigida & terrena ægerrime inflammatione tentari ac putreſcere poſſunt. Frigida autem ſunt omnia fere excrementa, quæ hydrargyri noxa in corporibus præter naturam colligi ac ſuccreſcere ſolet. Ægre igitur febre corripiuntur corpora hydrargyro ſæpius illita, etiamſi multa ſcateant cacochymia. Niſi forte in quibuſdam dolorum ac vigiliarum diuturnitas, lentam quandam inducat febrem, quæ, ut ſymptomatica eſſe ſolet, ſic propriis luis venereæ alexipharmacis calidis & ſiccis profligatur, nec in hecticam niſi medentis imperitia & ignoratione degenerat. Eadem, credo, hydrargyri natura in cauſa eſt, cur unguine ex eo ſæpius peruncti, ægrius adeo purgantibus moveantur, ut ea dupla validiora perferant quam ante hydrargyroſim. Frigidum ac humidum quum ſit argentum vivum, melancholicum ac pituitoſum reddit corporis habitum. Quæ ſi vera ſint (ut certiſſima eſſe comperi] non modo hydrargyrum temperamento frigidum eſſe neceſſe eſt, ſed etiam occultiore quadam vi præditum, qua mutatum, perfuſum ac pene ſtupefactum corpus, neque catharticorum vim facile perſentiſcat, neque facie inflammetur.

His

His igitur obſervationibus atque argumentis argentum vivum frigidum & humidum eſſe, ſimulque corporis cui inungitur, habitum pituitoſum, aut certe melancholicum efficere, perſpicuum eſt. Eodem accedit, quod remedia, quæ à veteribus contra hydrargyri noxam præſcripta ſunt, majori ex parte calida & ſicca ſint: cujuſmodi eſt apium, abſynthium, piper, caſtoreum, aqua è melle, ſpica, eruca, ſalvia, ruta, myrtha, diamoſchum, & ſimilia, quæ flatus diſcutiant, urinas provocent, ſudores moveant, & tandem corporis tumorem ejus uſu contractum, ſiccando reſolvant. Contraria enim contrariorum ſunt remedia.

Qui opinionum diſſenſione à noſtra ſententia diſcrepant, his maxime nituntur argumentis. Certis (inquiunt) experimentis conſtat argentum vivum craſſa attenuare, incidere, diſſolvere, & in ſudores diſſipare, obſtructa aperire, duriſſima quæque penetrare, & alia multa opera edere, quæ caloris effecta eſſe neceſſe eſt, non frigoris. Siccum autem eſſe, non humidum, hinc intelligere eſt, quod etſi liquidum ſit, infuſum tamen in tabulam planam ac perpolitam, eam haud quaquam, ut alii liquores, humectet & madefaciat. Id enim fit propter ſiccitatem, quæ humorem temperat, & non ſinit tabulæ adhærere. His quidem urgent argumentis, & pungunt tanquam aculeis: ſed quæ refellere haud difficile ſit. Scitum illud eſt, & omnium recte philoſophantium & medentium conſenſu confirmatum, ſummas medicamentorum vires ac facultates, quæ cauſæ ſunt efficientes, alias à qualitatibus primis, calido, humido, ſicco: alias à ſecundis, quæ à materia prodeunt, cujuſmodi eſt tenuitas & craſſities, lentor & acrimonia: alias à forma & occulta proprietate proficiſci, eoſque prorſus cæcutire, qui in medicamentis vires omnes à primis qualitatibus quærant, nihilque in tota arte præter intemperiem animadvertant.

Itaque argentum vivum ſumma partium tenuitate, qua vel duriſſima quæque metallorum & lapidum corpora ſubit ac penetrat, non calore attenuare, incidere, & ſudores movere (ſiquidem illos ciere poſſit) credendum eſt, quum aliis multis argumentis frigidum comprobetur. Piper ac pyrethrum calidiſſima quum ſint, imbecillius tamen ſudores proliciunt, quam guajacum eadem in qualitate remiſſius. Minus quoque attenuant & incidunt pulmonibus infarctam, craſſam, lentamque pituitam, minuſque menſes promovent, quam gentianæ aut ariſtolochiæ radix, illis calore multum cedens. Quod ſi quærat aliquis, qui fieri poſſit, ut in medicamento impenſe frigido materia inſit ſumma partium tenuitate prædita? Quærendum quoque illi fuerat, cur opium adeo frigidum, ut narcoticorum ſit vehementiſſimum, amarore guſtantibus ſit moleſtum, quum amara omnia calida eſſe perhibeantur? Et cur caphura valde frigida, ſit nihilominus tenuiſſima natura ac odore aromatico prædita, quum odorata omnia calida eſſe dicantur? Multa, crede mihi, deprehendes in rerum natura, ſi ſingula diligenter obſerves, in quibus occæcari humani ingenii ſolertiam ſit neceſſe, & in quibus principia theoriæ imbecilla atque infirma eſſe annotamus.

Sed, quid cedo cauſæ, eſt cur argentum vivum ſudorem ciere poſſit? nonne potius frigidum & repellens remedium quum ſit corpori attrictum, contrario plane motu atque hydrotica medicamenta è peripheria corporis ad ipſius centrum humores agens ſudoris materiam impellit? Si quis igitur ab illitu ſudore diffluit, eum partim ignis ad quem inungitur, partim calida olea quibuſcum miſcetur hydrargyrus, partim cubilis calor, non hydrargyrus elicit.

Jam vero hydrargyrum humidum eſſe non ſiccum tum ex ſuprapoſitis, tum hinc quoque intelligitur, quod præduros tumores ſcirrhoſoſque ſupra cætera omnia emolliat, concretoſque diſſolvat, quodque membranas omnes, nervos & articulos adeo relaxet ac debilitet, ut omnem fluxionem facile admittant, concitenturque ejus uſu, aliis quidem arthritici dolores, aliis vero tremores immedicabiles. Sunt tamen qui hoſce tremores ad luis male curatæ reliquias nervos obſtruentes, vel ad motorum ſpirituum reſolutionem, diſſipationemque non ad argenti vivi humiditatem, aut vim qualitatemve maleficam, referendos eſſe pertinaciter defendant, ad hoc exemplis, aliiſque argumentis utentes parum validis, quæ nobis hoc loco paucis redarguere liceat.

Tremore corripi diximus, non lue modo contaminatos, ſed alios fere omnes exquiſite ſanos, quicunque vel argentum vivum in puteis legunt, vel minium effodiunt, vel ex eo hydrargyrum, & huic addito ſulphure cinabarim decoquunt, vel inaurando, vel alio quovis modo venenatum argenti vivi vaporem, aut cinabaris ſuffitum, ore naribuſve excipiunt. Tremunt etiam iis tandem manus, qui lue venerea pollutos unguento ex argento vivo ſæpius inunxerunt, in quibus tamen vix effatu digna ſpirituum motorum reſolutio perſpici poteſt.

Dum hæc ſcriberem, inaurator quidam opem imploravit, cui brachia & tibiæ vehementer adeo tremebant, ut nec incedere, nec ſtare, nec attonitum & tremulum caput attollere poſſet. Reſiccato per guajacinum decoctum corpore, ſtandi ac incedendi vires paulatim recuperavit, ſed cerebrum illi grave torpidumque remanſit, & corpus univerſum fluxionibus obnoxium. Occurrunt quotidie & alii non pauci iiſdem, aut etiam ſævioribus correpti ſymptomatis, ex quorum animadverſione intelligere eſt, vim ſummam ineſſe hydrargyro refrigerandi, laxandi & molliendi, cerebro, nervis, tendonibus, membraniſque omnibus nocentiſſimam ac pernicioſiſſimam.

Quod autem proponunt fuſum hydrargyrum, planitiem nullo madore colluere, idem quoque in aquæ guttulis ſeſe in orbem cogentis propter ὁμοιομέρειαν obſervare eſt, quam tamen hoc uno argumento nemo ab humidis ſecreverit contra veterum auctoritatem. Itaque ſi nullo madore imbuit hydrargyrus, id efficit, non ſiccitas humiditatem continens ac contemperans, ſed partim naturæ quædam proprietas, qua ſe in ſphæricam figuram perpetuo comprimit atque convolvit, partim excrementitia quædam plumbago illum ambiens, qua adhæreſcere prohibetur.

Eſt igitur frigidum & humidum, non calidum & ſiccum argentum vivum. At nihilominus, quoniam vi ac proprietate occulta, omnis generis humores, peculiariter vero pituitoſos, aut

ſputatione, aut alvi profluvio vacuat corpori affrictum aut exhibitum, idcirco ſane recte exiccare perhibetur, ſed non niſi ex accidenti.

Occulta Hydrargyri vires uſu & experientia compertæ.

Et hæc quidem de argenti vivi temperie & materia, jam de occultis ejus proprietatibus diſſerẽdum. Hoc enim ſive intrò ſumitur, ſive foris admovetur, multa edit opera, quorum nulla probabilis ratio reddi poteſt, & quæ idcirco vel formæ, vel occultæ proprietati referre accepta cogimur. Ejuſmodi eſt vis purgatoria, qua licet frigidum, adeo excellit, ut ne uſtione quidem eam exuat, ſed (quod nulli præterea conceſſum video) in cinere retineat multo etiam quam ante vehementiorem. Purgat autem craſſum, lentumque mucum atque ipſam pituitam, interdum etiam conſecutione quadam bilem utramque. Quanquam autem interdum ſupra duntaxat, interdum infra, interdum utroque modo purgat, maxime tamen & propria vi ſupra purgare natum eſt, quomodocunque adhibeatur. Itaque vel illitum, vel intra corpus aſſumptum, quicquid ſenſim colliquarit, undique primum in ventriculum, dein in fauces, ac denique in os regerit ac compellit, unde nec tuſſi, nec vomitione, ſed continuata mucoſi ſputi profuſione rejicitur: quæ res efficit, ut ſalivatio vulgo dicta ſit, nova hæc & veteribus nunquam tentata purgationis forma, aliis ſputatio, aliis profluvium oris. Quæ, quoniam ſemel inchoata, in multos dies nobis invitis producitur, imbecillis viribus & corpore cacochymo ac impurgato quiſquis eam promoverit, in certum vitæ diſcrimen ægrum adduxerit. Unum ergo caput maxime petit, ex quo immodicas deſtillationes movet, quæ partim per os effluunt, partim in gingivas & genas incũbunt eaſque tumefaciunt & magno fœtore magnaque moleſtia exulcerant. Quanquam enim frigidum eſt, ſua tamen nimia humiditate in calidioribus & humidioribus humores putrefacit aque corrũpit, hinc ulcerum & fœtoris origo. Porro autem craſſum hunc lentumque mucum, quum è corporibus, vel exquiſite ſanis copioſum detrahat, carnes, tendines, membranas, nervos, aliaſque partes omnes liquefaciat atque diſſolvat, neceſſe eſt, ut ex iis humorem ſibi familiarem & cognatum eliciat, quem ſputatione, vel alvi profluvio propellat, & foras exigat. Quod ne cuiquam paradoxon videatur, addam & illud, ne oſſibus quidem parcere, ſi quis ſæpius illitus vel ejus vapore, aut cinnabaris ſuffitu perfuſus fuerit. Siquidem dentes alioqui ignibus invicti ſtatim poſtea vacillant omnes, & liveſcentes mareſcunt, alia vero craſſiora, ſæpe cariem parte quadam contrahunt, & in tophos aſſurgunt, in quibus exciſis argenti vivi guttulas tremulas non raro reperi: minime tamen in omnibus naturis eandem habet efficientiam. Etenim quo humidius corpus exiſtit ac laxius, hoc facilius per hydrargyrum, aut illitum, aut aſſumptum in ſputationem ruit, hocque diutius ac crudelius angitur: quo vero ſiccius ac terrenum magis, eo ægrius, interdum etiam nullo prorſus modo. Quod ſi è ſola facie facienda conjectura fuerit, quibus ſanguine, floridoque ruborea ſuffuſa eſt, facillime, quibus ſubnigra aut plumbea, ægre, aut vix unquam ſputatio accidet. In medio ſunt pituitoſi & bilioſi, candido, aut flaveſcente faciei colore præditi.

Non me latet veteres, non in purgantium, ſed in venenorum claſſem argentum vivum retuliſſe, ſed recentiorum, quam illorum in eo cognoſcendo, explorandoque major fuit ſedulitas, qui tandem uſu compererunt, purum & impermiſtum argentum vivum, ſi ſumatur, ſua mobilitate, inſtabilitate & gravitate, mox, ut ingeſtum eſt ad alvum devolvi, per eamque egeri ſincerum, nullo ventriculi aut interaneorum vulnere, nulloque fere valetudinis diſcrimine, ſi modo juſtus fuerit modus, & aliquot aquæ ſalviæ unciæ mox ſuperdentur. Quod & Georgii Agricolæ auctoritate confirmatur, qui ſcriptum reliquit, improbam uxorem marito aliquot vicibus argentum vivum dediſſe devorandum, quod ille ſine nocumento egeſſit per alvum, quæ tamen in manifeſto maleficio deprehenſa, pœnas legibus dedit.

Ad hæc Antonius Muſa infantium Lumbricos argento vivo propinato, tuto ſe enecaſſe ſcriptum reliquit: denique Andreas Matthiolus difficilem partum argento vivo propinato innoxie accelerari teſtatur. Quorum tamen opinionibus in eo propinando haudquaquam accedendum cenſeo. Ego enim (ut aliquid etiamnum de obſervationum mearum theſauro proferam) neque adeo venenatum, & humano generi infenſum comperio argentum vivum, ut ab uſu medicinæ prorſus rejiciendum ſit & tanquam in mundi & naturæ exilium depellendum, neque ita tutum & innoxium, ut pueris & prægnantibus exhiberi tuto aut poſſit, aut debeat. Fateor igitur tuto & intro ſumi, & extrinſecus adhiberi poſſe, ſed nec temere, nec in omnibus temperaturis, nec citra aliorum adjectionem, quæ noxias ejus vires refrænent atque obtundant. Impermiſtus ac ſyncerus hydrargyrus majore doſi ſi propinetur ſummo ſuo frigore ſanguinem congelans repentinam perniciem infert, velut jam ante commonefeci: Si minore doſi, aut etiam juſto modo, ſed ſæpius exhibetur, vel illinitur, maxima ſua humiditate humores putrefacit atque corrumpit, duriores vero partes, nervos, tendines, ligamenta ac membranas remollit, relaxat, atque reſolvit: nonnunquam & ipſa oſſa vitiat, & carie inficit. Omnibus qui frequenter utuntur, venenata ſua, eaque occulta & inexplicabili qualitate nativi caloris robur atterens atque diſſolvens concoctionem labefactat, graviſſima ventris tormina excitat, ac plumbeam accerſit faciei deformitatem. Ideoque valde ſenibus & imbecillis præſentaneum venenum cenſeri debet, inſitum illorum calorem jam languidum protinus extinguens, omniaque putrefaciens cum fœtore. Nunquam tamen argentum vivum (id pace Dioſcoridis dixerim) ſuo pódere aut alia malefica vi interanea exedit aut exulcerat: ſed contra, maligna & ſerpentia ulcera ſiſtit ac cohibet, tum introſumptum, tum illitum. Suo frigore vim maximam inferre atque interimere auctor eſt conciliator hac hiſtoria.

Quum

Quum pharmacopœus quidam per ardentiſſimam febrem delirio & intolerabili ſiti jactaretur, dormientibus aliquando miniſtris clanculum è cubiculo, in quo jacebat, potus cauſa exiliens, forte fortuna in vaſculum argenti vivi plenum (quod in pharmacopolio inter cætera reconditum ſervabatur) incidit, cujus magna copia affatim epota, ne à proximis miniſtris deprehenderetur, ſtatim in lectum ſe recepit, in quo paucis poſt horis extinctus eſt. Miniſtri expergefacti repentinæ ejus mortis cauſam requirentes, ſub cadavere argenti vivi nuper exhauſti portionem, quæ ex alvo jam excidiſſet, reperiunt. Itaque diſſecto ad clariorem rei cognitionem cadavere, libræ unius pondus in ventriculo inventum eſt, cujus immenſo frigore ſanguis circa cor ac in reliquis proximis venis & arteriis jam concreviſſet. Ego ex iis qui hydrargyrum recte præparatum juſto modo aſſumpſiſſent, repente extinctum vidi neminem. At multos adverti, quibus & introſumptus & extrinſecus adhibitus, ſæviſſimos cruciatus mortemque ſenſim attulit, quod & plumbum efficere etiam comperi, ſi majore copia aſſumatur. Sed hæc obſervationibus aliquot melius eluceſcent.

Amicus quidam meus deſtillationi è capite interdum in cervicem & ſcapulas, nonnunquam in pedum articulos obnoxius, neglectis medicis, à quibus ſæpe opem ſenſerat, hortatore empirico plumbi pulverem tenuiſſimum, è juſculis, ex vino, ex piris coctis, aliiſque cibis ſacchari loco, dierum quindecim ſpatio uſurpavit. Sed bene Deus! quot quantaque valetudinis incommoda perſenſit? Gravis protinus exorta eſt dyſenteria cum intolerabili totius ventris dolore diriſque cruciatibus & torminibus, quæ & febrem brevi attulerunt. Ventriculi tanta diſſolutio, tanta oris ipſius oblæſio ſubſecuta eſt, ut vel blandiſſimo digitorum attrectatu vehementer offenderetur, & quæcunque ingerebantur, in plumbeum nidorem ac mucaginem depravata mox vomitione excluderentur, non ſine maxima ructuum copia. Sedata accommodatis remediis dyſenteria, febris & graves ventris cruciatus dies viginti perſeverarunt, cum incendii interni moleſtiſſimo ſenſu ac inexhauſta atque inſatiabili ſiti, totidemque noctes æger inſomnes peregit. Interim nulla inerat cibi cupiditas, alvus ſponte nihil excernebat, & quæcunque aut ſupra, aut infra prodibant plumbeo colore infecta erant omnia, ſuam plumbum qualitatem internis partibus tenaciter adeo impreſſerat. Quinetiam exorto ictero corpus totum fœdatum, & ſanguis ſedata dyſenteria ad febris curationem detractus, ſpumoſus ac putris apparuit. Hæc tamen gravia tamque periculoſa ſymptomata, ſi plumbum oblæſis viſceribus inferre animadvertimus, quid de hydrargyro vel copia majore, intro aſſumpto, vel aliis quæ ejus vim maleficam coerceant, minime remiſſo cenſendum putemus?

Pictor quidam Gandavenſis annos natus triginta, firma ac laudabili corporis conſtitutione, non ita pridem hic agens anno *Chriſti* 1557. manuum digitos graviores ſolito, tardiores & ad motum minus aptos percipiens, haud multo poſt illos contrahi convellique ſenſit: quæ affectio magis ac in dies augeſcens, digitos incurvos ac prorſus inflexiles reddidit. Quin & carpum & brachii principium pervaſit affectio, dum nervis tendonibuſque refrigeratis, humoreque craſſo oppletis admodum torpidæ, incurvæ, contractæ, atque ad functiones naturales ineptæ manus eſſent.

Haud multo poſt idem pedes vitium ſenſere, non parum oblæſa incedendi facultate. Neque tamen in his, neque in manibus, neque in aliis partibus afflixit vehemens dolor, qualis in lue venerea, & defluxionum morbis eſſe ſolet. Miſellus hic tot malis non ſatis (credo) divexatus, in aliud ſymptoma longe graviſſimum & crudeliſſimum poſt ſeptimeſtre incidit. Dolor longe acerbiſſimus atque atrociſſimus hypochondrium utrunque occupavit, qui ad totum ventrem pertineret: cui quoniam nec noctu, nec interdiu intermittebat, clyſteribus, fotibus, balneis, & aliis quibuſdam remediorum generibus, ſed fruſtra, levatio quæſita eſt. Unicum tandem in acceſſione non inventum, ſed repertum eſt ſolatium, tres quatuorve homines ventri incumbere curabat (compreſſo enim ventre paulo mitior cruciatus erat) ac patienter perferebat, dum pondere tanto compreſſis inteſtinis ac membranis, quæ flatibus divelli atque diſtendi putabantur, non ita diſtorqueretur. Ubi ſex octove dies ita excarnificatus fuerat miſellus, ſenſim abeunte dolore & cibi deſiderium, & vires paulatim colligebat, dum alia rurſum ſimili acceſſione doloris repente correptus proſterneretur. (Viginti enim non amplius dies dolor intermittebat) in acceſſionibus alvus nullo fere remedio duci poterat: quod ſi quando contingeret, ſubnigrum aut plumbeum ſtercus ejiciebatur, & in doloris intermiſſione quæcunque purgantium medicamentorum vi detrahebantur, plumbeo colore infecta erant. Hypochondriis nulla tenſio, nulla durities inerat, nec febris ulla doloris comitem ſe præbebat. Adhibiti medici brachiorum & pedum contractionem atque reſolutionem (miſtus enim ex his erat affectus) ad cinnabarim, quo pictores uti ſolent, referendam cenſuerunt. Nam quum ille penicillum digitis ſæpe extergeret, his adhærens cinnabaris partium continuatione maleficam vim ſuam cerebro (cui, ut nervis & tendonibus, & membranis omnibus maxime adverſatur) communicavit. In eo autem imbecilliore reddito ac refrigerata pituita multa ſenſim collecta eſt, quæ tandem in carpum & digitos illapſa imbutis frigido crudoque humore eorum tendonibus & nervis, ſymptomata his non diſſimilia, quæ unguento ex hydrargyro perunctos adoriuntur, exceptis artuum doloribus, excitavit. Et hæc ſana fuit me judice ſententia. Eadem enim fere ſymptomata in aliis pictoribus adnotavi, quorum nonnulli etiamnum ſuperſtites ſunt pedibus, manibuſque reſolutis, tremulis atque contractis. At in doloris illius tam atrocis perveſtiganda cauſa quandiu laboratum eſt? quot habitæ concertationes? quam varia fuere medicorum decreta; Alius frigidam vitream pituitam firmius inteſtinis inhæreſcere putabat, quæ certis circuitibus in flatus reſoluta dolorẽ tantum pareret. Alius bilem acrem circum abdominis mẽbranas coercitam certis periodis moveri, atque ſuopte impetu cieri, tumque ſentientes membranas diſtendere,

atq; acriter cõpungere, & acerbiſſimos illos cruciatus inferre contendebat. Alius melancholiam hypochondriacam ineſſe judicabat, quæ tamen intermiſſiones ſtatas haberet. Alii denique alias cauſas aſtruebant, atque idoneis remediis demoliri, ſed nullo omnino profectu, ſatagebant. Si quidem annos tres crudeliſſimis doloribus tortus & fractus exanguis tandem atque exuccus vitam cum morte commutavit. In diſſecto ejus cadavere ad cauſæ inveſtigationem omnia inſpicientes jecur, lienem, ventriculum & renes naturalem conſtitutionem præ ſe ferre deprehendimus, nulla in cyſti fellis obſtructio, nulla in meſenterio humoris vitioſi congeſtio, nihil denique in alia ulla parte notari potuit, quod tantorum fuiſſet dolorum cauſa. Dicam ergo ea de re quid ſentiam, & cur ita videatur, explicabo. Quum ille penicillum non digitis modo, ſed ore etiam, velut incautis pictoribus ſolenne eſt, extergeret atque exugeret, conjeci cinnabarim ore exceptam partium continuatione internis partibus communicatam, ventriculum & inteſtina, membranas & reliquas nervoſas partes non humectaſſe ſolum aut perfrigeraſſe, ſed maligna ſua eaque inexplicabili pernicie, quæ oculorum refugeret obtutum ſic infeciſſe, ut nullis remediis deleta tantorum dolorum occulta cauſa fuerit, quæ non purgantibus, ſed contraria antidoto erat abigenda. Sic enim dolores paulo ante deſcriptos, uſu pulveris ex plumbo crudo, concitatos, quum vacuantibus medicamentis non cederent, balneorum & lactis aſinini potu diu continuato, prorſus conſopivi. In hanc ſententiam me adduxit non Dioſcoridis modo opinio, qua hydrargyrum ventris tormina ciere tradit, ſed medendi uſus, quo comperi argentum vivum ſæpius, & temere intra corpus aſſumptum, ejus generis dolores invehere, qui nullis cedant auxiliis, præſertim ſi frigida fuerit corporis natura.

Quanquam igitur nec argentum vivum, nec plumbum ſuo pondere (quod tamen veterib. placuit) aut alia nobis manifeſta vi interna excedit, aut exulcerat: quoniam tamen venenata quadam natura, & malefica labe nobis ratione incomprehenſa, non ſolum dyſenteriam, & graviſſima ventris tormina infligere, ſed etiam alia multo graviora, eaque fere incognita atque inexplicabilia, prorſuſque inſanabilia vitia partibus internis inurere deprehenduntur, unde vix illæ expediri queant: ideo nunquam intra corpus quamlibet exigua quantitate aſſumi debebunt, niſi illorum malignitas alexipharmaci adjectione ſit retuſa, enervataque pernicies, idque religioſe & ubi cætera omnia remedia morbi pervicacia ſuperavit. Quod & alia obſervatione conſtat.

Populi qui ad Alpes habitant bronchocelis turgida habere guttura, præterquam quod nos aliquando vidimus, veterum etiam complures literis prodiderunt. Id autem illis idcirco peculiare vitium eſt, quod Alpes metallorum venis, maximeque argenti vivi abundent, per quas aquarum ſcaturigines emanant: aquæ autem viroſa hydrargyri qualitate imbutæ, cerebri robur diſſolvunt, rheumatiſmis in fauces & dentes varie fatigant, & tumores excitant. Qua ex cauſa veteres multos fontes notarunt, ex quibus qui bibebant, alii intra biennium, alii citius dentes ãmittebant.

Sit igitur certum & exploratum, frigidum & humidum hydrargyrum, venenata qualitate cerebro nerviſque bellum indicere, neque temere in omnibus naturis, nec ſæpe ſine gravi noxa poſſe uſurpari. Qua autem ratione & arte ita domari, cicurarique poſſit ut quæ commemorata ſunt vitia non inferat, planum faciam.

Hydrargyri cinis qui & pulvis mercurii, & præcipitatus hydrargyrus vulgo dici ſolet.

Hydrargyro tantam vim purgandi ineſſe diximus, ut ne uſtione quidem depereat & aboleatur, ſed in cinere ſuperſit multo etiam quam ante vehementior. Igne ſiquidem ſublata prorſuſque conſumpta aquea hydrargyri ſubſtantia, in qua vis refrigerandi inerat, etſi nativa ejus temperies diſſoluta eſt, manet tamen in cinere, quæ à forma naſcitur, vis purgandi longe efficaciſſima. Efferveſcit autem atque uritur hydrargyrus admiſta aqua, quam ex chalcantho, alumine & nitro conficiunt (aquam fortem vulgus appellat) atque in acerrimum pulverem redigitur, quem alii præcipitatum, alii mercurii pulverem vocitant. Hoc vero differt ab argento vivo hic cinis, quo acetum ab ejus uſta fæce.

Hunc citra delectum exhibent circumforanei quidam circulatores, ſcelerati impoſtores non medici, ad luis venereæ dolores diuturnos, hydropem, febrem quartanam, melancholiam hypochondriacam, & ad ejus generis affectus frigidos, idque quatuor ſexve granorum pondere ex ovi luteo vel mithridatio & theriaca, ac ſtatim, ut aſſumpſit aliquis, ex univerſo corporis ambitu omnis generis humores ſurſum ac deorſum prorumpunt, ſæpe tanto, tamque violento impetu, præſertim ſi molle, effœminatum & languidum corpus fuerit, ut exhauſtis ſpiritibus, fractiſque viribus, vel repente moriatur, vel quo die ſumpſerit, ſine viribus, ſine pulſu, ſine voce jaceat mortuo perſimilis. Os ejus contagione interdum inflammatur, ac gingivæ ulcera contrahunt putria ac valde fœtida: fauceſque pleriſque ita intumeſcunt, ut ad multos dies nihil prorſus deglutire poſſint. Quin etiam nonnullis mens ita à ſua ſede dimovetur, ut exorta febre phrenetici tandem pereant.

Dum hæc commentarer, ſceleſtus quidam nebulo ad quartanam tria catapotia ex eo & mithridatio confecta, juveni robuſto devoranda tradens, eum paucis diebus exorta dyſenteria, faucium inflammatione ac delirio è medio ſuſtulit. Itaque à catharticorum cenſu tanquam præſentiſſimum venenum rejiciatur, ac publicis legibus exulet. Chirurgis tamen in externorum ulcerum curatione concedatur, velut & alia multa venenata pharmaca, quæ prudenter vel ſola, vel mitioribus, quæ illorum vim maleficam infrænent temperata ac remiſſa magni in chirurgia ſunt uſus. In id autem ſic comparetur.

Argenti vivi unciæ ſex, & aquæ fortis ℥ ii. ß. ampulla vitrea craſſioris & longiſſimæ cervicis exceptæ, prunis non acribus fervere ſinuntur, dum liquida ac fluida omnis ſuſtantia

prorſu

prorſus ſit abſumta. Cinis in ampullæ fundo reſtat, qui ulceribus ſordes craſſiores & callos detrahit, hyperſarcoſim omnem ſtrenue abſumit, nullo aut exiguo dolore: præſertim ſi ſæpius elotus fuerit aqua plantaginis, & reſiccatus. Ideoque ſordidis, putridis, ſanioſis, calloſis, ſerpentibus, atque aliis omnibus ulceribus, quæ vulgaria remedia contemnunt, & cicatrici obſiſtunt atque reluctantur, modo ſolus, modo aliis, quæ citra morſum ſiccare aut tergere poſſunt, mixtus utiliter adhibetur.

Cinerem hunc illorum ſi impuro & cacochymo corpore, ulceri vel ſimplici, vel venereo adhibeas, fluxiones, inflammationes, & dolores proritari, & exaſperari contingat. Si cui forte in animo fuerit ad contumaces fluxiones & morbos melancholicos, qui reliqua cathartica ſuperant, pulverem hunc intra corpus aſſumere, modo validis firmiſque viſceribus præditus ſit, & pulvis recte corrigatur: vehementior ac concitatior, ſed forte non infœlix futura eſt purgatio. At ſi tonſa hypochondria, vel viſcera imbecillitate laborant, vel corporis vires effœtæ ſunt, iſthæc vacuandi ratio prorſus aliena eſt. Correctio autem hujuſmodi ſit.

Pulvis deſcriptus biduum in aquis refrigerantibus ſubinde mutatis maceretur, ac rurſum in cardiacis biduum: ſic omnem fere morſum exuet, quam aqua fortis illi impertierat. Reſiccatus dein pulvis rurſum temperetur aliorum adjectione, & in catapotia aptetur.

♃, Pul. deſcripti præparati ℈ j. pul. E. triaſandal. ſimpl. ʒß. rhabar. electi ʒ i. mithridat, optimi, conſervæ bugloſſ. pul. roſ. rub. maſtich. ſingulorum ℈ ß. ſubigantur ſimul cum mucagine tragacanthæ extracta in aqua roſ. fiat maſſ. doſ. ʒ ß. in pilulis tribus mane ſumendis, hauſto prius jure pingui, è vitulina carne & pullo gallinaceo cum bugloſſ. borrag. & oxalidi & portulaca.

In uſu eſt & lethale aliud argentum (chymiſtæ ſublimatum dicunt) ex argento vivo & ſale armoniaco confectum, cujus eximias vires in affectuum quorundam externorum curatione ſæpe ſum expertus. At intro ſumptum peſſimum eſt venenum, partem quam attigerit, ſtatim adurens, atque exulcerans, mortemque convulſionibus ac internis cruciatibus formidabilem & horrendam accerſens. Sunt qui conficiunt in hunc modum.

Argenti vivi & atramenti ſutorii æquales portiones cum aceto teruntur, donec argentum vivum prorſus diſparuerit. Ex his conflata maſſa ſiccatur, deinde in fictilibus patinis vitro intus illitis diligenter obturatis trium ferè horarum ſpatio coquitur, mox auffertur, & quum patinæ refrixerint, quicquid liquidi, ſolidique ineſt, rurſus eximitur, rurſuſque teritur, aceto ſubinde aſperſo, & coquitur. Id quod tandiu fieri debet donec omne argentum vivum in operculum ſublatum ignis calore concreverit. Id inſignem erodendi vim habet, & potum non aliter quam calx viva interficit.

Nova ſecura luis Venereæ per hydrargyrum & alexipharmacum curatio.

Argenti vivi temperiem, & quibus id viribus occultioribus præſtet & excellat, quibuſque incommodis officiat diximus: jam id luis venereæ alexipharmacum ſit necne, diſquirendum. Aliptæ ad reunctores quicunque de luis venereæ curatione ſcripta in lucem emiſerunt, craſſam lentamque pituitam & melancholicum ſuccum ſubjectam materiam eſſe prodiderunt, in qua maligna & venenata ejus labes ſedem habeat, innixaque ſit. Hanc, quoniam corpori illitus, vel introſumptus hydrargyrus peculiari quadam facultate & dote, nulli alii medicamento conceſſa, ſputatione expurgare deprehenditur, omniaque luis venereæ, ſymptomata penitus delere, proprium ac peculiare ipſius alexipharmacum eſſe contendunt. Morbum enim radicitus extirpari, quum omnia ejus ſymptomata (hæc enim cauſam tanquam umbra corpus perpetuo conſequuntur) prorſus diſparent & evaneſcunt. Addunt parvo conſtare hoc remedii genus, & celeriter curare, quum alia non niſi ſenſim longoque tempore effectum ſuum ſortiantur, ac vix unquam radicitus mali cauſam exſcindant.

Denique nec guajacum, nec chynam, nec ſarçamparillam craſſam & lentam pituitam, terrenamque melancholiam, in quibus luis pernicies inſidet, expurgare, ſed tenues duntaxat ac ſeroſos humores in ſudorem digerere, ideoque recurſuri mali metu haud quaquam liberare velut hydrargyrum, qui & tenues ſudoribus digerit, & craſſos ac lentos omnis generis ſputatione aut alvi profluvio expurgat.

His fere argumentis imperitos ad hydrargyroſim pelliciunt, quæ tamen facile ſit refellere Hydrargyro quidem eam vim ineſſe, eamque facultatem peculiariter inſidere fateor, ut vel extrinſecus emplaſtri, aut cerati, aut unguenti forma impoſitus, vel intra corpus ipſum aſſumptus, craſſi & lenti mucoris ſputationem, vel è ſano corpore eliciat, quemadmodum ſcammonium & colocynthis ſeroſos tenueſque humores, inſita ſibi proprietate, vel è ſano corpore, detrahunt: An idcirco luis venereæ alexipharmacum aut eſſe, aut dici poteſt? minime vero. Malignam quippe venerei veneni labem ac perniciem, ipſumque morbi fermentum ſolidis partibus impreſſum atque infixum, nec manifeſta pugna, nec occulta proprietate delet aut evincit: quod tamen amuletorum proprium munus eſt, ſed ſummo duntaxat frigore intro repellit, & alia inexplicabili & incognita vi ad tempus cohibet, ſtupefacit, obtundit, & intus in partibus ſolidis velut colligat atque conſtringit, dum tempore revertatur atque revireſcat. Ut opium deſtillationum antidotum haud dicimus, aut rhabarbarum febrium alexipharmacum, etiamſi illas plerumque coerceat ac profliget. Sic neque hydrargyrus luis venereæ amuletum recte dici poteſt, etiamſi illam interdum conſopiat. Niſi forte ampla ſignificatione alexipharmaca & antidota vocites, medicamenta omnia, quæcunque vel morbi materiam demendo, vel intemperiem ſummovendo, vel aliqua alia facultate morbo cuipiam auxiliantur, quod tamen veterum auctoritate & loquendi uſu dicere vetamur. Antidota enim & alexipharmaca proprie appellarunt, quæ non quidem extrinſecus impoſita, ſed intra corpus ipſum aſſumpta,

tota ſubſtantia & occulta proprietate, venenis reſiſtunt & adverſantur, eorumque affectibus medentur, & graviſſimis caſibus auxilio ſunt; quorum triplex differentia Galeno ſtatuitur, quod alia lethalium medicamentorum gratia offeruntur, alia adverſus beſtias virus ejaculantes valent, alia denique morbis ex pravo victu contractis opitulantur: quibus ex adverſo oppoſuerunt deleteria.

Ut enim lethalia venena (deleteria dicunt) ubi in animalis corpus ingreſſa ſunt, totum id momento temporis immutant, ſibique ſimili affectione inficiunt: ita ſane intro ſumpta alexipharmaca ſeu alexiteria, quæ venenorum remedia & antidota ſunt, contraria venenis lethalibus affectione, totum etiam corpus ipſa immutant, & perniciem a deleteriis impreſſam qualitatis ſuæ in maximam corporis molem diffuſione, delent & extinguunt. Craſſum quidem mucum & pituitoſam ſaniem ſputatione expurgat hydrargyrus, ſed crudeliter adeo ægros angit & excarnificat, ut perire ſatius ſit, quam tantis cruciatibus & laboribus morbo occurrere. Quum tamen hoc remedii genere pauci leventur, in quibus venereum virus nondum altius radices egit. Adde quod in ſputatione multos mori contingat, ſive quod fauces inflammatio præcludat, ſive quod vires præ vigiliarum & dolorum vehementia ac diuturnitate, præque inedia longiore ſatiſcant atque deficiant, ſive quod pituita affatim in præcordia illabens, repente ſuffocet.

Quod autem ajunt ſublatis per hydrargyroſim luis ſymptomatis nitidoque reddito corpore, morbum, qui illorum cauſa fuerat, neceſſario tolli, id plane falſum & ab experientia quotidiana alienum eſt, qua conſtat non hujus ſolum, ſed aliorum etiam multorum morborum cauſas diu interdum intus ſepultas delitescere nullis notis conſpicuas. A cane rabido acceptum virus, intus delitescit dum contaminatis humoribus & infecto corde vitæ principio excandeſcat. Et nitida facta corporis elephantici cute venenum intus reſtitat circum viſcera, quod brevi foras remigret atque reviresćat. Quid igitur mirandum, ſi vacuatis excrementis reſiccatoque corpore venereum venenum intus abditum lateat, donec collectis in corpore excrementis denuo revertatur? Externas corporis partes hydrargyrus expurgat, & à tuberculis vindicat, ſed plerumque venereum fermentum in internis relinquit, ſtupefactum quidem atque conſopitum, ſed quod tandem aliquando ſuſcitatum atque accenſum in excrementis horrenda ſui furoris ſymptomata proferat, in aliis quidem celerius, in aliis tardius, pro corporis natura & vitæ conditionis.

Multos quotidie videas liberos procreare atque ſuſcipere venereis maculis, aut tuberculis, aut ulceribus prorſus conſperſos, atque contaminatos, qui tamen per hydrargyrum prorſus expediti, reſtitutique judicabuntur. Quibus ex cauſis ſupra deſcriptam per guajacum & alexipharmacum luis curationem fucatæ huic ac periculoſæ hydrargyroſi præferendam cenſeo, quidquid obganniant aliptæ.

Ego tamen ne forte aliptæ, qui nec rationum momentis, nec quotidianis rerum eventis ab hydrargyroſi avocari poſſunt, curandi rationem per hydrargyrum à nobis ignorari objiciant: ita luis venereæ curationem inſtituam, ut non ſolum quæ ab hydrargyro creari ſolent pericula declinentur, ſed etiam reverſionis, recurſuſque metus omnis tollatur, & perfecta ac minime fallax ſuccedat curatio. Ita quiſquis inventa meliore fruge glandibus etiamnum veſci deſiderabit, vel ſuprapoſitæ curationis ſumptus præ egeſtate ferre non poterit, hac ſaltem cautione graviſſima ſymptomata declinabit, quæ ſputatio per hydrargyrum concitata invehere ſolet.

Multa ſunt in hac curatione cum ſuprapoſita, quæ per guajacum & alexipharmacum fit, communia. Ideoque multa illic diffuſius explicata ſunt, quorum præcipua tantum capita hic attigiſſe ſatis ſit.

Utrique communis eſt univerſi corporis præparatio per vacuantia: hæc vero pro affecti corporis temperamento & habitu, & morbi tempore, aliiſque indicationibus non parum variat. Nam ſi ante contractam luem ſumma inerat corporis puritas, nec ita pridem contractus morbus eſt, ſemel atque iterum catharſim moliri, atque ſanguinem pro plenitudinis & vitium ratione mittere ſatis ſit. At ſive ante morbum excrementis corpus ſcatebat, ſive jam diu impreſſa lues multa excrementa cumulavit, ſæpius repetita catharſi opus eſt, quæ impuritatis ac cacochymiæ ſentinam eluat atque exhauriat.

Utrique etiam commune eſt poſt convenientes vacuationes, ſopitum intus venenum movere, excitare, propellere guajaci aut chynæ, aut ſarceparrillæ decocto. Sed in recens contaminatis, qui boni ſunt habitus, ſimplex guajaci decoctum ad ſudores exciendos abunde eſt. In impura vero corporis conſtitutione & in inveterato morbo, præſtat purgatorio decocto in initiis curationum ſudorem promovere. Ita enim non modo venenata labes cum ſeroſis excrementis, ſudoribus digeritur & exhalat, ſed etiam omnis generis excrementa purgantur, puriſſimaque à luis curatione manent viſcera.

Ad hæc præparationis hujus, quæ catharticis tentari ſolet, tempus pro corporis & cauſæ morbum committentis ratione ac differentia longius aut brevius eſſe debet. Bono corporis habitu & conſtitutione, cute rara ac perſpirabili præditis recenſque contaminatis, dies viginti aut triginta ad ſummum ſatis ſint. Pituita aut melancholico ſucco refertis, & denſa atque adſtricta cute inſtructis, & inveterato vitio preſſis quadraginta aut quinquaginta vix ſufficiunt.

Commune eſt & utrique curandi rationi promotis ſudoribus dies aliquot guajaci aut ſarceparrillæ decocto, alexipharmaco præmiſſo uti, dum in integrum reſtituta ſit valetudo. Sed id ipſum alias meracius, alias dilutius & temperatum magis uſurpandum, prout corporis affecti propria & peculiaris temperies ac natura expoſcit. In utraque etiam convenit, ſi hyems eſt, in hypocauſto ægrum continere, vel etiam ſi in eo ægrius ſudor elicitur, ſumpto alexipharmaco & guajaci decocto vaporarium

deſcriptum in hypocauſto habere, in quo guajaci cremore & alexipharmaco ſumpto, ſudorem excipiat Denique & victus ratio, & reliqua omnia, quæ in ſuprapoſita curandi ratione tradita ſunt, in hac etiam accurate obſervari debent, ut perfecta ſuccedat curatio.

Hoc autem proprium & peculiare habet hæc curatio, quod hydrargyri inunctio adhibetur poſt juſtam præparationem, in hunc fere modum.

Singulis diluculis quinta, ſexta vel juſta hora alexipharmaco & cremore guajaci aſſumptis, æger ad ignem inungitur. Ac primo quidem die pedes, tibiæ ac brachia tantum perunguntur, ſecundo præter hæc, crura, tertio etiam tota dorſi ſpina ad ſcapulas uſque, cavendo diligenter caput, cervicem & anteriorem thoracis partem. Inuncto corpore vaporarium apte calens protinus adeundum, & inſudandum horam dimidiam, plus minus pro corporis & virium robore. Labaſcentibus viribus etiam ſi parum ſudoris emanarit, ab incœpto opere deſiſtendum, ſive in lecto, ſive in vaporario ſudor elicitur, neque unquam committendum, ut ſyncope, quæ mortis eſt imago, ægrum terreat. Sudore in vaporario profuſo, æger calente linteo obvolutus in lectum ſe recipit: ſtragulis coopertus ſudorem rurſum (ſi quidem ferant vires) emanare ſinit, dein ſiccatur, ac extergetur. Viribus languentibus protinus à vaporarii egreſſu, apoterapiæ incumbendum. Reſiccato corpore cibus præberi debet, qui vires & ſpiritus ſudorum profuſione diſſipatos reſarciat.

Eadem duobus tribuſve diluculis repetenda curatio, dein quatriduum ſaltem ab inunctione ſuperſedendum, ne ea quotidie mane repetita, maxima humorum fuſio ac partium colliquatio ſequatur, quæ ſputationem aut alvi tormina non facile cohibenda, forte etiam repentinam mortem accerſat. In ipſo vero tridui aut quatridui intervallo, alternis diluculis ſimplici decocto guajaci ſudores ciere, alternis alio decocto purgatorio alvum ducere conveniet, ut quicquid hydrargyroſis reſolverit, vel in ſudores digeratur, vel in alvum id depulſum expurgetur. Qui facile in ſputationem prolapſuri putantur, per biduum tantum inungi, dein facto quatridui intervallo ad unctionem remitti debent, ne continuata unctione in moleſtiſſimam illam ſputationem præcipites ruant. Itaque eo quo dixi modo, inunctio, ſudorum profuſio & purgatio per alvum viciſſim iterata continuabuntur, dum morbus radicitus abactus ſit.

Quibuſdam ſexies corpus inunxiſſe, aliis octies, nonnullis etiam decies, aut duodecies, vix ſatis ſit. Ubi nec dolor, nec ulcus, nec tuberculum, ſed ne veſtigia quidem illorum ſuperſunt, conferat ſi frigidum & pituitoſum corpus ante curationem rheumatiſmis erit obnoxium, vaporaria, omiſſo unguento ex hydrargyro aliquot auroris ingredi, & in iis inſudare, dein ſiccato corpore caput, cervicem, ſpinam dorſi, & articulos omnes oleo roborante & ſiccante illinere ac perfricare, quo noxa cerebro & nervoſis partibus illata emendetur.

In id oleum è ſalvia ſicca, arte chemica prolectum primas tenet. Miſcetur autem medullæ cervinæ, in aquis vitæ & ſalviæ ſæpius elotæ, additur humanus adeps ſimiliter lotus, & caſtorii (niſi fœtor diſplicet) momentum. Oleum cephalicum in luis curatione deſcriptum huic remedio recte ſubſtituitur. Quinetiam perfecta curatione modo propoſita, ſecundarium guajaci decoctum dies minimum duodecim bibetur, ac paulatim augebitur cibi modus, dein ad priſtinam vivendi rationem ſenſim fiet tranſitus.

Si forte vaporarium quod ante deſcriptum eſt, in manu non erit, æſtuariolum arte fabrefaciat chirurgus, in quo æger ſedens vel ſtans aromaticarum herbarum, in aqua & vino albo ferventium vaporem excipiat, ex convenienti ductu, cujus alterum extremum in lebetem inſeratur, alterum in æſtuariolum: vel certe in lapidem molarem candentem, herbarum quæ ad vaporarium traditæ ſunt paratum ex vino albo decoctum affundatur. Id enim in vaporem ſolutum, non modo externas corporis partes afficit, ſed intro etiam penetrans ad cerebrum & viſcera, craſſa attenuat & incidit, frigida calfacit, ſudorem copioſum profundit, nervoſumque genus ſiccando confirmat.

Alia curandi ratio.

Qui expeditiorem, ac nihilominus tutam & certam curationem expoſcit, protinus ut juſtis vacuationibus univerſo corpori proſpectum fuerit, guajaci decoctum & hydrargyroſim viciſſim uſurpet, iis quæ dixi intervallis, dum plane à lue immunis, liberque evaſerit. Eſt tamen tanto tutior, quanto longior hujus morbi profligatio, ut ſuadeam omnibus ſymptomatis deletis, remedia ad quindecim aut viginti dies continuare, ne qua ſuperſint fermenti venerei veſtigia, unde reverſio metuenda ſit. Hic enim nihil temere & repente fieri debere, jam commonefeci. Morbi quidem ab humoris fluxione profecti, plerunque ſubito tolluntur atque divaneſcunt, eorum cauſa cathartico ſublata: at in venenatis & malignis præcipuum curationis caput attigit, qui venenatam & malignam perniciem partibus impreſſam alexipharmacis profligavit. Id vero non niſi ſenſim ac pedetentim in lue venerea fieri poſſe uſus edocuit.

Alia curandi ratio per hydrargyrum, ſarçeparrillæ decoctum & aquam cardiacam.

Si quis præ mollitie, nec guajaci decoctum ebibere, nec amuletum vorare ſuſtinet, is ſi hyems eſt, in hypocauſto contineri debet, in quo vaporarium ſit, ut quotidie ante epulas ſudorem ſumpto ſarçeparrillæ decocto excipiat, prout vires ferent. Dein lectum petat, in quo rurſum aquæ cardiacæ uncias tres exorbeat, atque iterum, ſi vires tolerent, ſudorem erumpere ſinat aliquantiſper. Deterſo, ſiccato & temperato corpore, cibo locus eſt & dilutiori ſarçeparrillæ aut chynæ potioni: Æſtate hypocauſtum noxium eſt nedum ſupervacuum, ſed vaporarium utiliſſimum. Quarto aut quinto quoque hujus curationis die, mane mox à ſumpto ſarçeparrillæ decocto, univerſum corpus cervice, capite, ventre (anterioribus thoracis partibus ex-

ceptis, unguine ex argento vivo ad ignem confricandum eſt, moxque ſudor in vaporario excipiendus. Per hanc curationem ſexto quoque die alvus ducenda fuerit, intermiſſis eo die ſudatoriis præſidiis, atque ungento. Sic enim materiæ craſſamentum, quod digeri nequit ſudoribus, detrahetur per alvum. Hæc remediorum viciſſitudo continuanda, dum reſtituta ſit valetudo, quod pro corporum generibus ſerius aut citius evenit. Victus ratio eadem eſſe debebit, quæ in curatione per guajacum & alexipharmacum poſita eſt.

Alia curandi ratio per hydrargyrum & aquam cardiacam abſque decoctis.

Singulis diluculis in vaporario ſudor eliciendus, hauſtis ante ingreſſum aquæ cardiacæ unciis tribus, excitandus & ante cœnam eadem arte. Hanc ſudoris excitandi operam perſequi oportet, dum ne minima quidem morbi nota ſuperſit, facta quarto aut quinto quoque die hydrargyroſi ante vaporarii ingreſſum, poſt hauſtam aquam cardiacam. Purgandum interim corpus ſemel in hebdomade, minime promotis eo die ſudoribus.

Alia curandi ratio infimæ ſortis hominibus commoda.

Si quis ſorte bonis fortunæ deſtitutus, in chirurgum illiberalem & avarum incidat, qui humanitatis oblitus, nil niſi numerata pecunia in pauperes conferat, hanc curandi rationem ſubeat, quæ remediis paratu facilibus, & quæ parvo conſtant, morbum radicitus eximet. Vacuato corpore guajaci decoctum ſimplex domi conficiat, eoque utatur loco vini, dum plane convaluerit: ſervet etiam tenuem & ſiccam victus rationem, velut ſupra præceptum eſt, & ante ſingulos paſtus ℥ vi. decocti ſudatorii ebibat. Interim ſexto quoque die, paulo ante ſomnum corpus inungendum curet unguento ex hydrargyro, moxque in lectum ſe recipiat minime promotis ſudoribus, qui tamen ſi ſponte emanabunt, detergendi erunt & corpus reſiccandum. Poſtridie inunctionis, ſi publica in urbe æſtuaria erunt, illa adeat, ibique ſudorem cieat: ſi non erunt, inſudet in lecto quoque diluculo hauſto cremore guajacino, vel certe fimo equino ſepeliatur, dum ſudorem multum profuderit. Repetenda quinto aut ſexto quoque die inunctio, & aliis diebus guajacina potio ſudatoria, dum omnia luis ſymptomata diſparuerint. Semel interim in hebdomade alvus medicamento purgante ſubducetur, & quibus diebus minime perungetur, decocto guajacino præmittetur opiata. Qui calido ſunt jecore & ſqualido corporis habitu, peracta curatione, balneo aquæ dulcis aridum & pruriginoſum corpus temperabunt, & in decocto guajacino ſuprapoſito cichorii radicem, uvas paſſas, endiviam & ſimilia inſerent, aut certe ſarçaparrillæ potionem uſurpabunt.

Alia curandi ratio per ſolum hydrargyri litum & opiatam citra ſputationem.

Corpore repurgato & miſſo ſanguine victus ratio tenuis & ſiccans inſtituetur, & in paſtu potio guajacina diluta, aut ſarçeparrillæ decoctum. Quarto interim, aut quinto quoque die corpus unguine ex argento, vivo ad ignem illinatur: æger dein fimo equino calente ſepeliatur, ſinaturque dum ſudoris profuſione vires langueſcere ſentiat. Tum enim eximetur & deterſo ac reſiccato corpore opiatæ aut mithridatii ℨ i. præbebitur. Hydrargyroſis eodem modo repetetur, dum nihil venenati morbi ſuperſit. Diebus interjectis opiatæ ℨ i. quoque diluculo deglutietur. Quibus opes ſuppetunt, non fimum, ſed vel vaporarium, vel lectum in æſtuario ad ſudores promovendos deſtinamus. Qui cachectico ſunt corporis habitu, poſt præparationem per vacuantia & purgatorium guajaci decoctum quindecim aut viginti dies hauſtum, convenire diximus tepens balneum aquæ dulcis, in quo emollientes & detergentes herbæ ac radices decoctæ fuerint, jam teſtamur hydrargyroſim iiſdem utiliter adhiberi in egreſſu inſeſſus, corpore reſiccato, idque quinto duntaxat quoque die, ne crebriore uſu ſputatio exorta periculum aut moleſtiam maximam adferat, repetenda autem dum corpus exacte deterſum ſit, ſatiſque temperatus viſcerum ſqualor, intermiſſo eo die, quo ungetur, decocto purgante. Curationis finis eſt, quum omnia luis venereæ ſymptomata radicitus deleta evanuerunt.

Porro pro diverſa corporum natura, diverſa unguenta componuntur. In frigidis & humidis naturis calida & ſicca olea adipeſve argento vivo commiſceantur, quæ frigidam & humidam ejus naturam cohibeant, ne cerebro & toti nervorum generi officiat. Sed argentum vivum idonea præparatione abſtracta illius plumbagine corrigendum. Hydrargyri libra cum ſublimati ℨ ii. & aquæ fontanæ ℔ iii. rudicula diu agitatur, ut quicquid plumbi continet, in aquam deponat, qua effuſa puriſſimus deprehenditur hydrargyrus. Quæ præparatio ſæpius repetita efficit, ut è libra hydrargyri vix ſelibra ſuperſit, tanta in eo ineſt impuritas. Poſtremo in ſtillatitio ſalviæ liquore aut ipſius ſucco optime eluitur. Argentum vivum æquis ſucci ſalviæ & aceti partibus maceratur, deinde ſublimati momentum adjicitur diu agitando, tandem finitur, ut abjecto inquinamento ſincerum relinquatur. Hydrargyrus etiam in vino fulvo cum aromaticis juſto fervore ſubigitur adjectis ſub finem ſale & aceto, dein per pellem ſubactam percolatur. Præparatio vero axungiæ hæc ſit.

♃. Salviæ minoris, betonicæ, ſtœchadis, origani, mentæ, ſampſuchi, roriſmarini, chamæmeli, lauri, ſingul. p. i. rad. iridis Forentinæ, calami aromatici, baccarum lauri & juniperi, ſingul. ſemunciam, aquæ vitæ ℔ i, ſucci ſalviæ & ebuli, utriuſque ℔ ß. axungiæ ſuillæ recentis ℔ iv. Ferveant in phiala aut olla anguſti oris dum aqua & ſucci expirent, axungia dein torculari exprimatur. Si quis calidius præſidium deſideret, olei è ſalvia extracti quantum volet, adjiciat.

Vnguentum commune in frigidis naturis.

℞. Argenti vivi præparati ℥ ii. ß. axungiæ præparatæ libram, ſedulo miſceto.

Vn-

Vnguentum ex helenio cum hydrargyro, frigidis etiam naturis utile.

℞. Argenti vivi præparati uncias quatuor, ſucco ſalviæ & tantillo terebinthinæ exacte miſceto, dein adde axungiæ ſuillæ præparatæ libram, radicis helenii coctæ in hydromelite tuſæ & colatæ, butyri ſalis expertis, utriuſque ſelibram.

Aliud frigidis etiam naturis accommodatum.

℞. Hydrargyri, unciis quatuor olei amigdal. amararum permiſti ℥ iii. mucag. ſem. fœnigræci extracti in aqua vitæ, axungiæ præparatæ, butyri recentis loti in ſucco ſalviæ ſingul. ℥ iii. mucago, axungia & butyrum coquantur ad linimenti craſſitiem. Dein hydrargyrus oleo amigdal. miſtus addatur cum moſchi granis vi.

Vnguentum in temperatis naturis uſurpandum.

℞. Butyri recentis, optimi, ſalis expertis, adipis ſuilli utriuſque ℔ ß. argenti vivi præparati ℥ ii. ß. Adeps & butyrum in vino albo & ſalviæ ſucco eluuntur, argentum vivum dein adjicitur, ac ſedulo miſcetur. Moſchi etiam grana aliquot, ſi fragrans ejus odor ſuavis eſt, induntur.

Aliud in naturis calidis.

℞. Butyri ſalis expertis, olei roſ. adipis hœdi adhuc lactantis, ſingul. ſelibram, argenti vivi uncias tres. Fingito linimentum.

Si pruriginoſum corpus erit, & ſcabrum, ſic comparetur.

℞. Rad. helenii, acetoſæ, oxylapathi, ſingul. ℥ ii. morſus gallinæ, fumariæ, chelidonii, ſingul. M. i. Coquantur in hydromel. Tuſa omnia colo tranſmittantur, dein adde argenti vivi oleo roſ. permiſti ℥ iiii. butyri recentis ℥ viii. adipis capri adhuc lactantis, olei amigdal. dulcium, lotorum in ſucco fumariæ, utriuſque ℥ ii. Fingito unguentum.

Vel ſic:

℞. Axung. ſuillæ ſucco fumariæ elotæ ℔ i. olei roſ. argenti vivi, utriuſque ℥ iii. caphuræ ʒ ß. moſchi grana iiii. fiat linimentum. Si rubrum expetis, adde cinnabaris ℥ ß. In calidis & ſiccis temperaturis qua arte dixi præparata axungia & olea præcalida noxia ſunt. Nam & viſcera atque humores extorrent, & ulcera moleſtiſſima præpropere in ore excitant, haud facile tollenda. Sunt qui mithridatium & theriacam hiſce unguentis immiſceant, ſed alexipharmaca introſumenda eſſe, ut venena vel foras exigant, vel extinguant, ut veterum auctoritas, ſic experientia commodiſſimum eſſe confirmavit. Alii oleum è baccis lauri, aut è ſpica, aut petroleum immiſcent, atque in omnibus naturis citra delectum temerario conſilio uſurpant. Sic enim illata viſceribus noxa, ſitim inexhauſtam, febrem, aliaque ſymptomata in calidis temperaturis ante optatum curationis fructum excitant.

Alia curationis ratio per guajacinum decoctum, amuletum & cerata aut emplaſtra.

Vicem unguenti ſupplere poſſunt emplaſtra ex hydrargyro. ideoque tenuioris fortunæ homines & mancipia, quibus nec domi ſe continere, nec cariori medicina uti conceditur, tenui & ſiccante victu, guajacino decocto & emplaſtro luem facile profligabunt, hac methodo.

Purgato corpore guajacino decocto ſe committant, minime intermiſſo ſolito labore, eoque ad ſatietatem utantur, cum in epulis tum extra has, quum ſitis premet. Sed cibo modico eoque aſſo, potius quam elixo, veſcantur cum juſto panis modulo. Exactis dieb. viginti emplaſtrum Vigonii cum mercurio tibiis ac brachiis, nonnunquam & ſcapulis imponunt noctu pariter atque interdiu geſtandum, donec profligata ſint omnia morbi ſymptomata. Octavo autem quoque die immutandum emplaſtrum, & quum imponitur unguento ex argento vivo illinendum. Continuanda remedia iſta ſunt una cum decocto guajacino, opiata & tenui victu, dum ne ullum quidem venerei morbi veſtigium ſuperſit, repetita quaque hebdomade idonea catharſi. Emplaſtrum Ioannis Vigonii ſi diſplicet, uſurpetur, quod ſic habet:

℞. Adipis ſuilli fibris purgati & loti in ſucco ſalviæ ℥ viii. argenti vivi præparati ℥ iiii. pul. roſ. rub. & foliorum ſalviæ, croci, ſingul. ʒ i. gummi pini ℥ iii. gummi elephi ℥ i. ß. caphuræ ʒ i. moſchi grana iiii. ceræ q. ſ. fiat emplaſtrum quod uſus tempore unguento ex argento vivo ſuperillinatur.

Eſt & alia curandi ratio admodum tuta, quæ fit per decoctum guajaci & opiatam una cum hydrargyro ſemel aut bis in hebdomade introſumpto: quam (ne empirici abutantur) hoc loco tradere non decrevi. Fit & ſolo hydrargyro intro ſumpto, & aqua mercuriali extrinſecus adhibita: ſed non raro ſic curatis morbus revertitur, niſi alexiterio & decocto guajacino ejus radicem intus deliteſcentem funditus extirpent.

Jam vero ſi forte qua methodo dixi, ad luis curationem adhibitum argentum vivum, præter opinionem ſputationem acceſſit, ſi ea tanta eſt, ut ſomnum intercipiat, ut vires atterat, inchoata curatio intermittenda, donec quod ſatis erit, emanarit. Neque enim ſtatim initio cohibenda, ne pituitæ illabentis copia ſubſiſtens, naturam opprimat ac ſuffocet: ſed ore patulo fluere ſinendum quicquid hydrargyrus liquefecerit. Cibos ſolidiores ſi aſſumere nequit, ovum ſorbile, aut jura, aut expreſſa è carnibus, hordeatum, gelatina, aliaque ejus generis ſufficientur, quæ & lenire oris & faucium aſperitatem, & facile deglutiri poſſint. Potus ſit guajaci aut ſarſeparillæ decoctum, aut ſi vires nimium languent, vinum valde dilutum. Inter dormiendum os perpetuo hiare neceſſe eſt, eo enim clauſo pituita in ventriculo ſubſiſtens, aut faucibus hærens defectionis, aut etiam ſtrangulationis periculum affert. In id glycyrrhizæ baculum ore contineant, vel aliud quidpiam quod pituitæ viam liberam ſervet,

ſervet, eamque proliciat. Quum humoris acrimonia fauces & os totum exaſperet, nonnunquam & exulceret, os ſæpe colluant neceſſe eſt, vel hordei decocto, melle roſato dulcorato, vel hordeato aqua multa diluto, vel lacte tepido, quum præſertim ardor gingivas male habebit. Si ulcera etiam inerunt, ubi quod ſatis eſſe videbitur, emanarit, aluminoſa aqua bis terve quoque die è rudicula adhibenda, dum perſaneſcant. Alvus denique ſi durior erit, alternis diebus clyſtere molienda, donec ſuppreſſa pituitoſa ſputatione, cathartico locus ſit. Conquieſcente ſputatione, purgato corpore, recreatis aliquantum viribus, repetendum guajaci decoctum una cum opiata, donec res in tuto eſſe videatur, neque committendum ut deliteſcente intus veneni fermento, morbus aliquando repullulet atque revireſcat, maximo medici dedecore atque ægri damno. Sin levis duntaxat excreatio argenti vivi uſu proritata eſt, curatio continuanda, excepto litu, qui octavo quoque die duntaxat repetitur. Verumtamen quoniam quæ per guajacum & amuletum deſcripta eſt curatio, brevior, tutior, ac facilior exiſtit, quæ vero per argentum vivum longior, periculoſior & difficilior, conſultius ſemper fuerit ſi per ægri facultates licuerit, illo potius quam hoc modo curari. Securior autem eſt, tum quia neminem unquam occidit, quamlibet tenuem victus rationem obſervet, tum quia non tantum ſymptomata cohibet relicta intus mali radice, ut quæ per argentum vivum fit, ſed illorum etiam cauſam atque ipſius mali fermentũ funditus delet & extinguit recurſione prorſus liberans. Aut ſi quid aliquando ab ea præponere omiſſa recrudeſcat, id & ante duos treſve menſes contingit, & repetita curatione intermiſſa facile deletur. Quo fit, ut æger ante paucos menſes ſecurus atque prorſus expeditus certo dici poſſit. Adde pueris, ſenibus atque prægnantibus tutiſſimum eſſe, ſi quis remedia illorum naturæ & habitui prudenter accommodet, quum ea, quæ per hydrargyrum fit, languidum in ſenſibus calorem extinguat, & laxum ac mollem puerorum habitum ita colliquet atque diſſolvat, ut utriuſque mortem accerſat. Facilior vero eſt, quod nullo gravi dolore, aliove crudeli ſymptomate hominem excarnificet, ut quæ per argentum vivum tentatur, quodque nec appetentiam proſternat, niſi forte primis diebus, neque ſomnum intercipiat, neque aliam ullam moleſtiam pariat, præterquam ſudoris promovendi: quum alia ſi non occidit, vires ſaltem exolvat, & fauces atque etiam interdum os totum, turpiter exulceret maximo fœtore: & dentes denigret atque corrumpat, & pleriſque ſurditatem accerſat, aliis tinnitum immedicabilem, omnibus cerebrum debilitet, & multis dolores articulares in omnem vitam concitet, omnibus ſomnum intercipiat, & appetentiam omnino dejiciat.

Nam quod objiciunt aliptæ, tenues duntaxat humores hac curatione in ſudores digeri atque diſſolvi, craſſa & lenta pituita, quæ propria eſt morbi materia, intus relicta, falſum plane & commentitium eſt. Vt enim tenues & ſeroſi humores ſudoribus digeruntur: ſic craſſi & lenti decocto attenuati, purgatione ſæpe repetita exturbantur in alvum atque dejiciuntur. Neque vero craſſum lentumque mucum quem ſputatione vacuat hydrargyrus, ſemper in corpore reperit. Quomodo enim eo exquiſite ſano, cui tamen affrictus ſputationem movet, tanta mucoſæ pituitæ inſit copia? Sed ſolidas partes colliquat, ut ex iis proprium ſibique familiarem humorem proliciat. Denique quod celerius argentum vivum reſtituere prædicant, quam guajacinum decoctum & alexipharmacum, id ut falſum eſt, ſic quotidianis eventis plane redarguitur, niſi forte malo fucum adhibere, non radicitus ipſum tollere, ſanationem appellent. Sufficit quidem brevius ad inunguendum, quam ad ſanandum per guajacum & amuletum tempus, ſed Deus bone! ab inunctione tanquam ab urbe egredienti, quam longa conficienda ac pertranſeunda ſunt ſuburbia? nemo credat, niſi qui vel in aliis multis viderit, vel ſit ipſe perpeſſus.

Sed age recens contracta lues, per hydrargyrum curanda proponatur. Ante hydrargyroſim præparatio quædam neceſſaria eſt. In id dies minimum ſex inſumuntur, interdum duodecim aut quindecim. Nam initio prima corporis regio repurganda eſt: deinde ſi plenitudo ineſt, ſecta vena ſanguis detrahendus. Poſtremo ſi qua impuritas ſupererit, purgatio per apozema aliquot diluculis repetenda. Sin minus unicum medicamentum ſatis erit. Ab iis decoctum guajacinum ad ſex minimum dies imperatur: quod latens vitium ſuſcitet, & humores attenuet. Purgatio denique repetitur, quæ circum viſcera collectum excrementum guajacino decocto dimotum extrahat. Hinc opus aggredi licet. Primo igitur die corpus ad ignem inungitur ac confricatur, idque quinque ſexve diluculis alias continuatis, alias interjectis repetitur, dum videlicet ſputum ſolito copioſius profluat, & in gingivis ulcuſcula negotium faceſſant. Hic enim finis inunctionis ſtatuitur.

Sputatio ſi recte procedit, ad quindecim minimum dies, interdum & ad viginti aut triginta excurrit duratque. Ea vero ſuppreſſa corpus denuo repurgandum eſt, tandemque reficiendus æger, dum vires receperit: quod non ante viginti dies contingere ſolet, quibuſdam vix menſe integro. Hæc luis incipientis curatio, quæ breviſſima eſſe ſolet, dies minimum quadraginta requirit, interdum ſexaginta, nonnunquam ſeptuaginta. Quum inveterata lues, doloribus ac nodoſis tumoribus jam moleſta, plerumque vix menſibus quatuor, interdum ne anno quidem integro profligetur. Vidi qui duos annos ſæpius hydrargyroſim experti, nihil aut parum opis ſenſerunt. Hoc etiam diſcriminis intereſt, quod multi per hydrargyrum reſtitui non poſſunt, quamlibet diligenter ac ſagaciter omnia tententur. At guajaco & noſtro alexipharmaco nullus unquam videbitur uti (ſi exercitatus præfuerit medicus, & æger ipſius monitis obſequatur) qui præſentiſſimum auxilium non percipiat, & tandem non liberetur. Certa igitur & tuta eſt, quæ per alexipharmacum: incerta fere & fallax, nonnunquam & maxime periculoſa, quæ per hydrargyrum tentari ſolet luis curatio, niſi forte, velut præcepi, hydrargyro guajacinum decoctum & amuletum adjungas. Sed de his plus ſatis. *Julius Palmarius tractat. de morbis contagioſis.*

Primum

Primum id attingere volo, me haud paucos conveniſſe, qui ſive præ ſtudio, honeſto quidem eo, incontinentiores à peccato coercendi metu inſecuturæ pœnæ, ſive ut Caſtimoniæ laudem ſibi arrogarent, non dubitabant aſſerere Luis Venereæ curationem docendam non eſſe. His ego non aſſentior; utpote qui exiſtimem nullum ferè locum Charitati atque operæ mutuæ relictum iri, niſi ea quæ ſibi ſuâ ipſorum culpâ improvidi accerſunt mala, humaniorum officiis ſarciantur. Omnipotentis Dei eſt ſontes caſtigare, noſtrum verò miſeris pro virili ſuccurrere, atque ægris opem ferre; non autem curioſâ cauſarum indagatione illos acrius urgere, aut cenſorio vexare faſtu. Tradam itaque quæ in hoc morbo obſervavi atque expertus ſum; non quò hominum animos deteriores efficiam, ſed ut corpora (quod mihi negotii datum eſt) reddam ſaniora,

Luis venereæ Hiſtoria) Lues Venerea ex India primùm Occidentali An. Dom. *1493.* Europam appulit; cùm ante id tempus ne quidem nomine tenus, quantum ſcire licet, noſtro orbi innotuerit: Vnde etiam Morbus vulgò cenſetur iis tractibus Americæ Endemius in quos nos primi Colonias deduximus. Mihi verò potiùs è regione aliquâ Nigritarum Guineæ conterminorum originem traxiſſe videtur; cùm à plurimis noſtratium, iiſque fide dignis, qui Inſulas Caribes dictas incolunt, didicerim, mancipia recens à Guineâ allata, etiam antequam in terram deſcenderint, tum alia ibidem degentia hoc morbo tentari, nullâ copulâ impurâ prægreſſâ; ita ut non rarò univerſam aliquam eorum familiam, viros ſcilicet, mulieres, liberoſque malè mulctet. Neque iſta Lues quæ afflictiſſimos hoſce ſæpè ſæpius invadit vel hilum à Venereâ nobis dictâ, quantum ego quidem intelligo, quoad ſymptomata, Dolores ſcilicet, Vlcera, &c. habita nempe diverſorum Climatum ratione, videtur diſcrepare, licet nomine prorſus abludat, cùm *The Yaws* ab illis dicatur. At nec medendi methodus quâ utuntur illi, à noſtra abhorret, utrobique enim Salivatio ex Hydrargyro utramque facit paginam: non obſtante eo quod hic apud nos dicitur de eximiâ Guajaci & Sarſaparillæ vi quam in natali ſolo exerant, quæ ex longo ad nos itinere tantùm non exhauſta putatur. Probabile itaque mihi videtur Hiſpanos qui in Europam primi hunc morbum traduxere, eodem infectos fuiſſe ex contagio Nigrorum emptorum in Africa, quorum genti alicui (multi enim ſunt populi Guineæ confines apud quos invaluit mos ille barbarus homines Europæis mercibus permutandi) Endemius eſſe poteſt. Vt ut ſit, contagioſa iſta Lues paulatim ſerpens, has orbis terrarum partes eò uſque inquinavit, ut ſi eâ celeritate graſſaretur adhuc quâ primùm invaſit, intra ſæcula aliquot actum eſſet de genere humano, vel ſaltem Noſocomiis de cætero addictum, prorſus impar eſſet iis rebus gerendis quibus continetur hominum ſocietas: niſi quòd, Vegetabilium inſtar, in alienum à patrio ſolum quaſi tranſplantata, Europæo noſtro non perinde lætatur, ſed languet indies, & mitioribus Phænomenis fatiſcit. Novus apud nos hoſpes cùm eſſet, ſi quem arripuerat, mox omnem ſanguinis maſſam contaminabat, & diris capitis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus ſe prodebat. At verò Centum retrò annis Gonorrhææ Virulentæ ſpecie ſe primùm oſtendebat, oſtenditque adhuc, hac ſibi portâ exitum quærens; nullo alio manifeſto ſymptomate, niſi quòd in perpaucis ulcuſculum in pudendo (vulgò à Shanker) primum morbi eſt indicium; cujus virus cùm per Gonorrhæam non ejiciatur, ſanguinis maſſam dicto citius pervadit inficitque.

Propagatur autem Venerea hæc Lues vel per generationem, undè miſellus Infans ab inquinato parentum altero mala ducit ſtamina vitæ; vel per contactum mollioris alicujus partis, quo virulentia atque inflammatio corpori inſinuantur ex occaſionibus hoc in loco dicendis. Primò in lactatione v. gr. vel Infans Nutricem per rariores mamillarum poros, vel Nutrix Infantem per os tenerum inficere poteſt. Secundò Infantes ſi nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant. Licèt enim Adulti, quorum caro jam firmior ætate obduruit, vix niſi intercedente impuro coitu, quamvis ſimul dormiant, poſſint infici, Infantium tamen laxior caro & texturæ rarioris venenum facilè excipit, quod non ſemel obſervavi Infantibus à genitoribus, quibuſcum dormiebant, infectis contigiſſe. Tertiò autem, partis mollioris contactus maximè in Coitu impuro fit, ac proinde eo præ cæteris modo ſerpit Lues: cùm ſcilicet penis ſpiritibus Generationi dicatis turgidus, à Venereo ſive ulcere, ſive etiam puſtulâ in uteri vagina ſtabulante noxam de facili haurit; quorum alterutro intus latente Mulier nihilominus ſana videri poteſt; veneno nempe vel iſtarum partium illuvie ita detento ut ſegnius invadat ſanguinem, vel per menſtruas purgationes diluto ſæpius, & quadantenus exterminato. Contagio hæc carnoſam virgæ ſubſtantiam, quantum ego judico, primum adoritur, quam quidem corrumpens, eidemque primò inflammationem, mox ulceroſam διάθεσιν ſenſim inducens, efficit ut ſanies, qualem in Gonorrhæâ cernimus, in urethram lentè extillet: quod ut credam hac ratione permoveor; ipſe ſcilicet vidi virulentam hujuſmodi materiam per ſubſtantiam glandis poroſam exudare, non per urethram ejectam, nulloque ulcere vel glandem occupante, vel præputium. Tandem verò altiùs penetrans, glandulas Proſtatas efferato ulcere ſolet depaſcere; quod haud rarò cernitur in eorum cadaveribus quos hic morbus è medio ſuſtulit.

Gradibus mox dicendis procedit hic morbus. Æger, (ocyùs aut ſeriùs, prout mulier quacum conſuevit magis minuſve fuerit inquinata, pro ratione etiam temperaturæ μιάσματος excipiendo magis minuſve idoneæ) primùm dolore genitalium inſolito cruciatur cum quadam rotatione quaſi teſticulorum; poſteà, ſi recutitus non ſit, macula primò Morbillum jam erumpentem magnitudine & colore æmulans glandis partem aliquam invadit. Statim

ab hujus maculæ exortu, liquor quidam lentè extillat, ſeminis inſtar, qui quotidie à ſeminis tam colore, quam conſiſtentiâ recedens, flaveſcit tandem aliquanto dilutiùs ovi vitello; & in Lue Virulentiore intenſioreque non modò vireſcit, ſed & aqueo humori permiſcetur ſanguine affatim tincto. Puſtula jam dicta ulcus tandem fit, primò haud abſimile Apthis Infantium ora obſidentibus, quod indies latiùs & profundiùs depaſcitur, ſupervenientibus orificii callo & duritie. Animadvertendum eſt autem quòd memorata puſtula rarò Gonorrhæam comitem habet in iis qui aut jam pridem Gonorrhæâ laborarunt, aut recutiti ſunt; utpote quorum Glans tum ab aere cui expoſita eſt, tum à frequenti linteorum attritu indureſcens, noxam non ita facilè ſuſcipit. Hujuſmodi verpi igitur glandis ulcere ferè non tentantur, ſola Gonorrhæa dicto modo naſcitur atque augetur. Hanc alia mox ſymptomata excipiunt, ut primò magnus doloris ſenſus in pene quoties erigitur, perinde ac ſi validâ manu tranſverſus fortiter conſtringeretur, qui noctu præcipuè urget; quoties in lecto æger cœpit incaleſcere: quam quidem conſtrictionem penis dolorificam morbi hujus in hoc ſtatu exiſtentis ſignum παθογνωμονικώτατον exiſtimo. Incurvatur etiam veretrum à fræno jam contractiore, quod cùm in erectione extenditur pro natura ſua, acutiſſimum dolorem adfert. Accedit etiam ardor urinæ, qui plerumque inter mingendum vix percipitur, at vero æger jam à mictu ceſſans per omnem urethræ ductum acriter admodum uritur, maximé quà in glandem deſinit. Nonnunquam etiam eroſâ atque excoriatâ urethrâ jugi puris acrioris fluxu, natura in carne novâ vice jam deperditæ juſto occupatior laxam quandam & ſpongioſam ſubſtituit, quæ mole quotidie aucta & ſenſim indurata, Caruncularum excreſcentiis ita meatum urinarium infercit, ut tandem lotio non detur exitus; quæ quidem carunculæ nihilominus ex ulceribus ſibi adnatis ichorem quendam evomunt, & tum Medico crucem figunt inter curandum, tum ægro magis ipſa morte timendum malum. Quinimò ſæpe accidit ut ſanies quæ per Gonorrhæam deplenda erat, vel à motu violentiori, vel Aſtringentium uſu in ſcrotum depoſita, atrociſſimum dolorem & Scroti inflammationem accerſat, nunc alterutro, nunc utroque ejus latere in molem ingentem elato; Gonorrhæa interim progreditur tardiùs, at verò urinæ ardor non mitiùs urget. Atque hæc ſunt communiora morbi hujus ſymptomata, manente hoc ejus ſtatu.

At verò quoties ſive Morbi diuturnitate & in dictis partibus morâ contagio ſurſum fertur & ſenſim ſanguini labem imprimit, aut materiâ virulentiâ indebito Adſtringentium uſu in corpore retentâ humores putreſcunt, vera Lues exoritur, in quâ Tumores ſive Bubones ſæpe in inguine comparentes primum ejus gradum conſtituunt. Dolores tum caput, tum artus in articulorum interſtitiis, humeros ſcilicet, brachia, & talos crudeliter laniant, nullo ordine invadentes, & per intervalla, licèt noctu ægrum lectuli calore perfuſum rariſſimè deſtituant, nec niſi ſub auroram libenter evaneſcant. Cruſtulæ etiam & porrigines varias corporis partes deturpant. Flaveſcunt hæ fermè ad inſtar favi, quo ſigno à cæteris omnibus queant internoſci. Quandoque ſuperficie latiore varia occupant corporis ſpatia ad eum modum quo Lepra in Medicorum ſcriptis depingitur. Quanto autem magis ſcabies hæc diffunditur, tanto minùs æger diſcruciatur. Univerſa ſymptomata pedetentim incrudeſcunt, dolor præ reliquis, qui tandem eò uſque exacerbatur ut ſe nequeat miſer diutiùs in lecto continere, ſed protinus exiliens, huc illuc in cubiculo curſitet irrequietus fermè donec illuceſcat. Adde quod præ doloris vehementiâ Cranium atque oſſa tibiarum brachiorumque hinc inde attolluntur in perdura tubera, Exoſtoſes dicta, excreſcentiæ oſſeæ in equorum tibiis (vulgò à Spavin) haud abſimilia: quæ quidem oſſa tuberculis obſeſſa jugi dolore ac inflammatione tandem carioſa redduntur & putreſcunt. Ulcera etiam Phagedænica varias corporis partes depopulantur, quæ fauces ut plurimùm primò aggredientia, ſenſim per palatum in naſi cartilaginem propagantur, quam mox abſumunt, ita ut is jam fulcro deſtitutus planè concidat. Creſcentibus indies ulceribus & dolore aucto, æger partim indeſinenti carnificinâ enectus, partim ulceribus confectus & putredine vitam trahit cruciatu, fœtore, carie, opprobrio moleſtiſſimam, & quavis morte longo intervallo miſeriorem, donec tandem, pereuntibus per vices membris, lacerum cadaver, & jam ſuperis grave, humo condatur.

Intrinſecam hujus morbi naturam, Eſſentialem quam vocant, niſi quatenus ea ex iſtis quæ jam depinximus ſymptomatis eluceſcit, non mihi magis perſpectam eſſe arbitror, quàm eſt Eſſentia ſive Plantæ cujuslibet, ſive Animalis: Quicquid verò de eâ ſit, certò mihi conſtat humorem hunc committentem inflammationis haud mediocris participem eſſe, undè hæc tot malorum Ilias: conſtat etiam dictum humorem evacuandum eſſe, idque iis mediis quorum efficaciæ Experientia, Medicorum Magiſtra, ſuffragatur. Cùm nondum inveniatur immediatum aliquod Specificum cujus ope ſine evacuatione prægreſſâ Lues debellari queat. Neque enim vel Mercurius, vel Ligna Exſiccantia dicta, Specificorum titulo ſunt donanda, niſi exemplis in medium allatis probare quis poſſit, vel Mercurium abſque Salivatione, vel Lignorum Decoctum nullo ſubſequente ſudore Luis Venereæ curationem quandoque abſolviſſe. Vtque experientiâ didici ſudorifica vulgaria haud minùs profeciſſe in hoc morbo quàm Lignorum decoctum, ita nullus dubito quin ſi reperiri poſſit aliud quid, ſive in Regno Vegetabili, ſive Animali, quod in excitandâ ſalivatione pareſcum Mercurio vires haberet, pariter etiam ad ſanandam Luem valeret. Quandoquidem autem hic morbus adhuc intra Gonorrhææ limites ſubſiſtens, longè ab eodem diſtat cùm jam omnem ſanguinis maſſam contaminaverit, & Venereæ Luis nomen præcisè mereatur, ita etiam Evacuatio quâ Gonorrhææ materia ejicitur, alia prorſus eſt atque illa, quâ Lues jam formata eliminanda eſt.

Gonor-

Gonorrhææ virulentæ Curatio.] Gonorrhæam itaque quod attinet, de qua primò agemus; in remediis Catharticis, quantum huc uſque uſu comperimus, Curationis omnis cardo vertitur; quorum auxilio vel educitur humor peccans, vel procuratur diverſio ſuccorum corporis naturalium qui aliter hoſti in pabulum cederent. Quamvis autem tum ratio, tum experientia mihi dictant hunc morbum à quolibet demum Cathartico ſæpe diuque exhibito ſanatum iri, ea tamen cæteris δραςικώτερα mihi videntur quæ bilem, maximè vero quæ ichorem ſeroſum fortiter è ſanguine expurgant & ſubducunt. Ac proinde ſola Jalapii radice pauperibus aliquoties ſubveni, quorum tenuitati & rebus domi anguſtis conſulendum erat. Cum vero & morbus conſpicuam ſecum trahat inflammationem, & medicamenta purgantia quibus expugnandus is eſt, calida etiam ſint, Diæta refrigerans omnino eſt imperanda à carceribus, quod dicitur, ad metas. Sic itaque ſoleo præſcribere.

♃. Maſſ. Pilul. cochiar. maj. ℥iij. Extract. Rudii ℨi. reſin. Jalap. diagryd. an. ℨß. cum ſ. q. Opobalſami f. Pil. è ſingulis Drach. vi. Quatuor ex his ſingulis auroris deglutiendæ ſunt horâ quartâ vel quintâ (ita ut æger ſuperdormiat) ad dies 12. vel 14. vel etiam plures, donec ſcil. urinæ ardor & materiæ ſeminiformis color flavus admodum imminuantur; quæ cùm pro voto ſucceſſerint, ſatis eſſe autumo, ſi æger interjecto ſemper die uno, eaſdem repetat ad ſeptimanas adhuc duas: quo tempore elapſo, ſufficit ut bis in ſeptimana ſumantur Pilulæ, donec humor ex urethrâ ſtillare ſolitus prorſus evaneſcat, quod ut plurimum non niſi poſt multos dies contingit. Quamvis enim vulgò affirmetur, quod ejuſmodi ichor, qui ardore urinæ & flavo materiæ extillantis colore diſparentibus manè præſertim in ſummitate colis digitis compreſſi ad guttulam unam alteramve cernitur, à debilitate tantum & à laxitate partium ob diutinam viroſi fomitis in eis moram oriatur, miſeri tamen experiuntur magno ſuo malo reliquias has eſſe contagii non penitus deleti; quod licet quadantenus ſubactum, ex leviſſimâ quâque occaſione (à potu ſcilicet nimio, aut exercitio quolibet vehementiori, aut ſimili alia) novas exſcitat tragœdias, Gonorrhææ poſtliminio recrudeſcente, ſi nempe æger catharſeωs moleſtiam defugerit, nondum extirpato radicitus morbo.

Si poſt hujuſmodi purgationem Gonorrhæa nondum cedat, ex uſu erit loco Pilularum, maximè in iis qui difficilius purgantur, potentius aliquod medicamentum ſubinde intercalare, cujuſmodi eſt Potio ſequens, quæ ſemel tantum hauſta magis aliquando fecit ad ſiſtendam Gonorrhæam, quàm leniora Cathartica ſæpenumero ingeſta.

♃. Tamarind. ℥ß. fol. ſen. ℨii. Rhei ℨiß. Coq. ſ. q. aq. colat. ℥iii. diſſolv. mannæ, ſyr. roſ. ſolut. an. ℨi. ſyr. de ſpinâ cervin & Electuar. è ſucco roſar. an. ℨii. m. f. potio. Vel detur Turbith minerale ad gr. VIII. tantum bis vel ter, (idque interpoſito debito temporis ſpatio, ne forte oboriatur Ptyalyſmus) quod quidem remedium in eradicandâ Gonorrhæâ pervicaciori facilè primas fert. Vel bis in ſeptimanâ pil. ſequentes exhiberi poterint.

♃. Pilular. ex duobus ℨß. Mercur. dulcis ℈i. cum ſ. q. opobalſami f. pilulæ 4. ſumendæ ſummo mane.

Eſt autem ubi æger à Catharſi dicto modo repetita uſque adeo abhorret, ut ne conſpectum quidem, vel odorem ſolum remediorum ferre queat; eſt etiam ubi corpus ex ἰδιοσυγκρασίᾳ quadam ita pertinaciter purgantibus refragatur, ut debita peccantis humoris quantitas nequeat educi, atque ita dum impenſius in hoc laboratur nullo cum fructu, Lues tandem obrepit, quæ eos ſæpiſſimè ægros adoritur, quorum corpora catharticis fortius obſiſtunt; cùm ita ſe res habeat, Enematis agendum eſt, quibus injectis utrique indicationi, humoris ſcilicet tum expurgandi, tum ab affecta parte derivandi ſatis fieri poteſt. Quinetiam hæc Methodus expeditior eſt nonnunquam præmemorata iſta, at non æque tuta, me judice; cum prior illa licet diuturnitate moleſtior, minus tamen habeat periculi ne qua contagioſi fomitis particula in viſceribus hæreat novos datura tumultus; Hoc verò incommodum faciliimè evitatur, ſi Cathartica per os aſſumpta diebus ab uſu Clyſterum liberis, mutuam iis operam commodent.

Hac itaque via incedo, Pilulas jam prædictas, aut alias ejuſmodi duabus tribuſve auroris continuis exhibendas curo; poſtea Enema ſequens manè, & hora quinta pomeridiana quotidie injiciendum, donec penitus ceſſaverint ſymptomata; niſi quod ſemel aut bis in hebdomade Catharticum impero, miſſo die iſto Clyſtere.

♃. Electuar. è ſucco Roſar. ℥vi. Terebinth. Venet. vitello ovi ſolut. ℥ß diſſolvantur in aq. Hordei ℔i. Colaturæ adde Syr. Violac. ℥ii. m. f. Enema: Singulis etiam noctibus Opobalſami vel Balſami è Mecha gut. xxv. ſacchari fruſtulo exceptas concedo, ſub lecti ingreſſu; quod quidem medicamentum, cùm Terebinthinæ quoddam genus ſit liquidum ac purum, iiſdem quibus illa facultatibus pollet, & ulceroſæ genitalium diatheſi apprimè ſuccurrit; hujus itaque defectu Terebinthina è Cypria ad quantitatem avellanæ dictis temporibus devoranda ſubſtitui poſſit.

Procedente Curatione, quâcunque ea demum methodo tentetur, ægro cibis omnibus ſale conditis, vel alias dyſpeptis (quales ſunt carnes Bovinæ, Porcinæ, Piſces, Caſeus, Radices, Olera) & fructibus horariis quibuſcunque interdico; quibus ſubſtituo carnem Vervecinam, Vitulinam, Pullorum; Cuniculorum, & cætera εὔπεπτα. Volo etiam ut vel his parciſſimè utatur, tantum ut ægri vires non labaſcant. Potus, vino in genere abdicato, ut & liquore omni ſive ſpirituoſo, ſive aceſcente, Hydrogala eſto, ex tribus aquæ coctæ partibus & lactis una; niſi quod in prandio & cœna Cereviſia tenuis in parva quantitate poſſit indulgeri. Ad contemperandam inſuper inflammationem, & mitigandum ardorem urinæ, refrigerantem aliquam emulſionem ad ſequentis normam compono, in Purgationum interſtitio frequenter potandam.

♃. Sem. Melon. Pepon. an. ℥ß. ſem. papav. albi ℨii. Amygdal. dulc. excorticat. num VIII. contund. ſimul in mortario marmoreo, ſenſim affundendo aq. Hord. ℔iß. Colaturæ

adde ſacchari Cryſtallini q. ſ. m. f. ſ. a. Emulſio.

In temperamento admodum ſanguineo, & affectu pertinaciore, poſt menſem catharſi datum, aut circiter, ut plurimum ſanguinis uncias octo vel novem è brachio dextro detrahendas ſuadeo; ut maturius celebretur venæ ſectio author non ſum, ne hac προφάσει contagium penitius inſeratur. Injectiones in urethram non magni facio, utpote quæ ſive acrimonia ſua mordaci, ſive ſtipticitate non raro magis officere ſoleant, quàm prodeſſe: verumtamen ſub morbi exitu Aqua Roſacea in pauca quantitate poteſt injici.

Hâc methodo, quæ mihi ſemper pro voto ceſſit in Gonorrhœâ ſanandâ, meliorem nondum comperi; maximè in iis qui facilè purgantur: In iis enim qui purgantur ægriùs, curatio, licèt nunquam fallax, tamen non niſi poſt longum temporis ſpatium perficitur. In his itaque acuenda ſunt Cathartica, tum etiam repetenda ſæpiùs, atque in eorum uſu diutius eſt perſeverandum, aut Clyſteres modo jam ſignato uſurpandi. Etenim Catharſis hic ad inſtar omnium eſt. Atque in hoc affectu, ſi in alio quopiam, verè aſſeritur, quòd qui mundificat bene, bene ſanat: modò ab Aquis Mineralibus ſibi temperet, quas certò mihi conſtat morbi reliquias è corpore eliminandas vi aſtringente & plus ſatis ſanativâ arctiùs conſtringere, & quaſi clavo figere trabali; unde quòd ſæpius obſervavi, Scroti tumores enaſcebantur quoties in morbi principio, vel ſtatu, pejoraque adhuc ſymptomata ut Caruncula, &c. ſi quando ſub ejus exitu potarentur. Quod quidem ego fidenter aſſero, quantumlibet ex more hodie recepto Aquæ Minerales in dicto caſu haud raro præſcribantur.

Neque ſum neſcius quantum ſe venditent Practicorum nonnulli in hujus ſymptomatis curatione, quâ breviore temporis ſpatio, quâ remediis magni nominis & tituli abſolvendâ; interim obſervatione plus ſatis frequenti certò deprehendi, materiam, quæ eliminanda fuit, aſtringentium vi in corpore detentam maximum ægris dediſſe malum: ex quo perſæpe ſanguinis maſſam de novo ſubiens ipſam demum Luem parit. Nec majore cum fructu, licet periculo minore, decoctum Lignorum exiccantium uſurpatum comperi; quo ſcilicet ſub prætextu Specificorum, tum univerſum ægri corpus, tum præ cæteris affecta pars jam pridem nimis incaleſcentia, ulterius adhuc inflammabantur; nonnunquam etiam Gonorrhæa quæ paulò antè evanuerat, quod me obſervaſſe memini, denuo in conſpectum prodiit.

Animadvertendum eſt autem quòd ſi ægri glans Præputio undiquaque contegatur, atque ejuſdem ora præ inflammatione uſque adeò tumida, dura, ac calloſa reddantur ut nullo modo queat reduci, laterem lavat quiſquis Gonorrhæam remediis purgantibus, fortiſſimis licet, & quotidie ad nauſeam repetitis, aggreditur, niſi eodem tempore id agatur ut pars ita affecta ad ſtatum ſibi naturalem redeat, ſublatis & duritie & tumore, unde Gonorrhææ novus utique fomes ſubminiſtratur. Quod quidem ego admolior Fotu ſequente.

℞. Rad. Althææ, & liliorum an. ℥ i ß. fol. Malv. Verbaſc. Sambuc. & Hyoſcyam. flor. Chamæmel. & Melilot. an. M. i. ſem. lini, & Fœnugræci an. ℥ß. Coq. ſ. q. aq. font. ut f. Fotus parti affectæ admovendus per horæ unius ſpatium bis vel ter in die. Peracta fomentatione partem affectam Oleo è ſemine lini recenter extracto perungendam curo, deinde Emplaſtrum è Mucilaginibus alutæ agninæ inductum labiis præputii tumidis circumponendum. Quòd ſi Ulcus vel in ipſius præputii labiis, vel in ſubjecta glande hærens ſuâ calloſitate facit ut illud non niſi ægrè poſſit retrahi, præter fotum jam dictum ſequens etiam Linimentum præſcribo.

℞. Unguent. Baſilici ℥ vi. Unguent. è Nicotiana ℥ ii. Præcipitat. aq. Roſ. lot. & optimè lævigat. ʒß m. f. Linimentum, quo lintei raſura imbuatur, & ulcuſculo admoveatur ſemper poſt Fotus præſcripti uſum.

Ubi verò ſive quòd juſto maturius Gonorrhæa ſiſtatur, ſive ab exercitio vehementiori, aut alia quacunque de cauſa, Scrotum jam morbi ſedes ab eadem in tumorem inſigniorem attollitur, prædictum Fotum bis in die parti affectæ admoveo, modò non imminuantur & dolor & tumor Cataplaſmate vulgò noto ex Oxycrato & farina Fabarum. Hæc dum foras peraguntur, non deſino remediis & Catharticis, & Refrigerantibus introſumptis, tum etiam Diæta ſupradicta hoſtem urgere; neque mihi religio eſt quovis morbi tempore ſanguinis ℥ ix. vel x. è brachio iſto detrahere quod teſticulo tumefacto reſpondet, ſi tumoris magnitudo & vehementia doloris id mihi ſuadeant. Atque hæc hactenus de Gonorrhæa.

Luis confirmatæ Curatio.) Cum verò eouſque invaluerit morbus, ut jam Venerea Lues, vel lue confirmata præciſè dici mereatur, alia omnino porta quærenda eſt, & duriori huic nodo cuneus itidem durior eſt adhibendus: quandoquidem nullum adhuc experimentum, quod ſciam, adferri poſſit extirpati hujuſce morbi, niſi per Salivationem ab Hydrargyro excitatam: quicquid tam doctorum nonnulli, quàm indoctorum de aliis ſanandi modis ſatis temerè & audacter effutiverint. Cùm itaque Salivatio omnem hic numerum abſolvat, id tantum mihi incumbit ut quæ in ea tum excitanda, tum etiam regenda, & ratio (qualis qualis eadem um fuerit) & obſervatio rationi ſuffragata mihi dictaverint, ediſſeram.

In principio autem ne conjectura quidem aſſequi poſſum quid ſibi velint crebra iſta monita quibus de corpore remediis Catharticis, & Digerentibus, Balneo putà & cæteris id genus, ritè præparando, ita ſerio cavetur: Ut de Venæ ſectione jam taceam, cui nonnulli hic loci primas deferunt. Quum enim ſi veritati ſit litandum, eò res redigatur ut Veneno Salivatio procuranda ſit (neque enim adhuc innoteſcit ſalubre aliquod medicamentum quo poſſit excitari, neque æger ſine ejus ope in tuto collocari poteſt) quæritur utrum corpori conſtantibus adhuc viribus vegeto & valenti, ac proinde frangendis inimici conatibus haud impari; an eidem miſſione ſanguinis & tenui diæta jam debilitato rectius committatur. Venenum, Haud dubie ſatius eſſe duxerit æquus rerum æſtimator nihil agere, quàm ita importunè ſatagendo nocere

nocere. Quid quod experientia teſtatur, nullis evacuationibus, aut alio modo infirmatos ſalivationis impetum multo melius ſuſtinere, quàm eos quorum quaſi ante prælium inciſi ſunt nervi?

Miſſo itaque damnoſo omni hujuſmodi præludio, ſtatim atque accerſor unguentum præſcribo ex Axungiæ Porcinæ ℥ ii. & Mercurii crudi ℥ i. Neque oleum aliquod è calidioribus, neque aliud quid admiſceo; cum deterius fiat Unguentum, ſi quod adjecta illa frænum injiciant, & nihilo efficacius, ſi nihil prorſus agant: Et fortaſſe additamenta ejuſmodi ſub nomine Correctivorum, idem hic præſtant, ſi quid tamen præſtant, quod Catharticis adjuncta, judice experientia, ſolent præſtare, tormina nempe excitant, & catharſin reddunt laborioſiorem, à luctâ ſcilicet inter Antidotum & Catharticum, cujus vis omnis purgans in eo poſita eſt quod naturæ hominis inimicetur. Verum ut tertia parte dicti Unguenti brachia, crura, & tibias ad tres noctes continuas (primam quâ accerſor includendo) manibus ſuis æger perungat injungo; ita tamen ut neque axillas, neque inguina attingat uſpiam, & abdomen panno laneo tenuiore circumpoſito & poſterius conſuto a linimenti contactu diligenter muniat, poſt tertiam inunctionem gingivæ ut plurimum intumeſcunt, & ptyaliſmus ſuboritur. Si verò intra tres dies poſt ultimam inunctionem idem haud procedat tum gr. viii. turbith mineralis in conſerv. roſ. rubr. exhibeant, ægro qui poſt ſingulas vomitiones, aut ſedes, ſumat hauſtum liquoris poſſetici calide. Cum exſpuere inceperit, id jam Medico negotii tantum eſt ut gradum ſalivationis ſcrupuloſè expendat, ne invocatis temerè ſuppetiis, ſalivationem eò uſque evehat ut æger de vita periclitetur. Ubi jam Ptyaliſmus ſtatum debitum fuerit adeptus (in quo expuuntur ut plurimùm libræ quatuor ſpatio Nycthemeri) vel ſymptomata, etiamſi parcius expuat æger, evanuerint (quod plerumque contingit poſt quartam diem à ſtatu ſalivationis) & induſium & tori lintea aliis, quæ à quo ultimo lavabantur uſurpata aliquandiu fuere, ſunt permutanda: cum priora iſta unguento infecta ſalivationem & magis quam erat opus intendere, & longius protrahere quàm ægro expediat, apta nata ſunt. Quòd ſi fortè prius elangueſcat ſalivatio quam ſymptomata penitus diſparuerint, extimulanda ſubinde eſt Mercurio dulci ad ℈ i. pro doſi exhibito.

Nonnunquam accidit, præſertim in corporibus δυσμεταβλήτοις, quòd poſt unam vel alteram inunctionem (nempe ſimul ac Hydrargyro ſanguis affici inceperit) natura illico per inteſtina hunc hoſtem expellere ſatagat, unde non ſolum dejectiones mucoſæ & tormina ventris, ut in iis qui dyſenteria laborant, eveniunt, verum etiam curatio morbi impeditur, utpote qui ſalivationi tantummodo cedere ſoleat. In hoc caſu à Mercurio ſive extra applicito, ſive intra aſſumpto, prorſus abſiſtendum, donec hæc Symptomata penitus evanuerint; Atque porro dictus alvi fluxus (qui plerunque afficit antequam ſalivatio bene aſſurgat) ſiſtendus eſt uſu laudani liquidi, ita doſim augendo, atque repetendo, prout urgeat ſymptoma; aut diaſcordii ſeſquidrachma, aliquoties, prout opus fuerit, devorata. Diarrhæa tandem cohibita, ſalivatio debito, modo procedere ſolet, quæ antea vix appareret.

Convaleſcente de cæteris ægro, niſi quod os adhuc exulceretur) quid genuinus eſt ptyaliſmi fructus) ſalivatio quæ jam indies imminuitur, nec purgatione, nec alio modo quocunque ſiſtenda eſt: fieri enim poteſt ut etiam poſt conſopitum dolorem, atque exiccata ulcera aliquid de morbi fomite adhuc in corpore deliteſcat, bella denuo moturum, niſi ſibi permittatur ſputatio illa moderata, quæ poſtquam redintegrata ſanitate homo ſe auræ liberiori aliquandiu expoſuerit, deſitura eſt. Periculoſum itaque eſſe arbitror Ptyaliſmi jam abiturientis & mox evanituri reliquias vel Catharſi deducere, vel Lignorum decocto exiccare velle; à quâ Praxi, quæ vulgò obtinet ſpecie vel Mercurii è corpore eliminandi, vel corrigendæ ejus malignitatis, naſcuntur ſine dubio frequentes iſtæ Recidivæ, quæ miſeris accidunt, ſanitatem tandem aliquando poſt tantum impenſarum, tot exantlatos labores, tantum tædii devoratum anhelantibus; ad quam etiam certo perveniſſent, ſi ſalivatio non niſi ſuo tempore determinaretur. Longius itaque conſultius eſſet, ptyaliſmum promovere Mercurio dulci ſemel in hebdomade exhibito, etiam poſtquam omnino convaluerit & jam ſub dio verſetur, (quod & ego per menſes aliquot fieri aliquando juſſi,) quàm eundem præmaturius inhibere.

Quantumlibet autem à catharſim ſalivationis declinatione ob jam dictas cauſas abhorream fieri tamen poteſt ut in ejuſdem ſtatu ea nec prætermitti poſſit, nec debeat, quoties ſcilicet re malè geſta, eouſque fuerit evecta ſalivatio ut jam ægri vitæ metuatur; quo in caſu non tutum modo eſt, ſed & neceſſarium etiam Cathartico ingeſto ptyaliſmum ad eum gradum deprimere, ut cum ægri ἀφοεία procedat, qui deinde ſuo juri relinquendus.

Si quis jam quærat an nuda Salivatione contenti eſſe debeamus, nec Catharticis, nec aliis remediis ſolennibus in uſum, poſt eam peractam, revocatis; Reſpondeo, præter jam dicta, quibus & ratio aſtipulatur, & experientia, me velle doceri quam ob cauſam magis ſit neceſſarium purgare poſt Salivationem, quàm Salivationem excitare poſt Catharſin, cum remedia purgantia (Scammoniata maximè & id genus acria) malignitatis quidpiam in corpore relinquant, quod naturæ tamen committimus, cujus vi tandem ſubjugatur iſtud quicquid eſt veneni, eo ſcilicet qui purgatus fuit ad regimen conſuetum, exercitium, & liberiorem aeris uſum ſe recipiente. Atque id porro libenter ſcire velim, quâ demum arte freti Mercurii reliquias per Catharſin expellere conamur, cum genuinam illam ac propè unicam methodum (per ſalivationem ſcilicet) quâ natura id efficere ſolet ac debet, non ſolum negligamus, ſed etiam impediamus? Hujuſmodi autem hallucinationes minimis iſtis rationis ſcintillulis imputandæ ſunt, quibus nos miſeri mortales tantum præditi, ad veritatem in profundo demerſam non penetrantes, quamlibet ejus umbram & ſpeciem amplectimur, pro Junone, quod aiunt, captantes nubem; mox colloquia miſcentes,

præjudicia malè fundata ita penitus nobis invicem inſigimus, ut tandem phantaſmata noſtra & delirantium inſomnia pro principiis Apodicticis haberi velimus; cujus ſpecimen, ni fallor, præ manibus nobis eſt.

Quamvis autem in pleriſque Curatio modo jam dicto abſolvatur, viz. Inunctione per tres noctes continuas, & exhibito Turbith Minerali ptyaliſmo haud ritè procedente, Mercurio item dulci ad vices aliquot, eodem juſto citius fatiſcente; ſerio tamen animadvertendum eſt in quibuſdam reperiri idioſyncraſiam ſive temperamentum quoddam peculiare tam ſalivationis reſpectu, quàm purgationis (atque eadem plerumque in iiſdem, ut qui ægrè purgantur, ægrè etiam ad ptyaliſmum perducuntur) ita ut in nonnullis Methodus laudata vix gingivarum exulcerationem queat efficere, multo minus ſalivationem eam procurare quæ malo eradicando par ſit. In hujuſmodi ægris Medico ſummopere cavendum eſt ne animo nimium obſtinato ſalivationem importunius urgeat, recalcitrante naturâ, atque ab iſto evacuationis genere prorſus abhorrente; quod qui minus intellexere ægros haud paucos letho dederunt: Etenim in corporibus ita factis, quotieſcunque medicamenta ſive externa illa fuerint, ſive interna pertinaciter ingeminaveris, loco ſalivationis perfectæ nil præter ventris tormina, & dejectiones dyſentericas obtinebis, natura per hanc portam Hydrargyri virus amoliente; vel dolores ventriculi & ægritudines, ſudores frigidos, horrendaque alia ſymptomata acceſſes, ita ut æger, tantum non agat animam, fortè etiam mox eam evomat. In his licet Medico concedi poſſit, ut poſtquam ad dies quatuor vel quinque à poſtrema inunctione ſalivationem fruſtra præſtolatus fuerit, inunctionem jam ſæpe dictam, & Turbith Minerale denuo repetat (interjectis inter ſingulas inunctionum vices diebus aliquot) religioſe tamen cavere debet, ne cùm tanto conamine ſalivationem incaſſum ſollicitaverit, eam per vim invitæ naturæ extorquere pergat. Hic itaque modus quantum ego judicio valeo, Medico tenendus eſt, ut ubi primum vel ægritudo ventriculi, vel ventris tormina ſuccedant, ſtatim ſibi temperet à remediis adhibendis donec ea penitus evanuerint ſymptomata; pluribus enim & fortioribus remediis ad cogendam φύσεως ἀντιπεριστάσεως ſalivationem accumulatis, Dyſenteria certò citiùs tormina ventris, & ventriculi ægritudinem Mors excipiet. Cùm ex adverſo ſi lente feſtinet, & moras trahat, Mercurii dulcis ℈i. ſemel aut bis in ſeptimana exhibendo, vel per ſe, vel cum ʒi. Diaſcordii, ſi æger in Diarrhœam propenſior ſit, tandem aliquando cum bonis ægri rebus optata potietur arena. Quantumvis enim ptyaliſmus ad plenum nunquam aſſurget, æger tamen copioſius quàm pro more ſolito expuet, & fœtor juſtæ ſalivationis comes neque imminutiorem hanc deſtituet: unde evincitur ſanguinem & humores eam ſive putrefactionem, ſive alterationem, quæcunque ea demum ſit, attigiſſe, quæ vel parit ſalivationem, vel cum ea naſcitur. Atque hac Methodo univerſa hujus morbi ſymptomata tandem expugnabis, conceſſo utique debito temporis ſpatio.

Obſervandum eſt autem, quod licet ſalivatio remedia alia, qualiacunque ea fuerint, in extirpanda Lue confirmata longè exuperet, Gonorrhæam tamen cum Lue concurrentem neutiquam valet ſanare; nec ſiſtetur illa, hac jam penitus devicta: unde rectè colligitur nullam vim ſpecificam Mercurio ineſſe quâ Venerea Lues immediate debellari poſſit: quamlibet Specificum mediatum forte dici mereatur, in quantum mediante ptyaliſmo morbum expellat: pari fermè καθ' ἐξοχὴν (quod aliàs ſubinnui) atque Scalpellum Chirurgicum Laterali morbo Specificum queat appellari. Sed ut ad rem redeam. Quoties Lues & Gonorrhœa unà ſtabulantur, vel ante Salivationem, vel ea jam peracta, Gonorrhææ curatio tentanda eſt; quod & tutius fit, me judice, & faciliùs etiam poſt finitam ſalivationem, cùm Luem habens comitem Gonorrhæa ægrius dometur; quæ vero à prægreſſa ſalivatione quadantenus ſubacta fuit, minori negotio expugnari ſoleat. At vero Catharticis religioſe abſtinendum eſt quouſque vel minimæ ſalivationis reliquiæ ſuperſint; Quamobrem Turbith Minerali ſemel aut bis in hebdomade exhibito ſecurius rem committemus, quàm aliis Purgantibus quibuslibet, cujus vi promovebitur aliquantulum ptyaliſmus, dum interim materia Gonorrhæam committens paulatim excernatur.

Porrò obſervandum eſt, ſi tamen oſſi alicui, *Exoſtoſis* vulgò dictus, inſideat, qui etiam tamdiu permanſerit ut os jam carie afficiatur; incaſſum prorſus erit, ſive ſalivatione, ſive alia aliqua methodo curationem aggredi, niſi etiam huic malo obviam eatur; ac proinde os ope cauſtici denudandum, & quàm primùm idem, quod aiunt, exfoliandum, uſu ſcilic. remediorum quæ intentionem hanc replere ſolent.

Ore exulcerato quod Salivationem paſſis ita familiare, ſi vel æger dolori ferendo par non ſit, vel eo uſque illud excorietur, quod ſæpe fit, ut ſanguine diffluat, nocte dieque vel aqua Roſarum Damaſcenarum vel lacte aquæ permiſto, vel hordei, radic. Althææ, & ſemin. Cydoniorum decocto ſæpiſſime proluendum eſt. Unicum hoc ſymptoma memorabile, quod ſcio, ſalivationi accidit, ſaltem quoties ea more debito adminiſtratur; & ſanè ſi dolor & oris exulceratio arte aliqua protelari potuerint, haud multo eſſet moleſtior morbi hujus curatio, quàm eſt aliorum aliquot longe minus famigeratorum.

Diætam quod ſpectat & reliquum ægri regimen, eadem prorſus in Salivatione, ſaltem donec ad finem jam ferè vergat, ac in Catharſi imperanda cenſeo. Cumque eiqui medicamentum aliquod purgans aſſumpſit, id tantum incumbat ut ſe in cubiculo à vi frigoris defendat, & cibis εὐπέπτοις moderatè veſcatur, nondum mihi conſtat quo nomine vel lecto ſemper addicatur qui Ptyaliſmum ſubit, vel à victu modico arceatur, qui ſcilicet naturæ cum veneno conflictanti vires animumque addat: unde etiam natura tanto oneri ſuccumbente, haud pauci, ſpiritibus atq; omni vitæ robore diaphoreſi, purgationibus, & jejuniis ſupervacuis (præter vulnus ab hydrargyro inflictum) tandem penitus exhauſtis, miſere confecti ſunt: Perſæpe etiam

morbo jam pulſo, æger eâ ſpirituum copiâ quâ erat opus ad redintegrandam ſanitatem deſtitutus, præ imbecillitate concidit: aut ſi fortè Libitinam valeat effugere, tot tantiſque cruciatibus vitam redimit, ut tanti non ſit vivere. De quibus Poëta è Neoreticis haud ineleganter,

Graviora morbis patimur remedia;
Nec vita tanti eſt, vivere ut poſſis, mori.

Hic autem in promptu eſt iſtam objectionem diluere, qui fit ut nonnulli hoc morbo, (ſcilicet in ſtatu ejus modò dicto) male multati in Galliam commigrare cogantur ut ab eo liberentur? Cujus rei hanc eſſe rationem, quantum judicare poſſum, exiſtimo; Hujuſmodi ægris, œconomia illorum corporum everſa ac viribus proſtratis, apud nos aer craſſus ac humidus reſarciendis minus idoneus eſt, cum iſte Galliæ, utpote qui ſalubrior ac magis ſerenus, ſpiritus corporis & vires deperditas inſtaurare aptus ſit: Non quod Practici ibidem degentes, ut ut docti quidem, methodum quâ hic morbus devinci poſſit, melius callent; quàm nos hic in Angliâ. Sed ut ad Diætam revertat.

Exiſtimo itaque (& experientia mecum facit) quod præter juſculum Avenaceum, Panatellam, Lac cereviſiatum, & Cereviſiam tenuem tepefactam, &c. juſcula inſuper è carne Vitulinâ, Pullorum, atque alia ejuſmodi in mediocri quantitate ægro & poſſint concedi, & debeant, atque ut, ubi primum eo uſque ſubſederit gingivarum tumor, ut dentes conſerere valeat, Cuniculorum, Pullorum, Agnorum carnes, atque ejuſmodi teneriores, at parcâ manu, ſint indulgendæ; ut vel in lecto ſe contineat, vel ad ignem ſedeat, prout hoc vel illud magis allubeſcat animo: Cum enim Pryaliſmo expugnetur hic morbus, non Diaphoreſi, hariolando non ſum quorſum æger, nulla urgente neceſſitate, nimio calore mactetur.

Dicta methodus uti expeditior eſt, cum neque tot dies corpori ante ſalivationem præparando inutiliter inſumendos, nec frequentes iſtas purgationes, aut decocta ſolennia poſt ſalivationem, ægris imponat; ita certiſſimus ſum eandem longè faciliorem eſſe, minus itidem periculoſam, & minus recidivæ obnoxiam: quod experimento ſuo diſcet quiſquis in altera praxi verſatus, ad hanc ſe demum conferet. Mihi ſaltem ex animi ſententia ſucceſſit in quamplurimis ægris; quorum nonnulli ſalivationis tædium & laborem plus ſemel irrito conatu exantlaverant, recidivam ſemper denuo paſſi, ex occaſionibus, & propter cauſas quas ſupra memoravimus. Non eſt autem, Vir Candidiſſime, cur tuam fidem verborum ambagibus anxiè ſollicitem, qui jamdudum de probitate mea perſuaſiſſimus, exiſtimationi etiam noſtræ favere dignaris.

Plura de hoc morbo non addo, cùm mihi neutiquam placeat, nec placebit unquam, longis verborum ambagibus & ſermonibus ἀπροσδιονύσοις nucleum involvere, quo rei caput, ſeu Nili fons, ægrius innoteſcat. *Thom. Sydenham in Diſſertatione Epiſtolari de Lue Venerea.*

Curatio morbi Gallici fit per purgantia, diaphoretica & diuretica medicamenta, quæ adverſus hunc acidum, acrem & venenoſum humorum vim habent verè alexipharmacam, ut eum domare & corrigere poſſint. Quare neceſſe eſt, ut ſingulis hebdomadibus ad minimum ſemel ægrotus purgetur per unum ex ſequentibus, ut reliqua medicamenta eorum vim eò meliùs exerere poſſint.

℞. Reſin. ſcammon. jalapp. an. gr. vi. mercur. dulc. gr. xv. pulp. caſſiæ ʒß. M. f. bolus.

Vel ℞. Extracti ellebor. nigr. colocynth. an. ℈i. reſin. ſcamm. gr. viii. mercur. dulc. gr. xiv. conſerv. roſar. ʒii. M. f. bolus.

Vel ℞. Extr. agarici, eſulæ an. ℈i. reſin. turbith. gr. x. mercur. dulc. gr. xv. pulp. prunor. & paſſul. an. ʒii. M. f. bolus.

Pilulæ. ℞. Extr. diacathol. noſtri ʒß. mercur. dulc. ſolar. gr. xvi. olei ſtill. lign. guajaci rectif. gut. ii. M. f. pilul. num. vii.

Vel ℞. Extr. panchymag. Crollii ʒß. mercur. dulc. ſolar. gr. xv. olei ſtill. lign. ſaſſafr. gut. 2. M. f. pilulæ num. viii.

Quando caput & artus vehementibus torquentur doloribus.

℞. Extr. aloëphang. noſtri, ʒß. diacathol. gr. xii. mercur. dulc. gr. xv. laudan. aromat. gr. 3. M. f. pilulæ num. viii. veſperi aſſumendæ.

Hiſce debito modo peractis, æger ad commodum locum, qui calefieri debet, deducendus eſt, & ſequentibus ſudoriferis manè & veſperi tractandus, ut ſemper per duas horas ſudet, & ſingulis vicibus induſia mutentur. Cibus poteſt eſſe juſculum carnis vitulinæ, ovinæ, bubulæ, vel gallinaceæ. Si vobis ad manus eſt arca ſudatoria Angeli Salæ, non opus erit lecto, & eò etiam erit melior.

Sudorifera. ℞. Antim. diaphor. ℈i. ſpir. lign. guajac. ʒß. ſp. C. C. ℈i. decocti chinæ ℥ii. M.

Vel ℞. Flor. antim. diaphor. ℈j. ſp. tartari, lign. guajaci an. ʒß. ſp. ſal. ammon. gut. xii. decoct. lign. guajaci ℥ii. M.

Seu. ℞. Eſſent. lignor. ʒi. tinct. tart. antim. ℈i. bezoartic. ſolar. gr. x. rob. ſambuci ʒii. decoct. lign. ſaſſafr. ℥ii. M.

Vel ℞. Bezoartic. C. C. ʒi. eſſent. lignor. ʒß. decoct. ſarſapar. & chinæ ℥ii. M.

Vel ℞. Bezoartic. C. Rinocerotis ʒi.

Vel ℞. Bezoartici viperini ʒi. Hæc ambo ut priora uſurpari poſſunt.

In India. ℞. Antim. diaphor. ℈i. ſpir. lign. ebeni, ſp. fulig. cinnam. an. ʒß. decocti ſaſſafr. ℥ii. M.

Vel ℞. Specier. diaſol. ʒi. ſpir. lign. ebeni, eſſent. lign. Colubrini an. ʒß. rob. ſambuci Indici ʒii. decoct. radic. chinæ ℥ii. M.

Vel ℞. Specier. dialunæ ʒi. ſal. volat. zerumbeth, & radic. cinnam. ſylveſtr. an. gr. v. ſp. lign. ebeni & fulign. cinnam. an. ʒß. decoct. chinæ ℥ii. M. f. ſudoriferum.

Pulveres. ℞. Bezoartic. ſolar. gr. xv. ſal. C. C. & lign. guajaci an. ℈ß. C. C. philoſoph. præparati ʒß. M. f. pulvis.

Vel ℞. Flor. antim. diaphor. ℈i. ſal. viperini gr. xii. C. C. uſti, oculor. cancri an. ℈i. M. f. pulvis. Qui cum appropriatis vehiculis exhiberi poſſunt.

Si debito modo procedatis, videbitis puſtulas copioſè erumpere, tunc tamdiu continuandum eſt ſudoriferis, donec decidant, cutiſque ſicca & lævis evadat. Cùm huc perveneritis; ſciatis ſanguinem à putrida, fœtida & venenata

ſua qualitate mundatum eſſe.

Si in principio prodiret bubo, tunc initium non eſt cupiendum à purgatione, ſed ſupraſcriptis ſudoriferis; buboque, quàm citò poſſibile eſt, ad maturationem per ſequens redigi debet.

♃. Diachyli magn. ſeu de mucilaginib. ℥i. olei ſtill. ligu. guajaci ʒi. M.

Cùm vero videritis, bubonem non ſat cito, ut oportet, ad maturationem procedere, tunc optimum eſt cauterium potentiale, vel quod melius, actuale ei imponere, quia hoc eſcharam citiùs decidentem efficit; & ita natura in ſuo propoſito citius juvatur. Nam hoc tantùm refert, ut, ſi hoc opus naturæ retardetur, vel recedat, peſſimus morbus Gallicus ſequatur, qui tunc purgatione & ſudatione ſolâ curari nequit, ſed per ſalivationem quæ periculò non vacat. Hoc opus naturæ impeditum etiam ſequuntur nodi Gallici cum dolore intolerabili. Hos emollio, doloremque ſedo uno ex ſequentibus.

♃. Emplaſtr. diachyli cum gumm. ℥ii. olei lign. guajaci ʒ ii. ol. tartar. rectif. ʒ i. M. f. emplaſtrum.

Vel ℞. Ceræ citrin ℥ii. gumm. ammon. ℥i. ol. ſtill. galbani & guajaci an. ʒi. M.

Aliud quod in dolore ſedando eſt potentius.

℞. Emplaſtr. de mucilagin. ℥ii. empl. ſaponis ℥ i. olei ſtill. lign. eben. & fulig. an. ʒi. ſal. urin. ℈ii. opii ʒß. amalgamat. mercur. ʒ ii. M. f. emplaſtr.

Vel ♃. Emplaſtr. diachyl. & ſaponis an. ℥i, olei lign. guajaci, C. C. oſſium human. & tartar. rectific. an. ℈i. amalgam. mercur. ʒi. M. f. emplaſtrum.

Ad dolores artuum hoc linimentum prodeſt.

℞. Axung. human. ℥ iv. olei oſſium human. ℥ß ol. C. C. & tartar. an. ʒi. ſapon. Hiſpan. ℥i. camphor. ʒ ii M. f. linimentum.

Si verò hi dolores præter ſpem eſſent pertinaciores, quod ſignum eſt futuræ oſſis cariei, depaſcentium ulcerum & plurium ejuſmodi ſymptomatum, conſilium dabo, ut in tempore cauterium actuale, vel potentiale eis applicetur profundaque eſchara efficiatur; facta ſeparatione ad ſanum uſque, caro corroſivis exedenda, ac tunc aliquantulum quieſcendum, locuſque carne replendus & ſanandus eſt. Quando verò conſtant, vel in aperturâ appareret, putrefactum eſſe perioſtium, vel os jam eſſe eroſum, tunc non ignorabitis illud ex arte cauterio actuali, vel igneis medicamentis, ut eſt ol. vitr. vel ſulph. abſumere, & debito modo carioſum ad ſanum uſque ſeparare, & ſic porrò ad ſanitatem redigere.

Ad ulcera Gallica, ſive ſint in juncturis, ſive locis abditis, in collo, ore, vel naribus, aquæ mercuriales erunt optimæ, ut eſt aq. gryſea, & aqua calcis mercurialis.

Verrucæ, & aliæ excreſcentiæ Gallicæ, auferendæ ſunt oleo veneris, ſulphur. vitriol. butyro antimon. mercur. ſublim. vel mercurio præcipitato cui alumen uſtum admixtum eſt, & deinde aqua mercuriali curandæ. Alioquin ad omnia hujus generis magna & parva ulcera detergenda & incarnanda, has ſequentes deſcriptiones vobis offeram.

♃. Ungu. baſilic. ℥ i. balſ. ſulph. ʒß. flor. æris ℈ii. M.

Vel ♃. Ungu. digeſtivi ℥i. flor. æris ʒß. M.

Seu. ♃. Ungu. baſilicon. ℥ i. balſam. ſulphur. ʒß. mercur. præcipit. ʒ i. pulv. myrrh. & aloës an. ʒß. M.

Si labia ulcerum ſunt calloſa, exſcindenda illa ſunt, vel corroſivis abſumenda, & deinde loco emplaſtr. commun. diachyl. cum gummi, vel ſtiptic. Paracelſi cum oleo ligni guajaci admixto ſuperimponendum, quod labia in mollitie conſervat, ne rurſus indureſcant. Interim tamen non intermittenda ſunt ſudorifera, quæ ſanguinem mundificant, ne ex parva ſcintilla rurſus magnum fiat incendium.

Hæc eſt mea curatio, quæ mihi apud multos, tam in Europâ, quàm Indiâ feliciter ceſſit. Hancque omnibus veris Medicis & Chirurgis commendo: in qua nihil obſervandum eſt quàm ætas, tempus, gradus morbi, & natura ægrotorum quos tractant.

Inunctionem mercurii non magni æſtimo, neque facilè eadem utar, quamdiu ſine ea ægros ſanare poſſum, ut antea dictum eſt; ad cujus confirmationem has duas ſequentes obſervationes ſubjungam.

Obſ. I. Cùm Ann. 1662. eſſem Bordeuxæ in Galliâ, venit ad me Naupegus quidam, corpore mediocriter robuſto; qui paululum antea bubonem habuerat, qui in corpus receſſerat. Adhucdum aderat gonorrhæa virulenta, pudenda multis profundis ulceribus erant excavata, & membrum virile etiam ſua habebat ulcera. Talia horrenda ulcera etiam conſpiciebantur in juncturis, genubus, brachiis, humeris, & ſpina dorſi, cum cruſtis, nigris & duris labiis. Hic miſer homo etiam paupertate preſſus, me precatus eſt, ut opera miſericordiæ ei exhiberem. Ad hæc, omnia in occulto latere debebant, ne ſodales ejus animadverterent, illeque quotidie laborare cogebatur, licet membra ejus eſſent rigida. Hunc ſequenti modo feliciter curavi. Primò ſubjunctum purgans exhibui.

♃. Confect. hamech. ʒß. extr. diacathol. ʒß. cremor. tartar. ℈ i. M. Deinde ſemel in ſeptimana has pilulas.

♃ extr. diachatol. ʒ ß. mercur. dulc. ℈i. ol. ſtill. lign. guajac. rectific. gut. iii. M. f. pilul. numer. vii. quas veſperi aſſumpſit. Reliquis diebus veſperi à labore veniens, & manè ante lucem, hoc ſudorifero per duas horas bene ſudavit.

♃. Flor. antim. diaphoret. ℈i. C. C. philoſoph. præparati ʒß. tinct. tart. antimon. ſp. C. C. an. ʒß. decoct. ſarſeparill. & chinæ ℥ ii. M. f. ſudoriferum. Ulcera omnia ubique aqua gryſea elota ſunt, & horum duris labiis ſequens emplaſtrum impoſuit.

♃. Emplaſtr. ſtiptici Paracelſ. diachyl. cum gumm. an. ℥ii. olei ſtill. lign. guajaci ʒ ii. M. Quibus remediis hic homo ſubito ſanatus eſt, ita ut poſtea mihi ignotus flexis genubus, & lachrymis, in ponte novo Amſtelodamenſi gratias egerit pro beneficio in eum collato. Eratque tam ſanus & lævis, quaſi nunquam tali lue correptus.

Obſ. II. In Indiâ, in Terrâ Coromandel, curæ meæ ſeſe ſubmittebat officiarius quidam qui paulo antea laboraverat gonorrhæâ, & bubone, qui rurſus diſparuerat. In ſyncipite, juncturis, & dorſo

dorſo conſpiciebantur puſtulæ. Huic præcepi, ut in domo vigiliæ ſuæ, locum illum in quo dormiebat ptorcis ſtramineis bene circumcingeret, cùm aliàs, extra tempus pluvioſum, tempeſtas ſit ſatis calida. Eum purgavi hiſce.

℞. pulp. caſſiæ ℥ i. reſin. ſcamm. jalapp. an. gr. vi. mercur. dulc. ℈i. M. f. bolus, quo ſingulis ferè ſeptimanis ſemel uſus eſt. Reliquis diebus mane & veſperi, hoc ſudorifero bene ſudavit.

℞. Sp. lign. guajaci, & C.C. ana ʒß. ſulphur. aurati diaphoretici ℈ j. CC. uſti ʒß. M. f. ſudoriferum. Quo facto intra octo dies, tanta puſtularum quantitas erupit, ut tota corporis ſuprema medietas eiſdem eſſet contecta. Deinde per continuationem cum dictis medicamentis, exſiccatæ ſunt & deciderunt, cutiſque lævis ac munda facta eſt; ſicque æger ad ſanitatem perfectam rediit, quapropter mihi donariolo quodam gratias egit. *Herman. Nicol. Grimm. Compend. Medico-Chymici lib. 5.*

Conſultationes.

Ad Luem venoream incipientem.

In nobili viro multa Luis venereæ indicia apparent, ut evaderet tutus hæc remedia ſunt inſtituta, quæ dum uſurpabuntur, hanc ſervabit victus legem.

Abſtineat ab eſu fructuum & eorum omnium quæ cruditatem generant.

Alvus molliatur tertio quoque die, clyſmatis convenientibus; cibis utatur potius aſſis quàm elixis, pane utatur biſcocto & pro bellariis uvis damaſcenis, aut corinthiaeis; aut prunis Turonenſibus.

Purgetur æger, ſecta prius baſilica dextra, & dein malleoli.

℞. Sarſæparillæ ℥ iiß. radic. ſcynæ ℥ i. medull. guajaci ℥ ii. temperentur in ℔ x. aq. puriſſimæ, per hor. xvi. bull. leviter ad conſumtion. tertiæ partis, additis ad gratiam, glycyrr. & cinnamom. tantillo, in ſuo magmate diu ſatis quieſcant antequam in phialis ponantur. Capiat ℥ vi. mane & tantundem veſpertinis horis, dein contectus ſudet.

Dum bulliet hoc decoctum accipiatur ſpuma ejus in ſumma vaſis parte apparens, imponatur vaſculo, & ea parte ulcera laventur. Cùm decoctum erit colatum, ſuper magma ponantur ℔ x. aquæ pro ſecundario decocto, quod in paſtu ſumet.

Unguento utatur ſuper partem ulceratam dum ſudabit, vel de morbo, vel ſequenti.

℞. Ungu. Apoſtol. ʒvi. ungu. de morbô ℥ i, miſce & pone in parva pixide terrea, & imponatur hoc unguentum linteo, ut ulcera cooperiantur, & ſuperimponatur ungu. de mercurio ſimpl.

Parabitur maſſa Pilularum addito mercurio bene parato & ſæpe per linteum tranſcolato, deinde melle, aut butyro recente extincto. Maſſæ pilularum poſtea addatur, ut ſæpe tres pilulas parvas accipiat, ſecundo quoque die, cum decocto ſudorifico. In tribus pilulis ponantur tantum gr. ix. mercurii. *Gulielmus Ballonius Conſiliorum Medicinalium lib. 3.*

Pro Viro Perilluſtri, & Nobiliſſimo Lue Venerea, Hydrope Aſcite, ac lienis tumore frigido laborante.

Si quid unquam fuit, quod calidi innati conſtitutionem plurimum devaſtet, atque corrumpat, illud profecto eſt, lues Venerea, quæ non ſolum caloris nativi qualitatem diſſipando, verum etiam & pabulum, quo idemmet ſuſtentatur inquinando, eſt in cauſa, ut omnis occaſio Iecur potiſſimum refrigerandi ſuboriatur, ex quo primum cachexia, deinde vero (aucta magis jecoris ejuſdem frigiditate) Hydropica paſſio, ſub qua abdomen, ac pedes tument, fieri ſolet. Illa ſiquidem ob vitioſum ſanguinem à jecore refrigerato remiſſè ſuppeditatum, hæc verò ob materiam flatuoſam, vel aquoſam in cavitate Abdominis receptam, vel ſanguineam pituitoſam per partes corporis diſtributam, & non aſſimilatam. Qua prorſus ratione Perilluſtrem hunc virum in hanc jecoris calamitatem perveniſſe mihi videor videre. Cum etenim lue Venerea antea fuerit, & modo adhuc ſit affectus, in cachexiam incidit, deinceps in Aſcitem Hydropem, qui à materia pendet aquoſa, ſicuti tumor à thorace infra, ac ſonus aquæ concluſæ ventre prius agitato, perſuadent. Cui hydropi, & retenta per venas ani ſolita evacuatio, calorem nativum, veluti ſtrangulans, & lienis tumor frigidus à ſanguine illo retento ſubortus, atque etiam frigidæ potus (ut audio) non parum mea ſententia favit.

Ut ex his pateat, hydropem nunc tractari non tantum exquiſitum, ſed talem exacte; exquiſitum quidem, quoniam fit ab intemperie frigida jecoris, ad ſpuriæ differentiam, quæ propter vitium, vel viarum, per quas ſerum defertur, vel materiæ Alteratrici jecoris oblatæ, vel pulmonum, vel uteri, fieri ſolet, Exquiſitum autem exacte, quia cum materia aquoſa flatus affatu dignus, qui tympanitem cum Aſcite poſſit excitare, haud permiſcetur.

Pro hoc igitur morbo profligando prius materia morbifica genita eſt evacuanda, deinde providendum, ne de novo generetur, quod aſſequi oporteret, non tantum per ea, quæ viſcera proprio reſtituunt temperamento, ac eorum tumores diſcutiunt, ſed etiam per illa, quæ eadem viſcera à qualitate venerea ſibi impreſſa, tamquam alexipharmaca vindicare poſſunt.

Quo medicum pervenire poſſe deſpero, quoniam contra malum confirmatum in corpore morbis confecto, quod recidivavit, & eſt ætatis inclinantis agere debet, & præter cœtera lues illa venerea ſubeſt, quæ ejus activitatis per ſe ſola eſſe ſolet, ut corpus continuò novis affectibus obſideat, ac remediis medicis omnino reluctetur. Omni tamen ſtudio præſervationi incumbendum erit, ut vitam ſcilicet minus moleſtam, quoad fieri poteſt, hiſce ſuæ vitæ diebus Nobiliſſimus patiens traducat.

Ideo ſi ad materias remediorum, ac primum ad Chirurgicam animum converto Cau-

teria non tantum circa umbilicum, atque præcipuè circa lienis tumorem, verùm etiam & in parte domeſtica femorum inuſta propono, neque me ab his abducit, quod hujuſmodi ulcera in partibus tumidis calore deſtitutis in gangrenam facile degenerent, quoniam ſi ea ratione tractentur, potiſſimum autem in cruribus, ut non ſtatim butyrum, ſed ceratum phœnicinum adhibeatur, gangrenæ periculum aberit, & eo magis ſi filamenta ſuperponantur, quoniam cum natura ad femora tranſmittat, ac vergat, eo quoque medicum ducere videtur rationale, De veſicantibus vero id ſtatuo, non ita tuto cruribus, & femoribus affigi poſſe, ob inſignem imbecillitatem illis partibus communicatam, quæ tamen cauteria inuſta impedire non poteſt, tamquam ea, quæ potius cutim incriſpando partem roborant, atque confirmant.

Crurium ſcarificationes ex Galeno, & Aetio ſunt opiferæ. Paracenteſis (quoniam à patiente expetitur) cum præteſtatione, ut dicunt, concedenda, atque tunc ubi alia præſidia non contulerint: perforetur autem umbilicus, & non abdomen, nam ibi cum vaſa ſimul inhæreant, ſed non continuentur, tutius perforatio fieri poteſt, ſed aqua ſenſim extrahatur, ne vires multum feriantur, & ruant; Verum, ut libere loquar, ſcroti perforationem ab omni periculo immunem ſubſtituerem, & eo magis quoniam plurimum juvare ſolet.

Pharmaca evacuantia, & alterantia videntur opportuna. Evacuantia interim varia propono, pro varietate loci, in quo materia aquoſa continetur, nam quæ in venis, ante jecur, & ipſius abdominis cava per alvum educitur aſſumptis, admotis, & injectis.

In ſerie priorum ſuccum corticis medii, aut foliorum ebuli, præcipue verò radicis iridis cum melle roſato ſolutivo, item & medicamentum, quod ſic conficitur laudo.

♃. Seminum Cartam modice contuſorum unc. ii. Aniſorum drag. ii. Paſſularum drag. vii. Prunorum dulcium num. xx. Seminum Melonum cum cortice unc. i. ſ. M. & f. decoctio in jure columbi, addito in fine modico vini odorati, deinde f. colatura, cujus

♃. unc. viii. Braſſicæ marinæ drag. viii. Radicum Ireos rec. inciſarum unc. ſ. Agarici trociſcati, Senæ an. ſcrup. ii. M. infundantur per xii. horas deinde f. f. e. adde Mannæ electæ unc. ii.

Quod ſi medicamentum propter aquam extra venas ſit vigorandum, huic infuſo radicem Eſulæ præparatæ addere licebit; Clyſteres quoque, & fotus umbilici ex ebuli ſucco cum elaterio, ac nitro conveniunt, ſicuti materia exiſtente in venis poſt jecur, urinaria Medicamenta ſunt propinanda, inter quæ tum pulvis aſari, vel ſeminum lapulæ majoris ex therebintina datus, tum ſuccus, qui à radicibus raphani recentibus in vino odorato maceratis exprimitur efficacia putantur, ſed & præter hæc oleum calcanti nulli poſtponendum. At ſi poſtremò materia in ambitu attrahentibus, & impellentibus per ſudores movenda ſit, patiens ſedens immittat crura, & femora in capſulam ligneam, in cujus medio fundus perforatus exiſtat, & ſub hoc fundo ſit alius, ſuper quem carbones accenſi in aliquo vaſe detineantur, prius tamen exhibeatur extractum, vel guajaci, vel ſalſæ, vel Cardui benedicti, tamquam medicamentum impellens.

Præter quæ omnia, & diſcutientia, & ſiccantia conducunt, intus confectiones magnæ, extra, primum fotus per ſpongias in ſucco ebuli, cum elaterio madefactas, & applicitas: Secundo ſacculi ſpongia minutim inciſa in aqua extinctionis calcis vivæ prius macerata, deinde ſiccata repleti: Tertio lutum ex creta, ſulphure, alumine, nitro, ſtercore bubulo in clibano ſiccato, teſtis oſtreorum combuſtis cum therma aliqua ſimilis facultatis exceptis; poſtremo ceratum ex pulvere ſpongiæ modo prædicto præparatæ, ſucco nicotianæ, nitro, & ſale, cum oleo irino, pice, atque cera efformatum, quorum medicamenta aliqua pro cruribus, & femoribus, quemadmodum & triticum in furno ſiccatum, ac applicitum conducere poſſunt.

Alterantia medicamenta alia luem veneream, alia viſcera reſpiciunt, ſi luem, vinum ex guajaco, ſalſa, & carduo benedicto factitium, extracta pariter eorundem propoſita ſuperius, item & trociſcos viperinos ſummis laudibus extollo.

Si viſcera nulla ratione à medicamento, quomodocumque ex ligno indico, quod ſaſſafras dicitur, parato eſt recedendum, novi enim experientia, lignum hoc inter alia medicamenta ad caloris nativi paupertatem ex lue venerea corrigendum plurimum valere, ideo ſoleo ego uti extracto ejuſdem cum lupi hepate fælici cum ſucceſſu: Vinum etiam ex eodem medicatum eſt præſtantiſſimum, ſicuti & illud, in quo raponticum, aut ſpecies dialaccæ, vel diacurcumæ diu fuerint immacerata.

Et ſi medicationi tumoris lienis locus dabitur, poſt evacuationes jam dictas, mihi electuarium ex calybe, ac trociſcis viperinis cum ſimplicibus ſpleneticis paratum per plures dies aſſumptum arrideret. Extra autem embroca ex oleo amygda. dulci, rutaceo, & de capparibus decocto in duplici vaſe, cum ſucco radicis cyclaminis, & vino Cretico commendarem, & eo magis, ſi ab embroca ſuperponeretur unguentum factum ex oleis amygda. dulcium, & amarorum, colocintide, & pulvere hellebori nigri atque ſcolopendrii adjecta cera, in quem uſum oleum ex radice cyclaminis ſola mirifice valet.

Victus vero hiſce omnibus reſpondens inſtituatur, qui ſit extenuans, & mediocris, quamquam ratione virium ova, atque carnes euchymæ, ac propter inextinguibilem ſitim vinum fulvum, odorum, & rapontico medicatum, ſed paucum admodum concedatur oportet, quæ omnia ſicuti ex intimo cordis à me fuerunt adducta, ita D. O. M. eadem ad fælicem exitum perducere non dedignetur. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationib. Medicinalibus.*

Pro Illuſtri, & Nobili juvene Bononienſi lue Venerea ſecundi gradus cum doloribus crurum & pedum, Puſtuliſque faciei correpto.

A lue Venerea, non quidem initiata, ſed pro-

progreſſa, & conſummata tanquam ab equo Trojano varii, & quaſi innumeri præter naturam affectus prodire ſolent, quod ex natura illius venefica, & omnino formæ humanæ deleteria (quemadmodum experientia docet) confirmare licet, ut non ſit mirum, ſi illuſtris, & nobilis juvenis ea penes ſecundum gradum detentus, diebus ſuperioribus variis Symptomatibus correptus, & ab his pro aliqua parte ob medicationem accuratam, & diligentem adhibitam levatus, nunc de doloribus pedum, & crurum conqueratur, & facies illius ſecundum frontem puſtulis deturpetur. Cœterum cum dolorum luis binæ ſint potiſſimum differentiæ, pruriginoſus inquam, & ulceroſus, ille ad partes extimas, & cutim, hic ad intimas, & carnoſas, muſculoſque ipſos refertur, in ſubjecto patiente dolores (ut audio) ſunt ſecundi generis, nam muſculi cum ſuis membranis, atque forſan etiam peryoſtia, prægreſſa eorundem ſoluta continuitate à materia cum tabo gallicano acri, & mordaci concitata afficiuntur, cui etiam forſan & intemperies aliqua cognata ibi contracta eſt adjicienda; quamquam enim lues hæc ſit ſeminarium morbificum calidum, in præſenti tamen calidius exiſtimandum, quando ſedes illius, ob ætatem juvenilem, ac naturam patientis calidam, & ſiccam, ſanguinem bilioſum eſſe putem, ut potius membranæ, feriantur, quam divellantur. Verum quoniam materia luis aliquando ob permixtionem materiæ craſſæ, & viſcidæ in partibus intimis detinetur (ob quam rationem hic fieri dolorem ulceroſum, & non pruriginoſum exiſtimo, nam materia ad extimas partes non movetur) non inficias ibo, quin dolores hi ferociant ob membranarum aliquam ab oſſibus ſeparationem, materiam autem prædictam admiſceri ex eo convincitur, quod noctu dolores inſæviunt, & jecur juſto fervidius ſi exurat, ſuccum craſſum, & melancholicum gignit, ſi ventriculum laceſſat, ipſi gignendi ſuccum viſcidum (cujus caput etiam malè affectum eſt ferax) occaſionem præbet, ex quorum ſuccorum permixtione & puſtulas circa frontem oriri, neminem qui neget, reperiri poſſe confido; illud tamen diſcriminis videor mihi videre, quod craſſities ſit valde retracta, nam ad extima, & præcipue ſurſum fluit ſanguis fluxilis, quare tenuis, aut ſaltem minus craſſus.

Undenam autem ſit, quod Gallici dolores noctu exacerbentur; dico id contingere, quia ſucci craſſi, & viſcidi, fere ſemper perpetui comites luis, noctu, & propè noctem moventur, quare & dolores tunc temporis intenduntur, non ſolum quia ſucci illi ob frigiditatem noctis non diſtant, verum etiam quia natura quietior eadem hora nitens ſuccos pravos digerere, illos agitat, & commovet, qui ſic affecti majorem labem partibus obſeſſis inferunt. Utcumque tamen ſucci omnes prædicti ſimul commixti ad locos affectos, uti ad ſuſcipiendum aptos à viſceribus gignentibus per venas, & arterias reſpectu jecoris ac ventriculi, per venas, arterias, nervos ac ſpatia inania inter cutim, & carnes reſpectu capitis tranſmittuntur. Loca autem illa ſuſcipiunt, quia ſunt imbecilla, facies quidem ob raritatem, ut eſt videre in variolis ac morbillis, qui eam ob rationem copioſiores circa faciem erumpunt, crura verò, & pedes ob diſtantiam ab origine, & principio caloris, & ſi quis cum Fernelio diceret ſolum per ſpatia inania non autem per venas, ac nervos materiam morbificam à capite decumbere, alias ſanguis alimentum totius inquinaretur; Dicerem hoc evenire poſſe, ſi materia illa moram traheret, verum quia ſimulac recepta fuerit, expellitur, ut etiam accidit, quando pleuritidis vomica ex Galeno ad urinæ vias per ſiniſtrum cordis ventriculum retrahitur, ſanguis non inficitur.

Quibus ita ſe habentibus cum lues de qua agitur, ſit progreſſa, ac ſecundi gradus, poterit curari ad differentiam conſummatæ, ſed cum difficultate ad differentiam incipientis. Curationem cum prudentia, obſequentia, ac ætate floris nobilis patientis medicamenta ſuperiorib. diebus cum fructu uſurpata & uſurpanda pollicentur; Difficultatem cum lapſu non levi à ſtatu naturæ affectuum complicatio, & cauſarum contumacia, & pervicacia ſuadent, quibus & mala capitis, ventriculi, jecoriſque diſpoſitio noe parum favet, accedit & difficilis tolerantia, quæ potiſſimum in naturis excarnibus, & gracilibus (qualis eſt nobilis propoſiti juvenis, ni fallor) coadjuvantibus doloribus, & vigiliis in præſenti obſervatur, & eo magis, quia naturis hujuſmodi Alexipharmaca gallica non citra noxam ſunt opportuna.

Quamprimum igitur huic malo hiſce præſidiis eſt occurrendum, ut ſcilicet ſeminarium venereum quatenus formæ humanæ per qualitatem veneficam, & ſecretam adverſarium Alexipharmacis dometur, quatenus putridum eradicetur, ut verò putreſcit refrigeretur, & ſiccetur, ut acris, & mordens frigefiat, ac attemperetur, & qua craſſitiei, ac viſciditatis particeps eſt, attenuetur, ac detergatur verum quoniam adit etiam mediis dolore, atque vigiliis, ideo anodynis, & ſoporiferis erit pariter agendum, & ſicuti ante hæc toti per præparantia, & evacuantia, ita & poſt viſceribus intemperatis per alterantia erit proſpiciendum.

Ad horum ergo præſidiorum materias deveniens pro certo habeo ex chirurgica, tum aliquam ſanguinis miſſionem, tum fonticulos maxime conductura, illam quidem ex venis podicis per hirudines proximo Autumno applicitas, eo tamen ſtudio ac diligentia, ut ſanguis fæculentus educatur, quo tempore ſuccus ille viget, & eo etiam corpus noſtri patientis ſcatere non hæſito, hos verò femori dextro intus, & brachio ſiniſtro inuſtos.

Pharmaca reſpiciunt ſedem luis, luem ipſam, impedimenta, & viſcerum intemperantias. Priora ad ſedem luis remotam in toto referuntur, quare poſt calores iſtos lenita alvo cum ſyrupto roſato ſolutivo, & de polypodio magiſtrali, præparatiſque humoribus decocto ſonchi, hepaticæ, borraginis, fumariæ, & betonicæ, adjectis ſyrupis accommodatis, expietur corpus purgatorio ex infuſo Rhabarbari, Agarici, & Senæ cum manna parato, alia fortiora in patiente non valde robuſto negligerem, cujus cauſa ſi intervallis quibuſdam purgatione opus videretur, ab uſu ſyrupi de polypodio, adjecto nonnihil mannæ mea ſententia non eſſet rece-

dendum, in quem uſum infuſum quoque myrobalanorum citrinorum, chebulorum, & Indorum ex ſero caprino aut etiam vino ſubdulci paratum mihi magnopere arridet, quemadmodum & Epithimi infuſum, adjectis ſeminibus cartami.

Verum & reliquiæ humorum inſenſibiliter evacuantibus poterunt eradicari, hæc autem erunt illa eadem, quæ luem ipſam demant,& vincant, quibus addo utramque antidotum magnam mediæ ætatis, cum ſaccharo roſato caſtigatam.

Quibus peractis deveniendum ad pharmaca luis, quocirca decoctum guajaci una cum ſalſa, cicoraceis caſtigatum, & in jure pulli, aut etiam forſan cum carne (ob habitum ſicciorem) paratum, & de more exhibitum mihi plurimum placet, & eo magis, ſi ante ſyrupum matutinum bolus ex trociſcis viperinis, & conſerva cicoracea, vel roſacea factus offeratur, & quantum ad ſudores ciendos attinet, blande admodum alternis diebus, & ſemel in die cum vaſis vitreis aqua calida repletis corpori utrinque adaptatis eoſdem movere expediet, atque in uſu horum medicamentorum eouſque progrediendum, quouſque Symptomata miteſcant; & ab uſu decocti, pro abſumendis reliquiis, ego confectionem in morſellis ex extracto guaiaci, & ſalſæ factam cum pulpa caponis, & perdicis, amygdalis, fiſticis, & quatuor ſem. majoribus frigidis, ſaccharoque diſſoluto in jure caponis nutriti cum paſtillis ex farina ſubacta cum decocto guajaci, & ſalſæ omnibus præfero.

At doloribus non finientibus, mihi probatur ad plures dies exhibere medicamentum, quod.

♃. Radicis cucumeris agreſtis exiccatæ, & pulver. ſcrup.3. ſ. mulſæ decoctionis juæ lib.ſ. Infundatur per noctem, & mane colatura facta cum f. e. exhibeatur.

Temporeque uſus horum Alexipharmacorum, ſi Medico curanti opportunum videbitur, aliquot intervallis, purgatio aliqua levis, ut non recederetur ab uſu ſyrupi de polypodio dicti, mihi opportuna maxime videretur.

Ad extirpandam autem tandem luem in facie, atque etiam cruribus, & pedibus in ea ſum ſententia, ut ſpuma quæ à ſuperius dicto decocto ſeparatur puſtulis admoveatur, quæ pariter & decocto madefieri poterunt, Crura verò, & pedes inungantur, vel oleo guaiacino, vel viperino, quinimmò & uſus vinaceorum cum decocto guaiaci dilutorum tempore vindemiarum proxime futuro valde erit opportunus.

Sed & impedimentis, doloribus inquam, ac vigiliis eſt occurrendum, per balneum olei communis, vel decocti rutæ caprariæ, & verbaſci, theriaca quoque recens exhibita non ſolum in doloribus corrigendis, verum & in vigiliis emendandis, præcipue ſi hora ſomni devoretur, plurimum eſt proficua; A quibus, ſi aliqua intemperies in viſceribus remanſerit, quæ opera medica opus habeat, eam emendandam judico, & diligentiæ Excellentiſſimi curantis omnino ſubjicio.

Victus ratio pariter ab eodem inſtituatur, quædam tamen breviter notabo. Primum maxime utile futurum, ſi nobilis juvenis pullis nutritis paſtillis ex farina, & carne viperarum factis pro cibo utatur. Alterum ſi tota hyeme futura vinum bibat cum modico guajaci, & ſalſæ medicatum, pauciferum tamen, & oligophorum. Tandem tempore decocti victus mediocriter extenuans præſcribatur, & aliquando caro elixa, ptiſanaque offeratur: faxit modo Deus, ut prædicta medicamenta nobili juveni integram, ac perfectam ſanitatem impertiantur. *Idem ibidem.*

Gonorrhæa Gallica cum Ulcere Veſicæ.

Præſtantiſſimus Patiens annorum ſupra ſexageſimum, temperamenti calidi & ſicci, habitus melancholici, Veneri deditus; quinque abhinc annis, poſt repetitos varios congreſſus, Gonorrhæa Gallica correptus eſt, quæ ab ipſo data opera ſimulata, Empirice, ſed fruſtra curata fuit; imo altius invaleſcente morbo non ſolum ipſa perſeveravit, ſed pedum & genuum doloribus Arthritidem æmulantibus excruciari cœpit, à quibus etiam præterita hyeme afflictus fuit, non ſine febre. Et licet conſueta ſtatutis menſibus gaudeat evacuatione hæmorrhoidali, à qua ſaltem juvari debuiſſet, attamen in dies pejus ſe habuit: namque ſuborta eſt frequens meiendi voluntas diu noctuque cum gravi mordacitate & urinæ copia, cum permiſtione continua materiæ lacteæ, viſcidæ, quæ præcipue nocturno tempore, quo etiam magis torquetur, adeo coagulatur, & matulæ fundo inhæret, ut vix ab ipſo divelli poſſit, in cujus excretione ſumme conqueritur Patiens, & talem perſentit agitationem, ut aliquando ex nimia doloris acutie urina ſupprimatur, & aliquando febricitet; vigiliis, animi mœrore, inappetentia, fere confectus.

Adeo diſtincta ad me pervenit Patientis Nobiliſſ. ſtatus hiſtoria à Præclariſſimo Viro deſcripta, adeoque docta Conſultatio, ut me facile in cognitionem tum ideæ, tum cauſarum morborum & ſymptom. tum eumdem moleſtantium, tum agendorum manuducat: ſiquidem & ego cum Viro Doctiſſimo cenſeo, ſymptoma præcipue Nob. Patientem excrucians, eſſe ſtranguriam, quam urinæ ardorem, ſeu ſtillicidium appellare quilibet poteſt, Senibus quidem familiare. Verum in caſu noſtro altera accedit cauſa p. n. In hoc ſemper afficitur veſica, aut per ſe, aut per acidens: per ſe, ad imbecillitate: per accidens, ab urinæ acrimonia, ab excrementorum expurgatione, ut contigit Pythioni die quadrageſima per urinam judicato; unde dicebat Hipp. quod urinæ ſtranguriosæ, non nephriticæ, quandoque fiunt, ſed his alia pro aliis, dum nimirum addebat Galenus, totum corpus per renes & veſicam expurgatur, & propterea in peſtilenti ſtatu ſtranguria multos à vitæ periculis vindicavit. Quare de parte affecta non eſt quod dubitemus, quia ſtillicidium adeſt urinæ, cum dolore in imo ventre & pectine. Ego autem ſuſpicor non per accidens tantum à tranſitu materiæ tum pituitoſæ ſalſe factæ, ob ſeroſitatis bilioſæ miſtionem, tum à Gallica lue infectæ hanc provenire Stranguriam, ſed & per ſe tandem læſionem concepiſſe Veſicam ulcus nimirum in collo; ſicut enim diuturnæ Gonorrœæ

norrhœæ caruncula in Urethrfa acillime ſuccedere ſolet, excoriatione prægreſſa, ita in hoc Nobiliſſ. Patiente diuturna annorum Gonorrhœa Gallica divexato, perperamque curato, redundantia excrementa totius, quæ antea ad articulos ferebantur, diuturno temporis tractu per vias urinarias, imbecilliores redditas, expurgari cœperunt, ſicque illegitimam, ſeu ſpuriam Gonorrhœam legitimæ addiderunt; à quibus excrementis, & manifeſta, & occulta qualitate peccantibus, veſicæ collum vellicatum, & demum excoriatum fuiſſe credo: etenim Dyſuria illa, quandoque ſecundo loco obſervata, non quidem à materia obſtruente, ſed ab inſigni moleſtia ſphincterem conſtringente procedere puto, quam abſque inſigni ejuſdem muſculi læſione vix fieri poſſe arbitror. Nec obſtat quod ſanguus non apparuerit: forſan enim, ut exiguus, obſervatus non fuit: & ideo Hippocrat. dicebat, Si ſanguinem, aut pus minxerit, veſicæ exulcerationem ſignificat, ita ſi ſanguinem, aut pus mingit, quaſi quod ſanguis occultari poſſit ob ſui paucitatem; Sed & puris cognitio confundi poteſt ab alienæ materiæ commiſtione: gravis enim odor nonniſi in ulceribus magnis & putrilaginoſis percipi poteſt, & non adeo facile, cum frequenter pus ipſum una cum urina excernatur, ſicque fœtorem vix adipiſci poſſit, licet in caſu noſtro puris præſentiam nobis ſignificare videatur ſanioſa illa & lactea materia, quæ quodammodo à mucoſitatibus ſejuncta obſervatur. Quare utroque modo veſicam & affici, & coaffici, magnopere dubito: eoque magis, cum febricula jam affligere cœperit cum totius corporis macie, ſymptomata veſicæ exulcerationibus familiaria.

Omnia igitur quamprimum ſunt agenda, ut à tam moleſto affectu ſublevetur Patiens, ne aut brevi inflammatione ſuperveniente, aut progreſſu doloribus, febribus, vigiliis & colliquatione pereat: Et licet renum & veſicæ vitia in Senioribus difficulter ſanentur, difficultas tamen impoſſibilitatem non importat, eoque minus in Sene non adhuc ſeniori exiſtente. Verum tamen eſt quod Cura non adeo regularis eſſe poterit, ſed potius coacta, ne connumeremur inter illos quos Galenus arguebat, morbos quidem bene curantes, ſed Ægros interficientes: cauſæ nimirum incumbentes, ſymptomatibus poſthabitis vires frangentibus, & miſeros Patientes necantibus.

Ideo quamprimum doloribus proſpiciendum; mictio facilior & rarior reddenda, pravos humores à viis urinariis divertendo, eorumque acrem & ſalſam manifeſtam qualitatem Epiceraſticis corrigendo, ut inde ad viſcerum intemperies emendandas, atque tandem Celticam qualitatem debellandam devenire poſſimus; Quibus erit ſatisfaciendum remediis ordine executivo proponendis.

Et primo jam à Præclariſſ. Viro primas vias expiatas ſuppono; & ideo aquis Tettucianis ab eodem propoſitis omnino ſubſcribo, cum vehiculo dejectorio, quinque diebus, ſi non continuatis, alternis ſaltem exhibendis. his enim inhibetur crudæ & pituitoſæ materiæ reproductio, & plures obſervavi inſignem ſecutam à veſica diverſionem; & inde levamen etiam ultra expectationem. Mox inſeſſiones utiliſſimæ erunt in aqua dulci, foliis malv. viol. parietſalicis, ſemin. fœnugræci & rad. althææ alterata: quibus ſuccedat inunctio ex ungu. malv. oleo violaceo, & nenuphar. parata; quinimo Galenus per ſyphonem rectum demulcentia in veſicam introducebat; quare & nos lac aſininum injiciendum procurabimus: & ſi tractu temporis ulcus adeſſe certo deprehendatur, guttulæ quoque ſpiritus Mercurii dulcis liquoribus exiccantibus injiciendis addi poterunt. Sed interim ut Localibus internis viæ patentiores & puriores reddantur, ſucci depur. præberi poterunt, cichorii nempe, borrag. & malv. in decoct. Cichoraceorum, præmiſſo julapio acet. cum ſyrupo de pomis; quibus quinque aut ſex diebus aſſumptis, Diacathol. benignum Purgans, & pituitam, & bilem reſpiciens erit exhibendum, cui ſuperbibat ſeri aut aquæ Nocerianæ libras. Inde ad Localia deveniendum, & eliganda Terebinthina noſtra Veneta, in aqua malv. lota, cui ſuperbibat aquæ hordeaceæ calicem, fruſtulo liquiritiæ & ſeminibus melonum contuſis, in petia omnibus alligatis & expreſſis, alterata: ab hoc enim remedii genere mirabiles vidi ſecutos effectus. Sic parabuntur viæ ad acidulas, ſive ferratas, vel aluminoſas Brandulenſes aquas præbendas, à Viro Doctiſſimo propoſitas, non parum etiam ſedatis in mictione moleſtiis. Et quoniam vitriolatas aquas adire non poteſt, ferratæ ſubſtituantur, quales ſunt Chalderianæ, aut Villenſes.

His autem dicto jam ordine peractis, de extirpatione Gallicæ qualitatis erit cogitandum, quæ tamen in proximum Autumnum, propriis Alexipharmacis tunc temporis examinandis, neceſſario differenda erit; & interim aſinini lactis uſus de more inſtituendus, quod & humorum acrimoniam demulcere, & totum corpus nutrire, & ulcus, ſi adſit, quodammodo detergere & conglutinare valet; Nec ab exigua febre prohibetur, cum non multum febricitantibus ab Hippocr. quoque concedatur.

Quibus jam dictis conſiderandum addo, quod ſicut hæmorrhoidalis evacuatio hucuſque nihil profuit, ita impoſterum nocere poſſit; quare ſolicitanda non ſit, cum nec à morbo indicetur, nec à viribus permittatur.

Hiſque omnibus congrua eſt addenda victus ratio, à Viro præſtantiſſimo præſcribenda: ſicut reliqua quoque jam præſcripta fuere, à me autem confirmata. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. tom. 2. cent. 3.*

Lues Gallica cum Gonorhœa.

Adoleſcens Illuſtriſſimus decimum ſeptimum annum agens, temperamenti billioſi potius ſed cum ſubdominio Melancholiæ, Patre genitus, qui triginta annorum ſpatio Gonorrhœam paſſus eſt, à qua tandem caruncula excitata, & per conſequens libero urinæ tranſitu intercepto, necnon aliquando omnino ſuppreſſo, ſyringa fuit opus, à cujus tamen

uſu

uſu magna febris invaſit, quæ ipſum paucis diebus jugulavit. Adoleſcens, inquam, iſte præter tertianas febres quibus obnoxius eſt, undecimo ætatis anno miliari herpete laboravit totum perinæum & magnam ſcroti partem occupante, quo congruis remediis ſanato, anno abhinc Gonorrhœam Gallicam contraxit, pollutionibus involuntariis, urinæ ardore, necnon renum imbecillitate comitatam; & tandem tribus abhinc menſibus Equus magnum ictum in ſcroto illi calcibus inflixit, unde ſiniſtro potiſſimum teſticulo læſo, ingens adeo dolor ſubortus fuit, ut Nobiliſſ. Patienti progreſſivum motum impediret. Accerſitus Medicus, & Purgatione, & ſanguinis miſſione ita ipſum curavit, ut quindecim dierum ſpatio fere omnino ſanatus, Rus decem ab Urbe milliaria diſtans in rheda petierit, ubi tamen ſtatim de acri dolore in dextera ſcroti parte (in qua nulla obſervatur læſio ab Equi vulnere) conqueſtus eſt, quare convocati rurſus Medici, cum jam corpus expurgatum fuerit, ſolutivi Decocti uſum inſtituerunt, ſantalis, guajaco, ſalſa, polypodio & ſena parati, quod magnæ quidem utilitatis fuit, & fortaſſe integram ſalutem Patienti Nobiliſſ. comparaſſet, niſi involuntariæ pollutiones obſtitiſſent. Poſt hujuſmodi Decoctum per menſem adhibitum, ad ſerum deſtillatum deventum fuit: ſed dum hoc adminiſtratur; dolor capitis modo pungitivus, modo gravativus emerſit, quolibet veſpere invadens, ſimulque in humero & cubito aliquod Arthritidis præludium, ſive principium ſentiri incepit, prout in ſcroto nullus quidem tumor, ſed ſubinde moleſtia quædam, veluti acuum pungentium, Adoleſcentem Nobiliſſ. infeſtat. Super hæc ad Tripodem Patavinum confugimus.

Gallica lue infectum Nobiliſſ. Adoleſcentem omnino cenſeo, à qua, tanquam ab Equo Trojano reliqua mala atque ſymptomata prodiiſſe, & modo procedere minime dubito; hæcque ſæviora apparuerunt in partibus à nativitate imbecillioribus, nimirum circa pudenda, quorum nativam imbecillitatem à Patre contraxit, cui ex Gonorrhæa triginta annorum caruncula in urethra, aut veſicæ collo ſupervenit, Iſchuriam tandem inducens, ob quam Lithotomo ſeipſum tradere coactus, ſuborta inflammatione, indeque gangræna, periit, quarum partium in Pat. noſtro hæreditariam imbecillitatem nobis ſignificavit omnium primo herpes ille miliaris ante Gallici contractionem, mox eandem confirmavit Gonorrhœa ipſa licet contracti Gallici ſoboles. Genitalium autem debilitatem non parum tandem adauxit contuſio ab Equo illata, licet ab Excellentiſſ. Medico diligenti atque ſolerti cura ſanata. Verum quoniam nec vigor principalis agentis, nec paſſi diſpoſitio prorſus ablata fuere, dum nec Gallico propriis Alexipharmacis proſpectum fuerat, & partes circa pudenda utroque modo imbecilliores adhuc erant, ideo ex motu in rheda, nova ad partes eaſdem humorum fluxio fuit excitata in altera ſcroti parte, & ſine tumore, quoniam jam totum corpus & ſanguinis miſſione, & Purgatione prævacuatum erat; unde à prava potius & deleteria exigui humoris qualitate, quam quantitate novus emerſerat dolor, qui moleſtior & pertinacior fuiſſet, niſi mediante ſanguinis circulatione, humorum pravitas ad alias coporis partes nimirum per arterias ſubclavias ad humerum & cubitum, & per carotidas ad caput diſtributa eſſet, quod facilius contigit, cum biliosis humoribus ad exuſtionem quoque inclinantibus, natura ſcateat Nobiliſſ. ipſe Patiens, ut ex ipſius temperamento & febribus tertianis ingruentibus facile conjici poteſt. Omnia vero jam dicta à tabo Gallico, tanquam ab unica radice germinaſſe oſtendit ſanatio, dolorum ſcil. à mox Alexipharmacis adhibitis remiſſio. Et licet non omnimoda ablatio ſecuta fuerit, mirum non videatur, ſiquidem nec anni tempus hoc permiſit, nec modus exhibendi omnino proprius, nec ſufficiens fuit, quare neq; citra pollutiones involuntarias à vaſorum ſeminalium imbecillitate & ſeminis acrimonia provenientes, ſine Gallici omnimoda extirpatione, ſanitati unquam reſtitutus fuiſſet, nec reſtituetur.

Quibus omnibus jam dictis ita ſe habentibus, ut Nobiliſſ. Adoleſcens priſtinam ſanitatem certo recuperet, Medici intentiones duæ potiſſimæ eſſe debent, Gallicæ luis extirpatio, & partium genitalium corroboratio, ſymptomatibus proſpiciendo, Gonorrhœæ ſcil. artuumque, & capitis doloribus, qui tamen ut acceſſorii peribunt ac deſinent, ad ablationem ſui principalis.

His autem intentionibus nonniſi Vere proximo omnino ſatisfieri poterit, dum interim prudenter Excellentiſſ. Adſtans minorationem ſaltem & mali ſedationem, ſi non eradicationem procurat.

In præſens igitur perſeveret. Pat in uſu jam præſcipti Decocti, in jure pullæ parati ex china, ſalſa & viſco quercino, vel ſaltem ligno roris marini, pareturque aqua pro dilutione vini; quinimo & vinum ipſum lentiſco medicatum reddi poterit, octavo vero quoque die aſſumat aliquod evacuans medicamentum ſibi familiare.

Primis autem menſis Aprilis diebus regularem ineat Purgationem, ſanguinis miſſione ex altero ſaltem brachio, & ſi niger & pravæ conditionis appareat, ex altero quoq; erit iteranda miſſio.

Ex Pharmacia reliqua erunt depromenda medica auxilia, Lenientia, Præparantia, purgantia, virus Gallicum debellantia, jecur & venoſum genus refrigerantia, & partes genitales corroborantia. Leniens itaque primum ſit Electuarium lenit. cum tart. vel aliqua potio clarificata, ſicut primum Præparans ſine diluto, eſſe poterit julapium acet. ad ℥. iii. cortic. citri alteratum, & ſex tranſactis diebus, Leniens ſupraſcriptum repetendum. inde ad ulteriorem præparationem deveniendum, ſuccis potius depuratis, nempe cich. borag. & pomorum dulc. ſive fumariæ, ſi niger fuerit ſanguis extractus, ad ℥. iii. in decoct. Cichorac. eupath. beton. meliſſæ & citri; quibus ſeptem diebus aſſumptis, Purgans præberi poterit ex elect. lenit. & confect. Hamech; vel ex infuſo rhabarb. ſenæ, agar. polypod. addito ſyr. roſ. quibus omnino ſuperbibat ſerum depur. ad lib. ii. Poſt hæc ulterior adhuc erit i neunda præparatio, ſuccis pariter cich. bprrag. beton.

in eadem decoct. additis ivæ foliis: & bis aut ter quarto quoque die præbeantur pil. aggregat. de hermodact. & coch. an. ʒ. ß. quibus ſemper ſuperbibat ſerum jam dictum, aut aquam Nocerianam. Ita hoc ordine totum rite & recte expurgatum, à Celtica & occulta qualitate erit vindicandum Decocto ſudorifico inſtituto, ſine quo nihil factum fuerit; parari vero poterit ita.

℞. Salſæ electæ, viſci querc. veri an. ℥. j. ligni lentiſci è Chio, guajaci pinguis rec. an. ℥. ß. aq. ſtillat. cich. borag. nymphææ an. lib. j. m. inf. per hor. xxiiii. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſervetur pro duabus vicibus, matutino tempore ante ingreſſum hypocauſti exhibenda. Reſiduis autem lignis adde aquæ com. lib. xii, & bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine autem ebullit. adde cinnam. integri ʒ. ii. deinde coletur, & in colatura adhuc fervente diſſolvatur ſaccharum ad ℥. iii. vel iiii. ad guſtum Patientis. In hujus Decocti uſu cum ſudore ſemel tantum in die provocato, quadraginta diebus erit inſiſtendum, non tamen cum victu adeo tenui, imo quotidie, præter panem bis coctum, amygdalas, nucleos pineos & paſſulas, aliquid ſæpe mane eſt concedendum in cibo, nimirum aut ptiſana hordeacea, aut pullus junior aſſus, aut columba turricola. Decimo vero quoque die potio clarif. exhibeatur, ad jam epotas humiditates excernendas. Terminato Decocto cum ſudore, vires alimentis optimis erunt reaſſumendæ, dum interim dies caniculares adventabunt, quibus ad Lucenſes aquas, Villenſes ſcil. ebibendas ſe conferre debebit Nob. Pat. utpote fervori tum jecoris, tum renum contemperando, tum partibus in Nob. Pat. imbecillioribus roborandis præſtantiſſimas. Et quoniam refrigerando, nonnihil quoque exiccare ſolent, ideo domum reverſus, ad lactis uſum erit omnino ducendus, quod primis diebus ſit aſininum, mox quoque caprinum, ut magis nutriens; in cujus uſu perſeveret quadraginta vel quinquaginta diebus; quo tempore ſi aliquod adhuc Gonorrhœæ reſiduum obſervetur, veſperi hora ante cœnam aſſumat magiſt. Charabis, & oſſium ſepiarum, cui ſuperbibat cyathum aquæ tenerrimis quercus foliis deſtillatæ. Eadem Magiſteria Conſervæ roſarum immiſceri poterunt, mane aſſumenda cum aqua jam dicta, extra tempus lactis peræſcripti. Quod ſi fortaſſe ex Gonorrhœa dolor adhuc in urethra, aut ardor urinæ preſeveraverint, præmittendus erit, x. aut xii. diebus uſus ſummo mane aquæ ſtillat. anguriæ à cortice mundatæ; Eximium enim eſt remedium ad quemlibet urinæ ardorem contemperandum atque demulcendum.

Quibus omnibus congrua erit addenda vivendi ratio, ab Excellentiſſimo Viro Adſtante præſcribenda: illud unum moneo, optimum fore vinum pro menſa ſantalo albo & ligno lentiſcino medicatum, etiam poſt exactam jam dictam Curationem, cum nonnunquam pertinaci Gonorrhœæ tum ventriculus, tum jecur materias excrementitias ſuppeditent. Quæ omnia optimum finem habitura ſpero ſub Excellentiſſimi Viri prudenti ac diligenti directione & executione. *Idem ibidem.*

Lues Gallica cum Carnoſitate.

Nobiliſſimus Patiens, cujus ætas & temperamentum in relatione deſiderantur, poſt antiquam Gonorrhœam Gallicam, in urinæ ardorem, ejuſdem difficultatem, & tandem quoque ſuppreſſionem incidit, quorum ſymptomatum cauſa juremerito ab Excellentiſſimo Viro refertur in eroſionem ab acri materia, quæ quandoque alba & ſalſa, quandoque flava & acris, gallico tamen ſemper infecta, à pene prodire obſervata fuit, & ulcus excitavit, aut in veſicæ collo, aut in urethræ radice, unde ardor & dolor; & dum eidem ſucceſſit quoque urinæ difficultas, & tandem ſuppreſſio. Carunculam autem ad calloſitatem tractu temporis tranſitum feciſſe, ſummo jure dubitandum, ſicut à Gallica lue Nob. Patientem non adhuc vindicatum eſſe, credendum.

Ideo ut pejora mala arceantur, & præſentia auferantur, hoc verno tempore medica auxilia quæ poſſint luem Veneream penitus extirpare, & vias urinarias prorſus liberare, ſunt adminiſtranda, primas vias mundando; totum venoſum genus purificando Alexipharmacis Gallicum expugnando; atque tandem Topicis carunculam, aut callum erodendo, & inde cicatricem inducendo.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, ſanguinis miſſio omnino neceſſaria videtur, & à vena brachii, permittente ætate & viribus ipſis; quinimo ſi juvenis eſſet, & temperamentum totius, aut jecoris calidius, ex pede quoque repeti poſſet: non enim adeo tuta eſſet ſanguinis eductio à partibus affecto loco proximis.

Interim expiatæ erunt primæ viæ ſyrupo roſ. ſolut. aut potione ex man. clarif. aut caſſia cum lenitivo; Præparati erunt humores in primis viis commorantes, julapio acet. ſyr. decortic. citri per quinque dies ſine diluto, repetito medicamento ſupra propoſito: ut poſtea ad ulteriora Præparantia deveniatur, & eſſe poterunt ſucci depur. cich. borag. fumar. ad ℥. iii. in decoct. cich. borag. endiv. viol. malvarum, agrimoniæ, in horum uſu inſiſtendo ad decem dies in quorum intermedio præberi poterit caſſia cum lenit. & confect. Hamech, vel infuſum rhabarb. ag. r. & ſenæ, addito ſyr. roſ. vel de polypodio, quibus ſuperbibat ſerum depur. ad lib. j. ß. vel lib. ii. poſtquam actuatum fuerit medicamentum in Ventriculo, quod genus medicamenti repeti quoque poterit terminatis jam dictis Præparantibus.

Sed quoniam nondum ſatis depurata fuerit maſſa ſanguinea ad humoribus inquinantibus, ideo repetenda erunt Purificantia & Expurgantia; ſucci igitur repetantur depurati, cichor. borag. fumar. & beton. ad ℥. iiii. in aqua agrim. & card. ſancti, addito ſemiſcrup. tart. vitriolati: in quorum uſu pariter permanebit ad dies decem aut xii; & in horum intermedio offeratur. Extracti polypodii & ſenæ an. ʒß. For. caſſ. rec. extr. ℥. vi. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. depur. lib. ii. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat; quod medicamentum rurſus repetatur, peractis quinque aliis Præparantium diebus.

Toto ita expurgato, pro lue Celtica debellanda, conſuetus, ſed tutior modus, eſt ad Decoctum ſudorificum devenire, ex ſalſa parilla, guajaco & lentiſco paratum triginta aut quadraginta diebus aſſumendum, cum quotidiano ſudore; Verum quoniam ex ſcriptis conjicio, Nob. Patientem renuere, & libertatem pro negotiis propriis & alienis obeundis deſiderare, ideo aquam meam ſpagiricam, ſive ſtibiatam propono, qua quam plurimos à Gallico liberatos vidi, quadraginta diebus aſſumendam; quo tempore prohibetur omnino vinum, fructus, piſces & olera; conceduntur autem omnia genera Carnium boni ſucci & facilis concoctionis: ſicuti permittitur quoque libertas domo exeundi, ſolita munia exercendi; cujus deſcriptio erit infra ſcripta.

Hoc tempore interim conſulendus erit Chirurgus Norcinus, qui omnium primo candela experimentum faciat de loco, ubi reperiatur carnoſitas, aut calloſitas, ut deinde poſſit corroſivo medicamento eadem diminuere & ex toto delere, indeque alio medicamento conſolidante, ulcus ad cicatricem perducere. Pro utraque autem intentione explenda, Arcanum meum revelare decrevi, & eſt hujuſmodi.

♃. Præcipitati in porphyrite lævigati ʒ. j. vini opt. ʒ. iii. m. reponantur in olla terrea vitriata ad lentum ignem, & ſpatula agitentur uſque ad conſumpt. ſpiritus vini, ita ut remaneat Præcipitatum exiccatum & pulverizatum; quod rurſus in porphyrite lævigetur, & in ollula reponatur, addendo Cerati Gratia Dei ʒ. iiii. agitando ita, ut miſceantur; deinde auferatur ollula ab igne, & rurſus agitetur quouſque Ceratum refrigeſcat. Hujus autem exigua portio introducitur per Urethram in ſummitate candelæ uſque ad carnoſitatem, ubi permittitur manere, donec dolorem Inferat: tunc enim extrahitur candela, & veſpere, aut ſequenti mane introducitur, rurſus innovata ejuſdem cerati portione: ita perſeverando aliquot diebus, donec candelæ expedita evadat via atque tranſitus. Tunc enim ablata carnoſitate, ſive calloſitate, tempus erit ulcus exiccandi atque conſolidandi; pro qua intent. abſolvenda parabitur Ceratum hujuſmodi.

♃. Cerati Ceruſſæ ℥. ponatur in ollula vitrea, ita ut liquefiat, deinde removeatur ab igne, & adde terebinth. noſtræ ʒ. ii. m. addendo pulv. tutiæ præparatæ ℥. j. m. agitentur omnia uſque ad refrigerationem, & extrahatur ad uſum. Cujus portio introducatur in ſummitate candelæ, & diutius detineatur, imo bis, & ter in die repetatur, ut aliquot dierum ſpatio ulcus exiccetur & cicatrizetur.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, abſtinendo ab aromatibus, ſalitis, acribus & acidis; quieti & ſomno indulgendo; Veneri omnino parcendo; alvum lubricam flore caſſiæ, ſi opus fuerit, ſervando, & à nimiis applicationibus cavendo, ut ſanitatem optatam conſequi poſſit.

Decoctum Matutinum.

♃. Antim. crudi elect. lap. pumicis albiſſ. an. unc. iii. Contundantur craſſo modo omnia ſeorſim, & in duplici ſacculo reponantur; deinde adde ſalſæ parillæ electæ inc. Viſci querc. veri an. ℥. j. rad. chinæ ℥. ß. rad. liquiritiæ ℥. ii. aq. fontis lib. v. m. f. inf. per horas xxiiii. ſine ſacculis; deinde addantur ſacculi, & bulliant omnia ad conſumpt. duarum tertiarum, ita ut remaneat lib. j. ß. facta autem forti expreſſione, colatura ſervetur pro duabus vicibus, ſummo mane haurienda.

Pro potu conſueto in menſa & extra menſam. ſi ſitiverit Patiens.

℞. Antim. crudi el. lapid. pumicis, an. ℥. vi. Contundantur craſſo modo ſeorſim, & in duplici ſacculo reponantur. Deinde ℥. i. ß. aq. fontis opt. lib. xv. fiat inf. ſine ſacculis per hor. xxiiii. mox bulliant ad coſump. tertiæ partis, additis ſacculis; deinde fiat colatura, cui adhuc ferventi addantur ſaccari albi ℥. iiii. vel ad libitum, quinimo & fruſtulum cinnam. aut cort. citr. rec. ad ſuavitatem potui indendam.

Repetantur autem infuſiones, prout opus fuerit, ne deficiat tum Decoctum, tum potio conſueta. *Idem ibidem.*

Lues Gallica cum Tumore gummatoſo in Nare.

Quintus jam labitur annus, ex quo Nob. Dominus vigeſimum ſeptimum annum agens, temperamenti calidioris, habitu procero, jecur fervidum & corpus humidius habens, deſtillationibus obnoxius, ab impuro concubitu luem Gallicam contraxit, cujus indicia fuerunt ulcuſcula in pudendis, tumore in glandulis utriuſque inguinis, evaneſcentes abſque ſuppuratione, & deinde virulenta Gonorrhœa ad menſem cum dimidio protracta; quibus anno ſubſequente acceſſerunt dolores acres in coxa & tibia ſiniſtra, ubi etiam tophaceus tumor extuberavit, ſicuti etiam in anteriori parte colli, qui poſtmodum dolores ſcapulæ & brachio ſiniſtro fuere communicati; Ulcera etiam pravæ conditionis iiſdem in partibus erupere; ut propterea ad medica auxilia confugere fuerit coactus, quibus recte adminiſtratis, priſtinæ ſanitati ſe reſtitutum arbitratus eſt. Verum novi concubitus occaſione, iterum apparuit Gonorrhœa, tumor in colli parte anteriori, veluti bronchoceles emanavit, & quod magis moleſtum, tophaceus tumor in naſo, oſſi ejuſdem hærens in ſiniſtra parte, durus in baſi, rubeſcens, at in ſummo mollior, veluti aliqua materia, licet pauca, contineretur. Quæ omnia foventur à perenni deſtillatione ex capite, in muſculis temporalibus & occipite primo coacervata, cum hæc primo graveſcant, & deinde ad nares & os tranſmiſſa, ſicuti ab excrementis per eaſdem partes noctu effluentibus apparet, in ore quoque ulcuſcula excitantibus, licet levia. Cum autem de aliqua deformitate ſumma cum ratione dubitet, & ſolicitus ſit Nobil. Juvenis, ideo ad hanc evitandam conſilium implorat à conſummatiſſimis & celeberrimis Viris Patavinis.

Poſtre

Poſtremò Venereo & infecto concubitu, an iterum novam Gallicam luem contraxerit Nob. Juvenis, an forſan prægreſſam quoque refricuerit, dubitandum foret, niſi ab Eximio Viro Medico priorem ablatam & extirpatam Medicamentorum adminiſtratione certior fuiſſem factus; quam luem, malignam valde & inſignis efficaciæ vim obtinuiſſe & obtinere credendum, cum brevi tempore gradum poſtremum jam attigerit; quod facilius eveniſſe cenſendum; quia calidis & exuſtis in venoſo genere ſcateat humoribus, & pituitoſis excrementis in capite ſymboleitatem cum virulentia Gallica habentibus, cujus characteriſmus tandem in aduſtione conſiſtit: ſicut enim calor nativus ab eadem labefactatur, unde cruda emergunt excrementa, ita adſcititius, & p. n. adeo adaugetur & acuitur, ut inde exuſtio in humoribus cum excedenti acrimonia & aciditate ſuccedat: ut propterea mirum non ſit, ſi corrupto ab occulta non ſolum, verum & à manifeſta qualitate ſemine ipſo, irritata facultas, vaſorum expultrix, corruptum frequenter excernat, ſicque Gonorrhœa conſtituatur. Ab eadem vero prava qualitate labefactata cerebri (natura humidioris) concoctione, in eodem cruda, ſed acria, multiplicantur excrementa, quæ ad colli glandulas delabentia, tumores in iiſdem excitant, bronchoceli, ſive ſtrumis non diſſimiles: & ſpatia muſculorum pervadentia, ad naſi oſſa pervenerunt; quæ utpote craſſiora, eidem oſſi adhærentia, concreverunt, & tophaceum tumorem excitarunt, in fundo duriorem, gummatis naturam redolentem, in ſumma vero parte molliorem, tenuiori humoris portione aſcendentè; qui gummatoſus tumor ſicut progreſſu oſſa omnia, ita multo citius atque facilius teſſellum naſi inficere ſolet: dum interim à materia ſalivali pravis jam dictis qualitatibus infecta, noctu in os delabente, & moram faciente, corroſiones atque ulcuſcula facile provenient.

Patientis igitur Nob. ſtatus, quamprimum non ſolum, ſed ſtatim ope medica indiget, ut naſi os à carie præſervetur, de qua valde dubitandum: ſicut dubitandum quoque de priſtina & integra ſalute colli, niſi glandulæ hucuſque extrahantur, antequam proximæ inficiantur. Statim itaque aggrediatur Curatio, primas vias mundando. Secundo Maſſam ſanguineam depurando. Tertiò Alexipharmacis luem Veneream debellando; atque tandem Topicis affectis partibus incumbendo.

Quibus ſatisfaciendum erit repetita ſanguinis miſſione ex utroque brachio, quo nigro apparente, hæmorrhoides quoque tertio loco erunt aperiendæ.

Et pro prima explenda intentione, potio clarif. ex manna, aut ſyr. roſ. ſolut. opta. erit; deinde quinque diebus præparatio julap. acet. corticibus citri alterato ad ℥. iii. Mox alia potio ex ſyr. roſ. ſolut. & de polypodio.

Inde ad ſecundam intentionem explendam deveniendum erit ſuccis potius depuratis, quam ſyrupis ſaccharatis; depurentur itaque ſucci cich. bor. & fumariæ, & per arenam trajiciantur, exhibeanturque ad ℥. iii. in convenienti herbarum decoctione. Et tranſacta hebdomada aliud, repetatur Purgans, addendo quoque magiſt. Mechoac. ad acres & tenuiores ſeroſitates educendas; quibus Purgantibus ſemper ſuperbibat Nob. Pat. aquæ Nocerianæ libras.

Et quamvis ad ſanguinis depurationem perficiendam decoctio Epiht. Meſues maxime convenire videatur; attamen quoniam pilularum repetito uſu & ſecunda intentio abſolvi, & tertia quoque perfici poterit, ideo & minoris moleſtiæ, & celeritatis gratia, pilulæ pro capitis & totius expurgatione præſcribi poterunt, ex aggregat. cochiis præparatis, & aureis efformatæ, ter aut quater alternatim offerendæ: addendo Mercurium dulcem; non quia Mercurius ſit Gallici morbi Alexipharmacum, ut falo multi crediderunt & credunt: ſed quia propria liquandi atque fundendi facultate tenaciores humores attenuat, diſgregat atque colliquat, in quibus detinetur & conſervatur Gallica lues; liquati autem facile evacuantur & educuntur, & cum iiſdem educitur quoque Gallica ipſa lues, quæ in iiſdem, tanquam in ſubiecto, fundabatur. Pilulis autem aſſumptis, ſuperbibat pariter Nob. Pat. aliquod refrigerans & attemperans, aquam nimirum Nocerian. aut hordeaceam. Diebus verò intermediis aſſumat ſuccos depuratos cich. borag. & beton. in convenienti decoct. cephalica.

Inde ad quartam intentionem erit deveniendum Decocto ſudorifico, ex ℥. ii. ſalſæ, ℥. j. medullæ ligni guajaci, & ℥. j. viſci quer. verꝫ in lib. iii. aquæ ſtill. cich. & betonicæ, facta infuſ. & decoct. ad conſumpt. dimid. pro duabus vicibus, hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda: ſudor enim debet eſſe univerſalis, & præſertim capitis, utpote partis magis affectæ. Ex reſiduis vero parabitur potio conſueta, addendo in ~~fine~~ fruſtulum cinnam. & ſacchari albi ad libitum, ut, agitando, fiat aqua ſuavis vulgo dicta Cedrata. In Decocti & ſudoris uſu quadraginta diebus erit perſeverandum, cum tenuiori & extenuante victu: ptiſanam tamen hordeaceam quandoque concedendo, & carnes elixas die medicamenti decimo quoque die exhibendi. Quod ſi forſan ſudor non adeo facile proliciatur, una cum Decocto pulvis viperinus ad gr. xv. quotidie præbeatur.

Interim tamen affectis partibus erit proſpiciendum, & præſertim naris tumori, cui, toto præteritæ Purgationis tempore, ceratum oxelæum & mercuriale continuo apponendum fuerit: diligenter obſervando quomodo ſe habeat, nempe ſi durities emolliatur, & mollities reſolvatur, quæ præſtare ſolet ſalſæ Decoctum, tuncque iiſdem Topicis ſpes omnimodæ reſolutionis augebitur: ſin minus, os carie affectum non modo ſuſpicandum, ſed penitus credendum; quare tunc Cauſtico tumor aperiendus, & igne potius, quam ſolo ferro caries ſiſtenda atque tollenda: cum naſi oſſa, utpote ex laminis compoſita, & in ſummitate fere cartilaginoſa, raſpatoria inſtrumenta non adeo facile admittant. Inde perito Chirurgo reliqua Curatio committenda, exiccantibus oſſi, deinde balſamis & ſarcoticis, atq; tandem congruis epuloticis, ad deformitatem evitandam; Colli vero tumor forſan

glandula extracta, quod paulatim Catheretiсis potius, quam Septicis procurandum erit; quibus non ſufficientibus, ad Eſcharotica, & Cauſtica deveniendum, incipiendo à medicamentis, ex ærugine, alumine uſto, calce, & aliis hujuſmodi compoſitis; procedendo ad uſum Præcipitati, indeque ad legitima Cauſtica, ſi opus fuerit.

Hiſque omnibus congrua erit addenda victus ratio, a Doctiſſ. Viro præſcribenda, cui cætera quoque diſponenda relinquo. *Idem ibidem.*

Tumores duri Subcutanei Gallici in Adoleſcente,

Illuſtriſſimus præſens Juvenis, vegetioris indolis, forenſi ſtudio Venetiis apprime deditus & maxime incumbens, præhumidas ibidem ædes diu noctuque inhabitans, inſuetis cœpit hinc inde interius ad fauces ſub lingua, exteriuſque ad gingivas protuberantiis detineri, rubore quidem, tenſione duritieque donatis, indolentibus tamen: quas etiam utroque in inguine ac axillis utriſque copioſius intra cutem latitare, necnon in mamma dextera percipiens, Medicos ibidem conſuluit; qui in hoc conſenſere, ex ichore acri ac fervidiori extare affectionem: ulterius vero eam foveri à Celtica lue credidit Curationi Aſſiſtens, quod Juvenis ex præhabita re cum Muliere in glande virili ulcus contraxiſſet: unde reſpondentia conceptæ conjecturæ diſpoſuit ſcientifica remedia. Blande expedivit fæcibus alvinam regionem ipſa Caſſia: temperavit ardorem juſculis aliquot Cichoraceorum vi alteratis, & unica à dexteri brachii baſilica ſanguinis eductione; rurſuſque exhibita caſſia, electuarium ex Conſerva violarum cum pulvere guajacino melle & ſaccharo compoſitum, ipſique ſuperbibita aqua cum ſalſa parila parata, ac ſimul utraque per xx dies. Explevit omnia Patiens, & adjunxit ſemper congruam vivendi rationem: violentam tamen tolerantiam, conferentiam nullam expertus eſt. Confuſus Patriam petit, præter cæteros, & me in conſilium advocat. Præverſionem in temperamento Juvenis, multa caloris exuperantia factam, profero: bilem hinc multam progigni, non valente nativo calore, nimis alterato, ſatis coctiones conficere: adeſſe inſuper aliquod Luis inquinamentum, quo exaltatus calor, & inde vitiatæ coctiones, perenne fovent, ut Hippocratico utar exiomate, nutrimentum malorum: ſiquidem cruditatibus commiſta bilis, factuſque ſic ſalſuginoſus ac malignus ichor, qui vegeta adhuc viſcerum vi exploſus, & inſito adenum hauſtu receptus, attollit eoſdem in molem, & ſtrumoſos, me Judice, gignit tumores. Hos non ſuſtulit appoſita Curatio, quia impar valde extitit potentiæ morboſæ, quæ jam ultimos exceſſus gradus fere attingens, conſimiles expoſcit, ſaltem Contemperantium, modos, ni Antidoti ſummam virtutem: non enim ex æquo pugnare cenſeo virulentum Miaſma & efferveſcentiam caloris, hanc ubique in corpore adeſſe; illud ſolis hærere ſordibus & humorum ichoribus. Hinc ſummo ſtudio comparandæ prius nativæ temperantiæ; mox extinguendæ Lui incumberem. Pro prima intentione præſcripta à me, & à Patiente deſumpta, fuere alvum leniter ſubducentia, caſſia frequenter, malvina aqua interdum emollita, interdum diſſoluta, & deſtillata alterantia juſcula per aliquot dies ſoncho, endivia, violis, malva & hepatica ebullita: necnon per xx. alios dies ſucci depurati ex herbis refrigerantibus, emollientibus ac edulcorantibus, cum pari decoctione commiſti; inter quos pluries, reſtricta reclamante alvo, caſſiæ facta eſt repetitio, & miſſus eſt ſanguis ex brachio, qui fuſci coloris indecentiſque compaginis exiſtens, violentam ſui immutationem arguebat; cui præterea addita ſunt Corrigentia efficaciora, Balneum ſcil. aquæ dulcis, & longus lactis aſinin. uſus. Quibus omnibus corporis habitudo validioris vegetioriſque conſiſtentiæ fieri viſa eſt. Inſiſtendum itaque iiſdem, tanquam juvantibus, contendebam: ſed inſuper jam connectenda ipſis, quæ alteri poſſent inſervire intentioni, ſed ita accommodata, ut minime priori obſiſtere poſſent. Relictis igitur guajacinis & violentis præſidiis, quæ humores & partes ipſas exaſperant, intemperiem impenſe augent, humidum abſorbent nativum, diſſipant, & corpus in marcorem deducunt; victus rationem alexipharmacam quodammodo, ſic parandam, meditabar: Panem ex farina triticea ſelectiſſima, & de corde ſmilacis, ſeu ſalſæ parillæ, ac radice chinarum confectum, una cum carnibus eodem modo decoctis comederet. Biberet lymphatum vinum, non diſſimiliter diſpoſitum. Et ſi oblectamenti gratia aliquod deſumendum cuperet, parata contuſa ex amygdalis dulc. rec. pulpa caponis junioris, carne Teſtudinum nemoralium & ranarum in paſtas redacta regales deguſtaret. Hæc & hujuſmodi alia diſpoſiturus ex occaſione paranda, ut Inclytis in Arte Viris exponantur, exoror. Annui lubens, propriæ imbecillitatis non neſcius. Cupidiſſimus ſum nocendi nunquam, diſcendi & juvandi ſemper.

Præſens ſtatus Adoleſcentis Illuſtriſſ, quamvis non morboſus, ſed potius neuter exiſtimandus videatur, cum ſenſibiliter operationes non lædat: nihilominus cum doceat Hipp. Medicum non ſolum præſentia meditari, ſed etiam futura & imminentia prævidere teneri; idcirco quoniam exigua præſentia mala, majora minantur, cum intemperies non ſine occulta qualitate ſupponant, ab infecta Muliere, jam ulcere in pene apparente contracta, radicitus prava hujuſmodi ſeminaria evellenda eſſe dictat ratio, & præteritorum docet experientia. Non eſt igitur dubitandum de calida ejuſdem jecoris & cordis intemperie, ut ejus habitus & ad operationes omnes promptitudo jam nobis demonſtrant; cruditates quoque, tum ab intenſis ſtudiis & applicationibus, tum à præhumido incolatu contractas fuiſſe, ſanguinem conſpurcantes, non ſine aliqua exuſtione. Verum intemperies hujuſmodi ad tantum pervenire potuiſſe exceſſum in adoleſcenti ætate, in habitu mediocriter carnoſo, nec fuſci coloris, vix credi poſſet, niſi Celtica lues addita fuiſſet & addatur, quæ calorem naturalem labefactando, & eundem

dem p. n. acuendo, maſſam ſanguineam fervidiorem, adultam & craſſiorem reddendo, humores excrementitios multiplicando, naturam coëgerit ad eorundem expulſionem & ad os, & ad mammas, & alas, quibus in locis ſtrumoſi quidam, duri & mobiles tumores obſervantur; qui ideo tot refrigerantibus & humectantibus medicamentis non ceſſerunt, Gallica qualitate reſiſtente: ſed nec Alexipharmacis jam adhibitis, utpote levioribus, & vires cum morbo impares ac inferiores habentibus: hæc enim calidas intemperies quidem augere, ſed occultam qualitatem extirpare minime potuerunt: ut propterea obſervatum fuerit, quam maxime profuiſſe poſtrema adhibita refrigerantia & humectantia auxilia, quæ calorem ab Alexipharmacis antea adauctum moderare valuerunt.

Hoc igitur anni tempore adhuc fervido in intentionibus inſiſtendum eſſe crediderim, quæ refrigerandi & ſubſtantifice humectandi ſine virium jactura facultatem obtineant: in diuturnis enim Curationibus quandoque interquieſcendum docebat Hipp. ut natura jam defeſſa vires reaſſumendo, effectus & felices exitus ab adhibitis medicamentis prodere valeat. Quare ab uſu lactis deſiſtendum non eſſe cenſeo, ſingula hebdomada florem caſſiæ exhibendo, ſuperepoto ſero depurato, aut copioſa aqua Noceriana, cum victus ratione refrigerante & humectante. Præſente autem tranſacto Auguſti menſe, iterum ineundam eſſe Purgationem judico, quæ primas vias expiare; mox humores tum crudos, tum exuſtos præparare atque educere valeat, ſanguinem mittendo, ut facilius maſſa ſanguinea depuretur. Deinde decoctione Epithymi Meſ. iterum atque iterum præſcripta, aut ejus vice Extracto veratri & ſenæ cum caſſia, quibus ſuperbibat copioſum ſerum depuratum. Tandem ad Decoctum ſudorificum, etiam in illo non adeo congruo anni tempore, devenirem, ne Hyeme ventura Celtica lues magis magiſque ſerpat, & forſan ſolidas partes inficiat, aut tumores ipſi ad cutis ſuperficiem pervenientes, in ulcera herpetica depaſcentia convertantur. Decocti vero baſis dubio procul erit ſalſa, addito viſco querc. necnon medullæ guajaci & chinæ portione, in aq. ſtillat. cich. & beton. cui tamen præmitti debebit pulvis viperinus ſaltem ad gr. xx. attenuantis enim eſt facultatis, valde digerit, & ad cutem properat, ut dicebat Galenus in libris ſimplicium. Iiſdem diebus quibus excitabitur ſudor, fomenta partibus affectis profutura credo, necnon oris collutiones, quæ emolliendi & reſolvendi facultatem habeant, nimirum ex radice ſalſæ, althææ, lil. alb. chamæmeli, meliloti, ſem. lini & fœnugræci. Pro collutione vero oris, ſufficiet ſalſæ infuſio in aqua malvarum, addito quandoque ſucco pom. dulcium. Abſoluto ſudore quadraginta dierum, tota Hyeme vinum pro menſa medicatum parari poterit ſaltem radicibus ſalſæ atque Chinæ, ne guajaco amarum & inſuave reddatur.

Quibus cauta vivendi ratio erit addenda, præſertim totum corpus ab ambiente frigido diu, noctuque veſtimentis cuſtodiendo, ita ut nonnunquam, ſi poſſibile fuerit, ſudor proliciatur. Sic & in reliquis rebus nonnaturalibus rectus uſus ſervandus, à Sapientiſſimo Viro præſcribendus; ſicut cætera omnia corrigenda. *Idem ibidem.*

Gallica Lues.

Nob. Vir annum agens trigeſimum octavum, temperamenti totius calidi & humidi, calidioris jecoris, carnoſi habitus, poſt varos in rebus omnibus nonnaturalibus prægreſſos errores, & Gallicam luem bis contractam, moleſtari cœpit ventriculi imbecillitate, ulceribus oris, calore circa frontem, gravitate quadam inter cilia, & circa narium principium, ſyncipitis dolore, ſpontanea crurum laſſitudine & univerſali ſcabie. Hæc autem omnia variis medicamentis, & præſertim repetito Decocti uſu, expugnare tentavimus, ſemper tamen ſine ſudore, quæ quidem non fruſtra omnino adminiſtrata fuerunt: ſiquidem nonnulla ex dictis ſymptomatibus prorſus evanuere, nonnulla non parum remiſſa, pleraque tamen adhuc durant, imo & augeſcere potius videntur: quæ ideo Nob. Patientem ad tuam tandem tutiſſimam opem quærendam impulerunt, &c.

Dum Tu me collaudas, Eruditiſſime & in Arte verſatiſſime Vir, à tua commendatione multò magis, quam à meis ſcriptis, mei exiſtimatio emanere poteſt: ſiquidem à laudato Viro laudari decus maximum ſemper fuit; & quidem ſumma cum jucunditate te video ſcribentem, atque cognoſco: & dum mihi gaudeo, Arti Medicæ gratulor, cum in hac temporum corruptela non deſit Vir veræ Dogmaticæ Medicinæ Propagator, in quem dum incidit, Patienti Nobiliſſimo deſcripto arriſit fortuna; quandoquidem ideam & cauſam affectionum eundem moleſtantium vere tetigiſti, & proprias indicationes pro iiſdem auferendis à rei natura eduxiſti, necnon remedia in medium adduxiſti. Et ego namque tecum cenſeo Nob. Patientem jecur præcalidum quidem, non tamen adeo fervidum à natura ſortitum fuiſſe, à quo tot mala totque enarrata ſymptomata prodiiſſe ſit credendum, ſed fervidus multo, una cum ſanguine fuiſſe redditum puto, tum à Gallica lue bis contracta, tum vero ab Alexipharmacis variis formulis pluries exhibitis, quæ licet, ut Alexipharmaca, non calefaciant, cum occulta qualitate agant, calefaciunt tamen ſuis manifeſtis qualitatibus calidis, quæ jecoris, hypochondriorum & ſanguinis fervorem adaugere potuerunt. Et nihilominus præter hanc, licet excedentem, calidam intemperiem, repetita oris ulcera, moleſtiam perſeverantem, tum in extremitate narium, tum in oſſe Ethmoyde, Scabritiem continuam in fronte, cæteraque enarrata ſymptomata cauſam occultam habuiſſe credendum; & Gallicæ luis ſobolem eſſe pro certo habendum: cujus occulta ſigna inquirenda eſſent, niſi jam dicta manifeſtiſſima adeſſent, & multò magis hucuſque ſæviſſet in corpus, niſi & ab Alexipharmacis repreſſa fuiſſet, & calidum & humidum totius temperamentum cum habitu carnoſo eidem reſtitiſſet: ſiquidem Gallici characteriſmus tandem eſt ipſa exuſtio.

Quare cum ad tertium gradum non adhuc pervenerit affectus iſte, & adhuc habitudinalis ſit, Curatio ſtatim ineunda, ut prorſus auferatur: dubiam enim nobis reddere non poteſt ejus ſalutem morbi plurium annorum pertinacia, quoniam ut mihi videtur, congrua & abſoluta nunquam fuit adminiſtrata Curatio, quam felicem ſine ſudore vidiſſe mihi rariſſime contigit, eamque tantum in affectu recenti, à poſtremo inventa aqua antimoniali à me deſcripta. Certior itaque atque perfecta Curatio eſt eligenda, primas vias expiando; obſtructiones aperiendo; maſſam ſanguineam depurando; Gallico Alexipharmacis occurrendo; atque tandem calidam hypochondriorum ac jecoris intemperiem corrigendo.

Quibus intentionibus ut ſatisfieri poſſit, iterata ſanguinis miſſio à fonte Chirurgico erit depromenda, ex brachio & pede, vel venis ſedalibus. Et quoniam eradicativa inſtituitur Curatio, ideo Cauterium ut remedium præſervativum in præſens omitto.

A Pharmacia reliqua ſunt deſumenda remedia. Et pro primarum viarum expiatione, electuarium lenit. cum crem. tartari ſufficiens erit; & quinque ſequentibus diebus oxymel dilutum ad ℥. iii. moxque repetitum jam dictum Leniens. Inde ad ulteriora Præparantia & obſtructiones reſpicientia deveniendum: quas quoniam ſiccitatem aliquam contraxiſſe credendum, humectantibus ideo eſt opus; quare ſucci depur. cich. & borag. ad ℥. iii. erunt eligendi, in decoct. cich. borag. endiv. agrimoniæ; ſeptemque tranſactis diebus, electuario lenitivo erit addendum electuarium de ſucco roſarum, & confectio Hamech; cui medicamento poſt horam ſuperbibat ſerum depur. ad ℔ ii. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Mox repetatur nova præparatio ſuccis depur cich. borag. & fumariæ, pariter ad ℥. iii. in eadem decoct. additis quoque foliis meliſſæ, fumariæ & betonicæ, in qua diſſolvantur gr. x. aut xii. tart. vitriolati; quibus, ſeptem aliis diebus aſſumptis, ſuccedat purgans ex elect. lenit. de ſucco roſ. confectione Hamech, & Extracto ſenæ paratum, cui propinetur ſuperbibendum ſerum, ut ſupra. Et rurſus duobus diebus ſequentibus præbeantur ſucci cich. borag. & beton. in eadem decoctione; quarto vero die aſſumat pilulas capitales coch. aureas, & ratione totius, etiam aggregativas ad an. ℨ. ß. quibus pariter ſuperbibat aut ſerum, aut aquam hordeaceam.

Hiſque peractis, Decoctum ſudorificum erit ita inſtituendum.

♃. Salſæ opt. inc. ℥. ii. viſci querc. medullæ guajaci an. unc. j. ſantal. alb. ℥. ß. aq. ſtillat. cich. borag. beton. an. ℔. j. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & facta colatura ſervetur pro duabus vicibus, matutino tempore, hora una ante ingreſſum hypocauſti ſumenda. Paretur autem ita potio conſueta.

♃. Reſiduum, detracto guajaco (quod ideo in petia adalligatum in Decocto jam dicto ponendum fuerit) aquæ opt. ℔. xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebullitionis addendo cinnam. integri ℨ. ii. bulliant parum, fiat colatura, in qua adhuc fervente diſſolve ſacchari albi ℥. iv. & ſi placeat, addantur quoque fruſtula citri rec. ut ſuavior evadat ipſa potio pro menſa. In hujus Decocti uſu perſeverandum eſſet quadraginta diebus, niſi obſtet Æſtatis calor, alioquin ſaltem triginta; citius enim Curatio aggredienda erat. Decimo quoque die præbenda eſt potio ſolutiva ſyr. roſ. ſolut. vel mannæ clarificatæ, victuſque conſuetus ſint nuclei pinei, amygdalæ ſaccharo incruſtatæ, paſſulæ & panis biſcoctus; die vero medicamenti caro elixa, & hordeum probe coctum, ſemper à vino abſtinendo. Aquæ autem Antimoniali noſtræ in hoc caſu Decoctum jam dictum ſudorificum, ut omnino tutius, præferendum cenſeo.

Peracto ſudore, jecoris & hypochondriorum calor eſt contemperandus; in quem finem opportuniſſimæ erunt aquæ acidulæ, aut ferratæ, ut Villenſes, primis diebus cum vehiculo dejectorio, poſtremis vero uſque ad quintumdecimum cum vehiculo diuretico propinandæ. Quod ſi præſto non fuerint aquæ jam dictæ, eaſque adire renuat ipſe Patiens, ſubſtituatur uſus Emulſionis ſem. melon. dilutæ, cum aqua de ſucco cichor. extractæ ad lib. j. quotidie ſummo mane, addendo ſyrupum de ſucco limonum, quindecim aut viginti continuatis diebus; quo tempore, ſi ſummæ Prudentiæ tuæ opportunum videbitur, aperiri poterit vena jecoraria, ut calor venoſi generis ventiletur, exiguum tamen ſanguinem educendo.

Et ut Curatio certior evadat, ineunte Autumno vinum pro menſa paretur medicatum viſco querc. ſalſa, & ſantalis ad ℥. j. pro unaquaque ſitula, in cujus uſu perſeveret uſque ad Hyemis initium.

Et jam dictis omnibus propria victus ratio erit neceſſario addenda, alimenta calida & vaporoſa prohibendo, & reliqua præſcribendo, quæ congrua & opportuna tuo prudentiſſimo judicio viſa fuerint, cui cætera quoque omnia non dirigenda ſolum, verum & corrigenda lubens committo. *Idem Centur.* 4.

Lues Gallica.

Reverendiſſimus P. trigeſimum agens annum, temperamenti totius & jecoris ad calidum & humidum vergentis, mediocris habitus, Venationibus & violentis exercitiis deditus, libera vivendi ratione uſus, multis jam annis Gonorrhœam Gallicam contraxit, quæ quamvis ſatis expurgata & opportune curata fuerit, eidem tamen P. puſtulæ in capite eruperunt, Gallicam infectionem in corpore relictam ſignificantes, quæ tamen inde graviora non intulit ſymptomata. Verum menſe Decembri proxime præterito novam, & priori moleſtiorem Gonorrhœam rurſus contraxit, à qua congruis medicamentis à nobis curatus, tantum levamen accepit, ut à lue Gallica prorſus ſeſe immunem ipſe exiſtimaverit: ſed poſt varios errores in vivendi ratione commiſſos, & præſertim in Venationibus & motibus violentis, non ſolum puſtulæ rurſus extuberarunt in

capite, verum & in gutture phlogoſis, ſeu inflammatio cum rubore & calore apparuit, deglutiendi difficultatem inducens, & caries in pene emerſit. Quæ omnia cum Gallicæ luis germina à nobis exiſtimata fuerint, ideo vera & regulari Purgatione Gallicam qualitatem expurgante egere cenſuimus; ut propterea Lenientibus, & Purgantibus adhibitis, bis fuerit extractus ſanguis, exuſtus, ſine fibris, & vice ſecunda priori pejor; mox Præparantia efficaciora atque Purgantia adminiſtrata fuerunt, & in præſens de decoctione Epith. Meſ. exhibenda cum ſero cogitabamus, ut tandem ad ſudorificum Decoctum devenire poſſemus, de more ad quadraginta dies exhibendum. Quoniam vero Reverendiſſ. P. tutius. citius & jucundius ſanari deſiderat, ad Oracula Patavina ſeſe conferre decrevit, cui decreto & nos libenter ſubſcripſimus, ejuſdem ſalutem ex corde exoptantes.

Reverendiſſ. Patientem lue Gallica ſecundi gradus infectum eſſe, eſt luce clarius; ſiquidem omnia ſymptomata ejus præſentiam demonſtrant, prægreſſa nempe Gonorrhœa contracta, caries in pene, Gallicæ verrucæ circa pudenda, puſtulæ cruſtaceæ in capite subortæ, quibus ſuppreſſis ſucceſſit faucium inflammatio, atque tandem in gargareone corroſio & ulcus, quod majori ex parte ab Uvula tegitur, adeo ut ex toto conſpici nequeat: tendit tamen ad Sphenoide, & in fine palati os hyoide tegentis, prope Uvulam utrinque cernitur inflammatio, quæ & ipſa ulcus minatur; quare ſpiritus & humores eadem Celtica lue infecti ſunt ſupponendi, & per conſequens hepar ipſum; à quibus huc & illuc virulentia defertur, partes carnoſas & muſculoſas quoque afficere incipiens, dum præter ulcus, dolores quoque in variis corporis partibus ſoboleſcunt. Neque mirum quod catarrhalis materia, à capitis intemperie calida & humida antea produci ſolita, copia & ſalſa qualitate peccans, mox copioſior & ſalſuginoſa magis reddita fuerit, cum Gallicæ qualitatis proprium ſit, nativum calorem labefactare, ſicque crudæ & catarrhalis materiæ proventum adaugere, ſicut calorem præter naturam auctiorem & intenſiorem reddere, & ita ſalſedinem introducere, ut propterea ultimus ejuſdem characteriſmus in aduſtione conſiſtat.

Omnia igitur agenda, ut hoc Verno tempore Reverendiſſ. Patiens ab hac virulentia Gallica prorſus immunis reddatur, antequam ulterius ſerpat, & oſſa inficiat; quod nos aſſequi poſſe non eſt dubitandum, cum recens menſium, & non annorum ſit hujuſmodi infectio.

Primæ viæ itaque mundandæ; maſſa ſanguinea ab excrementis depuranda; caput purgandum; Alexipharmacis propriis lues debellanda, & uno eodemque tempore capitis intemperies humida corrigenda; partibus affectis Topica adhibenda; atque tandem fervor viſcerum & vaſorum erit contemperandus.

Primæ & ſecundæ intentioni fere ex toto ab Excellentiſſ. Viro Adſtanti ſatisfactum fuit. Verum quoniam ſanguis, etiam ſecunda vice extractus, ater admodum & exuſtus comparuit, idcirco tertiam miſſionem ab Excellentiſſ. Viro propoſitam ex brachio d xt o commendo; & interim ad majorem ſanguinis defæcationem, decoctionem Epith. Meſ. ſyrupo roſ. aut viol. ſolut. temperatam, tribus vicibus exhibendam cenſeo, cui ſeri copiam ſuperbibat; Sicut pro tertia intentione explenda, bis circa noctis dimidium pilulæ capitales Paracelſi erunt præbendæ, quibus pariter ſummo mane ſerum depuratum erit propinandum; & diebus intermediis ſucci depurati præſcribendi cich. beton. atque fumariæ, in jure endivia, ſoncho, borag. meliſſa & carduo ſancto alterato.

Quartæ & quintæ intentioni ſatisfacere poterit Decoctum ſudorificum ita parandum.

♃. Salſæ parillæ opt. inciſ. ligni viſci querc. an. ℥. j medullæ guajaci rec. ſantalorum alb. an. ℥. j. ß. aq. ſtillat. cich. ℔. ii. beton ℔. j. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde bull. ad conſumpt. dimid. & colatura ſervetur pro duabus vicibus, matutino tempore, hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Sudor autem ſit univerſalis: caput enim eodem potiſſimum indiget, & ideo hypocauſto, non autem alio inſtrumento ſudatorio utendum. Aqua pro potu talis erit.

♃. Reſiduum, aq font. ℔. 12. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine vero ebullitionis adde cinnam. integri fruſtulum, & facta colatura, eidem adhuc ferventi adde ſacchari albi ad guſtum Patientis, & fruſtula citri rec. ut fiat aqua dicta Cedrata. In uſu Decocti & ſudoris quadraginta diebus perſeverandum, & victu extenuante conſueto utendum, ptiſanam hordeaceam nonnunquam concedendo, & decimo quoque die potionem ex manna clariſ. præbendo.

Interim dum hæc omnia fiunt, ulceri quotidie incumbendum, & omnium primo Detergentibus, mox Sarcoticis, atque tandem Epuloticis utendum, habita ſemper Celticæ qualitatis ratione. Primò eget Detergentibus, quoniam materia ſanioſa, ſi conſpici non poteſt in ulcere ipſo, conſpicitur tamen inferius in ſuperficie linguæ, dum ab ulcere decidit; idcirco aqua hord. cum melle roſ. pro gargariſmo utendum, ſed præterea quandoque aqua Tettuciana quoque utiliſſima & tutiſſima erit. Mundato ulcere, Sarcoticis, ſed quodammodo exiccantibus utendum; & ideo pro gargariſmo parari poterit decoctio longa, ex ſalſa & exigua medulla guajaci, in aqua plantag. cui addendæ erunt gutt. ſpirit. vitrioli primis diebus: in progreſſu vero illa eadem decoctione extrahi poterit tinctura roſarum cum ſpir. vitrioli, aut extrahatur tinctura roſarum cum ſpiritu vitrioli in aqua pura plantaginis, cujus portio miſceatur præſcriptæ decoctioni lignorum. His ſolis gargariſmis, ſine igniti ferri admotione ulcus ſatis exiccari poſſe ſperandum, cum recens ſit, nec adhuc calloſum eſſe poſſit. Tandem decoctio parabitur ex ſalſa & ſantalo in aqua plantag. aut foliorum quercus, qua extrahi poterit tinctura roſ. cum ſucco citri, aut limon. pro ulcere ex toto exiccando atque conſolidando: decoctioni addendo quoque aliquam ex herbis vulnerariis, nempe polygonum, myrtum, ſymphytum, millefolium, &c.

Poſtremæ intentioni ſatisfaciendum erit aqua aliqua refrigerante, ut eſſet Noceriana; ſed minus operoſum erit exhibere quotidie, quindecim aut viginti diebus, ſummo mane, cyathum aq. ſtillat. de ſucco cich. cum Conſerva de acido citri, aut præmittere Conſervam roſarum; qua eadem Conſerva uti poterit per menſem, tum ſtatim à prandio, tum veſperi ſub ingreſſum lecti.

Quibus congrua vivendi ratio erit addenda; & inter omnia monendus Reverendiſſ. P. ut à ſudorifico Decocto corpus totum veſtibus optime munitum cuſtodiat, & à frigore diu noctuque defendat: cæteraque omnia mandata ſervet, à Viro Præſtantiſſ. & in Arte conſummatiſſimo præcipienda. *Idem ibidem.*

Gallica Lues in Hypochondriaco.

Nob. Adoleſcens vigeſimum primum annum agens, temperamenti totius & jecoris ad calidum & ſiccum vergentis, mediocris habitus; cum Studiis operam daret in quadam Academia extra propriam Urbem, jam Gallicam Gonorrhœam contraxit, & paulo poſt febre correptus fuit; pro cujus Curatione accerſitus Medicus, medicamenta præſcripſit, & ſanguinem ex vena brachii educendum juſſit, inſcius de Gonorrhœa, quam ob verecundiam atque timorem Adoleſcens ipſe celaverat; quibus remediis febris curata fuit, ſed Gonorrhœa ſuppreſſa, & ideo inde nunquam bene ſe habuit, de corporis laſſitudine & virium proſtratione ſemper conqueſtus, multo etiam quam antea gracilior redditus. Rugitus præterea in hypochondriis inſurrexerunt, cum viſcerum, & præſertim jecoris atque meſenterii obſtructionibus tactui manifeſtiſſimis, quæ magis magiſque adauctæ fuerunt, dum Romam profectus, initio menſis Februarii febre correptus fuit, & abundantiſſimo aquæ Nocerianæ potu abuſus eſt, adeo ut poſt febrem, obſtructionibus reſerandis Medici incumbere coacti fuerint. Et quamvis quatuor fere integris menſibus ſub eorum cura manſerit, parum tamen profecit, cum obſtructiones perſtiterint, & nonnunquam adhucnum febriculis corripiatur. Bene tamen ſe habet ad oblata: cibum enim convenienter appetit, moderate bibit, alvum ſatis obedientem, imo quandoque nimis lubricam habet. Modo menſe Julio percurrente ad medica auxilia Patavina confugit, hecticam febrem & tabem non ſine ratione ſibi ſuperventuram veritus, promittens ſe medicis præceptis prorſus obtemperaturum.

Ad febres diſpoſitum fuiſſe Nob. Adoleſcentem, ob naturale temperamentum totius & jecoris calidum & ſiccum, jam ſatis conſtat, quam tamen diſpoſitionem adauxit Gallica lues contracta, cujus characteriſmus eſſe ſolet ipſa aduſtio: ſicut enim calorem naturalem exterminat, ita eundem præter naturam adauget, quo factum fuit ut coctiones ſtatim laborare in Adoleſcente Nob. cœperint, poſtquam medicamentis & ſanguinis miſſione, Gonorrhœa ſuppreſſa, viſcera naturalia una cum tota maſſa ſanguinea tabo Gallico infecta fuerunt: ut propterea facile poſtea cruditates multiplicatæ fuerunt, & obſtructiones in viſceribus adauctæ, quæ hypochondriacam flatuoſam affectionem introduxerunt, & novæ febri occaſionem præbuerunt, qua Romæ curata, indulgentiori aquæ potu obſtructiones ipſæ magnopere adauctæ fuere, nec aperientibus medicamentis, non adeo apte ſecundum mentem noſtram adminiſtratis, ceſſerunt. Quare mirum non ſit, ſi jecore valde obſtructo, hæmatoſis non bene procedat, & nutritio totius imminuta evadat, macieſque invaleſcat: cruditatibus vero cumulatis febriculæ frequenter ſuccedant: & ab obſtructionibus ipſis intercepto alimentis tranſitu, contingat eorundem corruptio, & per alvum liquida excretio.

Sedulo itaque curandum, ne calor febrilis, modo habitudinalis exiſtens, habitualis evadat, & febricula quæ in præſens à cruditatibus procedit, fixa & hectica fiat: cum enim temperamentum ſit calidum & ſiccum: totum corpus lue Celtica infectum & emaciatum: inter ſymbolica vero facilis ſit tranſitus; ideo ſtatim ineunda Purgatio, primas vias mundando. Secundo Obſtructiones cautiſſime per partem poſt partem aperiendo. Tertio Hepatis, hypochondriorum & ſanguinis calorem contemperando; atque tandem totum corpus renutriendo, & alio tempore Gallicam luem extirpando: quod quidem præſtare etiamſi anni tempus permitteret, ante prædictorum executionem non liceret.

Pro prima igitur intentione explenda, aſſumat primò potionem ex ſyrup. roſ. ſolut. cui ſuperbibat jus carnium hordeo alteratum. Mox quinque diebus ſummo mane aſſumat.

♃. Julap. acet. ſyr. de pom. aq. tot citri an. ℥. j. m. Deinde repetat Leniens.

♃. Flor. caſſ. rec. extr. Elect. lenit. an. ℥. ß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. libram, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Pro ſecunda intentione, ſequenti die aſſumat ſuccos depuratos & per manicam trajectos, cich. borag. & pom. dulc. ad ℥. iii. in jure carnium alterato foliis malv. violarum, ſonchi & pentaphylli. Sequenti vero die rhabarbarum ita exhibendum.

♃. Rhabarb. mat. ℈j. floris caſſ. q.ſ. ut f. boli ij. quibus poſt horam ſuperbibat.

♃. Seri capr. aut aſin. deſtill. ℥. vi. ſyr. de pom. ℥j. m. & ita alternatim perſeveret xv. diebus, aſſumendo ſuccos & bolos. Inde ulterius progrediendum ad hepatis obſtructiones reſerandas, rhabarbarum infuſum exhibendo ita.

♃. Rhabarb. mat. ℨ. i. aq. ſtillat. de ſucco cichorii ℥. vi. ſucci limon. ℨ. j. m. f. inf. per hor. xii. deinde f. expreſſio, & colaturæ addatur ſyrupi de ſucco limon. de pom. an. ℨ. ß. m. pro potu matutino, quatuor horis ante cibum. Sequenti vero die præbeatur jus pullæ aut vituli, alteratum foliis malv. cich. borag. endiv. ſonchi, agrim. in quo diſſolvantur gr. xii. ſalis tart. fixi, quatuor horis ante

cibum

cibum offerendum; ſicque perſeveret xv. diebus, alternatim infuſionem rhabarbari & jus aſſumendo. Quibus diebus terminatis, præbeatur ſerum copioſum ad libras cum vehiculo ſyrupi violati ſolut. aut floris caſſ. rec. extractæ.

Inde ad tertiam intentionem explendam erit deveniendum, parando Emulſionem ex ſem. frigidis, quæ nutriendi quoque facultatem obtineat,

Ita ♃. Sem. melon. mundat. ℥. j. ſem. anguriæ, cucurb. mundat. an. ℥. ß. amygdal. dulc. rec. mundat. n. xx. m. contund. & cum jure pullæ, aut vituli extrahatur Emulſio, cui addatur ſacchari albiſſimi cochlear; pro potu matutino, quatuor aut quinque horis ante cibum, xx. diebus aſſumendo. Et interim antequam anni tempus tepeſiat, horis veſpertinis Balneum univerſale parari poterit aqua dulci, foliis malv. violarum, nenuph. & ſalicis alterata, quæ tamen vix tepida eſſe debet, viginti diebus adminiſtrandum; corpore vero à Balneo leniter exterſo, fiat univerſalis inunctio oleo amygdal. recenti.

Tandem ad lactis uſum, horis matutinis, de more cum ſaccharo Nob. Adoleſcens erit ducendus, incipiendo ab unciis quinque cum ſemicochleari ſacchari, & paulatim ad uncias decem cum integro ſacchari cochleari aſcendendo. Primis xv. aut xx. diebus ſit aſininum: mox triginta ſequentibus diebus caprinum, quinque ſaltem horis ante prandium bibendum.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio correſpondeat, non obſtruens, non valde calefaciens, refrigerans & ſubſtantifice humectans, à Viro Excellentiſſimo Adſtanti diligentiſſime præſcribenda, ne Medicamentis contra operetur: ſublatis enim, aut ſaltem valde imminutis manifeſtis affectibus, totoque corpore reſtaurato, alias de occulta Celtica qualitate extirpanda cogitandum erit. *Idem ibidem.*

Gallica Lues.

Gallico affectum eſſe Nobiliſſimum Virum ex eo nobis conjicere licet, quod duobus jam anteactis annis rem habuerit cum Muliere ſuſpecta, nec unquam ab illo congreſſu ſalubrem vitam degerit, ſed ſemper valetudinarie vixerit, refractis nimirum viribus, totiuſque nutritione vitiata, quæ abditi & latentis intra corpus Gallici indicia eſſe ſolent: præterea progreſſu hinc inde dolores tum in artubus, tum in internodiis, tum vero maxime in capite acceſſerunt cum extuberantiis, quæ ſi non adhuc perfecta gummata ſunt, gummatoſam tamen naturam redolent. Et quamvis ejus Nobiliſſ. Uxor immunis ab hujuſmodi lue ſervata fuerit, beneficium hoc Menſtruis copioſis copioſiſque lochiis inſequutis partubus aſcribi poteſt, ſicut & Natorum immunitas in Naturæ providentiam optimum ſuccum allicientis, & pravum reſpuentis, pro fœtuum alimonia, eſt referenda. Sed etiam addamus, Gallicam luem non adeo ferinam fuiſſe, ut ideo quandoque contingat eandem ab humoribus ad ſolidas magna ex parte ſecedere, & humores non adeo infectos relinquere: ſolida namque occupaſſe non eſt dubitandum, carnoſa ſcilicet & membranoſa, nondum tamen oſſea, & ideo tertium quidem gradum Gallicum attigiſſe, at non ad ejuſdem terminum perveniſſe cenſendum.

Propterea hoc anni tempore congruo, non modo ulterior progreſſus inhibendus, verum & ejuſdem radix omnino extirpanda, quod conſequi nos poſſe minime dubitandum Si ſtatim primæ viæ expientur. Secundo Maſſa ſanguinea à redundantibus excrementis depuretur. Tertio Caput purgetur. Quarto Celtica lues propriis Alexipharmacis expugnetur: atque tandem jecoris calida intemperies corrigatur, caputque roboretur.

Pro quibus explendis intentionibus, à fonte Chirurgico duplex eſt depromenda ſanguinis miſſio, altera ex brachio, altera in progreſſu ex pede.

Primarum viarum expiatio fiat ſyrupo roſ. & manna clarificata; vel electuario lenit. & caſſia. Et Præparatio prima ſit hujuſmodi.

℞. Julap. acer. ℥. ii. aq. florum citri ℥. j. aq. cinnam. ℥. ß. m. pro ſyr. & ſic pro quinque aliis; à quibus repetatur alterutrum prædictorum medicamentorum. Inde ſubſequatur ulterior humorum præparatio ſuccis depuratis cich. borag. ſonchi. an. unc. j. in decoct. cich. borag. endiv. malvæ, meliſſæ ad unc. v. m. pro ſyr. & ſic. pro aliis ſeptem. Inde ſequatur humorum præparatorum expurgatio

♃. Elect. lenit. ʒ. vi. Extracti ſenæ, elect. de ſucco roſarum, confect. Hamech an ʒ. j. m. f. boli, & poſt horam ſuperbibat aquæ Nocer. aut hordeac. ℔. j. ß. tribus vero horis ab aſſumpta aqua prandeat. Vel paretur potio ex ſyr. roſ. ſolut. & de polypod. an. unc. iii. aquæ florum citri parum, m. pro potu; tribus horis ab aſſumpta potione ſuperbibat aquam jam dictam, & duabus horis ab aqua prandeat. Sequentibus vero tribus diebus aſſumat tale Præparans.

♃. Succi depur. & per arenam trajecti cich. fumar. betonicæ an. unc. j. ſalis tart. fixi gr. x, decoct. cich. borag. malvæ, meliſſæ, beton. ſtœchados unc. pro ſyr. & ſic pro aliis. Hiſce tribus tranſactis diebus, aſſumat decoctionem Epith. ita.

♃. Decoct. Epith. Meſ. ℥. iv. ſyr. roſ. ſolut. ℥. iii. aquæ florum citri parum, m. f. potio, & tribus horis ab aſſumpta potione ſuperbibat aquæ Nocer. ℔. ii. duabus horis ab epota aqua prandeat; deinde tribus ſubſequentibus diebus repetat ſuccos, ut ſupra, & rurſus decoctionem Epith. Meſues. Poſt quam adhuc ſuccos aſſumat, & inde pilulas capitales ita parandas.

♃. Pilul. cochiarum præpar. ʒ. i. aurearum, aggregat. an. ℈. j. Mercurii dulcis gr. x. m. reform. pilulæ, & aurentur. Jam dictis autem intermediis diebus, matutinis horis, caput expurgetur quoque per Errhina.

♃. Pulv. major. ireos. nigellæ an. ʒ. ii. m. f. pulvis per nares attrahendus.

Toto & capite expurgatis, ad Alexipharmacum eſt accedendum, Decoctum ſcil. ſudorificum ita parandum.

♃. Sal-

♃. Salſæ electæ, viſci querc. veri an. unc. j. medullæ guajaci rec. ſantal. alb. an. unc. ß. aq. ſtillat. cichorii, beton. an. ℔ j. ß. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſervetur pro duabus vicibus, hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda.

♃. Reſiduum, detracto guajaco, quod ideo in petia alligatum in decoct. infundi & ebulliri debet, aq. fontis lib. xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine vero ebullitionis adde fruſtulum cinnam. integri bull. parum, & f. colatura, in qua adhuc fervente diſſolve ſacchari albi unc. iii. vel iv. ad libitum, pro potu conſueto. Sudor paulatim alliciatur; & primis diebus potius ſudet in lecto poſt egreſſum ab hypocauſto, progreſſu vero maneat in hypocauſto per horæ dimidium, & non ultra. Decimo quoque die præbeatur potio ex manna clarificata: ſudet triginta diebus, nempe toto menſe Junio; & victus ſit attenuans & tenuis concedi tamen poteſt tertio quoque die priſana hordeacea cum ſaccharo ob ejuſdem exuſtam naturam; nunquam vinum bibat, licet dum aſſumit potionem ſolutivam, carnem elixam comedere poſſit.

Terminato ſudore, jecoris calor contemperandus; in quem finem Nobiliſſimus Vir ſummo mane per xv. dies bibat aquæ ſtillat. de ſucco cich. libram, in qua diſſolvatur cochlear Conſervæ de acido citri; & ſtatim à prandio aſſumat Conſervam roſarum: ſicut quoque ſub ingreſſum lecti aut eadem Conſerva, aut è floribus beton. frequenter uti debet.

Hiſque omnibus congrua victus ratio addatur, & præ omnibus corpus ab aere externo bene munitum diu noctuque ſervet, multis diebus ab exacto ſudore; ſic ab omnibus vaporoſis, tum calidis, tum valde humidis multo tempore abſtineat, quouſque caput bene firmatum fuerit, ut à vinis generoſis: à lacticiniis omnibus; à lactuca, à fœniculo & apio, ab uſu aromatum & condimentis allii, aut cæparum. Et in cæteris omnibus, tam in victus ratione, quam in præſcriptorum adminiſtratione, Excellentiſſimo ſuo Aſſiſtenti ſemetipſum committat. *Idem ibidem.*

Morbus Gallicus contumax.

Nob. Juvenis vigeſimum ſeptimum annum agens, temperamenti ſecundum totum, & maxime ſecundum jecur calidi & ſicci, imbecillis ventriculi, gracilis habitus, potius fuſci coloris: cum nuper præteritis annis Patavii Lauream Doctoralem in Jure conſecutus fuerit, Patriam verſus iter aggreſſus, rem habuit cum infecta muliere, & propterea ſequenti die urinæ ardorem pati cœpit, quotidie ſemper magis increſcentem, cum renum dolore & ſeminis per penem deſtillatione. Domum autem perveniens, dolor quoque in inguine ſupervenit cum exiguo, ſed dolorifico tumore: nec tamen ſe Gallico infectum exiſtimabat, dum alias cum mulieribus infectis impune concubuerat. Et quoniam Parentes ejus divites, Prolis conſervationem optantes, de Nuptiis cum divite atque pulcherrima Puella ſoliciti erant, ipſe de proprio ſtatu quendam Chirurgum ſibi domeſticum conſuluit, qui cum Gallicum hunc eſſe affectum pro certo pronunciaverit, Juvenis eundem celare decreverat, rogans Chirurgum ipſum ut fluxum ſeminis cohiberet, & tumoris reſolutionem quamprimum curaret; idque, ut ipſi morem gereret, præſtitit, dum adducto prætextu, jecoris atque ſanguinis fervorem contemperandi, inita fuit Purgatio medicamentis ſolventibus, ſanguinis miſſione repetita, Alterantibus & Aſtringentibus: quibus Gonorrhœa ſuppreſſa fuit, & tumor in inguine fere ex toto evanuit; ſed paucis poſtea diebus, Autumno ineunte, dolores in capite, præſertim horis veſpertinis increſcentes experiri cœpit, ſomnum omnino impedientes; præterea laſſitudines & ad motum pigritia atque difficultas ſupervenerunt. Interim macies totius obſervari cœpit, & ingruente anni tempore frigido, tumores quoque in fronte apparuerunt: quibus ob anni tempus incongruum, à Medicis illius Vrbis ſolis Anodynis topicis externis proviſum fuit; Hyemis vero progreſſu, in crure quoque dextero, atque tandem in internodio brachii ſiniſtri tumores valde dolorifici extuberarunt, ſicque affectus ipſe ſeipſum manifeſtavit: ut propterea conſultum fuerit à Medicis, ferum tabum Gallicum, totius & capitis convenienti expurgatione præmiſſa, propriis Alexipharmacis expugnandum eſſe; quæ tamen adminiſtrata, etiam cum ſudorifico Decocto, contumax hujuſmodi malum remittere quidem, at non ex toto auferre valuerunt, cum Æſtate tota vitam languoribus, & doloribus refertam duxerit, tumoribus quoque nunquam ex toto reſolutis. Quare modo ſub finem Æſtatis Patavium rurſus petere, & ad manus noſtras pervenire decrevit; ut de agendis Conſultationem à nobis acceptam, in Patriam noſtram pervenire decrevit, ut de agendis Conſultationem à nobis acceptam, in Patriam reverſus, executioni mandaret.

Peſtifer iſte morbus, quamvis Gallici nomen acquiſiverit, quoniam Galli omnium primi apud Neapolim ab Hiſpanis ipſum cõtraxerint, nihilominus antiquiſſimus eſt affectus, de quo Hipp. quoque ſub alio nomine mentionem fecit: ſed viguit & viget magis, vel minus apud nonnullarum Regionum Gentes, prout magis, vel minus fœdas atque impuras partes pudendas ſibi cuſtodiunt: etenim multa ab initio corrumpunt, quæ tamen contagioſa non ſunt, idque quoniam carent potentia illa permeandi, tranſmutandi & adhærendi: quas conditiones acquiſivit eundo lues iſta, modo Gallica dicta. Non deſunt quoque qui in maleficos Cœli influxus, hanc, vel illam Regionem, aut Urbem aſpicientes: hujuſce affectus cauſam referant; ut ſi fiat conjunctio Martis cum Saturno, & iſti in Scorpione conjungantur, ut propterea Hipp. Cœlum, modo benignum, modo maleficum appellaverit. Utcunque tamen, exiſtimo ego, Gallicum morbum cum aliis mulieribus antea Juvenem contraxiſſe, quia Gallicus, ratione cauſæ, multiplex eſt: ſubſtantia namque illa venefica inficiens, majoris, vel minoris efficaciæ eſſe poteſt, tum ratione quantitatis, tum ratione

qualitatis; mitiorem itaque fuiſſe in primis mulieribus, efficaciſſimam vero in muliere poſtrema, tum quia ſtatim ſequenti die ſuos effectus prodidit, tum quia qualitas illa venefica, mediantibus ſpiritibus, non ad vaſa tantum ſeminaria, verum & ulterius ad hepar pervenit, ſicque non ſolum Gonorrhœa, ſed Bubo quoque Gallicus ſucceſſit, dum hepar ad inguen, tanquam ad proprium emunctorium, portionem infecti humoris depoſuit, & ad glandulam, non ad ſpatia, quoniam tumor exiguus & contumax ſemper fuit. Hepate autem infecto, humores quoque, totamque maſſam ſanguineam cum qualibet alia corporis parte inifici neceſſe eſt, non tamen contra, ut aliqui falſo putant, nempe in omni morbo Gallico hepar neceſſario affectum eſſe debere: etenim in plurimis Gonorrhœis vaſa tantum ſeminaria inficiuntur, quorum infectio paulatim à ſemine corrupto extraducitur, ſicque imminuitur, & tandem ſpatio dierum deſtruitur, unde Patientes prorſus ab omni lue Gallica manent immunes. Et præterea frequenter videmus Gallicam luem ſolo oſculo ori communicari, imo & ſolo halitu infecto in poculo relicto, ergo ſine jecoris infectione; Patienti vero noſtro, ut dictum fuit vaſis ſeminariis & hepati ſtatim ab initio communicata fuit, cui majorem & efficaciorem vim addiderunt Aſtringentia & Gonorrhœam ſiſtentia, necnon ab inguine tumorem repellentia: ut propterea brevi tempore dolores capitis oborti fuerint, totius nutritio imminuta & macies conſecuta, cum languore totius, & ad motum pigritia, ob ſpirituum tum deficientiam, tum pravitatem: & progreſſu gummata quoque Gallica in capite, cruribus & brachio apparuerint, cum cruciatibus veſpere & noctu vehementioribus, quia ſubſtantia iſta venefica eſt valde halituoſa, quæ ideo horis diurnis quamfacile diſſolvitur à Solis calore, quo recedente, coacervatur, intus manet, & dolores auget. Occupant autem gummata ipſa potius internodia, quam articulos, quoniam articuli à ſeipſis humores veneficos repellunt, quam expultricem adeo validam internodia non habent. Cur vero optime purgato corpore & capite, & propriis adminiſtratis Alexipharmacis cum ſudorifico Decocto, nihilominus non ceſſerit affectus, cauſa tum in ipſius morbi ſævitiam, tum in humorum peccantium quantitatem eſt referenda: peccat enim crudus humor, viſcidus atque glutinoſus, ab imbecillo ventriculo genitus, necnon craſſus, aduſtus & melancholicus, à fervido jecore productus, in quibus tanquam in ſubjecto, cum reſideat Gallica qualitas, ſequitur quod ad difficilem ipſorum præparationem & evacuationem difficilis quoque evadat Gallicæ qualitatis receſſus.

De hujuſmodi Gallici ſævitia & contumacia non eſt quod dicamus, cum jam illam exitus ipſe monſtraverit: ſed præterea nonnunquam in praxi, adeo maligna ratione eſſentiæ & reſiſtentiæ obſervata fuit venefica iſta qualitas, ut quatuor, quinque, imo & ſeptem Purgationibus cum ſudorificis Decoctis reſtiterit; ſicut enim colori nativo noſtro adverſatur, ſicque crudos humores multiplicare facit, ita calorem adſcititium acuere & magnopere adaugere valet, ſimulque craſſorum & exuſtorum excrementorum præcipua evadit origo; quorum utraque ſubſtantia quam maxime & præparantibus, & purgantibus medicamentis reſiſtere ſolet; quam nos reſpicientes, morbi pertinaciam radicitus extirpari poſſe ſperamus, & ſolis medicamentis, ſine ferro & igne, cum Gallici tumores duri quidem, ſed ſine fœdo colore, ſine inæqualitate & ſine fovea obſervati fuerint, & per conſequens ſine carie.

Medela itaque adhibenda; primas vias expiando. Secundo Maſſam ſanguineam à crudis atque exuſtis excrementis depurando, & caput purgando. Tertio tumores gummatoſos Attenuantibus, Incidentibus & Colliquantibus abolendo. Quarto Virus Gallicum, ut morbum à tota ſubſtantia, Alexipharmacis propriis oppugnando. Quinto Intemperiem calidam jecoris & totius ſanguinis corrigendo; atque tandem partes affectas roborando.

Quibus intentionibus remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis erit ſatisfaciendum. Et à Chirurgico duplex erit depromenda ſanguinis miſſio, prima ex ſano brachio, ſecunda ex affecto.

Pro prima intentione, primum Leniens erit.

℞. Syr. roſ. ſolut. de polypodio an. ℥. iii. aquæ florum citri parum, m. pro potu, cui ſuperbibat jus pullæ hordeo alteratum. Primum Præparans erit.

℞. Julap. acet. cortic. citri aromatiz. unc. iii. aq. tot. citri ℥. j. pro ſyr. & ſic pro quinque aliis. Mox repetatur ſupraſcriptum Leniens.

Pro ſecunda intentione Præparans ita paretur.

℞. Succi depur. cichorii, borag. agrim. an. ℥j. ſalis prunellæ ʒi. decoct. in jure pullæ paratæ, endiv. ſonchi, meliſſæ, pentaph. ℥. iiii. m. pro ſyrup. & ſic pro aliis x. In quorum intermedio & in fine præbeatur Purgans ita.

℞. Elect. lenit. floris caſſ. an. ℥. ß. Extracti ſenæ ʒ. j. pilul. de trib. ʒ. ß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. lib. ii. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Pro hac intentione explenda, repetenda ſunt Præparantia ita paranda.

℞. Succi depur. cich. fumar. card. ſancti an. ℥. j. tart. vitriol. gr. xii. decoct. borag. endiv. ſonchi, agrim. pimpinellæ ℥. iiii. m. pro ſyr. & ſic pro decem aliis; in quorum intermedio & fine præbeatur Purgans ita.

℞. Elect. lenit. ℥vi. diaphæn ℥i. Extracti polypod. ʒß. Extracti veratri nigri ℈i m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri ℔ ii. ut ſupra. Et nondum ab hac intentione diſcedendum, ſed tribus vicibus, alternis diebus, decoctio Epith. Meſ. ad ℥vii. præbenda erit, cui pariter ſuperbibat ſerum depur. ad libras; Vel ut uno eodemque tempore maſſa ſanguinea purificetur, caputque purgetur, pilulæ capitales Paracelſi præſcribi poterunt ad ℈ ii. ſeptem additis granis Mercurii dulcis, tribus vicibus, tertia quaque nocte, à primo ſummo mane ſuper-

ſuperbibat ſerum, ſaltem ad lib. ii. hæ namque cum Extracta diagrydii, hellebori nigri & colocynth. in ſe contineant, totum expurgare,& ab alto excrementa trahere valebunt. Diebus autem intermediis præſcribantur Præparantia ita.

♃. Succi depurati cich. beton. meliſſæ an. unc. i. decoct. borag. pentaph. beton. ſtœchad. pimpinellæ, biſtortæ unc. v. m. pro ſyr. & ſic pro duobus aliis.

Inde ad tertiam & quartam intentionem explendam ſequenti ordine erit deveniendum, ut primò Ceratum Mercuriale tumoribus applicetur, & eodem tempore Decoctum ſudorificum hunc in modum præſcribatur.

℞. Decoctionis colatæ cich. borag. meliſſæ, beton. pentaph. ſonchi, card. ſancti. lib. iii. medullæ guajaci rec. & pinguis raſp. ſalſæparillæ el. inciſæ, ligni viſci querc. veri inciſi ad unc. i. m. f. inf. per hor. xxiiii. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſervetur pro duabus vicibus, ſummo mane, hora una ante ingreſſum hypocauſti præbenda: cui præmitti poterit hujuſmodi bolus.

♃. Extracti ſalſæ parillæ ℈. i. pulv. viper. ℈. ß. m. reform. bolus. Pro potu autem conſueto.

♃. Reſiduum lignorum, aq. com. el. lib. xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebullit. adde cinnam. integri ʒ. ii. bulliant parum, & colaturæ adhuc ferventi diſſolve ſacchari albi unc. iiii. & fruſtula citri rec. ut agitando paretur aqua ſuavis vulgo dicta Cedrata. In hujus Decocti uſu cum ſudore viginti diebus perſeverandum erit, obſervatione facta, num gummatoſi tumores imminuantur, adeo ut ſpatio viginti aut triginta ſubſequentium dierum omnimoda deliteſcentia ſperari poſſit, quo caſu in uſu Decocti & ſudoris pergendum ad quadraginta dies. At ſi contumaces & reſiſtentes obſerventur, ad Mercurialem inunctionem confugiendum erit, ita parandam & exercendam.

♃. Pingu. ſuillæ lib. ii. pingued. gallinæ li. ß. ol. amygdal. laurini an. ℥. ii. nucis moſchatæ, baccarum lauri, pulv. ſaſſafras, auri foliati an. ʒ. ii. hydrargyri pluries loti, & ſucco limonum atque ſucco ſalviæ extincti unc. iiii. m. f. linimentum, cujus rectus uſus erit, ut fiat inunctio quinque aut ſeptem vicibus quotidie ſemel in die: prima die incipiendo à pedibus ſurſum verſus genua, articulos evitando: ſecunda die à genibus ad dorſum: tertia totum dorſum, medulla ſpinali & pectore exceptis: quarta brachia, & rurſus à pedibus. Cubiculum ad calidum potius, quam frigidum vergat, ſed amplum ſit, in quo ſuavis odoris ſuffumigium ita paretur.

♃. Aquæ roſarum ℥. iv. aq. florum citri ℥. ii. corticis citri rec. ℥. ß. ſantalorum citrinorum, ligni Aloes an. ʒ. ii. cinnam. integri ʒ. i. m. bulliant lento igne in ollula vitriata in angulo cubiculi. Os colluatur frequenter aqua hordeac. aut malvarum, in qua jujubæ decoctæ fuerint: & gingivæ oleo amygdal. ſæpe illiniantur, ut partes ipſæ à ſpiritibus ſulphureis atque deleteriis Mercurii defendantur; in quem finem annulum quoque aureum continuo in ore detineat. Hoc tempore & quindecim quoque ſequentibus diebus ab inunctione peracta, alimenta potulenta eſſe debent, vix enim quicquam maſticare poterit; ſint itaque ptiſana hordeacea, panatellæ cum emulſione ſeminum melonum & amygdalarum dulcium, Conſuta atque reſtaura pullæ, ova recentia, & pro potu aqua hordeac. Noceriana, aut alia ſtillatitia cich. borag. acetoſæ, endiviæ. Clyſteribus interim utendum ex lacte, butyro & ſaccharo paratis, tum ad inteſtina munienda, tum ad alvum emolliendam. Tranſactis viginti diebus, terminata ſcil. expuitione, Balneum paretur tepidum aquæ dulcis, alteratæ foliis malvarum, violarum, ſalviæ, roris mar. pulegii, calamenthi montani & floribus lavendulæ, totumque corpus manibus leviter abluatur & detergatur, & panno lineo exiccetur. Deinde articuli omnes leviter fricentur, & illiniantur exigua portione ſequentis Balſami.

♃. Olei expreſſi de nuce moſchata ʒ. ii. ſpirit. ſalis ʒ. ß. m. reformetur.

His peractis non tamen Gallica qualitas extirpata erit, quamvis Medicorum multi hydrargyrum eſſe adverſus Gallicum remedium alexipharmacum falſo putent, cum tamen ad humores tenaces & craſſos attenuandos, atque tumores duros emolliendos & liquandos tantummodo inſerviat, in quibus ſæpiſſime conſiſtit Curationis difficultas; & idcirco rurſus ad Decoctum alexipharmacum cum ſudore redeundum, viginti aliis diebus adminiſtrandum. Toto vero ſudoris tempore, decimo quoque die, ſyrupo roſ. ſolut. aut potione ex man. clarif. alvus erit lenienda, ad aquam epotam educendam.

Quinta intentio expoſtulat, ut ad intemperiem calidam jecoris & ſanguinis corrigendam dirigatur Curatio; in quem finem lac arte factum opportuniſſimum erit, quod & calorem contemperare, & ſanguinis acrimoniam, atque aciditatem edulcorare valebit, ſi ita paretur.

℞. Sem. melon. mundat. ℥. i. ſeminum mundat. cucurbitæ & anguriæ an. unc. ß. aq. ſtillat. de ſucco cich. vel malvarum unc. viii. contundſemina, & cum aqua extrahatur Emulſio, cui addatur ſyr. de pom. dulc. unc. i. m. pro potu matut. viginti ſaltem diebus aſſumendo. At ſecunda die hujus potionis aperiatur Jecoraria dextera, & ſanguis educatur, præſente Medico.

Interim poſtremæ intentioni ſatisfacere poterunt Conſervæ capitales, è floribus betonicæ, roris marini, roſarum, ſub ingreſſum lecti frequenter comedendæ: ſicut ſtatim à prandio proderit Conſerva abſynthii Pont. aut ſal ejuſdem; Neque validioribus Roborantibus opus fore cenſeo, cum Patiens juvenis ſit, habeatque adminiculantem naturam.

Congrua vivendi ratio erit jam dictis omnibus addenda, ab Excellentiſſ. Medico præſente opportune præcipienda, cujus accuratiſſimæ diligentiæ atque prudentiæ cætera quoque omnia committo. *Idem ibidem.*

Gallica Lues confirmata.

Juvenis Illuſtriſſimus vigeſimum ſextum annum agens, temperamenti ſecundum totum

jecur ad calidum & ſiccum vergentis, capitis vero calidi & humidi, mediocris habitus, libere vivens, & Venereis variis congreſſibus non parum indulgens: tertius modo percurrit annus, quod lue Gallica infectus eſt, quam non occultis ſed manifeſtiſſimis ſtipatam ſignis contraxit: Bubones enim in utroque inguine apparuerunt, una cum glandis intumeſcentia & exigua Gonorrhœa; nec unquam bubones ad ſuppurationem pervenerunt: ſed ita per annum & amplius ſemper apparentes perſtiterunt. Interim dolores in articulis humeri, brachiorum, necnon in ſterno ſupervenerunt, & ideo ad Medicum confugere coactus fuit, qui poſt ſanguinis miſſionem & regularem Purgationem adhibitam, Decoctum ſalſæ alternis diebus aſſumendum, intermediis vero pilulam mercurialem, per menſem præſcripſit; quibus remediis minime ceſſit affectio. Quare perſeverantibus doloribus, Romam ſe contulit: ubi præmiſſa totius expurgatione, Decoctum ſudorificum bis in die cum ſudore in hypocauſto aſſumendum, exhibitum fuit; quo tantum abeſt ut levamen aliquod reportaverit, quin potius evaneſcentibus bubonibus, capitis quoque dolor gravativus cum ſenſu caloris acceſſerit. Et præterea tumores quidam hinc inde per corpus ſub integumentis duri & mobiles, glandularum formam præ ſe ferentes, apparuerint adhuc permanentes. In hoc itaque ſtatu Illuſtriſſimus Juvenis conſtitutus, à virulentia Gallica omnino vindicari & immunis reddi cupiens, me pro ſalute de agendis Vere proximo conſuluit.

Utinam ita facilis foret Curatio, ſicut facillima eſt cognitio infeſtantis affectus Juvenem Illuſtriſſimum: lue namque Gallica laborare eſt luce clarius: eaque confirmata, quamvis nondum tertium gradum attingente: ſpiritus enim & humores vitiati & infecti ſunt, ſolidioribus partibus illæſis manentibus. Et licet viſcera quoque, & jecur potiſſimum, labem aliquam contraxiſſe negari non poſſit, læſio tamen in ſimilari, non diſſimilari ſubſtantia repoſita eſt: ut propterea natura ab initio noxios & infectos humores ad jecoris emunctoria, nimirum ad inguina propellere conata fuerit, unde bubones: qui propter materiæ craſſam & crudam conditionem, necnon cutis denſitatem ad ſuppurationem nunquam devenire potuerunt; quo factum fuit ut retrocedentes humores virulenti, ad articulos & ſternum depoſiti fuerint, & dolores articulares Gallicos conſtituerint; quos ſuperare non valuit ſalſæ Decoctum, quod (licet alexipharmacum) liquat quidem noxios humores, ſed (ſine ſudore) non educit: minus vero Mercurium, quod quidem fundit & liquat craſſos humores, at nullo modo contra Gallicum remedium alexipharmacum eſſe admitti poteſt; præterquam quod neque per os aſſumptum, ut extrinſecus illinitum, humores eoſdem educit. De Decocto vero ſudorifico Romæ præſcripto judicium afferre nequeo, cum me lateat ejus compoſitio, adhibitus tamen ipſius uſus non placet. Quare tenuiorem partem peccantium humorum eductam fuiſſe exiſtimo, craſſiorem vero in toto & capite rectam, & aliquam tantum ejuſdem portionem ad ambitum corporis fuiſſe deductam, quæ ſub integumentis glanduloſos tumores exiguos hinc inde efformavit: & ideo maſſam ſanguineam nondum ab infectis humoribus expurgatam, nec viſcera à Celtica qualitate vindicata eſſe judico.

Quapropter ineunte Vere regularis Purgatio inſtituenda erit, ut Illuſtriſſimus Juvenis priſtinæ optatæ ſaluti reſtituatur. In quem finem primæ viæ erunt expiandæ. Secundo Maſſa ſanguinea à craſſis, crudis & exuſtis humoribus Gallico infectis expurganda. Tertio Topicis Articuli reſpiciendi. Quarto Alexipharmacis Gallica lues expugnanda; atque tandem jecoris & totius venoſi generis calida intemperies corrigenda: adultio vero ſubſtantificis humectantibus remittenda.

Et pro prima explenda intentione, primum Leniens erit, ex ſyrupo roſ. ſolut. & manna calabr. paratum: ſicut primum Præparans ex julapio acetoſo, cinnamomo, aut cortice citri aromatizato, & exigua aqua florum citri diſſoluto. Quinque vero aut ſex tranſactis diebus, præſcriptum Leniens repetendum erit.

Pro ſecunda intentione, ſucci depurati erunt in uſum ita ducendi.

℞. Succi depur. cichor. borag. agrim. an. ℥ i. decoct. malvarum, violarum, ſonchi, meliſſæ, pentaph. ℥ iv. m. pro ſyrupo, & ſic pro aliis decem; in quorum intermedio & fine præbeatur Minorativum ita parandum.

℞. Rhabarb. maturi, agarici trochiſc. an. ℥ i. fol. ſenæ Orient. rec. polypodii querc. an. ʒ ii. cinnam. integri ʒ ß. aquæ agrim. q. ſ. m. f. infuſio per hor. xii. colaturæ vero adde ſyrupi roſ. ſolut. ℥ iv. m. f. potio, cui, tribus tranſactis horis, ſuperbibat ſeri depur. lib. i. ß. & duabus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Interim primis diebus dictorum ſuccorum aperienda erit vena brachii, & educendus ſanguis, Medico aſſiſtente. Inde ad ulteriorem humorum præparationem & purgationem aſcendendum erit hunc in modum.

℞. Succi depur. cich. fumariæ, beton. an. ℥ i. decoct. borag. endiviæ, ſonchi, pentaph. cardui ſancti ℥ iv. m. pro ſyrupo, & ſic pro decem aliis; in quorum intermedio præbeatur hujuſmodi Purgans.

℞. Floris caſſiæ rec. extr. ℥ vi. confect. Hamech. ℥ i ß. Mercurii dulcif. gran. vi. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri depur. ℔ i ß. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Interim ſecunda die educendus erit ſanguis ex venis ſedalibus; Terminatis vero decem diebus, præbeantur pilulæ capitales hujuſmodi.

℞. Pilularum cochiarum cum helleboro præparat. aurearum, aggregativ. an. ʒ ß. Mercurii dulcis gran. vii. m. reform. pilulæ, & aur. ſummo mane aſſumendæ, quibus, duabus aut tribus tranſactis horis, ſuperbibat ſeri depur. ℔ ii. & duabus horis ab epoto ſero prandeat. Mox tribus aut quatuor diebus quieſcat, & mane tantum præparans ex ſuccis aſſumat. Deinde pro tertia intentione, pulvis hermodactylatæ, ſaltem una vice præſcribatur.

℞. Hermodactylatæ præparatæ ʒ ii. diſſo-

ſ

viatur in jure corticibus citri alterato, cui ſuperbbat ſerum depur. ut ſupra.

His peractis, quartæ intentioni Decoctum ſudorificum ſatisfacere poterit, ita parandum.

℞. Salſæparilliæ el. ℥ ii. viſci querc. veri ℥ i. guajaci pingu. rec. ß. aquæ ſtillat. cich. beton. ivæ arthrit. an. ℔ i. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & facta colatura ſervetur pro duabus vicibus, hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Sudet autem primis tribus aut quatuor diebus in hypocauſto ſolum per hora dimidium, & ſuppleat ſudor in lecto. Pro potu vero conſueto paretur aqua ita.

℞. Reſiduum, aq. com puriſſimæ ℔ xii. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in colatura adhuc ferventi diſſolvatur ſaccharum ad guſtum Patientis, & addantur fruſtula citri recentis, ita ut agitando fiat aqua vulgo dicta Cedrata. Decimo quoque die exhibeatur potio ex manna clarificata, ſudorem ipſa die omittendo. Viginti diebus in ſudore tranſactis, obſervandi erunt tumores illi glanduloſi duri per corporis ſuperficiem diſperſi: etenim ſi ex toto evanuerint, aut ſaltem valde imminuti fuerint, in ſudore cum Decocto aliis viginti diebus perſeverandum erit; quod ſi fortaſſe contumaces perſtiterint, ad mercurialem inunctionem confugiendum eſſet, quatuor aut quinque diebus, evitando dorſi ſpinam, omnium viſcerum regionem, caput & articulos. Patientem detinendo in cubiculo non valde amplo & clauſo. Terminata vero expuitione, rurſus ad ſudorem provocandum aliis viginti diebus redeundum erit, præmiſſo Decocto, quod neque diebus inunctionis omittendum erit. Quoniam vero inunctiones multis modis, mitiores & validiores parari ſolent, mediocris & mitis erit hujuſmodi.

℞. Pingued. ſuillæ ℔ ii. pinguedinis gallinæ ℔ ß. olei amygdal. laurini an. ℥ ii. nucis moſchatæ, baccarum lauri, pulv. ſaſſafras, auri foliati an. ii. drach. ii. hydrargyri pluries loti, & ſucco limon. atque ſucco ſalviæ extincti ℥ iv. m. ſ. linimentum. Interim circa victus rationem, ſudoris tempore, monere debeo, quod præter panem biſcoctum, amygdalas, nucleos pineos ſaccharo incruſtatos & paſſulas, frequenter ova ſorbilia, frequentiſſime ptiſana hordeacea, nonnunquam panatellæ cum emulſione ſeminum melonum & amygdalarum dulcium concedi debent: & die potionis ſolutivæ caro quoque elixa, & hordei aut orizæ pulmentum.

Abſoluto ſudore, lactis uſus erit inſtituendus; ſed quatuor aut quinque diebus ſummo mane ſeri depurati libra præmittenda erit, ut viſcera antea exiccata, quodammodo deinde humefacta, lacti facile tranſitum cedant; lac autem quindecim aut viginti primis diebus ſit aſininum, & totidem aliis caprinum. Proderit quoque Balneum aquæ dulcis quindecim aut viginti diebus adminiſtrandum, aquam ipſam alterando foliis malvarum, violarum, ſonchi & ſalicis. Salubris etiam erit Conſervæ roſarum uſus ſub ingreſſum lecti.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit diligenter addenda; ita ut, abſoluto ſudore, totum corpus ab ambiente & aura frigida diu noctuque cuſtodiatur. Cibis boni ſucci & pauci excrementi Juvenis Illuſtriſſimus veſcatur. Vini non meracioribus, neque coctis utatur. Abſtineat à carne ſuilla, à bubula; à piſcibus lutoſis & glutinoſis; à caſeo; à leguminibus, oriza & hordeo exceptis; à vaporoſis, ut ab apio, ſive ſelino, fœniculo, carduo, ab aromatibus, pipere ruditer contuſo & cinnamomo exceptis, à condimento allii & cæparum; & in reliquis modum ſervet à Viro Doctiſſimo Adſtante præſcribendum: cujus prudenti judicio etiam præſcriptorum omnium rectum uſum libenter committo. *Idem ibidem.*

Lues Gallica confirmata.

Vir quinquageſimum annum agens, temperamenti calidi & humidi, hepatis calidioris, ventriculi humidi, calidi & humidi capitis, deſtillationibus obnoxius, habitus carnoſi, robuſtus & hirſutus, errores commiſit in comeſſationibus, venationibus & exercitiis violentis, atque tandem in Veneris uſu. Olim Bubones ſiccos contraxit; curatus fuit Florentiæ decoctione cujuſdam Galli cito & jucunde, ſed non tuto, ſine ſudore, & ſine ulla evacuatione. Multo tranſacto tempore, ex novo concubitu deſtillationem pati cœpit ad varias corporis partes, ſed præſertim ad gulam, cum phlogoſi, & ardore, & ozæna in nare. Ex ſalſæparillæ decoctione melius, ſed non bene habuit; namque tribus abhinc annis valetudinarius vivit. Hinc continuo mœrens, hypochondriacus melancholicus factus eſt. Uno abhinc menſe gulæ inflammatione ſine ulcere fuit correptus, cum febricula Gallica; Affectus anginoſus fuit exiſtimatus; Decocto cum ſudore, deſcripto à Septalio, viſus eſt liberari. Verum quoniam de recidivis adhuc dubitatur, ſupereſt ut Dominatio tua Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. velit ſententiam ſuam dicere, tum de idea, tum de cauſa & Curatione affectionis hujuſmodi; & præterea aliquid ſuppeditare, in poſterum faciendum, præcipue pro ſtomacho & capite roborandis; & dicere, an unctio ex hydrargyro, ſtybii uſus, ſanguinis miſſio, in Præſule noſtro conveniant; quæ præſidia à nonnullis propoſita, nixus rationibus validis, refutavi, & libenter rejicio.

Luem Celticam olim contraxiſſe Illuſtriſſimum atque Reverendiſſ. Præſulem, eamque in eodem firmatam diuturno tempore latuiſſe, tum ex bubonibus non ſuppuratis, tum ab exacta Excellentiſſ. Viri relatione liquido apparet; qua tamdiu conflictatus, juremerito diu quoque mœſtus vixit; quæ tandem mœſtitia ultro progreſſa melancholicum affectum hypochondriacum introduxit, non parum lue ipſa Venerea cooperante, viſcera nimirum naturalia fervidiora reddente, & deſtillationem à capite ſalſuginoſam faciente; ut propterea Gallicus frequentiſſime perſonatus incedat, varios & diverſos æmulans, aut potius ſimulans morbos, ita ut hypochondriaco affectu Gallico melancholico & ſalſa deſtillatione Celtica laboraſſe, & in præſens quoque laborare ſit cenſendum: nunquam enim ab adhibitis remediis immunem evaſiſſe exiſtimo; & quamvis lues ipſa Gallica à nonnullis Alexipharmacis remiſſa

remiſſa viſa fuerit, nunquam tamen ex toto debellata, ob recti uſus defectum; quam veritatem ſat ſuperque confirmare potuerunt, præter ulcus & ozænam, iteratæ ad gulam deſtillationes & febriculæ veſpertinæ Gallicæ. Septalii Alexipharmacum ex ſalſa cum carne paratum, præſertim cum guajaci additione, ſat proficere potuiſſet, ſi eidem aſſumpto ſtatim ſudor univerſalis, & capitis, ad quadraginta dies mane tantum ſucceſſiſſet; quod cum factum non fuerit, virus Gallicum adhuc ſanguinem & viſcera occupare minime dubito.

Quare ad rectum uſum Alexipharmacorum confugiendum, neceſſarium puto, alioquin affectus qui in præſens ſuperabilis eſt, temporis maleficio non ſolum recrudeſcere, ſed altiores radices jaciendo, inſuperabilis evadere poterit. Et quoniam cita & jucunda olim medela adhibita fuit, tuta in præſens deſideranda; ut propterea ad ſudorificum Decoctum deveniendum ſit, ita parandum.

℞. Salſæparillæ electæ inciſæ, ligni viſci querc. chinæ opt. an. ℥ i. ſantal. alb. ℥ß. aq. ſtillat. cich. beton. an. ℔ ii. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde bull. ad conſumpt. dimidii, & colatura ſervetur pro tribus vicibus, matutino tempore, hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Secunda vero pro potu conſueto ita paranda.

℞. Reſiduum aq. opt. ℔ xv. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine ebull. adde cinnam. integri fruſtulum. & facta colat. eidem adhuc ferventi adde ſacchari albi ad guſtum Illuſtriſſ. Pat. necnon fruſtula citri rec. ut agitando fiat aqua vulgo dicta Cedrata. In hujus autem Decocti ſudorifici uſu ſaltem quadraginta diebus inſiſtendum, ſed ſudor in hypocauſto primò ad horæ quadrantem tantummodo eſt excitandus, mox in lecto ſudandum: progreſſu vero uſque ad horæ dimidium, & non ulterius; ita humida capitis intemperies corrigetur, deſtillationis fons omnino exiccabitur, & lues Gallica radicitus extirpabitur. At quoniam vereor ne forſan vires jam imbecilles redditæ, ſufficiant, & calor in iſto Climate adeo hoc temporé vigeat, ut nimis reſolvendo, hoc remedii genus inhibere valeat; idcirco præmiſſo Leniente, aquam noſtram ſtibiatam omnino ſubſtitui poſſe, imo debere conſulo, cujus deſcriptio talis eſt.

℞. Salſæparillæ inciſæ, viſci querc. an. ℥ i. chinæ opt. ℥ß. aq. fontis ℔ vi. m. f. inf. per hor. xxiv. deinde adde antimonii electi Hungarici rud. contuſi, lapid. pumicis ruditer contuſi an. ℥ iii. ponantur antimonium & lapis in ſacculo alligato, & bulliant cum lignis ad conſumpt. quatuor librarum, adeo ut remaneant decoct. ℔ ii. fiat colatura pro tribus vicibus ſummo mane exhibenda. Pro potu vero conſueto aqua ita paretur.

℞. Salſæ parillæ electæ, viſci querc. an. ℥ i ß. antimonii, lapidis pumicis an. ℥ vi. ponantur antimonium & lapis ruditer contuſa pariter in ſacculo, & adde aq. font. ℔ xv. m. f. infuſo per noctem, deinde bull. ad conſumpt. tertiæ, in fine autem ebull. addatur ſaccharum & fruſtula citri ad libitum Illuſtriſſ. Pat. ita ut agitando fiat aqua ſuavis pro potu conſueto, tam in menſa, quam extra menſam. In hujus medicamenti uſu quadraginta diebus perſiſtendum, ſummo mane aſſumendo primum Decoctum in lecto, à quo dormiat Illuſtriſſ. Vir, ſi fieri poſſit: aquam vero toto hoc tempore bibat, prorſus omiſſo vino; & novum Decoctum, ſicut & aquam parando, innoventur ſemper ligna, antimonium & lapis decimo quoque die. Abſtineat autem toto hoc tempore Patiens Illuſtriſſ. à piſcibus, à fructibus, à lacticiniis, ab oleribus, à leguminibus & ab edulis ex paſta paratis; & jam dicta aqua ſine ulla vini mixtione ſit ejus conſueta potio. Hoc remedii genere plures Gallicos confirmatos, cum admiratione multorum, vidi ſanatos, quod quocunque anni tempore ſumptum prodeſt, ſed tutius tamen calidis temporibus, quam frigidis. Cætera medicamenta, mercurialia præſertim, ſed & antimonialia quæ temere adminiſtrantur, jam dictis omnino ſunt poſtponenda, eoque magis, cum rationalia & certa adhuc uſurpata non fuerint, ut propterea nondum cum Celſo dicere poſſimus, quod, Ubi ratio non prodeſt, temeritas adjuvet. Tandem opportunus erit lactis aſinini uſus, ut quod jecur & hypochondria refrigerare, acrimoniam, aciditatem & ſalſedinem edulcorare, atque corpus totum quodammodo renutrire valeat, nec catarrhalem materiam adaugere, cum qualitate, non quantitate peccare videatur. Quæ omnia ſalutaria futura ſpero, ſub directione Viri Excellentiſſ. doctrina & ingenio præditi; cui propterea omnia, non ſolum executioni mandanda ſed corrigenda quoque libenter remitto. *Idem ibidem.*

De recto uſu hypocauſti. Pro eodem, Conſultatio altera.

Hanc hæreſim adhuc in iſta Nobiliſſima Urbe vigere nolim, quod ſcil. caput calidum & humidum hypocauſti calorem perferre nequeat, quaſi quòd ſudor provocari debeat in hypocauſto, humido tantum, ſine calore, capite exiſtente, cum tamen ab Hippocrat. habeamus, fluxiones fieri, valde excalefacta, vel valde perfrigerata carne: & alibi melius, Fieri, cum cerebrum ipſum de ſeipſo plurimum liquefecerit. Quare in Catarrhis & capitis fluxionibus Decocta ſudorifica perniciosa evaderent: & nihilominus eadem proficua & ſalutaria nobis demonſtrat quotidiana experientia; ut propterea, ſicut ego neceſſarium putavi ex ſuppoſitione finis ſudorem in iſto Viro Illuſtriſſimo, tum pro Curatione capitis eſſentialiter affecti, & in ſeipſo catharralem materiam una cum intemperie humida retinentis, tum pro præſervatione ab imminentibus aliis malis, ita meipſum fidejuſſorem exhiberem, non ſolum pro conferentia, verum etiam pro tolerantia; imminuta namque in capite humiditate, ſemper calorem quoque decreſcere & imminui quotidie obſervatum fuit.

Sed volenti non fit injuria. Optat Vir Illuſtriſſ. ſuccedaneum remedium Decocto ſudorifico. Decocta autem quæ aut in jure, aut in aqua parata, ſine ſudore, paſſim à Medicinæ Scriptoribus præſcribuntur pro capite

exiccando, nullius valoris à me longo uſu obſervata fuere; & ideo aliquot abhinc annis eorundem uſum omiſi, & multo magis vino pro tota menſa medicato fidem habendam eſſe, prius dictavit mihi ratio, & experientia ipſa confirmavit; quomodo enim Decocti cyathus, à calore hypocauſti non fuſus, & ad caput non elevatus, caput ipſum, refractis etiam ejuſdem viribus, exiccare poſſit, non video: ſicut video, Hypochondriacis præſertim, viſceribus naturalibus hærere, & viſcera ipſa una cum obſtructionibus valde exiccare. Vinum autem, utpote ſpirituoſum, cito permeat, ad venas ducitur, & una cum ſanguine circulante ad caput defertur; quo caput ipſum nutriri neceſſe eſt, eoque facilius, cum multo copioſior ſit ejuſdem quotidianus potus, quam ſolius Decocti; præterquam quòd cum fumoſum ſit, ipſius etiam vapores caput petentes, medendi & exiccandi facultatem obtinent. Propterea jure merito dicebat Hippoc. Medicamentum in cibo & potu valde bonum. Quare aptius remedium, Decocto ſudorifico ſubſtituendum, excogitare meo judicio datum non eſt, quam vinum medicatum pro tota menſa epotandum. Parabitur autem ponendo vinum, Viro Illuſtriſſ. conſuetum, ſeparatim in doliolo, & infundendo pro ſingula ſitula vini ita præſcripta ingredientia.

℞. Ligni viſci querc. veri inciſi ℥ii. ſantal. rub. raſpat. ℥i. radic. cannæ vulgaris, ligni rhod. rad. pœoniæ an. ℥ ß. m. pro unaquaque ſitula vini ad quarum multiplicationem multiplicentur quoque ingredientium unciæ, juxta dolioli capacitatem; ſecuta vero infuſione per tres dies, bibere incipiat Illuſtriſſ. Vir. dum interim ingredientia ſemper uſque ad vini conſumptionem manere debent; & ad novam vini in doliolo repoſitionem, ingredientia quoque, reliquis abjectis, innovari debent, cum tota Æſtate, & ſi ita placebit, etiam Autumno & Hyeme eodem uti debeat, tuncque lignum etiam roris marini addendo. Cauterium quoque, ſi non geſtat, brachio ſiniſtro inuſtum, evidentiſſimam utilitatem afferre poſſet: ſicut per intervalla pilulæ Paracelſi jam præſcriptæ ad ſemidrachmam magnopere proderunt; non omiſſis Naſariis, & cæteris caput roborantibus jam deſcriptis. Si aliqua pars corporis inferior à deſtillatione capta & correpta fuiſſet, pulvis viperinus ad triginta vel quadraginta dies in aqua cardui ſancti epotus, mirabilis eſſet, de quo dicebat Galenus 11. Simpl quod Extenuantis eſt facultatis; ſubditque, valde enim exiccat ac digerit; & ad cutem properat. Verum in capitis humiditatibus exiccandis exiguæ utilitatis eſt, & Hypochondriacis valdè ſuſpectus. Quod ſi Patiens Illuſtriſſ. in vini medicati uſu inſiſtere renuat, ſubſtitui poterunt jura carnis & omnia edulia radice chinæ medicata, ita ut ſingulo die pro ipſius uſu tres aut quatuor chinæ taleolæ in aqua cum carnibus ſemper bulliant, pro jure conficiendo cæteriſque eduliis parandis. Hæc pauca ſummæ tuæ prudentiæ, Vir Sapientiſſime, ut morem geram, conſideranda propono, quamvis meliora ti bi non deeſſe exiſtimem. Vale. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Pro Lue Venerea.

Mulieri cuidam virulentia venerea affectæ cum nodis & ulceribus in fronte conſului ut ab abſumpta caſſia, vel elect. lenitivo, altero die ex vena jecoraria ſanguinem mitteret. Deinde ut hic Syrupus pro digeſtione ad octo dies ſumeretur.

R. Syr. de fumar. de ſucco bugloſſ. an. ℥ii. aq. fumar. bugl. an ℥ii. M. vel melius cum decocto fumar. bugl. beton. & liquir. Deinde ut hoc ſolutivum caperet.

℞. Confect. hamech. ℥ß. ſyr. roſ. ſolut ℥ii. cum aquis prædictis, vel decocto fiat potio. Poſtea ut parum ſanguinis detraheret ex vena caphalica ob capitis inſignem dolorem & gummata in capite. Tandem redeundo ad ſyrupos; poſtea ut ſic iterum purgaretur præcepi.

℞. Confect. hamech. ʒvi. diaphæn. ʒii. ſyr. roſ. laxat. ℥i. cum aquis vel decocto. F. potio, his peractis, ut ad decoctum ligni hoc modo perveniret conſuluimus.

℞. Lign. guajac. circumquaque buxei coloris, intus autem nigreſcentis, ſerra vel lima in ſcobem redacti ℔j. infund. in aq. fontis vel fluviatilis ℔xiiii. per ſpatium viginti quatuor horarum, in olla ſictili vitreata & bene operta. Poſtea admoveatur lento igni, & decoquatur ut remaneant ℔viii. colatum inde in vas vitreum ſtricti orificii, & exquiſite opertum, & ſervetur, hujus decocti ℥vi. vel paulo plus bibat horis quatuor ante prandium atque interim ſe continebit in cubiculo tepido, è quo non recedet, donec totum tempus potionis tranſierit; quod ſi ſtragulis & veſtibus bene contecta in lecto per unam horam, vel duas ſudaverit, optimum erit. Surget deinde veſtibus bene munita, & leniter inambulabit, vel aliquo hilari opere ſe exercebit, & exactis quatuor horis à potione prandebit, Prandium erit primis decem diebus, panis bene fermentati & biſcocti ℥iiii. vel v. aut plus, carnis vervecis, vel pulli gallinac. vel perdicis aſſatæ ℥iii. vel paulo plus. Potus ſit cereviſia communis bene defæcata, vel vinum oligophorum probe lymphatum pro conſuetudine. quod ſi poterit ab his abſtinere, bonum eſſet pro potu uti ſecunda aqua decocti ejuſdem ligni, ſuperinfuſa aqua ad ℔xx. uſque ad quartæ partis conſumptionem. Somnum diuturnum evitet, & maxime animi perturbationes. Septima hora poſt prandium totidem rurſus uncias ejuſdem primi decocti eodem modo potabit, & poſt quatuor horas cœnabit Eadem prorſus ratio cibi & potus tam in cœna quam in prandio eſſe debet, quidam hic poſt primos decem dies non amplius carnem, ſed ejus vice paſſul. ℥iii. & in prandio & in cœna aſſumere jubent, & tranſactis viginti diebus ab hac ſtrictiori diæta, rurſus ad eandem cibandi normam redeunt, quam in primis decem diebus obſervarunt. Deinde ut magis proficua & tutior procedat curatio, ſingulis octo diebus, ſumet una hora

ra ante prandium, caſſ. rec. extract. ℨ x. vel ſaltem ℥i quo die à decocto ligni abſtinebit; quod ſi interim dum decocto utitur, non egerat, ſi opus eſt, glande ventrem irritabit, vel alvum enemate ex decocto ligni ejuſdem cum ℥iii mell. roſ. leniter ſolvet. uſus decocti continuandus, eſt per quadraginta dies. Puſtulæ verò, apoſtemata & ulcera ungantur circumcirca cum ſpuma decocti primi, nam confortat membra, digerit materiam & rectificat, ſpuma ſit calida, ungaturque bis in die, aut ter etiam in doloroſis locis, quoniam mitigat dolorem. *Petrus Foreſtus obſ. 9. & ſchol. lib. 32. De Lue Venerea.*

Pro Lue Venerea.

Poſtquam ſatis purgatus eſſet, ſequenti unguento quinquies eum illevimus.

℞. Pulv. baccar. lauri excortic. ℥iiii. argenti vivi ſicut decet extincti ℥iß. ol. laurin. ℥ vi. M. omnia bene incorporando: inunximus autem juncturas manuum, pedum, & cum valde robuſtus eſſet, etiam eodem unguento penna oblevimus ulcera crurum (habebat enim crus adeo ex Lue ulceratum à genu uſque ad pedem, ut os denudatum eſſet, cujus etiam corruptionem metuebamus) & brevi ſanitatem is recuperavit, omnibus admirantibus, qui hominem prius viderant. Profuit autem ipſa inunctio etiam in loco ulcerato in homine robuſto, & prius per univerſalia remedia bene purgato: quod poſtea minus mirabar cum Chirurgos, audaciores tamen, in Noſocomio Delphenſi noverim, qui ſuo unguento gallicano ſubinde totum corpus inunxere, & potiſſimum eas partes in quibus dolores infeſtant & ulcera eminent: in hoc ſolo tamen homine robuſto ulcera oblevi, in aliis ſuffecit ſolas juncturas inunxiſſe.

Conficiatur hoc modo unguentum efficaciſſimum quod nunquam Rondeletium feſellit.

℞. Unguenti martiati & aregon. an. ℥iii. axung. porci non ſalitæ nec liquatæ ℔i. ol. chamæm. aneth. an. ℥i. ol. laurin. ℥i. argenti vivi ℥v. terebinth. reſin. an. ℥ii. M. F. unguentum, quo ungantur partes extremæ, & ſenſim provocetur ſudor cooperiendo vel apponendo lateres. Si unà adſint ulcera, cum multis papulis & ulcuſculis, addantur thus, maſtich. iris, ærugo & alia hoc modo.

℞. Axung. porcin. ℔i. butyr. rec. terebinth. lot. in aq. vitæ, an. ℥ii. reſin. & unguenti martiati, an. ℥iii. argenti vivi ℥v. thur. maſtich. irid. an. ℨiii. virid. æris ℨii. ol. laurin. & irin. an. ℥iii. lithargyr. auri ℥j. M. F. linimentum. *Petrus Foreſtus obſervat. 12. & ſchol. lib. 32.*

Multi curati ſunt in Noſocomio Delphenſi hoc unguento quo communiter utebantur.

℞. Sulph. vivi ℨ j. argenti vivi ℨvi. ceruſſ. tartar. alb. cinnab. an. ℥ ß. lithargyr. auri & arg. plumbi, an. ℨii. ſalis ℨ j. rad. helleb. nigri & alb. baccar. lauri, camphoræ, an. ℨii. ol. laurin. ℥iiii. axung. porcin. ℥iii. ſucc. fumar. rad. lapath. acut. enulæ, ſcabioſ. chelidon. borrag. an. ℥iii. bulliant cum oleo axungiæ ad ſuccorum conſumptionem, deinde admiſce argentum vivum cum ſalvia extinctum & reliqua. Hoc unguento indifferenter pro omnibus utebantur quinque diebus ſemel in die mane ſcilicet in cubiculo valde calido & parvo, inungebant brachia, & crura & inguina, & ſemel umbilicum tantum. & tunc faciebat fluxum. Idem. obſ. 13. lib. 32.

Hoc unum ante oculos habendum, quod ubi plus gummoſitatum videtur, plus pinguedinum unguento addimus, ubi verò minus gummoſitatum & plus puſtularum & ulcerum plus pulverum apponimus In delicatis quoque parum argenti vivi addimus; veluti quando complexio calidior fuerit, multum butyri & ol. roſac. aut ſucci plantag. res calidas fugiendo, adjungimus.

Hoc ſequenti Amatus curat. 76. cent. 2. Monachum atheromate in capite ex virulentia venerea condecoratum curavit.

℞. Thur. maſtich. myrrh. cinnam. zinzib. piper. long. ſandarach. græc. minii, an. ℨii. rad. pyrethr. floris ſalis nitri antiquorum, an. ℥ß. cineris tamariſc. ℥ii. butyr. rec. ℥vi. pingued. porcin. ℔i. argenti vivi cum ſucco limon. extincti ℥iii. M. & in mortario omnibus bene pistis F. unguentum, quod vires habent tum exſiccandi & abſtergendi, tum ſubtiliandi, & confortandi, quo ſemel in die jejuno ſtomacho, ejus juncturæ ac corpus demptis capite, pectore, alis ac ventre, illinebantur: fuit hic (inquit Amatus) ſexies illitus, & multa pituitoſa & mucoſa per os emiſit, in quo ulcera (ut plerumque evenire ſolet) floruere, ſed gargariſmo ex rebus ſtypticis confecto ſana facta ſunt, & ipſe ab orci faucibus liber. Idem. obſ. 14. lib. 32.

Nos experientia didicimus, quod fere quinto vel ad ſummum ſexto die, etiamſi tantum ſemel in die inungantur, alterationes oris fiunt cum evacuatione, & ego multos curavi quos niſi quinquies illinivi ſemel tantum in die, & raro ultra quinque dies inungere jubeo. Mirabile eſt quod Nicolaus Maſſa refert ſe unum ſanaſſe, qui à pluribus jam inunctus fuerat, & non ſanatus, quem per triginta ſeptem dies inunxit & liberatus fuit: & ideo (inquit) poteſt dari certa regula de numero dierum unctionis: ſed valde miramur quod toties ille auſus fuit inungere. Fiat unctio ante focum in cubiculo clauſo, poſtea juncturæ ſtupa canabina calida cooperiantur & ligentur, & ingrediatur lectum, cooperiaturque coopertoriis ut ſudet per duas horas: quod ſi per ſudorem nimiam patiatur laſſitudinem, detur cyathus unus brodii gallinæ vel carnis: experientia didici quod ſi in robuſtis tertio aut quarto die venter non fluat, ſi levi manu unica vice inungant ventrem, maxime circa umbilicum, quod facile illis venter fluat, ſed hoc niſi ſemel in conſtipatis faciendum putamus, ne venter nimium ex unctione poſtea perturbetur *Petrus Foreſtus ſchol. obſ. 14. lib. 32.*

Pro Lue Venerea.

Cum bene purgatus eſſet, ad ſuffitum devenimus: hunc quo Chirurgus alias uſus eſſet, & nunc paratum habebat, præſcripſimus.

℞. Cinnabar. ℥ii. oliban. benjoin. myrrh. an. ℥i. gall. moſch. ℨiß. theriac. el. ℥ß. ſtyrac,

liq. q. ſ. ad incorporandum. F. ſuffitus, omni mane fiebat ſuffitus, ſed cum poſt tertium diem venter ſtrictus maneret, quarto die hoc pharmacum ſumpſit.

♃. Confect. hamec. ℥ß. elect. de ſucco roſ. ʒ j. diagrid. gr. ii. Solvantur cum ℥iiii. aq. fœnic. F. potio octies multa & varia egeſſit, quinto die denuo ad ſuffitum pervenimus, donec egregie pituita ab ore deflueret, & os ac gutt ur ulcerarentur: & tunc præſcripſimus aq. ſolan. equiſeti, plantag. endiv. an. ℔ß. diamori, mell. roſ. colat. an. ℥iiß. M. pro gargariſmo: poſt fumigium adhibitum fœda ulcera quæ habuit in membris genitalibus plane curata fuere. *Petrus Foreſtus. obſ. 17. lib. 32.*

De ſuffumigiorum uſu lege apud Rondelet. libro De Morbo Gallico, ubi etiam deſcribitur hoc fumigium ad Ulcera Venerea.

♃. Cinnabr. ℥i. benjoin. ſtyrac. myrrh. oliban. oppopan. an. ℥ß. maſtich. macis, thur. an. ʒii. excipiantur terebinthina. F. fumigium. At ego (inquit Rondeletius) in ulceribus addo ſandarach. vel auripigmentum, potiſſimum cum ulcera in pulmonibus vel naribus, vel aliis partibus internis opinor eſſe.

Fit autem ſuffitus in hunc modum, æger cubiculo clauſo in ſellula nudus collocatur; (nos autem ægrum noſtrum in cupa ad hoc parata ſubtus cum tabella lignea perforata, ut fumus aſcenderet, capite extra cupam elato & cervice undique pannis tecta) ſic ut tanquam ſub conopæo ſeu papilione totus pannis optime circumductus ſit, ut ne os quidem extet: tunc accenſis carbonibus, uritur cinnabrium cum thure & cæteris correctivis: quo ſuffitu incaleſcit æger mirum in modum ac ſudat per horam integram fere, toties autem id tentandum, donec ſicut in inunctionibus gingivæ putreſcere & os ulceribus affici, & animus deficere quodammodo cœperit. Inter ſudores, ſi deficere videatur, permittetur ut caput tantillum è pannis explicet modo id ſæpe non faciat, fiat ſuffitus ſemel, bis, ter in die, pro anni ratione, ægrotantis viribus, & cæteris circumſtantiis, ad evitandum animi deliquium, impones prius epithema cordiale: hoc remedium deſiderat vires robuſtas, quia forte eſt & periculoſum. Utimur ſuffumigio ad curationem ulcerum humidorum quæ difficile conſolidantur, vel etiam cum ulceris conſolidationem accelerare volumus, ut fecit Rondeletus in quodam Nobili, quem 4. dieb. curavit. *Petrus Foreſtus.* ſchol. obſ. 17. lib. 32.

Pro Lue Venerea.

Puella quædam octodecim annorum penes Nobilem Herum Lue Venerea laborantem ſerviens, & cum ejuſdem Concubina lecto communi utens, poſt varia ſymptomata nocturnorum dolorum, anguſtiæ pectoris, & ſimilium, tandem undique puſtulis Gallicis & Condylomatibus in partibus obſcœnis inficitur. Hæc in Noſocomium recepta, ita ſanitatem obtinuit: per triduum hic pulvis digeſtivus quotidie bis in brodio decoctionis rad. petroſel. fuit exhibitus.

♃. Magiſt. tart. vitriol. ℈ii. pro doſi una. Quarto die purgatio fuit inſtituta per mercur. dulc. ℈i. diagrid. correct. gr. viii. cum conſerv. roſ. vitriolata. F. bolus, quo aſſumpto bis tantum per ſeceſſum operatio ſubſecuta fuit, corpore per digeſtivum præmiſſum mediocriter etiam reſpectu primarum viarum purificato, mox igitur ad ligni decoctum acceſſimus hoc modo.

♃. Lign. guajac. quod ſingulari proprietate contra hunc morbum pugnat; ſarſæparill. majoris digeſtionis & inciſionis gratia, an. ℔ß. cortic. lign. ob ſingularem ſiccandi vim ℥iß. F. decoctio (facta prius infuſione per viginti quatuor horas in tribus aq. pluvialis menſuris, quarum quælibet quatuor libras habebat) lento igne, vaſeque clauſo coque ad conſumptionem tertiæ partis, ubi tempore medio coctionis majoris inciſionis & deterſionis gratia addantur rad. helen. ʒvi. baccar. juniperi, liquirit. raſ. an. ℥ß. hujus decocti bibat ℥vi. cum ſulph. aurat. diaphoretic. gr. xii. continuando ejus uſum per triduum, eoque ſudorem in lecto provocando, poſtea iterum purgetur hoc modo.

℞. Mercur. dulc. ℈i. diagrid. corr. gutt. gamandr. an. gr. vi. croci metall. rite præp. gr. iii. M. & cum pauxillo conſerv. roſac. exhibeatur hauſtu calido brodii piſorum ſuperaddito, cujus operatio ſemel per vomitum abſque difficultate, & ſexies per alvum ſucceſſit: intermiſſo demum unico die, per ſex dies continuos rurſus ſumpſit decoctum ſudoriferum cum gr. xii. ſulphur. aurati diaphoretic. ſubſequente tandem hoc cathartico.

♃. Merc. dulc. gr. xxvi. metall. gr. v. diagrid. gr. viii. M. pro doſi, qua ſexies per alvum tantum evacuatio facta eſt, hinc per octiduum reiteratum fuit decoctum ſudoriferum, ut ſupra cum additione; ſubſequente etiam ſuperiore cathartico, repetitum rurſus per aliud octiduum decoctum ut ſupra; & rurſus inſtituta fuit purgatio per merc. d. ℈i. gut. gamandr gr. ix. croci metal. gr. vi. conſ. roſac. ʒ ii. M. aliquando adhibitum fuit balneum ſudoriferum, humectata etiam aliquoties fuere condylomata, externæ puſtulæ & exulcerationes aqua cauſtica mercuriali, atque his remediis tam internis quam externis reſtituta noſtra ægra poſt duos menſes ad ſuos ſana rediit. *Gregorius Horſtius, obſerv. 3. lib. 7.*

Fœmina prægnans ad menſem quintum viginti quatuor annorum, rhagades & fiſſuras exulceratas in partibus obſcœnis, exulcerationem in ore malignam, cum præeunte laſſitudine totius, & doloribus artuum nocturnis patitur, concluſum eſt, cum prægnans eſſet medio geſtationis tempore quo purgationes potius, quam in primis vel ultimis menſibus conceduntur, patientem hanc luis curationem ſubire poſſe, mox igitur præparationis gratia, ſequens pulvis exhibebatur.

♃. Cremor. tartar. ℈i. fæculæ Aronis, brioniæ, an. ℈ß. M. pro doſi, die ſequenti purgabatur ſic.

♃. Merc. d. ℈i. diagrid. corr. gr. vii. M. cum conſerv. roſac. quo ſumpto quater per ſeceſſum operatio ſequebatur, die ſequenti quietem conceſſimus, corroborandi fœtus gratia balſami embryonum cochlearia aliquot concedendo. Deinde per novem dies potionem ſudoriferam

ex

ex decoct. ligni ℥vi. cum ſulph. aurat. diaphor, ℈ß. Sumebat quotidie ſudoris provocandi gratia, poſtea materiam intus digeſtam per alvum exturbare conati ſumus ſequenti bolo.

♃. Merc. d. ℈i. diagrid. præp. gr. vi. conſerv. roſac. vitriol. ʒii. M. hoc ſepties per alvum operante, ſequente biduo ſudoriferum reiteratum fuit, exhibitum deinde propter obſtructiones alvi hoc purgans.

♃. Merc. d. ℈i. diagrid. præp. gr. vi. aloes ſuccotr. gr. iv. cum aq. boton. F. pilulæ parvæ, quibus aſſumptis ſexies alvus deponebatur, evaneſcente bilis eructatione, capitiſque dolore, conſequenter decoctum cum ſulph. aurato per novendium fuit continuatum; viciſſim poſtea inſtituta evacuatione per bolum ſequentem.

♃. Merc. d. ℈i. diagrid. gr. vii. conſerv. roſ. vitriol. ʒ ii. M. eandem ſudores eodem decocto per octiduum adhuc continuavit, adhibitis interim exterius quoque neceſſariis remediis, ubi propter oris exulcerationes frequens fuit uſus ſequentis mundificativi.

♃. Mell. roſ. colat. ℥ii. rob. mororum dianuc. an. ℥iß. unguenti ægyptiaci, ʒiii. M. poſt uſum convenientis gargariſmatis frequenter adhibeatur, partibus obſcenis ſequens unguentum frequenter fuit adhibitum.

♃. Unguenti alb. camphor. ℥ ß. merc. dulc. ʒi. optime miſceantur; ſic penitus divina benedictione, reſtituta, ſanguinem hactenus tot ſudoribus incaleſcentem, temperare conata fuit venæſectione ſeptimo circiter geſtationis tempore inſtituta, fœtus potiſſimum gratia, quo faciliori tranſpiratu, conveniens partus tempus exſpectare poſſet, quod incidebat nono menſe, quo puellum ſanum & adhuc viventem peperit. *Gregorius Horſtius, obſerv. 4. lib. 7.* Vid. *Guil. Fabritium Hildanum, obſ. 97. cent. 5.*

De Lue Venerea.

Multas gravidas in quibus erat luis venereæ ſuſpicio, aut quarum fœtus ex patre inquinato ſuſceptus fuerat, decocto ligni ſancti, radic. chynæ, ligni ſaſſafras, aut radic. ſarſæparill. per quadraginta dies aſſumpto cum diæta convenienti fœliciter percuravimus: imò plurimas in quibus major erat iſtius mali labes vidimus inunctiones ex hydrargyro, aut emplaſtra mercuriata cum ſputationibus conſtanter & impune ſuſtinuiſſe ab Empiricis inſtituta, ubi enim adſunt cauſæ morbificæ, adverſus quas valentioribus remediis eſt pugnandum, non eſt dubium quin natura mediocriter robuſta magis levetur ex eorum uſu, quam opprimatur; quia concurrit ſimul cum illis ad conflictum iſtum perficiendum, & poſt partam victoriam fœliciùs conquieſcit, quam ſi peſſimarum illarum diſpoſitionum inſultibus ad finem uſq; imprægnationis conflictetur *Jo. Varandæus lib. 2. De morb. Mulier. cap. 2.*

Celebris quidam medicus in Galliis ita procedebat in hujus luis curatione, primo vomitorum per biduum exhibet, tertio die purgatio per extractum catholicum inſtituitur; quarto aurum diaphoreticum cum theriaca & pulvere ſerpentum exhibetur, poſtea totum corpus aqua mercuriali ſudorifera inungitur, linteis æger involvitur, & ſudor quotidie provocatur: auri diaphoretici deſcriptio talis eſt.

♃. Mercur. vivi opt. & purificati, ℥iß. auri puri, ʒi. hoc ſolvatur aqua regis; mercurius vero aqua forti; conjunge ſolutiones, & diſtilla aquoſitatem per balneum; in fundo remanebit præcipitatum quod edulcoretur aqua calida; deſcriptio aquæ mercurialis ſudorifera talis eſt.

♃. Mercur. ſublimat. ʒii. arſenic. alb. ʒi. euphorb. ʒii. ſpirit. vini opt. ℔ ii. aq. roſ. ʒxii. digere per viginti quatuor horas. Poſtea toti corpori penna illinatur. obſ. 13. lib. 7.

Dom. Petrus Fuhrmannus in luis venereæ curatione hunc ordinem ſervavit, diſpoſuit corpus primùm ad evacuationem per nodulum, triduo poſt, vomitorium ſuum valde ſibi in uſu medico familiare adminiſtravit; tum de merc. dulci gr. xxx. plus minus pro ſubjecti habilitate, in conſerv. roſac. & confect. alkerm. exhibuit, & ſi poſtridie ſalivare cœperunt ægri (quod ſymptoma ipſis familiare eſſe ſolet in materiæ illius vitioſæ commotione) ceſſat ab ulteriore remediorum applicatione, ægros interim tenuiſſime aut omninò non cibans, donec ſaliva fluere deſiit; ſi vero tertio die à prima mercurii exhibitione nondum ſaliva fluxit, iterum exhibuit prædictum mercurium, ſed aucta doſi ad gr. vi. vel viii. ſi pariter hac exhibitione nihil ſecutum eſt, tertia vice dedit, temporis ſimul & augmenti obſervata proportione; dum fluxit ſaliva, quievit, conquerentibus autem de faucium & palati exulceratione & vacillatione dentium (quod malum nemo adhuc à mercurio arte potuit avertere) gargariſmum fecit ex aſtringentibus aquis & alumine; ulcera ſi adfuerunt, curavit elui aquis veronicæ & roſar. in quibus aliquid mercurii ſublimati communis ſolutum fuit; finito palati fluxu, decoctum ligni dedit, & ſudoribus diſcuſſit ſi quid fuit reſiduum. Hic *Dom. Fuhrmanni* erat modus. *Andreas Schiling. in epiſt. ad Gregor. Horſtium pro obſervat. 12. lib. 7.*

Scatebat quidam è grege mendicabulorum lue venerea, aliquot diebus univerſum corpus equino fimo obruit, ut tantum eſſet qua reſpiraret; erat ſtercus ſtabularium equino lotio ſæpius perfuſum, quodque jam computruerat; effecit ille hac arte, ut totum virus exprimeret; addidit aliquoties enchriſton ex axungia larigna & hydrargyro, nec alia vitæ lex ſervata, quam mantica offerebat, atque his remediis curatus eſt. *Jacob. Hollerius lib. 1. inſtit. Chirurg. cap. 2.*

Pro Lue Venerea.

Vidi juvenem, qui cum à recenti hoc morbo convaleſcere per potionem guajaci ex aqua non potuiſſet, ab antiquo liberatus eſt per potionem ejuſdem ex vino; ſoleo ego recipere ligni guajaci ℔i. aquæ ℔vii. & facta maceratione totos tres dies, decoquere uſque ad aquæ ferè conſumptionem, deinde conjicere vini ℔iii ß. & colaturam facere per torculare expreſſum; vinum enim decoctum mutat omnino vires. *Chriſtophorus Guarinonius conſult. 315.*

Ex juniperini ligni admodum odorati & nonnihil acris decoctione pauperes lue hac infectos aliquos ſanavi, ſumendo ſcobis vel raſuræ

illius non tantum, quantum guajaci, cum efficacius ferè ſit, ſed mediam vel tres ſaltem illius partes, & cum aquæ ℔ ii. eodem penitus modo uti guajacum coquendo, & utendo: cui & guajacum, china, & ſarſa addi poſſunt: egregium ſanè ſudatorium & innoxium.

Chymicus & Empiricus inſignis fœlici ſucceſſu ſequenti electuario luem hanc curabat; continuando uſum ejus in robuſtioribus manè & veſperi per quindecim dies.

℞. Cortic. guajac. ℥ iv. lign. ejuſdem, ebeni, quercus, aut buxi. an. ℥vi. ſarſaparill. ℥vi. hermodactyl. ℥ iv. turbith. gummoſ. ℥ ii. caryophyll. ʒii. aniſi ℥ i. ſaſſaphr. ℥ iii. fol. ſen. ℥ vi. aquæ ℔ viii. ſtent in cineribus calidis per diem unum aut alterum, colentur, poſtea iterum aſfundaur aquæ eadem quantitas, bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, expreſſione facta, prima infuſio cum hoc decocto miſceatur; per evaporationem lento igne factam ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſatis, addantur mell. opt. deſpumati & inſpiſſati parum ℥ iv. pulverum ſarſæparill. fol. ſen. hermodactyl. an. ℥ß. turbith. gummoſ. rad. jalap. an. ʒiii. caryophyll. ʒj. extract. ſcammon. ʒii. F. elect. doſis à ʒiß. ad ʒii. & ʒiii. æger quamdiu hoc electuario, utitur bibat decoctum factum ex ſarſaparill. china, hermodactyl. aniſo, caryophyll. & guajaco. *Felix Platerus prax. medic. tom. 3. p. 429. & 438.*

Auriga militaris uxorem lue venerea infecit: hæc vero remedii penuria in ulcus excedens ſeſe diſtendit, unum ſaltem vidi, ab aure in cervicem, humerum, & cubitum, pone per omoplatas, totum latus coſtarum & & thoracem devaſtans: exhibeo corallatum Paracelſi per albumen ovi paratum, & viginti ſex diebus tota convaluit, ingentia enim ulcera feſtinato impetu pelle tegebantur. *Jo. Helmontius tractat. cui tit. De cauſis & initiis naturalium.*

De lue Venerea.

Præmiſſo minorativo, conſului ut ſanguinem mitteret ex cubito dextro: deinde ſequens apozema pro quatuor matutinis injunxi.

℞. Rad. cichor. polypod. enul. an. ʒx. liquirit. raſ. ireos, an. ℥ i. fol. fumar. ſcabioſ. bugl. cich. dent. leonis acetoſ. capill. ven. chamædr. chamæpit. an. M. i. epithymi ℥ß. ſem. aniſ. cartham. contuſ. an. ʒiii. paſſul. enucleat. ℥ß. prunor. damaſc. p. x. fol. ſen. mund. ℥i. rhei el. agar. troch. an. ʒ ij. rhab. monach. rhapont. an. ʒvi. F. decoctio in ſ. q. aq. fontis ad ℥xi. in colat. diſſolv. ſyr. de polypod. epithym. an. ʒvi. ſyr. diaſereos roſ. ſolut. an. ℥ i ß. crem. tartar. ʒii. aq. cinnamom. ℥i. M. F. apozema, bene excrevit, beneque tulit.

Corpore ſic rite purgato, aſſumpſit mane in lecto probè tectus ℥v. decocti hujus ſudatorii: & ab hora ſexta uſque ad ſeptimam, cum copia motus eſt.

℞. Limatur. lign. guajac. ℥iv. cortic. lign. ℥iiß. rad. ſarſæpar. ℥ii. aq. fontis ℔x. M. infund. per horas viginti quatuor, bulliant ad conſumptionem medietatis, colat. adde fol. cichor. fumar. cuſcut. an. m. i. bull. unica ebullitione: colatura ſervetur pro decocto.

℞. Reſid. dicti decocti, aq. ℔xv. coq. ad terrias, adde ſem. aniſ. coriandr. præp. cinnam. an. ʒi. paſſul. enucleat. ℥iv. colatura ſit potus ordinarius; vitetur vinum ſicut venenum: hora rurſus tertia pomeridiana aſſumat decocti ſudoriferi ℥iv. expectando ſudores in lecto, & ſic indies provocetur ſudor bis, interim contra faucium & palati ulcera hoc præſcriptum gargariſma.

℞. Diamor. dianuc. an. ʒvi. mell. roſat. colat. ℥i. alumin. uſt. vitriol. alb. an. ℈i. aq. prunel. plantag. & roſ. an. ℥ iij. m. F. gargariſma.

Pro condylomatibus anique ficubus unguentum tale ſubminiſtravi.

℞. Terebinth. ʒvi. thur. maſtich. an. ʒi. myrrh. minii, an. ʒi. ol. nuc. laurin. an. ℥ß. ceræ q. ſ. F. unguentum.

Per tres ſeptimanas ſudoriferis dedit operam; ſubinde alvum ex ſudore conſtipatam catharticis ſolvendo: cum vero curationis per ſudores pertæſus eſſet, ſemel in die pro diſcutiendis luis reliquiis ante fornacem in juncturis brachiorum, axillarum & lumborum regione inungebatur ſequenti unguento, inunctuſque linteo obvolutus, lectoque impoſitus ſudorem ciebat.

℞. Unguenti martiati axung. porcin. pingued. gallin. an. ℥i. mercur. vivi opt. agitati ʒvi. thuris, maſtich. an. ʒii. lithargyr. minii an. ʒiß. tartar. vini, alumin. an. ʒi. aq. vitæ ʒii. ol. laurin. ℥ i ß. ol. ſpic. gr. vi. camphor. gr. v. M. F. unguentum, poſtquam per quatriduum inunctionibus uſus fuiſſet, ſputatio admodum copioſa ſecuta eſt, ita ut unius ferè horæ ſpatio pelvim impleret. Interim contra fauces inflammatas & tumidas uſus eſt præſcripto gargariſmate: ad reliquiarum evacuationem has pilulas ſumpſit.

℞. Pil. de agar. ſine quibus, an. ℈ i. pil. fœtid. de hermodact. an. ℈ß. diagrid. præp. gr. iii. M. F. pilulæ numero xiii. deaurentur, & ſic tandem convaluit. *Jo. Petrus Lotichius obſerv. 3. cap. 5. lib. 6.*

Pro Lue Venerea.

A me curata eſt lues venerea in pluribus decocto ex ſudoriferis & purgantibus per viginti dies uſurpato: ſi hæc non ſufficerent, ad frictiones ex unguento mercuriali veniebam: multi in media hieme, hoc ſolo decocto curati ſunt, quibus diæta ſudorifica adminiſtrari non poterat, propter aëris inclementiam. *Lazarus Riverius obſerv. 78. cent. 1.*

Puer triginta menſes natus lue venerea laborans, & fœda ſcabie totum corpus occupante, ſequentibus remediis curatus eſt.

℞. Raſ. lign. guajac. ℥ii. aq. font. ℔ii. infund. per viginti quatuor horas, deinde bulliant ad tertiæ partis conſumptionem; colaturæ capiat ℥ iii. ſingulis diebus manè, duabus horis ante paſtum, corpus tegendo paulo plus ſolito, & continuando per viginti dies.

℞. Diagrid. pulver. gr. vi. calomelan. gr. v. fiat pulvis tenuiſſ. detur cum cochleari uno vel altero panatellæ ſaccharatæ, ſuperbibendo parum juſculi, continuetur hoc remedium quinto quoque die, augendo doſin utriuſque medicamenti juxta operationem.

℞. Reſidentiam prædicti decocti, aq. fontis ℔ iii. F. bochetum pro potu ordinario addendo ſacch. & liquirit. q. ſ. ad ſaporis gratiam: his remediis per menſem continuatis probè convaluit. *Lazarus Riverius obſ. 95. cent. 2.*

Mercator quidam lue venerea laborans ab aliquot menſibus à me curatus eſt, ſine ullo alio remediorum apparatu, per opiatam Neapolitanam Renodæi, cui addebam ſingulis diebus mercurii præcipitati albi cum ſpir. ſulphur. præp. ℈ß. & per intervalla exhibebam calomel. Turqueti ſeu merc. d. ſexies ſublimati ℈i. cum reſin. ſcammon. g. xii. in forma pilulari, cum uſu Bocheti ex decocto guaiaci & ſarſæ per viginti dies, multos etiam alios curavimus uſu ſolius opiatæ prædictæ cum mercurio prædicto & decocto ſarſæparillæ per longum tempus, quibus autem alvus multum movebatur, illi tantum alternis diebus ſumebant prædictæ opiatæ ℥ß. *Simeon Jacoz. obſerv. 91. cent. 4. obſ. Riverii.*

Puellæ duæ, quarum major vix attigerat quintum, minor verò tertium ætatis annum, laborabant lue venerea per contagium ſuſcepta cum ulceribus multis in ore & pudendis, nec non puſtulis & fœda ſcabie per totum corpus erumpentibus, fruſtra exhibitum fuerat decoctum guaiacinum per menſem integrum à perito chirurgo. Vocatus ego, intra quindecim dies prædictas puellas curavi mercurio præcipitato albo, exhibendo ſcilicet ſingulis diebus majori puellæ gr. vi. minori vero gr. iv augendo tamen utriuſque doſin aliquando juxta operationem, quæ talis fuit, ut utraque ſingulis diebus bis aut ter alvum deponeret, nec vomitus ullus nec ptyaliſmus unquam ſubſecutus eſt, perſeverabant per dictum tempus in uſu Bocheti. *Simeon Jacoz. obſerv. 16.*

Mulier lue venerea infecta puellum peperit puſtulis & ulceribus in variis partibus affectum qui curatus fuit præcipitato albo ad gr. ii. vel iii. exhibito cum ſaccharo & lacte ſingulis vel alternis diebus continuando per menſem integrum, incepta eſt remedii exhibitio quindecimo nativitatis die *Samuel Formius. obſ. 26.*

Henricus tertius Gallorum rex lue venerea laborans à medicis ordinariis curari non poterat. Monitus fuit Penam tunc temporis Lutetiæ medicinam facientem multos ab hoc morbo liberare remedio peculiari quod à quodam Turca didicerat; illum vocari juſſit, ab eoque curatus eſt. Remedium tale erat.

♃. Rad bardanæ in taleolas ſectæ, ℥viii. vini alb. & aq. fontis ℔ii. bulliant ad mediæ partis conſumptionem, addendo ſub finem ſen. mund. ℥i. vel ℥iß. pro diſpoſitione ægrotantis: colaturæ capiat mane ℔ß. ſudores provocando cum ſilicibus majoribus calidis linteis obvolutis, quorum unus admoveatur plantis pedum, duo tibiis, duo cruribus, duo juxta medium parte exteriore, & duo juxta humeros, probe tegendo ægrum; ſudores copioſi excitantur per horam unam cum dimidia & circa veſperam alvus ſolvitur bis aut ter: hoc remedium præmiſſis univerſalibus uſurpabatur per ſpatium quindecim aut viginti dierum. Poſtea capiebat mane ſingulis diebus decoctum bardanæ ſine ſena & ſine ullo regimine per menſem integrum aut dies quadraginta. *Samuel Formius. obſerv. 41.*

Curatus à me eſt puer quinque annorum præcipitato albo ad gr. iv. exhibito ſingulis diebus per viginti dies cum panatella, per inferiora tantum purgabat, neque ullus unquam ſecutus eſt ptyaliſmus. *Samuel Formius. obſ. 51.*

Chirurgos interdum errare contingit in luis venereæ curatione, quando poſt ordinaria remedia convenienter uſurpata, ægros perfectè curatos non eſſe exiſtimant, quod adhuc quædam ſymptomata luem veneream comitantia, apparere non deſinant, unde ægros interdum in nova tormenta conjiciunt, & in atrophiam aut tabem præcipitant, cum tamen illa ſymptomata ſponte diſpareant, aut levibus quibuſdam topicis remediis diſcutiantur.

Dum eſſem Lutetiæ apud D. Helotum Chirurgum peritiſſimum, Nobilis quidam Pariſienſis, temperamento melancholicus ſe illi curandum tradidit, qui præter dolores nocturnos, aliaque luis venereæ ſymptomata, tumorem patiebatur in cervice ex pituita & melancholia genitum: poſt inunctionem ex unguento mercuriali, copioſus fuit ptyaliſmus, & omnia luis venereæ ſymptomata prorſus abolita ſunt uno excepto tumore, cujus duæ tertiæ partes diſcuſſæ fuerant: exiſtimabat æger ſe non eſſe curatum propter tumorem ſuperſtitem: ab alio tamen Chirurgo ſeniori ad hanc rem vocato confirmatus fuit, & admoto emplaſtro de vigo quadruplicato mercurio, tumor diſcuſſus eſt ſpatio unius menſis.

Alter vir Nobilis curæ meæ commiſſus abſoluto ptyaliſmo, ſe non curatum eſſe putabat quod ulcus in cervice & regione œſophagi remaneret, hoc tamen ulcus remediis vulgaribus intra menſem curatum eſt, ſine ullo remedio luem veneream reſpiciente. *Dionyſius Pomaret. obſ. 16.*

De lue Venerea.

Vir triginta quatuor annorum poſt gonorrhæam à chirurgo quodam medicamentis aſtringentibus perperam curatam perſenſit tumorem, ruborem, ac ingentem cruciatum in crure paulo infra genu, quæ de die in diem magis magiſque ingraveſcebant; deinde malum hoc in ulcus fiſtuloſum degeneravit cum duritie contermina & labiis calloſis; caro vicina livida apparebat; præterea ulcus unum aut alterum durum & lividum ſuperficiem cruris occupaverat. Quidam ulcus hoc cavernoſum dilataverant, alii medicamentis corroſivis calloſa labia tollere ſategerunt, ſed ſine fructu. Antea etiam ulcus brachium infeſtaverat, ſed illud rurſus coaluerat & obductum erat cicatrice dura, rubra & inæquali.

Omnibus his rite penſitatis ægrum lue Venerea correptum eſſe judicavi, nec ulcera aliter vere ſanari poſſe exiſtimavi, quam cura luis venereæ generali præmiſſa.

Quare ægrum primo purgavi ſequentibus pilulis,

♃: Extr: catholici ℈i. Mercur: dulc: Gr. vi. Trochiſc: Alh: Gr: i. ol: macis parum. M. F. pill: n. ix. deinde hujus apozematis uncias duodecim ter de die calide aſſumebat, octava matutina, quarta pomeridiana, & nona aut decima ſub ingreſſum lecti.

♃: Lign: guajaci ℔iß. Cort: ejuſd: ℥ii Sarſæ parill: ℥iß Chinæ mollioris ℥iii. Saſſafras ℥i Infunde per noctem ac coque in aqua communi ad libras quatuordecim.

Quo-

Quoties ægrotus ſitiebat, aſſumebat, quantum lubebat, apoſematis ſecundarii.

Præterea æger ſemel de die ſudabat in ſtupha; ut ita loquar, cum carbonibus vivis & ſpiritu vini accenſo.

Singulis quoque ſeptimanis ſemel purgabatur pilulis mox præſcriptis.

Adhæc ulcera lavimus decocto noſtro, applicuimus digeſtivum ac ſuperpoſuimus emplaſtrum de ranis cum duplici Mercurio.

Septimus vix illuxerat dies, cum ulcera omnia coaluerant penitus & tota durities abierat.

Ut tamen certi eſſemus de perfecta medela, ægrotum per menſis ſpatium tractavimus ſecundum methodum prædictam, atque tum temporis eundem ſanum & incolumen dimiſimus.

Lues hæc venerea provenit ex gonorrhæa male curata; quo pacto jam gonorrhæa producatur, & quomodo humor acido-corroſivus in illa peccet, hic loci dicere ſuperſedeo, quandoquidem id ſatis clare explicuimus antea obſervatione ultima quartæ decadis.

Ulcuſcula in proſtatis & veſiculis ſeminariis ab humore acri gonorrhææ originem trahentia per aſtringentia intempeſtive occluſa ſunt, eodem modo, ut ulcus in ſuperficie corporis, quod cruſta obtegitur, atque hinc acris hic humor in maſſam ſanguineam abreptus eſt, eamque totam infecit.

Particulæ quædam acido-corroſivæ ſanguinis in brachio & deinde in tubulis cruris ſtagnantes ulcera mox nominata, cæteraque ſymptomata effecerunt, de quorum generandi modo prolixior ſermo hic vitabitur, ne cramben bis coctam benevolo lectori obtrudamus, nam ſatis diſtincte illud egimus primæ decadis obſervatione ſexta.

Acido hoc igitur interne & externe per decocta & emplaſtra, digeſtivaque temperato, ac obſtructionibus per ſudorem reſeratis, & humoribus coagulatis per accenſum ſpiritum vini iterum diſſolutis ægrotus noſter feliciter convaluit.

Chirurgi verò ulcera hæc ſanare non potuerunt, quia, quamprimum acidum peccans in ulceribus temperatum erat, extemplo aliquid de novo ex maſſa ſanguinea labe venerea infecta, advehebatur in partes affectas.

Non diſputabo hic loci, unde lues venerea primo prodierit; quidam eandem deducunt ab anthropophagis, voluntque porcum carne porcina veſcentem ſimili morbo infeſtari, alii ex confuſione ſeminis multorum virorum corruptionem humorum in collo matricis exortam eſſe affirmant, atque hoc pacto morbum gallicum primo fæminas corripuiſſe, quæ deinde viros contagio infecerint; aliqui putant hunc affectum productum primo ex concubitu leproſi cum meretrice, alii iterum à coitu hominis cum equa ſcabie laborante, quæ gallice dicitur le farcin.

Sed hæc omnia, quæ parum aut nihil faciunt ad praxin feliciter exercendam, ſicco pede præteribimus; ſufficiet nobis radicem hujus mali humorem acidocorroſivũ exiſtere, ex quo omnia hujus luis ſymptomata faciliime deducuntur, atq; hæc ſententia confirmatur etiam ex medicamentis juvantibus, quæ omnia copioſo ſale volatili conſtant, qualia ſunt Mercurius, lignum guajacum, radix chinæ, ſarſæparillæ, ſaſſafras aliaque.

Certe multa ſunt, quæ Medicus ſine famæ diſpendio ignorare poteſt, nam Medicinæ Doctor multas nugas nullius utilitatis anxie inquirens, intempeſtive philoſophans, ac interea temporis negligens ea, quæ vere ad praxin cum ſucceſſu exercendam conducunt, haud diſſimilis mihi videtur illi navis gubernatori, qui noctes atque dies ingenium ſuum fatigat in inquirenda cauſa fluxus & refluxus maris, quique interim naufragium patitur propter imperitiam ſuam in rebus apprime ad navigationem neceſſariis, neſcius ubinam loci reperiantur vada ſcopulique.

His bene conſideratis multas inutiles quæſtiones negligemus, in quibus inquirendis nulli totam ætatem fruſtra conſumunt, nec magis rimabimur, quare fomes febris quotidianæ intermittentis viginti quatuor horis, tertianæ biduo, quartanæ triduo matureſcat & cum maſſa miſceatur ſanguinea, quam cur equus ſeptem annorum ſpatio adoleſcat, cum homo requirat viginti annorum intervallum; imo non magis mirabimur, quod quartana, horologii inſtar, tam exquiſite ſtatas horas obſervet, quam quod ſomnus ac fames certo tempore redeat.

Sed ut ad propoſitum revertar, dico, quod morbus hic in noſtris regionibus non valde contagioſus exiſtat & raro alio modo quam per coitum communicetur.

Sed tamen ante aliquot annorum ſeriem lues hæc ſine concubitu plurimos miſerrime hac in urbe infecit.

Erat nempe Arnhemii fæmina quædam quæ novarum puerperarum lac è mammis exſugendo victum quærebat, morbo gallico contaminata, atque hæc ſaliva ſua morboſa per papillas calide intrante ſanguinem miſerarum puerperarum afficiebat tam horrendo malo, & ſic infantes affectum hunc ex mammis matrum exſugebant etiam.

Lues hæc aliquandiu miſere graſſata eſt, antequam cognoſceretur & malæ plagæ nomine appellabatur hic loci.

Quidam exiſtimant neminem coitu hoc malum ſibi contrahere poſſe, niſi præcedat gonorrhæa, & in hoc falluntur, ut opinor, atque hoc non raro in cauſa eſt, ut lues hæc in principio negligatur, ac deinde adeo profundas agat radices, ut non ſanetur, quin hoc aut illud membrum ſemper ſignum præ ſe ferat prægreſſi mali.

Sic ingens fruſtum oſſis palati carie infecti in lue venerea ſeparatum novi, ita ut foramen lamina argentea cum ſpongia annexa occludi deberet, ut loquela, quæ alias hoc in caſu vitiatur, articulatior eſſet, ſed ſpongia illa progreſſu temporis à ſaliva corrumpitur & fœtet, quare illius loco jam temporis è latere donatur lamina argentea, ut ita firmiter inhæreat palato nec decidat, qua de re vide tractatum ſæpius laudatum Domini à Solingen, libro 1. cap. lxiii.

Ante aliquot annos à lue venerea quendam ſanavi, qui nec manus nec pedes multis ingentibus tophis obſeſſos movere poterat, atque nihilominus tres ſanos infantes ex ſana matre ſuſceperat, & mater ac infantes permanſere incolumes; mirandum ſane, ſed tamen hæc ejus

phænomeni ratio reddi non incongrue mihi poſſe videtur.

Certum eſt, humorem in lue venerea peccantem non eſſe volatilem ſed fixum & viſcoſum, ſic ut per vaporem non communicetur, nam alias lues hæc halitu infecti propagari poſſet, quod tamen non fit.

Ponamus jam ſecundum recentiorum placita hominem generari ex ovo materno ſpiritu ſeminis virilis imbuto & fæcundato; ſic facile intelligitur ovum maternum non infici ab aura ſeminis virilis, quæ innocua eſt, nam venenum venereum remanet in parte ſeminis viſcoſiore; ſed unde contigit, ut mater coitu mariti infecti malum hoc ſibi non contraheret? forſan matrix & collum ejus obductum fuit pituita tenaciore, quæ partes illas defendit ab acrimonia ſeminis virilis.

Memini hic alicujus podagrici qui à lue venerea per me ſecundum methodum prædictam liberatus poſtea nullo unquam tempore dolorem podagricum iterum perſenſit, unde haud male infertur, podagram & morbum gallicum uno eodemque modo poſſe ſanari.

Hyeme præterita aliquem lue venerea laborantem ac innumera fere ulcera fiſtuloſa gerentem per totum caput intra ſex hebdomadas perfecte ſanavi in tugurio quodam frigido ventis obnoxio & quidem ſine ſtupha ſolo decocto; æger hic parum aut nihil ſudabat, ſed quotidie per alvum incredibilem ſaburræ copiam evacuabat.

Scilicet humor peccans per poros à frigore conſtrictos ſub forma ſudoris egredi nequibat, quare, ubi per decoctum à reliqua maſſa ſanguinea ſecernebatur, in inteſtina propulſus eſt.

Scio pleroſque jam temporis huic morbo mederi Mercurio interne aſſumto vel externè inuncto, ſed mea methodus, quamvis pretioſior, commodior multo exiſtit miſeris ægrotis; imo revera affirmare queo, me aliquem, bis ſalivationem fruſtra paſſum, ſecundum methodum meam feliciter priſtinæ ſanitati reſtituiſſe.

Memini quoque me alicubi legiſſe quendam lue venerea laborantem & Mercurio uſum ſerum acre non per ſalivationem, ſed per ulcus, quod habebat, evacuaſſe, unde ulcus multo deterius effectum eſt, unde haud male concluditur Mercurii uſum ante omnia vitandum eſſe, ubi ægrotus ulceribus affligitur.

Mira reperitur hiſtoria in actis Philoſophicis Anglicanis pagina mihi 459. quam hic annectam.

Inter patientes erat miles robuſtus & validus, periculoſe infectus morbo Gallico, & ſufferens horrendas exoſtoſes oſſium in brachiis ſuis. Ille cathartico liquore infuſo in venam medianam brachii dextri conquerebatur de ingentibus doloribus in cubitis ſuis, valvulæque brachii ejus adeo ſenſibiliter tumeſcebant, ut cogeremur leni compreſſione digiti ſtringere tumorem illum verſus humeros ægri. Quatuor circiter poſt horas medicina operari incipiebat non cum grandi meleſtia, & in operatione perſiſtebat proximo die ſequente, adeo ut quinque ſedes poſt infuſionem habuerit, eaſque non leves; ſine ullis aliis remediis adhibitis exoſtoſes illæ abibant, neque morbi ſupra memorati ulla reliqua ſunt veſtigia.

Jam dudum novi pleraque cathartica conſtare copioſo ſale, atque etiam perſuaſus ſum hæc ſalia immediate in maſſam ſanguineam immiſſa plus virium habere ad humorem acido-corroſivum temperandum, quam ſi per ventriculum aliaſque ambages ad ſanguinem progrederentur; attamen nondum adduci poſſum hac hiſtoria, ut credam morbum adeo pertinacem tam facile poſſe debellari.

Mirabitur forſan lector, quod pleroſque morbos ex acido deducam, ſed ſententiæ noſtræ facilius ſuffragabitur, ubi mecum attento animo varios opii effectus conſideraverit; hoc namque medicamentum dolorem capitis fugabit, diarrhæam ſiſtet, ſtranguriam tollet, anxietatem circa præcordia ſic dictam levabit, paroxyſmum hyſtericæ paſſionis abiget, vigilias nimias ſanabit; tuſſim ſedabit, aliaque plura efficiet, quæ omnia hic loci enumerare velle ſupervacuum foret.

Si jam ſolum opium tantorum ac adeo variorum effectuum cauſa ſit in corpore humano ad ſanitatem conducibilium, cur etiam acidum ſolum nobis non multimoda mala accerſere poſſet? *Joh. Muys in Praxi Chirurgico rationali.*

Plures hic addere poſſem è propriâ ſupellectile obſervationes; verum valetudo nunc querula non permittit ut currente prælô illas multis deſcribam. Itaque ſufficiat unô dixiſſe verbô, me pluries decantatiſſima etiam expertum in Syphilide oppugnanda, medicamenta tutum quid in iis nunquam reperiſſe, præter in ſolo mercurio, quem & extus & intus adhibui, variô tamen admodum cum effectu: ſiquidem in quibuſdam per urinas, in aliis per ſedes, in multis per ſalivationem, imò in paucis per ſudores fomitem malignum expurgabat. Nec eſt ſanè quod tam tragicè exclamet Helmontius ac ejus ſequaces, in ſecretioribus ſuis præparationibus famam quærentes, mercurium, quoad reviviſicari poteſt, non eſſe boni viri remedium; ab eô enim ex arte adminiſtratô, nihil unquam ſiniſtri, etiam in infantulis, aliquorum tantum menſium, ad ſalivationem horrendam ipſis dictam, ſic deductorum, obſervavi. Sordeat ea propter hoc remedium iſtius farinæ medicaſtris, imò ſordeat etiam incomparabili ac magnô ſuô meritô Famigeratiſſimo Fernelio, qui de eo experimenta ſatis multa ſumere non valuit; quia ſcilicet ſuô tempore Lues venerea magna cum hominum ſtrage vim ſuam primùm exerebat. Nos in illo quicquid ſpei eſt in confirmato debellando morbo ſemper reponemus. Fatemur interim decocta ſudorifica aliquos aliquando ſanaviſſe, idque etiam per proprias noſtras manus: Sed tum prædicta Lues non tam altas egerat radices, ut exagitatione totali ſanguinis ac ſucci nervoſi, pro perquirenda ac everrenda malignitate opus habuerit. Atque hæc in præſentiarum ſufficiant, donec alias innumeras, eaſque ſanè curioſas, in iſto capite obſervationes, vulgare detur.

Anatomicæ Inſpectiones.

Plures homines mortuos in hoſpitalibus ſecui qui viventes morbo venereo laborabant, in quibus venæ per univerſum corpus plenæ erant pi-

tuitoſa

tuitoſa materia alba: quæ pituita in quantitate longe ſuperabat ſanguinem: Et loca etiam doloroſa madebant eadem materia pituitoſa: Imo in aliquibus omnes lacerti madebant iſta jam dicta materia & venæ quoque (ut dixi) repletæ erant illa materia. *Nicol. Maſſa Epiſt. 30. tom. 1.*

Fuit juvenis qui maximis tenebatur doloribus lateris dextri: Nullum ei remedium proderat: poſtquam vero mortuus eſt, animadverſa eſt cicatrix circa genua, unde facta conjectura eum Gallico morbo laboraſſe.

Aperto corpore invenerunt quod morbo Gallico etiam interius laboraſſet: in diaphragmate videbantur maximæ puſtulæ: ubi autem fuit dolor maximus dum viveret, ibi ſtomachus habuit cavæ manus inſtar puſtulam, & in ſuperincumbente cavo epatis, ſimilem aliam puſtulam, ut una alteram comprimeret. *Ex Schedis Geſneri.*

Annotatione digniſſimum eſt quod monet Fernelius, non in externis tantum & conſpicuis partibus figi malum, verum etiam internas corrumpere: viſa enim ſunt in apertis cadaveribus fœda ulcera & puſtulæ in ipſis viſceribus: haud ſecus ac exanthemata per morbillos eadem afficiunt: Novi ego plures, quibus ex variola magna non ſolum trachea ſed & Pulmo ipſe fuit exulceratus, *Joubertus lib. de Variola magna cap. 4.*

Plerique viri graviſſimi, quales ſunt Alexan. Benedictus lib. 23. de morb. Cur. Fernelius, Joubertus, Geſnerus, Bernardinus Tomitanus lib. 2. de morbo Gall. cap. 13. certos nos fecerunt vita Siphylide defunctis conſectis, viſcera quælibet, nullis excluſis, reperta tum phymatis tum abſceſſibus, tum ulceribus fœda, non aliter quam extimo corporis habitu papulæ, collectiones, tubercula: Quæ mihi admirabilia quondam viſa, comperi mox omnia quam veriſſima: Etenim in valetudinario ſyphiliis decumbentibus, ſi quod aliud, refertiſſimo, ex his qui conſpecti fuerant illo morbo laborantes, complures offendi quibus exulcerati tum œſophagus tum trachea. Quibus item puſtuloſus Pulmo, puſtuloſum Jecur: apoſtemodes vero proſtatæ ſunt adverſi. Fuit autem & cui repertum eſt ſiniſtrum vas deferens ſpermatis, qua ſuper interfemineo ad penem inflectitur, ſub ejus loci glandulas interiores aliqua parte demerſum atque ſepultum: Cum autem eidem homini bubo Syphilicis ulceroſus fuiſſet adverſus, prompta fuit omnium opinio, & ejaculatoria, nedum glandulas ſyphilios iſtos abſceſſus expertas, quod hactenus nemo prodidit eorum qui novas obſervationes medicas deſcripſere. M. Aur. Severinus de abſceſſuum rec. doctrina pag. 278.

Non in externas duntaxat, quæ ſub aſpectum veniunt, verum etiam in interiores quaſque partes ipſaque viſcera penetrat, quæ mortuis comparent puſtulis ulceribusque fœda. Fernelius l. 2. de Abd. c. 14. lib. de Luis curat. cap. 4. Omnium difficillime curatur quæ confirmata, quæ oſſium carie, ac partium cartilaginearum exeſione ſe prodit: quam in interioribus etiam viſceribus ulcera & tubercula multa proferre in mortuorum corporibus diſſectis notavi. *Idem ibidem. c. 7.*

Vitioſus humor ex oſculis venarum cerebri aliquando exit & exudat, qualem Alex. Trajanus Petronius in eorum cerebris reperit qui lue venerea perierunt. Schneiderus lib. 2. de *Catarrh. cap. 10.*

Teſtari poſſum me in diſſecto capite medio, inter duram meningem & totam cranii baſin ſpatio, duram, concretam & ſiccam cruſtam, cranii oſſibus tenaciter adhærentem, altam tamen, deprehendiſſe: ac talem ſæpius in inſigniter lue vexatis venerea noſtro ſæculo; ex virulenta materia huc protruſam eodem loco concreſcere, experientia habeo compertiſſimum. *Falkenburgius apud Magnenum de Tabacco p. m. 129.*

Anno 1636. in cranio juvenis, qui paralyſi extinctus, undique tempora verſus à lue venerea caries, utraque membrana ei tenaciſſime adhærente: debilitato nempe calore naturali, credibile eſt nervos ita fuiſſe relaxatos ut graviſſimus inde ſubortus fuerit affectus. *I. Rhodius centur. 1. Obſerv. 34.*

Nec miranda cranii caries; in theatro enim anatomico Patavii anno 1651. à V. C. A Molinetto aperto capite ruſtici lue venerea inquinati, tria gummata candida inhærebant duræ membranæ, pia illæſa, cujus veſtigia in calva corroſa erant conſpicua. Talia etiam tradit Mercatus de morbo Gall. lib. 2. c. 6. *Rhodius centur. 1. Obſerv. 33.*

Nuper dum mulierem quandam morbo Gallico interemptam reſecaremus, cauſam morbi perquirendo oſſa ſub membranis ſuis integris tumentia, & ad medullam uſque ſuppurata invenimus; ea duntaxat ratione quoniam & ipſa nutriuntur, & abſceſſibus ob id afficiuntur. *Al. Benedictus lib. 1. cap. 6. Anat.*

Ex relatione Medici cujuſdam habeo Chirurgum quendam, ob crebrum uſum medicamentorum mercurialium mortuum, oſſa habuiſſe plane friabilia. *Libavius tract. de igne Naturæ cap. 30.*

A me diſſectum cadaver in noſodochio incurabilium, hominis lue venerea commortui, cui reperta ſunt oſſa pectoris & juguli & aliquot coſtarum inſignibus tumoribus exaltata, quib ſubinde ruptis apertiſq; puris graviter olentis nonnulla portio manavit, quo demum exhauſto, patulus & cavus oſſis ſinus apparuit. *Phil. Ingraſſias lib. de Tumoribus.*

Iecur ratione morbi venerei ulceratum.

Hoc vitium Aëtius nuncupat colliquamentum, quia emaciatur & velut coliquatur totum corpus; Eſt autem ulcus Jecoris nil aliud quam ſoluta unitas Jecoris, ex eroſione producta: potiſſimum ſuccedit inflammationi, qua ad ſuppurationem perducitur; poteſt autem fieri citra inflammationem prægreſſam, ex acribus ſuccis: Interdum vidi Jecur ulceratum ratione affectus morbi Gallici, ratione mordacitatis materiæ. *Capivaccius Pract. lib. 3. cap. 23.*

Aliquando Hydropici, ob Lienis enorme vitium, ſectioni interfui, cui vultus ὑπόχλωρος, qualis lienoſorum: Maximam adoleſcentiæ partem in Italia tranſigerat, ubi Syphilidis alumnum fuiſſe fama erat: Jecur quoad ſubſtantiam quidem & colorem ſuam ſervaverat incolumitatem, tunica autem omnino erat deſtitutum, ac tota ſuperficies quaſi à ſo-

ricibus arroſa: Hydropis cauſam inde licebat arceſſere, quaſi ob frequentiam hydatidum (quæ diſruptæ ſerum vel lympham in abdomen depoſuiſſent) ambiente tunica ſic foret ſpoliatum; atque pro tempore, honoris ægri gratia conſenſum adhibui. Sed ſi inde origo hydropis (quæ in liene manifeſtiſſima erat) deducenda fuiſſet, vel ſuperſtites fuiſſent aliquæ hydatides, vel vitium non in tunica ambiente ſolum ſe aperuiſſet, ſed in ipſo parenchymate, quod illæſum omnino apparuit.

Ex morbo Gallico in quodam juvene Romano, totam ferè Jecoris tunicam ambientem vidimus eroſam, de qua nunquam vivens conqueſtus fuerat. *Alex. Benedictus Practicæ lib. 13. cap. 23.*

Exiſtimarunt non inferioris claſſis autores morbum Gallicum conſiſtere in ſoluta unitate Hepatis, quod falſum eſſe cognoverunt Anatomici, qui Hepata infectorum, marium & fœminarum, diligentiſſime ſecuere, neque ullam continui ſolutionem cognoverunt in eorum viſceribus. Quanquam alii teſtantur ſe ex anatome percepiſſe jecur viri infecti, ſcabie & puſtulis veluti quibuſdam affectum: Atque ego memini vidiſſe meretricis inſignis ſectionem Patavii, cujus Hepar altera ex parte ſcabioſum pene totum erat, cùm tamen nil aliud intrinſecus aut extrinſecus appareret quod p. n. extaret, Ea dum ſecatur, extruditur Jecur, rei exitus ſumma cum attentione expectatur (conſtabat enim eam non ſemel tantùm ſed pluries morbo Gallico laboraſſe) Factum autem eſt ut intuentibus nobis nulla in viſceribus noxa viſa fuerit, præter ſcabiem in convexa Jecoris parte: Hæc autem etſi vera ſunt, raro tamen id evenire teſtatur anatome & experientia, ad quam tranſmittendi ſunt illi qui de hac re ancipites eſſe non deſinunt. *Bernardinus Tomitanus lib. 2. c. 13 de morbo Gallico.*

Anno 1624. Adr. Spigelio ſecante puellæ corpus annorum XII. quæ in valetudinario D. Franciſci non matureſcentibus venereis Bubonibus extincta, Hepar plane integrum, Ex quo planum fit non ſemper viſcus hoc lue venerea infectis labefactatum. *Joannes Rhodius cent. 3. Obſervat. 81.*

In cadaveribus quorundam qui hydrargyroſin paſſi, mercurius repertus.

Quoſdam vidit Trajanus ante obitum litu hydrargyrato innunctos, & quorum ſecto cadavere hydrargyrus copioſus repertus eſt, in cranio nempe, ſcapularum & brachiorum juncturis. *Joh. Renodæus Mat. Med. lib. 2. ſect. 1. cap. 15.*

Filia XII. annorum lue Gallica ex parentibus contracta laborans, variis multiſque ex hydrargyrio præparatis, unctionibus adhibitis, neque ad ſalivationem, neque ad ſudores, neque excretiones pervenit, ſed poſt annum in menſe Martio, quo uncta fuit, ſuas operationes complevit, ſpuitione & ſuperveniente diarrhœa virulenta ex hydrargyro contracta moritur.

Diſſecto cadavere circa juncturas guttulæ tremulæ hydrargyri à me inventæ ſunt. *Nic. Fontanus Reſponſ. & curat. med. p. 100.*

P. Caſtellus Med. Romanus in Xenodochio incurabilium Romæ, in illis qui poſt mercuriales inunctiones obierant, capitis tibiarumque oſſium cavitates argento vivo ſcatere deprehendit.

Idem in uxore Juriſconſulti, quæ frequenter inunctione ex hydrargyro uſa erat, & in maximam capitis gravitatem devenerat, binas ejus uncias invenit.

In cadavere cujuſdam lue infecti cuncta viſcera nutritia ſana reperta ſunt.

Quoniam Jecur eſt omnium libidinum cupiditatumque cauſa, perhibetur id ſedes luis venereæ, Et tamen anno 1632. diſſecui in Scholis Medicis Pariſ. publice cadaver ſcorti famoſiſſimi, in quo deprehendi cuncta viſcera nutritia ſana & integra, abſque ullo vitio: Cum tamen haberet cranium in diverſis locis carie exeſum, & Exoſtoſin in tibia ſiniſtra. *Riolanus Anthropogr. lib. 2. cap. 21*

Mors ex bubone venereo.

Vir 30. annor. ex bubone venereô dextri inguinis jam ſuppuratô incidit in febrem lentam: Bubo qui antea ſe foris obtulerat, diſparuit; applicatô tamen emplaſtrô diachylon cum gummis, denuò comparuit & ſuppuratus eſt. In ſiniſtrô inguine etiam aderat dolor, qui quidem paulò poſt evanuit, nec in poſterum ea parte amplius doluit æger, Suppuratô itaque bubone dextri inguinis ſolitis remediis in xenodochiô ad perfectam ferè mundificationem redactus fuit; & licet ulcus fuiſſet rubicundi coloris, glandulæ tamen inguinales inſigniter tumidæ & dolentes erant. Senſim itaque lentâ febri creſcente cum emaciatione & univerſali languore, quinquageſima morbi die in xenodochio obiit patiens. Quinque diebus ante mortem, convulſiones univerſales invaſerunt ægrum, deinde difficilis reſpiratio, tandem mors.

Sectô cadavere; glandulæ inguinis ſiniſtri (in quo nullus tumor, nec dolor aderat) obſervatæ fuere purulentæ, tumidæ & fœtidæ: tales quoque erant glandulæ dextri inguinis jam ulcerati. Glandulæ parotides ex utraque colli parte, cum adjacentibus & conterminis colli glandulis, adeò erant tumefactæ, ut ſingula glandula, exiguæ alias magnitudinis, nucem juglandem repræſentaret; ex quibus glandulis tumefactis, invicemque unitis conſtituebatur corpus quoddam pancreatis magnitudinem longe ſuperans: adeò ut ſingula parotis pancreatem in mole præ ſe ferret. Glandulæ hæ per medium ſectæ viſcido quodam tartarô, & mucô purulentô ac fœtidô oppletæ erant. Glandulæ ſub axillis erant pariter maximopere tumefactæ, putrefactæ & mucô quodam flavô ac tartareô inſigniter fœtenti ſcatentes; & circa has glandulas, ac partes adjacentes inventa eſt magna copia muci, ſeu humoris cujuſdam viſcidi & putridi. Glandulæ meſenterii non erant valdè tumidæ, ſed duntaxat lividæ & fœtentes. Cæteræ partes ſanæ erant & ſalvæ.

Hujuſmodi glanduloſam affectionem in variis Lue Gallica extinctis obſervavi, ex quo ſubdubitare cœpi Luem Gallicam ſedem præ

cæteris, figere in glandulis, in quibus, ſi verum fateri debemus, præcipua ludit ſymptomata iſta dira lues; utpote tumores, gummata, inflammationes, dolores &c. Et cùm venereum fermentum in glandulis latitet, partibus, inquam, laxis, membraneis, & exiguarum poroſitatum, ideò difficulter per exhibita remedia è talibus locis excutitur; imò nonnunquam per imprudenter adhibita exſiccantia, ſtuphas, decocta vehementia, &c. magis, magiſque fixatur, tartariſatur, & induratur in glandulis virulentum fermentum, & ſucci alibiles virulento ſeminio afflati & denſati.

Quamobrem ipſe cogitare cœpi conſultiùs futurum Gallicis, ſi loco exſiccantium, hypocauſti, & hujuſmodi exſiccantis diætæ, acidum Gallicum è remotiſſimis glandulis excutiamus per medicamenta diluentia ſpirituoſo aliquo & valdè activo ac ſcindente medicamento actuata: Per diluentia enim illa, fœtidus ille, ac tartareus glandularum mucus, è glandularum parietibus abraditur, fluxiliorque redditus, & per præfatum ſpirituoſum remedium, ad motum & excretionem pronior factus, facillimè per ſudores, urinas, aut alias partes naturæ accommodas, ſecernetur: Cui quidem indicationi præſens remedium maximopere mihi favit pluries, præſertim in aduſto Italiæ climate.

℞. Seri lactis caprini ℔. iij. infund. per noctem ſarſæparill. contus. ℥ij. ſal. armon. ʒß. mane leviter bulliat, coletur, & ſumatur una vice Veſperi detur brodium alteratum herbis aperientibus, alcalicis, & vulnerariis: & ſi ſuſpicio ulceris adſit, aliquid terebinthinæ addas. Hoc pacto multos Gallicos, præſertim calida temperie, & hectico corporis habitu præditos, ſanatos vidi, copioſa urina, vel ſudore productis.

Quando per hujuſmodi remedia parum proficiebam, tunc curationem aggrediebar per decocta ſarſæ & guajaci copioſè data, ad inſtar aquarum thermalium, ut.

℞. Sarſæparill. ℥ij. infund per noctem in ſex ℔. aq. fontis; mane adde antimon. crudi in petia ligati ℥iß. bulliant ſimul ad conſumtionem tertiæ partis, coletur & ſumat æger calidè ſingulo mane ℔ iv. ad modum aquarum thermalium, & coopertus maneat in lecto; nam vel urinabit, vel ſudabit copioſè. Repetatur per aliquot dies, quouſque & morbi & ægroti vires permiſerint: Et hac methodo plures gallicos, pertinaciſſimè afflictos breviter ſanatos vidi, præfatam ob rationem; copioſum enim hoc diluens ad remotiſſimas quaſque corporis partes, & præſertim ad glandulas appulſû, activitate & volatilitate ingredientium quibus turget, ſegregat & abradit virulentum fermentum, ac fluidius reddendo, per urinas, aut ſudores facillimè præcipitat. Ut hujuſmodi decoctum facilius permeet, & ſe inſinuet in ſtrictiſſimos quoſque partium cancellos; quandoque uti ſoleo veſperi ſemicupio, ut ſtimulos & turgentiam quandam fluido univerſali conciliet; quo promptiùs & velocius è particularibus fluidis inquinamenta gallica amandentur per præfatum decoctum. De hac methodo plura experiar in poſterum quo certior evadam, illam præ exſiccantibus, & hypocauſtis tutiorem eſſe & feliciorem. *Ex amica communicatione viri Clariſſimi ac Celeberrimi Domini Georgii Baglivi Archiatri Pontificii.*

Præpoſtera hydrargyroſis lethales fructus.

Franciſcus N. Juris utriuſque doctor, juvenis, à tabe defunctis parentibus oriundus, ipſeque ad Phthiſim proclivis, comeſſator & veneri deditus, lue venerea male mulctatus; poſt celebrata oſcitanter remedia quibus uti convenit antequam adhibeatur unguenti mercurialis inunctio, illi ſe incaute admodum commiſit. Poſt unam, aut alteram in cruribus & brachiis particularem inunctionem, ſupervenit alvi fluxus: Non ideò intermiſſa inunctio, verùm ad univerſales indeſinenter ventum eſt, donec ingens faucium ardor cum intenſa febre ſubortus, ſero nimis inungendi finem fecerit. Nulla interim ſputatio ſubſequuta: è contra febris ingraveſcens, gangrænaque linguæ & oris ulceribus adveniens, & dolores totius abdominis, miſerum ægrotantem atrociter excruciabant. Nulli unquam fuere levamento remedia; non anodyna; non purgantia, non hypnotica; non detergentia; non ipſum ferrum ſerpentem in ore gangrænam cohibuerunt. Tandem motuum convulſivorum ſupplicia pendens, clamanſque & ejulans, animam efflavit.

Defuncti cadaveris tergum & nates puſtularum reliquias gerebant. Aperto cadavere ulcus incipiens in cavis hepatis, livore & ecchymoſi innotuit; veſicula fellea humore vini rubri fæcis colore & conſiſtentia, plena; ventriculi fundum inflammatione ad gangrænam vergente affectum; Inteſtina pariter inflammata, liventia, ſphacelata; Pulmonum lobi diaphragmati cohæreſcebant; à dextris antica & poſtica eorum ſuperficies vieta & livens erat, interior verò ſubſtantia duris & nigricantibus tuberculis, ſanguineque coagulato referta; à ſiniſtris antica ſuperficies marcida & albida, poſtica livens & nigricans, interiora gypſeis lapideiſque tuberculis plena; Facies tumida & deformata; In ore, palatum, maxillæ, lingua, quæque ab extremo hujus mucrone ad ventriculum uſque circumjacent, ſphacelo & putredine fædata; In cerebro duræ menyngis vaſa nigro ſanguine tumebant, cerebrique ſubſtantia humida nimis flaccidaque; Septi medii color vitiatus; ventriculi anteriores dexter ſiniſterque ſero decolore ſcatebant, inque ipſorum fundo polypus oblongus & teres protendebatur; Diſſecta genitalia omni labe immunia. Majo menſe 1681. *Ex amica communicatione viri Præclariſſimi Domini Rivalier Nemauſenſis Medici.*

LUMBRICI.
Vid.
VERMES.

LUPUS.
Vid.
CANCER.

LUPIA.
Vid.
ATHEROMA.

LUXATIO.

De Luxationibus in genere.

I. QUemadmodum in Fractura oſſium ſolvitur continuitas, ſic in Luxatione eorundem ſeparatur contiguitas. Luxatio namque, ſive Exarticulatio, Barbaris Dislocatio dicta, nihil eſt aliud, niſi Oſſis è ſua ſede in alienam Prolapſus, quo motus arbitrarius impeditur. Propriè tamen Ea locum habet iis in oſſibus, in quibus reperitur ſtructuræ ratio talis, quæ ad motum manifeſtum eſt comparata; uti ſunt omnes articuli per diarthroſin conjuncti: videmus enim, quoties è ſede ſua excidunt oſſa, motum articuli perire. In oſſibus vero per ſynarthroſin conjunctis, in quibus nullus adeſt ſenſui manifeſtus motus, non quidem ille aboletur, ſed propter tendinum ligamentorumvè compreſſionem oritur dolor, & actio partis impeditur; exemplo ſint oſſicula in carpo & tarſo.

II. Dupliciter autem luxari oſſa contingit, ſecũdum magis & minus. Illa ſpecies perfecta eſt, oſſe extra ſuum locum planè collocato, quæ idcircò ἐξάρθρημα Græcis, vulgò Luxatio ſeu Dislocatio dicitur. Hæc verò imperfecta, quæ παράρθρημα, Latinis Subluxatio nominatur.

Perfecta ergò Luxatio eſt, quum ligamenta ita relaxantur & extenduntur, vel diſrumpuntur ut os extra cavitatem ſuam planè deturbatum, & in alieno, nec conſueto loco ſitum ſit. Imperfecta vero dicitur, quum os è proprio loco non prorſus dimotum eſt, ſed partim extra manet, partim intra, ſinus ſeu acetabuli margini inſiſtens. Id quod accidit, aut quia violentia non valdè magna fuit, aut quia ligamenta firma ſolidaque reperta ſunt, nec admodum relaxata, ſed violentiæ quodammodo reſtiterunt. Pertinent huc Diſtorſio, Perverſio & Relaxatio ſeu Elongatio; viz cum laxatis & longioribus factis ligamentis, articulus quidem ſecundum longitudinem à ſua ſede quodammodo recedit, non tamen è toto excidit.

III. Verum præter duplicem hanc, perfectam & imperfectam, luxationem, ſunt & tria alia luxationis genera: viz in partem ſuperiorem, vel inferiorem, & ad latus; quæ probè cognoſci ac conſiderari debent, ut in proprium, naturalemque locum reduci ac reſtitui poſſint.

Adhæc aliæ Luxationes ſimplices ſunt, aliæ compoſitæ. Simplices dicuntur, quæ nullam aliam affectionem conjunctam habent. Compoſitæ vero, quibus unus vel plures affectus ſunt conjuncti; ut cum ad luxationem vulnus, fractura, inflammatio, abſceſſus, vel aliud quid acceſſerit.

Denique & differunt Luxationes ratione cauſarum, quod nunc fiant à cauſis externis; caſu, ictu, ſaltu, violenta membri diſtorſione: nonnunquam ab internis; humoribus puta affluentibus.

IV. Enimvero Luxationum Cauſa duplex eſt, externa & interna. Externa luxationum cauſa, eſt caſus, ictus, ſaltus, extenſio & motus partis violentus, aut quidvis aliud ejuſmodi, quod vel ligamenta diſrumpit, vel extendit & relaxat, adeoque violenter os ſede ſuâ movet & expellit.

Interna cauſa, eſt humor ad articulum affluens, & ligamenta laxans, qui ſenſim adauctus, oſſis caput tandem foras trudit.

V. Dignoſcitur autem Luxatio viſu & tactu. Tumor enim in ea parte, in quam oſſis caput excidit, apparet; cavitas verò in loco, è quo prolapſum eſt: idque eo facilius deprehenditur, ſi corpus non admodum craſſum & pingue ſit, aut locus excarnis. Deinde perfecta ſi ſit luxatio, membrum brevius redditur; quia prolapſum è ſede ſua os, cum reſiſtentiam non habeat, ſurſum trahitur à muſculis, niſi ingens ligamentorum laxitas in cauſa fuerit, quod ultra modum elongetur. Sed cum luxatum membrum ſemper ſano diſſimile ſit, in ſitu, figura, & longitudine; cum ſano & integro id comparandum ut brachium cum brachio, crus cum crure in eodem homine. Inſuper cum articulationes propter motum factæ ſint, ſi oſſis caput è naturali ſede excidat, motus articuli læditur; hinc ubi luxationis ſuſpicio eſt, motus tamen non læditur; luxationem nondum factam eſſe concludendum. Tandem quia è ſede ſua elapſum os partes ſentientes, in quas prolapſum eſt, tendines puta, nervos, muſculos comprimit, magnus inde excitatur dolor. Sin verò ſaltem ſit Subluxatio, ſymptomata hæc remiſſiora ſunt, aut quædam eorum abſunt.

VI. Prognoſtica Luxationis Signa ea ſunt, ex quibus vel periculoſam & curatu difficilem, vel lethalem eſſe luxationem deprehendimus. Hæc ex articulorum figura, item ex luxationis magnitudine, & cauſis, nec non morbis luxationi conjunctis, ac ſymptomatibus ei ſupervenientibus; denique ex luxationis tempore, atque ex corporis habitudine, deſumuntur. Oſſa itaque facilius vel difficilius luxantur & luxata facilius vel difficilius in priſtinam ac naturalem ſedem reſtituuntur, vel ob majorem aut minorem ſinus civitatem, vel ob ligamentorum ac muſculorum validitatem aut laxitatem. Quibus igitur membrum robuſtum, ac ligamenta valida ſunt, articulus minus facilè excidit, & difficilius reponitur; at repoſitus validius continetur. At quibus membrum imbecillius eſt, corpuſque mollius, & ligamenta infirma, facilius elabitur, faciliuſque reſtituitur; verum reſtitutus minus fideliter continetur. Hinc in corpore puerili & tenero oſſa luxata facilius reſtituuntur; reſtituta tamen minus facilè retinentur. Contrarium accidit in adultis & corporibus robuſtioribus. Similiter illi articuli, qui profundiori ſinu reconduntur, pluribuſque ligamentis fulciuntur, difficilius luxantur, & luxati difficilius in priſtinum locum reſtituuntur. E contrario, qui planiori ſinu articulantur, paucioribuſque ligamentis fulciuntur, facilius luxantur, luxatique facilius in priſtinum locum reſtituuntur. Inſuper quo longius à ſuo ſinu articulus excidit, eo difficius reſtituitur; quo propius, eo citius.

Luxationes, in quibus oſſium margines, ſive cavitatum ſupercilia abrumpuntur, peſſimæ ſunt, quoniam ſuo loco etſi reſtituuntur articuli; tamen non diu perſiſtunt, ſed leviſſima de cauſa iterum excidunt. Haud ſecus qui ob ligamentorum laxitatem elapſi ſunt articuli, licet reponantur, tamen rurſum facilè elabuntur.

Luxationes quibus dolor ingens, inflammatio, aut vulnus accidit, curatu ſunt difficiles, nec periculo carent, & ſine convulſionis imò mortis periculo reſtitui non poſſunt. Monet quoque Hippocrates, quod, ſi febris articuli repoſitionem antevertat, nullum luxatum articulum in ſuam ſedem compellere conveniat.

Vetuſtæ item luxationes, & quæ jam callo obduruerunt, & in quibus lentus humor articuli cavitatem replevit, nunquam, vel ſaltem difficillimè ſanantur. Omnis ergò luxatio reponenda eſt.

De Luxationum Curatione.

I. Igitur in omni Luxatione Curanda, communis eſt Indicatio: ſcilicet Luxati & ſuo loco moti Membri in propriam & naturalem ſedem Reductio; quam operationem ἀρθρέμβολον Græci vocant. Hanc ſi quis cum fructu exercere deſiderat, is inprimis omnium in corpore humano articulationum naturam noviſſe debet: Etenim per illam viam per quam exiliit, in ſuum locum reducendum eſt os, quod ſede motum fuit. Huic autem reductioni inſerviunt quatuor operationes; Extenſio viz. Repoſitio, Deligatio, ac membri repoſiti Collocatio. Enimverò luxatum membrum, haud ſecus ac fractum, tum ob tendinum contractionem, tum quoque ut oſſis caput ſuæ ſedi è directo opponatur, eſt extendendum.

II. Fiat verò Extenſio ſtatim poſt luxationem factam. Quod ſi propter Chirurgi abſentiam ſtatim fieri non poſſit, fiat die etiam ſecundo vel tertio, niſi ob accedentem inflammationem deſiſtere cogamur; die autem quarto propter exacerbationes nihil tentandum: obſervatum enim, quod, ſi tentetur extenſio, reſtitutio feliciter non ſuccedat, ſed multa eam ſequantur incommoda. Unde Fallopius Lib. de Luxationibus cap. 3. „ moneo vos, inquit, ut „ habeatis ſemper rationem temporis, ad ſum„ mum non excedentis diem tertium, & ſi ter„ tius dies eſſet præteritus, expectandus eſt ter„ minus inflammationis, & tempus, uſque quo „ periculum non ſit de inflammatione, eſtque, „ monente Hippocrate Lib. de Articulis, dies „ ſeptimus. Et Tagaultius Lib. 5. cap. 4. hanc ſententiam confirmat hiſce verbis: „ ſi antequam „ ad luxationem voceris, pars luxata dolore „ infeſtetur, aut inflammatione occupetur, non „ prius eam in ſuum locum reponere tentabis, „ quam dolor finitus fuerit, & inflammatio con„ quieverit. Si enim membrum dolore aut in„ flammatione affectum diſtendendo laceſſive„ ris, periculum eſt, ne convulſio, aut aliud pra„ vum ſymptoma ſuſcitetur. In ſimilia verba e„ rumpit Ambroſius Paræus, cum Chirurg. lib. „ 15. cap. 5. ſic inquit. „ omnis luxatio reſtituen„ da eſt, antequam inflammatio venerit: quod „ ſi jam illa adſit, de tollenda ſollicitum ſtatim „ Medicum eſſe oportet, de cætero Ægrum qui„ eſcere; ne, ſi irritetur malum, doloris exacer„ batio, convulſionis, gangrænæ, & tandem mortis adferat conſecutionem; ut aliquandò à ſe obſervatum refert. Ergò ubi inflammatio, & alia prava ſymptomata ſedata & correcta fuerint, tum demum aggredienda luxationis reſtitutio eſt, ſi præſertim corporis & membri affecti habitus eam admittere poſſit. Adſtipulantur Joh. de Vigo lib. 6. cap. 1. Anton. Chalmæteus Enchir. lib. 4. cap. 2. Scultetus Armam. Chir. tab. 28. & alii. „ non ſine cauſa graviſſima Celſus lib. 8. cap. 11. & alii inquit (inquit Fabritius Hildanus Cent. 2. Obſ. 40. „ monent, in Diſlocationibus, quicquid ſuo loco motum eſt, „ ante inflammationem reponendum eſſe. Sin „ illa adfuerit, quieſcere oportere, nec mem„ brum laceſſere, uſque dum inflammatio fini„ ta ſit. Qui ſecus faciunt, non leviora ſympto„ mata, imò & mortem nonnunquam inferunt; „ uti variis exemplis ibidem affirmat. Itaque ſi primis tribus diebus fieri non poſſit extenſio, expectandum uſque ad ſeptimum aut octavum diem. Sed antequam tunc fiat extenſio, quia callus interea generari incipit, præparandus eſt articulus ad indolentiam, & facilitatem reſtitutionis, calefaciendo, emolliendo, & laxando partes articuli; muſculos nempe, tendines, & ligamenta: ſi namque partes hæ emollitæ ſint, facilius & minore cum dolore extenduntur. Hæc autem articuli emollitio fit per Fotum plurimæ Aquæ Tepidæ, vel decoctionis Malvæ, Altheæ, Violariæ, Florum Camomillæ, Meliloti, & ſimilium.

Cæterum Extenſio hæc fit, vel ſolis Manibus Chirurgi, aut ejus miniſtrorum; iſque modus Palæſtricus appellatur, quia in palæſtris luctantium membra luxata ſimpliciſſimo hoc modo reponebantur; atque convenit in mollibus corporibus, & ubi luxatio levis ac recens eſt: vel Laqueis & Faſciis, nec non beneficio Scalarum, Forium, Piſtillorum, Inſtrumento Hippocratico ἄμβη dicto; qui modus Methodicus nominatur, & convenit pueris, fœminis, & maſculis jam robuſtioribus, & luxationibus mediocribus, non admodum levibus: vel Organis ſeu Machinis perficitur majoribus, & Organicus dicitur, ac adhibetur cum difficillima & inveterata ſit luxatio. Hac de re conſule Hippocratem lib. de Fracturis, & articulis. Oribaſium libr. de Machinamentis. Hildanum Cent. 5. Obſ. 69. & 86. Scultetũ *Armament. Chirurg. tab. 21. fig. 1. & 3. tab. 22. fig. 1. & 4.*

Quocunque autem modo luxati membri Extenſio fiat, neceſſum eſt eouſque fieri, ut inter oſſa liberum aliquod ſpatium relinquatur, ne in repoſitione oſſis caput atteratur, & ſinus ſupercilia frangantur: unde ſymptomata gravia & ſæpè incurabilia eveniunt. Inſuper in Extenſione membri commoda figuratio obſervanda; rectitudo viz. tum ratione oſſium, tum ligamentorum, & muſculorum. Servatâ namque harum partium rectitudine, minore cum dolore & difficultate ſuccedit extenſio.

III. Extenſione ſufficiente factâ, os, quod proprio ſinu exciderit, vel reſtituendum per circumgyrationẽ, vel placidè ab ea parte qua fuerit prolapſum, in contrariam impellendum, & tandem minimo, quam fieri poteſt, dolore in proprium ſinum Reponendum, ne fiat contuſio, vel attritio capitis & ſinus inter ſe. Hi verò motus non ſemper neceſſarii ſunt; nam interdum, ubi extenſio facta eſt, ſi muſculi prius contracti tantum remittantur, facilè ſuâ ſponte articulus in locum naturalem redit.

Quod ſi & luxatio imperfecta, & os ex ſinu ſeu acetabulo prorſus excuſſum non ſit, neceſſe non eſt membrum extendere; ſed illud moven-

movendo & agitando leniter & aptè in ſedem naturalem, rectâ propellendo, vel placidè circu ngyrando, manu dirigatur ac reſtituatur.

Articulum autem rectè repoſitum eſſe cognoſcitur; primum ex naturali membri figura, quando nulla cavitas, nullusque circà articulum tumor apparet, quemadmodum ante reſtitutionem, ſed in omnibus ſimilis eſt ſanæ parti, aut parum admodum abeſt propter influxos humores, quumque motum amiſſum reductum membrum recuperavit, deindè ex doloris remiſſione, quæ ſignum eſt inſeparabile: ſemper enim dolor ſedatus indicat reſtitutum eſſe articulum, licet reducto membro interdum & dolor remaneat, quod prius valdè læſi ſint muſculi.

VI. Repoſito vero in ſedem naturalem articulo, membrum ita firmandum, ut articulus iterum ex ſua ſede egredi non poſſit, cum ob ligamentorum ac tendinum laxitatem facile prolabi ſoleat. Id autem perficitur eodem fere modo, ac in fracturis: primo enim antequam deligatio inſtituatur, Medicamentum apponatur quod influxum humorum & inflammationem prohibeat, & laxata ligamenta adſtringere, partemque roborare queat; quale eſt Oxycratum, vel vinum Rubrum Adſtringens. Hinc convenienter membrum deligandum per Faſcias & Splenia, quarum beneficio in orbem munienda eſt articulatio, donec ligamenta debitum robur & adſtrictionem acquiſiverint. Ita tamen adminiſtranda Deligatura, ut articulus in ſua ſede conſervetur, ac humorum affluxus prohibeatur. Sique opus ſit, & membri figura ac ratio id patiatur, etiam Ferulæ è denſa charta, vel corio, vel alia conveniente materia imponendæ.

V. His peractis Collocetur membrum molliter ac æqualiter, tali figurâ, quæ ipſi ſano naturalis ſit, non doloroſâ, nec laſſitudini obnoxiâ. Et ſi pruritus, vel dolor, aliavè ſymptomata non urſerint, deligatio haud ſolvatur ante diem quintum, ſextum, aut ſeptimum: tunc enim, laxatis faſciis, & pruritu ob detentos vapores excitato, ſolvendæ faſciæ, parſque pruriens Aquâ Tepidâ perfundenda, ut apertis leviter poris detentæ fuligines tranſpirare queant, adeoque pruritus mitigetur. Quod ſi pruritus non ſit moleſtus, à fotu hoc abſtinendum. Hinc factâ molli Frictione, articulus leniter ad hanc & illam partem movendus, ne, concreſcente in articulo humore, tendinibus ac ligamentis rigiditas tandem inducatur. Deindè impoſitis Spleniis Oxycrato, aut Vino Rubro Adſtringente madidis, membrum ut prius deligetur; ſed primâ paulo arctior ſit ſecunda deligatio. Atque ita porro procedendum, donec membrum ſatis videatur robuſtum; quo tempore ſolvendum, & Ægrotanti præcipiendum, ut conſuetas operationes moderatè exercere incipiat.

VI. Verum accidit nonnunquam, ut Luxatio non ſit ſola, ſed alii inſuper affectus præter naturam; dolor puta, inflammatio, vulnus, fractura, conjungantur. Sin ergò, antequam Chirurgus vocatur, jam dolor & inflammatio partem affectam prehenderit, articuli luxati reſtitutio non tentanda, niſi dolor & inflammatio ſedata fuerint. Si enim antequam hoc factum fuerit, ea tentetur, metuendum eſt, ne ex tendinum & ligamentorum diſtenſione Convulſio, vel aliud periculoſum ſymptoma oriatur. Quamobrem nec extenſio, nec aliqua alia operatio locum habet; ſed in medio, minimèque doloroſo ſitu pars affecta deponatur, & Sectâ Vena, alvoque Clyſtere laxata, ei apponatur Vinum Rubrum Adſtringens, vel Epithema ex Aq. Fl. Sambuci, Aceto Roſaceo, Vino Rubro, &c. v. gr.

♃. Aq. Flor. Sambuci ℥vii. Aceti Roſacei ℥iß. Vini Rubri Adſtringent. ℥iii. Camphoræ ʒiß. Sacchar. Saturn. ℈iß. M. pro Epithemate.

Vel circumjiciatur Fomentum ex emollientibus, dolorem ſedantibus, & leviter reſolventibus; ex Malva, Althæa, Parietaria, Floribus Camomillæ, Sambuci, Roſar. Rubr. Summit. Anethi, & ſimilibus, in Aqua Communi & Vino Rubro Adſtringente decoctis. Sedata inflammatione, doloreque mitigato, extendatur, reponatur, deligetur, & collocetur membrum, ut in luxatione ſimplici.

VII. Sin Inflammatio poſt repoſitionem ſuccedat, quod non rarò contingit, tum ratione violentæ extenſionis, tum doloris perpetui, inſtituendus eſt Victus Tenuis, Vena ſecanda, & Purgans Medicamentum exhibendum, moxque ſolvenda deligatio, etiamſi ſit primo vel ſecundo die, & præſcriptum Epithema vel Fomentum imponendum, donec Patiens levamen percipiat. Hinc membrum laxius deligetur paucioribus faſciis; idque ſingulis diebus faciendum, ad inflammationis uſq; declinationem: qua ablata, obſervetur curandi modus nunc expoſitus.

VIII. Si Vulnus luxationi acceſſerit, ita ut artic. vel detectus, vel extra cutem protruſus ſit, affect. eſt admodum periculoſus, ac ſæpè lethalis, cum ex tendinum ac ligamentorum diſtenſione ſeu dilaceratione dolor, inflammatio, convulſio, febres acutæ, graviſſima adeoque ſymptomata excitantur; eſtque eò periculoſior, quò membrum majus eſt, ligamentaque & tendines circa id robuſtiores: unde humeri ac femoris luxatio cum vulnere plerumque mortem adfert. Eò etiam majus periculum eſt, quo vulnus articulo propius. Ideoque Hippocrates oſſium luxatorum cum vulnere repoſitionem, eorumque deligationem averſatur, ſoliſque dolorem lenientibus, & inflammationem tollentibus initio uti jubet, nihilque ex his tutò reponi poſſe putat, præter digitos, manus, & plantas, atque in his ipſis etiam diligenter omnia peragenda eſſe præcipit. Neque enim vel digitus, in quo minimum periculi eſt, reponi debet, cum inflammatio adeſt, ſed vel antequam inflammatio accedit, vel cum jam ſedata eſt. Multo magis in aliis articulis id faciendum, de quibus omnibus Libr. de Articulis §. 74. 76. 77. 78. ita inquit: „ At vero quibus tibiæ oſſibus luxatis, ac ulcere inducto, articuli circa pedem penitus eminent, ſive intro vergant, ſive extra, tales reponere non oportet, ſed permittere ut quicunque velit Medicus reponat. „ Illud enim clarè ſcire oportet, quod homo „ morietur, ſi repoſiti permanſerint. Sed & vita „ paucorum dierum his continget. Pauci enim „ ex ipſis ſeptimum diem tranſgrediuntur. Con„ vulſio enim eſt, quæ ipſos occidit. Sed & can„ cerari contingit tibiam & pedem. Hæc ita fu„ tura eſſe certo ſcire oportet. Si vero repoſiti „ non fuerint, & ne tentati quidem ab initio, „ plerique ipſorum ſuperſtites evadunt. Eadem „ ratio eſt, ſi cubiti oſſa circa manus articulum „ ulcere facto emineant, ſive ad internam manus

„ partem, ſive ad externam. Clarè enim noſſe id „ oportet, quod is morietur intra paucos dies „ tali morte, qualis antea dicta eſt, cui repoſita „ oſſa permanſerint. Quibus autem repoſita non „ fuerint, neque repoſitio tentata ſit, hi multo „ plures ſuperſtites manent. Quibus verò tibiæ „ os, facto ulcere, circa genu eminuerit foras, „ ſive ad externam partem, ſive ad internam, „ his, ſi quis reponat, adhuc promptior mors „ adeſt, quam aliis, etiamſi etiam illis prompta „ aderat. Si verò omiſſa repoſitione mediaris, „ ſpes quidem ſalutis hoc ſolo modo exiſtit. „ Verum periculoſiora hæc oſſa ſunt, quanto „ ſuperiora ac robuſtiora, & à fortioribus ela-„ pſa. Eadem ratio eſt, & de articulis circa gib-„ bum cubiti, & de cubito ac brachio: quæcun-„ que enim ex his luxata ulcere facto eminue-„ rint, ea omnia ſi repoſita fuerint mortem in-„ ducunt: non repoſita ſpem ſalutis: claudica-„ tionem vero ſuperſtitibus. Lethaliores autem „ ſunt ſuperiores articuli, ſi reponantur. Sed & „ ſi non reponantur, periculoſiores iidem ſunt. „ At verò quibus articuli digitorum aut pedis, „ aut manus luxati facto ulcere eminuerint, oſ-„ ſe non fracto, ſed circa ipſam connexionem „ avulſo, his ſi repoſiti permanſerint, adeſt qui-„ dem periculum convulſionis, ſi non benè cu-„ rati fuerint: attamen operæ pretium eſt ut „ repoſitio fiat, cum prædictione, quod multâ „ cuſtodia ac cura opus habet. Minimè primi „ articuli periculoſi ſunt: ſuperiores autem pe-„ riculoſiores. Reponere verò oportet eadem „ die aut poſtridie: tertio aut quarto minimè. „ Quarto enim die maximè recrudeſcere ſolent. „ Quibus autem non ſtatim repoſiti fuerint, in „ his dictos dies tranſgredi oportet. Quicquid „ enim intra decem dies repoſitum fuerit, om-„ ne id continetur. Si vero repoſito oſſe Convul-„ ſio accedat, articulum ſtatim ejicere oportet, „ & calida quam ſæpiſſimè humectare, & totum „ corpus, & præſertim circa articulos, calidè & „ & leniter ac molliter tractare. Verum inclina-„ tum magis quam extentum totum corpus eſſe „ oportet. Expectandum tamen eſt, articulos „ circa digitos, qui reponuntur, abſceſſuros „ eſſe. Plerumque enim ita contingit, ſi vel „ quævis inflammatio ſubſit. Quare ſi non, „ propter vulgi imperitiam, Medico verenda „ eſſet accuſatio, nullum penitus reponere o-„ portebat.

„ Quod autem Hippocrates in ſolis digitis fa-„ ciendum conſulit, id nos in reliquis quoque „ articulis facere conabimur, inquit Tagaultius. „ lib.5.cap.4 ac ſtatim quidem inter initia, dum „ pars adhuc inflammatione vacat, prolapſum „ cum vulnere articulum mediocri extenſione „ (validam enim extra periculum perferre non „ poteſt, reponere tentabimus. Quod ſi juxta a-„ nimi inſtitutum evenerit, inflammationem ſo-„ lummodo arcere conabimur. Si vero inflamma-„ tio, aut convulſio, repoſito oſſe acceſſerit, rur-„ ſus id (ſi modo fieri ſine vi poſſit) ſuo loco „ protinus expellendum eſt. At ſi hoc quoque pe-„ riculum metuamus, (non enim inflammatus ar-„ ticulus ſine vi fortaſſe cedet, & ſua ſede ite-„ rum propelletur) ſatius fuerit per initia in „ majoribus articulis repoſitionem differre. Ubi „ verò inflammatio conquieverit, (quod ſep-„ tem aut novem dierum ſpatio contingit) tunc „ præfari oportet, quale periculum ex repoſitio-„ ne ſit ſecuturum; & ſi non reponatur, hominem „ ea parte claudum ac mutilum omnino per re-„ liquum vitæ tempus futurum: dein conabimur „ ſine violentia os in ſuam ſedem compellere. „ Porro ulceris curationē eandem, quæ propoſita „ eſt in fracturis cum ulcere, adminiſtrabimus. „ Omne autem membrum, quod cum vulnere „ loco motum, neque repoſitum eſt, ſic jacere „ convenit, ut maxime cubantem juvet; tantum „ ne moveatur, nevè dependeat. Hæc Tagaul-„ tius: cui, ut & Hippocrati, ſubſcribunt. C. Celſus lib.8.cap.24. Galenus in Hippocr. de Articulis, Vido Vidio Interprete. Ambr. Paræus Chirurg. lib.15. cap.5. Fallopius tract. de Luxation. cap.9.10.11. Cæſar Magatus de Vulneribus lib. 2. cap.71. Scultetus Arm. Chir. tab.28. & alii plures.

Ubi ergò articulus major reponi nequit, habita prius univerſalium & victus ratione, membrum ſine omni extenſione & deligatione, in media figura, vel de collo ſuſpendatur, vel leniter collocetur, ut immobile maneat, & dolorem non ſentiat. Impedienda interim inflammatio, & convulſio imminens, medicamento dolorem mitigante, leviterque repellente.

Sin vero (majoris præſertim articuli) luxatio facta ſit cum vulnere, tendinibus dilaceratis, ac omnino diſruptis ligamentis, atque adeo oſſe detecto ac extra cutem protruſo, eoque tandem ſphacelato, nulla curationis ſpes eſt, niſi quod ſupra luxatum articulum in parte ſana membru exſtirpetur. Talem caſum nobis videre contigit Anno 1678. in Ruſtico, cui tibiæ os, ubi talo conjungitur, cum vulnere erat diſlocatum, atque diſruptis articuli ligamentis detectum & extra cutem protruſum, ac brevi poſt canceratum. Quem cum Chirurgo N. van Engelen, ſuaſi mox totius cruris prope genu amputationem, cui conſilio cum Chirurgus obtemperare nollet, putans certò certius ſe hunc affectum curaturum, morbus indies auctus fuit, graviſſimaque acceſſerunt ſymptomata; ut tandem, cum præ foribus mors videretur, vocatis inſuper Petro Waſſenaar Medicinæ Doctore, & Petro Curtio Chirurgo, fuerit concluſum de cruris prope genu exſtirpatione; qua ſequenti die peracta Patiens qui duos præter propter menſes miſerrimè decubuerat, brevi reſtitutus eſt, & ligneo crure inſtructus etiam nunc inter vivos verſatur.

IX. Sed & nonnunquam accidit, ut luxationi Fractura conjungatur. Quo in caſu membrum vulgari modo extendendum, & luxatus articulus in ſuum locum reponendus, oſſa verò fracta conformanda & componenda ſunt. Et primo quidem luxatus articulus, ſi fieri poſſit, reponendus, deindè fractura curanda, & utriſque conveniens deligatio adhibenda. Quod ſi ante fracturæ curationem articulus ſine periculo reſtitui non poſſit, primò fractura coaptanda; deinde, ubi callu generandus eſt, danda opera, ut etiam articulus luxatus reſtituatur.

X. Sin vero luxatio vel ob Chirurgi abſentiam, vel ob Patientis negligentiam, vel ob præſentem Inflammationem, aliamvè ob cauſam, ſtatim non reſtituatur, Calloſa circa articulum contrahitur Durities. Eſtque calloſa hæc ſubſtantia vel dura ac lapidea, vel non ita dura. Idcirco articulus fovendus, vel Aquâ Simplici Calidâ,

yel

vel Fotu Emolliente, ac leviter admodum Reſolvente, ex Althæa, Malva, Violaria, Floribus Camomillæ, Meliloti, Radice Cucumeris Aſinini, Seminibus Lini, Fœnigræci, & ſimilibus in Aqua Communi decoctis. Poſt fotum articulus inungendus Linimento ex Unguento Althææ, Oleo Liliorum Alborum, Amygdalarum Dulcium, aliiſvè emollientibus.

Tandem ubi quicquid calloſum fuerit, emollitum & diſcuſſum eſt, ad partis extenſionem, & articuli repoſitionem deveniendum, atque reliqua facienda & adminiſtranda, ut in luxatione ſimplici. Quid ſi, articulo reſtituto, callus oboritur, Patiens juxta uſum emollientium & leviter diſcutientium, articulum, quantum poſſibile, moveat; quo motu callus digeratur.

De Luxationibus in ſpecie.

I. Cæterum inter præcipuorum articulorum diſlocationes, primo loco occurrit maxillæ inferioris luxatio, qua & maſticatio tollitur, locutio depravatur. Raro tamen accidit, ut ea luxetur, ob arctiſſimam ejus cum oſſibus temporum per validum ligamentum articulationem, & validiſſimum muſculorum eam ſurſum trahentium robur.

Hæc autem Luxatio vix aliam in partem fieri poſſe, quam anteriorem, ejus cum temporum oſſibus articulatio abundè docet. Enim vero in partem poſteriorem luxari non poteſt, quia temporum oſſis proceſſus obſtant, idque impediunt; nec facilè dextrorſum, quia ſiniſtrum maxillæ capitulum plurimum impedit; neque etiam ſiniſtrorſum, quia impedimento eſt capitulum maxilla tantum luxari ſolet. Accidit autem iſta Luxatio, ſi proceſſus anterior & acutus infra os Jugale elabitur, ut eo ita humilior fiat, ut ſurſum in ſuum locum amplius redire non poſſit. Alias enim etſi proceſſus hic oſſe zygomatico humilius demittatur, non tamen ſtatim fit luxatio, ſed ore aperto ſuum in locum revertitur. Fit vero iſta Luxatio, vel in uno duntaxat latere, cum ſolum pars ejus dextra vel ſiniſtra elabitur, vel in utroque latere ſimul, cum tota Inferior Maxilla è ſede ſua excedit.

II. Cauſa hujuſce Luxationis frequentiſſima, ſi non unica, eſt nimia oris apertio & diductio, quæ plerumque fit oſcitando, ita ut proceſſus acutus, qui Corone Græcis dicitur, oſſe jugali humilior fiat, ſimulque in latus convertatur. Nihilominus tamen ligamentorum laxitas, nec non muſculorum debilitas, cauſæ eſſe poſſunt adjuvantes quod Maxilla diſlocetur.

III. Maxilla autem è ſua ſede excidiſſe cognoſcitur, quod in anteriorem partem promineat, ejuſque proceſſus acuti exſtent juxta articulos maxillæ luxatos. Si namque proceſſus acutus ex oſſe jugali excidat, neceſſe eſt, ut ibi emineat, quod in homine non ita obeſo & viſu & tactu facilè cognoſcitur. Os manet apertum, unde loquela impeditur, & ſaliva Ægro invito effluit.

Si ex una tantum parte Maxilla luxata fuerit, ipſa cum mento in contrariam partem, qua luxata non eſt, inclinatur, os diſtorquetur, unde dentes nec committi poſſunt, nec paribus ſuis reſpondent, ſed ſub inciſoriis canini conſiſtunt: Inſuper in parte luxata protuberantia notatur, ac muſculus temporalis rigidus admodum apparet.

Si verò in utroque latere ſit luxata, tota cum mento, & quidem recta, in partem anteriorem ſive ad pectus prominet, os apertum relinquitur. Dentes inferiores longius quidem, quam ſuperiores excedunt; è regione tamen ſibi invicem, inciſorii inciſoriis, canini caninis reſpondent: juxta malas in utroque latere eminentia apparet, quam proceſſus acutus efformat, muſculique temporales, quorum tendines hic proceſſus excipit, intenti, rigidique conſpiciuntur.

IV. Periculo interim non vacat Maxilla, ſive ex altera tantum parte, ſive ex utraque luxata. Facilior tamen reſtitutio eſt, ſi in uno duntaxat latere luxetur: ſin vero in utroque ſimul luxatio ſit, difficilior, periculoſa, ac interdum lethalis eſt; præſertim ſi quam celerrimè non reponatur: cum muſculi omnes, quibus maxilla continetur & movetur, intendantur admodum, hinc & dolores, inflammationes, febres continuæ, graviſſimaque alia ſuperveniant ſymptomata.

V. Maxillæ luxatæ repoſitionem eleganter docet Hippocrates Lib. de Articulis § 26. quem ſecutus eſt C. Celſus lib. 8. cap. 12. Nimirum videndum imprimis, an ex altera tantum parte fuerit prolapſa Maxilla, an ex utraque. Si in utroque latere luxata ſit, in humili ſede Æger collocetur, ejuſque caput vel ad parietem, interjecto pulvinari duriuſculo, urgeatur, vel à miniſtro, à tergo Ægri collocato, ut immobile maneat, teneatur; hinc Chirurgus utriuſque manus pollicem linteo obvolutum dentibus molaribus imponat, reliquis vero digitis maxillam ad mentum extrinſecus apprehendat, ſicque eam primo deorſum trahat, mox in partem poſteriorem adigat, tandem ſurſum pellat, ſicque eam reſtituat.

Sin in uno tantum latere fuerit Luxata, reponitur Maxillam in partem oppoſitam protrudendo, quod non ita difficulter fieri ſolet. Imo vel colaphus gravior eam non ſemel reſtituit.

Repoſitione facta, conveniens Deligatio facienda, quæ fiat Faſciam imponendo ad mentum, ubi aliquantulum dehiſcat, ut hinc inde mentum apprehendat: deinde ex utraque parte ad aures eadem faſcia reſcindenda, aureſque foras trahendæ; hinc liganda faſcia in capitis vertice, eaque non ſolvenda donec maxilla fuerit confirmata: quod bidui, tridui, aut ad ſummum quatridui ſpatio fieri ſolet. Interim à ſermone multo, oris diductione, & oſcitatione, durorumque ciborum maſticatione Patiens abſtineat, & liquidis contentus ſit.

VI. Interdum & Clavicula ſede ſua dimovetur, id quod Galenus in Comment. ad Hippocratis Librum de Articulis ſuo exemplo probat, ubi prolixè recenſet, quomodo ſibi in Palæſtra hic articulus ita luxatus fuerit, ut inter acromium & jugulum trium digitorum intervallum intercederet, & quid circa ſe actum ſit.

Luxatur autem Clavicula, quin potius ſubluxatur, vel in commiſſura ejus cum ſterno, vel ubi ſcapulæ acromio jungitur, ex caſu, aut violento quovis extrinſeco ictu, ſeu percuſſione, laxatis, extenſiſque conjunctionis ligamentis, hinc & è ſede ſuâ paululum claviculâ avulſâ. Raro tamen id accedit, propter firmam cum utroque oſſe connexionem.

Quum ergò Clavicula ſubluxatur, manifeſtè elevata conſpicitur. Ac quando ſummus humerus à proprio loco fuerit dimotus, acutior apparet, & exſtare videtur os, quod recedit, ſinuſque unde excidit perſentitur, adeò ut imperitis luxati brachii ſuſpicionem præbeat: ita Ambr. Paræus. lib.15. cap.11. teſtatur, ſe multos Chirurgos noviſſe, qui decepti luxationem juguli pro ſummi humeri luxatione habuerint.

Subluxata Clavicula facilè admodum reponitur, & in ſedem naturalem revertitur; ſed vix unquam in ea ſervatur, unde neceſſariò ſive plus, ſive minus à ſuperiore parte prominet, ſæpeque contingit, Ægrum manum neque ad caput neque ad os movere poſſe. At circa ſternum ſi ſubluxatio facta ſit, & promineat clavicula, nullum inde relinquitur detrimentum.

Ut autem reſtituatur ſubluxatum hoc os, brachium extendendum, & clavicula in ſuum locum repellenda eſt. Quod fit, ſi Æger ſupinus jaceat, pulvinari duriuſculo ſcapulis ſuppoſito, ut ſcapula thoraxque ad exteriora protuberet, & attollendo, deprimendo, aut protrahendo brachium antrorſum, retrorſumque, prout dislocatio exegerit, manuſque volâ comprimendo, os hoc in ſuam ſedem compellatur. Dein ſplenia multiplicia imponenda, ac pars arctius vincienda, ſi forſan reſtituta Clavicula in ſede naturali ſervari, ac confirmari queat.

VII. Dorſi ſpina è multis componitur Vertebris, quæ peculiari articulatione, mediantibus quatuor obliquis proceſſibus, nec non ipſo vertebrarum corpore, inter ſe cohærent & connectuntur, ut ad inflectendum, in anteriora præſertim, apta ſit, & ne ſedibus ſuis in iſto motu excidant Vertebræ, multis variiſque ligamentis inſuper firmantur. Quandoque tamen cauſarum præternaturalium violentiâ è ſua ſede quodammodo exturbantur, & ſubluxantur; rarò autem perfectè dislocantur. Enimverò perfecta Vertebrarum Luxatio fieri nequit, niſi diffractis apophyſibus, nec non penitus divulſis cartilaginibus ipſi vertebrarum corpori adnatis, quibus in parte anteriore eæ inter ſe connectuntur.

Fit autem Vertebrarum Spinæ Subluxatio vel in partem anteriorem, vel in poſteriorem, vel in latera; ex caſu viz. percuſſione, nimiâ inflexione, ac ſimilibus cauſis violentis.

Cæterum quod Vertebræ ſuo loco motæ ſint, viſu & tactu explorari poteſt. An etiam verſus interiora, vel exteriora, vel ad latera ſubluxatæ ſint, viſu dignoſcitur.

Atqui curatu admodum difficilis eſt hic affectus, præſertim ſi malum recens non ſit. Si autem plures Vertebræ ordine ſeſe conſequentes ſimul ſubluxentur, minus periculoſum eſt, quam ſi una ſaltem luxetur: una namque vertebra ſi loco moveatur, cum in acutum angulum deſinat, ſpinalem medullam comprimit, eamque valdè lædit: at ſi plures ſimul loco ſuo quodammodo excidant, atque angulum obtuſum efficiant, minus ſpinalem medullam comprimunt.

Perfecta verò quandò contingit Vertebrarum Cervicis aut Dorſi Luxatio, lethalis eſt. Etenim ſpinalis medulla, nervique ab ea oriundi ità comprimuntur, ut ſpiritus animales in partes inferiores influere nequeant, hinc & reſpiratio tollatur, & cæteræ partium inferiorum actiones mox ſileant.

Vertebrarum autem Cervicis Subluxatio quandoque fit verſus poſteriora, quandoque verſus anteriora. Verſus poſteriora ſi fiat, ſpinalis medulla comprimitur, mentum ad pectus flectitur, unde & loquendi & ſpirandi potentia tollitur, homoque non rarò jugulatur. In anteriora ſi fiat Cervicis Vertebrarum Subluxatio, collum diſtorquetur, caput moveri nequit, facies livet, locus affectus dolet, & ſpirandi ac loquendi difficultas adeſt. Malum tamen minus periculoſum eſt, quam integra luxatio. Statim autem iis occurrendum: quod fit, ſi Æger in humili ſede ſedeat, Chirurgi verò miniſter ſcapulas deprimat, at ipſe Chirurgus caput utrinque ad aures apprehenſum elevet, & variè moveat, donec vertebra ſuo loco reſtituatur; quod ubi factum, caput ſine dolore iterum movere valet Æger.

Ubi Dorſi Vertebræ extrorſum Subluxatæ ſunt, Æger ventri incumbat ſuper Scamnum Hippocratis, (vide Scultetum *Arm. Chir. tab.25. fig.2*) hinc miniſtri duo vinculis duobus, quorum unum ad axillas alterum ad oſſa innominata, firmatum ſit, fortiter partes Ægri extendant, quò is in totum quoad ſpinam elongetur, Chirurgus autem ipſe protuberantes Vertebras manu intropellat.

Ad interiora verò facta Spinæ Dorſi Subluxatio pro incurabili ab Hippocrate Lib. de Articulis, Paulo Ægineta lib.6. c.117. Avicenna l.4. fen.5. tract.1. cap.21. & aliis, meritò habetur. Fabritius Hildanus tamen *Cent.5. Obſer.69.* aliquid tentandum cenſet; primò quidem extenſione, & Spinæ nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus concuſſione, nec non linteo ſub ventre poſito, ejuſdem in altum elevatione, per inſtrumenta ab Oribaſio & Paræo depicta. Deindè dorſi inciſione uſque ad vertebram ſubluxatam, & vertebræ, quæ poſt inciſionem aptis tenaculis apprehendenda eſt, in altum elevatione: ſed modus hic tutus vix videtur, modo non ſit planè impoſſibilis:

VIII. Inſuper & coccygis os luxatur extrorſum & introrſum. Extrorſum quandoq; Luxatur fœminis in partu difficili, quibus tamen facilè, faſciâ circa nates valide conſtrictâ, reſtituitur. Introrſum quoque Luxationem patitur, quæ ut reſtituatur, digitis tam in anum immiſſis quam extus applicatis eouſque moveatur, donec debito ſitu locatum ſit, uti latius videre eſt apud Jobum Meekeranum *Obſerv. Chirurg. cap.56.*

IX. Coſtæ etiam nonnunquam Luxantur à caſu aut percuſſione, nunc ſuprà, nunc infrà, nunc intrò. Si ſuprà, vel infrà, vel in latus fiat Coſtæ Luxatio, inæqualitas viſu & tactu deprehenditur, & hinc cavitas, illinc extuberantia apparet. Si intrò luxata ſit, ſaltem cavitas obſervatur.

Sequuntur autem varia Luxatas Coſtas ſymptomata; difficultas ſpirandi, thoracem movendi; & corpus erigendi, dolor pleuritidem referens, inflammatio, febris: hinc ut quamprimum ſuæ ſedi Coſta reſtituatur, danda opera. Et ſi Luxatio ſit in partem ſuperiorem, Æger rectus ſuſpenſis ex januæ vel feneſtræ parte ſuperiore brachiis ſtatuatur, & coſtæ capitulum extrà vertebram eminens comprimatur, donec in locum ſuum redeat. Sin verò in partem inferiorem Luxata ſit Coſta, Æger pronus incurvetur, manibus ſuprà genua innixus, interim Chirurgus coſtam luxatam manu in locum naturalem comprimat.

primat. At intro facta ſi ſit Luxatio, incurabilis & ferè lethalis eſt, cum manuum opera nihil præſtare poſſit. Volunt tamen, ut Emplaſtrum aliquod validè adhærens apponatur, quod ſæpius violentiâ ſummâ avellatur, ſi forſan hoc modo reſtitutio ſequatur.

X. Humeri os capite ſuo rotundo, cartilagine undique obducto, ſinui cervicis ſcapulæ perfectiſſimâ, omnibus molibus obeundis abſolvendiſque accommodatiſſima, articulatione committitur. Cumque ſinus hic non altè ſatis pro excipiendo humeri capite exſculptus ſit, ne frequentibus luxationibus articulus hic foret obnoxius, provida natura duobus ligamentis validis, lato viz. & rotundo, duobuſque ſcapulæ proceſſibus, acromio cum eoque conjuncto claviculæ capite, & coracoide dicto proceſſu, nec non muſculis, deltoide præſertim ac bicipite, cavit, & inſuper præter cartilaginem, qua ſinum hunc incruſtavit, aliam in ambitu adjunxit, quæ ſinui quidem haud adnaſcitur, ligamentis tamen adſtricta craſſior incipit, ſenſimque verſus centrum extenuatur. Nihilominus verò cauſa violenta ſi accidat, articulus hic excidit non ſolum, ſed & reliquis frequentius & facilius.

Excidit articulus hic ferè ſemper in unicum tantum locum; deorſum ſcilicet in alam, ſeu ſub axillam. Adeò autem rarò in alium locum luxatur, ut ſcripſerit Hippocrates, articulum hunc, qui cum lato ſcapularum oſſe conjungitur, ſe noviſſe uno tantum modo excidere, nempe in alam; in locum verò ſuperiorem, aut exteriorem, vel interiorem nunquam, aut ſaltem rariſſimè. Enimverò prolapſus humeri in partem ſuperiorem manifeſtè impeditur à ſcapulæ proceſſu, acromio dicto, ubi cum clavicula jungitur; at in locum exteriorem articuli hujus egreſſus prohibetur ab eodem ſcapulæ proceſſu, muſculoque bicipiti; in interiorem verò, ſeu anteriorem ne oſſis humeri caput prolabatur, ſcapulæ proceſſus coracoides avertit: ut adeò cum Hippocrate affirmare liceat, in partem inferiorem plerumque humerum luxari, cum nullum ibi adſit propugnaculum, quod hanc prohibere poſſet diſlocationem.

XI. An verò Humerus ſaltem luxationem perfectam, an etiam ſubluxationem patiatur, quæritur? Reſp. articulum hunc ſubluxationem nonnunquam pati; imo frequentius ſubluxatur humerus, quam alius quivis articulus, quia caput ejus rotundum deſtituitur collo oblongo, inſeritur in ſinum exilem, profunditate carentem, minimeque majori huic capiti reſpondentem, & hinc facilius deſcendit, parumque elabitur tantum, ac in margine cervicis ſcapulæ ſubſiſtit. Atque talis humeri ſubluxatio haud ità difficulter reſtituitur; viz. levi factâ extenſione, per ſimplicem circumgyrationem.

XII. Cauſa humeri luxationis violenta plerumque eſt; caſus nempe, percuſſio, brachii vehemens extenſio, aut diſtorſio, &c. Humerum verò ſub alam prolapſum eſſe, facilè cognoſcitur, & monſtrat id certiſſimum, proprium, & inſeparabile ſignum: nimirum quid rotundum ac durum ſub axilla ſenſibiliter tactui obvium. Quibus tamen & alia accedunt: luxatus namque humerus ſi cum ſano comparetur, diſſimilis admodum apparet, quoniam cavitas inſolita eſt in humeri ſummo, videturque is extare, & acutior, nec rotundus, ſicut ſanus conſpicitur; cum humeri caput, quod rotunditatem faciebat, jam ſit prolapſum, & in inferiore loco recipiatur. Inſuper prolapſum brachium ſano longius eſt, manumque ori admovere Æger nequit.

Gracilibus porrò ac macilentis facilius Humerus luxatur, & luxatus facilius reponitur; at difficilius in ſua ſede detinetur. Carnoſis autem ſicuti rarius quidem luxatur, ſic difficilius in propriam ſedem reſtituitur; at reſtitutus minore cum moleſtia ſervatur. Recens quoque Humeri Luxatio facilius reponitur, antiqua difficilius, & repoſita iterum excidit, quoniam ſcapulæ cervicis ſinus calloſâ repletur ſubſtantiâ, quæ, ſi os reponatur, iterum è proprio ſinu prolabi cogit.

XIII. Igitur ut prolapſus Humeri articulus in ſuam ſedem reſtituatur, prius aliqua humeri extenſio facienda, ut verſus principia ſua retracti muſculi elongentur, adeoque luxatus humerus ſuo loco ſic reponatur. Sunt autem varii reponendi modi, ut videre eſt apud Hippocratem Lib. de Art. §. 2. 3. 4. Ambr. Paræum Chirurg. lib. 15. cap. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & alios. Horum tamen quoſdam, quique minorem requirunt apparatum, ac tutiſſimi ſunt, recenſebimus.

Primus modus fit cum miniſter articulum humeri validè detineat, Chirurgus brachium deorſum trahat, hinc idem in ſinum ſuum elevando reponat. Scultetus Armam. Chirur. tab. 23. fig. 3.

Secundus modus fit per Calcem, hac ratione. Æger humi reſupinandus eſt, ac inter alæ cavitatem, ſcilicet inter caput humeri & coſtas, pila mediæ magnitudinis adaptanda. Chirurgus interim Ægro ex adverſo ſedens calcem ſuper pilam alæ ſubjectam applicet, & ambabus manubus humerum deorſum (cum caput ejus muſculorum vi ſurſum tractum ſit) trahat; calce verò eundem ſurſum compellat, ſicque in propriam ſedem adigat.

Tertius modus fit per Scalam, (de qua Scultetus Armam. Chir. tab. 21. fig. 3.) eſtque tutus etiam, & ſatis commodus. Erigatur nimirum Scala firma, ſuper cujus gradum altiorem rotundum quoddam corpus, quod Patientis alæ adaptari, humerique caput propellere poſſit, deligetur: ad ima ſcalæ ſubſellium locetur, cui pedibus inſiſtat Æger, poſteà ala ſuper corpus illud rotundum ponatur, brachium luxatum à Chirurgo deorſum trahatur, humeruſque hinc inde commoveatur. Interim ſanum brachium à miniſtro ex oppoſita parte etiam validiſſimè deorſum trahatur, mox ſcabellum pedibus Ægrotantis ſubtrahatur, ut è ſcala pendeat, hacque ratione humerus reſtituatur.

Quartus modus à præcedente non multum differt, & piſtillo perficitur. Viz. molli aliquâ faſciâ involvatur Piſtillum, atque latus inter & humeri caput dimittatur. Sit autem ejus longitudinis, ut homo ſtans propemodum ex eo pendeat. Quod ſi brevius fuerit, homo ſedeat ſic, ut vix humerum ſuper piſtillum injicere poſſit: deindè brachium juxtà piſtillum extendatur; alter verò corpus in alteram partem adigat, manubus ad collum plicatis.

Commodior autem videtur quintus modus, qui fit per Humeri ſuppoſitionem; ſcilicet validus quidam & altioris ſtaturæ vir Ægrotantis alam

alam ponat ſuper acuminatam humeri ſui partem, Humerumque Luxatum verſus pectus ſuum valide trahat, humerum ſuum elevando, ut ab eo Æger quaſi pendeat. Interea miniſter alius ſcapulam deorſum comprimat, brachiumque variè moveat uſque dum omnia ritè reſtituta.

Sextus modus omnium commodiſſimus fit per Gloſſocomum, ſeu Ambi, ab Hippocrate deſcriptum, & à Paræo emendatum; de quo videantur illi, ut & Scultetus *Arm. Chir. tab. 21. fi. 7.*

XIV. Humero in propriam ſedem reſtituto, mediocris magnitudinis pila ex molli lana, & tenuibus linteis facta alæ ſubjiciatur, ne humerus propter gravitatem, ligamentorumque laxitatem rurſus deſcendat. Dein Splenia Vino Rubro Adſtringente aut Oxycrato madida luxato, at nunc reſtituto humero imponantur, tum ad arcendam inflammationem, tum ad relaxata ligamenta roboranda. Tandem Faſcia longa, duobus capitibus prædita, ita circũjiciatur, ut pilam cõſtringat, humerique articulum comprehendat; quæ deinde ad alteram alam, ab eaq; ad ſcapulas, rurſuſque ad ejuſdem humeri caput tendat, tum ad oppoſiti lateris cervicem vergat, ſæpiuſque eodem modo circumagatur, adeò ut pilam non ſolum conſtringat, ſed & brachium ſurſum trahat, vel ſaltem conſervet. Cubitus ſimiliter ad pectus adducatur, & faſciâ in orbem circa corpus porrectâ deligetur, ſicque vinctus humerus commodè contineatur. Elapſis vero tribus, quatuor, vel quinque diebus, ſi vincula laxiora ſint facta, vel inflammationis ſuſpicio adſit, ſolvantur faſciæ, & pars affecta ut prius deligetur, donec articuli ligamenta robuſta ſatis evaſerint.

XV. Cubiti Articulatio ex duobus Brachii oſſibus, Radio & Ulna, ac inferiore capite oſſis humeri, fit per Gynglymum, hoc eſt, eam articulationis ſpeciem, qua oſſa ſe mutuo excipiunt, & viciſſim excipiuntur ab aliis. Sinus enim habet humerus parte inferiore duos, quorum anterior ſive minor proceſſum cubiti anteriorem, cum brachium inflectimus, ſuſcipit; poſteriorem verò, ſive majorem, quem cubitum vocamus, cum brachium extendimus, poſterior ſinus admittit. Pro radio excipiendo humerus etiam capitulum peculiare, exterius dictum, obtinet. Inſuper articulum hunc validiſſima membranoſa ligamenta firmant, roborantque. E quibus omnibus colligere licet, eum difficillimè luxari, cum multiformis & varia ſit horum oſſium conjunctio. Nihilominus tamen quaquaverſum Cubitus Luxari poteſt, antrorſum, retrorſum, extrorſum, & introrſum, quandoque cum radio, aliquando ſine eo; nonnunquam radius à cubito abſque ulla ejus luxatione recedit.

„ Cubiti luxatio alia completa & perfecta eſt, „ (inquit Paræus lib. 15. cap. 31.) alia imperfe„cta. Hæc ut facilè & levi quadam ex occaſio„ne incidit, ſic facilè reſtituitur. Perfecta con„tra, ut difficulter fit, ſic non ita facilem habet „ repoſitionem; præſertim niſi inflammationem „ præveneris: ſuborta enim inflammatio repo„ſitionem vel difficillimam, vel omninò impoſ„ſibilem reddit, maximè quæ extrorſum in„cidit.

Cæterum ut aliarum partium luxatio à cauſis violentis fit, ita & hæc. Et cubiti quidem in anteriorem partem Luxatio, ut plurimum ex violenta & ſubita brachii extenſione contingit: in poſteriorem, ex violenta brachii inflexione; & ad externam vel internam, ex brachii perverſione fieri ſolet.

In quam verò partem Cubitus luxatus ſit, viſu tactuque facilè deprehenditur. Si enim in partem anteriorem prolapſus fuerit, brachium abbreviatur, nec curvari poteſt, in parte anteriore tumor inſolitus, in poſteriore cavitas inſueta conſpicitur. At in partem poſteriorem ſi fuerit luxatus, brevius itidem brachium efficitur, tumor in poſteriore, cavitas autem in anteriore parte apparet. Sin in interiorem aut exteriorem partem Luxatio fiat, eadem ſigna adſunt, protuberantia eo loco datur in quem procidit os, ſinus vero eo, quo excidit; brachium quoque curvatur, & extendi nequit, ſicut in luxatione ad anteriora, & poſteriora.

Cubitus porrò uti ob multiformem ac variam cum humero articulationem, ligamentorumque robur, non facilè elabitur; ita prolapſus difficulter reſtituitur. Luxatus autem Cubitus niſi citiſſimè reponatur, non ſolum varia & periculoſa ſymptomata; dolorem nimirum intenſiſſimum, inflammationem, febrem, convulſionem: ſed nonnunquam ipſam etiam mortem adfert. Omnium tamen luxationum, quæ in Cubito fiunt, maximè periculoſa & dolorifica eſt, quæ in poſteriorem fit partem.

Si ergo Cubitus in partem anteriorem ſit Luxatus, ut reponatur, primum Extenſio fieri debet in congrua figuratione, non in directum, ſed in obliquum, ita ut Cubitus ad rectum angulum cum humero collocetur, ne altum Cubiti ſupercilium humeri capitulum lædat. Extenſionem efficiant miniſtri duo, quorum unus ſummum humerum ſurſum, alter cubitum deorſum, vel ſolis Manubus, vel, neceſſitate id exigente, Vinculis trahat. Deinde corpus aliquod rotundum è linteis convolutis apponatur ad cubiti flexuram, hinc comprimatur, tum cubitus inflectatur, iſque citiſſimè ad poſteriora à Chirurgo impellatur, ac reponatur. Scultetus *Arm. Chirurg. tab. 24. fig. 1.*

Imperfecta autem ſi ſit Cubiti in partem anteriorem Luxatio, ſeu Subluxatio, moderatâ factâ extenſione, ſolo brachii inflexu facillimè reſtituitur.

At vero Luxatus in partem priorem Cubitus ſi dicto modo reſtitui non poſſit, alius adeſt: viz. duo miniſtri brachium ſimiliter extendant; ad cubitum autem luxatum Habena ponatur, & infra tam longa ligetur, ut pes Chirurgi poſſit ei tanquam ſtapedi inniti: factâ extenſione, & habenâ deorſum tractâ pede chirurgi, retrò comprimens Chirurgus cubitum inflectat, ſicque articulum reponat.

Poſteriorem tamen in partem Luxatus ſi fuerit Cubitus, obliquâ à miniſtris factâ extenſione, Chirurgus luxatum os in contrariam partem urgeat, ac compellat; ſique recens Luxatio fuerit, facilè reponitur. Affirmat autem Hippocrates Libr. de Fracturis §. 44. hanc Cubiti Luxationem ſolâ ejuſdem ſubitâ ac diutinâ extenſione ſe nonnunquam curaſſe.

In partem exteriorem vel interiorem prolapſus Cubitus facillimè reponitur, ſi, facta extenſione, ab ea parte, in quam prolapſus eſt, in contrariam impellatur. Scult. Armam. Chir. tab. 23. fig. 2.

Factâ luxati cubiti repoſitione, congrua fiat

Deligatio, mediam ſemper obſervando figuram, ſicut in humeri vel cubiti fractura diximus.

XVI. Carpus Cubito & Radio per Diarthroſin connexus, excidere poteſt ad anteriora, poſteriora, interiora, & exteriora; potiſſimum tamen in anteriora prolabitur. At Metacarpi oſſa omnia introrſum quidem & extrorſum luxantur; ad latera vero duorum mediorum oſſium prolapſum impediunt duo oſſa extrema, indicem & minimum digitum reſpicientia: quæ duo tamen in latus ab oſſium vicinia liberum excidere poſſunt. Digitorum oſſa ſimiliter in quatuor partes dislocari poſſunt; anterius puta, poſterius, ac utrinque ad latera: ſed ut plurimum ad anteriora, vel poſteriora luxantur.

Atque ut aliarum luxationum, ita & Carpi, Metacarpi, ac Digitorum Luxationis Cauſa eſt motus violentus, ictus, caſus, perverſio, cōtorſio. Cognoſcuntur autem haud difficulter partium manus Luxationes. Sive enim Carpi, ſive Metacarpi, ſive Digitorum oſſa in partem anteriorem luxata fuerint, tumor eo loci in anteriore parte apparet, digitique flecti nequeunt. Sin in poſteriorem exciderint, tumor in parte poſteriore conſpicitur, digitique, ob tendinum & nervorum ad ipſos tendentium compreſſionem, extendi non poſſunt.

Luxatio harum partium periculoſa non eſt, cum facile reſtitui in ſedem naturalem poſſint dislocata oſſicula.

Quod ſi ergo facta ſit Carpi Luxatio in partem anteriorem, aut poſteriorem, manus ponatur ſuper Tabulam, (vide Scultetum Armam. Chirurg. tab. 24. fig. 2.) & quidem ſupina, ſi ad anteriora; prona, ſi ad poſteriora facta ſit Luxatio: dein fiat extenſio à duobus miniſtris, trahentibus hinc inde tum brachium, tum digitos. Dum fit extenſio, Chirurgus articulum luxatum in partem contrariam impellat.

Luxatio oſſium Carpi, aut Metacarpi, in illa nulla facta extenſione, in hac modica, facilè reponitur, manu ſuper tabulam collocata, & ſuppoſito corpore duro, ſicque oſſibus in ſua loca protruſis, vel anterius, vel poſterius.

Haud ſecus Digiti Luxati, à duobus miniſtris facta ſuper tabula extenſione, facile in contrarium impelluntur. Facta luxatorum horum oſſium repoſitione, membrum convenienter deligandum, & deponendum.

XVII. Femoris os, omnium in corpore humano maximum & longiſſimum, capite ſuo globoſo, valida cervice ſubnixo, & cartilagine obducto, coxendicis acetabulo, amplo ſatis & profundo, committitur, in eoque duobus validis ligamentis detinetur; uno lato, craſſo, & membranoſo, quod articulum totum circumdat; altero tereti, quod ab ipſa acetabuli cavitate productum, in ſuſceptum femoris caput inſeritur, idque acetabulo firmiſſime connectit, ſicque articulatio hæc per Enarthroſin Diarthroſeos perficitur: ut adeo Femur facilius & expeditius flecti, extēdi, in latera moveri, & circūverti, nec facile prolabi poſſit.

Excidit autem aliquando hic articulus in quatuor partes; nimirum in anteriorem, & poſteriorem, ſed rarius, cum acetabuli ſupercilium hac in parte altius ſit; frequentius vero in partem exteriorem, & interiorem, cum eo loci humilius ſit ſupercilium. Quoad Femoris imperfectam Luxationem, ſeu Subluxationem: nunquam, aut ſaltem rarò admodum eam dari puto; quoniam acetabulum, quo globoſum femoris caput reconditur, alta ſatis in ambitu habet ſupercilia, ut omnino fieri non poſſe videatur, ut caput hoc partim in acetabulo contineatur, partim promineat, & exciderit: inſuper dearticulationis motu & circumactione, nec non muſculorum robore in locum ſuum facilè id raperetur. Attamen à cauſa interna Subluxatio hujus articuli forſan contingere poteſt: tum enim ligamenta ac vincula emollita admodum & relaxata, oſſis caput acetabuli margini inſiſtens retrahere & revehere nequeunt.

XVIII. Cauſæ perfectæ Femoris Luxationis ſunt eædem, quæ luxationis humeri; externæ puta, & violentæ, caſus, ictus, aliave violenta & indecens femoris extenſio ac diſtorſio. Inſuper humores ad articulum hunc affluentes, eundem è ſede ſua ſenſim protrudere poſſunt, ſicque imperfectam cauſare luxationem.

De femoris oſſis capite aliquid notatu dignum annotavit Rolfincius, Exercit. Anatom. lib. 2. c. 49. viz. caput hoc valde laxa conjunctione oſſi femoris adhærere, ita ut coctione in aqua citò emolliatur, & facilè manubus ab oſſe dirimatur, præcipuè in animalibus junioribus; atque hinc fieri, ut in infantibus & pueris junioribus nonnunquam ab oſſe recedat & divellatur, idque ſæpè parva de cauſa, ut à levi caſu, vel cum nutrices nimis maturè pedibus inſiſtere & inniti jubent infantes, atque tunc illud communiter haberi pro luxatione, ex eoque diagnoſeos errore felicem curationem impediri. Teſtatur quoque Cl. Diemerbr. Anat. lib. 9. cap. 19. ſe receſſum hujus epiphyſis in uno aut altero vidiſſe, qui à Medicis & Chirurgis pro luxatione habebatur, licet caput oſſis femoris extra acetabulum nuſquam elapſum ſentiri poſſet: interim tamen os femoris verſus poſteriora reflectebatur, ejuſque ſuperior pars ſine capite nonnihil ſurſum verſus aſcendere ſentiebatur, ſicque crus illud altero brevius evadebat.

XIX. Dignoſcitur autem Femoris Luxatio his Signis. In Luxatione ad interiora, crus longius eſt, ſi cum altero conferatur, & difficulter mobile; genu exterius protuberat, ac globoſum femoris caput manu in inguine notatur. Facilè quidem reponitur, ſed & facilè iterum excidit, unde pars emaciatur, & Æger fulcro uti cogitur. Exterius ubi facta Luxatio, crus altero brevius eſt, quoniam femoris caput in locum altiorem excidit: inter anum & ſcrotum pars in ſinum dehiſcit, at juxta clunes in tumorem attollitur: genu, pes, tibia introſpectant, pedem equidem ſatis commode flectere poteſt Æger, at terræ imponere haud ita; calx namque terram non attingit, ſed ima planta, quia crus abbreviatū eſt. Licet autē nō reponatur, dolor tamen per ſe tandem ceſſat, Ægerque tēporis ſucceſſu ſine ſuſtentaculo incedere valet. Anteriorem in partem ſi Femur fuerit Luxatum, tumor in inguine eſt, cum femoris caput ad pubem incumbat; nates contrà, propter muſculos cum femore ad pubem cōtractos, rugoſæ ſūt, ac depreſſæ; urina, propter veſicæ cervicem quodammodo compreſſam, aliquando ſupprimitur; crus nec curvari, nec ad inguina adduci poteſt, cum in ipſo fluxu ſit femoris caput; idem tamen nec elongatur, nec abbreviatur, ad calcem præſertim: digiti pedis namque

non

non facilè extendi, nec ad terram converti poſſunt, unde in inceſſu Æger calci inniti cogitur. Etiamſi nec hic repoſitio quædam fiat, rectus tamen incedere tandem poteſt Æger: contingit verò nonnunquam, pedem ſufficienter à terra removeri non poſſe. In Luxatione ad poſteriora, pedem nec extendere, nec flectere valet Æger, unde calx terram non attingit, crus abbreviatur valdè, in inguine ſinus eſt, at compreſſis natibus protuberantia obſervatur notabilis; ex globoſo viz. femoris capite in nates prolapſo, quod viſu tactuque ibidem deprehenditur. Hìc quoque etiamſi repoſitio nulla fiat, dolor ſenſim ceſſat, pediſque motus redit; pes autem licet rectus, nec diſtortus ſit, nihilominus tamen brevior permanet, & multum abeſt, ut terram calx contingat, unde immedicabilis remanet claudicatio.

In genere verò magnum Femori periculum eſt, ne vel difficulter reponatur, vel repoſitum rurſus excidat. Difficulter Femur Luxatum reponitur, quia propter validiſſimos muſculos, qui in hac parte ſunt, extenſio ſufficiens fieri nequit; & tanto difficilius reponitur, quantò Luxatio vetuſtior eſt. Repoſitum autem facilè rurſus excidit, tum propter muſculos & ligamenta relaxata, & imbecillia reddita, tum quia ſuo pondere deorſum tendit: inſuper ob ligamentorum abruptionē in proprio ſinu perſiſtere aliquandò non poteſt, & ideo iterum delabitur. Si igitur Luxato Femore lacera & diſrupta ſint articulationis ligamenta, haud ita difficulter articulus reponitur, ſed repoſitus in ſede naturali ſervari nequit, ſemperque denuo prolabitur: at relaxata ſolummodo ſi ſint ligamenta, difficilius reſtituitur luxatum femur, verum repoſitum in proprio loco nonnunquam detinetur.

Antiqua Femoris Luxatio, quæ jam callum contraxit, & in qua ſinus oppletus eſt, incurabilis judicatur, ejuſque repoſitio minimè tentanda, cum fruſtra affligatur Æger. Docet quoque Fabritius Hildanus Cent. 6. Obſ. 100. inveteratam hanc Luxationem reduci non poſſe, ſed poſt tentatam reductionem ſemper malum pejus factum fuiſſe.

XX. Igitur ut Diſlocatum Femur ſedi naturali reſtituatur, Æger ſubjecto pulvinari in ſcamno aut menſa ita collocandus, ut pars in quam prolapſum eſt femoris caput, ſit ſuperior, ea vero, à qua receſſit, inferior, hoc eſt, pronus quidem, ſi extrorſum aut retrorſum Luxatio facta ſit; ſupinus, ſi introrſum; & in latus, ſi antrorſum: poſteà conveniens facienda extenſio, vel Manubus, vel Habenis, vel Machinamento, (quale eſt Trochlea trajectis funibus, depicta apud Hildanum Cent. 5. Obſ. 86. & Scultetum tab. 22. fig. 1. Tandem vero Femur, ſemper via prolapſui contraria, in ſuum acetabulum impellendum.

Itaque ad interiora ſi Femur Luxatum ſit, Æger imponatur ſcamno aut menſæ, hinc inter utrumque pedem ſupponatur baculus fortis linteo benè obvolutus, mox valida fiat pedis extenſio, uſquedum commodè manu reponi poſſit. Exterius autem ſi facta ſit Diſlocatio, ſimiliter ſcamno aut menſæ Æger imponatur, extenſioneque conveniente facta Repoſitio fiat. Anterius vero cùm exciderit Femoris caput, incumbat Æger lateri ſano, hinc pes extendatur, ſicque vel manu, vel genu in ſuum ſinum compellatur. At verſus poſteriora ſi ſit Luxatio, Æger imponatur ventri, hinc pes validè extendatur, mox Femur manu prehenſū circa genu extrorſū à pede ſano dimoveatur, ſicque caput ipſius in ſinum compellatur. Sed proprio in loco reſtitutum ut maneat, quietus Patiens decumbat, uſque dum ligamenta priſtinū robur acquiſiverint.

At vero præter nunc expoſitos reponendi modos, & is occurrit, quem Hippocrates deſcribit; quo femoris articulus, ſive in interiorem ſive in exteriorem partem eruperit, reſtituitur. Nimirū Scala defoditur, cui homo inſidet, integro & ſano crure leniter extento, & quam commodè poterit alligato: cruri vitiato Calathus, in quem conjecti lapides fuerint, vel vas fictile appenditur aqua plenum, ſicq; facta extenſione, luxati articuli repoſitio fiat. Scultetus Armam. Chir. tab. 23. fig. 4.

XXI. Genu & perfectam, & imperfectam patitur Luxationem, labiturque frequenter in partem interiorem, & exteriorem; raro in poſteriorem; at vix unquam in anteriorem, & non niſi à cauſa admodum violenta, cum Patella oppoſita id prohibeat.

Accidit autem hæc Luxatio à percuſſione, caſu, ſaltu, curſu vehementiore, immodica tibiæ extenſione, vel contractione & diſtorſione.

In quem vero locum Genu Luxatum ſit, facilè in excarni hac parte cognoſcitur; ſiquidem in latere, in quod articulus prorupit, protuberantia, cavitas in latere, è quo diſceſſit, viſu tactuque deprehenditur. Inſuper figura depravatur, crus eſt extentum, nec flecti poteſt; unde motus neceſſario depravatur, vel omnino perit.

Genu porro, ſi cum cubito conferatur, ob ejus juncturæ modum, ſæpius luxatur, & facilius reponitur. Oſſium namque, quibus uterque articulus continetur, ſtructura arctior, & conjunctio profundior eſt in cubito, laxior in genu; atque adeo Luxatio Genu minus periculoſa eſt.

Genu ſi Subluxatum ſit, nulla, aut exigua ſaltem requiritur extenſio, ſed ſola in contrariam partem impulſio, articulum reponit. At perfecta ſi Diſlocatio ſit, extenſio eſt neceſſaria, quæ fiat Manubus in recenti luxatione, & puerili ætate: miniſter unus trahat ſupra genu, alter ſub genu; Chirurgus vero ad partem contrariam, è qua excidit, manu os impellat. In Luxatione non ita recenti, & corporibus robuſtioribus, opus eſt Habenis, vel etiam Machinamentis, quibus ſufficiens fieri poteſt extenſio.

Os ubi repoſitum eſt, quod ex cruris libera extenſione, & cum altero ſano comparatione cognoſcitur, Splenia imponantur Oxycrato vel Vino Rubro Adſtringente madida, hinc conveniens inſtituenda Deligatio, Ægerque ab inceſſu abſtineat, donec novæ luxationis nullius amplius ſit metus.

XXII. Patella, cum à lateribus nullum habeat obſtaculum diſlocationem ejus impediens, in partem ſuperiorem, inferiorem, exteriorem, & interiorem nonnunquam Luxatur; in poſteriorem vero nunquam, cum tibiæ & femoris oſſa, quæ ipſa tegit, obſtent. Accidit autem hæc Luxatio à percuſſione, caſu, ſaltu, ac indecente tibiæ diſtenſione. Eaque viſu & tactu facilè dignoſcitur, cum rectè flecti ac moveri crus nequeat. Et quoniam laxior eſt hæc articulatio, haud difficulter ſedi ſuæ Patella reſtituitur.

Verum ut in ſuam ſedem reponatur, Patiens firmiter in planitie erectus ſtet: Chirurgus interim manubus Patellam à parte, in quam prolapſa eſt, in eam, è qua excidit, compellat. Ubi reſtituta eſt, Splenium cavum, patellæ formæ ac commodum, & Oxycrato vel Vino Rubro Adſtringente madidum, parte ea, ad quam prolapſa erat, collocetur; at poplitis cavitas variis compreſſis expleatur: omnia denique arctè faſciis conſtringantur, ne genu inflecti poſſit; ſi namque flectatur genu, periculum eſt, Patella ne rurſus loco ſuo excidat. Ubi verò novi prolapſus periculum nullum eſt, Æger ſenſim genu rurſus flectere aſſueſcat.

XXIII. Pedis nomine intelligimus ſeptem Tarſi oſſa, ſuis nominibus donata, quinque Metatarſi, quatuordecim Digitorum; quæ omnia variis modis invicem coarticulata, ligamentiſque membranoſis connexa ſunt. De horum omnium luxationibus jam dicendum eſſet. Sed quia Tarſi, Metatarſi, & Digitorum oſſa eodem ferè modo in Pede, quo Carpi, Metacarpi, & Digitorum oſſa in Manu, inter ſe uniuntur; iiſdem quoq; Luxationib. ſubjecta ſunt, quæ eaſdem cauſas habent, iiſdem ſignis dignoſcuntur, ac eodem modo reponuntur, operæ pretium non eſt, quædam de his ſuperaddere. At verò de Tali, & Calcanei Luxatione, cum oſſibus hiſce nulla in manu reſpondeant, quædam adde re lubet.

XXIV. Talus igitur, ſeu Aſtragalus in omnes quatuor partes prolabi poteſt, nimirum in partem interiorem, exteriorem, anteriorem, poſteriorem; frequentius tamen in exteriorem. Et quidem perfectè luxatur, & ſubluxatur.

Calx autem, ſive Calcaneus, Talo ſubjectus, frequenter quidem anterius & poſterius, raro ad latera erumpit.

Fit vero horum oſſium Luxatio à violento caſu, ictu, aut alia inconveniente pedis diſtorſione. In ſpecie autem Calx luxatur, & ab Aſtragalo divellitur, ſi quis ex alto deſiliens graviter in calcem labatur & impingat, vel inter ſaltandum calci vehementer inſiltat.

Talus porrò ſi in partem interiorem prolapſus ſit, ima pedis pars in exteriorem convertitur; ſi in exteriorem, contraria ſigna adſunt. At in anteriorem partem ſi erumpat, latus ille ac robuſtus tendo, qui calcaneo inſeritur, durus tenſuſque evadit, pes minor ac brevior apparet, ob articulum in priorem partem promotum; ſi in poſteriorem, calx ferè reconditur, quia articulus ad calcem elapſus eſt, planta major, peſque longior, evadere videtur: Et hæc Signa ſi manifeſta ſint, perfectam Luxationem, ſin obſcura, Subluxationem denotant. In ſpecie vero Calcis Luxatio ex dolore, figura partis depravata, & actione læſa facilè cognoſcitur.

Cæterum Talus uti facilè Luxatur, ſic facilè on itur; ſed ob multitudinem oſſium juncturas componentium difficulter confirmatur; atque ideo poſt Tali repoſitionem diutius in lecto perſeverandum, ne is Talus, qui totum corpus ſuſtinet, nondum confirmatis tendinibus ac ligamentis, ferendo oneri cedat, rurſuſque prolabatur. Veruntamen Calcis Luxatio periculoſior eſt; ſiquidem venæ & arteriæ majores, quas excipit, nec non magnus ille tendo, qui ei annectitur, facilè læduntur, unde inflammatio, convulſio, delirium, febris, & graviſſima alia ſymptomata non raro excitantur.

Ut ergo Luxatus Talus in proprium locum reponatur, primùm debita facienda extenſio; Manubus quidem miniſtrorum in Luxatione recenti & corpore puerili, quorum alter pedem, alter tibiam apprehendat & extendat. Sin manubus proba extenſio fieri nequeat, uti in corporibus robuſtioribus, & luxatione haud ita recenti, fiat Habenis, vel aliis Machinamentis deorſum trahentibus. Scultetus Armam. Chir. tab. 25. fig. 1. Poſteà Chirurgus articulum in partem contrariam, è qua excidit, compellat, convenientemque Deligationem inſtituat; quæ tamen minus pro ratione adſtringenda eſt, ne poſterior Calcis tendo nimis conſtringatur.

Calcaneus etiam, levi extenſione facta, in naturalem ſedem haud difficulter reponitur; repoſitus verò convenienter vinciendus, Ægerque tamdiu in quiete detinendus, donec reſtitutus hic articulus probè confirmatus fuerit; id quod ante quadrageſimum diem (uti de repoſito Luxato Talo quoque affirmare licet) vix contingit. *Johannes Munnicks in Chirurgia ad Praxim hodiernam adornata.*

Conſultationes.

Pro Perilluſtri, & Nobiliſſimo Barone Germano luxatione ſiniſtri femoris laborante.

Quod Perilluſtris, & Nobiliſſimus Baro patiatur luxationem femoris ſiniſtri multis poteſt comprobari rationibus, & primo motus læſione in ea parte, nam flexio & ob id inceſſus læditur, ut claudicare cogatur, nam femur minus movetur, quam antea, & præſertim ab ea parte, à qua receſſit Articulus, cùm non nihil moveatur, in quam venit.

Secundò femur ſiniſtrum eſt diſſimile dextro ſecundum figuram, ſitum, & longitudinem, ergo neceſſario eſt luxatum eſt; quidem diſſimile ſecundum figuram, quoniam cavitas inſolita in eodem obſervatur ſecundum eam partem à qua os receſſit, & eminentia, ſeu tumor in ea in quam excidit; ſecundum ſitum deinde, quoniam femur ſiniſtrum ad genu ſpectat partem internam, ſicuti crus, & pes; ſecundum longitudinem tandem, quia crus ſiniſtrum eſt brevius, nam trahitur à muſculis, cum nil reſiſtat.

Cum igitur nobiliſſimus Baro laboret luxatione femoris ſiniſtri, & luxatio duplex exiſtat, perfecta, & imperfecta: imperfecta primo ſi quæ ſunt juncta ſeparentur, & disjunctio Raſi dicitur, cum nimirum oſſa dehiſcunt, prius juncta, ex Celſo libro Quinto, ut ſura à tibia, vel ſecundo quia oſſa elongantur propter remollitionem ligamentorum, ita ut os non excidat à proprio ſinu, ſed aliquantulum promoveatur, ut facile ſit poſtmodum ipſum excidere, ut carpo, & cubito accidit, Diſtortumque à Raſi nuncupatur. Perfecta vero ſi caput oſſis excidat ex toto à proprio ſinu, quæ differt ſecundum magis, & minus ex Quarto de Articulis primo, & fit in femore ac humero; nunc ex intenſione ſymptomatum facile eſt intelligere perilluſtrem virum vera, perfecta, & intenſa luxatione labo-

u

rare, præterea quia non adeſt tumor, ut quando oſſa dehiſcũt, nec articulus eſt penſilis, nec vacillat, ut in elongatione, in præſenti imperfecta luxatio non habet locũ, ſed perfecta ſolum, ſub qua ex toto excidit. Cœterum cum in varias partes femur excidat, nunc in externam partē excidit, primum quia crus affectum brevius eſt, quoniam caput femoris elatius eſt ſinu, ſecundo in perineo cavitas, extra tumor apparet. Tertiò, genu, pes, tibia interiùs ſpectant, Quartò crus ſurſum trahitur, & non poteſt flecti, quoniam muſculi poſteriores flexui repugnant, ita enim figurati dolent, & non diſtenduntur, calx terram non contingit, ſed planta ima, hinc claudicatio, quæ omnia tertio de Articulis habentur; ergo femur luxatum eſt in exteriorem partem, quæ luxatio ſicuti frequens eſt, ita quæ in internam frequentiſſime occurrit, uti quæ in priorem, vel poſteriorem propter ſupercilia ſinus elatiora rariſſime accidunt.

Utcumque tamen omnibus luxatio habet cauſam tum efficientem, tum conſervantem. Efficiens duplex impellens, & incontinens, prior hic habet locum, nam cum nobiliſſimus Baro infans eſſet ex faſciis in terram cecidit, & ex hoc caſu, tamquam cauſa violenta femur extra proprium ſinum impulſum fuit. Cauſa incontinens, ſeu incontinentia & ipſa facit ad luxationem, non continetur autem femur in proprio ſinu ob vitium, vel acetabuli, vel ligamentorum. Vitium autem acetabuli poteſt eſſe nativum, & acquiſitum; nativum, quando ſupinum eſt, ut ſecundum ſuperficiem promineat, & ſurſum ſpectet, ut habetur libro de cauſis morborum nono; eſtque vitium in figura. Acquiſitum quando ſupercilia ſunt confracta. At vitium ligamentorum eſt tum diſruptio, tum relaxatio à nimia humiditate, ex Galeno loco citato, & ſexto Aphor. 59. cum Hippoc. Hic autem incontinentia ex parte ligamentorum relaxatorum ob nimiam humiditatem locum habet, quæ incontinentia in luxatione femoris eo magis poteſt, quia caput femoris naturaliter in cavo deorſum ſpectante inſeritur, proindeq; levi etiam de cauſa continentiam lædente fit hæc luxatio.

Cauſa vero conſervans luxationis eſt cauſa detinens os extra propriam ſedem, quæ multiplex eſſe poteſt, præcipua tamen eſt callus obductus, qui etiam hic, ut & morbi diuturnitas, & impoſſibilis repoſitio declarant, adſit oportet, quem callum ex materia à capite defluente, imò verò & ex alimento ipſarummet partium ortum habuiſſe, non eſt quod aliquis dubitet.

Nam quantum ad caput attinet, eſt magnum, humidum, ergo deſtillationibus obnoxium, hanc autem deſtillationem fluere per modum tranſmiſſionis ad articulationem illam, non tantum ſua natura, ſed etiam occaſione caſus jam dicti nullus unquam negabit.

Quare in hoc morbo propulſando reſpicit Medicus, vel ad curationem, vel ad præſervationem; ſi ad curationem ſcopi ſunt calli remollitio, & reſolutio, collocatio, extenſio, repoſitio, atque detentio, ſecundo, & tertio de fracturis, præſervatorii fluxionis à capite in aliam partem converſio, materiæ fluxæ evacuatio, cerebri ſiccatio, & partis recipientis confirmatio, habita tamen prius de toto providentia.

Verùm ſcopi curativi ſunt impoſſibiles, nam vitium eſt veluti nativum, cecidit enim ex faſciis, dum à nutrice contrectaretur; accedit callus qui materiis medicis non cedit, adeſſe autem callum ex eo liquet (ut etiam ſupra tetigi) quoniam luxatio eſt antiqua, quæ callo obdureſcere ſolet, tum ob humores ad caput femoris fluentes, tum ob ſinus repletionem; Immò etiam ſi recens eſſet hæc luxatio, femur adhuc repoſitum facile excideret, non tantum ob eam rationem, quod ſinus capitis femoris deorſum ſpectat, ſed etiam quia muſculi alioquin imbecilles, propterea femoris pondus illud non retinerent, & eo magis, ſi ligamenta ſint læſa, ex Celſo libro nono, capite decimo, ſed non tantum ob haſce rationes ſcopos curativos impoſſibiles exiſtimo, verum etiam quia quamplura remedia citra fructum adhibita hucuſque fuere. At quamquam malum hoc non poſſit ſanari, ſub hoc tamen minus ægri patiuntur, quoniam ſub luxatione femoris in partem externam melius corpus regitur, atq; fertur, tertio de Articulis.

Cœterum ſcopi præſervatorii non ſunt impoſſibiles, nam patiens eſt decem & octo annorum, in mutatione ideo ætatis humidioris ad ſicciorem, multum eſt fidendum; præterea eſt obtemperans, ut nil ſit ulla ratione omiſſurus, quod illi conducere poſſit, aliquid tamen difficultatis occurrit ob fluxionem, ac partis recipientis imbecillitatem, à quibus tum motus abolitus, tum deformitas affecti cruris, uti gracilitas, impendet.

Atqui cum ex ſe nobiliſſimus Baro abſque aliquo remedio præſervari poſſit (quantum ego exiſtimo) non eſſet, quod ego materias medicas in hunc finem proponerem, niſi ab ipſo cogerer.

Quocirca ad materias chirurgicas primum accedens omitto curatorias, tanquam interim inutiles, nam cùm repoſitio inter illas ſit præcipua, & fiat paleſtricè, ſeu manibus, Methodicè cum vulgaribus, atque machinis, quælibetque harum ſit impoſſibilis, ideo jure omittendæ; Nihilominus ad tentandum aliqualem extenſionem mihi ſummopere probatur calceus pro pede ſiniſtro, in cujus fundo intra ſuper ſoleam ſit lamina plumbea primum ſubtilis, ac levis, deinde tractu temporis craſſior, & ponderoſior.

Quamobrem quantum attinet ad materias præſervatorias, ratione ſanguinis ſubdominantis ſingulo Vere venam ſecare conduceret, cauterium autem in crure ſano, vel brachio ejuſdem lateris eſſet opportunum; ſed an uſtio ejuſdem cruris in loco affecto conveniat meritò aliquis inquireret; Cui reſponderem quod ſicuti Galenus ex Hippocrate ſexto Aphor. ultimo, hanc laudabat inuſtionem, non ſolum ut mucus abſumeretur, verum etiam & cutis corrugata, atque firmata facilè os femoris in ſuo ſinu detineret, ſic ne propter cutis laxitatem res interim in deterius laberetur, eadem Uſtio videtur opportuna, cutanea ſaltem.

Medicamenta præſervatoria, ſi quæ ex uſu eſſent, ad propria capita reduci commodè poſſent, quando hæc reſpiciant vel materiam, vel locum affectum; ſi materiam fluxuram, fluentem, & fluxam; quæ fluxuram, ſunt quæ reſpiciunt totum, & caput. Meritò igitur totius lenientia, præparantia & purgantia pituitam ſummopere conveniunt, in genere vero purgantium pilulæ arthriticæ ſæpius etiam repetitæ ſunt præſtantiſſimæ,

mæ, quo & medicamenta inſenſibiliter evacuantia, decocta nempe guajaci, & ſalſæ, decoctum florum Hyperici, atque therebintina cum pulvere florum hyperici, & ivæ referri debent.

At medicamenta, quæ materiam fluentem reſpiciunt ſunt intercipientia, hinc hora ſomni ſaccharum roſatum antiquum cum bolo Armena, ac theriaca recens erunt accommodata.

Merito vero capitis lotio ſiccans, in activis temperata, & urgente neceſſitate embroca hujus cenſus mihi probatur.

Materia tandem fluxa diſcutienda erit cerato Phœnicino & Diachilone gummato, vel Oxycrocio, in quem uſum etiam, quod ex Ladano, gummi Elemi, galbano, & ſerapino paratur; eſt opportunum, pariter & oleum de ſpica odorata cum oleo Maſtichino, oleum ladani, ſtillicidium cum oleo Hyperici, fotus cum ſacculo ex ſpelta, & floribus Hyperici; Inſeſſus ex aqua ſulphurea, & nitroſa, luta etiam ejuſdem mineræ probantur.

Poſtremò occurrunt medicamenta, quæ locum affectum (ſeu proportionem ejuſdem dixeris) reſpiciunt, inter quæ oleum antiquiſſimum ſalitum, aqua ardens, in qua ebullierint lumbrici terreſtres, oleumque ex oſſibus humanis deſtillatum arrident.

Victus talis inſtituatur, ut aeris inclementiæ fugiantur, omnis repletio, atque cruditas devitentur, cibique facilis coctionis, & nullius excrementi (ſi fieri poteſt) aſſumantur; Paniſque tempore frigidiori fiat ex farina cum decocto ſalſæ, & chinæ excepta, Cænaque ſemper ſit parcior prandio, Victuſque omnis (ut unico verbo omnia complectar) ſit extenuans: Vinumque perilluſtri patienti ſit in uſu ſubrubrum, medicatum cum guajaco, & floribus Anthos, Deuſque his omnibus faveat. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicis.*

Luxatio Cubiti.

Morbum, quo Illuſtriſſimus Patiens divexatur, cubiti dexteri manifeſtiſſimam luxationem judicamus; etenim ob oſſium vitioſam articulationem, naturalis impeditur motus, illis extra cavum humeri valdè prominentibus; cujus cauſam non internam, ſed externam & manifeſtam cognoſcit; quoniam in terram prolapſu oſſa ſuo ſitu deturbata ſunt; hinc nec extendi flectique, nec rotari legitimè poſſunt. Itaque, ſicut facile cognoſcitur, & ſenſui obvius affectus eſt; ita oſſium repoſitionem ligamentorum durities impedire videtur, tum quia cavitates oſſium, ob temporis diuturnitatem, muco replentur, qui durior evadens oſſa, etiam validiſſima diſtenſione, ad eaſdem compulſa non admitteret. Attamen Pat. Nob. juvenis eſt remediiſque commodiorem extenſionem, flexionemve meritò ſperare licet. Antequam tamen parti ſuccurratur, corpus expiandum eſt, juxta Galeni monitum, eaque poſtea emollienda, & pauca eidem materia impacta reſolvenda; ac denique roborandum.

Unde, inter Chirurgica præſidia, ſanguinis miſſio commendatur, ex vena communi ſiniſtri brachii; ante tamen lenienda alvus, ſyrup. roſ. manna, & decoct. cord. Alterantia erunt decoct. in jure, ex cichor. borrag. end. ſoncho, pentaph. & ſeminibus citri; à quibus exhibeatur prædictum medicamentum, additis rhabarb. agaric. cum correctivis, infuſione.

Parti verò affectæ menſis ſpatio, duabus vicibus, qualibet die, applicandi ventres vervecini per horam, quibus amotis, ex uſu erunt omenta eorundem oleo amygd. liliorum alb. chamæmel. lumbricis, pinguedine humana noviſſima imbuta. Et demum luta D. Barthol. per xv. ſaltem dies. Hoc interim parabitur inſtrumentum ferreum, quod ſenſim ac ſenſim extenſionem promoveat. Tandem, facta pro virili extenſione, corroborandæ parti, luta primò Aponitana, deinde D. Petri negligenda non ſunt.

Quibus accommoda victus ratio ſuccedat, Viris Excell. notiſſima. Et hæc proponenda duximus pro affectu Nob. Patientis. Faxit Deus, ut ex voto ſuccedant. *Raym. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. T. I. Cent. IV.*

Spinæ ad Anteriora Contorſio.

Colli dolor, non ſine aliquo ejuſdem tumore, ſpinæque non quidem luxatio, ſed ad anteriora contorſio, ſeu à ſua rectitudine receſſus, non aliunde ortum duxerunt quàm à materia catarrhali illuc defluxa, per modum non ſolùm tranſmiſſionis, à capite nimirum calida & humida intemperie prædito; verum & per modum attractionis ſpinali medullà in partu imbecilliori reddita, & poſt partum ex difficili & incompoſito ſitu diuturniori in ludis; craſſa namque cartilago intra vertebras, & ligamenta humiditate imbuta ſpinam laxarunt; & quia ad anteriora, Pancreas, qui ventriculo ſubſternitur, hunc elevavit; unde tumor quidam moleſtiæ non expers.

Quod ſi affectio in dies augeſcet, neceſſariò brachia, quæ ab illis vertebris motum ſuſcipiunt, multò magis læſa obſervabimus & ventriculi munus non levem offenſam percipere poſſet, non ſine ſpirandi difficultate.

Quare ad hæc mala arcenda, & progreſſum eorundem inhibendum, ſpina in ſitum priſtinum reſtituenda, ligamenta roboranda; quod ut conſequamur, materia antecedens tum exſiccanda tum divertenda; cerebri intemperies corrigenda, toto priùs expurgato. Id autem conſequi non ita facile; receſſus enim iſte ad anteriora, ſicut rarior, ita difficilior.

Inſtituatur itaque totius expurgatio, quæ conſtabit ſanguinis miſſione, vel ex illæſo brachio vel ex ſaphena, ſi imminuti menſes. Cauterium quoque eidem brachio peropportunum erit. Lamina ferrea, faſcia alligata, quæ à primis vertebris ad os ſacrum perveniat, procuranda rectitudo, appoſito cavitati aliquo cerato oxelæo, citrino, & hujuſmodi. Ex uſu quinetiam inde pulvinar noctu durum, ventriculo appoſitum; die verò laminam ferream aut ligneam, ut moris eſt, ventriculum comprimentem geſtandam cenſeo, potiſſimum jejuno ventriculo. Topicis tandem purgantibus perficietur expurgatio, ut pil. cochiis, aureis, aggregat. pulv. hermodact. hiera tuta Alex. & errhinis. Poſt hæc laudatur à nobis decoctum, ab Excell. Viro deſcriptum, cum ſudore. cui adjici poterit bolus ex pulv. viper. cujus uſu poterit inſiſtere etiam abſoluto ſudore; parato etiam vino medicato in totam hyemem.

Diæta ſit quidem ſemper attenuans, ſed in curatione ſolum; mediocriter vero tenuis extra eandem juxta ſcopos propoſitos. *Idem ibidem.*

Subluxatio vertebrarum dorſalium.

Juvenis robuſtus & vegetus evigilans aliquando mane conqueritur de difficili reſpiratione cum dolore tenſivo hypochondriorum, quaſi cingulo omnia ibi coërcerentur; Surgens, corpus non æquè bene flectere poteſt; quin palus quaſi dorſo infixus videatur. Negligit hæc per aliquot dies, ſed contumaciter omnia perdurant; alvus conſtipatur, abdomen murmurat; hypochondria magis inflari videntur. Tandem phlogoſes ſuperveniunt. Interdum extremorum refrigeratio cum ſudore frigido circa frontem & tempora; anxietates præcordiorum inſignes & lipothymiæ ſubinde imminent; pulſus celer, durus, vehementia & magnitudine moderatus. In malo ita confirmato vocat Medicum pro curâ.

Affectus in ſe levis, qui tamen neglectus, graviſſima quæque infert ſymptomata. *Cauſa proxima*, mutatio ſitus, ſeu ſubluxatio vertebrarum inferiorum thoracis. *Remota*, conatus ponderis geſtandi.

Symptomata ſuperveniunt ſequentia. Spaſmi circa hypochondria, ab irritatis ob dislocationem nervis. Difficilis adeſt reſpiratio; corpus flectere nequit; phlogoſis vaga, ob ſuccorum diverſorum in primis viis efferveſcentiam. Refrigeratio extremorum, Lipothymia; Sudores ſyncoptici, propter motum ſpirituum impeditum. Pulſus durus adeſt, quia ſpaſmo corripiuntur membranæ. Circa locum luxationis facilè aliquid colligitur ſanguinis, quod ſucceſſive corrumpitur, unde ſudoriferis diſcutiendus.

Si malum duret diu Tetanos, vel Opiſtotonos, aut etiam propter Lipothymiam repetentem mors ſupervenire poteſt.

Curatio peragitur repoſitione & firmatione, de quâ vide Sennertum; Si vero in malo graviori, inflammatio repoſitionem impediat, ea priùs tollenda, cancrinis, ſanguine hirci, acidis, ſanguinem ſtagnantem reſolventibus, ut ſpir. ſal. armon. ſperm. ceti cum pauxillo croci in cereviſia calida.

♃. Lap. cancr. præp. ℥i. antimon. diaphor. ℈i. M. pro duab. doſib. Capiat primam doſin in duobus cochlearibus aceti, exſpectando ſudorem.

Factâ repoſitione, in quâ partes extendendæ; firmandæ eædem vinô tepidô, vel ſolô, vel cum floribus hyperici decocto, vel petroleum ſpinæ dorſi, præcordiis & hypochondriis calidè inungat; vel fiat emplaſtrum ex tacamahaca, quod malaxetur cum balſamo Peruviano. Pro reliquis ſymptomatibus & anxietatibus detur ſpir. carminativus de tribus.

Frequens malum eſt infantibus, qui phlogoſes inde patiuntur. Si volunt cognoſcere, an vertebræ ſint luxatæ, emplaſtrum ſupradictum ventri admovent, deinde pedem lumbo applicant, quo ſitu, ſi manu dextra pedem aſſumere poſſunt, ſignum eſt nullam adeſſe luxationem. *Michaël Ettmullerus in Collegio Conſultatorio.*

Obſervationes.

De Luxatione Spinæ.

Inter luxationes omnium periculoſiſſima eſt illa, quæ in ſpina dorſi occurrit: teſtantur id Hippocrates lib. de articulis: Avicenna, & alii: præcipuè autem vertebræ colli, docente Avicenna, mortem ſubitaneam adferunt. Nervi enim reſpirationi inſervientes, addit Avicenna, coarctantur, reſpirationemque auferunt. Dislocatio præterea verſus partem interiorem, etſi hominem in momento necare non poſſit, præcipue ea, quæ completa non eſt, lethalem tamen eſſe ſcribunt poſt Hippocratem Avicenna, & alii. Medulla enim ſpinalis cùm pars ſit cerebri, eandemque cum ipſo habeat naturam, graviſſima ſequuntur ſymptomata, ſi ſuo loco amotæ fuerint vertebræ. Comprimuntur præterea nervi ex ſpina prodeuntes, ſi introrſum facta fuerit dislocatio, & ſymptomata adaugent. Eſt autem ſpinæ aut completa ſive perfecta, videlicet cùm vertebra omnino ſuo loco amota eſt. At illa, præcipuè ſi verſus partem interiorem fuerit, mortem infert: Aut imperfecta, quando nimirum vertebra aliquantum ſuo loco amota eſt. At hæc non ſemper lethalis eſt, quemadmodum ex ſequentibus exemplis videre licet.

Exemplum I.

Piſtori cuidam Burgdorffienſi, prope Bernam, cùm rota plauſtri onuſti vertebras duas impreſſiſſet, domum ſemimortuus & ab umbilico ad pedes paralyſi plane reſolutus portatur. Barbitonſor advocatur, qui nulla habita ratione ſpeciei luxationis, miſerum pronum in ventrem collocat, & eâ, quâ potuit, vi, manibus primò, deinde quoque genu ſpinam, quæ depreſſa, & proinde relevanda erat, magis magiſque deprimit. Vides, qualis ignorantia, aut potius inhumana temeritas? Arbitror tamen ipſum tyrannidem ſuam circa vertebras luxatas non exercuiſſe. Procul enim dubio vertebræ ulterius impulſæ fuiſſent, & in ipſa operatione animam egiſſet æger, ſed vertebras, quæ ſupra & infra luxationem erant, ipſum deprimere voluiſſe, ut tandem æqualis fieret ſpina. Sed quid factum eſt? Dolores, qui in ipſo ictu rotæ exorti fuerant, in operatione mirum in modum adaucti ſunt. Hinc febris, inflammatio, intumefactio, tandemque abſceſſus quoque ſupervenit. Qui cùm ruptus fuiſſet, pus quinetiam copioſe, & in longum tempus effluxiſſet, dolores, febris, aliaque Symptomata paulatim remiſerunt: Paralyſis tamen in eodem ſtatu permanſit. Anno 1616. poſt annum ab accepto morbo, & ego quoque accerſitus fui, ſed nihil præſcripſi, cùm morbum inveteratum & inſanabilem eſſe viderem. Ab umbilico enim inferiores partes omnes ſine ſenſu & motu erant: Sphyncteres tamen (qui ab initio quoque reſoluti fuerunt) excipio. Excrementa enim & urinam retinebat. Fiſtula, quæ ex abſceſſu remanſerat, ad ipſam ſpinam dorſi, & forſan ulterius penetrabat; in cujus fundo caries oſſium ſtylo exploratorio deprehendi potuit. Reliqua membra ſecundum naturam ſeſe habebant, & integra erant, comedebat cum appetitu, ſed le-

ctum

ctum egredi non potuit. In hiſce miſeriis per annos aliquot vixit, qualis verò tandem fuerit exitus, mihi non conſtat.

Exemplum II.

Anno 1621. 10. Januarii, venit ad me ex villâ quadam prope Bernam, ruſticus quidam, Joh. Bucher nomine, cui ante menſes quindecim, ex arbore cadenti in terram, ſecunda vertebra lumborum ita introrſum repulſa fuerat, ut manifeſta luxatio conſpiceretur, multoque magis manibus palparetur. Poſt caſum protinus ſupervenit dolor acerbiſſimus, qui in longum tempus continuavit, neque etiamnunc ab eo liber eſt æger, præcipuè quando corpus inclinat, aut erigit. Ilicò præterea poſt caſum, cibum indigeſtum evomuit, nihilque cibi aut potus per dies aliquot retinere potuit. Febris quoque ardentiſſima, ſitis inexhauſta, vigiliæ, inquietudines, ariditas linguæ, tandemque delirium ſupervenerunt. Statim quoque poſt caſum inferiores partes corporis ab umbilico paralyſi correptæ fuerant, quapropter neque excrementa, neque urinam retinere potuerat, nunc tamen ea retinet, ſed cum difficultate excernit. Ab initio ſymptomata adeò erant vehementia, ut de recuperanda valetudine nihil ſpei amplius ſupereſſet.

Variorum autem barbitonſorum uſus fuerat ope, quorum ne unus quidem, uti æger ipſe mihi retulit, luxationem ſpinæ cognoverat. Hinc factum eſt, ut nihil ex arte ipſi præſcriptum aut adhibitum fuerit. Quia tamen juvenis (nondum enim trigeſimum annum ætatis attigit) & optimo corporis habitu præditus eſt, ſolo naturæ beneficio res eò devenit, ut dolores, febris, multaque alia ſymptomata remiſerint. Urinam quoque & alvi excrementa, ut dixi, retinet; ſenſum quoque crurum recuperavit, coxaſque & genua movet, quamvis difficulter; pedes verò etiamnunc adeo reſoluti ſunt, ut vix ſuffulcris ſeſe ſuſtinere, aut paſſum unum vel alterum deambulare poſſit. Hæc omnia propter nervos ad crura deſcendentes, & à luxata vertebra compreſſos, accidunt. Cæterùm quia omnia ita occalluerant, ut luxata vertebra in ſedem naturalem reponi non poſſet, morbum inſanabilem eſſe, ipſi ſignificavi. Suaſi tamen, ut proxima æſtate, præparato & decenter expurgato corpore, thermas Badenſes Helveticas inviſeret. Crura quinetiam & os ſacrum, aquis deſtillatis & appropriatis, veluti aquâ Betonicæ, Salviæ, Primulæ Veris, Juniperi, & ſimilibus inungeret: ſi forſan in hac florenti ætate nervis nonnihil roboris addi poſſit. Planè ſtupendam & ope Diaboli factam luxationem ſpinæ dorſi, vidi Duſſeldorpii, Anno 1583. Juvenis quidam, viginti circiter annorum ætatis, cùm propter conceptam quandam phantaſiam, noctu decumbens in lecto, ſe ſtrangulare vellet, & in hunc finem ex poplitali ſuo funem paraſſet; eumque columnæ ſpondæ alligaſſet, colloque injeciſſet, ſequenti die mortuus in lecto repertus fuit, etiamſi collum nullo modo à laqueo ſtringeretur. Mirantibus hæc omnibus, quæ turmatim accurrebant, venit carnifex, qui cum cadaver exuiſſet, Metaphrenum à diabolo adeò depreſſum repertum fuit, ut os pectoris ferè attingeret. *Gulielmus Fabritius Hildanus Obſerv. Chirurgic. Cent. v.*

Luxatio Spinæ introrſum facta quomodò reponenda?

Quamvis luxationem ſpinæ introrſum factam, in locum reponi non poſſe, paſſim apud rationales Medicos & Chirurgos trita atque celebrata ſit opinio. Quomodò enim quis, inquit Hippocrates, ab anteriore parte per ventrem coactionem facere poſſit? attamen crudele & inhumanum eſſet, ſi Chirurgus ingenioſus & expertus ægrum derelinqueret abſque ullo præſidio; præcipuè cum ſciamus, affectum huncce hominem aut enecare, aut per totam vitam ſuam miſerum & claudum reddere, quemadmodum ex præcedentibus exemplis videre licet. Mortalem autem eſſe affectum, præter Hippocratem libro de articulis, etiam Avicenna teſtatur his verbis: Si dislocatio, inquit, eſt ad partem interiorem, non eſt poſſibile ut curetur, & eſt de eis, quæ interficiunt velociter. Hujus ſententiæ quoque ſunt alii quàm plurimi Viri docti. Cùm itaque, iterùm inquio, inhumanum eſſet, ægrum, qui aliàs moriturus eſt, ubi nullum aliud præſidium ſupereſt, quàm repoſitio vertebræ, ſine auxilio derelinquere, omnia, quæ ex ratione fieri poſſint, tentanda ſunt, hunc in modum.

Curatio autem hæc, ut id prius moneam, partim ex Hippocratis, Oribaſii, & Æginetæ mente, partim quoque ex propria inventione inſtituenda eſt. Collocatur æger pronus ſuper ſcamnum aut organum Hippocr. ab Oribaſio lib. de machinamentis, cap. 35. delineatum, deindè laquei duo lati & ſpiſſi (ne extendendo cutem vulnerent) ex tela fabricati, corpori injiciendi ſunt, unus ſupra luxatum, alter infra. Qui ſupra Luxationem, ſub axillis injectus eſt laqueus ſcamno, qui infra luxationem verò, axi annectendus eſt, lineâ tamen rectâ, ut circumducto axe, æqualiter fiat extenſio ſpinæ.

Sed quia Organi Hippocratis uſus jamdudum obſolevit, ideò Paræus inter modernos Chirurgos facilè Princeps, alium modum excogitavit, injectis videlicet laqueis, uti dixi, viros duos fortes conſtituit, quorum unus ſuperiorem, alter inferiorem laqueum apprehendit trahitque. Præſtat tamen, meo quidem judicio, ſuperiorem laqueum columnæ alicui immobili alligare, inferiori verò organum trochleatum Paræi annectere. Illud enim quàm aptum ſit, ubi pars aliqua corporis extenſione opus habet, ſæpiſſimè in fracturis oſſium & luxationibus expertus ſum. Cæterùm etſi Hippocrates Dislocationem ſpinæ introrſum factam, mortalem eſſe pronunciaverit, uti antea quoque dixi, docet tamen, tentandum eſſe, an concuſſio per ſcalam facta, ægro opem aliquam ſalutiferam adferre poſſit? Quapropter cum æger aut organo, ſive Gloſſocomo Hippocratis, aut inſtrumento trochleato Paræi alligatus fuerit, ſpina à Miniſtris extendatur, quantum neceſſe eſſe videbitur, æqualiter tamen Chirurgus interim ambabus manibus ſpinam nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus concutiat,

aut etiam linteo ſub ventre poſito, in altum elevet. Sed videat, ne deorſum deprimat dorſum, uti fecit ineptus ille reſtaurator in Burgdorffienſi Piſtore, de quo in præcedenti Obſervatione dictum fuit.

Porrò ſi extenſio & concuſſio ſpinæ ſtatim ab initio, dum adhuc recens eſt luxatio, adminiſtrata fuerit, ſpes aliqua ſupereſt, Luxationem, intellige imperfectam, reponi poſſe. Sin id fieri nequiverit, arbitror potiùs tentandum eſſe ſequens remedium extremum, quàm penitùs derelinquere ægrum, qui alioquin præter magnitudinem morbi, aut immaniſſima tormenta & dolores, moriturus, aut vitam duram miſeramque victurus eſt, uti ex ſuperioribus exemplis videre licet. Fiat itaque inciſio novaculâ, uſque ad ipſam appendicem vertebræ deſcendentem, mox per idem vulnus iterum immiſsâ novaculâ duæ aliæ fiant inciſiones una ad dextrum, altera ad ſiniſtrum latus appendicis: deinde tenaculis ad negotium hocce aptis, apprehenſa appendice trahatur in altum, & reponatur vertebra in ſedem naturalem. Interim autem dum hæc fiunt, ſpina ut extenſa ſit, neceſſe eſt; faciliùs enim in ſitum naturalem reſiliet vertebra. Vulnus aut exiguum, aut magnum, ſecundum dislocationis magnitudinem infigendum eſt.

Si enim unica vertebra impreſſa fuerit, parvum ſufficiet vulnus: ſin duæ aut plures, magnum ut ſit, neceſſe eſt, quò ambæ vertebræ luxatæ apprehendi poſſint. Si hæmorrhagia obſtiterit, ita ut ſtatim poſt inciſionem factam operatio fieri non poſſit, ſtupis arctè contortis, & albumine ovi madefactis, nec non pulvere noſtro, ad ſanguinem ſiſtendum aſperſis, ſiſtendus eſt. Ubi hoc obſervandum, totum vulnus, præſertim ex utraque parte appendicis, ſtupis iſtis quàm diligentiſſimè adimplendum eſſe. Idverò ut commodè fiat, ex ſtupis contortis fiant pulvilli multi; quorum unus poſt alterum vulneri intrudatur, donec impletum fuerit. Applicetur poſtea Emplaſtrum aliquod tenaciter adhærens, & faſcia ligetur. Poſt horas aliquot cùm ſanguis ſubſtiterit, clementer, ne ſanguis iterùm prorumpat, eximendæ ſunt ſtupæ. Poſteà adhibenda eſt tenacula, quemadmodum dictum eſt. Tenacula autem fortis & denudata ſit, quemadmodum utimur in extractione calculi. Si duæ luxatæ fuerint vertebræ, ambæ, & quidem duabus tenaculis apprehendendæ ſunt.

Duo itaque ſint Chirurgi, qui æqualiter, unoque cum conſenſu in altum trahant. Videat præterea Chirurgus, ne inciſiones ad latera appendicis nimis profundè fiant, propter nervos, qui ad latera vertebrarum ex ſpinali medulla prodeunt. Neceſſe præterea eſt, ut operatio hæc fiat ab initio morbi, dum vires adhuc conſtant, & antequam pars affecta inflammatione & intumefactione ſit obſeſſa. Nec quicquam intereſt, an æger, ut aliquando fit, ſine loquela & intellectu fuerit.

Quandoquidem in depreſſione cranii graviſſima illa ſymptomata, loquelæ videlicet & intellectus amiſſio, quoque adſunt, nihilominus tamen diligens & expertus Chirurgus operationem non procraſtinat. Scit enim, impreſſionem cranii cauſam eſſe mali, repoſito cranio in ſitum naturalem, remiſſura eſſe Symptomata.

Quòd ſi ab initio Chirurgus vocatus non fuerit, ſed ſecunda, tertia, aut quarta demum die, ante operationem fovendus eſt locus decocto Betonicæ, Primulæ Veris, Salviæ, Camomillæ, Meliloti, Roſarum, & granorum Juniperi, quibus emollientia nonnulla, veluti malvam, altheam, addere poterit, deinde repoſitionem tentare. Poſt operationem dorſum oleo Roſaceo & lumbricorum inungendum: vulnus quinetiam more aliorum contuſorum vulnerum tractandum eſt.

Objiciet forſan aliquis, Operationem hancce incertam ac periculoſam, & proinde minimè tentandam eſſe.

Reſpondeo, idem & de aliis graviſſimis operationibus dici poſſe; interim tamen nihil eorum, quæ cum ratione fieri poſſunt, omittit fidelis & ingenioſus Chirurgus, quin potiùs ex mente Hippocratis, extremum remedium extremo applicat morbo. Satius enim eſt, ait Celſus, anceps experiri remedium, quàm nullum.

Depreſſio cranii, quæ maximam affinitatem cum luxatis vertebris habet, per ſe, niſi valdè exigua fuerit, lethalis eſt, ubi operatio periculoſa juxta & incerta eſt. Cutis enim decuſſatim ad cranium uſque & quæcunque ſubſunt vaſa venarum & arteriarum, inciduntur, Pericranium, membrana exquiſitiſſimo ſenſu prædita, maximo cum dolore à pericranio abrumpitur: Cranium deinde ad cerebrum uſque perforatur terebello, hamulis & elevatoriis elevatur in altum: At hæc omnia ſuntne periculoſa? maximè. Quid dicam de extractione fœtus mortui, de partu cæſareo, extractione calculi & ſimilibus operationibus, quæ quidem periculo plenæ, nihilominus tamen indies cum fructu adminiſtrantur: uti ego multoties in praxi meâ expertus ſum. Quapropter cum Celſo libr. 7. cap. 33. aſſero, nihil intereſſe, tutumne ſit remedium, necne, quod unicum: & proindè etiam in deſperatis affectibus ſemper ea, quæ ſecundum rationem fieri poſſunt, tentanda eſſe. Cæterum non video, operationem hancce tantoperè eſſe periculoſam. In medio enim dorſi non dantur magna vaſa venarum aut arteriarum. Nervi præterea in appendicibus exiles ſunt; quapropter ſæpiſſime permagna vulnera circa ſpinam dorſi feliciter ſanata fuiſſe obſervavi: præcipuè in juvene quodam viro, cui in tumultu, cultro vulnus circa quartam vertebram lumborum infixum fuit, ubi acies cultri fracta inter appendices ſpinæ remanſit.

Huic ego poſt annos duos ab accepto vulnere, fragmentum cultri extraxi, fiſtulamque feliciter curavi. Erat autem anguſtiſſima, quapropter dilatanda fuit tum cauſticis, tum etiam inſtrumentis inciſoriis. Omnia tamen ſine inflammatione, aut aliquo alio graviori ſymptomate facta fuerunt.

Jubet præterea M gnus Paræus, in fractis vertebris, ſi fragmenta oſſium magna ſymptomata

ptomata excitaverint, cutim aperire, oſſaque confracta extrahere. In fracturis coſtarum introrſum factis, ubi fragmenta coſtæ pleuram pungunt, maximoſque dolores, aliaque ſymptomata excitant, idem Paræus ſuadet, ut cutis incidatur uſque ad coſtam, eaque hamulis apprehendatur, & in ſitum naturalem reponatur. Hoc ſi in vertebris coſtiſque fractis fit, cur non idem in ſpina luxata fieret? *Idem ibidem.*

Mors à luxato pede.

Quantumvis populus rarò Chirurgis committat curam luxatorum oſſium, artis tamen non exiguæ eſt operam illam ſalutariter corpori impendere: Ecquid enim quæſo mirum? Siquidem is cui omne præſidium ab audaciâ, vel non ſatis exactè noverit poſitum figuramque cujuſcumque commiſſuræ, læſerit facilè tumultuariô ſuô opere, tendines, nervos, venas ac arterias, nullibi quàm circa articulos frequentiores. Quibus tamen improvidè dilaceratis, neceſſe erit ac tutum inſequi dolores, inflammationes ac ulcera, quæ non modò carnem, ligamenta, & oſſa, verùm & ipſam depaſcuntur vitam.

Vir temerarius, magnus tamen in oculis vulgi, repoſiturus Adriano Omnimundo luxatum tali os, adeò non attigit ſcopum illum; ut potiùs, fœdum in modum, contorſerit ipſius articulum, excitatis convulſionibus, febre, deliriô, imò ulceribus tam frequentibus, ac ſenſus adeò exquiſiti, ut præ intolerabili dolorum cruciatu, coactus fuerit ante diem vigeſimum diem ſuum obire. Quem terminum etiam calcis oſſi, ob ſummum cum univerſô corpore conſenſum, deſignavit olim locuples Auctor Hippocrates lib. de artic. 12. Hiſtor. 48. lib. 5. epidem.

Acri idcirco, ſi ullibi, in hôc ſaltem tali articulô, circumſpectione opus erit. Neque fortaſſis minore diligentiâ, in manibus, ac pedibus, in quorum mæandris, ac diverticulis facilè videas plures à retentô acri pure oboriri abſceſſus, quàm, vel natura humana ferendo, vel Chirurgorum induſtria fuerit curando. *Nicol. Tulpius Obſervationum Medicarum lib. 4.*

Dislocatio humeri.

Vir 32. annorum è curru prolapſus, paſſus eſt dislocationem in humerô ſiniſtrô, ſicut caput oſſis in inferiorem partem prolapſum cauſa foret ibidem alicujus eminentiæ, dum è contra in parte ſuperiore deprehendebatur cavitas inſolita. Æger conquerebatur de dolore ſatis validô, nec manum per partem anteriorem ad frontem, nec per poſteriorem ad collum movere valebat.

Os ſcilicet à ſede ſuâ prolapſum, perioſtium parteſque comprimebat vicinas, unde dolor, qui incrementum capeſſebat ex eô, quòd in tubulis partium compreſſis & diſtortis, humores ſtagnarent, aceſcerent, ac vellicarent fibrillas.

Motus brachii conſuetus peragi non poterat, quia caput oſſis è cavitate propriâ propulſum, non gaudebat, ut ante, locô cavô glabrôque qualis ad motum ipſius obeundum requirebatur; huc etiam faciebat, quod ſpiritus animales, per tubulos ab humoribus ſtagnantibus obſtructos & ab oſſe dislocato compreſſos, muſculos intrare, eoſque inflare nequirent; huc tandem accedit, quod motus fieri non poſſet, quin caput oſſis magis adhuc premeret partes conterminas, unde dolor de novo exoriebatur, qui ad motum rite peragendum non parvum quoque afferebat obſtaculum.

Ad ægrum vocatus os dislocatum mox repoſui, ſtatimque motus redibat, & dolor quidem aderat adhuc aliquis, quia humores acidi ſtagnantes fibrillas adhuc aliquatenus irritabant, ſed tamen valde diminutus erat, quia caput oſſis jam in propria cavitate contentum non amplius comprimebat partes ſenſibiles.

Oſſe repoſitô humores ſtagnantes per acidum temperantia diſſolvere, ac circulationem humorum reſtituere ſtudui, quare partem affectam lavi ſpiritu vini, in quo gummi ammoniacum diſſolutum erat. & impoſui emplaſtrum compoſitum ex dia-palma, bolo, ſpiritu vini ac oleo camomillæ, tandemque, ſub ala poſito linteo in pilæ formam convoluto, adhibui idoneam ligaturam, ſicque æger brevi temporis ſpatio ſanatus eſt.

Petrus Pigræus, Gallicus auctor, ac Chirurgus laude dignus oſſe repoſito commendat adſtringentia, ſed (pace tanti viri dictum ſit) in hoc egregiè fallitur, nam aſtringentia augent obſtructiones quæ potius eſſent minuendæ.

Paulus Barbette vult, ut influxus humorum hoc in caſu prohibeatur, ſed male, quoniam ille, utpote naturalis, prohiberi non debet. Vidit ille vir abſque dubio partes vicinas in dislocatione non raro elevari in tumorem, obſervavit præterea per crebram experientiam, thus, maſtichen, bolum, ſimiliaque hunc tumorem fugare, & bene; ſed ubi judicavit tumorem hunc produci à ſolito copioſiori influxu, & ubi ſecundum hoc præjudicium putavit medicamen-

ta ſua ideo juvare, quod influxum iſtum prohiberent, tunc, inquam, erravit, nam obſtructiones in cauſa ſunt, ut humores coacerventur & in tumorem eleventur, ac aceſcant, dictaque medicamenta proſunt ex eo, quod obſtructiones tollant ac acidum temperent.

Jam locutus ſum de dislocatione humeri ſubito contingente, reſtat adhuc alia tarde invadens, ac tardius adhuc ſanabilis, cum ſcilicet à vi aliquâ externâ ligamenta humeri contunduntur, ſic ut tubuli diſtorqueantur, unde humores per ligamenta circulantes, ibidem ſubſiſtunt, ac progreſſu temporis ſe inſinuant in poros fibrillarum, ex quibus ligamenta conſtant, eoſque poros extendunt non ſecundum latitudinem ſed ſecundum longitudinem ligamentorum, quia ligamenta, dum motus peragitur, in longum ſæpius extenduntur, atque ita ligamenta, quæ caput oſſis alias in cavitate ſua continebant, jam prolonganţur adeo, ut os ex propria ſede prolabatur.

Hæc dislocatio facile reſtituitur, ſed os repoſitum difficillime retineri poteſt.

Medicamenta externa, quæ, oſſe in locum ſuum redacto, hic proſunt, ſunt talia, quæ multo ſale volatili conſtant, quod ſal volatile particulas in poris ligamentorum hærentes poteſt attenuare, ac ex poris ita propellere, & circulationem humorum reſtituere. Curatio autem facilior & brevior reddetur, ſi externis medicamentis opem feramus per internum decoctum conſtans ex ligno guajaco, radice ſarſæ parillæ, chinæ, aliiſque medicamentis multo ſale volatili gaudentibus. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De dislocatione tali cum vulnere.

Quadragenarius ex alto delapſus eſt in terram, atque ita paſſus eſt dislocationem in talo interiori ſiniſtri cruris conjunctam cum vulnere vaſto, extra quod os tibiæ tres digitos tranſverſos longum prominebat, aderatque dolor atrociſſimus.

Caſus hic valde periculoſus eſt, nam ſi non ſine ſummo vitæ periculo gangræna aliquando invadat indicem digitum dislocatione cum vulnere correptum, ſicut id ipſum non ita pridem contigiſſe memini, quam horrenda ſymptomata timenda non ſunt, ſi in magno tali articulo reperiatur ingenti cum vulnere dislocatio?

Sed quam periculoſus, tam rarus eſt etiam hic affectus, ſic ut Paræus, Pigræus, Aquapendens, Barbette, aliique eundem in libris ſuis vix attingant, quamvis Scultetus in armamentario ſuo chirurgico de illo loquatur; ſed an verbis ipſius adhibenda fides? an ejuſdem conſilium ſequemur? videbimus illud poſtea, ponderemus prius verba ſequentia ab eodem prolata: Si articulus luxetur, ita ut ſit vel detectus, vel extra pellem parum protruſus, affectus eſt lethalis, majoris periculi, ſi reſtituatur, quam ſi non reſtituatur. Si enim non reſtituatur, ſuperveniet inflammatio, convulſio & interdum mors, deinde aderit turpitudo ipſius membri, ac tertio ulcus inſanabile, quod ſi forte cicatrice aliqua obducatur, ob mollitiem facile etiam ſolvitur; ſi vero reponatur, maximum adducit convulſionis, gangrænæ & mortis periculum; ſed nonnulli ejuſmodi pericula timent ſolummodo in articulis magnis, carpo videlicet, cubito, humero, talo & femore, qui ob tendinum robur, ligamentorum & vaſorum magnitudinem reſtitutionem prohibent; deinde addit; ſi oſſe reſtituto ſuperveniat convulſio, ſtatim articulus iterum luxandus.

Animus mihi eſt haud aliter ad hæc Sculteti verba reſpondere, quam exacte ac fideliter referendo medelam, quam ægroto noſtro adhibuimus, quandoquidem hinc ſatis liquido eluceſcet, quam bene vel quam male ſcripſerit citatus auctor.

Primo igitur tibiam è ſede ſua propulſam abluimus ſpiritu vini tepido ad ſanguinem coagulatum ac ſordes adhæreſcentes abſtergendas, deinde, ſufficienti facta extenſione, os dislocatum in locum ſuum repulimus, vulneri applicuimus bonum digeſtivum, ſuperpoſito idoneo emplaſtro, lavamento acidum temperante ac communi ligatura, atque crus hoc modo obligatum pulvinari molliori imponebatur, ſicque æger deportatus eſt in lectum, ſupra quem funis ſuſpendebatur, cujus ope patiens corpus erigere poſſet, ſicut dixi in obſervatione prægreſſa, ac ad pedes ægroti lecto impoſuimus aſſulam quandam, ſcilicet ne ſtragula ſuo pondere cruri vulnerato aliquod afferrent incommodum.

Ob copiam puris è vulnere profluentis crus affectum bis de die religare debuimus; ſed interea temporis dolor vehementiſſimus ſuam exercebat tyrannidem in ægro noſtro, qui febricitabat, delirabat, noctesque ferme totas traducebat inſomnes, aut ſi patiens interdum brevi ſomno recrearetur, paulo poſt eundum ſubito è ſomno excitabat terror ille, de quo dixi in obſervatione præcedente, unde talus ſæpius iterum aliquatenus diſtorquebatur

Ad tollendum dolorem, febrim, vigilias ac delirium æger per vices aſſumſit aliquid ſequentis mixturæ;

♃. Aq. betonic. ℥iv. meliſſæ ℥i. Syr. card. bened. ʒiii. Antimon. diaphor. ʒi. Salis prunell. antimoniat. ʒß. Corall. alb. Oculor. cancr. ana ℈i. Laud. opiat. G. iv. F. Mixtura.

Talus autem, quoties poſt ſomnum reperiebatur diſtortus, debebat reponi.

Atque ita trium ſeptimanarum ſpatio vix elapſo febris ac delirium ceſſabant, deinde etiam, ſed tardius terror modo nominatus, ac tandem quoque dolor ac vigiliæ.

Sed incidit hic mihi aliquid in memoriam, quod propemodum oblitus eram, nimirum quod duo abſceſſus in affecto crure exorti ſint, unus circa vulnus, alter in externa cruris parte, ſed uterque hic abſceſſus poſt apertionem ſanabatur.

Progreſſu temporis permulta fragmenta ab oſſe tibiæ ſeparata ſunt, quæ tunc ex vulnere blande ſuſtulimus, ac carni fungoſæ, quæ in vulnere conſpiciebatur, ſingulis fere diebus ſemel pulverem aluminis uſti impoſuimus, atque

atque ita tandem in conſpectum venit cicatrix, quæ de die in diem majus capeſſebat incrementum, ſic ut circa ſextum menſem totum fere vulnus contexerit; quare æger ſcipionum ope iterum incedere cœpit, ſed motu hoc vulnus iterum evadebat magis amplum, ſic ut nondum omni ex parte coaluerit, quod nemini mirum videri debet, nam novi adhuc duos, qui per aliquot annos ulcus poſt diſlocationem tali cum vulnere habuerunt.

Sed quid ſi poſt tali diſlocati repoſitionem ægrum corripuiſſet convulſio; an tunc debuiſſemus ſequi conſilium Sculteti, & luxare iterum articulum repoſitum? non puto; quandoquidem cauſam non video, quæ nos ad hoc agendum impelleret.

Multorum phænomenorum hic loci non reddo rationem, & quidem conſultò, ne cramben bis coctam lectoribus apponam; nam puto nullam ullius phænomeni rationem hic eſſe omiſſam, quam non in hac, aut illa præcedentium obſervationum offendes. *Idem ibidem.*

Luxatio oſſis caudæ.

Articulationis ope quæ juncta, luxatione facile ſejungi poſſunt; una tamen alia majoris periculi.

Mulier quædam Anabaptiſtarum ſectę addicta alvi excrementa deponere ſtudens, operculo locum ſecretum indebite tectum ignorans, ex improviſo os coccygis lædebat; adeò ut nec ſtare nec ſedere valeret; ſed ab aliis in lectum deportari debuerit.

Altero die dolor ſummus; qui jam à primo tempore adfuerat; ſimiliter ac febris gravis, convulſionesque me advocari fecerunt, nec non Medicum ordinarium.

Conſiderandis conſideratis omnium ſymptomatum originem oſſis caudæ luxationem infortunio quodam contractam pronunciavimus, nullo vero modo ea tolli vel imminui poſſe, niſi digito in anum immiſſo os idem ſuo loco reſtitueretur. At illa operationem hanc admitteret; nullis verbis; pudore ſuffuſa, induci potuit; quæ exigebat Topica nullius fructus declarabamus, quamdiu repoſitio debita haud peracta.

Quod nihil omninò hic efficere nos poſſe obſervaremus, relicta ægrotante miſere decumbente, diſceſſimus.

Nox moleſta valdè; ob ſymptomatum, convulſionis imprimis, incrementum, quod commodum; imò unicum in hoc caſu medium heri declaraveramus, manualem nempe oſſis luxati repoſitionem; mane ſummo admitteret, urgebat.

Secutus adeoque modum à Paræo lib. 16. cap. 14. aliiſque præſcriptum, digitum ſiniſtræ manus Oleo Roſarum inunctum in inteſtinum rectum immiſi; mox manu dextra variis modis locum affectum tractavi; uſque dum cum ſtrepitu in locum ſuum oſſicula recederent; quod brevi effectum; ſymptomatibus omnibus in totum ſublatis. Exterius Ceratum Vigonis imponebatur ad curationis abſolutionem. *Job. à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

De oſſis Coccygis Luxatione.

Vir quidam Nobilis, non procul abhinc, menſe Januario hujus anni 1671. ſupinus prolabens, podicem ſub finem Oſſis Coccygis lapidi acuto tam vehementer affligit, ut inde hocce Os luxaretur. Hoc facto patiens plane immobilis redditus, non ipſus ſe levare poterat; ſed à domeſticis in lectum deportandus erat. Mane inſequente ſeptendecim poſt lapſum horas ego vocatus adſum; invenio ægrum febricitantem acute, crura pedeſque immobilem; & non procul à convellendo exiſtentem. Imprimis tamen querebatur de dolore intolerabili circa anum; ob quem nec reſpirare commode, nec tuſſire; nec etiam alvi & veſicæ excrementa deponere poterat. De fractura oſſium mihi primum ſuſpicio; ſed accuratius omnia examinans, ſana cuncta invenio. Podicem tandem inſpiciens omnia ſugillata eſſe video. Recogitabam hic graviſſima Symptomata, quæ ab Oſſis Coccygis luxatione prodiiſſe notarunt Amatus Luſitanus Cent. 2. Obſer. 5. Joh. van Meekren cap. 56. Obſerv. Chirurg. & Henr. Smetius Miſcellan. Med. p. 564. hinc an & hic aliqua adſit luxatio digito in anum immiſſo inquiro. Sed hoc tentanti extremitas Oſſis Coccygis quæ interius receſſerat obſiſtens me de luxatione certum faciebat. Diutius nolebam ægrum ſuis conflictare malis, hinc propinata prius drachma dimidia Salis Viperarum fixi, in aqua Chærefolii Romani: patientem loco pronum corpore & natibus elevatis; pedibus vero deorſum pendentibus; poſt juxta methodum, quam Paulus Ægineta lib. 6. cap. 98. breviter quidem; ſed doctiſſime deſcribit, indicem ſiniſtræ manus pinguedine aliqua inſalita inunctum podici immito; eumque ſenſim ſenſimque incurvo, denique pollicem exterius admoveo; hoc modo trahendo & premendo tantum præſtiti; ut oſſa creparent, inque ſitum naturalem redirent; unde dolorum cæterorumque Symptomatum inſigne levamen. Ne tamen os iterum excideret; podicem ſæpius vino rubro, in quo folia quercus; cupulæ glandium, flores roſarum rubrarum & balauſtiorum cocta erant, calide fovendum ſuadeo. Poſt febri Julapio cordiali refrigerante obviam ibatur, locus vero affectus Cerato Vigonis muniebatur

Hic ob argumenti ſimilitudinem ſequens addere placet: Matronæ cuidam primariæ poſt partum difficilem hocce Oſſiculum adeo retro ceſſerat; ut fœces ſemper involuntarie prodirent. Hæc cum per decennium hancce moleſtiam pertuliſſet; me per obſtetricem conſuluit. Suadeo, ut obſtetrix admoto exterius digito, an Oſſiculum hoc repelli poſſet, tentaret. Tentat ſed ſine effectu; neque enim Oſſis crepaturam exaudire poteſt. Sed hacce regione oleo lumbricorum & liliorum alborum ſæpius inuncta, & hoc modo mollificata, facile negotium proceſſit; nec quicquam reſtabat agendum, quam ut locus iſte emplaſtro contra rupturam Felicis Wurtzii muniretur. Recordor hic; quod Rhodius Cent. 3. Obſ. 80. referat; Adrianum Spigelium Nobili Matronæ Os Coccygis à partu luxatum ſola faſcia reſtituiſſe. *D. Alardi Hermanni Cummeni.*

De mira utriuſque Oſſis Femoris luxatione.

Mirabile humanæ miſeriæ & miſerabile luxationis femoris Exemplum nuper XV. Decemb. Anno 1676. vidi in puero quodam ruſtico 14. circiter annorum, hic Beruthi jam decumbente, cui ex præcedentibus vehementiſſimis coxendicum doloribus, quos ob nimiam partium externarum hyberno hocce tempore refrigerationem fortè contraxerat, utrumque os femoris capitibus ſuis coxatum ſinibus excidit & luxatum eſt; dextrum nempe extrorſum, ſiniſtrum verò introrſum: unde factum, ut non ſolum propter caloris nativi alimentique, ob venarum & arteriarum diſtorſionem, defectum, abolitamque membrorum nutritionem, utrumque crus & femur contabuerint; ſed dextrum quoque crus, eò quod femoris caput in locum altiorem exciderit, brevius redditum, ut calx terram attingere nequeat; ſiniſtrum contra, ſi cum altero conferatur, longius ſit; ambo. v. ob ἀτροφίαν robore deſtituta, omnem plane motum atque uſum ad ſtandum & incedendum amiſerint, ut humi deſidere natibuſque repere deinceps cogatur, ſicut Jeibolſus ille, cujus meminit Illuſtris Reineſius lib. 2. variar. lect. c. 18. *Joh. Matthiæ Neſteri.*

Luxatio Femoris.

Nepos XVII. agens ætatis annum, & mihi, & ſibi XXIX. Martii currentis anni 1673. bene valere viſus, publicam aditurus ſcholam, præter opinionem difficilius incedere coactus eſt ob moleſtiæ aliquem ſenſum per plateas totum ſiniſtrum crus invadentem, ſenſim auctum cum humorum circa veſperam dolente decubitu ad ſiniſtrum coxendicis acetabulum, à quo ad ejuſdem lateris genu 31. Martii trnſiit tumor & dolor. 1. Aprilis nil amplius de ſiniſtro femore vel genu conqueſtus, dextrum genu vehementius dolore incœpit cum febri acuta, ſiti, urina confuſa & vigiliis. 6. April. Carpum ſiniſtrum doluit, cum non levibus ſuppurationis indiciis, quæ poſt quartum ſe prodidit, febre nihilominus ad meridiem indies exacerbata uſque ad 16. dicti menſis diem: quo omnia remiſſionem ſpondere videbantur, natura interim alium locum ſponte eligente, dextrum ſcilicet Coxendicis acetabulum, quod tanto impetu obruebat, ut non ſolum ingentem totius femoris tumorem induxerit, ſed & inſcio ac non advertente ægroto ejuſdem dextri femoris caput, ſenſim laxato rotundo ligamento, poſt dies aliquot ex acetabulo & ſede ſua expulerit. Tentarunt quidam, ut recta meminiſti, Chirurgi, Philippus Harquard & Dan. Aſpackius, radice Conſolidæ majoris &c. & aliis ex arte factis deligationibus emotum articulum ad priſtinam ſedem reducere; tandem & manuali aggreſſione, utrumque tamen infelici ſucceſſu. Caput enim femoris in acetabulum me præſente repoſitum, emplaſtris ac faſciis aptè impoſitis iterum è ſede ſua verſus anteriora relapſum eſt, nec ullo ingenio & acetabulum poſtea reduci potuit. Ex ſuppurato carpo quædam eroſorum oſſium fragmenta ſubinde egreſſa ſunt, jam vero cicatrix ulceri inducta eſt. Decimoquarto à decubitu die de dextri oculi debilitate viſuque fere ablato conqueſtus eſt, qui tamen integer ex voto rediit poſt aliquot dies. Interea quæ è re viſa ſunt exhibui, evacuantia, alterantia, nervos & articulos roborantia, quibus tantum profecit, ut ad initium Auguſti fere ſine doloribus eſſet, eo autem inchoato, primum diaria febris, quæ poſt dies aliquot rediit at ſub alio typo, cum horrore, calore acri & fixo, ſiti, vigiliis, novo dextri femoris & genu, ac valde dolente tumore, & inſigni virium proſtratione. 7. Auguſt. totum femur eryſipelatoſum fuit cum magnis dorſi doloribus per cruentas & valde obſcuras urinas intra triduum ſolutis. 11. Aug. in interna femoris parte ad ſuperiora muſculi Gracilis, materia, quæ eo ex toto confluxerat, in acumen ſurgens exitum moliri viſa eſt, quem levi ſcalpelli ictu adjuvimus, prorumpente copioſo & cruento ichore; quia vero omnia totius femoris integumenta communia à nimia dicti ichoris copia diſtenta erant, etiam in externa femoris parte poſt dies aliquot inciſio tentata eſt, exeunte magis cocto pure. Chinæ interea decoctum diu uſurpatum, ac fonticulus cruri inuſtus. Et quamvis poplitem necdum flectere poteſt, quæ hujus morbi conſueta eſt calamitas, ad robur parti conciliandum quotidianas jam ſuadeo deambulationes; omnia enim, ut nos Libro de Artic. docet Hippocrates, quæ in corpore ad uſum facta ſunt, ſi quis moderate ipſis utatur & in laboribus exerceat, quibus ſingula ſunt adſueta, ſic quidem ſana ſunt & augeſcunt & probe conſeneſcunt; ſi vero quis non utatur, ſed quieſcat. morboſiora fiunt, & non augeſcunt, & cito conſeneſcunt, inter hæc autem non minime perpetiuntur hoc & articuli & nervi, ſi quis non utatur ipſis. Et ne gibbum contrahat, ſed erectiorem obtineat totius corporis figuram, longioribus ſub alas ſcipionibus incedens innititur; ita tamen ut planta pedis terram attingere poſſit. *D. Thom. Bartholini.*

De Tumore Genu, ex lapſu, pro Luxatione male curato.

Chirurgus Bensheimenſis, Adamus Daigel, Darmſtadii me conveniens, impensè rogat, quo ipſi ſim conſilio in filio Johan. Glingelbach, ejuſdem loci vindemiatoris. Puer hic undecim annorum, graviter in terram delapſus, ita ut confeſtim tumor inſignis eſſet obortus, conſternati inde parentes, chirurgi opem implorant; metuens autem iſte luxationem, quam tamen ob tumoris magnitudinem haud cognoſcebat, genu egregie ac fortiter extendit, nervoſaſque partes ita læſit, contorſit ac irritavit, ut mox ab iſta extenſione dolor exortus ſit magnus, unde humorum è toto corpore in partes læſas affluxus, qui nec cohibitus, ſed de die in diem adauctus, dolores ſimul adauxit, hinc materia acris & corroſiva facta, nullis autem chirurgorum (quorum jam erant duo) præſidiis vel ablata, vel emendata. Hinc cuniculos egit, totumque non ſolum genu, ſed integrum ad calcem pedem, occupavit perforavitque. Advocatus autem tunc primum ego

ſtatim animadverti, non carnoſam tantum ſubſtantiam, ſed ipſam tibiam materia iſta infectam corruptamve eſſe. Quare hoc dedi & parentibus & chirurgis conſilium: Quod videlicet cutis à genu ad calcem ſit incidenda, quo materia peccans tibiæque infeſta evacuetur, bonumque à malo ſeparetur. Hoc meum conſilium cum utriſque horridum ac crudele viſum ſit, neglectum eſt, egoque ſic ſum dimiſſus. Præterlapſo autem trium hebdomadarum ſpatio, redux parens de intolerabilibus filii doloribus conqueritur, lacrymiſque conſilium repoſcit, quod cum aliud conducibilius non viderem, dictum dico. Annuens itaque parens, totum mihi negotium demandavit. In menſa itaque depoſito puero, à chirurgis parenteque detento, operationem ſum aggreſſus, à genu ad extremum pedem feci inciſionem, cutim detinui elevatorio. Animadvertens autem tibiam fere totam corroſam, forcipe diffregi ſuperne ac inferne, oſſicula etiam confracta curioſe removi, vulnuſque integrum lavamento ſequenti elui.

℞. Aloes ℥j. myrrhæ. rub. ℥ii. maſtich. oliban. ana. ℥iß. herb. equiſet. pyrol. ana. M. j. conciſ. contuſ. coq. in vin. albo. Poſtmodum adhibui emplaſtrum ſupra laudatum, eoque ſolo abſque omni balſamo, aut emplaſtro alio, curationem abſolvi. Quamvis autem per anni ſpatium puer robur ſufficiens ad eundem non habuiſſet, tempore tamen & unius anni mora, inſignis adeò à natura generatus eſt callus, ut jam vix deſideretur emendatio alicujus vitii ſui ingreſſus, vivatque jam ex omni parte ſanus. Tibiam exemptam mecum inter curioſitates alias paucas reſervo, deſiderantique conſpiciendam præbeo. *D. Joh. Frid. Allmacheri.*

LYCANTHROPIA

Vid.

MANIA.

LIPOTHYMIA

Vid.

DELIQVIUM ANIMI.

Finis Libri Decimi.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER UNDECIMUS.

De Morbis à Litera M incipientibus.

MACULÆ
Vid.
CUTIS VITIA.

MADAROSIS
Vid.
PALPEBRARUM AFFECTUS.

MALACIA & PICA.

PRAVITAS appetitus aut eſt in quantô, aut in quali. Illa, fames canina appellatur; hæc verò pica, Græcis κίσσα & Attice κίττα ab avicula cognomine, terræ glebulas ſuaviter eſitante: forſan quoque ob mirandas appetitus diverſitates, ſicut pica avis eſt πολύφθογγος, plumiſque veſtitur verſicoloribus; vel pariter ac hedera, κισσὸς dicta, pro adminiculis quibus innititur, in multiplices convolvitur plexus. Nam ab Aetio definitur quidem hicce affectus, ſtomachi languor, cum nauſea & averſatione ciborum, bilis ac pituitæ vomitum afferens. Sed rectius Ariſtoteles mulieres gravidas κισσᾷν docuit, ubi multifarii fugaceſque appetitus ipſas exercent. Plinius prægnantium malaciam quaſi mollitiem vocavit, propter appetitivæ potentiæ rerum abſurdiſſimarum deſiderio prævinctæ impotentiam. Nonnulli tamen hunc Plinii textum malunt exponere de laxitate & quaſi effœminatione ventriculi neque appetentis cibos neque amplexantis: eò quod ibidem Plinius adverſus malaciam commendet malicorium, cujus vis aſtrictoria relaxatum quidem ventriculum roborat, at eidem pica laboranti minus conducit. Recentiores non incommode malaciam à pica ita diſtinxerunt, ut prior utero gerentium propria ſit, amica quidem exoptantium edulia, verum animo adeò tenaci, ut niſi voti reddantur compotes, vel in leipothymiam labantur, vel rei appetitæ ſtigmate fœtum ſignent, vel etiam abortiant: poſterior autem mares ac fœminas promiſcue infeſtet, ſitque corruptio & quaſi παρορεξία appetitus inſolentes cibos ardentiſſime affectantis: liceat hic ciborum voce abuti pro quibuslibet ingeſtis, permulta enim ab ægris expetita, nonniſi ἀκυρολογικῶς ciborum titulo decorantur.

Cauſa proxima τῆς κιττήσεως, ac ut Barbari loquuntur, picationis, eſt humor teter à membranis ventriculi ac præſertim ejus orificio imbibitus; ſeu victus ἀπεψίᾳ proprive chylώσεως errore inibi congeratur; ſeu exoticus ſit, ac uti ſæpe ſæpius evenit ab utero advehatur. Ventriculus autem tam perverſo oblinitus ſucco, prodigioſa tamen ejuſmodi appetentia haud jugiter vexatur; quoniam materiæ feritas ex pluribus adjunctis & permixtis nunc exacerbatur, nunc miteſcit: quomodo nec calculus renum, aut veſicæ naturam conſuevit indeſinenter laceſſere. Imo fieri poteſt ut fœda illa cacochymia non ſedeat in orificio ventriculi, ſed ſolas occupet ejus tunicas, indeque per intervalla nec perenniter vaporem quemdam, aut ſaltem meram qualitatem ad ventris oſculum diffundat.

Omnes fatentur tam variegatas appetituum differentias quas numero complecti vix poſſibile eſt (nam lutum, verbi gratia, panni detriti, coria putida, & ſexcenta alia obſcœna ac naturæ horrida peroptantur) ex alia atque alia excrementorum corruptela progigni. Sed non liquet An ſingulares ac determinatæ illæ appetitiones contingant ratione cognationis inter materiam morbificam & rem optatam, ut viſum eſt Aphrodiſeo; An ratione contrarietatis, ut placuit Avicennæ.

Qui ſtant à partibus Aphrodiſei, ita philoſophantur. Materia morbifica aliquam duntaxat membranarum ventriculi portionem obſidens, inæqualem parit intemperiem ac χετικὴν, hincque

que movetur appetitus contrarii quod morbo mederi queat. Verum ubi totæ ventriculi tunicæ humore maligno imbuuntur atque madent, ut in picâ, naſcitur dyſcraſia veluti connaturalis, æqualis atque habitualis; quæ ad modum intemperaturæ nativæ vel hecticæ, plane eſt indolens, ac idcircò rerum non adverſarum, ſed ſimilium cupidinem ſolicitat. Alii verò paulò aliter rem explicant. Quemadmodum, inquiunt, nequam ſuccus ventriculi membranis defixus, ibique conquieſcens, ipſas non affligit, ſic devoratis eduliis iſti ſucco affinibus, nulla infertur ventriculo moleſtia, quod nihil novi ipſi adveniat. At ſi quid ingeratur iſti humori adverſum, hic ſtatim exagitatur & dolorem creat, quem refugiens natura ſimilium potius quàm diſſimilium pulſatur deſiderio; ita ut, exempli cauſa, ſi humor ſit ſimpliciter melancholicus, terra aut teſtæ; ſi aduſtus, carbones; ſi ſalſuginoſus, ſal; ſi pituita incraſſata, gypſum vel creta cupiantur; ac ſæpiſſime acida acerbaque expoſcantur, ut limones, virideſque fructus, pro conditione humoris plerumque acetoſi & atrabilarii.

Veruntamen probabiliùs nobis videtur appetitum pelli in rem contrariam, quæ noxæ à materiâ morbificâ ventriculo impreſſæ præſidium ſit; dumque calida & acria expetuntur, frigidos viſcidoſque ſuccos; cum frigida & terrena, calidos tenueſque humores exuberare; ac plerumq; appeti contraria plane inſueta & abhorrentia, vel quod ſuperandis vitioſiſſimis ventriculi humoribus potentiora ſint, putà calx efficacior ſit ad abſorbendum materiam impactam, quàm panis biſcoctus; vel quod talium inaſſuetorum contrarietas occulta ſit ac inexplicabilis.

Hæc ſententia quammultis iiſque ſolidis nixa eſt rationibus. *Primò* intemperies omnis præter naturam ſeu materialis, ſeu immaterialis appetit contraria quibus adimatur, niſi fuerit in facto eſſe, quam in picâ ſuſpicari non licet, ob ſubitaneum morbi cùm adventum, tùm receſſum. *Secundo* appetitus an ſimilium ſit an diſſimilium exinde internoſcitur, quod rerum ſimilium appetentia, ipſarum fruitione nequaquàm ſatietur; quin potius adaugeſcat; at rerum diſſimilium appetitio harum utpote contrariam ventriculi diſpoſitionem delentium poſſeſſione deſinat. Cum itaque exhibitis cupitis, etiam alieniſſimis, quibus mulieres ſanæ aliàs maximopere oblæderentur, picantes convaleſcant aut ſaltem ſubleventur; quis non videt ea ventris morbo quem propulſant, neceſſariò adverſari? cùm non detur actio niſi inter contraria; quanquam certiſſimum ſit, gypſo cæteriſque peregrinis majore copiâ aſſumptis, alios affectus, ac potiſſimùm pervicaces obſtructiones ſuccreſcere. *Tertiò* in fame & ſiti ordinariâ, ventriculus poſtulat objecta adverſa præſenti ſuæ conſtitutioni, ut nempe hæc, etſi morbida non ſit, corrigatur: itaque potiori jure morboſus appetitus feretur in rem contrariam quâ detur ipſi emendari. Etenim inepte quis exiſtimaret à cauſâ picaceâ ſenſum voluptuoſum cieri in ventriculo, qui proinde ducitur ad concupiſcendum aliud ſimile, quod parem moveat voluptatem: omnis ſiquidem morbus in exceſſu poſitus eſt, ac naturam neceſſariò offendit, tantùm abeſt, ut hanc delectare valeat. *Quartò* repugnat appetitū trudi in id quô multùm affluit, ſed potius in id quô indiget *Quintò* An probabile eſt humores tantopere adulterari poſſe, ut ad lignorum putridorum vel cœni naturam accedant? *Tandem* citato vomitu, humores non exrrarios ac monſtroſos, ſed bilioſos vel pituitoſos educi experimento ratum eſt.

Verùm hancce veritatem non ἀποδεικτικῶς modò, ſed ſolutis adverſariorum argumentis, ἐλεγκτικῶς quoque ſtabiliamus. *Primò*, aiunt, poſito quod appetitus ſit contrariorum, ſequetur cacochymum ventriculum euchymos cibos eſſe appetiturum. Reſpondemus ab illuvie ventriculum inquinante, appetitum vel funditùs everti, vel, ſi is acuatur, non in cibos temperatos atq; boni ſucci, ſed in cibos extremæ qualitatis, quia magis oppoſitos, ipſum impelli. *Secundò* ſi humores ventriculi, rebus quas appetitus inſectatur, contrarii ſunt, cum hæ non rarò odioſæ exiſtant atque abominandæ, illos neceſſariò optimos fore concludunt, nobiſque familiares, quod nemo dixerit. Reſponſio eſt haud modò extrema extremis eſſe hoſtilia, ſed etiam extrema mediis, ac idcircò non tantùm morbum, hujuſque præſidium pugnare inter ſe, ſed utrumq; à partium εὐκρασίᾳ, quæ in mediocritate conſiſtit, diſſentire. *Tertiò* objicitur famem non poſſe dici depravatam, quin potius ſanam atq; legitimam, dum tendit in contrarium quod morbo auxilietur. Reſpondemus ut appetitus ſecundùm naturam ſe habeat, non ſufficere ut verſetur circa quid utile; at requiri inſuper ut à cauſâ naturali ſuſcitetur, ac nec in quantitate peccet, nec in qualitate. Nam quemadmodum ſitis anhela, & à cauſis morbificis ſuccenſa, morboſæ nomen meretur, etſi potum reſpiciat ſitienti ventriculo gratiſſimum, & à quo cauſa ſitifera reſtinguitur; ſic pica, quia flagrantiſſimum eſt cibi extranei deſiderium & à morbo derivatur, præternaturalis putari debet, quanquam cibus ille extraneus proximam morbi cauſam oppugnet, nec ventriculo ægrotanti injucundus ſit.

Denique lubet nonnullis ut bilioſi, incendia; ac pituitoſi, flumina inter ſomniandum intuentur; Nam ut ait Hippocrates, qualia patitur corpus, talia videt anima, viſione occultatâ: ſic in pica objectum humori noxio ac dominanti conſentaneum, non autem diſſentaneum offerri phantaſiæ, proindeq; appetitum ad rei ſymbolæ, non verò aſymbolæ proſequutionem inſtigari. Sed contra, in inſomniis humores vaporeſve quibus cerebrum repletur, congeneres quidem imagines in memoriâ locatas commovent, quibus tangitur ſtatim imaginatio, unde nil mirum ſi nocturna viſa reſpondeant humorum dominio. Verùm in pica humor in ventriculo ſtabulans nequaquam vaporat ad cerebrum, nec ferit imaginatricem, hæcq; tædium duntaxat ab importuno humore ori ventris exhibitum percipit, & confeſtim appetitum ad amorem rei contrariæ tanquam ventriculo infeſtato ſubventuræ compellit: haud ſecùs ac bilis in ventris oſculo non calidi ſicci, ſed frigidi humidi cupiditatē excitat.

Jam verò etſi pica adeò fortiter atq; imperioſe aliquando urgeat, ut fœminæ multa poſcant patrentq; inhumana, ac nonnullæ proprii mariti vel infantis carnem dentibus dilaniaverint; non eſt tamen quod delirium ſubeſſe arbitremur; quoniā violata ratio appetitum hic non depravat, ſed ex adverſo violentia appetitus omne rationis conſiliū evincit, ſecus ipſi quoq; κυνόρεκτοι deſiperent.

Verſatur nonnunquam pica circa potum, ægris nimirùm aquam marinam vel lacuſtrem, urinam, vinum vapidum, & ſimiles liquores naturæ noſtræ minus congruos acriter appetentibus. Sed talis affectus non ita vulgaris eſt: ſicuti enim per ſanitatem longe numeroſioribus ciborum quàm potuum generibus utimur, ita per morbos appetitus noſter circa ciborum magis quàm potuum πολυειδίαν hallucinari conſuevit.

Pueri ob ingluviem impuritatis feracem, appetendi vehementiam, ac judicii imbecillitatem adultis crebriùs κισσῶσι: item fœminæ viris, præſertim ſi muliebria reſtiterint. In virginibus chloroſis picam, viciſſimque pica chloroſin fovet. Gravidæ mulieres naturâ ſuâ cacochymæ facile fiunt κισσώδεις, nempe à quadrageſimo poſt conceptum die, uſque ad finem tertii menſis; quô tempore ſolent ἰσθμιάζειν, puſillo fœtu (qui proinde duobus primis menſibus nondum ἔμβρυον, ſed κύημα id eſt conceptus nominatur) paucum ſanguinem tunc prolectante, unde quod ſupereſt corrumpitur, & ad ventriculum regurgitat, juxta illud Hippocratis; terræ cupiditas, ſanguinis φθορὰν denunciat. At quarto geſtationis menſe, aut circiter definit plerumque hæc ægritudo, vel quod natura malitioſis iſtis ſuccis jam aſſuefacta ſit, vel potius quod auctior fœtus uberiore opus habeat alimento, ita ut nihil aut modicum redundet; interimque vitiatus ſuccus qui antea cumulabatur, partim vomitione frequenti jam excluſus ſit, partim conſumptus aut concoctus caloris nativi virtute ob prægnantium ἀσιτίαν in humores ſuperfluos converſâ. Scribit Hippocrates, Juvenes quibus colores diu & continenter pravi ſunt, non tamen icteri modò, ſive viri fuerint, ſive mulieres capite dolere, & lapides terramque devorare. Notavit præterea, prægnantibus ſi terra aut carbones in cibum expetuntur, eaque edunt; in fœtus capite, ubi in lucem editus fuerit, ipſorum ſignum apparere. Verùm hæcce obſervatio tanquam rara, non tanquàm univerſalis à Præceptore proponitur: Edulii enim effigie à gravidâ deſiderati, fœtus magis inſignitur, ſi illud negetur, quàm ſi concedatur; nullaque eſt ratio cur ejuſmodi ſimulacrum capiti potius quàm alii membro debeat infigi. Poſtremò pica affectio eſt chronica nec infrequenter hydropem, cachexiam vel maraſmum invehit: nam ſi ægrotantes fruantur optatis, male nutriuntur; ſi iis fraudentur, angi ſolent ac inquietari, ſicq; quoquomodo ruunt ad maciem. *Anton. Meniot. Diſſertationum Pathologicarum parte 2.*

Curationes.

In Malaciâ & Picâ imprimis evacuandus eſt ſtomachus vomitoriô; in non gravidis tutiùs, in gravidis cautiùs, primô ſcil. ſecundô & tertiô menſe, & quidem in iis qui facilè vomunt: in ultimis 4. 5. & ſequentibus menſibus non ſine periculô propinantur vomitoria; ergo tunc cautiùs diſcamus mercari. Faber pro vomitoriô utitur ſale vitrioli, ut & mercuriô vitæ. Sed ejus mercurius vitæ tutiùs exhibetur quàm ſal vitrioli vomitivum, ex eô, quòd hoc tantùm eſt vitriolum ad albedinem calcinatum, hinc inimiciſſimum ſtomacho, adeò ut, ſi tantillum reſidet, ſoleat attrahere ex aëre inſtar capitis vitrioli mortui, ſal regenerari & multiplicari, ac ſtomachi robur & vires dejicere nimis aptum. Mercurius vitæ per ſe eſt ſatis tutus.

Præmiſsô vomitoriô opera danda ut corrigatur labes in fermento ſtomachi; quod vix poteſt fieri niſi removeatur cauſa illius. Si menſes ſuppreſſi, provocentur; ſi alia tollantur.

Hinc dentur ſtomacho grata acida, ſic enim fit ut acor fermenti naturalis reducatur, & appetitus depravatus ſic corrigatur. Inter hæc cydoniorum, limonum, aurantiorum, citri, granatorũ ſucci ſunt egregii: ſpecificè commendatur aqua pampinorum vitis primô vere ex vitium ſurculis inciſis extillans, quæ eſt imprægnata ſubtili tartarô, ſeu aciditate, ratione cujus corrigit ventriculi labem & appetitum reducit. Convenienter commiſcetur cum aquâ theriacali in julepis ſucci citri & aurantiorum, quoniam hi ſunt ſingularia ſtomachica. Riverius cent. 4. obſ. 93. ſpecificè commendat pulverem ſtomachicum Quercetani complet. & pulver. croci martis aperitivi; & hunc expertum dicit in Picâ mulierum, ex quâcumque cauſâ ortâ.

Commendantur etiam cappares acetô conditi, ceu experti, quibus etiam nonnunquam ſolent addi ſemina carminativa, aniſi, fænic. carvi. Potus vini generoſioris non inconveniens eſt, quoniam in vino ſingularis vis reſtaurativa ſtomachi, inprimis ſi ſit infuſum ſuper folia menthæ vel portulacæ. Lindanus in Colleg. ſuper Hartmannum conſervam roſarum acidulatam cum ſpir. vitrioli commendat; cui addit pulverem zedoariæ in hâc formâ.

♃. Conſerv. roſar. ℥v. Pulv. zedoariæ ʒj. ſpir. vitriol. q. ſ. ad grat. acidit. M. F. Electuarium, de quo ſubinde aliquid aſſumitur, ſcilicet ter de die, mane, meridie, & veſperi; continuetur tamdiu donec ceſſet affectus, nam dicit eſſe expertum. Locô conſerv. roſar. melius eſſet ſi reciperetur conſerva menthæ criſpæ, vitriol. nam eſt ſingularis in hôc affectu.

Quæſtio eſt, an venæſectio conveniat in Picâ? De iis in quibus menſes ſuppreſſi, dubium non eſt quin ſaphænæ ſectione ſuô tempore inſtitutâ multum adferatur auxilii. Interim non opus eſt ut venæſectio in talibus affectibus planè omittatur, & nonniſi in ſanguinis copiâ adminiſtretur; quum natura per hæmorrhoidum fluxum quendã liberaverit. Sic refert Rhodius in obſerv. de quôdam qui Malaciâ inſigni laboravit, & curatus fuit ſolô hæmorrhoidum fluxu. Cùm ergo hâc in parte ducem habeamus naturam non opus eſt ut venæſectionem omittamus. E contra ubi purgantia per inferiora adminiſtranda, admiſcendum eſt aliquid mercurii dulcis ritè præpar. Agricola miſcet cum extractô Ellebori nigri purgando mulieres non gravidas ex menſium ſuppreſſione Picâ laborantes hôc modô.

♃. Extract. Elleb. nigr. Merc. dulc. ritè ppt. an. ℈ß. Extr. colocynth. gr. j. cum ſ. q. ſucc. cydonior. fiant pilulæ purgantes. Convenit quoque aqua cinnamomi cydoniata, vel ſola, vel elixyre menthæ imprægnata & acidulata cum tantillô ſp. vitrioli philoſoph. Formula hæc eſt.

♃. Aq. menth. meliſſ. cum vino an. ℥j. cinnam. cydoniatæ ℥ij. Elixyr. menthæ ʒj. Succi cydonio. citri an. ʒß. Sp. ſal. dulc. ℈j Syr. de ſuccô cydonio. ℥j. aut ℥iß. M. fiat medicamentum pro ſtomachô, de quô ſubinde cochlearia aliquot ſume.

Sylvius in Praxi Modernorum commendare ſolet ſalia volatilia, non communia, ſed oleoſa, ſeu oleis vegetabilium imprægnata. Sed cautè adhi-

adhibenda, quoniam ſunt generoſa nimis, & metus eſt ne aliquando cauſent abortum. *Michael Ettmullerus in Collegiô Practicô.*

Ad evacuandos humores vitioſos in ventriculo nidulantes, Picamque inducentes, commodiſſimum eſt hoc.

℞. Sapæ vomitoriæ gtt. v. decocti radic. raphani ℥ ij. M.

Pilulæ Aloephanginæ noſtræ, veſperi à ℈j. ad ʒß. aſſumi quoque poſſunt.

Ventriculum roborant & humores vitioſos imminuunt talia.

℞. Eſſent. menth. meliſſ. an. ʒ ß. Tinctur. Succin. ℈j. Syr. betonic. cydonior. an. ℥ß. Aq. roriſmar ℥ij. M. Bibatur cochleatim.

Vel. ℞. Conſerv. roſar. borragin. an. ℥j. Conſerv. flor. ſalv. ℥ß. Tartar. chalybeat. ℥ß. Sal. corall. perlar. an. ℈j. Magiſt. ſuccin. gr. xv. Olei menth. gtt. 8. M. F. conditum. Doſis manè & veſperi à ʒj. ad ʒij.

In India. ℞. Conſerv. roſar. ℥j. Flor. Cardam. Sylveſtr. ℥ß. Sal. cinnamomi vitriol. ʒß. Lap. rubr. mart. ℈ij. Olei ſtill. fol. cinnam. gtt. v. M. F. conditum. Doſ. mane & veſperi ʒj. ad ʒij. *Herm. Nic. Grimm Compendii Medico-Chymici l. 3.*

Conſultationes.

De Pica, ſeu Malacia, & Uteri Præfocatione. Pro Nobili Adoleſcentula Grimalda Pichenota Genuenſi.

Ex hiſtoria morborum Illuſtriſſimæ Dominæ Eugeniæ Grimaldæ Pichenotæ ad nos tranſmiſſa patet, Illuſtriſſ. ipſius filiam à naturæ primordiis ſatis laudabilis temperamẽti totiusjecoriſq; calidioris, poſtquam quinquennii ſpatio ſalubriter egiſſet, eſſetq; roſei coloris, & ad actiones quaslibet prõptiſſima, palleſcere cæpiſſe & flaveſcere, moxq; lenta febricula corripi: quã febrem Albam vocabant. Pro cujus curatione aperientibus, & deobſtruentibus uſa, priſtinam ſanitatem adepta eſt, non tamen priſtinum colorem: ut proinde non rarò recidivæ fierent, quod tunc adſcriptum fuit variis in vivendi ratione erroribus non ſolum in uſu ciborum crudiorum, ſed etiam in frequenti manducatione calcis, & terræ, atque aliquando caryophyllorum, nucis moſchatæ & paſtillorum grati odoris, ſimul permixtorum, atque diſſolutorum in aqua florum citri, roſarum, & aurantiorum, aliqua copia: à quibus incidit in muliebre profluvium materiæ flaveſcentis, & nonnihil cruentæ: quo refrigerantibus, & humectantibus curato, ſupervenit dolor capitis, & à cibo vomitus, perſiſtente calcis, & terræ manducatione clam facta, atque ideò frequenti recidiva, non juvante deobſtruentium continuo uſu. Duodecimo ætatis anno menſium ſigna ſe prodiderunt, atque anno 13. denuo apparuerunt, non tamen perſtiterunt: verum medicamentorum beneficio, & aeris mutatione priſtinam ſanitatem recepit. Cæterum poſt aliquot menſes in patriam redux, febre tertiana correpta fuit, cum aliqua cordis palpitatione, ad quadrageſimum diem protracta: quo tempore ſupervenere menſtruæ purgationes, tuncque hyſtericis paſſionibus divexata fuit, cum ſuffocativis, tum convulſivis, cum palpitatione cordis, & quandoque difficultate deglutitionis ſolidorum, & liquidorum: a quibus malis ſanguine ex ſaphena miſſo deterius habuit. Variis deinde uſa medicamentis, atque ſanguine educto ex brachio, & pede melius habuit. Nunc verò inſignem patitur imbecillitatem ventriculi, & hyſtericas paſſiones, cum cordis palpitatione, imminentibus præſertim præſentibus, & ceſſantibus, menſtruis purgationibus, cum ſiti, rugitu ventris, & vomitu à cibo, capitis incaleſcentia, & excretione materiæ crudæ, viſcidæ, copioſæ per alvum, medicamentorum aſſumptorum ope. Venas internas habet anguſtas, ſanguinem craſſum & nigricantem: ideo de agendis conſulit.

Cui ut ſatisfaciam, tres eſſe præcipuos affectus exiſtimo, medicis auxiliis debellandos, Picam, ſeu calcis & terræ deſiderium, hyſtericam paſſionem & flatum hypochondriacum, quos deinde conſequitur palpitatio, rugitus, ſitis, & vomitus à cibo, & febris aliquando ſuperveniens: quæ ſymptomata propterea prædictis curatis ceſſabunt, ut ſpero. Pica autem eſt appetitus depravatus, ratione qualitatis appetibilium extraneæ, & vitioſæ: ac propterea eſt vitium orificii ſuperni ventriculi, ubi ſedes appetitivæ facultatis. Idcircò definitur ab Ætio Tetrabiblo 3. Serm. 1. c. 23. per concupiſcentiam vitioſarum qualitatum ciborum.

Provenit verò à ſuccis vitioſis impactis in interna tunica, vel oris tantum, vel totius ventriculi, quæ conſenſum habet cum lingua, & palato. Ideo ſcripſit Galenus 1. de Cauſis Sympt. 7. quod pravas qualitates appetunt hi, quibus ventriculi tunicæ pravo aliquo excremento ſunt imbutæ. Hoc autem pravum excrementum, licet poſſit eſſe pituita acida, & humor melancholicus, conſtetque ex vomitu nobiliſſimam hanc adoleſcentulam redundare pituitoſa materia, exiſtimo nihilominus in ipſa prædominari humorem melancholicum terreum, atque ideo appeti terram, cum appetitus hic ſit morboſus, atque convaluerit ex aſſumptione appetibilium. Atque appetitus eſt ſimilium, non tamen ſine corruptione quadam occulta, ex Avic. ob quam ita immutatur ventriculi ſubſtantia, & temperamentum, ut alimentalibus neglectis appetantur extranea. Hic verò humor ad ventriculum tranſmitti poteſt, cum per venam coronariam ſupernum orificium circundantem, tum per ſplenicam deſinentem in corpus ipſius ventriculi: atque hinc ut plurimum provenit ventriculi imbecillitas, nauſea, & vomitus. Quorum ſymptomatum ratione Aetius Tetrabiblo 4. Serm. 4. Picam definivit per languorem ſtomachi, cum nauſea, ciborum averſione, vomitu bilis, & pituitæ. Huic affectui accedit hyſterica paſſio, tunc potiſſimum quando ſanguis hic melancholicus ad uterum tranſmitti cœpit, atque apparuerunt menſtruæ purgationes. Tunc etenim ſanguis hic vitioſus corruptionem aliquam nactus evaporavit in cor, & ſeptum tranſverſum, atque ſuffocationis ſenſum, & cordis palpitationem induxit, qui ſui acrimonia vellicans nervoſas partes convulſivum motum excitat, prout coarctans ſui craſſitie fauces, & œſophagum, deglutitionem impedit, donec tenuior redditus diſſipetur. Tandemq; his affectibus annectitur flatus hypochondriacus, proveniens ab humoribus craſſis, cum pituitoſis in ventriculo genitis, tum melancholicis à jecore fervido tranſmiſſis, qui circa meſenteriũ cõcluſi, venas obſtruentes putredinẽ aliquã concipiunt, unde febres diverſi generis, rugitus inferioris

ventris, & ſitis. Quæ ſanè omnia plurimum dependent à ſanguine malancholico, concluſo in venoſo genere, nec tam libere expurgato, cum propter ſui craſſitiem, tum propter venarum anguſtiam, & in corpore profunditatem. Quæ cauſa fuit, quod ſi ſanguis ex ſola ſaphena educatur, potius officiat: ſi vero ex brachio, & pede, facta univerſali magis ipſius evacuatione, juvet. Et hæc de præſentium affectuum eſſentia, & cauſis annotanda duxi.

Qui equidem graviſſimi, difficillimæque curationis, cum ob inæqualem viſcerum intemperiem, tum & magis ob anguſtiam vaſorum, cujus ratione per uterum libere evacuari non poteſt. Non tamen propterea de ſalute nobilis patientis deſperandum, ea in primis ætate ſpei plena. Appetitus ſaltem ille vitioſus ceſſabit, niſi huc uſque id contigerit, ſanguine tranſmiſſo potius ad uterum, quam ad ventriculum.

Agendum igitur & præmiſſa blanda expiatione primarum viarum, attenuandus eſt ſanguis, & fluxilior reddendus, aperiendæ obſtructiones divertendi vapores, & diſcutiendi, ventriculus roborandus, jecur refrigerandum, & uteri viæ laxandæ; bezoardicis non omiſſis, rectaque inſtituta victus ratione. Quod implebunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

Quoad Chirurgica, placet ſanguinis miſſio ex brachio, & pede, longius à menſtruis, ſub quorum tempus fiant primò frictiones toti corpori, ad attenuandum ſanguinem, inunctioneſque oleo amygd. ad laxandas venas: in quem uſum tempore calidiori proderit balneum univerſale aquæ dulcis calidiuſculæ. Ante horum tamen uſum, occurrendum eſt picæ, ſeu depravato appetitui, ſi adhuc perſiſtit. Licet enim affectus hic ex ſe non ſit lethalis, attamen diu durans graves infert affectus, malum ſcilicet corporis habitum, obſtructiones confirmatas, maciem corporis, & cardialgiam aliquando graviſſimam. Fernelius narrat ſucceſſiſſe uteri exulcerationem, & interitum ex immodico pipere aſſumpto, de qua dubium fuit in Illuſtriſſima patiente, dum caryophyllos & nucem moſchatam copioſius ſumpſit; dicitque Avic. præſentem affectum facilius curari dum appetuntur acida, & acuta, quam ſi appetantur terra, & carbones.

Tria autem ſunt agenda. Primò occurrendum eſt ſymptomati: ſecundò materia vitioſa eſt expurganda, & ſimilis regeneratio prohibenda: & tertiò corrigenda eſt mala qualitas indita ventriculo, & orificio ipſius. Primum fiet, ipſam interdicendo primò expetitis, quantum in nobis erit, cum diſſuadendo, tum increpando, & diſtrahendo ad alia, atque itinere aliquo inſtituto: ſecundò ſimilia concedendo optatis, puta farinam amyli, vel placentas ex eo paratas, & panem biſcoctum; tertiò vomitoria deſideratis miſcendo, ab Avicenna commendata: qualis eſſe poteſt eſula, ſeu cataputia. Sic enim aſſumpta non lædunt, dum evomuntur, & abominabilia redduntur.

Cauſæ morbificæ occurrimus deterſoriis, & evacuantibus puta hiera picra Galeni, cum elect. lenitivo; cremore tartari cum mell. roſ. ſol. radicibus polypodii quercini exſiccatis, & pulverizatis; atque aqua Tetutiana, ſumpta triduum ad lib. iii. cum mell. roſ. ſol. quæ proderit etiam ad diſcutiendos flatus deglutitionem impedientes. Olivæ muria conditæ ſex vel ſeptem ante cibum ſumptæ, amygd. amaræ, & ruta attrita, & manducata juvant, ex Avic. ſententia; ut & bolus attritus ex maſtiche, ſem. ameos, cymino, & ſimilibus. In cibis, piſces ſaliti, raphanus in oxymelite infuſus, carnes, & jura gallinæ, & caponis non pinguia, ventres, roſtra & pedes ſuilli, vel erinacei marini; vina aromatica moderatè generoſa: à cibo paſſulæ dulces, pyra, cydonia, nuclei pinei, & piſtacia commendantur. Atque à proprietate & ad virulentiam tollendam ex uſu eſt anethum, naſturcium, ſemen erucæ, & caulium. Ad hyſtericas paſſiones, & incipientem hypochondriacam conferet jecur ipſum refrigerare. In quem uſum, ſerum lactis caprini, decem, aut duodecim dies ſumptum, ad lib. duas ſingulis diebus, modo dejectorium, cum ſyr. roſ. ſol. vel de polypodio compoſito, vel cum infuſione epithymi, ſennæ, & polypodii; modò diureticum, cum ſyr. capil. veneris, & emulſione ſeminum melonum, additis tribus, vel quatuor guttulis ſpiritus vitrioli ex uſu erit. Quod ſi perſtiterint obſtructiones, inſiſtendum erit validioribus aperientibus non tamen impensè calidis: quales erunt agrimonia, cetrach, cuſcuta, gramen, radices petroſelini, & fœniculi, permixtæ cum ſucco cichorii optimè depurato: non omiſſis dejectoriis cum per clyſteres acres, & carminativos, tum helleboriſmos præſcriptos. *Benedictus Silvatic. Conſil. & Reſponſion. Med. Cent. 2.*

Medicatio puellæ Pica laborantis.

Puella nata annos quindecim, pallida & gracilis, jam ab aliquo tempore lapillos, terram, cretam, frumentum, lanam, goſſypium, aliaque ſimilia, à conſuetis alimentis aliena magna cum voluptate & copioſe comedit. Adſunt frequentes exſpuitiones, oris ventriculi morſus, & anxietates totum corpus perturbantes. Hactenus haud magnum, ex prædictis alimentis, ſentit nocumentum.

Afficitur in hac ægra ventriculus, quod ex pravo illo appetitu, item ex frequentibus illis exſpuitionibus, ac ventriculi morſibus, & anxietate inſequente, & cor & cerebrum etiam afficiente, eſt manifeſtum.

Morbus, quo hæc ægra laborat eſt intemperies quædam humida & acris ventriculi; quæ rerum illarum jam dictarum, à conſuetis alimentis alienarum, appetitum, & jucundam & copioſam comeſturam pariens Græcis κίττα, latinis Pica vulgò appellatur.

Remota hujus morbi cauſa eſt pravus humor, peculiari acrimonia præternaturali præditus, & per totum corpus diffuſus, illudque gracile, pallidum efficiens, cujus pars ad ventriculum delata, a b eoq; imbibita, proximam & continentem huic morbo & ſymtomatis præbet cauſam.

A ventriculo enim imbibitus ille humor, inducit liquore ſuo, peculiari acrimonia, commemoratam illam peculiarem intemperiem; illaque agens primò in nervum ſextæ conjugationis, & reliquum ventriculum, producit rerum jam commemoratarum appetitum, & jucundam ac copioſam ſumtionem, exſpuitioneſque frequentes, atque ventriculi morſum; qui cor & cerebrum afficiendo, parit anxietates, totum corpus,

inor-

inordinato ſanguinis & ſpirituum influxu, perturbantes.

Intemperies verò illa ventriculi, deinde agens in alimenta illa appetita & aſſumta,ſubigit illa ſua peculiari acrimonia, eaque in nutrimentum utcunque bonum convertit; quo fit, ut ægra noſtra ex alimentis, illis aſſumtis hactenus haud magnum ſentiat nocumentum.

Hoc malum periculo non vacat; quia ſæpe in cacochymiam, hydropem, & alia plurima mala degenerat. Quanquam enim fœminas præcipue, tali affectu laborantes, ſæpe talia præter naturam aſſumta ſine damno comediſſe obſervatum ſit: attamen, ſi malum diu duret, fieri non poteſt, quin pravi humores, & morbi inde generentur.

Tempeſtive itaque ad Curationem progrediendum; eaque in cauſarum ablatione, & intemperiei correctione, conſiſtet.

Primo itaque tale præſcribatur vomitorium:

♃. Conſervæ fol. aſari ℥i. Vini albi ℥iſ. aq. cinnamomi ℥ſ. Contundantur in mortario marmoreo, & deinde trajiciantur per linteum,& forti expreſſione exprimatur liquor, & F. Vomit orium.

Poſtea talis fiat humorum præparatio & evacuatio:

♃. Herb. meliſſæ, rutæ, betonicæ, origani an. m. jſ. Decoq. in q. ſ. aq. hordei ad lib. j. Colaturæ adde ſyr. de mentha, beton. oxymell. an. ℥ſ. Miſce F. Apozema. Pro 4. doſibus, mane & veſperi ſumendis.

♃. Fol. ſennæ ℥ſ. ſem. aniſi ʒj, infundantur in aq. hordei q. ſ. Colaturæ adde electuarii de hiera picra ʒii. Miſce F. Hauſtus.

Vel ♃. Pil. de hiera ʒſ. ſcammonii gr. x. F. pil. No. vii.

Poſtea corroboretur ventriculus tali electuario.

♃. Conſerv. roſarum, borrag. bugloſſæ an. ℥j. Specier. diamargariti utriuſque an. ʒj. Cum ſyr. de mentha. q. ſ. F. Electuarium. Foris illinatur ventriculus tali linimento:

♃. Ol. cydoneorum, nardini, maſtichini an. ℥ſ. Miſce F. Linimentum.

Et poſtea imponatur ipſi Ceratum ſtomachicum, ſuper corio extenſum.

In diæta, Cibi offerantur varii, qui ipſi ſunt grati; ad imaginationem à rebus alienis avocandam. Ad pravos humores expellendos commendatur uſus capparum & olivarum conditarum, item ſuccus arantiorum, granatorum & limonum; amylum hic etiam aquibuſdam laudatur, quod acrimoniam humorum temperat. Potus ſit vinum generoſum & adſtringens. *Henricus Regius Medicationum. lib. 3.*

Obſervationes.

Pica plumbum appetens.

Filia Conſulis Amſtelredamenſis, tantùm non delectata, verùm avidè, & ad ſatietatem uſque fruita ceſpite ſulphureô, ac plumbi laminis minutatim conciſis, ad inſtar alimenti vel maximè familiaris, incidit tandem in morbum, ut diutinum ac moleſtum, ſic ſummè exitialem, cum linguâ aſperâ, animi deliquiô, præcordiorum anguſtiâ, ventriculi dolore, liene obſtructô, alvô ſuppreſsâ, uteri ſuffocatione, pallidô corporis habitu, aliiſque inſanabilium & deſperatorum affectuum indiciis. De quorum cauſâ, quò diutius celaret Medicum ſuum virgo pudibunda, hoc plus nocuit ſuæ ſanitati; donec tandem vi medicamentorum ſub adſpectum caderet plumbum ſcalpello conciſum, dentibuſque tam næqualiter demorſum, ut cuilibet ipſius particulæ, bini, ternive inhærerent aculei; à quibus ut plurimum doloris percepere inteſtina, ſic nocuere plurimum ventriculo ac meſenterio, cum lutulentum ceſpitis ſulphurei cænum, tum ceruſſa plumbo inſidens, quam Medici ſiccis venenis annumerant. Indeque eſt quòd Galeno, Vitruvio, Columellæ, Mercuriali, aliiſque etiam diſpliceat, aqua quam plumbei tubuli adducunt; quam credunt adeò non convenire homini, ut etiam animalibus ſit inutilis ac pernicioſa. Vis plumbi, ceruſſæque, quæ ſecundum Dioſcoridem acetô inde elicitur, vis, inquam, eorum ulterius periculum facere? Vide ſis artifices qui plumbo & ceruſſæ operam navant; omnes ſunt decolores, & tantis anguſtiis obſeſſi, ut præ irrequietô corporis motu, ſummâque ſpiritus difficultate, vix unquam in cubili quieſcere, aut ad reficiendas vires, ſomnum capere liceat. In quem utique inextricabilem errorem ubi ſe implicitam animadvertit miſera hæc virgo, ſuppudebat quidem ipſam aſſumtorum, & ubique præſto erant Medici ſuppetias laturi; ſed jacta erat alea, & jam actum de ipſius ſalute, antequam potuit expelli qui ipſam obſederat hoſtis. *Nicol. Tulpius Obſerv. Medicar. lib.4.*

De Puella Pica laborante.

Puellam vidi Carolſtadii in Comitatu Leiningenſi, 4. ferè annorum, quæ ex parentum relatione quotidie multum calcis atque luti de parietibus deglubere & deglutire ſolebat, ut fœminarum picantium more faciem admodum pallidam inde contraxerit. Quandoquidem vero nulla increpatione inhiberi poſſet, ſuaſi parentibus ut particulam ſemper mechoacannæ albæ admiſcendo puellam fallerent, quæ ſaburram illam corroſivam in ſtomachi cavo reſidentem ſucceſſive educendo egregie conferre ſolet. Vid. *Illuſtr. D. D. Febrius Ann.* 1. *Obſerv.* 83. Conſtat vero exinde picam non virginibus tantum atque mulieribus, ſed & puerulis ſæpe familiarem eſſe, iis præprimis, qui ex matre chloroſi laborante nati ſunt, ſicut id Riverius in praxi ſua bene monet, & in proprio ſuo filio 3. annorum obſervavit Faber. Neque viros, ſpeciatim melancholicos ab hoc affectu immunes eſſe, Riverius, Schenckius & alii teſtantur; quin imo bruta quoque pica laborare certum eſt, quam in felibus idem *Centur.* 4. *Obſervat.* 43. in canibus vero & porcis *Acta Anglorum Vol.* 1. *pagina* 742. obſervarunt. *D. Michaëlis Bernhardi Valentini.*

Pica picis.

Fœmina quædam Amſtelodami gravida pica laborans,forte fortuna præterit locum aliquem, qui Belgice dicitur, ter hoore, ubi obducuntur naves pice,vel ubi pix coquitur in uſum navium:

Illa videns picem avide appetit, & panem candidum in ea intinctum lautè comedit, ac ſi ferculum opiparum eſſet.

Scholium.) Quænam adpetitus hujus depravati cauſa extiterit, vix determinare certo licere, equidem videri poſſet, cum non conſtet, an fœmina hæc cæteroquin inculpata omnino ſanitate gaviſa fuerit; qua vacillante alias, & ventriculi fermento à naturali conſtitutione recedente (quod in gravidis ob intermiſſam ſanguinis evacuationem menſtruam, & hinc collectos vitioſos humores inprimis contingit) inſolitas res pro adpetitu vitioſo compeſcendo, & ceu medicamentum à quibuſdam deſiderari, ſunt qui ſtatuunt. Aſt cum deſiderium illud non niſi in certum aliquod corpus feratur, aliis æque notis, & eadem, quinimo majori virtute, peccans nempe fermentum emendante, præditis, nullo modo expetitis, aut etiam noxia plane qualitate quæ ſunt instructa, deglutitis, res inſuper tota natura ſua inſuaviſſimæ cum pro delicatiſſimis ut plurimum habeantur, quandam phantaſiæ læſionem concurrere, & circa objectum expetitum revera delirium & mentis imbecillitatem adeſſe, mihi probabile videtur; quamvis in cæteris ſuis actionibus tales non deſipiant. Particulares quippe ejuſmodi mentis aberrationes dari, novum non eſt, & vel melancholicorum quorundam, circa certum aliquod objectum quandoque unice delirantium, ſatis tamen alias mente ſibi conſtantium, exempla teſtantur. Et quis non fermenti ſtomachici innocentiam, phantaſiæ vero errorem, ex aliis conſimilibus obſervationibus evidenter colligat, ſi picam pretioſam, qua in fila oculata fœmina quædam ferebatur, apud Harsdorfferum in dec. I. Ann. I. Eph. Cur. Obſervat. 83. Citatum, item filorum è veſtibus extractorum apud Trincavellium; delectationem à fœtore veterum librorum, ſitu, blattis & linteis corruptorum, apud Salmuthum; à barbæ lanii procerioris vellicatione, apud eundem; à vento ex follibus, à frigore carbonum foſſilium pedibus contritorum, in Actis Philoſ. Angl. conſideraverit? Cum vero gravidas animi adfectibus admodum eſſe obnoxias, videamus, idque à ſpirituum quadam inopia & imbecillitate, utpote ad formationem fœtus non exigua copia concurrentium provenire queat, hinc pica eas inprimis laborare non eſt mirum. Unde & ſanas alioquin gravidas adpetitu illo inſolito corripi poſſe, ſequitur. Ea etiam eſt naturæ humanæ depravatio, ut in vetitum niti negataque cupere ſoleat. Quare gravidam in hac Obſervatione memoratam, (cui ſimilis fuit fœmina à Cl. Bierlingio in præced. Ann. II. Ephem. obſervat. 209. & altera à Foreſto lib. 8. obſerv. 7. in ſchol. deſcripta,) ſi corpore ſana extiterit, nativa illa & ex ſpirituum in fœtus formationem inſumtorum pauperie, aucta mentis imbecillitate ductam, fortuito picis, rei ſatis nauſeoſæ, & hinc gulæ alias non conceſſæ intuitu, illius in deſiderium ferri, atque ceu maxime ſapidum quid, conſiderare eam potuiſſe, arbitror; præcipue cum fœminas impotentioris ut plurimum præ viris eſſe animi; adfectuſque ejus minus frenare poſſe, certum ſit. *D. Joh. Ludovici Hannemanni.*

Malacia fœminarum.

Cum Noribergæ adhuc praxi operam darem, accidit, ut mulier quædam gravida, cum in foro publico tranſiret tabernam piſcium induratorum & ſalſamentorum, conſpecto dolio halecum muria conditorum, malacia ſtatim, prægnantibus conſueta, infeſtata, halecum ex muria crudorum ita pene duodecim, ſine omni noxa & ventriculi offenſa eſitaverit.

Alia quoque gravida ibidem ad macellum ambulans, cum videret hominem nudis cruribus ad balneum in vicinia feſtinare, inſtanter rogavit, ut ſuræ nudæ morſus binos concederet infigere, poſito pretio; uno conceſſo, ſed altero præ dolore denegato, fœmina mœſta abiens paucos poſt dies gemellos peperit, unum vivum alterum demortuum. *D. Georg. Wincleri.*

Scholion. Schröckii. Depravatus adpetitus, quem picam vel malaciam vocant, in quam varia inſolita, abſurda & noxia feratur, abunde ex hiſtoriis notum; hinc piſces & gammaros vivos, angues, lacertas, araneas, lanam, corium, pelles crudas, crines, ſtercora, tartarum, atramentum, frumentum crudum, lignum, carbones, picem, reſinam, ſtramen, goſſypium, ſtupam, fila, chartam, ellychnia & emunctoriorum contenta, lapides, arenam, lutum, terram, cretam rubram, fictilia, calcem vivam, ceſpites ſulphureos, glaciem, ceruſam, plumbum &c. quaſdam devoraſſe, legimus, Mirum, ut cum Marcello Donato libr. 4. medic. hiſtor. mirab. c. 1. loquar, avidiſſime expeti, quæ alias ſano guſtu & ventriculo exiſtente, aſpernari ſolent, imo ita abhorrere ut ne tantillum, quamvis magno pretio pollicito, deguſtarent. Hæc ſcilicet animi quandam imbecillitatem, errorem, vel delirium arguunt, ſuavitatem aliquam in rebus inſuaviſſimis ſibi imaginantis. Quamvis enim, ventriculi fermentum à conſtitutione naturali recedens hic occurrere, negari minime poſſit, adeoque res illæ inſuetæ medicamenti ſæpe vices ſubire queant, ita ut vitioſum eſurinum humorem emendare, obtundere, ac quaſi præcipitare valeant, unde etiam mirabiles Pulveris cachectici in morbo hoc percurando effectus reſultant, tantopere à Laz. Riverio cent. 4. obſervat. med. 93. commendati; phantaſiæ tamen læſionem concurrere utique certum eſt; quam eleganter expreſſit D. Bernhardus Suvalve ventric. querel. & opprobr. pag. m. 292. ſtomachum his verbis, electivum certorum ciborum adpetitum explicantem, producens: Simplex certe meum expletionis deſiderium eſt manetque. Cerebrum imagine hujus vel illius capitur, diſtinguit ac dijudicat. Cujus deliramenta ex aliis ejus perverſis inclinationibus abunde conſpiciuntur, & præclaris exemplis ab Henr. Salmutho centur. 1. obſerv. med. 41. & cent. 2. obſ. med. 63. illuſtratur, fœminæ nempe partui proximæ, libidine barbam lanii procerioriem vellicandi captæ, & virginis, quæ fœtore veterum librorum à blattis & tineis exeſorum, ſituque prorſus corruptorum unice delectabatur, illiſque naſum totos dies immittebat: Sic & aliorum naſum alii,

alii, ſterquiliniorum, aſſæ fœtidæ, &c. odori inhiare notum eſt. Conferantur quoque binæ obſervationes à Nathan. Fairfax in Act. Philoſoph. Angl. num. 29. cap. 5. §. 5. productæ, mulieris videlicet ventum ex follibus, & alterius fragorem carbonum foſſilium pedibus contritorum adpetentis, adeoque phantaſiæ in cerebro aberranti à Viro Clar. adtributæ. Hinc adfectum illum, præter medicamenta humoris fermentalis diſcraſiam emendantia, rationis adminiculo exſtirpare ſtudent Medici, periculum ab inordinato iſto adpetitu metuendum exponentes, alioque modo ſpiritus in rectam viam reducentes: qua ratione virginem pellium illarum argenteo vel aureo colore nitentium deſiderio captam, dolo & artificio curatam memorat Dominic. Panarolus pentec. 3. obſerv. Med. 28. Qualis vero potentia ſpiritus, cerebri incolas, ad miras iſtas voluptates diſponat, dictu eſt perquam difficile; cum conſueto quidem in nonnullis, (quæ ſanè in puellis, cretæ, &c. eſui, ad putatitiam formam & pallidam elegantiam inducendam, primo ſtudentibus; poſtea ſenſim adſueſcentibus deprehenditur, ab Ant. Gunth. Billichio lib. 2. obſerv. ac paradox. chimiatr. cap. 12. hunc in modum reprehenſis: Quid plumbum voraret, nemo hactenus tam fuit plumbeus, præter virgunculas fatuas ac ſtolidas, quibus non ſatis erat ceruſſatam habere faciem, niſi & in ſtomacho vim fuci experirentur, plumbarentque interanea. Sic periiſſe juvat, & ob cadaveroſæ formæ infelix aucupium marceſcere, &c.) non ſemper tamen locum hic inveniat; ut adeo ſingulari idioſyncraſiæ locum primarium concedendum eſſe, optime determinet Illuſtr. D. Academiæ Naturæ Curioſor. Præſes, D. Joh. Michaël Fehrius in Ann. 1. Miſc. Curioſ. obſerv. 83. Cæterum imaginationis vitioſæ luculentum etiam præbet deſiderium carnis humanæ, non cujuſvis, ſed hujus vel illius ſubjecti, in altero exemplo ab Auctore noſtro propoſitum; quod depravati & laſcivi animi ſignum merito vocat Rodericus à Caſtro lib. 3. de morb. mulier. cap. 9. atque haud dubio ſimilibus adpetitionibus naturalibus laborare pleraſque omnes, jocatur, quem tamen adpetitum ratione moderentur & evincant prudentiores, conſtantes atque honeſtæ. Quibus itaque nec gravidam illam adnumerare licebit, cujus Ludovicus Vives comm. ad cap. 25. lib. 27. D. Auguſt. de civit. Dei meminit, morſus cervicis juvenis cujuſdam denudati ardore flagrantem, & quæ abortum pene feciſſet, ni, avidè infixis dentibus, momordiſſet; nec illam, quam, ex Parentum ſuorum relatione, brachium viri cujuſdam ter momordiſſe, eodemque die tres infantes enixam fuiſſe, Salmuth. cap. 1. obſerv. Med. 41. recenſet, nec non quam Joh. Langius lib. 2. Epiſtol. Medic. 12. morſus humeri piſtoris denudati, alteramque nudi pedis ſacerdotis, ut & aliam maritum ipſum percharum devorandi deſiderio captam refert; quibus quoque addenda Donati hiſtoria de gravida, morſu viri cujuſdam toroſi & ſucculenti armos adpetente, & poſt primam avulſam carnem, à nova laniena cum repulſa fuiſſet, præ mœrore ac dolore gemellos parturiente, uno vivo, altero mortuo; id quod etiam in Auctoris noſtri obſervatione, & prima illa ex Langio indigitata contigit. Cujus eventus cauſam Donatus in ſpiritus vitales ex mœrore imminutos, atque humores fœtui alendo deſtinatos alio averſos, nec ad uterum delatos rejicit, unde infantem alimento, quo illum mater explere voluerat, vel elangueſcere, vel emori contingat. Quamvis ubi, ſanguinem ſpiritibus vitalibus dotatum, & humorem nutritium uno eodemque tempore æqualiter ſemper ad gemellorum utrumque ferri, nec, uno per alimentum refecto, ad alterum demum idem transmitti, conſideramus, ratio hæc exigui ſit momenti; meritoque abſtruſiorem aliquam ſubeſſe cauſam, neceſſum ſit, modo eventus in iſto fœtus vivi ac mortui partu fortuitus non exſtiterit.

Maritus pro uxore gravida Pica laborans.

Singularem caſum virorum judicio an opprobrio exponendum adducam, ſed riſum teneatis amici, cum Buxovillæ in Alſatia adhuc degerem, ſæpe audivi de Fabro jam ſene, quod uxoris ſuæ quando gravida facta fuerit, perſonam egerit, dum maritus pro uxore vomeret & pica laboraret. Quod de illo, Bohn nominato, vix bona fide crediidiſſem, niſi ipſius quoque filius, maritus jam factus cum præſens adhuc eram, talia qualia pater ſeu pateretur ſeu ageret. Rarum etiam in hoc ſexum maſculinum degenerare, quem tamen ad generandum natura primarium fecit: & mirum, quod non & hic pater ſuum non degenerem filium, aut filius nepotem, quem generavit, pepererit. Cauſam in marito poſſem quidem conjicere, in effluvia ſympathica, ſi & ipſa vomuiſſet: cur vero ille ſine illa vomuerit, obſcurior eſt ratio. Videtur fidem huic hiſtoriæ facere majorem ſimilis ferè affectus, quem fortuitum quidem plerumque, & non ſine joco dictum judicant plurimi, ego vero in aliquibus viris, etiam ex propria ipſorum obſervatione, perpetuum & conſtans vidi, quod quoties uxor eſſet gravida, toties dentium dolore laborarit maritus.

Scholion.) Opportunè puto hic inſeri poſſe, quæ Primeroſius L. 2. de Error. Vulgi in Medic. cap. 13. p. m. 66. ad explicandum ſimilem caſum adducit: Ridendus mihi videtur error, quod vir credatur ægrotare, iiſque affici ſymptomatibus, quibus ipſa mulier prægnans ſolet, illudque experientia confirmatum volunt plurimi. Habui ægrum febre laborantem cum urina valde accenſa & turbida, qui ægrotationis ſuæ nullam cauſam agnoſcebat, quam uxoris ſuæ graviditatem. Nullibi terrarum, quam in Anglia, id obſervatum memini me audiviſſe aut legiſſe unquam. Pergit deinde prædictus Primeroſius, mulieres præcipue corpore cacochymico primis geſtationis menſibus perferre vomitus, cibi faſtidia; picam, malaciam, tormina, &c. ob ſuppreſſa menſtrua; unde cum vir cauſas ejuſmodi affectuum in ſe non habeat, ſed ſola uxor, ipſam ſolam ægrotare rationi conveniens fit. Et ſi maritus eo tempore ægrotet cum uxor gravida, non ab uxore infectus putandus erit, ſed ex peculiari corporis vitio id patitur: non novum etenim virum & uxorem ſimul poſſe ægrotare. Si graviditas eſſet morbus contagioſus, cur viros, quos natura immunes ab hoc labore fecit, inficeret, & non alias mulieres. Si

ex graviditate uxoris id pateretur, cur ipſa eo tempore incolumis permaneret, cum cauſæ naturales prius agant in proximum, quam in remotum, adeoque mulier tales noxios humores ſecum ferens, prius ipſa gravius ægrotaret. Nec admittenda, quæ de ſympathia, antipathia, contagio, faſcinatione aliiſque nugis aſſeruntur. Concludit tandem: male cum viris ageretur, ſi quoties uxoribus ſupprimuntur menſes, toties non ipſæ, ſed illi laborarent. *D. Reiſelii.*

Pica magica.

Quæ vulgò occurrunt humanarum actionum ludibria, ea omnia ad naturalium cauſarum ſeriem referre velle leve nimis videtur & temeritati proximum; & ut ſpecioſa quædam in illam rem adferri ſoleant, non tamen ſic comparata eſſe video, ut ſeverius examen ſuſtineant. At cum in naturalium & quotidianorum effectuum cauſis deducendis pleraque aciem noſtram effugiant, inſolens ſit in remotiſſimis quibusque & abſtractivis conſcientiam arcanorum ſibi vindicare. Cognitum fere eſt ex humorum naturâ & mechanico partium poſitu, quousque activitatis ſphæra, uti loquuntur, naturaliter excurrat, quæ ipſa cum ſint regula ſui & obliqui, quod de recto dicitur, de actionibus præter naturam, in quantum & illæ modum inde accipiant, perinde exiſtimandum eſt. Sunt peregrina quædam & inſolita, quorum conſpectus initio horrendus cum tempore naturalium cauſarum recenſui pulchre ſe accommodat; ſunt alia, quæ ſi juxta circumſtantias ſuas moroſè excutiantur, quamvis ſpecie & afficiendi modo illis ſimillima, tamen abnuunt ingenii aleam arcanioris principii ductui relicta. Adeò ego, qui in illa animorum oſtentatione luſus quoſdam & conſideratæ diſputationis acumina admirari ſoleo, eſſe puto, ubi naturalibus mediis plurimum, principio autem cuidam ſpirituali omnis cauſandi ratio relinqui debeat, ſphæram noſtram ſupergreſſa. Inter illa, quæ ſæpe eveniunt, Prodigia, Naturalia alia eſſe, alia Magica, non temere inficiandum. Sunt morboſarum actionum quædam eccentricitates, ut ſic loquar, quas facile intenſis duntaxat ejuſdem actionis aut qualitatis gradibus cum ratione concilies. Eſt Appetentiæ cujusdam enormis ſpecies, Picam vocant, non Virginum duntaxat & Matronarum, ſed & Virorum & Puerorum ludibrium; hujus cauſam ſit fortè ad fermenti acrioris & exaltati naturam retuleris, aliquid ſane dixeris, ſed de modali & ſpecifica ejus ratione, quod factum oportuit, nihil adhucdum conſtiterit. Accedat labefactatæ aut errantis Phantaſiæ vitium, quod acri agitatum fermento ad abſurda & inſueta deducat, necdum tamen omnia in vado. Videant ergò, qui ſic ſentiuet, an eò ſpectnt, quod ex ore Juvenis Sueci, cui ipſi hoc contigerat, habeo. Conflictabatur is Upſaliæ, ubi ſtudiorum cauſa degebat, cum Pica planè peregrina, dimidio namque anno toto orexi laborabat tanta, ut nullis cibis vulgaribus, quantumvis ſolidis, ſatiari poſſet, adeo & duriſſima quæque & ipſa Metalla, æs, ferrum, argentum, ut fortuna objiceret, appetebat avideque hauriebat; inter alia correptum ferreum cultellum digiti longitudine dentium molitione diu fruſtra fatigatum abligurivit totum, qui cum aliquot poſt dies ab alvo dejiceretur, ſemeſus apparuit & aliqua ſui parte minor; certe tam mollis factus erat tamque friabilis, ut digitorum attritu in Crocum faceſſeret. Hujus fruſtum ſibi vindicavit etiamnumque ſervat D. Olaus Rudbequius, rariſſimi ingenii Vir Orbiſque Arctôi ornamentum. Erant autem duo duntaxat in ſeptimana dies, quibus hoc morbo tentabatur, Lunæ iſte & alter Jovis; cæteris diebus ſui compos victu & cibis iiſdem utebatur, quibus alii quique ejuſdem contubernii hoſpites. Dentes autem hominis à commorſicatione Metalli nummorumque repertorum, nam & hiſce vexandis indulgebat, comminuti plane erant & attriti, & cum mihi illos oſtenderet, vel dimidio minores. Nullis hic morbus medicinis parebat, ſed tempori & ſex menſium patientiæ relictus, uti ſubitò venerat, ita, implorata tamen prius, quod narrabat, Sagæ mulieris opera, deceſſit. Quamvis autem aliqua in hoc caſu ſe exſerant, quæ nec inſueta ſint, nec Naturæ ordini contraria, ſaltem affinia morbo iſti, quem Picam vocamus, tamen aliæ circumſtantiæ, nimirum iſte Dierum delectus & ſanationis peregrinæ formula, novæ alienæque imo Magicæ ſanationis præſtigias tantum non indicare videntur. Naturale eſt Avibus, ſtruthioni, Caſuario, aliiſque Ferri Metallorumque laminas appetere objectasque vorare, non quidem in alimentum, ſed alimentorum comminuendorum ſubſidium; imo verò pleriſque omnibus avibus proprium eſt ac familiare Ferri, Calculorum, Arenarumque ſcobe, frenandæ non tantum appetentiæ, ſed etiam cibi, quem amant durum, attenuandi inque pollinem vertendi ergò, ad ſatietatem paſci; quid quod hominum quoque nonnullorum ea ſit infelicitas, ut appetitus, quo laborant, vehementiam alio, quam aſſumtis copioſè lapillis, domare non poſſint; ſed in quo nihil alieni aut magici eſſe facile perſuadeor. *Joh. Nicolaus Pechlinus Jn Obſervationibus Phyſico-Medicis.*

MALUM MORTUUM.

Species eſt ſcabiei contumaciſſima, comitem habens pruritum, cruſtas nigras, lividas & plumbeas cum partis affectæ deformitate, ab humore atrabilario & acri originem ducens. De ejus cura vide in Cutis vitiis.

MAMMARUM MORBI.

Mammæ ſunt corpora è glandulis veſicularibus, tubulis ex ipſis aſſurgentibus, vaſiſque variæ indolis, arteriis ſcilicet, venis, lymphaticis, ac nervis in eaſdem abundantiſſimè implantatis, compaginata. Quorum omnium qui accuratam expetierit deſcriptionem, adeat Anatomicos, interque eos, ſi ita lubet, Diſſertationem de Mammis Bibliothecæ noſtræ Parte ſecundâ, inſertam. Hic tantùm paucis de morbis partes haſce afficientibus. Sunt autem illi mammarum magnitudo aucta, vel deminuta

minuta, flacciditas, tumores, inflammationes, eryſipelas, quibus adde foveam, ulcera & fiſſuras, ſymptomataque à lacte orta. Magnitudo aucta fit à glandulis ſucco ex inferioribus partibus, præ obſtructione à quacunque demum causâ facta, refluô, turgidioribus; vel adipe copioſiori circum ipſas aggeſta propter alimentum ſcilicet pinguius in iis quaſi devium, &c. Ejus hiſtoriam adducemus raram in ſequentibus è tranſactionibus Anglicis. Magnitudo diminuta pendet vel à defectu pinguedinis, glandularumque veſicularium mammas præcipuè conſtituentium conſtipatione ac corrugatione, vel ab alimenti defectu, eò ſcilicet per arterias, ac forſan nervos parciùs advecti. Flacciditas vel naturalis eſt à laxiori compage glandularum, vaſorumque, ac fibrarum ipſas colligantium, originem trahens; vel adventitia, ſcilicet à mammarum frequentiori ac longiori ſuctione enata. Tumores ſunt diverſi generis, flatulenti, ædematoſi, ſcrophuloſi, ſcirrhoſi, cancroſi, ac ipſe denique mammarum cancer ulceratus. Inflammatio & Eryſipelas nihil habent peculiare in hiſce partibus, ut nec ulcera. Fiſſuræ papillas in primis infeſtant, oriunturque vel à ſero acriori unà cum lacte extillante, ac papillas lacerante, vel à ſugentis ſalivâ nimis ſalſuginoſâ, vel ab ipſa ſuctione vehementiori, quâ vis aliqua in papillarum fibris efficitur. Fovea rarus eſt affectus quem Riverius Cent.3. Obſerv.57. deſcribit. In eô fit conſumptio quædam mammæ, cute manente integrâ; unde non immeritò hic morbus ad cancri occulti naturam accedere dicetur, cujus ſcilicet vi arſenicali, ac verè cauſticâ quicquid glandularum, pinguedinis, ac fibrarum muſculoſarum cuti ſubjacet, ad coſtas uſque abſumptum quandoque obſervatum eſt. De ſymptomatibus à lacte ortis, vide ſuprà cap. de Lacte ac Lactatione.

In magnitudine aucta commodè adhibentia diſcutientia, aſſumptis interim medicamentis expurgantibus, ac aliquatenus deſiccantibus, cibiſque paululum adſtringentibus. Inter diſcutientia laudatur aqua ſtillatitia ex conis pini viridibus, decoctum alchymillæ, imò oleum cicutæ, &c.

Si minor magnitudo fuerit naturalis, nec ab aliquô affectu conſumente dependeat, aut ſi ſanguis minùs commodè ad mammas decurrat; blandis utendum contrectationibus, frictionibus, cucurbitulis, fotu vini albi, imò & lactis, cui incocta fuerint aromatica cum emollientibus, de ſinapiſmis nihil addo, quia mihi non ita tutum videntur medicamentum, qualicunque demum cum cautione adhibeantur. Sin verò gracilitas hæc ab affectibus febrilibus carnes & pinguedinem in totô abſumentibus originem trahat, non aliter illi occurrendum venit quàm remediis de quibus abunde in atrophiâ, febre hecticâ, phthiſi, &c. eoque propterea lectorem remittimus.

Flacciditas curari poteſt in junioribus; at in vetulis, iiſque quæ ſæpius pepererunt, ac infantes ſuos lactârunt neutiquam. Applicanda ſunt decocta, fomenta, unguenta & emplaſtra adſtringendi, ſiccandi, fibraſque mammarum, tonumque veſicularum mammariarum firmandi vi prædita, quorum omnium materia exquiri poterit in radicibus tormentillæ, biſtortæ, pentaphyli, plantaginis, caryophyllatæ; foliis centinodiæ, burſæ paſtoris, anſerinæ, equiſeti, millefolii, leviſtici, cupreſſi, myrti, quercus, ſalicis; flor. roſar. rubr. balauſt. baccis myrti, nucib. cupreſſi, glandibus quercus, malicorio, alumine, aquâ aluminoſa, bolô Armenâ, terrâ Lemniâ. Quidam laudant remedium pro quo.

♃. Putamin. ovorum perdicum & ceræ q. ſ. ut fiat ceratum, mammis inungendum.

Vel, ♃. Radic. lilior. albor. ex iiſque cum oleo & cerâ paretur ex arte ceratum.

Vel, ♃. Muſcum pruneoli ſylveſtris, incoque in aceto forti & expreſſum mammis imponito.

Vel, ♃. Olei roſat. ℥vj. Succi vincæ pervincæ ℥iij. Succorum menthæ & ſalviæ minor. āā ℥iß. Coquantur ſimul igne lentô ad ſuccorum conſumptionem; colentur & exprimantur. In oleô expreſsô liquefiant ceræ flavæ ℥iij. Semirefrigeratis adde maſtiches ſubtiliter pulveratæ ℥ß. Imbuatur illis tela, mammis imponenda. Hoc remedium non minoris eſt efficaciæ in mammarum flacciditate; quàm in lacte ab iis arcendo poſt partum; qui ultimus uſus præcipuè laudatur à Dominô Charras in ſuâ Pharmacopæâ.

Tumores imò *Cancer* mammarum capitibus de tumoribus, ac cancrô ſatis ſuperque explicantur additis remediis aptis.

Fiſſuris papillarum prodeſt mucilago gummi tragacanthæ ex aquâ roſarum & plantaginis extracta; item albumen ovorum aquæ roſarum immixtum & fruſtulô aluminis agitatum. Non inefficax etiam eſt balſamum ſaturni, ſebum hircinum cum melle, aqua calcis cum albumine ovi ad linimenti conſiſtentiam agitata, pulvis amyli, lactis lunæ, mel roſaceum, vel etiam ſyr. roſar. rubr. Si verò fiſſuræ ſint profundiores, ac in ulcus abierint laudatur remedium, pro quo.

♃. Cancros vivos, contuſos, coagulum vitulinum, & cremorem lactis, coquantur ſimul, iiſque expreſſis fiat linimentum.

De *Foveâ* vide in ſequentibus Obſervationem ex Riveriô.

De *Inflammatione* & *Eryſipelate* vide propria capita.

Curationes quorundam è mammarum affectibus ex Harthmannô.

Inflammationem mammillarum præcipuè ſedant Epithemata externa.

Sic Epithema ex thure & myrrha coctis cum acet. & vino tepidè applicatum (ſi dolor vehementior, addantur Laudani opiati gr. ij. iij. iv.) inflammationes incipientes tollit.

Sic Vernix præparata & emplaſtri locô applicata inflammationes tollit & abſceſſus prohibet: Cicuta ſimpliciter tuſa inflammationes à lactis redundantia ſedat, abſceſſum prohibet.

Internè in ejuſmodi inflammationibus ſubitò auxilium ferunt ſpecula illa pennarum Pavonis (*die oberſte Spiegelfeder allein*, ubi ſignatura mammarum) quarum 3. vel 4. diligenter cultrô in minimas partes ſciſſa & aqua menthæ exhibita ſeu abſorpta ſtatim proſunt.

Abſceſſibus adhibeantur 1. diſcutientia. 2. maturantia. Ulcera faciliùs non curantur, niſi ab oleo

oleo nucis juglandis expreſſo & leniter (ſartagine inſpiſſato) poſteà cum turundis applicato.

Præſtantiſſimus eſt Balſamus Sulph. Rulandi, qui ità fit.

♃. Sulph. vel florum Sulph. ℥ ij. Ol. papaveris expreſſi ℔j. Vini boni ℥ iij. Macerentur per 8. dies & noctes levi igne aliquoties movendo, poſteà bulliant igne carbonum lentiſſimo uſque dum Vinum conſumptum fuerit ſemper movendo. Tandem cola ſeu trajice per laciniam & ſerva. Vide curat. 29. cent. 1. Rulandi. Item Emplaſtrum diaſulph.

♃. Olei Sulph. ℥ iij. Ceræ ℥ß. Colophoniæ ℥ iij. Myrrhæ ad pondus omnium, cera, Colophonia, oleoque liquefactis inſpergatur Myrrha ſubtiliſſimè trita paulatim, igneque lento coquantur ſpatulâ ſemper agitando donec permixta fuerint benè, poſteà nimirum poſt horæ partem ab igne deponantur, paulatim frigeſcant.

Obſervationes.

Fovea in mammâ.

Rarus eſt iſte caſus. Nobilis matrona annum agens 51. temperamentô bilioſô & melancholicô prædita, ante decennium ſubitò terrore correpta eſt, ex repentinâ infantis ſui morte à nutrice incautà interfecti. Hinc menſium fluxus omnino ſuppreſſus eſt, nec unquam ampliùs ab eô tempore apparuit. Poſt duos annos exortus eſt in parte ſuperiori mammæ ſiniſtræ tumor ſubdurus & oblongus, digiti craſſitiem æquans. Paulò pòſt apparuit in parte inferiori ejuſdem mammæ, tumor alius exiguus & rotundus, qui intra paucos dies foveam effecit in eâdem parte exiguam, & ſine dolore; quæ fovea ſenſim incrementum ſumſit, ut intra biennium dimidiam fere mammæ totius partem ad interiora retraxerit, & in fundo illius cutis coſtis adhæreſcere videretur: In ambitu verò illius fundi quædam percipitur durities, quæ compreſſa digitis doloris ſenſum inducit. Aliquando ægra in totâ illâ parte dolorem pungitivum percipit, ſed exiguum & raro evenientem. Præterea calore intenſô afficitur in regione hepatis & dextrâ thoracis parte.

Habitô conſiliô, ſancitum fuit hunc affectum ad cancri occulti naturam accedere. Cùm enim maxima ſit humoris melancholici & atrabilarii naturæ varietas; fit ut ab illis humoribus variæ formæ ejuſdem ſpeciei morbi contingant. Vulgò humor melancholicus aduſtus cancrum efficiens, craſſus eſt, & tumorem durum producit, qui tandem putredinem & acrimoniam acquirens, partem exulcerat, & ulcus inſanabile producit. In hôc autem caſu humor ille tenuis eſt; ideò tumorem perexiguum efficit; ſed præterea humor ille malignam quandam ac diſſolventem qualitatem habet, quâ partis ſubſtantiam colliquat & abſumit; quemadmodum videmus quædam ſalia erodendi & exulcerandi vi prædita, qualia ſunt ea ex quibus cauteria potentialia componuntur; quædam verò diſſolvendi duriſſima corpora, ex quibus fiunt aquæ fortes, lapides & metalla diſſolventes; imò acetum lapides diſſolvit, cutem tamen non erodit. Sic in microcoſmô generantur ſalia ſimilibus facultatibus prædita, quæ humoribus permixta admirandos effectus producunt. Ita in hoc caſu humor qui à naturâ in mammam, ſeu partem mollem & ſpongioſam expellitur, ſubſtantiam illius ſenſim diſſolvit & abſumit; ita ut fovea illa majus in dies recipiat incrementum. Judicatus fuit iſte affectus incurabilis, eique tantùm curam palliativam eſſe adhibendam, metuendumque ne tandem pars ulceretur, introductâ majori acrimoniâ. Remedia præſcripta fuerunt alterantia, ſerum lactis, aquæ minerales, cauteria, opiata ſpecifica, & ſimilia. Topica verò lenientia humoris ferociam & humectantia, ut linimentum ex oleô roſac. ſuccô plantagin. & ſolani cum mercuriô crudô; unguentum de ranis viridibus à Chalmetheo deſcriptum capite de cancrô: Linimentum è butyrô & oleô violaceô cum ſale ſaturni, fotus ex aquâ roſar. cum ſale Saturni. *Lazarus Riverius Obſervationum Cent. 3.*

Pro Mammarum Inflammatione.

Puerpera cum lactare infantem inciperet, ſenſit immenſum cruciatum in mamilla dextra, cum rubore & duro tumore renitente, in ambitu papillæ; aderatque febris: mox cognoſcere potui inflammationem eſſe: juſſi primum inungere hoc unguentô.

♃. Mucilag. ſem. pſyllii ℥ß. Bol. Armen. ʒij. Olei roſac. aceti roſac. an ʒ ij. M. F. unguentum: die ſequenti cataplaſma applicui ex farina hordei, lacte & ol. roſac. poſt duos dies addidi huic cataplaſmati ol. chamæm. lil. farinæ ſemin. lini & fœnugræc. portionem; quia ſuppurabatur: ſequenti die dolor augebatur & febris, pure genito, applicui hoc cataplaſma.

♃. Farin. hord. fabar. an. p. j. ſem. lini, fœnugræc. an. pß. fl. chamæm. p. j. rad. lil. & ireos, an ℥ß Coq. & contund. addendo ol. chamæm. ℥ij. Croci ℈j. F. cataplaſma: ſequenti die reiteretur addendo ficuum num. 10. farinæ orizæ ℥j. caulium malvar. coctarum & contuſ. unà cum lardo ʒvj. apparebat abſceſſus acutus, pure ex contactu refugiente, juſſi fermentum cum pulpa cæparum coctarum applicare, ſequenti die ſponte ruptus eſt abſceſſus, puris magna copia profluente ad dies binos: impoſui turundam cum Terebinthina & melle, tandem pauco immiſſo balſamo integrè curata eſt. *Felix Platerus. obſerv. lib. 2. pag. 521.*

Puerpera alia mammæ inflammatione laborans, intra paucos dies ſanata eſt his duobus remediis, primis diebus facta fuit embrocatio ex duabus partibus olei roſati completi, & una omphacini: ſequentibus diebus admotum eſt bis in die unguentum de althea. *Lazarus Riverius. obſerv. 41. cent. 1.*

Juvenis mulier circa nonum graviditatis menſem correpta eſt tumore mammæ ſiniſtræ cum tenſione, rubore & pulſatione. Vocatus Chirurgus cataplaſma de mica panis ſtatim admovet, unde tumor admodum increvit, vocatus ego cataplaſma præſcribo ex farina fabarum cocta in oxycrato, ſæpè immutandum, quia intra paucas horas exſiccatur: intra duodecim horas inflammatio ablata eſt, tumorque admodum imminutus, & intra paucos dies omnino evanuit. *Lazarus Riverius. obſ. 74. cent. 4.*

Pro

Pro Mammarum duritie & tumore.

Sequenti linimento quo ego cum maximo fructu in tumoribus mamillarum utor, locus affectus inungi poterit.

℞. Gummi ammoniac. ℥j. Ol. amygd. lil. alb. ping. gallin. an. ℥ij. Succ. cicutæ ℥iv. acet. ſcillit. ℥ij. M. maneantque in infuſione horas viginti quatuor, in loco calido, poſtea coq. ſ. a. colatura cum forti expreſſione ſervetur ad uſum, in præparatione autem hujus linimenti, danda eſt opera ut lentiſſimo igne coquatur, neque humiditas ſucci & aceti omnino inter coquendum abſumatur, nullius enim valoris eſſet medicamentum, ſingularem habet efficaciam in tumoribus ex viſcida materia ortis in quacunque parte corporis fuerint, linimento iſto calidè inuncta mamma ſequens poterit applicari emplaſtrum.

℞. Empl. de mucilag. & de melilot. an. ℥ij. Gummi ammoniac. in aceto ſcillit. diſſolut. ℥iß. M. F. ſ. a. Emplaſtrum, addendo parum ceræ ſi opus eſt. *Guil. Fabrit. Hildanus. obſerv. 25. cent. 3.*

Virginis cujuſdam mamma tumuit, indurata fuit, doluitque vehementer: illam hoc modo curavi, mane & veſperi inunxi mammam affectam balſamo ſulph. noſtro. Poſtea applicavi empl. diaſulphuris noſtrum; quibus indies tumor, durities & dolor diminutus fuit, ac paucis interpoſitis diebus ad ſuppurationem pervenit, apertaque eſt in multis locis, & brevi ad optimam ſanitatem reducta eſt, nam hæc duo remedia valent ad mammarum omnia vitia etiam ulcera cancroſa. *Martinus Rulandus. curat. 2. cent. 8.*

Cataplaſma ex caulis virentibus foliis & ariſtol. rot. oleo communi veteri incoctis ſuper mammam ſcirrhoſo tumore affectam die noctuque geſtabit, ita ut ſingulis octo vel ſex horis permutetur: ſi tumor in carcinoma videatur degenerare, utendum erit oleo roſac. completo cum portiuncula lithargyri in mortario plumbeo diu agitati. *Joh. Zecchius. conſult. 14.*

Mulier Nobilis puerpera laborans tumore mammæ ſiniſtræ præduro ex concretione lactis, irritis omnibus remediis ex arte per menſem integrum uſurpatis, curata eſt ſumendo ʒj. pulv. millepedum præpar. in juſculo per triduum: hujus autem pulveris eximias dotes ſæpe vidimus & audivimus ab expertis in hujuſmodi tumoribus ex lacte concreto, nec non etiam in cancro mammarum ac reliquarum partium, ut contigit cuidam viro, qui patiebatur ulcera multa profunda in multis corporis partibus, præcipuè verò in tibiis, à quibus brevi tempore curatus eſt, ſumendo ʒj. prædicti pulveris per ſeptem vel octo dies, alternos, præmiſſis tamen præmittendis. *Simeon Jacoz. obſervat. 29. cent. 4. obſerv. Riverii.*

Fœmina Trimammia.

Trimammiam fœminam, infantem heic apud nos lactantem, vidi, quæ tres habet Papillas, totidemque ſororientes Mammillas, duas ſcilicet in ſiniſtra pectoris parte; quarum quæ inferior eſt, quaſi ſuppoſititia æquè lactifera eſt & prominula ac ſuperior. Unde etiam, vel hoc ipſo, palmam mulierculæ, ab Excell. T. viſæ, (cujus meminit Cel. Bartholinus Epiſt. Medic. Cent. 4. ipſam Excell. Tuæ adducens Epiſtolam p. 452.) dubiam facit; cum ipſius tertia Mamma virili tantum ſimilis eſſet, hujus verò, muliebrem per omnia æquiparans, non differat à cæteris, niſi quod aliquantulum minor ſit. *Ex epiſtolâ M. Georgii Hannæi Orthin. 1. Jul. 1675. ad D. Olaum Borrichium.*

Tres Mammæ.

Mulier quædam nudius tertius mihi oblata fuit, cui tertia Mamma in dorſo conſpicua eminebat, ſed ſine papilla. Nihil verò incommodi exinde ſenſit, niſi quod de tuſſicula & raucedine conquereretur. An exinde dependeat, affirmare non auſim; ita verò illi perſuaſum.

P. Borellus Cent. 1. Obſerv. 49. pariter in Rachele Rey, muliere Caſtrenſi tres obſervavit Mammas, nempè duas in locis ſolitis, & tertiam ſub ſiniſtra, ſed cæteris minorem, lac quidem effundentem, ſed non æque ac reliquas. Quod de Mammarum aucto numero, id de papillis quoque obſervatum, meminit Borell. l. a. in Gabriela Gleiſe. fœmina Caſtrenſi, binas papillas in una Mamma Naturam effeciſſe, non multum inter ſe diſtantes; idem videre contigit. *Jacob. Hollerio* apud *Schenck. lib. 2. rar. Obſervat. tit. de mammill. Obſerv. 8. f. 304.* Et pronuper Anno 1667. Exc. Kerckringio Amſtelodami oblata fuit mulier, quæ ex dextra mammilla lac duplici fudit papilla, quo per annos quatuor infantem aluit, altera fuit in loco à Natura deſtinato, altera verſus axillam ad latitudinem tranſverſorum quinque digitorum deſcendens, quæ lac fudit copioſius propter ſitum inferiorem. *Vide Eund. in Obſerv. Anat. 21. p. 49. D. Thom. Bartholini.*

Annotatio ad Obſervationem de tribus Mammis.

An Mammæ in Animalibus debeant numero fœtus reſpondere? Hanc quæſt. enodaſſe libello de ſemine genitali, qui interiit, Scalig. profitetur; falſum tamen pronuntiat axioma eſſe, in ſuis Comment. Sus ſæpè 16. habet fœtus, nec tamen tot mammis ſcatet; mulier interdum ternas parit proles, imò ſeptem, ut in familia Porcellorum Patavii factum, duabus tamen mammis gaudet. Attamen vivit Romæ fœmina honeſta & juvenis, quæ cum marito ſuo plures filios filiaſque, ſed ſingulos omnes procreavit, quæ tamen à Natura quatuor dotata eſt Mammis, quæ omnes Lac habent. *Joh. Faber. Bamberg. Not. in Recch. f. 475.* De alia Muliere 4. Mammis inſtructa *Benedict. Cabrolius Obſervat. Anat. 7. D. Ph. Jac. Sachs à Levvenheimb.*

Mammæ in dorſo.

Bartholomæus Salevvski, nobilis Polonus, vir fide dignus, in Inſula Macarſar; (veteribus Celebes) mulierem vidit, quæ mammas ſuas in dorſo habens, eas ſub axillis protractas infanti dabat, & firmiter aſſerebat integro conſanguinearum ſuarum numero hanc monſtroſitatem eſſe propriam. *D. Joh. Ottonis Helbigii.*

Mam-

Mammarum muliebrium repentina & ingens Inflatio. Ex Actis Anglicis menſis Octob. Anni 1669.

Domine mi, ut perilluſtris Domini in Barbariam Legati mandatis morem gererem, Tuæ dominationi Phænomenon & facti materiam exhibeo, quæ pro ſua raritate atque miraculo minori mei, à Tua Dominatione ob meam præſumptionem reprehenſione, & minori, propter ab aliis avocationem, offenſione lectionis favorem obtinere poteſt. Res evidens & certa eſt, poteſt præterea à multis hominum millibus certificari, ſed imprimis ab excellentiſſimo dicto Domino Legato, qui ocularis ejus teſtis fuit, & mihi in mandatis dedit, ut Tuæ Dominationi perfectam miraculi narrationem exhiberem, quod ita ſe habet.

Elizabetha Trevers 23. vel 24. annorum nata, vultu eleganti, crinibus nigris, valida conſtitutione, ſtatura parva, honeſti nominis, ſed infimæ & pauperis prope hanc urbem cognationis, Veneris die, Julii 3. 1669. proba fruebatur ſanitate, & ſana lectum petiit, quo ſomnum & quietem, æque bene ac unquam antea habuit; Cumverò manè ſurrectura erat, & experrecta ſeſe movere in ſuo lecto cõtendens, id facere non potuit, cum ſuas mammas adeo inflatas invenerit, ut tota terrore attonita remanſerit, tum aſſidere allaborantem ejus mammarum pondus ad lectum depreſſit, quo ſemper exinde jacuit, abſque tamen omni dolore vel infirmitate in mammis aut aliis partibus.

Cum ejus rumor increbuiſſet, multi Medici & Chirurgi illuc venerunt, quorum aliqui ſuas mammas amputandas conſuluerunt, cui omnino adverſus eram, emollientem & temperamente calidum fotum conſulens; ipſi verò ſemel exhibui bolum, cum ******, quo recepto, 10. motiones deorſum habuit, & inflatio nonnihil minuta eſt, ſed puella per duos vel tres dies poſtea debilitata fuit, ut nihil hujuſmodi deinceps tentare auſus ſim, ſed quia menſium ſuppreſſionem per 6. retro menſes paſſa erat, diuretica nonnulla & ſanguinis menſtrui prolectamenta illi præſcripſi; phlebotomiam etiam moliens; Mulieris mammarum tubuli admodum duri & inflati ſunt, & quidem integræ mammæ nihil videntur eſſe, niſi hujuſmodi tubuli; nihil verò ineſt venti vel aquæ quoad divinare poſſumus; mamma ſiniſtra 5. librarum ponderis ferme eſt, ſed recta nonnihil minor, cutis verò tergi, colli & ventris ad mammas retracta, ut diſtentioni ſufficiat videtur. Mammarum menſura hæc eſt.

Vide Figu am Volum. I. Tab. V. Figura I.	ped.	digit.
Rectæ mammæ circumferentia - - - - -	2.	- 7
Siniſtra mamma - - - - - - - - - - -	3.	1½
Rectæ mammæ longitudo à claviculis	1.	- 5½
Siniſtra mammæ longitudo - - - - - -	1.	- 7½
Rectæ mammæ, ut jacet, diametrus	1.	- 1
Siniſtræ longitudo - - - - - - - - -	1.	1½

Huc uſque, Domine mi, certiſſimam rei notificationem habes.

Quid verò mirandos hujuſmodi integrarum mammarum tumores tam ſubito, una nocte, efficere poſſit, nos maxime ſuſpenſos habet; nihil ſufficiens, hac in re nobis in Plateri, Roderici à Caſtro, Fontani, Foreſti vel alius modernorum, qui de morbis mulierum tractavit, ſcriptis, quod mihi innotuerit, æquale reperitur huic, quod offerri poteſt ex datis ſanguinis circulatione, lymphaticis ductibus vaſiſque chyliferis thoracicis, & probabiliter aliquibus capillaribus vaſis, illuc in eorum progreſſu ad ſubclaviales per muſculos intercoſtales tendentibus pro mea prolixitate ſuppliciter rogo &c. *Plymoutii* Julii 10. 1669.

Reſponſum à Guilh. Durſtonio D. M. De magnarum mammarum mulieris, cujus mentio fit in num. 52. morte, una cum eo, quod in ejus corpore obſervatum fuit.

Gratias, Domine mi, pro Tuis literis, quæ mihi non redditæ ſunt propter meam abſentiam uſque ad hunc diem, Tibi reddo. Eliſabetha Trevers Jovis die mortua eſt, Octobris 21. ſequenti die Chirurgum appellavi, & aliquos alios, ut præſentes eſſent apertioni & ſublevationi illius mammarum quamvis unam tantum amputaremus, videlicet majorem, quæ ſiniſtra erat, & cum illam ponderavimus, reperimus eſſe 64. librarum ponderis. Quando eam aperuimus, (id autem fecimus plurimis in locis) neque aquam neque humores cancroſos, nec aliud quodvis vitioſum, præter prodigioſam magnitudinem cernere potuimus; Tububli vero & parenchyma admodum candida & ſolida erant, nec alia, quam inſaluberrimis mulierum mammis vel aliorum animalium uberibus conſpeximus. Appetentiam & quietem multis antehac ſeptimanis amiſerat, valdeque de ingenti ſuarum mammarum diſtentione querebatur, atque ejus corpus valde emaciatum erat; Unam menſuram hic incluſam Tibi committo, quæ amborum ejus mammarum latitudinis, dum in menſam mortua repoſita eſt, erat, dico à remotiſſimo unius extremo ad aliud, quam invenies trium pedum, duorum digitorum & ſemiſſis, atque aliam menſuram circumferentiam oſtendentem ejus mammarum ſecundum longitudinem, videlicet 4. pedum & fere 4. digitorum, item aliam quæ latitudinis circumferentiam exhibet, videlicet trium pedum. 4. digitorum & ſemiſſis.

Rectam mammam non amputavimus, ſed eam 40. librarum ponderis fuiſſe exiſtimamus; ante aliquas ſeptimanas ſalivationem ejus incepi, quæ ſuas mammas aliquibus digitis in circumferentia minuit; Cum vero non morigera ad fluxum continuandum reperta ſit, pergere non auſus, ſed deſiſtere coactus ſum, admodum vero aliquandiu poſtea reſtaurata eſt; Cum vero hanc methodum faſtidiret, cauſticum applicui, cujus eſchara cecidit, ſed nihil prorſus è mammis exiit, tum cultro inciſorio uſus ſum, & inciſionem 2. digitos & ſemi profundam, cum cauſticum putarem non ſatis profunde pertigiſſe, confeci, ſed non majori emolumento fuit quam prius.

De

De Abſceſſu in Mamma Lactantis cujuſdam, cum folliculo.

Fœmina quædam quatuor liberorum mater, ex lactis corruptione inſignem dolorem ac tumorem mammæ ſuæ dextræ perpeſſa, neſcio cujus ſuaſu, Medicaſtri cujuſdam ſatis imperiti curæ ſe ſubmittit; is Emplaſtrum quoddam ex allio quod aiunt & caſeo putrido paratum, ſuperimponit; rupto abſceſſu, neque turundam immittit, neque abſtergentia decocta aut alia mundificantia adhibet, ſolo ſuo Emplaſtro, (ſanum certè fœtore ſuo offendens,) contentus: conſolidato tandem ſpontè vulnere, integre ægra ſanatam ſe putat, niſi quod duritiem adhuc avellanæ magnitudine ſuperſtitem, ſine tamen dolore, perſentiſceret: ingravidata paulo poſt, tumor hic excreſcere videbatur nonnihil, nullo tamen urgente dolore, rem parvi pendebat, & filiolam rebus ſic ſtantibus feliciter in lucem editam, uberibus ſuis optimè & copioſè alebat, indies ingraveſcente ac indureſcente malo: accedit dolor, qui nimium intenſus, eam ad ſalutaria & affectui huic magis reſiſtentia remedia inquirenda, impellit; meum itaque auxilium implorat, ablactata filiola, Emplaſtrum quoddam vi anodyna & emolliente ſingulari præditum, ſuperimpono, quo vix per aliquot dies geſtato, abſceſſus ſponte ruptus, puris inſignem quantitatem cum folliculo lacteo unciam ſemis pondere adæquantem, excluſit, & tantæ quidem tenacitatis, ut quovis modo agitatus, nullam rupturam pateretur, exactè alias veſiculam felleam repræſentans, niſi quod lacte putrido repletus, lacteo quoque colore imbutus fuerit: qua materia excreta, mundificato & conſolidato methodicè ulcere, cura feliciter finita fuit, nulla ut ante duritie, nullo tumore ſuperſtite.

D. Joh. Pauli Wurffbain.

Prima cancri mammillarum origo.

Quam feliciter carcinoma geminum cordatiſſimæ fœminarum Chiſiæ ſuperiori hyeme ſublatum ſit, alterum ſectione, pharmacis alterum, luculento tuo, Vir celebratiſſime, D. D. Thoma Bartholine, calamo expediundum delego, quod D. Simoni Paulli, Moinichenio, Foſſio, Medicis experientiſſimis, mihique adeo junctus rei feliciter gerendæ conſilia ſociaveris; unum ego tantum attingam, quod in accuratiore radicis ſecti jam carcinomatis contemplatione mihi obſervatum. Ad vivum graſſatus erat ferro chirurgus dexter Hacquardus, partemque muſculi pectoralis malo viciniſſimam, nè ex reliquiis metuenda eſſet recidiva, una abſtulerat. Hic qua extima muſculi ſuperficies proxime tangit glanduloſam illam mammarum ſubſtantiam, nodus in conſpectum venit, avellanam magnitudine æquans, ſanguine duriori, coloris ſaturi, & ad nigrum inclinantis diſtentus, unde obſcuri quidam meatus in reliquum mammæ corpus hinc inde proſerpentes magnam ejus partem infecerant, & in ſubſtantiam albam, duram, firmam, & quaſi cartilagineam, pinguiuſculam tamen converterant, ſinubus hinc inde variis quaquaverſum diſcurrentibus, & ſero, ſed pauco refertis, nullo adeo minutarum glandularum (ex quibus ſana conſtat) veſtigio. ita corruptus humor omnem partis affectæ habitum confuderat, & ex infinitis glandulis unum quoddam calloſum magma effecerat. Similia fere inſecta ſub idem tempus mamilla Funcciæ obſervata, niſi quod in hac malum provectius, & mæandri ſero fœtidiſſimo diſtenti patentiores. Sed quod ad primam mali ſpectat originem, utraque εὔσαρκος & bene habita, utraque quinquageſimum ætatis annum nuper egreſſa, utraque, quo tempore menſtrua ſolenni naturæ conſuetudine deſinunt, venæ ſectionem neglexerat. Hinc ſanguis in corpore abundantior, cum ſuetum per infernas vias procurſum non inveniret, levi triſtitia, levi iracundia excitatus ad vicina cordis erupit, inque confinio pectoralis muſculi, cedente facile molli glandularum mamillarium ſubſtantia, ſeſe liberius extra arteriam effudit; jamque motu & carens paulatim cœpit aceſcere,

Ut capiunt vitium, ni moveantur, aquæ,

quotidie corruptior redditus, noviſſime in proximas ſubjectæ mammæ glandulas fœdum halitum derivare, unde ſerpſit pedetentim in vicina malum, & invaluit. Ut proinde non male ſibi conſulant & id ætatis plethoricæ, & paulo juniores, ſi miſſione ſanguinis, & pacatis animi perturbationibus ferocem adeo hoſtem declinent. Vidit & hic imminuendum quoquo modo ſanguinem divinus Hippoc. unde l.2. de Morb. Mulier. μελλόντων δὲ, inquit καρκίνων ἔσεσθαι, ἢν λύθῃ τὰ ἐπιμήνια, ὑγιὴς γίνεται. Quanquam autem frequenter inteſtinis his cauſis primordia ſua debeat infamis cancer, naſcitur tamen etiam non raro ab externis, ſed ubique, non niſi ſanguine prius extra vaſa ſua violenter protruſo, &, ubi hæret, aceſcente. Vidi Pariſiis, quæ ex alliſa de improviſo poſti feneſtræ mamilla, & imperitius tractata, malum contraheret. Ea erat generoſi animi fœmina Moiſettia, vixdum quadragenaria, quã ex cauſa tam levi, & initio fere ſpreta corripuit ſenſim infauſta lues, & depaſta penitus ad ſternum mamilla ſiniſtra, per canalem patulum in dextram ſe effuderat; illaque jam ſemilacera ad axillam uſque dextram perreptaverat, fœda aſpectu, livida labris, ichore putida, jamq; quadriennium integrum duraverat inter hæc mala periti ſſimi cujuſq; opem fruſtra implorans, cum acceſſitus in urbem, clarus jam ante cancri domitor, Petrus Alliot, vir rerũ Medicarum & Chimicarum ſcientiſſimus, manum ulceri admovit, & nobiliſſimam fœminam extrema jam omnia metuentem feliciter aſſeruit. Enimvero inſperſit quotidie fœdo ulceri albicantem quendam pulviſculum, unde poſt horulæ ſpatium (viſa mihi loquor) levis coorta febricula, quæ tamen mox ceſſavit, & quieem ægræ indulſit. Ita continua pulveris hujus inſperſione ſeſquimenſe effecit, ut vulneris labra ex livido in rubicunduſ lum terminarentur colorem, & ichor ſeroſus paulatim in coctum laudabiliter pus verteretur. Quo facto vulgaribus ſarcoticis miniſtrante chirurgo plagam conſolidavit. An tamen durabilis hæc cura fuerit, quod ſperabo ex Pariſinis Medicis nondum licuit reſcire. Interea cùm præparationem illius pulveris celaverit Alliottus lucro intenſior, non deſtitit tamen ingeminare, malum illud carcinomatis ex acido peculiariter corruptо pronaſci, ideoq; lixivio peculiariter temperato ſanari; de quo ut diſertius ſe ſe expediret, ſententiam ſuam ſcripto ſed minuto evulgavit: quod ut paucorum manibus tritum non gravabor hic annectere.

Nuntius. Profligati ſine ferro & igne Carcinomatis, miſſus, ducibus itineris Hippocrate & Galeno, ad Chirurgiæ ſtudioſos. A Petro Alliot, Barroducæo, Ducis à Lotharingia Conſil. & Med. ordinario Pariſiis. 1665.

An φαινόμενα carcinomata ἀγωνιστικῶς curari poſſunt arcano alkali ἡγεμονικῷ remedio?

I. Spiritus in nobis ſeu influus, ſeu inſitus, ſalſus eſt, de alkalium proſapia, balſamus item, quia partem, cujus eſt ſpiritus, cuſtodit, ac præſervat: hujus autem vel alteratio plus minus intenſa, vel ſeu diſſipatio, ſeu extinctio, ſeu ſuffocatio, tandem pandit putredini, cujus individuus & inſeparabilis comes eſt acor, ſpiritui illi balſamico prorſus hoſtilis: ut vero nullum ulcus ſeu purulentum ſit, ſeu ſanioſum & ichoroſum, datur abſque putredine, ſic planè nullum ulcus abſque acore, qui quidē pro diverſo ulcere multiplex eſt, alius leproſi narcoticus, alius gangrænoſi necroticus, alius ſcabiei pruriginoſus, alius carcinomatis διαβρωτικὸς, alius luis Venereæ, anthracis, eryſipelatis, lichenis, herpetis, morbillorum atq; id genus, inſtarq; fermenti partem affectam, ejuſq; alimentum multifariam labefactat ac corrumpit.

II. At enim vero ſal alkali, ſeu lixivioſum (aut quocunque tandem alio nomine ſal omnis acoris expers appellare licet) ſeu naturale ſit quale eſt in animalibus fel, ſeu artificiale, quale eſt ſal tartari & ejus liquor per deliquium; ſeu volatile, quale eſt in lapillis aſtacorum, ſeu fixum, qualia ſunt omnia ſalia elixiviata, ſeu ſaporis ſalſi, qualis eſt ſpiritus incoërcibilis nitri magnarum in Medicina virium, ſeu amari, quale eſt in abſinthio; ſeu denique acris, quale eſt in antiſcorbuticis, aro, ſerpentaria, hoc, inquam, ſalis genus cuilibet acido eſt verè ἐναντίον, alterumque ab altero contemperatur, ſitq; neutrum ex utroque, teſte paſſim experientia, non juvat propterea quodlibet ulcus ab alkali qualicumque curare, inprimis carcinoma, cujus acidum & volatile fermentum inſtar aquæ chryſulcæ corroſivum, ut ſpernit mitiora quæq; alkalia, ita tantum abeſt, ut à validioribus, ſi liquabilia ſint, (qualia ſunt pyrotica) miteſcat, ut contra propter ſubitam fermentationem, & partis vicinæ colliquationem, plurimum ab iis exacerbetur febris aliaque ſuperveniant ſymptomata: igitur ſic præparentur, neceſſe eſt, ut & fixa ſint, & in aqua inſolubilia, quod certe remedii genus non eſt ἀπόρρητον, nec dum hactenus à quoquam deſcriptum, bene autem, atque exacte paratum ſi parti ulcere cancroſo obſeſſæ imponatur, ſenſim, ac ſine doloris ἀξιολόγου ſenſu, tuto, citoque acorem καρκινώδη necat, (quod ferro & igne obtinebis) idque quod carcinomate deturpatum fuit, deſiccat in eſcharam intacta parte ſana, & fermenti acidi experte, ipſa vero eſchara vel à natura, vel ab arte ſeparata, ulcus ante ichoroſum fit purulentum, quod tum mundificandum, & mundificatum cicatrice claudendum.

III. Etſi vero Medici omnes poſt Hipp. & Gal. omnium carcinomatum, tam quæ φαινόμενα in corporis habitu tangi poſſunt, & μετὰ τῶν ῥιζῶν ἐκτεμεῖν καὶ καῦσαι δυνατόν ἐστι, quam quæ μὴ φαινόμενα ἐν βάθει τοῦ σώματος deliteſcunt, quæq; propriè κρυπτὰ dicuntur Hipp. cum vel ſine ulcere facta per ἐπιγένεσιν, vel tantum vitio partis oborta, continentē cauſam ſtatuant μέλαιναν ἀκριβῶς χολὴν humorum nempe ſeu ex bile flava aduſta, ſeu ex ſucco melancholico retorrido genitum, ineoq; agnoſcant τὸ ὀξῶδες acidum, non qualecumque ſed τὸ δριμὺ acre, τὸ διαβρωτικὸν, corroſivum, καὶ τὸ δακνῶδες; mordax inſtar aceti acerrimi, quodque ζυμοῖ τὴν γῆν, terram fermentat, poſſitque ejuſmodi acidum ut aliud quodcunq; longe potentius à contrario alkali contemperari, & ſub jugum trahi, non tamen indifferenter omni carcinomati ſal alkali etiam exactiſſime, & ut ſupra inſinuatum eſt, paratum opponi debere cenſendum eſt, ſed illi tantum, in cujus radices, ita dicam omnes & ſingulas penetrare poteſt, ne minima illius fermenti maligni particula ſuperſtite, malum tandem de integro repullulet, ut liceat concludere.

Ergo φαινόμενα carcinomata ἀγωνιστικῶς curari poſſunt arcano alkali ἡγεμονικῷ remedio.

Hæc experientiſſimus Alliot. Idem à me interrogatus de prima mali hujus radice, ſtatuit eam ex arteriis exſudare, & paulatim in corpus degenerare maligne fermenteſcens. Adjecit ſe aliquando radicem poſt ſectionem chirurgicam inveniſſe, nervi craſſioris fruſtillo ſimilem, ſed altera extremitate concavam ad inſtar cupulæ glandis. Et credibile ſane eſt alia atque alia facie ſubinde apparere, ſecundum coctionis diverſitatem. *D. Olai Borrichii.*

MANIA & MELANCHOLIA.

I. MElancholia & Mania ſunt tam affines morbi, ut vices ſæpe commutent, alterq; in alterum non rarò tranſeat. Non ineptè itaq; eos uno eodemque complectemur capite, adnotatis utriuſq; differentiis; quas primo ex definitionibus colligere eſt.

Melancholia eſt ea mentis alienatio, qua laborantes, cogitant, loquuntur, & efficiunt abſurda, eaque ſine febre, ſed cum metu & triſtitia, abſque ulla cauſa apparente.

Mania verò eſt mentis diuturna emotio, ad melancholicorum quidem deliramenta accedens, ſed cum feroci audacia atque furore.

II. Pars affecta eſt cerebrum, illudque liquet ex imaginatione ſimpliciter læſa in melancholicis cum timore & triſtitia; atque ex furore, vigiliis perpetuis & audacia maniæ familiaribus. Non negamus interim alias etiam compati partes, vix enim ſpirituum animalium, imò & animæ ipſius ſedes affligitur, quin partes eorundem regimini ſubjectæ male habeant.

III. Cauſa melancholiæ nobis non erit ſpiritus animalis tenebricoſus & niger, unde anima in ſpiritibus, tanquam in aqua limpida, aut terſo nitidoque ſpeculo, haud amplius rerum imagines ſinceriter ac liquido contueatur, ſed ob caliginem terrore & metu perturbetur; hæc enim ſunt inania omnino verba; ut & ſicca atq; calida cerebri intemperies ab humore atrabilario oriunda, cui Galenus maniam tanquam fœtum legitimum accenſet. Præſtat ſanè ad ſpirituum animalium inordinationem, in mania majorem & vehementiorem, in melancholia verò mitiorem recurrere; inordinationi enim illi deliria omnia ſuos debent natales; jam verò inordinationem hanc faciunt, vel gravia infortunia, vel alia cerebrum perturbantia, quæ recenſere longum foret. Sanguinis autem conſtitutio cum in melancholicis ſit craſſa & acida, ſpiritus inde orti naturæ ſunt fixioris, aut ſaltem minus volatilis, unde non mirum ſi illis quæ ſemel preſſerunt veſtigiis diutius immorentur, minuſque facilè ſe ſe extricare valentes, animam in eadem cogitatione diu & obſtinatè detineant. In maniacis vero partes ſanguinis ſali-

no

no acidæ ita ſunt exaltatæ, ut ad ſpirituum nitroſorum naturam propè accedant, impetumque (ſi ita dicere liceat) ad inſtar pulveris pyrii, facere ſemper ſint paratæ.

IV. Differt melancholia à mania, quod hæc furorem comitem habeat, illa verò minimè. Variæ præterea dantur melancholicarum affectionum differentiæ, alia enim dicitur idiopathica, quæ indeſinenter affligit, etſi incrementis atque laxamentis ſit diſcriminata, fitque, ut credunt, ab humore intra cerebri limites propriè coërcito; alia ſympathica, quæ fit à materia, unde ſit etiam ſit, in cerebrum incurſante; alia particularis quæ circa objectum quodpiam in ſpecie verſatur, alia univerſalis quæ eſt amentia ad omnia, aut pleraque propoſita ſeſe extendens; & rurſus particularem quod ſpectat ea eſt quaſi Protheus variis formis & figuris ſuos ægros ludens, hic enim metuens ne Athlas mundi onere gravatus ipſum excutiat, fugam extra mundi limites meditatur, ille è butyro ſe compaginatum credens, ignis viciniam averſatur, ut & ille qui ſe totum ſtramineum reputat, ille ſe è vitro conſtructum opinatus, corporum durorum viciniam & alliſionem reformidat, ille ſe mortalitatem expleviſſe autumans, intra ſepulchrorum clauſtra recondit. Sed quid omnia imaginationis & mentis læſæ in melancholicis ludibria perſequimur, innumera hæc ſunt, inter quæ ſufficiat hæc attigiſſe.

V. Incipientem melancholiam ſignificant demiſſio & hebetudo animi, ſui ſuorumque negligentia, vitæ tanquam acerbæ & amaræ contemptus, metui tamen aſſociatus. Maniam præcedunt vigiliæ, parva deliramenta, multiloquium, aliaque id genus. Cum verò melancholica atque maniaca ægritudo totam jam acquiſivere vim in eo conveniunt, quod in utraque adſit inſania, ſed dum revera maniaci cogitatione, verbo, aut opere, melancholicorum deliramenta imitantur, iracundia, jurgiis, clamoribus & horrendo adſpectu, multò denique majore corporis impetu & perturbatione mentis ab hiſce dignoſcuntur; nam ut habet Fernelius à morbo ita impelluntur, ut quaſi feræ & immanes belluæ, in obvios dentibus, unguibus, & pugnis inuſitata rabie petulanter invadant.

VI. Melancholia quamvis gravis & moleſtus morbus, non eſt tamen lethalis, ſecundum Hippocr. ſanatur à varicibus & hæmorrhoidibus. Si verò in maniam abierit, tunc difficillimè curatur, tum per ſe, tum per ægri inobedientiam. Interim hic morbus ex Hippocr. effato ſolvitur ecſtaſi, dyſenteria, hydrope, varicibus, hæmorrhoidibus.

VII. Indicationes ſunt 1. ut humor melancholicus præparetur, evacuetur, atque fervor ſanguinis & ſpirituum in maniacis extinguatur 2. ut nova humoris generatio impediatur 3. ut viſcera affecta corroborentur.

VIII. Hiſce indicationibus implendis facient 1. ratione melancholiæ, potius alterantia atque particularia remedia, quam purgantia validiora, atque univerſalia dicta medicamenta, itaque venæſectiones ſint rariores eæque inſtituantur vel in pede, vel in venis ſedis per hirudines, vel in vena frontis, idque præcipuè ſi æſtus, febris & plethora adſit, nam tunc per plures vias ſanguis etiam largiori copia venit educendus. Clyſteres ſint frequentis uſus vino emetico etiam prægnantes, eos concomitentur variæ decoctiones viſci quercini, ligni ſaſſaffras, cortic. rad. cappar. & tamariſci, fol. naſturtii, flor. geniſtæ, ſambuci aliorumque; poſt ad purgationem deveniatur tum per pilulas, tum per pulveres, tum per potiones &c. & tandem ad ſalia volatilia, & fixa, chalybem, aquas minerales & balnea eatur. 2. Ratione maniæ, primum locum tenet ſanguinis miſſio, & ſæpiùs & copioſiùs repetita, ita ruſticum empiricum vidit Fælix Platerus qui maniacos curare ſolebat ſeptuageſies una ſeptimana venis diverſis in locis apertis. Cucurbitulæ applicentur, clyſteres injiciantur eique acres; purgantia ſint ex reſina jalappæ, elleboro nigro, ſcammonio, mercurio vitæ, criſtallis lunæ aliiſque id genus; interim non omittantur narcotica & anodyna tum extus, tum intus; quidam tanquam ſecretum commendant pulverem è ſanguine muli menſe majo educto & deſiccato, ad ℨ1. aliquoties exhibitum, alii balneum aquæ frigidæ atque etiam iteratam immerſionem in fluvium, lacum, aut mare, imò etiam in caſu deſperato trepanum. Plura vide capite de phrenitide.

Medicamenta pro melancholia & mania.

Folia meliſſæ, verbenæ, epithymi. Rad. Scorſoneræ. Omentum hirci, pica, ſanguis aſini & muli, anas vivum, ſpirit. viperarum, noctuæ caro. Lapis Armenus, lazuli. Elixyr vitæ Quercet. pilulæ tartar. ejuſdem, ſulphur vitrioli anodynum, aut ſaltem primum ens veneris ipſi ex parte reſpondens, magiſter. vitrioli, oleum gagatis, pulvis ſtomachicus Quercet. tinctura corall. Baſilii, antimonialiaque omnia.

Formulas quod attinet eas hic non alias adducemus quam ex Hartmanno petitas pro ſpecificis ipſi habitas, aliæ enim commodè ſatis colligi poſſunt tum ex iis quæ mox in curatione, tum ex aliis quæ in variis capitis morbis adduximus; ſic itaque ille.

In melancholia præter purgantia inter quæ ſpecificum Paracelſi purgans meritò laudandum, valet 1. eſſentia croci cum aqua vitis deſtillata, ſc. aqua hæc ex vitibus inciſis colligitur, poſteaque conſervationis gratia deſtillatur. 2. extractum alkermes cum extracto gummi ladani, adjecta particula ambræ & moſchi in forma pilularum, extractum autem illud Kermes ex ſucco pomorum redolentium paratur, & diutius conſervatur, ſi poſt confectam præparationem ſpiritus vini admiſcetur. 3. extractum lapid. lazuli quod ſic paratur.

℞. Lapid. lazuli q. v. Candefiat ſexies, vel ſepties, & toties extinguatur in ſpir. vini, tandem in pulverem redigatur, & cum aqua meliſſæ ipſius recrementa terrea eluantur. Pulvis tenuiſſimus cum ſpir. vini digeratur per ſeptimanas tres vel quatuor. Poſtremò per deſtillationem aufer ſpir. vini à toto, & remanentiam diligenter ſerva. Doſ. à ℈ß. ad ℈i.

Melancholicos item pulvis fumariæ ſæpius exhibitus liberat, item aqua & conſerva helenii, ut & eſſentia chelidonii minoris in me-

lancholia hypochondriaca mirè conferunt.

Aqua antihypochondriaca.

℞. Flor. borragin. bugloſſ. ſtœchad. arabic. ana ℥ß. fol. roriſmar. major. meliſſ. ana ℥iiß. Rad. bugloſſ. ʒii. Pœoniæ ʒi. forſan melius eſſet pro 3. ℥. habere. Aq. bugloſſ. borrag. ana ℥iii. Syr. granat. ℥iiß. Pulver. cinnam craſſiuſculè contuſi, galang. caryophyll. croci, Sem. baſilic. an. ʒi. Affunde vini Rhenenſis ℔iii. ſtent in infuſione per duo treſvè dies; deinde deſtillentur in B. In mania poſt vomitorium, ſumat per aliquot dies decoctum anagallidis flore purpureo, ſine omni additamento. Præparetur ſimul & hoc lixivium capitale

℞. Herbar. cephalic. cum florib. q. v. Coque in aq. fontana, deinde

℞. Baccar. lauri, Rad. hellebor. nigri ana q. ſ. Contundantur ſimul craſſiuſcule & inſuantur ſacculo interpaſſato ac longiori; ſacculum incoque aliquandiu in propoſito lixivio. Tandem per novem dies continuos accipe ſingulis diebus lixivii iſtius ℔ii. calefac & cum linteis in eo madefactis leviterque expreſſis fove caput raſum per integram horam. Poſtea ſacculum iſtum applica ſuturæ coronali (quandiu calet) cum bona ligatura. Patiens recumbat in lecto, & ſi fieri poteſt, quieſcat. Tum mira expurgantur per omnia capitis emunctoria, & alvus ſimul aliquandiu fluit. Unde colligitur à quibuſdam uſum ellebori apud veteres fuiſſe externum potiùs quam internum.

Atque hic finem explicationi iſtorum morborum faceremus, niſi de lectoris commodo omnino crederemus rurſus adducere quæ in hoc capite accuratiſſimè ſcripſit Doctiſſimus Laurentius Bellini ſuo de morbis capitis elaboratiſſimo tractatu.

Maniæ Antecedentia.

Temperamentum corporis ad bilem, & melancholiam vergens, virilis ſexus, æſtas, & autumnus ad maniæ productionem faciunt: & qui venæ in cubito conſpicuum pulſum habet, is furibundus in acerbam iracundiam facilè præceps eſt, cui vero quieſcit, lentus eſt, & quodammodo torpet, ut ait Hippocrates. Purgationum conſuetarum ſuppreſſio, ut per hæmorrhoides, menſes, fiſtulas, ulcera, varices: diuturna mæſtitia, cura, ſollicitudo, excandeſcentia, venena. Et hæc remotius. Magis proximè Maniam præeunt dolor capitis aſſiduus, vigiliæ contumaces, ſomni breviſſimi, atque leviſſimi, inſomnia turbulenta, curæ, & ſollicitudines moleſtæ, terrores ex levi cauſa, præceps, & frequens iracundia ex nulla, vel levi occaſione, ſplendores obverſantes oculis, aurium ſonitus, proclivitas ad Venerem inſueta, pollutio nocturna frequentior, riſus præter aſſuetudinem, & rationem, loquacitas inſueta, & ferè aſſidua, vel taciturnitas meditabunda. Maniam autem mox inſtantem præit delirium, vel melancholia quacunq; levi de cauſa, & ſimul ineptus, & obſcœnus riſus, & qui prius mitis erat, levi de cauſa excandeſcit, animo vehementer perturbatur cum oculorum obtutu intento, fixo, torvo. Pulſus durus, urina prærubra ſine ſedimento cum contentis ſublime petentibus, ſeu levi nube. Phrenitis etiam, & furor eroticus præcedunt.

Conjuncta.

Delirium ſine febre, furor, audacia, temeritas, loquacitas, jurgia, iracundia, ſævities in ſe, & alios pugnis, manu, unguibus. & quibuſcunq; modis licet, propriarum veſtium proſciſſio, carnium laniatio, illatio manuum in ſe, atque occurrentes quoſlibet, quos ſubitò, ac toto impetu invadunt: admirabile univerſi corporis robur, quo fit, ut nulla vi cohiberi aliquandò poſſint, aliquandò validioribus vinculis illigati eadem proſcindant. Oculi pluribus ſanguinei, aſpectus torvus, & truculentus, vigiliæ contumaciſſimæ vel per ſolidos quatuordecim menſes teſte Fernelio. Violentiſſimi motus fere continui, abſtinentia à cibo, potuque conſtans, & diuturna, & famis pertinax, ac diuturna tolerantia. Ab hyberno intenſiori frigore etiam per longum tempus nulla paſſio, licet etiam nudi degant, ac tum temporis tacta ipſorum cutis calida deprehenditur. Hæc autem ſingula plus minus gravia ſunt: & dantur, qui non ſæviant, nec iraſcantur vehementius, ſed placidius ſe habeant, hilareſcant, cantillent, immò rideant identidem etiam immodicè: ſunt qui ſe gerant planè ferino more, ut per caninam rabiem, ſeu hydrophobiam, lycanthropiam, cum homo ſe habet lupi inſtar &c.

Succedentia.

Inanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ fit, ſolutio 6. Aph. 21. A Mania dyſenteria, hydrops, vel mentis alienatio bonum. 7. Aph. 5. Evacuationes per ſudores, eæque copioſæ, alvi fluxum, hæmorrhagiam per nares, aut hæmorrhoides: febris tertiana, vel quartana, & hæc ſingula ſalutaria. Atrophia, & convulſio, quæ lethalia. Si hæc deſint, mors non niſi poſt longiſſimum tempus ſuccedit, eaque per virium reſolutionem extremam. A morbo convaleſcentes eorum, quæ ab ipſis in morbo geſta ſunt, plerumq; recordantur.

Quoniam Maniaci per plures menſes, annos, ac totum aliquando longiſſimum vitæ ſpatium hac ipſa affectione detinentur abſque eo, quòd febre corripiantur; cauſa igitur Maniam producens vel non admiſcetur ſanguini, vel ſi admiſcetur, idem ſanguis eſt vel tam fixus, ut fundi in fermentationem non poſſit, vel tam fluxilis, ut obſtructiones producere non valeat, vel utrumque ſimul. Ex reliquis autem Maniæ proprietatibus patet, liquidum nervorum affectum eſſe, certò nempe in ipſo reperiri proximam Maniæ cauſam; ſi igitur hæc eadem cauſa ſanguini non admiſcetur, nec quicquam liquidi nervorum ſanguini permiſceri poterit. Quia verò in Mania propter deliria, & motus violentos fit continua, & ſatis copioſa pro ſtatu morbi ſpirituum expiratio, & hi per venas, & arterias expirent oportet; igitur per ſanguinem tranſeant, ſeu ipſi admiſceantur neceſſe eſt, hoc eſt, cum ipſo ſanguine jungatur Maniæ cauſa. Inſuper quia lympha eſt quid aliqua ſal-

ſaltem parte à nervis refluens, & hæc permiſcetur ſanguini; igitur in Mania, etſi per longiſſimum tempus deſit febris, cauſa admirabiles ipſius effectus pariens etiam in ſanguine continetur: quare ea ſit conſtitutio ſanguinis in Mania oportet, ut corpus ejus ſit ita fluxile, & fixum ſimul, ut ab illa permixta Maniæ cauſa neque in fermentationem effundi poſſit, unde motus febrium, neq; lentore obſtruere capillaria vaſa, unde febris ſimiliter, ſeu, quod idem eſt, ſit fluxile ſimul, & fixum. Quia verò non poteſt eſſe fluxile ſimul, & fixum, niſi componatur ex particulis minimis, duris, & veluti ſiccis, ſuiſque partibus tam arctè cohærentibus, ut divelli ulla violentia vix poſſint, ſed tamen duæ quæque particulæ vix, ac ne vix quidem inter ſe cohæreant (fiet enim tum ut quicquid continetur in ſingulis particulis, ſejungi non poſſit, hoc eſt, fermenteſcere nequibit ſanguis, fluidus tamen erit, cum ſingulæ illæ particulæ minimæ ſint & inter ſe non cohæreant) in Mania igitur ſanguis ita comparatus eſſe debebit, ut particulæ ipſius ſint duræ, ſiccæ, vel fixæ, neque duæ quælibet inter ſe cohæreant. Poſito autem hujuſmodi ſanguine neceſſariò fiet, ut partes ſubtiliſſimæ, & maximè mobiles, quæ non cohibentur niſi à partibus humidis, cedentibuſque, ſuo fræno deſtituantur, adeòque vagentur liberè per corpus ſanguinis, totumque ſuum motum, ac facultatem exerant, cujuſmodi erit calor, & quicquid calori reſpondet vellicando, impellendo, niſum quemlibet vehementem exerendo. Hinc igitur ſtatim patet temperamento mixto ex bilioſo, & melancholico in Maniam faciliores eſſe debere; bilis enim calorem ſuppeditat: fixus verò, ac ſiccus melancholiæ humor ſanguinis duritiem, ac fixam naturam promovet: viri, quam mulieres; calidiores enim illi, & humorum magis conſiſtentium: æſtas eadem de cauſa, & ipſi ſuperveniens autumnus exſiccans cohibendo calorem. Sic conſuetarum purgationum ſuppreſſio ad Maniam diſponere poterit, dummodo earum materies ſiſtere & fixare poſſit humores non per admixtionem humidi viſcidi calorem etiam cohibentis, ſed per exſiccationem, & indurationem magis liberato calore, unde fiet, ut aliquandò à menſium, hæmorrhoidum, fiſtularum, ulcerum, varicum (ſi in his ſtagnans ſanguis aptæ naturæ fuerit) ſuppreſſione Mania ſuccedat, aliquandò ſecus, cum ſcilicet eorum excrementorum materies nec duritiem, nec ſiccitatem poterit ſanguini conciliare. Sic diuturna mæſtitia, cura, ſollicitudo, excandeſcentia propter maximam copiam ſpirituum plurimum abſumunt humiditatis, unde ſanguis fit ſiccior, & Maniam promovet, quod ipſum præſtare poſſunt apta venena, ut morſus canis rabidi, excitando illam Maniæ ſpeciem, quæ hydrophobia dicitur, morſus tarantulæ, eſus cerebri felini, & ſi quæ his ſimilia circumferuntur fortaſſe fabuloſa, partim vera. Pulſus etiam, ut ajebat Hippocrates, in cubito conſpicuus eſſe poterit inter indicia Maniæ facilè ſucceſſuræ; indicabit enim ille ſanguinem calidiorem, & fervidum, immò etiam copioſiorem, ex quo poſtquam humidum maxima ex parte permotum evaporaverit, calor purus, ac liber, & ſanguis durus, ac fixus relinquetur, qualis in Maniacis. Sanguis igitur ex calore libero, & partibus duris, ſiccis, ac fixis compoſitus per motum ſuum naturalem à corde conceptum derivetur ad glandulas cerebri; inibi igitur educi debebunt ex ipſo animales ſpiritus, qui cum à fixis partibus ſolvi, & elici non poſſint, producentur ex ſolo, & puro calore, qui proinde ſi quid adhuc retundentis humidi permixtum habet, in glandulis iiſdem deponet, & derivabitur intra nervos tantum non purus ignis, vel quicquid fingi poteſt igni ſimile ratione velocitatis, impetus, & violentiæ, adeòque producentur, & fluent per nervos ſpiritus maximè liberi ſumma velocitate, atque impetu præditi, eumque ſemper liberè exercentes, adeoque ſuccedent in Animali eæ contractiones muſculorum, quæ tantæ, & continuæ violentiæ ſpirituum conveniunt: & excitationes ſpecierum ſimiles, eruntque diverſæ, prout vel jam tum incipit ſanguis tendere ad ſiccitatem ſuam, & libertatem caloris, vel prout hæ eædem jam ad ſummum gradum pervenere, vel prout magis, ac minus exſiccatur ſanguis, aut plus minus liberatur calor per admixtionem humorum ſiccitati magis, aut minus repugnantium, & calorem implicantium, ac detinentium magis, aut minus. Incipiat igitur ſanguis ad ſiccitatem, & libertatem caloris tendere: igitur partes omnes ſiccæ magis fient, & ſpiritus animales magis mobiles, liberi, & vividiores producentur, quare per nervos magis confuſè movebuntur, & quolibet etiam levi excitato refluxu per occurſum liquidi refluentis, & influentis mille producentur in ſpiritibus maximè liberis, nec cohærentibus reſultus quaquaverſum cum impetu, & excitabuntur ſpecies vivido motui ſpirituum reſultantium reſpondentes, & nullo pariter ordine deducentur in muſculos, vnde tremores quacunque levi de cauſa, nempe per quemlibet levem refluxum: præceps, & frequens iracundia ſimiliter quacunque levi de cauſa; levis enim cauſa levem refluxum excitat, iracundia autem præceps, & frequens excitationem ſpecierum vivido ſpirituum momento inſtructarum. Similiter curæ, ſollicitudines, moleſtiæ, pro quarum diverſitate vel ſuccedet taciturnitas ægro adhuc ſui compote, & per voluntatem cogitante de iis ipſis, quæ morbus jam imminens per vim ſpirituum liberorum excitat, vel loquacitas, ſi res verba poſtulet, vel potius hæc proveniet à facili, & frequenti muſculorum linguæ motu in influxu copioſo, celeri, & vario ſpirituum, & ſubita, & varia ab iiſdem excitatione ſpecierum. Eodem modo excitabitur etiam riſus ſimilibus variis de cauſis, eòque facilius, quòd labia reſpirantibus aliqua ex parte ſemper diſtant, unde muſculis riſum excitantibus per motum labiorum minor reſiſtentia ſuperanda, & per quemlibet influxum contractio major, & riſus ſpecies. Quoniam verò ſanguis ita conſtitutus non poteſt non eſſe naturali acrior, & membranæ corporis ſunt ſicciores; igitur deductus præcipuè ad caput, ubi membranarum denſitas, atque copia, eaſdem ſtimulabit acriter, & dolorem excitabit. Quia verò ad ſomnum requiritur, ut humores ad humidum comparati ſint, & partes humeſcant, neutrum autem contingit in Mania; erunt igitur in diſpoſitione Maniæ

vigiliæ contumaces: cum tamen adhuc adſit aliquid humidi ſomni contingent, ſed breves, ac leves plus minus pro diverſitate humidi, quo adhuc humeſcunt partes, & ſanguis. Ii tamen ſomni inquieti fient per ſomnia turbulenta iis excitatis ſpeciebus diverſi generis terrificis à ſpiritibus liberioribus, hoc eſt, majori momēto pollentibus, cum terrefacientium ſpecies ejuſmodi momenta in ſpiritibus excitantibus exigant. Quia verò tum ſplendores oculis obverſari arbitramur, cum ſplendoris ſpecies excitatur; per ſpiritus autem incerto, & vario motu motos caſu fieri poteſt ut hæ ipſæ ſplendoris ſpecies moveantur; tum igitur ſplendores oculis obverſari dicentur, qua etiam ipſa de cauſa poterunt excitari ſonitus diverſi generis in auribus. Sed hæ ipſæ ſpecies excitari poterunt etiam per motus ſenſuum externorum, cum enim ſupponatur ſanguis jam tendens ad libertatem ſpiritus, & caloris, hujuſmodi autem corpora à ſuis retinaculis libera quaquaverſum exſpirant, poterunt per externum oculum quaquaverſum divagari, ſicut etiam per tympanum auris, ac tandem aliquandò occurrere retinæ, vel myringi, & ſonum, vel ſplendorem excitare: ſic preſſis oculis ſcintillas cernimus, & concuſſo, aut agitato foramine auris externæ ſonum quendam obaudimus. Ab hac eadem mobilitate ſive caloris in ſanguine, ſive ſpirituum in nervis, ſive utrorumque orietur ſtimulus in Venerem acrior, & pollutio nocturna frequentior, quam promovebit ſiccitas membranarum major; ſiccitas enim major validiorem motum periſtalticum producit, nempe motum, quo liquida è ſuis canalibus exprimuntur. Semen autem ex ſe in motum agitur per acrimoniam ſanguinis, & ſpirituum; eo igitur jam moto ſuperatur reſiſtentia villorum detinentiū, qui cum ſicci ſint, motu periſtaltico vividiori contrahuntur, & facilius, & copioſius exprimitur ſemen. Sit autem jam jam invaſura Mania. Sanguis igitur jam ad extremum ſiccitatis, & calor ad ſummam libertatem redactus erit, unde ſpiritus extremè mobiles, vaganteſque cum maximo impetu derivabuntur in nervos, quare nullus jam in ipſorum motibus ordo, nullus in excitatione ſpecierum ab iis pendentium: quare delirium levi qualibet de cauſa, facto nempe quolibet levi refluxu. Similiter melancholia, ſi caſus ferat, ut excitetur ſpecies rei triſtis, vel factu difficilis, quæ meditationem exigat, ſed ſimul ſpiritu alio incidente riſus ineptus, & cum obſcœnæ rei ſpecie conjunctus, quæ ſane & ipſa non minimam vim exigit ad ſui concuſſionem, cum nihil tam agitet, quam profuſio ſeminis. Fiet inſuper, quod erit certiſſimum imminentis Maniæ ſignum, ut è miti repentè ferus, turbatus animo, excandeſcens, intente, fixè, torvè intuens; erunt enim hæc omnia animi, & ſpirituum ad violentiam compoſitorum, cum antea mitis illius animus, ac ſpiritus eſſent ad placiditatem inſtructi, unde tanta, ac tam ſubita mutatio arguet maximam mobilitatem, ac libertatem ſpirituū & Maniæ nuncium extremum, atq; certiſſimum. Cum autem partes omnes in hac humorum conſtitutione fiant magis ſiccæ, ſicca autem preſſionem non admittant, & quæ ſe premi non ſinunt dura nuncupemus, arteria, cui digitos admovemus pulſum examinantes, occurret dura, ſeu non cedens, vel pulſus dicetur durus. Quoniam verò partes ſanguinis ſicciores factæ ſunt; igitur deſtitutæ ſuis vehiculis humidis, quibus per canaliculos glandularum fluere, & excerni permittuntur; igitur partes craſſiores Tartari, & ſalium craſſiorum in renibus ſecerni non poterunt: ex his autem conſtituuntur ſedimenta; urinæ igitur excernentur ſine ſedimentis: poterunt tamen excerni partes ſubtiliores eorundem ſalium, ac terræ, & hæc cum illis permixta colorem prærubrum urinæ conciliare, & cum multò facilius poſſint fluere partes ſubtiliſſimæ, quæ proinde etiam leviſſima quieſcente urina ſurſum agentur pro ratione levitatis, & levem nubem conſtituent. Denique ſi præceſſerit melancholia, phrenitis, furor eroticus, vel quilibet alius morbus ſanguinem ad ſiccitatem, & libertatem caloris, reliquorumque corporum maximè mobilium ſeparationem, ac libertatem diſponens, facile ſuccedet Mania, ut patet: melancholiam autem, & phrenitidem, &c. hanc diſpoſitionem intra ſanguinem producere poſſe, manifeſtum eſt ex enarratione ſingulorum ejuſmodi morborum. Jam igitur in ſiccitatem illam, ac libertatem partium maximi impetus venerit ſanguis totus. Quoniam totus ſanguis ita mutatus eſt, & aliqua ſemper ipſius portio ad cerebri glandulas deducitur, ex qua producuntur ſpiritus, & derivantur in nervos; à qualibet igitur parte ſanguinis producuntur ſpiritus ejuſdem rationis, nempe quaquaverſum irrumpentes nullo certo ordine, ac motu, adeòque delirium excitabitur conſtans, atque continuum ob continuos ejuſdem rationis ſpiritus. *Si* verò ſanguis per intervalla vitietur per humores ſiccos, & partes maxime mobiles provenientes à menſtruis, hæmorrhoidibus &c. ſuppreſſis, tum per intervalla recurret, ac deſinet, prout abſumitur illa materies, ac rurſus per intervalla è locis ſuis derivatur in vaſa ſanguinis, ac tum erit Mania per conſenſum, ut furor uterinus, &c. Delirium autem ejuſmodi cum proveniat à motu ſpirituum omninò liberorum, & maxima impetus, conjunctum erit cum excitatione ſpecierum momenti majoris, cujuſmodi ſunt violenta quælibet, unde furor, audacia, temeritas, loquacitas, jurgia, iracundia. Quod ſi per delirium excitetur ſpecies irreparabilis mali, cujus comparatione mori ſit melius, vel ferri non poſſit dolor corporis univerſi ab illo ſicco, & vellicante ſanguine proveniens, Maniacus in ſe ipſum manus inferet, ſæviet pugnis, morſibus, unguibus, veſtes proſcindet, carnes laniabit; quamquam & hæc omnia mero caſu poſſunt contingere, quatenus incerti motus ſpirituum ſpecies illas determinatas excitant, nulla præeunte ſpecie mali, quod concipiatur morte, vel ſenſu doloris majus. Quia inſuper furoris, & iræ ſpecies in motu eſſe ſupponitur, & illa conjungitur cum ſpecie alicujus, cui iraſcimur, & in furorem agimur; ſtatim igitur ac adſtabit aliquis, movebit ille, vel producit de novo ſuam ſpeciem in nervis Maniaci, qui cum jam tremere ſupponantur ſpecie furoris, perinde erit, ac ſi adſtaret ille idem, cujus ſpecies conjuncta eſt cum ſpecie iræ, & in quem furit, undè neceſſitate aſſuetudinis toto feretur impetu in adſtantem, cujus ſpecies perinde operatur ac vera ſpecies ejus cui iraſcitur, & mortem illi conſcire

ſcire procurabit. Quoniam verò ſpiritus animales ſunt maximè liberi, & totum ferè ſuum impetum exerunt; igitur in muſculorum ſinulos derivati, & admiſti ſpiritibus ſanguinis pariter liberis, incredibile eſt, quanto impetu ſe quaquaverſùm ſubitò debeant effundere, & contractionem muſculorum quanto validiorem reddere:cum autem vis à villis muſculorum proveniens pendeat à vi, qua ſe liquida illa quaquaverſū ſubitò effundunt,hæc autem non poſſit determinari,ſed poſſit eſſe cujuſcunq; tantum non infinitæ virtutis,cum ſi quantitas villorū eſſet tanta,ut in ipſa contineri poſſet immenſa, ut ita dixerim, ſpirituum rareſcentium copia,vel tanta eſſet cohæſio inter partes membranarum, ut reſiſtere poſſet abſque divulſione violentiæ tantum non immenſæ paucorum aliquot ſpirituum, quorum ſinguli tantum non immenſo impetu moverentur, eſſet vis actualis muſculi tantum non immenſa: cum verò vires ſummæ, cum quibus comparamus vires muſculorum, ſint infinitis multo minores, manifeſtum eſt, poſita libertate ſpirituum quamlibet vim incredibilem à muſculis exeri poſſe, cum abſolutus impetus eorundem ſit maximæ, ſed quoad gradum nobis ignotæ facultatis. Itaque robur univerſi corporis in Maniacis erit planè prodigioſum,& difficilè cohiberi poterunt, & vinculis adſtricti eadem divellent, & qua rapit furor, eò proruent, cujuſmodi violenti motus,vel ſaltem niſus erunt continui, cum continuè adſint ſpiritus talia prodigioſa producentes. Hinc ſimiliter ut ſuperius aſpectus torvus, & truculentus: ſanguinei oculi ob particulas ſanguinis tenuiores, ac liberas per motum ſuum nitentes quaquaverſùm, & arteriolas minimas, & minimè ſepultas ſub cute, cujuſmodi ſunt quæ in oculis, extendentes extrorſum, & viſui ſubjicientes: cum verò partes omnes ſint ſummæ ſiccitatis, ſicut etiam humores, vigiliæ fieri poterunt,immò etiam debebunt per totum illud ſpatium temporis, quo vivere poteſt Animal abſque ſomno, quod equidem eſſe ſatis longum præcipuè in Maniacis minimè dubitaverim,tum etiam quia in vigilia aliquid alimenti apponitur partibus, cum etiam quia poſtquam partes tam liquidæ, quam ſolidæ ad tantam ſiccitatem,ac fixionem devenerunt, minimum eſt quod perſpiratur, unde minor alimenti, & ſomni neceſſitas. An verò verum ſit, datos Maniacos, qui per ſolidos quatuordecim menſes nunquam dormiverint, quod aſſerit Fernelius, ipſe viderit: nos equidem non videmus, quo pacto fidere poſſit medicus, qui ter, aut quater ad ſummum per dies ſingulos vicibus inviſit ægrum, an medio tempore æger ille dormiverit:fidere autem referentibus, quam fallax eſt! Tempus igitur vigiliarum in Maniacis incertum eſſe videtur. Ab hac autem minori perſpiratione fit, ut longum tempus à cibo,potuque abſtinere poſſint, & quia nos aſſuevimus credere, tranſacto quodam brevi temporis ſpatio abſq;eo,quod cibo, potuque unuſquiſq; noſtrum reficiatur,famem invadere,hinc factum, ut aſſeramus Maniacum eſſe famis patientiſſimum, eo quod per plures dies minimè reficitur, cum re vera id fieri poſſit, eo quod cibo non egeat minime perſpirans. Sed & illud arguit famem re ipſa in Maniaco vix dari,quod licet rarò refectus, longiſſimum tamen temporis ſpatium vivit non ſine viribus, argumento certiſſimo opus illi non eſſe novæ materiæ ſuppeditatione; qua conſervetur, & cum ad ejus ſuppeditationis proſecutionem ſpectet fames, hanc minus in Maniacis excitari. Quoniam verò calor in ſanguine liber eſt, poterit idem per totum corpus liberè divagari, & avolare undecunque, adeoque etiam per partem quamlibet cutis, unde hæc tacta calida depræhendetur: eſt autem hæc vis liberi caloris acrior; igitur reſiſtere poterit impreſſioni hyberni frigoris abſque noxa Maniaci: quin Maniacus hanc ipſam vim frigoris vix, ac ne vix quidem ſentiet; cum etenim tot motibus, iiſque vividiſſimis intra nervos agitetur, impedient illi, ne iidem nervi tremant ſpecie frigoris, quemadmodum nobis etiam non Maniacis fit, ut altè quippiam meditantes, hoc eſt, ſpecie quadam vivide trementes clamantem aliquem non audiamus, præſentem apertis oculis non videamus, famem etiam non ſentiamus, & hujuſmodi. Quæ ſingula,ut facilè patet, pro varia aliorum humorum admiſtione erunt mitiora, & prout ſanguis eſt ſiccior,& calor liberior, magis ſæva. Et juxta hæc dabitur & hilaritas, & cantillatio, & riſus etiam immodicus, vel voces, & virium robur, & crudelitas, & immanitas, qualis ferarum, ut luporum, ut canum, &c. quæ etiam fieri poterunt ab alia ſpecie delirii,quæ per opinionem fit,ut ſi quis ſe lupum fingat, lupi more operabitur, & cum ante in ſtatu rationis noverit illum eſſe morem lupi, ut oves obripiat, ululet, & hujuſmodi, omnem naturam ejus imitari ſtudebit in hoc ſanè ſapienter, ſed illud ſtulte, quod ſe lupum imaginatur: ſed de his etiam mox. Quoniam itaque in Mania ſanguis ſit oportet ſiccus, & fluxilis; ex ea autem ſiccitate fit, ut partes magis mobiles cohiberi non poſſint, unde Maniæ affectiones graviores; ſi igitur ſanguis minus fluxilis evadat, argumento erit, partes illas ſiccas, quarum ſingulæ non cohærebant invicem, jam ad cohæſionem aliquam venire, adeòque etiam partes liberas implicare, & cohibere. Varices autem fiunt per ſubſiſtentiam ſanguinis, ſeu fluxus facilitatem imminutam, ſeu in re noſtra per agglutinationem partium anteà disjunctarum; igitur varicibus ſupervenientibus morbus ſolvetur, ut Hippocrates. Similiter quoniam ſanguis ab hæmorrhoidibus fluere non poteſt, niſi intra eadem vaſa ſubſiſtat, neque ſubſiſtete, quin evadat craſſior, eadem de cauſa morbi ſolutionem arguet hæmorrhoidum fluxus. Ulterius quoniam dyſenteria eſt copioſa dejectio cum ulcere inteſtinorum, unde etiam ejectio ſanguinis, ulcus autem non ſine quiete ſanguinis ad eam partem, & hæc non ſine illius craſſitie, copioſa autem dejectio non ſine fermentatione humorum, qui dejiciuntur, nec fermentatio ſine fuſione, hoc eſt, ſine deſtructione fixionis dyſenteria igitur arguet maſſam ſanguinis; jam fermenteſcere, adeoque à fixione recedere. Hoc ipſum eadem de cauſa arguet Hydrops. Mentis autem alienatio eſt veluti ſtupor mentis, qualem dicimus in ſtolidis, adeoque eſt ſpecierum omnium quies, quod eſt in Mania unicum optabile, ac ſummum ſalutis argumentum; erunt enim ſpiritus jam domiti, & naturalibus humoribus implicati

plicati, cum non ferantur cæco impetu ad excitationem ſpecierum, ſed hæ quieſcant prorſus immotæ, quare in Maniacis dyſenteria, hydrops, & mentis alienatio bonum, ut Hippocrates. Erunt ſimiliter boni ominis evacuationes quælibet dummodò copioſæ per ſudorem, urinam, alvum, hæmorrhoides, hæmorrhagiam narium, & hujuſmodi: ſi enim copioſæ fuerint, arguent criticam univerſi ſanguinis fermentationem, quam non arguerent neceſſariò, ſi eſſent parvæ quantitatis, ſed incertam criſim non abſolvendam natura nimis feſſa, vel factam ſolum caſu aliquo, qui ad certam rationem revocari non poſſit. Nec minus ſalutares erunt febris tertiana, vel quartana ſupervenientes; cum enim iſtæ generentur vel ab obſtructione, vel à fermentatione, vel ab utriſque, ut eædem ſint in Maniacis, oportebit ut ſanguis fermenteſcat, quod optimum eſt ad ejus morbi ſolutionem, vel ita craſſeſcat, ut poſſit obſtruere, quod ſimiliter bonum. Contra verò ſi ſuccedet Atrophia, indicabit, jam laſſari villos quoslibet ſeu violentia motuum, qui ab ipſis exeruntur, vel violentia occurſuum à partibus liberis, neque produci poſſe alimentum aptum, vel non apponi, quæ ſingula argumentum erunt naturæ à ſuo ſtatu prorſus alienæ, adeòque lethale erit: ſicut etiam ſi ſuccedat convulſio, quæ ex hactenus expoſitis produci in Mania magis neceſſario non poſſe videtur, quam à ſiccitate muſculorum, & partium omnium: tali autem ſiccitate poſita in partibus ſingulis, ut ſe reſtituere non poſſint, fit, ut neque ali poſſint, & quod brevi vitam conficit, fit, ut neque moveri pectus, neque cor valeat, unde brevi, ac tantùm non ſubitò mors præſto eſt. His autem non ſupervenientibus vivet Maniacus in ejuſdem morbi ſtatu per longum tempus, cum nihil aliud patiatur mali, quam validas, vividas, & tantum non continuas dimotiones in ſingulis minimis ſui corporis fibrillis, quæ proinde prout natura conſtitutæ fuerint magis minuſve reſiſtentes iis violentis motibus, brevius, longius temporis ſpatium vivere poterit Maniacus: ſed quia continuè vis cohæſionis inter partes villorum minuitur, hinc iidem continuè laſſabuntur, quouſque demum ex toto ſolventur, & morietur Maniacus per virium exſolutionem. Quoniam verò ad rerum præteritarum recordationem requiritur ſpecierum tremor vividus, & nervorum rigiditas, utraque autem hæc dantur in Maniacis; ſi igitur convaleſcant, eorum, quæ ab ipſis in morbo geſta ſunt, recordari poterunt, cum vividè tremuerint ipſorum ſpecies, & propter rigiditatem nervorum factæ fuerint in eodem tremore quaſi divulſiones partium ad undarum circumferentias, unde aucta, & diu permanentia veſtigia. Ex his patet, Maniam eſſe delirium ſine febre cum audacia, furore, & reliquis omnibus, quæ expoſuimus, proveniens à fixione, & libertate partium mobilium in ſanguine, unde ſpirituum vis maxima, & vagus impetus. Et ſiquidem libertas illa partium in ſanguine ſit partium propriarum ſanguinis, generabitur Mania idiopathica: ſi verò ab aliquo viſcere, vel qualibet parte venientium erit ſympathica cum utero, cum liene, cum ventriculo, &c. de quibus ſuo loco. Dividi autem ſolet Mania idiopathica in plures ſpecies, quarum ſingulæ ſunt quidem delirium ſine febre cum audacia aliqua, vel furore, vel ſaltem violentia motuum, nullæ tamen neceſſario proveniunt ab illa fixione, & libertate partium in ſanguine, quam expoſuimus, immò certum eſt, aliquas earum dari, quæ nihil habent cum ejuſmodi alteratione ſanguinis commune, ſed ſunt ſimplex delirium ab opinione veniens: ſic lycanthropia, quam primam Maniæ ſpeciem conſtituunt, nihil aliud eſt, quam falſa imaginatio ſe ex homine factum lupum, ex qua ſtulta & delira imaginatione fit, ut delirus ille lycanthropos optime, & ſcientiſſimè moveat ſpiritus, ad hoc ut imitetur Lupi mores, qualem ſe evaſiſſe autumat, unde in Lycanthropia nulla cum fixione ſanguinis affinitas, nullus perturbatus ſpirituum motus, cum ii aptiſſimè moveantur ſuppoſita lupi ſpecie, quæ movetur non à peculiari aliqua natura ſpirituum non naturalium, ſed ab opinione Lycanthropi, adeoque Lycanthropia fit, ut delirium quodlibet ſimplex, de quo in noſtris operationibus Animalis. Hydrophobia ſecundo loco ponitur, vel Cynanthropia, & Galeanthropia, cum homines factos ſe arbitrantur canes, vel feles, eorumq; mores, & vires æmulantur, quæ ſimiliter ab opinione pendet, nec quicquam habet cum Mania communionis: ajunt autem inſuper, opinionem abeundi in ſimilia bruta excitari poto ſanguine eorundem brutorum, vel comeſto cerebro, quod etſi fortaſſe non eſt excludendum ex eorum numero, quæ fieri poſſunt, rationes tamen, quæ proponuntur, ridiculæ, ac falſæ ſunt. Vera autem Hydrophobia eſt canina rabies communicata à morſu canis rabidi, quæ in delirium agit, ſed non ſemper, immò frequenter dantur rabidi, qui ſibi mente conſtant, & morbi invaſionem ſentiunt, & rogant, jubentque, ut ſibi vincula injiciantur, ne ipſi in amicos & adſtantes irruant, eoſdemque monent, ne ori manum, aut quidlibet admoveant, ne morſibus lanientur, ex quo patet, quam nihil habeat morbus hic cum Mania affinitatis. Cauſa autem ejus eſt ſanè aliquid à cane communicatum ſanguini certo modo ipſum ſanguinem fermentans, ut mordere, ut concuti, ut vim maximã exerere, ut aliquandò delirare, ut aquam averſari debeat rabidus, quorum omnium neceſſaria operandi ratio poteſt eſſe quidem ſimilis rationi, qua operatur vis Maniam inferens, ſed neceſſarium non eſt, ut ſit eadem, ita ut ſpecies Maniæ conſtitui debeat morbus, qui eſt etiam aliquandò ſine delirio. Tertium locum occupant Tarantati, quartum chorea S. Viti. Tarantati delirant etiam, ſed non ſemper, & ad ſonitum alicujus inſtrumenti muſici, quanquam cæteroquin ſint ſatis debiles, & omninò languidi videantur, & ſurgunt ſubitò, & ſaltus, & choreas etiam laborioſiſſimas agunt. Morbus hic producitur per morſum cujuſdam phalangii. Tarentini in Apulia, & per voces muſicas maximè miteſcit. Huic ſimilis eſt chorea S. Viti ex eo ſic nuncupata, quod S. Vitus hujuſmodi morbo obſeſſos ad ſanitatem revocare creditur, & hoc morbo detenti dies, nocteſq; ſaltant, & continuè ſaltare geſtiunt, quod ſanè delirium eſſe nemo non videt. Quantum in hiſce duobus mor-

morbis poſſit eſſe fallaciarum,& aſtuum in ſaltatoribus ipſis, non recenſebo fuſius,cum certum ſit,repertos homines,qui ejuſmodi morbis ſe affectos ſimulabant, cum nihil re ipſa tale paterentur. Fieri inſuper poteſt, ut ejuſmodi ſaltatio ſit ſimplex delirium à qualibet opinione productum, qua fiat, ut delirus ille ſaltare debeat. Sic fieri poteſt, ut vigeat delira opinio delectationis in ſaltu, vel remedii ſtulte crediti alicujus mali, vel quid ſimile; hac enim profecto opinione fiet, ut delirus ille continue ſaltet, quemadmodum omnes inſani, vel ſani opinantes faciendum aliquid, illud ipſum, quod faciendum opinantur, faciunt vel continue, ſi continue faciendum judicant, vel per intervalla temporis, ſi per vices. Cæterum cum Taranta, & hydrophobia ſint quidam morbi, qui certo proveniunt ab admixtione alicujus corporis à phalangio, vel cane rabido derivati in ſanguinem, rem eſſe ſimilem proprietatibus venenorum, manifeſtum eſt: quare de hujuſcemodi morbis ſuo loco, cum ſcilicet de venenorum viribus diſſeremus.

Melancholia.

Melancholiam communiter definiunt delirium ſine febre cum timore, & mœſtitia: quia verò iidem Medici, qui hanc definitionem admittunt, dari melancholicos, vel certa tempora in melancholia aſſerunt, in quibus per ejuſdem morbi vim excitatur riſus, lætitia,cantus, ſecuritas, mirum eſt, quantum ſe torqueant, ut poſitam definitionem retineant, & cum ipſa has contrarias affectiones concilient. Melius aliquanto Aretæus, qui melancholiam definivit angorem animi in una cogitatione defixi, atque inhærentis abſque febre, & furore à phantaſmate melancholico ortum: cum enim apud Medicos morbus hic in eo præcipue ſitus ſit, quod æger falſa alicujus opinionis ſpecie illuditur, quam tamen ſuo malo veram credit, apte in definitione Aretæi id exponitur per verba in una cogitatione defixi, atque inhærentis: at verò cum inquit, angorem animi eſſe melancholiam; id vero minime convenit cum omnibus melancholicorum affectionibus; angor enim eſt quid triſte, & graviter, ſeu quodam veluti dolore afficiens animum, cum tamen melancholici non ſemel rideant, cantent, &c. Itaque rectius definiri poſſet melancholia delirium ſine febre, quo delirans imaginatur de re aliqua ſingulari, vel paucis aliquot tanquam verum id, quod eſt falſum, & triſtis eſt, aut lætus, timens, aut ſecurus, prout imaginatio illa conjuncta eſt cum ſpeciebus triſtitiæ, lætitiæ, timoris, ſecuritatis. Quia verò invaluit tantum non apud omnes,melancholiam eſſe delirium ſine febre cum timore, & mæſtitia, quanquam hæc ſit ſpecies, non genus ejus, ut ex præmiſſis hiſce paucis patet, nos uſitato apud Medicos loquendi modo inſervientes hanc ipſam ab iis definitam melancholiam exponemus, ad ipſam deinde revocaturi omne fixarum de re aliqua, & falſarum opinionum genus cum quibuſcunque affectionibus conjunctum, quæ eatenus melancholiæ dicendæ erunt, quatenus in fixa, & falſa opinione de re aliqua poſitæ ſunt, cum per id conveniant cum hac melancholia vulgariter definita, in qua datur fixa, & falſa opinio de re aliqua timorem,& mœſtitiam producente. Hanc igitur Melancholiam.

Antecedentia.

Antecedunt vigiliæ,cogitationes aſſiduæ, curæ, diuturnus luctus,conſtās abjectio animi,ſubitus, ac vehemens terror, & conſternatio ſeu per ſomniū,ſeu per ſpectrum noctu,locis obſcuris, ſylvis falſo obverſari ſenſibus creditū, ſpecies caſu excitata rei terribilis. Hinc magis proximè ipſam præeunt ſomni breves, interrupti, ſomnia turbulenta,vertigines,aurium ſonitus, mæſtitia, ac triſtitia præter occaſionem, triſtium cogitatio, metus inanis, ſeu ſine cauſa: in una, eaque triſti cogitatione defixa mens, taciturnitas, moroſitas, fuga ab hominum frequentia, ſolitudinum amor, & proſecutio, ſuſpicio: tolerantia inediæ in aliquibus tam pertinax, ut mori malint, quam veſci crebra ſuſpiria, reſpiratio tarda, & rara; pulſus tardus, parvus, rarus, ac tandem jam ingruente morbo, quæ abſurda cogitant, ſermone, & geſtu repræſentant, ſed ſine furore & febre. Si metus atque triſtitia longo tempore perſeverent, melancholiæ eſt ſignum, ait Hippocr. & idem. Si de repente lingua incontinens fiat, aut aliqua pars attonita, ſtupeat, ſignum eſt melancholicum: & rurſus idem. Atra bile vexati morbo quoque comitiali corripi magna ex parte conſueverunt, & morbo comitiali laborantes atra bile divexari: at horum utrumque magis accidit, prout ad alterutram partem morbus inclinaverit; etenim ſi in corpus, morbo comitiali laborant; ſi verò in mentem, atra bile vexantur. Hactenus ille. Morbi calidi, ut phrenitis, Mania. Et hæc idiopathicam antecedunt. Sympathicam vero ſigna omnia humorum melancholicorum, ſi ſit à toto corpore, ab hypochondriis hypochondriaca, ab utero hyſterica, &c.

Conjuncta.

Timor, mœſtitia, nulla febris, delirium fixum ſemper in eadem cogitatione rei timorem, & mœſtitiam producentis. Reliqua ſe habent ut in ſignis antecedentibus, cum quibus conjungitur quicquid per aſſuetudinem ſolitus fuit operari timens, ac mærens, ſui compos ille jam delirus, & quicquid ſpecie delirii ſuppoſita apte judicat eſſe faciendum, ut vel timoris ſecuritatem aliquam, vel mæſtitiæ levamen inveniat, vel in mortem, ſi deſperatus eſt, veniat.

Succedentia.

Epilepſia quandoque, ut Hippoc. & ut idem rurſus. Morborum melancholicorum ad hæc tempora (nempe Veris, & Autumni) periculoſi decubitus vel corporis ſyderationem, vel convulſionem, vel Maniam, vel cæcitatem denunciant, & rurſus idem. Inſanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio (explicat enim hunc aphoriſmum Galenus de melancholia,] prodeſt etiam Elephantiaſis, egeſtiones nigræ, ſcabies.

Quoniam in unoquoque delirio, in quo certæ ſemper unius, ejuſdemque rei ſpecies obverſatur opinio, ea ſit nervorum cohæſio ad circumferentias undarum oportet, ut reſtitui illi

nonpoſſint, ex quo fit, ut ſpiritus cujuſcunque impetus, etſi nitantur nervos in alios tremores agere, tamen veluti per lubricum dilabentes ad uſque circumferentias non reſtitutas eundem tremorem ſemper conſervent: eo autem difficilius reſtituuntur nervi, quo ſunt denſioris, & ſiccioris naturæ, poſtquam toties dimoti ſunt, ut reſtitui ulterius non poſſint, & per illam permanentem inflexionem multo validius impediunt, ne iidem nervi ad alias partes inflectantur, ac denique eo magis urget ejuſmodi impedimentum, quo nervus eſt ſiccior; eſt enim tenſior, & quo magis ſpiritus ſunt frigidi; ſunt enim minoris impetus: ad frigidum autem, & ſiccum accedunt melancholici ex totius temperamento, vel temperie cerebri ſive propria, ſive adventitia ab hypochondriis, utero, &c. igitur in melancholicis dabitur diſpoſitio maxima ad delirium melancholicum: quia verò ad hoc, ut ſit delirium, neceſſaria eſt fixa illa nervorum inflexio, hæc autem ſe ſe reſtituendi ſublata poteſtas in nervis pendet à diuturno, & millies repetito eodem tremore (unde fit opinio fixa, & immutabilis;) igitur delirium, in quo certa ſpecies ſemper verſetur animo, non eſt neceſſario conjunctum cum temperamento totius, vel partium melancholico, ſed ſolummodo neceſſario requirit ſpeciem cujuſcunque rei lætæ, mœſtæ, generoſæ, ignavæ &c. quæ antea tamdiu premuerit, ut in nervis cujuſcunque conditionis, ac temperiei illi ſint, omnino impediverit facultatem reſtituentem; hac enim poſita ſpiritus quocunque nitantur ſive calidi, ſive frigidi ſint, ſemper quaſi per lubricum dilabentur ad uſque circumferentias in inflexione permanentes. Cum autem ſpecies illa inflexilis conjuncta ſit per aſſuetudinem cum iis motibus, habitudinibus totius corporis, & partium, & cum iis cogitationibus, quæ rebus lætis, triſtibus, timendis, generoſis, &c. conveniunt, igitur quouſque ſpecies illa inflexilis per dilapſum novorum ſpirituum in tremorem agetur, eo uſque illæ habitudines, illi motus, illæ cogitationes habebuntur, & quicunque ita ſe habet, delirus dici merebitur. Quia vero & frigiditas, ſeu minor impetus ſpirituum in melancholicis, & ſiccitas nervorum hanc inflexibilitatem majorem facit, hinc poſita opinione fixa, facile poterunt in delirium abire ejus temperamenti homines ſive totius, ſive partium, ſed antea opus erit eadem illa opinione fixa. Hanc autem producent ſpectra, ſomnia &c. quæ inter antecedentia recenſuimus, in nervos incurrentia hominum diverſis opinionibus per leges, & aſſuetudines inſtructorum de inferis, de dolore, de morte, de pudicitia, & ſi quæ ſunt alia, ex quo fiet, ut ſummum, vel plus minus timendum aliquid concipiat, nempe ſpeciem majoris, aut minoris impetus, ſeu diuturnioris, circa quam hærebit longo tempore, hoc eſt, per aſſuetudinem quieſcere non permittet, ut rem bene introſpiciat, atque perpendat, ut intelligat quantum inde mali immineat, an illi ſe ſubducere poſſit, an ad deſperationem veniendum, inter quæ cum nulla plerumque affulgeat ſecuritatis lux, & certi exitus, fiet ſuſpicioſus averſator hominum, cum de iis dubitet, lucifugus, ſylvipeta, & hujuſmodi. Quin immò hæc ſingula contingent etiam, antequam delirium veniat, eo ſcilicet tempore, cum ſpecies non adhuc tandiu tremuit, ut omnino tremere non poſſint aliquibus aliis tremoribus nervi, accidentque illa per vices, prout illa ſpecies aut ſolitaria, aut plus minus conjuncta cum aliis tremit, eaque tremente erit æger modo tacitus, ac ſecum de re, quæ obverſatur animo reputans, modo ſecum loquens, quòd eadem cogitatio eſt linguæ motibus expreſſa, modo flens, modo ratione concepti doloris ſuſpirioſus, vel ſimiliter ſuſpirioſus, quia cum propter tardum, & imminutum fluxum ſpirituum, eoſque parvi impetus debeat eſſe in his affectionibus reſpiratio tarda, & rara, ut ſanguinem intra pulmones ſubſiſtentem exprimat hærentem inſuper facile, ſi ſit melancholicus, nempe craſſus. Pulſus ſimiliter tardus, parvus, rarus cum præcedentibus omnibus, quæ facile ex his patent. Vides interim, quàm inane, ac planè puerile ſit quod Galenus tradidit, & Medici ſatis unanimiter admittunt, melancholici delirii cauſam eſſe ſpiritum animalem tenebricoſum, qui obſcuritate ſua inficiat operationes animi; neque enim in delirio etiam, quo triſtia concipiuntur, dantur ullæ tenebræ, obſcuritas, aut infectio in ſpeciebus triſte illud repræſentantibus, & ea, quæ cum ea ſpecie conjuncta ſunt, immo repræſentantur vivide, clare, perſpicue ſimulatur riſus, cantus, lætitia, ut mortis fiat compos delirus aliquis, atque inſuper cur ſpiritus ille tenebricoſus non inficit omnes ſpecies, ſed illam ſolum, de qua delirium excitatur? Cur illam ſolam excitat? Sed hæc ſatis. Facilè autem patet, deliria hujuſmodi eſſe poſſe cujuſcunque generis, prout ſpecies excitatur non delebilis: excitari autem illa poteſt non ſolum per externa, ut ſuperius, ſed per interna etiam, ut in ſomniis, ac tum erit illius delirii cauſa, & origo omnino à caſu repetenda, quæ promovebitur, & conſervabitur à temperamento totius, aut partium melancholico, ut ſuperius: itaque erit melancholicus, ſed non ab humore frigido, & ſicco, qui ſe Regem, qui ſe Deum, qui ſe rerum omnium potentem, qui elegantem, qui formoſum, qui vitreum, qui ex grano milii, aut panici, qui cuculum, qui luſciniam, qui lupum, aut felem exiſtimet, & hujuſmodi mille, prout vel externum aliquid vivide ſenſus movens, vel internum aliquid caſu excitatum fixæ opinioni occaſionem dederit, qua deinde fit, ut delirus ille ſe eſſe imaginetur id, quod ſemper obverſatur animo, quæ deliriorum ſpecies eo ſolum ſunt melancholicis annumerandæ, quod ab opinione falſa, & fixa pendent, non autem quòd ab atra bile proveniant. Hinc patet, cur metus, & triſtitia longi temporis portendant melancholiam; longitudo enim illa temporis in eodem ſtatu mœroris, & triſtitiæ fixam de eadem re ſpeciem indicat, adeoque proximum delirio gradum. Similiter cum humor melancholicus ſit craſſus, ſi vel nimis premat alicubi cerebrum ita, ut ſpiritus ad partes derivari non poſſint, vel deriventur incertis vicibus, ac legibus, fient attonitæ partes, vel incontinentes, nempe incertis motibus motæ, quæ etiam provenire poterunt à craſſitie ſpirituum, & inordinata, vel eadem, & nullius ordinis craſſitie ſanguinis, cum utraque hæc liquida, ſuppoſita cacochymia melancholica, eſſe debeant craſſiora, ſed neceſſarium non ſit, ut ſint æque craſſa in ſingulis ſuis partibus.

bus. Eadem ratio eſt de epilepſia vel antecedente, vel ſuccedente melancholiæ, ut patet. Morbi vero calidi abſumunt humiditatem, & calorem exſpirare faciunt, unde ſupereſt melancholica natura ſicca, & frigida cum ſiccitate nervorum &c. Deeſt febris, vel quia morbus eſt in ſola tenſione nervorum, quando non conjungitur cum cacochymia, vel humores ſunt frigidi, & ſicci, unde nec fermenteſcere, nec facile obſtruere, nec irritare multum poſſunt, unde nulla febris cauſa Melancholicorum autem decubitus vel ſyderationem, hoc eſt, apoplexiam vel convulſionem, vel Maniam, vel cæcitatem pariunt, quia cum decubitus ſupponatur, erit, melancholia cum materia, qua ſi cerebrum premat, vel impleat glandulas ita, ut ſpiritus generari, vel derivari non poſſint, vel impleat muſculos, ſummos nervos, aut ſummas arterias, ſenſim, & motum impediet, ſeu fiet apoplexia: ſi impediat fluxus per aſſuetudinem, & ſolus ſuperſit fluxus naturalis, fiet motus tonicus, vel convulſio, quæ etiam fieri poterit, ſi humor permutetur, & abeat in ſiccum, & oriatur convulſio à ſiccitate, ſicuti eadem de cauſa mania: cæcitas verò vel à ſiccitate humorum oculi, vel ab obſtructione nervi; vel ab obſtructione arteriarum, vel à decubitu intra ipſum oculum. Quod ſi in eodem delirio cum materia ſuperveniant hæmorrhoides, vel varices, materia delirii alio derivabitur, & tolletur cauſa conſervans ſiccitatem, ſicut etiam cum eſt per ſolam ſpeciem fixam; detracto enim ſanguine laxantur magis partes. Poſtremò in eodem delirio per elephantiaſim, ſcabiem, egeſtiones nigras vel materia ſubtrahetur, vel auferetur ſtimulus, & ſiccitas ſiccitatem, & inflexibilitatem nervorum conſervans, unde facile ſalus: ex his igitur patet, melancholiam eſſe delirium ſine febre cum timore, & mæſtitia ortum à fixa, & conſtanti ſpecie, ſive imaginatione rei timendæ, & dolendæ, quam promovet temperamentum corporis totius, aut aliquarum quarundam partium melancholicum; & ſiquidem ſit capitis, eſſe melancholiam idiopathicam: ſi aliarum partium, ſympathicam. Patet itaque, reliqua omnia deliria ſine febre, & quæ furioſa non ſint, ut maniaca, quanquam re ipſa non melancholica, hoc eſt, non provenientia ab atra bile, ad melancholiam, ut ſuperius diximus, poſſe referri, quatenus & ipſa ſunt delirium ſine febre à fixa, & conſtanti ſpecie ejuſdem ſemper, ac certæ rei, atque proinde ad hanc deliriorum ſeriem etiam forte proprius pertinere lycanthropiam, cùm illa ſit per ſolam opinionem, cynanthropiam etiam non ex morſu canis rabidi, ſed ſimiliter per imaginationem, & quæcunque ſunt opiniones, quibus exiſtimamus nos factos brutum aliquod, vel quid ſimile animatum, vel anima carens. Pertinet huc furor eroticus, ſeu amatorius ita dictus, non quia hoc morbo affecti furant, ut maniaci, ſed quia amor furor eſt, pertinet huc, inquam, cum hic furor nihil ſit aliud, quam opinio fixa, & imaginatio tenax de re amata, qua fit, ut æger nunquam in eodem ſtatu perſiſtat, cum modo timeat, modo ſperet, continuè dubitet de amore mutuo, unde modo lætus, prout ſpes adblanditur, modò triſtis, cum timor urget, modo effuſæ lætitiæ, cum imaginatur aliquid tanquam certum argumentum mutuæ benevolentiæ. Si autem deſperet, tunc ſumma triſtitia, lacrymæ, ſuſpiria, taciturnitas, reſpiratio tarda, magna, pulſus parvus, rarus, inter quæ ſi dilecta veniat, ſubito pulſus frequentior, & major, aucta reſpiratio, primò taciturnitas, mox vox, & gaudium, & plena ſalus, ſi illa arrideat, ſi amatorie tueatur; ſi finem ſpondeat diuturnitati pœnarum. Hæ autem, & ſimiles furoris erotici affectiones ex ſuperioribus, & operationibus animalium facilè patent, cum pendeant partim ex aſſuetudine, partim ex neceſſitate inſtrumentorum, & motuum. Secundo huc pertinet melancholia errabunda ita nuncupata, quòd errare ſoleat; & præcipue menſe Februario invadere, in qua æger ne per horam quidem poteſt in eodem loco quieſcere, ſed cogitur huc illuc continue vagari neſciens, quo vadat, timidior eſt omnibus melancholicis hominum frequentiam fugiens, noctivagus per ſepulcreta, per ſolitudines, nec ſcit unquam quid fugiat, quid quærat, quid velit. Corpus ſiccum, & aridum, oculi concavi, ſine lacrymis, exſucci, lingua arida, color corporis citrinus, ulcera non raro in cruribus, quæ non conſolidantur. Hæc autem vel ab opinione rei triſtis antea conceptæ, vel caſu excitatæ per abundantiam humoris terrei, & ſicci, & per cogitationem firmatæ. Ex eo autem quod vagentur, nec ſciant quò vadant, dicta eſt Arabibus Kutubuth, quo nomine ipſis eſt Animal, quod per ſuperficiem aquarum ſtagnantium huc illuc continue curſitat. Poſtremò huc referenda eſt melancholia attonita errabundæ contraria, in qua æger loco non movetur, immò nec ſitu, ſedens nunquam aſſurgit, ſtans nunquam ſedet, jacens nunquam ſe erigit, nec pedes agit, niſi ab adſtantibus promoveatur, & loco pellatur: hominum frequentiam non fugit, interroganti non reſpondet, licet dictis animum advertere videatur, monita nihil curat, ac ſi ſurdus eſſet, objectis viſui, & tactui non attendit, quaſi cogitabundus, & cogitatione aliarum rerum diſtractus dormit, vigilat per intervalla, cibum ori admotum comedit, potum haurit. Rariſſimum morbi genus, nec à Sennerto viſum, ſed à Medico Electoris Saxoniæ Jacobo Jano amico ſuo ſemel in viro 30. annorum Eccleſiæ cujuſdam Paſtore, & ſibi communicatum. Ex relatione autem patet, totum hoc ab opinione fixa ortum duxiſſe, ait namque. Hic temperamento melancholicus verno tempore melancholia laborare cæpit, triſtiorque ſubinde factus nihil quidem abſurdi protulit, attamen quaſi tentationibus vexatus, ſed propter peccata (quæ in juventute commiſerat non atrocia, ſed levia plane] ſe cum Deo in gratiam redire non poſſe ſibi perſuaſum habebat, indignumque ſe reputabat, qui gereret munus Eccleſiaſticum. Itaque deſperabundi inſtar non tantum totum tempus vernum, ſed & integram æſtatem; quâ aliquoties ſibi ipſi, ut & uxori violentas manus inferre tentavit, ſuaque interdum, & quaſi per paroxyſmum ἐκστατικῶς agere viſus eſt, miſerè tranſegit. Tempore autumnali fervore illo in actionibus remittente triſtior præter modum factus eſt, ſemperque tacens crebra ſolum ſuſpiria ingeminavit. Amicis præſentibus, & variis conſolationibus ægri miſeriam lenientibus, in terdum à melancholia & triſtitia ſerio dehortantibus

bus, lubens quidem auſcultare viſus eſt, ad reſponſum tamen dandum, licet variis propoſitis interrogationibus continuè inſtigatus permoveri non potuit. Hanc tamen vocem aliquando edidit. Ah Deus! quâ excepta, aliquot ſeptimanis non verbum ullum ex eo licet ſæpius interrogato, & ut loqueretur monito, extorqueri potuit. Interim nocturno tempore dormiebat, bene mane evigilans cogitabundi inſtar in lecto immobilis jacebat, è lecto opera uxoris elevatus ab eadem veſtibus induebatur, indutus ſtabat inſtar ſtatuæ, manu capiti & temporibus ſponte admota, quod præter modum triſtes facere ſolent, ſuſpirabat, impulſus & manu deductus incedebat, ad ſcamnum vel ſellam adductus ſedebat, inſtigatus menſæ aſſidebat, cibum à conjuge in os inſertum edebat, & cantharo ori applicato, quem manibus arripiebat, tenebat & bibebat. Hic affectus duravit toto autumno, media hyeme minui cœpit, ita ut tandem reſtitutus munus Eccleſiaſticum iterum obiret, cui adhuc præeſt, triſtior tamen, quia natura melancholicus longo tempore eſt deprehenſus. Quam affectionem à fixa credulitate ſui diſcriminis, & deſperatione, & continua alta cogitatione de rebus ſuis poſt obitum accidiſſe palam eſt, ut leviter advertenti patet ex noſtris operationibus Animalium. De Melancholiis autem per conſenſum, & præcipuè hypochondriaca, in morbis abdominis. *Hactenus Clariſſ. Laurentius Bellini. jam tranſeamus ad Curationes, Conſultationes, Obſervationes & Anatomicas inſpectiones ex variis.*

Curationes.

Cum Maniæ duæ ſint ſpecies nempe, continua ac intermittens; medendi ratio etiam duplex inſtitui debet.

1. Methodus Therapeutica circa maniam continuam adhibenda tres primarias Indicationes vulgò celebres ſuggerit, viz. primam Curatoriam, quæ morbum ipſum reſpiciens, ſpirituum animalium furores & exorbitantias corrigere; aut ſedare nititur. Secundam præſervatoriam, quæ in morbi cauſas collimata ſucci nervei, & ſanguinis dyſcraſias acres, & nitroſulphureas, nec non ſpirituum diatheſin quaſi ſtygiam tollere, aut emendare ſatagit. Tertiam vitalem, quæ talem victus & analepſeos rationem dirigit, ut functio tum nutritiva, tum vitalis, quatenus ſolum in morbo iſto par eſt, peragi, ac ſuſtentari poſſint.

Prima Indicatio, ſcilicet, Curatoria, Diſciplinam, ſcil. minas, vincula, aut verbera, æque ac medicinam requirit, Proinde Inſaniens in ædibus ad hanc rem accommodis collocatus, tum à Medico, tum à miniſtris prudentibus ita tractetur, ut quodammodo ſemper, nempe aut monitis, increpatione, aut pœnis ſubinde inflictis, in officio ſuo, atque geſtu, & moribus idoneis contineri poſſit. Et quidem pro ſanandis Maniacis nihil efficax magis aut neceſſarium eſt, quam ut illi quoſdam quaſi tortores uſque formident, ac revereantur. Hac enim ratione, Anima corporea quadantenus depreſſa, & coercita, faſtum & efferationem ſuam remittere cogitur; & proinde poſtea ſenſim miteſcit, ac in ordinem redigitur. Quamobrem furioſi nonnunquam citius per ſupplicia & cruciatus in Gurgustio, quam pharmaciam aut medicamentis curantur.

Præterea tamen Medicinæ curſus etiam talis inſtitui debet, qui Animæ corporeæ elationem ſupprimat, atque dejiciat. Quapropter in hoc morbo phlebotomia, vomitoria, ac Cathartica ut ut fortia, atque temere & audacter exhibita, ſæpiſſime conveniunt; quod equidem manifeſto conſtat, quoniam empirici hujuſmodi ſolum Jatrice, unà cum regimine, & diſciplina leviori, maniacos non raro felicius curant. At verò aſperior hujuſmodi tractatio, maniacis non æque omnibus, ſed maximè furioſis convenit. Alii remiſſius inſanientes, blanditiis ſæpe, & mitiori pharmacia ſanantur.

In pleriſque autem maniacis ſanguinem circa morbi initia copioſe eſſe mittendum, vox populi, & praxis communiſſima eſt. Et revera quantum vires ſinunt, venæ ſectionem ſubinde repeti, & modò in brachio, modo in jugulo, fronte aut pede celebrari; & nonnunquam vaſa hæmorrhoidalia hirudinum ſucto aperiri expediet: his enim evacuationibus tempeſtive factis, tum ſpirituum efferationes, Animæque elatio optime ſupprimuntur; tum inſuper ſanguinis (ſiquidem in illius, qui acris, & corroſivus eſt, detracti locum novus, & mitior repullulat) dyſcraſiæ emendantur.

Vomitoria pro Inſanis curandis etiam inſigniter prodeſſe in proverbii conſuetudinem venit, proinde ut Helleboris iis multo pars maxima, immo tota fere Anticyra vulgo deſtinetur. Qua ratione Emetica in morbis cephalicis ſæpe juvant, ſupra oſtendimus. Agyrtæ in hoc caſu ſtibii doſin largiorem, etſi temere, & periculoſe, non raro tamen cum ſucceſſu exhibent: revera, chymica hic potius conveniunt, & quia potentius movent, & quoniam laborantes iis commodius falli poſſunt.

♃. Sulphuris Antimonii gr. 8. ad x. cremoris tartari ℈ß. miſce, ſimul terendo f. pulvis, detur in cochleari panatellæ; vel ſi doloſe, & ignoranti exhibendus ſit, includatur fruſto panis albi, in juſculo, aut lacte aſſumendi. Repetatur hoc vomitorium crebra vice, nempe ſemel intra quatriduum.

♃. Mercurii vitæ gr. vi. vel vii. f. pul. detur eodem modo. Tartarus emeticus Myſichti, Herculis Bovii, aliaque Mercurii præparata varia ad eundum modum exhiberi poſſunt. Aurum vitæ, ſive Præcipitatum ſolare, etiamque lunare, remedia contra maniam ſpecifica à chymicis habentur, & quidem mercurialia quatenus per vomitum, & ſeceſſum, non raro item per ſudores, urinam, aut ſalivationem operantur, egregie proſunt. Sputum oris copioſè & diu perſiſtens, quoſdam inſanos perfecte curavit.

3. Purgantia fortiora (ubi vires, & conſtitutio ferunt) quatenus ſpirituum, & ſanguinis, efferationes deprimunt, atq; emnnctoria pro excipiendis & ſanguinis, & ſucci nervei recrementis, multum evacuant etiam in hoc morbo ſæpe opem conferunt. In hunc uſum helleb. nigri præpar. uti imprimis extractum ejus, & vinum ex infuſione fibrarum, aut pulpa pomi cum radicibus hujus infixis cocti, plurimum laudantur.

♃. Extracti Hellebori nigri, Calamelanus, an. ℈i. f. bolus.

♃. Calamelanos ℈i. Diagridii gr. 12. ad 15. f. pulvis.

♃. Con-

♃. Confect. Hamech. vel Elect. è ſucco roſarum ℥ß. ad ℥vi. detur in juſculo.

♃. Decocti ſenæ Gereonis, vel Epithymi (cum rad. Hellebori nigri ʒ ii.) ℥vi. f. hauſtus.

♃. Pul. Diaſenæ ʒii. ſumatur in ſero lactis.

Interea dum hæc fiunt indicatio Præſervatoria morbi cauſam reſpiciat. Quare hujuſmodi crebris purgationibus, & phlebotomiis remedia alterantia, quæ ſanguinem, & ſuccum nerveum attemperent, ac ad debitas craſes reducant, interjiciantur; ſi forſan ægrotantes ſatis morigeri & tractabiles, talia methodice aſſumere non recuſaverint.

♃. Cryſtalli mineralis, ſive nitri optimè purificati ʒii. Margaritarum pul. ʒii. ſ. ſacchari candi ʒiiß. Camphoræ ℈ß. ſimul omnia terantur in pulverem ſubtiliſſimum, hujus ʒii. ponantur in lagena vitrea lib. ii. capaci cum aq. font. aut cereviſia tenuiſſima clara ac miti pro potu ordinario, quæ ad libitum concedatur.

Serum lactis effervens floribus violarum, aut Nympheæ affundatur, poſt infuſionem per duas horas copioſe propinentur: etiam Acidulæ ordinate ac ubertim opotæ Maniacis conveniunt.

♃. Summitatum Borraginis, Bugloſſ. recent. & teneriorum. an. m. iiii. poma curtipendula iii. ſalis prunellæ ʒii. ſacchari ℥ſſ. ſimul contuſis affunde aq. font. iii. f. expreſſio fortis capiat ℔. ſſ. ter in die vel ſæpius.

♃. Conſer. florum Borrag. Violarum an. ʒiii. Confect. de Hyacintho, Alchermis an. ʒii. Corallii præparati ʒiſſ. Margaritarum pulveris ʒi. ſalis corallii ʒi. ſyrupi Papaveris rhead. q. ſ. f. elect. cujus ſumatur ʒii. bis aut ter in die ſuperbibendo liquoris ſequentis ℥iiii.

♃. Aq. Nympheæ, Borrag. Bugloſ. Ceraſ. nigror. an. ℥iiii. Papaveris Rhead. ℥vi. aq. Rhead. ℥vi. aq. Roſarum rubr. ℥ii. Camphoræ nodulo ligatæ & vitro ſuſpenſæ ʒ ß. ſyrupi è coralliis ℥iß. miſce, f. Julapium.

♃. Florum ſalicis luteorum q. ſ. deſtillentur organis communibus, repetatur Deſtillatio affundendo aq. ſuper flores recentes, tribus cohobiis, detur ad ℥iiii. bis vel ter in die: edulcorando cum ſyrupo de Nymphea.

♃. Foliorum ſalicis, ulmariæ, pimpinellæ, Borrag. Meliſſ. an. m. vi. florum Nympheæ, ſummitat. Hyperici an. m. iiii. Camphoræ pul. ʒiii. omnibus ſimul conciſis affunde lactis recentis lib. viii. deſtill. organis communibus.

Deſtillentur cerebra Vervecina cum lacte, & detur aq. ad ℥iii. vel iiii. ter in die.

Porrò in uſum adhibentur remedia ſpecifica ita dicta, cujuſmodi celebratur decoctum anagalydis flore purpureo, item ſummitat. Hyperici, aliaque decocta, opiatæ & pulveres Antilyſſi, inter empiricos quoſque celebres ſatis notæ.

De Maniæ à morſu venenatorum aut rabidorum Animalium excitatæ Curatione, ſiquidem ea ferè tantùm empirica & vulgò trita, non eſt ut hoc in loco diſſeramus, cum alibi ſuper hac re conjecturas noſtras propoſuimus. Cæterùm Decoctum, vel infuſio pomorum, aut crudorum aut coctorum in aq. font. liquor. Teæ, Emulſiones, cum multis aliis, quorum formulas in curatione Melancholiæ tradimus, in hoc caſu conveniunt.

Inſuper è Chirurgicis præter venæſectionem multa alia præſidia pro morbo hoc ſanando adhiberi ſolent. Cucurbitulæ cum ſcarificatione ſæpe proſunt. Veſicantia, cauteria tum actualia, tum potentialia à multis laudantur. Nonnulli Arteriotomiam, alii trepanationem, aliique ſalivationem commendant. Attamen hujuſmodi adminiſtrationes, præterquam quod incerti ſunt effectus, haud facilè, & vix tuto propter ægroti intractabilitatem celebrari poſſunt; quare ſuperfluum hic eſſet in juvaminis aut medelæ ab iis expectandæ rationes inquirere. Capillitio deraſo, interdum expedit pulmones Agninos aut Vervecinos calentes, alioſve fotus ſyncipiti applicari, & ſubinde mutari. Verùm etiam hujuſmodi Epithemata, ſiquidem ægrotis reluctantibus methodicè applicari, & repeti nequeunt, ſæpe plus noxæ, quàm emolumenti afferunt.

3. Indicatio vitalis inſtituit quomodo Maniaci circa regimen, Diætam, & ſomnum tractari debent. In hoc morbo ſecus ac pleriſque aliis Analepſi non opus eſt. Quippe nec vires reſumptivis reſtaurari, nec ſpiritus cardiacis refici debent; quin è contrà utriſque ex ſe nimis efferis, quaſi flammæ ſupra modum gliſcenti ſuppreſſio, ſive velut extinctio quædam adhibenda eſt. Itaq; victus ſit tenuis, & minus delicatus, veſtitus aſperior, cubit⁹ durus, tractatio ſevera ac rigida. Somnus verò quia valde neceſſarius, ſi prorſus defuerit, Anodynis interdū exhibitis accerſeri debet; in quem finē medicamenta hypnotica ſupra ad melancholiam præſcripta, etiam in hoc morbo conveniunt. Mania inveteratâ, & habituali laborantes curationi medicæ rarò ſubjiciuntur; verùm inſanientium noſocomiis impoſiti, per diſciplinam iſtius loci ordinariam, aut tandem ad ſe redeunt, aut ibidem à noxa ſibimet ipſis aut aliis inferendâ præſervantur.

Non opus erit Hiſtoriis, & exemplis morbi hujus naturam illuſtrare, ejuſque Typos multiplices deſcribere; quin potius Lymphaticorum noſocomia adeantur, ubi non ſine ſtupendo ſpectaculo, Hominum quaſi gentem novam, & monſtroſam, ſcil. Rationali contrariam, & velut noſtros Antipodes intueri licet; qui ſi omnes in unum locum congregari poſſint, iiſque ſtulti, & amentes quique adjungerentur, neſcio annon hunc Terrarum orbem ex æquo cum ſobriis, & prudentibus dividerent.

Hæc de Maniæ continuæ Therapeia. Intermittens aut habet intervalla perfectè lucida, in quibus Ægroti ad ſanam mentem redeunt, aut furor tantum ceſſat, Delirio adhuc relicto, in tantum ut Affecti mites, & tractabiles fiant, iiſque tamen circa imaginationem, & judicium aberrare perſiſtentes, plurima abſurda, aut incongrua loquuntur & agunt, & poſtea nonnunquam rurſus furioſi evadunt.

Utriuſque horum Affectuum medela, quoad indicationem curatoriam, eadem eſt ac in mania continua, ut non opus fuerit hic alia medicamenta aut methodum deſignare. Quod autem ſpectat ad Prophylaxin, ſive Indicationem præſervatoriam, qua ſcilicet medendi ratio, extra paroxyſmos ad eos præcavendos aut minuendos adhibenda inſtituitur; in quibus furor tantum intermittit delirio perſiſtente, eadem prorſus jatrices remedia, quæ ad Melancholiæ procatarxin tollendam præſcripſimus, conveniunt.

In Mania quæ perfectè quoad omnia ſymptomata intermittit, temporibus maximè idoneis,

ſcilicet vere & autumno ſolennes medicinæ curſus iniri debent; & ſuper ægrotantis cuſtodia ſive regimine continuo opus eſt; tum ut quoad victum, & vitæ genus, in temperie ſemper æquali & moderata conſervetur; tum, ut quamprimùm paroxyſmi imminentis ſigna apparent, phlebotomia, & pharmaciâ mox celebratis, ejus acceſſio inhibeatur.

Itaque inſtantibus æquinoctiis, ſanguis è brachio, & dein poſt 7. vel 8. dies hirudinum ſuctu, è venis hæmorrhoidalibus detrahatur. Purgantia & vomitoria cum debitis intervallis bis aut ter exhibeantur. Porrò diebus intercalaribus, remedia alterantia, horis medicis ordinate ſumantur. Horum formulæ, tum in hoc capite, tum in curatione melancholiæ traduntur. Victus ſit tenuis & εὔπεπτος, circa motum, ſomnum & res alias non naturales cuncta ſint moderata. Si quando Maniæ acceſſio imminere videtur, & conſtanter ante ſolſtitium æſtivum, phlebotomia cum vomitione, & victu tenuiori celebretur. *Thomas Williſius tractatu de morbis ad animam corpoream pertinentibus.*

Melancholiæ curatio prout difficilis ſemper & longa, ita maximè intricata, & perplexa eſſe ſolet; ut pote quæ reſpectu cauſarum cujuſque generis evidentium procatarcticarum, & conjunctarum, etiam ratione ſymptomatum quotidie emergentium, diverſimode inſtitui, & ſubinde variari debet. Nec tantùm remedia & medendi methodum ſæpius mutare, ſed iis monita, deceptiones, illecebras, preces, & pœnas variè interſerere oportet.

Imprimis verò morbi cauſa evidens, ſi qua notabilis præceſſerit, inquiratur & ſi fieri poſſit, vel ſtatim removeatur, vel remotio ejus quodammodo ſimuletur. Porrò animi affectus exinde vehementes concitati; aut ſedentur, aut per alios oppoſitos ſubjugentur. Quare perdito amori ſuccenturientur indignatio, & odium, triſtitiæ opponantur voluptatis blanditiæ, muſica, inanis gloriæ appetitus, aut etiam terror panicus. Pariter quoad cæteras paſſiones, aut compeſcendas aut eludendas procedatur.

Methodus Therapeutica ad melancholiam ſanandam accommodata plures alias indicationes ſuggerit; quarum præcipuæ, & ad quas cæteræ melius revocentur, ſunt tres iſtæ vulgo celebres, ſcilicet curatoria, quæ morbum immediate ejuſque cauſam conjunctam ſpectat, præſervatoria quæ cauſas procatarcticas, & evidentes reſpicit; atque Vitalis, quæ circa vires conſervandas occupatur.

Quoad primam indicationem intentiones medicæ erunt ſpiritus animales fixiores, aut dejectos, nec non tergiverſari, aut deviare aptos, in tantum erigere, volatiliſare, & corroborare, ut poſtea liberius expanſi totum cerebrum pro imaginationis, judicii, aliarumque principum facultatum actibus, pleno ac irretorto, jubare irradient; atque præcordia ita vegetè actuent, & fortiter vibrare faciant, ut ſanguis ubertim accenſus, exinde ſine remora, aut reſtagnatione in totum corpus projiciatur.

Itaque pro medela ſpirituum imprimis procuratur, ut Anima ab omni pathemate moleſto, & coercivo, viz. à veſano amore, Zelotypia, mœrore, commiſeratione, odio, timore, & ſimilibus abducatur, atque ad alacritatem aut lætitiam componatur: confabulatio hilaris, aut jocoſa, cantus, muſica, pictura, ſaltatio, venatus, piſcatio, aliaque exercitia jucunda adhibeantur. Quos deliciæ, aut ludicra non juvant (quibuſdam enim melancholicis ea ſemper ingrata) illi ad negotia leviora ineunda ſuſcitentur; ſtudia mathematica, aut chymica, etiam peregrinatio interdum valde proſunt; porro in ſolo nativo, habitationum loca mutare, non raro expedit. Quibus domi ſemper manere incumbit, monendi ſunt, ut res œconomicas curent, & familias ſuas gubernent; Ædificia, hortos, pomaria, agros rite ordinent, ac colant. Nam mens curis, aut officiis neceſſariis occupata, cogitationes inanes, aut veſanas facilius deponit, ac tandem deſerit. Melancholici rarius ſoli relinquantur, nam ſi quando phantaſmatis, & ſpeculationibus ſuis aereis indulgere, & diutius immorari ſinuntur, Anima intus ſubſidet, & à corpore deſciſcens, & metamorphoſin quandam ſubiens, ſpeciem novam, & non rarò à moribus humanis alienam induit. Quapropter affecti amicorum aut familiarium colloquiis ferè ſemper interturbari debent; nempe ut ſpiritus animales extrorſum vocati à diverticulis ſuis in tractus priores, & aſſuetos ſolicitentur. Sin vero Ægrotantes illuſionibus phantaſticis ſeducti, de ſeipſis prodigioſa quædam imaginentur, & firmiter credunt; mens ab iſtis per inventa artificioſa abducenda eſt, cujuſmodi Therapeiæ plurimi caſus, & exempla in libris proſtant, quin & ſagax medicus pro re nata ſimiles inſtituat.

Etſi melancholia recens, interdum mera animi, & ſpirituum animalium diſciplina, & inſtitutione curatur, in diuturna tamen, aut inveterata, ubi ſpiritus indolem acetoſam, & ſanguis dyſcraſiam atrabilariam contraxerunt, atque cerebri quoad poros, & meatus ejus conformatio læditur, Indicationes aliæ præſervatoriæ dictæ pro tollendis morbi cauſis procatarcticis requiruntur. Super hac re intentiones medicæ erunt, imprimis ſanguinem ad craſin meliorem, & genuinam, nempe ſpirituoſalinam reducere; dein cerebrum vigorare, ejuſque poris reſeratis clarum, & diaphanum reddere, ſimulque ſpiritus animales corroborare, ac in effluxum vegetum excitare. In quos fines methodum ſequentem (quæ tamen juxta varias Ægrotantium conſtitutiones variari debet) hic proponere viſum eſt.

Sanguinis miſſio in omni ferè melancholia locum habet, & nonnunquam ſæpius iteranda eſt. Namque ſanguine aduſto, & effœto per vices ſubtracto, in locum ejus novus ſpirituoſior repullulat. De quantitate, loco, & modis remedii hujus celebrandi, variæ feruntur Authorum ſententiæ; Attamen ſanguinis motu, & affectionibus rite perpenſis, ſufficiat primò quantitatem ejus modicam è brachio, & poſtea, ſi opus fuerit, minorem aut inde, aut à venis ſedalibus, hirudinum ſuctu detrahere. Quomodo venæ ſalvatellæ apertio levamen (prout dicitur) adeo inſigne

con

conferat me neſcire fateor: ſi melancholicis firmiter perſuaſum ſit, phlebotomiam hanc præ quibuſque aliis curaturam, forſan juvabit, vaſorum hæmorrhoidalium frequens apertio, naturam ad evacuationem iſtam poſtea moliendam invitat, quæ ſponte ſuccedens, (dicente Hippocrate) non rarò morbum hunc ſolvit.

Catharſis, in quantum morbi fomitem à primis viis ſubducit, atque aliorum remediorum impedimenta ſummovet, ab initio celebrari, & intervallis repeti debet. Quod autem nonnulli ad morbum citius eradicandum, Helleboro aut elateriis præcipuè utendum eſſe cenſent, & Hippocratem Authorem citant, ea, ſi ſucceſſus ſpectatur, non ita paſſim convenire, quin ægrotis ſæpe plurimum officere deprehendemus: Enimvero purgantia fortiora morbi cauſam, nempe ſanguinis dyſcraſiam, minimè tollunt, ſed augent potius, inſuper ſpiritus animales prius dejectos amplius debilitant, & proſternunt. Helleborus autem ita crebro ab Hippocrate præſcribitur, quoniam ejus ſæculo vix alia cathartica innotuere, ſaltem in frequenti uſu non fuerunt: Jam verò longè præſtat, lenioribus & mitioribus humorum receptacula blande emulgere, atque viſcera tantum, & primas vias ſine magnis ſanguinis, & ſpirituum commotionibus abſtergere.

Vomitoria (ſicut in pleriſque morbis cephalicis febre vacuis) peculiari modo, in affectibus quibuſque inſanis juvare ſolent. Hujus ratio partim in eo conſiſtit, quod ventriculi viſcoſa ſaburra, quæ (prout alibi oſtendimus) animum valde aggravat, expurgata, ſpiritus proinde liberiores ſe vegetius & alacrius expandunt. Porro in quantum vomitio vicina humorum receptacula, nempe cyſtim, felleam, Pancreatis ductum, & meſenterii glandulas comprimit, & evacuat, ne contenta illorum in caput transferantur, procurat.

℞. Oxymelitis ſcillit. ℥ i ß. vini ſcillit. ℥ i. ſyrup. de Peto ʒ ii. miſce, f. vomitorium: ſi minimè vel ſegnius operabitur, liquore poſſetico cum foliis cardui incoctis copioſe ebibito, vomitio irritetur.

℞. Decocti cort. median. ſambuci ℥ iv. ſalis vitrioli ℈ i. ad ℈ ii. Oxymelitis ſomp. ʒ iii. miſce; ſumat eodem modo.

Robuſtis, & quadratis exhibeantur infuſionis croci metallorum, aut Mercurii vit. item Tartarus emeticus Mynſichti, aut ſulphur Antimonii.

℞. Rad. polypodii qu. ℥ ß. Epithymi ʒ iii. ſen. ℥ ß. Tamarind. ʒ vi. ſem. Coriandri ʒ iii. ſant. citr. ʒ ii. coquantur in aq. font. ℥ xiv. ad ℥ x. addendo Agarici ʒ ii. Rhabarb. ʒ i ß; colaturæ clarificatæ adde ſyrupi de pomis purgant. ℥ ii. capiat ℥ vi. repetendo intra 3. vel 4. dies.

℞. Sennæ opt. ʒ iii. Epithymi, Rhabarb. an. ʒ i ß. ſant. Citrini ʒ ß. ſem. coriandri ℈ ii. ſalis abſynthii ʒ ß. ſpicæ celt. ℈ i. infund. clauſe per noct. in vini alb. & aqua pomorum an. ℥ iv. colaturæ claræ ℥ v. adde ſyrup. de Epithymo ʒ vi. aq. mirabilis ʒ ii. miſce f. potio. In corporibus δυσκινήτοις, his adjiciantur fibrarum hellebori nigri in aceto macerat. ʒ i. vel ij.

Quibus pilulæ, pulveres, Boli, aut ſyrupi potius arrident, utantur ſequentibus.

℞. Pil. Tartar. Quercetani, vel de ſuccino Cratonis ʒ ß. reſin. Jalap. vel ſcammonii gr. vi. vel viii. Tartari vitriolati ℈ ß. Ammoniaci ſolut. in aq. mirabilis q. ſ. f. pil. ſumat. iv. hora ſomni, & niſi operabuntur prius, i. mane ſeq.

℞. Calamelanos, extract. Hellebori nigri an. ℈ i. reſinæ Jalap. gran. vi. Ammoniaci ſolut. q. ſ. f. pil. iv. ſumantur cum regimine.

Pulvis Haly dictus, à Valeſco de Taranta Peveda, aliiſque valde commendatur. Et quidem in corporibus ruſticis aut robuſtis, catharticum hoc ſatis idoneum videtur.

℞. Epithymi ℥ ß. Agarici, Lapidis Lazuli an. ʒ iii. ſcammonii ʒ i. Caryophyllorum num. 30. f. pulvis: doſis ʒ ß. ad ʒ i.

℞. Pulveris Diaſennæ, Diaturbith, cum Rhabarb. an. ʒ. f. pul. ſumatur in hauſtu liquoris poſſetici, vel in decoct. Epithymi ſimp. ℈ iv. vel v.

℞. Sen. opt. ℥ ii. rad. polypodii quer. ℥ ii. Epithymi ℥ i ß. ſant. Citr. ℥ ß. Tamarind. ℥ i. ſem. coriandri ʒ vi. coquantur in aquæ Barnetenſis lib. iv. ad medietatem, coletur, & Balnei calore evaporetur ad conſiſtentiam ſyrupi, addendo circa finem mannæ depuratæ, ſacchari albiſſimi an. ℥ iv. f. ſyrupus, doſis cochlear. ii. vel iij. in aq. deſtill. convenientis ℥ iii. vel in quolibet alio liquore, vel,

℞. Ejuſdem liquoris ad conſiſtentiam mellis evaporati ℥ vi. Caſſiæ recent. ℥ iv. pulp. uvarum Corinth. ℥ ii. cremoris tartari, ſalis abſynthii, an. ʒ i ß. pul. Diaſen. ʒ ii. ſant. citr. pul. ʒ iii. miſce f. Elect. doſis ʒ iii. ad. ℥ ß.

Catharticis nec continue nec nimis frequenter utendum erit, quin ſufficiat ea intra 6. aut 7. dies exhibere, atque aliis temporibus alvus ſi aſtricta fuerit, per enemata ſubducatur. Quod ſpectat ad alia medicamenta quæ non ſunt evacuantia, etſi in iis veteres minimum, non maximum curationis negotium ponimus. Enimvero illi (quibus etiam moderni plures conſentiunt) ad melancholiam ſanandam nihil amplius agendum ſtatuebant, quam humorem atrabilarium expurgare; quapropter catharſin præcipui momenti facientes, hujus tantum gratia pharmaciam reliquam, ab iis præparatoriam dictam, inſtituebant; in eum nempe ſcopum collimantes, ut quam primum per medicamenta alterantia humor ad conſiſtentiam idoneam redactus, viæque pro excretione ejus ſatis apertæ fuerint, dein iſte per cathartica foras educatur: Cujuſmodi hypotheſis tum rationi tum experientiæ medicæ minus congrua videtur; quatenus nempe melancholici à crebra purgatione, utut methodice inſtituta, noxam potius quam levamen recipiunt. Itaque nos morbi hujus cauſam in ſanguinis & ſpirituum dyſcraſiis, atque in viſcerum & cerebri debilitate, aut mala conformatione ponentes, alterantia & corroborantia pro remediis primi cenſus habemus, atque horum gratia tantum cathartica non-

nunquam intercalamus. Purgatione igitur propter impedimenta amovenda rite, & ex debitis intervallis præſcripta, quoad reliqua juxta hujuſmodi formulas procedatur.

℞. Conſerv. florum Tunicæ, Borraginis an. ℥ ii ß. Cort. myrabalanorum, condit. ʒ vi. Corallii præpar. Margarit. an. ʒi ß. eboris, oculorum Cancri an. ʒ i. Confect. de Hyacintho ʒ ii. ſyrupi è coralliis vel Papaveris Rhead. q. ſ. f. electuarium, ſumant. ʒ ii. mane & veſperi, ſuperbibendo Julapii ſequentis vel aqu. deſtill. ℥ iij.

℞. Aq. florum Paralyſeos, Ceraſorum nigr. an. ℥ vi. Meliſſæ ℥ iv. aq. Dris. Stephani ℥ ii. ſacchari ʒ vi. miſce f. Julapium.

℞. Foliorum Meliſſæ, borraginis, bugloſſi, fumariæ, naſturtii aquatici, Beccabungæ, an. manip. iv. florum Tunicæ, Calendulæ, Borraginis, Paralyſeos, an. m. iij. cortices exteriores 6. Aurant. & 4. Limonior. inciſis & contuſis omnibus affunde ſeri lactis cum pomaceo facti ℔ viii. deſtillent. organis communibus, liquor totus miſceatur.

℞. Pul. Margaritarum, Eboris, Corallii præparat. ana ʒ ii. ſpecier. lætificant. diarrhodi Abbatis an. ʒ i. olei è cort. Citri ℈ ß. ſacchari albiſſ. ſoluti & ad tabulat. cocti in q. ſ. aqua meliſſ. ℥ vi. ſ. art. f. Tabulæ ponderis ʒ i. capiat. ii. vel iii. mane horâ nonâ & quinta pomerid. ſuperbibendo hauſtum aq. deſtill. aut Tea. vel,

℞. Rad. Chærefolii, Polypodii quer. ana ℥i ß. foliorum linguæ cerv. Aſplenii, Ceterach. chamædryos an. m. i. Tamariſc. m. ß. cort. ejuſdem ℥ ß. paſſularum exacinat. ℥ ij. pomum j. inciſum, inciſa & contuſa coquantur in aqu. font. ℔ iv. ad tertiæ partis conſumpt. circa finem adde foliorum naſturtii aq. m. i. f. colatura clarificanda, ſumantur ℥ vi. bis, vel ter in die, edulcoretur cum ſyrupo de fumaria.

Aqu. Acidulæ ferratæ pro ſanandis melancholicis maximum ſæpe commodum præſtare ſolent; quatenus nimirum copiosè epotæ ſanguinis tincturam ſalino-ſulphuream eluunt, ejuſque mala fermenta deſtruunt. Porrò illæ viſcerum ſordes abſtergent, obſtructiones reſerant, & quod inſignis emolumenti eſt, aſtrictione ſua tum viſcera debilia aut laxa nimis, corroborant, tum vaſorum in cerebrum dehiſcentium ora occludunt, quo minus in ipſum unà cum ſacco nerveo materiæ extraneæ aditus pateſcat. Atque ob hanc rationem, nempe viſcera corroborando, & ductus εἰς ἐγκέφαλον obſerando, vitriolica ferri præparata in melancholia, etiamque in vertigine, utiliter exhiberi ſolent.

℞. Chalybis noſt. præparat. ʒ iii. infund. in aqua ſupraſcript. ℔ ij. ſumantur ℥ iii. vel iv. bis in die per ſe, vel cum alio medicamento ſolido.

℞. Limaturæ ferri ℥ j. ponatur in vitro cum ſucci Aurant. ℥ ij. ſtet per diem ſubinde agitando, dein affunde aquæ pomorum, & vini albi ana ℔ j. vel pomacei tenuioris, & mitis ℔ ii. ſument. ℥ iii. bis in die eodem modo.

℞. Vitrioli Martis, cremoris Tartari, oculorum Cancri, an. ʒ i. miſce f. pul. dividatur in 9. partes. Sumatur part. i. omni mane in hauſtu aq. deſtillat. vel Decocti, aut juſculi appropriati.

℞. Syrupi de chalybe ℥ iv. ſumatur cochlear. i. bis in die in vehiculo idoneo.

℞. Extracti chalybis, ex chalybe noſt. cum decocto appropriato parati ʒ iii. pul. eboris, ſantali Citrini, ligni Aloes an. ʒ ß. ſalis Tartari ℈ ii. Ammoniaci ſolut. in aqua Lumbricorum q. ſ. f. maſſa, formetur in pilulas exiguas, ſumantur iii. vel iv. omni veſpera ſuperbibendo aq. pomorum, aut florum Paralyſeos. ℥ iii.

Serum lactis, ſi ventriculo congruat, per plures dies copioſe epotum, pari ratione ac acidulæ, videlicet ſanguinis atrabilarii particulas ſalſas, & ſulphureas eluendo, ſæpe cum fructu adhibetur. Serum lactis, cum epithymio infuſo, aut incocto à nonnullis egregie laudatur.

Parentur juſcula ex decocto pulli, cum radicibus polypodii, Chærefolii, fœniculi, ruſci, & foliis Cetrach, Linguæ cerv. ſcolopendriæ &c. ſumatur hauſtus mane & hora quinta pomerid. in quo diſſolve vitrioli martis gran. 6. ad 10. ſalis abſynthii, cremoris tartari, ana ℈ i.

Herbarum ſucci, & expreſſiones ad tollendam ſanguinis dyſcraſiam nonnunquam egregie conferunt.

℞. Foliorum Borraginis, naſturtii aquatici, an. m. vi. pom. ii. curtipendula, pulpam duorum Aurant. ſacchari albiſſ. ℥ i. omnibus ſimul contuſis affunde pomacei opt. lib. i ß. f. expreſſio fortis, ſervetur in vitro, doſis ℥ iv. bis vel ter in die.

In æſtate balneum aquæ dulcis, quatenus ſordes cutis poris impactas abſterget, & διαπνοὴν inſenſilem promovet quibuſdam valde prodeſt.

Quoniam Melancholici ſomnum ægre capeſſunt, atque à longis, aut crebris vigiliis deterius habent, idcirco Anodyna, & interdum hypnotica blandiora, ſera nocte (quando opus fuerit) ſumenda præſcribantur; in hunc finem decoctum florum Paralyſeos, aut foliorum lactucæ, vel aq. deſtillat. papaveris rheadis, aut ſyrupi ejuſdem, porro Emulſiones ex ſeminibus papaveris albi, ſyrupus de meconio aliaque benigna, tantum, & ſpiritus demulcentia conveniunt.

Cum Melancholicorum æque ac ſtultorum gens infinita ſit, idcirco binis tantum exemplis, in quorum uno morbus ab Animæ parte Senſitiva, ſive ſpiritibus Animalibus atque à parte ejus vitali, nempe Sanguine incepit, Hypotheſin noſtram illuſtrabo.

Olim vir inſignis 40. circiter annos natus, vultus floridi, hilaris, & ad negotia quævis expeditus, propter infortunia quædam animo afflictus, & plurimum dejectus, deinceps triſtis admodum, & cum aſpectu lurido & demiſſo atrabilarius evaſit. Cum primo eum inviſerem, de multiplici cogitationum æſtu, & diſtractione conqueſtus eſt, quæ tanta erant, ut continue, dies, & noctes phantaſia, ſemper occupata, omnino

nino inſomnis degeret: Nec tamen huic reipublicæ, aut propriæ familiæ res omnino curæ erant, neque circa animæ ſalutem, aut corporis valetudinem valde erat ſolicitus, ſed potius circa res minutas, & nullius fere momenti perpetuo angebatur. Omnium ita timidus fuit, ut damna, aut mortem ab exiguo quovis accidente ſibi mox eventura ominaretur. Denique tam triſtis ſemper degebat, quaſi Heraclitum mœrendo ſuperare contenderet. Porro tanta cordis anguſtia, & conſtrictione tam magna laborabat, ut ſentire videretur tota præcordia velut pugnum contractum arctiſſime conſtringi; ibidemque onus immenſum, & ſumme aggravativum, ſub quo pronus uſque incedere, & verſus terram inclinare cogebatur, ſe ferre putabat. Inter amicorum colloquia & confabulationes, ita præcordiorum conſtrictio & gravamen nonnihil remittere; dein vero ab inaſſueto quovis objecto timorem incutiente vehementius repetere ſolebant: nec tantum in præcordiis, verum in toto preterea corpore, conſtrictione quadam laborabat, atque lumborum regioni, nec non humeris & brachiis velut onus quoddam incumbere videbatur.

Symptomatum horum rationes ex hypotheſi noſtra ſatis liquido patent. Quod ad Therapeiam ſpectat, poſt varia medicamina ſine magno fructu adhibita, demum ſuaſi, quoniam æſtivum tempus tum erat, ut acidulas noſtras artificiales per ſeſquimenſem biberet: itaque imprimis aquæ font. ℔ v. per noctem infundi, chalybis noſt. præp. ʒß & poſtea tantundem in aq. ℔ vii. Ægrotans quoque mane liquorem clarum ebibit, & intra quatuor vel quinque horas maximam partem ejus per urinam reddidit: cepit inſuper hora ſomni, & primo mane electuarii appropriati (quale ſupra deſcribitur) doſin cum julapio cephalico; intra duos menſes longe melius habuit, & poſtea ſenſim ad ſe rediit.

Dum hæc ſcriberem Juvenis illuſtris à peregrinatione transmarina nuper reverſus, & valetudinarius factus, ſe curæ noſtræ tradidit. Hic olim temperamento ſanguineo ac alacri, moribus ſplendidis, nec non ingenio acuto, indoleque exporrecta præditus, dum regiones exteras peragraret, æſtate quadam in Hiſpania tum degens, ab intenſis iſtius loci ardoribus magnam in ſe alterationem perſentit: primo enim ſanguinis effervefcentiis crebris, cum ſubita in volis manuum ac pedum incaleſcentia, & punctionibus in toto corpore ſubinde exoriri, & mox evaneſcere ſolitis obnoxius fiebat. Deinde quoad appetitum & ſomnum ſe deterius habens inſuper hebes, ac ſubtriſtis, negotia aut oblectamenta quævis, immo & amicorum commercia minus affectare, ac interdum vitare cœpit. Tandem indiſpoſitione hac in dies in graveſcente, abſque ulla cauſa evidenti, aut animi moleſtia reali, melancholicus evaſit, ita ut ſemper cogitabundus, atque timidus, & mœſtus, nulla re oblectaretur; nam ſtudia, exercitia, peregrinatio, eruditorum converſatio, & quævis alia in deliciis pridem habita, ei nunc tædio aut terrori eſſe ſolent. Ad hunc modum per biennium affectus quaſi alter homo eſſet à ſeipſo plurimum mutatur. Curationis gratia medicos peritiſſimos in Hiſpania, Gallia, Hollandia, & nuper in Anglia conſuluit, variaſque medendi methodos, vix ullo tamen cum fructu tentavit. Nimirum iſta ſanguinis dyſcraſia atrabilaria ex aeris intemperie primò contracta uſque permanens, regimini animali ſpiritus quaſi acetoſos: hoc eſt, quales modo deſcripſimus, ſuppeditari facit. Huic ab initio remedia ſequentia commendare viſum eſt:

℞. Decoct. ſen. Gereonis (cum Tamarind. ℥ß.) ℥iv. ſyrupi de pomis purgant. ℥i. aq. mirabilis ʒ ii. miſce, ſumat cum regimine repetendo intra dies 9. Poſt purgationem detrahatur ſanguinis hirudinum ſuctu, ad ℥ iv.

℞. Syrupi noſtri de chalybe ℥ vi. capiat cochlear. i. man. & hora quinta in liquoris ſequentis ℥ iii. deambulando per horam i. vel 2.

℞. Foliorum Meliſſæ, Borraginis, Bugloſſi, Pimpinellæ, Ulmariæ, linguæ Cervinæ, Naſturtii aq. an. m. iv. rad. Borraginis ℔ ß. florum Tunicæ, calendulæ, an. m. iii. cort. exterior. 9. Aurant. & 4. Lim. maceris ℥ ß. inciſis & contuſis affunde ſeri lactis cum pomaceo facti ℔ viii. deſtillentur organis communibus.

℞. Conſervæ florum Tunicæ, Betonicæ, Borrag. an. ℥ i ß. Margarit. pul. ʒ ii. Corallii rub. præpar. ʒ i ß. ſpecier. Confect. de Hiacyntho ʒ ii. ſyrupi è coralliis, & Papaveris Rhead. an. q. ſ. f. opiata, ſumat omni veſpera q. nucis Caſtaneæ ſuperbibendo aqu. florum Paralyſeos ℥ ii. vel iij.

Poſt 16. aut 20. dies Alterantium methodo mutata loco horum utatur ſequentibus, ℞. pul. Eboris, margarit. Corallii rub. præp. an. ʒ ii. rad. Pœoniæ maris ʒ i ß. ligni Aloës ʒß. Tabularum ex Aurantiis ℥ iv. ſolutionis Tragacanthæ in aq. Meliſſæ factæ q. ſ. f. Trochiſci ponderis ʒ ß. comedat iv. mane & hora quinta ſuperbibendo hauſtum Tea.

℞. Ejuſdem pul. ſine Tabulis ℥ ß. florum ſalis Armon. ſalis corallii an. ʒ i. cum Terebint. de Chio ʒ vi. f. maſſa; capiat ʒß. veſperi, & mane ſuperbibendo aq. deſtillat ℥ iii.

Cibis veſcatur euchymis tantum; & eupeptis; bibat Allam tenuem cum foliis Phillitidis infuſis; pitiſſet interdum vinum oligophorum aut pomaceum: vitam modo negotiis facilibus, modo exercitiis moderatis, aut recreationibus varii generis continue occupatum agat.

Hæc de melancholia univerſali, qua laborantes fere indifferenter à quovis objecto afficiuntur, ita ut in omni loco, à quibuſvis accidentibus, & circumſtantiis cogitationum multitudine, cum deſipientia, timore, & mœſtitia continue implicentur. Morbi hujus ſymptomata multiplicia, eorumque rationes, partim in hoc capite, partimque in alio tractatu ſatis fuſe tractavimus.

Melancholia ſpecialis dicitur, quando Ægrotantes rem quandam particularem, aut rerum genus aliquod reſpiciunt, de quo fere inceſſanter cogitant, & propter Animæ potentias & Affectus omnes huic uni continue impenſos, ſoliciti uſque, ac triſtes degunt; inſuper notiones abſurdas & incongruas, non modo circa illud objectum, ſed etiam de pleriſque aliis accidentibus, & ſubjectis habent. In Affectu hoc anima corporea à propria ſpecie deflectens, novam quandam aſſumit, atque

vel Animæ rationali, vel corpori, vel ſibimetipſi non conformis metamorphoſin quandam ſubiit.

Hujuſmodi Affectio multis modis & varia occaſione producitur, utpote quam Paſſiones vehementes, votum, timor, ira, voluptas, immo cætera quæque appetitus tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis pathemata diutius continuata, & ad ſummum evecta, excitare ſolent. Duo autem ſunt προφάσεων genera, à quibus melancholia ſpecialis præcipuè & frequentiſſime exoritur, ſcilicet primò ſi quando mali præſentis, vel imminentis (ſive illud verum, ſive imaginarium fuerit) preſſura gravior animo incumbit: vel ſecundò ſi boni prius obtenti privatio, vel optati deſperatio eveniunt. In caſibus hiſce oppoſitis anima corporea vel extrorſum allectata, curam omnem domeſticam ſui ipſius, aut corporis, aut animę rationalis omittit: vel introrſum compreſſa, & rationis, & functionis tum vitalis tum animalis munia derelinquit, aut pervertit. Operis immenſi res eſſet, varius in utroque genere caſus, & afficiendi modos enumerare; è copia ingenti qui maximi momenti curam medicam præcipue exigere videntur, ſunt, Amor veſanus, zelotypia, Superſtitio, Salutis æternæ deſperatio, denique imaginaria corporis aut partium ejus Metamorphoſis, atque fortunæ bona, vel mala phantaſtica; de ſingulis hiſce breviter dicemus.

De Amoris potentia, Dominio ampliſſimo, & geſtis Heroicis (è quibus nempe tum vitæ humanæ, tum Theatri Dramata præcipuè conſtant) ut nihil hic dicamus, vulgaris & communiſſima obſervatio eſt, quod ſi quiſpiam fœminæ aſpectu & converſatione captus, eam interius deperire & concupere cœperit, atque pro devotiſſimo ſuo affectu nil præter repudia & contemptum ſortietur; ni ratione valde firma ſuffulciatur ille, aut affectibus aliis velut in tranſverſum raptus avocetur, magnum eſt periculum ne in melancholiam amoroſam, ſive ἐρωτομανίαν incidat; quo Pathemate ſi forſan afficietur, illico à ſeipſo velut in ſtatuam animatam transformari videtur, nil præter Amaſiam ſuam meditatur, aut loquitur, in illius gratiam & vitæ, & fortunæ maxima quævis diſcrimina ſubire ambit, interim rei domeſticæ, aut publicæ, immò propriæ ſalutis curam non modo negligit, quin voti ſui exſpes factus, ſæpe manus violentas ſibimetipſi injicit: ſin vitam agere & ſupereſſe contentus ſit, deinceps animo unà & corpore emarceſcens, fere hominem exuit; nam rectæ rationis uſu deperdito, victum, & ſomnum, aliaque naturæ munia neceſſaria omittens, totus in ſuſpiria, & gemitus, inque lugubrem corporis habitum ac geſtum componitur.

In hujus Affectus rationem ſi inquiratur, facile occurrit, quod Anima hominis corporea affectibus violentis obnoxia, cum in objectum ſibi chariſſimum, ſcilicet, fœminam amatam tota effertur, illamque aſſequi, & complecti nequit, nihilo præterea delectatur, aut acquieſcit, quin Animæ rationali immorigera obſurdeſcit prorſus, & dictata ejus non audit, ſed imaginationi notiones tantum tragicas ingerendo intellectus aciem obfuſcat. Porrò quatenus præcordia (ſpirituum affluxu uberiori iis denegato) quoad motus ſuos fatiſcunt, ſanguis in cordis ſinubus aggeſtus, & ſtagnare aptus, gravamen & oppreſſionem magnam, proindeque ſuſpiria & gemitus ciet; interim facies, & membra exteriora propter ſanguinis & ſpirituum affluentias ſubtractas pallent, & oblangueſcunt: hinc noſtro Idiomate, deſperanter amantibus cor fractum eſſe dicitur, in quantum ſcilicet, hic muſculus ſpiritu animali haud vegete ſatis actuatus, tarde & debiliter vibratur, ſanguinemque non amplius cum vigore in partes omnes projicit. Profecto in Amore Anima corporea objecti ſui gratiſſimi Ideam intime complectens, eidem mox conjungi, & penitus uniri ſatagit; verſus hanc affectuum radices, quibus arctiſſime complicatur, emittens, inde potiſſimum, & vitam & vegetationem haurire videtur; adeo corpore neglecto, cum in rem amatam ſe totum inclinat, ſi forte ab hac unione abrupta divortium patietur, velut planta ſolo maxime congeneri exempta, quatenus pabulum ſibi idoneum non excipit amplius, aut aſſimilat, cito in marcorem redigitur: hinc ſpiritus animales munia aſſueta, & ſolitos expanſionum tractus derelinquentes, nec cerebrum, nec præcordia, nec appendicem nervoſum debito modo actuant, aut irradiant: quapropter haud tantum in præſens inconcinna, & delira mentis diſpoſitio cum lugubri corporis habitu excitantur, verum exinde ſanguine vitiato & ſpiritibus indolem acetoſam nactis, melancholia habitualis introducitur.

Qualem functionis animalis inordinationem Amor veſanus circa objecti ſui acquiſitionem, talem fere, aut parem zelotypia circa ejuſdem acquiſiti retentionem acceſſit, adeo ſemper (viz. in fruitione æque ac cupidine,) res eſt ſolliciti plena timoris amor. Anima iſta de præda ſua chariſſima ſi minus ſecura fuerit, ſtatim excandeſcens, propriæ ſerenitati caliginem, ac nubila ſuffundit: dein poſtea tinctura bilaria infecta, objectum quodvis quaſi flavo colore imbutum excipit: enimvero velut ſtomachi fermentum acore nimio præditum ingeſta quævis in ſuam indolem pervertit, ita zelotypiæ affectus ſemel exortus, accidentia quævis, & circumſtantias in veneni ſui pabulum commutat; cumque in hoc pathemate Anima ſenſitiva, velut incurvata, corpori ſuo non conformis evadit, ideo functionum, ſcilicet tum animalis, vitalis, & vegetativæ œconomia depravata, zelotypus delirat ac emarceſcit.

Superſtitio, ac Æternæ ſalutis deſperatio, Animæ ſenſitivæ, ſanguini, & corpori ſimiles fere melancholiæ affectus, ac Amor & zelotypia imprimere ſolent, ſed afficiendi modo nonnihil diverſo: nam in iſtis objectum, cujus acquiſitio, aut amiſſio periclitatur, prorſus immateriale eſt, ejuſque Affectio ab Anima rationali imprimis concepta alteri corporeæ imprimitur: in cujus proſequutione ſi hæc facilè obtemperat, tunc nulla mentis humanæ perturbatio exoritur, ſin refragante (prout ſæpe aſſolet) Anima corporea, rationalis uſque monitis, & minis inſtabit, ſtatim illa excandeſcens ſanguinem, & ſpiritus inordinate commovet, Bona, & oblectamenta corporea ſpiritualibus

libus

libus, ab intellectu objectis, opponit, inque ſuas partes hominem pertrahere ſatagit; cumque adeo inter duas animas velitatio continua habetur, atque modo voluntas ſuperior, modo appetitus ſenſitivus prævalet, tandem conſcientiæ forum à mente erigitur, ubi ſinguli quique actus ſcrupuloſe examinantur. Propter hæc crebriora Animarum diſſidia ſpiritus animales utpote nimis, & fere perpetuo exerciti, ſæpe huc illuc in contraria juſſi, & quaſi diſtracti, tandem à vigore, ac indole ſua nonnihil deſciſcunt, & demum fixiores, & melancholici facti, quatenus à ſolita expanſione detinentur, tractus devios. & inaſſuetos in cerebro procudunt, & ſic delirium cum timore & triſtitia immenſis inducunt: in ejuſmodi affectibus Anima corporea, quaſi violenter abrepta, tum à ſeipſo, tum à corpore diſſidet, atque juxta Ideæ impreſſæ characterem modificata, ſpeciem novam aut Angelicam, aut diabolicam aſſumere aſſolet; interim intellectus, quatenus imaginatio notiones tantum inconcinnas, & monſtroſas ei ſuggerit, à recta rationis uſu omnino pervertitur.

Simili huic afficiendi ritu, contingit melancholicos quoſdam, aut quoad fortunas, aut corpora ſua metamorphoſes imaginarias ſubire, viz. dum unus ſe Principem alter mendicum imaginatur, & agit: alius ſe corpus vitreum habere, atque alius ſe canem aut lupum, aliudve monſtrum eſſe credit; poſtquam enim Anima corporea melancholia diuturna affecta, mente occæcata tum à ſeipſo, tum à corpore penitus deſcivit, ſpeciem illa aut conditionem novam affectat, & quantum in ſe eſt, revera aſſumit. *Idem ibidem.*

At ſi dementes in rectam rationis ſemitam revocare ferè ſit impoſſibile, conantur tamen Medici pluribus id aſſequi. Primum verò infectum ſanguinem, & variis pathematis agitatum, educendum, conſulunt iterata phlebotomia: at in Gallicis ephemeridibus memoratur furioſum quendam ſanguinis transfuſione priſtinæ ſaluti fuiſſe reſtitutum. Deindè vitioſos humores expurgant, præſertim helleboro nigro. Mox cerebrum, & cor roborant temperantque. Somnum conciliantia, & topica capiti adhibent ex humectantibus, & infrigidantibus compoſita.

Verùm experientia teſtatur Maniacos potius minis, verberibus, monitis, objurgationibus temperari, & coërceri, quàm remediis, quæ plerumque etiam admittere nolunt: quamobrem experimur tortores ſuos ſolummodò revereri, cæteros ſine metu illos invadere.

Narcotica non conveniunt: turbant potius mentem amentium, & furorem acuunt, ut etiam adnotavit Helmontius, qui maniacis opium, cui ſulphur amarum ineſt, interdixit. Vinum etiam nocet: ſolum cum Mandragora exhibitum, ſi ſcilicet in eo hujus radices ebullierint; profuiſſe viſum eſt: Mandragora enim præ cæteris ſoporiferis commendatur à Dioſcoride, quod leniter vomitum moveat, ferventem ſanguinem compeſcat, ac purificet. Aqua in qua nitrum purum diſſolutum ſit efficax eſſe conſuevit, in potum exhibita, ſicut quælibet alia aqua acidula. Ejuſdem efficaciæ dicitur ſaccharum ſaturni, liquor Margaritarum, cryſtallus montis præparata, Magiſterium coralliorum, tinctura violarum, & roſarum; idque genus alia.

Helmontius helleboro primum exhibito ter ſubmergendum eſſe ægrotum aquis præcipit prima vice ad ſpatium, ut ipſe loquitur, unius miſerere; deinde duabus aliis ad breve tempus ſalutationis Angelicæ, tum extracto corpore, prono ſitu, & capite declivi, omnis aqua hauſta rejiciatur, indeque æger reviviſcet ſanus; idque in omnibus generibus Amentiæ, & Rabiei ſervandum ait. Tandem ſulphur vitrioli ſoporiferum, & melle dulcius propinat, quo mirificè omnes mentis alienationes ſedari, ait.

P. Jo. Faber potentiſſimum medicamentum eſſe dicit miſturam ex ʒß. ol. camphoræ, guttis x. ol. ſaturni, & gut. iv. eſſentiæ martis in aqua communi exhibitam per x. dies itemq; eſſentiam argenti, auri, & mercurii; ſuumque anodynum.

Liquorem lunæ, ſeu lunam potabilem ad idem etiam præſcripſit Hartmannus, quàm certiſſimum, & probatiſſimum remedium affirmat in omnibus affectibus cerebri, præſertim in Amentia. In ejus defectum ſubſtituit Cardilucius tincturam florum hyperici per ſpiritum vini extractam, atque ad guttas aliquot in potu convenienti exhibitam. Sanguini aſini è venis poſt aures elicito vis etiam magna in curanda mania ab eodem Hartmanno tribuitur, necnon decocto anagallidis flore purpureo; atque in externum uſum lixivio cephalico ab eodem deſcripto, præter cranii terebrationem. Commendatur aliis cerebrum arietis, qui nondum venerem norit. Et Michael ac Sennertus memorant ſanatos intra triduum Maniacos uſu cerebri canis cocti. Folia buxi, ſive ut alii malunt, fagi, minutim inciſa in aqua lavendulæ exhibita, movendo ſudorem Maniam curare perhibentur. Aqua, extractum & eſſentia florum hyperici, vel tinctura eorumdem, ex deſcriptione Mynſichti eandem opem præſtare dicitur. Magni fit etiam ſpir. vitrioli antiepilepticus Hartmanni.

Veſani amoris remedia multa referuntur, quæ Maniæ communia ſunt. At crediderim nulla efficaciora eſſe, quàm quæ petuntur ex philoſophia. Quiſquis enim ſuæ libertatis arbiter quàm facillimè poteſt cupidinis arma repellere, perfringere, aut hebetare, atque adeò hujus labis contagionem arcere. Quod verò de Philtris fertur, quòdque morbus per margaritas præparatas, pulverem ſecundinæ primiparæ, & calculi humani, fugari dicitur, vanum eſt, niſi mens ſana, & conſtans ſit.

Poſtremò Mania ex venenis, alexipharmacis convenientibus curatur, incitato tamen primùm vomitu, ſi venenum adhuc in ſtomacho ſubſiſtat.

Plurimis, ac vehementibus remediis melancholicos tractandos non eſſe peritiores Medici communiter ſuadent, dicente Galeno, ſe frequentibus balneis, victuque humido, bonique ſucci, nullo alio adhibito præſidio ejuſmodi morbum curaſſe nondum tamen diutius protractum Neque præterea multum illis in præconcepta imaginatione contradicendum, cùm ſæpius expertum ſit hac ratione illos magis furere; unde expediet blandè in oppoſitam imaginationem adducere, atque ſagaci induſtria eos

in iiſdem rebus, in quibus deſipiunt, data opportunitate, fallere. Communi voto commendatur uſus hellebori nigri, præſertim cùm morbus increverit, & viſcera recrementis tartareis gravata obſervantur: iſque, ſive infuſione, ſive decoctura, ſive in oxymelle, vino, ſero caprillo, aliove liquore exhibitus: extractum etiam, & tinctura uſui eſſe poteſt. At ſubrogat helleboro mitiora purgantia, ex ſenna, epithymo, rhabarbaro, Williſius, ſed præterea vomitum indicit. His alii non contenti ſanguinem quoque detrahunt, & hæmorrhoidibus hirudines affigunt, atque eam, quæ inter annularem, & auricularem digitum ſita vena eſt, etiam ſecant.

Sed præſtat ſanguinem repurgare per medicamenta ex chalybe compoſita, præſertim pulverem cachecticum Quercetani: hæc enim tum in his, tum in aliis ſimilibus ægritudinibus ab acidiori ſanguine progigni putatis miram ſemper opem contulere; proſunt etiam aquæ acidulæ & ferratæ; & ſi fortaſſe corpus à congeſtis excrementis purgare expediat, uſu pilularum tartarearum Quercetani, Bontii, vel Schroderi, aut diaſenna, vel pulvere Haly à Valeſco de Taranta plurimum commendato, commode peragetur.

Antimelancholica deniq; recenſentur ſuccus mandragoræ ad cochleare unum ſingulo mane, ex Petræo. Eſſentia croci cum ſpiritu vini elicita, Tinctura hyperici, & bugloſſi cum ſpiritu vitrioli dulci reddito. Syrupus exhilarans Horſtii, & Laurentii. Elixir proprietatis cum ſuccis Sennerti. De croco ſcribit Borellus, quod ſupra cordis regionem geſtatus omnes melancholicos affectus arceat. Plura alia referemus, cùm de Hypochondriaco, & Scorbutico affectu ſermo redibit.

Cæterum ſtupiditatem, & Μώρωσιν ad deliria referre non auſim, cùm in ea operationes animales, vel imminuantur, & hebetentur, vel etiam aboleantur, cæteroqui in deliriis depravari ſolitæ. Convenire potius videtur cum Memoria & Ratiocinatione diminuta; ſeu ingenii hebetudine; quare medicamenta roborantia, & ſanguinē acuentia, & purificantia expoſtulantur. Speciatim autem conferre dicuntur Pulvis Trithemii deſcriptus ab Hartmanno, & à Schrodero ad ʒi. cum aqua magnanimitatis: confectio anacardina ad ʒß. ejuſque extractum ad gr. v. in vino, vel aqua lavendulæ. Similiter ſpiritus ſalis ammoniaci cum ſuccino, eſſentia roriſmarini, ejuſque elixir, itemque elixir vitæ Quercetani, & proprietatis, aqua vitæ Matthioli, eſſentia ambari, ipſamet ambra griſea dicta, aqua Sophorum Mynſichti, & de Xyloaloë, ac elixir pœoniæ ejuſdem. Uſu Thuris juvari obliviosos memorat Crato. Et Platerus in vino illud exhibet, vel in aqua convenienti ad ℈ß. & ſi piper addatur, inquit, laudatiſſimum eſſe remedium ad memoriam; in quam rem conficit pulverem ex olibani ʒ xv. piper. ʒ v. cujus doſis ʒ i. per dies xl. Marſilius Ficinus de tuenda ſtudioſorum ſanitate ex thur. ℥ii. myrrh. ℥ i. auri fol. ʒß. cum vino format pilulas ſub aurora ſumendas. Decoctum Pyrethri approbat Paracelſus; atque à Wolfango Hoëfero commendatur oleum myrrhæ temporibus, & ſyncipiti illitum. *Lucas Tozzi Med. Pract. lib. 1.*

Mania melancholiam plerumque vel ſequitur vel comitatur; aliquando autem ab affectu uterino dependet.

Si Melancholia Maniæ antecedens, vel conjuncta cauſa ſit, ægro ſequentia adhibeantur.

Venæ nunc hæ, nunc aliæ aperiantur, ſanguiſque ſecundum plethoræ viriumque modum effluere ſinatur.

Victus ſit refrigerans & humectans.

Ad vomitum ciendum exhibeantur infuſiones croci metallorum, vel vitri antimonii; acetum & mel ſcillitic. &c.

Purgetur æger ſæpius pulvere benedicto Valeſci, (cap. de Melancholia præſcript.) pil. Alexandri Tralliani de lapide Armeno, pil. aggregativ. extr. Rudii, vel pil. de lapide Lazuli.

Alternatim cum iſtis purgationibus dentur clyſteres ex melle helleborato, incipiendo ab ℥ i. & aſcendendo ad ℥ ii. vel ℥iii. in decocto omaſorum vel jure alio pingui. Vel

℞. Malv. betonic. fumar. violar; an. m. ß. ſt. roſ. flor. anth. cha mæmel. an. p. ii. ſem. aniſ. carui, cumin. an. ʒ ii. f. decoctum in ſeri lactis ℔iß. ad ℔ i. In colatura immiſce hieræ Pachii, Logadii, Galeni an. ʒiß. olei violar. ℥ ii. f. Enema.

Poſt evacuationem ſufficientem ad ſpecifica accingendum eſt. Simplicia ſpecifica ſunt hypericon (fuga dæmonum dict.) verbena, ruta, ſabina, palma Chriſti, anethum, millefolium, aſter Atticus, polypodium, epithymum, fumaria, artemiſia, helleboraſtrum, herbæ denique pene omnes quæ Cephalicæ vulgo habentur. Lapis Lazuli, ambra nigra ſive lapis gagates, lapis Armenus, &c. Ex his varia fieri poſſunt præparata, vel ſimplicia vel compoſita.

Angelus Sala ipſe mihi dixit ſe in Mania & Melancholia habere pro arcano tincturam hyperici: ac aliquando cum careret tinctura, ſumpſit ejus ſummitates, decoxit in vino Rhenano & cereviſia tenui, atque utiliter propinavit.

Aquæ minerales Tunbrigenſes plurimis profuere.

Spiritus aluminis in maniacis & phrenitide, longe ſuperat ſpiritum vitrioli, necnon in febribus ardentibus: nam inſigniter refrigerat.

His mitioribus non proficientibus, ad Helleborata veniendum eſt. Mel Helleboratum, (Heurnii dictum) feliciter propinatur ad ℥ß. vel ʒvi. ex mulſa vel aqua ſaccharata, at omnium optimè cum decocto aniſi. Vix tutius datur helleborus quàm ex iſto melle.

Helleborus & niger & albus hic conveniunt, qualicunque forma exhibiti, in extracto, ſubſtantia, vel infuſione.

Extractum ſic fit: ℞. Helleb. albi vel nigri radices, quot velis, minutim conciſæ piſtentur aliquandiu cum pauco ſpiritu vini: indantur cucurbitæ, iiſque dein affunde ſp. vin. ita ut 4. digit. ſupernatet. Evocetur ſp. ad ſiccitatem in balneo vaporoſo. Adhuc calentes radices pulverizentur in mortario, quod facile fit. Hâc ratione præparatæ facillimè dant tincturam, etiam in frigido, cum ſpiritu vini: tinctura autem ad extractum ſ. a. redigatur.

N. B. Elleborus niger, ut & Colocynthis, ſi diu digerantur, ſicut alia cathartica, parum purgant. Elleborus albus autem diutius digera-

digera-

digeratur, viz. per 3. aut 4. dies, donec liquor ſit prægnans tinctura.

Helleb. albi extractum datur à gr. 2. ad 3. vel per ſe vel cum alio purgante. Nota, Extractum hoc licet præparetur duriuſculum in forma pilulari, attamen humectatur ad aërem, & diffluit, unde facile diſſolutum in ventriculo, vomitum movet, & ſurſum deorſumque operatur cum maxima difficultate, innoxie tamen poſt ſedatum tumultum. Dedi mulieri cuidam extracti hujus gran. 3. cum maſſa pilular. compoſit. ex coch. min. & de lap. Lazuli ana gran. xv. Vomuit ſexies, & habuit totidem ſedes, cum labore quidem, tamen ſine periculo, & ceſſante operatione pacata omnia. Eandem exrracti doſin cum aliis purgantibus, ægris aliis exhibui cum εὐφορίᾳ.

♃. Fibrar. è rad. helleb. nigr. & alb. ſelectiſſ. ana ℥j. pulp. colocynth. ℥ß. rad. polypod. recent. fol. ſenn. mundator. ana ʒvi. flor. nenuph. & hyperic. ana p. ii. ſem. aniſ. fœnicul. dulc. ana ʒii. baccar. junip. recent. ʒiß. lign. ſaſſafr. ʒi. f. omnium decoctio in ſ. q. vin. alb. tenuis & odori, & aq. ſtillat. nenuphar. f. colatura & fortis expreſſio, quæ cum mellis deſpumati & ſacchari albiſſ. an. q. ſ. redigantur in ſyrupum, cui indatur nodulus continens cinam. ʒi. nuc. moſchat. mac. an. ʒß. caryophyl. ℈i.

Cum ſyrupi hujus & pulveris fibrarum rad. helleb. ana, formato maſſam pilularum, cujus gran. 5. 7. vel 9. include pilulis ex ʒß. maſſæ pil. coch. min. factis, pro doſi.

D. Cademan mihi retulit, ſi hellebori albi radix ad ʒii. infundatur in ℥vi. v. g. vini muſcatellini, atque hujus infuſi detur cochl. i. blandè movet vomitum pituitæ viſcidiſſimæ, & ſubducit alvum. Operatur ſine periculo; &, quod notandum, conſumpto primo vino ſi novum addatur, etiam ſæpius ſuccedit bona operatio, ut ex croco metallorum.

Poſt purgationem exhibeatur vini medicati ſeq. doſis, viz. ℥iv. quotidie mane per dies plures hor. 4. ante prandium, corpus ſtrenue exercendo.

♃. Battituræ ſive ſquamæ ferri circa incudem collectæ, mundæ, quater in aceto vini acerrimo extinctæ, in alkool lævigatæ ℥xvi. polypodii ℥iv. foliorum chamædr. ſummit. hyperic. ana ℥ii. ſummitat. roriſmarin. cum floribus ℥i. caryophil. mac. cinamom. an. ʒii. fol. ſen. mundat. ℥vi. Omnia conciſa irrorentur vino Canarino, ac in eo macerentur per horas 24. Mox affundantur in vaſe lapideo vini albi Gallici tenuis quartæ ſex vel ℔xii. Obturetur vas ſubere optime, collocetur in loco calido, bis terve indies agitando per octiduum ante uſum. Poſt octavam quamque doſin purgetur ſemel pulvere benedicto Valeſci ſupra laudato.

Maio menſe circa Lunæ decurſum aſinus per duos treſve dies herbis refrigerantibus & hordeo nutriatur; mox vena ſecetur pone aures, & ſanguine imbibatur linteum aſſervandum. Uſus eſt ſi lintei portiuncula in aqua cardui benedict. betonic. vel ſimili maceretur atque infuſio propinetur.

Si ab affectu uterino Mania ducat originem, utiliter ſequentia præſcribuntur.

♃. Maſſ. pilular. fœtid. & aurearum ana ℈i. formentur pilulæ 5. dandæ mane cum debito regimine. Repetantur ſecundo quoque die ad plures vices.

Vel ♃. Aſſæ fœtid. puriſſim. præpar. ʒj. caſtor. ʒß. camphor. ℈i. Omnia ſelecta mixtaque excipiantur ſ. q. ſucci Rutæ cum ſaccharo inſpiſſat. ad conſiſtentiam ſyrupi, addendo ol. ſuccin. puriſſimi gutt. vi. ol. gagatis rectificat. gutt. ij. f. maſſa, cujus hic uſus eſto.

♃. Pil. cochiar. minor. ʒß. maſſ. hujus fœtid. gr. x. miſceantur exacte; dividantur in quatuor partes æquales, quibus ſingulis infigatur nucleus ex maſſa ex pulvere & ſyrup. helleborat. ſupra deſcript. gran. iß. ita ut gr. vi. maſſæ helleboratæ includantur 4. pilulis, quæ ſumantur pro doſi.

N. B. Si à menſibus ſuppreſſis pendeat malum, Menagoga; ſi à paſſione hyſterica, Hyſterica in uſum trahantur. De his autem videantur capita propria in lib. 3.

" Hic, Lector, non inutile judico, nec tibi moleſtum ſpero, ſi partem Epiſtolæ à doctiſſimo Authore noſtro ad Doctorem Caſtle conſcriptæ addam. Conſulebatur de muliere quæ Dæmoniaca credebatur. Hæc (alias pia) in paroxyſmis furentibus in Deum blaſphemias ex ore ſpumante profundere ſolita, pioſque omnes diris exe-crabilibus devovere. Corpus mille modis jactabat; ſe in ignem, in lutum, &c. violenter (ſpontanee tamen) ſæpe conjiciebat. Ventriloqua etiam à ruſticis inter quos degebat, habebatur, &c......... Audi quid de hac cenſeat Author noſter.

.....Melancholiam, ſedem, balneum & regnum diaboli eſſe ſat ſcio: atque Principem iſtum tenebrarum, ſub atri humoris denſa caligine latitantem ſeſe variis morbis naturalibus immiſcere, & ſævas excitare turbas in diverſis ſubjectis, experientia compertum habeo multiplici. Sed non eſt tam facilis mihi animus, ut primo cujuſcunque phantaſmatis, licet portentoſi, occurſu percellatur, nec ratio tam cerea ut quamvis admittat impreſſionem. Duobus tantum ſignis innoteſcere poſſunt mihi dæmoniaci, ſi ἄμουσοι ἢ ἀφιλόσοφοι variis ipſiſve ignotis linguis loquantur, atque de ſcientiis, & artibus nunquam ſalutatis nervoſe & ſolide diſſerant: Et ſi corpus grave in ſublime raptum, in aere hæreat diu neque ſuo pondere labatur deorſum. Atra bilis in Liene, Cerebro, Utero exæſtuans, mille poteſt movere ſymptomata, quæ apud ignaros habentur pro miraculis.........De voce in ventre prodeunte videatur Hippocrates in Polemarchi uxore, ubi mentionem facit eorum qui concluſo ore loquuntur, quos ἐγγαστριμύθους Græci appellant...........Vivit in hac civitate vir Hibernus qui labiis immotis longam profert orationem, & hominibus ipſi vicinis imponit, quaſi aliquis ipſos appellaret é longinquo. Si diaboli plurimæ, hominum etiam plurimæ ſunt technæ, in quibus ſolvendis & enucleandis acumine & jugi opus eſt patientia.......

in Melancholia Hypochondriaca ſignorum maximus eſt numerus; vix enim ulla pars corporis eſt, quæ vim hujus morbi effugit, præcipuè ſi morbus radices altè egerit. Ventriculi adeſt δυσπεψία, inde ructus acidi & nidoroſi, nauſea, vomitus, & dejectio appetitus tan

potu

potus quàm cibi; & quæ eduntur aceſcunt, flatus per ſuperiora & inferiora eduntur; quarta ſæpe poſt paſtum hora adſunt borborygmi. Dolores, nephriticorum æmuli, ad dorſum tendunt, & ad lumbos fœminarum, quibus menſes ſupprimuntur. Alvus ſæpiſſime adſtricta. Calor ſentitur in hypochondriis, quandoque & dolor in iiſdem & lateribus. Tenſio eſt in abdomine, & ſæpe adeo intument latera, ut neceſſe ſit laxentur veſtes, ne rumpantur. Menſium & hæmorrhoidum fluxus interrumpitur. Cordis adeſt palpitatio. Pulſatio ſentitur in hypochondrio plerumque ſiniſtro, quam ſequitur aliquando aneuriſma. Viſcera, præcipue lien & meſenterium, obſtruuntur. Subſultus adeſt membrorum. Urinæ crudæ magna ſæpe effluit copia, per incerta intervalla. Flatus per totum corpus pererrant. Turbæ in viſceribus vapores excitant, qui, ad ſuperiora perreptantes, fauces perſtringunt, & quandoque ſitim excitant; licet ſæpius os udum in ſputo perpetuo effundendo totum eſt, niſi quòd phlegma in majori copia, & ſeroſi ichores vomitu ſubinde eliminentur. Vapores hi melancholici reſpirationem lædere poſſunt, ſi diaphragma vel pulmones petant: Si caput affligant; catarrhos excitant; ſi cerebri meninges, dolorem capitis & plenitudinem, ſurditatem, vertiginem, ἐφιάλτην, hallucinationes, viſa inania & horrenda, ſpectra caliginoſa oculis perpetuò objecta, & mille deliria melancholica. Hinc lachrymæ, ſuſpiria, mœror, animi ægritudo, ſui negligentia, riſus, ſolitudinis amor, hebetudo actionum & animi, torpor, paralyſis ſpuria, affectus comatoſi, & apoplexia. Ἀγρυπνία hujus morbi comes eſt, vigiliæ tamen poſt mediam noctem præcipuè moleſtæ: nam ad hoc tempus aut paulò ulterius, bene dormiunt, poſtea autem evigilant duas aut tres horas, iterumque dormiunt, alii autem iterum dormire nequeunt. Melancholici debilitatem habent in artubus, & varices; præterea, Melancholici omnes lienoſi, ſcorbuto obnoxii.

Ubi talium ſymptomatum caterva corpus infeſtat, hiſce Intentionibus amolienda. Primò, conandum eſt exuberantes ubique corporis & congeſtos peccantes ſuccos præparare incidendo, attenuando, frænando, cicurando, impetum ſiſtendo, fermentationem ſupprimendo, & motos componendo fluctus. Malignitas autem humoribus inſita attenenda & domanda eſt. Secundò, Humores hoc modo cocti per obſtructos meatus cogendi; ideo loca quælibet obſtructa reſeranda, viſcera nimirum utrique ſexui communia, & ſequiori propria, ut & hæmorrhoides viris, fœminiſque itidem ætate provectioribus. Tertio, Viſcerum intemperiei proſpiciendum, & craſis ſecundum naturam iiſdem inducenda erit. Quartò, evacuandum univerſaliter vomitione, purgatione, ſanguinis miſſione ex brachio, malleolis, hæmorrhoidibus, &c. Humores autem præparati pravi & lenti optimè κατ' ἐξοχὴν ducuntur. Singula corporis emiſſaria, viz. alvus, urinæ viæ, habitus, nares, fauces, &c. evacuanda. Ubi menſtrua ſunt provocanda, id aperientibus non calidioribus agendum. Quinto, Partes nobiles corroborandæ, Ventriculus nimirum, hepar, lien, cor, caput, & adverſus inſultum efferi hoſtis muniendæ. Præcipue vero ventriculi officio ſubveniendum, & ſpiritus demiſſi omnino recreandi. Et in παθήμασι melancholicis urgendum uſque & uſque conandum eſt, ut id, quod primis remediis motum fuit, ſequentibus promoveatur, ultimo radicitus tollatur: Malo enim nodo malus cuneus impingendus eſt. Et iſtis ad optatum finem perducendis victus ratio, medicamentum, & manus ſubſervient.

In debita rerum ſex non-naturalium adminiſtratione Διαιτητικὴ conſiſtit. Applicationis earum ſcopus ſit refrigerare, humectare, aperire, incidere, attenuare; gravantium excrementorum generationem præcavere, vel ea generata conſumere, vacuare; calorem nativum, functionum opificem, ſuſcitare, ſpiritus recreare; ipſi denique Naturæ ſternere ac procurare plenam agendi libertatem. Circa res dictas ita ſe gerant melancholici.

Qualis Aer, tales ſpiritus; ideo eligatur purus, ab omni qualitatum exceſſu alienus, nè vel frigore nimium condenſet & exhalationem prohibeat, vel calore torreat, vel diſſolvat humiditate, vel ſiccitate exaſperet.

Cibis boni ſucci & coctu facilibus veſcatur, viz. carnibus juniorum animalium, pulli, perdicis, vituli, hœdi, agni, avicularum montanarum & campeſtrium. Mane ut plurimum elixis, veſperi aſſis & parce quidem utatur. Juſcula alterentur boragine, bugloſſo, oxylapatho, agrimonia, pimpinella, calendula, meliſſa, chærephyllo, endivia, cichorio, cæteriſque oleribus, quæ aperiendi (ſine calore intenſo) vi polleant. Concedantur ova ſorbilia & tremula in aqua fracta, omphacio vel aurantiorum ſucco condita. Inter piſces ſaxatiles perca, lucius, trutta, gobio, & ſimiles: Inter marinos lingulaca ſive ſolea, rhombus & qui duræ carnis ſunt. Piſcibus autem raro veſcatur. Abſtineat ab acribus, ſalſis, piperatis: aliiſque aromatibus conditis, omnibus eduliis craſſi alimenti & difficilis diſtributionis, lacticiniis, caſeo veteri, vino craſſo & nigro, generoſo, Hiſpanico, Malvatico; uno verbo, omnia fugiat quæ ſanguinem exaſſare, incraſſare, vel fervidiorem reddere poſſunt. Potus ordinarius ſit ex cereviſia tenui, limpida, & optime defæcata. Vinum aliquando gilvum ſumat, tenue, oligophorum, &, ſi per appetitum liceat, dilutum decocto radicum filicis, fœniculi, raſuræ cornu cervi & eboris. Panis probè fermentatus bene coctus ſit, albus, levis, non nimium recens. Alimenti magna eſt vis, quippe cùm humorum & ſpirituum materia ſit, iis ſuas impertit qualitates; ita ut perpetuò in rerum natura orta ſuis principiis atteſtentur.

Motu ad ſanitatem opus eſt, ſiquidem ignavia enervat vires, & excrementorum congerie quotidie in majus creſcente, calor conſopitus languet. Stagnantes aquæ putreſcunt: Sic & ſanguis dum immotus manet, & ea, quam exercitium procurat, flabellatione caret. Itaque corpus moderatè exercendum paulò ante paſtus, deambulatione, pila, venatio-

natione, equitatione. Pulmo mane cantu & vociferatione agitandus. Micatio digitorum manus habiles reddit. Univerſalis frictio matutinis horis celebrata, habitum reſerat, fuliginem diſcutit, & calori pro ventilabro eſt, quem æqualiter per omnia membra diffundit.

Veneris dulces illecebræ in melancholicis torpentes vigoris igniculos ſuſcitant. Indulgendum ei aliquando, rariùs tamen, atque id in coitu advertendum ex Celſo, ejus frequentiam non numero cenſendam ſed naturâ, ratione ætatis & corporis; eùmque non inutilem eſſe, quem corporis neque languor neque dolor ſequitur. Matutinis horis convenit poſt coctionem, pleno ventriculo nunquam.

Somni & vigiliarum vices alternæ ſint. Gelidæ mortis imagini majorem temporis partem dare, pituitam auget, calorem ſuffocat, ſpiritus ſegnes reddit; unde facultates elangueſcunt. Vigiliis corpus macerare pariter noxium, quippe iis calor diſſipatur, partes ſiccantur, humores evadunt acriores, mens ipſa percellitur, & morbificarum cauſarum melancholicis impreſſionibus magis patet. Moderatè omnia. Succeſſivè, horis commodis atque ad id deſtinatis vigilandum, & dormiendum. Somnus, qui cibum immediatè ſequitur, caput gravat, & concoctionem præcipitat.

Excrementis, nimiâ quantitate naturæ moleſtis, corpus arte exinaniatur, ſi ipſa, officii immemor, hebes reſtitet. Craſſa per alvum deturbentur, liquida per veſicam educantur, & per habitum digerantur. Ventriculus aliquando vomitu, lien per ani venas, & cerebrum per nares & os repurgentur. Quò natura vergit, eò ducere oportet, per vias convenientes. Iſtorum autem exequendorum inſtrumenta in ſequentibus deſcribentur.

Denique ſiquidem affectus melancholicus ipſas animæ facultates principes ſemper tandem adoritur, & mentem caligine ſuffundit, videant melancholici, ut quandiu ratio clavum tenet, illa ſubalternis ſuiſque veluti miniſtris abſolutè imperet, Phantaſiæ præſertim, quæ per communis ſenſus commercium occaſionem captat uſque externorum objectorum, & Ideas, per ſenſoria ſeſe inſinuantes, arripit quibus mentem excruciet. Iram fugiant, quod indomitum furoris œſtrum hominem ſibiipſi eripit, eùmque digniſſimâ formâ ſi non ſpoliat, ſaltem non ſine dedecore immutatum exhibet. Mœſtitia, ----------- averruncanda hæc, & diis vovenda Inferis fugabitur, & lætitiæ locum dabit, ſi ſublatis internis cauſis, animus per varietatem gratorum objectorum quotidie deducatur, & blandi iſtius veluti philtri jucundâ titillatione ſubinde demulceatur. Solitudo maleſuada eſt melancholicis, cane pejus & angue fugienda. Politicum animal Homo, ad conſortium natus eſt. Muti doctores, libri, licet melancholicos ſolentur, iis tamen non nimis incumbendum. Humorem peccantem alunt, & ſub dulci atque proficua fraude ita cautus obrepit hoſtis; præſertim ſi ægri, ut ſolent, eos libros verſent, in quibus proprii morbi deſcriptionem inveniant. Inde quippe naſcuntur dubia, quibus veluti pedicis inextricabilibus irretitus animus nunquam ſeſe expedire valet; unde fit ut ſuſpicioſi & ancipites perpetuò vivant melancholici, remediis parùm fidant, & ſic curationem non remorentur ſaltem, verùm etiam ex toto impediant. In re medica, fide etiam opus eſt, & peritis in arte credendum. Ægri ſeipſos, in propriam perniciem, vanis & inutilibus curioſitatis figmentis nec rodant, nec torqueant. Omnibus & ſingulis iſtis, in quorum obſervatione forſitan maxima & præcipua curationis pars ſita eſt, ſi faciles ἐς τὰ δέοντα ποιεῦντες ſe ægri præbuerint, ſperandum, immo certè credendum, huic curationi remedia colophonem additura fore.

Horum alia præparantia ſive alterantia, alia vacuantia, non unius generis, nec æqualium aut virium aut actionum. Aliæ denique partes, opis indigæ, roborantia per toni reſtitutionem & malignitatis aggreſſoris extinctionem requirunt. Omnium ſubjunguntur deſcriptiones. Ut & admittendorum, aſſumendorum, apponendorum, & faciendorum ordo ſequitur, ſumma cum diligentia obſervandus; quippe ex Hippocr. Curationum animæ ſunt temporum opportunitates.

Remediorum ordo ejuſmodi ſit. Primò detur clyſter. Tunc purgatio verna & autumnalis. Apozema laxativum in tres vel duas ſaltem doſes. Phlebotomia dextrâ vere; ſiniſtrâ autumno. Balneum. Hæmorrhoides aperiantur, vel ſaphæna. Vere ſerum lactis cum fumaria, agrimoniâ, ſcabioſâ, & ſucco pomorum redolentium. Vinum chalybeatum, & opiata chalybeata, aquæ Spadenſes, Tunbrigenſes, Thermæ Bathonienſes, & ejuſmodi per aliquot ſeptimanas. Clyſter ſemel in ſeptimana. Pilulæ cum gummi ſemel in ſeptimana æqualibus intervallis. Syrupus magiſtralis ſemel in menſe circa plenilunium, vel paulò ante quam humor ſolitos habeat paroxyſmos ſuos. Paſſulatum paulò ante paſtum, vinum ex ſenna, aut infuſum ſennæ in juſculo matutino, quoties alvus per ſe non fluet. Pulvis digeſtivus horâ dimidia poſt ſingulos paſtus. Syrupus de pomis redolentibus meus, cum confectione Alkermes, tabellis vel opiatâ cardiacâ ad palpitationem, eâ vigente ſumendo. Ad caput, frictiones cum ſacculis ſimplicibus cephalicis repletis. Maſticatoria mane. Suffitus de Tabaco. Cauteria.

Formulæ medicamentorum ejuſmodi ſunto.

♃. Rad. alth. lilior. alb. ana ℥i. fol. malv. violar. parietar. mercurial. atriplic. cichor, ana m. j. flor. chamæm. melilot. ſummit. aneth. ana p. j. ſemin. lin. ℥ß. ſem. aniſ. fœnic. ana ʒii. f. omnium decoctio in jure capitis vitulini aut vervecini. Cape de colatura ℔i. in qua diſſolv. Cathol. ℥iß. mel. roſar. ſacchar. rub. ana. ℥i. ſal. gem. ʒi. Mſ. f. Enema, injiciend. ante omnia circa veſperam, levi cœnâ ſubſequente.

Enema aliud pro fœminis hyſtericis cum melancholia.

♃. Fol. mercurial. artemiſ. ana. m. jß. fol. malv. alth. violar. parietar. an. man. j. flor. chamæm. melilot. ana p. ii. ſem. fœnic. aniſ. ana. ʒii. ſem. lin. ℥ß. f. omnium decoctio. In colaturæ ℔i. diſſolv. Cathol. ℥i. hier. picr. ℥ß. mel. mercurial. ſacchari rubr. ana. ℥iß. vitellos ovorum numero 2. Mſ. f.

Cly-

Clyſter, injiciendus ſemel in ſeptimana, jejuno ventriculo mane, horis tribus ante prandium.

Vere & Autumno (quibus tempeſtatibus per certas veluti periodos atra bilis ſuos habet paroxyſmos) celebranda purgatio ſolennis.

℞. Rad. filic. fœm. buglоſſ. cichor. tarax. gram. aſparag. fœnic. apii. ana ℥j. rad. cappar. tamariſc. ana ℥iß. polypod. querc. ℥iij. fol. chamædr. chamæpit. ceterach, fumar. capillor. omnium, epithym. cuſcut. ana m. j. flor. iii. cordial. geniſt. ana p. ii. ſem. citri. card. bened. an. ʒiii. ſem. alkekeng. milii ſolis ana ʒiiß. cappar. à ſale mund. cicer. rub. ana ʒx. poma redolent. minutim inciſ. cum cortic. numero 3. f. omnium decoctio. In colatura infunde & decoque fol. ſen. mund. vino albo odoro nutrit. ℥ i ß. agar. rec. trochiſc. ℥ ß. medull. ſem. cartham. ℥ ii. facta expreſſ. & colat. redact. ad ℥xii. diſſolv. ſyrup. roſ. pallid. comp. cum agar. ℥ii. ſyrup. de fumar. ſolut. de epithym. ana ℥i. M. ſ. f. Apozema pro iii. doſibus matutinis, ſumendis diebus conſequentibus, vel alternis, horis 3. ante juſculum cum cuſtodia. Singulas doſes ſeorſim parare, ſaltem in decocto ſeorſim infundere cathartica ſingularum doſium melius erit. Singulis doſibus addatur ʒi. vel cochleare parvum aquæ cinamomi.

Poſt purgationem inſtituatur Balneum aquæ dulcis tepentis, additis emollientibus & refrigerantibus odoratis; quo utatur per triduum vel quatriduum bis in die, atque in eo moretur citra faſtidium aut ſudorem. Inde lectum petat, & deterſo madore, quieſcat, deinde poſt horam unam corpus cibo curet & reficiat.

Operæ pretium fuerit loco fotûs, & ad corroborationem viſcerum omnium naturalium, uti quinquies vel ſexies ſemicupio ſequenti.

℞. Rad. althææ ℔iß. rad fragar. oxylap. rub. tinctor. ana ℔j. rad. enul. ariſtol. utriuſque, Ireos Florentin. brion. cyper. ana ℔ß. raſur. juniper. ligni Rhod. ana ℥iv. fol. artemiſ. majoran menth. meliſſ. ana m. vi. chamæm. melilot. ana m. viii. flor. ſambuc. ebul. geniſt. ana p. viii. cortic. aurant. citr. ana ℥v. f. decoctio in aqua pro ſemicupio, uſurpando tepide mane, vacuato excrementis corpore. In eo ſedeat citra faſtidium aut ſudorem per horam unam aut alteram.

A Semicupio, vel Balneo per 8. 10, vel 15. dies pro ratione εὐφορίας, uſus ſeri lactis conveniet, de quo recenter à preſſo lacte ſtillante, accipe ℔iv. ſucc. fumar. cichor. ſcabioſ. ana ℥iii ſucc. pomor. redol. ℔ß. Mſ. & cum albumin. ov. pauc. lim. ſucco & ſacch. roſ. tabell. f. clarificatio. Capiat primo ℔i. deinde ii. vel iii. deambulando horas 4. ante prandium. Atque quantitas ſalutaris hujus ἀποεϛυ juxta robur ventriculi, citra nauſeam menſuram admittentis, metienda.

Hæc vere fiant. Per Æſtatis fervidæ ſicciores æſtus petantur Aquæ Minerales Marte imprægnatæ, uno vel altero annis conſequentibus.

Autumno autem (quod eſt melancholiæ regnum) præmiſſâ ſolenni purgatione præſcriptâ, ad chalybeata remedia veniendum, in quibus ſolis atterendæ & extinguendæ κακοηθείας atræ bilis vis eſt, ſive id aperiendo, ſive acrimoniam fermentantem (quæ ex Hippocr. omnium qualitatum eſt maximè incommoda) edulcorando, ſive atram fæcem purgando contingat.

Generalia hæc quotannis ad perfectam curationem uſque celebranda. Cum à mineralibus aquis, ferri & vitrioli fodinas præterlabentibus, patiens ad proprias ſedes redux fœlicibus auſpiciis appulerit, poſt aliquot dierum quietem deſcriptus clyſter ſub veſperam injiciatur, poſtridie verò in aurora potio ſequens propinetur.

℞. Fol. ſen. mundat. minutiſſimè inciſor. ℥vi. epithym. m. j. cortic. exterior. citr. recent. ʒi. cremor. tartar. alb. ʒii. Omnia, ut decet, præparata macerentur per 6. horas in vino albo Rhenano, addit. ſucc. limon. ℥ſſ. mox f. expreſſio & colatura. In qua macer. per tres horas diaphœn. ʒiii. ſucc. pomor. ℥i. f. cum albumini ov. clarif. & colat. in qua diſſolv. ſyr. roſar. pall. comp. cum agar. ℥i. aq. cinam. cochl. i. Mſ. f. Potio, detur in aurora tribus ante juſculum horis.

Sequenti die vel perendie tundatur vena brachii ſiniſtri ad ſanguinis ℥ix. Mox parentur juſcula ſeq. per octiduum manè ſorbenda hor. 4. ante prandium. ſuperambulando.

℞. Rad. gram. fœnic. petroſel. ana ℥ß. cappar. à ſale mund. cicer. rub. ſemin. cartham. in aqua ſubſident. ana ℥i. paſſul. purgat. uvar. Corinth. ana ʒvi. ſem. alkekeng. ʒiii. Includ. ventre pulli gallinacei, qui conſutus elixetur cum fruſto carn. vitulin. addendo ſub finem coctionis fol. borag. bugloſſ. oxylap. agrimon. pimpinell. calendul. chærephyll. ana pug. i. flor. geniſt. condit. pug. ii. reduc. ad quantitatem unius juſculi. In quo per pannum colato diſſolv. cryſtall. mineral. chalybeati ʒi. Mſ. Exhibeatur, ut ſupra.

Exactis octo diebus, iteretur potio præſcripta. Utiliſſimum etiam fuerit ab iſta purgatione affigere hirudines margini ani, per quarum morſus ſive vulnuſcula, extrahantur ſanguinis circiter. ℥vii.

Interim, dum hæc fiant, præparetur Vinum chalybeatum hoc modo.

℞. Rad. filic. fœm. fragar. rub. tinctor. petroſel. apii, aſparag. chelid. maj. ana ℥i. cortic. median. fraxin. rad. cappar. tamariſc. ana ℥ii. fol. ſicc. ceterach, chamædr. eupator. Meſue, ſive agerati, chamæpit. meliſſ. beton. ana m. j. veron. utriuſque ana m. ii. flor. geniſt. calendul. roriſmarin. ſtœch. Arab. ana p. iii. ſantal. citrin. lign. rhod. ſaſſafr. ana ʒvi. nuces moſchat. in fruſta ſect. numero 6. limatur. chalyb. extinctione duodecimâ in aceto vini albi fortiſſim. & nonâ in vino Hiſpanico, ad ſummum ruborem reduct. ℔i. Omnia debito modo præparata, & ſicciſſima, pon. in matrac. ſive phial. oblong. coll. optimè clauſ. colloc. ponè furnum piſtoris, agitentur quòtidie per dies xv. Capiat ab ℥iii. ad. ℥vi. mane, ſuperambulando, hor. 4. ante prandium, per menſem integrum. Iſtud remedium efficax eſt. Si ſatis potenter agat, in eo ſubſiſtendum: at ſi incœptæ ejus actioni aliquid validioris addendum ſit, ſumatur chalybs in ſubſtantia, & parentur Tabellæ ſequentes.

℞. Chaly-

♃. Chalybis ut ſuprà præparati ℥ ij. Raſur. Cornu cervi primarii recent. ʒvj. Magiſter. perlar. corall. dulcis, ſuccin. alb. præparat. ana ʒij. oſſ. de corde cervi, gagat. præpar. ocul. cancr. præparator. ana ʒ i ß. Cortic. exterior. citr. condit. ſicci, aut etiam recentis exſiccati, Cinam. interior. ana ℈ v. Conf. Alkerm. ℥ ß. Sacchar. albiſſim. ℥ iv. Terantur ſimul diligenter omnia, & additâ paucâ mucag. ſem. alth. aut pulp. radic. F. paſta, ex qua form. Tabellæ ponder. ʒ iij. Lento igne ſiccand. Capiat unam quotidie mane, ut ſuprà, ſuperhauſto vini albi tantillo, ſuperambulando.

N. B. Sine exercitio chalybeata nocitura potius quàm profutura ſunt, & in eorum uſu obſervandum, alvum fluidam ſemper eſſe debere, Ideo ſi alvus reſtiterit, ſubducatur vel enemate, vel pilulis in ſequentibus deſcribendis, quæ ante cœnam deglutiantur.

Tempus aſſumptionis iſtius remedii, quoad numerum dierum, vix poteſt definiri; facilis tolerantia ægri, & emolumentum, quod uſui ſuccedet conſilii capiendi occaſionem ſubminiſtrabunt.

Nunc ad uſualia veniendum, quorum frequentiſſimus incidat uſus, neceſſe eſt.

Semel in ſeptimana Clyſter injiciatur, vel præſcriptus, vel alius, juxta præſentes indicationes. Nihil citra noxam primas vias meliùs everrit, nihil à capite commodiùs revellit, nihil melancholicis convenientius eſt.

Æqualibus intervallis, alternatim cum clyſtere, ſemel in hebdomade pilularum ſequentium doſis ſumatur.

♃. Gum. ammon. in vino Hiſpan. diſſolut. ʒß. Aloes in ſuccis roſ. pall. cichorii & fumariæ diſſoluti, & per evaporationem in B. coagul. ʒi. Pulver. ſubtiliſſ. ſenn. ʒ iij. Crem. tartar. chalybeat. ʒij. Myrrh. ʒ i ß. Sal. gemm. ʒi. Croci ʒß. Mſ. & cum extracto liquidiuſculo ſen. & agar. F. Maſſa pilular. addendo inter formandum olei aniſi ℈ ij. Capiat à ʒß. ad ℈ ij. horâ unâ ante levem cœnam.

Eidem uſui inſervire poteſt ʒß. vel ℈ ij. Pil. ſtomach. cum gum. additis guttis duabus ol. aniſ. & cinamomi. Sin pilulæ iſtæ ſegniùs purgent, nonnunquam trochiſc. Alhand. gr. 2. vel 3. acuantur.

Pilulæ cum gummi uſuales. ♃. Aloës crud. ʒi. Gum. ammon. in vino Hiſpan. diſſolut. ʒiij. Pulv. fol. ſen. ſubtil. ʒß. Crem. tartar. alb. ʒij. Myrrh. ʒi. Croci ʒß. Ambr. griſ. ℈i. Sal. gem. ℈ij. Mſ. & cum extracto liquidiuſculo ſennæ, parato in aqua fumariæ F. Maſſ. pilul. de qua cap. à ℈i. ad ʒß. & ℈ij. horâ dimidiâ ante levem cœnâ.

Pilulæ etiam Cochiæ minores, in eadem doſi huic morbo debellando commodæ ſunt; ut & extractum Rudii.

Aut parentur pilulæ ſenioris nigræ. ♃. Aloës crud. ʒß. Pulv. fol. ſen. ʒiij. Pulv. Elleb. nigr. præpa. in pane hordeaceo (vel etiam ſaltem ſiccat.) ʒvi. Crem. tartar. alb. ʒij. Caryoph. cinam. ana ʒß. F. omnium pulvis, ut alkool, excip. extracto ſennæ liquidiuſculo, form. maſſa pilularis, addendo ol. aniſ. ℈ij. Capiat per 10. 15. aut 20. dies à ℈i. ad ℈ij. quotidie mane hor. 3. ante prandium, ſuperhauſto juſculi tantillo.

Summè laudantur pilulæ Haly, ad affectus melancholicos, deſcriptæ Cap. de Elleb. 30. Lib. 2, Meſu. ♃. Hier. picr. ʒij. Ellebor. nigr. polypod. ana ʒv. Epithym. ſtœchad. ana ʒvii. Agar. lap. cyan. ſal. Ind. colocynth. ana ʒiij. Dantur tutò à ʒi. Ad aureos duos.

Extractum Hellebori tam ſimplex, quàm compoſitum, aliis admiſtum, huic affectui maximè prodeſt.

Ad emendandam noxam ab Elleboro illatam. Utriuſque Ellebori virtutem ex corpore deturbat Mulſa; decoctum Uvarum paſſarum, aut Hordei, aut Gallorum, aut Gallinarum cum oleo nucum, vel amygdal. dulc. vel ſimili.

Grana angelica etiam in uſum venire poſſunt.

♃. Fol. virid. beton. chamæpit. ſcabioſ. meliſſ. ulmar. Card. bened. agrimon. hepatic. ceterach, ana m.j. fumar. totius m.ij. Menth. abſinth. pont. ana m.ß. Flor. veton. rubr. p.iv. calendul. ſambuc. leucoi. ana p.ij. Fol. ſen. mundat. ℥ij. Tartar. alb. ʒi. Duo hæc ultima præmacerentur per horas 6. tepidè in ea quantitate aquæ, quæ ſufficiet ad decoct. faciend. mox, additis ſimplicibus præſcriptis, F. decoctio & colatura, in qua diſſolve Aloës è veſica diaphanæ ℥iv. F. exhalatio in pelvi argentea ſupra Balneum vaporoſum, addendo, ſub medium evaporationis, expreſſionem ℥i. Rhabarbari electi, ſeorſim infuſi in aq. pomor. redolent. cum ſantal. citrin. & cinam. ana ʒi. Sal. corall. abſinth. & gemm. ana ʒi. Mſ. F. Maſſa Pilular. ſervanda in vaſe vitreo bene clauſo. Doſis ℈i. Immediatè ante levem cœnam.

Si Bolus arrideat, talis detur. ♃. Caſſ. fiſtul. recent. è canna extract. ʒvi. Diaphœn. ʒij. Pulv. elect. diatrag. frig. glycyrrhiz. ana ʒß. Mſ. F. Bolus, ſumend. è cochl. cum ſyrup. viol. & de althæa mixtis, dilato ad 3. horas juſculo.

Aliquando detur pulvis benedictus *Valeſci di Taranta*; ♃. Epithym. ʒiv. Lap. lazul. agar. an. ʒij. Scammon. ʒi. caryoph. n. 20. F. Pulvis. Cujus primò detur ʒiß. deinde ʒij. quâlibet ſeptimanâ.

Si Potio ſit gratior. ♃. Polypod. ℥i. Glycyrrh. recent. ℥ß. Epithym. fumar. ceterach. ana m.ß. Sem. aniſ. fœnic. dulc. ana ʒi. Fol. ſen. mund. ʒvi. Pulp. tamarind. ʒv. Cremor. tartar. alb. ʒij. F. omnium ex arte maceratio, decoctio & expreſſio. In qua, reductâ ad doſin, diſſolve ſyr. roſ. pallid. comp. cum agar. ℥iß. Syr. de pomis ſolutiv. ℥ß. Diaphœn. ℈i. Aq. cinam. cochl. 1. Mſ. F. Potio danda in aurora, horâ quartâ ante juſculum.

Syrupus magiſtralis. ♃. Succor. depurator. acetoſell. ſylveſtr. bugloſſ. ceraſor. prunor. damaſcenor. pomor. curtipend. vel alior. redolent. ana ℥ viii. Succ. mercurial. ℥ xvi. Infuſion. nonæ roſar. pallidar. vel quod melius eſſet, muſcatellinar. ℥ xxiv. Aq. decoction. tartar. alb. pintas Pariſienſes duas, ſen. optim. mundat. conciſ. vino albo odoro irroratæ ℥xii. Rhabarb. elect. minutim conciſ. ſucco limon. irrorat. ℥ iv. Agar. recenter trochiſcat. glycyrrhiz. Hiſpan. ana ℥ ij. Purgantia iſta cum glycyrrhiza macerentur per horas 24. ad leniſſimum calorem in infuſion. roſar. & dimidia parte aq. decoction. tartari, vaſe probè clauſo; mox f. expreſſio fortis & colatura, quæ cum ſuccis prædictis miſceatur; ſeorſim verò in reliqua portione aq. decoction. tartar. diſſolve caſſ. fiſtul. recenter è canna extract. ℥ vi. Pulpæ tamarindor. ℥ iv. Addendo, ſi opus ſit, partem ſuccorum prædictorum, præſertim tenuiorum, ut acetoſ. & ceraſor. Sinatur fieri per

noctem infuſio, manè poſt lenem fervorem f. colatura, quæ cæteris admiſceatur. Ponantur omnia in Alembicum vitreum, vel fictilem lapideum quales ex Bellovacenſi luto finguntur) ſuperpoſito capitello vitreo, & lentâ in balneo diſtillatione totum reducatur ad ℥ xxxii. Quibus adhuc calentibus addantur mannæ calabrin. puriſſ. ſacchar. cryſtallin. ſubtiliſſ. pulveriſat. ana ℥vi. Syrup. violac. opt. ℥ viii. F. Syrupus, cui indatur nodulus continens ſantal. citrin. cinamom. interior. ana ʒ ij. Lign. Aloës ʒj. Sem. coriand. non præparator. ʒ iij. Flaved. citr. ʒiß. Nuc. moſchat. ℈ iv. Ambr. griſ. ℈j. Moſch. Oriental. gr. v. qui nodulus ſæpiùs erit exprimendus. Servetur in ampulla vitrea exactiſſimè obturata. Uſus vel per ſe ab ℥ij. ad ℥iij. Vel miſtus detur cum aliis Syrupis & aquis, æſtate cum ſero lactis, menſe ineunte, vel quando humor melancholicus turgeſcet ſemel in menſe.

Si vomere (ut aliquando vomitus non futurus eſt inutilis) libeat; Emetica, quæ prodeſſe tantùm, non autem tandem nocere valeant, uſurpentur. Talia ſunt infuſio pulver. emetic. & ſal. vitriol. alb. ʒj. ut artis eſt præparati.

Chalybs ſub variis formis aſſumi poſſit, in quibus vinum & tabell. Chalybeat. ſuprà deſcripſimus, nunc autem alias ſubjungamus.

♃. Conſerv. flor. calendul. roriſmarin. ana ℥j. Conſ. Alkerm. ℥ ß. Rad. chelid. major. Cort. exterior. Citri, aurant. ſicc. ana ʒ ij. Oculor. cancr. præparat. magiſter. perlar. corall. dulc. ana ʒiß. Succin. præparat. lap. gagat. præparat. ana ʒiiß. Spodii è cornu cerv. ℈ v. Cinamom. interior. ʒ iij. Croci Martis aperientis ℥ ij. Pulverizentur pulverizanda, ut alkool (in eo enim totum artis magiſterium eſt) omnia verò excipiantur Syrup. de Cichor. ſimpl. F. Electuarium, de quo capiat quotidie manè ℥ß. horis quatuor ante prandium, corpus exercendo ambulatione, & brachia agitando diviſione ligni cum ſerra; continuando per 15, 20, aut 30. dies, ſi opus fuerit.

Sed notandum, hìc tantam eſſe vim Exercitii, ut ſine ipſo futura ſint omnia irrita. Quapropter Æger vel à medicamento planè abſtineat, vel eô, ut decet, ex artis legibus utatur.

Sin Pulvere, quàm Electuario uti malit, ita paretur;

♃. Croc. Mart. aperient. ℥ij. Raſuræ cornu cervi primarii recentis debito tempore collecti, ℥ß. Magiſt. perlar. & corall. ſuccin. præparat. ocul. cancr. lap. gagat. præparat. ana ʒ ij. Succin. ſpodii ex cornu cerv. ana ℈ v. oſſis de corde ejuſdem ʒiß. Cinamom. interior. ʒ iij. Flaved. citri ſicc. ʒ ij. Ambr. griſ. ʒj. Mſ. F. omnium Pulvis, ut alkool, cujus ʒ iij. Sumantur ſingulis matutinis, ex ovo ſorbili, aut vino albo, ſuperambulando, & corpus movendo, ut ſuprà. Poſſet addi ſaccharum, verùm nimis magnum eſſet doſis volumen. Notandum, quòd à minori quantitate ſumi initium poterit, v. g. à ʒj. ad ℈iv. ℈v. ʒij.

Cereviſia medicata antihypochondriaca.

♃. Salſæparill. alb. & medulloſ. ℥ viii. Rad. chin. ℥ vi. Filic. fœm. oxylap. rub. tinctor. ana ℥ viii. Rad. ſicc. cichor. tarax. oxalid. ana ℥ iv. Fol. agrimon. ſcapill. omnium, Hepatic. cuſcut. ana m. ij. Flor. nenuph. borag. bugloſſ. ana p. viii. Raſur. cornu cerv. Ebor. ſantal. omnium ana ℥ iij. Cortic. pomor. redolent. ℔i. Nuc. moſchat. ℥i. Bulliant omnia in congiis Anglicis cereviſiæ non lupulatæ numero 8. ad duorum conſumptionem, ſinatur fieri infuſio per noctem in vaſe probè tecto. mane F. per ſetaceum colatura, cui adde ejuſdem cereviſ. recent. cong. iij. Succ. pomorum redolent. ℔vi. Succ. cochlear. noſtrat. ℔i. Suc. naſturt. becabung. ana ℔i. Squam. fer. ℥xvi. Saccul. incluſ. Sinatur fieri fermentatio ad depurationem liquoris. Recondatur lagenis lapideis probè obturatis, aſſervandis loco ſubterraneo.

Hactenus de curatione morbi generaliori: deinceps quędam ſubnectam quibus ſymptomatis ejus particularibus urgentib. obviam eatur.

Ventriculo robur addatur, & prima digeſtio promoveatur pulvere ſequenti.

♃. Semin. aniſ. fœn. dulc. ana ʒvi. Coriand. præparat. ℥ß. Cortic. aurant. citr. condit. ſicc. ana ʒv. Chin. ℥i. Cortic. ſaſſafr. ʒiij. Magiſt. perl. corall. ana ʒij. Cinam. ʒiiß. Ambr. griſ. ʒj. Sacchari albiſſ. quadruplum pondus omnium. Mſ. F. Pulvis, ut alkool, ſumendus è cochleari, horâ dimidiâ poſt ſingulos paſtus.

F. Infuſio Theriacæ in vino albo, vel in aqua Card. bened. Capiat de hac infuſione cochlear unum, urgente flatu. Vel paretur Biſcoctum corticis Aurantiorum aut Citri cum Ambra & ol. Aniſi, utendum ſæpiùs in die, urgente flatu.

♃. Baccar. junip. recentium ſucculentarum ℥i. Calami aromatic. cort. rad. ſaſſafr. ana ʒ vi. Folior. in umbra ſiccator. abſinth. vulgar. menth. meliſſ. ana ʒ x. Corticis flav. citr. diligenter ſiccat. ʒv. mac. cinam. optim. ana ʒ ij. F. Extractum cum optimo vino Canarino, de quo ad mellaginem coagulato in Balneo vaporoſo cape ℥ ij. Gum. guajac. puriſſ. ℥ß. Partis albæ benzoin, quæ Amygdala vocatur, maſtich. puriſſ. pulveriſ. balſam. Peruan. alb. ſicc. ana ʒ ij. Sal. abſinth. gem. Ambr. griſ. ana ʒj. M ſ. F. maſſa pilularum. Capiat ʒj. quotidie manè horis quatuor ante prandium, ſuperhauſto cereviſiæ abſinthitis vel hydromelitis Malvaticati aq. meliſſ. optimè diluti momento, continuando per dies 15, 20. aut plures, pro effectu.

♃. Ladani puriſſ. ℥ ij. Teratur in mortario calido, & addatur ea quantitas balſami Peruani nigri, quæ ſufficiat ad conſiſtentiam Emplaſtri, cui addatur quarta pars gummi Carannæ in vino Hiſpanico optimo liquati, trajecti & inſpiſſati. Extendatur ejus portio in alut. ad formam ſcuti. Applic. regioni ſtomachi, & octavo quoque die renovetur Emplaſtrum; ſinapizetur, ſive conſpergatur pulvere ſubtiliſſimo Caryophyllorum & Cinamomi.

Roborantibus accenſenda ſunt grana, ſive baccæ juniperi matura, recentia, quæ æquis partibus vini Malagenſis, ſucci cydoniorum & diſſolutionis ambræ griſeæ immergantur, & ſæpiùs ſiccentur. Capiantur num. 12, 15, aut 20. manè jejuno ſtomacho per plures ſeptimanas.

♃. Ambr. griſ. moſch. ana ℥ß. lævig. in porphyr. cernantur per cribrum aut linteum, affunde ſpiritum vin. optim. (aut ſpir. menth.)

ut ſupernatet uno ſaltem digito, claude optimè, expone ſoli per dies 15. gutta una vel altera inſtillata juſculo aut vino mirificè roborat ventriculum.

Tincturarum ſtomachicarum materiæ ſint rad. galangæ & zedoariæ, calamus aromaticus, cortex ligni ſaſſafr. Winteranus ſive coſtus facie ſambuci, flavedo citri & aurantiorum, mentha utraque rubra præſertim & hortenſ. longioribus foliis, meliſſ. abſinth. utrumque, ſummitates roriſmarini, ſem. aniſi, fœnic. coriand. bacc. junip. cinam. mac. quæ omnia, ut artis eſt, cum aquis ſtillatitiis menth. meliſſ. cinam. imò cum ipſa theriacali diſtillata extrahantur; Addantur ambra griſea & moſchus, & ad uſum liquor ſervetur.

Cordis palpitatio, ſublatâ causâ vaporosâ ceſſabit; ſiquid tamen hujuſmodi metuatur, in promptu ſit ſyrupus pomorum redolentium mixtus cum confectione Alkermes, cujus cochleare unum cum pauco ſpiritu roſarum, urgente ſymptomate, exhibeatur: Vel ſint ad manus tabellæ vel electuarium quæ ex cardiacis concinnatæ ſint, non omiſſo lapide bezoar, & inprimis margaritarum magiſterio.

Opiata roborans. ♃. Rad. ſcorzoner. cichor. bugloſſ. cond. ana ℥j. Conſerv. roſ. caryophyll. ana ʒx. Cort. citr. aurant. condit. ana ʒvj. Confect. Alkerm. ʒv. Corall. & perlar. in magiſterium reduct. ana ʒ iij. Succin. alb. præpar. oſſ. de corde cerv. ana ʒiß. Corn. Cerv. ad albed. calcin. ʒij. terr. Strigenſ. Lemn. ana ℈iv. Lap. bezoar. utriuſque, Ambr. griſ. ana ʒj. Mſ. & cum ſyr. de beton. rub. & trifol. acetoſ. F. Electuarium, de quo capiat manè & veſperi, inſtar avellanæ.

Electuarium etiam cardiacum ſequens ſumatur veſperi in ingreſſu lecti, poſt levem vel nullam cœnam, inſtar juglandis minoris, quoties vapor melancholicus, palpitationes faciens, & motum ſine cauſa ciens, moleſtiùs cor percellit, ipſamque mentem impetet.

♃. Diaſcord. optimè fermentati per annum, & non fœtentis ℥j. Conſ. Alkerm. ℥ß Conſ. flor. nenuphar. ʒvj. Cortic. citr. extimi condit. ſicc. & triti, ut alkool ʒv. Magiſter. perlar. corall. dulc. ana ʒ ij ß. Succin. præparat. lap. gagat. præparat. ana ʒij. Spod. ʒj. Diaphoret. vulgaris ex regulo parati ad ſummam albedinem ʒvj. Mſ. & cum ſyrup. de pomis redolent. magiſtrali F. Electuarium, quod ad uſum ſervetur.

♃. Flor. beton. rubr. p. iv. roſ. rubr. p. ij. flor. violar. bugloſſ. ana p. iij. Aq. fontan. puriſſi. ℔iv. Cortic. pomor. redolent. m. j. Cortic. exter. citr. flavi ℥ß. Aqua reddatur acidula ſ. q. Succi limonum, atque addatur vini albi Andegavenſ. ℔j. Extrahatur Tinctura, ut artis eſt, F. Colatura, cujus ℔ iij. Add. ſyrup. de pomis redolent. ℥vj. Mororum rubi Idæi ℥iij. Ambr. griſ. nodulo incluſ. ℈j. Capiat. ℥iv. in languoribus.

♃. Conſ. Alkerm. ℥ß. Magiſter. perlar. corall. dulc. ana ʒ ij. Oculor. cancr. præpar. ʒ iij. Oſſ. de corde cerv. ʒij. Roſar. rubr. ʒj. Cortic. exterior. citr. & aurant. condit. ſicc. ana ℈ iv. Lap. bez. oriental. ʒj. Ambr. griſ. ℈j. Sacchar. cum aq. naph. & roſar. coct. ℥ vj. Mſ. F. Paſta, quæ, additâ paucâ mucagine ſemin. cydon. extract. in iiſdem aquis, formetur in Tabellas ponderis ʒ iij. Siccentur leniſſimo calore, & ſerventur loco ſicco. Veſperi in ingreſſu lecti, horis tribus à cœna, unam ex hiſce Tabellis capiat, quoties cor defecerit.

Vaporem diſcutiet, & ſimul ſomnum blandè conciliabit, ac malignitati reſiſtet bolus ex ℈ij. Theriac. recent. & ℈j. Conſ. Alkerm.

Ad importunas vigilias ſumat Laudani grana aliquot; pauca enim aliquando exhibita, furente humore, nihil profuerunt. Ad ſomnum etiam conciliandum & vapores reprimendos, ſyr. nenuphar. diacod. ana part. æq. noctu circa horam ſomni uſurpentur.

In hoc affectu Topica etiam locum habent, quibus uti licet ad placitum.

Linimentum ſeq. lieni applicetur ad ejuſdem obſtructionem reſerand.

♃. Cortic. med. ſambuc. virid. ℥ij. Cortic. med. ulm. fraxin. ana ℥j. Linguæ avis ʒvi. Radic. enul. caryophillat. rub. tinct. chelid. maj. ana ℥ß. Fol. tamariſc. chamædr. chamæpyt. ceterach, ana m. j. cynogloſſ. totius m. ij. Rad. raphan. ruſtic. conciſ. ʒx. Flor. geniſt. hyperic. ſambuc. chamæm. ana p. iij. Axung. ſuill. recent. ℔ ij. Vini Canarin. ℔ iß. Acet. ſcillit. ℔ß. F. Omnium decoctio ad liquorum conſumptionem & herbarum putrilaginem. Pinguedinis in pelvim aq. frigid. plen. injectæ & refrigeratæ pars purior ſumatur, fæcibus ſeparatis, de qua cape ℥vj Unguent. aurant. fragrantis ℥j. Ol. jaſmini ℥ß. Mſ. F. Linimentum pro litu longo regioni lienis uſurpando, mane ante aſſumptionem remedii Martialis, & noctu in ingreſſu lecti, ſuperpoſito linteo multiplici mediocriter calente. Ante litum operæ pretium erit applicare tumenti lieni lienem bovis recenter ex animalis immediatè jugulati ventre extractum calentem, & deſuper relinquere, donec per ſe refrixerit; ſuperponantur lintea calida ad calorem diutiùs fovendum.

Vel præparetur decoctum valde emolliens ex parietaria, brancâ urſinâ ſive acantho, chamæmillâ totâ, cort. med. ulmi, ſambuci, cicutâ & cynogloſsâ, cui immerſi duo lienes bovis viciſſim applicentur per horam integram calidè.

Emplaſtrum emolliens & diſcutiens, proximè deſcribendum, multum puris per urinas & ſedes evacuavit ab ægra, habente ingentem tumorem cum abſceſſu in liene & rene ſiniſtro.

♃. Gum. Ammoniac. diſſolut. in ſuccis cicutæ, hyoſcyam. beton. aquat. (ſcrofular.) Cynogloſſ. extractis per ſe, trajecti & inſpiſſati ℔j. Maſſ. Emplaſt. de mucilag. de ranis, quadrupl. mercur. ana ℔ß. Pulv. pyritis ſubtiliſſ. in porphyrite cum ſuccis rad. bryon. & fol. ſigill. beatæ Mariæ lævigati, & exſiccati ℥ ij. Sem. vitic. naſturt. hortenſ. cochlear. Batav. ana ℥ß. Cinnabaris (Calomelanos) ℥j. Camphor. ʒ ij. Ol. ceræ, petrol. ana ʒiß. Terantur omnia terenda, ut Alkool, omniaque miſta excipiantur ſ. q. Styrac. liquid. & additâ ſ. q. Ceræ flavæ novæ f. maſſa Emplaſtri, ex qua Magdaleones formentur. Applic. vel per ſe, vel, in tenella admodum cute, intermediâ ſyndone, aut pertenui byſſo. Renovetur decimo quoque die. Quod ſi puſtulæ in cute efflorescant, ſublato ad paucos dies Emplaſtro, liniatur pars affecta dura, tumens,

unguento populeo, cui admiſta fuerit quarta pars gummi Ammoniaci cum prædictis ſuccis præparat. & ad mellaginis conſiſtentiam leviſſimo calore reducti.

Emplaſtrum tenax ad lienem Moffeti;

♃. Gum. Ammon. in aceto ſolut. & inſpiſſat. q. v. cui adde pro ſingulis unciis ʒj. Pulveris ſubtiliſſ. caryophyll. f. Emplaſtrum applic. ex aluta. Mira facit ad duritiem viſceris, & flatus in hypochondrio ſiniſtro rugientes. Suavem habet odorem.

Capiti conſulent frictiones matutinæ retrorſum cum ſacculis farctis ſimplicibus cephalicis, calefacientibus, ſiccantibus, corroborantibus. Maſticatoria è maſtiche, pyrethro, cubebis, cardamomo, cerâ exceptis, vel nodulo incluſis; ſedulò expuendo quod diſſolvetur. Vice tabaci (quod omitti conſulo: hæc enim planta, hyoſcyami Indici ſpecies, etſi ſiccante vi prodeſſe credatur; continuo tamen uſu cerebrum & nervos ferit, ſtupefacit, liquat, & penetranti ſale volatili tonum partis diſſolvit, cum omnium partium nervoſarum damno) ſi fumis uti velit, cephalica odorata in eum uſum capiat. Suffumigia etiam grata ex odoratis aërem cubiculi medicatum reddant. Cerebro ideo roborando, & à malignis fumis præſervando ſequentia inſervient.

♃. Rad. cyperi ℥ ß. Ireos Florent. ℥j. Santal. citrin. lign. Rhod. ana ℥ß Cortic. citr. exter. aurant. ana ʒv. Styrac. calam. benzoin. ana ʒvj. Caryoph. ʒiij. Flor. lavend. ʒij. Aq. roſ. & naph. ana ℔.ß. Acet. roſac. ℥iv. Mſ. pro vapore excitando in paropſide.

♃. Ladan. puriſſ. ℥. Styrac. calam. benzoin. ʒvj. Balſam. alb. ſicc. ʒx. Lign. Aloës ℥ß. Lign. Rhod. ſantal. citrin. ana ʒij. Cortic. citr. ʒiij. Flor. lavend. ʒj. Ambr. griſ. ʒiß. Moſchi ℈j. Carbonis ſalicis vel frangulæ ad pondus omnium; F. Pulvis ſubtiliſſimus, excipiendus mucagine gumm. tragac. extract. in Aq. angel. vel naph. formentur aviculæ cypriæ, incendendo in cubiculo, quoties vapor cerebrum percellit.

Eidem caſui inſerviunt paſtilli ex Aq. angel. reſiduo, ſive ex magmate ejus aquæ.

♃. Pulv. Violac. duplicatâ iride ℔ß. Rad. pœon. fol. ſicc. beton. ana ℥iß. Cortic. citr. aurant. ana ℥ijß. Succin. ℥x. Sem. coriand. præparat. nigell. Roman. ana ℥j. Styrac. benzoin. maſtich. ſandarac. ana ʒvj. oſſ. cran. human. ad albed. calcinat. ℥iv. F. omnium Pulvis craſſiuſcul. excipiend. bombac. & ſyndon. Coccin. pro Cucufa continuò geſtanda.

Emplaſtrum pro ſuturis.

♃. Maſſ. Emplaſt. de beton. magiſtral. ℥ij. contra rupturam ℥j. (aut *Cæſaris*) ladani puriſſ. ʒvj Maſtic. thur. ſandarac. benzoin. ana ʒij. Gumm. tacamahac. ʒiij. Succin. ʒvj. Caryophill. mac. ana ʒj. Balſami Peruani q. ſ. ut F. Emplaſtrum, cujus portio extendatur in aluta ad formam literæ T. applic. ſuturis, raſo capillitio.

Quotieſcunque vapor putris nares feriet, ungantur earum partes interiores Balſamo ſequenti.

♃. Medull. crur. vitul. aut pedum vervecin. liquatæ & ad albedinem lotæ atque agitatæ ℥ß. Ol. ſuccin. quater à ſale & cineribus rectificat. & in aq. vitæ, vel cinam. macerati ʒij. Ol. limpid. & flavi caryophyl. angel. ana ℈j. Balſam. Peruan. ʒiß. Mſ. pro Balſamo; cujus conſiſtentia, ſi opus ſit, ſpiſſior reddi poterit, addito ſebo cervino, aut medullâ crurum bovis.

Errhina blanda proderunt ex ſucco majoranæ, betæ, anagallid. rubr. cum vino albo & ſaccharo. Vel radix betæ infuſa in vino infuſionis majoranæ & Ireos Florent. naribus indatur.

Pyrotica maximi ſunt momenti, inter primam enim & ſecundam vertebram poſteriori collo applicita, à cerebro potenter evacuant. Brachio alterutro inter bicipitem & deltoidem humoris à capite fluentis & ejuſdem vacuationem complent. Interioribus tibiis à ſuprema arce κατ᾽ ἴξιν revellunt.

Veſicatoria nonnunquam locis uſualibus applicita huic malo aliquid levaminis afferunt.

Verùm ut Magiſtratui leges tuliſſe non eſt ſatis, cum præceptorum anima ſit debita obſervatio; ita nec hæc ſcripſiſſe, ni adſit obſervatio, quæ longa in longo & chronico morbo requiritur. Æger ſi tutò curetur, ſufficit; citò & jucundè, in affectionibus inveteratis non licet, in quibus fere periculoſa eſſe nimiùm & feſtinatio, & voluptas ſolet. Imperet ſecundùm rationem Medicus, obſequatur æger, & bonâ ſpe fretus id perſuaſum habeat, ſæpe pertinaciâ juvantis malum corporis vinci, & feſtinationem in omni re gravi & ſeriâ perfectioni è diametro adverſari. *Theodor. de Mayerne Praxis Medicæ lib. 3.*

Conſultationes.

Pro Perilluſtri, ac Nobili Viro Balthaſſare Maſerio Forolivienſi, Melancholia Hypochondriaca Ptyeliſmoque laborante.

In tanta malorum ſyndrome, de quibus Nobilis, ac Illuſtris Vir conqueritur, quod præcipuum, & veluti occaſio aliorum exiſtit, eſt Melancholia, ut ex timore ac mœſtitia, quibus affligitur, colligere planè licet, Hypochondriaca, ſeu flatulenta vocata, & ſymptomata ad imum ventrem obſervata, nempè ventriculi dolor, nauſea, rugitus, & murmura in Abdomine, flatuum copia supernè, ac infernè, excretorum, tandemque ſtipticitas Alvi ſufficienter atteſtantur, quibus addo ego querelarum varietatem inſignem, ita ut ſemper aliquid, de quo conqueratur, ipſi ſupereſſe videatur; item ferè perennem cupiditatem remediorum, quaſi quæ uſurpata ſunt jam, & nunc uſurpantur nil ſibi conferre poſſint, adhuc & ſomnia turbata, facilem ploratum, tandemque quaſi jugem ptyaliſmum, quem ex Galeni præſcripto ſecundo Proret. Com. 12. non tantum vitio ventriculi, ſed etiam cerebri, uti in caſu noſtro occaſione deſtillationis à capite ſatis unicuique conſpicuè, fieri pro certò eſt habendum. Verùm hoc præſertim eſt attendendum, hanc nimirum eandem melancholiam non initiatam, & progreſſam tantum, ſed etiam conſummatam, ac abſolutam exiſtere, ut ſuadent marcor totius, præcipuè verò abdominis nimis inſolitus, necnon pulſatio ad tactum percepta circà ventriculi fundum.

Pro-

Profectò hujus vitii generatio facilè reperietur, ſi ob oculos proponatur Galenicum illud oraculum, omnem ſcilicet actionem lædi neceſſario, vel læſa facultate, vel ob errorem externum; Cum itaque in illuſtri & nobili viro lædatur imaginatricis facultatis actio, altero illorum modorum lædi neceſſarium erit, ſed quoniam non ab intemperie reſpectu mali, de quo nunc agitur, lædi poteſt propoſita facultas, non à calida quidem, quoniam fieret delirium maniacum, non à frigida, quoniam actio potius imminueretur,& auferretur, ſicuti nec à morbo in mala compoſitione, quia in hoc affectu Cerebrum, ex Galeno afficitur, ut ſimilare, neceſſariò ſequitur, ut actio dicta ob errorem externum lædatur.

Nec obſtat, quod intemperies frigida cum materia poſſit actionem depravare, quoniam evacuata materia, delirium melancholicum ceſſaret, & ſi remaneret adhuc intemperies, fatuitatem potius efficeret. Accedit, quod imaginationes variæ, & propemodum infinitæ, ac veluti non permanentes in melancholicis fiunt, ut apud Medicos omnes receptum; quod non contingeret, ſi fieret melancholia hypochondriaca ab intemperie, quæ permanet, & non ita facile cedit.

Error igitur externus, ut res ipſa abſolvatur, nil aliud eſt, quam phantaſma tenebricoſum oblatum imaginatrici facultati, quod inſtar tenebrarum externarum animæ rationali pavorem, ac mœſtitiam incutit; Producitur autem hujuſmodi Phantaſma à ſpiritibus animalibus pariter tenebricoſis; qui cùm tales eſſe poſſint vel in propria eſſentia, vel ob admixtionem materiæ atræ, potius tales ex materia, quam ex propria eſſentia conſtituantur oportet, quando in Nobili patiente non obſerventur inſignes cauſæ, quæ ſpiritus tenebricoſos omninò generare ſolent; Materia verò quæ ſpiritibus admiſcetur, non eſt minor, quoniam hic notæ melancholiæ per eſſentiam, & per conſenſum à toto non deprehenduntur, ergo neceſſariò eſt vapor elevatus ab hypochondriis, ubi totius mali fomes ex variis ſymptomatibus, ut dictum fuit, reperitur, qui quidem vapor elevatur vi caloris nativi ultra naturæ leges adaucti, & imminuti; in ventriculo, hinc meritò illius phlogoſis in hypochondriis concitata,ſanguis, & alimentum vel uti comburitur, ex quo vapores atri; ac tetri excitantur, in Cor, & cerebrum feruntur, ſubindeque ſymptomata melancholica inferunt; Meritò verò hujus caloris inquam imminuti ventriculi alimenta in flatus, & excrementa ferè pro majori parte convertuntur, quæ pariter non tantum partibus ſupernis, verum etiam infernis communicata, ſyndromem malorum à principio propoſitam fovent, & augent.

Quid autem cauſæ fuerit, ut ibidem auctus, hic verò imminutus fuerit calor, breviter oportet explicare. Cùm ergo calor, ut omnibus Philoſophis & Medicis eſt perſpectum pluribus modis augeatur, præcipuè vero mediis obſtructionibus, quod etiam fornacibus ſuccenſis contingit, cum Galeno obſtructiones Hipochondriorum calorem nativum ibidem ad exceſſum perduxiſſe ſtatuerem, quas quidem obſtructiones pendere ex craſſitie, & lentore humorum ex habitu ſubpituitoſo Illuſtris viri ab excrementis etiam craſſis, & viſcidis per alvum, & per vomitum excretis facile eſt intelligere, quos humores propriam habere puto generationem in jecore ſanguinem, per fervorem partes tenues abſumendo, craſſefaciente, in ventriculo diminutè coquente, plurimaque excrementa cruda generante, tandemque in capite deſtillationis ferè à primordio ortus in nobili patiente valdè feraci à quo forſitan non immeritò primariam occaſionem, originemque hujus mali ortum habuiſſe ſuſpicari licet, quoniam ſtatim in prima ſui ætate varia, ac diverſa ſymptomata circa caput patiens paſſus fuit, & nunc etiam patiatur, nam cum varium lac à variis iiſdemque malè habitis nutricibus (ut idemmet refert) acceperit, facilè factum fuit, ut totum corpus, alioqui in utero matris ſatis languidum, & debilè genitum, ægrotabile, & proindè caput, quod facilè ab omnibus aëris injuriis alteratur, ſibi nactus fuerit; ut propterea ſtatim ex quacumque occaſione in dolorem Capitis, ejuſdem gravedinem, rudimentum vertiginis, ac tonſillarum tumeſcentiam incidat, quæ, diſtillationis ſalſæ ſoboles exiſtere ſolent.

Deſtillatio igitur hæc pro majori parte ſalſa ob vapores calidos à jecore elevatos, vel ob aliquam Capitis excalefactionem genita ſecundum aliquam ſui portionem, ſicuti ad glandulas illas delapſa potuit eaſdem tumefacere; ita etiam per regionem illis circumſitam potuit ad ventriculum deſcendens coctionem illius in dies magis; ac magis pervertere; ut excrementis crudis in eo genitis, diuque detentis, coagentibus etiam cogitationibus, & animi angore, ob vitam occaſione ſtatus morboſi continuam ærumnoſam habitam, aſſidua jecoris calidioris in ventriculum hora coctionis difflatione, ac tandem variis erratis externis ventriculus facilè refrigerari potuerit, nam de jecoris fervore haud eſt hæſitandum, quando Volæ manuum, ac pedum patienti ſæpius ardeant.

Calor verò demum eſt imminutus, non tantùm ob occurſum intemperiei frigidæ modo dicto; in ventriculo concitatæ, verùm etiam ob ipſius ſtrangulationem factam à prohibito tranſpiratu, ab obſtructionibus inducto, itemque ob defectum humidi productum à fervore partium circumſitarum humidum, quo ſuſtentatur calor, ob ſui fervorem abſumentium.

Quibus hunc in modum ſeſe habentibus; non eſt difficilè omnia alia mala in propriam cauſam reducere. Nam deſtillatio illa aliàs capitis vitio, nunc ſine dubio, & à vaporibus, ſurſum elatis fovetur, ita ut ſicuti quondam Cerebrum fuit ventriculi, ac aliarum partium infernarum ruinæ occaſionis initium; ita & nunc hæc viciſſim caput malè tractent. Pariter & flatus in ventriculo geniti ejuſdem dolores diſtendendo, abdominis murmura diſcurrendo, itemque ſuſpendendo fœces, ac per viſcera in Abdomine diſtributa, in flatuſque reſoluta, compreſſionem ad arteriam magnam facientia pulſum illum; per totum verò maciem pariunt, ſicuti & ad gulam ſurſum expulſa ptyeliſmum, qui etiam à Cerebro fovetur, ut dictum ſuperius fuit.

Atque ex his facile eſt cognoſcere, prædicta omnia melancholiæ Hypochondriacæ conſummatæ atteſtari, quæ quamquam (ſicuti & quælibet alia) maximè in ætate conſiſtentiæ fiat ſe-

cundum Galenum, nihilominus hunc ut plurimum loquutum fuiſſe, & proinde etiam in quolibet ætate, & ſic in adoleſcentia quoque ob varia errata externa, quæ in hac perpetrari ſolent, fieri poſſe credo.

Utcumque tamen ſit, Curatio hæc inſtituatur neceſſum eſt, Ut videlicet caput exiccetur, ventriculus citra exiccationem calefiat, jecur refrigeretur, ac tandem cordi proſpiciatur, prius tamen tollenda eſt cacochimia pituitoſa, & melancholica, obſtructioneſque ſuis præſidiis aperiendæ.

Cujus curationis intentum conſequi mea ſententia, non eſt poſſibile, quia præter id quòd mala cenſus jam dicti propria natura ſunt contumacia, hoc maximè, quoniam abſolutum, conſumatum, contumaciſſimum exiſtit; Accedit & illud D.lenis dictum, Deſipientes inquam cum riſu, ſecuriores eſſe, ut cum deſipientia noſtra ſit potius cum fletu conjuncta videatur minus tuta. Sed & miſeri etiam deplorati ex Quinto Sereno non ſunt deſerendi, & ſumma quidem cum ratione, quoniam ſæpius fit, ut vita illorum ſaltem prorogetur, à majoribus malis præcaveatur, & præſentia imminuantur.

Methodus ideò curativa per indicationes jam habitas ſic erit propriis auxiliorum materiis perficienda. Et quantum attinet, ad Chirurgicam venæ podicis per hyrudines, quemadmodum mox etiam apertæ fuerunt, aperiantur, eo ſemper conſtituto, ut ſanguis craſſus, ac fœculentus prodeat, & ſi aliquando res eò progrederetur, ut neceſſitas aliqua mittendi ſanguinem per ſectam venam occurreret, dummodo vires languidiores, & caloris nativi diminutio non prohiberent, ex talo præcipuè mittendum eſſe exiſtimarem, fonticuli ad aliquot uſque menſes in brachio ſiniſtro,& in utroque fæmore ſunt conſervandi, occaſione poſtmodum maciei, qui in fæmore ſiniſtro claudi, ſanarique poterit, & ſi unquam deſtillatio à capite poſtulabit, fonticulus in vertice capitis inuſtus ad evacuationem materiæ, quæ in capite generatur, & ad Vaporoſæ, quæ a partibus inferis elevatur, diſſipationem maximè opportunus videbitur.

Quantum verò ad pharmaca attinet, poſtquam hoc tempore alvus linita eſt ſyrupo de polypodio, ac melle roſ. ſolventibus, humores ſunt præparati decocto boraginis, lupulorum, betonicæ, cicorii, agrimonii, coriandrorum præparatorum cum ſyrupis appropriatis, deturbatique fuerunt infuſo agarici hellebori nigri, adjecto ſyrupo de polypodio magiſt. & poſtquam ad tollendas obſtructiones Hypochondriorum calybem præparatum ex conſerva boraginis, cum tantillo pulveris cariophylorum aſſumere incæpit, & certè cum aliquo fructu, Arbitror conducturum fore, ſi in uſu illius proſequatur ad menſem, & paulo plus, ita ut ſingulis ſex diebus hellebori nigri præparati, Rhabarbari pulverati an. ſcrup. j. addatur. A quo medicamento decem diebus continuis ſerum Caprinum depuratum cum ſucco cicorii, & boraginis, deindè verò aliis decem diebus lac Caprile cum pulvere ſacchari, ac tantillo ſpecierum aromatici roſati ſine moſco, & ambra (propter hypochondria murmurantia) de more potabit, quo tempore & lavacrum aquæ dulcis tepidæ in Veſpera etiam, atque etiam laudo, ſicuti & cordis inunctionem ex oleo jaſmino, vel florum citri ex gallia muſcata non improbo.

Poſthæc etiam capitis eſt habenda ratio, idcircò facta ejuſdem evacuatione per hertina medicamenta, embroca ſuper eodem ex aqua thermali Aquariana maximè accommodata videbitur, aut ſaltem loco embrocæ lotio facta cum lixivio ex cinere ſarmentorum parato decoctionis betonicæ, baccaræ, camomeli, roſarum, myrtillorum, ſandalorum, & cariophyllorum ſubſtituatur, vel ſaltem pulvis ex cariophylis & ſandalis Capiti inſpergatur, ad quæ hora ſomni Conſerva betonicæ cum ſaccharo roſato ad devorandum dabitur; A quibus omnibus, ſi mala propoſita non imminuantur,& miteſcant,etiam, atque etiam hortor, Illuſtrem Patientem, ut Autumno ſequenti jus aſſumat columbi Turrialis, vel galli unius anni, cum china, ligno ſaſſafras, ſandalo albo, agrimonio, capillo veneris, ſcolopendrio, betonica, radice filicis maris, radice apii, aſparagorum, coriandriſque præparatis, & paſſulis medicatum, ad plures dies in mane, atque Veſpera ſtillicidium factum ex oleo amygdalino dulci, decoctionis polii Montani, myrrhæ, laudani, benzoini, maſtiches, nucis muſcatæ, macis, & cariophyllorum cum vino Cretico in duplici vaſe ſuper ventriculum ſuſcipiat, deindè aliis temporibus, ſi ſtatutis quibuſdam intervallis ſyrupo de polypodio magiſtrali, vel pulvere hellebori nigri præparati, ter, aut quater, ſucco roſarum irrorati, & in umbra ſiccati ex ovo, aut cydoniato ex pulpa cydoniorum in vino decoctionis polypodii, & Epitimi decocta parato, & pulvere mechiocani addito, aut vino ex ſena medicato, aut (ſub aëre potiſſimum calido) epitimo in ſero Caprino infuſo utatur, maximum ſibi juvamentum comparabit, & eo magis, ſi poſtea ſaccharum boraginatum, & bugloſſatum cum margaritis, ſmaragdo, lapide Bezaar, & ſeminibus meliſſæ per aliquot dies aſſumat, loco cujus tempore frigidiori Confectio ex hyacinto, vel Alchermes, aut etiam theriaca mediæ ætatis ſerena ab Andromaco, & Avicenna vocata, maximè probatur. Quinimò, (ut quantum fieri poteſt præſervetur) expediens erit Vere, & Autumno ſingulo quoque anno medicationem aliquam per lenientia, præparantia, & purgantia ſuperius dicta ſubire.

Victus is exiſtat, ut inclementia quælibet aëris aufugiatur, ut patiens bonis ovis, & carnibus, piſcibuſque ſaxatilibus, ac in aquis claris degentibus, item pane benè fermentato, ac ex optima farina confecto veſcatur, utatur etiam aliquando boragine, bugloſſa, meliſſa, cicorio, atque cibariis immiſceat pulverem coctilem ex pane biſcocto, coriandris, tantillo cariophyllorum, & croci, ac ſaccharo, omnemque cruditatem evitet, modeſtè ideo comedat,ac interdum ferè incœnatus cubitum eat, & poſt omnem cibum ſaccharum roſ. vel cydoniatum aſſumat; Vinum album pauciferum, aut ſaltem aqua extinctionis auri dilutum, tenue, non dulce, non auſterum potet, quod tempore vindemiarum China, ſandalis,coriandris, & radicibus bugloſſi alterari poterit, alvus mollis ſervetur, conſerva ex roſis cum manna conditis, vel prunis in prima menſa commanſis, Manna pariter in infu-

ſione

ſione ſenæ diſſoluta conditis; Dormiat capite nec humili, nec elevato, retractis cruribus, & primum in latus dextrum, deindè ſiniſtrum, Corpus moderatè exerceat, ac tempeſtivè, omniaq; animi accidentia, potiſſimum moleſta, ut peſtem abhorreat. Et utinam hæc à me ex intimo cordis propoſita tanquam proficua optatum patienti illuſtri, & nobili finem aſſequantur. Julius *Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicis.*

Pro Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo Comite Polono melancholiâ per eſſentiam, & à toto laborante.

Cerebrum in hoc Illuſtriſſimo viro affici, cor verò coaffici, ex unico timore quo ferè ſemper afflictatur non eſt difficilè captu ei, qui noverit tum ex Ariſtotele, Timorem eſſe animi perturbationem ex imaginatione alicujus mali futuri corruptivi, tum ex Galeno proprietatem eſſe cordis frigidi, atque imaginationem in cerebro reſidentem ibidem propriam operationem obire.

Verùm cor hac ratione affici ſolet affectu vel primario, vel cerebri, nunc, meo judicio, utroque modo malè habet, primo quidem, quoniam cor ex melancholico ſanguine ſibi à jecore ſuppeditato ſpiritum vitalem, funeſtum, atque ſylveſtrem gignit, ſcatet enim vir nobiliſſimus ſecundum totum, ut declarabitur, ſanguine illius cenſus, ſecundo modo afficitur cor, quando cauſæ cerebrum refrigerantes, nempè timores, ac mœſtitiæ una cum vigiliis, occaſione filiæ chariſſimæ unicæ defunctæ præceſſerint.

Verùm tamen quoniam illuſtriſſimus patiens timet vehementer, triſtatur admodum, ſolitudinem amat, mortem ſibi precatur, vitam propriam odio habet, & nunquam ſe ſanitati reſtitui poſſe putat, idcircò ipſum laborare melancholia, quæ eſt delirium ſine febre, pro certo eſt habendum, timor enim, ac mœſtitia tantum de hoc affectu fidem faciunt ex Hippocrate ſexto Aphoriſmo. 23. qui quidem affectus, cum jam quater invaſerit (& ſi citius nunc redierit) non quidem initiatus, ſed veluti hecticus, ac interpolatus, variuſque pro imaginationis depravationis varietate conſtituendus erit; ſed an ſit per eſſentiam, vel per conſenſum à toto, aut potius ab hypochondriis, meritò dubitari poteſt, nam ex una parte videtur, quod ſit per eſſentiam, quoniam ut Galenus docebat tertio locorum affectorum ſeptimo, cerebrum in hoc malo per eſſentiam laborat, ſi ſanguinem melancholicum generavit, quod illi bifariam accidere poteſt, aut quia ſcilicet idem cerebrum à caliditate prius præter naturam afficiatur, & ſic affectum partes tenuiores ſanguinis abſumat, aut quia ab animi paſſionibus mœſtis refrigeratione partes diaphanas, atque lucidas ejuſdem ſanguinis exprimat, & ipſum nigricantem, ac veluti melancholicum reddat, quod poſtremum, cum patienti noſtro contigerit, jure melancholia per eſſentiam ipſum laborare, videtur affirmandum; ex altera verò parte quoniam ſanguis ex vena detractus fuit nigerrimus, & craſſiſſimus, qui à Galeno loco citato potius veluti ſignum, quam materia remedii, melancholiæ per conſenſum à toto proponitur, præſentem melancholiam à toto pendere, oportebit affirmare, quod autem non ſit melancholia ab hypochondriis, luce clarius exiſtit, quando ſymptomata nulla ad hypochondria obſerventur, delirium ſit maximum, tandemque cauſæ præceſſerint cerebrum permutantes, ut ſupra dictum fuit.

Dico igitur melancholiam, de qua agitur, eſſe per eſſentiam, & à toto ob rationes adductas, quod non inconvenit, cum id accidat diverſa valde ratione, quinimo, & malum hoc, ubi à toto excitatur, non tantum per conſenſum, ſed etiam per eſſentiam, vel ſaltem primaria affectione (quæ eſt ex uſu, & indicat) cerebrum afficere non ignoro.

Atqui huic illud obſtat, quod malum in præſenti non ſit continuum, ideò neque per eſſentiam. Sed reſpondetur ex Galeno ſecundo locorum affectorum ultimo, ad malum per eſſentiam non requiri neceſſario continuitatem, ſed ſufficit quod cauſa generetur in parte affecta, & extra hanc nulla alia afficiatur; unde cum cauſa in parte affecta per intervalla gigni poſſit, propterea fit (ut etiam hic accidit) quod malum ſit interpolatum.

Utcumque tamen, cauſa illius immediata eſt affectio tenebricoſa ſecundo de ſymptomatum cauſis, & loco citato, quæ animam rationalem expaveſcere, triſtarique facit, affectio autem hæc à Phantaſmate tenebricoſo in imaginatione efformato pendet, quod ab objecto improportionato tum interno, tum externo ſuam habuit originem; objectum internum eſt ſpiritus animalis tenebricoſus non ſolum ex propria natura, quoniam à ſpiritu vitali in corde funeſto, ac ſylveſtri genito eo modo, quo dictum eſt, producitur, verum etiam ex accidenti, admixto ſcilicet ſucco melancholico genito tum in cerebro, tum in hepate, & propagato per totum, proindeque per venas etiam capitis, in cerebro quidem à frigiditate exprimente, in hepate à cauſa agente, & materiali; Agens duplex principalis, & coadjuvans, principalis eſt fervor jecoris, qui uti magnus ignis multam copiam ſanguinis fœculenti, tanquam multum cinerem producit, fervor autem hic ex alimentis calefacientibus potiſſimum habuit occaſionem, audio etenim virum Illuſtriſſimum in ſuis cibis & aromata, & ſalita, pluſquam deceret, comediſſe, vinumque tum potens, tum copioſum potaſſe; Cauſa coadjuvans duplex adhuc, ætas inquam, & anni tempus, ætas quidem vigens, quæ & inclinationis dicitur, in qua vir nobiliſſimus eſt conſtitutus, nam in hac ætate calor ita viget, ut commodè poſſit melancholiam generare, tempus item anni Autumnale ratione æſtatis præcedentis caloris reliquias in ſe retinet, atque ſic ad idem conducit: ſed cum interim in verno tempore ſimus, in quo ſanguis veluti effloreſcit, & coactus ſum aſſerere, tempus anni nunc non ut cauſam agentem, ſed ut moventem concurrerere; Cauſa poſtremò materialis ſunt alimenta craſſa, quibus nobiliſſimus patiens utitur, ex quorum oblatione jecur calidum bilem atram producit, cum aliàs flavam bilem gignere deberet. Tandem objectum externum fuit animi affectus immoderatus, mœrores nempè, atque mœſtitiæ occaſione mortis unicæ dilectæ filiæ, ab his enim phantaſma tenebricoſum excitatur in cerebro.

Omne igitur ſtudium adhibendum, ut cere-

brum calefiat, jecur refrigeretur, utrumque humectetur, eorum proportio ſervetur, & calor ac ſpiritus vivificentur, ſic enim fiet ut materia melancholica non amplius generetur, prius tamen quæ genita eſt evacuari, atque retrahi debet, quæ dum peraguntur permittunt utique ut per ſoporifera vigiliis occurratur.

Quæ haud obtineri poſſe puto, nam malum eſt in habitu, ut non mirum ſi remedia non conferant, & ex 6. Aphoriſmo. 56. ſtupor, cæcitas, convulſio, & apoplexia immineant; ex tertio vero de locis affectis cicato: & 6. Epid. ad finem, permutata materia ad ventriculos cerebri, epilepſia; tandemque putrefacta, & quovis modo excalefacta mania impendeant.

Accedit quod delirium hoc eſt cum fletu, qui pejus ab Hippocrate ſetxo Aphoriſm. 53. habetur, & eo magis, quia patiens ſanguineus potius cum riſu delirio laborare deberet ut neceſſariò ex hoc ego colligam, cauſam inſignem morbincam præceſſiſſe, præterea cerebrum non tantum afficitur, verum etiam cor, & cerebrum non ſecundum imaginationem tantum, verum etiam & ſecundum diſcurſum quoquo pacto læditur: Quoniam tamen Medicina eſt donum Dei, ſæpiuſque etiam morbi pœnè irremediabiles continua medicatione ſuperantur, non omnino diffido, atque ſaltem futurum exiſtimo, ut malum plurimum (ſi patiens nobiliſſimus obſequens fuerit) imminui, non autem augeri debeat, quapropter à remediorum uſu deſiſtere haud oportet, ad quod reſpiciens Ariſtoteles in capite penultimo ſeptimo Ethicorum dicebat melancholicos continua medicatione tractandos eſſe, quod corpora illorum ſemper mordeant, mordent verò ob flatus ſucci melancholici comites per corpus diſcurrentes, vel quia inter cœteras hujus affectus miſerias, ea forſan præcipua eſt, quod in tanta ſymptomatum ſyndrome, ægri ſe ab ullo remediorum uſu juvari poſſe imaginantur, cujus etiam cauſa, nova ſemper aliquando remedia ſibi expoſtulant, ut præſcribantur. Atqui in id incumbendum, ut remedia quæcumque placida ſint, quoniam ut docebat Plato in Timæo, affectus melancholici, quo gravioribus tractantur medicamentis eo acerbiores evadunt.

Accedens igitur ad curationem de chirurgicis decerno, & dico quod poſtquam ſanguis per ſectam venam eſt eductus, & adhuc aliqua ſubeſt ſanguinis copia, patiens natura eſt valdè ſanguineus, cum aliquo bilis ſubdominio, malumque quotidiè intenditur, novam ſanguinis propono detractionem primum per cucurbitulas dorſo, deindè per hyrudines ano applicitas, ratione ſanguinis extra caput, vel potius per ſaphenam apertam, quando ſanguis craſſus, & gravis facilius deſcendat ut jure varices, melancholiam ſolvant, tandemq; per venam frōtis diſſectam gratia ſanguinis in capite probarē, quæ ſanguinis detractiones potiſſimum ratione melancholiæ à toto conveniunt, nam ratione ejus, quæ per eſſentiam, non videntur opportuna, quoniam ſanguis non peccat, ut ex hoc Galenus tertio loc. affectorum nullam proponat venæ ſectionem, ſi tamen verò magnum ob ſanguinem craſſum ſemper fiat. Quantum ad evacuantia chirurgica alias materias ſanguine diverſas, ſi ad materiam extra caput dirigantur, nunc veſicantia extremis applicita, poſt hac fonticuli, unus in femore dextro, alter in brachio ſiniſtro mihi arrident; at ſi ad materiam in capite referantur, cauterium ab antiquis etiam celebratum in vertice, inuſtum non damno: tandē ſicuti pro revulſione cum attractione, & inſenſibili evacuatione laudo, ut brachiis, cruribuſque frictiones, deligaturæ, lavationeſque cum aqua actu calente, & ſyciæ ſiccæ adhibeantur ita pro capitis evacuatione à pectinationibus, frictionibuſque cum pannis aſperis capitis in poſticam partem factis non recederem.

Medicamenta reſpiciunt materiam melancholicam, & viſcera, ſi materiam, jam lenita eſt alvus ſyrupo de polypodio ſolutivo, & manna, præparatique ſunt humores cum decocto boraginis, bugloſſi, meliſſæ, betonicæ, ſonci, hæpaticæ & liquiritiæ cū ſyrupo de boragine, de ſucco betonicæ, atque cicorii, tempeſtivum ideo eſt, ut humores deturbentur meo quidem judicio infuſo Epitimi: ſenæ, & portionis Rhabarbari adjecto eodem ſyrupo de polypodio: Mox inſtituenda nova præparatio decocto bugloſſi, meliſſæ, fumariæ, ſem. citri, qninquefolii, betonicæ, cicorii, agrimonii cum ſyrupis de cicorea, de fumaria, & de betonica compoſitis, quorum loco tertio quoque die ſubſtituatur ſyrupus aliquis purgans uti de pomis com p. de Epitimo, vel polypodio, cum ſyrupo de cicorea cum Rhabarbaro, quibus ter, vel quater aſſumptis iterum purgetur corpus infuſo veratri nigri, & Rhabarbari, adjecto ſyrupo de polypodio, vel confectione amech, & electuario lenitivo, vel demum catapotiis cochiis cum helleboro, vel de helleboro caſtigatis cum portione eorum, quæ maſticina dicuntnr. Quinimò in ea eſſem ſententia, ut bis in anno uteretur ſimili medicatione, eo tamen conſtituto, ut Vere mediana vena cubiti, Autumno verò ſaphena, vel hemorrhoides aperirentur; Ruſuſque, ut intervallis quibuſdam vigentibus anni caloribus, infuſo Epitimi, vel myrobolanorum Indorum, & citrinorum in ſero lactis parato, ſub cœlo autem frigido pulvere hellebori nigri prius modo conſueto præparati, deinde ter cum ſucco roſarum irrorati, & in umbra ſiccati ad ſcrup. ſ. ex ovo ſorbili dato uteretur; Paulus dat. Epitimi, & aloes ſcru. 2. quotidiè, pro diaphoretico balneum aquæ dulcis huc referatur.

Purgato corpore caput tum maſticatoriis ex maſtiche ſimplici, vel pulvere hellebori nigri ac turbit adjecto, cum cera, tum herrinis primum ex decocto majoranæ cum ſucco betæ, vel hederæ, deindè ex ſucco radicis ireos, vel cyclaminis cum lacte caprillo paratis erit evacuandum ſenſibiliter.

Cœterum & ad inſenſibilem totius evacuationem à decocto radicis chinæ in ventre pulli cum ſimplicibus jam dictis decoctæ non abhorreo, in quem uſum, & utramque Antidotum magnam non improbo; Galenus enim in quartana propinabat & ipſe theriacam; huc etiam refero inunctionem totius, quæ eſt Aetii ex hydreleo, ac nitro.

Tandem ad medicamenta viſcerum eſt accedendum, quare in ſerie admovendorum gratia totius corporis balneum aquæ dulcis tepidæ omnibus præfero, at gratia capitis omentum in oleo camomelino, amygd. dulci calefactum,

factum, atque embrocam ex lacte capræ ſtatim emuncto, modicove vini ſubdulcis addito, vel ex decocto malvarum, altheæ, violariæ, boraginis, bugloſſi, betonicæ, camomeli, extremorum, ac inteſtinorum vervecis ſupra ſuturam coronalem adminiſtratam, item & conſervam anthos, ac boraginis hora ſomni datam ſummopere laudo.

Cor & ipſum propria habet, peculiariaque medicamenta, uti epithema ex aquis, vel ſuccis (quos magis probo) boraginis, bugloſſi, meliſſæ, cum pulvere cordiali pro epit.ſem. citri, croci, aceto roſato, vino Cretico, ac aqua florum citri, & arancii, & ab epithemate inunctio ex oleo florum citri cum gallia muſcata: Verum & internis opus habet medicamentis, ſaccharum igitur boraginatum, & bugloſſatum cum pulvere ſmaragdi, lapidis bezaar, hyacinthi, & macis, foliiſque auri, vel conſerva florum citri cum margaritis, & oſſe de corde cervi, ſeu limatura auri, & argenti præparatorum, immixta duabus portionibus pulveris cordialis pro cibo, & una ſpecierum diamuſci dulcis in ovo ſorbili ſumpta maximè conveniunt.

Ad jecoris autem temperationem hæc habeo; Primum eſt capræ ſerum cum ſucco ſonchi, & boraginis ab libras iii. datum per plures dies; Alterum eſt lac humanum, vel aſininum. Tertium ſunt thermæ refrigerantes, uti Villenſes, Porrectaneæ veteres Bononienſ. & B. Virginis Patavinæ, quæ quamquam ob ſiccitatem adjunctam non conveniant in melancholia curanda, nihilominus quoniam in corpore non emaciato, quale eſt, quod tractatur, plus juvamenti refrigerando, quam damni ſiccando præſtant, ideo uſui patienti nobiliſſimo illæ eſſe poterunt (quantum vero exiſtimo) valdè proficuo, ſed & irrigatio regionis hepatis facta cum aquis hepaticæ, & cicoraceorum additis ſpeciebus cerati ſandalini, momento camphoræ & aceto optimo, ac ab irrigatione unguentum factum ex oleo roſ. ſucco cicorii, ſpecieb. confectionis ex tribus ſandalis, & cera in aceto lota illitum non ſunt deſpicienda, ſicuti nec balneum aquæ dulcis tepidæ ullo modo eſt omittendum.

Verum omnis medicatio vana, irrita, & incaſſum futura eſt, niſi accommodata, perſeveranſque vivendi ratio adjungatur. Quare in primis maxima eſt aeris habenda ratio: nam cum in hoc vitio cor compatitur, Avicenna cordi ſemper eſſe conſulendum monet, nil autem eſt, quod ita facile cor alterare valeat, atque aer, qui continuo per inſpirationem ad ipſum pervenit; eligatur ideo, qui in activis temperatus, in paſſivis ad humidum inclinet. Aedes igitur orientem, vel occidentem ſpectantes vir illuſtriſſimus inhabitet, & omni diligentia curet, ut clarus, & lucidus, odoratuſque domo variis odorum generibus referta, ſit aer, non tamen damno, quod adeat nativum. Cibi ſint euchymi, quales exiſtunt optimæ carnes elixatæ, ova ſorbilia, & fercula ex his parata, piſces autem parvi, friabiles, & qui in aquis dulcibus claris vivunt, non improbantur; At legumina, caſeus antiquus, unaque lacticinia, edulia ex paſta, ſalita, frixa, & omnia cibaria ſubſtantia craſſiora, excrementitiaque devitentur. Acetaria vero ex lactuca, endivia, cicorio, acetoſa, boragine, & bugloſſo coctis, & floribus eorundem crudis, ſicuti & fercula ex eiſdem oleribus in jure pulli decoctis parata, item & fructus horarii, poma, & pyra dulcia, atque etiam ſubauſtera, cocta tamen, amygdalæ recentes, ſemina majora frigida ſaccharo obtecta concedantur, pulviſque cordialis pro cibo paratus, cui margaritæ, ſmaragdus, & hyacinthus addantur, omnibus eduliis immiſceatur, ac in ultima menſa ſemper aliquod adſtringens ingeratur, ſicuti ſunt vel cydonium, vel pyrum aliquod ſubauſterum ſub cineribus coctum, aut ipſummet cydoniatum ſimplex, aut ſaccharum roſatum antiquum, aut cornia & ſorbæ ſaccharo condita; Vinum omninò concedendum, quia Zeno, hominum ingenia vino, ut lupinos aqua dulceſcere, ſcribit, & Aver. Vinum animum lætificare dicebat, eligatur ideò quod ſit ætate media, levi odore & pauciferum, vel aqua boraginis dilutum, tenue, rufum, vel vermilium, quod vulgò dicitur, & quantitate mediocri aſſumatur, quod magis proderit, ſi floribus cordialibus & capitalibus, boragine, bugloſſoque pro calidiori cœli ſtatu, radice verò enulæ, ac tantillo croci pro frigidiori factitium fuerit. Sedes quotidiè ſibi procurabit vir nobiliſſimus, vel clyſteribus, uti ex oleo amygdalino dulci, jure pulli cum ſimpl. emollientibus medicato, ſaccharo rubro, melle violato, adjecto etiam aliquando ſyrupo de polypodio magiſtrali paratis, & injectis; Vel vino ex ſena, aut myrobolanis Indis, & chebulis factitio in prandio primum bibito; Vel pane ex tota farina cum paſſulis, coriandris, & modico ſalis parato, in prima menſa commanſo. Somnus ſit longior conſueto, non meridianus, niſi noctu vigilarit, provocetur autem à cena per horam lotionibus ſoporiferis illinitionibus ex oleo florum ſalicum partibus pulſantibus, & naribus internis adhibitis, ac odoramentis ex ſeminibus juſciami, & capitibus papaveris albi cum ſemine modeſtè contuſis in vino odorato decoctis; huc referatur embroca capitis ex lacte, aut ſolo, ſed nuper ab ubere capræ, ſeu Vaccæ emuncto, aut mixto cum aqua ſolani, & parte una vini ſubdulcis, vel ex oleo violato cum parte una anethini, balneum quoque aquæ dulcis in ſimili caſu eſt efficaciſſimum, ſed præter hæc & ſemina lactucæ cibis incocta, & vinum papaverinum in ultima cæna, amygdalatum cum ſeminibus papaveris tuſis mixtum, per horam poſt cænam bibitum, vel tandem pilula de cynogloſſa eadem hora devorata maximè probantur: Corpus modeſtè, & ante cibum, & alvo inanita, exerceatur ambulationibus, vel geſtationibus (quas magis probo, ne domi veluti clauſus vir illuſtriſſimus detineatur) vel etiam frictionibus. Tandem animi curæ, ſolicitudines, mœrores, ſolitudines, mœſtitiæ, ac ſimiles animi paſſiones longè admodum abſint, animuſque quantùm licebit, hilaris, ac lætus exiſtat, Deus autem, Deiparaque virgo viro illuſtriſſimo, & nobiliſſimo faveant, ut hiſce, ac aliis præſidiorum materiis ab hac animi, & corporis miſeria, atque calamitate vindicetur. *Idem ibidem.*

Pro

Pro Perilluſtri, ac nobili adoleſcente Imolenſi in Maniam intervallis quibuſdam incurrente.

Sicuti diſpoſitio tenebricoſa cerebri melancholicam inferens mutata in igneam poteſt maniam inducere, ut ſæpius, ex omnium conſenſu melancholici Maniaci evadant, ita non eſt, ut aliquis admiretur, ſi nobilis, & egregius adoleſcens ob temperamentum calidum, ac ſiccum ad poſteriorem affectum pronus, prius melancholia detentus, in delirium tandem maniacum intervallis quibuſdam propter contemperamentum ab ætatis humiditate illatum inciderit; Delirium atteſtantur garrulitas, verboſitas, & multa abſurda, ac præter rationem dicta; furorem vero plura demonſtrant potiſſimum autem, quod quos obvios habuit, non leviter percuſſit.

Vitium profecto hujuſmodi ſic generari contingit, ubi ſpiritus animalis igneus redditus phantaſma igneum, & ob id igneam diſpoſitionem cerebri producit eſt in cauſa, ut actio ejuſdem princeps corrumpatur; quæ tali pacto corrupta, nihil aliud eſt, niſi mania, Spiritus autem ille ſic igneus redditur ob intemperiem calidam ipſius cerebri, & ob ſuccos mordaces: verum intemperies in præſenti rejicienda, quoniam affectus eſt interpolatus, remanet igitur, ut ejus origo ſit à ſuccis illis, & eo magis, quoniam delirium, non tantum non eſt aſſiduum verum nec uniforme, ſucci autem cum poſſint eſſe ſanguinei, bilioſi, & atrabilares, puto ego in patiente propoſito bilioſos, atque aliqua ex parte atrabilares, quando excreta per alvum acria, necnon linteamina erodentia obſerventur: In qua humorum miſcella atram bilem ex eo mihi perſuadeo, quod non proponitur ſtudium cum excandeſcentia indicium bilis dominantis; Cœterum cum atra bilis fiat, & per putrefactionem, & per exuſtionem, utraque hic meo judicio locum habet, prior ob fœtorem cum aliqua excandeſcentia, fœtoremque ab alvo prodeuntium, poſterior ob audaciam, ac propenſionem ad percutiendum; Et ſi nunc affectus mitior redditus fuerit, nec ferociat, ac inſæviat, hoc mea ſententia contingit, quia remediorum uſu, atque etiam præſentia ſanguinis in caput ob fervorem attracti refractæ fuerunt, ita dictorum ſuccorum vires, ut neceſſarium omninò ſit, morbum etiam miteſcere, & hæc eſt cauſa, ob quam patiens noſter profundè dormiat, & hilaris interdum inſpicientibus occurrat, ſolet etenim ſanguis aliis ſuccis in capite permixtus propria humiditate, & noſtræ naturæ familiaritate ſimilia parere; Generantur autem humores prædicti in jecore fervidiori ex chylo pariter calidiori, ſed hiſce omnibus errata externa, præcipuè in ſtudiis perpetrata, tanquam cauſas coadjuvantes addere liceat.

Atque ſic quicunque præſentem affectum curare voluerit, hic ipſe eò totum ſtudium dirigat oportet, ut ſcilicet omnis occaſio gignendi ſuccos hoſce per jecur refrigerantia ſubmovent. Interim tamen qui geniti evacuandi, à cerebro retrahendi, ac attemperandi ſunt, atque delirium, ſi quando occurrerit, anodinis mitigandum, vigiliæ corrigendæ, tandemque cerebrum refrigerandum, & confirmandum.

Quæ omnia per materias præſidiorum ad uſum perductas, quamquam haud ſemper aſſequatur Medicus, & ſi ſic, cum inſigni admodum difficultate, quoniam nulla deſipientia eſt ſecura ob inſignem receſſum à ſtatu naturali ratione propriæ eſſentiæ morbi, Symptomatis, & cauſæ, ob partis affectæ præſtantiam, atque tandem etiam aliquando ob difficilem morbi tolerantiam, ut ſæpius vires deficiantur; quia tamen in patiente noſtro malum non eſt aſſiduum, copia carnis in toto attemperationem quandam pollicetur, medicamenta, atque cibum non renuit, atque in Medicum incidit (quod eſt majoris momenti) qui & omnia movit pro ſanandis ægris, & hæc ipſa ſumma cum dexteritate adminiſtrat, ſpero futurum ut malum ex toto finiatur, aut ſaltem magis, ac magis imminuatur.

Qua bona ſpe ductus & ego ad materias medicas deſcendens de Chirurgicis, ita ſtatuo, ſanguinis miſſionem aliquot intervallis repetitam ſummoperè prodeſſe poſſe, non ſolum quia ſanguis peccat, verum etiam quoniam fervor ſub hoc affectu maxime vigens extinguitur; fiat autem miſſio ſanguinis per ſectam venam in cruribus, in brachiis tum internam, tum externam in fronte, prout ſanguinis vitium penes motum; vel copiam in toto tantum, aut in toto, & capite ſimul, aut in capite tantum obſervabitur, in quo poſtremo caſu Avicenna etiam aperit venas ſub linguâ; Verum & ſanguis poſtulante uſu, rurſus ex venis ani præcipuè hoc tempore per hyrudines applicitas, aliis verò temporibus ex dorſo per cucurbitulas mitti poterit; Fonticulus ille in vertice capitis, ſicuti & alius in femore dextro ſecundum partem domeſticam mihi ſummoperè probatur, quod audio etiam ab Excellentiſſ. curante fuiſſe ſancitum, & adnotatum; quinimmo & in hu maxima materiæ pervicacia à veſicantibus, humeris, cervici, & capiti applicitis non abhorrerem, quando caput cruentum, ac ſanguinolentum, cum pulvere acri reddendum eſſe Alexander aſſeruerit.

Pharmaca reſpiciunt materiam, partes, & Symptomata, furorem inquam, & vigilias; ratione materiæ, quamquam ſtatim à principio ad fortiora ſolventia devenire liceat, quoniam materia membrum princeps petit, quia tamen nunc affectus eſt ſatis mitis, à lenientibus, vel ſaltem minorantibus exordier, quo circa ex ſyrupo de polypodio magiſtrali, vel electuario lenitivo, & Diapruno, Scammonio non referto medicamentum conficerem, deinde jure pulli, in cujus ventre incoquerentur cicoreacea, borrago, lupulus, fumaria, flores violarum, & lactucæ ſemina cum paſſulis humores præparatem, ad quos poſtea deturbandos, ſi patiens quæcunque medicamenta non admitteret, uterer cydoniato (quod nunc parari poſſet) cum Diagridio, & extracto hellebori nigri, quinimmo ex ovo ſorbili, & aliquo etiam, ut dicunt, morſello, hæc ipſa offerrem aſſumenda; Pruna quoque, paſſulæ, & Caricæ his eiſdem medicamentis præparari poſſent quo in caſu pariter clyſteribus acribus uti non deſiſterem, verum urgente neceſſitate nulla ratione ſtybium præparatum omitterem, atque hiſce medicamentis,

tis, aut etiam aliis placidioribus, ſicuti ſyrupo de helleboro Luſitani infuſo Epithemi, ac Rhab. cum mirob. citr. & Indis ex ſero caprillo ut egregius adoleſcens uteretur ſummoperè laudarem.

Sed & ad evacuantia inſenſibiliter eſt deveniendum, balneum itaque aquæ dulcis omnibus præferrem, & pro capite primum repellentia uti oxyrodinum adjecta lactuca, & papavere, deinde diſcutientia materiam in capite, ut illinitionem cum adipe Scrophæ factam, Catuloſque ſciſos per dorſum adhibitos probarem; Atque à Balneo corpus hydreleo inungi curarem.

Pharmaca partium ſunt alterantia, gratia ergo jecoris ſerum cum ſucco cicoreaceorum, quinimo & lac ipſum aſininum potum maximè opportunum cenſeo; ſed & perfuſio ex ſucco cicorii cum aceto, ac ſpeciebus cerati ſandalini hypochondrio dextro facta utilis valde apud me habetur. Pro capite cucurbitam, lactucamque ſaccharo conditam, necnon conſervam violaceam, & nenupharinam hora ſomni devoratam valde probo; At quod mihi maximè foris adhibitum arridet, eſt embroca facta cum decocto pedum, & capitis vervecum, ſimplicium refrigerantium, ac humectantium necnon ſoporiferorum, ac adjectis camomelo, anetho, & althea ad penetrationem, conſervationemque caloris cerebri; in eundem uſum pariter facit lac vaccinum cum aqua ſolani, & oleum violaceum cum modico olei anethini; Ab embroca verò fiat illitio cum populeo adjecta quarta parte olei anethini, vel adhibeatur omentum vervecis calfactum in oleo violaceo addito opio, & modico Croci.

Ad Symptomata duo ſunt ex uſu, ſoporifera, & quæ furorem demulciant, pro ſomno igitur inducendo præter ea, quæ ſupra, primum lotiones extremorum, illinitiones partium pulſantium, pilulas deinceps de cynogloſſa à cœna aſſumptas quin probem efficere non poſſum. Pro furore autem demulciendo præter mitigantia, & anodina emplaſtica omnibus cognita & quæ etiam agunt à proprietate intus, & extra mihi non improbantur; Teſtudinis ideo Cinis potus, & raſura Cornu Renoceruntis aſſumpta, oleo verò gagate illitum, & Deus Equi capiti appoſitus arrident.

De victu ſtatuo, ut patiens cibis boni ſucci utatur, ac à dulcibus, ſalſis, acribus, adſtringentibuſque abſtineat, atque in cibariis diureticis uti debet, & ab omni cibo cydoniatum, vel ſaccharum roſatum antiquum devoret, invadente autem furore ut ceſſet à vino omni ſtudio cavendum, quod aliis temporibus bibere poterit potius ſubrubrum, aquoſum, & cum radicibus recentibus bugloſſi, floribus boraginis, & violarum medicatum; Ad hæc ut ſomnus concillietur, cibis incoquenda lactura, atque papaver; Alvus clyſteribus, qui aliquo modo etiam refrigerent eſt irritanda, ac patiens in maxima corporis, & animi quiete detinendus. Et hæc ſunt, quæ non tanquam nova, ſed tanquam ſententiam Excellentiſſimi curantis confirmantia adduxiſſe volui; faxit modo Deus, ut in ſalutem nobilis adoleſcentis cedant, quam admodum ex intimo cordis exopto. *Idem ibidem.*

De Mania. Pro Nobili Iuvene.

Ex actionibus læſis facilè eſt colligere qualis ſit affectus patientis Nobiliſſ. Cùm enim credat ſe eſſe Chriſtum, quandoque habere cor, nonnunquam eo carere, cerebro vacuo quoque eſſe ſibi videatur, inde colligitur, actiones animales principes eſſe depravatas, quà recipit illa objecta, quæ neque ſunt, neque eſſe poſſunt. Cum autem tres ſint operationes principes, nempe, Imaginatio, Ratio, & Memoria, memoriam nulla ex parte læſam eſſe cenſemus: quia recordatur, non eorum ſolum quæ ſibi in ſanitate, ſed etiam eorum, quæ in ægritudine contigerunt; ergo læſio erit vel in ratione, vel in imaginatione. Et ſanè utramque læſam eſſe cenſemus, imaginatricem quidem facultatem, quia imaginatur ea, quæ non ſunt; rationem quinetiam, quia judicat amicos, affines, & alios ſibi infenſos eſſe; magis tamen læſa eſt imaginatio, quam diſcurſus. Quæ quidem animales actiones cum in tribus ſolis affectibus depraventur, Phrenitide ſcilicet, Mania & Melancholia, teſte Galen. 3. de Locis Aff. ideò Phrenitis in præſentia locum non habet, quia patiens noſter etiamſi pulſum habeat frequentem, & velocem, non tamen febricitat; ſed dicendus eſt à principio quidem melancholicus, quia ſolitariam vitam agebat, cum timore, & mœſtitia, progreſſu vero temporis & maniacus factus eſt, cum tentaverit alios cædere, matrem ipſam mordere, & loci primates etiam pila ferrea percutere non dubitaverit, quæ nonniſi à maniacis fieri ſolent: quam ſanè maniam potius caninam dicendam eſſe cenſemus, cynanthropiam dictam, quam vel lupinam, vel alterius generis: quia mordere voluit matrem, ridet, abblanditur, ad inſtar canis.

Quæ quidem affectio quanquam fieri poſſit à pluribus cauſis, vel à ſola ſcilicet cerebri intemperie ſine materia, vel cum materia, & quidem vel ſanguinea, vel bilioſa, vel melancholica majorem aduſtionem, & incaleſcentiam recipiente; in præſentia ex ſanguinis calefacti vitio contigit, non ex ſola intemperie, cùm etiam adſit materiæ copia: præterquam quod jam fuiſſet liberatus, ſi ſola intemperies adeſſet. Non à bile, vel melancholia aſſata, quia ab iis fiunt maniæ magis ferinæ, & feroces, quam quæ in noſtro patiente, quæ per longa intervalla eſt ſatis benigna. Accedunt etiam plura alia indicia ſanguinis redundantis, temperamentum ſcilicet totius, & capitis calidum, & humidum, corporis habitus carnoſus, cutis rubedo, ſuppreſſio ſanguinis è naribus, qui aliàs effluxit; ætas ipſa, cùm 21. ætatis annum nunc agat: quæ omnia concurrunt ad generationem ſanguinis copioſi, qui poſtea efferbuit, & quoquo pacto ſuperaſſatus, ac in ſanguinem melancholicum converſus, cùm à naturali jecoris caliditate, tum & à diuturna ipſius ſanguinis in jecore detentione, propter obſtructiones partis gibbæ ipſius, præter exercitia violenta, uſum vini generoſi, inſolatum, nimia ſtudia, & alia, quæ potuerunt ſanguinem reddere fervidum, craſſum, ac melancholicum, ut inde ſecuta ſit melancholia, & maniaca paſſio. Verumenimverò cum duplex eſſe poſſit hæc affectio, eſſentialis ſcilicet,

ſcilicet affecto cerebro per protopathiam, & principalem affectionem; ac per conſenſum vel cum toto corpore, vel cum hypochondriis; nos affectionem præſentem judicamus eſſe per conſenſum à toto, non ab hypochondriis. Quia ſi eſſet in hypochondriis, adeſſent etiam flatus in illis partibus, querelæ de ventriculi læſione, anxietates, & æſtuationes circa jecur, longaque haberet intervalla. Quod autem in toto corpore redundet talis ſanguis apparet ex habitu totius, & venarum amplitudine in toto corpore, ex loco in quo generatur, qui eſt officina ſanguinis pro toto corpore, jecur ſcilicet. Non negamus tamen, etiam cerebrum habere copiam hujus materiæ ſanguineæ excalefactæ, & aliquam labem ſuſcepiſſe quoad temperamentum, ex inſolatu, ex diuturna affectione, præſertim cùm antea ſummopere ſtudiis incubuerit, quæ potuerunt cerebrum imbecille reddere, cùm alias paſſus fuerit ſanguinis fluxum è naribus, cumque utilitatem ſuſceperit ex lotionibus capitis. Quod ſi quis quærat: ſi caput eſt eſſentialiter læſum, quomodo poteſt patiens ipſe ſomnum habere longum, & non perturbatum, ut habet in præſentia? Reſpondendum cenſemus, non adeo calefactum eſſe ſanguinem ipſum, ut potuerit inſigniter calefacere cerebrum, & vigilias inducere: propterea cùm ſanguis ex ſui natura ſomnum conciliare ſoleat, hominesque reddat ſomnolentos, mirum non eſt ſi etiam nunc quietè dormit patiens noſter.

His ita conſtitutis de eſſentia, cauſis, & parte affecta, facili negotio colligitur, difficillimum fore, & ferè impoſſibile patientem priſtinæ ſanitati reſtituere, cùm ob præſtantiam partis læſæ, tum ob intemperiem naturalem jecoris, tum ob inſignem ipſius obſtructionem, tum & magis ob antiquatum affectum pluribus remediis oppugnatum, nunquam tamen adhuc ſuperatum: non tamen gravabimur illa proponere præſidia quæ juvabunt, ſi erit ſanitati locus.

Neceſſarium itaque erit ſanguinem melancholicum exuſtum, & in cerebrum confluxum evacuare, & per loca conferentia fluentem à capite ad longinquas partes divertere, ipſum tamen primum præparando attenuantibus, & emollientibus medicamentis, caput ipſum corroborando, ne amplius fluxiones à toto recipere poſſit. Quæ ut rectè fiant, tollendæ primò ſunt obſtructiones jecoris attenuantibus, incidentibuſque medicamentis, quia ipſis perdurantibus non poſſumus validis præſidiis materiam in toto corpore contentam per inteſtina purgare. Attrahetur enim ad jecur, & obſtructiones augebit. Nec minori utendum diligentia in compeſcenda jecoris caliditate, ut prohibeatur talis humoris regeneratio. Quod ſi ex toto fieri non poſſit, ſaltem erit ad partes à cerebro remotiſſimas revocandus. Cor pariter, quod in his affectionibus maximè patitur, erit corroborandum. Quæ omnia præſtabuntur medicis præſidiis, deſumptis ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico.

Et Primo quantum ad Chirurgiam, & quidem ſanguinis miſſionem, ſæpè ſanguis eſt mittendus, quia vitium hæret in ſanguine, viresque ſunt robuſtæ in hac ætate; neque timendum, quod multa ſanguinis copia fuerit evacuata per plures partes corporis. Quantum ad locum, primò educendus eſt ex ſaphena dextri pedis, vel ex vena ſub poplite, ſi in conſpectum venerit; deinde ex jecoraria, vel communi dextri brachii; tertio ex hæmorrhoidalibus: quarto ex vena frontis, ut revellamus, & evacuemus à parte gibba, & ſima jecoris, & à cerebro. Quod fiet congrùo interpoſito tempore inter has evacuationes. Quinimò debebit eſſe familiariſſima evacuatio ſanguinis, ex hæmorrhoidibus, ut per aliquod tempus, ſemel in menſe ſanguis inde educatur, poſtea verò ſaltem bis in anno, Vere ſcilicet, & Autumno. Fonticuli quinetiam ſunt inurendi utrique coxæ: quia ſi varices conferunt ſummopere in affectibus melancholicis, & maniacis, non minus conferent hæc continua emiſſaria: in brachiis verò aliquo modo ſunt ſuſpecta, ſi affectio eſt per conſenſum, ſed ſi aliqua materia etiam hæret in capite, quæ derivatione opus habeat, non diſplicet fonticulus in brachio ſiniſtro, præſertim cum alias ibidem ipſum geſtaverit cum aliqua utilitate omninò. Setaceo abſtinendum cenſemus. Ex hoc fonte eliciuntur etiam frictiones partibus infernis ſæpè adminiſtratæ, lotiones pedibus, & cruribus ſingulis matutinis horis factæ, cum aqua dulci alterata malva, violis, meliloto, flor. chamæmeli, & alia præſidia inferius proponenda.

Quantum verò ad Pharmaciam, neceſſarium eſt primo alvum lenire ſyr. de polyp. & melle roſ. ſolutivo, cum decoctione cordiali, vel electuario diaſebeſten ſine ſcammonio, flor. caſſiæ, vel lenitivo, & melle roſato ſolut. ac ſimilibus. Præparandi poſtea ſunt humores cum ſimplicibus ſyrupis, ſyrupo ſcilicet de borragine, de fumaria, de cichorio, addita decoctione fumariæ, borraginis, cichorii, ſonchi, meliſſæ: & purgandi portiuncula confectionis hamech. cum diacatholico, vel potionibus propoſitis cum ſenna, & rhabarbaro: deinde validius præparandi cum ſyrupo de fumaria compoſito, & de pomis Sabor regis, additis herbis magis aperientibus, ut agrimonia, ceterach, radice fœniculi, cum cichoraceis, validiuſque purgans exhibendum, progrediendo, ſcilicet ad portiunculam hellebori nigri, cum ſenna. Quibus peractis, ſuperandæ ſunt jecoris obſtructiones, quod facient trochiſci de rhabarbaro, de eupatorio, cum portiuncula chalybis, & ſucco cichorii concreto, ſi ſingulis matutinis bolum ex his medicamentis paratum aſſumpſerit, ſuperbibendo ſex uncias ſeri caprini, vel vaccini, præparati, & in alembico vitreo deſtillati, cum radice aſparagorum, agrimonia, pentaphyllo, ſoncho, & cichorio: vel loco ipſius, ſex uncias juris optimi galli junioris alterati jam propoſitis: non omiſſis inunctionibus jecoris oleo de abſinthio, de cappparibus, & cum pulvere agrimoniæ, cera, parato linimento cum vino albo, & ſucco cichorii. Atque in his remediis perſiſtendum uſquedum ſuperentur obſtructiones, vel ſaltem inſigniter minuantur. Quibus peractis, ad generoſiora purgantia vitioſum humorem deveniendum erit, maximè ad frequentiorem uſum hellebori nigri: quinimò & ad uſum hellebori albi, non tamen in ſubſtantia, ſed in infuſione facta cum vino: ita tamen, ut prima vice ſolum infundatur drachma una radicum hellebori albi in vino, abſque ebullitione, Secundò fiat etiam ebullitio, ſed levis; deinde & validior cum expreſſione, ut ſic ſenſim, & ſenſim ad validiſſima progre-

progrediamur. Nam in hac curatione diutius perſiſtendum: utque facilius educantur humores ab hoc medicamento, ſine ſuffocationis periculo, emolliendi, & attenuandi ſunt: quod fiet immerſione totius corporis in aqua dulci parum calida, alterata malva, althea, chamæmelo, fœnugræco, ſemine lini, ac ſimilibus emollientibus, & attenuantibus: ac poſt uſum hellebori, ſuperbibere poterit quinque, aut ſex uncias ptiſanæ hordeaceæ. Hæc ſunt quæ hyeme præſtari debent. Adventante Vere, lenis purgatio totius eſt repetenda; deinde exhibendum eſt, vel ſerum caprinum præparatum, cum ſucco cichorii fumariæ, & borraginis, vel aqua noſtra Beatæ Virginis, quæ tutior erit: quia refrigerabit, & corroborabit jecur, citra ventriculi noxam, quæ à ſero metui poteſt, neque poteſt ſua facultate exſiccante officere; quia actualis humiditas vitium illud corriget. Et his medicamentis utendum quā plures dies, ut compeſcatur fervor jecoris. Neq; omittendus eſt uſus lactis aſinini, quo tẽpore aſſumere poterit etiā conſervas ex borragine, bugloſſo, cum margaritis, hyacintho, & ſimilib. cordialibus, cū conſervis, tùm electuariis, & rotulis. Extrinſecus vero tunc etiā conferet natatio, vel ſaltem immerſio in aqua dulci ſemel, atque iterum in die, quæ ſit tepida, & expoſita radiis ſolaribus plures dies. Lotio capitis, vel ſtillicidium erit ex uſu primò quidem cum aquis humectantibus, & refrigerantibus, ut ex malva, violis, lactuca; deinde & exſiccantibus leniter, ac corroborantibus cerebrum, ut cum aqua noſtra Divi Petri & Laſtrenſi, mixta etiam cum aqua *Beatæ Virginis. Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent.* 1.

De Melancholia, Pro Nobili Matrona Lucenſi.

Timor, & mœror diutius durans eſt ſignum melancholicum. Propterea neceſſariò ſtatuendum eſt, Illuſtriſſimam Matronam melancholico affectu detentam eſſe; licet enim timor & mœror in ipſa fuerit ſubortus à cauſa manifeſta, dum vi à conſanguineis è parentum ſinu fuit avulſa 37. ab hinc annis, nihilominus cùm tam longo temporis ſpatio perſeveraverit, neque ex congreſſu, neque ex multiplici prole, neque ex copioſiori ſanguinis fluxu per uterum, & per hæmorrhoides omninò ceſſaverit affectus, determinandum eſt, ipſam non ſolum melancholia detineri, ſed eſſentiali quinetiam, confirmata quidem & in habitum redacta, nec ſolum eſſentiali, ſed etiam univerſali, ſeu per conſenſum à toto, ſpecies enim in pueritia altius impreſſæ continuò ferè repræſentantur imaginationi, ad cujus nutum agitatis ſpiritibus animalibus, corpus ipſius in continuo motu eſt, quaſi continuò fugere tentet objectum diſſentaneum, & moleſtum imaginationi repræſentatum. Melancholicis enim interdiu eveniunt illa, quæ dormientibus apparent in ſomnis: quo tempore non rarò homines dormientes ſurgunt de lecto, enſes evaginant, exeunt domo, & ſpatiantur per civitatem, prout ſibi ipſi eveniſſe retulit Galenus Secundo de Motu muſculorum: quod & ego in aliis melancholicis obſervavi, qui loco ſtare non poterant, quorum alter patritius Venetus eò tandem devenit, ut præ nimia ſolicitudine & anxietate laqueo ſe ſuſpenderit. Propterea Nobiliſſima quoque Matrona diligenter eſt cuſtodienda, cùm præſertim ex tam longa ſanguinis effuſione conjectandum ſit, in jecore præcalido generari ſanguinem craſſum, & melancholicum, cui ſemper jungitur tanta ſeroſitatis copia, ut Hippocrates humorem melancholicum aquam vocaverit, qualis etiam in nobiliſſima patiente in copia effunditur, modo ex utero, modo per urinam.

His ſic ſe habentibus, luce clarius conſtat, affectum hunc curatu difficillimum fore, ne dicam inſanabilem: non tamen à medicis præſidiis deſiſtendum eſt.

Ideo repetenda eſt univerſalis totius evacuatio, cum detractione ſanguinis ex jecoraria dextri, & interna ſiniſtri brachii tempore à menſibus diſtante, ea quantitate quam qualitas ſanguinis indicabit, & vires permiſerint. Educi quinetiam debebit ex venis retro aures, vel ex vena frontis, pauca tamen copia.

Purgatio tentanda erit extracto hellebori nigri, & aliis validis purgantibus melanagogis. A qua, tria remediorum genera ex uſu futura cenſeo, dummodo lien in præſentia non intumeſcat, ut relatum eſt. Primum remedium erit potus lactis per plures dies, primo quidem caprini, mox & vaccini, tanquam minus ſeroſi, & magis nutrientis, quod exhibendum erit cum modico ſaccharo, ſtatim à mammilla emunctum, cum fruſtulo panis in ipſo madefacto, præmiſſa parca cœna; alterum erit balneum Aquæ dulcis tepidæ ſæpius adminiſtratum; & tertium lotio capitis ſeu ſtillicidium paratum ex vino albo modicè generoſo, cum aliis remediis ſpiritus exhilarantibus, ſanguinem magis alimentalem, & minus exuſtum reddentibus, & corroborantibus cor ipſum: in quem uſum diamoſchum, diambra, confectio alchermes, & elect. de gemmis, aliave hujus ordinis Viro præclariſſimo quam notiſſima præcribi poterunt, cum conſerva ex fl. borraginis, violarum & totius citri.

Uictuſque his omnibus proportione reſpondeat in omnibus rebus nō naturalibus, omniumque maxime in animi paſſionibus, à quibus diſtrahenda eſt per peregrinationes, & alias mentis occupationes: proderitque fortaſſe aliqua gravior animi perturbatio, juxta dictum Hippocr. Septima Aphor. 5. Ab Inſania, quam Maniam vocant, difficultas inteſtinorum, aut hydrops, aut exſtaſis, bonum. Galenus in comm. dixit illam mentis alienationem, quam Græci exſtaſin vocant, minime mentis ſolutionem, ſed ejus robur potius eſſe; verum tamen quendam inſania moderata, qua prius detinebatur, ita levatum fuiſſe meminimus, inquit, & ratione collegimus, propter vehementem cauſarum maniam efficientium agitationem ejuſdem fuiſſe ſanationem ſecutam. Hæc in caſu hoc perdifficili attingenda duxi. Faxit D. Omnipotens ut cedant in ſalutem N. patientis. *Idem ibidem.*

De Melancholia ex Amore. Pro Nobili Patiente.

Quemadmodum ex doctiſſima conſultatione mihi tradita compertiſſimum eſſe video, Illuſtriſſimus adoleſcens melancholia ex amore detinetur. Timor enim & mœror diutius durans, etiamſi fiat à cauſa manifeſta, eſt ſignum melancholicum: ideoque cùm Nobiliſſimus patiens

continuo timeat, ſitque mœſtus & taciturnus, quamquam alias ſuavis fuerit & hilaris, atque jam pudore poſito fœminas quaslibet juvenes amplexari non erubeſcat, morboſa melancholia detineri manifeſtiſſimum eſt, eaque proveniente à fixa & continua imaginatione circa objectum deſideratum; quandoquidem ſicuti mores animi ſequuntur corporis temperaturam, ita ejuſdem animi paſſiones, & affectus corporis temperamentum immutare poſſunt, per generationem humorum vitioſorum. Unde ſtatuendum eſt, delirium hoc melancholicum in patiente nobiliſſimo eſſe per eſſentiam in capite, foverique à ſanguine melancholico in toto corpore genito.

Jure itaque Viri Excellentiſſimi proponunt medica præſidia chirurgica, pharmaceutica, & diætetica præſenti affectui valdè accommodata. Quibus & ego ſubſcribendum cenſeo, ſuperſedendo tamen fonticulis, cùm ratione ætatis, tum ratione extenuationis; tum & in primis cùm non adſint fluxiones, diverſione & evacuatione continua indigentes.

Quocirca ſufficiet à triplici illa evacuatione ſanguinis, cruditatum remotio, & humectatio corporis internis, & externis ritè, & rectè propoſitis. Quibus adminiſtratis, animi pathemata ſunt removenda iis quæ ſomnum conciliant, & mentem diſtrahunt. Hiſque non juvantibus, quod exoptat illi concedendum eſt. Quare opiatis concilietur ſomnus, utpote theriaca recenti, vel laudano Nepenthes Quercetani, alternis noctibus præſcripto, madefactis poſtea manibus mane aqua ex floribus aurantiorum, & modico croco ſi obſervetur major ſenſuum hebetudo ex opiatis; diſtrahaturque mens ad alias res jocoſas, vel utiliores, vel honorificas, prout inclinat animus: puta ad venationes cum ſodalibus, vel choreas, aut certamina, quæ attentum ſtudium poſtulant, vel tandem ad magnorum Principum miniſteria, ſemper tamen in locis à patria valde remotis; tuncque nuncius ad ipſum tranſmitti poterit de veſte ſacra ab amaſia ſuſcepta, vel de ipſius interitu. Sic enim ſperandum eſt fore ut diſtrahatur animus, formato conceptu ſe non poſſe aſſequi optatum objectum. Hiſque non conferentibus, conjugium tandem debebit cum amata curari, ſi fieri poterit. Ita namque ſanatus fuit Antiochus, unicus Seleuci Regis filius, Stratonicæ novercæ amore captus, quem præ verecundia celabat, ut propterea ad ſummam corporis tabem devenerit, ut refert Valerius Maximus; ſanitatemque obtinuit abſque aliis Medicis præſidiis, ſola amaſiæ fruitione. Quod ſi amatam conſequi non poterit, jungatur ſaltem matrimonio cum alia formoſa juvene amatæ non diſſimili. Siquidem ſi nunc omnium formoſarum juvenem formam deperit, credibile eſt, ſi aliqua venuſta potitus fuerit, fore ut obliviſcatur deſideratæ, atque ita priſtinam ſanitatem recuperet, abſque validioribus præſidiis medicis. Et hæc attingenda duxi. Faxit Deus, ut uſui ſint. *Idem ibidem.*

De Melancholia. Pro Illuſtriſſimo Joſepho Colloredo.

Melancholiam, qua detinetur Illuſtriſſimus Patiens quinque abhinc menſibus, eſſentialem eſſe compertiſſimum eſt, ut cenſeo, cùm ex temperamento cerebri, tum & magis ex occaſione præterita, quæ fuit animi perturbatio: quoniam licet animi pathemata vigeant in corde, excitantur tamen à phantaſmatibus in cerebro hærentibus. Ita tamen eſt eſſentialis, ut ſit etiam communis toti corpori; Sanguinei namque magna ex parte fiunt Melancholici, ex Hippocrate in Epidemiis, ſi præſertim Nobiliſſimus Patiens eſt in ætate conſiſtenti, de qua nil conſtat ex ſcheda. Quod ſi rugitus adſunt, & ptyaliſmus, non ideo ſtatuendum melancholiam hanc eſſe hypochondriacam, cùm hæc accidentia conſequi poſſint cruditates in ventriculo genitas ob diuturnas vigilias, neque adſint alia plura ſymptomata, eorum quæ à Galeno ex Dioclis ſententia relata fuerunt 3. de Loc. Affectis hypochondriacæ familiaria.

Hinc facilè colligi poteſt, cauſas morbificas in affectu præſenti eſſe intemperiem præcalidam jecoris, ob quam adeſt alvi ſtypticitas, & calidam atque ſiccam cerebri, cujus cauſa vigiliæ ſunt contumaciſſimæ.

Quæ intemperies cùm ſint innatæ, difficillimè ſuperari poterunt, & nonniſi ſpatio temporis, hancque ob cauſam medicis præſidiis hactenus ſumma cum ratione præſcriptis nondum ceſſit præſens affectus. Non ob id tamen deſiſtendum eſt, imò acriter pugnandum, præſcribendo remedia attenuantia, digerentia, evacuantia, refrigerantia, & humectantia; à corde, & à cerebro divertentia, & partes prædictas corroborantia.

Quare inter Chirurgica ſicuti ſumma cum ratione fuit ipſi eductus ſanguis ex utroque brachio, ex ſaphena, & ex venis hæmorrhoidalibus; ita ſummopere laudo ſectionem venæ frontis, pro evacuatione ſanguinis vitioſi in cerebro redundantis, & refrigeratione cerebri, ad ſex, & plures uncias. Quod ſi renuerit, aperiantur venæ retro aures utrinque cum hirudinibus, & permittatur fluere, donec ſponte ſiſtatur, niſi fluxerit in majori copia quàm conveniat. Solet namque facile ſiſti evacuatio prædicta, & ſummopere prodeſſe ad ſomnum conciliandum, ut obſervavit Hippocrates in Lib. de Morbis, in curatione doloris iſchiatici familiaris Scythis, ob continuas equitationes. Ubi tamen proponit tranſverſalem venarum ſectionem ad ſiſtendam fluxionem. Frequens quinetiam venarum ſedalium apertio erit ſummopere utilis. Nec minus proderit frequens lotio infernarum partium, cū aqua dulci calida, alterata malvâ, althæa, lapatho, meliloto, & floribus chamæmeli. Melancholicis enim hęmorrhoides, & varices ſupervenientes bonum. In rem quoq; erit inurere duos fonticulos infernis partibus, internæ ſcilicet parti femorum; ipſoſque aliquamdiu apertos detinere. Frequenter apponatur ſincipiti linteolum imbutū oleo de nymphæa, violar. & roſato omphacino, cū ſucco lactucæ, & modico ſucci hyoſcyami: ita tamen ut frequenter removeatur, ne nimis incaleſcat, & applicetur tepidiuſculum.

Inter

Inter pharmaceutica, præter interna, & externa adminiſtrata, laudantur alvum ſubducentia, & ex alto trahentia. In quem uſum extractum hellebori nigri, cum elect. lenitivo erit accommodatiſſimum. Laudatur ſerum lactis caprini partim depuratum cum ſyr. de polypod. compoſit. partim deſtillatum cum emulſionibus ſeminum melonum, tanquam diureticum, & alterans, perſiſtendo in ipſius uſu viginti dies circiter præter conſervas ex violis, & nymphæa, cum confectione alchermes ſine moſcho: præter balneum univerſale Aquæ dulcis ſumma cum ratione antehac adminiſtratum; non omiſſo laudano Nepenthes, vel theriaca recenti. Licet enim hactenus non juverint, omnia tamen ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt ad alia tranſeundum, ſtante eo quod à principio viſum eſt, ex Hippocr. ſententia.

Major ſolicitudo ſit de victu, aëre, dejectionibus, & animi diſtractionibus. Ac proinde frequens ſit uſus cucurbitarum in ferculis, hordei, oryzæ, paſſularum, uvarum montanarum maturarum, carnis vervecinæ, pulli, vituli, avium, & ſimilium, amygd. dulcium, lacticiniorum, & vini oligophori cum exercitio mediocri, & hilaritate. Imò ſi remiſerit rugitus ventris, ut ſpero, ſomno conciliato, non abs re futurum cenſeo, ſi per aliquot dies ſumat ſingulis matutinis horis lac caprillum, vel aſininum quatuor horis ante cibum, cum modico ſaccharo, & fruſtulo panis. Et hæc reſponſi loco eſſe volui Viris doctiſſimis, & in arte verſatiſſimis. Faxit Deus cedant in rem Illuſtriſſimi Patientis. *Idem ibidem.*

De Affectu Melancholico. Pro Illuſtriſſ. Ghiſilieri Bononienſi.

Quemadmodum aliàs ex hiſtoria per literas relata diverſorum ſymptomatum moleſtantium Nobiliſſimum patientem ſuſpicatus fui, non omnes affectus eſſe eſſentiales, ſed quamplures eſſe imaginarios: ita nunc conſpecto patiente ipſo, & conſideratis illis, quæ à Viro Illuſtriſſ. relata ſunt, in eadem opinione obfirmor magis, quod plurimæ ex affectionibus ipſius ſint imaginariæ; ideoque ſtatuendum eſſe patientem Illuſtriſſ. divexari à vaporibus, & ſeroſitatibus melancholicis genitis in jecore præcalido, caput petentibus, & falſas imaginationes menti repræſentantibus, modo linguæ craſſiſſimæ, cùm tamen vix excedat naturæ limites, modo corporis graviſſimi, & immobilis, cùm tamen moveatur, & concitate quidem; modo membri alicujus ſtupidi, brachiorum ſcilicet, naſi, genitalium, crurum, quæ tamen omnia membra ſentiunt: modo crurum concuſſionis, & tumoris, licet ſint immobilia. Atque dum conſulebamus, illi videbatur corpus ad minimam molem redactum, pauloque poſt in tantam longitudinem excreviſſe, ut vertice capitis tangeret trabes cubiculi altiſſimi. Verum quidem eſt, me judice, quod non detinetur melancholico delirio jam facto; quoniam ratione corrigit vitia imaginationis: non ſecus ac vertiginoſi, licet omnia in gyrum moveri putent, non tamen delirant, quia ratione corrigunt vitia illius depravatæ imaginationis.

Horum verò ferè omnium cauſam cenſeo eſſe vapores craſſos, melancholicos, elevatos à maſſa ſanguinea, à prædominio melancholica, propter intemperiem calidam jecoris; quam ob cauſam dejectiones quoque ſunt bilioſæ, urinæ nunc magis coloratæ, & ex fonticulo effluit multa materia, eaque acris, & mordax; aliquos tamen crudiores elevari à ventriculo, hinc etiam incubus, & apparens ſuffocatio, vertiginoſaque affectio ſæpè recurrens; omneſque caput petere à naturæ primordiis malè conformatum, & intemperatum. Quæ ſi vera ſunt, mirum non eſt, quod ex decocto, & ſudore juvamentum non ſuſceperit, & quod affectus hic in dies augeatur; quandoquidem in ætate conſiſtente, qua nunc eſt Nobiliſſ. Patiens, maximè vigent affectus melancholici.

Quos tamen ſpero lethales non futuros, dummodò materia morbifica non irruat cum impetu ad ventriculos, & poroſitates cerebri. In hoc enim caſu magno morbo corripi poſſet: melancholici enim magna ex parte fiunt epileptici, & viciſſim, ex Hippocr.

Pro remiſſione præſentium affectuum, levioribus remediis utendum erit, iiſque continuò ſtatutis temporibus adminiſtratis.

Ac propterea blanda purgatio totius corporis, & nunc, & verno tempore erit præſcribenda, ſanguiſque per hæmorrhoides frequenter educendus; alter fonticulus cruri dextro infrà genu inurendus; frictiones, & lavacra infernarum partium frequenter adminiſtranda, quò ſaltem venæ illæ turgeant, & ſic divertatur evaporatio.

Alvus quinetiam frequenter lubrica ſervanda el. lenitivo, & cremore tartari, ſeu mechoacan pulveriſato in jure, vel infuſione foliorum ſennæ. Præparentur humores ſyrup. de pomis, de ſucco borraginis, de corticibus citri, cum decoct. borraginis, lupulorum, cichorii, meliſſæ & ſem. citri. Purgatio fiet cum infuſione ſennæ, & agarici correctis cinnamomo, infuſis in aqua borraginis addito ſyr. roſ. ſol. & manna. Nec erit præter rem purgare caput maſtiche, vel radicibus fœniculi contuſis. Hiſque peractis, experirer lubens lactis uſum, eligendo lac aſininum ad unc. ſem. cum modico ſacch. & mica panis in ipſo intincta. Licet enim ratione capitis, & flatuum poſſit eſſe ſuſpectum, juvare tamen poterit ad contemperandum calorem jecoris, & bonum ſanguinem regenerandum: propterea ſex au ſeptem dies ſumi poterit, & ſi rugitus in ventre, vel capitis gravitatem non excitaverit, pergendum in ejus uſu, alioque ipſo ſuperſedendum. Poſt uſum ipſius, vel ipſo non conferente, parabitur conſerva ex flor. borrag. cichor. & roriſmarini, cum confect. de hyacintho, modico alchermes, & portiuncula Mithridaticæ confectionis, permixto, ſpiritu terebinthinæ, cujus ſingulis matutinis horis ſumat unciam unam tribus horis ante cibum. Sacculus cordialis apponetur cordi, confricetur totum corpus quolibet mane, antequam ſurgat.

Rectam ſervet victus rationem, omnibus abſtinendo à Galen. 3. de Loc. affectis. deteſtatis. Imperetur exercitium, non tamen vigente auſtro, vel tempore pluvio, & nubilo. Cætera præſcribentur à Viris præclariſſimis, qui ejus curæ præfecti fuerint. *Idem ibidem.*

De Melancholia, & Mania. Pro Illuſtr. Viro Germano.

Proponitur Illuſtriſſ. patiens conſiſtentis ætatis boni habitus, temperamenti ſanguinei ad Melancholicum vergentis, novem ab hinc annis mente non conſtans, cogitabundus, proferens & factitans illa, quæ à mentis compote cogitanda, proferenda, factitandaque non eſſent, longeque minus ab ipſo, alioquin modeſtiſſimo, ſolertiſſimo, & prudentiſſimo Viro. Meticuloſus quinetiam, & taciturnus factus, ſolitudinem expetit, & aliquando in ſemetipſum, conjunctos, & miniſtros inſurgit cum furore, ut propterea vinciri aliquando, & cuſtodiri debuerit; cumque præſens affectus nunquam ſuperari potuerit, quanquam plura, eaque generoſa remedia fuerint hactenus adminiſtrata à Viris præclariſſimis, cùm patriis, tum exteris ejuſdem curæ omni diligentia, omnique ſtudio invigilantibus. Propterea quæritur in præſentia, utrum hic affectus melancholicus aliquando furori junctus fiat à cauſa naturali, nempe ab atra bile, vel à cauſa ſupranaturali, Dæmone ſcilicet corpus obſidente, vel à faſcino; & ſi fit à cauſa naturali, utrum ſit ſanabilis, & quidem per aſſumptionem hellebori albi, vel Antimonii, vel per inuſtionem, ſeu terebrationem cranii, tanquam remedia tuta, ex methodo præſcripta & quæ affectum præſentem debellare poſſint.

Quibus brevibus ſatisfacturus pro virili, omnino determinandum cenſeo, Virum Illuſtriſſimum à Dæmone non eſſe obſeſſum, neque facile mihi perſuadeo ipſum eſſe affectum faſcino, quin potius exiſtimo ipſum detineri melancholia eſſentiali, eaque confirmata: licet non negaverim melancholiam fieri etiam à Dæmone, cum Avicenna, ex Alzaravii ſententia, cui non ſolum aſſentiuntur alii Medicinæ Scriptores, ſed etiam Sancti Patres. Obſervatum tamen eſt, obſeſſos non mentis tantum alienationem, ſed plures alios affectus eodem tempore ſimul complicatos fuiſſe perpeſſos. Accedit, quod rarò perſeverant affectus tam longo temporis ſpatio, ita ut aliquando prorſus ſani non ægri habeantur: præterquam quod Divino cultui valdè reluctantes eſſe ſolent, cui patiens Illuſtriſſ. licet à principio obniti viſus fuerit, attamen in progreſſu illi ita ſe ſubmiſit, ut ſacerdotum monitis obtemperans propria peccata fuerit confeſſus, loca ſanctorum viſitaverit, exorciſmis ſæpius, & diu ſe ſubjecerit, ſanctorum patrum benedictionem lubens admiſerit, Sanctiſſimumque Euchariſtiæ Sacramentum ſumma cum veneratione, atque cum optimis Dei ſervis & Sacerdotibus ſæpius verſatus fuerit. Hæcq; omnia ſicuti antea, ita & nunc pacatè, & abſque reluctatione aliqua peragit: quæ ſanè ab ipſo facta non fuiſſent, ſi verè eſſet obſeſſus à Dæmone.

De faſcino major ſuſpicio eſſe poſſet: non quidem ea cauſa, quod vixerit cum Equite veneficio confecto & mortuo. Faſcinus etenim non eſt affectus contagioſus, per contactum, per vapores, ſeu per ſordidam, & excellentem putredinem, aut veneficam qualitatem communicabilis; quoniam à ſagis & veneficis communicatur, licet ipſæ non ſint venenatæ; cùm tamen contagium omne primo in agente eſſe debeat, deinde ab ipſo alteri per contactum communicari. Veneficium autem licet communicari videatur per contactum, vel per intuitum, vel vocem, vel characteres, figuras, aut alia, attamen re ipſa fit vi Dæmonis, quem ſcilicet obſequentem reddunt venefici, pacto præmiſſo implicito, vel explicito; ut propterea cùm Illuſtr. ipſius genitor ſua ſede ejeciſſet ſacerdotem veneficum id ægre ferentem, cumque hujuſmodi homines viribus impares ad ulciſcendam injuriam ad veneficia confugere ſoleant, cùm contra alicujus dignationis viros, tum contra conjunctos, filioſque præcipuè, non injuria ſuſpicari quis poſſet Illuſtr. patientem veneficio affectum fuiſſe. Neque obſtat, quod non apparuerit vomitus lignorum, clavorum, funium, vel ſimilium. Multipliciter enim faſcinantur homines; aliis namque videntur adempta genitalia, alii fiunt impotentes ad venerem, alii dementantur, & alii alia patiuntur. Cæterum neque huic cauſæ ſubſcribendum cenſeo, cùm quia maleficiis affecti ſolent in dies contabeſcere; Patiens autem Illuſtr. conſervat optimum habitum; tum & magis, quoniam adeſt cauſa manifeſta, quæ fuit origo omnium malorum, inſignis nempe animi perturbatio, æſtuſque ingens, quem perpeſſus eſt in longa peregrinatione, ardente Sirio, per loca æſtuoſa, & celeriter, cui deinde ſucceſſit phrenitis valdè moleſta. Quod ſi à prædictis cauſis ſubortus fuiſſet præſens affectus, inopinatò, & abſque ulla manifeſta cauſa ſupervenire debuiſſet. Propterea ſum & ego in eadem ſententia cum Viris præclariſſimis, & de re medica optimè meritis, quod ſcilicet hoc ſit delirium melancholicum, aliquando etiam ferinum, & aliquando junctum cum motu convulſivo brachii, & pedis ſiniſtri. Sicut enim melancholici ſunt magna ex parte epileptici, ex Hippoc. & Gal. 6. Epid. quod Herculi quoque eveniſſe ſcriptum reliquit Ariſtot. 3. Problematum primo, ad quem affectum proclives ſunt maximè ſanguinei, dum vergunt ad ætatem conſiſtentem; perturbato enim in corpore ſanguine, prorſus quoque intelligentia deperit, ex divino Hippoc. Lib. de Sacro morbo. Nec ſecus in convulſionem, apoplexiam, vel maniam degenerat affectus melancholicus; ideo proditum ab Hipp. 6. Aph. 56. quod morbis melancholicis per hæc tempora ſuſpecti humorum decubitus: vel enim apoplexiam corporis, vel convulſionem, vel maniam, vel cæcitatem denunciant. Neque obſtat quod perfectè noverit muſicales terminos, quodque ludens non decipiatur, ac alia multa peropportuna præſtet. Sæpius namque melancholici decipiuntur circa aliquod objectum particulare, in cæteris peroptimè ſe gerentes. Melancholia autem hæc eſt eſſentialis in cerebro, necnon & per conſenſum à toto venoſo genere, dependens, ab aduſtione ſanguinis, tunc potiſſimum facta, quando poſt laborioſum, æſtuoſum, & longum iter in phrenitidem incidit; ideoque licet receſſerit febris, remiſſo fervore ſanguinis æſtuantis, perſiſtit nihilominus delirium, cum intemperie, & atra bile in cerebro, multiplicem ob cauſam: primo quoniam à naturæ primordiis cùm ex conceptione, tum ex lacte nutricis contraxit habitum ad melancholiam proclivem; ideoque ſuperavit ætatem in prudentia, ſapientia, & aptitudine ad choreas, vel ſaltus, & ad muſicalia inſtrumenta, paratiſſimuſque fuit ad hos affectus melancholicos, prout melancholicis facile evenit ex Ariſt.

ſen-

ſententia 30. Probl. primo, ubi quæſivit, cur homines qui ingenio claruerunt in ſtudiis Philoſophiæ, vel in Rep. adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuiſſe videamus, ita ut etiam vitiis atræ bilis infeſtarentur: ſicut inter Heroas de Hercule proditum, Ajace, Bellerophonte, & aliis. Secundo durat delirium, quoniam ab habitu totius corporis ſatis denſo ad plethoricum vergente ſuggeruntur continuo vapores calidi cerebro. Tertio quoniam ab ipſomet cerebro per continuas meditationes, & vigilias, & varia phantaſmata calidiore reddito, non ſolum allicitur continuò ſanguinis copia, ſed etiam fit novæ materiæ ſuperaſſatio: & quarto quoniam eſt in illa ætate, quæ omnium maxime ferax eſt hujus humoris.

Quare remota quacunque ſuſpicione obſeſſionis à Dæmone, & faſcini, remediis naturalibus, iiſque generoſiſſimis procuranda eſt Patientis Illuſtriſſ. ſanatio: cùm præſertim ab Avicenna proditum ſit, quod etiam melancholia facta à Dæmone fit non ſine humore melancholico, tanquam cauſa ſecundaria.

Difficillimam quidem, ac valde laborioſam provinciam hanc futuram cenſeo, non tamen omninò impoſſibilem. Nam & ætatis declinatio ad frigidius opem aliquam afferet ad furorem compeſcendum. Hic enim morbus inter illos eſt reponendus, de quibus locutus Hippocr. 5. in 6. Epid. 5. dixit: Morbi ſyntrophi ideſt connutritii in ſenecta deſinunt, coctione, ſolutione, & rarefactione; intelligendo per concoctionem, exceſſus contemperationem, quæ fiet per refrigerationem, & per ſolutionem, ſeu reſolutionem ſive inſenſibilem evaporationem.

Tria autem ſunt generoſa remedia, quæ in uſum revocanda proponuntur, ſi opportuna videantur. Antimonium, Helleborus albus, & terebratio cranii: inter quæ ultimum remedium tanquam omnium tutiſſimum, & utiliſſimum præferendum cenſeo, dummodo perita manu adminiſtretur; quandoquidem ſi ulcera ſuperficialia in capite ſuborta melancholicos ſanaſſe, legitur apud Hollerium, Valaſcum de Taranta, & alios Scriptores, quanto majorem utilitatem allaturum ſperare poſſumus ulcus illud, quod cranium penetrat: mihi tamen ſufficiet illa perforatio, quæ pervenit ad meditullium, cum remotione exterioris laminæ cranii, abſque læſione duræ matris, ne cerebrum nimis refrigeretur. Hocque præſtabitur per cauterium propè ſuturam coronalem inuſtum, ferro candente ac ſimul incidente & ad meditullium uſque pervadente, potius quam per veram terebrationem. Dico propè ſuturam, ad vitandam læſionem membranæ per ſuturas erumpentis. Hoc ſi fiat, globuloque cereo conſervetur apertum, quam maximè prodeſſe poterit. Quod ſi eodem tempore excitabuntur ulcera ſuperficialia in duabus aut tribus partibus capitis per uſtionem, & aliquamdiu manantia ſerventur, major adhuc utilitas erit expectanda. Imò præter hæc ulcuſcula, duo quoque veſicantia retro aures appoſita valde proficient: non omiſſis interim lavacris, frictionibus, & ſcarificationibus infernarum partium, ad arcendam fluxionem.

Antimonii uſum nunquam familiarem habui, cùm ex ipſo etiam diligentiſſimè præparato inſignes in ventriculo noxas fuerim expertus; nec peculiari facultate polleat ducendi magis humorem melancholicum, quàm pituitoſum, cujus pituitæ eductio magis effrenes reddit humores calidos; addo quod ferè ſemper evacuat per vomitum, quo frequentius excitato facillimè caput repleri poſſet.

Magis arridebit uſus hellebori albi ab omnibus medicinæ Scriptoribus miris laudibus celebrati in affectibus melancholicis, & maniacis. Ideoque & Galen. fatetur lib. de atra bile, Prœti filias furore percitas ex uſu ipſius ſanatas fuiſſe: niſi tamen per helleborum Melampodium ſeu nigrum helleborum intelligat, & non album, de quo nunc loquimur. Utcunque tamen ſit, ego cenſeo hunc quoque aliquando in uſum revocandum, non tamen in ſubſtantia, prout vidi præſcriptum à Viro Doctiſſimo cuidam maniaco, ad quem inviſendum, me præſente, dum acceſſit die ſubſequenti, invenit ipſum mortuum. Scio quidem ab Hippocrate ſcriptum fuiſſe 2. Aph. 37. quod qui bene ſe habent corpore difficulter ferunt medicationes, & quod helleborus carnes ſanas habentibus convulſionem facit. 4. Aphor. 16. ad quam opportunus eſt Nobiliſſ. Patiens. Sed cùm novem vel decem annorum ſpatio melancholicus fuerit, ſalubritate corporis frui, vel carnes ſanas habere non eſt dicendus. Neque convulſio fit ab helleboro, niſi ob ſuperpurgationem: propterea tutò exhiberi poteſt. Conſultius tamen eſt ipſum exhibere dejectorium, quàm vomitorium. Melancholici enim infra vehementius purgandi ſunt, ex Hippocrate 4. Aphor. 9. moduſque præparationis erit, ut decoquatur in aqua meliſſæ, ad conſumptionem medietatis, & in prædicta colatura decoquantur pruna Damaſcena, & cum flore caſſiæ nuper extractæ, per ſetaceum tranſmittatur, & cum cinnamomo, & ſacch. fiat electuarium, vel infundatur radix ipſius in pulpa cydoniorum; ac deinde ſublatis radicibus exhibeatur cydonium vel infundantur in decocto epithymi Meſ. & cum ſyr. de polypodio compoſito dentur. Sed ante ipſius exhibitionem, humores per triduum ſunt præparandi attenuantibus, & incidentibus; corpuſque humectandum cibis boni ſucci & copioſis, ſomno, quiete, & univerſali corporis inunctione, alvuſque cienda clyſteribus ex oleo, vel ex lacte, & butyro. Corpora cùm quis purgare voluerit, fluida ſunt reddenda. Non deſunt tamen Auctores, qui præferendas cenſeant pilulas ex lapide Armeno, quarum deſcriptionē ab Haly Abbate propoſitam. Quinto ſuæ Theoricæ mutuatus eſt Valaſcus de Taranta tanti ipſas faciens, ut dixerit, omnes per Dei miſericordiam recepiſſe ſanitatem corporis & mentis.

Formula ipſarum hæc eſt ♃. Spec. hier. ſimplicis, epithymi an. drach. vi. caryophyllorum gr. 20. lapidis Armeni, Agarici electi an. ſcrup. iv. ſennæ ℥i. excipiantur Rhodomelite, vel ſucco cydoniorum ſubſtantia contrita, & cribrata; doſiſque ſit à ſcrup. ii. ad ſcrup. iv. ſemel in hebdomada. Illis tamen omnibus ſemper capiti applicitis, quæ humectandi facultate polleant cum moderata caliditate, ut horum beneficio materia hæc pertinax, & refractaria medicamentis ipſis cedere valeat. Propterea fiant lotiones capitis cum aqua malvarum, lapathi, flor. chamæmeli, ſeminibus lini, acantho, & duobus capitibus

caſtrati diligentiſſimè coctis; Inungatur caput oleo amygdalino, chamæmelo, & anining, pinguedine gallinæ & butyro: irrigetur lacte tepido, applicetur omentum caſtrati madefactum in dictis oleis; animalia quoque exenterata calida apposita proderunt. Tandem his omnibus non conferentibus, ad metaſyncritica, & ex alto trahentia deveniendum erit, Extremis enim morbis, extrema remedia. Neque dicat quiſpiam, ex ipſorum uſu cerebro magis calefacto furorem augeri poſſe: Inſaniæ namque inteſtinorum difficultas, hydrops, aut fortior mentis alienatio bonum eſt, ex Hippocratis decreto. Ratio eſt, quia mentis alienatio fortior in antiquo & confirmato delirio ſignificat materiam impactam moveri, atque ita facilius ſuperari poſſe, ut inquit Galen. in commento. Nec omittenda ſunt ea, quæ varices in cruribus excitare valeant: Inſanis enim varices, aut hæmorrhoides ſupervenientes bonum. Et hæc annotanda duxi, ut quæſitis utcunque ſatisfaciam. *Idem ibidem.*

De Melancholia per conſenſum à toto. Pro Nobili Matrona.

Melancholia detineri Nobiliſſ. Matronam, cum adſit in ea timor, & mœror abſque cauſa manifeſta, nemini eſſe dubium poteſt. Quod verò cerebrum in hoc affectu eſſentialiter non laboret, ex eo colligi poteſt, quia non ſemper idem perſeverat affectus, ſed quandoque non ſolum remittat, imò & manifeſtè intermittat, circa veſpertinas potiſſimum horas. Neque etiam veram eſſe melancholiam hypochondriacam à Gal. 3. de Loc. Aff. cap. 7. ex mente Dioclis delineatam, nobis abunde perſuadet, quod nullæ de ptyaliſmo, ac circa pylorum æſtu adſint querelæ: nec etiam ab inæqualiviſcerum naturalium intemperie ortum ducere, cùm nulla de ventriculi inſigni debilitate mentio fiat, præterquam de vomitu huic patienti naturali, ac hæreditario: imo bene appetere, bene concoquere, ac proinde totum corpus bene nutriri referatur.

Quare cum Viro præclariſſimo, non ſine ratione ſtatuendum videretur, ab utero primario, & eſſentialiter læſo pendere; quia tunc primum hic affectus ſe prodidit primò quando undecim abhinc annis à puerperio ſuppreſſa fuere lochia: accedente pluribus abhinc annis menſtruorum imminutione, cùm etiam ſingulis ferè menſibus paulò ante eorum eruptionem recrudeſcant, ac ſeſe manifeſtent hujus affectus melancholici ſymptomata, unde cùm deficientibus menſibus morbi ex utero contingant, idem poſſe in caſu noſtro contingere ipſis imminutè fluentibus exiſtimamus. Quoniam verò cùm morbi ex utero fiunt ipſo eſſentialiter læſo, neceſſariò & ipſum morbo aliquo corripi, cum Gal. com. 57. 2. Sect. Aph. fatendum ſit, nulla tamen de latente aliquo ipſius uteri morbo referantur ſigna, nullaque de eo ſuſpicio ex ſcriptis colligi poſſit, & quia ſolum exacerbatur affectus tribus & quatur diebus ante menſtruorum eruptionem, quo ſcilicet tempore à natura ſit vitioſorum humorum per uterum deinde expurgandorum ſegregatio in venoſo genere, non verò fluentibus menſibus, prout exacerbari deberet, ſi uterus eſſentialiter læſus eſſet; ideo potius nobis conjectandum videtur, melancholiam hanc per conſenſum à toto venoſo genere fieri: nimirum ab humore melancholico in toto venoſo genere contento, cujus facilis in Nobiliſſ. Matrona potuit eſſe proventus, ratione jecoris præcalidi, habitus plethorici, ac ſanguinei, accedente in primis ætate 37. annorum, talis humoris feraci. Hic enim ſanguis fœculentus ac craſſus libere per anguſtas natura ſua uteri venas expurgari cum non poſſit, cauſa eſt imminutionis menſtruorum, à quo elevatis tetris ac malignis vaporibus, varias deinde corporis partes per conſenſum affici neceſſe eſt; caput ſcilicet vigiliis, timore, mœrore, & delirio; cor palpitationibus, lipothymiis, anxietate: ventriculum aliquando inappetentia, & copioſiori vomitu. Non negamus tamen & in hypochondriis, præſertim circa meſenterium, & pancreas, obſtructiones aliquas adeſſe poſſe, cùm copioſorum excrementorum fœtidorum coacervatio in primis viis jam obſervata fuerit, à quorum eductione per clyſteres, ac medicamenta purgantia ſemper melior ſubſecutus eſt vitæ ſtatus. Ab excedente quippe jecoris calore, animi curis, & malignis exhalationibus, ac humoris melãcholici portione ab ipſo liene in ventriculũ effuſa quandoque coctiones perturbari poſſunt. unde & vitioſorum humorum pituitoſorum, ac bilioſorum proventus, & ob eorundem putredinem fœtor.

Qui ſane affectus cùm ab humore melancholico dependeat, qui nonniſi validis cedit medicamẽtis, quæ præter caliditatem excedentem, vim etiam habent nativo calori inimicam, & in tali ætate ac corporis habitu facile generatur, natura quinetiam ad ipſius productionem jam aſſueta, ideo difficillimam fore ipſius curationem patet. Quia tamen vires validæ ſunt, & in præſenti remittere, ac intermittere obſervatur, & ad omnia remedia tentanda patiens parata eſt, nec generoſiora adhuc adminiſtrata ſunt, ſperandum eſt fore, ut congruis adhibitis præſidiis in meliorem vitæ ſtatum tandem redigatur.

Quod ut fiat, corpus univerſum à vitioſis humoribus expurgandum erit, facta diligenti eorumdem præparatione. Uiſcerum ſi quæ aderunt obſtructiones tollendæ, parteſque læſæ corroborandæ, corrigendæque ipſorum intemperies.

Chirurgica præſidia quod attinet, plura in hoc affectu nobis opportuna videntur; inter quæ ſanguinis miſſio, quæ ſanè in hoc affectu obtinebit. Cùm enim habitus ſit plethoricus, vitiumque ſit in venoſo genere, cum imminuta menſtruorum purgatione, copioſam quoque ſanguinis eductionem requiri nemo ibit inficias, & quidem ſectis venis inferioribus, ſcilicet tali, ut & à partibus principalibns revulſio fiat ipſius ſanguinis, & ad uterum ipſum attractio. Quod ſi imminuta menſtrua perſtiterint, tranſactis quinque aut ſex diebus à purgatione, aperiendas hæmorrhoidales venas conſulimus hirudinibus applicitis. Hæc enim venarum reſeratio, præterquam quod melancholicum ſanguinem à liene expurgat, craſſioris etiam portionem in venis circa uterum ſuperſtitem, nec ob ſui craſſitiem expurgatam, evacuare poteſt beneficio anaſtomoſis, quæ inter venas hæmorrhoidales, & eas quæ ad uteri cervicem feruntur intercedit. Er cum Nobiliſſima Matrona ad eam ætatem vergat, in qua naturæ lege menſtrua deficere ſponte ſolent, beneficio talis evacuationis aſſueſcet natura in poſterum vitioſum ac fæculentum ſanguinem illuc tranſmittere, ac deinde

per eas partes expurgare. Quoniam verò non ſolum hæmorrhoides,ſed & varices melancholicis ſupervenientes bonum,ex Hippoc.ideo & ad varices excitandos laudamus frequentes partium infernarum lotiones, ac inunctiones laxantibus factas; & tandem his non conferentibus cauterium femori dextro inuſtum.

Pharmaciam quod attinet,lenienda erit alvus mel.roſ.ſol.ſyr.de polypod.& manna, cum decoct.cord. ſi potionem deſiderabit;ſi vero bolos elect.lenit.cum caſſia.& cremore tartari,Præparatio humorum inſtituetur ſyr.ſine diluto, quò diutius in ventriculo hæreant;in quem uſum ad rem erunt ſyr.de pomis, mel.roſ.ſimplex. ſyr. acetoſus ſimplex.& de borrag.cum emulſ.ſem.citri.Purgatio fiet iis medicamentis, quæ humorem pituitoſum,melancholicum,& bilioſum ſpectent:quare infuſio agar.fol.ſennæ,& rhabarbar. commoda erit in decoct.cord. addito ſyrup. de polypod.& manna,vel ſi bolos optaverit, elect. diacath. cum diaſenna, aut ſimilibus. Quia verò humor melancholicus ſua terreſtri ſubſtantia admodum refractarius eſt, nec fortaſſe ſine obſtructionibus in viſceribus naturalibus, & præcipue in meſenterio,ac pancreate,ideo repetenda humorum præparatio,& evacuatio validioribus medicamentis.Præparationi inſervient ſyr. de pomis compoſ. de fumar. compoſ. de quinque radicibus,aut ſimiles,cum decoct. cichorii, pentaphylli,agrimoniæ, capill.Ven.matricariæ, cetrach cuſcutæ.Alternis diebus loco prædictæ, decoct.uſurpanda erit decoctio epithymi M. ad unc.iiii.à qua purgatio perficienda erit aut confect. Hamech,quæ helleborum nigrum recipit,vel ipſo helleboro infuſo, aut ejuſdem extracto.Pro removendis obſtructionibus,nobis probatur jus galli cum aperientibus radicibus, & herbis temperatis paratum,& 15. aut 20. dierum ſpatio uſurpatum, ſimul cum aliquot chalybis potabilis guttulis, Pro temperando deinde viſcerum calore inter interna,licet alias aquarum acidularum potus adhibitus fuerit, quia tamen certò colligi non poteſt ex ſcriptis harum uſum ipſi profuiſſe, ſed hoc ſolum, tempore eo, facta per clyſteres evacuatione humorum vitioſorum, fœtidorum,ac bilioſorum,in magna copia, ut & exhibito medicamento purgante, ab earum uſu patientem hanc melius ſe habuiſſe;unde dubium ſit,an hoc ad evacuationem humorum prædictorum,an ad aquas aſſumptas referri poſſit;ideo ſuperſedendum ipſis potius judicamus, vel eo nomine,quia cùm exſiccantia omnia in melancholicis ſuſpecta ſint, ſuſpicione non vacat acidularum uſus. Quare à nobis præfertur ſerum caprinum depuratum,modo dejectorium redditum,infuſ.ſennæ, polypodii, aut epithymi; modo diureticum, emulſ. ſem.frigidorum, in cujus uſu 30.aut 40.dierum ſpatio perſiſtendum.Quod ſi ventriculo noxam aliquam inferri poſſe metus ſit,macerata abſinthii coma in ipſo ſero ipſi etiam proſpicietur.

Non omittendæ interim erunt conſervæ caput, jecur,uterum,cor, & ventriculum corroborantes.Quales erunt flor.anthos,borrag. cichorii, matricariæ,viol.cum confectione alchermes ſine moſcho,& confect.hyacinthina.Reliqua verò omnia cordialia, quæ exſiccant nobis ſuſpecta ſunt in hoc affectu, cùm melancholici continua egeant humectatione. Vigiliis interim, ſi & ipſæ urgerent,proſpiciendum erit emulſ.ſeminum papav.& amygd.dulc. Extrinſecus inunctionibus capitis,lotionibus moderate calidis, & humectantibus:& his non conferentibus, philonio ipſo aut laudano Nepenthes ad gr. duo. Non improbamus cor extrinſecus roborantia, ut ungu. roſat.cum ſpeciebus cordialibus temperatis, aquam ex flor.citri cum iiſdem ſpeciebus, aut ſimilia:quemadmodum & jecori refrigerantia externa applicita,ut ung.ſantal.aquas cichorii,endiviæ,aut alia id genus. Temporibus verò calidioribus, balneum aquæ dulcis alteratæ viol. malva,lactuca,ſalicis,& vitis foliis, aliiſque refrigerantibus,plurium dierum ſpatio adminiſtratum,huic Nobiliſſ. Matronæ utile admodum futurum cenſemus;in hac igitur aqua immergi poterit uſque ad umbicum.Alvus lubrica ſervanda erit aliquando clyſteribus à quibus ſuccedit copioſa ſemper humorum vitioſorum evacuatio, aliquando etiam leniente, blandoque medicamento quale inter cætera nobis probatur paratum ex drach.iii.aut ℥. ſem.flor.caſſ. & ſcrup. 1. pilul.ex Aloë.Caſſia enim ſiccitatem aloes corriget,& aloe flatulentam caſſiæ ſubſtantiam, & cùm facultate venas aperiendi prædita ſit aloe, menſtruis etiam,& hæmorrhoidibus ciendis inſerviet,nec non ventriculo corroborando. Vomitum quod attinet,& nos cum Viro præclariſſimo minime ciendum eſſe ſtatuimus validioribus medicamētis ne major ventriculo noxa accedat, & humores vitioſi ad eum promptius ferantur.

Victus his omnibus proportione reſpondeat, qualis à Viro præclariſſimo accurate præſcriptus eſt.Inter cibos piſces non improbamus,dummodo ex præſtantioribus fuerint;vino oligophoro albo potius, ac medicato, herbis refrigerantibus,& iis quæ uterum & reliquas partes læſas reſpiciant,utatur.Veneris abſtinentiam non laudamus.Quæ omnia ut feliciter cedant curandum erit ſummopere, ut animo ſimul cum corpore medeatur ægra nobiliſſima. *Idem ibidem.*

De Melancholia Hypochondriaca, cum principio Hydropis, Ad virum Excellentiſſimum D. Antonium Mariam Monzam, Cremam.

Generoſus patiens poſt varios commiſſos errores in ſex rebus non naturalibus, & præcipuè in aſſumptis, & venere, in varios incidit affectus præter naturam, duoque in præſentia ſunt præcipui, melancholia ſcilicet hypochondriaca, & cachexia, ſeu hydrops incipiens. Melancholiam quidem adeſſe compertum redditur ex illa ſolicita & meticuloſa fatuitate, quam patitur aliquando. Quod verò ſit hypochondriaca conſtat ex rugitibus ventris inferioris, obſtructionibus circa regionem jecoris, alvi ſtipticitate, læſaque ventriculi concoctione, & fluctuatione quadam ventris verſus regionem jecoris, provenientem potius à flatibus, ut reor, quam ab aquoſa ſeu ſeroſa materia ibidem collecta. Quod magis confirmabitur, ſi aderit jecoris incaleſcentia, ſitis & frequens expuitio, de quibus nihil in ſcheda, qua neque conſtare poteſt de ætate, temperamento, & habitu corporis à Viro Excellentiſſimo conſiderandis, ad accuratam magis prædictæ affectionis dignotionem. Addeſſe quinetiam principium hydropis Anaſarcæ dictæ, patet ex intumeſcentia femorum,

& faciei, eaque genita à pituitoſæ materiæ copia congeſtæ in ventriculo frigidiore, & ad prædictas partes confluxæ. Alvi quinetiam ſtipticitas provenit cùm à jecoris fervore, tum à flatuum copia impedientium perfectam inteſtinorum compreſſionem.

Affectus Prædicti in quacumque ætate ſunt curatu difficiles: in primis ſi ætas fuerit conſiſtens, & ad primum ſenium vergens, in qua viget magis humor melancholicus, accedente habitu corporis gracili. Non ob id tamen de ſalute deſperandum, quam niſi perfectam, mediocrem ſaltem ſperare poterit.

Quare ſeroſitas in cruribus, & facie collecta eſt evacuanda; flatus hypochondriaci diſcutiendi. Quod cùm perfici non poſſit, niſi reſerentur obſtructiones, & materia craſſa & viſcida redundans attenuetur, incidatur & evacuetur, viſceraque corroborentur præmiſſa univerſali totius corporis expiatione, idcirco ad remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica confugiendum.

Inter Chirurgica primò occurrit dubium, nunquid prædicto patienti ſanguis ſit educendus, cum hydropis principio. Cæterum ratione affectus melancholici, & obſtructionum, neceſſariam cenſeo aliquam ſanguinis eductionem, primò quidem ex jecoraria dextri brachii, deinde ex venis ſedalibus, niſi adſit aliquod prohibens. Parcè tamen id fiat, pro ſanguinis fluentis qualitate. Si enim craſſus & niger fuerit permittendum ut effluat ad ℥. vii. circiter ſingulis vicibus, ſin minus ſtatim ſiſtenda eſt evacuatio. Fonticulus quoque in dextro interno femore probaretur ratione melancholiæ, quando non prohiberetur ab intumeſcentia crurum. In quo caſu ſuſpecta maximè erit quælibet ſanguinis detractio.

Pharmaceutica ſint lenientia, quæ detergendi, & flatus diſcutiendi vim habeant. Propterea hiera picra Galeni cum ele. lenitivo, & modico Zalappæ, erit oportuniſſima. Syr. præparantes ſint primò ſine diluto: quales erunt ſyr. de betonica, de corticibus citri, oxymel ſimplex, & mel roſ. ſimpl. mox ad purgationem, eamque mediocrem deveniendum erit, cum agarico, rhabarbaro, & foliis ſennæ. Repetenda deinde humorum præparatio cum ſyr. de quinque radicibus, oxymel. ſimplici, & ſyr. de pomis compoſito, addita decoctione cichorii, borraginis, agrimoniæ, cetrach, & ſimili, cum repetita poſtmodum purgatione corporis. Quibus peractis, cenſerem repetendam aquam Tetutianam, quo nomine quidem ad corroborandas partes affectas non multum juvat, ſed potius ad majorem materiæ pituitoſæ deterſionem, & evacuationem. Propterea poſtquam quatuor dies biberit aquam propoſitam, deveniendum erit ad jus galli trium, vel quatuor annorum, ſumma cum ratione commendatum à Viro excellentis. qui ad nos ſcripſit: flagellabitur, exenterabitur, modico ſale condietur, & decoquetur cum radice chinæ, lentiſco, & modico ſaſſafras, cum herbis aperientibus, nempe cetrach, agrimonia, lupulis, fœniculo & modico cichorii. Quod jus exhiberi poterit cum chalybe potabili, & ſucco abſinthii depurato, pro corroboratione jecoris: atque poſt aliquot dies præmittetur bolus confectus ex trochiſcis de rhabarb. de capparibus, & ſucco cichorii, perſiſtendo in ipſius uſu per 40. dies circiter: & tertia aut quarta quaque die infundetur rhabarbari drach. i. cum ſenna, & polypodio: & ex fæce prædicti juris cum oleo chamæm. & melle roſſ. ſolutivo parabitur clyſter. Extrinſecus quinetiam foveri debet ventriculus fomento parato ex vino albo montano, in quo ebullierint mentha, abſinthium, calamentum, pulegium, & origanum: fietque inunctio oleo de mentha, maſtichino, & abſinthite, vel urgente neceſſitate fiat ſtillicidium ſupra ventriculum, ex oleo maſtichino, de mentha, de abſinthio, nardino & oleo communi, cum vino generoſo, maſtiche, mentha, & abſinthio. Pro cujus majori corroboratione præſcribi poterit vinum abſinthites & ex rore marino infuſo. Ex quo ſumat ſingulis matutinis horis modicum cum buccella panis intincta. Cui ſi præmiſerit infra ſcriptam rotulam, ſummopere erit juvamento. ℞. Olei diſtillati aniſorum ex toto citro an. ſcrup. ſem. trochiſcorum de Gall. moſch. ſcrup. unum. ſacchari optimi. ℥. iii.

Cum aqua ex floribus citri, vel aurantiorum f. rotulæ ad ignem. Aqua pariter vitæ parata cum cinnamomo, & modico ſaccharo erit aliquando ex uſu: non omiſſis iis quæ cor ipſum roborent, & cerebrum. In quam rem erit conſerva ex flor. Roris marini, flor. borraginis, cum confectione Alchermes.

Victus ſit proportione reſpondens. Fugiat omnia flatulenta, & craſſi ſucci, difficiliſque coctionis à Viro præclariſſimo præſcribenda. Et hæc præponenda duxi. Faxit Deus ut ex voto ſuccedant. *Idem ibidem.*

De Melancholia Hypochondriaca, pro Illuſtriſſimo Comite Ioan. Baptiſta Albano Bergomenſi.

Uir Illuſtriſſimus vergens ad ætatem conſiſtentem, jecore præcalido, & ventriculo frigidiore donatus, à multo tempore conqueritur de rugitu, tenſioneque hypochondriorum cum tarda concoctione, frequenti expuitione, & mœrore adeo gravi, ut non raro ſolitudinem deſideret, ſæpeque palpitationem cordis patiatur, & aliquando levem quandam lipothymiam. Ex quibus omnibus facile eſt colligere ipſum melancholia hypochondriaca detineri, ab inæquali prædictorum viſcerum intemperie: quam ob cauſam fit magnus proventus humorum craſſorum, pituitoſorum, & melancholicorum circa meſenterium, non rarò phlogoſin in illis inducentium: unde fit ut & arteria aorta circa umbilicum evidenter pulſet, prout à divino Hipp. ſcriptum fuit. Primo in tertium Epid. 29. his verbis: Hypochondrium dolebat, & ad umbilicum perpetua palpitatio. Ab his deinde humoribus elevantur vapores craſſi, qui in cor exhalantes ejus palpitationem producunt, quemadmodum ex facili ſpirituum diſſolutione fit lipothymia.

Affectus ſane ſui natura ſanatu difficillimus, & longe magis in nobiliſſimo patiente, cùm ratione habitus corporis, tum ratione ætatis ad præſentem affectum valde proclivi. Qui tamen beneficio medicorum præſidiorum miteſcere ita poterit, ut progreſſu temporis divina ope omninò ſuperari valeat.

Quare agendum eſt: & præmiſſa univerſali totius corporis expiatione præparandi, & purgandi erunt humores heterogenei, obſtructionum cauſæ, corrigendaque eſt inæqualis intemperies propoſita per ea, quæ jecoris fervorem compeſcere, & ventriculi imbecillitati occurrere poſſint, non omiſſis cardiacis pro corroboratione calidi innati cordis.

Chirurgica itaque remedia quod ſpectat, neceſſarium erit per vices ſanguinem educere, primo quidem ex jecoraria dextri brachii, habita ratione fervoris jecoris: mox ex interna ſiniſtri brachii, Fernelii ſententiâ ratione palpitationis. Parcè tamen utraque, ne labaſcant vires. Tandemque ex hæmorrhoidibus, perſiſtendo in uſu à prudentiſſimis Viris præſcripto, ut ſcil. ſingulis menſibus aperiantur venæ ſedales, vel eâ cauſâ quoniam Comes Illuſtriſſ. abhorret quam maximè à cauteriorum uſu, alioqui præſentis auxilii. Quod ſi temporis progreſſu palpitatio ſæpe recurreret, applicabuntur cucurbitulæ dorſo, & lumbis, ex Rhaſis conſilio, prout laudantur lotiones infernarum partium.

Inter Pharmaceutica locum habent Lenientia ipſi familiaria, cum de aliqua ventris ſtipticitate conqueratur. Ideoque parari poterit electuarium polychreſtum confectum ex paſſulis, & prunis, decoctis in infuſione roſarũ ſolutiva, cum ſenna, & poſtea per ſetaceum tranſmiſſis, addito flore caſſiæ rec. extractæ cum cremore tartari, & trochiſcis de gallia moſchata. Nec diſpliceret conſerva ex floribus perſici, roridis, & cum ſaccharo decoctis, Præparabuntur humores ſyrup. de pomis, de ſucco borraginis, acetoſo ſimplici, cum decoctione proportionata: qui deinde purgabuntur electuario diaphœnico, confect. hamech, cum elect. lenitivo. Repetetur deinde eorundem præparatio, & purgatio: propterea illa fiet decocto epithymi Meſ. alternis diebus cum ſyr. compoſitis: hæc verò cum infuſ. rhabarbari & agarici in decoct. cordiali, addito ſyr. de polyp. compoſ. & manna. A quibus duo præcipua remedia poterunt adminiſtrari. Primum erit jus galli anniculi, paratum cum lentiſco, tamariſco, & radice chinæ, & modico ſaſſafras, additis ſeminibus odoratis, fœniculi, ſem. aniſorum, ocymi caryophillati, & cichoraceis: cujus ſumet ſingulis diebus unc. quinque cum drachma ſemis conf. alkhermes. Quod ſi flatus moleſti fuerint, inſtillari poterunt quatuor, vel quinque guttulæ extracti ex toto citro, vel olei aniſorum deſtillati, cujus uſus erit 20. dies circiter. Alterum erit ſerum lactis caprini optime depuratum, exhibitum alternis vicibus, ut dejectorium, cum decocto epithymi Meſues, & diebus intermediis tanquam diureticum cum emulſ. ſem. mel. & ſpiritu vitrioli 15. dies circiter. Et hæc ſunt interna potiora, præter conſervas cordiales ex flor. roriſmarini; borraginis & meliſſæ, cum confect. de Hiacintho, & Alchermes. Exterius proderit ſtillicidium ex oleis ſtomachicis ventriculo affuſum, & ſacculus ex floribus, & ſpeciebus cordialibus cordi applicitus; æſtivo tempore balneum Aquæ dulcis.

Victus ſit boni ſucci, faciliſque coctionis, conceſſo vino albo oligophoro ſubdulci, ſervata hac lege, ut tempeſtivè ſumat aliquam poriunculam panis intinctam vino Cretico, ad roborandum os ventriculi: ne adeo præceps ſit in lipothymiam, prout diebus præteritis accidit. Et hæc Viris doctiſſimis proponenda duxi, ut potiora ab ipſis in uſum revocentur tempore, & loco opportunis. *Idem ibidem.*

De Melancholicis raris Affectibus, pro Nobili Forojulienſi.

Dum perilluſtris patientis temperamentum, vitam anteactam, corporis habitum, ætatem, præteritaſque animi perturbationes expendo, cum ſyndrome malorum, de quibus & antehac, & in præſentia conqueritur, non poſſum non in eam devenire ſententiam, omnes ferè affectus, cùm præſentes, tùm præteritos, melancholicos eſſe. Palpitatio enim cordis, & aliquando aliarum partium, animi deliquium, vigiliæ, rugitus ventris, hypochondriorum, & meſeræi obſtructiones, phlogoſes quædam circa jecur, quandoque moleſtæ, nonniſi ab humore & vapore melancholico produci facilè poſſunt: ſi præſertim naturalem corporis conſtitutionem, præteritas curas, & ſolicitudines attentiùs expendamus.

Imo ut liberè dicam quod ſentio, in eâ ſum opinione, convulſionem illam quam alias paſſus eſt, & infernarum partium paralyſin ſubſecutam poſt caſum ex equo, aliunde non provenire, quā ex vaporibus melancholicis ad partes affectas pervadentibus, & ex receſſu ſpirituum ad interiora, propter terrorem ipſi incuſſum: ut propterea perilluſtri Patienti contigiſſe cenſeam id, quod ab Hipp. pronunciatum fuit 7. Aph. 40. quum dixit. Si derepente lingua fit incontinens, aut aliqua pars corporis attonita ſtupeat, eſt ſignum melancholicum. Qui enim nobilis patiens derepente fere paralyſi corripi potuiſſet, & tam cito motum ipſum recuperare, ſi à pituitoſa materia ad nervos decumbente paralyſis ortum habuiſſet? Pituita enim ſuo lentore non tam cito illabitur, nec adeo facile digeritur. Inficias tamen non ibo, quod aliqua portio ſeroſitatis pituitoſæ, ab humidiori cerebro, & ventriculo affluens nervos irrigaverit, & eam imbecillitatē foverit, vel eo nomine, quod omnium maximè ſcateat aq. in melancholicis, propter labefactationem calidi innati: quam ob cauſam Hip. melancholicum humorem Aquam vocavit. Si ergo hæc ita ſe habent, ut mihi perſuadeo, facile eſt etiam rationem reddere, cur ſæpe crura ſint frigida, ſentiatque nobilis patiens vaporem quendam frigidum permeare varias partes ſentientes. Ab humore enim hoc fæculento frigido, & terreſtri non rarò elevatur aura quædam frigida, pervadens partes muſculoſas, quæ apta eſt univerſales quaſdam concuſſiones aliquando excitare. Et hæc breviter his temporis anguſtiis, de prædictis affectibus Viris ſapientiſſimis ſignificanda cenſeo.

A quibus non diffido liberatum iri, ſi medicis præſidiis recta victus ratio accedat.

Ut autem fiat voti compos, quinque ſunt agenda. Præmiſſa totius corporis evacuatione; reſerandæ obſtructiones, vapores & ſeroſitates digerendæ & evacuandæ; ventricul. roborandus, caput quodammodo exſiccandum, digerendaque materia, ſi quæ hæret in nervoſis partibus, cum corroboratione cordis, & partium malè affe-

affectarum. Idque præſtandum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Chirurgica quod attinet, aliqua ſanguinis evacuatio eſt neceſſaria, cùm talis humor non ſolum hæreat circa viſcera naturalia, ſed etiam in venoſo genere. Parcè tamen, & per vices educendus, primò ex jecoraria dextri brachii, deinde ex venis ſedalibus, & quidem ſemel in menſe ex his ad quinque uncias ſcilicet, ut ſi fieri poſſit aſſueſcat natura huic evacuationi: Fonticulos inuſtos geſtet: apprime enim profuturos cenſeo. Nec de aliis Chirurgicis remediis cogitarem in hac corporis gracilitate.

Inter Pharmaceutica placent blanda lenientia. Validiora enim purgantia vires proſternunt. Propterea probatur uſus ſyr de polypod. compoſ. & roſ.ſol. & in familiari uſu habere poterit duas aut tres uncias ſucci abſinthii Romani depurati, cum jure. Leniet enim alvum, ventriculum roborabit, nec officiet jecori. Præparentur humores ſyr.de pomis,de corti cibus citri,& de ſucco borraginis cum decoct.graminis, capill.ven.pentaphylli,cichorii,cuſcutæ,& ſemin. citri:& poſt ſimplicem humorum preparationem preſcribantur magis aperientes, ut puta ſyr.byzantinus cum aceto, cum ſyr de pomis cōpoſ.& Sabor Regis,cum decoct.cetrah, tamariſci,malvarum, cuſcutæ, capill. ven.& liquiritiæ: ac repetatur purgatio medicamentis ſupra poſitis, aut ſimilibus A quibus placet quam maxime uſus Aquæ Montis Falconis potu, & immerſione corporis; ſiquidem ſpero inde validam ventriculi, & primarum viarum deterſionem, obſtructionum reſerationem, ventriculi corroborationem atque ſeroſitatum & flatuum reſolutionem. Neque metus, ut eſtimo, ab ipſarum caliditate ratione jecoris, aut exſiccatione, ratione gracilitatis corporis. Epotæ enim cum feliciter effluant per alvum, ſi ſumantur cum vehiculo, ut fieri ſolet, quod & conſulo, non permeabunt in jecur, & venas: & ſic calefacere non poterunt; neque plus ſatis exſiccare, quia non morantur in corpore. Immerſionem quoque corporis in iiſdem aquis profuturam mihi perſuadeo, ad reſolvendas ſeroſitates, materiaſque ad nervos confluxas,& roborandas partes affectas. Neque hinc inſignis ſequetur corporis exſiccatio. Intrinſecus ſumi poterunt quinque dies; exterius verò immerſio fiet alternis diebus, octo vicibus circiter. Interim die intermedio inungendum erit corpus oleo chamemæl. lubricato, quod humectabit & digeret vapores, & flatus in ambitu corporis concluſos. His aſſumptis, placet uſus blandi decocti radicis chinæ, tamariſci, & lentiſci,cum carne pulli,vel vituli, cujus uſu per octiduum repetatur electuarium ex chalybe Saxonianum Patavii paratum: ac deinde alio tempore, præmiſſo bolo ex terebinthina laricina,tanquam minus calida, cum cichoraceis.

Victu utatur congruo,non exſiccante:moxque experietur lac caprillum,ſummo mane ſumptum plures dies. Ac tandem per plures hebdomadas, & menſes utetur ſucco cichorii depurato, cum modico ſucci abſinthii in jure carnis ad temperandum jecoris fervorem, & imbecillitatem ventriculi. *Idem ibidem.*

De Doloribus Hypochondriacis, & Hernia, pro Sereniſſimo Cardinali Farneſio.

Ex relatis à Viro Præclariſſimo, & in Arte verſatiſſimo, conſtat duas eſſe partes affectas in Principe Sereniſſimo S.R.E. Cardinali Farneſio, inteſtina ſcilicet, & ſiniſtrum teſticulum: inteſtinorumque affectionem eſſe dolorem vagum, modò dextrum, modò ſiniſtrum ilium infeſtantem, aliquando in medio ventre, lumbis, aliiſve partibus corripientem, tribus abhinc menſibus ſubortum, quo tempore ſupervenit quoque tumor in ſiniſtro teſticulo ad ovi gallinacei magnitudinē adauctus, concolor, indolens, niſi fluxio accedat, cui nunc acceſſit major intumeſcentia muſculi ſuſpenſorii, & membranarum ipſius, ob quam Sereniſſimus P. cum difficultate movetur.

Horum omnium cauſam in diſtillationem à capite pituitæ tenuis, aquoſæ, & inſipidæ in ſubjectas partes non immeritò referendam eſſe ſtatuit Vir doctiſſimus, iis potiſſimum rationibus adductus; quod hæreditariæ deſtillationi ſi obnoxius, quod ab aeris inclementia caput intemperiem frigidiorem, & humidiorem contraxerit, atque ab aliquot annis ptyaliſmum patiatur, ſuccorumque crudorum proventus ad caput præcipuè referatur: ac tandem quod hoc ſit pituitæ metropolis. Hinc itaque facilè fieri poteſt confluxus aquoſæ materiæ, cùm ad fauces, ubi ſcreatum; tum ad palatum, ubi ptyaliſmum; tum ad venas, ubi febriculam lentam præteritam: tum ad ventriculum, & inteſtina, ubi dolores: tum & tandem ad teſticulum, ubi tumorem produxit: quæ ſanè omnia peroptimè determinata cenſeo. Vereor nihilominus, ut fluxio hæc ad prædictos affectus producendos primas partes non obtineat. Sereniſſimus enim Princeps caput habet ita calidum,ut hoc nomine ſuppreſſus fuerit ſudor: actioneſque principes vigent maximè, ut propterea tantam pituitæ copiam coacervare non poſſit, nec ipſam in ventriculum detrudere abſque inſigni inappetentia, & aſitia, de quibus nullæ querelæ. Immò ſcribunt, Sereniſſimum P. optimè appetere, & concoquere; difficiliuſque eandem ad venas tranſmittere potuit, in quibus febriculam præteritam excitaverit. Addo quod ægrè admodum ſeroſitates iſtæ in teſticulum à capite confluere poſſunt, cùm præſertim nullæ præceſſerunt querelæ de ejus gravitate, neque ad alias externas partes fluxerit fluxioni longè opportuniores venis ipſis, vel teſticulis. Ideoque in eam devenio ſententiam, quod ad prædictos dolores, aliaſque præteritas affectiones producendas, quam maximè faciat calor immodicus jecoris, & venoſi generis,non quidem per ſolas evaporationes in caput, ſed potiſſimùm per labefactationem aliquam calidi innati ventriculi, atque attractionem chyli non confecti, & crudioris in meſenterium, prout in hypochondriaca fieri ſæpius ſcriptum paſſim reliquit Galenus. Licet enim me quoque judice præſens affectus hypochondriaca Dioclis dicendus non ſit, plurimis tamen ſymptomatibus hypochondriacis ſimilibus ſtipatur. Rugitus enim ille dolorque vagus flatuum copiam denotant,non in ſolis inteſtinis conterorum:inde namque clyſterum beneficio tandem

excluſi fuiſſent ; ſed in meſenterii duplicatura concluſorum,exitum non habentium. Ptyaliſmus pariter non à ſola fluxione à capite , ſed potiſſimùm à ſeroſa & aquoſa humiditate in ventriculo genita provenire poteſt,ut optimè nos docet Galenus Secundo in Pr. Prorrh.tex.com.30. ubi reddens rationem,cur dixerit Autor, ſi in phrenitide cum perfrigeratione ſit expuitio , nigra revomuntur: dixit hoc fieri, quia vomituris os ipſum ſputo tenui redundare videtur , propter tunicæ communionem,quæ ori toti interno,faucibus,ſtomacho,& ventriculo continua eſt, non alia ratione quam in phrenitide,quæ ſiccus morbus eſt,in qua lingua ſæpius ſicciſſima eſt,redundare in ore ipſo videtur tenuis humiditas: febricula pariter præterita facilius hinc provenire potuit, prout & teſticuli intumeſcentia. Neque dicat quis,in caſu noſtro nullam adeſſe imbecillitatem caloris nativi ventriculi, cùm vigeat appetitus & concoctio; neque caloris exceſſum in jecore,cùm bene nutriatur Princeps Seren. Imbecillitas enim ventriculi non eſt intemperies morboſa,ac propterea cum ipſa jungi poteſt expuitio liquida & aquoſa. Sputa enim liquida , & tenuia mediocrem coctionem ſignificant , ex Galeno 2. in 6. Epid. jecoriſque caliditas excedens innoteſcit ex nocumento recepto ab uſu clyſterum acrium,de quo ad nos. Quare in eam devenio ſententiam,ptyaliſmum, & dolores, ut plurimùm cauſam agnoſcere jecoris caliditatē. Tumor autem ille teſticuli inter hernias referri poteſt, non quidem legitimas ex prolapſu inteſtini,vel omenti; ſed ſpurias genitas vel à flatu, quas flatulentas,& pneumatocelem vocant: vel ab humore lento,aut aquoſo, quas hydrocelen; vel à carne ſupergenita,quas ſarcocelen; vel ab intumeſcentia venarum ad inſtar varicum, quas cirſocelen nuncupant. In caſu autem præſenti,ab humore lento confluxo forſan provenit, ac propterea hydrocele erit : ſi tamen pellucidus , & tranſparens fuerit tumor, in quo caſu , non alio ingenio citius & melius curaretur, quam perforatione. Solet quinetiam aliquando hic tumor ſubſequi gonorrhœam non perfectè expurgatam, quod in caſu præſenti non accidit, cum hac de re in conſultatione nulla fiat mentio. Propterea ſtatuendum eſt ipſum quoque provenire à fluxione materiæ pituitoſæ,lentæ.

Atque hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum annotanda duxi; quos ſanè non adeò facilè ſuperatum iri autumo, cum hactenus multa fuerint adhibita medica præſidia nullo ſucceſſu. Accedit prognoſticum Hippocratis 4. Aphor. dicentis: Quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, lumborum dolor, qui neque medicamento , neque aliter ſolvatur, in ſiccum hydropem firmatur. A quo tamen Sereniſſimum Principem præſervatum iri ſperare debemus , cùm nondum habitualis ſit intemperies, & à Viris Clariſſimis peropportuna remedia ſint propoſita.

Agendum igitur , & ratione materiæ fluentis, utendum eſt revellentibus, & intercipientibus, ratione materiæ fluxæ, derivantibus, ſenſibiliterque , & inſenſibiliter evacuantibus; præmiſſa humorum craſſorum attenuatione, inciſione, & deterſione, quibus tolletur etiam obſtructio, ſi quæ eſt in meſenterio; ratione flatuum diſcutientibus , & urgente dolore, anodynis ;cautiſſimè procedendo in narcoticis, ne præſens affectus degeneret in paralyſim, in quam non rarò deſinere vidi. Tandemque jecoris fervor contemperandus,caput exſiccandum, & ventriculus , ac inteſtina ſubaſtringentibus roboranda ſunt.

Pro Revulſione, & interceptione , proderit apertio venarum ſedalium , cùm jam eductus ſit ſanguis ex jecoraria; longèque magis fonticulus partibus infernis inuſtus, ſervata rectitudine cum jecore, & contrarietate à ſiniſtra ad dextram partem, ratione tumoris teſticuli : nec minus in brachio ex uſu erit pro derivatione. Frictiones quoque ſcapularum, brachiorum, & infernarum partium utiles cenſeo , cùm pro revulſione, tum pro derivatione, ſuperſedendo validioribus attrahentibus ſupernis partibus adhibitis.

De Pharmaceuticis remediis toti corpori conſulentibus , cùm præparantibus, tum purgantibus nihil dicam , cùm jam hactenus fuerint adminiſtrata. Aquam Tetutianam,tanquam apprimè utilem non omittendam cenſerem. Nec à blandis errhinis deſiſtendum erit , pro peculiari capitis expurgatione. Interim duo genera remediorum quam maximè profutura ſpero; jus galli ſcilicet junioris ſaliti, paratum cum radice chinæ, ſeminibus carthami, fœniculi, aniſorum, & quatuor frigidis majoribus cum agrimonia, gramine, fumaria, & cichorio : cujus ſumat P.Sereniſſimus unc.5. cum unc. ij. ſucci cichorii optimè depurati, & drach.1. cremoris tartari, inſtillatis quinque, aut ſex guttulis chalybis potabilis, præmiſſo bolo ex drach. 1. terebinthiuæ laricinæ, ſeu Venetæ, tanquam magis temperatæ Cypria ipſa , horam quieſcendo, ac deinde corpus exercendo, ſi per vires liceat, non omiſſis interim clyſteribus carminativis , & deterſoriis conſuetis. Aliud erit ad jecoris refrigerationem, capitis exſiccationem , & inteſtinorum roborationem; nempe decoctum ex ſantalis citrinis, & ligno viſci quercini , cum ſucco cichorii optime depurato , in quo extrahatur tinctura roſarum Damaſcenarum cum ſucco limonum; in cujus pariter uſu aliquandiù perſiſtere poterit;adminiſtratis interim pulveribus exſiccantibus capillis inſperſis , pro exſiccatione capitis, epithematibus refrigerantibus ratione jecoris, & anodynis,ratione doloris ; hypochondriaque tenſa inungenda ſunt ſemine lini,aqua , & oleo , propoſitis tertio Acutorum. Ac tandem urgente neceſſitate ratione doloris , ventri apponetur linteum,aquæ frigidæ immerſum , & expreſſum; quo unico remedio vidi ſublatos dolores acutiſſimos;& audivi uſum fuiſſe Sereniſs. Ranutium glorioſiſſimæ memoriæ, ſumma cum felicitate; prout etiam laudo ceratum de Althæa cum mercurio,ad reſolvendum tumorem teſticuli, ſi fieri poſſit. Quod ſi inſenſibiliter non reſolvetur, ad validiora deveniendum erit,in quo caſu facta inciſione in parte molliori, putrefacienda erit, & conſumenda materia impacta;ac deindé ſarcoticis,& epuloticis conſolidanda eſt pars affecta.

Victu interim congruo præſcripto. Et hæc annotanda duxi,in confirmationem eorum, quæ in ſcheda ad nos tranſmiſſa fuerunt propoſita à Præclariſſimo Viro,in arte verſatiſſimo Liberato de Liberatis. *Idem ibidem.*

De Melancholia Hypochondriaca, Motibus convulſivis, cibum, ſomnum, & loquelam impedientibus, pro Nobiliſſi. Achillino Bononienſi.

Nobiliſſimus, & eruditiſſimus patricius ſeptuagenarius, jecore, & renibus præcalidis, cum venarũ anguſtia, urinis copioſis, aquoſis, ſplendidis, & fæcibus bilioſis, atque atrabiliaribus, Melancholia hypochondriaca quadragenaria detinetur, cui duodecim abhinc annis acceſſit dolor acutiſſimus, pungitivus, totam partem dextram faciei ita afficiens, ut cibum, ſomnum, & loquelam ſæpe impediat, capitiſque, & colli gravitatem, viſus obſcuritatem, nebularum volitantium imagines, brachiorumque convulſionem non rarò inferat. Pro quorum affectuum curatione licet à Viris Excellentiſſimis varia medica præſidia fuerint præſcripta, non tamen removeri potuerunt. Propterea de agendis conſulit.

Quod ut ex methodo fiat, præſupponendum eſt tanquam manifeſtum & indubitatum, jecoris fervorem in hac quoque ætate excedentem eſſe principalem omnium prædictorum ſymptomatum cauſam. Hinc enim fit multa congeries humorum calidorum bilioſorum, & atrabiliarium in excretis obſervatorum, & cum juvamento per alvum evacuatorum, qui in meſenterio detenti, in quo tenſiones adeſſe ſcribitur, & neceſſariò ſupponendæ ſunt obſtructiones cùm ex antiqua hypochondriaca, tum ex urinarum tenuitate, & ſplendore, & propterea non ventilati, exhalant in caput, atque melancholiam, obtenebrando ſpiritus animales, viſus obſcuritatem, & nebulas volitantes producunt, caputque magis ac magis calefacientes, pituitam liquant ſalſamque reddunt per admixtionem ſeroſitatis bilioſæ; quæ poſtea copia peccans, capitis & colli gravitatem infert, acrimoniaque & ſalſedine mordicans, ac vellicans varias propagines nervorum, & præſertim ramum tertiæ conjugationis, qui à cerebro emanans in dextram partem linguæ inſeritur, guſtuique inſervit, motum convulſivum efficit in brachiis, lingua, & pluribus partibus faciei. Nervus etenim prædictus, antequam ſeſe inſinuet in linguæ tunicam, plures de ſe promit ſurculos, quorum alii in quoſdam oculorum, & frontis muſculos, alii in muſculos faciei, & temporum, alii ad narium tunicam, & radices dentium ſe diffundunt, ſicque dolor acutiſſimus in prædictis partibus percipitur tam atrox, ut cibum, ſomnum, & loquelam ſæpe impediat, cum motu convulſivo prædictarum partium contumaciſſimo, & refractario; qualem & ego ante aliquot annos vidi, & curavi in nobili Matrona Cremonenſi. Et hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum.

Quos quam difficile ſit extirpare facilè confirmari poteſt ex ipſorum diuturnitate, cùm Melancholia quadragenaria detineatur, atque cæteri affectus duodecim annis divexent patientem, ac proinde ſint jam ferè in habitum converſi, nec in hoc ultimo ſenio demulceantur, quo etiam morbi connutriti deſinere ſolent Hipp. teſtimonio: dum præſertim dependent à cauſa calida, quæ in ætate ſenili remittere ſolet. Quod minus ſperandum, quia, tres illi modi, quibus ſolvi deberent, ab Hippocrate propoſiti 5. in 6. Epid. 6. dum loquitur de morbis connutritis, & ſunt, concoctio, ſolutio, & rarefactio, vel in caſu præſenti locum non habent, vel huculque fuerunt tentati. Rarefactio namque ſeu meatuum dilatatio fieri non poteſt, cùm venas habeat exiles; evacuatio etiam ſæpius tentata fuit, ſanguine miſſo ex brachiis, Aure, Arteria temporali, hæmorrhoidibus, manu, & pede abſque ullo beneficio. Nec ſolum ſanguinis eductione, ſed etiam purgatione, & decocto guajaci, & chinæ in caſſum uſus fuit: imò Medicus quidam tentavit ichores educere per aurem, immiſſa aqua quadam ex gummi confecta, & ea quidem valde inſenſa, propter inflammationem excitatam in aure, a qua licet ichor quidam flavus effluxerit ſpatio menſis, dolor tamen punctorius non ceſſavit, tinnituſque & ſtrepitus moleſtiſſimus nihilominus perſtitit, cum dolore ſomnum turbante.

His tamen non obſtantibus, deſiſtendum non cenſeo à medicis præſidiis, quæ eò colliment, ut humorum acrimoniam temperent, jecoris fervorem compeſcant, fluxionem intercipiant, & partem recipientem corroborent, ac ſubadſtringant, illam nempe nervorum propaginem, quæ diffunditur per plures partes faciei, & brachia. Hiſque intentionibus ſatisfaciendum eſt remediis ex Pharmacia, & Chirurgia deſumptis. Quæ enim medicamenta non ſanant, ſanat ferrum: quæ ferrum non ſanat, ſanat ignis: quod ſi neque ignis ſanat, ſunt inſanabilia, ex Hippocr.

Quare inter pharmaceutica, tria, me judice, locum habere poſſunt; primum erit alvum continuò lubricam ſervare purgantibus, etiam generoſis præſcriptis, nempe extracto hellebori nigri, trochiſcis alhandal, & fl. caſſiæ, recèns extractæ, in pauca quantitate ſumptis, & ſæpius repetitis, ſuperbibito ſero lactis caprini depurato ad libras duas circiter; & aliquandò paratis clyſteribus acribus ex decoct. colocynthidis, centaurii, betæ, & ſimilibus cum el. diaphœnico, & oleo amygda. dulcium. Secundum erit lac aſininum, dejectorium redditum cum diagrydio, & octo aut decem dies ſingulis matutinis horis ad libras tres ſumptum. Contemperabit enim fervorem jecoris, & humores calidos educet. Neque ſuſpectum erit, propterea quod lac dare caput dolentibus, hypochondriaque tenſa habentibus malum. Dum enim datur dejectorium, ut fiebat Hipp. tempore, etiam in febribus tutò exhiberi poterit. Tertium externum erit balneum univerſale Aquæ dulcis tepidæ alternis diebus adminiſtratum per plures dies. Hiſque peractis, pro corroboratione nervorum, inuſtiones fiant in occipitio, & facta ſcarificatione in mandibula dextra inferiore, in uncta opio & pinguedine humana, ad obtundendum ſenſum, tangatur ferro candente. Hoc enim ſolo remedio ſanavi Nobilem Matronam Cremonenſem ſupra memoratam. Præſcripta victus ratione refrigerante, & humectante. Et hæc ſunt præcipua, quæ in caſu præſenti attingenda duxi in Nobilis patientis ſalutem.

Idem ibidem.

De

De Melancholia Hypochondriaca, pro Nobiliſſima Matrona.

Præſtantiſſima Matrona melancholia hypochondriaca detinetur, producta ob inæqualem jecoris calidam, & ventriculi frigidam intemperiem: unde neceſſario congeſti ſunt in meſenterio, & hypochondriis humores craſſi, à prædominio melancholici, cum pituitoſorum ſubdominio, qui non ventilati, magis accenduntur, æſtumque in hypochondriis, & vapores craſſos ad ventriculum, œſophagum,& cerebrum tranſmittunt, non ſine aliquo eorum proventu ab utero, ex detento ſemine potius, quam ex ſanguinis menſtrui vitio. Hinc depravata imaginatio ſuffocationis imminentis, hinc ſomni turbati, & inſomniis terrificis moleſti; rugitus hypochondriorum, ſitis, cæteraque omnia relata ſymptomata, quæ in dies graviora fiunt, ob regurgitationem bilis ad ventriculum, quæ ſua acrimonia, & caliditata agitans humores craſſos, pituitoſos, & melancholicos, magis ac magis ipſos accendit,& in vapores convertit. In quem affectum non difficulter incidere ſanguineos aſſeruit Galen. 3. de Loc. Affect. 7; & ante ipſum Hippoc. 2. Epid. Sect. 3. Text. 23. ex recenſione Valleſii.

Qui affectus ſi diligenter tractetur, ſenſim & ſenſim ſuperabitur; ſi verò negligatur, confirmabitur adeò, ut inſanabilis evadat.

Pro curatione ipſius, inſiſtendum eſt diligenti totius expiationi, diverſioni vaporum caput petentium, reſerandis obſtructionibus moderatis attenuantibus, incidentibus, emollientibus, flatuum diſcuſſioni, moderate diſcutientibus, contemperationi fervoris jecoris, & hypochondriorum, refrigerantibus & humectantibus; ac tandem cordialibus, mœrori ac timori occurrentibus.

Chirurgica quod attinet, neceſſe erit utramque venam pedis ſecare, deinde hæmorrhoidas, & tertio quoque menſe ex ſaphena ſanguinem educere, menſibus fluentibus; vel ex hæmorrhoidibus, iis jam omnino ceſſantibus: & perſeverante affectu, duo cauteria probantur in interna femoris parte. Interim ex uſu erunt opportunæ frictiones aſperæ, & crurum lavacra ad tumefaciendas venas.

Quoad Pharmaceutica præſidia, diligens totius corporis expiatio adminiſtranda, blandis tamen medicamentis, cùm præparantibus, tum purgantibus peccates humores, Viroque præclariſſimo notiſſimis. Atque inter aperientia magis temperata, probantur capil. ven. pentaphyllum, cetrach, agrimonia. Syrupi verò erunt, de pomis, byzantinus cum aceto, & capil. veneris. Corpore deinde purgato, ſerum caprinum depuratum modo dejectorium, modo diureticum, cum emulſione ſeminum frigidorum, macerata coma abſinthii, & inſtillato chalybe potabili, cum oleo diſtillato aniſorum, vel ex toto citro, 15. aut 20. dies apprimè conveniet. A cujus uſu ſummopere profuturum cenſeo juſculum ex cichorio agreſti: & inter externa, epithemata refrigerantia jecori, & cordi inunctiones; æſtivo verò tempore, balneum univerſale cum frictionibus aſperis erunt uſui.
Idem ibidem.

De Melancholia Hypochondriaca, Reſponſum nomine Sacri Collegii Patavini.

Melancholiam hypochondriacam, in quam elapſo anno derepente incidiſti Vir Excellentiſſ. quantum ex propoſita in tuis literis hiſtoria nobis conjicere licet, omninò legitimam non eſſe cenſendam exiſtimamus; quæ ſcilicet ex accenſione pylori ortum ducat, à Galeno. 3. de Loc. Aff. 7. ex mente Dioclis delineata: cùm nullus in illa regione ventris à te referatur æſtus, nullaque hunc neceſſario conſequens ſitis. Et licet in te alvi ſegnities continua obſervetur, hæc tamen cùm à calore æſtuante, fæceſque indurante provenire poteſt, tum etiam à cauſa aliqua frigida ſenſum obtundente. Quare in eam potius conceſſimus ſententiam, quod ab hypochondriis quidem originem trahat, debilitato ipſorum nativo calore, ac proinde immutato univerſi corporis temperamento, cùm ex laudabili calido, & humido, nunc planè vitioſum appareat: quod non niſi ob ſonticas cauſas evenire ſolet, quæ tamen à te ſilentio involvuntur. A quonam verò prædictorum viſcerum præcipuè affecto dependeat, ex tuis ſcriptis minimè compertum habemus; conjicimus quidem ex aſſumptione chalybis potabilis in viſceribus illis præceſſiſſe obſtructiones, in quibus verò, & an adhuc perſiſtant, à te ne verbum quidem.

Ex hac igitur partium prædictarum affectione, omnia quibus vexaris ſymptomata fluxiſſe, nemini dubium eſſe poteſt. Siquidem debili exiſtente calore nativo, cùm coctiones omnes imperfectæ fiant, optimo alimento membris nutriendis negato, totius corporis macies ſubſequi neceſſariò debuit, unde etiam frequentem partium extremarum frigiditatem pendere nemo ibit inficias: ſicuti ptyaliſmum, quo ſæpe ſæpius divexeris, non aliunde ortum habere, quam à pituitoſo humore in ventriculo languido genito, ac melancholico ſero à liene ad ipſum tranſmiſſo: à quibus deinde crudis, ac craſſis ſuccis productæ ſunt viſcerum obſtructiones, & rugitus in ventre inferiori, converſa aliqua eorundem parte in flatus: atque ab exhalationibus infernorum viſcerum calore aliquo præter naturam æſtuantium, non ſolum timor, & mœror, aurium tinnitus, ſed & vigiliæ, & palpebrarum inflammationes, ac inflationes originem duxerunt. Quæ quidem affectiones, cum antea citò ſolis collyriis cederent, ut ideo, quod rarum, graviores fierent vigiliæ, facta quadam metaſtaſi, quod à menſe Octobri elapſo convaluerint, & pertinaciores factæ ſint, ita ut adhucnum perdurent, irrita cujuſcumque collyrii applicatione, non aliunde proveniſſe exiſtimamus, quam ex eo quod initio à materia tenuiori, & majori ex parte vaporoſa dependerent; unde collyriorum repellentium uſu eâ facile retrocedente citò deliteſcebant; aucta verò in dies earumdem palpebrarum debilitate, ac irruente majori humorum calidorum ac craſſiorum copia, pertinaciores gravioreſque factæ ſunt, & cōtinuæ,

Quorum omnium affectuum curationem admodum implicitam, ac difficilem eſſe nemo non fatebitur, cùm ob inſignem totius corporis à ſtatu naturali receſſum, tum etiam quia tot remediis à te hactenus prudenter adhibitis, non ſolum non remiſerint, ſed graviores ac moleſtiores evaſerint, unde altas jam egiſſe radices conjicere licet. Aetas tamen ſatis vegeta, & ad remedia omnia tentanda flagrans deſiderium, ac proclivitas, ſpem nobis facit fore, ut remediorum præſcribendorum uſu, tuaque diligentia, ac induſtria, ſi non omninò ſanitati priſtinæ reſtituaris; ſaltem ad tranquilliorem, ac optabiliorem ſtatum reduci poſſis.

Quod ut felicius contingat, à vitioſis humoribus corpus expurgandum erit, evaporationes arcendæ, corrigendaque viſcerum male affectorum intemperies.

Præmiſſa igitur univerſali totius corporis purgatione, eaque repetita, & in ſecunda humorum præparatione alternis diebus uſurpata epithymi decoctione; miſſis generoſioribu ſpurgantibus pro jecoris fervore temperando, educatur ſanguis, ex cubito, & hæmorrhoidibus pro revulſione; quod præſidium frequenter adminiſtratum ſummopere probamus : necnon duo cauteria inurantur, alterum ſcilicet ipſi brachio ſiniſtro, pro derivatione à capite, alterum verò femori dextro, pro revulſione exhalationum; quæ omnia forſitan hucuſque à te prudenter uſurpata fuerint.

Inter ea, quæ nobis opportuna magis pro tua valetudine remedia videntur, ſi de internis ſermo ſit, pro recreando viſcerum nativo calore, obſtructionibus tollendis, necnon flatuum diſſipatione, primas partes obtinet blandum aliquod decoctum ex radice chinæ, & portiuncula ſaſſafras, aut ligni aloes in jure perdicis paratum. Quod ut validius nutriat, in ea decocti portione, quam quolibet mane ſumpturus es, ex uſu erit emulſionem parare ex ſem. mel. piſtaciis, nucleis pineis, & amygdalis dulcibus; præmiſſo ſemper bolo ex confectione Alchermes, cum violarum conſerva, aut florum borraginis permixta, pro corroboratione cordis, ac flatuum diſſipatione. Cujus remedii ope cum jam remiſiſſe obſervaveris obſtructiones, ac rugitus, ad lactis uſum præcipuè caprilli noſtro conſilio devenire poteris, plurimorum dierum ſpatio. Ad vigilias, quibus te admodum vexari ſcribis, inter interna opportunus erit frequens amygdalarum dulcium uſus, & lactucæ : necnon & emulſio ſeminum papaveris, cum iiſdem amygdalis: hiſque forte non conferentibus, etiam alicujus opiatæ, qualis præ cæteris nobis commendatur Laudanum nepenthes Quercetani ad grana duo. Inter externa, ad attrahendum calorem ad ipſum ventriculum, ſæpius repetita, uſque ad cutis rubedinem, nobis placet picatio: ſicuti ad ipſum roborandum, ac flatus diſcutiendos, ſtillicidium ex oleis, ac aromatibus plurium dierum ſpatio adminiſtratum; à quo ejuſdem ventriculi regio fovenda erit ſummitate panni coccinei prædictis oleis imbuta.

Præter quæ tempore fervidiori denuo ad balneum aliàs à te uſurpatum Aquæ dulcis alteratæ violis, malva, chamæmelo, meli loto, ac meliſſa, deveniendum eſſe cenſemus. Frictiones quinetiam totius corporis uſque ad cutis ruborem prætermittendæ non erunt, quò ſcil. ſanguis, & calor ad partes externas revocetur, & inde melior ſequatur nutritio. Quibus peractis, ſummæ utilitatis erit totius corporis inunctio oleo amygdalarum dulcium, & chamæm. in quibus ebullierit vini albi portiuncula penetrationis cauſa. Interim capiti quoque conſulendum erit, cum lotionibus, aqua alterata chamæmel. bugloſſo. meliſſa, aut ſimilibus; tum inunctionibus, oleo amygdalarum dulcium, & chamamelino, ac omentis animalium iiſdem oleis imbutis, & capiti applicitis; tum demum ſtillicidio, vel ex aquis, vel ex oleis nuper propoſitis, aut ex lacte parato. Oculorum affectu præter frictiones, ac lotiones internarum partium ſæpius repetitas, quib. prohibetur vaporum aſcenſus, conferent collyria, quæ præter repellentia, recipiant majorem digerentium medicamentorum portionem. Curanda quoque erit cordis roboratio non ſolum internis propoſitis, ſed externis etiam : quæ tamen tibi notiſſima conſulto prætermittimus.

Et cum ſæpius glorietur Galenus ſe balneo aquæ dulcis, & recta victus ratione plurimos melancholicos ſanaſſe; hæc propterea ſemper ſervanda erit, tibi in medica facultate diù verſato notiſſima; & ubi alvus adſtricta fuerit, clyſteribus tantùm emollientibus ſollicitanda erit. Demum cum à Platone ſcriptis proditum ſit, cuncta mala corpori ab animo accedere; hinc animo ſempvr revolue, quod niſi à morbis curetur animus, corpus rectè curari minimè poſſit. Atque hæc pro tua valetudine reſcribenda duximus. Faxit Deus ut in ſalutem tuam cedant. *Idem ibidem.*

Melancholia Eſſentialis cum Maniacis Inſultibus.

Sapientiſſime Profeſſor.

Quam recte docuerit in Problem. Ariſtoteles, Homines qui ingenio claruerunt, vel in Philoſophiæ ſtudiis, vel in Republica adminiſtranda, vel in Carmine pangendo, vel in Artibus exercendis, Melancholicos omnes fuiſſe, optime noſti, Vir Maxime, qui apud Homerum legiſti inter Heroas Ajacem, & Bellorophontem Maniacos : ſicut inter Sapientiæ Coryhæos Empedoclem, Socratem, Platonemque, Melancholicos reperire fas eſt. Non igitur novum inſolenſque affero exemplum, ſi Religioſam Virginem Nobiliſſimam, aliaſque prudentiſſimam ingenioſiſſimamque, Melancholicam incomparabili tuæ Virtuti curandam objicio, ac tanquam Numini trado, ſi cum Herophilo, Medicus Numen eſt. Hæc igitur ætatis annorum triginta ſex, temperamenti totius, calidi & ſicci, jecoris & capitis fervidioris, ventriculi imbecillioris, gracilis habitus, capillitii ſubnigri & criſpi, ſtaturæ proceræ, fere quotannis febriculas patiebatur. Anno præterito in alvi ſtypticitatem incidit, ventriſque inferioris rugitus, appetitus dejectionem, reſpirationis difficultatem cordiſque palpitationem. Circa dimidium præteriti veris, cum Sociam haberet

beret Religioſiſſimam ac melancholicam, cumque in ipſius manus liber incidiſſet, de viſionibus Dæmonum ac de Purgatorio pertractans, triſtior præter morem ac maxime mœſta apparere cœpit: conſcientiæ ſtimulis agitata. Cumque quadam die in Bericum Montem tranſire deberet valde mane, à voce quadam ſe experrectam aiebat, indeque perterritam, in ſuſpicionem exinde lapſa de malo hyperphyſico, tanquam Dæmone obſeſſa foret; quod & Exorciſtæ quidam aſſerere non dubitarunt, cum Sacerdotes reſque ſacras, licet latitantes, moleſtiſſime admitteret. Menſe junio præteriti anni, cum occaſione quadam incaluiſſet, in faucium phlogoſim incidit, cum dolore ac deglutiendi difficultate, ita ut bolum habere ſibi videretur. Menſe Iulio menſtruam expurgationem fruſtra expectavit, quæ ab eo tempore uſque adhuc evanuit, quam revocare incaſſum tentavit Medicus ejus ordinarius duplici leniente exhibito, aliquot Cichoraceis, & ſanguine copioſe è pede detracto; Imo per quindecim dies duplici tertiana continua lenta; capitis dolore, præcordiorum æſtu, paſſionibus hyſtericis correpta fuit, cibumque aliquot horis ab eo aſſumpto vomere cœpit, Symptoma etiam nunc cum nauſea perdurans, licet Patiens cibum uſque ad os tranſmiſſum rurſus deglutiat, vi vomitum compeſcens. Autumnali tandem tempore ex mandato Viri Excellentiſſ. qui eam nondum eſſentiali Melancholia correptam putavit, at per conſenſum ab hypochondriis, tali pacto medelæ ſe dedit. In prima expurgatione bis potionem ſolut. magiſt. cum ℔. ii. ß. ſeri capr. depur. vel aquæ Nocer. aſſumendam conſuluit Eximius Vir. Dein per quinque dies ℥ii. ſyr. acet. & unam de pom. cum modico aquæ de toto citro; quo tempore ſanguinem ex communi vena brachii dexteri demendum juſſit, procul à Menſibus, qui quidem nigerrimus compertus eſt; Tranſacto vero menſe, etiam ex pede detractus fuit ob menſium defectum; quod pluries etiam factum eſt juxta ingruẽtium ſymptomatum indigentiam. In ſecunda vero Expurgatione per decem vies ſuccos depur. laudavit, cich. malv. & borag. cum decoct. cichor, lupul. agrimon. malv. viol. & ſem. citri: ſingulo quinto die exhibendo ℥. ſ. floris caſſ. cum ʒi. rhab. el. ſuperbibendo ℔. ii. aq. Nocerianæ. Dein per quatuor dies ℥v. ſyr. roſ. ſolut. aur. cum ℔. v. Seri capr. depur. præſcripſit, quam ſeri copiam ferre non valuit, ob ſuam ventriculi imbecillitatem. Poſtea lac aſininum per dies quadraginta imperavit: ſingulis vero decem diebus ℥i. floris caſſiæ, cum ʒii. crem. tart. Quæ cuncta fruſtra peracta ſunt. Ab autumno elapſo Melancholia eſſentiali vexari cœpit cum inſolito mœrore ac metu ſine cauſa manifeſta, quæ hujus ægritudinis ſigna pathognomonica exiſtunt ex Hippocr. & Gal. 6. aph. 23. ac 3. de loc. affect. 7. Eamque melancholicam arbitror extitiſſe prius utero ac toto conſentiente: nigerrimæ namque ſemper extitere ejus venæ, colorem fuſcum habet; ac ſi ab Ancillis manibus prematur ut in lecto detineatur, ſtatim circa partes compreſſas apparent ſugillationes atræ. Pat. interim moroſior evaſit, de fide hæſitans ac de ſalute deſperans; quod contigiſſe pro certo habeo, quia, ut inquit in ſuis Conſult. doctiſſ. Mercurialis, facilius Mulieres, & Religioni addictæ circa res iſtas, quam circa alias falli poſſunt, cum earum imaginatio fere ſemper circa eaſdem verſetur, quæ quidem poſtea à melancholicis, vel vaporibus, vel humoribus ob animales ſpiritus ſylveſtres redditos, ut cum Avicenna loquar, corrupta, in triſtitiam, metum atque futuri mali corruptivi, ut Ariſtot. docuit 2. Rhetor. expectationem compellit. Quare nil mirum, ſi Mulieres, ut Hipp. ſcripſit, ſe Dæmones quandoque videre garriant, quandoque in ſeipſas manus intentent, ut in Patiente iſta aliquando obſervare licuit, quæ modo ſilens, modo pacata, modo furens in ſeipſam atque in aſſidentes conſurgit; cibum modo libenter capiens, modo reſpuens; Melancholia ulterius excandeſcente, non mutato morbi genere, ſi Alexandro credimus, qui docuit, Inſaniam non aliud eſſe, quam Melancholiæ ad majorem feritatem intenſionem; cujus teterrimi humoris ſaburram in tota iſta Virgine latitare crediderim, ab eoque tanquam infenſiſſimo hoſte, cor & cerebrum maxime conſpurcari, præcipueque coctrices ventriculi & jecoris labefactari functiones, unde vomitus, nauſea ac ſanguinis atri generatio; poſtremo deinde principum facultatum emanare læſiones, imaginandi ac diſcurrendi potentia maxime depravata. Quibus ut occurrerem, aliquando Veſicantia apponenda coxis mandavi, quæ etiam valde profecerunt: in ſeipſam enim illico rediit, cibumque quem reſpuebat, aſſumpſit. Sanguis ſemper cum fructu ex pede detractus poſt Autumnalem Purgationem. Tota hyeme uſque adhuc variis medicamentis ventrem ſolvere neceſſum fuit, remediis tantum, non medicatione mutata, Celſus præcepit; modoque uſa fuit Electuario lenit. flore caſſiæ, modo decoctione fol. ſenæ, Magiſt. Mechoac. ad gr. uſque xvj. quæ aliquando fruſtra fuerunt exhibita: atque decoctione emollientium & refrigerantium herbarum familiariter utitur: ſicuti etiam Cordialibus temperatis, ex Avicennæ conſilio, qui in omni Melancholia cordi proſpiciendum mandavit. Denuo hac Vernali tempeſtate iterum ſuccos depur. ſupradictos, cum tantillo beton. experti ſumus per plures dies, aſſiduaque medela tractavimus melancholicum corpus, præcepta Ariſtotel. ervantes, qui 7. Ethic. cap. ultimo ſcripſit, corpora melancholica continua indigere medela. In hoc igitur difficillimo rerum ſtatu cum Virgo non reſipiſcat, corporiſque ejus naturalis gracilitas ad maciem in dies majorem vergat, valde emaciata nunc ex improbo, ut puto, alimento; ejus Nobiliſſimi Affines ad Tripodem confugiunt, ſelectiora expectantes auxilia. Cumque alias ſanguinis miſſio profecerit, de ſecanda frontis vena, juxta virium tolerantiam, ex conſilio Tralliani, velde arteriotomia, quam in Senioribus etiam felici eventu expertus ſum, cogitarem, ac etiam de fonticulis in coxis, vel cruribus pro Menſium defectu, atque pro revulſione à capite tam humorum, quam vaporum atrabilarium. An vero fortiora Pharmaca ex uſu futura ſint in Morbo inveterato, Tu Arbiter eris, Vir Præſtantiſſime, quem nec latet Veratrum Pauli, nec Antimonium Fonſecæ, cujus nobilis ſyrupus hic extat;

hic extat; ex Mercuriali etiam habetur ſyrupus de polypodio Auguſtini; alter ex Zecchio ad Melancholiam commendatus: vel ille de helleboro à Montano deſcriptus, quo in melãcholica & maniaca olim Muliere feliciter uſus ſum. Balneum aquæ dulcis præter lac à cunctis Medicinæ Proceribus, ſummopere extollitur, quibus totum, ut arbitror, ac etiam ventriculi ab ignito hepate exiccatæ tunicæ refici fortaſſe valerent: non ſpretis interim extrinſecus ventriculo inunctionibus ex oleo maſticino cum ſuperpoſito vervecino omento, ac toti corpori ol. amygdal. dulci, cum lacte ac vino albo. Victus ratio optima eſt. Vinum, Zenonis conſilio, non interdicitur, albumque tenuioris ſubſtantiæ cum Aetio ſeligerem. Hodie octavus labitur dies, quo ſanguis ad uncias quatuor detractus fuit ex pede dextero calidiſſimus, ſpiritibus plenus, cum impetu exiliens, coloris non tam atri, ut alias obſervatus fuit; Idque factum eſt, quia Virgo valde agitata videbatur, non dormiebat, ut illi mos erat, in furorem verti atrociorem minabatur; nunc pacatior eſt, dormit, cibum capit, pulſumque tangendum præbet, & vires conſtantiores apparent. Quæ raptim pro explanando Virginis ſtatu ſcribenda duxi.

Quod interim diu exoptatus, Artis noſtræ Delicium, ex Aula Auguſtiſſimi Imperatoris Cæſareis cumulatus honoribus in hanc Urbem redieris, iterum atque iterum gratulor, gaudiumque meum tecum libentius voce, quam calamo effunderem, ni vertiginoſa paſſio qua paucis abhinc diebus correptus fui, domi me detineret, pro qua, ſi Diis placuerit, oretenus opem tuam implorabo. Interim animi mei, Virtuti tuæ incomparabili ſumme devincti, teſtimonium ſuſcipe, dum ego Te Maximum Viſum ſuſpicio, & colo.

Præclariſſime vir.

Juremerito tibi gaudes, Vir Doctiſſime, & mihi gratularis de reditu meo in Patriam: Etenim cum inter Amicos omnia communia ſint, tuus per conſequens egomet eſſe debeo. Honores verò tum à Cæſare, tum à Veneto Senatu in me collati, non mihi, ſed Arti Medicæ deberi cenſeo: ut propterea ſicut Ignaris invidiam, ita Doctis gaudium atque ſolatium attulerint. Interim gratias quamplurimas, pro tua erga me benevolentia habere tibi non deſino, & ſub honoris titulo petitum reſponſum ad Conſultationem pro Nobiliſſima Veſtali accipio, dum novi quod in medium afferam, nihil mihi ſupereſt. Præſcriptis igitur ſubſcribere teneor, cum Tecum, Vir Præclariſſime, & ego cenſeam, duplici affectu divexari Virginem Nobiliſſimam, altero inveterato atque perenni, altero recentiori & per intervalla affligente: Melancholica namque jam diu extitit, & extat. Maniaca vero paucis abhinc menſibus, & non continuo apparet. Et ſicut affectionem melancholicam ab hypochondriis incepiſſe, inde in totum, at tandem in caput irrepſiſſe, non eſt dubitandum, ita maniacam, nondum idiopathice affecto capite, fieri credendum; & ideo ſicut illa perpetua, ita hæc nonnunquam intermittens obſervatur. Et ſicut illam una cum atro humore intemperiem quoque in capite progreſſu temporis invexiſſe credendum; ita hanc à ſanguine circulante, quandoque fervidiori reddito, à carotidibus transfuſo, nec adeo prompte à jugularibus recepto, Cerebro excalefacto, furorem inducere; Unde notabat Gal. Maniam quandoque ex ſola cerebri caliditate, non autem ſemper ex bile & atra bile in crebro redundante fieri. Has autem ambas affectiones non parum foveri ab Utero propter utilium & inutilium excrementorum retentionem, ſumma cum ratione judicatum fuit.

Quibus ita ſe habentibus, nemo in Arte verſatus erit, qui non videat Maniam curatu difficilem fore, & fere inſanabilem Melancholiam, cum jam in habitum converſam eſſe, ſit ſuſpicandum. Difficultatem autem & periculum auget imminuta & depravata nutritio, tum propter Dyſpepſiam, tum propter vitiatam hæmatoſin, ab exuberanti viſcerum naturalium calore provenientem; attamen provincia, quamvis ardua, deſerenda non eſt, Maniam prius expugnando: mox Melancholiam remittendo. Propterea dicebat Aretæus, quod inclinante morbo maniaco, Patientes ſtupidi, quieti & mœſti fiunt; Alterantibus igitur; à capite revellentibus; ſanguinem per intervalla depurantibus, & ſymptomatibus occurrentibus indiget ſtatus Nobiliſſimæ Virginis. Pro quibus explendis intentionibus, cum plurima hucuſque tentata remedia fuerint denuo tentanda, à Te, Vir Excellentiſſime, propoſita confirmabo.

Et primò Cauterium coxæ affigendum ſummopere laudo: ſicut frequentes pedum lotiones aqua calente ante cibum; & Sinapiſmos frequenter apponendos & removendos, ut remedium magis, quam ipſa Veſicantia revellens commendo, ex æquali portione caricarum & ſinapis parandos. Topica quoque capiti remedia Chirurgica, opportuna & tuta fore puto, poſt tot ſanguinis evacuationes univerſales, & purgationes jam peractas, nempe venæ frontis ſectionem pro affectu melancholico & urgente Maniaco, Arteriotomiam qua fervidior ſanguis educitur. Inter Alterantia nil erit lacte præſtantius: & ſi poſſibile fuerit, præbendum erit primò evacuans & ſimul alterans, ad heminas, more Hippocratico, ad quatuor ſcil. & quinque libras. Nec obſtabit hypochondriorum calor corrumpens, nam corruptionem neceſſario ſubſecuturam ſupponimus, cujus ratione ſolvitur alvus, poſtquam exiccatum ventriculum humectaverit, & hypochondriorum calorem remiſerit; cujus per integram hebdomadam repetito uſu, mox ut nutriens ad ℥. viiii. aut x. de more cum ſaccharo exhibendum erit, ſomnum ab aſſumpto lacte permittendo, imo præcipiendo. Interim ſingula hebdomada, aut decimo quoque die elective Purgans erit præſcribendum, nimirum Extractum Veratri flori caſſiæ immiſtum, à quo ſerum copioſum propinandum erit. Efficaciores adhuc erunt pilulæ capitales Paracelſi; ut quæ in ſe contineant Extracta veratri, diagrydii & colocynthidis, quæ quoniam diebus Canicularibus tantum legitimæ præparari poſſunt, ideo hic Patavii pro toto anno paratæ inveniuntur; doſis autem eſt ad ſemidrach. & circa noctis dimidium à primo

ad ſemidrach. & circa noctis dimidium à primo ſomno aſſumuntur: ſummo mane verò ſerum copioſum erit ſuperbibendum, cui ſi fieri poſſit, ſuperdormiendum. Balneum aquæ dulcis nullo modo eſt omittendum, alteratæ foliis malv. violarum, lactucæ, nymphææ & ſalicis, vix tamen tepidum horis veſpertinis cui ſuccedant inunctiones univerſales oleo amygdalino, & violaceo: nunquam omittendo particulares jam propoſitas univerſo abdomini. Imo perſeverantibus Maniæ frequentibus invaſionibus præcedente capillorum abſoluta tonſura, lintea lacte imbuta capiti univerſo circumponenda erunt, diu detinenda & frequenter repetenda. Et his non ſufficientibus, oleum nenupharinum abunde prius capiti ſuperfundendum ad ſomnum quoque conciliandum: præcipit enim Galenus, quod ſopire & obſtupefacere facultatem oporteat, cerebrum ipſum perfrigerando; & ideo diuturnis vigiliis infeſtantibus, ſub ingreſſum lecti ſyrupi de papavere albo uncia exhiberi & repeti poterit: ſomnus enim ſæpe delirium ſedare ſolet.

Quibus jam dictis omnibus congrua victus ratio erit addenda, à ſumma tua prudentia præſcribenda, ita ut urgente Mania, abſtineat prorſus à vino, non ſic in Melancholia, Fructuum uſus permittendus, ita & herbarum refrigerantium; Edulia quoque ex lacte parata. Blanditiis & perſuaſionibus nonnunquam: nonnunquam objurgationibus tractanda, & alacri atque confidenti animo Nobiliſſima Virgo ſuſtinenda. Te autem, ut propriam incolumitatem cures, enixe precor, tum quia eximia tua merita inculpatam valetudinem expoſtulant, tum quia Reipublicæ Medicæ, & Urbi, ac Orbi ſalus tua maximopere profutura eſt. Vale igitur diutiſſime, vale. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Med. T. 2. Cent. 1.*

Melancholia ab Hypochondriis, ab Vtero, à toto, & eſſentialis cum Mania.

Adeo exacta ad nos pervenit ſtatus Mulieris Illuſtriſſimæ relatio à Viro Doctiſſimo delineata, ut abſque ulteriori indagine affectum quo dudum divexabatur, & modo premitur, veluti digito nobis demonſtret; ſicuti cauſam ejuſdem, altas radices à natura contractas & vivendi genere enutritas, nobis graphice detegit. Cum igitur Illuſtriſſima Patiens à naturæ primordiis Diatheſin quandam melancholicam ex cordis & hepatis calidiori temperamento ſortita fuerit ventriculo infenſam, unde crudæ materiæ frequens vomitus; diſpoſitionem autem religioſa vita non parum foverit, aliis quoque accedentibus cauſis à nobis conſiderandis, facilis fuit in hujuſmodi ſymboleitate ad affectum melancholicum tranſitus; & quidem primo gradu ex ipſo ventriculo, & inde ex hypochondriis correpta fuit, ſicque diuturnis & frequentibus vomitionibus, ventriculi tumor, rugitus ventris, hypochondriorum æſtuationes, cordis palpitationes, ſymptomata omnia hypochondriaca acceſſerunt; idque quoniam ex cruditatibus in ventriculo præ nimio calore genitis, & ad venas lacteas tranſmiſſis & arefactis, eorundem hypochondriorum calor augmentum acquiſivit; à quo ulterior in ſanguine venæ portæ exuſtio fuit introducta, ſicque craſſiore in illis venis reddito, hypochondriaca affectio, melancholica quoque reddita fuit, cujus quoniam proprius eſt timor & mœror, ſicut homini propria riſibilitas; ideo conſcientiæ ſcrupuli ſemper majores apparuerunt. Verum aliis additis cauſis, melancholiæ quoque gradus adaucti fuerunt; quandoquidem cum Mulier Illuſtriſſima carnoſa ſit & ſanguine abundans; antehac non adeo excalefactus, caput ſolum replebat, gravabat, & ſomnos diuturnos conciliabat. At quia nunquam concepit, ut opus erat, & quia quinque abhinc annis præmatura acceſſit menſtruorum ſuppreſſio ex retento ſanguine non ſolum in venis uteri, ubi tenſio cum gravitate percipiebatur; verum & in toto venoſo genere (licet non adſint omnia prorſus ſigna melancholici humoris in toto, à Gal. tradita) melancholia à toto ipſam correptam fuiſſe credimus, fieri non poſſe rati, quin maſſa ſanguinea pravo ſanguine retento inquinata ad melancholiam hanc conſpiraverit; ſi enim Aet. à ſola ſanguinis copia, à toto ad cerebrum confluente, puro etiam exiſtente, Maniam quoque excitari poſſe credidit, quanto facilius à multo & impuro excitari poterit Melancholia? Vnde & Gal. dicebat, quod quibus multus calidusque ſanguis generatur, prompte ad melancholicos affectus deveniunt. Ideo non ſolum ab hypochondriis & utero, verum & à toto venoſo genere, in Illuſtriſſima Muliere melancholiam provenire; atque tandem eſſentialitatem attingere merito credendum. Quoniam vero ad Maniam quoque naturalis inerat propenſio, & Hipp. dicebat, quod Quibus delirium cognatum fuit, ex erroribus facile delirant; idcirco Melancholiam ad Maniam tranſitum feciſſe videmus: in morbis enim melancholicis periculoſi decubitus Apoplexiam, corporis convulſionem, vel furorem vel cæcitatem portendunt; unde in Melancholicis materiam ad cerebrum decumbere periculoſum, idem addebat; quod in caſu noſtro eveniſſe obſervamus, dum ex ſanguine copioſo & plus excalefacto flava bilis gignitur, & ex eodem ſuperaſſato, atra: ſicque vitioſo ſanguine cerebro communicato, & capiti eidem calore ſuperaddito cum ſiccitate, tandem prægreſſis vigiliis maniaci ſucceſſerunt effectus, aſſerente Gal. furorem fieri, irritata facultate ab immoderato calore, vel ſolo, vel vitioſis humoribus miſto. Calidam tamen intemperiem omnino in capite firmatam non eſſe credimus: cum nondum ceſſerit melancholicus affectus, quia nondum ceſſarunt timores atque mœrores; neque delirium adhuc furioſum factum eſt; quam conditionem, ut maniæ neceſſariam, expreſſit Gal. dicens, Inſaniam appello vehemens quoddam delirium; unde Herodotus, Maniacos appellabat tumultuoſos, præcipites, manu promptos, & contumelioſos. Quinimo exiſtimamus utrumque affectum alternatim cerebrum occupare, adeo ut modo Maniaca, modo melancholica ſit Illuſtriſſima Mulier.

Quod ſi res ita ſe habet, magnopere veren-

dum ne Mania abſoluta evadat, vel ſaltem Melancholia in habitum converſa, inſuperabilis fiat: tunc enim ait Trall. ita affecti non melancholia tantum laborant, ſed etiam per circuitus inſaniunt; nihil enim aliud eſt Inſania, quam Melancholiæ ad majorem feritatem intentio.

Ardua itaque eſt Curationis provincia, quæ tame nullo modo deſerenda. nec ab inceptis deſiſtendum, licet jam morbus altas ſibi jecerit radices: nec ſalus deſperanda, cum atra bilis in caſu noſtro non ex flava bile ſuperaſſata, ſed ex craſſo & aſſato ſanguine fuerit contracta, & animum addere nobis debet Patientis obedientia: nos enim nunquam de ſalute deſperamus, niſi confirmata fuerit ipſa Mania, & medicamenta reſpuant Patientes ipſi.

Quare atra bilis erit evacuanda. Vapores à capite revellendi & repellendi. Sanguinis quantitas minuenda. Viſcera, corpus univerſum & caput refrigerandum & humectandum. Menſtruæ purgationi alia evacuatio ſubſtituenda. Somnus conciliandus; & tandem caput roborandum.

Quibus intentionibus ſatisfacere conabimur ordine executivo, jam peractis inhærentes. Et primò de ſanguine mittendo, largam atque copioſam ejuſdem miſſionem jam factam commendamus; ſiquidem etiam uſque ad animi deliquium Medicæ Principes, Paulus, Aëtius & Oribaſius eandem approbarunt, quam utilem quoque appellavit Celſus, & nos repetendam eſſe cenſemus ex venis ſuperioribus, ſi delirium perſeveret, adeo ut caput maniacum eſſentialiter deprehendatur; ex inferioribus vero, ſi habuerit intervalla: ſicut tandem & hæmorrhoidalis evacuatio erit inuſum ducenda, & deficienti menſtruæ purgationi ob ætatem ſubſtituenda. Cauteria inferna omnino aperta cuſtodienda, nec tamen quotidianæ pedum lotiones calentes ante cibum ſunt omittendæ: ſicuti capiti perfuſiones oleo nenuphar. quotidie ſunt exercendæ.

Et quoniam diximus ordine executivo intentionibus nos eſſe ſatisfacturos, ideo cum jam atri humoris evacuatio ab Excellentiſſimorum Virorum prudentia iterum, atque iterum peracta fuerit, nos conſiderantes viſcerum fervorem totiuſque venoſi generis incendium, atque facultatis irritamentum capiti tandem communicatum: ideo alterationem, nimirum refrigerationem & humectationem inter omnes medicas intentiones principem locum obtinere cenſemus. Quare ſtatim tribus aut quatuor continuatis diebus ſummo mane ſerum depur. ad ℔. iiii. vel v. cum vehiculo dejectorio nimirum ſyr. roſ. & viol. ſolut. propinandum eſſe putamus. Deinde aquas acidulas eſſe offerendas, vel Maſini Sancti Martini, quæ parum nitri, minimum ſulphuris & multum ferri continent, ideoque valde refrigerant. Quod ſi forſan aquæ illæ ob incuriam inquinatæ fuerint, Nocerianæ erunt eligendæ, & affatim præbendæ primis diebus cum vehiculo dejectorio, deinde diuretico, ut tandem tanquam ad anchoram ſacram ad duo generoſiora remedia deveniatur, ad lactis aſinini ſcil. uſum & Balneum aquæ dulcis, foliis malv. viol. nenuph. lactucæ, alteratæ: quæ eadem aqua & capiti affundi poterit; quinimo & linteum lacte imbutum capiti eidem circumponi; non omittendo decimo quoque die peccantis humoris minorationem Extracto Veratri cum Caſſia, quo filiæ Præti à Melampode Medico liberatæ fuere; quicquid dicat Trallianus; cui tamen ſuperbibat poſt horam ſerum copioſum ad libras.

Quod ſi fortaſſe aquas præſcriptas aſſumere renuat ipſa Patiens, ſubſtituatur lac aſininum copioſum ad heminas cum Hipp. nimirum ad ℔. iii. vel iiii. ſingulo mane per hebdomadam primo cyatho addendo ſacchari cochlear; quod quoniam facile in hypochondriis corrumpitur, evacuare poterit, & interim quoque refrigerare & humectare, caputque petendo, & lacteis vaporibus demulcendo, illud idem refrigerare, & irritatam facultatem ſedare. Tranſacta autem hebdomada, quantitas lactis paulatim minuenda erit, donec ad. ℥ x. devenerit: in cujus menſura exhibenda perſeverandum erit ad quinquaginta, vel ſexaginta dies: non enim amplius corrumpetur: minorata nimirum copia, & hypochondriorum moderato calore; quo tempore Balneum jam dictum erit adminiſtrandum.

Cor erit roborandum, & à vaporibus hyſtericis potiſſimum tuendum, temperatis tamen & nullo modo calefacientibus utendo. Quare ſufficiens erit Magiſt. margar. Tinct. chym. corrall. in aquis cord. tot. citri, ſcorzon. imo & Præclariſſ. Saxoniæ. Potentiſſimam quoque experimur tincturam è baccis Sambuci ad cochlear unum in aquis cordial. quotidie exhibitam: cui ſubſtitui poterit (quia iſtic præſto non erit) Gentiana, vel Zedoaria cum pulvere ungulæ Alcis in aqua tot. citri, aut Scorzoneræ. Somno quoque conciliando incumbendum erit Emulſione ſeminum papaveris & lactucæ in ptiſana & panatellis, ut jubet Aëtius; vel Diacodio, in iiſdem diſſoluto, ut Trall. vel ſyrupo de papavere ad ℥. j. à cœna oblato; vel tandem grano uno, aut altero Nepenthes Quercetani.

Quibus tandem victus ratio proportione reſpondens, refrigerans & humectans erit addenda, Viro Doctiſſimo atque diligentiſſimo committenda: ſicut reliqua omnia proprio ordine & opportune executioni mandanda; quæ à Deo ſalutaria precamur. *Idem ibidem.*

Melancholia cum Mania.

Illuſtriſſimus Vir annum agens trigeſimum ſeptimum, temperamenti ſecundum totum, & maxime ſecundum jecur, calidi & ſicci, denſi habitus, glaber, fuſci coloris, & mediocriter carnoſus, ad iram valde proclivis, quinimò & ad excandeſcentiam, indeque ad rixas; à multis annis hypochondriacæ affectioni obnoxius, tandem duobus circiter abhinc menſibus ultra conſuetudinem melancholicus redditus eſt, ſe ab amicis continuo irrideri ſuſpicatus, & quandoque per intervalla furioſus adeo, ut adverſus domeſticos, quinimo contra ſeipſum inſævire tentaverit; in ſeipſum tamen revertitur, & propriam immodicam concitationem agnoſcit. Quare non ipſe ſolum, verum multo magis Con-

Conſanguinei, ut hujuſmodi prava ſymptomata auferantur, & ad priſtinam quietem redigatur, medicum petunt auxilium.

Jam dudum hypochondriaca affectione, eaque melancholica detinetur Illuſtriſſimus iſte Vir, quæ facile toti corpori communicata, tandem ad caput irrepſit, & eſſentialiter idem afficiens Imaginationis depravationem manifeſtavit, dum ſe ab amicis & alienis perpetuo irrideri præter rationem credidit. Sed interim ad tantam quandoque excandeſcentiam devenit, ut non ſolum in adſtantes familiares, verum & in ſeipſum invehi perturbata quoque ratione cogatur. Horum autem ſymptomatum cauſa in Melancholiam, imo in atrabilarem humorem eſt referenda, qui antehac in hypochondriis ſedem habebat, à jecore genitus, quod non ex ſui natura tantum, ſed & propter obſtructiones quoque fervorem acquiſivit, & inde in venas receptus totum fuſco colore inficit, nec ob habitus denſitatem ſenſibiliter per pilos, aut per inſenſibilem tranſpirationem extruditur, ac proinde ad caput quoque pervenit. Verum quoniam non ſolius jecoris fervorem, ſed cordis quoque potiſſimum nobis ſignificat facilis ad iram & excandeſcentiam propenſio, ideo mirum non eſt, ſi à fervidiori ſanguine non ſolum obtenebrentur ſpiritus animales, ſed quoque accendantur, ad motum irregularem concitentur, & ratio atque voluntas adeo depraventur, ut manus & in Adſtantes & contra ſeipſum nonnunquam inferre tentaverit, ſicque affectus perpetuo melancholicus, modo per intervalla maniacus quandoque evadat.

Eſt quidem affectus ex ſui natura difficilis curationis, & multo magis in hoc Illuſtriſſ. Patiente, in quo jam altiſſimas & naturales jecit radices; nihilominus quoniam nec prorſus affectio melancholica conſummata, nec in habitum converſa eſt, ideo non omnino deſperanda præſentis remiſſio, & imminentis maniæ præſervatio, cum nondum intemperies ſicca in capite ſit introducta, ſed à ſola melancholici humoris præſentia producatur affectio. In quem finem proximo hoc Verno tempore omnia ſunt agenda, primas vias expiando. Secundò Obſtructiones ſiccas in hypochondriis exiſtentes, humectantibus & aperientibus reſerando. Tertiò Totum venoſum genus & caput ab humore melancholico defæcando. Quartò jecoris, ſanguinis atque cordis fervorem contemperando; & interim Cardiacis temperatis cor ipſum recreando.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, non ſemel, ſed iterum, atque iterum ſanguis erit educendus, prima vice ex lævo pede, ſecunda ex Mediana brachii dexteri, & tandem ex hæmorrhoidibus. Toti abdomini inunctiones erunt adminiſtrandæ ex ungu. roſ. Meſ. & malvino, capiti quoque ex oleo nenupharino.

Reliqua ex fonte Pharmaceutico depromenda. Et primò, primæ viæ ſunt expiandæ Potione ex man. clarif. Inde per quinque dies Julapio acet, & ſyrupo de pom. præparandi humores, mox eadem repetita potione. Inde ad ulteriora præparantia deveniendum, ſuccis depur. paranda cich. borag. endiv. ſeu de pom ad ℥. iii. in decoct. Cichoraceorum. Septem tranſactis diebus, Purgans erit exhibendum ex lenit. Diacath. addita drachma Extracti Senæ; vel Infuſo rhab. ſenæ, & epithymi, addito ſyr. roſ. ſolut. & de polypodio, quibus ſuperbibat ſerum depur. ad ℔. ii. Mox repetantur ſucci depur. cich. borag. & fumariæ in eadem decoctione, cui addi poterunt g. viii. aut x. tart. vitriol. Et quinque tranſactis diebus exhibeatur Extractum hellebori ad ʒ. ß. cum ſemiuncia floris Caſſiæ, cui poſt horam ſuperbibat ſeri capr. depur. ℔. ii. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Inde repetat ſuccos eoſdem, & poſt quinque dies idem Extractum, ut tandem quinque aliis tranſactis diebus exhibeatur pilula cochia cum helleboro præparata, aggregativis miſta, ſemper ſerum, aut ſaltem aquam Nocerianam ſuperpræbendo.

Ita toto, & capite expurgatis, jecoris, ſanguinis, cordis & hypochondriorum fervor erit contemperandus, primò aqua aliqua acidula, qualis eſſe poterit aqua Villenſis, vel B. V. Patavina: primis diebus cum vehiculo dejectorio, ſequentibus vero cum diuretico propinanda, ut tandem ad duo generoſiora, ſed benigniora remedia deveniatur, nimirum ad uſum lactis capræ refrigerantibus alimentis nutritæ, quinquaginta ſaltem diebus exhibendi; & ad Balneum aquæ dulcis, foliis malv. viol. vitis, ſalicis, nenuph. alteratæ viginti ſaltem diebus admininiſtrandum.

Dum jam dicta omnia fiunt, aliqua Cardiaca temperata non ſunt omittenda, & præſertim Magiſterium perlarum, guttulæ julapii perlati, in aqua ſcorzoneræ, aut totius citri: à calidioribus autem & validioribus omnino cavendum.

Quibus omnibus congrua victus ratio, refrigerans & humectans erit addenda; Lacticinia in uſum ducendo; prout fructus, horarios præſertim; cavendo à ſalitis, ab aromatibus; à vaporoſis calidis, à vinis generoſis, ab uſu aceti. Somnus diuturnior permittatur, & ſub ingreſſum lecti in uſum ducat Conſervam aliquam è floribus boraginis, vel violarum, & deficiente ſomno, etiam nenupharis. Exercitium ſit moderatū, ne corpus magis exiccetur. Alvus, ſi ſponte non reſpondeat, aliquo pacto ſolicitetur, juſculis malv. in prima menſa: ſive ʒ. ii. aut iii. Caſſiæ. Conſocietates geniales quærat Illuſtriſſ. Vir, cum quibus itinera faciat, locaque ſæpe mutet, ut à fixis imaginationibus divertatur. Quæ omnia Illuſtriſſimo Patienti ſalutaria optamus. *Idem ibidem.*

Melancholia Eſſentialis.

Vir Perilluſtris, Romæ Oeconomus Aulicus, temperamenti totius, & jecoris, calidi & ſicci, gracilis habitus, fuſci coloris, nigro capillitio, & facie ſubrubra, proceræ ſtaturæ, annum agens quadrageſimum; hæmorrhoidalibus evacuationibus frequenter, aliquando nephriticis etiam doloribus obnoxius, negotiis domeſticis non exiguam applicationem requirentibus multis abhinc annis implicitus; poſt animi perturbationes & vexationes perpeſſas ob fraudulentas Aulicas perſecutiones, ſuppreſſa conſueta hæmorrhoidali evacuatione

mœſtus eſſe cœpit, taciturnus & ſolitudinem amans, & in loquendo veluti balbutiens, incompoſite & incontinenter verba proferens, & vocabula quandoque quærens, obliviosnm ſeipſum oſtendens. Pro Curatione ſanguis ex pede qui niger & craſſus apparuit, extractus fuit, aliaque multa adminiſtrata fuere remedia: quibus nihil proficientibus, affectus ipſe invaluit: namque ſomni turbati cum clamoribus ſupervenerunt, imo & vigiliæ moleſtæ; increvit quinetiam mœſtitia cum timore; & ideo de animæ ſalute multo magis ſolicitus, Eccleſias frequentare, & de æterna beatitudine non ſolum dubitare, ſed tandem deſperare quoque cœpit, religioſe nimis de omnibus judicans: Amicorum ſocietates evitans: ſolitudinem quærens: atque tandem vitam ipſam odio habens, ipſos quoque Religioſos quos antea excolebat & venerabatur, fugiens atque abhorrens: ut propterea de faſcinatione, aut dæmone à multis dubitatum fuerit. Quare Eminentiſſimus ejus Dominus, ut adeo fidelis Servus ab hoc infelici ſtatu eruatur, à Præclariſſimo Viro remedia petit & expectat.

Ita admirandos producit effectus humor melancholicus, ut ex Hipp. & Avic. à populo rerum naturæ ignaro in dæmones referantur: ut propterea repentinus affectus qui contigit Aulico Perilluſtri, cum cauſas habeat Medico notiſſimas, quamvis Ignaris in Arte non adeo manifeſtas, non ſolum admirationem, ſed dubitationem quoque prorſus auferat: Affectu namque melancholico correptum fuiſſe facilè colligi poteſt ex præteritis, præſentibus & ſubſequentibus. Primò quidem ex præteritis, quoniam temperamentum ad Melancholiam proclive ſortitus fuit, jecoris nempe juſto calidius cum colore totius fuſco & ſubroſeo, de quo Hip. dicebat, Rubra facies, mœſtitia multa, malum: & Galenus ſubdebat, Eſt malum, quia oſtendit, in cerebro adeſſe calorem exuberantem. Præterea ætas quoque melancholicis affectionibus obnoxia ſtatuitur ab eodem Hippocr. & facile præceſſit quoque hypochondriaca melancholica affectio qua detentos, moroſos, & obſcure melancholicos appellat Galenus, cum Hippocrate: idque conjicimus tum ex conſueta hæmorrhoidali expurgatione prægreſſa, tum ex inclinatione ad pietatem & religioſas perorationes. Sed ſecundo hanc veritatem confirmarunt nobis ſymptomata in actuali acceſſione obſervata, quæ fuerunt, balbuties inſueta in loquendo, Melancholicis valde familiaris, ſicuti taciturnitas: Præterea oblivio, ſive memoriæ defectus in verbis proferendis, & de his Ariſtoteles dicebat, quod Melancholici quandoque non recordantur, nec recordari poſſunt, ob multiplices & confuſas imagines, quæ ipſorum imaginationi offeruntur: Atque tandem lingua aberrans, de qua Hipp. ut in caſu noſtro dicebat, Si lingna repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elangueat, talis eſt Melancholicus. Tertiò, Si morbum oſtendit ſanatio, ſanguinis eductio ex pede in hæmorrhoidalis ſuppreſſi ſupplementum, melancholicum fuiſſe affectum ſat confirmare poteſt: namque ſicut, ſi Melancholicis varices, aut hæmorrhoides ſuperveniant, a Melancholia præſervantur; ita ſi antea conſuetæ ſupprimantur, melancholicos affectus jure merito producere & movere poſſunt: ſicut ab iiſdem ſuppreſſis nephriticos quoque dolores acceſſiſſe credendum. Modus autem quo repentinus contigit Perilluſtri Pat. affectus hujuſmodi melancholicus fuit ſatis expoſitus ab Excellentiſſimo Viro, quem ego confirmo: dum enim ad pietatem præter conſuetudinem converſus Eccleſias frequenter adire cœpit, de omnibus quæ agebat, dubia continuo ſibi proponebat; & de animæ ſalute dubitans, timoris atq; mœroris indicio ſolitudinem amabat, noctu vigilabat, in ſomno exclamabat; ut tandem vitam etiam contemnat, mortem deſideret, de Animæ ſalute deſperans, & ſocietatem prorſus abhorrens domi ſemper maneat: omnia quidem eſſentialis Melancholiæ ſymptomata propria. Et quamvis in præſens res ſacras & Religioſos ipſos abhorreat, id factum eſt, poſtquam Animæ ſalutem prorſus deſperat: ſicut antea Religioſos amabat, excolebat, ſatis Divinæ miſericordiæ confiſus. Faſcinationes ideo & dæmones ab hoc caſu prorſus explodendi: cauſis enim naturalibus manifeſtis, non ſunt ſupernaturales inquirendæ.

Melancholicus iſte affectus curatu difficillimus eſt, eo quod tertium jam gradum attigit, dum primo hypochondriacum fuiſſe ſupponimus; mox ſanguinem craſſum & nigrum, melancholico humore inquinatum in phlebotomiis obſervarunt Excellentiſſimi Medici aſſiſtentes, qui ſuperioribus annis mediante frequenti hæmorrhoidali fluxione expurgabatur. Atque tandem eſſentialiter caput ipſum melancholico affectu laborat, ut ideo altas radices ſibi jecerit, de quo dicebat Gal. quod confirmatus Medentis manum reſpuit: & à Tralliano incurabilis cenſebatur, ubi in habitum fuerit converſus. Nihilominus quoniam bene ſe habet ad omnia oblata, neque adhuc mens circa omnia objecta prorſus aberrat, non eſt deferenda Curatio quæ quamprimum aggredienda, hoc Verno tempore congruo primas vias à cruditatibus (quibus Melancholici ſcatere ſolent) expiando. Secundò Obſtructiones aliqua ex parte aperiendo. Tertiò Maſſam ſanguineam ab atro humore vindicando. Quartò Caput ab eodem purgando. Quintò Intemperiem jecoris fervidam, & capitis ſiccam corrigendo. Cardiaca interim in uſum ducendo, & ſymptomatibus occurrendo, remediis deſumendis à fonte Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico.

Et primò ex Chirurgico, repetita ſanguinis miſſio ex utroque brachio eſt depromenda, ut facilius & citius ſanguinis maſſa depuretur: & tandem ex hæmorrhoidibus, ut conſueta evacuatio revocetur, quam ſi renuat Patiens, ſuppleat ſaphænæ ſectio. Proderunt quoque frequentes pedum lotiones ad varices provocandas: quarum loco Cauterium Cruri, vel Coxæ inuri poterit. Reliqua verò ad hunc fontem attinentia ordine executivo proponentur.

Ex Pharmaceutico pro primæ intentionis executione primum leniens parabitur ex ſyru-

po roſ. ſolut. & manna clarif. cum tartaro; vel ex Electuario lenit. cum tartaro: ſicut primum Præparans erit julapium acet. cum ſyrupo de cortic. citri, aqua florum citri diſſolutum. Quinque autem tranſactis diebus præſcriptum leniens repetendum erit.

Pro ſecunda intentione Aperientia debent eſſe humectantia & parum calefacientia; Quare ita parentur.

♃. Succi depur. cichorii, borag. pom. dulc. an. ℥. j. decoct. in jure pullæ paratæ, endiv. ſonchi, malvæ, meliſſæ, pentaph. ℥. iiij. ſalis tart. fixi gr. vi. m. pro potu matutino. Sequenti verò die præbeatur rhabarbarum hunc in modum.

♃. Rhabarb. opt. mat. ℈. i. floris caſſ. rec. extr. ʒ. ii. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri Aſin. depur. libram, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat: ſicque perſeveret decem aut duodecim dies, alternatim aſſumendo ſuccos & rhabarbarum. His autem tranſactis, præbeantur boli ita parandi.

♃. Flor. caſſ. rec. extr. ʒ. vi. pilul. de trib. cum rhabar. ʒ. j. Extracti ſenæ ʒ. ß. m. f. boli, quibus ſuperbibat ſeri Aſin. depur. ℔. ii. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Pro tertia intentione explenda, ſuccorum uſus, ut ſupra, tertio quoque die erit repetendus. Diebus vero intermediis, ſerum depuratum ad libram erit exhibendum cum infuſione Epithymi more Galenico. Quod ſi recuſet patiens, in uſu ſuccorum perſeveret quindecim ſaltem diebus: ſed quinto quoque die ſumat Extractum hellebori ita parandum.

♃. Flor. caſſ. rec. extractæ ʒ. vi. Extracti hellebori nigri ℈. ii. m. f. boli, quibus poſt duas horas ſuperbibat ſeri aſin. aut capr. depur. ℔. ii. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

His autem intentionibus expletis, capitis purgatio, unica ſaltem vice, erit procuranda, pilulis capitalibus Paracelſi, ad ℈. ii. circa noctis dimidium aſſumendis: quibus ſummo mane ſuperbibat ſeri depur. libras, & ſuperdormiat, ſi poſſibile fuerit.

Pro quinta intentione intrinſecus & extrinſecus ſunt adminiſtranda remedia, Lac ſcil. & Balneum; & primo, lac erit exhibendum Hippocratico more ad heminas, quatuor aut quinque diebus ſummo mane. ita enim omnia viſcera refrigerandi, humectandi & alvum movendi facultatem obtinebit; mox ut etiam tota maſſa ſanguinea demulceatur, præbendum erit quotidie ſummo mane ad ℥. viii. vel. x. de more cum ſaccharo: imo ut magis evaporando caput humectare, ſicque ſomnum etiam conciliare valeat, offam panis eodem lacte imbutam ante lactis potionem comedat; & in lactis uſu quadraginta aut quinquaginta diebus perſeveret. Sed interim Balneum quoque univerſale toti corpori paratum ex aqua dulci, foliis malvarum, violarum, ſonchi, nenupharis & ſalicis, alterata, tepidum & ad frigidum potius, quam ad calidum vergens, erit adminiſtrandum, & eodem caput quoque lavandum. Quinimo, ſi urgeant vigiliæ, lacte quoque caprino aut vaccino erit caput irrigandum: cui in contumaci vigilia emulſionem quoque papaveris albi immiſcere ſoleo; & ſub ingreſſum lecti (cum Rhaſi) ſyncipit copioſo oleo nenuph. inungere. His præterea ad ſomnum conciliandum addi poteſt uſus ſyr. papav. albi, ad duo aut tria cochlearia, pariter ſub ingreſſum lecti.

Nec omittenda ſunt cardiaca medicamenta quæ ſine notabili excalfactione ſpiritus depurare & exhilarare valeant: & ſunt Aquæ omnes cordiales, totius citri, Scorzoneræ: efficax à Præclariſſimo Saxonia parata: iiſdem addendo gutt. julapii, præſertim M. D. Het. gemmati & tutius perlati. Regio quoque cordis illiniri poterit oleo de ſcorpion. Matthioli, ſucco citri aut limonum diſſoluto.

Et præſcriptis omnibus conveniens vivendi ratio erit addenda: ita ut incolat aerem purum & loca amœna. Victus ſit refrigerans & humectans, ut ptiſana hordeacea; edulia ex lacte parata; fructus horarii; Olera refrigerantia & cruda & decocta. Vinum denegari non debet, quoniam exhilarat cor hominum: ſed ſit album & tenue. Somnus diuturnus competit: delirium enim ut plurimum ſedare ſolet. Exercitium ſit moderatum. Alvus lubrica ſervetur prunis damaſcenis aut gallicis in vino dulci decoctis, & ſaccharo aſperſis, prima menſa comanſis. Solitudines ſunt divertendæ, & in amicas atque geniales converſationes convertendæ. Quæ omnia ſunt hoc anni tempore peragenda; ſicut ineunte Autumno levi præmiſſa corporis expurgatione, venæ ſedales erunt hirudinibus aperiendæ, aut ſaltem ex pede ſanguis mittendus, ut utilitas à Medicamentis comparata conſervetur & augeatur. *Idem ibidem.*

Malancholia cum Epilepſia, primo per conſenſum, mox eſſentialis.

Nobiliſſima Comitiſſa vigeſimum ſeptimum annum agens, temperamento totius, & jecoris, calido & ſicco, habitu mediocri, colore in facie roſeo, quinque filiorum mater, promiſcua victus ratione uſa decem & novem abhinc menſibus, tempore æſtivo duplici tertiana continua utero gerens fuit correpta, à qua intra menſem, adhibitis præſidiis medicis, fuit liberata, & ſuo tempore bene peperit, tunc ſatis expurgata; à partu tamen, menſtruis purgationibus ſuppreſſis, incepit fieri melancholica, cum timore, mœſtitia; interdum cum riſu inordinato. In hypochondriis murmura, rugitus, tenſiones ſubortæ ſunt, alvo dura. In oculo ſiniſtro imminuta viſio, ut diſtantia omnia confuſa apparerent, nec diſcernebat, etiamſi pupilla lucida eſſet. Continuus pruritus cum fœda & humida ſcabie per totum corpus: ac duobus abhinc menſibus, eo tempore quo menſtruæ purgationes fluere ſolebant ſingulo menſe, duplici accidenti epileptico fuit correpta, cum motibus convulſivis in brachiis & cervice atque oris ſpuma: à quibus accidentibus magis melancholica evaſit, modo muta, timida, mœſta, loqui recuſans; modo inordinata verba cum profuſo riſu profundens. Si interrogetur, varias preces & orationes ſibi familiares loco reſponſi recitat. Bene ſe habet ad oblata, bona appetentia, nocte dormit, viribus conſtat, pulſus magni, conſiſtentes. Circa veſperas aliqua febris, & fœda ac humida ſcabies, magis copioſa, cum

cum pruritu moleſto in toto corpore hoc tempore perſeverat. Varia præſidia adhibita, prima, ſecunda, tertia & quarta expurgatione cum lenientibus, levibus purgantibus, ac ſero depurato; humores præparati prius ſyrupo acet. ſimpl. ſolo, poſtea cichoraceis, tum emollientibus, tum moderate aperientibus. Sanguis extractus bis ex pede tempore menſtruæ purgationis; tempore verò intermedio ex brachio, ex venis ſedalibus; qui fuit craſſus & niger. Varia cordialia adhibita, & ſimiles inunctiones. Cauterium unum geſtat in coxa. Hanc veram relationem paucis ſcriptis mandavi, ut ab Illuſtriſſimo Viro, pro hiſce morbis debellandis, genuinam directionem & medicamentorum deſcriptionem quamprimum obtineamus.

Timor & mœror, quibus detineri cœpit Comitiſſa Illuſtriſſima multis abhinc menſibus, poſt menſtrua conſueta ſuppreſſa, characteres fuerunt, melancholicum affectum deſignantes, qui Patientem eandem obſcure melancholicam reddebant: verum adaucto affectu ipſo, cauſis ejuſdem adauctis, paulatim manifeſte melancholica facta eſt, dum ad manifeſtam mentis alienationem devenit, cum timore & mœrore ſine febre. Et quoniam Melancholici facile Epileptici fiunt, dum à mente ad corpus melancholicus humor tranſitum facit, idcirco epilepticis quoque inſultibus correpta fuit: nil aliud enim eſt Epilepſia, quam Convulſio non perpetua, cum principum actionum abolitione: quem affectum magis confirmavit ſpuma circa os; & hæc omnia unicuique Medico patere poſſunt: Cauſa autem rite & recte inveſtiganda; & hanc fuiſſe menſtruorum ſuppreſſionem manifeſto apparet. Sedes horum malorum in dubium revocari poſſe videtur, cum ex una parte hypochondria eſſe ſignificent in ventre murmura, rugitus, tenſiones, exiccatæ fœces, & ita hujuſmodi affectus per conſenſum ab hypochondriis fieri videntur. Ex altera tamen parte, cerebrum eſſentialiter affici nobis demonſtrat potiſſimum, continua mentis alienatio, quæ modo cum taciturnitate, cum multum loqui Phreneticorum ſit, tacere verò, Melancholicorum: modo cum riſu, quia delirium à ſanguine fit: modo cum piis meditationibus & orationibus, dum ſanguis ipſe ad aliquam exuſtionem duducitur, nunquam tamen cum furore, cum vere atra bilis non concurrat, neque hucuſque hic locum habeat. Et quamvis dicat Hipp. quod ſi menſtrua plura fiant, accidant morbi; & ſi non fiant, ex Utero morbi contingant, & ideo ex jam ſuppreſſis menſibus, ſedes horum affectuum in utero repoſita videatur; nihilominus ſicut ab utero & hypochondriis primam originem duxiſſe cenſemus; attamen progreſſu cauſam ipſam in cerebrum irrepſiſſe, & tandem cerebrum eſſentialiter affectum fuiſſe non dubitamus, dum tota maſſa ſanguinea à menſtruo pravo ſanguine inquinata, & circulando per venam cavam ad cor, indeque per arterias carotidas cerebrum unà cum exhalationibus melancholicis elata, in arteriolis aliqua ex parte hærens, propria opacitate cum Averroe, & nigredine cum Gal. ſpiritus animales obtenebrando, non ſolum timorem atque mœrorem, ſed aliquam quoque intemperiem imprimendo, imaginationis atque diſcurſus depravationem induxit, & ita melancholicum delirium & affectum epilepticum in habitudine conſtituit, quod ad habitum deduci ſolet, ſpreta intemperie, & ſanguinis impuritate non curata: cujus impuritatem nobis patefacit univerſalis ſcabies; præterquam quod rariſſimè datur mentis depravatio, puro & probo exiſtente ſanguine; ut propterea Ariſt. & ante ipſum Hipp. pronunciaverint, quod Prudentia in probo ſanguine conſiſtit, & probus ſanguis quam maxime ad Sapientiam conducit. Viſio verò imminuta, ita ut longinquiora objecta ægrè diſcernere valeat Illuſtriſſima Patiens, Myopia acquiſita, ſive Nyctalopia potius, quam Amblyopia, nuncupanda erit, ex defectu ſpiritus viſorii propter obſtructionem optici nervi à materia potius flatuoſa, ſed craſſa, quam humoroſa productam; ſicut quandoque à melancholicis evaporationibus ab hypochondriis elevatis, fit viſionis obſcuritas, veluti ſuffuſioni ſimilis.

Sunt omnes affectus graviſſimi & curatu difficillimi: cum non ſolum à ſanguine melancholico, & ab hypochondriorum atque uteri obſtructionibus proveniant, verùm etiam ab intemperie, tum fervida jecoris, tum ſicca cerebri; attamen cum affectus ipſi recentes ſint, Patiens non adhuc conſiſtentis ætatis, bene ſe habeat ad oblata, atque dormiat; temperamentum ſit calidum & humidum, ſalus deſperanda non eſt, eaque petenda à propriis & ſelectioribus remediis à fontibus Medicinæ exhauriendis; primas vias mundando; Viſcerum obſtructiones aperiendo; Maſſam ſanguineam depurando; Intemperiem tam calidam jecoris, quam ſiccam cerebri corrigendo; Cardiacis ſpiritus exhilarando, & epilepticum affectum nonnullis appropriatis reſpiciendo; Corporis ſuperficiem detergendo; totumque renutriendo.

Et quoniam primæ intentioni jam ſatisfactum erit; ideo ſecundæ ſatisfaciendum, aperientibus, refrigerantibus & humectantibus; Præbeatur itaque flos caſſ. ad ℥. iii. cui poſt horam ſuperbibat ſeri capr. depur. libram, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Sequenti verò die offeratur aqua ſtillat. malvæ ad ℔. i. in qua diſſolvatur ſemidrach. ſalis prunellæ. Tertia die repetatur caſſia ut ſupra, quarta, aqua cum ſale prunellæ, ita alternatim xx. diebus perſeverando; Et ſeptimo quoque die præbeatur caſſia cum rhabarb. cui ſuperbibendum offeratur ſerum depur. ad ℔. ii. Interim ſanguis educatur ex Jecoraria dextera, & ejuſdem qualitas diligenter obſervetur: facile enim eductio ex altero brachio poſt aliquot dies repetenda erit; tempus tamen eligatur diſtans à diebus conſuetæ, quamvis ſuppreſſæ, menſtruæ purgationis. Tranſactis jam dictis diebus, ad ulteriora Præparantia erit deveniendum, ſuccis herbarum depur. potius, quam ſyrupis ſaccharatis, ut

℞. Succi depur. cich. borag. fumar. an. ℥. j. decoct. cich. endiv. meliſſæ, ſcabioſæ, pom. dulc. ℥. iiii. m. pro ſyr. & ſic pro aliis; in quorum uſu xv. diebus erit inſiſtendum, & quinto quo-

quoque die Purgans ex extracto ſenæ & veratri nigri cum flore caſſ. erit præbendum, cui ſemper copioſum ſerum ſuperbibendum, propinetur. Et hoc tempore, ut dictum fuit, iteranda erit ex ſuperioribus venis ſanguinis miſſio Quibus peractis, quamvis ſanguine quodammodo depurato & tenuiori reddito, menſtrua purgatio reverti poſſet; attamen aliquot diebus matutinis horis aqua ſtillat. capill. Ven. & artemiſ. cum ſale ejuſdem exhiberi, & eodem tempore ſanguis ex ſaphæna pedis, ſed parce, detrahi poterit.

Intemperiem & calidam jecoris, & ſiccam cerebri, commode corrigere valebit uſus lactis primis xx. diebus aſinini, reliquis autem caprini ſummo mane cum ſaccharo: cui in hoc caſu ſuperdormire permittatur Illuſtriſſimæ Patienti. Quo eodem tempore multæ, ſed parvæ cucurbitulæ, toti dorſo & coxis apponantur, modicum primo exeuntis ſanguinis tantummodo extrahendo; atque tandem aliquam inunctionem extergentem & exiccantem præſcribendo: & ſi poſſibile fuerit, balneum aquæ dulcis inſtituendo, malva, violis, lactuca, nymphæa & ſalice alteratæ, qua eadem capiti quoque, ſi fieri poteſt, lotiones adminiſtrentur. Cardiaca temperata eſſe debent, ut Magiſterium margaritarum, aut julapium perlatum cum aq. ſcorzon. & ad ſummum tot. citri; quandoque ſal cranii hum. cum aq. pæoniæ; aut Conſervæ lil. convall. aut è flor. rutæ caprariæ. Et tandem ut totum corpus renutriatur, in uſu lactis ad menſes perſeverandum erit. Congruam addendo victus rationem omnibus intentionibus ſatisfacientem: quæ ideo frigida & humida eſſe debet, ut affectus maniacus arceatur, & melancholicus remittatur; Et propterea convenient edulia ex lacte parata. Ex fructibus, pyra, & poma cocta & cruda. Ex herbis, endivia, maximeque lactuca. Piſces ſaxatiles elixi concedi quoque poterunt. Vinum omnino interdicendum, & aqua ſtillat. ex borag. & pom. dulc. pro potu paranda; reliqua autem omnia Excellentiſſ. Viro Adſtanti præſcribenda. *Idem ibidem.*

Melancholicus affectus mirabilibus ſymptomatibus comitatus.

Illuſtriſſimus Comes annorum ſexaginta, temperamenti ſecundum totum calidi & humidi, hepatis tamen calidioris, habitus mediocriter carnoſi, qui ſemper liberè vixit, & Veneri indulſit: hæmorrhoidas tumentes habens multis abhinc annis, ſanguinem etiam interdum, ſed moderate fundentes; menſe Maio proxime præterito pati cœpit difficultatem quandam anhelitus cum ſenſu ſuffocationis, à ventriculo uſque ad guttur aliquid aſcendere percipiens, quod ſtrangulationem minari ſibi videtur; ut propterea decumbere non poſſit, ſed ſurgere atque ſedere cogatur. His accedit in temporibus conſtrictionis ſenſus & functionum omnium animalium torpedo quædam atque ſtupiditas, abſque tamen earundem, aut ſenſuum abolitione; quæ omnia integra hora, vel paulo ulterius protrahuntur atque perdurant, & ut plurimum ſuperveniente ſudore ſolvuntur. Quoniam vero frequentes facti fuerunt jam dicti inſultus, & ſe quotidie graciliorem reddi obſervavit, Excellentiſſimis Medicis ſeſe commiſit, qui congruam Purgationem inſtituerunt. Verum quoniam ſanguis ab hæmorrhoidibus erumpere cœpit, & adeo copioſe, ut unico die ſanguis ad integram libram fuerit effuſus, à Purgatione deſtitit Illuſtriſſ. Patiens, & opus naturæ reliquit: quæ quoniam malum ſuperare non valuit, ad opem medicam rurſus confugit: etenim in præſens perexiguo itinere pedibus ab eodem tentato, inſurgit ſpirandi dificultas, jam dictis ſymptomatibus comitata; quæ ſuperveniente ſudore, ut ſupra, ſolvuntur. Dum igitur ad nos pervenit, abdomen totum manibus exploravimus, & tenſionem quandam ſtatim ſub Pyloro obſervavimus, nec meſenterium ab obſtructionibus prorſus immune invenimus: flatuoſitates quoque frequenter in ventriculo Comitem Illuſtriſſ. percipere, & ab iiſdem per ſuperiora erumpentibus valde juvari accepimus: necnon præter conſuetudinem & ſine cauſa manifeſta melancholicum quodammodo redditum eſſe intelleximus. Et idcirco de agendis pro ſalute conſulit.

Nullum invenimus morbum magis Protei mores æmulantem, quam melancholicum: ſiquidem mille facies mutat, & perſonatus ſemper incedens innumeras ſpecies imitatur: dum modo incubi, modo comitialis, modo ſyderationis, ſuffuſionis, palpitationis, inſaniæ, quinimo etiam demoniacæ affectionis formam induit, & quandoque innominatos relinquit affectus, quos ſub titulo melancholicæ affectionis reponere cogimur, ut præſentem Comitem Illuſtriſſ. divexantem reponimus: rejectis & excluſis cæteris omnibus cum quibus ſimilitudinem & analogiam quandam habere videtur. Quamvis enim effectus morboſi ſupra ſeptum obſerventur, mineram tamen infra non ſolum in vaſis, ſtatim infra ventriculum exiſtentibus, ſed in Pancreate quoque reperiri minime dubitamus: foventibus quoque affectum hunc Meſenterii & lactearum obſtructionibus; quo factum eſt ut quandoque, & præſertim in motu, dum ambulare conatur, minera ipſa exuſta commoveatur, indeque vapores ſive exhalationes eleventur, quæ ſeptum comprimentes, & facilè etiam per œſophagum aſcendentes ſpirandi difficultatem & ſuffocationis ſenſum repræſentent: ſicut per venas ad cor uſque, indeque per Carotidas caput petentes, tempora diſtendentes, conſtrictionem in iiſdem excitant, atque hærentes in cerebro, ſpiritus animales & operationes ipſas propria craſſitie atque aciditate torpidas reddunt. Solvitur autem acceſſio accurrente copia ſpirituum, ipſos vapores ſiccos ita humectante atque madefaciente, ut eoſdem, ſub forma ſudoris ad exitum diſponat. Quia verò continuo aliqua ejuſdem vaporis portio ad cor & cerebrum fertur: idcirco vel primis, vel ſecundis qualitatibus, ut cunque ſit, melancholiam quandam inducit, ut propterea mineram eſſe præcipue ſanguinem craſſum ſtagnantem, mox etiam cibum crudum cenſeamus: quem ſuperioribus annis per vaſa hæmorrhoidalia ad venas ſedales deponere ipſa natura tentaverat. Neque mirum quod totius gracilitas paulatim ſuccreſcat, affectis nimirum, & coaffectis partibus

tibus alimentorum concoctioni & diſtributioni inſervientibus.

Agendum igitur ut Illuſtriſſ. Comes ab affectu præſenti vindicetur: quando enim Hipp. ait, quod De ſe affectus hujuſmodi lethalis non eſt, notandum, quod ſubdit, Niſi eidem aliquis alius ſuperveniat affectus; dicamus vero nos, vel in capite: Melancholici enim facile fiunt Epileptici; quinimo & plures alii morbi ſupervenire poſſunt, juxta illud: In morbis melancholicis, ad hæc periculoſi decubitus, & quæ ſequuntur: Vel in toto, dum obſtructiones adauctæ in tumores degenerant, quibus macies, Atrophia & Tabes quandoque ſuccedunt.

A quibus omnibus ut Comes Illuſtriſſ. præſervetur, & ab affectu præſenti liberetur, expiatis à cruditatibus primis viis, obſtructiones ſunt reſerandæ, & ſtagnanti ſanguini melancholico motus reſtituendus: Quibus intentionibus, medicis auxiliis ſequenti ordine adminiſtrandis, atisfieri poſſe ſperamus.

Et primò, dum peccat humor melancholicus circa viſcera naturalia, docet Hipp. omnium primò crudos & pituitoſos humores eſſe expurgandos, quoniam Melancholici cruditatibus ſcatere ſolent. Quare præſcribatur potio ex manna clarif. Deinde Præparans ex julap. acet. & ſyr. de pomis, addita exigua aqua tot. citri, & ſex tranſactis diebus repetatur eadem ſupraſcripta potio. Mox meſenterii obſtructiones aperiendæ, non calefacientibus, neque exiccantibus, ſed emollientibus & parumper attenuantibus: & eſſe poterunt, jus pullæ, malva, borag. endiv, & agrim. alteratum cum expreſſione herbarum poſt decoctionem, in quo diſſolvatur ſal prunellæ ad ſemidrach. Quartò verò quoque die præbeatur Caſſia ad ſemiunciam, cui poſt horam ſuperbibat cyathum ſeri depurati, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Repetat poſtea decoctionem cum ſale prunellæ, deinde Caſſiam, ut ſupra, ſicque alternatim perſeveret ad xv. ſaltem dies. Inde ad lentiorem ſanguinem, magis laxantia & emollientia requiruntur, qualia erunt, ſuccus malvæ, borag. & pomorum dulcium depuraus ad ℥. iii. in jure pullæ, malva, borag. endiv. & ſoncho alterato. Quarto verò quoque die Caſſiam aſſumat ad ʒ. ii. cui poſt horam ſuperbibat cyathum aq. ſtillat. malvarum, & tribus horis ab aſſumpta aqua prandeat; ſicque eodem ordine alternatim perſeveret, ſuccos & Caſſiam aſſumendo, ad xx. ſaltem dies; & interim extrinſecus illiniatur fundus ventriculi & meſenterium linimento parato ex butyro rec. medulla crurum vituli & oleo amygdalino.

Sanguinis miſſionem omittimus, cum jam ab hæmorrhoidibus copioſus ſponte fuerit evacuatus, eumque rurſus evacuari poſſe credamus. Præſcripta omnia Medicamenta propoſuimus adminiſtranda, dum prioribus & paucioribus non ceſſerit affectus; imo ſi neque poſterioribus cederet, ad lactis aſinini uſum tandem deveniendum eſſe arbitramur, quod emolliendi, laxandi, ſubſtantificè humectandi, totumque corpus nutriendi facultatem obtinebit.

Quibus omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, ita ut primò aërem purum incolat & inſpiret. Secundò caveat à carne ſuilla, bubula, leporina; A piſcibus cœnoſis, glutinoſis, ſquamis carentibus, conchyliis & oſtreaceis; a caſeo, à leguminibus omnibus, hordeo & oriza exceptis. Ab eduliis ex paſta paratis, excipiendo vermiculos Apulienſes. Inter herbas, ab apio, fœniculo: à fungis, à terræ tuberibus. Inter fructus, melones conceduntur: rarò ficus & uva, licèt penſilis. Caveat à condimentis aromatum, exiguo cinnamomo excepto; cæparum, allii, aceti. A ſalitis, tum carnibus, tum piſcibus. Vinum ſit maturum, non dulce, non generoſum, & parce bibatur, tantum in prandio, & parciſſimè in parca cœna. Tertiò Somnus confert diuturnus, ſed nocturnus. Quartò Exercitium proderit jejuno ventriculo in ſtatu meliori, dum inſultu corpus exerceri poterit. Quintò Venus prorſus ablegetur, & alvus lubrica ſervetur, paſſulis in prima menſa comedendo, & jus malva alteratum de more bibendo. Tandem vitandæ ſunt intenſæ cogitationes & applicationes; eoque magis, ſi moleſtæ fuerint, & geniales converſationes quærendæ. Hæcque omnia, ut diuturnam & incolumem vitam ducere poſſit Illuſtriſſ. Comes, quam à Deo nos eidem enixe precamur. *Idem ibidem.*

Melancholia Eſſentialis.

Illuſtriſſ. Comes temperamenti ſatis laudabilis; quoad colorem & corporis habitum, ut videtur, Euſarcon, liberali & ſpecioſa corporis magnitudine præditus, floridi coloris, annorum 26. inter Nutricis ubera, quartanæ ſimplicis & intermittentis ærumnas tulit, naturæ tamen & Artis adminiculis liberatus. Illuſtriſſimi Juvenis Matrona Mater per plures annos melancholicis omnibus affectionibus divexata, tandem lethargica obiit anno elapſo, ætatis ſc. ſuæ quadrageſimo. Ille interim poſt nuptias Illuſtriſſimi fratris melancholiæ præbuit argumenta; Timor enim diutius durans, ſive fiat à cauſa manifeſta, ſive ab occulta, eſt ſemper ſignum melancholicum. Si metus atque mœſtitia longo tempore perſeverent, melancholicum eſt ſignum, ex Hipp. 6. aphor. 23. Si quis non manifeſta de cauſa metuat, aut mœſtus ſit, atræ bilis ſunt manifeſta ſymptomata, maxime ſi longum tempus perſeveraverint. Propter cauſam tamen manifeſtam orta ſi ſint, & deinde perſiſtant diu, inſaniam ſignificare ſcias velim, ait Gal. in com. Poſito Agente, & Paſſo recte diſpoſito, neceſſario poteſt, imo debet fieri actio. Quibus latæ ſunt venæ, multus ſanguis & calidus generatur, affatim in melancholicam intemperiem incidunt. Hæc autem melancholia non eſt mirachialis, à Galeno deſcripta 3. de loc. aff. 7. ſed eſſentialis, & per conſenſum à toto venoſo genere: nam tota maſſa ſanguinea ſcatet melancholicis humoribus à prædominio, cum ſubdominio bilis, horum facilis proventus propter hæreditariam diſpoſitionem & errata in potu vini fulvi meracioris, vulgo vocant ſforzato, quod caput petit & ferit. Bene appetit, bene concoquit, bene nutritur; quoniam corpora quæ bene nutriuntur, adipem & pinguedinem obtinent; ſed fere ſemper furtim comedit, & cum hac falſa opinione, veneni

nem clam exhibiti. Horum omnium ſenſus eſt index. An hujuſmodi admiranda deliramenta ſint fere connaturalia, corporis incremento adaucta, an potius morboſa, & quæ curationem admittant, Vir Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. decernet: nam hiſtoriam morbi, non conſilium deſcribere conſtitui. Deus, Deiparaque Virgo, Viro Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo faveant, ut ab hac animi atque corporis calamitate vindicetur.

Puderet me ſcribere pro nihili faciente Conſultationem meam, niſi ſcirem, in ſervum aſſiſtentem, non autem in Illuſtriſſimum Patientem, culpam referendam eſſe, & idcirco pro ejuſdem ſalute neceſſaria præſidia poponere non abnuam. Quoniam igitur Comes Illuſtriſſimus ſine cauſa manifeſta, quatuor abhinc annis timidus & mœſtus factus eſt, ideo melancholico affectu detineri neceſſario ſtatuendum; & quia triplex poteſt eſſe melancholica paſſio, eſſentialis nimirum per conſenſum à toto & ab hypochondriis, cum deſint ſymptomata hypochondriaca, in toto melancholicam mineram adeſſe, & pravam diatheſin à ſemine materno contractam, eſſentialem in capite reperiri credendum. Et ſicut labes in toto, conſiſtit in atri & limoſi ſanguinis redundantia, à jecoris fervore & à meraciori potu genita, ita diatheſis melancolica in capite, conſiſtit in intemperie ſicca, frigiditati potius, quam caliditati juncta, quæ tenerioribus annis ab humiditate correcta aque ſuppreſſa, nonniſi anno vigeſimo ætatis ſuæ manifeſtari cœpit, unde timores undequaque procedunt, non ſolum de veneni exhibitione, verum de pluribus aliis falſis ac diſſentaneis objectis. Mœret quoque ob frigiditatem, adeo ut ſocietates abhorreat, & ſolitudinem amet. Verum ſi à toto ſanguis per venam cavam ad cor, & inde per carotidas arterias ad cerebrum delatus, aliquando conſueto fervidior exiſtat, tunc melancholia ad maniam tranſitum facit, quod facile præcognoſci poterit ex intenſiori colore faciei: ut propterea dixerit Hipp. Faciei color bonus mœſtitia vero multa, malum.

Et quamvis affectus iſte altas & naturales radices habeat, quatuorque abhinc annis vires ſuas cum augmento commonſtraverit, adeo ut fere in habitum videatur converſus, ideoque incurabilis; curari tamen debet, quoniam juvenis eſt Illuſtriſſ. Patiens, antequam ætatem conſiſtentem attingat, in qua totius, & capitis calore acriori & acutiori reddito, melancholicum præſens delirium in maniacum atque furioſum migrare poſſet, quo ſtatu vinculis pro ejuſdem & aliorum præſervatione opus eſſet.

Omnia itaque agenda, antequam medicamenta renuat, ut præſens melancholicus affectus remittatur, & ut maniacus arceatur. In quem finem primæ viæ ſunt mundandæ, Secundò Maſſa ſanguinea eſt à fæculento ſanguine depuranda. Tertiò Jecoris, ſanguinis, & vaſorum fervor contemperandus. Quartò Capitis ſiccitas humectantibus remittenda; atque tandem cardiacis alexipharmacis, ſpiritus vivificandi, & cor exilarandum.

Primæ intentioni ſatisfacere poterit leniens ex manna clarificata, ſeptima aut octava die repetendum; cui ſuperbibat ſerum depur. caprinum, aut aſininum ad libras. Diebus vero intermediis aſſumat julapium acet. cum. ſyr. de pom. exigua aqua tot. citri diſſolutum.

Pro ſecunda intentione opportuniſſimi erunt ſucci depur. cich. borag. & pom. dulc. ad ℥. iii. in jure pullæ, endivia, malva, violis, meliſſa & hepatica alterato; in quorum uſu inſiſtat x. diebus. Secunda vero die dictorum ſuccorum aperiatur vena Mediana dexteri brachii, & educatur copioſè ſanguis. Tranſactis x. diebus, præbeatur elect. lenit. cum confect. Hamech, addito extracto ſenæ & rhabarb. cui poſt horam ſuperbibat ſeri depur. libras, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Inde ad ſuccorum uſum rurſus erit deveniendum, nempe cich. borag. & fumariæ, pariter ad ℥. iij. in decoctione in jure parata, ut ſupra. Secunda vero die dictorum ſuccorum aperiatur vena magis apparens ſiniſtri brachii, & ſanguis educatur, prout color & craſſities expoſtulare videbitur. Die ſexta dictorum ſuccorum præbeatur extractum Veratri nigri ad ʒ. ß. cum ℥. ß. flor. caſſ. cui pariter poſt horam ſuperbibat copioſum ſerum ad libras, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Decima vero tranſacta die dictorum ſuccorum, præbeatur Purgans quod caput quoque cum toto reſpiciat, & eſſe poterunt pilulæ coch. præpar. cum helleb. & aggregat; à quibus pariter ſerum depur. copioſum erit propinandum. Quod ſi ſuccos reſpuat Illuſtriſſ. Comes, aquæ ſtillatitiæ ex iiſdem ſubſtituantur.

Pro tertia intentione utiles eſſent aquæ Nocerianæ quindecim diebus aſſumendæ, primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio, cæteris verò cum diuretico. Verum quoniam non adeo facile perſuaderi poterit Patiens Illuſtriſſ. ad aquæ potum adeo copioſum; ideo ſatius erit eidem præſcribere libram aquæ ſtillat. de ſucco cichor. cum julap. viol. quotidie ſummo manè duodecim aut quindecim diebus epotandam. Sed interim hoc tempore vena pedis erit aperienda, & de ſanguinis quantitate penes Excellentiſſimum Adſtantem judicium ſit.

Quartæ intentioni ſatisfacere poterunt intrinſecus Lac aſininum aliquot diebus, reliquis vero caprinum ad dies quinquaginta, vel ſexaginta, quod nuper mulctum cum ſaccharo de more ſummo mane erit exhibendum, Extrinſecus verò balneum aquæ dulcis, foliis malvarum, violarum, ſalicis, ſonchi, lactucæ & Nymphææ alteratum, quod vix tepidum horis veſpertinis viginti diebus erit de more adminiſtrandum, & eadem aqua balnei quandoque etiam caput lavandum, & ſub ingreſſum lecti oleo nenuph. futuræ frequenter illiniendæ.

Tandem Cardiaca alexipharmaca, ſed temperata in uſum ducenda, interna & externa. Ita frequenter bibat hauſtum aquæ totius citri, in qua ſtillentur guttulæ olei de cortic. citri; quandoque Magiſterium corallorum, aut tinctura, aut ſyrup. corallorum Quercetani; extractum quoque cardui ſancti: omnia jam dicta cum agua ſcorzon. aut meliſſæ. Efficaciſſima quoque eſt aqua cordialis Præclariſſimi Saxoniæ ad ℥. i. vel ad ſummum ad ℥. ii. quocunquo tempore haurienda. Extrinſecus cordis re-

cio illiniri poterit oleo de ſcorpion. Matth. ſucgo citri diſſoluto.

Quibus omnibus congrua erit addenda vivendi ratio: prohibendo alimenta vaporifera & valde calida: & vinum paucum, aquoſum & album erit concedendum. Quod ſi extra menſam ſitis urgeat, paretur aqua ſtillat. ex borag. & pomis dulcibus. Fructus autem, olera & lacticinia libenter concedantur. Neque ſolitudo permittenda, ſed converſationes cum amicis ſunt eidem procurandæ, & potius indulgendum, quam objurgandum: & ſumpta occaſione nonnunquam falſæ opiniones corrigendæ, & ut erroneæ eidem demonſtrandæ. Quæ omnia, ſi executioni mandentur, ſalutaria futura ſpero. *Idem ibidem.*

Melancholia à toto.

Mulier annum trigeſimum quartum agens, temperamento ſanguineo, ad melancholicum vergente, bene quadrata, & cui menſes ſtatutis temporibus erumpunt, ac plures partus feliciter edidit; quæ bene dormit, comedit, & quotidie egerit; quatuor abhinc annis cœpit conqueri, cum qualicunque triſtitia & timore, dictitans timere ſe ne rem aliquam incongruam faceret, neve in proprios filios ſæviret, ac eos etiam occideret. Hæc Melancholia perduravit ac perdurat: & quamvis annis elapſis varia ex Arte adhibita fuerint medicamina, à quibus timor & mæror remiſſi ſunt, ac poſt etiam uſurpata medicamenta conceperit ac pepererit, nihilominus ratione ejus temperamenti ac affectionis præteritæ hæreditariæ ad priſtinam mœſtitiam & timorem regreſſa, eſt, quibus in præſens angitur. Aſt quoniam nunc temporis, ipſam in Utero habere cum ratione dubitatur; ideo quid, & hoc tempore, & poſt emiſſum partum, pro integra affectus hujus curatione ſit agendum, ab Excellentiſſ. Viro Medicinæ Anteſignano Mulier ipſa efflagitat.

Nob. Mulierem melancholica affectione quatuor abhinc annis correptam, quam timor & mœror ſine cauſa manifeſta [niſi alia adeſſent ſymptomata) ſat ſuperque atteſtari poſſunt, cauſam affectionis facile in toto venoſo genere habere ex ejuſdem temperamento & & ætate conjicimus; hæcque ad eſſentialitatem, quinimo & ad maniacum affectum vergebat, cum filios ipſos ſe occiſuram dubitaret, quod non ſine furore & feritate contingere poteſt. Præterea affectio hæc diuturna eſt, confirmata & connaturalis, à Parentibus contracta; & ideo pro ſui ablatione generoſiora remedia expoſcere, non eſt in Arte verſatus, qui non videat quorum adminiſtrationem prohibet præſens Conceptio. Et quoniam indicans ſemper à præſenti eſt deſumendum, ideo ſequuto partu, de ſtatu ejuſdem certiores facti in arena conſilium capiemus. Interim ipſius quoque Prægnantis aliqua cuſtodia in victus ratione eſt habenda, calidiora alimenta prohibendo; à vini meracioris potu abſtinendo; & edulia ex lacte parata quotidie offerendo; imò & lactis caprini uſus quotidianus matutinis horis de more cum ſaccharo opportunus fuerit: fructus concedendo, olera quoque & reliqua demum omnia refrigerantia alimenta, donec tempus appetat, quo & maſſam ſanguineam ab humore melancholico depurare, & jecoris calidam intemperiem corrigere, & cor & caput roborare poſſimus. *Idem ibidem.*

Melancholica ſymptomata varia.

Plures ſunt affectus quibus detinetur Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Patiens: Dolor in vertice capitis punctorius extra potius, quam intra cranium, cum puſtulis ſæpe ſæpius efflorеſcentibus, qui dolor non continuus, ſed inordinate periodicus eſt, & facilius exacerbari videtur in Auſtralibus conſtitutionibus. Extat aurium tinnitus continuus & antiquus; Vertigo nonnunquam à cibo copioſo aſſumpto, quæ vomitu ſedatur. Jejuno ventriculo ut plurimum angore quodam, ſeu languore ſtomachi affligitur, à quo Excellentiſſ. Patiens ferè inhabilis & impatiens redditur ad propria obeunda munera atque negotia, ob idque cogitur aliquid cibi & potus aſſumere, à quo afflictio remittitur. Præterea rugitus in hypochondriis, & evaporationes ab iiſdem & à toto in caput aſcendere percipit, potiſſimum verò aliquo ſive novo, ſive malo nuncio audito; neque immunis eſt ab obſtructionibus in hypochondriis, potiſſimum ſiniſtro non ſine aliquo, licet non adeo evidenti, timore & mœrore; arenulaſque rubras, imo tophaceas nonnunquam minxit.

De quo primò conqueritur Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Patiens, eſt Cephalalgia quæ exiſtimanda ſympathica potius, quam idiopathica, quia continua non eſt, & quia adſunt querelæ de infernis partibus male affectis. Partes autem ideopathice affectæ ſunt viſcera naturalia: ventriculus enim non ita validus eſt, ſed humida intemperie affectus; & jecur fervida intemperie præditum, unde ab utroque juges cruditates & generantur & torrentur, quæ aduſtæ per meſenterium tandem à liene attractæ, obſtructiones in eodem præſertim produxere; elaboratæ autem à copia arteriarum in hoc viſcere exiſtentium in ſeroſitates facile ſolutæ ſunt, unde Lien fons aquæ. Serum vero melancholicum per vas breve huic muneri peculiari modo deſtinatum in ventriculum vacuum ſæpe tranſmittitur, quod propria aciditate eundem corrugando, moleſtiam quandam cibi indigentiam præ ſe ferentem parit, quæ à cibo & potu aciditatem illam retundentibus ſedatur. Neque credendum bilem eſſe poſſe à jecore tranſmiſſam: hæc namque potius ſitim, inappetentiam, vomitum & Cardialgiam produceret. Addito vero quandoque ipſi ventriculo objecto, cui conficiendo par ille non eſt, vapores inde attolluntur in anteriorem cerebri ventriculum, qui ſpiritus viſivi rectum motum confundentes & circumvolventes, affectum vertiginoſum inducunt, qui vomitu ſuccedente quieſcit.

Quoniam verò ſicuti affectum hypochondriacum adeſſe omnino credo, ita melancholiam obſcuram additam eſſe ſuſpicor; ab utroque enim hypochondrio & à toto venoſo genere calidæ & aduſtæ evaporationes in caput feruntur, quarum portio alia ſpiritus animales

les quodammodo obtenebrat, & obſcuram melancholiam ſolum producit, quia minera atrabiliaris non eſt: alia per venoſum genus ſecum tenuiores & ſeroſiores humores ducit qui Pericranium & membranam carnoſam ferientes, punctorium illum dolorem inferunt, & viam ſibi ipſis ſua tenuitate parantes erumpunt in puſtulas, concurrente etiam forſitan aliqua humiditate in capite genita, & commiſtione ſalſefacta, cujus culpa ab externis cauſis facillime quoque alteratur, ob calidam & humidam Dyſcraſiam. Arenulæ vero fiunt, dum renes ſuſceptas in ſe cruditates non dimittunt, antequam ex ferventi calore in Tophum coaluerint. De aurium tinnitu in præſens nihil addendum, quandoquidem cura ejuſdem, neque expoſtulatur, neque incaſſum tentanda.

Ut igitur ad meliorem ſtatum Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Vir deducatur, totum per partem poſt partem purgandum; Obſtructiones reſerandæ; Jecoris, renum & totius venoſi generis fervor attemperandus, habita aliqua ventriculi ratione; & tandem caput ante roborationem rarefaciendum.

Iteratam itaque ſaltem ſanguinis miſſionem laudo, ex Jecoraria dextera & ſaphæna ſiniſtra. Tria Cauteria quæ geſtat cuſtodienda: neque objiciatur quod illud à coronali ſutura ad occiput traductum, fuerit ſuſpectum in affectu non idiopathico; namque id tandem factum fuiſſe exiſtimo à Prudentiſſimo & Eruditiſſ. Adſtanti, à Galeno edocto, dicente, quod Licet caput per alterius partis conſenſum laboret, affectio nihilominus ipſi capiti tribuenda eſt. Præterea quod negandum non eſt, ob capitis magnitudinem & ob aliquam ejuſdem calidam & humidam intemperantiam, & ob diuturnam læſionem, quin & in eodemmet ipſo aliqua excrementi portio generetur; quæ ſicuti per revulſionem minime, ita per derivationem commode quotidie excerni poteſt.

Ex Pharmaceutico fonte difficilima erit medicamentorum electio, cum Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Patiens bolos omnino reſpuat, & potiones copioſas, dulces, amaras renuat; quare omiſſis, manna clarif. ſyrupo roſ. melle roſ. ſolut. Lenitivo, confugiendum erit ad parcam infuſionem ſenæ, polypod. & cinnam. clarificatam cum tartaro, & factam in aqua meliſſæ, aut florum citri. Prima præparatio non poteſt perfici melle roſ. & oxymel. aut julapio acet. & ſyr. de cortic. citri cum momento aq. cinnam. ſed cremore tart. ſale menthæ in aqua menthæ, aut florum citri. Purgatio fieri poterit infuſione agarici. rhabarb. ſenæ, ſpicæ, gingib. clarificata cum crem. tartari.

Præparatio ſecunda, neque ſyrupo ex Apotheca, neque ſuccis parari poterit; quare ad tartarum vitriol. cum cornu Cervi volatiliz. confugerem, in jure, ſi fieri poſſit, alterato intybo, borag. lupulis, aſparagis: ſin minus in aqua agrimoniæ. Pro Purgante in ſecundo loco libenter exhiberem Extractum Veratri, præbendo per horas poſtea ſerum caprinum depuratum: namque ad unicum bolum aſſumendum & alias devenit.

Hoc tempore cogitandum eſt de validiori aliquo deobſtruente, cujuſmodi eſſe poſſet ſyrupus Fernelianus cum rhab. ad ℥. ii. in vino albo per duodecim vices: namque deobſtruendo quotidie feliciter evacuaret; quem ſi reſpuat, propinandum erit rhabarb. infuſum in ſero caprino deſtillato, in eodem inſtillando guttulas aliquot chalybis potabilis: in cujus uſu ſaltem per xv. dies pergendum, ut reſerari, poſſint obſtructiones viſcerum, & acres humores evacuari. De aqua Tettuciana non eſt quod loquamur, licet optima foret, ſed de acidulis in Valle Solis Agri Tridentini. Quod ſi pigeat Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Virum illuc ſe transferre, ad aquam Noceræ devenire poterit, ab ipſomet alias cum conferentia expertam: ſubſtyptica namque cum ſit ob terram ſamiam ventriculo non eſt infenſa, & fervori jecoris & renum maxime proderit, neque caput tentabit, ſicut cæteræ omnes minerales facere ſolent. Antequam vero ad æſtivum tempus deveniatur, aliqua ventriculi cura habenda erit, vel ſale menthæ, vel ſale abſynthii, vel vino abſynthite, vel Conſerva, vel alio faciliori modo ab Expertiſſimo Viro indagando. Poſt aquæ aſſumptionem, Balneum aquæ dulcis peropportunum erit, ad contemperandum jecoris, renum & omnium venarum fervorem, præterea quod renes molles ſervando, ægrius calculi generabuntur.

Eodem tempore capiti lavacra maxime profutura cenſeo, ex eadem aqua dulci, alterata malua, violaria, beton. roſis. Sed his efficacius erit ſtillicidium ſuturæ coronali, ex aqua Laſtrenſi ad caput roborandum.

Victus rationem præſcribere fas non eſt, cum Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Pat. Prudentiſſimo & Eruditiſſimo Viro utatur. Hoc unum moneo cum Avic. quod nihil eſt deterius, quam comeſtio ſupra comeſtionem: & mane ſi quicquam aſſumere cogatur, ſit aliqua Conſerva tabulata, aut borag. aut fruſtulum bis cocti panis, cum aliqua aqua, citro aut cinnam. parata.

Quæ omnia proficua reddi poterunt à prudentiſſima directione Excellentiſſimi Adſtantis. *Idem ibidem.*

De Melancholia Hypochondriaca

Juvenis quidam, annorum circiter 27. temperamento præditus Phlegmatico-Melancholico, variis cum obſtructionibus, Lieni à multis hactenus adſcriptis, proximo præprimis anno conflictatus, à quibus tamen acidularum potu maximâ ex parte liberatus; cùm jam omninò ſe reſtitutum crederet, & alioquin naturæ ſuæ viribus confiſus varios in diæta errores, non tantùm ad ebrietatem uſque ſæpe ſæpius poculis indulgendo, ſed & cibis δυσπέπτοις, ut carnibus fumo induratis &c. crebrius utendo, commiſiſſet, primùm à cibo ſumpto anxietates in præcordiis ſentire cœpit, mox, intercedente aliquando intenſa nimis & cum vita ſolitaria ac ſedentaria conjunctâ ſtudiorum ratione, quotidiano ferè dolore capitis, vertigine, tinnitu aurium tentatur præter murmura, ructuſque acidos ſatis moleſtos; æſtu, doloreque in Hypochondriis, præſertim ſiniſtro, circaque ventriculi regionem affligitur, cibi depravati & corrupti per vomitum rejiciuntur; totius

fere macies adeſt, quibus quandoque difficilis reſpiratio, cordis palpitatio, inquies, falſaque imaginatio, alvus adſtricta & urinæ varietas, cum mœrore animi per intervalla rediens accedunt: rebus ſic ſtantibus, æger de ſalute ac ſanitate anxius atque ſollicitus, Medici auxilium implorat.

Reſolutio.

Quod illis, quibus hoſtem aggredi animo conſtitutum eſt, dictitari ſolet, ut quàm cum hoſte congrediantur, prius vires ejus explorent, &,qua id via fieri poſſit,cognoſcant; idem plane tum Experientia, ſtultorum (Empiricos puta incautoſque alios & qui his ſeſe concredidere) Magiſtra, tum Ratio Medicos edocuit, ut, ad ægri lectum accerſiti, ante omnia alia ad Morbi ideam atque cognitionem per apparentias ſive Phœnomena comparandam, operam primam conferant, illa enim cognitione ritè ex cauſarum illius indagine inventa, facilius multo erit, remedia, quibus eundem debellare, & cœteris, ut decet, conſtitutis ſuperare poſſis, invenire: Quod cùm in præſenti morbo tentare animus ſit, æquum maximè fuerit, ante omnia, morbum ipſum ut exploremus, cujus expenſis phœnomenis ultro patebit, arbitror, morbum, quo æger hic noſter laborat, eſſe Melancholiam Hypochondriacam. Satis enim illud produnt antegreſſæ obſtructiones, ventriculi imbecillitas, anxietates à cibo, reſpirandi difficultas, aurium tinnitus, flatus copioſi, in ructus erumpentes, Hypochondriorum æſtus ac dolor, & quæ cœtera ſunt in Hiſtoria enarrata; verum Hypochondriacæ paſſioni Melancholicum quoque affectum adjungi, atteſtantur mentis confuſio,triſtitia ſine cauſa ipſi ægro manifeſta,pathemata & mœrores animi;Hæc igitur,ne gratis dixiſſe, vel in cognirione morbi deceptus videar, operæ pretium erit, phœnomena iſta ſingula examinare, id quod priuſquam fiat, non abs re fuerit opinor,quid Medici per melancholiam hypochondriacam intellectum velint, paucis inquirere.

Dicitur a. Affectus, quo præſens Æger laborat [ſignis, omnibuſque attendendis attentis, riteque perſitatis) hipochondriacus (1.) à loco nempe, in quo primariò mali fomes hæret, hypochondriis puta, quorum nomine veniunt omnia in abdomine ſeu infimo ventre viſcera contenta, ventriculus cum inteſtinis tam tenuibus, quàm primario craſſis, coli præcipuè pars hypochondrium ſiniſtrum occupans, atque ex anguſto in anguſtum angulari figura curvata ad renem ſiniſtrum ac Lienis regionem vergens; hinc (2) etiam Spleneticus vocatur, à loco viciſſim affecto, liene ſcilicet, qui principaliter hic affici vulgò, ſed falsò creditur, id quod ex ſeq. planum fiet, & tandem (3.) ut in levioribus hiſce breves ſimus, melancholicus, ſive melancholia hypochondriaca & flatuoſa dicitur, vernacula noſtra, *die Miltzige Hertzdruckung dio Miltzbeſchvverug, das Miltzflechen, die Millz-Melancholey.*

Definiunt autem (ſed deſcriptione potius Medica, quàm Logica definitione) hunc affectum, quòd ſit, Delirium abſque febre & audacia, ſed cum triſtitia, mœrore & anxietate, citra manifeſtam cauſam, à ſanguine, craſſitie & fœculentia, ex acido illo vitioſo Triumviratus, (ſit venia verbo) obſtructiones inteſtinorum, variaque in hypochondriis ſymptomata cauſante,commaculato,elevato & cerebro communicato, Spirituſque animales inquinante ortum ducens.

Generis vel conceptus convenientiæ locum occupat delirium, in hoc enim convenit cum aliis immanibus deliriis, Phren. ſc. Mania, Hydraph.&c. Reliqua deſcriptionis verba differentiam tum à ſubjecto, tum, à cauſis & adjunctis ſympt. deſumptam, conſtituunt.

Vidimus equidem in ante dictis, ægrum noſtrum, Melancholia Hypochondriaca affici, verum enim verò eundem plane morbum eſſe, quo æger noſter affligitur, ut unice convenire cum illo qui in ante allata deſcriptione proponitur, probandum reſtat, quod ut in actum ducamus, à ſubjecto ordiamur oportet, poſito enim tali ſubjecto p. n. habente ponatur & ipſe morbus neceſſe eſt.

Faciliori namque viâ in Morbi notitiam & Curam venimus, ſi prius ſedem ejus ſive ſubjectum oſtenderimus, circa quod variæ Autorum ſententiæ nobis occurrent: Conſtat quidem, Cerebrum, Spirituſque animales maximè hîc affectos eſſe, num vero primario, an ſecundario? hic indigitandum, nam complicato affectui competit & complicatum ſive duplex ſubjectum, quorum unum principale, ſalutatur, ſubjectum a. primarium non unum idemque ab omnibus cenſetur; Quidam ſolum Lienem cum Ventriculo & Meſenterio ex Epate, per vas venoſum attrahentem craſſum ac limoſum ſuccum, Melancholicum dictum, illum alterantem, atque ex ipſo conveniens ſibi alimentum elaborantem, reliquumque inutile ad ventriculum per vas breve amandantem, ſubjectum mali hypochondriaci judicant, inter quos Galenus potiſſ. & Avicenna. Sunt & qui in hoc affectu Pancreati& Peritonæo, ceu facit Sennertus: vel Meſenter. tanquam corpori, cloacæ ſimili multum attribuunt, uti Schenckius: Alii in ramis venæ Portæ & arteriæ cœliacæ, ac meſentericæ majoribus, qui ab epate & liene ad ventriculum & vicina loca tendunt, ſedem cauſæ hujus affectus conſiſtere ſtatuunt. Verum rationes omnium ſubjungere, aut quaſdam ex illis examinare velle, inſtituti ratio haud permittit; utatur quilibet ſuô hîc ingenio, modo meam de hac re ſententiam exponere mihi liceat, ubi quidem ſilentii peplo involvenda neutiquam erit Helmontii opinio, quâ ſuo hujus loci Duumviratui male habenti, vel ob poteſtativam facultatem minus rectè gubernanti culpam adſcripſit; intelligit autem per Duumviratum, mutuum Lienis cum ſtomacho commercium atque conſpirationem, & demonſtrare conatur, ſplenem inſpirare fermentum digeſtivum ſtomacho atque cerebrum obedire deliro Duumviratui, Laxa enim, inquit, atque confuſa ſunt cerebri phantaſmata ſi ſplenis noxa incurrat, quod patet in delirio febril. Hypochondriacis &c. & caput per ſolum actionis regimen auſcultare ſtomacho, nam vertiginem è ſtomacho prodire, ibidemque eadem radice, qua ſyncopen, provenire explicat, ali, atque ſic in Duumviratu animam eſſe ſtatuit: videſis tr. ejus de ſede animæ & Jus Duum-

Duum vir. inſcript. Verum enim verò præterquam quod valde obſcura ſint quæ affert, & quædam etiam à vero non parum abludant, in reliquis præter nomina parum novi adferre in medium videtur. Lienem pro ſubjecto hujus affectionis principali plurimi Autorum ſtatuentes reperiuntur, quorum ſententia inferius ubi de cauſis agendum, prolixius proponetur; Reſtat ut noſtram de ſubjecto tum princip. tum minus princ. ſententiam addamus. Illud itaque hypochondria eſſe, in ſpecie autem inteſtina ſub hypochond. ſiniſtro contenta, jejunum ſcilicet, potiſſ. autem Colon, cum Excellentiſſ. Ettmuller. ſtatuo, quod & probat Schenck. lib. 3. obſervat. 17. p. m. 363. ubi de Colici doloris novis agens obſervationibus, dicit quosdam melancholia affectos omnia timuiſſe & mirificas metuendi cauſas ſibi finxiſſe; id quod etiam teſtantur juvantia, ſicut idem lib. 1. obſervat. 7. p. m. 135. obſervationem huc facientem recenſet, de Juvene Melancholia difficili, cum diuturna alvi adſtrictione detento, qui poſt multorum remediorum inutilem uſum, clyſtere tandem injecto, & Sirup. de rhabarb. exhibito, intra paucos dies convaluit: Facit etiam huc, quod teſte eod. Schenck. d. l. Colicus morbus Hippocrati, omnibusque ferè veteribus vel ignotus, vel alio nomine, Ilei ſcilicet, deſcriptus fuerit; quia autem diverſa ſunt ſymptomata Ilei & Colici doloris, putandum cenſeo, Colicum antiquitus quidem innotuiſſe, ſed hypochondriacæ affectionis, ſive ab Arabibus Mirachialis nomine vocatum fuiſſe, eò quòd abdomen Arabibus Mirach vocetur, in quo loco plurimi flatus percipiuntur, ſola verò præconcepta opinione, ac ſine ratione manifeſta Lienem, ejusque parenchyma tanquam obſtructum & infarctum hic incuſarunt: Inteſtina autem in noſtro Juvene maxime pati atque revera ſubjectum conſtituere, confirmat tandem ſymptomatum congeries, rugitus & murmura in hypochondriis, inflatio, flatus, æſtus, dolor, quæ omnia ex Liene proficiſci, quis aſſerat? Sed inteſtinis, ſpecialiter vero Colo collectione pituitoſo-Melancholica infarcto proprium; ut flatus cum murmure intus occultentur; lienis enim parenchyma hoc neutiquam, neque etiam inflationem admittit. Hoc v. ſcilicet minus principale ſubjectum ſive remotius, Cerebrum cum ſpiritibus animalibus, craſſitie atque impuritate ab admixta aliena materia & præcipue Melancholica ſive acida, & denique corpore ſive motu imminuto contaminatis, eſſe, abunde oſtendunt vertigo, tinnitus aurium, falſa imaginatio, mœror animi, aliaque in diagnoſi propoſita & explicata phœnomena, quæ nonniſi in cerebro, ejusque animalium p. n. conſtitutione quærenda eſſe, fuſius ibidem oſtendetur; ſecundario etiam cerebrum laborare probat hiſtoria, ab Exc. D. D. Meibomio, Profeſſ. in Julia Celeberrimo, in illuſtri quadam perſona obſervata, & alicubi (locus jam non ſuccurrit) recenſita, quæ cum doloribus inteſtinorum colicis in ſpecie admodum eſſet obnoxia, quoties hi gravius ingruerent, citra ullam febrem delirare incepit, non prius mentis amotione ceſſante, quam dictus ceſſaret dolor.

Cognito ſic morbi hujus ſubjecto ac perſpecta ipſius ſede genuina, æquum eſt, ut jam ad enucleandas ipſius Cauſas progrediamur; is enim ſcire haud poteſt, quomodo morbos curare conveniat, qui unde hi ſint, ignorat, notante Celſo. lib. 1. Reperio autem tot ferme de cauſa hujus affectus ſententias, quot mihi ſcriptorum libros inſpicere contigit; ut pauca tamen ex his afferam, Veterum alii in Calorem immoderatum venarum Meſaraicarum, quæ ad ventriculum & inteſtina deducuntur, obſtructionemque earundem à craſſo ſanguine ortam, & ex his generatos vapores ad caput aſcendentes, ibidemque Spir. ac mentem perturbantes, cauſam mali referunt, inter quos eſt Rondeletius, qui ipſemet hoc affectu laboravit, verum obſtructiones illæ viſcerum effectus potius atque morboſa producta ſunt ab intemperie & materia viſcida atque craſſa oriunda; Alii hunc affectum fieri propter antipraxiam viſcerum putant, intemperiem nempe ventriculi & Epatis, illius frigidam, hujus vero calidam, aiuntque ventriculum hic in cauſa eſſe, ut chylus propter frigiditatem ipſius ſubſtantiæ ſemicoctus trahatur à calido hepate, cujus minimum in cruorem, reliquum verò omne in excrementum faceſſere credunt, quæ dein anſam præbeant variis corporis incommoditatib. ac obſtructionibus, unde flatus, vaporesque aduſti oriantur ortique alias partes per conſenſum afficiant, hinc delirium ſi ad cerebrum ejusmodi fumoſæ exhalationes ferantur, anxietas & triſtitia ſi ad Cor: ſed viam, per quam halituoſi illi flatus ac vapores ex Hypochondriis ad Caput & alias partes ferantur, non unâ omnes ratione determinant, quidam enim uti Helmont. & ex Recentior. alii plane negant, poſſe tales vapores atque effumationes immediate ad Caput ferri, quia ex ventriculo & aliis partibus nihil poſſit deferri ad cerebrum niſi per vaſa: Suum autem duumviratum hic extollens, omnem fere moleſtiam in pylori furorem, ex gas quodam flatuoſo ortum & Pancreas referens, cerebrum plane innoxium cenſet, duumviratui enim adſcribit proprium intellectum, vim nempe phantaſticam animæ, ubi autem Meſenterium non excludit, ponit enim originem primorum ſenſuum in ſtomacho & primorum motuum in ſplene, in quo omnium perturbationum energia poſita ſit, cui & mariti nomen, illi autem nomen mulieris attribuit: Pertinet huc Paracelſi Tartarus, qui nihil aliud eſt, quàm ſuccus acidus facilè coagulabilis vel coagulatus, vitioque primæ digeſtionis hoc eſt. ventriculi fermentationis & ſecum vitioſæ ſeparationis generatus, quod ſi minora & anguſtiora obſideat vaſa, eaque oppilet, obſtructionum author exiſtit. Galenus & qui hunc ſequuntur cauſam ponunt eſſe atram bilem, quæ ex ſanguine in liene ſeparetur & Mæ S. iterum communicetur; quamvis verò Lien hic non ab omni culpa immunis ſit, contra beneficium tamen naturæ eſſet, ſi ſegregaret excrementum ac iterum Mam. S. eò inficeret, dum enim Lien laborat vitio, vel obſtructione, ita ut pori in fibris nerveis Lienis obſtruantur, ſpiritus etiam non poſſunt affluere & ſanguinis coagulationem præſervare, fluxibilitatemque conſervare, unde ſanguis redditur Melancholicus hoc eſt, acquirit craſſitiem

& fœculentiam: verum hæc omnia producta potius morboſa, quàm cauſæ radicales videntur. quod confirmat Sylvius, qui diſp. de Liene dicit, ſe in cadaveribus longe ultra 100. diſſectis & ex his plurimis per omnem vitam malo hypochondriaco, melancholia &c. laborantibus, imò ob illam extinctis, ſemper ſatis ſanum ac floridum obſervaſſe hoc viſcus, nunquam vero inflatum, induratum, vel obſtructum. Ortum autem hujus affectus adſcribit Succo Pancreatico acidiori & pituitæ ſatis copioſæ ac viſcidæ permiſto, bile interim exiſtente valde inerte, vitiatoque ſic Triumviratu, (ut cum eo loquar) cauſam hujus mali explicat; Nos igitur in tanta ſententiarum diverſitate, cui noſtrum adjiciamus calculum, vix. invenimus, ecquid tamen ſentiamus, aliquo modo circa ſubjecti enucleationem veritatis inquirendæ gratia indicavimus, hinc etiam nunc ultimæ huic ſententiæ ſubſcribimus.

Antequam verò Cauſam Immediatam uberius exponamus, operæ pretium erit, pauca quædam de œconomiæ animalis ſtatu diſſerere: Uti g. vita eſt in ſanguine & ſpiritu, ita & ſanitas ac morbus ſunt ac dependent ab illis effective & radicaliter, ſuntque in partibus continentibus non niſi relativè. Jam ſpiritibus & ſanguine naturaliter ſe habentibus, corpus erit ſanum, ſpiritu verò & ſanguine p. n. diſpoſitis, actionum ſequitur læſio, ſive corpus ægrotat: diſpoſitiones autem illæ p. nat. oriuntur à læſa ſanguinis fermentatione, fermentiſque viſcerum depravatis; Spiritus peccant vel influxu, vel motu, deficientes in debita ſubtilitate. Hinc ob partes ſolidas non tam lædi actiones, quàm impediri, à quibuſdam dicuntur, vitiata nempe ſua organica conformatione: Unde & hæ Lieni & Meſenterio vulgo adſcriptæ obſtructiones abſque dubio ex ventriculi fermenti nimis acidi depravatione, indeque orta depravata cruditate acida, vel ſucci Pancreatici nimio acore ortæ fuerunt, (omne enim acidum extra ſtomachum & ductum Pancreaticum hoſtile corpori, vel tantillum intra Meſaraicas venas admiſſum ſexcentorum morborum cauſa exiſtit annuente Helmont. C. de ſextupl. digeſt. aliment. p. 131.) quod prægreſſa diæta, ut & juvantia medicamenta, nimirum acidum abſorbentia manifeſtè produnt. Antipraxia illa viſcerum, ſtomachi nempe frigida & hepatis calida intemperies, quæ plurimor. affectuum mater & hîc quoque à multis cauſa ſtatuitur, ſua non caret difficultate, niſi quis talem in viſcere intemperiem vocare velit, ſi fibræ à natura vel flaccidiores, vel rigidiores fuerint, ſique tubuli magis vel minus ampli exiſtant, nam ventriculus accuſatus, quoad ſubſtantiam, retinet eandem figuram & ſitum, in corpore vivente, & vitium eſt ab aſſumptis, vel fermento ventriculi nimis acido fixo, cum copioſa viſcida pituita in ſtomacho hærente, vel S. vitioſo, vel humoribus circulantibus pro nutritione præſtanda ad ventriculum delatis. Porrò, quid de melancholia p. n. à veteribus in hoc affectu accuſata, ſentiamus, exponendum reſtat. Cuilibet autem rem intimius conſideraturo manifeſtè apparebit, melanchol. illam p. n. nihil aliud eſſe, quàm acidum illud quacunque de cauſa aut modo in primis viis vitioſe depravatum, unde & melanch. ab Hippocrate acidus ſuccus nominatur, de quo ut certiores evadamus, pedem pauliſper hic figemus. Ex antea allatis concludimus, dari quoque morbos ſanguinis & ſpirituum, qui omnes adſcribuntur vitiatæ ejus fermentationi, à duorum ſalium, Alkali nimir. & Acidi proportione læſa, originem habente, ſive nunc Acidum præpolleat, uti hoc in affectu, unde ſanguis coagulatur, ſive Alkali Volatil. prædominetur, unde idem plane diſſolvitur; horum autem vitium vel in motu & ſubtilitate, vel impuritate conſiſtit, quæ utraque differentia in Juvene noſtro continetur, dum nimirum Ma. ejus Sa. ex cruditatibus multis acidi vitio, tum in ſanguine, tum fermentis viſcerum, ventriculo præprimis & inteſtinis contento, culpam adſcribentibus, nimiam craſſitiem & fœculentiam nacta, pro ratione partium & officii hæc atque alia ſymptomata profert, unde Ωtus tam vitales ex tali ſanguine geniti, quam ex his animales non ſatis volatiliſati, ſed fixiores & quaſi condenſati, impurique facti imminuto motu actionum inducunt læſionem & depravationem. Quemadmodum enim externæ tenebræ pavorem indicunt, ſic Ωtus tali craſſa materia quaſi obnubilati phantaſiæ ſedem tenebris ſimilem reddentes menti denique mœrorem, triſtitiam ac timorem inferunt. Ubi quidem non tam æſtimanda videtur intemperies Calid. humid. frig. &c. decantatique illi quatuor humores, quam, quæ in hoc cortice Salia latitare diverſa, deprehenduntur. Quod & Hippoc. lib. de natura hn. text. 21. non obſcurè innuit, dum non calidum & frigidum &c. inquit eſſe, quod magnam agendi vim habeat, verum amarum & ſaluoſum, dulce ponticum, acidum &c. & alia ſexcenta, ut proinde non ex qualitatibus primis, quippe quæ non adeo magnam agendi vim habent, cauſas morbificas eruendas eſſe rectè quis collegerit. Confer etiam lib. de affection. ſ. 44. tx. 14. & 15. & lib. 3. de diæta ſ. 20. & 22. ubi apertè deducit, quomodo ex cruditate acida quamplurimi affectus cachectici dependeant, quâ de re apud D. D. Ettmullerum b. m. Celeberr. Practic. Lipſ. & Prof. ibidem ſuo tempore meritiſſ. in tract. Medic. Hippocrat. Chym. p. 27. plura videri poſſunt.

Hactenus de Cauſis propinquis; accedo ad Remotas, quæ variæ eſſe poſſunt, Temperamentum pituitoſo melancholicum, vitæ ſtatus ſedentarius, qualis in ægro noſtro occurrit, impeditur enim hoc modo ſanguinis volatiliſatio, unde partes activæ à ſanguine non eliciuntur, ſicque ſpiritus ad inſerviendum menti minus apti redduntur, hancque ob rationem hoc malum hypochondriacum eruditorum malum dici ſuevit: diſpoſitiones namque ejuſmodi naturales præternaturalibus occaſionem dare plerumque ſolent. 2. Etiam ſex Res non naturales generationis & cumulationis acidi hujus vitioſi cauſæ exiſtunt, has inter primas tenet Aer, in quo, (ſi ſaluber,) alias vitæ cibus occultus latet, ſi enim in aere lucido ac temperato verſamur, ſumus hilares, quia ſanguinem in legitimo fluxu conſervat, ſin vero ſub aere craſſo, nebuloſo, ac pluvioſo variiſq; peregrinis

regrinis particulis infarcto, degimus, ſolito ſumus triſtiores, quatenus nimirum aer ille craſſus M. S. incraſſat, ex quo craſſo & fœculento ſanguine non poſſunt non generari craſſi Ωtus, qui minus prompti ſunt ad actiones exequendas. Accedit Cibus & Potus, quorum ille quidem qualitate, quantitate temporis aſſumendi ratione, qua nova prioribus nondum digeſtis ingeruntur, & circa aſſumendi modum, non tam in ordine ciborum aſſumendorum, quàm in inordinata deglutitione, ſine maſticatione præmiſſa, peccatur, unde decem boli bene maſticati non tam nocent, quàm unus non maſticatus, qualis enim cibus, talis chylus, prout autem chylus, ita ſe ſanguis habet, & hunc æmulatur nutritio, quod partes nutrientes, æque ac nutriendas, craſſus enim reddit ſanguinem craſſum & fœculentum, & vitia primæ digeſtionis nunquam corriguntur in ſecunda neque etiam in tertia; id quod ita ſe habere vix ullus morbus, quàm hic noſter, æque evidenter patefacit. Potus quoque ſuum ſymbolum adfert, vitioſa qualitate hoſtilis, nimis acidus, ſic vinum, uti eſt hominum nectar in legitimo uſu, ita hujus abuſus, qualis & in ægro noſtro, ad Ebrietatem huic ſæpius indulgente, occurrit, lethiferum evadit venenum, dum Ωtus ejus volatilis Salinus, Sulphureus, Spiritus animales prius in motus inordinatos adactos, mox figit inſtar opii, aliorumque narcoticorum, eoſque inde torpidos & ad actiones debitas ineptos reddit, aciditate verò extra ſtomachum exiſtente toti corpori hoſtilia in Inteſtinis tormina, variaque alia ſymptomata producit, aut fermentando facile aceſcens, qualis eſt cereviſia alba, vulgo *der Breyhan*, quæ non ritè fermentata varias cruditates & obſtructiones producere valet; peccans qq. in exceſſu vel defectu. Conſideranda venit etiam ipſa ſtomachi cruditas acida, ex qua in inteſtinis poſtmodum per vitioſam confermentationem producuntur flatus, infarciente eadem de cauſa copioſo muco inteſtina & in ſpecie Colon ejuſque cellulas.

Motus nimius diſſipat Mæ. Sæ. particulas volatiles, unde reliquus ſanguis incraſſatur, à ſumpto cibo etiam mox inſtitutus, nam violentia tali cibos nondum ritè digeſtos è ventriculo protrudit. Quies vero & otium ubi excedunt, retinentur excernenda, quibus poſtmodum retentis, augentur cruditates, quæ M. Sam impuram reddunt, uti alvus & ſuppreſſæ hæmorrhoides, quibus excretiones nimiæ addendæ, à quibus vires enervantur, & humores benigni abſumuntur: Idem efficiunt ſomnus & vigiliæ, ſi debitum excedant modum. In primis autem animi pathemata maximum hic conferunt momentum, præcipua enim, ſi non tota fere quandoq; hunc morbum producendi vis & ἐνέργεια in illis poſita eſt, prout ſuo quoq, exemplo Æger noſter id abundè confirmat. Quibus tandem præternaturalis & Cacochymica tum ſanguinis, tum aliarum partium pituitoſo-Melancholica diſpoſitio, quam ſibi Juvenis noſter, ex variis obſtructionibus prægreſſis contraxit, quæve acidularum potu in tantum quidem, aſt non in totum ſublata eſt, accedit, quæ diſpoſitio ad materiam pro generatione acidi cujuſdam vitioſi in primis viis adaugendi coacervandam plurimum valet.

Hinc varias poſſumus elicere Differentias, ſiquidem Melancholia hypochondr. alia incipiens & levis, alia inveterata & fortis eſt, in illa ſymptomata quoque leviuſcula ſunt & ægri vel nihil omnino vel parum quid mente moventur, at ubi inveterata ſive confirmata eſt, uti in hoc noſtro Juvene; tunc manifeſtè ægri delirant non aliter, ac melancholici, qui ex vitio Cerebri per eſſentiam affliguntur; meritò itaque, cum *Sennerto* & aliis differre inter ſe Aff. hypochond. & melanch. hypochond. pronunciamus, cùm melancholia hypochondr. ſemper cum aliquo delirio, aliàs levi, alias autem forti ſit conjuncta: Ab aliis verò ſibi cognatis affectibus ratione loci, doloris quem infert, ſitus, partiſque affectæ facilè diſcernitur.

Jam antequam ad Prognoſin & Methodum medendi accedamus, ratio ordinis requiritur, φαινομένων ſive apparentiarum Cauſas breviter explicemus: Anxietates in præcordiis à cibo ſumpto obſervantur, quat. ſpiritus craſſiores cordis ventriculos nimis coarctant, unde ſanguis craſſus ab aſſumptis viſcidis genitus, circulum ſuum non ita feliciter & promptè permeare poteſt: Quin pleraque fere, quæ in hoc affectu occurrunt, phœnomena, explicare poſſumus per ſanguinem craſſum ac fœculentum, hincque elicitos craſſos & in motu tardiores ſpiritus ſive per acidum vitioſum, quod ſanguinem incraſſat & fœculentum reddit, dum primum in ventriculo hærens, cruditatem acidam; fibraſque ejus vellicando ac irritando, ſæpe vomitum inducit. Ex qua vitioſa fermentatione ab acido peregrino inducta, dum inteſtinorum muco viſcido particulæ viſcoſæ tenaces atque terreſtres oriuntur, & in hypochondriis fluctuant, fit, ut accedente vellicatione partium liberior illis tranſitus negetur, ſicque in ſeſe quaſi coactæ, rugitus & murmura excitent, ubi v. motu à ſe invicem diſcedere conantes majus requirunt ſpatium, atque ita ex anguſto in anguſtum, (haud fere aliter ac in æolipylis contingere videmus, qua de re uid. ſis Ren. Des Cartes c. 4. de Meteor.) tendunt; flatus in corpore producunt; Irruentes verò in hypochondria vel diſtendentes ipſa Inteſtina, ea inflant, ut intumeſcant vehementius & quaſi violenter divellantur cum acerbo laborantium cruciatu atque dolore, propter nervos ibidem locorum varie diſſeminatos: In conſenſum etiam facile trahitur ipſum diaphragma, quod quaſi totum nerveum & præcipuum juxta quoſdam, reſpirationis organum eſt; unde difficilis excitatur, reſpitatio cui accedit, quod in cecebro materia morbifica augeatur, ibidemque partes craſſiores cumulentur, ex quibus obſtructio nervorum reſpirationi dicatorum ſequitur; Ωtibus animalibus ingreſſus denegatur, vel ſaltem illi inordinate ad diaphragma fluunt, neque libere moveri poſſunt. Dolor etiam Capitis adeſt, ſanguis enim conſtans partibus craſſis, viſcidis & ad motum ineptis ad cerebrum aſcendens, intumeſcentibus arteriis infunditur in poros partium, imò in ipſos minutiſſimos meningum poros, unde propter compreſſionem tubulorum cerebri & extenſionem meningum à partibus pituitoſis & viſcidis cephalalgia producitur; Eædem partes craſſæ & pituitoſæ ad cerebrum

raptæ, oblinentes ſuperficiem concavam ventriculorum, poros obſtruunt, ut Spir. an non poſſint progredi ſecundum lineam rectam, unde reſilientes circumgyrantur, ac motu circulari moventur & ſic Vertiginem cauſant. Unde ſæpe aliqualis commotio, quæ ſi fortior ſit ad meatum uſque auditorium protenditur, atque exin levis fluctuatio atque tinnitus aurium advertitur. Acidum illud vitioſum ſtagnatione ſua in muco Inteſtinorum corrodentem vim contrahit; imprimis quando bilis concurrit acris, moxve ex ipſorum confluxu efferveſcentia contingit, unde halitus acerrimi adque ſuperius Ventriculi orificium aſſurgentes ipſum acriter mordent ac rodunt, quod ubi fit, æſtus hypochondriorum, cardialgia five circa ventriculi regionem dolor acerbiſſimus ſubſequitur. Sanguis inſuper ex ſtagnante tali acido craſſus & viſcoſus vehementius in Cordis thalamis efferveſcens, (ſanguis enim melancholicus multo Sale acido ſi imprægnetur, ante terreſtris, ad talem raptum fit valde proclivis) majus requirit ſpatium, unde Cordis latera magis amplientur neceſſe eſt, & ſic oritur Cordis palpitatio, cui excitandæ multum ponderis etiam Spiritus cum impetu & inordinate per nervos ſextæ Conjug. Cordi dicatos influentes ex mente quorundam Recentiorum tribuunt. Perturbatio autem ſtuum facile fieri poteſt, dum in nervis circa hypochondria ſtus turbantur, qui ad Cerebrum delati ſimilem turbationem quibus in cerebro hoſpitantibus incutiunt & ita ἀταξίαν inferunt, vel, uti ſtomachus ſæpius inſons, capitis luit pœnas, & perturbatis in Cerebro ſtibus an. alii in ventriculi nerveis fibris hærentes ſimilem ἀταξίαν incurrunt, ſic etiam Spiritus animal. in Ventriculo & hypochondr. laceſſiti, vel halitu quocunque contaminati, Cerebri incolis malum communicare poſſunt, ut ita delirium inde oriatur, quamdiu enim filamenta nervea leviter ac blande pulſantur, tamdiu etiam actiones juxta naturæ leges fiunt: cum vero organa inepta redduntur, anima etiam ſuas actiones perficere non poterit. Ut ita non incommode filamenta illa nervea cum chordis Citharæ conferantur, quoad juſtam diſpoſitionem, tenuitatem ac debitam extenſionem, quæ ad harmoniam & concertum ſuavem producendum requiruntur. Craſſiores etiam iſti ſtus ſemel moti, diutius ſervant motum, nec ab aliis in motu facile impediuntur, ſegnius quidem, ſed conſtanter ſeu continuata ſerie moventur, ſemel enim modificati ab objecto aliquo tales ſpiritus, ſemper eandem irradiationem offerunt menti; & hæc eſt ratio, quare ſemper cogitent tali affectu correpti de uno ſive altero objecto, antea menti repræſentato; qualem Caſum recenſet Celeberr. Zachias in Quæſt. ſuis Medico-Legal. l. 8. t. Q. 9. §. 17. dum inquit, Vidi præter cœteros, Presbyterum & moribus laudabilem, & non aſpernandæ doctrinæ, qui ex Hypochondriorum vitio delirabat, putans ſe animam agere & modico interjecto tempore expiraturum, ob hunc mentis errorem hic interdum in terra ſtragulo ſubſtrato tanquam mortuus jacebat, facibus circum ſe accenſis, comedebat tamen, diſcurrebat, &c. Sic etiam Spiritus iſti variè & confuſe in Cerebro moti, varioſque ac inordinatos motus glandulæ Pineali ſeu Conario imprimentes cauſa ſunt, ut Mens non poſſit non confuſe judicare, variaque & confuſa ſibi imaginari, quamprimum enim æquilibrium & indifferentia ſpirituum in cerebro tollitur, Spiritus ita moventur, ut non auſcultent animæ imperio, unde falſa imaginatio; Quod autem mens judicet juxta conſuetudinem ſive motus impreſſos, exemplo doloris probari poſſe videtur. Percipimus interdum in ſomno varios dolores, æquales illis, qui ab enſe, vel alio quocunque objecto infliguntur, quod aliunde non provenire videtur, quàm quia tunc Spiritus in Conario talem cauſant motum, qualem alius enſis produceret: Prout quidem hæc à Carteſio, ejuſdemq; aſſeclis explicari, ulteriuſq; illuſtrari ſolent. Alvus adſtricta & urinæ varietas adeſt, à vitio efferueſcentiæ in ventriculo & inteſtinis, quando bilis & ſuccus pancreaticus labem contraxerunt, tunc fœces manent immixtæ, quæ tunc cum ſero partim ad veſicam transportantur, hinc pro diverſitate admixtorum urina varia ad inteſtina vero delatæ exſiccantur fœces & propter viſciditatem & aciditatem ſucci Pancreatici indureſcunt. Pathemata & mœrores animi, hoſce ad affectus producendos maximam in Machina noſtra afficienda vim habere pluribus ut hic oſtendamus, ratio inſtituti haud permittit, ſi interim cuidam plura de illis videre libuerit, adeat Celeberr. Zachiæ Quæſt. Medico-Legal. de amore præprimis & amante tit. Ut & Valetudinar, infantile Exc. Viri D. Ettmulleri, Geiger. quoque Microcoſm. Hypochond. Willis de Melancholia, & Carteſium antea memoratum in eleganti ſuo tr. de paſſionibus animæ: Huc non nulli referunt affectum Judæ Iſchatioth, putant enim quidam, inter quos Heinſius & Hugo Grotius, verba illa de interitu infeliciſſimo proditoris nequiſſimi Judæ, apud Matth. & Lucam occurrentia, intelligenda & explicanda aſſe, de morbo quodam ex animi triſtitia & mœrore ingenti propter nequiſſimum patratum ſcelus ac ex graviſſimo conſcientiæ exulceratæ ſtimulo & cruciatu contracto, qui morbus ob ſpiritus anguſtiam ἀγχόνη, ſive angia dictus, Judæis familiaris ſit, à qua affectione, fauces ſive ſummas gulæ gutturiſque partes cum anxietate maxima præcludente, ſtrangulatum quaſi Judam, interiiſſe arbitrantur. Hanc verò litem Theologis dirimendam relinquimus, ne falcem in alienam meſſem mittere velle videamur. Interim plura de hac re qui legere voluerit, Jacob. Gronovii Exercitat. Academ. de pernicie & caſu Judæ, Lugdun. Batav. 1683. in 4. edit. conſulere poterit. (Quarum contenta in Præclaris Eruditorum Lipſ. Actis Calend. Decembris 1684. habentur.) Haud quidem negandum puto, poſſe ex varia animi paſſione modo hunc, de quo agimus, modo alios corporis affectus, excitari, id quod exempla apud Schenck. Marcell. Donatum alioſque occurrentia ſatis confirmant, ipſaque ratio ſpirituum vim & energiam in humano corpore examinans quaſi ad oculum demonſtrare videtur. Mœror animi per intervalla rediens, Juvenem noſtrum occupat, quia Acidum illud vitioſum ſanguini communicatum facile efferveſcentiam inſtituit, per illam autem efferveſcentiam quædam particulæ ad cerebrum raptæ

cum

cum ſint acidæ, facile cum ſpiritibus animalibus, qui alkalina natura ſunt, ſimilem effervescentiam, in cerebro incipiunt. (omne enim alcali cum acido facile fermentare, chemiæ peritis non eſt ignotum) unde lætitia & hilaritas, cum autem hæc fermentatio ſive pugna inter acidum & alcali in cerebro non ita diu ſubſiſtere poſſit, ſpiritus tum coagulantur & incraſſantur ab acido, imò etiam ipſi interdum quoad craſin degenerant & fiunt acidi, ita ut non amplius hilaritas, ſed triſtitia & mœrores per intervalla oriantur.

Prognoſis: Cum itaque ægrotans noſter tot tantiſque malis ſe oppreſſum animadverterit, juſta omninò illius eſt ſolicitudo, qua ob metum majoris mali, quod enumerata modo ſymptomata ſive phœnomena videntur minari, ad Medici opem anxius feſtinat, meliori certè judicio ac ſolent illi, qui, niſi mortem jam præ foribus ſentient, omne Medicorum conſilium inſuper habere conſueverunt; Ac eſt ſanè, quo de ſibi æger noſter plurimum metuat, imminenſque malum ope Medica avertere laboret. Melancholia namque hypochondriaca in quocunque ſubjecto reperiatur & à quacunque ſit, ſemper eſt longa, diuturna & contumax, nec facile prorſus tolli poteſt, quin ſæpe homines ad ſepulchrum comitatur, unde & à nonnullis opprobrium & flagellum Medicorum nominari ſuevit.

Valdè autem periculoſum & curatu difficile malum eſt, quia (1) afficiuntur partes nobiles, Cerebrum obſtruitur, unde irradiatio in reliquas partes à Spiritibus non poteſt fieri (2) Spiritus animales, qui ſunt rectores Machinæ Pneumaticæ, diuturnitate temporis à Craſi ſua deſciverunt, (3) Textura viſcerum, Inteſtinorum & Ventriculi præſertim, eſt immutata, totaque Ma. Sa. valde craſſa & viſcida, unde tota Curatio ad talem intemperiem viſcidam depellendam dirigi debet (4) animi pathemata quoque accedunt, Spiritus enim triſtis exſiccat oſſa, & humore melancholico ſuperabundante, mores animi temperamentum corporis, notante etiam Galeno, ſequuntur, facit hinc ſua natura homines moroſos, & ab omni humana ſocietate alienos reddit, quo de vid. Zacchias p. 309. §. 32. Et tandem (5) durante ſic affectu per conſenſum, excitari proprius & ex ſympathico idiopathicus fieri poteſt. Interea tamen ſpem ſanationis aliquam promittit virium robur & Ægri ad medicamenta ſumenda promptitudo & obſequium, accedit etiam, quòd nondum ſit per Eſſentiam, ſed Æger per συμπάθειαν duntaxat falſa imaginatione metuque &c. laboret.

Cognita morbi indole, ejuſque ſymptomatibus, proximum erit, ut qua methodo Curatio ſit inſtituenda, diſpiciamus; Hinc Indicationes ſeq. bene attendendæ hic veniunt: Mucilago primò acida & auſtera parietibus Coli inflexi adhærens tanquam cruciatuum hypochondriacorum terebrantium & contorquentium cauſa continens, incidenda, attenuanda, & per inferiorem gutturem, ut loquitur Plautus, rejicienda eſt: Poſtmodum danda venit opera, ut obſtructiones tollantur, acidum in primis viis vitioſum ulterius mitigetur, ſanguinis quoque Craſis reſtituatur, nec non Spirituum animalium inordinationes emendentur, viſcera quoque omnia, præpr. Cerebrum & nervoſum genus, confortentur, & denique ſymptomata urgentiora, quoad fieri poteſt, mitigentur: Quibus Indicationibus ex triplici Medicorum Fonte ſatisfacturi, primo ſtatim in limine litem inter Practicos oriri, an V. S. hoc locum habeat, nec ne? obſervamus, plurimi negativam tuentur ſententiam, quidam vero affirmativam defendunt, verum enim verò cum nullum V. S. Indicans hic occurrat, ſed potius humores valde Cacochymici peccent, non video, quid commodi hinc ſperari debeat? Plethora vero aliàs præſente, maximo cum Ægri emolumento & commodo V. S. adminiſtrari poſſe non inficior, Vena quidem ſalvatella inciſa laudatur, ſi quid tamen prodeſt, fieri hoc videtur, non quod hujus adminiſtratio peculiariter in melancholicis proſit, uti quidam rationibus tamen & experientia deſtituti, putant, ſed quod, cum parcius inde evacuetur ſanguis, ex iterato hoc auxilio vires non adeò debilitentur; ſic Hartmann. in praxi Chymiatr. p. m. 288. §. 11. Venæ Salvatellæ ſectionem, in morbi ſtatu adminiſtratam magni hic facit; Fonticulorum autem inuſtio maxime hic locum habet, utpote quæ in morbis Chronicis continuo materiam peccantem abducit: Par ratio habenda quoque erit Cucurbitularum ſcarificatar. & Hæmorrhoidum apertarum, quæ præ V.S. non niſi tamen corpore prius probè expurgato, in uſum commode huc vocari poſſunt.

Quoad Pharmaciam, varia ſeſe obferunt Auxilia, quæ tum corrigendo, tum educendo Acido vitioſo in primis viis, alibique hærenti plurimum conveniunt, tum denique viribus reficiendis ſymbolum ſatis efficax conferunt. De quibus omnibus ut ita agamus, quo Juvenis noſtri potiſſimum habuiſſe rationem videamur, ante omnia ad ſubducendam alvum Clyſterem emollientem eſſe præmittendum ducimus, h. m.

♃. Rad. alth. malv. an. ℥ ß. polypod. q. ʒ vi. herb. malv. c. tot. parietar. violar. ad m i. fl. chamomil. melilot. ſummit. aneth. an. p. ii. ſem. fœnicul. ʒ iß. coq. in ſ. q. aq. Comm. ad 3.

Col. ♃. ℥ x. diſſolv. Elect. de Tamar. c. fol. ſen. ℥ ß. Lenitiv. Flor. ʒ iiß. hier. ſimpl. ʒ i. ol. viol. chamomil. an. ℥ ß. ſal. parum. M. F. Clyſter.

Dehinc, ut ventriculus à crudis & viſcidis humoribus, fermenta ejus obtundentibus & peregrino acido inficientibus liberetur, ſicque prohibeatur, quo minus medicamentorum poſtea adhibendorum uſu, peccantium humorum ſaburra ad intimiores viſcerum receſſus periculoſe rapiatur, Vomitorium propinandum ſuaderem h. vel ſimilim.

♃. Tart. Emet. Mynſ. gr. iiß. l. iii. Sach finiſſ. ℈ ß. M. S. *Brech-Pülverlein auf einmal.* c. Cereviſ. calid. Vel ♃. Syrup Emet. ℥ ß. l. ʒ vi. S. *Brech-Safft auf einmal.* Vel ſi Æger reſpuat in tali forma præſcripta commode adhiberi poſſunt Pilul. N. Emetic.

Liberatis ſic à viſcoſo acido viis primis, ad inſtituendam humorum in M. S. coacervatorum præparationem, præſenti in Caſu ſemper neceſſariam, aperientia & incidentia varia in uſum vocanda veniunt, quò deinde commodius, minorique cum difficultate. Purgantia uſurpari queant. Hunc in finem ex magno Digeren-

tium-

tium & præparantium apparatu ſeq. fore proficua Ægro noſtro cenſerem.

♃. Sir. de 5. rad. vel aperitiv. Tim. ex ſucc. ℥vi. fumar. ℥ iv. Aq. aperit. Schroder. ℥ iv. anticorb. Dorner. ℥ ii. Spir. aperit. Penot. ʒiii. M. S. Digeſtiv. Tranck auf etlichmal. doſ. ℥iii.

Vel ♃. Rad. cichor. filic. an. ℥i. pœon. ʒß helen. ʒ ii. herb. fum. Ceterach. ſcolopendr. Marrub. alb. an. m i. fl. geniſt. chamædr. bugloſſ. an. p. ii. paſſul. minor. ℥ i ß. ſem. cartham. contuſ. fœnic. aniſ. an. ʒ i. coq. in ſ. q. ſeri lact. caprill. deſt. ad 3. Col.

℞. ℔ i ß. adde Sir. de pom. Borſ. ℥ ii ß. aperit. Minderer. ℥ i ß. M. S. Alterir-*Kranck*.

Hujus Apozematis uſus ſit talis, ut quotidie, jejuno ventriculo ℥ iii. ſumantur, poſſetque cuilibet doſi inſtillari Clyſſ. mineral. ad gut. vi. l. ℈ ß.

Quod ſi verò loci & temporis commoditas permittant, Acidularum, præſertim Svvalbac. potus huic ſcopo apprimè poſſet inſervire, cùm enim non parum Chalib. Vitriol. aliorumque Mineralium eas ingrediatur, viſcoſam ſanguinis διάθεσιν valdè incidere, acidumque ita corrigere valent, ut viribus illius fractis tertium quodpiam, ſalſacidum vocari ſoleat, inde reſultet.

Ubi vero præparatio jam ſufficienter eſt peracta, id dare operæ oportet, ut peccans materia educatur. Quando autem plerique Practicorum fortiora & quæ particulis ſuis diſſolutis remotiores partes nimis vellicare ac irritare ſolent, medicamenta purgantia damnant, (niſi fortè malum fuerit nimis contumax) Juveni quoque noſtro non niſi blandiora primum propinanda conſulerem, idque eo magis, quod horum, æque ac præparantium, uſus ſubinde repetendus ſit. Talis itaque potio præſcribi poſſet.

℞. Rad. polypod. q. ℥ ii ß. helen. ʒi. herb. meliſſ. Ceterach. fl. violar. geniſt. ana p. i. Fol. ſen. ſ. ſt. ʒ ii ß. Rhab. el. ver. ʒß. agar. tr. ʒi. paſſul. min. ℥i. Crem. Tartar. ʒi. ſem. aniſ. ʒß. Inf. per noct. in ſ. q. aq. ſcolopendr.

Col. ℞. ℥ iii. adde Sir. pomor. de Cichor. cum Rheo. an. ℥ß. Tinct. Tartar. gut. vi. aq. Cinam. borraginat. ʒi. M. F. Potio. S. *Laxier trancklein auf einmal*

Quod ſi verò arriderent pilulæ, poſſent exhiberi tales.

℞. Maſſ. pilul. Tart. Q. ℈ ß. Extr. Ellebor. nigr. ℈ i. Reſin. Gialapp. gr. iv. l. v. c. Tinct. Tart. F. l. a. Pilulæ num. xv. Conſperg. pulv. liquirit. S. *Laxier-Pillen auf einmal*.

His ita peractis, quies Ægro per triduum, aut amplius, pro re nata, concedi debet, poſtmodum vero Aperientium & Attenuantium, & quidem temperatorum, uſus ritè continuandus eſt: Hunc in finem ne natura uni alterique aſſuefiat, loco ſæpius laudatorum, Tinctur. Chalyb. cum ſucc. pomor. parat. it. Tinctur. antihypochondr. Glonzii. Clyſſ. Mineral. vel Spir. aperit. Penot. permiſta cum juſculis aperientibus, vel aq. lupulor. aq. hypochondr. Timæi, aut alia, ceu convenientibus maximè vehiculis propinari poſſent.

Neque Diuretica & Diaphoretica, evacuato jam quadantenus corpore negligi debent, quippe quæ malo hypochondriaco inprimis conſecrata, & propria videntur. e. g.

℞. Eſſent. diaphor. ʒi. Spir. fl. ſambuc. ʒ ß. C. aq. fl. ſambuc. ℥ iiß. Sir. Card. ben. ʒ iii. M. S. *Schvvitztranck auf einmal*.

Blandiora vero ſemper eſſe debent ſudorifera, cum enim huic morbo Scorbutus ſe ſocium jungere, & ſcorbutici aliàs plus juſto quandoque ſudoribus diffluere ſoleant, cautè hic agendum eſſe patet.

Inter Diuretica varia non ultimum locum occupant Salino-alcalina, eaque pariter blandiora: Hinc Arcanum duplicatum Mynſ. c. ſal. Cent. min. geniſt. &c. permiſtum noſtro Juveni quandoque exhiberi poſſet.

Vel ♃. Spir. aperitiv. P. ʒiß. Sal. dulc. ℈i. Tinct. Tartar. ℈ß. M. S. *Harntreibender* Spiritus 10. bis 15. *Tropffer*.

Vel ♃. Ocul. Cancr. præpar. ʒ i ß. pulv. liquirit. ℈i. ſem. lycopod. ℈ß. Sal. geniſt. fraxin. tamariſc. an. ℈i. M. S. *Treibendes Pulver auf 6mal*.

Præmiſſis ſic univerſalibus, particularia etiam evacuantia quæ vitioſos humores, atque ſtimulando, pituitoſum in ambitu partium capitis collectum rejiciunt, adeoque & ipſam ſeri viſcoſitatem & coagulationem corrigunt, in uſum vocare convenit, quod facient Errhina ex Majoran. fl. lil. convall. helleb. alb. & ex his varia Compoſita.

Hæc dum aguntur, Confortantia tum ſtomachica, tum Cephalica ſubinde admiſcenda, vel per intervalla exhibenda veniunt, quæ cum Aperientium naturam magna ex parte æmulentur, tantò feliciori cum ſucceſſu huic Indicationi ſatisfacient. Proderunt v. talia:

♃. Elix. propriet. Sennert. c. ſucc. hb. parat. ʒ iii. Spir. filic. Meliſſ. an. ʒß. Tinct. mart. cum ſucc. pom. ʒii. M. S. *Starckendes vermiſchtes Elixier, davon 30. Tropffen Morgens zu nehmen*.

Vel ♃. Tinct. mart. Zvvelfer. ʒß. Eſſent. Carminativ. D. M. ʒiß. *Miltz*. Tinctur.

Laudem quoque ſuam hic meretur Opiata Antimelancholica, quàm deſcribit Tim. à Guldenkl. l. 1. Caſ. 16. p. 41. cujus ʒß. vel ʒi. Æger noſter interdum ſumere poterit, cùm enim conſtet alkalinis fixis variis, abſorbendi vim habentibus, ſingularem: hinc emolumentum ſperare licebit.

Vel ♃. Conſerv. beton. Roriſmar. Calend. an. ℥ i. Rad. helen. condit. ʒvi. pulv. Cardam. Min. Cubeb. ad ʒii. Spec. lætif. Galen. ʒiii. Cinam. acut. ʒ i. Caryophyll. ℈ ii. Elix. propr. ſ. acid. ʒi. ol. roriſmar. gut. xii. M. F. Condit. S *Starckende Latvverg, offt einer Caſtanien groſs zu gebrauchen*.

Ac quoniam vigiliæ in hoc affectu ut plurimum urgere ſolent, Laudani opiati ſucc. Pomor. Borſdorff. imprægnati unum vel alterum granum tempore decubitus, non ſine ſucceſſu propinandum cenſerem, cum Verzaſch obſ. Med. p. 146. Tim. à *Guldenklev*, & aliis: Imprimis ſi cum aptis ſpecificis combinetur, in ſpecie cum caſtoreatis medicaminibus, hoc dolores inteſtinor. omnium optime ſedabit Narcoticum. Vid. *Obſerv. River. & Stocker in Prax.*

Ab internis nunc ad externa progrediendum, corpori enim noſtro fragili non ſolum illis, ſed & hiſce, illorum utplurimum complementis, maximè proſpiciendum, quæ inter in conſiderationem in hoc affectu veniunt Balnea, Balſ. &c.

Pedi-

Pediluvia inſtituenda circa horam decubitus, è fl. Chamom. Melilot. & ſimil. Caput lavit B. Mœb. fol. lactuc. c. aq. font. decoctis, indeque levamen morbi ſenſit. Cucuphæ & Balſ. quoque ad tempora, nares, bregma, nucham, ſcrobiculum Cordis non erunt contemnenda: Qui plura deſiderat, adeat Practicos, Macaſii prompt. mat. med. vel Hodeg. Medic. multa equidem ex illis adhuc adduci potuiſſent, aſt exſcribere talia cujuſvis eſt, rectè autem & in tempore adhibere difficile.

Reſtat nunc Diæta, quæ ut ritè inſtituatur, paucis hunc quoque fontem, qui maximi ponderis hic eſt, & cui alii in eradicatione hujus mali primum dant locum, libabimus: Abſolvitur autem legitimo ſex rerum nonnaturalium uſu, quo de vide ſis egreg. tract. Anglic. idiomat. ſcript. ac inſcript. The method. and means of. enjoying. health, vigour, and. lang. live, in 8. ab Aut. E. Maynvvaring. Med. D. 1683. Londin. edit. cujus præcipua argumenta in ſupra citat. Eruditor, Lipſienſ. Actis continentur; Aër igitur ſit ab omni inquinamento liber atque purus, temperatus ad calorem tamen inclinans, contra vero frigidus, craſſus, caliginoſus, nebuloſus & incluſus exulet, hinc illorum mos nequaquam probatur, qui aëre licet ſereno, puro ac tranquillo exiſtente, vix rimam in ædibus ſuis patere volunt, ſed tanquam in cryptis & ſpecubus concluſi, aërem vix unquam ventilatum admittunt, quin potius ſordibus variis ex negligentia inquinatum, neſcio quâ præconcepta periculoſæ mutationis opinione inducti, reſpirando attrahere non dubitant.

Cibos eligat boni ſucci faciliſque coctionis, contrà verò qui viſcoſos & craſſos generare humores ſolent, fugiat: Nocent hinc & fructus horæi, omniaque ſaccharata & dulcia, ut pote quæ acidum vitioſum augent; unde poſtmodum variæ vitioſæ fermentationes excitantur: Acquirunt autem acidum illud à calce, quæ illorum ad præparationem uſurpari ſolet; unde fit ut dentes à ſaccharo tam facilè corrodantur. Neque inſuper ſufficit bonis uti alimentis, niſi etiam debita quantitate, tempore & modo ſumantur, ſiquidem aliàs optimi corruptio fieri peſſima conſuevit: Idem de potu & reliquis rebus non naturalibus ſentiendum *Joh. Michaëlis in Praxi Clinica ſpeciali.*

Melancholia cum periculo Maniæ, pro Viro Juvene Generoſiſſimo.

Propoſitum caſum in generoſiſſimo Juvene ulterius rimari opus non eſt: quippe cum meticuloſus fuerit, ſuſpicionibus plenus, cum gemitu, mœrore, vigiliis, in omnibus contradictione, cum omnimoda inſuper cibi potuſque ad plures dies averſione, certum eſt, melancholicum fuiſſe affectum. Quod ex Hippocrate & Galeno facile deduci poteſt; quorum ille Sect. 6. Aphoriſmo 23. ſic ſtatuit: Si metus atque triſtitia diu perſeverent, ex ea atra bilis ſignificatur; hic verò iiſdem ferè verbis libro ſecundo de Symptomatum Cauſis, cap. 7. ita docet: In omnibus animi alienationibus, ſi timor & triſtitia diu durent, atra bilis in cauſa eſt.

Conſilia itaque plura hactenus ſunt expetita, & adhibita multa, ſanguis copioſe ex brachiis, malleolique ſiniſtra vena miſſus; nec purgationes cum vomitoriis, alterantibus, ac cardiacis intermiſſæ; quin & balneatio artificioſa inſtituta; & cauteria primo in brachio ſiniſtro, deinde vero poſt primam curationem, recidiva facta graviſſima, duo itidem ad majorem revulſionem in utroque crure ſunt injuſta. Partes affectas in hoc morbo cor & cerebrum, concurrente intemperie quoque hepatis calidiori, ſtatui poteſt: illud propter timorem, hoc propter depravatam imaginationem: nam imaginatio illa ex timore procedit, à quo huic adeò efficaciter repræſentatur, ut cogat majori ex parte rationem aſſentire; quod tamen non niſi à ſpiritu quodam melancholiæ aduſtæ potiſſimum provenit, qui facultatem vehementer exagitat, & obſtinationem illam cum contradictione & averſione à cibis cum reliquis ſymptomatibus inducit. Unde Galenus lib. cit. hoc planius & plenius exprimere volens, in ſequentia verba prorumpit: Quod verò atra bilis rationalis animæ arcem occupans, timorem, mæſtitiam & mortis exſpectationem inducat, nihil mirandum eſt; cùm videamus in rebus externis nihil magis quàm tenebras perterrefacere. Si igitur quidpiam tenebris ſimile rationali parti animæ circumfundatur, hominem ſemper timere neceſſe eſt, utpote qui ſemper timoris cauſam in corpore circumferat. Quod enim nobis extrinſecus accidit, cùm ambiens nos aër vaſtiſſimis tenebris fuerit obſcuratus, id melancholicis ab intimo corpore videtur erumpere; occupante cerebrum, vel ipſamet atra bile, vel vapore quopiam melancholico.

Nec mirum, morbum ipſum non ſolum ratione formationis & temperamenti, verum etiam ratione periodici recurſus, ſtatis quibuſdam temporibus, circa videlicet ſolſtitium æſtivum & caniculam, uti per multos annos obſervatum ſcribitur, modo remiſſius modo intenſius recruduiſſe. Cùm hoc ipſo tempore corpus deflagrans æſtivis caloribus in eodem multum coacervetur bilis, ex quo quidquid humidum & aquoſum per ambientis aëris æſtum foras educitur, exſiccatur, & per ſenſibilem, vel etiam inſenſibilem tranſpirationem abſumitur; quod verò craſſum atque acre eſt, relinquitur, & accedente jecoris caliditate tanquam ſanguinis fonte multiplicantè cauſam morbi, in ſanguine ipſo aduritur, & in melancholicum vertitur humorem.

Cauſa itaque antecedens hujus affectus humor eſt melancholicus aduſtus, medium obtinens locum inter naturalem melancholiam & atram bilem, abundans in corde, cerebro & hepate, uti declaratum. Ne autem cauſa cumulandi hunc humorem prima ab ipſa nativitate ortum duxiſſe potuerit, multum ſubdubito; quamvis malæ procul dubio victus ratio, quam caſtra ſequens vix ac ne vix quidem bene, ac debite obſervare poteſt, & incarceratio ab hoſte facta cauſam priorem & auxerint & promoverint, nec non ex febre illa acuta & periculoſa cum paraphreneſi exorta cerebrum ad ſuſcipiendum hunc morbum facilius potuerit fuiſſe diſpoſitum, & intemperies in eodem ex toto non extincta remanſiſſe. Hinc meritò timendum, ne, cùm Generoſus hic Dominus jam pluribus vicibus affectum hunc ſit expertus, & anno præterito graviſſimam recidivam incurrerit, ulterius prorepat humor, peſſimamque ſibi atræ bilis qualitatem adſciſcat,

ſicque

ſicque morbus in habitu confirmetur, ſuccedatque eadem ipſa mania; à qua vix, quamvis etiam Clariſſimorum Medicorum operâ utatur, liberari poſſit. Verùm enim verò prædictus Dominus validarum alioquin virium, rectiuſque adhibitis hactenus convenientibus præſidiis habere cæpit. Quare reiteratis & continuatis validiorum etiam pro re nata remediis, & ſedulâ Medicorum induſtria, ubi Generoſus Patiens morem geſſerit meliora, Divino favente, & implorato Numine, ſperanda.

Cùm itaque materia in toto corpore, & cerebro exiſtens ſit evacuanda, intemperies corrigenda, ſanguis & ſpiritus nigredine & maligna ſuâ qualitate depurandus, ſymptomatibus occurrendum; non malè eum Medicum facturum judico, qui, inprimis factâ debitâ humorum expurgatione, ad intemperiem totius emendandam animum ſuum direxerit; præſertim cùm longè præſtet imminentem morbum non admittere, & omnibus modis præcavere, quàm jam admiſſum velle profligare; quod idipſum inter cætera repetita artificioſa balneatione, & accuratiſſimâ obſervatâ bonâ & laudabili victûs ratione obtineri poſſe exiſtimaverim; præſertim cùm ipſe Galenus 3. de Locis Affectis cap. 4. ſe morbum hunc frequentibus balneis, victuq; humido bonique ſucci, nullo alio adhibito præſidio, curâſſe glorietur. Ingrediatur itaque Generoſus Dominus balneum aquæ dulcis, tepidæ, ſedeatque in eo uſque ad collum per horam, & circa finem ipſa aqua balnei ſupra caput fundatur ex arte, illicoque hoc linteis ſubtepidis non calidis cum toto corpore detergatur. Contemperabitur ex hac aquæ irrigatione una caput, cerebrique calor innatus, cum ſpiritibus volatilibus atri ſuicorporis, id eſt, melancholiæ, firmabitur; quod remedium quamvis æſtivo potiùs cælo, quam alio in uſum revocandum, & aqua pro capite frigida aſſumenda eſſet, poſſet tamen & hoc quoque tempore in hypocauſto temperatè calefacto, beneque occluſo non ſine fructu majori, ter in hebdomade ſaltem adminiſtrari, & imperari, ut Generoſus Dominus in eodem hypocauſto ad plures ſemper horas ſe contineret, neque facilè corpus frigidiori ac inclementiori exponeret auræ.

Victûs rationem humectantem, bonique ſucci ex Gal. (addo & refrigerantem) accuratiſſimè obſervandam eſſe dixi, quæ facilè â Medico domeſtico in dies præſcribi poterit. Interim veſcatur carnibus elixis potiùs quam aſſis, juribus ſubpinguibus, ovis ſorbilibus recentibus, Cichorio, Lactucâ, Spinachiâ, uvis Corinthiacis, &c. Salita autem, ut quæ ſanguine adurunt, craſſumque & melancholicum ſuccum progignunt, & aromata præter Crocum, prout omnis edulia, quæ apud nos frequentius ex paſta parari ſolent, ſummo ſtudio evitabit; bibetque vinum non aliud, quam clarum, ſubtileque Neccaricum, in quo ſi infunderentur flores & folia Boraginis ſ. a. aut eorundem ſuccus expreſſus, ſumereturque ex illo quotidie ad prandium & cænam primus hauſtus, haud leve ex illo perſentiſceret levamen.

Interea ex Galeni doctrina Sect. 6. Aphor. 47. diligentiſſimè inſiſtendum, ut videlicet & Autumno hoc & adventante Vere corpus tempeſtivè per convenientia expurgetur medicamenta; cùm ægrotaturos, inſtituta humorum melancholicorum evacuatione, plures melancholicos feliciter ſe præſervâſſe idem affirmet. Quare, factâ hac ſecundâ purgatione, & loco venæ ſectionis (ſi aliud non urgeat) venis hæmorrhoidalibus apertis: cùm iſta evacuatio, docente Hippocrate, Sect. 6. Aphor. 21. propria ſit hujus morbi, & ipſæ acidulæ magno procul dubio emolumento, pro contemperando viſcerum ardore, & humectando habitu totius ex methodo exhiberi, & propinari poſſent, &c.

Quòd ſi autem morbus Medici ſolertiam antevertat, & eludat, ac futuræ recidivæ metus adſit, protinus ad majora, ſic etiam ſuadente cùm Hippocrate, tum Galeno, deveniendum erit remedia. Vnde medicamentum ex ipſo Antimonio, Mercurio Vitæ, Auro itidem Vitæ, &c. offerre non dubitarem. Cùm pharmaca hæc non ſolùm debitè & ſine omni noxa perbellè præparata haberi poſſint, verùm etiam à Doctiſſimis Medicis, Melancholicis & Maniacis maximè convenire affirmentur; præſertim cùm experientiâ conſtet, uſu horum medicamentorum non rarò unà cum humoris peccantis eductione, & faſcinia philtraque clandeſtinè à maleficis obtruſa ac propinata una ſolvi. Recuſante autem hæc, vel non intelligente Medico adſiſtente, ad magiſterium lapidis Lazuli & melanagogum cum Hellebori nigri extracto, & ad ipſam Senam cum Sale Tartari puriſſimo permixtam confugiendum erit. Hic namque Sal magnam melancholicos & acres humores domandi vim habet trahendi ad ſe acetoſitates antè inſinuatas proprietate ſuâ, quod facilè etiam in externis demonſtrari poſſet.

Nec tamen propterea, promagis corrigendis humoribus & contemperandis viſceribus, Syrupos ordinarios, & brodia ſeu juſcula alterantia ex Boragine, Bugloſſa, floribus Violarum, Cichorio, Endivia, Acetoſâ, Capillis Veneris, Meliſſa, &c. intermittenda ſuaſerim: quin una ſimul, cum humor hic melancholicus tam ratione intemperiei, quàm à proprietate ſubſtantiæ malignus & quodammodo venenatus exiſtat, uſum frequentiorem, præter uſitata ex ſpeciebus Diamagarit. frigid. Lætific. Galeni, Confect. Smarag. de Hyacintho cum conſervis ac cardiacis appropriatis, &c. rariorum & magis efficacium medicamentorum, cum in ipſa cura, tum extra illam imprimis commendaverim; quæ inſtar veri alexipharmaci hujus maligni affectûs ſpecificâ ſuâ virtute, balſamum vitalis roboris inſtaurando, cor exhilarent, cerebrum ab atris vaporibus & ſuccis cum expurgent, tum etiam defendant, mentiſque arcem confirment; quod Auro quodam Potabili ritè præparato, Bezoartico Solari, inprimiſque per Salem Coralliorum, ac ipſarum Margaritarum orientalium cum Confectione Alkermes feliciter & efficaciter obtineri poſſe, equidem non dubitaverim.

Quæ à me, non ut ego tot Clariſſimorum totius Europæ Medicorum Conſiliis aliquid addiderim, ſed ut mandata atque juſſa capeſſiverim, pro ingenii tenuitate, ac imprimis Illuſtriſſimum Dominum juvandi ſtudio ſcripta, judicioque aliorum in arte præſtantium Virorum ultro ſubmiſſa ſunto. *Ferdinandus Sagittarius Sereniſſimi Elect. Maximiliani utriuſque Bavariæ Ducis Conſil. & Medicus Cubicularius. apud Ignat. Franciſc. Thiermairium.*

Scholia

Scholia; in quibus Agitur de Melancholiæ Cauſis, Differentiis, & mira Melancholicorum Exempla afferuntur. Remedia Chymica, Galenica rariora deſcribuntur. Additur quoque Conſilium Joannis Roſæ Medici Ratisbonenſis celeberrimi pro hoc ipſo Melancholico (ni fallimur) conſcriptum, &c. Tandem etiam remedia particularia contra Veneficia produntur.

Melancholia affectus eſt longus, contumax & varietate multiplici admirabilis ab humoribus ejuſque vaporibus non ſemper dependens: frequenter in ſola intemperie, aliquando in Spiritibus, Phantaſiâ, vitium latitat; ipſo quoque Dæmone non rarò hiſce affectibus ſeſe commiſcente. *Dahero die Altem ein Melancholiſch. haupt, nit unrecht deſz Teuffels Bad, genandt.* Zeilerus *in ſeinen Sendſchreibent.* Parte Primâ Epiſt. 2. in fine.

Divinum aliquid morbo ineſſe veteres credidere. Paulus Æginetta Lib. 3. de Re Medica Cap. 14. item Alexander Trallianus Lib. 1. Tit. de Melancholia Melancholicos futura prædicere, veluti Numine afflatos exiſtimarunt, juxta illud.

Eſt Deus in nobis; agitantante caleſcimus ipſo.

Antonius Guainerius, Medicus ſuo ſæculo doctiſſimus, Tract. 15. Cap. 4. Ego, inquit, Pinaroli quendam ruſticum melancholicum vidi, qui ſemper, Lunâ exiſtente combuſta, carmina componebat & tranſacta combuſtione verbnm nunquam ullum litteraliter proferebat, & hunc mihi nunquam didiciſſe litteras, ajebant. Hieronymus Cardanus Contradictionum Lib. 2. Tract. 2. Contr. 7. ex Pomponatio recenſet, Sutoris cujuſdam uxorem melancholicam factam, diverſis linguis locutam fuiſſe; donec tandem à Calcerano, ejuſdem temporis Medico famoſo, propinato Helleboro, à furore liberata fuerit, depulſa ſimul linguarum peritiâ. Similia etiam exempla narrat Petrus Borellus Cent. 2. Obſerv. 54. & alii. Hinc & Ariſtoteles Problematum Sectione 30. Probl. 1. Bacchides & Sybillas, omneſque, qui inſtinctu Lymphatico inferveſcere dicuntur, divinoque ſpiraculo creduntur inſtigari, melancholicos fuiſſe enunciavit. Ariſtotelem ſine dubio ſecutus Antonius Guainerius loc. ſup. cit. & Levinus Lemnius. De Occultis Naturæ Miraculis Lib. 2. Cap. 2. pluribus docent, melancholicorum paulò ante enarrata vaticinia, extemporaneam poëſin, tum diverſarum linguarum apud ignaros peritiam, naturaliter in nobis effici; aſſerentes juxta Platonem in Phed. Scientiam noſtram reminiſcentiam tantùm eſſe, in ipſis Animabus antea latitantem. Mens ſiquidem (ait Lemnius loc. cit.) hominis, omnium rerum ſcientiam ac notionem in ſeipſa complectitur; ſed mole corporis, denſiſque humoribus oppreſſa non facilè eluceſcit; eoque ut ignis cineribus obductus, exſuſcitari foverique poſtulat, quò ſe proferant ingeniti nobis igniculi, naturæque lumen reſplendeat. Si quando igitur divina hæc potiorque hominis pars Anima concutitur, morbiſque exagitatur; ea profert, quæ in intimo receſſu latitabant, inſitaſque vires palam exerit, &c. Verùm uti Antonius Guainerius refutatur à Jacobo Primeroſio Lib. 2. de Vulgi erroribus Cap. 25. & Lemnius à Collega noſtro Malachia Geigero in ſuo Microcoſmo hypochondriaco Cap. 11. ita etiam Ariſtotelem ipſiuſque ſequaces multis admodum refellit Joannes Baptiſta Sylvaticus, Controverſiarum Medicarum Lib. 1. Controv. 1. in qua controverſia ſimilia melancholicorum vaticinia, ſubitaneas ineruditorum peritias non ſolùm ad Dæmones aſſiſtentes rejicit, verùm etiam ex Ariſtotele & Galeno pluribus diſputat; an, & quomodo melancholia faciat ſapientiam? ſeu quomodo & cur melancholici præ aliis ſint ingenioſi? quibus de rebus vide etiam Danielem Sennertum in Inſtit, Lib. 3. Part. 1. Sect. 2. Cap. 2. Item Lib. 1. Praxeos Part. 2. Cap. 15. de Mania, Quæſtione 1.

Interim cùm videamus non paucos melancholia affectos, mutata ſolùm ipſorum imaginatione, de repente, abſque ulla humoris purgatione, alteratione, à triſtitia & metu liberari; dubium non eſt, hos fruſtra ſæpe & irrito conatu variis purgationibus torqueri à Medicis: prout rectè obſervavit Rhazis Lib. 1. Continentis Cap. 3. de Melancholia, dum inquit: Dico, quòd aliquando accidit melancholia, humoribus exiſtentibus bonis: & non indigent aliqua medicina: & hoc eſt, ſicut quando aliquis cum aviditate cogitat de aliquo facto: & cura hujus ſpeciei eſt removere eum ab illa cogitatione & opinione.

Verùm enim verò licet fiat aliquando melancholia, ut hactenus dictum, vel ab intemperie nuda, vel ex ſpirituum, vel ex ſola phantaſmatum labe; ut plurimum tamen certum eſt, affectus hoſce dependere ab humore aliquo atrobilari, ſeu ſanguinis parte craſſiori, fæcibus vini non abſimili; quæ pars velut fæx ſanguinis, humor melancholicus vocatur, eſtque obnoxius variæ alterationi, prout magis & minùs aduritur, vel corrumpitur, etiam ſubinde non ſine aliqua peculiari malignitate; à qua tanquam particulari veneno Platerus Lib. 1. de Mentis Alienatione Cap. 3. aliique Viri docti, inexplicabilia quædam ac præcipuè furentium ſyn ptomata deduci poſſe arbitrantur.

Atque iſte, qui melancholiam efficit, ater & fæculentus humor modò in capite exiſtit, modò in toto corpore & venoſo genere exſuperat, modò in liene viciniſque partibus intemperie vel obſtructione laborantibus congeritur. Unde & melancholia triplex eſt: una primaria; altera, quæ totius corporis vitio fit; tertia hypochondriaca, quæ & flatulenta nuncupatur. Cæterùm melancholia ſi diu perſeveret, ipſique humores adurantur, corrumpanturque vehementius; in maniam demum abit, vix ullis remediis iterum curabilem Obſervatione tamen dignum eſt, quod annotavit Abrahamus Frambeſſarius Canon. & Conſult. Lib. 2. Tit. de Mania Conſilio 2. Viſi ſunt, nonnulli ab inſania liberati, quod ſanguis fervens remiſſior factus ad caput non ampliùs aſendiſſet; ſed quod circa pulmones conſtitiſſet, phthiſi poſtea correpti ſunt. Non minùs animadverſionem meretur varia humorum meta-

itaſis, quæ hic Monachii in Religioſo quodam contigit. Is modico cibo, paulo tamen largiori potui aſſuetus, in melancholiam incidit: eâ diſcuſsâ ſucceſſit maxima difficultas reſpirandi. Præter alia, Medici balnea aquæ dulcis inſtituere; unde factus ex toto delirus; poſt multos dies ad ſe rediit, cibum petiit, meliùs reſpiravit; ſed pedes intumuerunt, & factus eſt hydropicus. Prout jam olim obſervaverat divinus Senex Aphor. 5. Lib. 7. A furore dyſenteria, vel hydrops, vel mentis alienatio, bonum.

Sunt autem melancholicorum deliria ferè infinita, pro varia humoris melancholici qualitate, quantitate, corruptione, corporiſque diſpoſitione. Hiſtorias non enarro, quæ hinc inde proſtant apud Autores plurimæ, addam tamen exemplum unum alterumve mihi cognitum, & obſervatione non adeò obvium. Vidi cum aliis Dominis Collegis meis Virum, Religioſum optimum, hominem brevis ſtaturæ, corporis non adeò bene nutriti, melancholici habitus, capite ferè perpetuò tremulum, eructantemque per os creberrimè. Is Verno ac præcipuè Autumnali tempore lectulo ſuo affixus omnia graviora perſenſit. Subinde adeo inquietè per lectum agitabatur, ut ab alio illum circumvolvi & circumrotari diceres, interim mira cantandi neceſſitate prehendebatur: nunc Pſalmos Davidis cantabat diſtinctè: nunc quaſi tubam ductilem inflaret, brachia agitabat, ſonos que edebat inarticulatos quidem, ſed ductilem illam tubam non inconcinnè æmulantes. Durabant paroxyſmi non horas tantùm, ſed dies, adeò miſerum Religioſum aliquando afficientes, ut mirum eſſet, patientiſſimum ægrum tam pertinacibus & diuturnis paroxyſmis ſufficere. Remedia adhibita ſunt multa: fortioribus, quæ facilè ſuſtinebat patiens, adjuvabatur: Antimonii infuſum, ejuſdemque Flores, Extractum Hellebori pluſquam alia omnia conducebant. Verùm cùm optimus Pater ex toto percurari non poſſet, annoſque multos hoc malum ſuſtinuiſſet; contabuit tandem, & Auguſtæ Vindelicorum mortuus eſt. Lepidum & inauditum ferè eſt, quod in hoc ipſo caſu occurrit: Juvenis frater, Laicus, qui prædicti ægroti Patris, tanquam aſſiſtens, habebat curam; etiam ille, ægrum ſuum imitatus, mirum in modum ructus edere incepit, couſque quidem, ut Juvenem ab hac aſſiſtentia quam primùm removere fuerit neceſſum; adeò nimirum facilè eſt, cum melancholicis delirare: cum delirantibus ſtulteſcere: Phantaſiæ ſpeciebus, vel aliquo atrobilari veneno infectis, vel, ut equidem credo, inani timore, fixaque timoris imaginatione depravatis.

Alium vidi Virum ruſticum, qui adeò graphicè, ranam ſe in ventriculo habere vivam, multis Medicis pro Conſilio ſignificavit, ut profectò, licet hominem prima; fronte melancholicum ſuſpicaremur, nobis tamen de rei veritate, dubitandi anſas injiceret non inanes. Ajebat, annum eſſe, quo hoc affectu detineretur: timere ſe ne ſperma ranarum cum aqua hauſerit: coaxationem ſtridoremque ranæ in ventriculo exiſtentis ſe inaudire ſæpius: nuper ex vino aduſto bibito, evacuaſſe ſe excrementa ſpermati ranarum ſimillima, oculis nigris diſtincta: ex potu aquæ ranam ventriculo innatare, ac tunc ſibi eſſe maximè infeſtam: mirè verò debilitari illam ex decocto allii, frequentiſſimè ſibi conſueto: in vomitionibus ranam ad gulam uſque aſcendere, ſed ob ſui magnitudinem ejici non poſſe: unde animal hoc exteriùs ad regionem ventriculi manibus ſe prehendere, ac detinere ſæpiſſimè conſtanter affirmabat: interim dormire ſe, appetere, functiones alias rectè peragere, niſi quòd parùm videatur emaciari. Profectò hæc ruſtici relatio, Viri cæteroquin prudentis, ac minimè temperamenti melancholici, non immeritò Medicos detinuit perplexos. Itaque adhibita ſunt aliqua, utpote ſpecies Diaturbit cum Rhabarbaro & Mercurio dulci. Ranæ excrementis ægroti, ad fallendum, ſtudiò impoſitæ: data quoque Antimoniata: propoſitæ pro abſterſione, evacuatione, acidulæ Ægrenſes, in vermibus nobis expertæ, vel aquæ [illegible]ææ ex Rhetia, &c. Sed omnia incaſſum. Anno iterum elabente, dum hæc ſcribo, Virum hunc eſſe mortuum intelligo macie confectum. Apertum cadaver; à Clariſſimo Viro Collega noſtro D. Raymundo Maria Piſtorinio, tumor ſcyrrhoſus ovi gallinacei magnitudine, venis varicoſis diſtinctus, ventriculi pyloro proximè adhærebat, & paulatim cancroſum ulcus minitabatur. Ecce Ranam, quam toties ruſticus manibus prehendebat, totieſque agitato per vomitum ventriculo, ad gulam uſque aſcendere credebat. Profectò caſus notabilis; quem eò libentiùs recitavi, non quod hunc ruſticum inter verè melancholicos repoſitum velim, ſed ut appareat, quàm ſæpè abſtruſæ nobiſque incognitæ cauſæ, occultos morbos foveant; nec non prudentium Medicorum judicia mirè ſuſpendant.

Curam hujus affectus paucis complexus eſt Galenus 3. de Locis Aff. Cap. 7. Ubi ſola victus ratione qua laudabilis ſanguis generatur, id eſt, clarus, tenuis ac ſubtilis, omne vitium corrigi poſſe exiſtimat; teſtaturque, hoc ſolo auxilio & aquæ dulcis balneo, ſine ullo fortiore remedio, recentem melancholiam ſe ſanaſſe. Uerùm enim verò, ſi malum radices egit, fatendum ſanè eſt, illud eſſe curationis non adeò facilis; prout in ægro, ad quem Conſilium D. Sagittarii directum eſt, manifeſtè apparuit, utpote qui diverſiſſimorum in Europa Medicorum uſus eſt conſiliis, & omnibus incaſſum.

Joannes Roſa, Medicus Ratisbonenſis, Vir in arte, ſuo tempore, celebris (quantùm conjectura aſſequor) de hoc ipſo Illuſtriſſimo Melanchoco informatus, ſcriptum Conſilium reliquit; quod cum mihi ad manus pervenerit, fideliter communico; & hic loci Scholiis meis ad verbum inſero: neque enim unquam alterius Medici mihi tribuam labores: cuique ſuus honor, proprio ſudore partus, relinquendus. Scriptum tale eſt.

Univerſas circumſtantias, quas Excellentia Veſtra in delineatione affectus, quo Nobiliſſimum quoddam Subjectum anniverſariè fermè, per intervalla, & ſtatis quaſi temporibus, circa videlicet ſolſtitium æſtivum & caniculam affligitur, ſatis ingenioſè conſignavit pro viribus ego penſitavi atque examinavi. Patet ex omnibus abunde quòd pro tali affectu tanquam tortore animi & corporis crudeli eliminando atque profligando, à celeberrimæ in Europæ regionibus famæ Medicis nihil intentatum relictum, aut prætermiſſum ſit, ut ſi quid ulterius addere vellem, non im-

immeritò mihi illud exprobrari poſſet: Sus Minervam. Cùm verò Excellentia veſtra, ex qua perſuaſione, modò non vana, vel etiam meam hac in parte aperiam mentem, expetat, adjiciam, ut aliquid tantùm feciſſe, ac Excellentiæ Veſtræ non defuiſſe videar. Duo medicamenta, de quibus abſque jactantia affirmare ſanctè poſſum, me horum beneficio, præmiſſis univerſalibus, quæ fiunt pro conſtitutione ægri, morbi, & circumſtantiarum natura, per evacuationes, venæſectiones & id genus, aliquot homines à Melancholia etiam inveterata vindicaſſe, atque ad ſecundam valetudinem reduxiſſe; repetendo ſingulis aliquot annis continuis uſum illorum. Primum eſt Syrupus ſequens.

℞. Chalybis cum Sulphure Spagiricè ppt. ℥vi. Vini Hiſpanici ℔iiß. Aquæ Cichorii ℔iß. Induatur in phiolam, ejuſdemque orificio bellè clauſo, & perlutato, digerantur in Balneo Mariæ, totum octiduum, diu noctuque calido, & materiam ſingulis diebus fortiter agitando & circulando, poſtea fiat puriſſima colatura, bis per manicam aut magis chartam emporeticam repetenda, huic adde Paſſularum mundat. ℥iv. Fol. Chamedrios, Fumariæ cum florib. an Mïß. Flor. Anthos Mj. Rad. Scorzioneræ, Cichorii, Aſparagi, Ruſci, Cort. Tamariſci an. ℥ß. Grana Alkermes, Raſ. Eboris an. ʒiii. Xilo Aloës, Sant. citr. an. ʒiß. Macis, Cinnamomi selecti an. ʒi. Caryophyl. ℈iiß. Croci ℈ß.

Factaque per noctem infuſione, ebulliant in diplomate, ſeu vaſe duplici per horam dimidiam continuo cum fervore, hæc cum Sacchari fini ſ.q. decoquantur ad conſiſtentiam Syrupi liquidi, & admiſceatur poſtremò Syrupus de Pomis ad ℥vi. fiat mixtura, reſervetur in vitro. De hoc ſumat Patiens alternis diebus, manè jejuno corpore, tria cochlearia, inambulando per integram horam, abſque ulla intermiſſione ſuſcipiat, ejuſdemq; uſum continuet; quamdiu talis durabit. Alterum medicamentum eſt Vinum Medicatum.

℞. Ligni Fraxini cum dolabra ad ſcobem redacti M vi. largos.

Paſſular. mund. ℔ij. Ponderis civilis, dein

℞. Fol. Senæ ſelect. ℥iij. Herb. Scolopend. Chamedrios an. Mïß. Flor. Borag. Bugloſſ. Anthos, Violarũ an. Mïß. Rad. Mechoacæ nigræ ℥iß. Polypodii ʒvi. Fœniculi, Aſparagi, Caryophyllat. Cort. Median. Sambucci an. ℥ß. Mirab. citr. ʒiiß. Ind. ʒiß. Rhab. opt. ʒiijß. Agarici trochiſc. ʒviß. Corthami contuſi prius per aquam probati ℥j. Seminum Aniſi, Zingib. albi an. ʒij. Cinnamomi elect. ʒiß. Squinanti ℈ß. Incidantur & miſceantur ad uſum ſequentem. Lignum Paſſulæ cum jam ſcriptis ſpeciebus indantur in dolium ligneum capax ℔xviii. Præciſè ut fiat ſtratum ſuper ſtratum; poſtea repleatur vas Vino Rhenenſi & reſervetur in cella, ut abſque turbatione ſeu motu tranquille jaceat.

Tertio poſt infuſionem die auſpicetur Patiens bis in die Vini hujus uſum, diebus intermediis, quando nimirum Syrupo ſupra deſcripto non utitur, manè quoque jejuno ventriculo bibat de hoc uncias quatuor tepide, & horâ unâ poſt elapſâ, offam juſculatam ſumat. Hoc Vinum corpus per epicraſin lentiſſimè movet, atque materiam peccantem tanquam melancholiæ cauſam in corpore totius meſenterii glanduloſo, uti & in ſplene, hepate, reliquiſque viſceribus latitantem, & per Syrupum Chalybeatum præparatam atque inciſam blandè evacuat. Si æger largiorem evacuationem deſiderat, horâ tertiâ veſpertinâ repeti poteſt.

His remediis ſperarem plurimùm, Nobiliſſimum Patientem tam in præſervatione, quàm curatione ſublevatum iri; quod tamen hiſce conditionibus dictum nolo, ut uſus horum medicamentorum non ad conſuetam periodum, quâ ſolent hujus morbi inſultus recurrere, ad ſolſtitium nimirum æſtivum & caniculares ſuſpendatur, aut differatur, ſed, binis menſibus ante, legitimo modo inſtituatur. Secundò ut pro Nobiliſſimi Subjecti conſtitutione univerſalia rite priùs præparando, purgando, & alterando præcedant. Tertiò ut & alia medicamenta poſt uſum Vini Medicati & Syrupi Chalybeati non omittantur, quæ ad confortandum & ad viſcerum tonum reſtituendum pertinent; inter quæ præ aliis laudo Elixier Proprietatis Paracelſi, ſingulis ſeptimanis ſemel manè, jejuno corpore, guttas decem in juſculo ſumendum, ejuſdemque uſum ita per totum annum continuandum. Nec alia poſtponantur, ut Confectio Alkermes, balneũ aquæ dulcis, lotio pedum ſæpius in ſeptimana repitita, &c.

Elapſis diebus canicularibus, cum Autumni principio ſuaderem, præmiſſis etiam præmittendis, uſum Seri Lactis caprini cum Acetoſa ejuſdemque radice, radice Aſparagi & Petroſelini, uti & cum Fumariâ, foliis Senæ, Epithymo, Turbith, Mechoacâ nigrâ præparati. De reliquis uti & de diæta nihil addo, ne videar noctuas Athenas. An autem pro curatione affectûs melancholici etiam cauteria aliquid præſtari poſſint? ego rationibus prægnantibus commotus valde dubito: quando hujus affectûs focus atque fomes ut plurimùm in corpore meſenterii glanduloſo & ſplene conſiſtit ac ſtabulatur. Quando autem hæc affectio in cerebro eſt idiopatica, illa profectò, ut & veſicatoria, & ſinapiſmos, & id genus per quàm approbo. Hic pedem ſiſto, petoque, ut hæc, quæ ſcripſi craſsâ Minervâ, in bonam partem, Vir Excellentiſſime, capere velis, eaque hoc animo ſcripta eſſe cenſeas, ut tuo calculo, limæ, judicio, ſubjecta ſint, & remaneant. Hæc Joannes Roſa, Medicus Ratiſbonenſis, ut dixi, celebris. Cujus in Conſilio duo præcipuè apparent remedia, Vinum Medicatum, & Syrupus Chalybeatus, adeò huic Medico conſueta, ut omnes ferè morbos contumaces hiſce auxiliis aggreſſus ſit, & famam ſibi pepererit non exiguã. Subticere hoc loci non poſſum, quod in litteris cujuſdam Medici Monacenſis (cujus nomini parco) 19. Febr. 1636. ſcriptis, legerim: is ad Amicum ita ſcribit Salisburgum: D. Roſa præter Vinum Chalybeatum & Syrupum Chalybeatum; & Vinum medicatum, cum decocto Chynæ nihil aliud habet, & tamen Monachii pecuniam congerit. Equidem, ut verum fatear, nullam artem ſine invidia conſiſtere experior: hæreditarius videtur eſſe morbus & Endemius Medicis omnibus, Æmulatio. quidquid ſit, Medicus fuit Joannes Roſa, ſuo tempore, inſignis; eſtque prædictus Syrupus Chalybeatus adhuc hodie apud nos in frequenti uſu, quo ſæpius non ſine emolumento in obſtructionibus utimur.

De hoc ipſo noſtro Melancholico videtur conſultâſſe Benedictus Sylvaticus, Medicus & Profeſſor Patavinus primarius, Præceptor olim

meus mihi honorandiſſimus, *in ſuis Conſiliis & Reſponſionibus Medicinalibus, Centuria prima, Conſilio* 58. Patavii editis, quò Lectorem remitto.

Cæterùm tanta eſt ſubinde in Mania ſanguinis detrahendi neceſſitas, ut fœminam Platerus *Obſerv. Lib.* 1. liberatam viderit, cui ab Empirico, unâ ſeptimanâ ſeptuageſies, diverſis in locis, univerſus pœne ſanguis detractus fuit. Hoc ipſum experimentum in Rhetia ab Empirico ſæpiùs cum fructu tentatum fuiſſe, ab oculari teſte & amico, ipſe ego inaudii. Scio quoque Romæ Maniacum, qui furore actus virilia acutiſſimo cultro ita ſibi abſcidit, ut reliquiæ nullæ ſupereſſent, ex ingenti illa ſanguinis ac ſpirituum effuſione, depletis cerebri venulis, ad ſe tandem rediiſſe; verùm ex nimia inanitione ſimul & ſemel facta, poſtmodum defecit æger, ab omni cibo & potu prorſus etiam abſtinens; à Transfuſione novi & boni ſanguinis, ex animali aliquo facta, fortaſſis iterum refocillandus. Sanè ex hac Transfuſione noviter inventa, Dementiam inveteratam in Viro curatam vidiſſe ſe ſcribit Joan. Dionyſius Medic. Doctor & Matheſeos Profeſſor Pariſiis: ut legere eſt *in Ephemeridibus Eruditorum Anno* 1668. *die* 6. *Febr.* quo in libro tanquam eruditorum compendioſâ Bibliothecâ, variorum Clariſſimorum Virorum, hac de materia, opiniones, pro & contra diſputantium doctiſſimè pertractantur.

Purgantia ſi non ſuffi.iunt blandiora, fortiora ſubſtituenda ſunt ex Lapide Lazuli, Helleboro, & Antimonio confecta, aliquando non tam purgando, quàm ſpecifica virtute opportuna. Ex Lapide Lazuli conficitur ille pulvis Hali adeò à Valeſco de Taranta *Lib.* 1. *c.* 13. decantatus; commendat illum etiam Sennertus *Lib.* 1. *Prax. Part.* 2. *c* 11. & ex Pereda, Riverius *Lib.* 12. *c.* 5. multique alii Viri Medici doctiſſimi, Medicinam benedictam, divinam, coronatam, quæ ſecretiſſimè tenetur, appellitantes.

℞. Epithymi ℥ß. Lap. Lazuli, Agarici an. ʒij. Scammonii ʒj. Caryophyllorum num. 30. M. Fiat Pulvis. Qui ſemel in ſeptimana à ℈ij. uſq; ad ℈iv. in aq. vel ſyrupo aliquo conveniente exhibetur.

Ex Helleboro varia ac diverſæ formæ fiunt medicamina, quorum ſelectiores compoſitiones, cùm pleræque non adeò ſint obviæ, partim etiam à quibuſdam Practicis ſibi tanquam ſecretæ reſerventur; deſcribam ego aliquot fideliter, utpote Hellebori Extractum, Eſſentiam, Tincturam, Julapium, Syrupum, Oxymel, Paſſulas, Pruna laxativa, &c.

Extractum Hellebori vario modo conficiendum ex diverſis Authoribus docuit Schrederus *in ſua Pharmacopœja Chymica Lib.* 4. *Claſſ.* 3. *Tit. de Helleboro*; placet tamen illud, quod Penotus *Tractatu de Vera Præparatione Medicamentorum Chymicorum* mihi *pag.* 186. conficit & proponit, tanquam Panacæam & optimum ſanguinis mundificativum, ſenectutem retardans. Fit autem tali modo.

℞. Hellebori nigri rad. cum fol. Miv. Conquaſſatis adde Vinum Moſcatellinum, & in balneo bulliant per diem & noctem, colatura fortiter expreſſa filtretur, & fundatur ſupra recentium itidem conquaſſatarum radicum Hellebori nigri Mj. Roſarum rubrarum Mv.

NB. Sennertus Cap. de Melancholia, monendo dicit, forſan Mſs.

Caryophyllor. priùs contuſ. ʒvi. addendo Spiritus Vini partes octo. Digerantur per dies tres, poſtea colentur & filtrentur, ac deſtillentur ad craſſitiem mellis; hinc fæces comburantur, & phlegmate ſeu aquâ ab extracto ſeparatâ Sal extrahatur. Hujus Salis R. ℥ß. Croci ʒj. Ambræ gryſeæ ʒij. vel q. l. Miſce omnia.

Tunc habebis formam ſpecificam Hellebori nigri, pergratam, rectificatam: laudabilis medicina; quæ phlegmaticos ſenes reducit ad temperaturam, & ſanguinem mundificat, & naturalem virtutem conſervat; principalia membra, imò univerſum corpus ab omnibus futuris ægritudinibus & morbis acutis uſque ad terminum à Deo conſtitutum præſervat. Sic enim excellit, omnes virtutes herbarum in conſervanda eſſentia humani corporis in ſua virtute. Uſus iſtius talis eſt. Sumatur hujus ℈j. ſemel in menſe cum aquæ aſſervatæ ʒiv. diſſolvantur & ſimul bibantur jejuno ſtomacho, & hoc de nocte, à quinquageſimo anno uſque ad ſexageſimum ætatis annum. Peracto anno 60. poſtea omni medio menſe debet ſumi, & deinde omni ſeptimanâ ſemel: decrepitum hominem in juvenem renovat quoad ſanitatem & fortitudinem: dentes à pravis humoribus ſervat, oculos ab omni fluxu, à paralyſi, apoplexia, podagra & omnibus malis, corruptis humoribus præſervat. Hoc medicamentum Decanus quidam reperit, & eo uſus eſt; qui annis centum octuaginta ſex vixit, cujus epitaphium tale eſt.

Hic jacet edentulus canus atque Decanus.
Rurſus denteſcit nigreſcit & hic requieſcit.

Hæc Penotus. Tillemannus Medicus, Monachii aliquamdiu commorans, magnis encomiis Eſſentiam Hellebori nigri collaudavit, quam ſequenti modo confecit, paulò ab extracto Penoti immutatam.

℞. Totius Hellebori nigri, flore roſeo ℔iv. A terra puras lava cum vino, contuſis affunde Vini rubri menſuras ij. Bene lutata coquantur in MB. per 24. horas Colatura cum expreſſione rurſus affundatur recentibus lotis Hellebori radicibus contuſis, adde Florum Roſar. rubr. Mj. Caryophyllorum conquaſſator. ʒvi. Miſce, digere per diem & noctem, adde Spiritus Vini optimi ʒiij. Digere iterum per triduum, colaturæ cum expreſſione adde & Sal Hellebori

Ex nova planta cum propria aqua extractum. digere per 14. dies, in retorta vitrea exſtilla, cohobando, digerendo, deſtillando, uſque dum omnia fuerint unita.

Eſſentia hæc ſanguinem mundificat, etiam inſenſibiliter, prodeſt præcipuè ſenibus naturæ phlegmaticæ: vires omnes auget, cùm herba hæc una cum radice ſua tanquam Antimonii ſpecies & primum Ens Auri, à quo nutritur & alimentum ſuſcipit, omnia ferè vegetabilia ſuperet, hominique magis, quàm alia mineralia, ſit affinis, à Natura ipſa non arte præparata. Conſervat igitur hæc Eſſentia hominem in ſtatu ſuo naturali ad vitæ uſque terminum, præcipuè ſi ſingulis menſibus drachma una ſalis ſupradicti & cryſtallizati cum uncia ſemis Eſſentiæ, aut ſaltem Salis ℈i. cum ʒii. Eſſentiæ pro vice aſſumatur; vel ſingulis manè & veſperi tantum, quantum neceſſitas exigit. Hæc Tillemanus ad me in ſcriptis.

Tinctura Hellebori, quam Ampliſſimus Vir, Joannes Jacobus de Maphæis, mihi communicavit, fit tali modo.

℞. Plantam integram Helleb. nigri recent.

Contunde, deſtilla, & fæces calcina; elicito Salem, cum propria aqua commiſce. dein

℞. Hujus aquæ ℔iij. Cort. Hell. nigr. ppt. ℥iij. Florum Roſar. rub. Nymphææ an. Mß.

Elice Tincturam, vaſe clauſo, filtra, evapora ad conſiſtentiam Julapii, donec colore ſubrubeo nigro appareat, addi dein poteſt, ſi placet, parum Sacchari, vel etiam Eleoſaccharum Cinnamomi, Citri, &c. Doſis ʒi. vel ℥ii.

Accipitur cum juſculo vel vino, quin & aliis commiſcetur purgantibus, ſi evacuatio plenior expetatur. Idem Ampliſſ. Vir, Julapium Hellebora-

boratum non inelegans Pharmacopolio noſtro Aulico intulit ſequens.

♃. Hellebor. nigr. eximatur medulla, maceretur radix in aceto Rub. Idæi, inde exſiccetur, ac contundatur craſſo modo, tandem de hac radice ita præparata accipe ℥i. Fol. Senæ ℥ß. Florum Nymphææ alb. pj. Cinnamomi inciſ. ʒij. Infundantur in aqua è toto Citro, aqua Pomor. dulc. an. ℥vi. Stent per noctes duas vaſe clauſo, poſtea exprime & cola, ad ℥x. adde Syr. Roſat. aurei ℥iv. Sacchari ℥iij. Clarifica, aromatiza cum Cortic. Citri.

Syrupum Hellebori Montani in affectu melancholico, ſcabioſo, Gallico planè utiliſſimum; item Oxymel Helleboratum Juliani dictum, ſummis laudibus à Geſnero deſcriptum & commendatum, diſpenſatorium Auguſtanum ſuppeditat. Decocta, infuſa ubique proſtant; de iis tamen peculiariter vide Oribaſium in Collectorio Medicinalium Lib. 7. cap. 27. alioſque tum Veteres, tum Recentiores; qui de medicamentorum ſimplicium facultatibus ſcripſerunt. Petrus Foreſtus Obſerv. Lib. 10. Obſerv. 15. in Scholio, Elidæi præceptoris ſui infuſum adfert cum Sero lactis paratum; quod mihi equidem non diſplicet; & ita paratur.

♃. Cort. Rad. Helleb. nig. ʒiß. Sem. Aniſi, Fœniculi, Citri an. ʒß. Cinnamomi, Zingib. an. gr. vi. Paſſularum dulcium ℥ß. Cum Sero Lactis caprini fiat infuſio, ebullitio; & expreſſio detur; addi poteſt Syrupus Roſatus ſolutivus, vel Manna. q. ſ.

Non incommodè quoque in ſimilibus Melancholicis pruna parantur laxativa, facta cum decocto Senæ, Hellebori, unà cum additione debita corrigentium; aſpergendo tandem ipſa pruna cum lapide Lazuli pulveriſato. Præterea melancholicis purgatione egentibus, præcipuè delicatulis, exhibemus pulpam pomi acidodulcis, cui impoſitæ ſunt & ſimul coctæ radices Hellebori nigri ʒij. vel amplius, ſed abjectis radicibus: vide Horſtium Lib. 3. Epiſt. pag. 400. Hoc ipſum remedium in Hortulo Medico Prævotius tanquam ſummum ſecretum Dominici Zoneti Herbarii in menſium antiqua ſuppreſſione proponit, ac ferè eodem modo deſcribit, mihi pag. 112. Pomum, inquit, confixum undique radiculis Hellebori nigri, coctum, abjectis radiculis aliquoties jejuno ventre, & menſtruo imminente eſitatum menſes ciet, etiam in antiqua ſuppreſſione. Plures ſi expetis ex Helleboro concinnatas ac diverſas formulas, conſule & lege Joan. Freitagium in Aurora Medic. lib. 2. cap. 20. Et hæc de Helleboro ſint ſatis, quem adeò Antiqui habebant in uſu, ut illum Hippocrates neque in pleuritide reformidârit: Dotes illius (inquit doctiſſimus Duretus in Coacas Hippocratis lib. 2. cap. 16. de Pleuritide, prænotione 19. perſpectæ cognitæque à præceptore, ipſum moverunt, ut ea medicamenta (veratrum nigrum cum peplo intellige) præſcribenda putârit, quod præſtantiſſima eſſent pharmaca omnium, quæ ipſe noviſſet; noverat autem plurima; ut non inopiâ, nec ignorantiâ meliorum, quod vulgus Medicorum exiſtimat, ſed prudentiâ ſingulari atque delectu ipſa præſcripſiſſe videatur, &c.

Ex Antimonio demum confecta medicamenta quod ſpectat, plurimi ſunt Viri Medici, qui ea tanquam venenum reformidant. Memini me in cujuſdam Archiatri quondam Bavarici, Viri ſuo tempore celebris, ſcripto legiſſe: Apage, aiebat, cum crudelibus illis, qui extracta, Antimonium, vehementia vomitoria urgent & probant; non nego ſæpè levare, ſed ita tonum viſcerum hauriunt, ut paucos viderim, ætate accedente non conqueſtos de violentia auxiliorum olim adhibitorum: ſi non conqueruntur, ex hebetudine judicii evenit, quia non intelligunt damni originem. Ut taceam quid Jacobus Grevinius, Lucas Stengelius, Bernardus Deſſenius, Joannes Crato, Thomas Eraſtus, Joannes Baptiſta Gemma & alii contra Stibium, integris aliqui tractatibus declamârint. Verùm ab omni noxa Stibium rectè præparatum, & debitâ methodo adhibitum hodie abſolvunt Viri doctiſſimi; ac præter Matthiolum, Paracelſum, Crollium, Quercetanum, Libavium, Poppium, Agricolam, Rulandum, Codronchium, noviſſimè libellus, Apotheca Pauperum à quodam Matthiolophilo expoſita, inſcriptus. Ego ſanè, ita fidem meam teſtor, ſcio innumeros, qui, dum febribus intermittentibus, apud nos ante unum alterumve annum ſolitò contumacioribus laborabant, Antimoniatis duntaxat curari poterant, remediis aliis ferè omnibus incaſſum adhibitis. Ita ſcilicet hoc remedii genus non ſolùm innoxium eſt, ſed unicum ſubinde præſidium, quo morborum contumacia feliciter expugnatur. Inſerere huic loco placet delineationem Bezoartici Solaris, cujus quidem mentionem fecit Clariſſimus Dominus Sagittarius in Conſilio ſuperiori ad finem; ſed illius deſcriptionem ſtudiò ſubticuit, dum ſcilicet præſtantiſſimum hoc remedium ad depurandum ſanguinem, etiam in febribus malignis & peſte efficaciſſimum, tanquam ſuum ſibi ſecretum reſervare voluit. Interim illud tibi Lector benevole, prout ego accepi à Pharmacopola, cui ſoli hanc præparationem communicabat Author, fideliter deſcribo.

♃. Butyri Antimonii optimè rectificati ℥iv. Spiritus Nitri cum quo Salis Armoniaci ʒij. Rectificatæ ſunt, ℥iij. Auri fini minutiſſime laminati ʒj.

Pone Aurum in phiolam, & affunde hanc Aquam Regiam; tunc ſolvetur Aurum totaliter in Spiritu Nitri Armoniac. tunc accipe ſolutionem, infunde in Butyrum prædictum; abſtrahe rurſus Spiritum, & iterum affunde, & parùm de recenti Spiritu; rurſum abſtrahe, & hoc repete quinquies, poſtea pone Bezoarticum in crucibulo, calcina aperto igne, tunc exhalant Spiritus Arſenicales, Bezoarticum autem manet fixum in fundo; ſi ita bene ſit præparatum, habebit colorem purpureum. Hoc accipe & pone in phiola vitrea, & affunde Spiritum Vini, maneat in digeſtione per unum diem, poſtea iterum abſtrahe, & edulcora cum aquis cordialibus, & ſic præparatum eſt Bezoarticum Solare.

Idem porro Clariſſ. Dom. Sagittarius in Conſilio Mercurium Vitæ, & Aurum Vitæ proponit. Mercurius Vitæ ex Butyro Antimonii & Mercurio præcipitato communiter paratur; de qua re vide Quercetanum Libro Tetras, &c. ferè ad finem, Crollium, & in hunc Hartmannum in Commentariis, Poppium, alioſque. Aurum Vitæ verò concinnatur ex Mercurio & Auro ſimul amalgamatizatis, ſolutis, ac præcipitatis, prout di-

ſtinctè Sennertus *Inſtit. Lib.5. Part.3. ſect.3. cap.18.* ex Keglero de Peſte refert; Ac licet præter Sennertum Hartmannus in Crollium de Mercurio præcipitato, Joannes Erneſtus apud Hartmannum de Oleis, Ortolphus Maroldus in Practica ſua Medica ad finē de Antidotis, Keslerus in 5. Centuria Proceſſuum Chymicorum, aliique Chymiatri plures, illud Aurum Vitæ, (quamvis vario modo) deſcripſerint; lubet tamen Clariſſimi Domini Sagittarii & Conſilii Authoris deſcriptionem apponere, quæ, ex ejuſdem Domini Sagittarii manu ſcripto commentario, ab amico excerpta & mihi communicata eſt.

℞. Mercurii vivi ℥iv. vel 5. vel q. v. mundetur Aceto & Sale. Auri Ungarici laminati inciſi ℥ß. vel q. v.

Dein ex ſex partibus Mercurii & una Auri fiat amalgama. Nempe igniatur optimum & purum crucibulum fortiter, poſtea infundantur crucibulo ignito Aurum & Mercurius mixtus, ſpatulâ ligneâ miſceantur, ipſumq; crucibulum, quod ferreo tenaculo prehenſum tenebis, agitetur eo uſque, donec maſſa bullire incipiat, & effumare; tunc illico maſſa effundatur in patinam vitreatā puram, aquâ calidâ plenam; miſceatur manibus & eluatur ab omni nigredine; quantùm fieri poteſt. Uno verbo fac amalgama ſecundùm artem, ut Aurifices omnes meliùs norunt, quàm ut hic deſcribi poteſt. Accipe dein hoc amalgama ab omni nigredine cum Aceto & Sale ulteriùs lotum, impone in cucurbitam vitream, & affunde Aquæ Fortis poſtea deſcribendæ tantundem, donec Mercurius ſolvatur & Aurum in fundo forma pulveris ſubrubri maneat. Abſcinde partem ſuperiorem vitri, inferiorem verò luto aliquo tenaci loricatam effice; impone alembicum luto ſapientiæ optimè obturatum, & deſtillando ſepara Aquam Fortem primò lento igne, deinde fortiori, ita ut arena quaſi igneſcat, ſpiritusque omnes expulſi aſcenderint. Removeantur ab igne omnia & infrigidentur. In fundo pulverem rubeum invenies inſtar ſcarlati panni, hunc exime & tere, aëre libero, vento ſecundo, fumus enim noxius eſt. Tandem teſta aurifabri *Treibſcherb* vocant, igniatur ſub ſuo operculo *under der Muffel*, in fornace *Probier Ofen*; inde pulveris ℥ij. in cochleari ferreo unâ vice injicito, ac cum ſpatula ferrea continuò agitato; videbis varios colores pulverem hunc induere; ſed perſiſte in operatione, donec iterum genuinum colorem acquirat, ſeu denuo rubeus, ut antea, appareat. Teſtam exime, frigefiat, aliamque impone; & ſic procede, donec omnis pulvis tali modo ſit calcinatus: calcinatio enim iſthæc neceſſaria eſt, ut Aquæ fortis ſpiritus ex toto abigantur, & pulvis ſine noxa ſumi poſſit.

Hoc Turbith Auri ſeu Aurum Vitæ Senibus exhibetur pondere unius nummi; junioribus 12. vel 13. annorum, quantum obulus ponderat. Prodeſt in caſibus deſperatis, adverſus venena omnia: valet quoque adverſus philtra amatoria per meretriculas exhibita Aqua Fortis, de qua ſuprà mentionem feci; ſeu in qua Mercurius ſolvitur, Aurumqe in pulverem calcinatur, talis eſt.

℞. Vitrioli ℔ij. Nitri puri ℔j.

Deſtilla, priùs mixta & contuſa, ſecundùm artem; & rectifica, ut à craſſis ſpiritibus liberentur.

Hucuſque Clariſſ. Dominus Sagittarius in ſuo Commentario manuſcripto de Auro Vitæ. Mercurium Vitæ quod attinet, neſcio, an illum Clar. Sagittarius in ſuis manuſcriptis annotârit; quapropter benevolum Lectorem hac in re, ſuperiùs remiſi ad Quercetanum alioſque Chymiatros, ſimilium compoſitionum architectos. Interim ſcio, in iiſdem manuſcriptis Commentariis inſertas eſſe Pilulas ex Mercurio Vitæ concinnatas, in omnibus contumacibus & venenatis morbis laudatiſſimam panacæam. Pilulæ ſic ſe habent.

℞. Aloës Soccotrinæ ℥ß. Myrrhæ elect. ʒij. Croci ℈j. Eliciatur cum Spiritu Vini Tinctura, & fiat lege artis Extractum. Huic Extracto addatur Mercurii Vitæ albi & Spiritu Vini rectificati pulvis, pari pondere, & cum Theriaca formentur Pilulæ ex ℥j. n. 30. doſis pro vice pilula una alterave, ſingulis, vel alternis, vel (pro exigentia) tribus diebus aſſumenda, continuando curam dies aliquot, Creduntur 15. dierum ſpatio præſentaneum eſſe remedium contra omnes morbos inveteratos, &c.

Profectò vix aliis, quàm hiſce generoſioribus remediis ſuperantur morbi contumaces; proinde omnes ferè præcipui Medici, qui ſimilium mineralium deſcribunt præparationes, illa (neſcio quo analogiſmo) ſuperare poſſe etiam philtra & veneficia exiſtimant. Sunt & mihi aliquot deſcriptiones remediorum, contra veneficia maximè efficacium; ex quibus unam, alteramve, in tui utilitatem, Lector benevole, hic quoq; inſertam volo. Primum à Chirurgo quodam Wittenbergenſi emanavit, qui, dum vixit, remedium hoc ſibi ſemper ſecretiſſimum retinuit. Uſus eſt illo, non ſolùm ad veneficia, qualia plùs quàm in triginta perſonis feliciſſimè abegiſſe teſtatus eſt, ſed etiam in nephritide, vermibus, ictericia, hydrope, epilepſia, venenis internis omnibus.

℞. Olei Hypericonis ℔j. Vini generoſi ℔ij. Terebinth. deſtill. Olei Laterini, Lumbricorum an ℥ij. Ping. human. deſtill. Medullæ ex oſſibus ejuſd. an ℥ij. Theriacæ, Mithridatii an. ℥i. Fol. Perſicor. Pyrolæ an. M ij. Florum Hypericonis, Verbaſci, Beton. Centaurii min. Prunellæ, Conſolidæ aureæ, Chelidon. an. Mß. Rad. Dracunculi maculoſ. Ariſtoloch. rotund. Symphyti an. Mß. Scrophulariæ majoris Mj. Sem. Antirrhini ʒi. Hypericonis ℥iß. Viſci Coryli Mj. Quercini Mß. Olei Ceræ ʒj. Bulliant, ſive decoquantur in diplomate, vaſe optimè clauſo, ad conſumptionem Vini, poſtea imponantur Mumiæ, Maſtichis, Thuris, Myrrhæ an ʒij. Croci Martis ʒiß.

Denuo coquantur leniter per circulationem, & reſerventur ad uſum. Signetur Balſamus ad veneficia arcanus.

Uſus quem ipſe Chirurgus in ſcriptis conſignaverat, talis eſt. Perſonam, inquiebat, veneficio affectam primò ad vomitum cogo jejuno ventriculo: exhibeo poſtmodum cochleare dimidium hujus balſami, & ut per horas tres jejunus maneat æger, impero. Aliquando prout veneficium multum & perſona robuſta, unum integrum, vel duo, tria cochlearia propino. Elapſis aliquot diebus iterum balſamum exhibeo, nunquam tamen tertiam repetitionem excedo. Videbis expelli venenum, claves, crines, aliaque per veneficia inducta aut per vomitum, aut alvum, aut abſceſſum. Hoc Chirurgus ille.

Alte-

Alterum quod ſequitur videtur magis ad veneficia brutorum pertinere, quam hominum.

♃. Herb. Polytrichon. Ruthæ, Hypericon. an. Mj. Rad. Morſus Diaboli, Aſar. Hirundinariæ, an ʒiij. Aſæ fætid. ʒiiß. Camphoræ ʒiß. Myrrhæ, Olibani, an. ʒi. M. pro ſuffumigio.

Hæc uti omnia alia remedia, quæ ſubinde meis Scholiis, tanquam ſecreta, inſero; nollem, ut Lector ſibi perſuaderet, me tanquam infallibilia proponere, aut etiam me credere, quaſi ſemper certa eſſent auxilia. Scio equidem ex his multa eſſe confuſè concinnata: ſcio Empiriam ſemper eſſe ſuſpectam; Empirica tamen, ſi judicium nacta ſunt Medici prudentis nunquam profectò contemnenda veniunt. Ex ſtercore gemmas collige, inquit Ennius: & ubique ſunt mala mixta bonis, ſunt bona mixta malis.

Cæterùm antequam hæc Scholia mea abſolvo, lubet de Clariſſimo Viro Ferdinando Sagittario, Auctore Conſilii, in quod Scholia hæc mea exornavi, pauca verba facere. Fuit Vir ille Tabaci fumo adeò deditus, ut veriſſimè, ſimul ac doctiſſimo lepôre, de illo luſerit Poëta ingenioſiſſimus R. P. Jacobus Balde è Societate Jeſu *Satyrâ contra Tabaci abuſum, num.* 13.

Narrabo vitam Medicâ præſtantis in arte
Illuſtriſque viri. fama in ſublime volavit,
Corpus ſub tumulo eſt. non major in orbe Tabaci
Helluo, nec tantus remos urgebat amator,
Ne quidem apud Batavos, nimium converterat uſum
Prodigii in laudes. uno caruiſſe die, vel
Horâ, juſtitium non credidit eſſe ferendum.
Ægriùs abſtinuit, quàm litigioſus Alermo
Cauſſidicus: uxor vino gibboſa meraco.
(Vix ſolet octonos lymphâ miſcere deunces.)
Ægriùs abſtinuit, piperis quàm Cluſius emptor
Fraudibus atque dolis: quàm furtis Fiſco Poëta;
Deprenſa in noſtro toties cornicula nido:
Quam Gallus miles Gallinis; Hoſpa cothurnis;
Hoſpa novem cubitos longus, ſi dempſeris octo.
Hic ergo Dominus, Dominos mutare paratus,
(Si caſtigarent) & plena palatia magnis
Regibus; à Pæti foliis tanquam moribundus
Aſſiduam poſcebat opem, proſtratus ad Aram.
Cùm bibit; ambroſiam ſuperis nectarque remittens,
Non aliud quidquam conferri poſſe putavit;
Nec Cilicum Nimbos; nec ſi Pæſtana roſeta,
Phæacumque Nemus, vigilataque poma probares.
Interdum glomerans nebulas ſibi ſuaveolentes,
Stabat, & ut ſteterat, gratâ caligine merſus;
Quamque diu durabat agon, horrentibus horrens
Palluit in tenebris, ac lamentabile riſit;
Dum reducem vultum diſcuſſis redderet umbris.

De ejuſdem Clariſſimi Viri morte, ab aliis malè informatus, malè locutus eſt Auguſt. Thonerus, Med. Ulmenſis *Obſervationum Medicarum lib.* 6. *Epiſt.* 15 dum ait: Non tantùm plebeii, ſed & Viri literati eâdem Tabacomaniâ agitantur, cùm quidam Medicus Aulicus Electoralis ex frequenti illius ſuffitu olidus, Electoriſſæ fœtorẽ averſanti, ut ſibi impoſterum temperaret roganti, reſpondit: malle ſe ſuâ functione, & ſalario ampliſſimo (mille Thalerorum pro annuo ſtipendio) carere, quàm ab illius uſu abſtinere. O miram Tabacomaniam, ò ſpurcas delitias, à Genio meo alienas, &c. *Paulò poſt*: Cùm ille Medicus ante annum defunctus, ejus capite aperto, res ſtupenda! tota cerebri ſubſtantia, adeò exſiccata reperta, ut vix nucis magnitudinem æquaret, prout mihi à quodam Medico Auguſtano relatum. *Pergit deinde.* Cùm Medicus ille ſatdiu cerebri ſubſtantiâ deſtitutus, ratione ſalvâ, & ſenſibus integris in vita ſuperſtes manſerit, & Zacutus in ſuis Obſervationibus de puero decenni referat, eum ſine cerebro per triennium vixiſſe, tandem ex hydrocephalo defunctum, cranio aperto, nihil cerebri deprehenſum. Cùm actus præſupponat potentiam, & jam conſtet, teſtimonio fide digniſſimorum Authorum de facto. Ergo de poſſibilitate indubium, quantumvis creditu arduum. Ex in Philoſophis Peripateticis inſultare Galeniſtis, & adverſus eos triumphare liceret, prætendentibus, illuſtribus illis exemplis demonſtrandum, in corde Animæ rationalis domicilium conſtituendum, exin omnes vires, & facultates, cæteris membris communicari, &c.

Hæc parùm conſequenter: transeat enim, conſtitui Animæ domicilium radicaliter in corde, atque exinde cæteris membris, vires & facultates communicari; attamen quis adeò abſurdus erit, ut ſibi perſuaſerit, poſſe hominem ſine debita organizatione cerebri ratiocinari? Exempla adducta nihil probant: Zacutus puerulum ſuum ante triennium enſe in capite percuſſum, hydrocephalo tandem confluentibus ſuccis ad partem debilem, interiiſſe; ac caput ſine cerebro inventum ait, *Obſ.* 5. *in Praxi Medica admiranda.* Ex quo puerulum ſine cerebro vixiſſe per triennium, nemo facilè evincet; veroſimile potiùs eſt, cerebri maximam partem in aqueam ſubſtantiam paulatim degeneraſſe, puerumque aphonum ſine ſenſu & motu occubuiſſe. Medici Electoralis hiſtoriam quod attinet Thonerus fabulam, ab aliis illuſus, & nimis credulus recenſet. Longè aliter rem narrat Wolffgangus Hœferus *in Hercule ſuo Medico l.* 1. *c.* 5. Sunt, *inquit*, qui neſcio qualem noxam & cerebri nigredinem ex uſu Tabaci frequente metuunt, quaſi fumus nigrorẽ calvariæ intus induceret, ut ignis fumans camino. Hoc idem cùm ſuſpicaretur Sereniſſ. Dux Bavariæ & Elector Maximilianus, &c. Sacr. mem. cujuſdam Conſiliarii ſui Tabaco utentis & ferè abutentis, & vomitu continuo tandem extincti caput per Anatomiam explorari mandavit, quod una cum cerebro & membranis ſartum tectum ſine omni noxa inventum eſt, *&c.* Sed quid opus alienis teſtimoniis?

Certum eſt, & equidem teſtis ſum, cerebrum ſine omni noxa in hoc Viro Clariſſimo inventum eſſe. Cor verò tabidum ex toto apparuit, ita quidem exſuccum & parvum, ut, quod Thonerus ſuprà de cerebro malè narravit, hoc ego de corde veriſſimè affirmare poſſim. Sanè aliquot ſeptimanas, antequam occumberet hic Vir Clariſſimus, conſumptis magna ex parte ſpiritibus vitalibus & animalibus in utroque oculo viſum perdidit. Mortuus tandem eſt anno hujus ſæculi quadrageſimo ſeptimo non præciſè ex vomitu, ut Hœferus narrat, ſed ex tabe, & febri hectica conſumptus interiit; febri inquam hecticâ, quartum magnitudinis gradum adeptâ. Scio quidem, tres ſolummodò gradus febris hecticæ à Medicis conſtitui: primum, cùm rorida humiditas abſumitur: ſecundum, cùm carnoſa & adipoſa ſubſtantia jam perit: tertium, cùm etiam fibroſæ partes colliquantur & exſiccantur;

addere tamen quartum liceat: Graviſſimas, inquit Petrarcha de Sanit. Reſt. Dialogo 4. febres Medici dicunt, quæ ipſis in oſſibus & medullis æſtuant. Quantò illæ ſunt graviores, quæ in Anima intus latent! Quartum itaque febris hecticæ gradum voco, quando ipſam Animam (ſi ita loqui conceſſum eſt) vel certè ipſum mentis Archæum intimoſque vitalitatis receſſus hæc tabes afflat. Afflat autem hæc peſtis Viros in Republica plerumque meliores. Fuit profectò Vir iſte, Medicus ſuo tempore celeberrimus; Chymicus, Galenicus peritiſſimus; honores & emolumenta habuit à Principibus magna & nobilia, eouſque aucta, ut gentilitio nomine Sagittarii mutato, Ferdinandus ab Hagenau tandem appellari meruerit, Sereniſſimo Electore ipſo, hos honores & titulos dante & approbante. Sed nulla magna virtus ſine magna invidia; hæc ſi potentiâ nitatur, ſuccumbere neceſſum eſt: nec ſcientiæ ſcutum, nec ingenii acumen, nec applaudens litteratorum exercitus te ſatis defendent. Hinc rectè Silius:

O dirum exitium! ò nihil unquam
Creſcere, nec magnas patiens exſurgere laudes
Invidia!

Hæc Clariſſ. Ignatius Franciſcus Thiermairius in Scholiis ad Conſultationem Clariſſ. Sagittarii.

De Melancholia Hypochondriaca.

Nobilis Germanus quadragenarius, temperamento melancholicus, cùm in nupero Germanico bello hoſtium invaſiones, captivitatem, exilium, famem, aliaſque ærumnas perpeſſus, pravaque diætâ diu uſus fuiſſet, atque hinc longo tempore circa præcordia flatus, rugitus, tenſiones, & ponderoſam quandam moleſtiam (imprimis circa ſiniſtrum hypochondrium) cum reſpiratione difficiliore, cordiſque palpitatione non continua, & appetitûs læſione perſentiiſſet, ſimulque triſtis, meticuloſus & cogitabundus fuiſſet; tandem morte uxoris intellectâ, adeò conſternatus eſt, ut nullis ſermonum blandimentis triſtitia ejus leniri potuerit: hinc pervigiliis, inquietudine & horrendis cogitationibus ac inſomniis ſubſequentibus, per intervalla primò, poſtea verò continuò delirare cœpit. Omnes vitæ ſuæ inhiare putat, ac proinde ſolitudinem quærit, hominumque conſortia fugit: ſi præter domeſticos (à quibus ſibi etiam metuit) alius quiſpiam cubiculum ejus ingrediatur, mox orat ne ipſum inopinanter occidat, ſed tempus concedat quô ad mortem ſe præparet. Soli Medico confidere videtur, nam alexipharmaca adversùs venena, quæ cibis ſæpius immiſceri putat, ab illo expoſcit, & quælibet oblata medicamenta aſſumit.

I. In hoc ægro variæ partes graviter affliguntur, imprimis autem cerebrum, ut patet ex delirio; & viſcera medii ac infimi ventris, quod cordis palpitatio, difficilis reſpiratio, tenſio gravitaſque in hypochondriis, appetitûs læſio, &c. ſatis edocent.

II. Symptoma quod maximè infeſtat melancholia appellatur, quæ eſt, delirium ſine furore & febre à phantaſmate melancholico ortum.

III. Cauſæ mali remotæ ſunt metus, terrores, mœſtitia ab infortuniis illata, aliaque ſimilia quæ ſpiritus diu turbârunt & inordinatè moverunt: quibus acceſſit prava diæta ex cibis craſſis, pravi ſucci, dyſpeptis, aquæpotationibus, &c. Quo pravo victu cruditates primò generatæ ſunt in viſceribus infimi ventris, hincque obſtructiones in liene & circumvicinis locis; atq; etiam lienis virtus non parum labefactata fuit, ita ut in chymificatione officio ſuo non ſatisfaciens; & chymi materiam ad humorum convenientem fermentationem ineptam gignens multos humores fæculentos, acidos, acerbos, craſſos & crudiores reliquerit, qui cùm ob craſſitiem minima vaſa tranſmeare ſatis non potuerint, in hypochondriis, imprimis ſiniſtro circa lienem, majore copiâ coacervati ſunt, unde ponderoſa illa moleſtia proceſſit; cui flatus & rugitus junguntur, propterea quod dum natura acidæ hujus materiæ coctionem molitur, quam ſatis bene perficere nequit, acidi illi humores fermentationem aliquam ſuſcipiant, quâ flatus copioſi gignuntur, qui cùm omnes facilem non inveniant exitum, rugitus partiumque tenſiones faciunt. Hæc craſſior, acerba & acida melancholica materia per venas ad cor delata, ſæpe palpitationes in eo facit, quia cor acrem illam pungentem materiam cum impetu à ſe expellere nititur; cumque ſuccus ille melancholicus inæqualis ſit, nec omnibus ſuis partibus cordi æqualiter infeſtus, hinc etiam fit quòd palpitatio cordis non ſit continua, ſed ſæpius quidem, at per intervalla contingat, partibus nempe magis infeſtis cor ingredientibus. Idem ille ſuccus cùm è dextro cordis ventriculo ad pulmones expulſus, ob craſſitiem & acerbitatem minimos ramos venæ arterioſæ & arteriæ venoſæ, cum difficultate tranſeat, multiſque vaporibus pectus repleat, difficilem facit reſpirationem: ad cerebrum verò per arterias cum ſanguine vitali delatus, animales ſpiritus inordinatè commovet, impuriores reddit, & ſpecifica pravaque intemperie alterat; unde tunc phantaſmata triſtia menti continuè offeruntur, quibus operationes ejus, maximè imaginatio & ratiocinatio, læduntur, ſicq; deliriũ inducitur cum timore & triſtitia.

IV. Quia verò melancholicus ille humor in ipſo capite primitus generatus non eſt, verùm ex hypochondriis, maximè ſiniſtro, ad caput aſcendit, hinc *Melancholia* hæc non eſt primaria ſeu idiopathica, ſed ſympathica, quæ à loco in quo mali fomes latet, Hypochondriaca nominari conſuevit.

V. Melancholicum hujus ægri delirium curatu difficile erit, neque periculi expers. 1. Quia graves & diuturnas cauſas remotas habuit, quarum ratione plurimum cauſæ antecedentis, nimirum fæculentæ melancholicæ materiæ, in hypochondriis generatum & collectum eſt. 2. Quia copioſa illa fæculenta materia pertinax eſt, ac medicamentis non facilè edomatur, & ſpiritus animales peculiari prava intemperie afficit. 3. Quia, cùm ad curationem longiore tempore opus ſit, metuendum eſt ne æger tam diu medicamentis uti velit. 4. Quia diuturnus melancholici humoris ad cerebrum aſcenſus paulatim pejorem cerebro diſpoſitionem imprimit, unde malum à ſympathico idiopathicum fieri poſſet. 5. Quia hi humores melancholici occulta qualitate & manifeſta, nempe acrimoniâ, acerbitate, &c. membranis cerebri & nervis infeſti ſunt, unde metuen-

tuendum eſt à diuturno & copioſo eorum ad caput affluxu tandem convulſiones, epilepſiam, aliudve gravius malum ſecuturum. 6. Quia delirium hoc non eſt cum riſu, ſed cum triſti ac ſerio ſtudio. Tamen ſpem aliquam ſanationis exhibet virium robur, & ad medicamenta ſumenda promptitudo: præterea quòd malum non ſit idiopathicum ſed ſympaticum.

VI. In curatione ſtudendum eſt ut cauſa continens diſcutiatur, ſpirituumque animalium intemperies tollatur, & ut cauſa antecedens, nempe humor melancholicus in hypochondriis, incidatur, attenuetur, digeratur & evacuetur, ejuſque nova generatio & accumulatio prohibeatur, obſtructiones tollantur, cerebrum, lien, aliaque viſcera corroborentur.

VII. Medicamenta clementiora, non admodum calida, convenient ne fortioribus, aut valde calidis exagitata materia multo copioſior ad cor & cerebrum deferatur.

VIII. Primò alvus ſubducatur hoc clyſtere:

℞. Decocti emollientis unc. x. elect. hieræ picræ, diacatholici, an unc. i. ſ. olei chamæmelini unc. i. ſ. ſalis drach. i. miſce, fiat clyſter, Poſtridie vel tertio die exhibeatur hæc potio.

℞. Fol. ſenæ mund. unc. ſ. agarici albiſſ. ſem. aniſi, an. drach. j. zingiberis ſcrup. j. decocti hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. art. adde colaturæ, confect. hamech. drach. ij. elect. hieræ picræ drach. j. miſce, fiat hauſtus.

IX. Quia venæ huic ægro tument, pulſus durus eſt, cordis palpitatio nonnunquam infeſtat, & vires mediocriter conſtant, non malè poſt expurgatum corpus venæſectio inſtituetur in brachio: & ſi venæ hæmorrhoidales aliquo modo in conſpectum prodeant, utiliſſimè hirudines iis apponentur

X. His præmiſſis bibat ter quaterve de die hauſtum hujus apozematis.

℞. Radic. polypodii querni ℥. i. eryngii. ononidis, cort. rad. capparum, tamariſci, an. ℥. ſ. herb. borraginis, abſinthii rom. fragariæ, taraxici totius, ſcolopendriæ, chamedryos, trifolii aquatici, an. m. j. violariæ, meliſſæ, an. m. ſ. corticum citri, aurantiorum, an. ℥. ſ. prunorum damaſc. par. vii. paſſul. corinth. ℥. ii. chalybis in nodulo ligati ℥. i. ſem. aniſi drach. iii. aquæ communis q. ſ. fiat ſ. art. apozema ad lib. i. ſ.

XI. Cum per quatuor dies hoc apozemate uſus eſt, iterum purgetur hauſtu ante præſcripto & deinde revertatur ad uſum apozematis, hocque ordine per aliquod tempus procedat; & ſi iis diebus quibus apozemate utitur, alvus ſubſiſtat, clyſteribus quotidie proritetur. Per intervalla etiam dictum apozema purgans fieri poterit, adjectis fol. ſenæ mundat. ℥ ii. rad. hellebori nigri drach. ii. myrobalanorum indor, drach. vi. ſem. aniſi ℥ ſ. atque inde ægro quotidie manè hauſtus ℥ iv. exhiberi. Si verò æger nauſeabundus & ad vomitum proclivis evadat, non inutiliter hac potione vomitus provocabitur.

♃. Conſervæ foliorum aſari drach. x. decocti raphani ℥iii. oxymelis ſcyllitici cum agarico ℥. ſ. vini vomitivi drachm. iij. miſce, fiat hauſtus.

XII. Interea dum hæc fiunt, æger ad capitis & viſcerum corroborationem ſumat aliquoties de die unam ex his tabellis.

♃. Specierum diambræ drach. j. dianthos, aromatici roſati, an. ſcrup. i. pulv. flavedinis citri ſcrup. j. ſ. ſacchari aqua betonicæ diſſoluti ℥. ii. fiant ſ. art. tabellæ. Vel utatur interdum particula hujus conditi:

♃. Specierum diambræ drach. j. conſervæ borraginis, meliſſæ, anthos, roſarum pall. an. drach. iii. ſyrupi de cort. citri q. ſ. fiat conditum.

XIII. Diætam ſervet convenientem; verſetur in aëre temperato & lucido: ſolitudinem vitet. Gratis & jucundis amicorum, quibus confidit, colloquiis exhilaretur. Corpus ambulationibus modicè exerceat. Somnum quoquo modo capeſcat. Abſtineat à cibis duris ac difficilis coctionis, vel pravi nutrimenti, præcipuè antiquis, ſalſis, vel fumô ſiccatis: item à viſcoſis, flatulentis, & facilè corruptibilibus: utatur cibis euchymis & eupeptis, qui condiantur cum talibus quæ attenuandi, aperiendi, & coctiones promovendi vim habent, abſtinendo tamen à valde calidis, Bibat cereviſiam mediocrem bene defæcatam, & in prandio ac cœna pauxillum vini tenuis, diuretici. Abſtineat ab omni potu valde fumoſo. Triſtitiam, metum, terrorem eorumque occaſiones, quantùm poſſibile, evitet: hilaritatem amplectatur: curas omnes & inanes cogitationes rejiciat. *Isbrand. de Diemerbroeck. de Morbis Capitis Medicatione 4.*

De Mania.

Domicella nobilis circiter 28. annorum, robuſta, ſagax, melancholica, ſubtriſtis, cogitabunda, diætam inordinatam ſervans, obſtructionibus in hypochondriis interdum obnoxia; cùm ſe à parentibus parvi fieri animadverteret, diu altum preſſit corde dolorem, ac magna cum ſimulatione hilaritatem quidem in propatulo finxit, ſolitaria verò integras noctes inſomni cum triſtitia, moroſitate, fletu, ac ſuſpiriis tranſegit. Tandem capitis dolore cum febricula inordinata continua correpta eſt; quem dolorem paucis poſt diebus non ſentiit ampliùs, ſed mente laborare comperta eſt; nam quæ taciturnior eſſe ſolebat, loquaciſſima præter conſuetudinem evaſit, ita ut ſine ulla ferè ceſſatione continuè loqueretur, & non dies tantùm ſed integras quoque noctes garriendo inſumeret, nullo propemodum intercedente ſomno. Primo biduo vel triduo, quamvis multa loqueretur, nihil tamen à ratione alienũ dicere videbatur: poſtea verò multa delira admiſcebantur Hoc tempore febricula deſiit. Vigiliæ tamen permanſerunt. Delirium illud intra paucos dies valde adauctum eſt, ita ut ægra vix quippiã ſani loqueretur ampliùs, moroſa evadebat, & iracunda, per cubiculum diſcurrebat, vociferabatur, & tandem omnino furibunda adeoque ſui impos facta eſt, ut in quoslibet adſtantes violentas manus inferret, impudica loqueretur, ſuaque veſtimenta dilaceraret: ita ut, ne vim faceret ſibi aut aliis, à quatuor fortiſſimis mulieribus continuè brachia cruraque ejus continenda forent, cùm illam ligari non permitterent parentes. Interim vires robuſtæ ſunt, menſtrua ordinariis periodis ſatis copioſè fluunt, appetitus mediocriter conſtat, nec magna ſitis adeſt. Ab intenſiſſimo hyberni aëris frigore & aſperrimo gelu non admodum refrigeratur, licet ſæpe veſtibus parum aut vix contecta ſit, ſemper tamen calida reperitur. Furore hoc per aliquot menſes durante & magis

gis ingraveſcente, Medicorum conſilia expetuntur.

I. Cerebrum in hac ægra graviter affici, liquet ex continuo furore cum vigiliis perpetuis, audaciâ, & irâ: cor quoque reliquumque corpus pati, liquet ex totius magno calore.

II. Delirium hoc Mania appellatur, eſtque mentis diuturna emotio cum feroci audacia, à fervore ſpirituum orta.

III. Inter cauſas evidentes primaria fuit cordolium ipſi à dicto parentum vilipendio illatum: quod etſi ſimulatione quadam ſuppreſſum fuerit, tamen in ſubjecto juvenili per ſe melancholico, & propter victum inordinatum ex parte quidem bilioſis, ſed pluribus melancholicis humoribus abundante, hincque ad morbos proclivi, hujuſmodi delirium cum furore inducere potuit: Hoc enim vilipendium modò iracundiam ipſi movit, bile, quæ melancholico humori admixta eſt, efferveſcente; modò triſtitiam, melancholicis ſuccis emotis & bilem ſuperantibus, & ab illa inordinata lucta & efferveſcentia bilis cum melancholia, tota ſanguinis maſſa efferbuit, hincq; proceſſit aliqua levis putredo, quæ febriculam inordinatam generavit, capitis dolore comitatam, quem induxêre acres vapores bilioſi & melancholici ſimul ad caput delati. Tandem illa bilis ſanguiniſque efferveſcentiâ à melancholici humoris ferventis copiâ & qualitate ſuperatâ, evanuit febricula, atque à fervidis humoribus melancholicis in corpore & capite prædominantibus, à præcedente bilis efferveſcentiâ æſtuantibus, ſpiritus animales etiam incanduerunt, & rapidè ac inordinatè moti ſunt, hincq; delirium acceſſit, primò mitius, ſpiritibus nondum valde excalefactis & agitatis; deinde violentum cum ira, audacia & furore, ob auctum ſpirituum animalium acrem fervorem, unde nimis attenuati & acriores redditi, rapidè moventur, & inordinatè ac violenter agitantur.

IV. Quia verò fervor ille non tantùm ineſt ſpiritibus animalibus, ſed etiam vitalibus, totique ſanguinis maſſæ, hinc fit quòd totum corpus adeò caleat, ut etiam ab externo aëris frigore non refrigeretur, ſed ſemper calidum permaneat.

V. Febris tamen non adeſt, quia fervor ille ſanguinis & ſpirituum magnus quidem eſt & acer, verùm ſine putredine & inflammatione, quia magis in ſalſis, quàm ſulphureis particulis conſiſtit.

VI. Malum hoc difficulter curabitur; partim quòd hîc nobiliſſima viſcera afficiantur: partim quòd cauſa lateat in humore pravo, pertinaci & copioſo: denique quòd ægram, propter furorem, prorſus inobedientem habeamus, ita ut convenientia remedia commodè adhiberi nequeant. Quò tamen diutiùs differtur, eò difficilior evadet curatio, ac proinde quàm citiſſimè, & quocunque fieri poteſt modo tentanda erit.

VII. Indicationes curativæ primariæ hæ ſunt. 1. Ut humor melancholicus in corpore abundans præparetur, evacuetur, ejuſdemque & totius ſanguinis ac ſpirituum fervor extinguatur. 2. Ut nova ejuſdem humoris & fervoris generatio impediatur. 3. Ut viſcera, imprimis cor, cerebrum, hepar, & lien, corroborentur. His autem indicationibus ſatisfaciendum eſt diætâ, chirurgiâ, & pharmaciâ.

VIII. Diæta quamvis in hac ægra, furore percita, debito modo inſtitui nequeat, illius tamen, quantùm fieri poterit, ratio habenda eſt. Cubiculum igitur in quo decumbit, ſubobſcurum ſit, in quo à viris vel mulieribus robuſtis bene ſervetur, vel latis faſciis brachia ligentur, ne vel ſibi vel aliis violentas manus inferat. Nemo ad illam accedat, præter paucos, qui continuè cum illa verſantur, & quorum conſortio ſanitatis tempore gaudere ſolebat, neque illi multa loquantur. Aër ſit temperatus. Cibi afferantur humectantes, & modicè refrigerantes, humidi potiùs quàm ſicci. Potus ſit ptiſana vel cereviſia tenui. Animi emotiones paucis & blandis verbis ſubinde demulceantur, iiſque continuè blandis actionibus ſine multa loquela obviam eatur. Omni modo ſtudendum, ut ægra quieta detineatur & dormiat quantùm poſſit: Menſtrua, alvus, aliæque evacuationes, vel ſpontè, vel arte procedant.

IX. Quamvis ob furorem medicamenta ſæpe abjiciat ægra, tentandum tamen an blandis verbis, vel loco potûs, illi hic hauſtus obtrudi & exhiberi poſſit.

♃. Fol. ſenæ mund. unc. ſ. ſem. aniſi drachm. j. decocti hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. art. adde colaturæ confectionis hamech drachm. iij. Extracti Hellebori ſcrup. j. Miſce, fiat hauſtus.

X. Corpore expurgato ad ſanguinis miſſionem deveniendum eſt, quæ non ſemel facienda, ſed poſtea ſæpius erit reiteranda: primò in brachio, deinde in manibus, in pedibus, in fronte, aliiſve locis convenientibus, & pro ratione virium bona ſanguinis quantitas eſt detrahenda. Poſt venæſectionem bene ſervanda eſt ægra, ne ligacula venæ diſſectæ injecta detrahat, ſibique nimiam hæmorrhagiam faciat.

XI. Inter ſingulas venæſectiones ſubinde purgetur ægra hauſtu modo præſcripto, vel pulvere diaſennæ, vel ſola confectione hamech, aliove ſimili medicamento. Vel ſi hæc omnia abjiciat, dentur illi talia quibus delectatur, ut myva cydoniorum vel rob ribeſiorum rubrorum, ad quorum ſingulas uncias, ipſa neſciente, diagridii gr. 24. admiſceantur, atque talis mixturæ dentur drach. 6. vel 8. plus minuſve, prout inde purgari obſervabitur. Vel ſi paſſulas corinthiacas amet, coquantur illæ in decocto foliorum ſenæ & radic. Hellebori nigri, uſque dum intumeſcant, poſtea inde exemptæ in loco ventis expoſito aliquantum ſiccentur, ut coctas non animadvertat, ſicque comedendæ offerantur. Quod enim ſtudio haberi non poteſt, fallaciis ab hac ægra impetrandum eſt.

XII. Videndum etiam an blandis verbis vel fallaciis aliquoties de die hauſtus hujus apozematis exhiberi poſſit:

♃. Rad. polypodii querni, cichorei, ana unc. j. Cort. rad. cappar. tamariſci, an. unc. ſ. Herbar. cuſcut, capilli veneris, lactucæ, taraxici cum toto, acetoſ. ſcolopend. borragin. bugloſ. an. m. j. Florum cordialium, an. p. j. Cortic. citri, aurantior. an. drach. iij. Fruct. tamarind. unc. j. Aquæ q. ſ. coquantur ſ. art. & fiat Apozema ad lib. j. ſ. Si in hoc apozemate macerentur fol. ſenæ mundat. unc. j. ſ. rad. hellebori nigri drach. ij. ſem. aniſi drach. ij. Fiet tali modo apozema purgans, quô, ſi ægra id aſſumere vellet, corpus ſubinde poſſet expurgari.

XIII. Hoc quoque conditum per occaſiones offeratur.

℞. Conſerv. violar. roſar. pallid. rob. ribeſior. rubror. cort. citri condit. ana drach. iii. pulpæ tamarind. drach. vi. ſyrup. violacei q. ſ. fiat conditum.

XIV. Quia ſomnus huic ægræ maximè neceſſarius eſt, ut ille etiam provocetur, ſtudendum; vel exhibito circa veſperam amygdalato, cui ſyrupi papaverini unc. ſ. vel paulo plus admixtum ſit; vel tria quatuorve grana laudani opiati, ſemel aut bis in ſeptimana exhibendo; vel caput unum aut alterum papaveris albi in apozemate antedicto coquendo: vel condito præſcripto drach. i. vel ii. requiei Nicolai cum pauxillo ſyrupi papaverini addendo: vel frontem & tempora oleo papaverino & unguento populeo inungendo. Cavendo tamen ne nimis frequenter, nimis diu, & nimis forte ſoporiferum detur.

XV. Interea caput ablatis capillis, matutino tempore per horam unam aut alteram hoc fomento tepido foveatur.

℞. Herb. beton verben. majoran. plantag. an. m. j. lactucæ, m. iiii. flor. roſar. melitoti, anethi, chamomili, an. m. j. ſem. cannabis, coriandri, an. unc. ſ. aquæ commun. q. ſ. coquantur pro fomento. Poſt fomentationem caput bene ſervandum & contegendum, ne ab aëre frigido malè afficiatur. Hujuſmodi tamen fomentatio non conveniet, niſi corpore prius bene expurgato, & ſanguine aliquoties detracto.

XVI. Cùm malum incipit miteſcere, non malè capiti imponetur gallina viva diſſecta, vel pulmo ovis aut vituli recenter è mactato animali evulſus.

XVII. Sunt qui in Mania etiam laudant ſuppedanea, & columbas diſſectas, vel tincam diſſectam, vel folia braſſicæ & rutæ, cum fermento acido, ſale & aceto, in formam paſtæ contuſa, plantis pedum alligant, quæ ſi non proſint, ſaltem non nocent, ac proinde tutò adhiberi poſſunt in hac ægra, imprimis ut ſatisfiat iis qui curationem hinc dependere putant. *Idem Medicatione quintâ.*

Obſervationes.

Pro Mania.

Juvenis quidam diſſolutè vivens puellam prædivitem contra parentum voluntatem abductam ſibi matrimonio copulavit, ipſiuſque bonis mox dilapidatis, eam peſſimè tractavit, adeò ut ſæpè deſperabunda ſeipſam interficere cogitaret; tandem ad inſaniam redacta, veſtes dilacerabat, nudaque catenis vincta, etiam ſtramen in quo eam cubare vidi, minutim unguibus diſcerpebat, ideoque devecta ad Empiricum quendam ruſticum, qui maniacos curare ſolebat, ſeptuageſies una ſeptimana, venis diverſis in locis apertis, atque univerſo penè illi ſanguine detracto, ab eo fuit curata. Inde domum reverſa debilis & pallida, mortuo marito, alteri nupſit, cum quo ad quadraginta annos vixit ſana, ſterilis tamen maleque colorata. *Felix Platerus Obſerv. lib. 1. pag. 86.*

Vir quidam quadragenarius à multis annis melancholiæ adeo obnoxius fuerat, ut adminiſtratione rei familiaris ipſi à magiſtratu interdictum fuerit, tandem in graviſſimam maniam incidit cum tanto furore, ut omnia dilaceraſſet, & frequenter ſeipſum ex alto præcipitaſſet, niſi vinculis conſtrictus fuiſſet, in iſtis vehementiſſimis agitationibus clamoribuſque continuò ferè ſudoribus nunc frigidis nunc calidis madidus erat, ego cum advocatus eſſem, clyſterem acrem infudi, deinde venam in cubito dextro incidi, eodemque die poſt cœnam nonnihil laudani in aq. borrag. diſſoluti exhibui; frontem & tempora ol. roſac. & viol. inunxi, ea nocte utcumque quietior fuit, poſtero die ad ℈i. extracti melanagogi ex decocto polip. fol. ſen. beton. cuſcutæ ſcabioſ. aliiſque appropriatis exhibui, vomuit bis terve, alvus quinetiam quater aut quinquies ſubducta fuit, hinc impetus ille maniæ aliquomodo remiſit, eodem die poſt cœnam iterum ſomniferum confectioni alkerm. mixtum exhibui, quievit ſatis benè ea nocte, & altero die penitus mente conſtabat, poſt aliquot dies cum melanagogum aliquoties reiteraſſem, & extractum hellebori nigri ſemel atque iterum exhibuiſſem, ita reſtitutus fuit, ut ab eo tempore & uſque nunc rebus ſuis domeſticis quam prudentiſſimè proſpiciat. *Guil. Fabritius Hildanus Obſ. 9. cent. 4.*

Retulit mihi nuper quidam vicinæ Eccleſiæ paſtor, in ſuo pago intra triduum ſanatum fuiſſe maniacum, exhibito canis cerebro cocto (addebat unius coloris canem eſſe debere) affirmabatque ſibi præterea alios tres notos eſſe, qui eodem medicamento ſint ſanati, commendatur etiam cerebrum arietis nondum venerem experti, ſi nimirum caput uno ictu ipſi amputetur, & totum cum pelle, cornibus ſaltem abjectis, coquatur, cerebrumque poſtea cum farina, additis cinnamomi, zinzib. nuc. moſch. macis, caryophyll. an. ℥ß. (forſan ʒß.) ſuper prunis miſceatur, & in partes tres diviſum manè exhibeatur, ita ut poſt ſumptum medicamentum duabus horis nihil comedat æger, ac in cæteris quoque rectam diætam obſervet. *Daniel Sennertus pract. lib. 1. part. 2. cap. 15.*

Balnea aquæ tepidæ frequenter & poſt ſingulas purgationes uſurpanda ſunt.

Quidam Adoleſcens maniacus ad cujus curationem potentiſſima remedia uſurpata fuerant, ita ut ventum fuerit ad uſum antimonii, trepanum, & arteriotomiam temporum; cum hæc omnia nihil conferrent, caſtrationem conſului, qua uſurpata, remiſſa fuere omnia ſymptomata, & furor omnino ceſſavit, manente tamen delirio melancholico, ita ut mania in melancholiam verſa fuerit. *Samuel Formius. Obſerv. 32.*

Pro Melancholia.

Illuſtriſſimo cuidam Anglo Melancholia laboranti dedi pulverem illum benedictum à Michaele Paſchalio & Pereda deſcriptum qui quia plurimos juvit, multi Authores alienæ gloriæ cupidi, illum ſuæ inventionis eſſe volunt. Et autem hic.

℞. Summitat. epithymi ℥ß. lapid. lazuli præp. agar. troch. an. ʒii. ſcammon. ʒii. (forſan ℈ii.) caryo. numero xx. M. F. pulvis proph. v. doſibus: has ut erat robuſtiſſimus, & viribus conſtan-

ſtantiſſimus, diebus quinis continuis ſumpſit: bibit poſtea ſpadanum fontem, ſed exiguo cum fructu, quia nec affini medico nec mihi auſcultabat: ad ſuos enim reverſus, creſcente malo maniacus factus, locis munitis coerceri debuit. *Henricus ab Heers. Obſerv. 27. lib. 1.*

Sæpius reiteretur venæ ſectio pro toſtis & exuſtis humoribus alterandis: ad ſumnum promovendum exterius compoſitum ſperniolæ cum aqua roſ. diſſolutum applicetur fronti temporibuſque linteis humectatis in eo; ſed ſimul etiam interius laudan. opiat ad gr. iiii. vel v. præſcriberem. Quid præſtent hæc remedia, poſt univerſalia pluribus exemplis confirmarem, ſed ſufficiat unum. Illuſtris fœmina vidua cum quadrageſimali jejunio ſeſe per ſeptimanas aliquot afflixiſſet, ſub finem Martii melancholicas anxietates patitur, alvo ſimul adſtricta, timore metuque penitus oppreſſa, cum pervigilia & delirio ſine febre. Vocatus ego quamprimum clyſterem ordino, cujus operatio ſequitur optata, qua deſinente, circa noctem laudan. opiat gr. iiii. (ſat enim delicata erat mulier) exhibeo ſine ſuccedente ſomno. Sequenti die venæſectionem inſtituo in brachio ad ℥vii. cum ſucceſſu, repetito circa veſperam enemate, cum ſubſequente laudano opieto, cujus gr. v. aſſumptis bene domivit per noctem, poſtmodum evacuationem quoque tentavimus laxativo minerali cum diagridio permiſto, reiteratis aliquoties venæſectionibus tam in brachio quam pedibus: non neglectis. aliis quæ ſymptomatum leniendorum gratia neceſſaria videbantur: ut hoc modo menſtruo ſpatio perfectè reſtitueretur, Deo clementer medicamentorum operationem benediceute. *Gregor. Horſtius in epiſt. ad Obſerv. 18. lib. 2.*

Juvenis quidam triginta annorum melancholia detinebatur pertinaciſſima: cranio diligenter apperto à Jul. Caſſerio Placentino Anatomes & Chirurgiæ peritiſſimo, præſente Jo. Prævotio; etiam ſi nulla eſſet puris membranæ incumbentis ſuſpicio cerebro tamen eventilato ad ſanitatem rediit. *Jo. Rhodius Obſerv. 43. cent. 1.*

Nonnulli laudaut trepanationem; nam caſu fortuito multi ſic curati ſunt, fracta calvaria; quod mihi non videtur omnino rejiciendum. Viſa eſt mulier melancholica & maniaca noſtro tempore. cui ob caſum apertum eſt cranium, unde effluxit aqua, & cnrata eſt ab inſania: quare ſi pari ratione trepanetur, vapores atri, & ſi quid eſt aliud præter naturam in cerebro vacuantur. Canteria etiam poſita ſupra ſuturam capitis coronalem multùm laudantur, ſed oportet diutius remanere, ut os capitis uſtionem ſentiat. *Guil. Rondeletius. cap. 41. lib. 1. practic.*

Bibat vinum dilutum cum aqua helenii: helenium miram habet proprietatem ad hilaritatem & gaudium excitandum; quod multi pro ſecreto habent: ideo conſerva illius, & aqua deſtillata plurimùm valent. *Guil. Rondeletius. cap. 9. lib. 1. practic.*

Jurium Doctori hoc affectu laboranti ſequens conſilium dedi.

His Pilulis ſucceſſivè utatur.

♃. Aloës ʒii. rhei. ʒi. epithym. rad. aſar. an. ʒß. gummi ammoniac. in aceto ſoluti ʒi. ſpic. ℈i. Diagrid. ʒß. cum Terebinth. F. Maſſa pilul.

Frequenter à cibo in fine menſæ, capiat pulverem ſequentem, in prandio vel cœna, alternis ad minimùm diebus, ut concoctio juvetur flatus & vapores diſcutiantur.

♃. Sem. coriandr. præp. ʒii. ſem. aniſ. fœnic. an. ʒi. ſem. carvi ʒ℥. ʒ. fl. cordial. an. ʒß. fol. meliſſ. ℈i. major. ʒß. ſach. roſ. tab. ℥ii. Fiat pulvis. Veutriculus item & hypochondria ſequenti oleo ter in ſeptimana, mane ungantur.

♃. Ol. aneth. chamæm an. ℥i. ol. de cappar. ℥ß. irin. ʒii. ſucc. abſynth. ℥i. aceti ℥ß. coq. ad ſuccor. conſumptionem, ut F. inſtar. linimenti.

♃. Conſerv. roſ. cortic. citric. condit, an. ℥i. conſerv. majoran. anthos, bugl. meliſſ. an. ʒi. confect. alkerm. ʒii. pulv. elect. de gemmis, diamargar. friaid. an. ℈i. cinnam. ſem. ocymi. an. ʒß. ſyr. de papav. ℥i. F. Electuar. capiat tertio quoque die cubitum iturus magnitudine nucis moſch. vel paulo plus, ſi vigiliæ urgeant, angores & perturbationes quibus egregie reſiſtat. Vindemiarum tempore fundantur multi rec. menſuræ xii. ſupra ſequentia.

♃. Cortic. tamariſc. ℥iiii. cortic. cappar. ℥ii. ſarſæpar. ℥iii. fl. bugl. borrag. an. p. ii. fol. meliſſ. abſynth. an. M. 1. incidantur, & effervescant in dolio: hoc vinum bibatur in menſæ principio, aliquando etiam mane, poſt exhibitum prius juſculum, balnei ſudatorii uſum interdum non improbarem, uti nec lotiones capitis ex lixivio, in quo herbæ capitales coxerint, caveat à vehementioribus purgationibus, cum irritent potius malum. Si Hœmorrhoides fluerent nullum eſſet præſtantius remedium, quæ ſanguiſugis admotis, promoveri poterunt, domum reverſus poſt horum uſum, uxorem duxit quod illi etiam profuturum ſuaſeram & ſic melancholiam illam depoſuit. *Felix Platerus. Obſerv. lib. 1. pag. 62.*

Pro alio hoc morbo laboraute ſequentia ordinavi.

℞. Rad. cibhor. ℥i. rad. fœnic. ireos, cortic. tamariſci, an. ℥ß. enul. camp. fol. abſynth. an. ʒiii. major. chamæ pit. chamædr. an. ʒii. fl. cordial. an. ʒi. ſem. aniſ. fœnic. petroſel. an. ʒiß. fol. ſen. ℥iß. ſem. cartham. contuſ. ℥i. confund & incidantur, & ſacculo includantur, qui infundatur in vini albi. q. ſ. uſus eſt per quinque dies Diende pilulis uſualibus uti juſſi.

♃. Aloes ʒii. myrrh. ʒß. gummi ammoniac. in aceto ſolut. ℈i. agar. rhei, an. ʒiß. rad. aſar. gentian. an. ʒß. maſtich. ℈i. ſpic. ſem petroſel. an. ℈i. cum ſucco abſynth. inſtar extracti inſpiſſati, F. maſſa paſſul. capiat ʒß. vel paulo plus ſemel in ſeptimana, utatur pulvere peptico poſt paſtum.

Pilulæ ſequentes multis in hoc caſu admodum profuerunt.

♃. Aloes ʒiß. thi, agar. an. ʒi. zinzib. maſtich. gentian. an. ℈i. gummi ammoniac. in aceto diſſoluti ʒß. ſummitat. abſynth. & centmin. an. ℈i. limat. chalyb. ʒß. terebinrh. q. ſ. F. maſſa pilul. capiat ʒß. pro vice *Felix Platerus Obſerv. lib. 1. pag. 65. & 69.*

Delirium

Delirium Melancholicum tandem lethale,

Cum adhuc eſſem in Ungaria, erat Ungarus quidam miles, alias eximius, qui habebat uxorem jam aniculam, à 7. annis pro phthiſica habitam, jamjam in agone jacentem, is me ut illam (vel dicis cauſa) viſitarem rogavit; quam, cum agonizantem viderem ſine pulſu, ſine motu, ſine calore, in frigidis ſudoribus, difficillima reſpiratione, facie tota livida & cærulea, & ad ſuffocationem jamjam proximam, morti magis quam vitæ vicinam eſſe dixi: quod cùm maritus audiret, ſummum ſibi cordis dolorem cum ejulatu & clamore finxit, ego credens, revera hoc ſibi ita cordi duxiſſe, dixi, ſiquidem, ut omnes vident, illa eſt in extremis, me illam tanquam mortuam velle ſuſcipere, & anceps aliquod remedium tentare: Maritus credens ſuam uxorem tanto certiùs morituram, me per omnes Deos & Deas rogavit, ut id facerem: procuravi illi vomitum, & pluſquam 10. ℔. materiæ purulentæ ejecit; mulier incipit reviviſcere & adhibitis paucis tantùm abſtergentibus & expectorantibus convaluit, ut ſua iterum abſque magna moleſtia domi perficere potuerit, Maritus vero, qui ſe jamdiu ad funus ſuæ uxoris veſtibus, candelis cereis, aliiſque requiſitis præparaverat, in ſummam Melancholiam incidit, & planè mente, ſed per intervalla capitur, hinc accedente Paroxyſmo ſtultitiæ ſe inflavit, & dixit hydropicum, noluit reſpirare, & detentione anhelitus tantum non ſe ſuffocavit, & ne cordis pulſum ſentiret, ſepelivit & terra ſe cooperuit, ſe cum ſerpentibus coire putavit, & alia, ſed ſine febre, Finito Paroxyſmo, qui ſemper per aliquot dies duravit, omnium ſuarum ſtultitiarum reminiſcentiam habuit, & ſe ſtultum fuiſſe ſcivit ita duravit per 4. menſes, mulier & amici rogarunt ut conſilio uteretur & remedia adhiberet, patiens verò quia nullum inde incommodum ſenſit, ſemper obſtitiſſet, niſi ob pudorem publicum aliquid facere coactus fuiſſet; & ille, quandoquidem pro adhibita cura ſuæ uxoris mihi nihil dederat, non ſibi fidit amplius à me conſilium petere, ſed ſagas adivit, & ego quoque tanquam non vocatus accedere nolueram. Dictæ ſagæ illum manibus pedibuſque ligarunt, & flexis genibus ſupra illum ſub dio incantationes fecerunt, eumque ſuffumigarunt, exinde malum majores egit radices. & qui antea aliquando per menſem intervallum habebat, poſtea, abſque dubio permiſſu Dei, vix una aut altera die liber erat; nihilominus mutavit ſe delirium & accedente Paroxyſmo ſe tantum ligatum eſſe omnibus membris dixit, funes oſtendit, neque ſe movit ſitu vel loco quo Paroxyſmus incepit, finito Paroxyſmo habuit iterum intervallum lucidum, quo durante Spiritualia & ſecularia media adhibita ſunt, ſed fruſtra, tandem miſſo mihi aliquo honorario propter uxorem ſuam, me ut miſeriam ſuam viderem rogari curavit. Acceſſi, &, ſicut jam deſcripſi illum, inveni, & Melanagoga illi propinare incepi, venit Paroxyſmus, & vidi Patientem conſtrictis manibus, brachiis & pedibus in lecto immobilem jacentem, nec comedentem, niſi illi ad Os cibus porrigerent, rogavi ut mihi ſuos funes, quibus ſe ligatum putabat, oſtenderet, ac oculis mihi monſtravit, ubinam funes videre & ſentire poſſem; tango itaque membra contracta penes articulationes, penes quas funes arctiſſimè ligatos eſſe, adeò ut ſe movere non poſſet, conqueſtus eſt, ego unà cum adſtantibus, licet nihil viderem, nec tangerem, nihilominus tamen me ſentire ac tangere dixi, & ita ſecus quam adſtantes fecerunt, diſcurrendo cum illo, illique aſſentiendo cum condolentia figuram & formam funium illorum putatitiorum expiſcor, & illum craſtino mane à ſuis ligaturis me velle liberare promitto. Redux domum tales funes mihi præparari jubeo, & tot, quot pro manibus & pedibus indigebam, accipio, ſanguine tingo, & ſupra rotundum aliquot lignum ita adhuc humidos ligo, ut figuram & formam, quam ſibi imaginabatur, in ſe ſuſciperent: altero mane accepto raſorio & aliis quibuſdam inſtrumentis anatomicis & Chirurgicis pro aliquo illi apparatu faciendo, una cum funibus ad manicam poſitis, ne videret, & jam à me præparatis, meum infirmum accedo, lintea, faſces mihi dari jubeo, & maximum apparatum facio ſtudio, ut illius imaginationi complaceam. Fit rumor in illo loco, accurrunt religioſi & ſeculares, amici & conſanguinei, qualemnam operationem facturus eſſem, omnes videre volebant, ego omnes ex hypocauſto abigo & excludo, nam ipſemet timui ne riderem, excepto uno meo bono amico, cum quo jam hac de re antè locutus eram, & riſum ut contineret ſummoperè inhibueram: detecto itaque hoc infirmo corpore, iterùm illas articulationes circum ligatas tango, & ob arctam ligaturam funes jam valdè profundos & ſanguine tinctos eſſe, ut infirmus putavit, etiam dico, adeoque quod abſque modica ſectione cutis funes non abſcindere poſſim, ſed ut hoc non curet: Patiens autem ſpe liberationis animatus, etiamſi medium brachium vel pedem abſcinderem ſe non curare, modo ab iſtis ligaturis liberari poſſet mihi reſpondit: qua propter ego penes ligatum articulum cutim, adjuvante & adſtante meo Socio, fortiter digitis compreſſimus, & raſorio modicum ad cutem inter digitos compreſſam incidi, extractumque ſubito manica funiculum ad medium hypocauſti projeci, & momento poſt brachium extendit; clamavit quidem modicum propter ſectionem & compreſſionem, ſed non curavit, quia funiculum illum vidit, quo ſe ligatum fuiſſe quam firmiſſimè credidit: accepto itaque altero brachio idem feci, & etiam movit; idem contigit cum conſtrictis pedibus. Inciſiones illas cutis faſciolis ligavi, & ita infirmum meum ſurgere & induere permiſi, & mecum ad alios, qui foras hanc comœdiam ſpectatum venerant, obviam eduxi, qui omnes ſummo cum applauſu illum exceperunt, & monſtratis illis funiculis, quos tanquam reliquias vel theſaurum reſervavit, illum ita liberum à ſua ſtultitia reliqui; & niſi conſanguineis poſtea meam operationem manifeſtaſſem & demonſtraſſem, tantum non illi inde ſtulti facti fuiſſent: nam unde funiculi venerant ſibi imaginari non poterant. Ceſſante hoc delirio, ſanctè & firmiſſimè credidit, ſe fuiſſe ita ligatum, nec etiam aliter

quiſpiam illi auſus fuit perſuadere quin in ſummam iram ſe moviſſet. Melancholia tamen continuavit, & ideò ſemper ebrius & potulentus apoplexia tactus animam exſpiravit, adhuc ſuperſtite conjuge. *Joh. Georg. Greiſelii.*

Malancholicus mortem Metuens.

Rectè ſanè Aretæus libr. 1. de cauſ. & ſign. morb. diuturn. cap. 5. deſcribit Melancholiam, quod ſit animi angor in una cognatione defixus atque inhærens, abſque febre & furore à phantaſmate melancholico ortus; quanquam Foreſtus (ut alios taceam) Obſerv. Medic. libr. 10. Obſ. 7. in Scholio Hiſtorias Melancholicorum febricitantium aliquot recenſeat. Eſt autem Melancholicorum magna varietas, ut non facilè omnes eorum imaginationes ſtultæ comprehendi poſſint. Nihil enim tam abſurdum & ineptum ſanis occurrere poteſt, quod non Melancholici ſibi imaginentur, & veriſſimum eſſe pertinaciſſimè credant: quorum plurima apud Autores exempla occurrunt, ut pote apud Marcell. Donatum in Hiſt. Med. mirab. lib. 2. cap. 1. Schenckium Obſerv. Medic. lib. 1. de Melanchol. Obſerv. 1. & ſeq. p. m. 123. Edit. Lugdunens. Foreſtum Obſerv. Medic. lib. 10. Obſerv. 7. 13. 14. 15. 16. 17. & in Schol. Plater. Obſerv. Med. lib. 1. à p. m. 62. uſque ad 85. Victor. Trincavell. Conſil. Medic. lib. 1. conſ. 11. 12. 13. 15. 17. Joſeph. Quercetan. Diæt. Polyhiſt. Sect. 1. c. 9. p. m. 67. 68. 69. &c. Fr. Valleriol. Obſ. Med. lib. 2. Obſ. 7. Henr. ab Heers Lib. Obſerv. Medic. Op. rarar. Obſ. 3. & 27. Baldaſſ. Timæum Cal. Medic, Lib. 1. Caſ. 16. Quibus ſimile Exemplum à me vere obſervatum addo Nobilis Poloni M. B. viri literati & opulenti, qui ante aliquot annos Notarius fuit Cancellariæ Cujavienſis. Hic per certa intervalla ſibi ſæpiſſimè diverſorum morborum ſpecies imaginatur, cum maximo mortis metu: jam ſibi perſuadet paralyſin, jam phthiſin, jam hecticam, jam hydropes, jam arthritidem vagam, jam ſcorbutum, jam plicam, jam febris quandam ſpeciem omnia corporis membra quaſi exurentem, & quæ non alia, ſemper autem de morte cogitat. Uſus jam eſt plurimorum Medicorum Conſiliis, Varſaviæ, Dantiſci, Thorunii: præſertim autem Excellentiſſim. virorum D. Willelmi Daviſſonii S. R. Mtis Archiatri Primarii, D. Laurentii Braunii, itidem Archiatri Regii, D. Chriſtophori Meiſneri, Phyſici, dum viveret, Primarii & Medici Regii, tandemque Noſtro: Nihilominus tamen ceſſante illa phantaſia & ratiocinationis depravatione, ac diſcuſſis timore & mœſtitia à ſpiritu animali tenebricoſo & melancholico ortum trahentibus, ille ſani hominis officia optimè peragit, in cibo & potu, aliiſque rebus non naturalibus moderatè ſe gerit, ac de ſingulis objectis judicioſè diſcurrit, tum etiam medicamentis quolibet Vere & Autumno ad præſervationem tempeſtivè utitur, de cujus meliore ſtatu, dum iſta ſcribo, nuncium accepi. Huic perſimilem novi Matronam, honeſtam & piam, annos quinquaginta natam, in hac Urbe, quæ ſæpiſſimè talia ferè incommoda ex Melancholia patitur. Confer cum hiſce caput 33. Leonh. Fuchſii libri 1. de medendis morb. de Melanch. Fernel. conſil. 45. & 46. atque inter recentiores Bernardi Schulteti Conſulta de Melancholiæ morbis, ejuſque admiranda operum proprietate Simonis Schultzii.

Falſa imaginatio Melancholicæ.

Foemina quædam conjux Nobiliſſimi apud nos Viri me ad ſe vocari jubet, ut opem ei ferrem in affectu, quem maximè ſibi eſſe moleſtum vix non cum lacrymis conquerebatur: nimirum vidiſſe ſe in ſpeculo, aperto ore, fruſtulum aliquod carnis supernè dependere ad fauces, quod fruſtulum ſuffocationem ſibi minari valdè metuebat, & propterea, ut quantocyus per Chirurgi forcipem abſcindatur, inſtanter ſollicitabat. Ego, cereo accenſo, numquid præternaturale illic hæreret perquiſiturus fauces inſpicio, omnia in naturali penitus conſtituta ſtatu invenio: ſtatim ergo ex læſa phantaſia melancholici aliquid ſubeſſe conjicio. Præparo corpus, evacuo, atram bilem corrigo, venam à Chirurgo incidi præcipio; extrahitur ſanguis copioſus: quibus factis, rationibus flectere eam tento, nimirum naturaliter uvulam illic eſſe, & in omnium faucibus eam conſpici poſſe affirmo; os meum aperio, ut inſpiciat, rogo, idem & in me obſervatum iri promitto; fruſtra omnia, neque rationibus ullis locus concedebatur; ſed ut quantocyus abſcindatur, enixè rogabat, alias de vita ſua actum fore dicens. Urgeo, expones te ludibrio omnium; nam ſi abſcindatur carnoſitas illa, non rectè loqui poteris, quilibet te lue venerea laboraſſe exiſtimabit, in quibus ut plurimum, ea carnoſitate abſumpta, vox quaſi per nares editur. Non amplius rationibus, ſed dolo pugnandum eſſe judicabam: unde vocato Chirurgo, carnem me illam abſumpturum corroſivis, ne ita promineat, pollicebar. Tetigit ergo ſubinde uvulam melle roſato, cui ſatis bonam quantitatem ſpir. ſulphur. inſtillaveram, quod cum per dies aliquot factum eſſet, ecce, inquam, maxima pars abſumpta eſt, vix aliquid reſtat; reſiduum ſponte ſua opportuno tempore jam decidet. Quid, reſpondet, jocaris? eadem adeſt quantitas: num imponere mihi tentas? certe non taliter me decipi poſſe ſcito; abſcindi, inquit, abſcindi debet, hæc unica eſt reſtitutionis meæ via. Abſcindam itaque, regero, cras, cùm aliud admittere conſilium renuas. Advoco Chirurgum, & ut particulam cruentæ carnis bubulæ, dum os aperit, ei ingerat, ſimulque forcipe uvulam pungat, ut lædi ſibi eam ſentiret, demum cum forcipe carnem quaſi abſciſſam extrahat, & in pavimentum projiciat, jubeo. Accedimus ſectionem promiſſam facturi: projicit tandem in pavimentum carnem ſanguinolentam, ſimulque, en, inquit, habes hic, de qua conqueſta es, carnoſitatem. Ipſa verò, an ſtultam me eſſe exiſtimatis? nequicquam fraudibus me circumvenire tentatis: hæret adhuc caro omnis: quam ſi vos abſcindere detrectaveritis, ego cultro ipſa mihi amputabo; & mox per tonſtrinas omnes diſcurrens Chirurgorum implorat opem: quam cum nulla ratione conſequi poſſet, ad vicinas urbes ejus rei gratia vehitur. Tandem precibus propinquorum & Clericorum forti expro-

probratione fracta, paulatim ad ſeſe redire cœpit: non neglectis tamen remediis deobſtruentibus, & ſpecificis uterinis. *Joh. Schmidii.*

Vanus Melancholici metus.

Quam variis deliriis Melancholicorum phantaſia afficiatur, obſervationes Medicorum paſſim obviæ teſtantur; nunc enim ſinapi ſe ſemen eſſe ſomniant, ideoque ob cantum galli expaveſcunt, metuentes, ne ei in eſcam cedant; nunc urinam retinent, ne ex libero ejus fluxu cataclyſmus ſuboriatur; nunc ranam ſeſe vivam in corpore alere ex Phyſicis etiam principiis ipſi quoque Medici diſputant; nunc Reges ſeſe eſſe, vel Principes, omneſque naves à ſuo dependere arbitrio exiſtimant, &c. Veniebat aliquando huc Gedanum Helvetus quidam, nobilibus parentibus ortus, quinquagenarius, cognatos ſuos viſitaturus, eorumq; opem imploraturus contra piſtores quos paſſim vitæ ſuæ inſidiari panem intoxicando anxie conquerebatur. Metus hic ipſum jam aliquot annis patria extorrem, varias regiones peragrare faciebat, nullibique locorum ſecurum vivere ſinebat. Famulos ſuos eptimanis ſibi fidos eſſe ajebat, ſed mox à piſtoribus pecunia corripit, ut ſubinde mutare eos neceſſum habeat. Nullis illos ſumptibus, laboribus nullis parcere, ut ubiubi degat, reſciſcant, & fidos ſibi quoſque vel prece, vel pretio ad factionem ſuam pertrahant. Cognati hominis de cætero ſanæ rationis miſerti, eum perſuadebant ut Medicum admitteret, prætendentes, corpus ejus ab itinere adeò diuturno male affectum eſſe, vel ipſa facie id teſtante. Annuebat ille; talem tamen volebat, cui nulla cum piſtore quopiam intercederet familiaritas. Adducor ego, poſt varias contradictiones, humaniter à patiente excipior, quid patiatur clanculum à cognatis moneor. De itinerum moleſtia pauca præfatus, ſtatim ad piſtorum perfidiam deflectit hic orationem. Ignarum rerum me ſimulo, malitiam piſtorum miror, cauſam, quam nullam eſſe ajebat, ſciſcitor; ſaltim non omnes, in regionibus præſertim diſſitis, adeò conſcios conjurationis fore regoro, perſuadere tento, immò tandem poſt tertium vel quartum congreſſum coram phantaſiam ipſi læſam probo, & vanam ſuſpicionem nullo niti fundamento demonſtro, ne ſeſe cachinnis & ludibrio exponens, nobiliſſimæ familiæ dedecori eſſet obnixè rogo, ſed irrito conatu. Tentabam quidem humores atrabilarios, quos è vultu ejus colligere non erat difficile, remediis, draſticis, ſpecificiſque aggredi: ſtatim autem, poſt primam exhibitionem ea averſabatur, metuens, ne & ego ad partes piſtorum jam tranſierim, panem non comedebat, niſi ſuffuratum eum eſſe piſtoribus ab homine, qui nec ex viſu, nec auditu patientis notitiam ullam haberet, ſanctè ipſi juraretur. Cum ergo ſpes curationis omnis decollaret, & aer ac vivendi ratio noſtro morbo huic minimè convenirent, ſuaſi cognatis, ut abitum ejus maturarent, majuſq; malū mutatione loci præcaverent.

Amentia. Melancholica ex faſtu orta, Exempla aliquot.

Melancholiæ deliria multiformia eſſe, ob particulares corruptas imaginationes, rectè ſtatuit Ætius Tetrabibl. 2. Serm. 2. c. 9. Hinc ortum eſt vulgare proverbium Imaginationem facere caſum: Deſcripſerunt Melancholicorum diverſas ſpecies Authores plurimi præſertim Schenkius. Obſ. Med. lib. 1. de Melanch. Obſ. 1. 2. & ſeq. Marcellus Donatus Hiſt. Med. mirab. lib. 2. c. 2. Gv. Ballonius Conſil. Med. lib. 1. conſ. 9. & l. lib. 2. conſ. 1. 5. & 41. ſed præſertim notabilis eſt hiſtoria, quā athenæus deipnoſoph. lib. 12. & ex eo Rich. Dinothus in adverſ. Hiſtoricis, Quinquagen. 5. de var. Stult. p. m. 221. recenſent, de Thraſilao, Pythodori filio, Axonenſi, qui ejuſmodi melancholici Inſania correptus fuit, ut æſtimaret, eſſe ſuas quæcunque in Peiræum naves appellerent, illas recenſeret, dimitteret, deduceret, in portum ſubeuntes exciperet, tanto gaudio, quam ſi Dominus earum mercium eſſet, de his quæ perierant, nihil requireret, de iis, quæ allata & ſalva fuiſſent, vehementer gauderet, ſic multa cum voluptate vitam agens. ubi verò frater ejus Creiton ex Sicilia reverſus prehenſum Medicis tractandum commiſit, ab illa ſanatus dementia, lætius ac jucundius ſe nunquam vixiſſe affirmabat, quoniam & omnis moleſtiæ prorſus expers eſſet, & plurimis interea voluptatibus frueretur. Inter Recentiores thonnerus obſerv. Medic. lib. 2. de Melancholia obſer. 1. deſcribit Caſum Melancholici cujuſdam liberi Baronis de Teuffenbach, qui ex corrupta Phantaſia ſe totius Orbis Monarcham eſſe exiſtimaret. Hiſce nos ferè ſimiles Caſus aliquot obſervavimus ſequentes. Primum in Aurifice quodam ingenioſo, Civeque Elbingenſi, extra conjugium vivente, qui adeo elati fuit animi, ut omnes alios præ ſe contemneret, ſeque Comitem S. R. Imperii de nomine Penſium (ita enim vocabatur) eſſe imaginaretur: hinc per totas hyemes Opificium ſedulò exercebat, ex eoque quæſtum capiebat; æſtate verò appropinquante nihil aliud agebat, quam quod pallio amictus & gladio accinctus, baculum manibus tenens per medias plateas incederet, neminique obviam venienti cedere vellet, & quemvis refractarium percuteret, nullo perſonarum reſpectu habito, utut alias nulli damnum inferret. Secundum caſum obſervavi in Johanne *Roſenbaum*, cive primùm dantiſcano, poſteà thorunenſi, mercatoreque opulento, qui in itenere navali, Portugalliam verſus, naufragium faciens, & Ulyſſiponam veniens in magnam incidit Melancholiam, aliàs Natura arrogans & faſtuoſus, & quoniam tunc temporis Luſitania ſive Portugallia ſub Hiſpanico Imperio erat, Regeque ſuo deſtituebatur, ille ſe ex nimia; imaginatione Regem Portugalliæ eſſe dicebat, domum etiam revertens ad uxorem & liberos, nihil præter magna meditabatur; Sermones ejus quotidiani tantùm erant de Regimine & Regno: Imperatorem Romanum Reges Poloniæ, ſueciæ & Daniæ, atque Electorem brandenburgicum Affines ſuos nuncupabat, ad quos ſæpè literas dabat, & iterum à ſe fictas reſponſorias; ac ſi ab illis recepiſſet, oſtentabat; imò non ſemel Varſaviam profectus, Regem Poloniæ alloquebatur, & pro Melancholico agnitus, Cœna Regali aliquoties exceptus, atque ab Aulicis diverſimode deluſus eſt; uti & apud Electorem Brandenburgicum, cujus aulam ſæpè

inviſere ſolebat, unde ex majori ficti honoris apprehenſione magis inſaniebat, præſertim verò tempore hyberno, quo aliquoties carceri incluſus eſt, ne damnum aliquod, ædes alienas intrando, committeret: æſtate adveniente plerumque à Melancholico delirio liber erat, & de omnibus rebus prudenter loquebatur, quodque majus, earum quoque actionum, quas tempore delirii perpetrabat, benè recordabatur: tùm etiam de quavis religione optime judicabat, cumque in Religione Reformata natus & educatus eſſet, poſtea Romano-Catholicæ ſe addixit, in qua etiam ante biennium mortuus eſt. Tertium Caſum animadverti in uxore Johannis *Schillers*, Civia Thorunenſis & Tornarii, inter miniſtros Præconſulares primi ſub Curia habitantis, adhuc vivente: quæ ex nimio faſtu, quandoquidem Maritus ipſius omnia Curiæ Conclavia aperiret & clauderet, ibique habitaret, ipſum appellavit Dominum & Regem civitatis, ſe ipſam autem Dominam ac Reginam. Per plateas eundo colligit lapillos & lignorum fragmenta, iterumque projicit, dicens, iſta eſſe maleficia ipſi quoque nocua: ſed quandoque rationabiliter loquitur. Quartum Caſum annotavi in Ruſſo quodam Mercatore, Græcæ Religionis, Zacharia Pankievicz, qui cum dives ſit, Linguarumque præter Ruſſicam, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Germanicæ & Polonicæ ex parte gnarus, artiſque militaris peritus, ſupra omnes ſapere videtur: hinc accedente mœſtitia ex amiſſione Summæ pecuniariæ non adeo magnæ, recordatione vitæ in juventute malè actæ, & nimio potu vini cremati Melancholicus factus, inſaniam initio levem, quæ indies gravior ſit, patiebatur; hic jam meæ & Excellentiſſimi Dn. D. Segeri Curationi traditus eſt. Non ita pridem Nobis monſtravit Chartas, cum hac inſcriptione: Zacharias Pankievvicz, D. G. Rex Poloniæ, Imperator Moſcoviæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Moſcoviæ, &c. Eo ipſo tempore aſſeveravit, ſe ducturum ſeptingentas Uxores ad exemplum Iſraelitarum Regis Davidis, trecentas & quinquaginta vinculo Matrimonii copulatas, & tot pellices. Idem nobis nuper dixit, credite mihi, quamvis vos ſitis Doctores, me plus intelligere, quam vos ambo, neque me in toto Regno Poloniæ doctiorem eſſe; dicite mihi numerum venarum & articulorum in Corpore humano, ut taceam alia abſurda plurima. Cùm noctes inſomnes duceret, præſcripſimus ipſi aliquoties Laudani Opiati gr. v. vi. ad ℈ß. cum Saccharo Saturni & Syrupo papaverino, aquiſque alterantibus, ſed ſine ullo effectu. Cumque ulteriùs Medicamenta aſſumere renueret, nos quoque eadem prophanare noluimus, ſed ipſum Prognoſtico reliquimus, Tum incidit in manus vetulæ cujuſdam, è cujus conſilio utebatur quotidiè balneo aquæ dulcis, certis herbis præparato, ab ipſa perſuaſus morbum illius ex veneficio orignem habere, ſed ſine meliori ſucceſſu. Paucis abhinc diebus matrem è Ruſſia Thorunium ipſius cauſa venientem, eumque viſitantem, alapa una atque altera excepit, qua cum & aliis Ruſſis Nundinas Trium Regum hic celebrantibus itineri domum verſus ſe jam accinxit. Præſcripſimus ipſi inter alia tam interna quàm externa ſequentes ſpecies, quas ſimili in caſu alias multum juviſſe experientia didicimus. ♃. Herb. betonic. verben. Flor. Chamæmel. Sambuci, Salviæ, Roriſmari Nymphææ ana p. ii. Sem. fœniculi, Nigellæ pp. Coriandr. pp. anethi ana ʒß. Conciſa craſſiuſcule miſceantur & ſubigantur cum farina & aqua, fiatque ſecundum artem opus piſtorium, ſeu panis, qui reſciſſa inferiore cruſta, parumque excavata medulla, ita calidè capiti imponebatur inſtar mitræ; ſed quia & hoc remedium admittere noluit, fruſtraneum fuit. Quia panis ille auro foliato ſuperiùs ad formam Crucis fuit obductus, dixit de illo, allatam ſibi eſſe, ut Regi, Coronam, forſan, ni reſpuiſſet, plurimū profuturā. Quintum caſum ſuppeditat muliercula quædam inter noſtrates Civicas juvencula egregiæ, formæ ſed elati animi: hæc coactè nupta viduo cuidam è Suecia oriundo, fabro ærario, homini moroſo, ſurdaſtro & morib. in ruſticis atq; inſulſis prædito, ſemelque atque iterùm prægnans, poſt utrumque puerperium in graviſſimam incidit melancholiam, vix non in maniam degenerantem, quæ, quoties maritus ei in conſpectum veniebat, toties magis exacerbabatur; Verùm brevi temporis ſpatio, adhibitis idoneis remediis, Venæ-ſectioneque revulſionis majoris gratia in pedibus celebrata, benedicente Summo Archiatro, integrè reſtituta eſt, & hodie adhuc optimè valet, poſt fata prioris mariti in ſecundo Conjugio jam degens. Sed finio Obſervationes has verbis Philoſophi Galli, inter Neotericos Acutiſſimi, Renati Carteſii Libro de paſſionibus animæ Part. 3. Artic. 157. de Superbia ita ſcribentis: Quotquot bonam opinionem, de ſe ipſis concipiunt quacunq; alia de cauſa, non pollent vera generoſitate, ſed tantùm turgido faſtu, qui ſemper valdè vitioſus eſt, etſi eo magis, quo cauſa propriæ exiſtimationis injuſtior fuerit. Omnium verò injuſtiſſima eſt ſuperbire abſque cauſa, id eſt, cum quis etiam nihil cogitat ſibi ineſſe meriti, propter quod exiſtimari debeat, ſolummodo quia meritum non magni facit, ſibique imaginando gloriam nihil aliud eſſe quàm uſurpationem, credit eos qui ejus ſibi plus arrogant ejus quoque plus habere. Eſtque hoc vitium ita irrationale & abſurdum, ut vix crederem dari homines qui illi ſe proſtituerent, ſi nemo unquam injuſte laudaretur: ſed aſſentatio tam latè dominatur, ut nullus ſit ita imperfectus, qui non ſe videat ſæpè laudari propter res quæ nullam laudem merentur, imò quæ vitiperio ſunt digniſſimæ; quod occaſionem præbet ſtupidioribus in hanc ſuperbiæ ſpeciem incidendi. Hucuſque ille. Ad meliorem verò præmiſſorum elucidationem Curioſus Lector velim evolvat Hieronymi Cardani Opus illud Divinum dictum, humanique ingenii captum ſuperans, Commentarios ſcilicet abſolutiſſimos in Hippocratis Coi Prognoſtica, præſertim Comment. 1. Prognoſt. 24. & comment. 4. Prognoſt. 7. 10. & 29. *Simonis Schultzii.*

Gravida Melancholica non niſi Vomitoriis curata.

Utero gerentes haud facile purgandas eſſe, olim ſcholæ Hippocrat. præceptum erat. Hinc factum ut complures ſubſequentium ſeculorum Me-

Medici religioni ſibi ducerent, gravidis purgantia offerre: Quanquam res, me opinante, diſtinctione quadam expediri facile potuiſſet. Anſam ita ſcribendi dedit mihi mulierculą quædam ruſtica, cum melancholia hypochondriaca non leviter conflictata. Hæc utero ſe gerere neſcia, præter purgantia, quæ hinc inde à medicaſtris, me inſcio, accepit; bis terve uſa eſt tartaro emetico ad gr. VI. vel VII. Unde factum ut ex ſymptomatibus melancholicis melius habere videretur, tandemque puerum optime ſanum felici puerperio eniteretur. Ea ipſa mulier elapſo biennio, cum gravidam ſe iterum ſentiret, conſimiliter eoſdẽ experta eſt melancholiæ inſultus: hinc vomitorium repetiit, priſtinũ id quodtamen petenti primo certis de cauſis offerre renui. Tandem continuis miſeræ querelis, quibus referebat ſe ex uſu emeticorum antehac à melancholicis iſtis paroxiſmis fuiſſe unice liberatam, auſcultans, dedi iterum Tartari emetici gr. VI. unde evacuata materia putrida fœtanteque, poſtmodum ab affectu iſto melancholico libera, puerum dehinc ſanum vegetumque enixa eſt feliciter. *Ehreneridi Hagendornii.*

Melancholica ſingularis.

Nobilis fœmina ex hypochondriorum vitio diuturno in melancholiam tandem incidit, gravem illam & pertinacem, ſed quæ tamen uſque eò expugnari ſe pharmacis paſſa eſt, ut raro nunc interpellet, uno ſymptomate excepto, quod tenaciter adhuc adhæreſcit. Quotieſcunque enim inter preces & maxime ſeria verſatur, omnes ſtipulas, & plumas per totum conclave anxie veſtigat, colligit, & ſibi ſeponit. Accedit & mirum calceorum novorum deſiderium; nam quemcunque, & ubicunque reperit novis calceamentis indutum, ad illum tacite ſe confert, ſolvit corrigias, & calceos clam ſuis pedibus aptat. Sed & duo alia in melancholicis mihi obſervata, unum, quòd plerumque non niſi aucta in triplum doſi legitime purgentur; acido illo humore, qui in hoc genere hominum regnat, vim purgantium hebetante, non aliter atque videmus helleborum acidis diu immaceratum ſegnius laxare ventrem; alterum, ſanatos etiam melancholicos (convenit & hoc deliris aliis) Medicum ſuum à quo gravi illo onere levati ſunt, plerumque odiſſe, ſive quod exiſtiment vel à tacente ſibi exprobrari ante actam veſaniam, ſive quòd obſtinatione credi poſtulant, ſe non inſaniiſſe, ſed medentem falſa illa perſuaſione imbuiſſe populum. *Olai Borrichii.*

Fœmina quæ mortuam ſe credit, & miratur ſe quandoque reviviſcere.

Honeſtiſſima matrona propemodum ſeptuagenaria, cùm ante biennium valida adhuc & ſenſibus integerrimis in culina neſcio quibus cibariis aſſideret, illapſa per januam ſubito aura frigidior ita occiput ejus penetravit, ut in paucis horis hemiplectica concideret, & toto triduo parum à mortua diſtaret. Narcoſis perpetua, rhonchi crebri, ſpumoſa circa os, pulſus aliquando undans, ſæpe velut deficiens. Quarto die, antapoplecticis diu fota, fricta, fumigata levavit oculos, hauſit pharmaca, loqui cœpit, ſed pleraque aliena; præ cæteris autem, (in quo adhuc per intervalla durat) nominavit fœminas uſu & familiaritate ſibi cognitas, quarum miniſterio jam mortua (ita enim conſtanter credebat) feralibus linteis veſtiri vellet, & in arca reponi. Cumque filia & famulæ nondum obiiſſe dominam identidem occentarent, illa iratio iterum, iterumque emiſit, qui familiares tarditatis in ultimo illo officio increparent. Tandem moræ impatiens, & minanti propior à famula domeſtica etiam diu reluctante officium funebre extorquet, mirata ſubinde cunctationes matronarum, ut quibus toties in articulo mortis domeſticorum ſedula adfuiſſet. Quid multa? veſtitur habitu exſtinctis ſolenni, & in anaclinterio extenditur. Diu ſe circumſpicit, & jam ibi aciculas parum fidas, illic fimbrias ultra morem propendentes, alibi lintea non ſatis munda cauſatur. Tandem in ſomnum prolapſa ab ancillis expeditur iterum voluminibus funebribus, & in lecto ad quietem reponitur. Experrecta iterum mortuam ſe aſſeverat, &, ut ante, de pollingentibus ſollicitam ſe oſtendit. Recurrit diu ex intervallo eadem cantilena, nec aliud præſentius perverſæ imaginationi à me inventum eſt remedium, quam pulveres gemmei opio alternis diebus remiſti. Ex quo vivam ſe intellexit, ſæpe in Norvegia ſe apud filiam eſſe arbitratur, negantibuſq; contumaciter contradicit, accingitque ſe nonnunquam ad iter Hafnienſe, nec alia techna hanc ejus opinionem diſcuſſit, quàm quod carpento in ſuburbana aliquando evecta, cùm rediret, portam domus ſuæ agnoverit, & tum demum è Norvegia Hafniam reverſam ſe eſſe pronunciarit. Interea manuum, pedumque miniſterio utitur ſatis expedite, ſiniſtris tamen partibus paullo timidius, comedit liberaliter, alvus reſpondet, cætera ſanis ſimilia, niſi quod dormire nequeat, niſi alternis noctibus opio ſomnos invitet; & primo quidem anno ſufficit narcotici granum unum, poſtea non ſecuta quies, niſi duobus granis advocata, nunc tria requiruntur, ita ſenſim natura aſſuetudine longa cum opio familiaritatem contraxit. Hodie, maximè circa ſolſtitia, & æquinoctiá vel iterum mortuam ſe credit, & paullo poſt revixiſſe ſe miratur, vel, quod ipſi jam frequentius, epulis mortuorum ſe intereſſe arbitratur, vel jam diu extinctis mente & animo convivia præparat. Uſque adeo firmiter cerebro inſedit mortis illa imago, ut perpetuum fere cum larvis commercium ſibi eſſe perſuaſiſſima ſit. Alia honorata Matrona ex lochiorum ſuppreſſione febricitans infernam ſe furiam eſſe voce intentiſſima aſſeruit, & è lecto ſubito procurrens, oculis ad formidinem aſtantium efferis, rubentibuſque ſum, inquit vera tyſiphone Stygia, ſũ ardens apud Inferos genius & ſimul in oculos mariti involavit unguibus, me ad Tragicum ejuſmodi ludum cohorreſcente. Rediit illa tamen ad ſaniorem mentem, & largo fletu delirium expiavit. Alia, poſtquam à partu convaluiſſet, ſacram ſcripturam nullo modo ſibi ſcriptam eſſe obſtinatiſſime pertendebat, & cum ſacris intereſſet, ſalutaria miniſtri Evangelici monita ad cæteros quidem omnes, ſed ad ſe nequaquam pertinere aſſeverabat, ex purgata tamen iterum, iterumque pharmacis amurcam ſanguinis emendantibus integræ menti reſtituta eſt. *Ol. Borichii.*

Singularis Paroxyſmi Melancholici cura.

Vivebat ante aliquot annos in diſtrictu noſtro Grunbergenſi nobilis primæ notæ, qui ſæpenumero vehementiſſimis excruciabatur inſultibus Melancholicis: huic erat frater feſtiviſſimi ingenii, jucundiſſimæque converſationis, in alio diſtrictu habitans. Inviſit aliquando fratrem invenitque ſummè Melancholicum. Una aurora videbatur deſperabundus; ſtabat quippe inſtar trunci in foribus arcis, capite ad brachium inclinato, nec à loco erat amovendus. Hic tandem, ut erat vafer & aſtutus triſtitiæ hoſtis, hanc piam excogitat fraudem. Aſcendit clanculum in arcis tectum ex adverſa parte ſitum, ſonoraque & ignota voce exclamat: *Sey getroſt mein Sohn, deine Sunden ſind dir veregeben.* Seque abſcondit & deſcendit tanquam ſibi nil conſcius. Hic è ſopore veluti excitatus, circumſpicit accuratiſſimè, dum autem neminem videt, verbaque ponderoſa expendit, putat hæcce è Divino Oraculo cœlitus prolata, erigit animum, quærit uxorem, exponit quæ audivirit, accerſit domeſticos & iis explicat, tandem & fratri accedenti lætabundus refert, qui ſe ſimulat ac ſi in agris obambulaſſet & ejus moleſto ſtatui indoluiſſet. Deſcendunt omnes ſtudio in ejus ſententiam, remque exaggerant. Animum Melancholici dum hic actus detinet attentum, paroxyſmus evaneſcit, priſtinus vigor redit, cum fratre aliquot dies hilariter conſumit, & per multum temporis à moleſta hacce invaſione Melancholica immunis vixit.

Melancholiæ anniverſariæ in Maniam degenerantis admiranda ſpecies.

Melancholicos in actionibus geſtibuſque diverſimodè agere, & modo triſtitiam fovere, modo alias & nonnunquam ridiculas imaginationes ſibi imprimere, eaſque tenaciſſimè defendendas ſuſcipere, hiſtoriarum & obſervationum libris notum, imò notiſſimum. Unde Platerus & Rudius cauſam hujus mali, melancholicum humorem, inexplicabilis cujuſdam malignitatis, & quaſi venenoſitatis principem eſſe, mirandis & incredibilibus imaginationibus adducti, rentur. Habet enim Humor iſte occultioris quid in ſe, quod & veteres agnoverunt, & horribilia & mirabilia effecta id ipſum arguunt. Petræus lib. 1. diſſ. harmon. 4. P. 6. p. 57. Muliercula quædam perſuaſum habebat ſe Regi deſponſatam eſſe. Marcell. Donatus de hiſt. Med. mir. lib. 2. c. 1. Quidam quæcunque, quibus uti opus erat, quam maxima expetebat. Seneca. alius propria membra devoravit. Smyrnæus libr. 2. Hiſt. Gothor. Quidam ſe ſanctum eſſe Spiritum affirmavit. Borell. Obſ. Med. Phyſ. c. 1. Obſ. 37. Non nemo ſe tàm vaſto naſo eſſe credebat, ut nullum ſibi patere ſatis oſtium ingreſſuro arbitraretur. Julius Alexandrin. lib. 5. de Medico. Quidam putavit ſe eſſe mortuum. Levin. Lemnius lib. 2. de Complexion p. 181. Alius Imperatorem ſe dici & eſſe contendit ſeriò; alius, qui mitram geſtavit, ſummum Pontificem, itaque Crucis ſigno hominibus benedixit. Paſcaſius Juſtus de alea libr. 1. Quidam ſe anſerem eſſe putavit. Salmuth. Cent. 3. Obſ. p. 156. Et centena alia. Sic naſcebatur quidam Nobilis, cui nomen erat Flammineo, ad radicem Montium Rhetiæ, cum annata mentis quadam imbecillitate, quæ judicii imbecillitas ſenſim creſcentibus annis magis magiſque Parentibus innotuit, cum vario modo primis puerilis ætatis annis geſticulari, indeque delirare, ſine tamen febri, cœperit. Admiratu tamen in hocce patiente dignum videbatur, quod Melancholica, quæ riſu incipiebant, deliria cum triſtitia & metu plerumque, non tamen ſemper (ut inferius dicetur,) per totum hyemale tempus continuarent, appropinquante autem Vere (unde Hippocrates maniam inter morbos vernales recenſet) in maniacum planè tandem furorem degenerarent, qui circa dies potiſſimum caniculares augebatur, quo tempore tam vehementer ſævire incipiebat, ut nullus illi obvius fieri poſſet, quin ab eodem cùm jurgiis, tum fuſtibus invaderetur. Noctes agebat inſomnes, & illo tempore perpetuo clamori & diſcurſui indulgebat, cantilenaſque varias & obſcœnas maxima cum delectatione ſæpè ſæpius repetebat. Quemadmodum quidam ſub canicula quotannis vas teſtaceum ſe credebat, finito menſe, ad mentem ſanam & ſolita officia reverſus eſt. Thom. Barthol. Hiſt. c. 1. p. 217. In Maniaco hoccè furore tàm prodigus prætereà erat. ut pro re vili tertiam bonorum partem conceſſiſſet. Sicut quoque Illuſtriſſimus ille, qui ferè omnia ſua aliis donabat, cujus Henric. ab heer obſ. 27. p. 295. meminit. Verùm, ut dictum, quanto furore in hac anni parte capiebatur, tanta, accedente Bruma, triſtitia, metu & ſilentio detinebatur, ut ex eodem, fornaci perpetuò affixo, per totam ſeptimanam vix ullum elici potuiſſet verbum. Sic Melancholici cujuſdam, qui loqui nolebat, mentionem facit Thom. Barthol. Hiſt. 18. Cent. 3. p. 67. Et quemadmodum antea neminem ſive fortiſſimum metuebat, ita tunc vel à mure terrorem permaximum ſibi incuti patiebatur. Quin etiam prout paroxyſmus maniacus protrahebatur, & nonnunquam per certum hyemalis temporis ſpatium adhuc durabat, ita & melancholici delirii & ſilentii acceſſio magis dubat, atque ad æſtatis tempus uſque quandoque prorogabatur, ita ut certum non ſemper obſervaret tempus, ſed Paroxyſmus nunc cum majori, nunc minori, tum furore cum triſtitia accederet. In illa tamen triſtitia, quod apud hujuſmodi mente captos plerumque obſervavi, ſummè fallax erat ac invidus, oculiſque horrendis homines aſpiciebat. Plura tentata, quibus Maniaco-Melancholicus iſte, niſi reſtitui, furor & ſymptomata ſaltem mitigari poſſent, à plurimis Medicis fuere remedia, incaſſum tamen omnia. Et quamvis per fortiora cathartica exhibita & porrectum helleborũ circa Solſtitium hybernũ & æquinoctium, ut & ſanguinis largiorem detractionẽ parũ juvaretur, ut mitior evaderet, tamen hiſce negligentius continuatis, vel ob ægri in recuſandis remediis pertinaciam, vel in victu indies commiſſa errata (ſummè enim fortioris vini potu delectabatur, quo tamen evidenter maniacus Paroxyſmus provocabatur) ſolito redibat more hinc inſaniã & apoplexiam à nimia vini meracioris ingurgitatione excitatam fuiſſe memorat valleſ. comm.

in

in lib. 5. Epid. Hipp. p. 430. De ipſius igitur cura, & congenitæ hujus amentiæ correctione tandem deſperarunt Medici, antiquo illo antiquo illo adagio adducti: Chinaſce pazzo, non guariſce mai, ſicque eundem deſerverunt. Sed quid fit? Matrimonium paulò poſt ex quorundam inſtinctu contrahebat, & poſtquam in conſortio conjugali cum maximè ſtrenua uxore aliquamdiu perſeveraſſet, alvo uxoris tumefacta prægnans judicata fuit, non ſine gaudio miſeri hujus dementis, qui ſe non minùs quam alii ſtrenuum præſtitiſſe virum putabat: nam novies ſolito itinere Luna Orbem peragraverat, quando doloribus prehenſa prolem in lucem produxit maſculini generis indeque ſatis fœcunda exſtitit, ac plures hæredes utriuſque ſexus peperit ſine ullo paterni affectus contagio. Quo facto, affectus hic remittere ac mitigari cœpit, cùm non minùs efficaciter in hocce negotio collaboraſſet. Melancholicis Venerem conducere, Oribaſ. Sympoſ. lib. 1. c. 6. dicit. Et Aretæus lib. 1. c. 5. aſſerit: Juvenem quendam uſu puellæ à Melancholia convaluiſſe. Sic Marianus caſtratione curatus fuit. River. Obſ. comm. p. 77. Maniam ex ſemine retento recenſet. Foreſtus lib. 10. Obſ. 24. Notum enim, quantum per emiſſionem ſeminis crebriorem de ſpiritibus, atque optima ſanguinis portione conſumitur, unde calor corporis totius evadit mitis, & quò frequentius id accidit, eò magis ſanguis & ſpiritus, & per conſequens corpus refrigerantur & exſiccantur. Quapropter ab ipſo tempore maniacis ac furioſis deliriis amplius parùm vel minimè fuit afflictus. Verùm enim verò ſedata Mania, Melancholia ex veneris uſu altiores hoc pacto egit radices: indies enim magis magiſque incrementum ſumpſit. Libidinoſi enim homines tùm alia varia corporis damna, quæ inter alios compendio recenſet ex Ruffo ætius tetrab. lib. 3. c. 8. tùm ſeorſim capitis ſenſuumque plerorumque omnium debilitatem, & corporis quendam fœtorem contrahunt. Hinc etiam, experientia reſte, homines abſoluto coitu triſtitia afficiuntur. Semen enim, ſecundum Sennert. lib. 8. c. 2 Epit. Natur. Scient. p. 679. caloris & ſpirituum in toto corpore quaſi compendium eſt. Per ſtrenuum igitur & ſuperfluum Veneris exercitium illi ſimul evacuantur, ſanguis ſpiritibus exhauſtus relinquitur, minuſque ſubtilis & mobilis triſtitiam auget. *Caſp. Theoph. Bierlingii.*

Extracti Colocynthidos uſus in Melancholia.

Quid in Melancolia Extractum Colocynthidos valeat, duabus illuſtrabo hiſtoriis: Nuper vocatus fui ad Nobil. virginem, quæ per annum fere integrum Melancholia taciturna detenta fuit, & poſteà exhibito à me Extr. Diacolocynth. in jure prunorum diſſoluto, præter omnem ſpem & expectationem ad ſanam mentem rediit, ac Confeſſionarium ad ſe accerſiri fecit, quem anteà non videre, nedum audire voluit: per alvum cum murmurationibus in magna copia materiam morbificam detrudebat, cujus excrementa tota mucoſa & pituitoſa, atque adeò lenta & viſcida erant, ut in altum longè extendi potuerint. Poſtquam paululùm ad ſe rediret, corpus totum humore atro & melancholico refertum eſſe putabat, ac propterea alvi excrementa ſedulò deſpiciebat, quibus excretis atramentum ſcriptorium infundi ac permiſceri curavi.

Sic memini An. o 1656. cùm Altenburgi Sereniſſimæ Principis Medicus Ordinar. eſſem, accidiſſe, ut honeſti cujuſdam viri uxor, natura & conſtitutione corporis melancholica atque ſterilis, die quodam ſereno in ſilvulam vel lucum prope hortum aulicum exſpatiaretur, ſola canicula comitata, forte fortuna ex Arce adveniente Principe, qui tamen illam non viderat, ſed ſolum canem feras inſectantem, quem propterea ſclopeto trajici curavit; ex quo ictu perterrita mulier, aliquid grave ſe commiſiſſe, ſe in mala Principis gratia eſſe, falſo ſibi imaginabatur, quod in locum illum deambulaſſet, ac proinde ad capitis ſupplicium damnatam eſſe; quo delirio noctes dieſque vexabatur, non precibus, nec minis ſibi aliud perſuaderi paſſa, expectans ſubinde carnifices atque lictores (quos venatores ex adverſum habitantes, eſſe putabat) venturos, ac ſupplicium de ſe ſumpturos. Plurimùm me Medicum, etiam Confeſſionarium, alioſque viſitantes fatigabat illa, tandem adhibito Extracto Troch. Alhand. & alio arrepto dolo bono, à me curata fuit. *L. Chriſtiani Friderici Garmanni.*

Hypochondriaci cum febre quartana curatio

Monachus quidam Benedictinus per ſemeſtre ferè laboraverat febre quartana, adveniente icteritia nigra, cum ſpirandi difficultate, ventriculi anorexia, vomitu continuo, ventris conſtipatione, ac tumore crurum & pedum inſigni. Is, cum Medici poſt varia medicinalia fruſtra exhibita de eo deſperarent, valdè propterea æger contriſtatus in melancholiam vehementem incidit, & cum licentia Abbatis ſui A. 1657. Ratisbonam, auxilium meum imploraturus, delatus fuit, quem intra paucas ſeptimanas, tam exhortatione ſuavi & colloquiis jucundis, quam methodo curationis ei acceptiſſima, deoppilantibus ſcilicet & alterantibus per epicraſin, alternatiſque corroborantibus in integrum reſtitui. Exin notavi morbos ejuſmodi atroces & melancholicos non ſemper magnis & vehementibus remediis diſpelli, ſed potiùs exaſperari; cautè igitur & ſuaviter cum eiſdem procedendum, ac ægrorum moribus aliquid interdum concedendum. helvyigius.

Scholion Schrockii. In melancholia hypochondriaca fortiorum pharmacorum, catharticorum catharticorum inprimis uſum plus officere quam prodeſſe, utique in confeſſo eſt; quod juxta cum aliis notavit in libello ſuo de Melanch. hypochondr. Johann. Freitagius cap. 8. idque non tantùm de illis, quæ natura ſua vehementia, ſed & quæ nimia frequentia pecant, intelligendum eſſe, ex Clar. Nathan. Highmori Exercit. de affect. hypoch. cap. 7. patet; ubi frequenti alvum laxantium & vomitum concitantium abuſu ventriculum debiliorem atque laxum nimis effici in malo hoc ſcribit, addens: Fortiora etiam medicamenta viſcera debilitant & calefaciunt; humoreſque nimium commoventia paroxyſmum aſperiorrem

generant, atque ſic in mali cauſam degenerat remedium. Nec in hiſce ſolùm, ſed & alias molliter ſuaviterque melancholicos tractandos, in Scholio ad Obſerv. xli. jam dictum fuit. Quod ſanè omnibus probè notandum foret, qui tenerioris ſæpè conſtitutionis homines melancholicos ac ſi robuſtiores maniacos vel bruta tractarent, belluina ſua curandi ratione violenter adgrediuntur, & una eademque hora vomitoriis ac venæ ſectionibus ægrotos reluctantes excarnificant. Hinc blandiori ratione tractando, & deliriis ægrotorum nonnihil cedendo, plus in exſtinguendi falſis imaginationibus utplurimum effici, quam contranitendo hiſtoriis docemur: ex quibus unicam elegantiſſimam ſufficiet indigitaſſe, quam Nobiliſſ. D. Joh. Georg. Greiſelius in Ann. III. Ephem. Curioſ. obſerv. 49. propoſuit; Econtra vicentinus ille, cujus marc. Donatus lib. 2. de medic. hiſt. mirab. cap. 1. meminit, qui corpus prægrande ſe habere opinabatur, ita ut nullo pacto cubiculi oſtium exire poſſet, mortuus eſt cùm Medici juſſu invitus exportatus fuiſſet, occiſores nempe increpans, confractumque ſe totum conqueſtus. Hoc ipſo tamen perpetuæ in omnibus pravis actionibus deſideriiſque adſentationi & indulgentiæ minimè patroinium præſtatur; in his enim ſi Medicus gratificetur, ſæpe obeſſe ſolet: Tales ſunt, quibus, ut Johan. Anton. Lindanus Conſil. de hemicran. menſtr. §. 292. loquitur, nihil ad ſanitatem deeſt, niſi quòd ſe ſanos non credant; hique ſemper dum volunt curari, nunquam curantur, propinata etenim medicamenta cum in corpore non inveniant, quod emendare queant, & tamen ibidem otioſa neutiquam remaneant, neceſſariò ipſam invadere naturam coguntur, eamque alterando in alium ſtatum, qui ideo præternaturalis foret, deducunt. Digna ſunt quæ hic repetantur verba à Joan. Manardo ad Amicum atra bile agitatum perſcripta, Niſi obſtares, facilè bonam valetudinem te recuperare poſſe confiderem. Non enim ſunt tibi medicamina à litoribus indicis perquirenda, vel Æſculapius ab inferis revocandus qui te liberet: intra teipſum habes antidota, & nemo tibi melior quam tumet tibi ipſi, eſſe medicus poteſt. Vid lib. 4. epiſt. med. 5.

Vir Mania, ſeu Dementia inveterata laborans; per Transfuſionem ſanguinis curatus.

Ab hinc anno ferme uno publice incubui Transfuſioni, & fundatis conjecturis meis ſuper diverſis rationibus, & pluribus experimentis conjunctim cum Dom. Emmereſio habitis, conſtitui expectare ſecuturam ulteriorem confirmationem, per accuratam obſervationem omnium accidentium in diverſis tentaminibus, quæ inſtituere propoſueram.

Ab initio hujus inſtituti nunquam occaſionem perdidimus perficiendi hanc operationem, quam inſecutus fuit optatus ſucceſſus; & poſſem quidem hic allegare quaſdam ſpeciales Relationes, quarum circumſtantiæ ſatis curioſæ apparerent, niſi mallem ea referre ad Collectionem brevi tibi forſitan mittendam, ut amplius mihi ſit ſpatium ad amplificandas in hac Epiſtola circumſtantias hiſtoriæ, cujus eventum percipere tibi nequaquam ſit ingratum.

Procul dubio audiviſti de homine demente, nuper ſanato, & priſtinæ ſuæ intelligentiæ reſtituto ope Transfuſionis. Quidam famam ſpargebant mortis ejus ſtatim poſt operationem inſecutæ; alii populo obtrudebant, eum incidiſſe in dementiam priore majorem, imò brevi dicam, paſſim de ea re adeo diverſe fuiſſe diſcurſum, additis adeò differentibus reflexionibus ut memet ipſum devinctum æſtimarem ad elucidendum quæ falſi rumores obſcuraverant, exhibendo tibi fidelem & exactam Relationem conditionis, in quam miſer ille fuerat redactus ante Transfuſionem; eorem, quæ contigerunt durante illa operatione; & admirandorum effectuum qui hactenus operationem, ſunt ſecuti.

Patiens eſt circiter 34. annorum Dementia ejus cæpit apparere abhinc 7. octove, &, quantum judicari poteſt, originem accepit ex offenſione paulò ante accepta in facto amoris, unde ſpem conceperat ingentis fortunæ. Prima illa exorbitantia erat valde violenta, & durabat 10. menſes ſine ullo bono intervallo: ſed poſtea pedentim priſtina mente reſtituta, & exhibitis quibuſcunque indiciis ſanæ mentis, conjugio fuit copulatus cum honeſta fœmina, perſuaſa amentiam illam reliquias eſſe præcedentis morbi, nec eſſe credibile eam unquam reverſuram. Verum ea in re admodum fallebatur, nam ante priſtino delirio fuit imbutus quàm primo conjugii ſui anno finem imponeret.

Itaque ille reincidit, & diverſis vicibus ad ſanam mentem rediit noviſſimis his 7. octove annis. Sed præcipuè obſervandum eſt, indiſpoſitionem illam nunquam in eo minus octo decemvè menſibus duraſſe, ſine ulla relaxatione, non obſtante omni cura, mediiſque quibus ipſum inde liberare tentabatur. Nam obſervandum etiam eſt, virum magni nominis aliquando ex inſtituto ſuſcepiſſe curationem ejus, per quævis media, & propterea venam illi ſecuiſſe in pedibus, brahiis, & capite, vel octodecies, & balneo uti fecit quadrageſies, ut taceam de innumeris applicationibus ad ſinciput ejus, & potionibus. Sed, loco emendationis, morbus videbatur per iſta remedia provocari, & miſeram illam creaturam tanta cepit veſania, ut neceſſitas cogeret eum catenis conſtrictum detinere, ne noceret. Phreneſis ejus ſemper fuit periodica, & nunquam remiſit niſi ſenſim, & remiſſio potius contigit ei, ſibi ſoli relicto, quàm medicamentis afflicto.

Noviſſimè omnium abhinc 4. menſibus circiter relapſus eſt in delirium, in loco 12. milliaria diſtante Lutetia Pariſiorum. Ejuſque uxor, re illa percepta, ſtatim ad eum perrexit, ut ei auxilio eſſet. Ipſa mox illum recluſit, imo coacta erat illum aliquandiu vinctum tenere, quia eò furoris devenerat ut ipſam verberaret. Sed nil obſtante omni ejus cura, ipſe aliquando evaſit & erupit penitus nudus, & directo curſu petiit Lutetiam, ita ut nemo potuerit ſcire, quomodo nocte obſcura viam ſuam potuerit tenere vel invenire. Uxor ejus eum quæſierat in omnibus pagis vicinis, dum ille curreret Pariſiis per plateas, non reperiens locum in quo reciperetur; cùm optimè meminiſſent, qui eum primis diebus in domos ſuas recepiſſent, periculi, cui erant obnoxii, ubi parum abfuiſſet quin ædes illæ incendio conflagraſſent.

Non

Non minùs injurioſus fuit in hac ultima indiſpoſitione quam fuerat in prima. Tres, quatuorvè menſes non dormivit, eratque ſumma ei voluptas durante illo tempore dilacerandi veſtes ſibi datas, excurrendi nudo, & comburendi in ædibus, ubi erat, quicquid offenderet. Commiſeratione ejus movebantur omnes boni, qui eum videbant, præcipuè illi, qui habitant, in loco dicto Marais du Temple, ubi plurimis fuerat notus, & ubi ſolitus fuerat videri ante hunc morbum non viliùs veſtitus, & æque benè moratus, atque quiſquam ejus conditionis eſſet.

Maximè omnium miſericordia commotus D. Montmorius conſtituebat ipſi procurare locum in uno ptochodochiorum. Sed primo omnium animo volvebat Transfuſionem, & credebat nullum periculum illaturum illius tentamen in hoc Viro, ita perſuaſus compluribus experimentis jam habitis in ejus præſentia. Ipſe itaque in hunc finem fuit ſuſceptus, & Ego ac D. Emmereſius accerſiti interrogabamur, quid ſentiremus de aptitudine experiendi transfuſionem in hoc viro? reſpondebamus autem, nos profecto poſſe ſatis affirmare illud fore ſine vitæ periculo, & Operationem illam per ſe nulli poſſe inferre mortem, ſi diſcretè fuerit peracta; quod verò concerneret Medelam tanti delirii, prout nobis apparebat, non ſatis inſtructos eſſe Experientia, ut eam auſimus promittere, & conjecturas noſtras non ulterius progredi, quam ut arbitremur, ſanguinem Vituli recentem fortaſſis emollitūrum calorem & ebullitionem ejus Sanguinis cum illo commixti: Re ſufficienter examinata, conſtituimus hunc virum eſſe ducendum in ædes privatas; & ibi ipſi cuſtodem dedimus Lecticarium illum, in quo jam exercueramus Transfuſionem ante 8. menſes, tum ne illi res videretur ita nova, ut aliis, qui nunquam antea vidiſſent experimentum illud, viſa fuiſſet, tum ut nobis magis utilis eſſet, aſſerendo Patienti, aliiſque in Operatione præſentibus, nullum in ea eſſe periculum.

Decembris 19. omni arte laborabamus diſponere Ingenium Patientis noſtri ad ſufferendam Transfuſionem, quam propoſueramus in eo inſtituere illa veſpera circa horam ſextam. Multi viri magnæ notæ aderant, nec non complures Medici & Chirurgi, quibus major erat peritia quam ut ſuſpicari liceret, fore ut vel minimum ex operatione attoniti redderentur. D. Emmereſius aperuit Arteriam Cruralem Vituli, & fecit quaſcunque præparationes neceſſarias coram illis; & exhauſtis ex Patientis dextri brachii venæ decem unciis ſanguinis, non poteramus reddere illi ultra 5. vel 6. circiter uncias ſanguinis vitulini, quia poſitus ejus Violentus, & turba ſpectatorum admodum hanc Operationem interrumpebant.

Interea patiens, ut dicebat, in brachio, & ſub axillis, ſummum ſentiebat calorem; & percipientes, ipſum pati animi deliquium, ſtatim coërcuimus ſanguinem influentem, & vulnus recluſimus. attamen cœnabat poſt duas horas, &, quàquam per vices torperet, & dormituriret, tamen noctem illam tranſegit cantando, pipiendo, aliiſque ſolitis exorbitantiis,

Proximo tamen mane eum minus delirari comperimus, tàm in verbis quàm actionibus: & inde credebamus, reiterata Transfuſione adhuc ſemel vel bis, nos inducturos in alterationem majorem. Præparavimus itaque noſmetipſos ad reperitionem Transfuſionis in eo inſtituendam proximo die Mercurii denuo hora ſexta veſpertina, etiam coram compluribus bene peritis Medicis, Bourdelot, Lallier, Dodar, de Bourges, & Vaillant. Verùm quoniã vir iſte apparebat valde macer, nec erat probabile, ſanguinem ejus peccare in quantitate, poſt trium, quatuor dierum continuam inſomniam, & famem, friguſque quæ paſſus erat diſcurrendo nudus per plateas, nõ reperiens diverſorium in quo noctu commoraretur, ſaltem duas, treſvè uncias ſanguinis ex eo exhauſimus, &, poſtquam eum in commodiorem ſitum poſueramus, hanc ſecundam Tranſfuſionem perfecimus in ſiniſtro ejus brachio, copioſiùs quàm antea, Nam conſiderato ſanguine in Vitulo poſt operationem remanente, neceſſe eſt Patientem recepiſſe plus quàm libram ſanguinis.

Prout hæc ſecunda Tranſfuſio fuit largior, ita effectus ejus fuerunt citiores, & majoris momenti. Simul ac ſanguis in ejus venas intraret, eundem calorem per totum brachium & ſub axillis ſenſit, quem antè ſenſerat. Pulſus ejus extemplò erigebatur, & paulo poſt obſervabamus ingentem per faciem ejus ſparſum ſudorem. Pulſus ejus hoc momento admodum alterabatur, ipſe verò conquerebatur de ingenti renum dolore, & mala conſtitutione ſtomachi, & quod tantum non ſuffocaretur, niſi liber dimitteretur.

Fiſtula, qua derivabatur ſanguis in ejus venas, ſtatim extrahebatur, &, dum occupati eſſemus occludendo vulneri, vomuit multum pernæ & pinguedinis ante ſemihoram comeſtæ. Præterea micturiebat & cacaturiebat. Mox lecto imponebatur, & poſtquam duabus horis multùm violentiæ ſuſtinuiſſet evomendo varios liquores, qui ſtomachum ejus diſturbaverant, arcto ſomno obruebatur circa horam decimam, & dormiebat totam illam noctem ſine intermiſſione, uſque ad horam 8. proximæ diei Jovis. Experrectus apparebat mirum in modum tranquillus, & ſanæ mentis, in expreſſione dolorum, & univerſalis laſſitudinis, quam ſentiebat in omnibus ſuis membris. Vitrum magnum mingendo replevit urina tam nigra ut diceres commixtam fuiſſe fuligini caminorum.

Audiens ex quibuſdam, tempus eſſe communionis ſeu Synaxeos, accerſiri voluit Confeſſionarium, ut ſemet diſponeret ad communionem. Et confitebatur quidem Domino de Veau tanta exactitudine, ut confeſſionarius ei publicum præberet teſtimonium ſanæ mentis, imò idoneum judicaret Sacramento recipiendo, ſi in illo ſtatu & devotione perſeveraret.

Dormituriebat totum illum diem, loquebatur parum, & rogabat eos, qui ipſi moleſti erant multa interrogando, ut ipſum quieſcere ſinerent, totam noctem ſequentem etiam benè dormivit. Die Veneris mane mingendo aliud Vitrum Urina non minus nigra, quam iſta diei prioris, replevit. Ex naribus copioſum ſtillavit ſanguinem, ideoque commodum judicabamus, duas, treſvè patellas ſanguinis ex eo emittere.

Die Sabbathi mane, die ante Natalitiorum

feſſum ultimo, denuo confitendi deſiderio tenebatur; ut ſemet ita diſponeret ad Communionem. Tunc Dominus Bonnet examinabat eum audiendo ejus Confeſſionem, &, ubi compererat eum præditum eſſe omni ratione neceſſaria ad recipiendum Sacramentum, ſtatim eum communionis participem fecit. Eodem die Urina ejus clarior reddebatur, & poſt id temporis paulatim recuperabat naturalem ſuum colorem.

Interea uxor ejus, quæ eum per urbes quæſierat, venit Lutetiam, eumque indagavit: ipſe vero, ſimul ac eam vidit, magno gaudio afficiebatur, eique referebat conſtanti mentis præſentia diverſos caſus, qui accidiſſent ei ubi per plateas vagatus fuerat, quomodo vigiles eum nocte quadam comprehendiſſent, quomodo in ejus venas fuerit transfuſus ſanguis Vitulinus.

Hæc mulier adhuc magis confirmabat nobis bonos effectus Transfuſionis, aſſerendo ſtatione tunc præſenti Maritum ſuum ſolere eſſe injurioſum, & maxime rabidum contra ipſammet, & loco humanitatis ſeu civilitatis, qua nunc erga eam uteretur hoc *Plenilunio*, ſolere nil aliud agere præterquam jurare, eamque verberare.

Verum quidem eſt, comparato hoc ejus ſtatu quieto, cum illo, in quo eum viderat quivis ante Transfuſionem, neminem dubitaſſe aſſerere, eum perfecte eſſe reſtitutum priſtinæ menti. Mihi tamen ut verum dicam, non ita fuerat ſatisfactum ut aliis videbatur, neque poteram mihi perſuadere, eum tam bene eſſe diſpoſitum, ut ibi ſiſteretur, quin potius facile credebam per quædam phænomena, tertiam Transfuſionem eſſe neceſſariam, ad complendum quod duæ priores inceperant.

Attamen differendo executionem hujus conſilii de die in diem, obſervabamus tantam in ejus vita emendationem, & mentem ejus ita pedetentim illuſtrari, ut, poſtquam uxor ejus, omneſque amici nobis aſſeruerant, eum penitus eſſe reſtitutum in ſtatum illum, in quo ſolitus fuerat eſſe ante dementiam, penitus reliquerimus conſilium iſtud. Vidi eum poſt id temporis ſingulis ferme diebus; multis modo mihi gratias egit, & D. Montmorio ſummâ civilitate pro ejus bonitate in liberando eum ex miſero iſto ſtatu ope remedii, cujus per vitam ſuam non eſſet obliturus.

Nunc admodum quieto ſpiritu agitur, negotia ſua agit optime, & ſingulis noctibus diu dormit ſine interruptione, quamquam ait ſe quandoque ſomniare ſomnia turbulenta & moleſta. Adeo diſcrete ſe geſſit, quando hac ſeptimana inviſit quoſdam, ut complures Medici, aliique bonæ fidei viri qui eum viderunt, reſtant teſtimonium authenticum omnibus circumſtantiis hic à me propoſitis, & qui contra cavillationes & contradictiones non aliis præter experientiam ipſam utentur argumentis.

Anno noviſſimo edidi conjecturas & rationes meas. Inter omnes, qui ſuſceperunt eaſdem impugnare, nec unus eſt qui tetigerit ſtatum quæſtionis, Propterea nulli reſpondi, Solis experimentis me adſtrinxi; hoc, cujus particularia tibi nunc transmitto, fortaſſis aperiet oculos quorundam pervicacium. Volui hiſtoriam planiſſime tantum exponere, nec eam intricare ratiocinationibus; quanquam aderat egregia materia diſſerendi tam tempore. Transfuſionis quam poſt eandem. Quidam credebant vomitum proceſſiſſe ex multo eſu pernæ, dimidia ante operationem hora; Alii, conſideratis doloribus ejus in renibus durante Transfuſione & Tumore Stomachi ejus, quem extemplo inſequebantur evacuationes ſupernæ & infernæ, credunt, ſanguinem recentem magna quantitate infuſum, cauſatum fuiſſe plenitudinem, & fermentationem in vaſis majoribus, quam non potuerint non ſequi omnes iiti effectus. Quibus addendum fere omnes illos in quorum venas alii liquores præter ſanguinem fuerant infuſi, expertos eſſe eadem accidentia.

Et adhuc ſub judice lis eſt, quænam fuerit cauſa laſſitudinis, detinentis Virum illum aliquot diebus in lecto: Quidam dicunt eam proceſſiſſe ex confuſione conſequente immiſſionem novi ſanguinis in ejus venas. Alii eam putant eſſe effectum cujuſdam Rheumatiſmi, orti ex eo quod nudus diſcurrerit per plateas; & arbitrantur eum non ſenſiſſe hos dolores niſi poſt rationis uſum reſtitutum, quemadmodum calida Febri laborantes non conqueruntur de laſſitudine niſi poſt Paroxyſmi remotionem.

Varius etiam admodum erat diſcurſus de nigro illo colore in Urina ejus aliquot poſt Transfuſionem diebus, quidam proponebant cauſam ejus eſſe in venis quibuſdam, quæ ſectæ ex nimia abundantia ſemet exonerarint in renes & veſicam; alii credebant fuiſſe atram bilem ſemet per venas exonerantem, & quæ antea detenta exhalarit vapores in cerebrum, qui turbarent functiones ejuſdem.

Hic ſuſpendam judicium meum, nec meas conſiderationes declarabo, donec plura alia experimenta fecero. Optime enim novi in 50. quæ fecimus in Brutis, bis duntaxat nos comperiſſe Animal Recipiens poſt Transfuſionem minxiſſe ſanguinem, & quantum ego judicare valeo, credo me inſtructum eſſe infallibilibus modis præveniendi ejuſmodi confuſiones; & mihimet propoſui methodum præparationis & tractationis, quam ut obſervet inducatur Patiens tam ante operationem, quàm dum ea durat, ut Transfuſio magis proſit. Nam non eſt dubitandum, quin obſervandi ſint modi diſponendi corpus ad transfuſionem, prout ad omnes alias operationes cum ſucceſſu exoptato ſuſcipiendas. Sed non opus eſt pœnitere, in hoc caſu nos eos non obſervaſſe, multo melius apparebat, quid transfuſio ſola poſſit præſtare. & nulla anſa fuit data præconceptæ opinionis hominibus imputandi hanc curam potius præparationi, quam operationi ipſi.

Audimus de pluribus aliis ægris, qui forſan ſanari queant ope hujus Experimenti. Non intermittam tibi opportune ejus ſucceſſum motum facere.

Excerpta. Ex Epiſtola impreſſa, directa ad Editorem, per Dominum Iohannem Dionyſium, Doctorem Medicinæ, & Profeſſorem Matheſeos Lutetiæ Pariſiorum, de controverſiis exortis circa transfuſionem Sanguinis,

Poſtquam Author horum Actorum, rogatus à ſuis familiaribus Pariſienſibus, ut eos informaret Utrum Magiſtratus civitatis Londinenſis prohibuiſſet uſum Transfuſionis Sanguinis, (prout ibi divul-

divulgatum fuerat) eoſdem certos feciſſet ſe nunquam audiviſſe ullum Magiſtratum in Anglia curam illius rei ſuam feciſſe; & poſtquam dictus Author flagitaſſet ſpecialem informationem de tricis, illis in locis adhibitis ad perplexam reddendam materiam facti in praxi Transfuſionis in quibuſdam vivis ægris Lutetiæ Pariſiorum habita; Domino Dionyſio placuit ſibi devinciri Editorem, exhibendo ei Informationem petitam, prout fuerit at impreſſa Pariſiis cum privilegio; quæ ut hic insereretur ſermone Latino, commodum viſum fuit, quo eo melius ſatisfieret Viris Curioſis hujus loci, circa dictam materiam Facti, & candide exponeretur varias totius iſtius negotii.

Domine, admodum me tibi devinctum reddidiſti, certum me faciendo per Epiſtolam tuam datam 29. April. quod Magiſtratus Londinenſis nulla ratione ſua intereſſe duxerit prohibere praxin Transfuſionis Sanguinis, & quod Operatio illa hactenus bono cum ſucceſſu fuerit habita in Brutis, & in hominibus ſine ulla mala conſequentia. Inimici novarum inventionum tanta cura ſparſerant ubique nova hæc falſa, ad diffamandum hoc experimentum, ut opus eſſet authentico teſtimonio ad expediendos errores vulgi. Si quis ſuſciperet onus diſſipandi omnes falſos rumores, quos hac de re ſpargunt, nunquam calamo manum liberaret: ſed hoc rei bene conſultum eſt, quod Viri æqui adeo dedignentur has effrenes relationes, ut eas non amplius audiant niſi cum faſtidio. Ego equidem nihil ante de re illa ſcribere decreveram, quàm novis experimentis ſpeciem conjecturis meis conciliaſſem. Sed ultimæ tuæ literæ adeo modeſte me cogunt tecum communicare notitiam clandeſtinæ conſpirationis quorundam reddendam perplexam Hiſtoriam illius Viri Dementis, qui abhinc ſex menſibus ope Transfuſionis ſanatus fuit, ut non potuerim non tibi mittere epitomen eorum, quæ hic circa id ſubjectum evenerunt, interea exſpectans, qualem Parlamentum Pariſienſe, cujus aſſeſſores, opinor, futuros hujus rei Judices & arbitros, de ea ſententiam ſint laturi.

Jam noſti, Transfuſionem Sanguinis Vitulini ita temperaſſe exceſſivum calorem ſanguinis Dementis, qui ante menſes quatuor nudus noctesque dieſque vagatus fuerat per plateas: ut duabus poſt operationem horis ſomno ſopiretur profundo ad decem horas, poſt quas experrectus bonæ mentis erat, & in illa conditione perſeverabat duos circiter menſes, donec juſto frequentiore uxoris ſuæ uſu, compotationibuſque, Spiritu Vini, aliiſque liquoribus diſtillatis, ac Tabaco, conficeretur violenta admodum & periculo plena febri.

Forſan etiam audieris, quomodo hæc Operatio perfecerit affectus plane contrarios eodem tempore, & quod uno cerebro refrigerato, multa incenderit: quandoquidem curando dementiam unius miſeri, diſturbavit ingenia complurium, nihil magis in votis habentium, quàm ſemet celebres reddere ex oppugnatione omnium novarum Inventionum, quarum ipſimet ſunt incapaces. Sane tribus ſaltem, quatuorve diebus, poſt viri hujus reſtitutionem, quidam maligni Spiritus divulgarunt, eum ſub noſtris mortuum manibus, & nos eundem dementiæ, vitæque finem illi feciſſe. Hoc primo mendacio falſitatis convicto, fabulam mutantes vulgo perſuadere nitebantur, eum recidivum in dementiam priorem, nunc omnium maximè furere. Inter primus Præſes, pluresque alii magnæ notæ viri eum ſuas in domos acceſſiverunt, ut ipſi veritatem examinarent; qui ubi aliquandiu cum eo ſermones miſcuerant, eum dimiſerunt certi boni eventus Transfuſionis; neque malitia carere, qui res diſpergerent adeo contrarias iis, quas propriis viderant oculis.

Hæc forſan didiceris ex noſtris literis antehac impreſſis, ſed quod forte nondum noſti, eſt, Non hos invidos Spiritus ſolos fuiſſe ex hac cura turbatos. Ægri Conjux maxime perterrita Operatione illa erat, quanquam nitebatur exprimere contrarium, nobiſque perſuadere, ſibi nihil magis curæ eſſe, quâm miſeri mariti reſtitutionem. Veritas hæc eſt, quòd hic homo, cum fuerit pediſſequus, & poſtea Cubicularius non gauderet vitæ genere, quo poſſet ſuſtinere familiam ſuam. Fœmina quædam illuſtris, cui ſervierat, revera promiſerat illi promitionem, ſed deplorandus ejus valetudinis ſtatus obſtaculo erat ſolutioni promiſſi iſtius. Et profectò tempus dementiæ ejus non tam moleſtum fuit uxori, quam quo ſana præditus erat mente; nam cùm libertate gauderet viſendi familiares, & vivendi pro libitu, quando non erat domi, & paſſim vagabatur, inque plateis pernoctaret, multò contra afficiebatur dolore, quando eo reductus fuerat, ut domi ſuæ maneret, quia eam ſtrictè obſervabat, & contumelias ſæpe ingerebat, quaſi ipſum ſæpe veneno necare tentaſſet; ſubinde etiam exprimens Zelum conceptum contra ejus vitæ inſtitutum & mores. Hæ ſunt lachrymæ, quibus ſæpius conqueſta eſt coram perſonis fide dignis, qui ſeipſos credebant obligatos id ipſum judicialiter atteſtando, ut eo detegerent inimicitiam, quæ dubio procul fuit origo inſequentis moleſtiæ in hoc negotio.

Et certè ubi Vir cœpit denuo male habere, uxor ejus ultra modum urſit tertiam Transfuſionem, adeo ut minaretur, ſe oblaturam petitionem Solicitatori Generali, quo nos impelleret ad id præſtandum; quod omnino abnuebamus. Tandem aliquando mane meas venit ad ædes, & ubi me non inveniret præſentem, petiit ut mihi indicaretur, ſe obnixè rogare, ut charitatem exerceam veniendi in ædes ejus à prandio, ubi quædam futura eſſet congregatio. Eo veni, & ibi offendi Dominum Emmereſium, & invento vitulo, omnibuſque præparatoriis ad transfuſionem, reditum meditabamur, narrantes mulieri, Virum ejus non eſſe in ea conditione, quæ hanc requireret operationem. Tum in genua procumbens & lachrymans, & indefeſſo clamore obtinuit, ne abiremus non data illi ſatisfactione tentandi omnia poſſibilia media, quæ maritum ejus ſanitati reſtituere poſſent, Arte ſatis magna utebatur, qua nobis perſuaſit tertium tentamen, ſi fortè maritus reſtitui aliqua ratione poſſet. Dominus Emmereſius, in mulieris ſatisfactionem, immiſit fiſtulam in venam brachii ægri; & quandoquidem neceſſe eſt, prius emittere aliquantum veteris ſanguinis, quando novus eſt infundendus, eo fine venam ſecuit in ejus pede. Verum cum eo momento vehemens convulſio eum occupaſſet, una cum tremore omnium ejus artuum, nullus

nullus

lus effluebat ſanguis vel ex pede, vel ex brachio; quamobrem Dominus Emmereſius extrahebat fiſtulam brachio infixam, non aperta arteria Vituli, nec tentata Transfuſione.

Miſero hoc nocte ſequenti mortuo, & mortis ejus nuncio, ad nos perlato, proximo mane eo ivimus cum Domino Emmereſio, alioque Chirurgo, & memores querelarum, quas defunctus ſæpe expreſſerat de conjugis ſua attentatis, ad necandum eum veneno, libenter diſſecuiſſemus cadaver ejus coram ſeptem, octove teſtibus. Sed illa tanta violentia inſtituto noſtro obſiſtebat, ut impoſſibile nobis eſſet, illud perficere. Simul ac abivimus, ultra modum feſtinavit, prout audivimus, quo Virum ſuum propere terræ mandaret. Sed ob inopiam non poterat id illa perficere die. Interea celebris Medicus Facultatis Pariſienſis forte ea nocte erat in ædibus fœminæ cujuſdam, ubi rogabatur charitatem erga illa feralia: ille idem nobiſcum ſentiebat, corpus ejus eſſe ſecandum, & propterea ſtatim accerſiri juſſit Chirurgos ad perficiendam Operationem. Sed illa inſtituto obnitens, mendaciis aliiſque artibus conabatur id eludere. Nos contra minas intendimus reverſuri proximo mane, & rem perfecturi vel ea invita, illa una ante lucis ortum hora ſepeliri maritum curavit, quò præveniret noſtram diſſectionem.

Interea fama vagante hominem mortuum, Inimici Experimenti triumphare, & mox edere libellos in nos famoſos. Tum ego conſtitui ſilere, ſed eo ipſo adverſarii noſtri altius capita extollere. Inprimis me movit, quod poſt elapſum bimeſtre ſpacium percepi, tres Medicos non recedere à vidua, promiſſis multarum largitionum animum ejus tentantes, quo ſaltem liceret nomine ejus uti in accuſando nos coram Curia Juſtitiæ, quod maturaverimus mortem mariti ejus Transfuſione: eoſque vicinos mulieris ſollicitare, quo falſum contra nos ferrent teſtimonium. Paulò poſt mulier hæc erecta ſpe præmiorum a Viris dictis promiſſorum, narrat nobis, quoſdam Medicos ſe admodum obnixe rogare, quo nobis obverſaretur, ſe verò id ſemper abnuiſſe non ignara quantas nobis debeat grates pro convaleſcentia mariti. Sed cum inde nihil commodi ſentiret, prout exſpectaverat, monitis verſis in minas nunciat, ſe in præſenti neceſſitate, quo reducta fuerat, cogi oblatam accipere mercedem à Medicis quibuſdam, niſi nos ei auxilio eſſemus. Ego reſpondi, & Medicos iſtos & ipſam præ marito ejus magis opus habere Transfuſione, neque nil morari minas ejus. Attamen tunc arbitrabar tempus ſilentium rumpendi, cum non tantum mea, ſed & orbi intereſſet, prodi Viros illos tricis indulgentes, adeò doctis indignos. Conqueſtus itaque ſum ea de re coram Locum-tenente Cauſarum Criminalium, qui extemplo admiſit me deferre & viduam, & ſolicitatores ejus. Quidam teſtes in judicium producti teſtabantur contra tres Medicos & hanc mulierem, quod ipſa ſecreto marito ſuo propinaſſet quoſdam pulveres, qui forſan promoverint ejus mortem.

Hac Informatione quinque teſtibus confirmata & oblata in plena Curia dicto Locum-tenenti per Dominum Dormeſſon, Advocatum Regium, Ille ſententiam tulit, Mulieri indicendum diem, quo compareret in perſona examinanda ſuper meis delationibus, & interea novas delationes contra eam eſſe inſtituendas ex deſiderio Advocati Regii. Et quia cenſebat, periculo non vacare indifferentem permiſſionem praxeos Transfuſionis in quibuſcunque perſonis, decrevit, impoſterum eam tantum adhibendam ex præſcripto Medicorum. Hæc plenius Videas in ſententia ipſa.

Excerpta. Ex Sententia, lata in Caſtello (Châtelet) per Locumtenentem Cauſarum Criminalium, April. 16. 1668. Lutetiæ Pariſiorum.

In hac Cauſa, probationes ſunt & demonſtrationes horum Particularium.

1. Operationem Transfuſionis his fuiſſe peractam in Antonio Mauroy. Viro veſano, & tentatam fuiſſe tertio; adeo bene ſucceſſiſſe prioribus vicibus ut æger viſus fuerit ad duos poſt operationem menſes bona mente & perfecta ſanitate donatus.

2. In tempore duarum priorum Obſervationum, uxorem illi edenda dediſſe ova & juſcula, cumq; eo quater concubuiſſe, contra interdictum eorum, qui eum tractabant: eumque in ædes ſuas valde reluctantem perduxiſſe, nec id indicantem iſtis.

3. Ab illo tempore ipſum frequentaſſe popinas plurimas, & uſum Tabaco, eique recidivo uxorem ſolitam propinare liquores deſtillatos & juſcula, quibus infuderit quoſdam pulveres; & cum Mauroyus conqueſtus fuiſſet, uxorem ſuam velle eum veneno perimere, ipſaq; illi in juſculis præbuiſſet Arſenicum; Aſſiſtentes illam arcuiſſe ab iſtius guſtatione, & ſimulantem quaſi ipſa guſtaret, in fundum profudiſſe quæ habuit in cochleari.

4. Ab illo tempore Mauroyum frequenter cum illa altercatum, eamque ſæpe mulcaſſe ipſum, nil obſtante morbo ejus: ſed ubi Mauroyus illi ſemel colaphum inflixiſſet, dixiſſe, fore ut eum facti peniteat, vel morte ulciſcendi.

5. Summa mulieris ſollicitatione Transfuſionem tertia vice tentatam; operationem perfecturis renuentibus id aggreſſuros ſine permiſſu Solicitatoris Generalis; paucis poſt diebus Operationem fuiſſe cœptam, ſed nullo ferme ſanguine emanante vel ex pede, vel ex brachio ægri, fiſtulam fuiſſe inſertam, inde ægrū exclamaſſe, quamquam non apparuerit ſanguinis Vitulini quicquam ejus receptum fuiſſe venis: ita operationem abruptam, & ægrum nocte in ſequente mortuum.

6. Mulierem hanc nulla ratione voluiſſe ulli permittere diſſectionem corporis mariti ſui, excuſando dicens, jam impoſitum eſſe loculo, cùm non eſſet.

7. Aliquandiu poſt mortem dicti Mauroyi, tres Medicos ſolicitaſſe dictam mulierem largitionibus, ut conquereretur, Transfuſionē necaſſe maritum ſuum: illis abeuntibus, ipſam rem narraſſe, & niſi, qui fecerant operationem, darent unde poſſet redire in patriam ſuam, facturam ſatis deſiderio Medicorum ſe ſolicitantium: teſtem aſſerere, ipſam veniſſe ad ſe rogatum, ut admoneret eos, qui operationem fecerant, niſi eam ſuſtinerent donec vivet, acceptaturam dona dictorum Medicorum: teſtem affirmare, quendam ad ſe à Medico miſſum veniſſe, & obtuliſſe ei duodecim aureos (Louys d'Or) ſi vellet teſtari Mauroyum in ipſo Transfuſionis actu mortuum.

Rem ſatis magni eſſe momenti, in cujus intima penetrare operæ pretiū ſit, ſatis prægnantes eſſe

tatio:

rationes & cauſas examinandi hanc mulierem, unde illos habuiſſet pulveres? qui eos marito propinaſſet ſuo? & cujus conſilio? corporis diſſectionem prohibuiſſet mendacio? Se velle, ut ulterior circa eam rem petatur Informatio, & ipſa firmæ mandetur cuſtodiæ.

Quod ad tres Medicos attinet, qui eam largitionibus corrumpere tentaverant: ad perſequendum qui Operationem perfecerant; Quiq; in ædibus ejus viſi ſunt, rogare, ut eis dies definiretur, quo tenerentur comparere perſonaliter.

Tandem, cùm Transfuſio duabus primis vicibus fauſto cum ſucceſſu fuerit peracta, neque fuerit tertium ſuſcepta, niſi ſerio id flagitante muliere, quæ aliàs minime obſervaverat conſilia eorum, qui fecerant operationem; quæq; ſuſpecta eſt intuliſſe mortem marito, rogare, ut executione decreti de definiendo illi die, quo perſonaliter compareret, ſuperſederetur.

Inde fuit decretum, Viduam Mauroji debere ſtato die apparere perſonaliter, & ſuſtinere examen ſuper allegatis informationibus; & ampliores informationes eſſe faciendas Contentorum in Querela Domini Dyoniſii: Et deinde, nullam poſthac Transfuſionem inſtituendam in Humano Corpore, niſi Approbatione Medicorum Facultatis Pariſienſis.

Poſt hanc ſententiam latam, novæ informationes acceſſere, multò prioribus attrociores, & teſtes inventi, quibus mulier ceu ſecretum tacendum indicaverat, Arſenicũ fuiſſe, quod indiderit ſui mariti juſculis, illumq; dediſſe reſiduum juſculi feli, qui paucos poſt dies mortuus eſt.

Quod concernit Transfuſionem, vides non eſſe hac ſententia eam ſimpliciter prohibitam, ſed amplius non eſſe inſtituendam ſine approbatione quorundam Medicorum Pariſienſium: imò nunc ſeptem, octove ſubſcripſerunt propoſitioni Transfuſionem eſſe inſtituendam in quodam homine. Ego equidem non uterer hac permiſſione ad exercendam hanc Operationem; nam Medici Montiſpeſſulani, Rhemenſes, & aliarum Academiarum Gallicanarum, qui Pariſiis primos tenent locos circa Regem & Reginam, Principes ſanguinis utriuſque ſexus, præcipuos Magiſtratus, aliaſque magni nominis perſonas, ſemet hac ſententia perſtrictos aliqua ratione autumant. Nec arbitrantur ſe teneri attendere judicium Doctorum Parienſium, quo poſſint hujuſmodi Operationem præſcribere. Proculdubio brevi hoc negotium determinabitur & ordinabitur per ſublimiorem juriſdictionem. Eſt etiam mihi nunc curanda Paralitica. (vicina & amica illi, quæ hoc modo fuerat curata, paralyſi) quæ propoſuit offerre petitionẽ Magiſtratui, & in ea rogare, ut ſibi concedatur beneficiũ Transfuſionis.

Interea, ſiquando Facultas Medicorum Parienſium ſuper hac re congregetur, non putem eos acturos præcipitanter, ut quidam ſibi imaginantur. Et quod attinet ad Parlementum, non video membra ejus velle perſtringere hanc Operationem, niſi Experimenta, fortè coram illis habita, non ſuccedant æque ac illa, quæ, hactenus fuere habita. Optimè notum eſt iſti Curiæ, Facultatem edidiſſe Decretum abhinc centum annos, contra Antimonium, tum uſitatum à Medicis Montiſpeſſulani, & loco illi tributo inter venena, ejus uſum per ſententiam illis fuiſſe interdictum: cùm tamen nihilominus Medici dicti deſiſterent præſcribendo ejus uſum, & effecta ejus apparerent tam proficua, & reſtitutio inſequeretur tam celebris Magni noſtri Monarchæ, eadem Facultas Pariſienſis abhinc duos annos coacta fuit, decreto approbare, quod ante prohibuerat, imò rogabat aliam ſententiam permittentem ejus uſum. *Actor. Philoſoph. Londinenſ. Jun. 1668.*

Maniacum Delirium ab Eruca in cerebro contenta.

Ruſticus quidam à ſomno ſub arbore expergefactus per medium annum maniacus eſt redditus, ſed accepta Tabaci uncia & concitato vehementiſſimo ſternutamento prodit eruca nigra, longa & piloſa, ac confeſtim penitius ſanitati eſt reſtitutus. *Antonius de Pozzis.*

Mania Variolas ſubſequuta.

Fabritius Hildanus l. 6. obſerv. 82. graviſſima & horrenda recenſet ſymptomata relicta poſt variolas, & præcipue illos affligentia qui non ſecundum artis methodum curati fuerunt; Quod non mirum videtur, Si enim variolæ ſint malignæ naturæ vero in ejuſmodi tenellis non robuſta ſit, & illa in expellendo medicamentis convenienter adjuvantibus deſtituatur, neceſſum eſt ut criſis fiat imperfecta, & aliquid vitioſi remaneat; Quod ſi in partem nobilem feratur gravia inducit ſymptomata & ſæpius mortem ipſam, ut ex hac mea obſervatione videre licet.

Lanii cujuſdam filia, 3. annorum poſt variolas valdè malignas (etſi nulla adhibita medicamenta) ſuperatas in maniam incidebat, mordebat, quando potuit, parentes & aſtantes, diris illos devovebat, in faciem exſpuebat, & ita furebat, ut vix in lecto detineri potuerit. Durabat id malum ad finem tertiæ ſeptimanæ, nihil interim de cibo aut medicamentis aſſumebat, præter unicum, quo delectabatur, julapium. Et in hoc ſtatu mortua eſt. *Gottofr. Chriſt. Wincler.*

Lycanthropiæ ſeu Lupinæ Inſaniæ exempla horribilia.

Malum quod à Græcis Lycanthropia dicitur, Latinè Lupina inſania ſpecies melancholiæ eſt: Aetio lib. 6. c. 11. & Paulo l. 3. c. 16. teſtibus: Qui namque hoc affectu detinentur in Februario menſe domo egreſſi lupos in cunctis imitantur, & donec dies illuceſcat, circa defunctorum monumenta plerumque vagantur, eaque maximè aperiunt: quò fit, ut promptè quæ pars in ipſis afficiatur dignoſci, poſſit quoniã cerebrum: pariter quis affectus præter naturam, quæve ſit ejus cauſa, quoniam ſymptomata in genere functionũ noxæ principum, præſertim imaginationis & cogitationis depravatæ: nam memoria his fortaſſe oblæſa non eſt; veluti percepi in quôdam qui hoc affectu laborabat, & ſi huc uſque duos viderim tali affectione correptos. Ille namque, cùm priùs me noviſſet, quadam die detentus hôc malô obviam mihi factus eſſet, ipſe verò tamen receſſi, at ille medicum me aſpiciens abiit; erat autem cum eo multitudo quædam hominum: ipſe quidem ferebat humeris crus integrum ac tibiam defuncti cujuſdam: hic demùm curatus liber evaſit. Qui cùm iterum mihi occurreret, nunquid timuiſſem interrogavit, cùm in tali locô, dum inſanus erat, eum offendiſſem. Ex quibus conſtat memoriam in eo non fuiſſe oblæſam. *Altomaris cap. 9. de medend. morb.*

Patavii, autore Joh. Fincelio, lib. 2. de miracul. Lupus ſibi videbatur Agricola, anno 1541. multoſque in agris inſiliit, trucidavitque. Tan-

dem non ſine multâ difficultate captus, confidenter aſſeveravit ſe verum eſſe lupum, diſcrimen ſolum exiſtere in pelle cum pilis inverſâ. Quapropter quidam omnem exuti humanitatem, vereque lupi truces voraceſque, tibias & ejus brachia gladiô feriunt amputantque, veritatem rei exploraturi: cognitâ verò hominis innocentiâ, eum Chirurgis tradunt curandum, ſed poſt dies non multos expiravit. *Vierus lib.3. cap.11. de præſtig. dæmonum.*

Ruſticus quidam ſubinde vernô tempore Alcmarid viſus, aſpectu torvô, ac inſanus, & circa cæmiterium hærere, mox & Eccleſiam intrare, qui & ſupra ſcamna (ut ipſi ſpectavimus) furore percitus ſaltabat, modò aſcendendo, modò deſcendendo, qui nunquam in eôdem locô quietus. Baculum verô oblongum, manu tenebat: neminem percutiebat, ſed eô canes à ſe depellebat; nam ex canum morſu crura nigra & ulcerata cum cruſtis nigris habebat. Totum corpus ſqualidum, ſubnigrum & melancholicum ſpectabatur. Facie tamen pallidâ, cui & oculi valde concavi erant. Ex ſignis jam dictis hominem lycanthropiâ affectum judicabam: hic quod ſcio nullô medicô uſus eſt. *Foreſtus Obſerv.25. lib.10.*

Dæmoniacos, aut qui ita dicuntur, Medicorum opera reſtitui poſſe probatur exemplis.

Exempla hæc ex C.Lucio lib.de Obſervation. propriis, & Viero l.5.c.28. de curation. læſ.malefic. adfert Joh Schenckius Obſerv. Medicar. Rarior. lib.1. Primum eſt de muliere Bavarâ quæ repetitis purgationibus, multis adhibitis & extus & intus cephalicis, animalibus vivis, aliorumque interaneis capiti admotis, ac tandem decocto ſudorificô per eumque ſudoribus elicitis, cum accurata diætâ, perfectè ſanata eſt. Secundum eſt de puellâ in qua, nihil proficientibus conjuratoribus, melanagoga à Medicô advocatô adhibita, poſtque ea varia roborantia, curam abſolverunt. Ea propter non immeritò tradit Pomponatius, priſcos Exorciſtas ante conjurationem, obſeſſorum corpora ab atrâ bile expurgaſſe. Hoc in mentem revocat quod mihi jam ab aliquot annis dicebat Vir omni laude digniſſimus, Botanicus verè inſignis, & omnis naturalis ſcientiæ peritiſſimus Domin. Boccone, dum Genevam noſtram pertranſiens paululum mecum amicè commoratus eſt. Scilicet cùm de Vincetoxicô verba faceremus, affirmavit ille plantam hanc emetici aliquid poſſidere, & in affirmationis probationem addidit, propterea exorciſtas hac plantâ uti in ſuis conjurationibus peragendis, quibus ſanè familiare eſt aliàs hocce in negotio medicamenta adhibere vomitiva. Unde elicere licuit, ſi quid emolumenti poſt conjurationes factas, percipiatur, illud naturæ potiùs deberi per medicamentum agenti, quàm vi cuipiam verborum præternaturali. Ac ſanè quis neſcit præcipuam eorum partem (non auſim dicere omnes) qui ſe à dæmone affectos ac afflictos denunciant, melancholicos, aut maniacos reverà eſſe, qui variis deluſi phantaſmatibus, diabolum iſtorum autorem facilè credunt, aut per eas quas imaginatio læſa ac per morbum agitata, ſpirituſque verè efferi operationes, aliàs prorſus inſolitas & impoſſibiles, perficiunt, credendum tradunt. Jam verò in taliter affectis vomitivum remedium aliquando educit copulam illam heterogeneam quâ ſpiritus, non tantùm errabundi ac palantes facti, imaginationem non parum lædunt, ſed etiam vi quadam nitroſâ nimiùm exaltata, aliterque peccante in motus, naturæ ſanæ limites prorſus excedentes, & diabolicum quid apud ſuperſtitioſum vulgus redolentes, paratiſſimi evadunt. De his haberemus exempla propria, ſed ea minus neceſſaria arbitramur.

Anatomicæ Inſpectiones.

Mania à vermibus in cerebro inducta.

In quodam milite qui reſimis erat naribus, ex fœdiore quadam eluvie diutius cohibita, vermes duo villoſi inſtar digiti, intra nares geniti inventique ſunt, qui tandem in Furorem illum adegerunt, febreque non admodum manifeſta de medio ſuſtulerunt. *Fernelius Patholog. lib.5. cap.7.*

Vermis qui generatur in Cerebro, & Maniam inducit Equô, an à putredine humoris? An ab apophyſi vermiformi in vermem degenerante: (Initio quarti ventriculi apophyſis quædam apposita eſt, à vermis figura vermiformis dicta) *Ver coquin* Gallis dicitur, inde proverbium, *Chacun a ſon Ver coquin en la tête*, ac ſi intelligerent iſtam apophyſin Vermiformem. Quinetiam veterinarii iſtum vermem interficiunt uſtione facta inter caput & collum. *Riolanus Anthropog. lib.4. cap.1.*

Mania à venis cerebri varicoſis ortum ducens.

Multis qui Inſaniverant poſt melancholicas affectiones, caput apertum fuit: Venæ capitis inventæ ſunt turgentes, dilatatæ ac varicoſæ factæ. Idem capiti contigerat quod venis varicoſis. Imo affectus erat quem Hippocr. lib.2. de morbis ὑπερέμετον vocat venarum: Supervomitionem & eructationem voco. *Ballonius Paradig. 184.*

In Melancholicis quibuſdam cor aridum & exſucum repertum.

Poſſe univerſam cordis ſubſtantiam aliquandiu pati, præter Marulli Mimographi hiſtoriam 7. de Adm. Anat. indubitatam nobis fidem facit Melancthonis authoritas, qui lib.1. de anima teſtatur Caſimiro Marchioni Brandenburgio, ob mœrores & vigilias, humore qui involucro cordis continetur, exhauſto & exſiccato, cor exectum pyri toſti faciem retuliſſe: ubi proculdubio perpeſſi fuere tres illi humores (ſecundarii vulgo dicti) ſatis conſpicuam cladem, ſi quidem eas in anguſtias redactum eſt cor non parvo temporis momento, quod ex aſſignata cauſa colligi poteſt, non adeo vehemente putâ triſtitia, qua ſapiens in ſacris voluminibus etiam oſſa aſſeruit areſcere: unde non modo levem, ſed etiam inſignem cor poſſe ſuſtinere intemperiem opinamur, *Jordanus de peſtis phænomenis lib.1.c.16.*

In Nobili matrona Vidua, memorabili, ſed merito ſine nomine dimittendo, exemplo, poſt melancholiam ἐθελοντὴν laqueo ſibi fauces præcludente, ſicque ſtrangulata, & cor exſuccum, & nullum in ventriculis ſanguinem obſervavimus. *Rolfinckius Diſſertatione de corde cap.2.*

Melancholia ab atro ſanguine in cordis cavitate, ſeroſitate in pericardio, & abſceſſu prope ſiniſtram auriculam.

Puer trium annorum, tempore quo cruciabatur, admodum mœſtus & gemebundus vixit, repente verò obiit: Aperto cadavere, præter atrum ſanguinem in cordis cavitate, & ſeroſitatem in capſula cordis, repertus eſt abſceſſus inſtar ovi prope ſiniſtram cordis auriculam. *Obſervatio Ludovici Nonnii Medici Antverpienſis.*

Melancholia ab atro ſanguine aduſto in corde exſiccato.

Sanguis in quodam ſubjecto tam erat à melancholico humore exſiccatus, ut omnes venæ cordis & ipſum cor à perito Chirurgo diſſecari nequiverint. Turgidæ tamen meſaraicæ cernebantur ſanguine atro & luculento. *Bartholinus Cent.3. hiſt.94.*

In Hypochondriaci cadavere omenti vitium deprehenſum.

In cadavere M. Beale hypochondriaci & ſcorbutici, omentum nigricans, laceratum, friabile & fere putridum ac pinguedine deſtitutum inveniebam: Plurimis quoque in locis infra umbilicum peritonæo adhærebat, veniſque nigris & turgentibus, certis obſtructionis indiciis ſcatebat. *Warthon Adenographiæ cap. 12.*

Lien frequenter vitii accuſatus, ſæpe inculpatus in melancholicis deprehenditur.

Lien olim affectuum melancholicorum reus actus eſt potius quam peractus: Neque ſententia illa nuperis experimentis eſt conſentanea, Plurimi enim iſtiuſmodi affectibus obnoxii, & poſt obitum exenterati, Lienem ab omni tali culpa abſolverunt. *Gliſſon Anatom. Hepatis cap. 45.*

Franc. Sylvius non admittit peccare in melancholicis Lienem, qui in quinquaginta & ultra cadaveribus vix unquam ſe Lienis vitia deprehendere potuiſſe teſtatur. *Olaus Borrichius apud Th. Bartholinum cent.3. Epiſt.97.*

In affectibus melancholicis obnoxiis, & poſt obitum exenteratis, Lienem ab omni tali culpa abſolverunt Medici. *Nath. Highmorus de aff. Hypochondr. cap.4.*

Hypochondriaco malo laborans Lienem gerebat quatuor librarum ponderis & Durum.

Lienis corpus præter modum augmentum ſumere poſſe, naturale, vel omnino præternaturale, Anatomicorum obſervationes ſatis docent: Placet communicare obſervatum rarius recurrens: Quatuor nempe librarum pondus vix potuiſſe æquivalere ponderi Lienis alicujus, ex viro diu Hypochondriaco malo vexato exſciſſi: Durus inſuper hic lien. *G. Blaſius in obſervat. Anatom. p.127. Et obſervat. Med.22.*

Melancholia Hypochondriaca à Liene male conſtituto, livido, flaccido, Vaſis meſaraicis atro ſanguine turgentibus.

Vir 40. annorum conſtitutionis melancholicæ, hypochondriaca affectione per aliquot annos mire divexabatur, maxime tamen de dolore hypochondrii ſiniſtri conqueſtus eſt, &c. In illo Lien ſat magnus repertus eſt, colore lividus & flaccidus: Meſaraica vaſa, & gaſtroepiploica, atro ſanguine turgeſcentia & quaſi varicoſa conſpiciebantur. *Laur. Wolfrigel in Miſcellan. curioſis anni 1670.*

Melancholia à parvitate Lienis inducta, &c.

D. Nicodemo Sitzlino obtigit natura frigidior ac ſiccior & plane melancholica, prout ex totius corporis conſtitutione arida ac macilenta, facie livida, barba nigra pateſcit: exin ab ipſa ſtatim adoleſcentia melancholiæ hypochondriacæ fuit obnoxius: cerebrum obvenerat frigidius ac ſiccius, quia ἄγρυπνος & catarrhoſius, in rebus peragendis tardior: cor & ipſum frigidiore donatum intemperie, cujus δεκμήνελον metus, mœſtitia, puſillanimitas jugiter moleſtantia: Hepar olim in juventute videtur fuiſſe calidius, cum ille atrabilarius: ac progrediente ætate evaſit frigidius, prout ex ſeroſa maſſa ſanguinea, colore Jecoris pallido & plumbeo, & veſica fellis grandiore aquoſo repleta humore, innotuit. Enormes in diæta commiſerat errores, Baccho indulgens, non tam deſiderio vini quam ad demulcendos acriores atræ bilis fumos: Acceſſit ἀγρυπνία pluſquam annua, ut media nocte ad lychnum legere ſolitus dum ſomnus obrepſit: crebrior uſus validiorum etiam pharmacorum: Spatio annuo bis in acidulas profectus: exin vix ultra annum in vita ſuperſtes manſit: Aliquot ante obitum ſeptimanis, nocturno imprimis tempore, infeſtatus graviſſimis deſtillationibus affatim è capite deſtillantibus, & in aſperam arteriam ſubito irruentibus, ut nonniſi recta cervice ſpirare fas, & non raro ingens impenderet ſuffocationis diſcrimen. Quin & ex infernis partibus per anadromen reſtagnantes ſeroſos humores pectus repleviſſe à ratione haud alienum:

Aperto demortui thorace, inventum pus in eo, dixiſſes lutum viſcoſum cruore imbutum: Erat defunctus μεγαλόσπλαγχνος; notatu perquam dignum omnia interna membra, Hepar, Pulmones & Cor, in tam arido & exſucco corpore, admodum grandia & pallida, ac pene plumbei coloris viſa, haud aliter colorata ac adhuc viventis facies tincta & plane livida: Cum hepar ſit officina ſanguinis, nihil mirum totam maſſam ſanguineam conſimili colore è mortuo infectam, & exin progeneratum humorem melancholicum: Recordor cum aliquando venæ ſectioni adesſem, & ſanguinem emiſſum contemplatus, eum lividi ac plumbei coloris obſervaſſe, haud ſecus ac hepatis conſtitutio deprehenſa: Quin & reperta veſica grandior, inſtar nivis candida, in gibba hepatis parte, pellucida,

aquoſo conferta humore, quæ hydropis prænuntia: Si fata defuncto diuturniorem lucis uſuram conceſſiſſent, proculdubio hydrope fuiſſet extinctus, ab empyemate & orthopnœa maturius ſublatus. Melancholiæ hypochondriacæ tam contumaci, & ultra 20. annos duranti, occaſionem haud levem ſuppeditavit vitioſa Lienis à natura conformatio in diminuta quantitate; qui admodum puſillus, vix dimidiæ palmæ manus, & lividi coloris in conſpectum venit, unciæ unius pondus haud excedens. Cor ingens ratione proportionis corporis ſe oſtentavit; quin & ejus duo ventriculi repleti ſanguine craſſo & nigerrimo, inſtar atramenti, qui index humoris melancholici. *Auguſtinus Thonerus Epiſtola 2. lib.6.*

Huic obſervationi adſtipulatur *A.Laurentius*, referens ſibi cognitam Illuſtrem familiam, melancholicæ hypochondriacæ obnoxiam, ex qua nonnulli præmatura morte ſublati, nec ulli cauſæ præproperum fatum imputari potuiſſe quam exiguitati ſplenis, functioni à natura deſtinatæ ſatisfacere nequeuntis.

Melancholia à liene corrupto exorta.

Secuit nuper D. *Van Horne* quendam *Martinum del Slaper*, qui quod febricula tentatus carnificis miniſterium occuparet, h. e. ſeipſum è clavo feneſtræ ſuſpenderet, ceſſit in prædam novaculis publicis: Duo in illo rariora, Totum pectus, imo & abdomen hiſpidum, imo & dorſum, ſed præcipuè brachiorum ſuperiora, nec tamen pili illi, præſertim in dorſo, ad inferiora vergebant, ut ſolenne alias, ſed nitebantur omnes verſus ſuperiora: In humeris, qua brachia exeunt, tam hirſuta omnia, ut pene Urſi alicujus armos videre me exiſtimarem: In cruribus tamen vix pilorum veſtigium.

Quod ad interiora ſolus Lien peccaſſe videbatur, ablata enim, qua tegitur membrana, totum lienis parenchyma inſtar craſſæ & nigræ amurcæ diffluebat, nihil in eo ſolidum, ut non crederetur diſſimile vero ex corruptione melancholici viſceris, miſerum in deliria actum, jus vitæ ſuæ laqueo dixiſſe. *Bartholinus Epiſt. 97. cent. 3.*

Melancholiæ hypochondriacæ ſedes eſt in vaſis cœliacis & meſentericis.

In cœliacis & meſentericis arteriis & venis melancholiæ ſedem arbitratur eſſe Spigelius, Illas autem hoc in morbo eſſe affectas, continua & vehemens illarum pulſatio & inſignis calor ſuadent: Solebat idem in ægris hoc morbo defunctis φλογώσεις partium oſtendere ab illis irrigatarum: unde & ſolis clyſteribus humectantibus & moderate refrigerantibus hos affectus debellari poſſe putabat. *Rolfinckius Diſſert. Anat. lib.6. cap.25.*

Melancholia eſſentialis & hypochondriaca, à cerebri venis acro ſanguinis plenis, Sanie & muco in ventriculo ſiniſtro; Jecore & liene lividis, & Corde nigro ſanguine referto.

Famulus mercatoris 30. annorum, verno tempore melancholia, ſicut videbatur, hypochondriaca & vera laborabat, ita ut præ inſolita & ſupina triſtitia nihil præter mortem ultimumque diem optaret, continuoque ſuſpiraret: Imprimis autem caput, præter morem, ſiniſtrum in latus contorqueret: paulo ante nocturnis illis terroribus, atque Incubo præventus.

Multis tentatis remediis 3. Julii, poſtquam à matutino tempore uſque in veſperam acerbo agone conflictatus eſſet, tandem ſupervenientibus haud obſcuris convulſionibus, exſpiravit circa ſeptimam veſpertinam. Die ſequenti cadaveris viſitatio Anatomica inſtituta. Cranio diſſecto & ſeparato, prodiit cerebrum, poſt remotionem duræ meningis, qua venulas, nigricans & lividum, cui in ſuperficie inerrabat materia pauca ſanioſa, cerebro impreſſa. Dexter ventriculus naturalis, niſi quod materia ſanguinolenta, inſtar filamenti oblonga & tenui eſſet infarctus: In ſiniſtro verò maxime ventriculo morbi tam contumacis mortiſque cauſa extabat, copioſa ſcil. ſanies, cum muco ac materia putreſcente inibi contenta, cui adſcribendum quod Spaſmis ejuſce lateris initio affligeretur; capite nimirum ac collo in id latus inclinato. Eodem latere cadaver maxime lividum & intenſe nigricans notabatur. Juxta etiam dextræ manus digiti impenſe livebant nigricabantque: 2. Aperto infimo ventre, inteſtina flatibus redundabant: Ventriculi fundum vacuum: Lien extra, media ſui parte, livebat, intus nihil mali præ ſe ferens: Hepar pariter gibba parte ex dimidio lividum, ſima vero & intus naturaliter ſeſe habens. 3. Aperto medio ventre; Cor diſſectum nigrum multumque effudit cruorem. Pulmonum autem lobi omnino erant lividi, ſanioſi & corrupti. E qua rari, pertinacis & lethalis mali hiſtoria evidens eſt, non melancholiam, prout initio ſuſpicio naſcebatur, tantum hypochondriacam, cauſam & originem præbuiſſe, ſed forte gravioris alicuus veneni violentiam primum pulmones; juxtaque cor, vitæ communis fontem, & ſic deinceps ipſum cerebellum corrupiſſe è materiæ μελανώδ. *I. Petrus Lotichius Obſervat. Medic. lib. 4. cap. 4. Obſerv. 4.*

Melancholia à Jecore nigricante, œdematoſo, fiſſuris affecto, &c.

Nobilis quidam rerum ſuarum jacturam paſſus, gravi mœrore & animi dolore preſſus, in Melancholiam incidit, aſſidue triſtis, cogitabundus, ingemiſcens: parſimonia jacturam reparare ſtudebat: metuebat lemures & ſpiritus quoſdam: Cùm autem malum intenderetur, nec ſpes aliqua ſupereſſe videretur ut ad mentis ſanitatem redire poſſet, commiſſus eſt monachis quibuſdam, apud quos ſui ſimilis multis annis vixit. Poſtquam autem hoc modo annis plus minus 20. vixiſſet, tandem de virium debilitate conqueri cœpit, & cibum ac potum averſari, quæ tamen citra appetentiam admiſit: Nulla aderat febris: ſitis nulla, univerſum corpus frigere videbatur, pedes proceſſu temporis œdematoſi facti ſunt: Urinæ autem rubicundæ erant, veluti ſi febris ardens aut jecoris inflammatio præceſſiſſet,

quæ

quæ quales reddebantur permanebant, nec ab aëre aut frigore perturbabantur: Malo autem ingraveſcente ad alium cibum ſumendum, præter exiguam ſorbitionem adduci haud potuit: Ita tandem deficiente naturali facultate, inedia quodammodo confectus è vita migravit.

Hujus Hepar colore undiquaque nigrius quam ſecundum naturam apparuit, ſed tamen minus nigricans quam pulmonis ſphacelo correpti ſubſtantia: impreſſorum digitorum veſtigia facile retinuit, nec minus facile ſoluta parenchymatis unitate rimas contrahebat. *Dodonæus cap.3. Obſerv.*

Melancholia Hypochondriaca ab atro humore in cavitate ventriculi, Pyloro arcte ob ſcirrhum concluſo, meſenterio ſcirrhoſo & lapidoſo.

Strenuus & Nobil. Vir in Germania ex Italis parentibus natus, ætatem conſiſtentem prætergreſſus, raræ texturæ, picrocholus, crinibus ſubflavis, euchymis cibis uſus & facilis digeſtionis, maxime iis diebus quibus carnis eſus conceſſus, reliquis ex farinaceis cibis comedit, cum piſcibus commode uti non poſſet; vinum bibit bonum, vetus ac clarum, ingurgitationibus non favebat, avide tamen comedebat ac celeriter more Italorum, Nec hoc ab ipſius ingenio erat alienum, quum celeres haberet animi motus, quibus & acta mentis & cordis πάθη agitabat corpore agilis, unde etiam motus facilis, celer, inquietus, Non tamen ullam in exercendo corpori violentiam faciebat, quieſcere tamen more gentis diu nequivit: Errata in victu fecit exigua, niſi quod conqueſtus de potu vappæ, aut muſti incertus fuit, & ſuæ afflictionis cauſam pronuntiavit: Hauſit in convivio invitus quod emptionis aut venditionis cauſa inſtituitur, ſi quidem firmari omnes contractus fama eſt compotatione: Ab illo tempore pondus in ſtomachi ſenſit fundo, ructus habuit fœtidos, flatus vagos, murmurantes in abdomine, dejectiones cineritias fœtidas & ſæpius diarrhœas æmulantes, maxime primo anno æſtus quoſdam ſenſit, ſed eos non magnos in hypochondriis: Appetentia non plane primo concidit, cibis veſcebatur optimis & facilis digeſtionis, ferre nullum potuit in bibendo erratum: Diſtenſiones hypochondrii ſenſit & triſtitiæ ac metus dedit ſignum, periculum ex hoc malo certo ſibi prædicens: Auguſtani Medici pronuntiarunt flatulentam hypochondriacam, & ei morbo auxiliares manus votis potius quam perſolutione adhibuere; Negavi ego morbum durius tractandum eſſe, ventriculo ſuccurrendum abſtergentibus, eluentibus & evacuantibus fermentum hoc in ventriculo relictum, factum hoc pilulis aloëticis, Syrup. roſato laxativo, quum facilis ſolutionis eſſet, idque diverſis & vicibus & temporibus: Pilulas aloëticas menſtruum volui eſſe auxilium: Morbus longus eſt, & de quo oraculum Montani veriſſimum, Medicos nimirum & medicinas eſſe fugiendas, quæ incendium ventriculo afferunt, ut loquitur Ferriolus; carminativa & calidiſſima aromata exitio eſſe ægro: miſere ſi quidem cum eo agitur cujus ventriculus à medicamentis exſiccatur, ne flatuum fiat hoſpitium, quod extenuatus noſtri ægri ventriculus probe docuit: deterrime quoque quum medicamenta fortia evacuantia ad ſaburram eluendam ſæpius propinantur: Labor Auguſtanorum Medicorum erat ut obſtructiones meſenterii reſerarent, ventriculi ſaburram levi medicamento abſtergerent & cruditatibus omnem viam intercluderent; unde quidam vinum chalybeatum, quidam mecum alterata herbis brodia, cum pilulis interpoſitis, aut hieræ picræ, aut Aloës roſatæ, exhibuit, adjunctis carminativis hepaticis: Interim cum mali hujus medela eſſet nulla perfecta, impatiens æger moræ diuturnioris ab omnibus conſilium petebat, obtemperabat omnibus, ſed ita ut miſceret omnium auxiliorum materias; Acidulis meo ſuaſu ante biennium uſus, haud deterius habuit, quamvis nec hujus levaminis perſeverantia, nec uſus ritus fuit: Inveterato malo acceſſit taciturna melancholia, præter hominis ingenium, lancinationes, ſubverſiones, deliquia cacotrophia, œdematoſi pedes, difficilis inceſſus & appetitus caſus: ſumma omnium functionum imbecillitas; defluxio ad aurem dextram brachium & femur, convulſiones ventriculi aliquales, tandem coma vigilans luctuoſam præcedebant multis horis mortem.

Diſſecto Nobil. (*Octaviani à Taxis*) cadavere, diligenterque omnibus partibus perſpectis, nullum in ulla alia parte notabilem affectum obſervavimus quam in ſolo ventriculo ejuſque inferiori orificio, & meſenterio: Ille namque à flatibus admodum diſtentus, valdeque extenuatus exiſtebat, in cujus fundo atramento ſimilis copioſa & maxime corrupta (ſicut fœtor denotabat) continebatur materia: Orificium vero, ſeu pylorus ſcirrhoſus arctiſſime conſtrictus, ut vix penna tranſire poſſet, una cum meſenterio toto ſcirrhoſo & lapidoſo quaſi, in cujus venulis ſanguis ater, ſeroſus videbatur: Hepar, Lien, Renes, Inteſtina, veſica, Pulmones omni parte integri erant, præter quam quod cor multa pinguedine obſitum fuit: *Hœchſtetterus Obſerv. 3. Decade 5.*

In Melancholici ventriculo, ranam vivam in eo ſe geſtare rati, repertus ſcirrhoſus Tumor.

Vidi virum ruſticum, qui adeo graphice ranam ſe in ventriculo habere vivam multis Medicis pro conſilio ſignificavit, ut profecto licet hominem prima fronte melancholicum ſuſpicaremur, nobis tamen de rei veritate dubitandi anſas injiceret non graves: Ajebat annum eſſe quo hoc affectu detineretur: timere ſe ne ſperma ranarum cum aqua hauſerit: coaxationem ſtridoremque ranæ in ventriculo exiſtentis ſe inaudire ſæpius; nuper ex vino aduſto bibito evacuaſſe ſe excrementa ſpermati ranarum ſimillima, oculis nigris diſtincta: Ex potu aquæ ranam in ventriculo innatare, ac tunc ſibi eſſe maxime infeſtam: mire vero debilitari illam ex allii decocto frequentiſſime ſibi conſueto: In vomitionibus Ranam ad gulam uſque aſcendere, ſed ob magnitudinem ejici non poſſe, unde animal hoc exterius ad regionem ventriculi manibus ſe prehendere, ac detinere ſæpiſſime conſtanter

affirmabat: Interim dormire ſe, appetere, functiones alias recte peragere, niſi quod parum videatur emaciari; Protecto hæc ruſtici relatio. Viri cæteroquin prudentis, ac minime temperamenti melancholici, non immerito Medicos detinuit perplexos: Itaque adhibita ſunt aliqua, utpote ſpecies diaturbith cum Rhabarbaro, & mercurio dulci. Data quoque Antimoniata: Ranæ excrementis ægroti ad fallendum ſtudio impoſitæ: Propoſitæ pro abſterſione, evacuatione, acidulæ Ægrenſes, in vermibus nobis expertæ, vel aquæ ſalſæ ex Rhœtia &c. ſed omnia incaſſum.

Anno iterum elabente, dum hæc ſcribo (1673.) virum hunc eſſe mortuum intelligo macie confectum; Apertum cadaver à Clar. viro D. Raimundo Maria Piſtorinio, Tumor Scirrhoſus, ovi gallinacei magnitudine, venis varicoſis diſtinctus, ventriculi pyloro proxime adhærebat, & paulatim cancroſum ulcus minabatur: Ecce Ranam quam toties ruſticus manibus prehendebat, totieſque agitato per vomitum ventriculo ad gulam uſque aſcendere credebat: Porro caſus notabilis quem eo libentius recitavi, non quod ruſticum hunc inter vere melancholicos repoſitum velim, ſed ut appareat quam ſæpe abſtruſæ nobiſque incognitæ cauſæ occultos morbos foveant, nec non prudentium Medicorum judicia mire ſuſpendant. *Frac. Ignatius Thiermair. Conſil. Medic. lib. 1. cap. 5.*

In Melancholico capſulæ attrabilariæ majores ſolito animadverſæ ſunt & peculiaris figuræ, cum parvo Liene.

Capite truncatum anno 1551. aperui, vir fuerat melancholicus, firmo tamen corporis habitu & ſucci pleno: Lien illi exilis rotunduſque: Capſula atrabilaria dextra major & longior, duplici cavitate ampla, una rotunda, altera ad latus oblonga & anguſta: Siniſtra latior ſed brevior: In utraque cavitate parietes tingebantur nigrore quodam. *Th. Bartholinus cent. 1. hiſtor. 38.*

In Hypochondriaci cadavere magna colluvies materiæ purulentæ inter duas meſenterii tunicas reperta.

Patritius quidam intemperantiſſimus in affectionem hypochondriacæ non diſſimilem admodum ſua forma incidit: aderat & nauſea continua, creber vomitus & cogitationes melancholicæ: ſymptomata levibus purgationibus & tempeſtiva ſanguinis miſſione aliquanto remiſſiora ſunt reddita, at nunquam malum fuit extirpatum: aliquot diebus poſt ſenſit horrorem, & ſupervenit tumor & dolor in ſiniſtro genu: itidem circa pubem tumor prognatus, qui veſicæ orificium ita compreſſit ut difficulter urinam reddiderit: hic tumor interdum augebatur, interdum minuebatur, unde cauſa flatibus adſcripta eſt: quotidiano tamen incremento ita auctus eſt ut ſeſe ad umbilicum & latus ſiniſtrum extenderit & reſpirandi difficultatem excitarit; fuit redditus Cacochimicus & cachecticus, & poſt quam cruciatibus morboque totus contabuerat, ſeptimo à morbi principio menſe obiit diem.

Apertum fuit corpus, & in eo inventa collectio materiæ purulentæ ac fœtidæ, nimirum inter duas meſenterii tunices: Collectio hæc occuparat majorem inferioris ventris partem & hepar ſua putredine infecerat: *Coiter libello Obſervat. Anat. & Chirurg.*

Anatome Melancholici hypochondriaci, in quo aneuryſma ſub clavicula dextra repertum.

D. Pelet quinquagenarius, atrabilario temperamento præditus, cum graviſſimis curis afflictus fuiſſet, poſt multa ſymptomata melancholiam hypochondriacam atteſtantia, paſſus eſt tumorem ſub clavicula dextra eminentem, & ovi dimidii magnitudinem æquantem, mollem & reliquæ cuti concolorem, in quo pulſatio inſignis apparebat: Judicatum fuit eſſe aneuryſma inſanabile.

Eo defuncto inventa eſt arteria magna aſcendens à corne ad claviculam, ita dilatata, ut brachii fere magnitudinem æquaret. *Laz. Riverius Cent. 4. Obſerv. 34.*

In Melancholico Omentum maximum & Scirrhoſum, ob transfuſum à Liene humorem melancholicum, deprehenſum eſt.

In Canonico Monſpelienſi Omentum vidimus ſcirrhoſum, totam epigaſtrii regionem occupans, & quatuor digitorum tranſverſorum craſſitudinem æquans, Ille autem tumor lienis colorem referebat, ut veriſimile fuerit humorem melancholicum à Liene in eam partem tranſlatum & cumulatum fuiſſe, cum æger temperamento valde melancholico donatus fuiſſet & via patentiſſima ſit per ramos ſplenicos à liene ad Omentum: Per quos etiam ramos in hydrope, (ut docet Hippocr.) non raro fertur aqua à liene ad omentum, è quo in capacitatem abdominis exſtillat. *Laz. Riverius Prax. lib. 13. cap. 5.*

In Melancholico ab hypochondriis, glandulæ Meſenterii & Omenti ſcirrhoſæ & induratæ deprehenſæ ſunt, Tumor Scirrhoſus in eodem, &c.

Ruſtica imaginabatur ſibi ad mortem uſque ſe ranas tres viventes per 4. menſes in ventre geſtare: Cujus falſæ imaginationis occaſio hæc fuit: bibit illa aliquando ex fonte per fiſtulam ſcaturiente, & jam ſatiata, ore à fiſtula remoto, pedem ranæ fiſtulæ inhærentem vidit, unde ſe tres, uti dictum, ranas imbibiſſe vulgus per rugitus flatuſque, præſertim jejuno corpore, uti ſolent, diſcurrentes & quaſi coarxantes, ſedulo perſuadebat: Acceſſit quod quaſi capita ranarum tria in ſuperiore abdominis parte tangi adſtantibus, imo & Chirurgo videbantur: Aſcitica tandem facta pie obiit, nec ante obitum, licet non melancholica nimium, ab hac imaginatione falſa ſeduci potuit.

Aperto abdomine, inciſo peritonæo, aqua qualis hydropicorum eſt, affatim effluxit, unde partes infimi ventris fere omnes concidebant, erigentibus ſeſe excreſcentiis tribus, quas mortua, cum vulgo, capita ranarum putabat; Glandulas autem omenti ſcirrhoſas & induratas

tas fuiſſe deprehendimus: Adnatus hiſce tandem tumor Omenti ſcirrhoſus totus videbatur, Giſſenſi non abſimilis, cujus Cl. T. in ſuis Therap. meminit, niſi quod libras duas cum unciis tribus ſolum penderit, ille contra libras quinquaginta ſex: Totius Omenti tumorem ego hunc puto, noſtrum ejuſdem ſaltem partialem, cum particulas Omenti adhuc invenerimus: Meſenterii autem glandulas majores, cum omenti quibuſdam, induratas ſcirrhoſaſque fuiſſe affirmari poſſe videtur, quod tumoris pars inferior, quæ in centrum meſenterii deſinere videbatur, non ſine laceratione à lumborum vertebris liberari potuerit. *Ex obſervationibus Joh. Huldarici Streitter apud Greg. Horſtium Tomo* I. *p. m.* 141.

Melancholia vitio Cordis, Pulmonum & Jecoris exuſtorum, cum cerebri ventriculi corruptione, excitata.

In capſula cordis obſervatur eſſe aqua rori ſimilis, ad cordis irrigationem neceſſaria in illo aſſiduo motu & calore: Hæc aqua in magna mœſtitia paulatim areſcit, eaque conſumpta Cor contabeſcit, Id quod αὐτοψία anatomica declarat, Vidi enim anatomen cujuſdam mortui ex melancholia, cujus cor totum exuſtum, Jecur totum fumoſum, Pulmo inaſſatus, ventriculus cerebri corruptus extiterit. *P. Boayſteu Theat. mundi l.* 3. *p.* 103.

Melancholiæ hypochondriacæ ſedes reperitur plerumque in illis venis quæ alimentum è ventriculo excipiunt, ſanguine craſſo ac torrefecto tumefactis, quaſi varicoſis.

Galenus 3. de locis aff. 7. Flatuoſas vocatas melancholias credendum eſt plus caloris quam deceat, in illis venis quæ alimentum è ventriculo excipiunt. in iiſque ſanguinem craſſiorem eſſe factum, aſſerit. Sed neque hic finis præſentis p. n. affectus, quandoquidem tamen aliquando accedit, quem ſubortum alias obſervavi, repletis venis illis craſſiori ſanguine, nec non de exuſto atque nigro tumefactis ac varicoſis redditis, ut in diſſectis cadaveribus obſervari aliquando accidit, cum tenuior & ſeroſior ejuſdem ſanguinis portio à vaſis in Pylori ſubſtantiam ſe inſinuat, & reliquo non adeo tenui vehiculum præſtat, atque adeo partem in tumorem elevat. *Raim. Joh. Fortis Conſult.* 88. *Cent.* 2.

Melanchol. Hypochondriacæ ſedes eſt ut plurimum in ſiniſtro hypochondrio, multo nigro ſucco ſcatente.

Cauſæ detinentes humorem melancholicum ſunt Lien, Venæ tam meſenterii quam hæmorrhoidales, Vaſa ſpermatica, Uterus, & aliæ ventris inferioris cavitates, in quas vel intemperies, aut morbus organicus, ceu obſtructio, vel utrumque cadere poteſt: Quorum ratione non ſemel viſi ſunt Hypochondriaci, quibus iſtæ corporis partes, ac ſiniſtrum cumprimis hypochondrium, multo nigro ſucco, tanquam atro jure, oppletæ diſtentæque fuere: aut quibus haud abſimilis humor, ſuſque deque, ſine tamen periculo, fuit ejectus; qualem etiam *Solenander* conſ. 7. ſect. 2. ad ſex aut 7. libras ex dextro hypochondrio citra noxam exploſum fuiſſe affirmat. *Matthæus Martini Tract. de Affect. Hyppochondr. p.* 136.

In Affectu hypochondriaco laborantibus vaſa meſaraica veluti varicoſa & cancroſa evadunt.

Sunt multi qui in hoc & in aliis morbis nihil niſi obſtructiones accuſant, Verum equidem non negamus in aliquibus vaſis humores quaſi impactos eſſe, ita quidem ut vaſa iſta veluti varicoſa & cancroſa fieri interdum ſcribat Mercatus lib. 1. de morbis cap. 7. Etenim ſi natura vitioſos humores in vena cava per ramos ejus in certas partes depellere poteſt, ut in cruribus varices, in aliis etiam partibus venæ cancroſæ humore atro turgeant, Cur non idem in ramis venæ Portæ accidere poſſet? Atque id ubi accidit, malum fere deſperatum eſt & medicamentis facile exacerbatur, &c. *Sennertus Pract. lib.* 3. *p.* 5. *ſ.* 1. *cap.* 3.

Melancholia hypochondriaca orta à Meſenterio nigris varicibus obſito.: Pancreate obſtructo, Hepate parvo, nigro, ſcirrhoſo, Liene duro, &c.

Celſiſſimus quidam Princeps, ſtaturæ brevis, melancholicus, pauciloquus, ſedentariam agens vitam, & deformem dorſo, ad inſtar literæ M, ferens gibbum, duobus annis ante mortem cœpit ab ore inſigniter fœtere, cum excoriatione gingivarum & dentium notabili mobilitate: Octo diebus ante mortem correptus febricula lenta, cum virium reſolutione, ob defectum probi ſanguinis & ſpirituum carentiam in Domino obdormivit.

Ut debitus cadaveri balſamationis redderetur honos, apertum eſt abdomen, ubi primo ſeſe omentum fætidiſſimum atque putridum ſeſe obtulit: deinde meſenterium nigris varicibus undique circumſeptum, cum pancreate induratis multis magniſque glandulis impervio: Hepar extitit parvum, nigrum atque ſcirrhoſum: Ren vero infra hepar latens, major capite puelli duorum annorum, ponderans libras duas cum ſemiſſe, in cujus centro calculus ℥iij. ß. repertus, cujus acumen afficiens parietes ipſius renis, gangrænam induxit: Infra hunc renem, circa muſculum pſoas, aderat abſceſſus longus atque profundus, flavo ac fœtido pure plenus, abſque ullo femoris torpore vel dormitatione, contra Fernelium: Ventriculus mediocris atro humore plenus: Lien longus, durior ſolito: Ren vero altior & naturali major, continens ad minimum centum parvos lapillos, apparuere: Hinc deventum eſt ad Vedium ventrem, in quo viſæ ſunt duæ hydatides, ab humero uſque ad ſeptum tranſverſum, inter pulmones & pleuram, aqua, veluti glaciata repletæ, cum pulmonum, tam ſecundum ſubſtantiam quam ſecundum vaſa inſigni corruptella: Ita ut melancholia hypochondriaca, Scorbutus, Tabes, ſpirituum reſolutio, viſcerumque corruptio cauſæ fuerint iſtius interitus: Sed quod mirum eſt, toto tempore vitæ nunquam eſt conqueſtus de doloribus nephriticis, calculis, urinis ſabu-

loſis, aut difficulter vel diminute fluentibus, multo minus adrenis dextri ingens augmentum, femur dextrum torporem eſt perpeſſum. *Antonius de Pozzis Obſerv.29. miſcell. curioſ. anni 4.*

Sectio Gravidæ Hypochondriocæ, hæmoptoicæ, In cujus ventriculo materia viſcidiſſima, ſpadicei coloris reperta, copia ſanguinis concreti, Pylorus conſtrictus, &c.

Jan. 26. Catharina Caſpareidis, mater octo liberorum abortivit: Per totum tempus conjugii valetudinaria fuit. Per tres menſes ſanguis menſtruus non eſt purgatus. A ſeptem hebdomadibus in parte ſiniſtra pectoris & hypochondrii dolores ſentit, & in hypochondriis quoq; tenſionem, Terrore à ſpectro incuſſo perterrita incidit in hoc malum. Frigus moleſtum non calor. Alvus reſpondet, Patitur ſubinde aliquid uterinis ſuffocationibus ſimile, Tum flatus erumpunt, unde levatur,

℞. Aq. puleg. ℥ij. Theriacal. ℥ß. Tinct. caſtor. ʒij. Ol. ſuccin. gtt. iv. Laud. op. gr. ij. Syr. fœnic. ℥vi. me. Die 24. in variis levamen ſentit: Dolores omnes minuuntur: Iteretur miſtura 26. præſcripta. Die 28. dolores leviores ſunt. Quando reſpirat ſibilus auditur in pectore: Iteretur miſtura dicta: Die 29. ſuffocatio adhuc ſubinde urget: Nec heri nèc hodie dejecit, Sed propter ſuffocationes non conſultum purgare: Iteretur miſtura dicta.

Pro Tuſſi ℞. Maſſæ Pil. de cynogl. ℈j. F. P. n. 8. Die 3. Febr. præterito die Sabbathi paroxyſmum febrilem paſſa, cujus frigore durante incepit dolor rodens & moleſtus femoris & tibiæ, qui adhuc durat:

℞. Unguent. martiati, ol. Nard. an. ʒiij. Ol. philoſop. ʒj. m. Die 4. hodie mane circa 5. ex vehementi tuſſi in ſanguinis vomitum incidit, ac ſubito extincta eſt.

Secuit Clariſſ. Sylvius cadaver die 6. Febr. Rugæ ſe offerebant in infima ventris ſuperficie, externa ſigna partuum antegreſſorum. In abdomine ſecto copioſa & laudabilis pinguedo. Colum ſub umbilico ſitum: Inteſtina pleraque flatibus diſtenta. Illorum ſubſtantia tenuis & elegans, imprimis quo in loco diſtendebantur. Præ aliis tamen omnibus in immenſum diſtendebatur inteſtinum tenue, ante ſui inflexionem ſiniſtrorſum verſus: Inteſtina hinc inde colore fellis infecta: Folliculus fellis prægrandis erat & pallidus. Lien quoque ſolito multo pallidior. Plures in inteſtinis erant lumbrici. In ventriculi aperti parte inferiore nihil cruenti, ſed materia viſcidiſſima ſpadicei coloris fere: Totus ventriculus valde rugoſus & denſus: Ex parte ſuperiore extra inſignis copia concreti ſanguinis cum fluidiore, ſimul ſaporis auſteri: Orificium inferius, ſive pylorus, valde conſtrictus: Rugæ ventriculi tortuoſæ & prope pylorum fere circulares. Inteſtini vero rectæ ſecundum fiſtulæ inteſtinalis ductum. In inteſtinis nihil rubicundi aut obſcuri: Hepar variis in locis per fibrillas diaphragmati annexum. Pulmo dexter pleuræ firmiter connexus, mollis, boni coloris, ſed flatu diſtentus, thoracem totum opplens, ſectus apertuſque liquorem limpidum, ſalſum ſubacidumque fundens. Siniſter lividior diſtentus, paſſim connexus pleuræ, gelatinoſo & viſcido humore obductus, firmus nigricanſque, interius etiam, ſanguinis inſtar coagulati. Pancreatis ſubſtantia elegans, à liquore per ſyringam immiſſo parum tingebatur. In latere complures glandulæ plane non tinctæ: Ductus Pancreaticus inſignis: Lien pallidior multo, in quo initia apoſtematis: Hepar bene habebat: Bilis copioſa, pallida & tenuis. Humor in pericardio ſubſalſus & ſubacidus: Cor bene conſtitutum: In diſſecti ventriculo dextro parum ſanguinis, in ſiniſtro ne gutta quidem. Prope radicem Meſenterii connectuntur renes vertebris, ligamentis firmis. Hic ſuſpicatur Clariſſ. Sylvius quærendas vias à ventriculo ad renes, per quas potus ſæpe tam cito tranſeat. Papillares in renibus carunculæ foraminulis perviæ, per quas urina colatur. Extrema in parte tubarum, variæ veſiculæ aqua repletæ, hydatides dictæ. Ligamenta rotunda uteri, extra abdominis muſculos elapſa, parvum quaſi muſculum adjunctum habentia, in varia tenuiſſima filamenta diſperguntur, quæ partim ad os pubis, partim in pinguedinem, & forte cutem, partes externas muliebres inſeruntur: Arteria ſpermatica utraq; ex trunco oriebatur, ut & venæ ſpermatica dextra, ſed ſiniſtra ex emulgente, uti in viris: Rami illi, qui ex Iliacis ad uterum tendunt, hic fere æquales illis qui ad crura. Quarto menſe gravida judicata. Tota ſubſtantia uteri ſpongioſa & cavernoſa multis magnis foraminibus, ſive potius canalibus pervia, in locis quibuſdam ſtylum craſſum admittentia: In horum unum immiſſus ſiniſtram verſus, tubuli ope, flatus per uteri ſubſtantiam & venam ſpermaticam in venam renalem & cavam tranſiit, magiſque tumens univerſus obſervatus uterus, quaſi etiam in ipſius cavitatem flatus penetraſſet. Inflata arteria ſpermatica ad ipſos uſque teſtes mota & tumefacta placenta uteri cum ſecundina, ſive membrana chorio, mirabili textura è tenuiſſimis fibrillis conjuncta. Funiculus umbilicalis in latere ſiniſtro placentæ inſertus: Fœtus caput in fundo uteri: Fœtus maſculus lateri ſiniſtro incumbens: Extremitates manuum pedumque, ut & narium albicantes: Umbilicus parte ventris magis inferiore quam in adultis. In totius corpuſculi ſuperficie venarum ramificationes elegantiſſimæ conſpicuæ: Facies ruditer efformata. In ateria aſpera ſanguis coagulatus, in œſophago non. *Mathias Paiſenius in Miſcell. cur. ann. 4. & 5. Obſerv. 96.*

Sectio cadaveris Puerperæ ex mærore mortuæ. A Clariſſ. Sylvio in Noſocomio Leidenſi anno 1664. adminiſtrata.

Fœmina erat 15. ante obitum dies fœtum enixa, cujus vir ante 6. fere hebdomadas, morbo decumbens Noſocomium delatus ibidem mortuus: Objectum forte fuit fœminæ à vicinis quod male viri ſui curam habuerit, eamque calumniam tam ægre tulit ut totam ſe mœrori dederit. Enixa deinde, nec ſedato illo animi affectu, cum nullam corporis rationem haberet, nec cibos au: medicamenta caperet, tandem mente deſtituta intra 15. diem mortua eſt.

In ipſius diſſecto cadavere hæc imprimis invenie-

veniebantur præ cæteris rara & notatu digna. Omentum non omnia inteſtina, quæ nonnihil loco mota erant, tegebat, Unde Clar. Sylvius colligebat fœminam, dum invivis fuit, ſæpiſſime torminibus ventris colicisque doloribus laboraſſe. Inteſtinum craſſum non circumdabat totum abdomen cinguli inſtar, ſed à ventriculi fundo infra umbilicum intorquebatur, indeque ad ventriculum redibat, facta fere ſemiluna: Clariſſ. Sylvius addebat ſe in variis variè hanc inflexionem & gyrationem obſervaſſe. Idem inteſtinum, ut & tenue, inæqualiter flatibus turgebat, ita ut inter partes valde inflatas medium ſpatium intereſſet omnino vacuum & contractum, vix ad pollicis craſſitiem: Clariſſ. Sylvius affirmabat ſe in vivis animalium ſectionibus, imprimis cuniculorum, idem obſervaſſe, & ita quidem ut pars quæ jam inflata erat mox detumuerit dum ſecaret, & contra. In hoc cadavere quoque dum inteſtina movebantur, æqualiter omnia diſtendebantur. Clariſſ. Sylvius putabat ob doloris ſenſum partes inteſtini conſtringi: Ejuſdem inteſtini craſſi flexus ſigmoidis, qui alias infra rectum eſt inteſtinum & interiora reſpicit, contrario modo ſe habebat. Obſervabile etiam erat quod de tenui inteſtino, Ileo dicto, commonſtrabat D. Sylvius, nempe oriri illud in dextro latere ad Ileum os, & poſt aliquot flexuras retro & deorſum tendere, aſcendere deinde rurſus ſub umbilico per ipſum meſenterium, ſiniſtrumque latus occupare, ſeque ad hypochondrium ſiniſtrum, os Ileon & vicina reliqua loca extendere: Unde patet, docente eodem Sylvio, Tormina quæ hypochondriacis in hypochondriis accidunt, non alibi quam in hoc inteſtino latere, imprimis cum hoc antrorſum, ubi dolores maxime percipiuntur, vergat. Lien vero interiora magis petat, Et vix etiam in cadaverum ſectionibus tales obſtructiones in vaſis illis vix inveniantur quæ tantos dolores producere poſſint. Viſa quoque fuit utriuſque ductus, tam biliarii quam pancreatici in inteſtinum illud inſertio, quorum pori in cadavere hoc juncti erant. Hinc remotis Pulmonibus & ventriculo, apparuit Ductus thoracicus, ſive Chyliferus, inter venam azygon, quæ ad dextram erat, & magnam, quæ ad ſiniſtram, ſitus, una cum capacitate illa inferius ſita, & nonnullis capſula dicta, quod chylum excipiat, alias nimis ductum illum obruturum. Flexuræ ventriculi in parte dextra ſubjacebat Pancreas. Dexter pulmo omnino naturalis erat conſtitutionis, ſiniſter coſtis adhærebat. Sub utraque mamma, quia lactis non habita fuerat ratio, apoſtema erat repletum pure, quod tamen in dextro latere copioſius profluebat. Uterus, quia omnino erat ſingularis, & nunquam ita à Clariſſ. Sylvio obſervatus, ultimo loco accuratius ſecabatur, in eo hæc imprimis notata: Magnitudo ejus erat omnino inſolita, ſuperabatque fundi latitudo vel octo digitos tranſverſos: craſſities erat ad minimum quatuor digitorum, cum tamen mulier jam ante 15. dies peperiſſet: Craſſities ipſius ſubſtantiæ uteri erat fere pollicis: Cauſa hujus magnitudinis, ut poſt ſectionem patebat, erant relicta in utero placentæ fruſtula, uteri parietibus firmiter adhærentia, quæ putredo & inflammatio conſequuta fuerat. Clariſſ. Sylvius conjectabatur mœrorem inter alia hujus retentionis & cohærentiæ cauſam fuiſſe, utpote qui omnia in corpore duriora & magis fixa reddat, cum contra lætitia eadem magis ſolvat: In vaſis, ut ex cavernis, ſive tubulis uteri, ſubſtantia viſcoſa & pituitoſa hærebat hujuſmodi, qualis ſi in corde & alibi hæreat, Polypus dici ſolet. Apparebat inſuper in utero eſſe communicationem vaſorum omnium in utroque latere: Inflata enim uteri vena, omnia vaſa, ut & lateralia, & utrumque uteri ligamentum inflabantur: vaſa etiam minima turgebant: Inflata etiam arteria, quæ ex iliaca oriebatur, ingreſſus inflati aeris obſervabatur ad totam uteri ſubſtantiam & ſinus anfractuoſos, ſed ſenſim, quod in vena citius apparebat. Uteri ſubſtantia tota eſt cavernoſa, experimento per tubulum ſumpto. *Matthias Paiſenius in miſcell. cur. anni 4. Obſerv. 143.*

Anatome canis melancholici, in cujus hepate vermis repertus.

Magnus canis ſolitarie vivens, & magis quam alii canes melancholicus fuit, qui ob calorem quendam internum, pluvioſum amabat tempus, adeo ut à pluvia nunquam recederet, ſeque madefaciendum præberet, diſſectus fuit à D. Tardin, & in ejus hepate vermis hirſutus repertus eſt. *Petrus Borellus Cent. 3. Obſerv. 33.*

MARASMUS.
Vid.
ATROPHIA.

MAXILLARUM MORBI.

De his nihil habemus quô caput in particulari conficiamus. Nam præterea quæ ubi de Dentibus, de Fracturis, de Luxationibus ac de Oſſibus, afferuntur, quæ maxillas ſpectare poſſunt, vix aliquid ſupereſt quô affici dici poſſint illæ. Habemus reverâ Parodontidem, partis hujus eſſentialem morbum, at de eo ſub propriô nomine ſuô locô agemus.

MEATUS URINARII OBSTRUCTIO
Vid.
CARUNCULA.
MELANCHOLIA.
Vid.
MANIA.

MEMORIÆ VITIA.

Socrates, ἐπιπάντων σοφίας ἄγαλμα ac Græcorum Salomon, ſicut Plato dictus fuit Moſes Atticiſans, ſapientiſſimus, inquam, Socrates memoriam vocabat σωτηρίαν αἰσθήσεως, hoc eſt cognitionum intermediis ſenſibus adeptarum ſequeſtram, quippè quæ actuarii munere fungatur. Homerus verò ipſam appellavit ψυχῆς κέαρ, cor animæ, quòd memoriâ delinquente fiat doctrinarum omnium extinctio & veluti ſyncope,

ho-

hominesq; obſcuris inſcitiæ latumiis damnentur. Eſt namque memoria ταμεῖον quaſi ſella penaria omnis eruditionis ac fidiſſimus divitiarum ingenii tutelarius,

Nec minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri.

Quamobrem Plato in Critiâ Deam Mnemoſynem religioſe coluit ceu Jovis amaſiam ac Muſarum matrem, ut philoſophice fabulabatur Heſiodus in Theogoniâ, inter quas illa quæ hiſtoriæ præeſt propter πολλὴν μνείαν dicta fuit Polymnia.

Quinetiam cadente memoriâ mens quoque ex eventu corruit, quòd negatis virtuti intellectrici rerum præteritarum imaginibus, hæc circa objecta duntaxat præſentia valeat occupari & quidem admodum imperfecte ob deficientem nominum rerumq; notitiam ad diſſerendum neceſſariam; unde immemor æger fit ἀμνοκῶν, vel infantulis perſimilis qui de rebus ſenſuum organa actu ferientibus obtuſiſſimè judicantes, mox & rei & lati judicii tenentur oblivione.

Νήπιοι, ἀχρειῶται, ἐφημέρια φρονέοντες

Infantes, ſtolidi, tantumque diurna ſcientes.

Imò neque delirium, vigilantis ſomnium; neq; ſomnium, dormientis delirium cieri poſſibile eſt abſque operâ memoriæ: agreſtis enim lethargicorum deſipientium ἀμνησία, rerum eſt tantummodò præſentium, incorruptis interim nec interlitis veterum objectorum ἐκμαγείοις.

De oblivione diſſertaturi, quam ἔξοδον τῆς μνήμης definiebat Plato, primâ fronte obſervabimus diſcrimen memoriæ intellectualis & ſenſibilis; illa ἀνάμνησις vocatur Latinis reminiſcentia, homini propria; hæc μνήμη memoria generis nomine appellatur, omnibuſque animantibus, ſi quædam inſecta exceperis, communis eſt.

Reminiſcentia juxta Platonem dicitur, quando anima rem è memoriâ lapſam, aut ſenſu aut diſciplinâ movente revocat, eamque quaſi poſtliminio reverſam tractat verſatque. Vel diſtinctius, Eſt operatio mentis mediante ſyllogiſmô reſumentis objecta, quorum ſpecies è memoriæ tabellâ ſunt ſemirutæ nondumque penitùs interciderunt,

---- Sæpè jam ſpatiô obrutam
Levis exoletam memoriam revocat nota.

Scaliger Reminiſcentiam definiebat, Diſquiſitionem tectarum ſpecierum, amotionem importunarum, digeſtionem obturbatarum.

Memoriæ duo traduntur munia, videlicet phantaſmata recipere, eademque ſinu ſuô recepta diligenter ac ſtudioſe cuſtodire, quæ poſterior actio memoriæ titulum potiori jure ſibi vindicat; prior enim imaginationi & memoriæ convenit, ac utraque facultas ſuſcipit quidem rerum imagines, verùm hæ è ſede phantaſiæ, veluti forata eſſet, effluunt ut in memoriam ceu in apothecam transfluant ibique ad uſus recondantur: unde memoriam D. Auguſtinus animi ventrem nuncupavit, quemadmodum enim ventriculus corpori alimoniam, ſic memoria animo quaſi pabulum ſubminiſtrat.

Lubet nonnullis hancce ſpecierum retentionem fieri cerebrô idoneum ſubjectum ſpeciebus quæ pelluntur veliſque currunt præbente, abſque ullô operantis animæ concurſu, ſicut cætera accidentia inhærent ſubſtantiæ quæ ad illa materialiter tantùm ſe habet, non autem ad modum cauſæ agentis atque conſervantis; afferuntque exemplum fœtus qui dum maternæ cogitationis ſimulacris, reique vel formidatæ vel expetitæ effigie inſignitur, merè paſſivè ſe gerit: Arbitrantur verò in aëre, aquâ vel ſpeculô remotorum objectorum imagines non ſtare, ſicut eæ ſiſtuntur in cerebrô, quòd ejuſmodi corpora ſint ἀδιάθετα ad talem admiſſarum ſpecierum detentionem, puta aër & aqua propter tenuitatem ac lubricitatem has ſufflaminare nequeant, cryſtalli verò durities ab ipſiſmet quantumvis fortiter vibratis non ſinat ſe inſcribi, ſed ſpecierum plagæ fruſtrentur ac reſiliant. Atque ubi objicitur iſtius ſententiæ patronis, ſimulacrorum igitur totô vitæ curriculô ad modum ſtigmatis inuſtorum ſuppellectilem debere detegi ab Anatomicô, hominis recenter defuncti cerebrum ſolerter ac dextere reſecante; Reſpondent nullam revera eſſe cauſam quæ ſtatim à morte cerebri ſigilliola repente oblitare poſſit, ſed objectorum εἴδωλα καὶ ἐκκόμματα quæ inſtar teſſerarum in memoria relicta fuère, propter ſummam tenuitatem nequidem Microſcoporum ope eſſe aſpectabilia, confeſtimque ad putrem cerebri ruinam ipſa collabi.

Sed primò, ſicut Venus animô concepta colem intendit, per quietem cogitata

Nocturnam veſtem maculat ventremque ſupinum,

neque tamen objecti Venerei ſpecies advolat ad partes genitales; Ita nec rei à muliere gravidâ ardenter cupitæ idolum ejus vulvam petit, ac proinde neutiquam ſignatur fœtus ab impulſu ſpeciei phantaſticæ, ſed vis plaſtica ad imaginis, quæ vehementer jugiterque phantaſiæ obverſatur, quaſi prototypi ſimilitudinem fœtum cereum ac molliculum delineat. Deinde cùm geminam aliàs ſtatuerimus unius ejuſdemque objecti in cerebrô imaginem, unam fixam ac in ejus ſubſtantiâ habitantem, alteram mobilem ac ſpiritibus animalibus inſidentem quæ ab illâ pendet & in eſſe & in operari, neutra iſtarum ſpecierum ad uterum devehi poteſt. Non prior quàm quippe cerebrum ſibi avelli nullatenus patiatur, imò ipſâ è cerebri limitibus emigrante, neceſſario conſequeretur objecti oblivio, cùm econtrario pertinax prægnantis phantaſia circa illud ſolito attentior ſit. Non etiam poſterior, hæc namque, ut ibidem dicebamus, à priore ſpecie quam cerebri ſubſtantia amicè amplexatur, ut lux diaphani à lucidô corpore, dependet.

Huic errori anſam dedit vulgatiſſima ſpecierum ſenſibilium cum annulô ſignatoriô comparatio, quæ tamen metaphoricô & impropriô, non phyſicô ac propriô ſenſu accipienda eſt. Etenim pleraque ex objectis quorum ſimulacra memoriæ receſſibus conduntur, ut ſonus, ſapor, odor (ſaltem ſecundum ſenſa Peripateticorum) omni prorſus carent figurâ; imò ſicuti rerū calidarum, frigidarum, coloratarum, &c. imagines, calidæ, frigidæ & coloratæ non ſunt, ſecus eſſent ſibi invicem contrariæ, nec apud memoriam quietæ & concordes degerent; ita nec ſpecies figuratorum objectorum exiſtunt figuratæ. Præterea an veriſimile eſt ſpecies ſenſibiles adeò duras eſſe atque ſolidas, ut in cerebrô, ſicut ſigillum in cerâ, cælari queant; Tandem quô impulſore tam alta tamq; diuturna cælatura perageretur? Ut taceamus ceræ ſigillô notatæ particulas

culas cùm depreſſas tùm ſublimes propter viſciditatem ſitum ſuum retinêre, cerebri autem ſubſtantiam inſtar ceræ non eſſe viſcoſam, nec idcircò impreſſi ſigilli typum in ipsâ ſervari poſſe.

Itaque requiritur certa potentia retentiva cui naturaliter datum ſit ſpecies ſenſibiles complecti; hæcque vis idolorum retentrix quamvis intrà cerebri ambitum ſuô perſungatur munere, eſſentialiter tamen non diſtinguitur à potentiâ naturali contentrice, ſicut ſpirituum animalium elaboratio fit per coctionem, quæ actio eſt purè naturalis, tametſi obeatur in cerebrô functionum animalium regione. Neque enim facultates quibus corpus noſtrum regitur, locis adeò diſcluſæ ſunt ut membra principalia unam duntaxat potentiam poſſideant, verùm citrà confuſionem ſunt commixtæ, ac naturalis virtus, cæterarum baſis, ubique partium ſparſa eſt & diffuſa.

Hic autem obſervandum, cerebri ſubſtantiâ, quæ à calore perpetim depaſcitur, alimentis reſtauratâ, particulam nutritione repoſitam iiſdem ſpeciebus ſignari quæ in deperditâ cerebri portiunculâ priùs reſederant; haud ſecùs ac nævi permanent in cute, quantumvis ejus materia quotidianis cibis renovetur.

Ex dictis liquet memoriam è ſenſuum numerô debêre expungi ac, teſte ipſômet Philoſophô, hanc οὔτε αἴσθησιν οὔτε ὑπόληψιν εἶναι, neque ſenſum eſſe neque exiſtimationem; nam qui dicit ſenſum dicit potentiam cognoſcentem, memoria verò merum eſt εἰδωλοφυλακεῖον, ac ſpecierum depoſitarum archivum. Addamus interpolatas eſſe ſenſuum omnium functiones, memoriam verò perenniter operari: ſpecies namque naturâ ſuâ evanidæ confeſtim elaberentur ſi ab illarum amplexu vis memorativa vel momentô temporis deſiſteret, haud ſecùs ac aviculæ laxatâ caveæ cuſtodiâ ſtatim avolant. Quemadmodum ſcriptura ſiſtit verba alioquin πτερόεντα, eaque præſtat, ſicut victoriam Athenienſes, ἄπτερα, undè Plutarchus γράμματα, μνημόσυνα λήθης appellavit, adeò ut ſermo ſit velut ſcriptura effluens, ac ſcriptura velut ſermo permanens, hic uſus eſt literarum ut cuſtodiant voces &, velut depoſitum, reddant legentibus, inquit Quintilianus. Sic memoria fugaces atque, ſi dicere liceat, pennigeras objectorum ſpecies moratur & quaſi viſcô irretit.

Non ſum neſcius tertium uſum memoriæ attribui, nempè commiſſa ſibi rerum ſpectra imaginationi, ſive ad ejus imperium, ſive etiam abſque ejus juſſu nec rogatam, veluti manu quâdam ſuggerere. Attamen cùm ſpecies ſenſibiles intra memoriam nullô velamine naturaliter obtegantur, quæ vulgò dicitur earum depromptio, nequaquàm eſt opus memoriæ rerum monumenta in ſcriniô ſuô deliteſcentia atque illatebrata explicantis, ac multò minùs ad domicilium phantaſiæ ipſa vectitantis, quoniam facultates principes ſedibus non dirimuntur ſed συγκατοικοῦσι; quin potiùs actio eſt imaginationis ad ſpecies memoriæ mandatas ſeſe flectentis, ita ut recordatio communiter dicta ad potentiam imaginatricem referenda ſit, vel judiciô ipſiuſmet Galeni docentis, partem animæ imaginatricem, quæcunque illa fuerit, recordari: eôdemque ſenſu Autor libri de flatibus ſcribebat temulentos eſſe τῶν ὄντων κακῶν ἐπιλησμόνας, præſentium malorum obliviosos, hoc eſt præſentia mala non perſpicere.

Objici tamen poteſt præter graviſſimos raroſque affectus, qui rerum ſignacula radicitus extirpando imiſque ceris eradendo, memoriam quandoque peremerunt.

Omnium ut actarum exciderit retinentia rerum,

ac proinde recuperatâ ſanitate res oblitas denuo ediſcere neceſſe fuerit; alios crebrioreſque morbos occurrere, in quibus quanquàm perſtent priſtinæ ſpecies (nam ægri incolumi memoriâ convaleſcunt) nullus tamen exercetur memorandi actus propter ſublatam illam memoriæ actionem quâ concreditas ſibi imagines, velut fideicommiſſum quoddam, phantaſiæ afferre & quaſi reſignare debet. Reſpondemus in hiſce affectionibus memoriam immeritò culpari, quippè quæ nihil aliud ſit quàm τὸ φρούριον phantaſmatum, & quæ fideliter illa cuſtodiendo officium ſuum impleverit, ſed criminandam eſſe imaginationem, cujus tanta eſt ἀβλεψία vel ſupinitas ut ſpecies in forulis memoriæ ordinatim digeſtas non ſpeculetur, nec ab ipſis ceu incitabulis everberetur.

Memoria vel aboletur vel minuitur. Abolitio aut eſt abſoluta, aut ſecundùm quid. Illa dicitur cùm integra ſpecierum cohors funditùs periit, quaſi Lethæis fluctibus ſubmerſa; ſic Atticæ peſtilentiæ periculô defunctis non modò literarum omnium, ſed etiam propinquorum propriique nominis oblivio ſurrepſit; Idem contigit Meſſalæ Corvino Oratori nobili, necnon Orbilio cuidam plagoſo Horatii præceptori, noſtriſque temporibus Cornelio Janſenio. Notandumque amputatâ per morbos acerbos memoriâ, res oblitas longè promptiùs de integrô addiſci à revaleſcentibus, quàm ſi antehac fuiſſent harum omnino ignari; reſtitantibus quippè puſillis veſtigiis, ceu λειψάνοις ἀδρανέσιν, obſoletarum ſpecierum quæ recolendo facilè inſtaurantur, ac veluti Platonicâ quâdam reminiſcentiâ è profundô reviviſcunt.

Memoria aboletur ſecundùm quid, ubi quædam ſpecies è memoriæ promptuariô evolant, cæteris manſionem ſuam non deſerentibus.

Rerum porrò arduarum acerrimôque ſtudiô comparatarum, quàm planarum & cognitu facilium levior eſt memoria; ſicut enim illæ non adeò perſpicuè mente concipiuntur, ita minùs actè à memoriâ comprehenduntur; ac propterea nihil mirum ſi ipſarum retentio, quandoquidem & elegantiorem cerebri conſtitutionem & uberiores vegetioreſque ſpiritus expoſtulat, primùm & maximè intertubari conſueverit. Cujus rei illuſtre exemplum legitur apud Valerium Maximum. Quidam, *inquit*, Athenis vir eruditiſſimus cùm ictum lapidis capite excepiſſet, cæteraque omnia tenaciſſimâ memoriâ retinens, literarum tantummodò quibus præcipuè inſervierat, oblitus eſt. Dirum malignumque vulnus in animô percuſſi, quaſi de induſtriâ ſcrutatis ſenſibus, in eum potiſſimùm quô maximè lætabatur acerbitate nocendi erupit, ſingularem doctrinam hominis, plenô invidiæ funere efferendo. Cui ſi talibus ſtudiis perfrui fas non erat, utilius aliquanto fuit ad illa aditum non impetraſſe, quàm jam perceptâ earum dulcedine caruiſſe.

Me-

Memoria imminuitur cùm ſpecies non quidem eripiuntur è ſinu memoriæ, ſed totam in eâ non ſervant repræſentativæ virtutis intenſivam latitudinem, ac vietæ quodammodò evadunt & flaccidæ.

Deindè cùm duplex ſit, uti dicebamus, memoriæ operatio, imaginum λῆψις earumque φυλακὴ; prior interdum evertitur, ſalvâ alterâ; ſic non raró evenit ut qui à paſſionibus cataphoricis aut paraphoricis reſurgunt, rerum olim notarum recordentur, ſed ea quæ totô morbi decurſu dicta ac facta fuere, dent oblivioni; idque vel per ſe corruptâ quidem cerebri temperie ad novarum ſpecierum admiſſionem idoneâ, verùm illæſâ cerebri temperaturâ priſcis imaginibus aſſervandis accommodatâ; vel per accidens propter imaginationis ἀπροσεξίαν, ut in phrenitide; vel utrôque modô ut in lethargô per quem non mdo inſigner alteratur organum memoriæ, ſed & inſuper vis imaginandi partim ſopita eſt, partim alienata & alibi intenta.

Placet quibuſdam memoriam non modò deſtui ac infirmari ſed etiam depravari poſſe, ubi nempè homo præteritorum quidem meminit, verùm aliô modô, tempore & locô quàm fuerunt, idque propter præpoſterum imaginum ordinem, ita ut confundat pervertatque omnia, verbi causâ, quæ Titii ſunt Mævio tribuat, vel ex adverſo. Mentionem facit Ariſtoteles cujuſdam Antipherontis Oreitæ, aliorumque inſanorum qui rerum quas mente volvebant ceu quondam geſtarum falſo recordabantur. Verùm hi putati memoriæ errores videntur potiùs, vel ad debilitatam memoriam, vel ad deviam imaginationem eſſe referendi.

Subjectum hujuſce morbi eſt cerebri ſubſtantia, præſertim circa partem poſticam in quâ, utpote ſicciore, memoria clariùs exſplendeſcit; nam ut phantaſia in Regiæ ſalutatoriô, ſic memoria in ejus adytô magis ſita eſt. Veruntamen cùm imaginatio & memoria in quâlibet cerebri provinciâ miniſteria ſua exequantur; ſic permoleſta anterioris cerebri offenſio ſufficit aliquando percellendæ memoriæ, ut patet ex Hiſtoriâ à Rondeletiô narratâ viri Græcè & Latinè ſcientis qui, enſe in oculum alte adactô, literas à primis elementis iterum diſcere opus habuit; etſi Rondeletius propter orbitam oculi intimè locatam, poſterius quoque cerebrum gladiô vitiatum fuiſſe opinetur.

Cauſa proxima lapſæ memoriæ in univerſum gemina eſt, cerebri prava conformatio, ejuſque intemperies.

Prava conformatio, puta deficiente à naturæ primordiis poſteriore capitis gibbô, ſicut econtrario illi excellunt felicitate memoriæ quibus poſtica capitis ἐξοχὴ protuberat. Attamen circa amplitudinem laris memoriæ modus ſervari debet, ſcribit namque Ariſtoteles lubricam eſſe memoriam τῶν νανωδῶν, hoc eſt pumilionum, quibus ſuperiora reſpectu reliqui corporis vaſtiora ſunt, quoniam τὸ αἰσθητικὸν premitur onere inutili & ingeſtabili, nec cùm reminiſci volunt facilè εὐθυπορεῖν.

Ut perſpiciatur cerebri intemperies memoriam labefactans, perquirenda eſt naturalis ejuſdem temperatura ipſam ſtabiliens.

Docuit Hippocrates animam ex aquâ & igne temperatam non modò eſſe ſapientiſſimam, ſed memoriâ quoque conſtare valentiſſimâ; nec eſt proindè quòd plebeiæ opinioni ſubſcribamus, Naturæ, Genium nulli ita proſperè aſtulſiſſe ut judicii & memoriæ velut contrarias exoptantium cerebri diſpoſitiones, ſimul ſit compos, ſed inſtar lancium in trutinâ, alterô horum elatô, alterum neceſſario deprimi. Multis enim viris prudentiſſimis memoria ad uſum non ſuffecit modò, ſed ad miraculum uſque proceſſit, verùm phyſica hæcce veritas exemplorum faculis illuſtranda eſt. Artaxerxes à præſtantiâ memoriæ Mnemon cognominatus fuit. Themiſtocles & Scipio quanquam maximarum rerum curis diſtricti, civium omnium, ille Athenienſium, hic Romanorum nomina calluerunt, ac Themiſtocles ad Xerxem confugere coactus intra anni ſpatium Perſicam linguam, quo Regi gratior foret, perfectè condidiciſſe fertur. Cyrus militum ſuorum nomina tenuit, adeo ut abſque monitore numeroſiſſimum exercitum ſalutaret. Nicias Athenienſis infelix illud prælium navale adverſus Syracuſanos commiſſurus, Trierarchos nominatim & patriis & tribuum nominibus appellans, hortatus eſt ut fortiter pugnarent. Cyneas miſſus à Pyrrhô Legatus ad Romanos, poſterô die novus homo & Senatum & omnem urbanam circunfuſam Senatui plebem nominibus ſuis perſalutavit. Mithridates duarum & viginti gentium Rex, totidem linguis jura dixit, pro concione ſingulas ſine interprete affatus. Cæſar ſimul dictabat, ſcribebat, legebat & audiebat; idemque prodidit de Adrianô Imperatore Spartianus. Charmidas omnia quæ in Bibliothecis exegerat volumina, legentis modô repræſentavit. Senecæ Rhetoris adeò exprompta fuit memoria, ut duo millia nominum recitata ordine referret, ducentoſque verſus ab ultimô incipiens κατ' ἀνάκλισιν ϗ ἀναποδισμὸν redderet. Cicero divinam rerum memoriam Lucullô tribuit, verborum majorem Hortenſio. Simonidem aiunt in extremâ ſenectâ de memoriâ gloriantem vulgaſſe hoc diſtrichon,

> Μνήμῃ δ' οὔτινα φημὶ Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
> Ὀγδωκονταέτῃ, παιδὶ Λεωπρέπεως.

Unde ſupra Simonidem memor olim dictum fuit proverbiali hyperbole. Poſtremò haud ita pridem Scaliger trium hebdomadarum intervallô, Homeri Iliada & Odyſſeam hoc eſt pluſquàm ſexaginta tria verſuum millia memoriter addidicit.

Obiter autem notandum qui poſthabitis judicii actionibus memoriæ roborandæ toti ſe dedunt, illos ſtare memoriâ, ſimulque imprudentes eſſe ac memores; nec tamen vice verſâ, eos prudentes fieri atque immemores qui miſſis memoriæ officiis judicium ſuum exercitant; illa ſiquidem incultô judiciô coli poteſt non econtrario, quòd prudentia egeat ſubſidiô memoriæ, utpote experientiam requirens in plurimarum rerum præteritarum obſervatione & recordatione poſitam: nam ſi Mnemoſyne mater eſt Muſarum, oportet earum avia ſit experientia, meritoque ratiocinatio definitur ab Hippocrate, memoria quædam ξυνθετικὴ componens ea quæ ſenſu percepta ſunt.

His ita ſtatutis dicimus à triplici cerebri intemperie memoriam proſterni, frigidâ, humidâ, atque ſiccâ.

Frigida intemperies vim primùm infert diſpoſi-

ſpoſitioni cerebri quæ memoriæ opportuna eſt, deinde ubi invaluit, temperamentum violat imaginationi deſtinatum: ut enim ad illam quam ad hanc potentiore opus eſt calore, ſic frigoris adventu memoria priùs imaginatione ſubvertitur; quapropter in ſenibus nondùm diſſolutô imaginationis vigore, memoria perſæpè enecatur.

-------Pima langueſcit ſenum
Memoria, longô laſſa ſubſidens ſitu.

Aliquis forſan objiciet imaginationem eſſe virtutem activam; memoriam verò eſſa facultatem paſſivam, ideòque illi quam huic plus caloris deberi. Reſpondemus Primò memoriam revera eſſe potentiam activam, retinêre enim imagines annon agere eſt? Etſi paſſiva dici mereatur comparatè ad imaginationem natura ſua acrem magis ac δραστικήν. Deinde dicimus imaginationem amplius dimidiô temporis feriari ab opere, ſicque minùs caloris ac ſpirituum indigêre quam memoriam imaginum complexui indeſinenter vacantem.

Secundò humoris exceſſus opitulatur quidem receptioni imaginum, ſed quoniam retentatrici virtuti adverſus eſt, labilem reddit memoriam; hincque εὐμάθεια diſcendi velocitas, ſed diſciplinæ contractæ, ſicut fructuum æſtivorum, fuga facilis atq; prona. Quemadmodùm myopes cernunt propinqua, caligant ad longinqua; ſic cerebrum humentius rerum recentium meminit, remotarum obliviſcitur. Leviores autem ſunt memoriæ lapſus à madente quam à frigente cerebrô, non tantùm propter humiditatis quam frigoris vim minus ſtrenuam, ſed maximè quod frigiditas utramque ſimul perdat memoriæ operam, ſcilicet ſpecierum & receptionem & conſervationem, humiditas verò uni officiat imaginum retentioni. Utriuſque autem qualitatis combinatio, memoriæ ſimilitèr ac menti plane peſtifera eſt. Ità Claudius Cæſar, mortalium ſtupidiſſimus, adeò madida erat memoria, ut occiſa meſſalina, paulo poſtquam in triclinio decubuit, cur Domina non veniret, requiſierit; multoſque ex eis quos capite damnaverat poſterô ſtatim die & in convivium & ad aleæ uſum admoveri juſſerit & quaſi morarentur, ut ſomniculoſos per nuntium increpuerit.

Tertiò cerebrum immenſe aridum rigidum & veluti lapideum, acceptarum ſpecierum eſt quidem retinentiſſimum, ſiccitas enim harum continentiæ auxiliatur, ſed ab imaginibus noviter allabentibus vix tangitur undè δυσμάθεια. Ejuſmodi homines doctrinam ægrè admittentes eamdemque firmiter retinentes, vaſis anguſti oris, æneiſve tabulis ritè aſſimilantur à Plutarchô. Senum eſt hæc infirmitas, qui ut objecta procul diſſita rectius intuentur, quam vicina, ſic rerum vetuſtarum quam novarum meliùs recordantur; mirumque excidere proxima, vetera inhærere, heſternorum immemores, acta pueritiæ in digitos mittere.

Præfervidam cerebri intemperiem quod attinet, illa non per ſe ſed ex accidenti injuriam facit memoriæ, videlicet calidum nativum depopulando, ùt poſt febres æſtuoſiſſimas: iſtudque memoriæ detrimentum vel nuſquam vel nonniſi longiſſimô temporis intervallo reſarcitur. Addunt imaginum, dum à calore κυρκανῶνται atque conturbantur, catenationem & quaſi chorum diſſolvi; item ab ideis polydædalis imaginationem, ut in deliriis, huc illucve avocari. Verùm hæcce vitia phantaſiam ſpectant magis quam memoriam; quomodo etiam ſani ſi avertantur inter recitandum ἀπὸ στόματος, narationis telam nequeunt pertexere, atque ad repetendam interrupti ſermonis ſeriem, manum oculis admovent, ne externa objecta animum diſtrahant.

Cauſis manifeſtis memoriam ſubducentibus, occultæ adjiciuntur; venena nimirum vel interna vel externa, ſic à febre Attica ſuperſtites completa rerum omnium ἀμνημοσύνῃ correptos eſſe ſuperius dicebamus; ſic Bamba Rex Gothorum hauſtu veneni ab Eringio ſucceſſore propinati memoria orbatus eſt; ſic Antonii milites è Parthiâ revertentes, eſu cujuſdam herbæ repentè memoriâ exuti ſunt; ac licentior narcoticorum uſus memoriam tandem torpefacit.

Variat quoque memoria pro ratione temperamentorum & ætatum. Atquè ut melancholici propter moderatam cerebri ſiccitatem, ac mentem cunctabundam quæ in rerum propoſitarum meditatione obſtinatius defigitur, florent memoria; ſic bilioſi quoniam præceleres ac impendiò volucres, ob cogitationem perfunctoriam, ex eventu ſunt δυσμνημόνευτοι, ſed ob eamdem diſcurſus rapiditatem præſtant reminiſcentia; recteque notavit Ariſtoteles perſæpe contingere, ùt tardi ingeniô (melancholicos intelligit non pituitoſos & hebetes) ſint μνημονικώτεροι memorioſiores; mente autèm celeres, quales bilioſi, ἀναμνηστικώτεροι reminiſcentiores. Perperam hic nonnulli titubantem bilioſorum memoriam, cerebro illorum ſicciſſimo & quaſi occallato adſcripſerunt; hi namque melancholicos ariditate non ſuperant, ac profectò inſignis & quaſi inflexibilis, uti volunt bilioſi cerebri durities cogitatricis facultatis promptitudinem reprimeret ac frænaret.

Languidiſſima eſt ac fermè nulla infantulorum memoriola, partim quod cerebrum mollius ac dilutius veluti rimis plenum perpluat, ſpecieſque omnes quæ in vas memoriæ infunduntur, tanquam è pertuſô Danaidum dolio, citò citiùs effundantur; partim quod ignaviſſima eorum imaginatio ſpecierum retentionem non promoveat. In pueris memoria jam incipit eniteſcere, uſque dùm pubertatis adventu evadat lætiſſima, ob exundantiam non madoris aquulenti, ſed humidi pinguis & craſſi in quo morantur ſimulacra nec præterfluunt, pariter ac aquariæ picturæ facilis eſt litura, oleatis verò manet indelebilis; vel potius quod ubertas humidi oleoſi atque primigenii ſimul cum calore nativô non amplius oppreſſo ſed micante, actiones omnes ac imprimis memoriam vegetet. Adde quod puberibus νεήκοοις ac imperitis omnia nova ſint, novitas admirationem pariat, admiratio attentionem, attentio fortem apprehenſionem, fortis apprehenſio firmam memoriam; ita ut non pauci Ephebi ſint analectæ ac quæcunque viderint audierintve, habeant ad manum, ac eorum quæ homines rudibus annis didicere conſtans ſit memoria,

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Senes verò duplices ſunt, vel ἐσχατογέροντες & acherontici ſummam atquè occiduam pulſantes ſenectam, vel ὠμογέροντες quorum cruda eſt viridiſ-

que ſenectus; priorum memoria caduca eſt ac pene ſepulta, unde γεροντικῶς ἐπιλήσμων communi proverbiô dicitur de homine obliviosô; poſteriores verò εὐγηρίᾳ gaudentes, ob cerebrum duriuſculum & quaſi corneolum acquiſitas olim imagines tenaciter ſervant, ſed recenter oblatas reſpuunt. Exiſtimant nonnulli, ſicut infantilis memoria laborat inanitione ac nuda ſunt ejus antra, ita ſenilem memoriam nimia teneri repletione, ſpeciebuſque jam pridem acquiſitis adeò imaginoſam eſſe ut novis ſpectris reponendis nulli plutei ſuperſint. At contra fundus memoriæ ſufficit capiendæ innumerarum imaguncularum multitudini, utpotè ſi naturâ ſuâ non plane incorporearum, ſaltem ἀπερινοήτως exiguarum atque minutarum, cùm in anguſtô pupillæ ſpatio, imò in uno aëris puncto infinitæ diſtinctæque imagines conſiſtant.

Ariſtoteles infantium ſenumque profluam memoriam retulit in continuum cerebri veluti fluxum, in illis ex genuino incrementi officio, in his è fatali decrementi jactura, perinde ac ſigillum in amnem profluentem impreſſum nihil obſignat. Sed contra, lentæ ſunt ac inſenſiles iſtæ mutationes, tantum abeſt ut fluminis curſum exæquent; in infantibus autem ac ſenibus repentinus fit rerum proximè actarum ac viſarum elapſus, nec idcirco cauſæ tarditas reſpondet effectus celeritati. Deinde ſequeretur puerorum quàm ſenum memoriam magis ceſpitare ob motum in cerebro velociorem, ſcilicet majorem illorum accretionem quàm horum decretionem, quod tamen experientiæ refragatur. Tandem quantumvis concederetur imminuti ſenilis cerebri, ceu veteris ruinoſique ædificii, imagines evaneſcere, falſo tamen concluderetur eodem in infantibus adaugeſcente ipſas diſperdi, puberibus quippe florida memoria fruentibus, tametſi brevi tempore in proceram aſſurgant ſtaturam.

Cauſæ externæ quammultæ memoriam debellant. Aër vel impenſe frigidus, ut contigit quibuſdam militibus, per loca nivoſa iter agentibus; uel paludoſus, δνοφερὸς ac Auſtrinus, quamobrem Thracibus, referente Ariſtotele, memoria adeo vacillabat ut ne quaternarium quidem numerando potuerint tranſcendere. Δίαιται in ſpecubus ac metallorum fodinis. Aquarum algidiſſimarum potus; in Bœotia ad Trophonium Deum juxta flumen Orthomenon, duo ſunt fonntes, quorum alter memoriam affert, alter oblivionis latice memoratur, inde nominibus inventis, nam ille μνήμη dicitur, hic λήθη infernis, ut fama eſt, trahens oblivia venis. Lucubrationes aſſiduæ ac ſtudia indefeſſa quæ nulla recreantur feriarum hilariitate. Immoderati mulionum perpetuariorum labores; hinc, Galeno autore, cujuſdam agricolæ, ob labores quos vites colendo ſubierat tenuemque victum memoria ſublapſa eſt. Vacuationes omnes immodicæ. Sæva animi pathemata, ut φροντίδες ἐχ' ἐνδύμοι inanes curæ, præſertimque ingens ac inopinatus terror; ſic Artemidorus Grammaticus, apud Aurelianum, calcato crocodilo qui jacebat in arena, literarum memoria caruit oblivione poſſeſſus:

His etenim de cauſis non modò deficiunt ſpiritus ſed ipſamet memoriæ officina debilitatur & frigeſcit; neque enim ſpecies ſpiritibus ſed ſubſtantiæ cerebri radicaliter inhæreſcunt, ſecus ſpiritibus per leipothymias aliterve diſcuſſis, omnes ſimul imagines ventis traderentur; imò nec amplexus imaginum actio eſſet animæ, quòd ſpiritus ſint inanimi.

Validæ etiam capitis ac præcipue occipitis percuſſiones memoriam excutiunt; quidam ex præalto tecto lapſus propinquorum omnium cepit oblivionem. Iſtaque memoriæ reſolutio reliquo vitæ curriculo interdum perſeverat, vel propter inemendabilem quæ ſupereſt cerebri intemperiem ac imbecillitatem, vel quòd facta cerebri compreſſione denſius fiat & quodammodo calloſum memoriæ habitaculum ideoque ſpiritibus animalibus vix pervium. Sed, quod miremur, refert econtrario Petrarcha Clementem Sextum Pontificem Romanum poſt acceptam capitis plagam feliciſſimæ fuiſſe memoriæ, forte quod cerebrum rariore præditum ſubſtantiâ ad debitam naturalemque denſitatem percuſſionis ope redactum fuerit. Quicquid ſit novum non eſt quoſdam cerebri morbos inflictis capiti ictibus foras extrudi; nam Eumelus quidam, apud Hippocratem, à crurum, manuum & maxillarum rigiditate liberatus fertur, ſtatim ac cecidit ſupinus caputque fortiter ad caput alliſit, ſeu cerebro quod opprimebatur exinde ſuſcitato cauſamque morbi diſſipante, ſeu materia morbifica plagæ impetu extra cerebri limites expulsâ exterminatâ, ejectâ;

O quantum eſt ſubitis caſibus ingenium!

Ut memoria vigeſcit cura, ſic negligentia ceu ſitu putreſcit & marcet; ac idcirco quicunque recordandi habitum parare cupiunt, iteratis actionibus memoriam firmare, hujuſque organum reſiccare debent; τὸ γὰρ πολλάκις φύσιν ποιεῖ, inquit Ariſtoteles: ac memoria λάμπει ἐν χρείαισιν ὥσπερ εὐπρεπὴς χαλκός, uſu ſplendeſcit ut æs uſibus niteſcit.

Quemadmodum qui in cœnâ dubiâ aſſis miſcent elixa & conchylia turdis, ventris τῷ ἀγγείῳ quaſi turbis ac tumultu divexantur; ſic varietas atque ut ita dicam, crapula promiſcuæ lectionis necnon κατακλυσμὸς τῶν πραγμάτων rerum agendarum moles, memoriam obruendo huic per accidens officiunt; nam ſpecierum ἐνάρθρων καὶ ἀσυγχύτων ſimul articulatarum & inconfuſarum ordo, præcipuum eſt memoriæ lumen, ac recordatio juvatur ſignatis animo certis illarum ſedibus, ut patet è memoria artificiali inventa à Simonide Melico, conſummata à Metrodoto Sceptio, qua arte tactica inſtructi nihil non auditum iiſdem verbis reddunt. Specierum igitur ſibi invicem agminatim occurſantium & ut unda undam ſeſe propulſantium copia creat ἀταξίαν, diverſitas verò obſtat connexioni, nam conjunctio rerum eſt affinium; hinc præceptum multum legendi non multa, ut robur addatur memoriæ. Adde quod animi ingenti flumine ſpecierum inundati non ſedula fit ſed ſegnis ac incurioſa ad ſingulas applicatio, unde objectorum quæ manè animadtimus facilius recordamur quàm quæ procedente die, cum jam ſpecierum caterva atque colluvio fartim preſſimque per ſenſus intrans animum disjicit; quibus rationibus adjungi poteſt refectos ſomno ſpiritus matutinis horis magis luxuriare, ac idcirco Auroram tanquam Muſis amicam jure jactari, adeo ut non inſcitè dictum

fuerit, illud ipſum ſomni tempus quod memoriam aufert, memoriæ benefacere.

Propter phantaſiæ uni objecto affixæ pertinaciam, hominum alii circa amores, alii circa luſus alii circa opes, alii circa lites, alii iique ſecundioribus avibus nati circa Philoſophiam, pro variis ipſorum inclinationibus maximè memores ſunt: quinimò aſinus, animal minimi intellectus, pauca quidem ſed firmiſſime retinet, ac præſertim itinerum quæ ſemel vel iterum emenſus eſt ambages & flexus felicius quàm homo recordatur, ſicut etiam apud ruſticos homines, mutis animalibus affines, locorum imagines ſignatiſſimæ ſunt.

Rerum inſuper quæ frequentata cogitatione, ceu ejuſdem cibi molitura, animo non volutantur, ſpecies vix ſalutant templi memoriæ propylæum, ſed veluti præſenti officio functæ nihil in poſterum debeant tanquam dimiſſæ diſcedunt, ac tam cito ferme refiguntur quàm figuntur; ſicut econtrario crebra primarum imaginum repetitione atque replicatione, ac eorum quæ diſcendo imbibimus recoctione & ruminatione, memoria fit adminiculatior, nihil perdit, niſi quòd ſæpe non reſpexit, aiebat Seneca:

Dediſcit animus ſerò, quod didicit diu,

quâ pariter ratione, magna omnia; amœna ac formidabilia, in cerebro, quaſi vi ignis in incauſto, altius inſcripta firmiores in memoriæ ſolo agunt radices ob majorem latitudinem gradualem virtutis repræſentativæ ſpectrorum phantaſticorum.

Certum eſt quoque objectum cujus unica fuit ab externo ſenſu perceptio, vix arripi à memoria; atque ex adverſo crebram ejuſdem objecti ſenſationem favere recordationi: nam ſicut è geminis luminibus unum clarius lumen conflatur; ita è pluribus ejuſdem objecti ſpeciebus copulatis una ac inſignitior imago fabricatur; ſed potiſſimum diverſæ iſtius objecti περιστάσεις memoriales ſunt; propter ſpecierum mutuo ſe advocantium nexum, exempli gratia, ſi quis Titium viderit nunc ſaltantem, nunc comedentem, nunc navigantem, habet Titii ſpeciem in memoria ſociatam cum ſaltu, eſu ac navigatione, atque ita Titii melius meminit.

Poſtremo hic locum habet natura objectorum, nam eorum quæ audivimus ac præſertim quæ vidimus, recordamur magis quàm eorum quæ olfecimus vel guſtavimus. Cauſam afferunt nonnulli, juxta tritam de ſpeciebus in cerebro ſigillatis opinionem, quod rerum audibilium ac præcipue viſibilium imagines, quoniam longius diſpergi debuerunt, violentius evibrentur ab objectis ſicque cerebro profundius inſculpantur & quaſi trabali clavo in ipſo figantur, ὄψις, inquiebat Plato apud Plutarchum, ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται παθημάτων, Viſio omnium quas corpore percipimus affectionum, eſt acerrima. Nos verò exiſtimamus viſu quàm cæteris ſenſibus corporum figuras, motus, actiones atque loca diſtinctius internoſci, ſicque objecta viſibilia rebus iſtis annexa & quaſi complicata expeditius ac expreſſius animo repræſentari.

Memoria, bonum ſummopere neceſſarium vitæ ac præcipue Apollineum ſacrarium ingreſſis, ex omnibus tamen animi partibus maxime delicata eſt atque fragilis, ac morborum caſibus atque cauſarum externarum vi facillimè eliditur: hinc memoria prima eſt ſenectutis præda, ac oblivio mortis inſtantis ἀῤῥαβὼν dici poteſt; ſicuti enim Mnemoſyne apud Apollinem, ita Lethe apud Plutonem ſtatuitur habitare, morſque vocatur in ſacris paginis, Terra oblivionis.

Quibus capitis dolor, ſonitus aurium, vertigo tenebricoſa, manuumque torpor adſunt ſine febre; hos vel apoplecticos, vel epilecticos vel obliviosos fore expecta: Iſta namque ſigna pituitam in cerebro regnantem arguunt.

Oblivio repente obrepens mala interminatur cataphorica, propter pituitoſam cerebri plenitudinem.

Μετὰ ῥίγεος ἄγνοια, κακὸν· κακὸν δὲ καὶ λήθη, ob metaſtaſin humoris ad cerebrum.

Funeſta eſt oblivio ἐξ καύσου πολλοῦ calidum nativum deprædantis, ſic Apollonius ardenter febricitans, factuſque immemor, trigeſimo quarto die naturæ conceſſit.

Demum experientia compertum eſt homines, oborta στερήσει τῶν ὀφθαλμῶν, ereptam ſibi memoriam, quaſi prodigio, interdum recuperaſſe: tunc enim ſenſus internus περιόδοισι θύρῃσι ἐμφραχθείσαις, feneſtris obturatis per quas proſpectus eſt in viam, foras non evocatur, ſed ſtat interius, ac cerebri potentiæ é recurſu ſpirituum novas recuperant vires.

Curationes.

In memoriâ deperditâ revocanda præſertim apud ſenes, multum prodeſt pulvis Trithenii.

♃. Macis, cubebar. caryophyll. an. ʒ vi. fol. ſenn. chryſtallor. tartari, zinziberis, chamæpythios an. ʒ v. rad. calam. aromat. gentian. ſem. cumin. ſiler. mont. aniſ. ameos, dauci, petroſel. ſpic. nardi Indic. an. ʒ ß. magiſter. corallor. perlar. an. ʒ ii. Redigantur ſ. a. in pulver. Doſ. ʒ i. accipiat primò menſe mane & veſperi tribus ante cibum horis in vino, vel etiam brodio; ſecundo menſe tantum mane; tertio menſe mane ter in hebdomade; quarto menſe bis in ſeptimana, & ſic deinceps per aliquot menſes.

In memoria confortanda & reſtauranda mirifice valet aqua Magnanimitatis repetenda ex medullæ deſtillatoriæ parte ſecunda Conradi. Elegantius valet, ſi cum ea extrahantur ſpecies Anacardinæ, cujus eſſentiæ gr. 3. 4. 5. 6. in ſeptimana ſemel, bis vel ter exhibitæ in vino, vel aq. lavendul. unicè proſunt.

NB. In bilioſis & ſiccioribus hâc aquâ circumſpectè utendum: valde nimirum exſiccat: rarior ergo uſus eſto in hujuſmodi hominibus, qui in melancholicis & pituitoſis potiſſimum tutior eſt. *Joh. Hartmannus in Practica Chymiatrica.*

In memoriæ læſione ♃. Eſſent. meliſſ. roriſmar. an. ʒ i. ambr. gryſ. tinct. ſuccin. an. ʒ ß. M.

Vel ℞. Spir. ſal. ammon. ſuccin. aromatic. ſpir. C. C. an. ʒ i. tinct. ſuccin. caſtor. ambr. an. ʒ ß. M. Doſ. à gut. xv. ad ℈ i. mane & veſperi.

♃. Sal. cran. hum. aromat. ʒ ß. aq. lavend. major. an. ℥ ii. M. Doſ. cochlear. j. bis in die.

In India. ♃. Sal cranii rinocerotis ʒ ß. ol. ſtill. macis calaminth. an. gut. v. cinnam. cardam. ſylveſtr. an. gut. 3. ſacchar. candidi ℥ i.

M. Doſ. à ʒß. ad ʒ i. mane & veſperi.

Vel ℞. Conſerv. flor. cinnamomi, cardamomi ſylveſtr. an. ℥ i. eſſent. ambr. gryſ. tinct. caſtor. cinam. ſuccin. an. ʒß. ol. ſt. calaminth. cardam. ſylveſtr. an. gut. vi. M. Doſ. ʒ i. mane & veſperi.

Vel ℞. Conſerv. flor. marmellæ, cardam. ſylveſtr. an. ℥ i. ſpecier. dialunæ ʒ ii. M. Doſ. ʒ i. ad ʒ ii. mane & veſperi.

In Europa. ♃. Conſ. flor. anth. lavend. primul. veris, lilior. convall. an. ℥ß. magiſter. lunæ ʒ i. ſuccin. ʒß. ol. ſt. lavend. roriſmar. an. gut. vi. tinct. caſtor. ℈ i. m. f. conditum. Doſ. à ʒ i. ad ʒ ij. mane ac veſperi.

Vel ♃. Conſ. roriſmar. beton. an. ℥ j. nucis Indic, condit. myrobolan. condit. an. ʒß. magiſter. lunæ ʒ j. magiſt. ſuccin. ℥ ß. extract. caſtor. ℈ j. ſal. ſuccin. volat. ʒß. ol. menth. gut. 8. M. Doſis ut ſupra.

Elixier. ♃. Elixyr. proprietatis ʒ ij. tinct. ſuccin. ʒ j. tinct. caſtor. ʒ ß. ſpir. ſal. ammon. arom. ℈ ij. M. Doſ. ℈ j. mane & veſperi in vino calido.

Viro nobiliſſimo 50. annorum, complexione phlegmatico, nimia literarum ſtudia memoriæ debilitatem induxerant. Ego inrerrogatus ab illo, conſului ut bis in menſe ſequentibus uteretur pilulis.

♃. Pilular. aloephanginar. ʒß. reſin. ſcammon. gr. 8. magiſter. ſuccin. gr. 3. extracti caſtor. gr. 2. ſal. ſuccin. gr. v. ol. majoran. gut. 2i M. F. pilulæ num. vii. Deaurentur. & veſperi deglutiantur. In reliquis verò diebus in quibus haud purgabatur, mane & veſperi, dedi cochlear unum hujus miſturæ.

♃. Eſſent. ad membra ʒ j. aq. lilior. convall. ſalv. an. ℥ i ß. primul. veris, lavend. an. ℥ i. ſyr. perlarum ℥ i ß. M. Brevi ſic rurſus confortata eſt ejus memoria.

Conſultationes.

Memoriæ imminutio.

Ann. 1661. ſub finem hyemis, cujus auſtrina & humida fuerat conſtitutio. Dominus Laurentius Henning, Camerarius Colbergenſis, ſexaginta trium circiter annorum, curis & animi mærore aliquandiu affectus nullo præcedente vel comitante morbo, in eam memoriæ imbecillitatem imminutionemque incidit, ut præteritorum, niſi monitus, ægrè recordaretur, quin & præſentium, ſeu dictorum, ſeu factorum ſubitò obliviſceretur, eademque interrogata, per momenta quaſi repeteret; ſalva tamen ratiocinatione & phantaſia.

Reſolutio.

Memoria ut rectè ſe habeat, requiritur. I. Bona cerebri temperies, certuſque caliditatis & humiditatis gradus, quò & occultæ qualitates & modus ſubſtantiæ pertinent: Neque enim ſufficit ut cerebrum bona temperie ſit præditum, niſi & ſubſtantia ſit ſubtilis, tenuis & non craſſa. In tenui enim ſubſtantia ſpir. animales moventur expeditius, in craſſa verò impediuntur: Unde & Galenus in Arte parva cerebrum tenuitatis moderatæ, fomitem memoriæ cauſamque præcipuam eſſe arbitratur. II. Juſta cerebri quantitas, figura & conformatio: Si enim cerebrum eſt nimis parvum, paucus etiam in eo eſt calor: ſi nimis magnum, calor in eo quaſi diſpergitur, præſertim ſi exiguus ſit, nec quantitati cerebri reſpondeat: Sic qui figuram capitis habent minùs decentem ſtupidi plerumque ſunt & obliviosi: Figura autem cerebri imitatur figuram cranii. III. Unitas; vulnerato enim, vel percuſsò cerebrò; plerumque etiam functiones quæ in eo fiunt, læduntur, & potiſſimum memoria, ut videre eſt apud Plinium natural. hiſtor. lib. 7. cap. 34. & Rondelet. in fine libri method. curand. morbor. IV. Spirituum animalium recta conſtitutio; nimirum ut ſint temperati, ſubtiles, lucidi & mobiles.

Hæc omnia ſi rectè ſe habeant, rectè etiam ſe habet memoria, ſin minùs contra fit. In præſenti caſu temperiem cerebri à moderatâ caliditate & ſiccitate quam habuit, ad frigiditatem, & eam quæ plerumque ſequi ſolet, humiditatem, deflectere, ſtatuo, cùm ob ætatem & ſenſum, in quò caloris eſt parum, & multum excrementorum, tum ob curas & mœrorem, quibus concoctionem vitiari, corpus refrigerari, ſpirituſque diſſolvi & abſumi certum eſt. Nec parum hic facere potuit auſtrina per integram hyemem aëris conſtitutio, & domicilium in decliviore urbis, quæ occaſum ſpectat, parte ad aquas poſitum in quo omnem ſuam ſupellectilem ſitum facilè contrahere ſæpe mihi conqueſtus eſt æger, aëremque in conclavi, niſi apertis feneſtris eventiletur, ſqualidum ipſe non ſemel deprehendi. Quantam autem corpora noſtra, & præcipuè cerebrum alterandi vim habeat aër prolixè docet Hipocrat. lib. de aëre, aquis & locis. Galenus 6. Epidem. comment. 6. tit. 8. & manifeſtum hoc eſt in catarrhis aliiſque cerebri affectibus. Cùm verò à frigiditate & humiditate cerebri ſpiritus animales ad actiones inepti reddantur, mirum non eſt ob hanc ipſam cauſam in ſexagenario hoc bene memoriam imminutam. Quemadmodum enim infantes ob nimiam humiditatem, quâ calor obruitur, ſic ſenes ob caloris & ſpirituum penuriam operationibus mentis parum valent. Hinc Ariſtoteles in ſenibus & pueris unam oblivionis cauſam agnoſcit, quòd cerebrum utrorumque ſit humidiſſimum, illorum quidem propter decrementum, horum verò propter augmentum: Et Scaliger in puero multa excrementa, in ſene etiam aliena eſſe ſcribit. In infantibus quidem calor eſt copioſiſſimus, ab humiditate tamen obruitur: In ſenibus verò calor eſt debilis, & multa ſunt excrementa. Et ſi verò quæ a tatis ratione accidit memoriæ imminutio, curationem ægrè recipiat, attamen cùm viribus ſatis conſtaret, nec decrepita, ſed γηρῶν & mediæ ſenectutis eſſet æger, inhumanum eſſe duxi virum optimum ſive omni ſalutis ſpe relinquere, ac proinde.

Ad temperiem cerebri frigidam & humidam corrigendam, pituitamq; quæ cum ea conjuncta erat, præparandam, præmiſſa viarum communium purgatione, præſcripſi mixturam ex incidentium, attenuantium & calefacientium cenſu, additis cephalicis, in hunc modum.

♃. Aq. lign. ſaſſafras ℥ iv. ſerpill. major. hyſſop. beton. an. ℥ iij. meliſſ. ℥ ii. eſſent. ſalv. roriſmar. an. ℥ j. oleoſacch. fœnicul. q. ſ. ad grat. ſapor. M. pro vi. doſib. Hinc ad evacuationem

nem materiæ præparatæ, dedi pilulas.

℞. Maſſ. pilular, noſtr. cephalicar. extract. noſtr. phlegmag. an. ℈ß. magiſter. agarici gran. ix. ol. ſt. nucis moſchat. gut. 3. M. cum aq. beton. fiant pilulæ.

Poſtmodum ad calidum nativum inſtaurandum, & ſpiritus torpidos excitandos, cephalica quædam & appropriata, quæ non tantùm manifeſtis, ſed & occultis qualitatibus memoriam confortant caputque roborant, exhibui, qualia ſunt aqua ſaphorum Dornereilii, magnanimitatis Hartmanni, cephalica Caroli V. Imperatoris, elixyr Peuceri, pulvis Trithemii, electuarium meum cephalicum, tinctura lunæ eſſentia ambræ, meliſſ. roriſmar. &c. Ex his, modo unum, modò plura invicem mixta cum vehiculis convenientibus obtuli: Interdum etiam ad evitandam in morbo contumaci & diuturno nauſeam, ab omni medicamentorum exhibitione abſtinui, niſi quòd interna ex conditis cephalicis, nuce ſcilicet Indicâ myrobalanis Chebulis, radicibus, acori & ſimilibus, palato non ingratis, tantillum delibaret æger.

Experiri etiam inter alia placuit famoſam illam ſapientum confectionem ex anacardiis ſine butyro, ſed non ſine caſtoreô præparatam; neque enim aſſentiri illis poſſum; qui caſtoreum omittendum putant, cùm nihil ſit quod ſpiritus animales torpidos magis excitat, ac hoc ipſum.

Cæterum & externa quædam adhibita, tinctur. nimirum ligni ſancti. aqua hederæ arboreæ occipiti cum petiis duplicatis calide applicata: Capitis etiam lotiones cum lixivio, in quo folia lauri, majoran. meliſſ. roriſmar. flores lavendul. lilior. convall. chamæmeli, radices aſari iridis, &c. ebullierint, inſtitutæ; fricando ſubinde inter lavandum caput agarico crudo, qui pituitoſum humorem egregiè extrahit. Et cùm odores etiam cerebro robur quoddam afflare ſoleant, balſama appropriata naribus, occipiti & temporibus inungenda commendavi; non neglectis particularibus capitis, per errhina & apophlegmatiſmos evacuationibus. Interea & victum morbo & ætati convenientem præſcripſi; Verùm cùm ſic nihil perficerem, præparantia & purgantia denuo repetivi; Nunc, dum hæc ſcribo, roborantibus iterum, & appropriatis cephalicis, & memoriam confortantibus utitur æger, quô eventu. dies docebit. ut autem ſalutaris ſit, Deum precor *Baldaſſar Timæus Caſuum Medicinalium lib.* I.

Memoria Imminuta.

Nobilis ſenex ſexageſimum quartum annum agens, temperamenti calidi & ſicci, maxime hypochondriorum; & capitis, habitus quondam mediocriter carnoſi, nunc vero ad gracilitatem tendentis, faciei ſubpallidæ, negotiis magni momenti toto fere vitæ temporis implicitus, quinimo ſtudiis non parum addictus. Tempore Juventutis in iram & Venerem fuit pronus, ex qua Gallicam labem contraxit, quæ Decocti aliorumque medicamentorum ope (ut ait) extirpata fuit. Variis inde affectibus hypochondriacis ſuccubuit, pro quorum extirpatione minerales aquas, Balnea multaque refrigerantia interna cùm tolerantia non tantum, ſed cum conferentia potavit. Nunc vero paucis abhinc annis, ab illis nempe quibus aëre Mantuano frui cœpit, de iiſdem ſimilibuſve ſymptomatibus conqueritur; duo tamen præ cæteris accuſat, unum circa infimum ventrem, alterum circa ſupremum. Primum eſt ſtypticitas alvi adeo moleſta & continua, ut vix alicujus medicamenti impulſu pauca ſicca & denſa deponat; Medicamentum autem eſt, caſſiæ modicum ante cibum, quod loco pilularum quas capere ſolebat, conſilio Medici in uſum identidem revocat. Huic accedunt querelæ de mala cibi digeſtione & de multo calore in ſtomachi regione; accedunt hypochondria ad tactum pariter valde calida, cum aliquali tenſione; rugitus frequentes & hujuſmodi alia quæ tunc maximè, quando cœna eſt aliquanto largior, ſolent Patientem noſtrum infeſtare. Secundum ſymptoma eſt circa mentis operationes, non continuo, ſed poſt Incerti temporis intervalla moleſtans, debilitas nempe quædam facultatis principis, cum eam nonniſi brevi tempore exercere poſſit: Si enim legere, ſtudere, aut alicui negotio incumbere cupiat, adeo defatigatur; ut ab ea applicatione deſiſtere ſtatim cogatur; tunc autem accidit, quando ſtomachus triſti quadam moleſtia afficitur, ita ut Patiens ipſe conſenſum aliquem inter ſtomachum & caput ſe perſentire referat. Huc pertinent vigiliæ per integras noctes quandoque affligentes; perturbatæ viſiones quibus objecta modo tremere, modo in gyrum verti, modo igneæ quædam favillæ ob oculos volitare videntur; nulla fere excrementa per nares, per palatum exernuntur. Quod autem rei novitate magis Patientem timore percuſſit, fuit quædam memoriæ læſio quàm ſemel anno præterito ſemel præſenti paſſus eſt: cum enim anno elapſo neſcio quid ſcribere deberet, derepente proprii nominis oblitus fuit, qua de cauſa, licet ratio ſupra hoc tanquam morboſum accidens reflecteret, non pauco tempore hæſitare, perpendere ante ſubſcriptionem coactus fuit; hoc tamen poſt prægreſſam noctis vigiliam & poſt fatigationem mentis in lectura & ſcriptura ei contigit, quod per aliquos dies eum imbecillem, & quodammodo obtuſum in mentis operationibus reliquit; Iterum elapſis Menſibus ſermonem habens cum quodam Viro, & nova quædam ab eo accipiens, non recordatus eſt an ab eo de eiſdem rebus antea monitus fuiſſet, imo eadem pluries ab eodem intellexiſſe ſibi videbatur, & confuſa quædam mente volutabat, quæ eum in ancipiti diu poſuerunt. Hæc poſt breve tempus, puta poſt horæ dimidium evanuere; in cæteris ſumma ſemper prudentia rectaque ratione ſe geſſit, amicorum converſatione & Muſicis inſtrumentis delectatus. Hæc eſt Morborum ſeries quam juſſu Patientis inter anguſtiam temporis delineare potui. Multa tulit fecitque Nob. Patiens, à quibus melius quidem ſe habuit, at non omnino à morboſis illis affectionibus immunis. Purgatus, præparatus pluries Autumno præterito per quadraginta dies, & ultra, refrigerantibus & humectantibus ſemper adhibitis; Succi ad viginti dies exhibiti; ſanguis bis ductus, ut tandem ad medicamentum aliquod duceretur Æger, quod extra

neam qualitatem in hypochondriis hærentem extirpandi vim haberet. Verum & anni tempus hyemale, & Patientis nauſea ulterius progredi prohibuit. Iterum recrudeſcente Morbo, medicam opem in fine Veris proxime præteriti acerſivit, quo tempore Purgationes ſimplices, compoſitæ, univerſales, particulares, aperitivæ, ſpecificæ adhibitæ fuere ad duos fere menſes, ſanguis pariter ex Salvatella & ex hæmorrhoidibus ductus, ut poſt hæc ad lactis Aſinini uſum, & ad Balnea aquæ dulcis deveniret: ſperabant enim Medici non exiguam utilitatem ex hac humectatione colligendam fuiſſe. Verum Æſtatis calore nimis urgente timuit Patiens lactis uſum, timuit quoque Medicus ne in excrementa verteretur, proinde à Balneis & à lacte ſe abſtinuit Patiens quamvis Medicus Adſtans differri quidem, at non omitti illa juberet. Interim anceps Æger quid agendum ſit, ad ſummum Gymnaſiarcham tanquam ad verum Oraculum noſtri ſæculi confugit. quid in hac ſua rerum calamitate conſilii capiendum accepturus: An nempe lac, & quo tempore, an Balnea, an aquas è Valle Solis, an aliud uſurpandum: non enim adhuc generoſum hujuſmodi medicamentum aliquod expertus eſt: optima ratus ea quæ à tanto Viro pro ſuæ ſanitatis acquiſitione mandabuntur.

Non eſt quod plurium ſymptomatum hypochondriacorum cauſam in medium adducamus, ſed ſat ſit aſſerere rugitus in ventre, anxietates in ſtomacho, præſertim ab aſſumpta largiori cœna; alui ſtypticitatem, vigilias, capitis gravedines, omnia eſſe propria hypochondriacæ affectionis ſymptomata. Illud unum conſideratione dignum, quodque Nobili Patienti negotium faceſſit, eſt repentina illa amiſſio memoriæ ſemel anno nuper elapſo, & iterum præſenti repetita, num ſcil. enumerari poſſit inter accidentia hypochondriaca, an potius aliunde cauſa petenda ſit: tunc enim alterius deterioris Mali nuntia fuiſſet, nimirum vel Apoplexiæ, vel Epilepſiæ, aut fatuitatis: ſicut ſi ab hypochondriis ortum duxiſſet, nil amplius mali in caſu noſtro verendum eſſet. Examinato igitur à nobis proprii capitis ſtatu, in eodem amiſſæ memoriæ cauſam reperiri non poſſe cenſemus, cum ejus intemperies in humiditate non multum excedat: valde enim excrementoſum non eſt, & ideo per nares parum expurgatur: ſed neque ullam deſtillationem aliam corporis partem petere obſervamus, nec ſomnos graves, vel in ſomnum profundum & diuturnum facilem propenſionem experitur ipſe Patiens, imo vigilias, ut propterea excedentem humiditatem, quæ ſolet eſſe imminutæ & abolitæ memoriæ propria & genuina cauſa, ab ipſo capite excludere debeamus; Sed præterea addamus, quod ſi in capite ipſo amiſſæ memoriæ cauſa extitiſſet, pluries & frequentius affectus idem & gravior contigiſſet. Quare ab hypochondriis amiſſam memoriam cauſam habuiſſe exiſtimamus. Et quamvis paradoxum videatur, exhalationes, utpote ſiccas memoriam imminuere aut delere potuiſſe: attamen id non qualitatibus primis, ſed motu præſtitiſſe cenſemus, dum ſcil. ab iiſdem exhalationibus affatim & conſertim in caput irruentibus, ſpiritus animales agitati atque inordinate commoti, à poſtica cerebri parte ſpecies memoratrices jam impreſſas abſtrahere, & imaginationi repræſentare minime valent: unde perit ipſa memoria, ſed ad breve tempus; idque facilius fit, cum jam dictæ inordinatæ commotioni addatur quoque in vaporibus, ſive exhalationibus ipſis non exigua craſſities, quæ ſpiritibus immiſta eoſdem ad motum ignavos & torpidos neceſſario reddit; Propterea Ariſtot. dicere ſolebat, quod Melancholici nec recordantur, nec recordari poſſunt, tum propter multiplices imagines, cōfuſæ imaginationi oblatas, tum propter irregularem ſpirituum animalium commotionem. Quare abſit à caſu præſenti imminentis Apoplexiæ timor: ſicut non adeo abeſſet dubium futuræ, Epilepſiæ, ſi affectus ipſe frequentius repetiiſſet, & quod magis eſt, ſi Nob. Patiens in juvenili ætate conſtitutus eſſet, in qua docebat Hipp. quod Melancholici facile Epileptici fiunt, & contra.

Igitur cum aptiſſime ad affecta hypochondria Curationem dirigendam fore judicatum ſit, imo & directa fuerit, congrua etiam hoc Vere proxime præterito Purgatione inita, quæſitum eſt à nobis, num lactis aſinini uſus una cum Balneo univerſali aquæ dulcis, modo conveniat, an ſit differendus, ſive potius uſus aquarum vitriolatarum in Valle Solis naſcentium ſit eligendus? Has autem excludendas eſſe, tum ut nimis exiccantes, tum ut caput magnopere replentes exiſtimamus, quod quamvis eſſentialiter affectum non ſit, imbecillitas tamen in ipſo ſupponenda, non ſolum propter perpetuas effumationes ab hypochondriis elevatas, vigilias quoque frequenter inducentes, ſed multo magis propter præteritas ad multa negotia & ad ſtudia intenſas applicationes, quæ ſiccitatem cum vigiliis inducere ſolent. Et ideo lactis uſum ſummo manè, & Balneum aquæ dulcis univerſale veſpere, commendamus. Nec obſtat anni tempus æſtivum, quod lac quidem corrumpere extra corpus facile valet, non ita tamen intra corpus aſſumptum, ut multo facilius illud ipſum corrumpere ſolet jecoris & hypchondriorum fervor, quem prius remittere, quam lac exhibeatur, tutius fore cenſemus. Idcirco præmitti poterit uſus ſeri aſinini aut caprini depurati ad libras, tribus ſaltem vicibus ſummo mane cum vehiculo dejectorio ſyrupi roſ. ſolut. aut potionis ex manna clarificata; mox repetendo ſerum ipſum deſtillatum quotidie per hebdomadam, ſed in minori doſi: remiſſo namque calore viſcerum, tutior evadet ipſius lactis uſus, in quo ad quadraginta ſaltem dies perſeverare poterit: & ad viginti Balneum aquæ dulcis, herbis refrigerantibus & humectantibus alteratæ adminiſtrari: ita namque exiccatæ & contumaciores obſtructiones removeri, alvus humectari, ſomnus facilius conciliari, & exhalationum in caput elevatio inhiberi poterunt, præſertim addita congrua vivendi ratione, jam dictis proportione reſpondente, à Viro Doctiſſimo præſcribenda, cujus prudenti judicio cætera quoque remittimus dirigenda. *Raym. Joh. Fortis Conſult & Reſp. Medic. T. ii. p. Cent. i.*

Memoria imminuta.

Sæpe contingit principes lædi facultates inquinamento vaſorum, dum annorum ſerie, nullo accedente Artis auxilio, omnique potius ſpreto regimine, corpora impura redduntur. Id Viro Nobili evenit, qui menſe Januario, jam ſanguine propter ætatem impuro, valido Vertiginis motu correptus, objectis, ut videbatur in gyrum ſeſe vertentibus, decumbere coactus fuit; Capite quoad omnes partes ita dolente, ut & lumen, & quodlibet conſortium averſatus libentiſſime quieſceret. Acceſſit quoque tunc temporis facultates omnes internas omnino depravari, memoriam præſertim, quæ niſi dierum decurſu fuit reſtituta: quippe & legere & ſcribere cœpit, cum prius id prorſus ignoraret, ignotis omnino characteribus. Res quidem in Viro miranda, alioquin ſtudio Doctrinaque inſigniter decorato. His omnibus addi poterat pulſus oppreſſus & modice inæqualis: urina abundans & aquoſa: ventriculus tum vomitu, tum nauſea turbatus: vomitus viſcidæ & pituitoſæ materiæ: inſignis præcordiorum tenſio cum frequenti rugitu: flatus tum per ſuperiora, tum per inferiora erumpentes: modo ad ſomnum propenſio, modo ad vigiliam: ita ad riſum & ad fletum; dum facie inſigniter rubeſcente, corpus immodice repletum turgeſcebat, venis craſſo ac copioſo ſanguine infartis. Plenitudine partim adempta, per binos menſes convaluit, quibus elapſis, nec graviter ægrotavit, nam tantummodo levi memoriæ duorum dierum receſſu turbatus, facile reſtitutus eſt; prout etiam principio menſis Auguſti leviſſimo ac breviſſimo memoriæ defectu contigit afflictari. Ordo curandi tum morbo, tum temperamento, tum tempeſtatibus aptus fuit: morbi namque ingreſſu, ex utroque brachio ſanguinem effudi, prout etiam verno tempore; Sedales venas non tantum primo invadente morbo, verum per menſes aperire decrevi, non neglecta prima accedente affectione, omni revulſionum ſpecie, Phœnigmis potiſſimum, cruribus & brachiis appoſitis; quemadmodum ad capitis tutelam, inuſtos fonticulos in utroque brachio ſaluberrimos credidi: enixe conſulens inuri alterum in coxa dextera, ut directi hypochondrii impuritas demeretur temporis diuturnitate. His præſidiis aliiſque ex Pharmaceutico fonte decerptis, bimeſtri ſolum ſalubritate gaviſus, iterum ægrotavit, denuo fuliginibus offuſa memoria: quare non incaſſum uſurpata fuit frequens deterſio primarum viarum, totius venoſi generis ſedula ac repetita purgatio: peculiaris tum præcordiorum, tum capitis longa, ſed epicratica expiatio ac earundem partium debita, ac peculiaris roboratio: facta ſemper per gradus præparatione inciſiva, attenuanti, aperienti, refrigeranti: potiſſimum aqua quam hiſce canicularibus diebus potandam præſcripſi valde acidam, quam venalem exhibent ex Agro oenipontino, & hanc dejectoriam potius, quam diureticam præbui: cum per urinæ meatus ipſius exitum prorſus difficilem ſim expertus; omiſſis aliis dejectoriis, non tam ad alvum frequenter leniendam, quam ad ipſum intimius expurgandam; necnon idoneis ac repetitis refrigerantibus, ut radicalis intemperies ex parte corrigatur. Hæc de ſpectabilis Viri ægritudine, qui ſicuti alias fuit ſemper ſtudiis addictus, ita modo graviſſimis implicitus negotiis, Reipublicæ onus communi omnium aſſenſu continuo ſuſtinet: idcirco Oracula Patavina in re tam gravi conſulenda eſſe putavi, ut ex eorum Reſponſo, favente Deo, reddita ſanitate, Urbs noſtra à qua unice Vir Patiens diligitur, communi gaudio hilareſcat.

Ut tanto Viro Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo priſtina ſalus reſtituatur, doctiſſimam atque exactiſſimam hiſtoriam primò conſideravimus, ſed & alia quadam non parum ad cognitionem & curationem conducentia ab eodem præſente accepimus; ſicut enim affectionis ideam cognoſcere non adeo difficile eſt, ita ejuſdem cauſam & partem primario affectam admuſſim diſcernere non adeo facile. Etenim quamvis caput læſum fuiſſe cuilibet ſit manifeſtum; tum quia vertigine ſtatim ab initio Excellentiſſ. Marchio correptus fuit; tum vero maxime quia vertiginem functionum principum, & præſertim memoriæ læſio ſubſecuta eſt: nihilominus num caput eſſentialiter & primario fuerit affectum, an potius per conſenſum & ſecundario ab alia aliqua parte cauſam affectionum ſuſceperit, non adeo liquido apparet; cum tamen id diſtincte definire pro curatione, ſive præſervatione inſtituenda omnino ſit neceſſarium: quod nec Virum Præſtantiſſ. latuiſſe videmus, & noſtro judicio confirmabimus. Vertigo itaque non tenebricoſa, ſed ſimplex, Dinos appellata, fuit primus affectionis inſultus, adhuc antea non ſemel, licet levior, ab Excellentiſſ. March. obſervata; inde omnium principum operationum apparuit confuſio, ſed præſertim actus memorandi læſio; quam memoriæ læſionem exiguam non fuiſſe ex eo facile elici poteſt, quoniam etiam ratio quodammodo læſa apparuit: quæ tamen rationis læſio quoniam diu non perſeveravit, memoria læſa manente, capitis non primario & eſſentialiter effecti indicium præbuit. Læſa fuit igitur memoria ipſa imminute, ut contigit Eruditiſſ. Viris Franciſco Barbaro & Trapezuntio: non tamen abolite, ut iis qui Athenis peſte evaſere, non ſolum propinquos, ſed & ſemetipſos ignorantes. Et quamvis perpetuo frigiditatem ut cauſam aſſignant omnes Medicinæ Scriptores, cui ſi humiditas aſſocietur, emergit fatuitas: attamen frigiditatem à caſu noſtro explodendam eſſe cenſemus, quia dierum ſpatio prima vice receſſit affectio, & celerius ſecunda atque tertia. Frigiditas autem poſitiva, ſive frigida intemperies, non adeo facile, & brevi accedit, nec niſi diuturno tempore poſt generoſa adminiſtrata remedia; quinimo in Senibus nullo modo recedit; ut propterea ab humore aliquo ad cerebrum delato atque ab arteriis transfuſo, nec à venis recepto, aut à craſſo vapore ſymptomata hujuſmodi prodiiſſe cenſendum ſit. Nos vero cum Viro Excellent. utrumque accurriſſe & interfuiſſe pro cauſa credimus: humorem ſcil. à toto, & vaporem ab hypochondriis; to-

tum enim craſſo, nigro & melancholico ſanguine ſcatere deprehenſum eſt: fuliginoſas vero & flatuoſas melancholicas exhalationes hypochondria emittere, & Meſenterii, Pancreatis, & lactearum obſtructionibus impediri obſervatum fuit, ut & nos tactu exploravimus; & ideo jam faciles erant mœrores, timores, cum riſu quidem ob redundantis ſanguinis copiam; unde Hipp. dicebat, Facies rubra & mœſtitia multa, malum. Quare à vaporibus ad ſinciput elevatis, viſoriis ſpiritibus immiſtis & inordinate commotis, vertigo omnium primò excitata fuit; qui una cum tetris humoribus ad Occiput converſi, aut propria aciditate memoratricem facultatem torpidam & ſtupidam reddendo, aut ſpecies jam impreſſas confundendo, memoriam ipſam imminutam reddiderunt; unde Ariſt. aſſerebat quod Melancholici aliquando nec recordantur, nec recordari poſſunt, ob multiplices vapores, ſpecies, & rerum imagines confundentes: ut propterea credi poſſit, exonerato per ſectas venas, à copioſo & craſſo ſanguine, corpore univerſo, poſtremas acceſſiones exiguo tempore perdurantes, ſolum à vaporibus craſſis & melancholicis, ab hypochondriis elevatis, ortum duxiſſe: & iiſdem diſſolutis, ipſas acceſſiones receſſiſſe, nunquam tamen prorſus caput ipſum in priſtinum ſtatum reſtitutum fuiſſe, ſuperſtite remanente minera hypochondriaca continuo in caput exhalante.

Amiſſa memoria reſtitui nullo modo poteſt: unde Gal. narrat quod unus ſolus Medicus ſui temporis, amiſſam memoriam curare tentavit, & nihil profecit; quod tamen de jamdiu abolita intelligendum eſt: tunc enim caput primario & eſſentialiter frigida intemperie & nativi caloris paupertate laborat, & iis jamiam inſtant Apoplexia, ſi ſenes: Epilepſia vero, ſi juvenes fuerint. Quamvis autem præſens affectus ſympathicus potius, quam idiopathicus ſit, & nobis ſalutis ſpem augeat illæſa ratio: attamen magni facienda eſt capitis imbecillitas, facile à toto & ab hypochondriis recipiens: quam ſignificarunt nobis repetitæ acceſſiones, & confirmat præſens continua quædam memorandi difficultas; ut propterea verendum ſit ne imbecillitate adaucta, affectus in capite primarius & eſſentialis evadat, tuncque pejora ſuccedant.

Quæ ut avertantur, & ab enarrato affectu præſervetur Excellentiſſ. March. & ab exiguo præſenti omnino vindicetur, intentionibus à Viro Excellentiſſ. in Arte verſato, excogitatis & inventis inſiſtendum erit, hoc Autumnali tempore primas vias mundando. Secundo Obſtructiones aperiendo. Tertiò Maſſam ſanguineam ulterius depurando. Quartò Vapores & humores ad caput aſcendentes revellendo; caput idem nonnihil evacuando, moxque roborando; atque tandem jecoris & hypochondriorum calorem remittendo, totumque corpus renutriendo. Quibus intentionibus exequendis, in fonte Chirurgico parca ſanguinis miſſio ex hæmorrhoidibus erit conveniens, habita maciei totius ratione: ſicut Cauterium dexteræ Coxæ inuſtum. Magnopere quoque proderunt frequentes pedum lotiones aqua calente, ſed ante prandium aut cœnam.

Ex Pharmaceutico fonte reliqua ſunt depromenda præſidia; & pro prima intentione leniens eſſe poterit Potio ex manna clarif. Præparans primum, Julapium acet. ad ℥. iii. exigua aqua flor. citri, aut tot. citri diſſolutum: & quinque tranſactis diebus repetita potio ex man. clarif. & ſyr. de Polypod. cui ſuperbibat jus, hord. vel malua alteratum. Pro ſecunda intentione opportunus mihi videtur rhab. uſus, ſi alternis diebus præbeatur ad ſemidrach. duabus drachmis flor. caſſiæ immiſtum; cui poſt horam ſuperbibat ſeri aſin. depur. libram, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Sequenti vero mane aſſumat ſuccos depur. borag. endiviæ, pom. dulc. ad ℥. iii. in jure, malua, ſoncho, & agrim. alterato, in quo diſſolui quoque poterit, ad penetrationem, ſal prunellæ ad ℈. i. in quorum uſu perſeverandum erit xv. aut xx. diebus, alternatim aſſumendo rhab. & ſuccos. Quibus tranſactis, Decoctio Epith. Meſ. locum habebit, ſyrupo viol. ſolut. temperata ad an. ℥. iii. cui de more ſuperbibat ſerum aſin. depur. aut aquam Nocer. ad ℔. ii. quæ bis aut ter, tertio aut quarto quoque die repetenda erit; Vel Decoctionis loco eligi poſſent Pilulæ totum & caput reſpicientes atque evacuantes, Cochiæ nimirum, cum helleboro præpar. & aggregativæ, cum potu ſeri aut aquæ, ut ſupra, & quidem repetitæ ita enim tertiæ & quartæ intentioni ſatisfactum erit, præſertim ſi ſequenti die ab exhibito Medicamento purgante, exigua Portio Theriacæ aut Mithridati oblata fuerit.

Poſtremæ intentioni ſatisfacere poſſet lactis Aſinini uſus, ut quod contumaciores exiccatas in meſenterio, Pancreate, & lacteis, obſtructiones humectare, hypochondria & jecur refrigerare, totam maſſam ſanguineam demulcere, & univerſum corpus renutrire valeat; nec tenet in caſu noſtro objectio, quod, Lac dare caput dolentibus, ſit malum: intelligenda in effectibus frigidis: ſicut in calidis vel ſiccis medela eſt. Quod tamen remedii genus, ſi Viro Peritiſſ. non arrideat, eidem ſubſtituatur lac arte paratum ita.

℞. Semin. Melon. mundat. ℥. j. ſemin. cucurb. & angur. mundat. an. ℥ß. juris pullæ ℥. vii. contundantur ſemina, & extrahatur emulſio, cui adde ſacchari albi cochlear, aut ſyrupi de pom. ℥. i. & quotidie ſummo mane præbeatur more lactis naturalis ad xxx. vel xxxx. dies. Interim aliqua roboratio capitis non eſt negligenda: in quem finem omittimus uſum Theriacæ, Mithridati, Diatriumpiperei, Confectionis Anacardinæ, & multo magis Decocti guajaci, Viſci querc. ligni ſaſſafras, omnia ab Eximiis Viris propoſita, pro amiſſa memoria ex intemperie poſitive frigida capitis; nos vero in caſu noſtro Conſervas potius capitales, è flor. beton. roris mar. ſalviæ, lil. convall. ſub ingreſſum lecti aſſumendas commendamus. Quod ſi Prudentiſſ. Adſtanti placeat Anacardina Confectio, tanquam decantatum remedium ad memoriam revocandam & conſervandam, rariſſimum eſſe debere ipſius uſum ſine Caſtoreo, & Conſervæ roſ. commiſcendam cenſemus; Potius rotulam ex quinta eſſentia

ror

ror. mar. cum ſaccharo paratam, in ore ab Excellentiſſ. March. noctu detinendam laudamus; qua eadem quinta eſſentia aliquando Occiput quoque ſummo digito intincto inungi poterit: omittendo calidiora & ſicciora, ut eſſet Petroleum, oleum ſuccini, & hujuſmodi alia. Prodeſſe poterit etiam nux myriſtica mane in ore detenta, maſticata, ſed non deglutita.

Jam dictis neceſſario erit addenda congrua vivendi ratio à Viro Peritiſſimo præſcribenda; ſed liceat nobis duo majora errata recenſere: nempe coitum & multiplices atque intenſas applicationes, quæ ambo niſi moderatiſſima fuerint, lethalia evadere poterunt, ſicut vitalia forent prorſus derelicta. Quæ omnia Præclariſſimi Viri judicio melius dirigenda, imo & corrigenda committimus. *Idem ibidem.*

Torpor infernarum partium cum Memoriæ imminutione.

Illuſtris Senex ſexageſimum annum agens, temperamenti totius, & capitis, calidi & humidi, carnoſi habitus; applicationibus antehac ſemper addictus, & in victus ratione libere vivens, modiceque corpus exercens; multis abhinc annis per hæmorrhoidas, ſeroſitates copioſas expurgare ſolitus, & ſub ſpecie ſudoris, etiam per pedes; duo jam labuntur anni, ex quo è ſcapha deſcendens cecidit in mare, quare ab infimis partibus uſque ad dorſum madefactus eſt; ſtatimque domum reverſus madidis veſtibus fuit exutus. Nonnullis tamen poſt diebus elapſis, qualemcunque in motrici rectricique corporis facultate diminutionem, ſeu debilitatem experiebatur; & ab ejus domeſticis, tum in loquendo, tum in ſcribendo, necnon in memoratrice facultate aliqua debilitas, ſive tarditas obſervabatur. At quoniam ab ipſis parvi momenti iſti affectus exiſtimabantur, ideo etiam fuit neglecta Curatio. Æſtate vero proxime tranſacta, abſq; alia cauſa manifeſta (ut iidem aſſerunt) brevi dierum curſu adeo affectus incrementum ſuſceperunt, ut non ſolum ob muſculorum debilitatem vix abſque adminiculo deambulare valeret Patiens; verum etiam in principibus animæ facultatibus, præſertim memoratrice inſigniter eſt adaucta læſio, ſeu hebetudo; necnon in loquendo (ultra quandam ſibi conſuetam balbutiem) major adnotabatur hæſitantia, & in nonnullorum verborum articulatione inſueta difficultas. Ex eo tempore uſque in præſens nullum ſuſcepit læſionis augmentum, ſed potius liberior atque lucidior ipſa memoratrix apparet. De reliquis in eodem fere quo ſupra permanet ſtatu. De crurum præcipue debilitate conqueritur. Illudque additur conſiderandum, quod præter conſuetudinem, nunc ſatis profunde dormiat, avidius comedat & bibat, majoremque adeptus ſit corporis obeſitatem. Quare de agendis pro ſalute conſulit.

Senem Illuſtrem ad ſymptomata quibus duobus abhic annis labore cœpit, natura valde pronum atque diſpoſitum fuiſſe, intemperies calida & humida totius, & maxime capitis cum habitu ad obeſitatem tendente, teſtimonium ſat nobis præmonſtrabant, quam deinde pravam naturalem diſpoſitionem non parum adauxit libera victus ratio, necnon otioſa vita; atque tandem occaſionem mali præbuit caſus repentinus in aquam, non ſolum dimidiam partem corporis inferiorem refrigerans & humectans, verum & ſuperiorem, cor nimirum & caput propter incuſſum timorem atque validam perturbationem labefactans; quo factum eſt ut ſubinde diebus ſequentibus pituitoſi catarrhalis excrementi proventus invaluerit, quod non ſolum ſpiritus animales craſſiores, verum & nervoſam ſubſtantiam nonnihil denſiorem reddere potuit: eoque magis in partibus inferioribus, lumbalibus ſcil. vertebris ab aqua refrigeratis & humectatis, adeo ut non ſolum ratione ſpirituoſæ ſubſtantiæ craſſefactæ, ſed multo magis ratione nervoſæ denſatæ, torpor ſive motus imminutio in partibus inferioribus ſecuta fuerit, nonnihil quoque cooperante muſculorum refrigeratione, tanquam inſtrumenti voluntarii motus immediati; Hinc Galenus, Torporem fieri nervo vel denſato, vel obſtructo, vel compreſſo, docebat; Et dum Hipp. aſſerebat motum imminui, & torporem fieri à pituita ſanguinem refrigerante, ſubjicit, & ſpiritus animales incraſſante, cum ſpiritus à ſanguine pituitoſo tenues, ſicci & diaphani produci minime poſſint. Memoria autem, quoniam firmam, ac ſtabilem cerebri ſubſtantiam requirit, imminui facile potuit, ad pituitoſi humoris copioſi, præſentiam, ab intemperie calida & magis humida geniti, qui præſertim poſteriorem capitis partem occupat, ubi ſpecies impreſſæ reperiuntur, & celebratur memoria, quapropter ſequitur quoque imminutus linguæ motus, cum à ſeptima nervorum conjugatione in parte poſtica cerebri prope ſpinalis medullæ principium exiſtente proveniat. Et quamvis à ſola frigiditate quoque memoria imminui & tolli poſſit, obſervandam tamen eſſe ad ſomnum propenſionem monebat ipſe Galenus: præſens enim pituitoſi humoris etiam præſentiam nobis oſtendit, cujus quantitas ſi ulterius procedat, ſimul cum memoria ratio quoque læditur, & fit ſtultitia: ut propterea dubitandum non ſit in caſu noſtro de pituitoſæ humiditatis præſentia, ut & totius corporis obeſitas conſueto major confirmat: quam humiditatem multiplicare potuerunt tum ſedentaria vita, tum conſueti; ſudores in pedibus ſuppreſſi, & multo magis ſuppreſſa humorum per hæmorrhoidas ſolita expurgatio, ſicque & à priori & à poſteriori comprobatur pituitoſæ humiditatis proventus atque præſentia.

Uterque iſte affectus magnifaciendus eſt tum propter præſens incommodum, dum dicebat Gal. quod Præſtat millies mori, quam propriis manibus ac pedibus uti non poſſe; & quoniam læſa eſt una ex principibus facultatibus; tum propter mala imminentia; niſi namque à valida cerebri facultate expultrice à capite ad internas partes detruſa non fuiſſet portio major catarrhalis materiæ, utique apoplecticus contigiſſet inſultus, de quo futuro

valde

valde timendum, cum hac prima vice non tota materia in capite genita ad ſpinalem medullam fuerit tranſmiſſa: portio enim in occipite relicta cerebrum humectando memoriæ læſionem attulit; & ideo juremerito vereri debet ne rurſus catarrhalis materia in capite reproducta, in ventriculis aut vaſis maneat, & alias Apoplexiam inducat; vel ſi ad inferiora tranſmittatur, præſens ſemiparalyſis, integra & perfecta evadat. Hinc oblivionem, Apoplexiam & Epilepſiam prænunciare docebat Avicennas. Apoplexiam in ſenili: Epilepſiam verò in ætate virili.

Itaque agendum ut ſaltem imminentia majora mala arceantur, & ut præſentia, ſi poſſibile fuerit, imminuantur; dixi, ſi poſſibile fuerit, quoniam ſicut abolitam memoriam neque curare tentarunt Antiqui: unus enim tantum ex Medicis ſenioribus curationem tentavit, nihilque profecit; ita difficillimum fore credendum, imminutam reſtituere; motum tamen infernarum partium ad meliorem ſtatum reduci poſſe ſperandum eſſet, ſi hoc ineunte Vere ad medicum noſtrum auxilium confugiſſet: calida namque remedia adminiſtranda anni tempus æſtivum ægre permittere poterit: quæ tamen à nobis deſcribentur, recto eorundem uſu Excellentiſſimo Adſtanti commiſſo. Primæ igitur viæ, ſi antea expiatæ non fuerint, expediendæ; Totum corpus ſecundò pro viribus à cruditatibus vindicandum. Tertio Caput expurgandum. Quartò Humiditas cerebrum madefeciens, & nervoſas inferas partes laxans, abſumenda. Et tandem capitis humida intemperies corrigenda, affectæque partes roborandæ.

Quibus intentionibus ut ſatisfiat, à fonte Chirurgo nulla eſſet depromenda ſanguinis miſſio: ratio autem patet, quoniam peccat pituitoſa humidas à ſanguine aliena: & mala præſentia atque imminentia, ex frigidorum genere ſunt; attamen quoniam ſuppreſſa jam fuit conſueta per hæmorrhoidas humidorum excrementorum evacuatio, ut revocetur, hirudinibus venis ſedalibus appoſitis, parca erit permittenda ſanguinis miſſio. Cauteria autem quæ geſtat, cuſtodienda.

Reliqua ex Pharmaceutico fonte deſumenda; Et pro prima intentione potio ex manna clarif. bis repeti poterit. Intermediis vero ſex diebus præbeatur oxymel ad ℥. iii. addita ſemiunc. aq. cinnamomi. Pro ſecunda intentione inſtituenda erunt Præparantia, oxymelite ſimpl. cum ſyr. de beton. additis gr. ſalis tart. fixi, in decoct. cich. borag. meliſſæ, pentaph. & agrim. Septimo vero aut octavo die Purgans erit exhibendum, ex infuſo rhab. agar. & ſenæ, addito ſyr. roſ. ſolutivo; vel ex elect. lenit. diacath. & diaphæn. Deinde repetenda erunt validiora Præparantia, ex oxymel. ſyr. de beton. compoſ. & de ſtœchade parata, additis gr. tart. vitriol. in ſupraſcripta decoct. addendo folia ivæ & majoranæ. inde Purgans repetatur, quod eſſe poterit, vel Hiera Tuta Alex. aut pulvis hermodactylatæ præpar. quæ bis aut ter tertio aut quarto quoque die erit repetenda; Et interim diebus intermediis præparantes jam dicti ſyrupi exhibendi, ut caput poſtea expurgetur pilulis capitalibus: valida namque medicamenta purgantia proponunt omnes Medicinæ Principes, Hieram Magnam Alexander & Paulus, hellebori potionem Aëtius; nos autem pilulis capitalibus Paracelſi ſumma cum utilitate uti ſolemus, quæ conſtant ex Extractis diagrydii, hellebori nigri & colocynthidis. Et quoniam diebus Canicularibus parari ſolent, ideo paratæ reperiuntur, tum hic Patavii ad ſignum Sirenis, tum Venetiis ad ſignum Sanctæ Margaritæ, quarum ſumma doſis eſt ad ℈. ii. & circa noctis dimidium primo peracto ſonno exhibentur, biſque aut ter repetuntur. Intermediis vero diebus pro Errhino præſcribatur pulvis,

℞. Pulv. majoranæ, ireos, an. ℥. ii. nigellæ ℥. i. m.

His peractis, ut humiditas tum in capite, tum in nervoſa ſubſtantia imbibita abſumatur, ſimulque humida cerebri intemperies corrigatur, nullum præſtantius excogitari poterit remedium, quam Decoctum cum ſudore in hypocauſto procurato, adeo ut caput cum reliquo toto corpore ſudet; parabitur autem hunc in modum.

℞. Pulpæ ligni Guajaci pinguis, viſci querc. veri, ſalſæ parillæ electæ, an. ℥. i. ligni roris mar. ligni ſaſſafras, an. ℥. ß. aquæ ſtillat. cich. beton. an. ℔. i. ß. aquæ ivæ, ſalviæ, an ℔. ß. m. f. infuſio per hor. xxiiii. deinde bull. ad conſumpt. dim. & colatura ſervetur pro tribus ſummo mane hora una ante ingreſſum hypocauſti aſſumenda. Pro potu conſueto,

℞. Reſiduum, aquæ fontis ℔. xv. m. bulliant ad conſumpt. tertiæ, in fine ebullitionis addendo fruſtula cinnam. integri ad ℥. iii. bulliant parum, & in colatura adhuc ferventi diſſolue ſacchari albi ℥. iiii. & fruſtula citri rec. ſi lubeat, ut agitando fiat aqua vulgo dicta Cedrata. In Decocto hujuſmodi ſudorifico quadraginta diebus perſeverandum cum victu non adeo tenui, ſed tertio quoque die carnes aſſas concedendo, & nonnunquam ptiſanam hordeaceam cum ſaccharo; conſuetus autem ſit uſus panis bis cocti, nucleorum pineorum, vel paſſularum. Decimo quoque die præbeatur potio ex manna clarificata.

Quod ſi anni tempus calidum hoc remedii genus non permittat, differatur ad initium Autumni: & interim uſus quotidianus pulveris viperini inſtituatur, cum jure capitalibus herbis alterato, aut cum aqua cardui ſancti atque beton. ſtillatitia. Autumno vero, peracto ſudore, partes inferiores, vel in muſto ebulliente, pluribus diebus immergendæ erunt, aut in aquis ſulphureis; & ſpina quotidie illinienda oleo viperino, & de ſuccino, cum quinta eſſentia roris mar. ſimul miſtis; ita & Nuchæ ſinapiſmus appoſitus mane & veſpere utilis fuerit; ſicut utilis quoque ſagittalis Commiſſuræ illinitio, ex quinta eſſen. roris mar. additis gutt. olei de ſuccino, paranda. Conſervæ interim capitales propoſitæ, ſub ingreſſum lecti, erunt in uſum ducendæ,

ore diu noctuque detinenda fruſtula, aut nucis moſchatæ, aut cinnam. aut cariophyllorum: vinumque viſco quercino, ligno roris marini, & ſaſſafras, pro menſa medicatum hyeme venturè erit inſtituendum.

Hiſque omnibus congrua vivendi ratio reſpondeat à Viro Excellentiſſ. Adſtanti diligenter præſcribenda, ita ut parciſſima cœna ſit, & in prandio parcius comedat atque bibat, ut à medicamentis optatum juvamentum conſequi poſſit. *Idem ibidem.*

Memoria imminuta

Perilluſtris Aulicus annum agens quinquageſimum, temperamenti totius & jecoris calidioris, boni habitus, ſed ad melancholicum vergentis cum aliqua ſanguinis aduſtione, coloris non admodum albi cum ſubroſeo miſti, mediocriter carnoſi, juſtæ ſtaturæ, vehementis apprehenſionis, caute vivens in ſex rebus non naturalibus, ſinguloque menſe ſanguinis ex hæmorrhoidibus moderato fluxu gaudens, nephriticis tamen paſſionibus obnoxius, à quibus circa diem decimamquartam delabentis menſis in ſiniſtro rene fuit non parum divexatus, excreta prius urina turbida & fuliginoſa, moxque duobus calculis, à quibus immunis à dolore evaſit, ſuperſtite tamen in renibus & hypochondriis immodico calore. Sanguis vero hæmorrhoidalis quatuor abhinc menſibus diminute fluxit. Tandem, die decima nona, aſſumpta parca & conſueta cœna, placide dormivit uſque ad ſeptimam noctis horam: tunc nondum perfecte excitatus, inter ſomnum & vigiliam poſitus, voluit pro ſua conſuetudine quædam pia verba recitare, quæ integre proferre nequivit: ideoque exterritus ſtatim ſurrexit è lectulo, de magno morbo timens, & accenſa cerea candela, ad cubile propinquum in quo cubabat amicus, ſe contulit, eumque excitavit, & cum eodem nonnulla balbutiendo obloquutus fuit, integris manentibus ſenſibus, perfectaque vigente cognitione. Subinde clare fuit alloquutus: poſtea iterum per admodum breve tempus balbutiit. Poſtremo recuperata ſua naturali loquela, quod ei contigerat, expedite enarravit: quædam tamen verba inania & incompoſita præter conſuetudinem coram domeſticis iracundia motus protulit, & ſuſpicioſus, & pavidus adſtantes aſpexit, brevique temporis intervallo ſic permanſit, conſiderans rem & modum hujus ſymptomatis. Accerſitus Excellentiſſ. Medicus præſcripſit Clyſterem lenientem, cucurbitulas ſiccas & bolum mithridati cum caſtoreo. His habitis, ſomno ſe tradidit, & perbelle dormivit. De mane ſurgens, conſueta & ſolita munia obivit, proprioque officio in Aula functus fuit, ac ſi nihil paſſus eſſet, timidus attamen perambulabat, & cogitabundus ſuper ea quæ evenerant. Veſpere circa horam vigeſimam tertiam iterum iterum incepit præter rationem nonnulla profere, nec verba inveniebat quibus ſe exprimeret, oculos huc illucque vertebat, magiſque timebat, quoniam hæc omnia cognoſcebat, & ſic agitatus & abſtractus tacebat. Circa horam primam noctis aperta Saphæna, eductoque ſanguine ad libram cuncta penitus ſedata fuerunt, beneque ſe habuit ad oblata, & noctem totam placido & naturali ſomno tranſegit. Surgens de mane ſanus, ſed adhuc timens, bis aut ter inter loquendum verba in promptu non invenit, aſſumptaque emulſione ſeminum melonum, ſtatim in regione hypochondriorum calorem quendam inſolitum percepit, inſtar aſcendentis flammæ ad ſupernas partes, ſed protinus evanuit. Modo quamvis probe optimeque ſe habeat, & libere & perfecte loquatur, necnon ſanguis ex hæmorrhoidibus refluxerit, nihilominus nimis eſt ſolicitus de hac re, metuens de magno aliquo morbo.

Et ego cum Excellentiſſ. Viro exiſtimo, vocis, ſive potius locutionis læſionem cum memoriæ imminutione, illæſis manentibus cæteris omnibus principibus operationibus, & ſenſibus ipſis, fuiſſe ſymptoma melancholicum, non quidem quia balbuties Melancholicis ſit familiaris, nec quia, ſicut multum loqui Phreneticorum eſt, ita tacere Melancholicorum, quoniam taciturnitas ſolet eſſe Melancholicis perpetuo propria, quæ tamen loquendi impotentiam non infert. Verum non deſunt alia plurima ſigna ſententiam noſtram comprobantia: etenim primò temperamentum jecoris calidum, totius habitus coloris non admodum albi cum ſubroſeo miſti, ſignum melancholicum eſt dum dicebat Hipp. quod Rubra facies & mœſtitia multa, malum: Galenus vero in Com. Quia oſtendit in cerebro adeſſe calorem exuberantem; ſed multo magis in hypochondriis, & forſan in toto, cum ſanguis extractus, aduſtus fuerit obſervatus, & propterea naturæ moleſtus ſingulo menſe ad hæmorrhoidas deponebatur & excernebatur, ſicque à melancolicis inſultibus, necnon à nephriticis aggreſſionibus præſervabatur, qua evacuatione quatuor abhinc menſibus imminuta, primò nephriticus, poſtea melancholicus acceſſit affectus. His addenda, ad pietatem & religionem inclinatio Melancholicis valde familiaris, & multo magis vehemens animi apprehenſio, timorem & mœrorem, licet non adeo manifeſte, includens, quos ideo obſcure melancholicos & moroſos appellabat Galenus cum Hipp. dum de rebus propriis magis ſoliciti eſſe ſolent, quam res ipſæ expoſtulent, adeo ut res vel minimas magnifaciant. Tandem ſi morbum oſtendit ſanatio ſanguinis eductio ex pede in hæmorrhoidalis ſuppreſſi ſupplementum, melancholicum fuiſſe affectum ſat confirmare poteſt. Cauſa autem præteriti ſymptomatis ſicut mediata, fuit ſanguis melancholicus, in hypochondriis, aut in toto retentus, antea per hæmorrhoidas expurgari ſolitus; ita immediatà, non quidem ſanguinem, ſed fuliginoſam exhalationem ab ipſo ad cerebrum elevatam, fuiſſe credendum tum quia brevi temporis ſpatio evanuit, tum quia ſanguis ater & craſſus in cerebro firmatus, infernæ atque diſtanti ſanguinis miſſioni non adeo facile ceſſiſſet, imo melancholicus affectus eſſentialis factus fuiſſet: ut propterea credendum ſit ab atro ſanguine facile in hypochondriis ſtagnante, tetras, fuliginoſas & valde acidas exhalationes per vaſa, nimirum per venam cavam ad cor, &

inde

inde per carotidas ad cerebrum elevatas fuiſſe, à quibus extra vaſa effuſis, ſpiritus animales & craſſefieri & torpefieri potuerint, ſicque ad motum quodammodo ineptiores redditi, ut animæ inſtrumentum, objecta in poſtica cerebri parte impreſſa, nimirum nomina, ſeu vocabula ab ipſa memoria repetere & imaginationi repræſentare non valuerunt, unde defectum, non eſſentialem, ſed accidentalem facultatis memoratricis ſequebatur quoque loquendi difficultas; quibus addere poſſumus etiam Ariſtot. conſiderationem dicentis, quod Melancholici nonnunquam, nec recordantur, nec recordari poſſunt, propter multiplices & confuſas imagines quæ ipſorum imaginationi offeruntur: ita ut ſpirituum animalium Torpedini addita fuerit quoque confuſio; præterquam quod credi poteſt ſpirituum torporem ad ſeptimam nervorum conjugationem perveniſſe; atque tandem affectum non diſſimilem ab illo quem deſcribebat Hipp. Patienti Perilluſtri contigiſſe, dum dicebat, Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupore elangueat, tale eſt melancholicum ſymptoma. Nec mirari oportet, ſi etiam à ſola aciditate torpedo in ſpiritibus introduci poſſit, dum ab eadem dentes quoque obſtupefieri quotidie obſervamus, & præſertim in vomitionibus atrabilariis, Melancholicis familiaribus, à quibus dentes torpeſcunt, & fermentatur terra; quos effectus forſan facilius fieri in cerebro credendum: ſicut enim aceti aciditas intenſior evadit dum deſtillatur & ſublimatur; ita exhalationes ab atra & acida bile elevatas & ſublimatas, eadem atra bile acidiores eſſe credendum eſt.

His autem ita ſe habentibus, quamvis hippoc. in morbis melancholicis periculoſos proponat decubitus, nihilominus quoniam in caſu noſtro nullum ſignum apparet futuræ Apoplexiæ, & præterea quia præteriti ſymptomatis cauſa manifeſta, nimirum ſuppreſſa hæmorrhoidalis evacuatio, prægreſſa fuit, idcirco Nobilem Pat. ab hoc malo tutum nos reddere poſſe crederim. Licet autem Melancholicos facile fieri Epilepticos, & contra, Gal. cum Hipp. pronunciaverit, ab hoc etiam affectu pauci præſervari poſſe ſperandum, nempe hæmorrhoidas apertas ſervando, ut per circuitus natura hypochondria à fervido & atro ſanguine exonerare poſſit. Præterea hypochondriorũ & viſcerum calori contemperando juſcula quotidie prima mẽſa, endivia aut boragine alterata in uſu ducantur, & ſemel aut bis in menſe Caſſiæ florem, aut electuarium lenitivum aſſumatur, aliquo cordiali medicamento familiari non neglecto, quod eſſe poterit aqua ex toto citro deſtillata. Tandem ab acribus, ſalitis, vaporiferis & calidioribus alimentis abſtinendum. & ſtatim à cibo & præſertim à cœna, Conſerva roſarum comedenda, & alacri atque confidenti animo vivendum. *Idem ibidem.*

Obſervationes & rurſus aliquæ Curationes.

Pro Memoria diminuta & pene abolita.

Varia remedia præſcripſimus & inter cætera hoc conditum.

℞. Rad. acor. veri, ſeu galang. mai. condit. conſerv. fl. beton. com. fl. primulæ veris ℥ß. cubeb. cinnam nuc. moſc. pulv. an. ʒi. cum ſyr. de ſtæch. F. conditum. Sumebat (prius adhibitis univerſalibus remediis) omni manè ad magnitudinem caſtaneæ. Deinde inter alia topica hoc ſequens experti ſumus multùm profuiſſe; omni manè nucham & occiput fortiter fricabat cum aqua hederæ arboreæ, ter quaterve deſtillata in alembico vitreo calide: qua frictione cum diu uſus eſſet, & longo tempore ter in ſeptimana manè ſumpſiſſet myrobalanum chebulum unum conditum, tandem cum admiratione memoriam recepit. Erat hoc experimentum Io. Tyengii Medici Amſtelodamenſis, ut in ejus Libro manu ſua ſcripto inveni: quanquam hujus arcani primus inventor fuerit Nicolaus Florentinus. Petrus Foreſtus ſchol. obſ. 32. lib. 10. *De Morbis Cerebri.*

Si aliquis ſanus exiſtens memoriam habet imminutam, utatur vino roremarinato.

Quidam hoc exhibent ad memoriam.

℞. Pulv. acori, piper. long. an. ʒi. cum melle crudo, inunctis prius manibus butyro, F. pilulæ, exhib. ad ʒß. per aliquot dies. *Rodericus à Fonſeca tom. 2. conſult. 93.*

In forma pulveris hic ſingularis ad memoriam conſervandam prædicatur.

℞. Thuris maſculi ℈ß. F. pulvis capiat per ſe, vel cum vino, aut aqua convenienti frequenter. Si piper addatur, laudatiſſimum erit remedium hoc modo paratum.

℞. Thur. maſc. ʒxv. piper. ʒv. F. pulvis Detur omni mane ʒi. per dies quadraginta: zinziber conditum manè ſumptum probatur, pyrethri item radix dum recens eſt condita zinziberis inſtar comeſta magni fit. Cujus decoctum contra oblivionem Paracelſus probat. confectio anacardina ad memoriam reparandam, præcipue inventa fuit, præſertim ſi ſine caſtoreo, ob ingratiam paretur, uti docet Gordonius, cujus ʒß. vel ʒi. vel plus etiam cum aqua aliqua convenienti, ut fœnicul. & apii, ſecundum gordon. exhibeatur, quæ ſi nimium corpus accendat, ſic parabitur,

℞. Confect. anacardin. ʒi. conſerv. major. & anth an. ℥ß M. capiat ſemel vel bis in ſeptimana ʒi. pro vice. *Felix Platerus. practic. tom 1. cap. 1. pag. 7. & 8.*

Bened. Faventinus ſyr. ſuum de aromatibus commendat, quem ita deſcribit.

℞. Fol. & fl. ſampſuchi, thymi, puleg. ſerpilli menthæ, calamenth, hort. ſiſymbr. roriſmar. ſalv. beton. an; M. ii. coq. in ſ. q. aq. ad conſumptionem tertiæ partis, colat. infund. cinnam nuc. moſch. macis, ſpic. nard. folii, zinzib. an. ℈i. ambr. moſch. an. gr. ii. bulliant ad quartæ partis conſumptionem & cum ſacch. ſ. q. F. a. ſyrupus, cujus ℥ß. cum aq. fl. citri ℥iii. miſceantur pro una doſi, & ſic pro aliis quinque vel ſex.

Laudatur hoc electuar. Meſue tanquam expertum & utile.

℞. Mell. anacardin. thur. rad. cyper. acor. an. ʒi. piper. rot. & long. an. ℥ß myrobal cheb. ind. an. ℥i. mell. q. ſ. F. elect. doſis à ʒi. ad ʒii. vel.

℞. Conſerv. lil. convall. beton. ſalv. anthos, an ℥i. conſerv. lavendul. ℥ß. ſpec. diambr. diamoſch.

moſch. dulc. an. ʒj. ſem. carvi, caryophyll. cubeb. nuc. moſch. an. ʒß. Ol. cinam. gt. ij. cum ſyrup. de ſtæch. vel ſ. q. ſacch. in aq. roſar. diſſoluti F. Elect.

Utilis eſt aqua ſequens *Vidi Vidii*, quam mirificè memoriam confortare, & ingenium acuere ſcribit, ſi manè ʒ ij. ſumantur.

℞. Spir. vini opt. ℔v. Aq. bugl. meliſſ. beton. ſtæch. d. fl. lilii convall. an. ℔ß. fl. anthos, roſ. rubr. bugl. majoran. an. M. j. ſpec. diaplir. diacaſtor. an. ʒiij. Confect. anacard. ʒj. Infundantur prius flores, poſt ſpecies, ſtent in digeſtione per menſem. Poſtea deſtillentur. Aquæ vitæ duæ pretioſiſſimæ quas *Gaſparus Pencerus* deſcribit in ſuo tractatu de memoria, & ex aulis principum accepit. Prima,

℞. Cubeb. ℥ij. Concid. minutim & infund. vini ſublimati ℔ i ß. vel ℔ ij. inſolentur calido loco, reponanturque octiduum vaſe vitreo bene obturato, adde fl. ſalviæ min. anthos. borrag. bugloſſ. an. ʒ ij. Roſ. rub. ſicc. lil. convall. an. ℥ß. Meliſſ. cort. citr. rec. beton. flor. tunicis, an. ʒß. Santal. citr. rub. an. ʒ ij. F. omnium pulvis, & ſic infuſa tepido loco aſſerventur, macerenturque tamdiu, donec liquor injectorum vires omni ex parte exſorbuerit, ac combiberit, quod ſapore deprehenditur, fitque ferè ſpatio duorum menſium: nihil obfuerit ſi integram æſtatem ſolis radiis expoſueris, tandem per manicam Hippocrat. trajiciantur: ſi libet adjici poſſunt moſchus, ambra, ut aqua tanto fiat fortior, doſis cochlear. j. aut ß. Jejuno ſtomacho. Altera aqua.

℞. Cinnam. ℥ß. Zinzib. ʒij. Santal. omnium an. ʒiij. Caryophyll. galang. nuc. moſch. an. ℈iv. Macis cubeb. an. ʒß. Cardamom. ʒiß. Zedoar, ſem. nigell. an. ʒiß. Aniſ. fœnic. paſtinac. ſylveſtr. ocymi, rad. angelic. caryophyll. liquirit cal. aromat. valerian. min. fol. hormin. thymi, calamenth. puleg. menth. ſerpill. major. an. ʒj. fl. roſ. rub. ſalviæ beton. anthos. ſtæch. bugl. borrag. an. ʒij. Cortic. citri, ʒiß. Spec. diambr. ʒ iij. Arom. roſat. diamoſch. d. diarrh. abb. an. ʒij. Terenda terantur, & infund. ℔vi. Aq. vitæ præſtantiſſ. ſinantur in vitreo vaſe per dies quindecim continuos ſtare, deinde deſtillentur per alembic. in B. M. arcte occluſis commiſſuris: in aquam extillatam ponantur ſantal. inciſ. ʒj. Moſch. ambr. in pet. ligat. an. gr. 4. vel 5. Julepi roſati, ℔ß. Stentque ita per dies quindecim, poſtea aqua ſeparetur; præſentanea auxilia ſunt aquæ hæ ad reparandam memoriam.

Multum etiam prodeſt, præſertim apud ſenes, in memoria deperdita reſtauranda pulvis Trithemii, qui ita paratur.

℞. Macis, cubeb. caryophyll. an. ʒvi. Fol. ſenæ el. chamæpit. zinzib. alb. cryſtall. tartar. an. ʒv. Rad. cal. aromat. gentian. ſem. cumin. ſiler. mont. aniſ. petroſel. ſpic. indic. ſpic. nard. an. ℥ß. Magiſt. corall. perlar. an. ʒij. F. omnium pulvis ſ. a. doſis, ʒj. Hunc accipiat primo menſe manè & veſperi ante cibum horis tribus, in vino vel etiam brodio: ſecundo menſe tantùm manè: tertio menſe manè ter in ſeptimana, quarto menſe bis in ſeptimana, & ſic deinceps per aliquot menſes.

Marcilius Ficinus è tribus illis muneribus, quæ magi Chriſto obtulerunt, confectionem auream parat, memoriæ conſervandæ, ingenio acuendo, ſenſibus vegetandis, ſpiritibuſque fovendis & roborandis utilem.

℞. Thur. ℥ij. Myrrh. ʒj. Auri foliati ʒß. cum vino F. pilulæ, quarum aliquot ſub auroram ſumantur. *Daniel Sennertus. pract. lib. 1. part. 2. cap. 5.*

Poſt convenientem cerebelli expurgationem, memoriam vehementer corroborare & amiſſam reſtaurare chimici non ſine rationibus aſſerunt, ſi quis ſingulis ſeptimanis bis aut ter ℈ß. Olei vitrioli rectificati cum hauſtu vini generoſi jejuno ventriculo ebibat; craſſos enim ſpiritus diſcutit & clarificat, lentos humores in cerebello extenuat, ipſumque cerebrum ad convenientem temperiem reducit; reſtituit etiam amiſſam memoriam aqua vitæ noſtra quæ ſic conficitur.

℞. Aq. ſtillat. juniperi ℔iv. fl. lilii convall. M. ij. fl. ſalviæ, M. j. macerentur in ſole diebus quatuordecim: deinde exprimantur, ac colentur, colato liquori rurſus indantur roriſmar. lavend. an. ℥ij. Spec. diamoſch. d. diambræ, an. ʒ ij. Sacch. candi in aq. lavend. ſoluti ℔j. quibus ſimul mixtis, macerentur per menſem, ac tandem deſtillentur in balneo arenæ; hujus aquæ cochlear. j. per hebdomadam ſumptum illuſtrat ſpiritus animales, & mirificè corroborat memoriam, præſervat ab apoplexia & epilepſia & hiſce malis correptos brevi ſanitati reſtituit, ſi eam vel intra corpus aſſumant, vel eâ foris affectæ partes inungantur; memoriam etiam corroborat, ſi ea ſæpius occiput inungatur. *Franc. Joël pract. lib. 1. ſect. 2. paragrapho 5.*

Commendantur in memoriæ defectu oleum myrrhæ temporibus & ſincipiti inunctum, quod Horſtius ſic conficit, coq. ova ad duritiem, vitellum exime, & cavitatem imple myrrha pulv. & reſolvetur myrrha in oleum quod in cella ſervabis ſub arena, confortatur etiam memoria, inunctione fellis perdicis. *Wolfangus Hoeferus. lib. 7. Herc. Medic. cap. 6.*

Ex retentione menſium obſtinata Oblivio.

Quantum noxæ creet fœmineo generi vel inhibitus, vel turbatus menſium fluxus, quotidie experimur in medendo occupati. Aut fallor tamen, aut rariſſimum illud ſymptomatis genus eſt, quod in Zythopœi uxore quadraginta annorum ſuperiori æſtate deprehendi. Illa ergo poſtquam ſana & vegeta multos annos exegiſſet, advertit vectigal illud ſuum menſtruum non expendi amplius more conſueto, & ſimul caput ingraveſcere, ſenſus paulatim hebetari, & tandem ita obliterari memoriam, ut nè quidem Orationem Domini, toto alioquin vitæ tempore ſibi, ut erat religioſa, familiariſſimam, recitare poſſet, niſi fruſtillatim & turbatè. Acceſſit ex metu lapſantis memoriæ trepidatio, & in medio ſermone pauſa lacrymis permiſta: dixiſſes ægram mores Didonis, quanquam diverſis ex cauſis imitatam, nam de illa divinus vates Æneid. 4.

Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.

Obviam itum eſt huic malo ſectione venæ tali, pilulis aloëticis, extractis & decoctis hyſtericis, ſalibus volatilibus, ſanguinis incidentibus craſſitudinem, & ad motum promptiorem inſtigantibus; etiam illis, quæ caput adverſum impetum humorum in arcem corporis irruentium tuerentur & roborarent, denique ob

pertinaciam mali, & mores fœminæ à pharmacis alieniores, ventum ad cauterium occipitis; quibus tandem paruit diuturnum illud malum, & memor lingua ad officium reverſa eſt. *D. Olai Borrichii.*

Ex repudio Oblivio, paralyſis, epilepſia.

Petrus Folmerus plebejus ad amatam, cujus nuptias ambibat, munuſcula ferebat, argentea cochlearia, & quæ alia fortuna tenuior permiſerat, ſed irriſus die quodam contemptuſque ab eadem ita excanduit ut primùm quidem in paralyſin incideret, hinc & in epilepſiam, & quod graviſſimum, in ſtultam quandam oblivionem. Priora duo vitia cura mea, Deo fortunante, ſublata ſunt, cum tertio adhuc luctatur, idque potiſſimum, quod quæcunque fieri jubeo, quæcunque hauriri, ille mox obliviſcatur, nec aſſumat. Quòd ſi à famulis, qui inſtarent, urgerentque veternoſum, nudus non eſſet, ſperarem & hujus mali ſolatium, Tanti eſt monitum Hippocratis, non reſidere felicem ægritudinum eventum in ſolo Medico, ſed & in ægro, & aſtantibus. *D. Olai Borrichii.*

Memoria è nulla manifeſta cauſa abolita reſtituta.

Anni præteriti 1671. Menſe ultimo Spectabilis S. M. Scabinus Novopidanus, plethoricus & ſexagenario major, menſæ aſſidens, nec de dolore capitis aut alius alicujus partis conquerens, inordinatos proferre cœpit ſermones. Uxor hos obſervans, ut lectum ingrederetur perſuaſit, atque ubi affectum non imminui vidit, quandam apoplexiæ aut paralyſeos ſpeciem eſſe credens, per generum ſuum quàm citiſſimè me vocavit. Advolo, & omnibus ritè perpenſis, memoriam læſam eſſe pronuntio. Quæcunque namque æger proferre intendebat, ubi incepit, mox rurſum quaſi cogitabundus ſubſtitit, atque ita ad aliam materiam devolutus, nec illius quidem relationem ad finem perduxit. Sæpè quoque ſe neſcire quid reſpondere deberet conqueſtus eſt. Interrogatus à me, utrum quendam capitis aut alius partis ſentiret dolorem, ſibi omnino nihil dolere reſpondit. Quod etiam ſubſequentibus diebus confirmavit. Donec tandem poſt binas ſeptimanas dolores podagricos ſibi familiares ſe experiri conqueſtus eſt. Urinam reddebat laudabilem. Pulſus præter exiguam debilitatem nihil ſiniſtri ominabatur. Præmiſſo igitur enemate, cephalicis, & iis quæ memoriam confortare creduntur, additis ſimul corroborantibus, iiſque tam internis quàm externis, affectum aggreſſus ſum, non omiſſo quoque Pomodo odorato, quamvis valdè dubitem, utrum vires Medicamentorum, è quibus tale pomum conficitur, aliquod emolumentum ferant ægro, cum à ladano, quod pro illius conſiſtentia requiritur, obtundantur. Unde etiam ſimilia poma, evaneſcente ſucceſſu temporis oleorum deſtillatorum, & aliorum fragrantiſſimorum, quibus illinuntur, odore, ſolum ladani odorem ſpirant, & iteratam deſiderant inunctionem. Quicquid tamen ſit, cogimur ſæpè, vel in adſtantium gratiam, qui in hujuſmodi caſibus ab aliis Medicis ſimilia ſe adhibere vidiſſe remedia referunt, eadem præſcribere, ne ignorantiæ aut negligentiæ arguamur. Cæterùm, elapſis nondum duabus ſeptimanis memoriam ita acquiſivit æger, ut de quacunque re iterum commodè diſſerere poſſet, nec quicquam ſuperfuit, niſi omnimoda literarum oblivio. Et cum forſan eum ex oculorum debilitate (de quâ tamen nunquam adhuc conqueſtus erat, quippe qui etiam minores typos non adhibitis conſpicillis legere ſolitus erat) literas cognoſcere non poſſe conjiceret uxor, atque me præſente libellum grandioribus characteribus impreſſum ei offerret, ille ſe quidem typos videre, nomen tamen illorum ut & collectionem in vocabula ſe planè ignorare affirmavit. Affligebatur autem acerbè de oblivione iſta, cum in ſola fere Librorum Sacrorum lectione tempus ponere conſueverit. Juſſi tamen bono eum eſſe animo, & ut uxore opitulante literarum cognitionem iterùm hauriat, ſimulque Morſulorum imprimis cephalicorum & cucuphæ convenientibus ſpeciebus repletæ uſum continuet ſuaſi. Atque ſic ſexta poſt decubitum Septimana, reſtitutus per Dei gratiam æger, literarum cognitionem priſtinam ſimul quoque recuperavit. *Georgii Segeri.*

Ex venæſectione oblivio.

Adeo delicatæ texturæ eſt illa cerebri pars, quæ rerum actarum memoriam cuſtodit, ut levi negotio vel exporrigat ſeſe nimium, & veluti plicas ſibi impreſſas tenſione violentiori complanet, vel madore flacceſcat, unde oblivionem ſuccedere veriſimile eſt. Hinc aliquando morbo caput infeſtante perit memoria, aut imminuitur, aliquando ſenio obliteratur, ſæpe metu interturbatur, nonnunquam terrore ſubito extinguitur, imò pluribus aliis modis carpitur, & hebetatur. Sed ex venæſectione jacturam ſentire rarum eſt. Accidit id tamen facundiſſimo cuidam Eccleſiaſtæ pæne ſexagenario, cui cùm jam febres, jam plethora neceſſitatem imponant miſſionis ſanguinis, ſtatim ab illa evacuatione vacillare ſentit memoriam, neque etiam longo poſt tempore integram redire. An ſpirituoſus ille calor, qui fibras memoriæ conſervandæ dicatas moderatè debet extendere, unà cum exeunte ſanguine pro rata parte exit, adeoque fibras relinquit minus tenſas quàm oportet? utcunque fuerit, vas mirificè fragile eſt memoria, & rem probè meditanti, aliud ex alio remoram expediundi ſe objicit. Eſt mihi Morus quidam, ſatis alioquin fidelis memoriæ, qui in familiari ſermone quoties ad nomina propria venitur, hæſitat, & circumſpicit amicorum opem, alioquin mutus futurus, licet millies eadem nomina ante memoriæ impreſſerit. Imò certæ ſunt voces, quæ quotieſcunque etiam recitentur, nonnullis ſtatim excidunt, cùm difficiliores & pronunciatu, & intellectu hæreant firmiter: de me teſtari poſſum, jam à pluribus annis, quoties Candidatis Medicinæ monſtrandæ erant plantæ, ſemper excidere mihi vocem pimpinellæ, etiam oculis obſervante plantam, antequam diu reminiſcentiam perconter; cùm interea cortex gannanaperidæ, & jugum Hetruſcum *Redicoſane*, & alia inuſitati generis nomina promptè occurrant. Dixeris, ma-

majori cura ingeri memoriæ ignota illa; ſed nulla ſanè cura effecerit, ut pimpinellæ ſubitò oblatæ memor ſim, quod nimium frequenter experior. Nec dubitaverim, aliis ſimilia contingere. Ego hic Davus cupidè Oedipum exſpecto. *Ol. Borrichii.*

Mnemonica Ciceronis Proloquium.

Illa animi noſtri facultas, quæ Memoria vel Reminiſcentia dicitur, non minus labaſcit & hallucinatur in tanta & tam varia rerum multitudine, quàm intellectus & ratio. Utraque enim natura ſua deſtituta eſt omni ſcientiarum ſupellectile: quippe ſimillima tabulæ raſæ ſeu palimpſeſto, in quo nihil ſcriptum, inſcribi tamen omnia poſſunt. Itaque quemadmodum intellectum dirigit & informat Logica, ſic memoriam Mnemonica. Hæc ars memorialis quod hodiè magis exulet, & quaſi proſcripta ſit ex Academiis, neque tanti fiat ac Logica, duplex videtur cauſa: *Primò*, quia plerique cum non poſſint protinus compotes fieri ſummæ perfectionis, neque intra ſemimenſem ad culmen hujus artis conſcendere, oſores ferè fiunt illius, eamque incultam relinquunt & abjiciunt. *Secundò*, nonnulli prorſus ſpernunt hanc artem, putantes, ſive medicamentis ea utatur; ſeu locis & imaginibus, obtundi ingenium, cerebrum debilitari, tandem cultores ipſos ſtupidos fieri & obliviosos.

Ad primos quod attinet, ſciant, bis mille vocabula recenſere, aut ducentos verſus ordine retrogrado ſingulos ſingulis reddere, quod Seneca de ſe gloriatur; vel 36000 Vocabula, quod de Corciro adoleſcente refert Muretus, non opera tyronum, ſed doctorum, improbo labore & exercitio quotidiano habitum adeptorum.

Mnemonica non minus ars eſt, quàm Logica aut Medicina. Uſu igitur & crebra exercitatione opus habet, quam qui ſibi commendatam habet, admirabilem ſe ea reddere poterit. Secundis reſpondet Cicero: nulla ratione obtundi ingenium hac arte. Loca enim & imagines & res non offeruntur hìc animo tanquam tria diſtincta: nec medicamenta rectè adminiſtrata, quæ multis uſui fuerunt, damnari poſſunt.

§. 1. Memoriam Cicero vocat theſaurum & cuſtodem rerum. Quibus duobus Vocabulis explicat naturam & indolem illius. Eſt ſc. facultas animæ, qua rerum ſpecies apprehendimus, conſervamus & repetimus. Res in memoria, ut in Gazophylacio cuſtodiuntur, ut cum uſus poſtulat, depromi inde poſſint. Hic theſaurus totus noſter eſt, à furibus immunis: ſcilicet tantum credimus ſcire, quantum memoria continemus. Nota, memoriam non ſolum attinere ad res præteritas, quod Ciceroni & pleriſque placet, ſed etiam ad præſentes. Nam & Deum & ſupellectilem noſtram vel media nocte & in tenebris memoria recolimus, & Cineas totius Senatus Civiumque Romanorum adſtantium nomina ordine recitavit. Nimirum, quæ res ipſo actu ſentiuntur, ſeu præſentes ſunt, earum non eſt memoria: quæ verò præſentes ſunt, actu ipſo autem ſenſus non incurrunt, ut ſupellex in tenebris, &c. earum memoriam eſſe nihil prohibet.

Huc pertinet noſſe, in qua parte capitis memoria reſideat, Anima quidem per totum corpus diſperſa nuſpiam non facultatum ſuarum copias collectas habet; neque enim proprietates à ſubjecto ſeparari poſſunt, ſed tamen aliquibus partibus anima commodius utitur ad has vel illas actiones: neque omnes actiones eædem ſunt, neque membrorum omnium ſtructura eadem. Memoria ergò reſidet in capite, 1. quia circa caput ſunt communes illi miniſtri ſenſus externi, & horum organa. A ſenſibus autem omnia ſua habet memoria, ſiquidem nil eſt in memoria aut intellectu, quod non prius fuerit objectum Senſibus. 2. quia læſo capite aut affecto memoria labaſcit, Parte autem læſa, læditur partis actio. Deinde memoratrix hæc facultas quàm maximè viget in Occipitio vel parte Cerebri poſtica, quemadmodum phantaſia in fronte vel ſyncipite: intellectus loco medio juxta tempora: non equidem quaſi hæ facultates ita incluſæ ſint ſedibus, ut non toti Cerebro omnes inſint; ſed quia poſterior Cerebri pars durior eſt, proinde aptior memoriæ, cujus officium retinere: diutiùs autem retinentur, quæ inſcripta ſunt rebus duriuſculis. Phantaſia in parte anteriori, quia hæc mollior & aptior imaginationi. Intellectus in media, quia hæc mediocris conſiſtentiæ eſt.

§. 2. Primò quærit Tullius, an memoria habeat, aliquid artificii, ſeu detur nè in mundo ulla ars artificialis? de qua quæſtione ſe alibi dicturum ſpondet: Cæterùm dari hujuſmodi artem pluribus argumentis demonſtrari poteſt. Suffecerint hac vice duo ſequentia. 1. memoria non minùs errat, quàm intellectus. Ergò & ipſa aliquo adminiculo opus habet, Quare veluti eſt intellectus artificialis, (ars Logica) ita nihil prohibet eſſe memoriam artificialem. 2. quicquid induſtria & ſtudio noſtro, adeoque quotidiana exercitatione perficitur, id aliquid artificii habet, Memoria, Ergò. Omnes homines in hunc mundum naſcimur, inſtructi ratione, quam hìc Cicero cogitationem nominat. Ratio igitur illa omnibus hominibus communis naturalis, & memoria item cum cogitatione nata naturalis eſt. Ut verò ratio inductione confirmata, & ratione præceptionis artificialis redditur: ita ſimiliter memoria exculta præceptis, inductione & quotidiana exercitatione fit artificialis. De memoria naturali aliquantò accuratius & prolixius nobis erit agendum.

Principio operæ prætium eſt ſcire, in quibus conſiſtat memoria naturalis excellens. Secundò, quæ ſint cauſæ memoriæ debilioris. Tertiò, quo pacto unuſquiſque cerebri ſui indolem & temperiem agnoſcere queat. Quartò, quibus medicamentis memoria naturalis debilior debeat perfici.

Ad primum quod attinet, tria ſunt, quæ admirabilem reddunt memoriam naturalem. 1. laudabilis conformatio capitis. 2. Spirituum copia & ſplendor. 3. Temperies moderata & legitima. Conformatio capitis optima ea eſt, quando id non longè recedit à figura ſpherica: quando ante & poſt, ſeu in ſyncipite & occipite aliquantulum protuberat, inprimis in occipite, quod ad tempora non eſt nimis introrſum flexum, quod denique circa verticem non eſt acuminatum. Hujuſmodi figura curatura paren-

tum aut nutricum pro lubitu poſſet conciliari infanti recens nato; cujus oſſicula inſtar Ceræ flecti, & in optatam figuram duci poſſunt. Dehinc Spiritus plurimi & lucidi memoriam vehementer augent & ſtabiliunt. Hi enim ſunt generale animæ inſtrumentum, & vehiculum ſpecierum memorabilium. Cum Spiritus in Cerebro abundant, copioſas quoque ſpecies recipere poſſunt. Cum ſunt lucidi & puri, eaſdem ſpecies perfectè reddunt, non aliter quam ſpeculum limpidum & terſum imagines objectas exactè repræſentat: obſcurum autem & halitu inquinatum obſcure & imperfectè. Denique apta & conveniens cerebri temperies cauſa eſt exquiſitæ memoriæ. Eam autem temperiem oportet eſſe non frigidam, quæ ſtupidos facit & obliviοſos: non calidam, quæ nimis mobilis eſt, neque ſpecies conſiſtere patitur; non humidam, in qua ſpecies facilè obliterantur; non denique ſiccam nimis, quæ ægrè recipit, ſibique imprimi patitur ſpecies; ſed temperatam, nullo nimio exceſſu qualitatum labefactatam. Solet quidem communiter dici, memoriam eſſe in ſicco: & animam ſiccam eſſe ſapientiſſimam, ſed ſiccitas hæc mediocris intelligenda, quæ non peccet in exceſſu, alioquin propriè loquendo memoria ſicca non eſt. Nulla enim facultas donata eſt qualitatibus elementaribus, nec anima ipſa, cujus eſt memoria, ſicca dici poteſt. Eſt enim immaterialis & incorporea. Quod verò ſiccum, eſt corporeum. Ex his efficitur, cujuſque ſtudioſi mnemonicæ cerebrum eſſe reducendum ad hanc mediocritatem, ſi conciliare ſibi geſtit memoriam naturalem excellentem.

Quàm maximè etiam hujus inſtituti præſentis eſt intelligere cauſas memoriæ debilioris. Eas duplices facimus, alias externas, alias internas. Utræque quaternæ ſunt. Inter externas 1. eſt ignavia, quando memoria remiſſius exercetur quàm par eſt. Tum enim Spiritus torpere & calorem nativum ſuffocari neceſſe eſt, non ſecus ac ſcintillas ſub cineribus, niſi quis eas ventilet. 2. nimium & intempeſtivum ſtudium, & præpoſtera ingenii occupatio. Calor enim hinc debilitatur, Spiritus abſumuntur, inprimis ſi quis nocturnis vigiliis ſe macerat, aut mox poſt adſumptum cibum. Et huc facit, quod Seneca alicubi ſcribit: Arcus nimium intenſus rumpitur, nimis laxus telum non vibrat: ſic & memoria. 3. Ictus vel caſus, vel lapſus, Cerebrum validè concutiens, non ſecus ac per terræ motum integra ædificia ſternuntur humi. 4. Morbus, aut pharmacum venenoſius aſſumptum ſæpiùs imbecillem facit memoriam, ſive id fiat propter malignam quandam qualitatem, cerebro aſperſam, ſeu propter nimium fervorem, nimiumve frigus.

Cauſarum internarum hæc eſt ſeries 1. inconcinna & præternaturalis capitis conformatio, qualem Therſiti fuiſſe conſtat ex Homero. 2. Intemperies Cerebri frigida aut ſicca, humida aut calida nimis. 3. Spirituum animalium inopia aut impuritas. 4. Hæreditaria diſpoſitio.

Modus cognoſcendi Cerebri ſui temperiem ſummoperè neceſſarius eſt, ut ſciatur qualia medimamenta Cerebro ſint adhibenda, ne aliquis error hac in re committatur, nec id accidat quod Sutori applicanti unum calopodium omnibus hominum pedibus. Jam antè diximus, perfectiſſimam memoriam naturalem reſidere in moderata & æquabili qualitatum temperie. Ab hac perfecta temperie recedit Cerebrum, quando una ex illis excedente peccat, his indiciis deprehendenda. Qui Cerebro ſunt ſicco, hi parum dormiunt; plurimum vigilant, Vigiliæ enim à ſiccitate, Iidem ægrè aliquid addiſcunt, ſed diutiſſimè retinent. Vox illis aſperior, capilli criſpi & ad nigredinem accedentes, citò calveſcunt: Caput aliàs & mentum habent ſatis piloſum. Color faciei gilvus & luridus. Caput macilentum. Tempora collapſa. Ex naſo itidemque ore pauca ejiciunt excrementa pituitoſa, denique à rebus ſiccioribus facillimè læduntur. Humidi Cerebri ſigna, Somnus profundus & longus, adeoque promptiſſima dormiendi lubido: Vigiliæ paucæ, & quæ difficulter feruntur: Promptè hi res quaſque ediſcunt, ſed facillimè iterum obliviſcuntur, ſcilicet, quæ humida ſunt, facile patiuntur ſibi imprimi lituram, ſed quæ iterum ocius obliteratur. Judicium his acutum, Excrementa capitis plurima. Caput tumidum: Oculi humecti, Lingua languida, & quaſi humore obruta. Venæ ſepultæ & parum conſpicuæ in capite: à rebus nimis humidis læduntur. Calido donatis Cerebro ſenſus omnes vegeti: membra omnia mobilia: ſenſationes cæteræque capitis actiones promptæ: judicio & memoria inſtabiles propter nimiam Spirituum agitationem: raro diu affixi manent uni negotio, ſed mutabiles ſunt & inconſtantes: ſomnus illis eſt paucus: ſomnia plurima admodum mobilia: vox gravis & virilis: excrementa capitis perpauca: facies macilentior, capilli criſpi, barba citò prorumpens & denſa: Venæ capitis conſpicuæ: difficulter ferunt res calidas & ab his læduntur.

Frigidi homines Cerebri deſides ſunt, admodum ignavi, oſcitantes, ſtupidi, ſenſus omnes habent pigros, nihil altum aut ſublime ſpirant, ſemper labuntur in ſomnum: ingenium & memoria obtuſa, excrementis, & inprimis catarrhis ſæpiſſimè torquentur, capilli plani, oblongi, albicantes.

Antequam de Medicamentis dicamus, judicandum de quæſtione illa: an liceat interdum poſt uſum Medicamentorum Mnemonicorum hilarius vivere, ſine memoriæ damno? Multi exiſtimant oportere eum mundo emori, & ſubducere ſe omnibus conventibus familiaribus, qui per Medicamenta memoriam ſtabilire ſatagit. Ego vero non invideo Studioſis, ut interdum ad hilarius refocillandos Spiritus vivant, dummodò modus non excedatur. Medici præſcribunt & concedunt vulgariter ſingulis menſibus ſemel bibendum eſſe ad ebrietatem. Hinc enim ſomnus concitatur profundior, ſudor item largior, & per vomitum noxia quæque ejiciuntur. Anne etiam ſtudioſo Mnemonicæ hoc privilegium conveniet? Sic ego cenſeo, duplicem eſſe ebrietatem, unam illicitam, quam Philoſophi vocant voluntariam inſaniam, cum aliquis ſe ingurgitat, ut nec pes nec manus nec lingua faciat officium, ut quis penitus obſtupeſcat, & differre videatur nihil à beſtiis. Hæc cùm Sanitati, tòm Memoriæ inimiciſſima eſt. De hac ſi Medicorum præceptum intelligendum, nimis ſe turpiter dederunt, qui ejus fuere autores.

Somnus

Somnus enim quidem inde profundus, ſed qui caput crudis vaporibus replet, ſenſus omnes obnubilat, actiones omnes hebetiores reddit, adeoque caput dolore & labore perfundit; ſudor itidem hoc caſu è corpore profluens, quid aliud eſt, quàm bona pars nimis ingeſti potus? Idcircò bibere ut vomas, turpiſſimum eſt, cum ad manus queant eſſe Medicamenta vomitiva blandiſſima. Et quid aliud ejicitur per Vomitum quàm reliquiæ crapulæ ipſius? Et quid, ſi natura ipſa ſuccumbat tanto preſſa onere? Porrò alia ebrietas eſt honeſta & licita, quando ad exemplum Catonis, cujus fertur ſæpè mero caluiſſe Virtus, ad exemplum Senecæ & Platonis, vir ingenuus ſeſe invitat pluſculum, tùm propter hilaritudinem honeſtam, tùm propter refectionem virium: nimirùm continuis lucubrationibus cerebri caro & ſpiritus debilitantur pluſculum. Itaque ſi quis liberaliori hauſtu vini ſinceri & limpidi ſe invitat, tantum abeſt ut damnum inde perſentiſcat, ut potiùs Cerebri & totius corporis calor exſuſcitetur, ſpiritus refocillentur, memoria cæteræque functiones fiant vegetiores. Illud tamen ſemper inculcamus: Ne quid nimis!

Pergimus ad Medicamenta. Nota, ante illorum uſum præmittenda generalia, hac quidem methodo.

Initio Veris, quod tempus huic negotio aptiſſimum eſt, aſſumenda lenis purgatio majalis, eaque continuari per triduum debet, ut omnis ſaburra humorum ex inferiore corpore expurgetur.

℞. Acid. Tartari. ℈j. Gialap. reſinoſ. ℈ß. Reſin. gialap. g. ij. Scammon. g. j. M. F. pulv. *S. Laxier pulverlein auff einmal.* Detur in decocto prunorum.

Si plethora indicet V. S. adhiberi poteſt. Denique per ſemimenſem aut circiter tenuior diæta, & victus ratio ſolito magis ſobria erit obſervanda. His generalibus præmiſſis particularis pharmacia in his 4. ſequentibus conſiſtit: 1. in apophlegmatiſmo. 2. lotione capitis. 3. uſurpatione ſpiritus vel aquæ magnanimitatis. 4. inunctione cervicis, temporum vel capitis.

I. Apophlegmatiſmus: ℞. Nicotian. recent. & ſucculent. Mij. rad. pyrethr. Maſtich. utriuſque an. ʒiij. Zinziberis ʒj. Omnia pulveriſata M. cum pauxillo mellis, ut fiant globuli vel pilulæ mediocris magnitudinis. Hæ pilulæ jejuno ſtomacho ori induntur, attrahuntque blandiſſimo conatu pituitoſos & frigidos humores è Cerebro verſus palatum, qui omnimò ejici poſtulant. Poſſunt uſurpari hæ Pilulæ ad omnes capitis affectus frigidos, quocunque anni tempore, ſed ad noſtrum inſtitutum jucunda illarum uſurpatio Vere, menſe Martio.

II. Poſt uſum hujus caput lavari debet ſequenti lotione:

℞. Herb. meliſſ. majoran. roſmar. fol. laur. a. mj. fl. lavend. lil. convall. ril. ſtœchad. a. p. j. Coq. in Vini Gallici menſura 1. ad conſumpt. tertiæ partis: abluatur caput & benè extergatur: interpoſitis 4. vel 5. diebus iterum lavetur.

III. Spiritus magnanimitatis, vel aqua Herculea, quæ utramque in hoc proceſſu abſolvit paginam, nec ſolùm admirabilis eſt ad augendam Memoriam; ſed etiam incredibilem audaciam conciliat meticuloſis, cujus hæc confectio.

℞. Spir. Vini Malvatici ſubtiliſſ. q. ſ. in eo macera per 14. dies. Herbas ſeq. Baſilic. majoran. ſalv. meliſſ. puleg. a. mß. Flor. borag. ſalv. primul. ver. roſmar. lil. convall. a. p. j. Debito modo maceratis herbis deſtillentur per MB. Hunc Spiritum impregnatum ſerva ad uſum ſequentem. Menſe Junio circa Solſtitium quære alicubi nidum aut monticulum formicarum. Ille autem nobilior & aptior erit cæteris, qui 1. manu percuſſus acidum quendam nidorem ſpirat. 2. cujus formicæ nulla ova collecta habent, 3. cujus formicæ nigræ ſunt & majuſculæ. Rubræ enim & exiliores minùs bonæ. Hunc formicarum cumulum aperito, & habe ad manum aliquod vas vitreum, latioris Orificii, cui infunde 4. part. menſuræ Spirit. Vini antè deſcripti. Videbis protinus formicas adſcendere, & irrepere in vas, illud allectas fragrante odore. Ita in vas tuum collige quatuor aut quinque manipulos formicarum, poſtea bacillo aliquo ligneo eas probè commove, ut omnes ſuffocentur. Vas hoc cum formicis, quibus neceſſum eſt, ut protinus integram menſuram tui ſpiritus Vini affundas, adhuc expone Solis radiis per dies 14. Tandem elice ſpiritum ex tota illa maſſa, eique adde ſequentia, confect. anacard. cinam. a. ʒj. Croci ʒß. Moſchi gr. 12. quibus omnibus probè permiſtis perfectè paratus eſt Spiritus magnanimitatis. Hujus unum cochlear jejuno ſtomacho in bono hauſtu vini aſſumptum, idque 3. aut 4. vicibus iteratum (interpoſitis duobus aut tribus diebus ſingulis hauſtibus) Memoriam conciliat admirabilem, & ferè dicam plus quàm humanam, ſi quis rectè ſe gerat.

IV. Inunctio ſeu linimentum, quo inungenda cervix & tempora, continuato uſu 3. vel 4. dies.

℞. Nicotian. recent. non exſucc. Mij. baſilicon. meliſſ. prim. ver. majoran. a. Mj Contund. omnia in mortario, fiatque exinde cum Ol. Oliv. & butyro inſulſo maſſa quædam, cui poſtea affunde ſpir. vini Rhenan. ʒiij. Vini malvat. ℥iij. Trigon. borag. bugloſſ. majoran. pœon. a. ℥ß. Omnia hæc coque in Vaſe vitreo ad conſiſt. vel craſſitiem, unguenti, quo utendum manè & veſperi. Quarta pars omnium doſium præcedentium harum eſt: Mß. p. j. ℈ii ß. ʒ vi. ʒj. *De Petri Laurenbergij.*

MENSTRUA PURGATIO & eam attinentes morbi.

De Menſtruâ purgatione, ac ejus cauſis abundè ſatis diſſerunt Anatomici, ac inter eos dilucidè admodum Clar. Iſbrandus de Diemerbroëk ipſeque etiam Clar. Gualtherus Charleton, tractatu de Uteri Rheumatiſmo; qui ea propter poſſunt conſuli. Nos hic unum adducemus Clariſſ. Franciſcum Bayle, qui ſua de Fluxus menſtrui mulierum Diſſertatione ſic habet.

Fluxus Oceani reciprocus non magis priorum ſeculorum Philoſophos inani labore exercuit, quàm Medicos fluxus menſtruus mulierum.

In utroque enim ſtatæ periodi, & arcanum quoddam naturæ myſterium, ſtupentes omnium animos admiratione defigunt. In utroque curioſa hominum ingenia, ſcrutandæ originis, & gloriæ conſequendæ prurigo ſuccendit. In utroque denique ardua difficultatum perplexitas, & varia naturæ phænomena, impoſſibilem eſſe tanti laboris exitum ad hoc uſque ſeculum ſuaſerunt.

Sed vicit tandem noſtrâ ætate difficultates omnes Oceani, improbus labor ac ſolertia mortalium; qui non ſolum Deo propitio, omnes ejus plagas, atque oras emenſi ſunt; verùm etiam originem æſtuum, ac tantorum motuum veram cauſam feliciter ſunt aſſequuti. Quidni etiam & nos idem circa fluxum mulierum Deo auſpice præſtare, & Spartam quam nacti ſumus ornare moliamur? ut ſi forte ſcopum aſſequi non liceat, propius quàm cæteri acceſſiſſe videamur. Nec ſolum me ad diligentem illam diſquiſitionem, nobile virtutis ac gloriæ œſtrum ſollicitat; ſed felix inſuper compellit atque excuſat neceſſitas. Cùm enim mihi Cathedram Hippocratis ambienti, hoc fuerit traditum argumentum ſolertiæ ac ſcientiæ exhibendæ; majus mihi ex fuga præſcripti laboris dedecus immineret, quam poſſit ex parum felici audaciȩ ſucceſſu formidari. Cùm itaque jacta ſit alea, ad rem ipſam aggredior. Et ne fruſtra me excruciem in quærendis rebus forte jam inventis, videndum priùs eſt, quid de menſtruo mulierum fluxu, ejuſque cauſis, hactenus ſenſerint Medicinæ Proceres. Inter quos, quia tantum Galenus caput extulit, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi; quid ipſe fuerit hac in re opinatus, primùm exponam: moxque reliquorum, qui poſt ipſum floruerunt, ſententiam communem ſubjiciam.

Galenus quidem lib. de venæſect. adverſus Eraſiſtratum, hæc habet οὐκ αὐτὴ [φύσις] γυναῖκας μὲν ἁπάσας ἐφ' ἑκάστῳ μηνὶ κενοῖ τὸ περιττὸν ἀποχέουσα τοῦ αἵματος; ἔδει γὰρ οἶμαι οἴκοι τὸ θῆλυ γένος, οὔτε ἰσχυροῖς διαιτώμενον, οὐδ' ὁμιλοῦν ἡλίῳ καθαρῷ καὶ δι' ἄμφω ταῦτα πλῆθος ὑποτρέφον ἴαμα φυσικὸν ἔχειν τοῦ πλήθους τὴν κένωσιν.

Nonne (natura) ipſa mulieres cunctas evacuat, ſingulis menſibus, ſanguine ſuperfluo foras effuſo? Muliebre enim genus, ut quod domi ageret neque vehementibus laboribus exerceretur, aut ſub claro ſole viveret, ac ob utraque hæc multitudinem humorum coacervaret; ipſam evacuationem plenitudinis, tanquam remedium naturâ obtinere opus habebat. Et rurſum idem Galenus, in finitionibus Medicis, hæc docet: τὰ καταμήνια παρέχεται τῇ γυναικὶ πρὸς ὑγίειαν ἐκκενούμενα ἐπισχετέα δὲ διὰ τὴν σύλληψιν τῷ ἐμβρύῳ τὴν τροφὴν παρέχει.

Tribuuntur mulieri menſtrua, quæ ſanitatis gratiâ vacuentur: embryoni autem nutrimentum præbeant, per conceptum ſuppreſſa. Ex his duobus locis intelligitur, cur mulieribus menſtrua fluant, juxta mentem Galeni. Quòd autem menſtruo circuitu fluxus ille recurrat, refert idem Galenus in Lunæ influxum in hæc inferiora, lib. 3. de diebus decretoriis cap. 2. ubi poſtquam de actione corporum cœleſtium in terrena diſſervit, ita loquitur. καὶ καρποὺς ἐν παχύνει. καὶ τὰ ζῶα πιαίνει καὶ τὰς τῶν καταμηνίων ταῖς γυναιξὶ προθεσμίας διαφυλάττει.

(*Luna*) igitur fructus auget, incraſſatque; animantia implet. Ad hæc, menſtruorum ſtatum tempus mulieribus conſervat. Eorum, qui poſt Galenum Medicinam excoluerunt, circa menſtrua mulierum ſententias ſigillatim referre, tædii plus & laboris haberet, quàm utilitatis; cùm omnes ferè verbis quibus exponuntur tantùm diſcrepent; re eædem ſint cum Galeni ſententiâ. Quam, ob ſummam tanti viri autoritatem, defendere poſteriores Medici ad hæc uſque tempora in maximâ laude poſuerunt; contra ire piaculum putarunt; ultra progredi, aut nova moliri, temerarium. Sat igitur erit paucis complecti, quod fuit ſemper apud ipſos maximè comprobatum.

Mulieres, inquiunt illi, ad concipiendum, & ad nutriendum in utero fœtum ad certos incrementi terminos deſtinatæ, debuerunt ita à ſupremo conditore comparari, ut majorem ſanguinis copiam gignerent, quàm eſſet neceſſarium ad proprii corporis ſuſtentationem. Sic enim factum eſt, ut ſuperfluus ſanguis graviditatis tempore in fœtus alimoniam citra ullum matris incommodum impendatur. Inde etiam orta eſt neceſſitas menſtruæ purgationis in iis mulieribus, quæ nec nutriunt; nec in utero gerunt: ne ſanguis, quem in aliena commoda cumulant, copiâ vires opprimens, in ipſarum perniciem cedat. Ecce ipſiſſimam Galeni ſententiam clarioribus verbis conceptam, cum quo etiam communiter cenſent Medici periodorum cauſam eſſe lunam; quæ ſuis variis phaſibus, pro varietate temperamenti, aut ætatis, mulieribus, menſtruo quidem intervallo, ſed aliis alio tempore, fluxum promovet, juxta vulgatum verſiculum:

Luna vetus veteres, juvenes nova luna repurgat.

Adjiciunt aliqui aliam periodorum cauſam, decentiam. Cùm enim, inquiunt, neceſſe ſit mulieres vacuari ſanguine ſuperfluo, decuit illam vacuationem per quædam intervalla fieri; ne, ſi continua foret, eæ eſſent ſuis viris minùs acceptæ.

Hæc ſunt apud Autores vulgatiſſima: nos ſingula ſigillatim attentius conſideremus. Natura mulieres evacuat ſingulis menſibus: muliebre enim genus evacuationem plenitudinis ob otium collectæ, tanquam remedium, naturâ obtinere opus habebat, &c. inquit Galenus, ejuſque ſequaces. Huic ego Galeni ſententiæ, & aliis tanti viri effatis debitam reverentiam nunquam denegabo. Verùm non poſſum ſiſtere gradum; longius enim trahi me ſentio ſtudio & lumine veritatis, & eò lubentiùs hunc mentis ſequor impetum, quo certior ſum noluiſſe Galenum ut potior ratione eſſet ullius autoritas, ne quidem ipſius Hippocratis. Quis autem non videt Galenum, in hac quæſtione, id exponere, quod eſt perſpicuum; quod verò obſcurum eſt, ſine expoſitione relinquere? Docet experientia mulieres menſtruo ferè circuitu per uteri vaſa ſanguinem profundere; neque hac de re quiſquam dubitat; idque cùm conſtanter fiat, manifeſtum eſt, mulierum corpus à ſupremo opifice ita fuiſſe compactum, ut menſtruo circuitu evacuetur. Illud erat inquirendum, quod non attigit Galenus, & de quo, qui poſt eum ſcripſêre, vix cogitarunt; quæ vis? quæ inſtrumenta ſint adhibita? quibus, per certa intervalla, ex naturæ præſcripto, ſanguinis illa evacuatio concitatur, & perficitur.

In-

Inſurget ſententiæ Galenicæ defenſor, dicetque, menſtruæ mulierum vacuationis cauſas à Galeno, loco à me citato, clarè ac perſpicuè fuiſſe expoſitas, & ea ſerie quâ aliæ ab aliis dependent. Etenim ſi proxima quæratur vacuationis cauſa, aſſignat Galenus plenitudinem; ulteriùs hanc ait cumulari ob vitam deſiden: deſidiam denique refert in mulierum naturam quâ fuerunt à ſummo conditore donatæ ob fines locis citatis recenſitos; ut ſcilicet mulieres gravidæ, quem continent in utero fœtum, ſine incommodo poſſent ſuperfluo ſanguine nutrire, quem in otio cumularunt, &c.

Cùm hæc aliquam præ ſe ferant veri ſpeciem, nec leve momentum conferat Galeni autoritas, facile poſſent minùs cautum & ſegniùs res conſiderantem deludere. Verùm ſi ſingula accuratiùs expendamus, ſtatim patebit, quàm inani fundamento nitantur. Galenici aſſerunt mulieres eſſe ad deſidiam natas. Contrarium ſanè ſuadent hiſtoriæ Amazonum, & mulierum Spartanarum: contrarium teſtantur noſtris temporibus, quos ſubeunt labores, mulieres ruſticæ, & quæ caſtra ſequuntur. Amazones olim quamvis eſſent ab otio & deſidiâ maxime alienæ, quamvis ſub dio vitam agerent, & aſſiduis militiæ laboribus exercerentur, menſtruo tamen circuitu purgabantur, concipiebant, & pariebant; quod idem in mulieribus ruſticis & caſtrenſibus licet obſervare. Unde manifeſtum fit, ad menſtruam mulierum vacuationem nullatenùs opus eſſe eâ plenitudine, quæ per otium & deſidiam cumuletur. Adde quod plurimæ ſtatas habent vacuationis periodos, quibus ſanguinis copia infra mediocritatem conſiſtit: & aliquando plenitudo ipſa impedit conſuetam vacuationem, quæ non ante concitatur, quàm fuerit per venæſectionem ſanguinis multitudo imminuta. Verùm demus ſententiæ communis defenſoribus menſtruam mulierum vacuationem promoveri à plenitudine, per otium aut aliam quamvis cauſam collectâ: ipſorum erit cauſam aſſignare, quæ efficit, ut ſanguis potiùs per uterum, quàm per aliam quamvis partem vacuetur. Eam profectò nunquam ex poſitis principiis deducent; quin potius contrarium omnino ex iis inferri facilè poteſt. Etenim ſi ſanguis ideo profunditur, quia multitudine excedit, & vaſa diſtendendo, eorum oſcula aperit; manifeſta conſequutione deducitur, ea vaſa, quæ ſunt debiliora, citiùs à diſtendente plenitudine apertis oſculis, exitum ſanguini eſſe datura; & eâ de cauſâ ante patebunt vaſa ſanguinea narium, pulmonum & aliarum partium (quod aliquando contingit) quam vaſa uteri. Sanguis enim deponitur ab arteriis uteri in tubulis membranaceis, quorum oſcula plurima in cavitatem uteri vergunt; qui tubuli præterquam quòd denſa uteri ſubſtantia firmantur, ipſi ſunt adeo validi, ut ſit antè metuenda ruptio majuſcularum venarum, quàm ipſorum dilatatio; niſi ab aliquâ cauſâ accerſatur mollities, quâ fiat, ut vel à ſanguine exitum quærente facilè dilatentur, vel etiam ſponte laxentur, unde patet plenitudinem non ſufficere ut vacuatio per uterum perficiatur. Uerùm ulteriùs & attentiùs perpendamus quam adverſarii afferunt cumulandæ plenitudinis neceſſitatem in mulieribus; ut ſcilicet in gravidis exceſſus ſanguinis cedat in fœtus nutritionem, &c. Quam aliena hæc ſunt à magnis Doctoribus; quam inconſideratè dicta! quàm levi aut nullo examine ſtabilita? quàm parum redolent exquiſitam naturæ notitiam! Quid dicent tanti viri de vaccis, equabus, ovibus, aliiſque animantibus viviparis, quæ non ſecus ac mulieres concipiunt, & ſuos fœtus in utero nutriunt? An uberiorem quam opus ſit pro corporis ſuſtentatióne ſanguiné gignunt? ſi negent, quomodo fœtum in utero nutriunt? Si affirment, quò abit, quæſo, in non gravidis ille exceſſus? Nec enim ullas patiuntur ſanguinis vacuationes menſtruas, aut alio quocumque circuitu. Dicent fortè in pilos abſumi. At quis pili æſtimet iſtam reſponſionem? Etenim equæ & reliquæ animantes, cùm ſunt gravidæ & ſuos non minùs retinent & nutriunt pilos, quàm reliquo tempore. Optarem ut ex ſuâ iſtâ hypotheſi nos docerent qui fiat ut inter ſimias omnis generis fæminæ, non ſecus ac mulieres, menſtruas purgationes patiantur; cùm ferè reliqua bruta ſint prorſùs immunia ab ejuſmodi ſanguinis profuſionibus. Unde deducent rationem tam inſignis diſcriminis? ſimiæ enim ſunt non minùs quàm equæ & canes, hirſutæ. Miror Galenum, qui ſimias quàm plurimas ſecuit, & vivas & mortuas, hujus phœnomeni cauſas in corporis ſtructurâ non quæſiviſſe; & poſteriores Medicos neglexiſſe iſtam inquiſitionem, quamvis curioſam, & variis mulierum affectionibus explicandis utiliſſimam, ſi rectè inſtituatur. Ex his, niſi qui fuerint Scriptorum auctoritati ſerviliter addicti, præjudiciis excæcati, & indomitâ pervicaciâ ſuorum errorum tenaciſſimi, luce clariùs agnoſcent fluxus menſtrui mulierum cauſas efficientes & finales ab antiquis Medicis fuiſſe perperam aſſignatas.

Nec profectò feliciore eventu, quid ſtatas efficeret ejuſdem fluxus periodos, inveſtigarunt. Docetque experientia quàm fœdè decipiantur ii, qui aſſerunt illas menſtruo Lunæ motu ac influxu regi, & variis aſtri illius phaſibus, pro varietate ætatis, mulierum fluxum concitari; cùm cujuſcumque ætatis mulieres, quâcumque Lunæ phaſe vacuentur; cùmque aliis mulieribus vacuationis periodi ſint triginta dierum, aliis viginti, aliis inter hos terminos mediæ, pauciſſimis longiore aut breviore ſpatio contineantur; quæ omnia à communi ſententiâ ſunt prorſus aliena. Quid futilius alterâ peridiorum cauſâ, quam à decentiâ deducunt? Hoc enim non eſt cauſam aſſignare, ſed de Dei optimi, maximi operibus, ex hominum utilitate, & commodis judicare.

Jam mihi videor clarè & perſpicuè demonſtraſſe communem de menſtruo mulierum fluxu doctrinam nihil habere, in quo poſſit mens conquieſcere. Quapropter exploſis futilibus ſententiis, aliò eſt mentis acies convertenda. Et quia non ita facile eſt in ipſis uteri anfractibus intueri, ea accuratiùs inſpicienda ſunt, quæ ſimile quid cum utero patiuntur, & minùs abſtruſas habent ſuorum phœnomenon cauſas; ut ab his, ſin minùs certiſſima via ſternetur ad ea quæ quærimus, ea ſaltem paretur, quâ proxima ad ipſa accedamus.

Obſervemus itaque quæ ſummam habet cum utero mulieris ſimilitudinem. Eſt enim terra

quida m uterus, tum injectorum, tum inſitorum ſeminum: & viciſſim uterus meritò cenſetur ager ſerendis animalibus à naturâ deſtinatus. Ut hic, ita illa, commiſſa ſibi ſemina fovet blando calore, quo ſopitam vim genitalem germinis excitat, ipſique ſuccum, quo perfunditur, ad incrementum ſuppeditat. Non tamen quævis terra eſt fœcunda, nec quæ fœcunda eſt, vim ſuam poteſt quovis tempore exerere. Debet enim injecti vis germinis externo ſed blando calore ſuſcitari, & idoneus humor accedere, quo ſeminis alba ſubſtantia diluatur, & in ſuccum lacteum germini nutriendo idoneum commutetur. Eâ de causâ neceſſe eſt prius terram incaleſcere, cæcoſque ejus meatus laxari; ut iis humorem excipere, attenuare, percolando variè alterare, & in ſemen philtro veluti deducere poſſit. Ad illos omnes effectus neceſſe eſt multa concurrere; quibus perſpectis, non ſolùm terræ, ſed etiam uteri interior ad fœcunditatem virtus innoteſcet, & aperietur via ad inveniendas cauſas admirandorum circa ſubjectam materiam phœnomenôn.

Ac primò quidem, qui requiritur moderatus calor, is excitatur, nunc concepto in terræ penetralibus fervore à retentis halitibus calidis ob frigus ambientis aëris, à quo terræ meatus inſenſiles obſtipantur: nunc extrinſecus accedit à ſole, aut ab igne per artem convenienter admoto. Aut potiùs neceſſe eſt alternis vicibus, nunc ab illa, nunc ab hac cauſa terram incaleſcere; ut qui per calorem in plantarum nutrimentum excoquuntur in terræ meatibus ſucci, modò uberiùs in radices, ut fit hyeme; modò, ut fit vere & æſtate, in caulem largiùs impendantur. Non ſufficit tamen ſolus calor, quocumque gradu & à quacumque cauſa productus ad terræ fœcunditatem: Fermento opus eſt, à quo blandus fervor interiùs excitetur, & auxiliante calore externo, nunc intenſiore, nunc remiſſiore, pro variâ plantarum procreandarum indole, terra ſecundum particulas inſenſiles exagitetur, rareſcat, laxeturque. Id præſtant ſales varii, quos eâde causâ vegetabiles appellant Chymici; inter quos nitrum eximias obtinet virtutes. Is enim ob ſummam mobilitatem & ad penetrandum aptitudinem, terram facillimè permeat, ejus particulas exagitat, ſeparat, attenuat, meatus cæcos excavat; hinc terra evadit ſpongioſa, friabilis, & humori facile pervia. Denique neceſſarius eſt humor, ſeu irrigatione, ſeu decidentibus convenienti tempore pluviis affuſus, qui factos à fermento, ſeu nitro, aliove ſale ductus facilè ſubit: aut potius, ut in philtrationibus obſervamus; neceſſariò à vi quacumque rapitur in exiliſſimas ipſorum cavitates; in iiſque dum excurrit, ſubigitur, ac idoneas acquirit qualitates ad plantarum nutritionem; eodem fermento, quod terram præparavit, nutrimenti ejuſmodi coctionem promovente. Hinc ſtercora, quæ multo ſunt nitro aliiſve ſalibus vegetabilibus referta, ſparguntur in agris, quibus mox ſunt ſemina committenda. Hinc Virgilius 1. Georg. jubet aquâ nitratâ perfundere injicienda in terram ſemina.

Ut in terrâ fœcundâ, ita in omnium animantium uteris ad conceptum idoneis obſervantur illa eadem, quæ fœcunditatem efficiunt, aut comitantur, aut conſequuntur. Fervor, & quæ conſequitur ſubſtantiæ rarefactio aut relaxatio, humorum præparatio, ac deductio, &c.

Oviparæ animantes ſtatis temporibus uteri fervorem patiuntur; quamvis negare videatur Ariſtoteles, in eam fortè ſententiam adductus, quod vigente illo fervore nullus extillet humor. At fervor ille in oviparis manifeſtus fit, ex eo quod ejus generis fœminæ ferè certis tantum temporibus ova pariant, & mares admittant, ſtimulo ſcilicet veneris incitatæ, quem facit uteri, fervor, dum pudenda rapidiore ſanguinis & ſpirituum motu titillat. Illo uteri aut ovarii fervore, ſi fuerit intenſior, gallinæ & reliquæ animantes è genere volatilium ad incubatum diſponuntur; illo totius corporis calor intenditur; unde uberiore factâ candidiorum halituum expiratione faciliùs germinis ovorum, quæ fovent, ſopitam vim ſuſcitant; eodem fervore ob nimiam vehementiam depopulante ſubſtantiam, & alimoniam partium abſumente, incubationis tempore macileſcunt; eodem tum irritante, tum ſuppeditante uberiorem ſpirituum copiam, ob inſignem ſanguinis rarefactionem, quæ antea erant timidæ & manſuetæ, audaciores evadunt, ferociores & robuſtiores. Iſti omnes effectus ſanguinis inſignem effervefcentiam teſtantur, quæ fit evidentior, ex eo quod effectus illi accelerentur, ſi gallinis ea exhibeantur, quæ vim habent inducendi fermentationem: contra retardentur aut omnino impediantur iis, quibus fermentatio extinguitur; cujuſmodi ſunt in aquam frigidam immerſio frequens. Is fervor, cùm ſit fœminarum proprius, ab ea proculdubio parte oritur quæ eſt earundem propria.

Quod attinet ad viviparas; vaccis, equabus, canibus, &c. fervor ille uteri recurrit ſtatis temporibus; quo durante tenue quid per illam partem effunditur, ſed paucum, ut ſenſum effugiat, niſi quis accuratius obſervet. At quo tempore vehementiùs illæ animantes ad venerem incitantur, magis æſtuat uterus, pudenda tumidiora; & equæ, quæ tunc equire dicuntur, largiùs profundunt ſeroſum quid, Hippomanes appellatum. Hoc olim credebatur ad philtra adhiberi; unde apud Poëtam legitur, *Hippomanes, quod ſæpe malæ legêre novercæ.*

Hujus appellationis cauſa fuit, quia quo tempore profunditur, equæ furore quodam aguntur; œſtro enim veneris incitatæ, caudam jactant, frequentius meiunt, huc & illuc vagantur, ut vix quieſcant; aliquando etiam urgente pruritu pudenda arboribus affricant; quæ omnia certiſſima ſunt æſtuantis ſanguinis in utero ſigna. Simile quid accidit vaccis, canibus, & cæteris, aliis magis, aliis minùs.

Fervor ille uteri in mulieribus & ſimiis menſtruo ferè circuitu recurrit, fitque cum inſigni ſanguinis profuſione, quam mulieres patiuntur ab anno decimoquarto, aut duodecimo, ad quinquageſimum ferè, vix citiùs aut tardiùs. Fluxum illum ſanguinis cum quodam uteri fervore contingere, præter allata ſuperiùs probatur, quòd imminente menſtruâ illâ purgatione, æſtus circa uterum ad ſpinam percipitur, fitque quædam in vicinis partibus tenſio, quæ interdum ad coxas extenditur, & ſenſum infert laſſitudinis. Aliquando ſi nimis æſtuet uterus, nec

facilis

facilis pateat, effluxui via, tota ſanguinis maſſa exagitata in univerſo corpore tenſionem quamdam efficit, & modò in his, modò in illis partibus phlogoſis quædam excitatur. Præterea tunc uterus laxatur, non ſolùm aperto orificio interiore, & tubulorum ipſius oſculis reſeratis, ſed etiam ſubſtantiâ rariore factâ. Hinc uterus tunc major eſt, quam reliquo tempore. Hinc reſeratis vaſis, facilis patet exitus attenuato per eundem fervorem ſanguini.

Præterea fervoris illius neceſſitas evincitur ex uteri fœcunditate, & modo, quo fit conceptus; hoc enim fervore dum dilatatur uterus, aperiuntur viæ inconſpicuæ, quibus ſemen maſculinum interius excipitur; nec enim hæret in uteri cavitate, ſed in ipſius ſubſtantiam imbibitur, ubi fœminei ſeminis permiſtione turgeſcit, & radices agit, quibus delatum per apertos fervore meatus ſuccum nutritium accipit. Deinde, ut in terra ſolent plantarum ſemina, caulem profert carneum, placentam ſcilicet uterinam, ex qua fructus inſtar erumpit ovum, cui ex germine liquamini innatante adnaſcitur alia planta mox migratura in animal, tandem in hominem, ſi ex humano ſemine fuerit excitata. Placuit hæc pauca de generationis animalium progreſſu attingere, & curſim notare quàm fœdè in hac inquiſitione lapſi ſint antiqui, & recentiores plurimi, ſeu negligentiùs res obſervando, ſeu intemperantiùs fidem aliis adhibendo.

Ex his patet, quàm malè olim Ariſtoteles, & hoc ſeculo Harvæus, in uteri cavitate injectum nuper ſemen quæſiverunt, patet præterea quàm rectè Hippocrates ſubjecto ſuffitu mulierum fœcunditatem explorabat; *Aph.59. Sect.5.* tenuis enim aromatum halitus facilè ad ſuperiores corporis partes per uterum penetrat, ſi hujus ſubſtantia fuerit conveniente fervore relaxata, & ad fœcunditatem diſpoſita; Horum omnium phœnomenôn concurſu manifeſtum fit omnis generis animantium fœminas certis temporibus fervorem uteri pati, ab eoque fluxus varios excitari. Poſtquam igitur eò fœliciter pervenimus, quâ cœpimus viâ, ad propoſitas metas pergendum eſt; & ut nihil in hac inveſtigatione deſideretur, inquirendum eſt, quæ ſit cauſa fervoris uteri; quare ſtatis periodis recurrat; quare denique in mulieribus & ſimiis ſanguinis profluvium concitetur, cùm equæ canes & aliæ animantes ſeroſum quid, idque paucum ab illo uteri fervore profundant; & quomodo cum primariâ illius fervoris cauſâ conſentiant tam admiranda ſymptômata: in qua inquiſitione, à cauſâ fermentationis ſumendum erit exordium.

Quamvis maximè admiranda naturæ phœnomena à fermentatione dependeant, de eâ ejuſque cauſis vix quidquam in ſcholis vulgò docetur: nec ego illam tractationem fuſiùs proſequar; ſed tantùm quod ſatis erit ad eum quem mihi popoſui ſcopum ſummatim attingam.

Fermentatio eſt motus inteſtinus inſenſilium particularum corporis fermenteſcentis, quo motu illæ particulæ variè exagitantur. Cauſa proxima illius motus eſt ignis in moleculas confertiores collectus: quæcumque verò cauſa efficit, ut ignis ita colligatur, ea vulgò cenſetur fermentationis effectrix, & fermentum appellatur.

Ariſtoteles olim opinatus eſt, ut patet ex l.3. de gen. anim. cap. 11. eas, quæ ſponte fieri dicuntur fermentationes & animalium generationes per caloris comprehenſionem excitari: verùm cum calor non comprehendatur, cenſendum eſt, Ariſtotelem intellexiſſe non qualitatem, ſed ſubſtantiam calidam, ipſumque ignem, quem idem Ariſtoteles appellat primum caloris ſuſceptivum.

Quare Theophraſtus ſcholæ peripateticæ addictiſſimus l. de igne, docet fermentationem excitari per collectionem ignis. Nec difficile eſt ignis illam collectionem clarè & perſpicuè intelligere, ſi quis noverit ignem plurimum per aërem eſſe diffuſum, plurimum per cæcos terræ meatus excurrere; neceſſe enim eſt à tenuiſſimis ignis particulis exiliſſima partium aëris, aquæ, ac terræ interſtitia repleri; cùm nec vacua eſſe poſſint, nec materiam craſſiorem admittere. Quibus ratione potior eſt autoritas, ii conſulant Ariſtotelem, conſulant Galenum; comperient illum lib.1. meteor. cap.4. aſſerere aërem eſſe multo igne refertum; * hunc idem affirmare in libris de decretis Hippocr. & Plat. Docet etiam Hippocrates in libro de Principiis, in terrâ & circa terram ignem plurimum remanſiſſe, quantum nempe fuit neceſſarium, ad varias quæ in terrâ, & circa terram fiunt fermentationes & generationes.

Ignis autem illa collectio, aut coacervatio bifariam potiſſimum contingit: primò per obſeſſionem contrarii, ut loquuntur: ſic hyeme conſtipatis terræ ſpiraculis ab ambiente aëre frigidiore, terræ interiora tepeſcunt, ob retentos halitus calidos, in quibus ignis plurimus continetur. Secundò ignis colligitur, cùm halitus vel liquor cuivis corpori affuſus, ita in ejus poros penetrat, ut particulæ liquoris, nec quos ſubeunt meatus impleant, nec aliud quidquam ad reſiduam capacitatem implendam in ſocietatem admittant, præter tenuiſſimas & facilè diviſibiles ignis particulas; quæ præſto adſunt, ut è vicinis corporibus in liberiora ſpatia ſtatim confluant; ibique in grandiores moleculas colligantur, & dum innatantia in ipſis corpuſcula exagitant, penetrati corporis minores partes concutiunt, ab invicem ſeparant, totumque corpus aliquando diſſolvunt. Ad effectus ejuſmodi præſtandos inſignem vim obtinent ſales omnis generis, & ſtillatitii è ſalibus liquores, ut conſtat innumeris chymicorum experimentis. Docet etiam experientia ea omnia alimenta, quæ ſale quocumque abundant, animalium ſanguinem ad faciliùs efferveſcendum in corde diſponere, acrioremque ac calidiorem efficere. Multi etiam alii ſucci eâdem virtute pollent, nulluſque eſt qui non poſſit in aliquo corpore fermentationem excitare. Interim, quod maximè ad rem noſtram facit, advertendum eſt in fermentationibus corporum fermenteſcentium particulas agitari, attenuari, corpora ipſa rareſcere, emolliri, eliquari, incaleſcere, aliquando fumum emittere, & in flammam faceſcere;

* *Dic ignem cum Hippocrate Ariſt. Gal. vel ſi vis animam mundi cum Platone; aut materiam ſubtilem cum Carteſio. Cum Platone conſentit Ariſtoteles loco citato cum ait in hoc univerſo animâ omnia plena eſſe.* Δια τὸ ἐν γῇ μὲν ὑπάρχειν ὑγρὸν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα ἐν δὲ τῷ παντὶ θερμότητα ψυχικὴν ὡς τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη.

ceſcere, quæ omnia confertiorem ignem teſtantur. Dicet fortè aliquis nullum ignem de novo colligi, ſed qui erat antea in corpore denſiore ſopitus, & quaſi vinctus deliteſcebat, ſolutis vinculis vim ſuam exerere. Verùm quare non ſentiebatur collectus, qui poſt fermentationem diſperſus urit, cùm vis unita fortior ſit ſeipsâ diſpersâ experimentis quotidianis vulgatum axioma comprobantibus? quare antea calorem non impertiebat corpori, quo concludebatur, quum ſolutus & illud & circunſtantia calefaciat, & urat aliquando?

Dicet alius, ignem non colligi in fermentationibus, ſed de novo generari. Verùm à quâ causâ generatur, v. g. quando limatura chalybis affuſo ſpiritu vitrioli incaleſcit? illa enim naturâ frigida perhibetur; hic vi inſigni præditus eſt ad refrigerandum æſtuantem à febre ſanguinem.

Cùm itaque ex dictis ſatis pateat fermentationes excitari collectione ignis intra exiliſſimas corporum particulas, & illam ignis collectionem per ſales facillimè promoveri præcipuè in ſanguine; ut ad rem propoſitam revertamur, inquirendum eſt, an & quomodo his mediis fervor in utero ſtatis periodis excitetur. Quæ inveſtigatio ut faciliùs & certiùs ex præmiſſis inſtituatur, inſiſtam propoſitæ terram inter & uterum analogiæ.

* Si terra in aperto aëre ſolis calori & modico rori exponatur, cavendo ne obruatur imbre copioſiore, ſenſim nitrum concipit, ſeu in ejus gremio generetur, ſeu extrinſecùs adveniat; ejuſque nitri tantâ copiâ impletur temporis progreſſu, ut inde turgeat, intumeſcat, friabilis evadat: imò in tota ejus ſuperficie aliquando nitrum effloreſcat; cujus proventus major fit & breviori tempore, ſi ſtatim initio terra pauco nitro aut ſale communi conſpergatur. At ſi vel fortuitò, vel de induſtria, aqua largiùs illi terræ affundatur, univerſum nitrum abſtergitur, & terra ad priſtinum ſtatum redit; & quòd fuerit ſpoliato nitro, aliiſque ſalibus, qui ſunt vegetationis principium, & veluti terræ anima, caput mortuum à chymicis appellatur. Si eadem terra eodem modo quo priùs præparetur, certo temporis intervallo ut priùs nitro imprægnabitur, quod poſſit aquæ affuſione abſtergi. Iſtorum hanc eſſe rationem vix dubitarim. Quod terra ſeu à ſuâ primævâ productione, ſeu à nitri injectione meatus inſenſiles eâ formâ habet excavatos, quâ nitri particulas hinc inde diſcurrentes facilè poſſit excipere, vel tenuiorem auram quâ penetratur in ejuſmodi ductibus tanquam in proplaſmatis in ſubtiles & rigidas nitri particulas effingere. Quapropter, ut ad nitri formam terræ pori excaventur, quod jam inſinuavi nitri parùm injicitur: ſicque nitro non ſolùm ad plantarum productionem, ſed etiam ad nitrum terra fœcundatur. Quæ ſit nitri forma, quæ geneſis, & qua ratione ſal marinum in terram injectum convertatur in nitrum, non eſt hujus loci inquirere, nec alias ſalium mutationes.

Jam ad uterum, quem, quod attinet ad fœcunditatem, ſimile quid cum terrâ habere diximus, orationem convertamus. Uterus habet plexum fibrarum, quibus conſtat, ita comparatum, ut poſtquam ad debitum pervenit incrementum ſalis cujuſpiam, ſeu fermenti particulas e ſanguine lenim decerpat, aut ex eodem ſanguine materiam idoneam ſecernat, quæ in fibrarum interſtitiis hæret, ibique in ſales quoſdam aut corpuſcula fermentativa tanquam in proplaſmatis efformatur. Quibus ſalibus & particulis fermentativis ubi turgere incipit uterus, ſtatim ignem uberiùs colligit, fervorem concipit, dilatatur, rareſcit, tubulorum oſcula in ipſius cavitatem hiantia aperiuntur, ſanguis ipſe fermenti vim excipiens attenuatur, & per reſeratos ductus in uteri cavitatem effluit, indeque foras effunditur. Quia verò primo fermenti impetu non patet ſanguini ſatis liber exitus, cum rareſcat, vaſa in utero & circa uterum diſtendit, æſtuſque ad ſpinam ſentitur. Ubi verò ſanguis liberè fluit: collectum fermentum abſtergit, quâ ratione aqua è terrâ quam abluit nitrum ejicit. Reſtituto deinde in ſtatum priſtinum utero, idem fermentum colligitur eodem modo quo priùs, & niſi quid obſtet ſpatio æquali, pari quantitate congeſtum, & ad ſimilem exaltationem evectum novam efficit in utero fermentationem: & ecce cauſam circuituum. An poſſunt magis congruere inter ſe quæ in terrâ à nitro, & in utero à ſuo fermento excitantur phœnomena? eorum enim idem eſt principium, idem progreſſus, idem exitus. Sed, inquiet aliquis, unde habes ſalem quemdam ſeu quaſvis particulas fermentativas in utero colligi? Eas in utero colligi, ſeu congeſtione, ſeu generatione, ſeu utroque modo, manifeſtò demonſtratur illo uteri fervore, quo ejus ſubſtantia mollitur, rareſcit, &c. Quæ nulli alteri parti contingunt. Quod autem illa fermentatio ſit ſali cuipiam adſcribenda; poteſt conjici ex ipsâ ſalium lixivioſorum & vegetabilium naturâ, in quibus fermentandi vis eminet, maximè erga ſanguinem. Quapropter mulieres quarum ſanguis plus bilis, ac proinde plus ſalſedinis continet, faciliùs, & brevioribus periodis, cæteris paribus, purgantur. Adde quod plantæ abundantes ſale volatili menſtruas purgationes accelerant, & eaſdem promovent, ſi fuerint ſuppreſſæ, ſeu à ſanguinis craſſitie, ſeu à ductuum obſtructione: eæ enim plantæ uberem fermenti materiam utero ſuppeditant, & ſanguinem ad fermentationem diſponunt. Qua de causâ apud Galenum in libris de ſimpl. medic. facult. ad menſtrua ſuppreſſa commendantur chamedrys, chamepitys, centaurium, ſion, aromata omnia; & apud Hippoc. Aph. 28. ſect. 5. aromatum ſuffitus quo præcipuè continentur ſales volatiles calore exciti. Adde iterum quod animantibus quam plurimis ſoleat ſal exhiberi, ut ejus uſu ad venerem incitentur, & ad faciliorem conceptum diſponantur inducto uteri fervore. Nec contemnendum eſt argumentum quod Ægyptiæ mulieres fœcundiores ſunt, & breviore tempore gerunt in utero, quia aquam nili potant, quæ nitro abundat aliiſque ſalibus vegetabilibus, quorum ope nilus totam Ægyptum quam irrigat adeo fertilem efficit. Ex his nihil eſt quod miremur effectus, qui à ſanguine menſtruo produci perhibentur, quos

* *Quod de nitro dicitur de quolibet ſale vegetabili aliiſque debet intelligi.*

quos reliquus ſanguis ineptus eſt producere; ſanguis enim menſtruus ſalibus fermentativis turgidus in quæcumque corpora ſe ſe inſinuat facilè fermentationem excitat, majorem minorem pro materiæ ſubjectæ diſpoſitione, & ſalium quos continet copiâ & indole. Unde fit ut aliquando plantæ areſcant, ſi ſolo menſtrui ſanguinis halitu perflentur, &c. maximè ſi fluat à corpore cacochymo.

Quòd in utero ob ſpecialem fibrarum ipſius contextum ſales quibus ejus excitatur fervor colligantur, licet inferre in ipſo utero ſales eoſdem poſſe formari; ideo enim colliguntur, quia in uteri rimis aut plicis ac cavitatibus ritè efformatis retinentur: ergo propter loci figuram; ſi idonea ibi hæreat materia, ſalium recenſitorum figuram & vim acquiret.

Supereſt explicandum quare ab uteri fervore pleræque animantes tantùm ſeroſum quid & paucum, mulieres verò ſanguinem profundant. Hujuſce varietatis cauſa petenda eſt ex ſpeciali uteri ſtructura: etenim in mulieribus ſanguis è capillaribus uteri arteriis in tubis membranaceis deponitur, è quibus in venas remeat ſuo ordinario circuitu. Tubi illi exiliſſima habent oſcula in cavitatem uteri hiantia, quibus, quando à memorato fervore relaxantur, ſanguis profunditur; è quibus etiam partim poſt conceptum emergunt placentæ uterinæ radices, & vaſa quibus ſuccus nutritius defertur ad fœtum. Illi tubuli adeo facilè dilatantur vi fervoris excitati ſeu à memorato fermento, menſtruorum tempore ſeu à ſeminum utriuſque ſexus commiſtorum turgeſcentiâ poſt conceptum, ut in gravidis eorum cavitas parvi digiti magnitudinem æquet. Inde fit ut mulierum gravidarum uterus non modò majorem latitudinem acquirat ad fœtum continendum, ſed etiam craſſior evadat. Hinc cognoſcitur error Galeni lib. 4. de uſu partium. Secus omnino contingit in uteris earum animantium, in quibus nulli ſunt hujuſmodi tubuli: etenim graviditatis tempore uterus mutatâ in latitudinem craſſitie membranam æmulatur; quod proculdubio dedit Galeno occaſionem errandi; & extra graviditatem, cum ſolitum fervorem concipit, ob ductuum exilitatem ſeroſum quid ac tenue tantùm profundit, non ſanguinem, ut in mulieribus, & in ſimiis ob memoratam uteri ſtructuram, quæ in his utriſq; eſt ſimilis quoad illos tubulos & alia nonnulla. In ſingulis animantium ſpeciebus, uteri propriam ſortiti ſunt ſtructuram, & ſpecialem fibrarum plexum, & contextum, ut videre facilè poterit quicumque ex ſectionibus diligentiùs rem conſiderabit. Eæ varietates efficiunt ut in variis animalibus uterinæ placentæ, & ipſi fœtus adeo diſcrepent.

Ex allatâ circuituum vacuationis mulierum cauſâ, facilè deducitur eorundem in variis mulieribus inæqualitas, cum enim vacuatio menſtrua fermenti memorati virtute concitetur, quò citiùs ſufficiens illius quantitas fuerit collecta & ſatis exaltata, eò citiùs vacuationem menſtruam concitabit; ut autem citiùs aut tardiùs fermentum illud in utero ſuccreſcat & vigorem acquirat, efficiunt victus ratio, temperamentum, regio, &c. quæ quoniam in variis mulieribus ſunt admodum varia, varius eſt neceſſariò vacuationum circuitus. Si quando ille circuitus menſem lunarem æquat, id fit ex accidente, non ex aliquâ quam Lunæ influxus inducat neceſſitate, quamvis vulgus aliter opinetur; ex quo error ille, ut multi alii, in Medicinam translatus eſt, ab iis Doctoribus, qui ſine examine omnia recipientes, ſaniores eas opiniones exiſtimant, quæ ſunt, à pluribus comprobatæ.

Ut quæ hactenus dixi fiant magis perſpicua, & omnis removeatur ſcrupulus, operæ pretium erit explicare inſigniora, quæ ex eodem fonte oriuntur, ſymptomata, ſeu menſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſint, ſeu ritè, ſeu perperam procedant; & demonſtrare quam habeant cum eâ, quam aſſignavi, menſtruarum purgationum cauſâ connexionem. Poſtquam fermentum uteri cœpit vim ſuam exerere, ſi à quâcumque cauſâ conſuetæ purgationis viæ occludantur, ſanguis fermento imbutus & turgeſcens, per capillares uteri venas, in majores remeat, reliquo ſanguini commiſcetur, & quam ſuſcepit efferveſcentiam ipſi communicat; quâ efferveſcentiâ, dum tota ſanguinis maſſa rareſcit; vaſa diſtendit, & quia in utero incipit fermentatio & expanſio ſanguinis, ſenſus quidam excitatur, non modo caloris & tenſionis in partibus utero vicinis, ſed etiam refluentis ad ſuperiora ſanguinis. Si validior ea fuerit rarefactio, & expanſio, ſanguis, cui jam continendo impar eſt vaſorum capacitâs, in partes debiliores irruit, in quibus nunc inflammationes efficit; nunc reſeratis vaſorum oſculis effunditur, aliquando per vomitum, aliquando cum tuſſi è pulmone ejicitur, aliquando è naribus effluit, aliàs ex aliis partibus excernitur. Hippoc. Aph. 33. ſect. 5. docet ſalutare eſſe ſi mulieri menſtruis deficientibus ſanguis profluat è naribus. Extant apud practicos hiſtoriæ plurimæ mulierum, quæ ſuppreſſis menſtruis aliæ per vomitum, aliæ per hæmorroidas, aliæ per oculos vacuationis tempore ſalubriter ſanguinem profuderunt. Eorum omnium ratio eſt in promptu. Etenim brevi ceſſaturum eſt ſanguinis per illas partes effluvium; cum ſcilicet fermentum in ſanguinis maſſam illapſum magnam partem fuerit diſſipatum, & ſanguis ipſe vacuatione refrigeratus. Et quamvis illud non ſit omnino expers noxæ, & periculi non contemnendi, Salutare cenſendum eſt, quia eô majora vitantur pericula inflammationum, aut alia prohibentur incommoda varia, pro variis ſanguinis vitiis, & multiplici partium infirmitate.

Quæret aliquis quare mulieres gravidæ menſtruas vacuationes non patiuntur. Reſpondeo hujuſmodi ſuppreſſionis menſtruorum cauſas in allatâ hypotheſi maniſeſtò contineri. Etenim ideò gravidæ non purgantur, quia cùm in conceptu uterus ſeſe expandit ad virile ſemen excipiendum, iterumque ſe contrahit, ac ſingularum partium ſitum convenienter diſponit, ut è ſuſcepto ſemine proferat placentam uterinam, &c. totus fibrarum ipſius contextus ita immutatur, ut fiat omnino ineptus ad fermenti congeſtionem, aut generationem, nec redit ad priſtinum ſtatum uterus quandiu mulieres utero gerunt, aut nutriunt integrâ lactis bonitate. Quibus ob pravam uteri conſtitutionem per conceptum uteri plicæ, rimæ, aut

alveo-

alveoli excipiendo fermento deſtinati non omnino obliterantur, ſtatis periodis levem ſentiunt in utero fervorem, & agitationem, quam ſi fuerit major, ſequitur ſanguinis profuſio cum periculo abortiendi.

Mulieres gravidæ & nutrices ſine noxâ purgatione menſtruâ privantur: at reliquæ ut plurimum à menſtruorum ſuppreſſione innumera eaque gravia ſymptômata patiuntur. Fædus virginum color, inſignis & ſatis frequens affectio eſt, quæ illam ſuppreſſionem ſequitur aut comitatur, comitatur inquam; quia ſæpiùs utraque hæc affectio cauſam habet communem, ſanguinis craſſitiem aut viſciditatem, quibus facile obſtructiones excitantur, & ſanguis redditur minùs aptus ut fermenti uterini vim excipiat. Craſſities ſanguinis mulieribus melancholicis eſt magis familiaris, ob uberiorem ſucci acidi copiam qui in ſanguine eſt inſtar coaguli, eumque dum nimis cogit, ac denſat, ad fermentationem ſeu in corde, ſeu in utero minùs aptum efficit: fermentorum generationem impedit, & ſi quæ ſunt opprimit. Ita affectis medicamenta ex chalybe parata maximè conferunt; cujus effectus hæc mihi videtur eſſe cauſa; quòd metallum illud intrò ſumptum ſucci acidi actioni objicitur, ejus vim obtundit, ut ſolet extra corpus aquæ regiæ acrimoniam infringere, & dum ab eodem ſucco exagitatur, quem concipit fervorem chylo & reliquis humoribus communicat, ſicque ſanguinem magis attenuat, illumque reddit idoneum, ut per exiliſſimos viſcerum ductus liberè fluat & propter tenuitatem facilè deponat in locis deſtinatis quos continet ſeu utiles, ſeu inutiles ſuccos.

Sanguinis viſciditas quam potiſſimùm pituita dulcis & parùm craſſa efficit, non minùs quàm inducta à ſucco acido craſſities fermentorum generationem impedit, & ſi quæ ſunt per ſanguinem diffuſa, ſuo ſinu vincta veluti detinet, prohibetque ne ſuas vires exerant. Viſciditas præterea efficit, ut ſanguis in exiliſſimis uteri & viſcerum ductibus hæreat, eoſque occludat. Mulieres quibus ab hoc ſanguinis vitio ſuppreſſa ſunt menſtrua juvantur iis medicamentis, quæ abundant ſale volatili, qualia ſupra ex Galeno commemoravi. Sal enim ejuſmodi egregiâ pollet virtute fermentandi & detergendi, & conſequenter attenuandi, ac ſolvendi obſtructiones à pituita viſcida inductas.

Mulieres quibus ex ſolo uteri vitio ſuppreſſa ſunt menſtrua, aut quia à prima conformatione anguſtiores habent uteri ductus, aut quia nullos habent aut quia à morbo vitium aliquod contraxerunt. Eæ ſi uteri ad fermentum congerendum diſpoſitio maneat integra, ſtatis periodis ejus vim ſentiunt, in utero, & circa uterum, & aliquando toto corpore diſtenſiones patiuntur, & modo leviùs, modò graviùs, afficiuntur; quæ omnia facile eſt ex dictis deducere.

Quæ mulieres feruntur, cùm robuſtæ eſſent, & integrâ valetudine fruerentur citra menſtruas purgationes cõcepiſſe, & peperiſſe quod impoſſibile eſt, niſi fervore toties recenſito uterus ad conceptum diſponatur: quod eæ detrimenti nihil, aut quod ſaltem ſit alicujus momenti ſint perpeſſæ, id debet acceptum referri ſanguinis bonitati, & laudabili conſtitutioni viſcerum, à quibus ut gignitur ſanguis modicus & temperatus, ita ſuppeditatur ad fermentum uteri materies moderata.

Quibus à prima origine ea obtigit uteri conformatio, ut nullatenus in eo fermentum poſſit coacervari, eæ nec periodicum uteri fervorem, nec menſtruas vacuationes patiuntur, nec ſuppreſſionis earundem incommodis affliguntur, nec pariunt, nec concipiunt, & ſi reliqua bene habent optimâ valetudine fruuntur, aliis mulieribus ſunt longè robuſtiores ac diutiùs vitam protrahunt; quod quotidie in quibuſdam virginibus licet obſervare. Iſta omnia hoc modo mihi videntur contingere. Robuſtiores ſunt ejuſmodi mulieres, & virili temperamento præditæ; quia quæ ſolet materia fermentativa in aliarum uteris colligi, & à ſanguine ſeparari, in iſtarum ſanguine retinetur, & ipſum facit fervidiorem, & acriorem, aptumque ut melius in corde ferveſcat, ac majorem proferat ſpirituum copiam ut in viris, ex quibus omnibus corpori robur accedit ad functiones quaſcumque faciliùs, & feliciùs obeundas. Eædem mulieres ſunt ſteriles, quia in illis uteri ſubſtantia, cum memorato fervore nunquam rareſcat, ductus ſuos non poteſt aperire ad virile ſemen interiùs excipiendum. Denique non affliguntur graviſſimis, quæ menſtruæ vacuationis ſuppreſſionem plerunque ſequuntur, ſymptomatis, quia deeſt ille fervor à quo ſolent procreari.

Menſtruæ purgationes ſunt aliquando copioſiores magno ſanitatis detrimento, cum aliquando cachexiam inferant, hydropem, aliaſque affectiones. Varias habet cauſas hoc ſymptoma. Vel enim inducitur, quia uterini fermenti vis eſt nimis evecta, & exaltata, ut loquuntur chymici; & eâ de cauſâ validum, diuturnum & extingui difficilem fervorem excitat, quo & vaſorum laxitas fovetur, & ſanguis attenuatus fit magis fluxilis. Vel menſtruæ purgationes ſunt copioſæ, quia ob imbecillitatem à quacumque cauſâ inductam ſemel reſerati ductus ægrè in ſtatum priſtinum reſtituuntur. Vel quia ob humorum copiam factus ſemel ad fluendum per uterum ſanguinis impetus diutiùs perſeverat, & viarum impedit occluſionem. Ad id etiam confert ſanguis tenuior, & aquoſior vaſa humectando, præterquam quòd ipſe viis anguſtioribus effluit. Adde ſanguinis ipſius acrimoniam, quæ ſuſceptum fervorem auget, & fovet. Ad hæc recurrit in mentem, quod dicunt cum Galeno ſententiæ communis aſſertores, menſtruas purgationes extra graviditatem ſanitatis gratiâ mulieribus eſſe conceſſas: tantùm enim abeſt ut ad ſanitatem quidquam conferant, ut imminutis per eam quam inferunt ſanguinis jacturam viribus, mulieres fiant imbecilliores, adeoque vehementioribus laboribus ineptæ, & ad deſidiam pronæ. Ex his adhuc patet deſidiam mulierum non eſſe cauſam plenitudinis quæ debeat per menſtruas purgationes vacuari: ſed purgationes per eam quam inferunt imbecillitatem, deſidiæ cauſam eſſe cenſendas. Id teſtatur qui obſervatur in mulieribus menſtruorum tempore languor, qui etiam ſedato fluxu in multis aliquandiu perſeverat. Nec obeſt quòd plerumque de-

deterius habent mulieres, quæ non purgantur; id enim non ſolus efficit menſtruæ purgationis defectus ſed, ut ſupra monui, qui ſolet illas concitare fervor, adjuvante, pravâ ſanguinis diſpoſitione. Sunt etiam mulieres quæ tantam generant ſanguinis copiam, ut præter uſus ſolitos egeant menſtrua vacuatione in remedium plenitudinis; alioquin per venæ ſectionem ſublevandæ, quâ etiam interdum egent non nullæ ob nimiam ſanguinis copiam quam victu liberaliore cumulant, quamvis aliunde ſtatis periodis ſatis copioſe purgentur: ob eandem ſanguinis copiam nonnullæ abortiunt niſi graviditatis tempore venæ ſectione abortum præcaveant eæque cum menſtruo circuitu vacuatur, inſignem profundunt ſanguinis copiam. Sed hæc non pugnant contra ea quæ tota hac diſſertatione in meæ hypotheſeos confirmationem attuli, quæ cum eâ adeò cohærent, & tam manifeſta conſequutione deducuntur, ut quemcumque à præjudiciis liberum & attentum cogant aſſentiri:

Hactenus de Cauſis Menſtrui Fluxus ex Clariſſ. Franciſcô Bayle; jam morbi eundem Fluxum ſpectantes veniunt expendendi, ſunt autem vel in ejus exceſſu, vel in diminutione ac irregularitate vel in totali ſuppreſſione vel in pravâ quantitate. De quibus ſigillatim per *Curationes Conſultationes.*

Curationes.

Menſium ſuppreſſio.

Menſtrua ſuppreſſa multorum malorum cauſæ, quemadmodum ipſorum excretio naturalis à multis morbis mulieres præſervat, quare huic malo citò occurrendum, ne natura aſſueta deſueſſet ab excretione.

Suppreſſorum menſium cauſæ diligenter ſunt inveſtigandæ. Sic nimirum facilius per communia auxilia malum tollitur.

Plerumque totum corpus ſcatet pravis humoribus: ante omnia igitur illud ab ejuſmodi impuritatibus liberandum eſt.

Utilia ſunt Mercur. dulcis, panchymagogon vegetabile, Extractum ſennæ, Mechoacannæ, Rhabarbari, in primis verò ſpecificum purgans Paracelſi & extractum Ellebori nigri multum quoque prodeſt, præſertim agreſtioribus.

Quod ſi verò obſtructiones fuerint evidentes, tartarus vitriolatus. It. Cremor tartari præmittenda ſunt, tandem ad purgationes deveniendum.

Hinc ſpecifica accerſenda ſunt, ut:

1. Eſſentia Croci Martis, de qua notas ad Crollium vide.

2. Malvaticum Martiale, de quo ſupra de imbecillitate hepatis.

3. Pulvis Cachecticus ex Chalybe præparatus, de quo ſupra de obſtructione hepatis.

Extractum hepatis bovini, de quo infra decoctum ſplenis bovis, vide in Quercetani pharmacopæa reſtituta cap. 6. de decoctis.

v 5. Aqua deſtillata ex allio. It. Ex ſabina, quæ el per ſe exhibetur doſi cochl. i. vel alterius, vel poſſunt eſſe vehicula, quibus reliqua ſpecifica intro ſumi debent.

6. Olei ſabinæ gutt. iv. vel v. in vehiculo præallegato datum, menſes movet. Huc faciunt decocta alia uſitata. It. fomentationes, infuſiones pediluvia, phlebotomiæ, &c.

Nota. Hæc omnia infeliciter ſucceſſerint, niſi præſtitutum tempus optimè obſervetur: Hinc verſiculus.

Luna vetus veteres; juvenes nova Luna
repurgat.

Quinimò natura ipſa ſæpiſſimè ſtato tempore nonnulla ſigna edit fluendorum menſium, quos tamen niſi adjuta promovere nequit; illa ſunt, dolor lumborum, ventris, pectinis. It. Crurum & pedum gravitates & laſſitudo, difficultas anhelitus, hypochondriorum tenſio, capitis dolor & gravedo, quæ omnia dextre obſervanda ſunt, aliquin raro, imò nunquam, expectatum effectum adipiſcemur.

Quòd ſi omnia concurrant quidem, nec tamen obſtructio ſolvitur, plerumque vitium in ipſo utero eſt, quod impedit. Id quod certiſſimè deprehenditur, ſi poſteaquam omnia facta ſine effectu ſubſequente, ut tandem ad tale ſuffimigium perveniamus.

♃ Scorias Reguli Antim. pulveriſatas, coque in lixivio cinerum fagi, ut extrahatur rubedo, hujus partibus iiii. admiſce Vini Malvatici part. j. Hujus mixturæ cochl. j. atque alterum vel plura funde ſuper ſilices vel recrementa ferri candentia, & patiens excipiat fumum ad Lochia, Id quod tamen juſto tempore. ut cætera, faciendum fuerit, & menſes proſiliunt proſpero cum ſucceſſu.

Plura menſes moventia vide ſupra de Cachexia.

Quod ſi verò etiam poſt reiteratam hanc ſuffumigationem menſes nunquam fluent, & natura aliter atque aliter conformata, tandem ſuo tempore meliorabitur.

Suppreſſorum menſium cura non tentanda eſt in fœminis, quæ aut ſteriles, aut nullum inde incommodum ſentiunt, aut in gravidis, & quibus nunquam fluxerunt, nec in iis, quæ Cachexia aliquâ laborant, ſiquidem ob ſanguinis inopiam morbo tentatæ ſunt: aut quibus per nares, hæmorrhoidesve multum ſanguinis evacuatum eſt: in quibus aut Cachexia emendanda, aut vires reſtaurendæ, aut fluxus dicti ſupprimendi, niſi fortè tales accidant ob ſuppreſſos menſes: Quod ſi fiat, medicamentis Hæmagogis malum omnino tollendum: quod ſi vero ob vaſorum obſtructionem fiat, ſanguinis ſuppreſſio in iis, quibus fluere convenit, aut per naturam debet, cura aggredienda eô tempore, aut paulò, ante, quo menſes fluere conſuevêre.

Curatio autem à pharmaco materiam in primis viis exiſtentem minuente ſtatim inchoanda, & hinc, quæ deobſtruant, præſcribenda.

♃. Rad. fœniculi, Petroſelini, aſparagi an. ℥ß, ſar ſæparillæ ʒiii, herb. agrimoniæ, linguæ cervinæ, ceterach, cuſcutæ an. Mß. ſem. aniſi ʒii, Coriandri præparat. ʒi, flor. bugloſſæ, borraginis. betonicæ an. p. j. paſſulatum minorum ℥i, Coque in ſ. q. aquæ ad ℥ xii, colaturæ adde ſyr. de 5. radicibus ℥ii, de cichorio cum Rhabarbaro ℥ii. M. F. Apozema pro 4. doſibus.

In ſecunda doſi, ſi prima non ſatis deturbat alvum, exhibe ſpecierum diaturb. cum Rhabarbaro à ℈ ß. ad ℈j. aut.

♃. Pil. aurearum ℈i. cum diagridii gr. iiii.

f. pilulæ parvæ tres cum apozemate deglutiendæ.

In ultima doſi diſſolve Oximellitis Elleborati majoris ℥i. aut utatur dicto apozemate locô digeſtivi tantum & purgetur diacarthamo, Extracto panchymogogo Mercur. Eſſentificato aut ſimili medicamento. Aut fiat. ſyrupus magiſtralis.

♃. Rad. polypodii ℥ß. Elleb. nigri præparat. ʒiiß, Mechocannæ ʒii. fol. ſennæ ℥iß. ſem. aniſi ʒi. calami aromatici ʒß. Zinziberis ℈j. Infunde in ſ. q. decocti aperitivi in loco tepido per noctem. Manè coque ad ℥vi. exprimatur, colaturæ adde ſyr. de 5. radicibus Oxymellitis Elleborati majoris an. ℥iß. ſyr. de ſucco bugloſſæ ℥ii. ſacch. q. ſ. F. ſyrupus liquidus pro 4. doſibus.

Hinc prodeſt per tres dies exhibere ʒß. tartari vitriolati in ſyrupo artemiſiæ cum aquæ pulegii diſſoluti appoſito ſubinde & ſæpius in die Cataplaſmate ex hedera terreſtri cum vino facto regioni lienis, & pedes laventur decocto artemiſiæ, origani, ſerpilli, aſari. Utatur hinc ſingulis matutinis Croco Martis ad ʒi. in Tab. v. gr.

♃. Croci Martis aperitivi aut limaturæ chalybis præparatæ ſequente modo.

♃. Limaturæ Chalybis q. v. irrigetur aqua ſimplici pura, in qua parum ſalis abſinthii diſſolutum ſit, relinquatur in loco frigido ſicco: Ubi exſiccata fuerit teratur & denuò imbibatur, idque tamdiu, donec ſponte ſua poſtea leni attritu in pulverem ſubflavum fuerit redacta.

Hujus ♃. ℥i. ſacchari in aqua bugloſſ. ſoluti ℔ß. Cinamomi aut Caryophyllorum aut ſuccini ℈ß. F. Tabulæ, quarum ſingulæ ponderent ʒvi. capiat ſingulo manè unam & incipiat 8. diebus ante menſium egreſſionem ſolitam. Aut fiat Electuarium de ſcoria ferri, quod.

♃. Limaturæ Chalyb. præparatæ aut Croci Mart. ℥ß. pulv. Cinamomi ſabinæ an. ʒß. Cort. Tamariſ. ʒi. ſpec. arom. roſati ʒiß, nuc. conditæ ʒiii. mellis roſati aut anthoſati ℥iß. ſacchari ℥ii. M. ſuper lentum ignem & F. Electuarium, de quo capiat magnitudinem nucis juglandis manè 3. horis ante prandium.

Inſtante jam tempore fluxus Balneum fiat.

♃. Herbæ meliſſæ, origani, roriſmarini an. Mß. artemiſiæ Miii S.abinæ Mß. Malvæ, altheæ, ſerpilli an. Mii, flor. Chamomillæ. hyperici, centaurii minoris an. p. iiii. Coq. in ſ. q. aq. pro ſtupha, quam matutino tempore ingrediatur & commoretur ad horam in ea. Herbæ duobus ſacculis includantur, quorum uni ſuperſedeat, altero foveatur venter inferior.

Aperiatur ſaphena pedis utriuſque die ſecundo poſt egreſſum è Balneo, una & altera die ſequente poſt egreſſum ex eodem.

Efficaciſſimè quoque trahunt inſtante jam jam purgationis tempore peſſi à Practicis hinc indè deſcripti, ut & fumus ſive vapor dictarum herbarum per infundibulum in vulvam exceptus.

Proſunt & Cuburbitæ perinæo applicatæ.

Potus ſit vinum, in quo Cinamomum & Chalybis limatura macerata, aut in quo flores borraginis, violarum, bugloſſæ & ſabinæ herbæ macerati.

Prodeſt quoque ſæpe infuſio, quæ.

♃. Limaturæ Chalyb. acet. non deſtill. an. ℈i, coque in ſartagine terrea, donec acetum abſumatur in marmore, & adde pulveris Caryophyllorum ℥i. affunde deſuper in Matracio Vini Malvatici aut Falerni ℔ iiii, pone ad ſolem vel fornacem dies 18. ſingulis noctibus bis vel ter agitando. Vel fiat Hippocras ex infuſione illa. hujus vini exhibe menſium defectu aut inordinato fluxu laborantibus ℥ß. ad ℥ii. adlibitum, obſervato, quod ſæpius dictum, ſemper tempore, quo menſes fluere conſuevere, præſcripta quoque ſemper diæta exquiſita.

Tandem & hic ſummopere prodeſt Extractum ſplenis bovis, de quo & ejus exhibendi modo, vide in obſtructione Lienis.

Extractum ſplenis bovis.

♃. Splenem bovis caſtrati, ſcinde in laminas tenues, maceretur per aliquot dies in ſp. V. cum myrrha eſſentificato, poſtea exſicca in aere: poſtea cum ſp. V. eſſentiam extrahe, & ſapidioris efficaciæ ergò adde aliquot gut. olei angelicæ, Doſ. ℈i, in aqua appropriata eo tempore, quo menſes in ægra fluere conſueverunt, tunc nimirum renum & lumborum dolores adeſſe ſolent.

Cùm menſes apparere incipiunt, dari poteſt borrac. Venet. cum gutt. 4. aut 5. Eſſent. Croci in aq. puleg. aut Cinam. aut in vino Hippocratico, aut ſucco ſabinæ ʒß, aut ſolum ſabina vino cocta.

Si è conformationis vitio fiat ſuppreſſio, varia ſunt quidem medicamenta, ſed hic præſtat ſingulis annis 4. aut bis pro conſtitutione corporis aperire venam brachii & ſæpius applicare cucurbitulas ſcarificatas.

Spiritus pulegii cum ſale ſuo quoque valet.

Fluxus Menſium Nimius.

Fluxum menſium nimium à qualibet cauſa ortum, excepta Plethorâ (quæ non niſi convenienti phlebotomia corrigitur, ut nimirum ex ſuperioribus Venis brachii per revulſionem ſanguinis ad inferiora prorumpentis effluxus cohibeatur) illa tollunt & corrigunt, quæ alioquin ſiſtendis hæmorrhagiis narium neceſſaria ſunt & utilia.

Sic laudanum opiatum, Eſſentia Croci martis, Magiſterium Corallorum & perlarum, It. ſal Corallorum, ſperniola compoſita Crollii, Oſſa hominis fortiter calcinata & nonnulla alia intrinſecus.

Extrinſecus ſtipites Melanthii, buſo exſiccatus multum prodeſt.

Fluxus igitur hic, licet multis à cauſis oriri poſſit, nullus tamen frequentior, quam qui fit ob ſanguinis pallidioris ad partem iſtam fluxum, aut oſculorum venarum apertionem, quiper διαπήδησιν, raro autem accidit, qui per eroſionem à medicamentis in uterum immiſſis erodentibus, aut ob ulcera in eodem exiſtentia, curatur à Practicis ad hos effectus præſcriptis medicamentis.

Quod verò fluxus priores attinet, ii. quoniam vires valde dejiciunt, ſi vocetur Medicus non incommodè revulſionis gratia venam brachii aperiet, indeque per intervalla ſanguinem extrahet, aut ſi eam contra indicantia (ſcilicet venæ ſectionem) prohibeant, cucurbitulas frequentes regioni hepatis & ſplenis imponat.

Interius detur ſyrupus de roſis vel papavere

cum

cum aqua plantaginis dilutus, aut fiat ſyrupus è ſucco burſæ paſtoris aut ſyrupo corallorum cum ſucco berberum. Bolus armenus præparatus ſæpius à ʒi. cum aqua plantaginis aut burſæ paſtoris offeratur, Aut fiat Opiatum:

♃. Conſ. roſarum veteris ℥ß, ſymphyri majoris aut rad. biſtor. ʒi, troch. de Carabe ʒii, boli armen. præparat. ʒiii, ſal, corall. ʒß. cum ſyr. de roſis ſiccis. Sic fiat opiat.

Ad ſanguinem ſiſtendum etiam fieri poſſunt decocta ex radice tormentillæ, Coriandro, balauſtiis, gall. & ſimilibus.

Quæ ſi nihil proſunt, fiat peſſus è ſtercore ſuillo aut aſinino cum ſucco plantaginis & mucilagine ſeminis cydoniorum, aut Tragacanthæ, aut e laudo opiato cum linteolo.

Interius offerantur, quæ ſanguinem incraſſandi & refrigerandi potentiam habent.

Exterius inungatur peritonæum Unguento Comitiſſæ vel ſequente:

♃. Olei myrtillorum, Cydoniorum an. ʒiß, ſucci burſæ paſtoris plantaginis, ſemper vivi majoris an. ℥i. Coque ad conſumptionem ſuccorum, hinc adde pulveris boli armeni, ſeminis berberorum, myrtillorum an. ʒii. roſarum ℥ß, ceræq. ſ. F. Unguentum. Aut Cataplaſma ex adſtringentibus cum aqua communi & pauxillo aceti, coctis, ut de dyſenteria dictum, aut fiat ex ſuccis adſtringentibus & refrigerantibus addito bolo aut farina Orobi aut lupinorum.

Renibus & Jecori refrigerantia medicamenta applicentur, ut Ceratum infrigidans ſantalinum: Unguentum roſatum Camphoratum.

Si bilioſus ſanguis in corpore redundet & morbum foveat poſt impetum ſanguinis retentum, purgetur corpus leniter cum infuſo Rhabarbari aut myrobalanis aut ſyrupo roſarum ſolutivo, electuario ex ſucco roſarum, Extracto panchymagogo, aut ſolo extracto Rhabarbari.

Idem fiat, ſi adſit ſeroſi humoris copia ſanguine permiſto, ſi verò adſit fluxus albus, tunc temporis totius in primis habenda eſt ratio, ut habitus ejus in melius emendetur, iis, quæ ſeroſorum & pituitoſorum copiam generantium partium vitium emendant, præmiſſis tamen univerſalibus purgantibus. Hinc quæ uterum reſpiciunt tum confortando, tum adſtringendo adhibenda, quale in primis exterius adhibibitum eſt Emplaſtrum pro matrice textoris.

Specifica tamen hoc loco nonnulla ſunt, quæ quemlibet inordinatum fluxum menſium utiliter ſiſtunt. Sic vitellus ovi crudus in vino rubello diſſolutus, & per aliquot dies ſingulis diebus bis propinatus, fluores ſiſtit. Tinctura Corallorum inter cætera unicè præſtat. Pulvis Turturis eum in modum paratus, quem docet Foreſtus obſervatione 10. lib. 28: mirabilis eſt in reſtringendis menſibus. Sal verò ex Turturis cineribus collectus & factus à gr. iv. ad vi. felicior eſt in aq. plantaginis vel alia compoſita Cochl. 1. etiam in dyſenteria, aliiſque alvi fluxibus, Sic cuticula pedum anſeris exſiccata, & doſi à ʒß. ad ℈ii. exhibita ſubito ſiſtit.

Externe in hoc caſu mirabiliter & ſingulariter prodeſt cingulum ex foliis Ellebori veri conſutum ita præparatum, ut folia Ellebori recentia aſſuantur faſciæ & circa lumbos nudo corpori applicentur.

A partu laborioſo nimis profluentem ſanguinem ſiſtit idem ſanguis, ſtatim in cochleari ferreo exſiccatus (ad ignem) & v. vel vi. gr. pondere cum vitello crudo ovi mixtus, ſubito reſtinguit. In eodem caſu ſperniolæ compoſitum mirificè opitulatur.

Uteri ſtilicidium.

Stillicidium uteri diuturnum ſine ulcere pulvis Cachecticus feliciter ſanat. Idem præſtat ſpecificum Martis, de quo ſupra de hydrope uteri, quod diuturniori fluxui, præſertim in Vetulis alioquin ejuſmodi enormibus fluxionib. obnoxiis, unicè opitulatur, ſi quotidie euntibus cubitum gr. i. in aqua plantagin. aut vino rubello detur.

Ulceri, ſi quod fuerit, proſpici poteſt eô modô, quem ante in ulceribus Matricis innuimus.

Uteri florem qualemcunque tandem ſanat, uterumque reſtituit ſpecificum Martis (vitr. Martis) ſimili modo ſemper exhibitum: ut antè de hydrope uteri dictum eſt.

Alias quolibet fluore uterino, perpurgato prius corpore, in primis cum ſpecifico purgante. It. Panchymagogo vegetabili, Extracto mechoacannæ: Rhabarbari, ſemper cum bono ſucceſſu uſus ſum pulvere ex decocto ſequente:

♃. Magiſt. Corallorum alborum, matris perlarum an. ʒii, cc. uſti ʒi, ß, Eboris uſti, terræ ſigillatæ, ſem. papaveris albi an. ʒi, gummi arabici, maſtichis an ʒß, ſuccini citrini ℈ß, laudani opiati gr. viii. M. F. pulvis tenuiſſimus, hujus exhibeatur quotidie manè & veſperi tantum, quantum cultri mucrone capi poteſt in decocto ſequente:

♃. Plantaginis majoris, Centumnodii, tormentillæ an. ʒiii, rad. nymphææ ʒii. F. cum ſ. q. vini decoctum. *Joh. Hartmann. in Praxi Chimiatrica.*

Menſium fluor immodicus.

Duo ſint iſtius Curationis tempora, alterum præcautionis, alterum cohibitionis hæmorrhagiæ.

Ad præcautionem, Obſtructa aperi. Corpus ejuſque varias partes & regiones κατ' ἐπίκρισιν evacua. Inſigniter corrobora Ventriculum, Hepar, Uterum. Ab inferioribus revelle. Uterum ſubinde ablue, & ejus laxitati proſpice. Corpus nutrito. Intemperiem variam corrige. Alias impendent Tabes, Hydrops, Ulcus & Cancer Uteri.

Victus ſit aperiens, in omnibus qualitatibus medius, quarum vitandus exceſſus. Alimenta ſint boni ſucci & facilis coctionis. Vitet ſalſamenta, aromatibus condita, Lacticinia, fructus ὡραίους & quæcunque ſanguinem vel exaſſare, vel ſeroſum reddere valent. Potus ordinarius eſto Vinum gilvum, aut Claretum Gallicum oligophorum optimè dilutum. Aqua chalybeata. Infuſio ligni Nephritici quæ tam longa ſit donec Aqua colorem opalinum contraxerit, Vel Cereviſia medicata ſequens.

♃. Rad. chinæ per taleolas ſectæ ℥viii. rad. dulcamar. ℥vi. ſerraturæ quercus recentis ℥iiii. ſantalorum omnium ana ℥ii. raſuræ C C. primar. recentis, raſur. eboris & dentis equi marin. ana ℥iß. foliorum ſiccorum agrimoniæ, ſcabioſæ,

bugiæ cum floribus, hepaticæ, adianti, polytric. ſalv. an. m.j. ſem. plantag. ℥ iij. nucis moſchat. ʒj. ſquamæ ferri ℥xii. Alæ recentis galones viii. Sinatur fieri fermentatio ad perfectam depurationem. Liquor limpidus recondatur lagenis lapideis ſubere exactiſſime clauſis, quæ recondantur & reſerventur in cella frigida, inde dedepromendæ in uſum ordinarium.

Si Ventriculum onuſtum Patiens ſenſerit, vomitus provocetur leniori medicamento, ita ut pituita per ſuperiora evacuetur à ventriculo; ad bilem vero uſque vomitorio trahere, periculoſum: hæc potius per inferiora blando Cathartico deturbetur.

Ante chalybis exhibitionem purgetur ſemel atque iterum potione ex infuſo ſennæ, pulp. tamarind. rhabarb. mann. ſyr. roſar. ſolutiv. cum agaric. ſyr. flor. Perſicor. Detur potio diebus interpolatis Intermedio tempore per 3. aut 4. dies detur Julap. ex tinctur. ſantalor. flor. violar. cichor. roſar. veton. rub. extracta cum ſp. vitriol. in aq. ſtillatit. lactis & pom. redolent. Adde ſyr. moror. rubi Idæi, julap. Alexand. ſyr. de pomis. Detur bis in die.

Potio efficax. ♃. Fol. ſem. mundator. ℥ ß. rhabarb. ʒij. aq. pomorum ℥iv. vin. Rhenan. ℥ii. ol. tart. per deliq. præparat. gut. 8. f. infuſ. per hor. 24. in frigido. Colaturæ add. infuſ. roſ. pallid. ℥j. mann. Calabr. puriſſ. ℥ß. m ſ. f. potio; corrigenda gutt. aliquot ol. vitriol. (à quo tolletur ſapor ſalis tartar.) & aq. cinam.

Poſterum purgans limpidum. ♃. Fol. ſenn. ℥i. rhabarb. inciſ. ℥ß. pulpæ tamarind. ʒiij. ſem. coriand. præpar. ʒ ii. cinam. inter. ʒ j. Infund. per hor. 24. in ℥x. vini albi tenuis, vel in frigido, vel ſaltem ad leviſſimum calorem, f. colatura & fortis expreſſio. Bulliant ſeorſim ℥v. lact. vaccin. recenter mulcti, eidem bullienti affund. infuſ. & expreſſ. prædict. frigide; Addantur ℥iß. ſacchar. & cum ovi album. f. clarificatio. Colatura detur in potu qui erit limpidiſſimus, & non ingratus.

Poſt purgationem detur per ſex dies Julap. ſeq. bis in die longe à paſtibus:

♃. Aq. ſtillatit. lactis & pom. redolent. an. ℔i. aq. plantag. vini Rhenan. opt. an. ℔iß. ſyr. ex tincturis ℥iv. ſyr. corall. ℥ij. aq. cinam. ʒij. m ſ. Capiat ℥vi. pro doſi.

Syr. ex tincturis hic eſt. ♃. Roſ. rub. ſelectiſ. ℥i. flor. violar. à capulo viridi mundator, flor. veton. rub. an. ℥ß. ſummitat. meliſſ. p.j. flaved. citri recent. ʒii. ſantal. citr. & rubr. contuſ. an. ʒiii. ligni Aloës ʒi. aq. roſar. & pomor. redolent. an. ℥xii. ſp. vitriol. q. ſ. ad mediocrem aciditatem f. in vaſ. vitr. maceratio in B. M. per hor. 24. ad tinctur. rubicundiſſ. extractionem: f. per chartam bibulam duplicem colatur.

♃. Sacchar. albiſſ. ℥xvi. coq. cum aqua roſarum in Roſatum in vaſe argenteo: removendo ab igne add. liquoris tinct. ℥vi. & fac ſyrupum, quem ſi potentiorem velis, adde ejuſdem liquor. ℥iv. ita ut in totum ſint ejus ℥x.

Toto hoc tempore ſi non fluat alvus, vel ſubducatur Enemate blando injecto, vel alternis detur Julap. catharticum ſequens ſatis gratum.

℞. Aq. noſtræ inſtaurantis & pomor. redolent. an. ℥iiß. aq. fragor. & ceraſ. an. ℥ i. ſucci fragor. ceraſ. aut ribes ana ʒvi. ol. ſulph. q. ſ. ad gratam aciditatem. In his mixtis macera per noctem in frigid. flor. violar. & vetonic. rub. an. p.ii. fol. ſenn. mundat. minutim inciſor. ʒii. mane f. per chartam colatura, in qua, diſſolv. ſyr. violac. recent. ℥ß. m ſ. f. Julap.

Pro aqua inſtaurante ſumi poteſt aqua Capi ſtillatit.

Mox fiat ad Chalybeata tranſitus, quæ primo in liquore, deinde in ſuſtantia exhibeantur.

N. B. Ego in Ventriculi, Lienis, Uteri, affectibus inveteratis & pertinacibus ſæpe vinum chalybeatum exhibui per annum integrum fœlici ſucceſſu.

In Chalybeatorum uſu purgetur quarto quoque die aliquibus ex purgantibus prædictis.

Anima hepatis eſt chalybeatum præſtantiſſimum (medicamentis aliis miſcendum.)

Iiſdem diebus quibus utetur Chalybe, quocunque tandem utatur modo, horis quinque à prandio, tribus ante levem cœnam, capiat Julap. ſeq.

♃. Aq. ſtillatit. lactis vaccin. & pomor. redolent. an. ℥ ij. ſyr. ex tincturis (præd.) & ſyr. coral. an. ℥ß. m ſ. f. julap.

Perſtet in uſu remediorum Chalybeatorum per 40. vel plures dies.

Pulvis digeſtivus ſeq. ſit in uſu ordinar. hora dimid. poſt ſingulos paſtus.

♃. Cruſtæ panis albi optime cocti, in ſucc. cydon. ter infuſ. & ſiccat ℥ij. ſem. fœnicul. dulc. & coriand. præp. an. ℥ß. C. C. ad albed. uſti ʒi j. ejuſdem primar. recent. raſur. eboris & dent. equi marin. an. ʒij. magiſterii aciduli corallorum, perlarum & ocul. cancr. an. ℥ ij ß. roſar. rubr, cinam. integri an. ʒiß. macis ℥ß. ſacchari roſati triplum pondus omnium M ſ. f. pulvis ſubtiliſſimus ad uſum.

Abſoluto uſu remediorum Martialium & repurgato (quantum vel affectionis gradus poſtulabit, vel virium ſtatus ſinet) corpore, veniat ad Balneum tepidulum cum aqua ferrata & lacte, additis aſtringentibus, plantag. equiſet. fol. ſalicis, nenuphar. biſtort. tormentill. ſantal. roſ. rubr. &c. quo utatur per plures dies conſequentes citra faſtidium vel ſudorem.

In egreſſu Balnei liniantur Lumbi & ima ventris pars unguento, Alabaſtrino noſtro, & Nutrito magiſtrali.

Tandem (præſertim per æſtatis ardores] bibat Lac aſininum cum ſaccharo roſato perlato & corallato, idque cum debito regimine per duos treſve menſes.

Injectiones in uterum detergentes & roborantes, item Empl. umbilico & Lumbis applicanda, in uſum trahi poſſunt.

Nec Phlebotomia (in Plethoricis) omittenda.

Hæc autem omnia ad præcautionem.

Ad fluxum in paroxyſmo cohibendum ſequentia maximæ ſunt efficaciæ.

Lapis prunellæ, crocus martis corallinus, tinctura coralli, ſuccus plantaginis; clyſter ex ſucco ſtercoris equini vel aſinini; Oſſa huma. ad albed. calcinata dentur è ſucco plantag. & aq. ſperm. ranar. ad ʒj. cataplaſma ab umbilico ad pubem, & ad os ſacrum ex fuligine camini excepto albumine ovi & pauco aceto roſac. acerrimo. Magiſteria perlarum & corallorum. Lapis hæmatites. Bufo ſiccatus collo appenſus, vel lapis ſanguinalis. Narcotica. Venæſectio.

Menſium Suppreſſio.

Purgetur iterum atque iterum corpus.

Mittatur

Mittatur ſanguis è brachio primò, in corpore plethorico. Inſtante Menſium tempore tundatur Saphœna. Præſertim vero hirudinibus aperiantur hæmorrhoides: cujus evacuationis mirum & promptum ſæpius vidi effectum.

Pilul. de Ariſtolochia Fernelii efficaciſſimæ ſunt.

♃. Rad. ariſtol. rotund. ℥ j. rad. gentian. myrrhæ elect. an. ʒiij. Aloës, cinamom. an. ℥ß. zinzib. ʒ j. Omnia exquiſitiſſimè trita excipiantur ol. amygdal. dulc. recent. Doſis ʒiß. ac protinus ſorbendum juſculum quo diluantur.

Vel ♃. Rad. ariſtol. rotund. ʒj. gentian. myrrh. an. ℥ß. flavedinis citri & aurant. ſedulò ſiccat. an. ʒij. croci ʒj. ſpec. hier. picr. ʒiß. macis ℈ ij. caryoph. ℈j. cum oxymel. ſcill. f. maſſa pilular. Doſis ʒ j.

Ad menſtrua movenda materia medica.

Ariſtol. rotund. Dictam. Cret. Rad. Gentianæ, Rub. tinctor. Hyſſop. Crocus. Flor. Chamæmel. Betonic. Artemiſia. Matricaria. Puleg. Regale. Ruta. Sabina. Gran. Juniper. Laurus. Meliſſa. Praſium. Scordium. Calaminth. Sem. Dauci.

Infuſum. ♃. Fol. ſabin. mundat. ℥ij. cort. ſaſſafr. rad. gentian. ariſtol. rotund. rub. major. an. ℥j. fol. puleg. regal. hyſſop. matricar. an. ℥iß. rutæ, dictam. Cretic. an. ʒx. abſint. vulgar. ʒ v. ſem. dauci, baccar. lauri recent. bacc. juniper. an. ʒ vi. croci ʒj. vini Rhenani optimi & tenuiſſimi ℔ vi. Infunde, cola, exprime pro 8. doſibus, 8. diebus continuis ſumend. mane jejuno ſtomacho.

Electuarium. ♃. Rad ariſtol. rotund. gentian. valerian. rub. tinctor. calam. aromatic. an. ʒiiß. rad. Chelidon. maj. ℥iij. fol. ſicc. puleg. regal. rutæ, dictamn. Cretic. matricar. calamint. an. ʒij. flaved. aurant. ʒiß. croci ʒ j. baurac. ℥ß. ſal. artemiſ. & abſinth. an. ℈ iv. trochiſcor. de myrrha ʒiij. f. omnium pulvis ſubtiliſſim. excipiend. ſ. q. ſyr. de artemiſ. f. elect. reſervand. ad uſum. Doſis ʒ ij. vel ʒ iij. ſuperbibend. vini abſinth. momentum, ſuperambulando.

Baurach. cum croco & guttis aliquot olei ſaſſafr. potenter movent menſes.

Peſſus. ♃. Trochiſc. de myrrha ʒij. ſabin. puleg. regal. rut. colocynth. ſcammon. an ʒ1. cyclamin. helleb. utriuſque an. ℈iv. f. pulvis ſubtiliſſimus excipiend. balſamo Peruviano vel felle bubulo pro Naſcali. Inungatur apex moſchi gr. 12. zibet. gran. 6. ol. ſaſſafr. gr. 12. (Nota, mixturam hanc peſſis pluribus ſufficere.) Indantur peniſſime, & per totam noctem contineantur.

Suffitus ex ſtercore ovillo prunis injecto, vel ex lixivio ſulphuris antimonii; excipiantur peniſſime per infundibulum multis foraminibus pervium.

N.B. Menſes aliquando non in totum ſupprimuntur, at parcius juſto fluunt, idque ſummo cum dolore dum erupturiunt. Ad fluxus auctionem, doloriſque præcautionem f. ſequentia.

Biduo ante Menſium eruptionem foveatur hypogaſtrium ab umbilico ad pubem fotu menſtrua ciente. V. g.

♃. Rad. alth. lil. alb. an. ℥iii. rad. ariſtol utriuſque gentian. enulæ, rub. tinct. cyclamin. cucum. aſinin. an. ℥ij. fol. chamæmel. virid. m. iij. fol. eupator. Meſue, coſti hortenſ. rut. matricar. nepet. artemiſ, calamint. puleg. regal. tanacet. an. m. j. ſabin. m. ij. ſem. lin. ℥ ij. baccar. junip an. ℥iß, f. ſacculi duo, quibus decoctis in aqua & vin. albo generoſo, additis ℥ viii. aceti ſcillit. fotus per horam integram viciſſim applicand. mane.

Eo ipſo die quo erumpent, detur mane medicamentum ſeq. Emmenogogon, applicato poſt aſſumptionem fotu.

♃. Trochiſc. de myrrha ℈ i. pulv. ſubtiliſſ. ſabin. ℈ß. croc. caſtor. an. gr. v. Mſ. & cum ſyr. de artemiſ. form. pilul. num. 5. deaurentur. addendo inter formandum ol. cinam. gut. iv. Capiat mane, ſuperhauſto vin. abſinthit. tantillo hor. 4. ante prandium,

Potentius. ♃. Trochiſc. de myrrh. ſabin. an. ℈j. baurac. gr. xv. ſal. artemiſ. & coral. an. gr. 7. Cum ſucc. ſabin. vel rut. f. maſſa addendo ol. cinam. & ſabin. ſtillatit. an. gut. 4. f. doſis.

Peſſus. ♃. Fol. ſiccat. rut. ſabin. nepet. matricar. tanacet. an. ℥ß. rad. ariſtol. rotund. gentian. cyclam. bryon. an. ʒ iij. myrrh. aloës an. ʒij. ambr. ʒß. moſchi ℈ ß. zibet. gr. 4. pulverizentur ſpecies, addantur odorata, atque iſtis farciatur ſacculus oblongus è ſyndone pro Peſſo ut a. e. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. 3.*

In Menſium ſuppreſſione.

Pituita viſcida ſi peccet attenuanda & educenda venit.

♃. Raſ. ligni guajac. ℥iß. cort. ejuſdem ℥ß. Ligni ſaſſafras, ʒi. Rad. enul. campan. raphan. ruſt. an. ℥ß. Herb. arthemiſiæ, matricariæ, menthæ, an. m. ß. Cort. thamariſci, rad. capparum. an ʒij. Bacc. juniperi, lauri, an. ʒ i. ſem. dauci, fœniculi, an. ʒ ß M. F. ſpecies pro vino medicato.

♃. Salis arthemiſiæ, gran. xx. volat. ſuccin. gr. x. Tartari vitriolati, gr. vi. Olei juniperi, gut. iv. M. F. pulvis incidens pro doſi.

♃. Tincturæ caſtor. ʒi. Salis volat. armat. ʒii. M. F. liquor, doſis à gut. x. ad xx.

Pro purgante inſervient pilulæ ex gummi ſuperius deſcriptæ, vel pilulæ ſpadanæ eligmanni.

Vel, ♃. Reſ. jalapp. gr. x. agarici, gr. 3. diſſolvantur in vitello ovi, addendo Aq. pulegii, q. ſ. ad form. hauſtus, adde Tartari vitriolati, gr. 8. Olei cort. aurant. ſtill. gr. v. Tincturæ caſtorei gut. xx. M. F. hauſtus pro doſi.

Utatur etiam ſequenti decocto.

♃. Rad. oſtrutii, dictamni, valerianæ fœniculi. an. ʒvi. ariſtoloc. rotund. ʒ ii. Herb. matricar. arthemiſiæ, calamenthæ, pulegii, an. m ß. Fol. lauri, p. ij. Sem. dauci, fœniculi, an. ʒ i. Coq. in ſ. q. aq. pl. addendo in fine Vini generoſi gal. ici, ℔ß. Col. ℔ ii, adde Oxymel. ſcill. ℥ j. Salis arthem. ℥ß. M. F. decoctum incidens.

Vel, ♃. Specier. diacucurmæ, ʒiß. Rad. hellenii conditæ ℥ß. Conſerv. anthos ℥iß. Olei cort. aurant. ℈j. Syr. de mentha q. ſ. ad form. conditi M. F. conditum incidens.

Non inferiorem hic obtinet locum Tinctura metallorum, ut & flores lapidis hemathi es cum ſale ammoniaco ſublimati; ſic Oleum ſabinæ in elio-ſacchharum exactum, potens eſt uterinum.

Ubi vero acida & auſtera fermenta peccant, exhibeantur ea, quæ hæcce infringere & enervare valeant, ut Limatura chalybis cum mace

& ſaccharo, Conchilia Teſtatia, Corallia, Perlæ, Mater perlarum, & ſimilia.

Itidem mineralia fixa diaphoretica & diuretica, ut Bezoar minerale, Regulus antimonii medicinalis, Antimon. diaphoretic. ſolare.

Inſtar arcani præſcribunt chymici, in menſtruis provocandis, fumigationem ex ſcoriis reg. antimonii cum ſpiritu vini rectificato.

In Nimio Menſtruorum fluxu.

In nimio vero Menſtruorum fluxu conveniunt illa, quæ fermenta ſanguinis nimium activa refrenare, ſanguinemque fluidiorem incraſſare, vaſaque dilatata conglutinare valent, quod partim anodinis, partim ſales volatiles figentibus, & conglutinantibus perfici ſolet.

Hunc in finem conducunt Tinctura opii cum ſucco cydon. extracta, de quo Langelottum. Tinctura martis adſtringens ex lap. hæmat. educta.

Vel, ℞. Pulv. diatragacanth. frigid. Trochiſc. de terra ſigill. an ʒi. Conſerv. roſ. rubr, ℥i. Carn. cydon. conditæ, ʒvi. Syr. de ſymphito, q. ſ. M. F. conditum incraſſans.

℞. Rad. biſtortæ tormentill. conſolid. major. an. ℥i. Herb. plantag. millefolii, ſaniculæ, an. m i. Cort. granat. ℥ ß. flor. roſ. rubr. m j. Coq. ſ. a. col. adde Syr. de althææ fernel. ℥ i ß. M. F. apoſema incraſſans.

Vel, ♃. Aq. plantag. ℥iß. menthæ, ℥ß. cinnamomi, ʒii. Lap. hæmathites, ℈ii. Coral. rubr. præparat. ℈i. Laud. opiat. gr. iii. Syr. myrtini, ℥ß. M. F. mixtura incraſſans.

In extremo caſu præſcribantur pilulæ de ſtyrace gr. x. *Anonymus in Praxi Chymiatr. rationali.*

In Obſtructione menſium. ♃. Gummi ammon. galban. an. ℈ß. reſin. jalapp. ſcammon. an. gr. v. magiſter. ſuccini gr. iii. ſal ſuccin. volat. gr. 5. olei ſtill. myrrh. gut. iii. M. F. pilulæ nu. 7.

Vel, ♃. Pilular. aloëphangin. ʒß. gumm. ſagapen. gr. x. reſin. mechoacann. gr. 6. ſal. ſuccin. volat. gr. v. olei ſtill. angelic. & menth. an. gut. ii. M. F. pilulæ nu. 7.

In India. ♃. Gum. elemni gr. 12. reſin. turbith. gr. x. ſal. cinnam. & ſal. volat. oleoſi zedoariæ an. gr. 2. olei fulig. cinnam. & calaminth. an. gut, 2. M. f. pilulæ num. 7.

Vel ♃. Gum. ammon. ʒ ß. reſin. ſcammon. gran. x. ſal. volat. oeos radic. cinnamom. ſylv. gr. v. ol. ſtill. myrrh. calaminth. an. gut. ii. M. F. pilulæ num. vii.

♃. Eſſent. cinnam. ℈ ß. angelic menth. juniper. an, ʒß. ſpir. tartar. ʒ j. M. Doſ. à gut. x. ad gut. xv. mane & veſp. in vino meliſſæ, ſeu ſalviato.

Vel, ℞. Spir. ſal. ammon. aromat. ʒ i. tartari ſaſſafrati, fuligin. ſuccinati an. ʒ ß. M. Doſ. à gut. x. ad gut. xv. manè & veſperi.

Seu. ♃. Spir. tartar. C.C. an. ʒß, elixyr. vitæ Matthiol. ʒij. eſſent. ſabin. roriſmar. au. ʒ i. aq. fæniculi pulegii, arthemiſ. an. ℥ii. ſyr. menth. cinnam. an. ℥ß. M. Doſ. cochlear. j. bis in die.

In India. ♃. Spir. C. C. fuligin. cinnam. an. ʒß. eſſent. roriſmar. ʒi. cinnam. menth. an. ℈ß. aq. calaminth. matricar. an. ℥ii. ſyr. cinnamomi ℥i. M. Doſ. Cochlear. j.

Vel ♃. Conſerv. flor. cardamom. ſylveſtr. ℥i. galangæ major. ℥ß. ſal. volat. oleos zerumbeth. & radic. cinnam. ſylv. an. ℈i. olei ſtill. ariſtoloch. long. gut. 8. ſyr. cinnam. q. ſ. M. F. conditum. Doſ. ʒj. mane & veſperi.

Innumera hic referre poſſem exempla, ſed ex multis pauca tantùm produco. Mercatoris cujuſdam Batavienſis uxor, alterno ſemper anno, menſium obſtructione laborans, cachectica erat, & inſuper continua febri, vertigine, & inflatione ventris vexabatur, ex quibus poſterior, diaphragmate ſurſum pulſo, magnam pectoris creabat anguſtiam, ſpirationemque impediebat: Ad hæc tardum & debilem habebat pulſum, & appetitu proſtrato nauſeabat. Hanc ſequenti methodo ad bonam rurſus valetudinem reduxi. Hæ pilulæ alvum illi interdum leniter ſubducebant, purgabantque.

♃. Reſin. jalap. gr. 8. extr. agaric. gr. v. ſal. vol. ſuccin. & ſal. hæmatit. an. gr. 3. magiſter. ſuccin. gr. 6. olei myrrh. gut. 3. olei calaminth. gut. 2. M. F. pilulæ veſperi aſſumendæ. Quotidie manè & veſperi, 5. aut 6. ſequentium pilular. aſſumebat.

♃. Gum. ammon. galban. an. ʒii. ſal. hæmatit. ſuccin. volatil. volat. oleoſi zerumbeth an. ℈ j. magiſter. ſuccin. gr. 6. olei myrrh. fuligin. cinnamomi & menth. an. gut. 5. M. F. pilulæ. De die bibebat bis, vel ter, cochleatim miſturam hanc.

♃. Spir. ſal. ammon. ſuccin. ac aromatic. an. ʒß. ſp. C.C. & tartar. an. ʒii. tinct. ſuccin. & caſtor. an. ʒß. eſſentiæ cinnam. ℈i. eſſent. roriſmar. ʒi. aq. menth. fænic. & aurant. an. ℥ii. ſyr. cinnam. ℥iß. M. Sic trium menſium ſpatio ſanitatem recuperavit.

In Menſium & Lochiorum immodico fluxu.

♃. Tinct. ſulphur. vitriol. ℈i. tinct. roſar. ʒi. aq. roſar. & plantag. an. ℥i. ſucci portulac. ℥ß. ſyr. corallior. & granator. an ʒii. M. Doſ. cochlear. j.

Vel ♃. Tinctur. martis ℈i. tinct. corallior. ʒß. tinct. ſantal. rubr. ʒi. aq. portul. plantag. nymphææ an. ℥i. ſyr. myrtin. ℥ß. M. detur cochleatim.

Seu ♃. Conſervæ roſar. & hordei mundati an. ℥i. coque in aqua folior. quercus q. ſ. f. decoctum, cui expreſſo adde, tinct. lapid. hæmatit. ʒß. ſyr. corallior. perlarum an. ℥ß. M. Doſ. cochlear. j.

Sive ♃. Semin. 4. frig. major. & papaver. alb. an. ʒi. amigdalar. dulc. ℥ß. aq. plantag. roſar. an. ℥i. decoct. hordei ℥iv. f. emulſio, cui adde tinct. corallior. ʒß tinct. ſantal. rubr. ʒi. ſyr. coral. ℥i. M.

Affectum hunc nullibi magis quàm in India offendi, Generatur à nimiâ ſanguinis acrimoniâ, quâ vaſa perforantur, atque ita recluduntur, ut non paucæ continuam inde patiantur cordis palpitationem & ſyncopem. Pluribus frigeſcunt pedes, atque ſpaſmus cum convulſione ſæpius ſe ſe eis aſſociat. Has feliciter ſic ſanavi. Ad urgentium ſymptomatum remotionem, talem miſturam cochleatim uſurpandam exhibui.

♃. Aq. plantag. & roſar. an. ℥ii. ſucci portulac. conſerv. roſar. an. ℥i. exprime & adde tinct. lapid. hæmatitis & corallor. an. ʒß. tinct. lign. caliatur. ʒj. ſyrup. corallor. nymph. an. ℥ß. M. Membra linteis calidis fricari, & ſequ. linimento inungi mandavi. ♃. Olei cocti anethi ℥ii. nuci moſch. expreſſi, maceris an. ʒii. ſantal. rubr. & citrini an. ʒi. M. F. linimentum. Inferiori ventris regioni lintea vinô rubrô Gallicô, ſeu Perſicô, cui decoctum aſtringens commixtum fuit, madentia ordinavi. Imò neceſſitate requirente, ad interiorem etiam uſum præſcripſi, & ita graviorum ſymptomatum violentia ſuppreſſa fuit. Quibus ſopitis; ſanguinis, aut potiùs lymphæ acrimoniam facilè correxi per ſequentia. Primùm tali bolô ægrotas purgavi.

♃. Reſin. jalap. & agarici an. gr. 3. ſal. ſuccin. volatil

volatil. gr. v. ſal. hæmatit. gr. 3. conſerv. flor. roſar. & tamarindor. an. ℈i. M. F. bolus. Deinceps ſecundò, vel tertiò die, quatenus vires ſufferre potuerunt proximum dedi ſudoriferum, quod ſanguinis acrimoniam mitigavit, & corrodentes humores per urinam & ſudorem expulit.

℞. Spir. lign. eben. ʒß. ſp. C C. ℈i. antimon. diaphoret. gr. xv. oculor. cancr. ℈i. decoct. lign. ſaſſafras ℥ ii. M. f. ſudoriferum. Cereviſiam saccharinam inhibui, & præſcripta diæta, vinum rubrum Gallicum aquæ coctæ miſtum pro ordinario haberi potu juſſi; & ſic pro voto convaluerunt. *Hermann. Nicol. Grimm Compendii Medico-Chyrurgici lib.* 4.

Conſultationes.

De Menſibus nullo ordine fluentibus. Pro Illuſtriſſima & Excellentiſſ. Principe Minervina.

Ex enarratis compertiſſima fit triplex noxa menſtruarum purgationum in Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Principe, lochiis etiam libere fluentibus à partu puellæ, menſe Decembri proximè elapſo; ſuppreſſio ſcil. earum tribus primis menſibus; mox profluvium, aliis duobus ſecutis, cum virium languore; ac tandem eorundem fluxus 3. 6. & 7. dies modicâ copiâ, abſque aliis ſymptomatibus, niſi quod ſemper ſanguis varii coloris manaret: cujus ratione, Vir Præclariſſ. qui hiſtoriam tranſmiſit, ſtatuit, nec abs re, affectum præſentem, inordinatam menſium fluxionem vocandum eſſe, ſymptoma proinde, ratione motus, in actione læſa, & ea quidem depravata, atque ratione ſanguinis heterogenei, in excretis.

Quorum utrumque cauſam agnoſcere vitium ſanguinis, & facultatis uteri, ſanguinis quidem primò juxta ſententiam Galen. 5. Aphor. 36. explicantis Aphoriſmum illum Hippocr. Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo, & tempore prodeuntes, purgationem inditam eſſe neceſſariam, ubi addit, mulieribus cacochymis uſu venire, ut non modò decolores in ipſis menſes appareant, ſed etiam præfixum periodi tempus non ſervent, humoribus craſſioribus, & fluxioni non idoneis; cunctantibus; tenuioribus vero, & fluidioribus juſtum tempus occupantibus. Accedit verò & imbecillitas retentricis uteri, cùm ex præteritis immodicis profluviis, tum fortè etiam innata: cujus indicia præbere poſſunt habitus totius humidus, conceptio puellæ, & partus tardior: quibus addit Ætius ſanguinis nigri, & aquoſi effluxum, partu præterito: cùm potiſſimum ſuppreſſio illa trimeſtris ſtatum à puerperio non à ſola ſanguinis craſſitie ex Gal. loco citato, ortum duxerit, lochiis liberè antehac fluentibus: ſed potius ab aliqua vaſorum conſtipatione, ratione ambientis frigidi. Quod ſi menſibus imminentibus lumborum dolor aliquis, pectinis, & crurum gravitas ſuboriatur, necnon ſeminis virilis effluxus, pudendorum humiditas, & hujuſmodi, quæ Vir Doctiſſ. obſervabit, de imbecillitate uteri conſtabit magis: ſi verò in menſium fluxu aliqua ſe prodat acrimonia, indicium præbebit luculentum ſanguinis fervidioris, & corrupti, proinde jecoris calidioris, prout & color nunc in ſanguine conſpicuus, niſi naturali temperamento Exellent. Principis ſit adſcribendus: tunc enim ab imbecillitate potius uteri, quàm ſanguinis noxa induci poſſet: quæ tamen nonniſi clinicis Medicis, & inquirentibus innoteſcere poſſunt.

Quidquid horum tamen ſit ſi menſes inæquales magis juſtum tempus prævertant, & iterum, ac tertiò in menſe recurrant, non ſolùm periculum infœcunditatis minantur; ſed aliorum etiam malorum, juxta Doctiſſ. Viri ſententiam: ſi verò æqualis fuerit hæc acceleratio: atq; heterogeneus ſanguis innato temperamento Excell. Principis manat, de gravioribus non eſt metuendum: licet præſentia leviores non ſint inſuper habenda.

Quatuor autem nobis incumbunt, Primò totum corpus eſt accuratè purgandum: juxta Hipp. ſententiam loco ſupra citato: ſecundò jecoris fervor, ſi gravis ſit, eſt contemperandus: tertiò uterus moderatè calefaciendus, & ſubaſtringentibus roborandus: ac tandem ſanguis craſſior, & fluxioni minus opportunus eſt reddendus.

Univerſalis totius purgatio erit penes Excell. Medicos clinicos, pro humorum redundantium modo, atque ab illa præſcribetur decoctum ex ſantalis, & lentiſco: cum cichoraceis, in jure vervecis, additis limacibus, aut capite, vel pedibus vitulinis, quo utrumque ſcopum impleat. Libens enim quibuslibet aq. thermalib. aliiſque liquidis, copioſa aſſumptis ſuperſederem: ne ſanguis ſeroſior, fluxioni quoque idoneus magis fiat: quanquam non improbem lactis arte parati uſum, ex amygd. nucleis pineis, ſeminib. melon. & modico ſacchar. aliquot dies, ſaltem à decocto 25. & 30 dies. Extrinſecus uterus foveatur vino rubro modicè generoſo; cui incocta fuerint mentha abſinthium, roſmarinus, ſalvia, & hujuſmodi.

His accedat recta victus ratio, denſans potius, quàm attenuans. In quam rem caro vervecis, cerebrum, & cutis capitis vituli, oryza, far, gelu ex pedibus vitulinis, cum carne caponis, & ſucco limonum paratum erunt accommodata. Exercitium non ſit validius, alvus ſemper reſpondeat: ſomno indulgeat, abſtineatque à Venere: atque animi perturbatione vacet. Quod faxint Superi. *Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Med. Cent.* 4.

De Menſium imminuta fluxione, cum dolore, ac Sterilitate. Pro Nobili Matrona.

Nobilis Matrona, 26. annor. proceræ ſtaturæ, modicè carnoſa, habitus ad melancholicum vergentis: ab adoleſcentia conqueri cœpit de dolore capitis, & uteri, diem unum, vel alterum menſes præcedente: atque iiſdem poſtmodum juſta copia fluentibus, miteſcente. Nupta Viro Nobiliſſ. ſeptem abhinc annis, cùm annum, & quod excurrit eodem affectu divexaretur, conceptionis cauſâ: levi purgatione, ex Medicorum conſilio inſtituta, cum ſanguinis eductione ex ſaphena, invaluit dolor: atque parcius menſes fluxerunt; imò & à repetita ſimili purgatione, & ſanguinis miſſione ex venis inferioribus anno poſt gravius habuit, nullo levamine conſpicuo; ut nec ab aliis remediis ex obſtetricum conſilio adhibitis, cũ internis, tum externis calidiorib. utero applicitis: à quorum uſu dolores potius atrocius ſævierunt: & quidem quindecim dieb. continuis ante menſtruorum periodum, miteſcentes viciſſim, iiſdẽ fluentibus, licet non ſemper id contingat, ob minorem eorum in dies copiam, atque eo tempore ſeroſa quædam humiditas, ad citrinum vergens ex utero manat, cum mœrore, & triſtitia: toto verò ſeptennii ſpatio, ſemel tantum

concepiſſe ferunt, abortu duorum circiter menſium excuſſo, quanquam materia excreta nullum fœtus exhibuerit rudimentum. Nos propterea conſulit, cùm valetudinis, tum optatæ prolis cauſa.

Inquirenda itaque cauſa imminuti menſium fluxus, cum dolore; ex qua & ſterilitatis palam fiet. Cùm autem parcius fluant menſes, vel labefactata facultate, vel materiæ vitio; vel interceptis venis, quas permeare debent; in caſu præſenti, facultatis nullam adeſſe labem compertiſſimum eſt, cùm Nobilis Patiens ſit boni habitus, & ad quaſlibet actiones alacris, & prompta, ut propterea confugiendum cenſeam ad noxam ſanguinis, & meatuum, quos præterlabi debet. Sanguis autem non cedit in alimentum concoctus; quod ruſticis, & virginibus contingit, quibus parcius aut non omnino fluunt menſes, integra valetudine; ſed qualitate noxius eſt, craſſus ſcil. & melancholicus, atque ad motum ſegnis, & tardus cujus indicium præbet luculentũ ſeroſæ illius materiæ profluvium 15. dierum, prævertens menſtruorum juſtum tempus, melancholico ſanguini immixtæ. Laborant quinetiam uteri venæ obſtructione, ab eodem ſanguine ad inferiora attracto, ob repetitam ſanguinis eductionem ex ſaphena, non præmiſſa pro uſu ejuſdem attenuatione. Huic enim accidit, ut ſanguis ille pondere, & diſtenſione uteri venas afficiens, ejus dolorem inducat; ut & capitis, elevatis in ipſum vaporibus; donec moderata copia ex utero profluxerit: qua ſarcina cùm fere continuò prematur, atque ab eo innato ipſius calido obruto, conceptio nec fieri, nec contineri poteſt.

Affectus ſanè difficillimæ ſanationis; quippe antiquus, atque in dies invaleſcens; gravior futurus provectiori ætate; qua jecoris aucto fervore ſanguinis melancholici major proventus ſuccreſcet; ut præſens propterea periculum immineat, ne Patiens Nobilis aut omninò non concipiat, neque integræ valetudini reſtituatur, vel nonniſi longo ſaltem temporis ſpatio, & repetito remediorum uſu voti compos fiat.

Medica vero præſidia eo colliment oportet ut attenuent, emolliant, & ſanguini fluxum comparent; obſtructiones reſerent, exhalationes in caput intercipiant, jecoris fervorem contemperent, ſubadſtringant, foveantque calidum innatum ipſius uteri. Quæ præſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica, cùm hoc æſtivo tempore, tum potiſſimum autumno adminiſtranda.

Hac itaque æſtate leviatur alvus flore caſſiæ recens extractæ, cum ſpeciebus hieræ ſimplicis, vel ſyrupo roſ. ſol. & manna. Præparentur mox humores ſyr. capil. vener. & aceto ſo ſimpl. cum decoct. cich. borrag. capil. vener, pentaph. & cetrach. Purgentur ſyr. de polypod. & manna, cum decoct. cora. ex ſennæ infuſ. Repetatur deinde humorum præparatio validioribus attenuantib. ſyr. ſcil. byzantino cum aceto, de quinq; radicib. de ſucco borrag. & capil. vener. cum decoct. pul. chamæm. agrim. cetrach. & capil. vener. Tunc autem ſanguis educatur, modicè tamen ratione anni temporis, primò ex ſaphena dextra, mox & ſiniſtra, quinq; vel ſex dies ante menſtruas purgationes; atq; foveatur uterus fomento ex vino albo modicè generoſo; cui incoquantur flor. chamæm. malv. puleg. matric. artemiſ. & modica ſabina; facta inunctione pubis oleo lilior. albor. cum aromatib. de nuce moſch. & amygd. amar. cum modica ambr. & moſcho. Tandem abſolvatur purgatio medicamento aliquo blando. A quibus, duo remedia potiſſima cenſeo; alterum quidem internum; ſerum ſcil. lactis capr. 15. & plures dies exhibitum: dejectorium aliquando, cum decoct. epithymi Meſues, ad ℔ij. circiter; plurimum tamen diureticum, ad ℔ j. cum ſyr. capil. vener. & ſem. melon. Alterum externum eſt; balnei nempe univerſalis aquæ dulcis tepidæ, frequens uſus, ſemihoræ ſpatio, tertia qualibet die, octo horis à prandio; atque alternis diebus fiat inſeſſus ad umbilicum uſque, in aqua marina, incoctis illi puleg. dictam. artemiſ. matric. & ſabina; addito ſulph. ſale, & nitro; atque immiſſa in uteri cervicem cannula foraminibus pervia. Atque hæc ſunt potiſſima, commodè hac æſtate adminiſtranda, cum recta victus ratione.

Autumno vero repetatur accuratior humorum præparatio, adhibitis primò levioribus attenuantibus; puta ſyr. de cichor. cum rhabar. de fumaria; compoſito, & oxymel. compoſ. cum decoct. dictamni, ſcordii, agrim. capil. vener. & cichorii, quam excipiat purgatio rhabar. agar. & ſennæ, infuſis in decoct. cordiali, addito ſyr. de polypod. compoſ. & roſ. ſol. & repetita modica ſanguinis eductione ex ſaphena, cùm menſibus imminutis tutior ea ſit ex partibus inferioribus, ex Gal. conſilio ſæpius experientia comperto. Ab his, utatur quolibet manè decocto ex vino albo alterato, cum dictamno, aniſo, cinnam. matricar. & pauco croco, præmiſſo illi bolo ex terebinth. laricæ. & cum gallia moſchata, ligno aloës, biſtorta, cinnam. ſalv. moſch. & ambra, corpore ſtragulis optimè tecto, ne exhalet. Liniantur vero pudenda moſcho, & ambra, ante concubitum. Atque hæc ex uſu futura cenſeo. Quæ ut ad vota ſuccedant faxint Superi. *Idem ibidem.*

De Menſium Profluvio. Pro Virgine Nobiliſſima.

Gratiſſimæ mihi ſemper erunt literæ tuæ, licet graviora negotia non interpellant. Quòd in patriam ſis redux incolumis quam maximè gratulor; atque gratias habeo, quod meam ut caſu præſenti magni æſtimes ſententiam; quamquam nullo loco eſſe poſſit apud te; Virum in arte verſatiſſimum, cui tamen, ut amico intimæ notæ quin morem gererem ſuſtinere non potui, maturioris ſaltem conſilii cauſa: collatis quinetiam, cum Excellentiſſ. Nigro Equite ſententiis, qui & noſtræ ſubſcripſit. Cum itaque affectus præſens ſit menſium duobus abhinc annis nullo ordine erumpentium profluvium, in Virgine Nobiliſſima, annor. quindecim, ſtaturæ proceræ, coloris ad fuſcum vergentis, modicè carnoſa, ac proinde temperamenti calidi, & humidi, caliditate tamen humiditati præpollente; unanimi conſenſu decrevimus, ſymptoma hoc à duplici nunc cauſa ortum ducere; vitio nimirum ſanguinis, & venarum uteri imbecillitate. Duplici autem potiſſimum nomine peccat ſanguis, copia videlicet, & qualitate. Copia quidem, cùm quòd Nobilis hujus Virginis naturale temperamentum ſanguinis ferax eſt, tum etiam quòd ſtatis menſibus non expurgatus, quin redundet fieri non poſſit; qualitate quinetiam; caliditate nempe, & aliqua craſſitie à fervore jecoris,

& totius; necnon ejuſdem ſanguinis aliquot menſes ſuppreſſiones, comparatis. Vaſorum imbecillitas à nimia eorundem laxitate eſt, cujus ratione, facta anaſtomoſi, præſens ſanguinis grumoſi potiſſimum, & forſitan ob aduſtionem nigricantis profluvium ſubortum eſt.

Affectus hic licet in præſentia morboſus dici non poſſit, cùm nullas manifeſtè lædat operationes; quinimò facile feratur à Virgine Nobiliſſima, haudquaquam tamen eſt negligendus; metu graviorum malorum, ſi inveteraverit: potiſſimum verò imbecillitatis ventriculi, & cachexiæ, refrigerato jecore, ut propterea non præter rem adminiſtrata hactenus fuerint remedia, atque nunc de aliis conſulamur.

Opportuna autem, quæ ſunt eò ſpectent, ut jecoris, & ſanguinis fervor compeſcatur, & uteri venæ corroborentur. Quæ quidem nunc leviora præſtabunt, tum quia affectus non eſt admodum moleſtus; tum quia præſens anni tempus validiora admittere non videtur; differenda proinde in tempus vernum, ut illis magis accommodatum.

Quare ſi ſermo fiat de materiis remediorum hoc anni tempore adminiſtrandis, in Chirurgicis commendatur ſectio venarum ſuperiorum, vel alterutrius brachii tantùm, dextri ſcilicet; vel etiam utriuſque, durante fluxione; parcè tamen utrobique ſanguine educto; quod repetendum etiam proximo menſe; atque ſuppreſſis menſibus educi poterit, imminente novilunio, ex ſaphena, majoris revulſionis potius, quam evacuationis cauſa: quinimò, vigente adhuc affectu, ex uſu eſſet repetitus aliis menſibus cucurbitularum non ſcarificatarum uſus, ſub mammis & hypochondriis; necnon & artuum ſuperiorum frictiones, & ligaturæ; quibus, ſuperſedendum eſſet, ſi ſanguis non fluxerit immodice.

Pharmaceutica univerſalia ſpectent primò ſeroſitatem aliquam bilioſam, cum ſanguine melancholico, ad atrabilarem vergente: ac proinde præparantia, & purgantia ſint chologoga, melanagogis immixta, non admodum valida, & refrigerantibus contemperata. A totius vero corporis purgatione, vel repetendum erit decoctum aliquod temperatum, vel ipſius loco utendum 20. dies circiter ſucco depurato cichorii, in jure, modo ſimplici, modò immixto ſucco plantaginis, vigente fluxione; qua urgente, addi poterit drach. 1. corallorum rubeorum, vel terræ ſigillatæ, aut boli armenæ, cum ſaccharo roſato antiquo: quibus tamen validioribus adſtringentibus ſuperſedendum erit, ſi fluxio non multum faceſſet negotium, ne præ nimia vaſorum adſtrictione menſtrua omninò intercipiantur. Extrinſecus item inungatur perinæum, pubes, & renes infrigidante Galeni, & unguento roſato Meſ.

Victus ſit tenuis, refrigerans, & denſans potius, quàm attenuans; qualis erit ex oryza, farre, hordeo, lactuca, & carnibus animalium domeſticorum, miſſis ſalitis, conditis, acribus, & aromaticis. Potus ſit vel aqua ſantalorum rubeorum, & viſci quercini ſola; vel vinum rubrum hac dilutum; quo uti poterit tota hyeme. Exercitium quoque ſit moderatum, atque alia proportione his reſpondeat.

Verno autem tempore, durante fluxione, progrediendum erit ad validiora: atque in topicis internis mihi probatur uſus ſeri lactis caprini aliquot dies; mox & aquarum refrigerantium B. Virginis, vel Lucenſis vel acidularum; quæ refrigerant, exſiccant, & ſubadſtringendi facultate roborant venas. Faxit Deus ut omnia ad vota ſuccedant. *Idem ibidem.*

De immodico menſtruorum Profluvio. Pro Nobili Matrona Lucenſi.

Annus nunc agitur, cùm Nob. mulier ann. 23. temperamenti calidi, & ſicci, gracilis, & melancholica, ab octimeſtri abortu, quotidiano fluxu ſanguinis ex utero laborat, non quidem continuo, cùm horas quandoque ſiſtatur, nec æquali ſemper curſu; quippe qui decimo, vel decimoquinto quolibet die majori copiâ, & floridus magis effluat; non ſine dolore circa ilia, & pubem, quo antehac etiam torquebatur, fluentibus menſtruis. Plura hucuſque fuerunt adminiſtrata, nullo tamen, vel levi juvamento; ut noſtram propterea expoſcat opem, & operam.

Hanc autem ut illi ex methodi lege commodemus, inquirenda eſt cauſa hujus affectus; qui quidem aliud nihil eſt, quàm ſymtopma in excretis præter naturam; non quidem ratione loci, ſed copiæ, temporis, & virium, ab actione ipſius uteri labefactata manans, ſanguinem majori copia, nec juſto tempore profundentis. Læditur autem uteri actio, per eſſentiam, & conſenſum: atq; eſſentialis ejus noxa duplex eſt; imbecillitas ſcil. retentricis; & laxitas venarũ ipſius: imbecillitas eſt à labefactato calido ejus innato; atq; humiditate exuperante, cùm ob geminũ abortum; tum ob meatus laxatos à frequenti ſanguinis effluxu, dum concepit, necnon ratione muliebris profluvii præteriti, hinc enim ſuccrevit proventus excrementorum in utero, quâ genitorum, quâ ab aliis partibus tranſmiſſorum. Afficitur quinetiam per conſenſum à ventriculo, crudiorem materiam ſuggerente, in muliebris antehac profluvii, & lentarum febrium cauſam; accedente pòtiſſimum jecore fervido, hac ætate juvenili, tempore æſtuoſo, & habitu melancholico, ſanguinis proinde acrioris, bilioſi, & melancholici feraci; cujus cauſa ſeroſa materia magna copia redundat; quæ duos menſes effluxit ante abortum necnon magnus ſanguinis acris, bilioſi, & melancholici proventus, qui jugiter à toto venoſo, genere, ad uterum, ſentinam veluti humorum præter naturam decurrit; quæ cauſa eſt, cur quandoque ſiſtatur fluxus, aliquando vero acrior evadat, pro copia, & mala qualitate materiæ fluentis ad uterum, atque ipſius expultricem irritantis.

Qui quidem affectus non ſolùm ægrè admodum ſanabilis futurus eſt; cùm medicis præſidiis, ex methodi lege præſcriptis non cedat; ſed etiam graviora minetur mala, ſterilitatem ſcil. cachexiam, hydropem, & alia hujuſmodi.

Diverſionis itaque cauſa, frictiones, ligaturas artuum ſuperiorum, cucurbitulas ſine ſcarificatione ſub mammis; ſalvatellæ utriuſq; ſectionem, educto ſanguine ad quatuor, vel quinque uncias necnon veſicantia brachiis applicita maxime ex uſu fore arbitror, quanquam forſan antehac in uſum revocata. Omnia ſiquidem ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat, ad alia tranſeundum non eſt, ex Hippocratis ſententia.

Balneum quinetiam univerſale tepidum; ut & diuretica refrigerantia, & blandæ corporis deje-

jectiones, nonniſi juvamento erunt; præmiſſa tamen primarum viarum, & totius corporis purgatione. A quibus, duo interna remedia principem locum obtinebunt, primò quidem lactis caprini uſus, vel ovilli, ut caſeoſi magis, ſummo mane, multos dies aſſumpti, aliud verò eſt ſaccharum roſatum antiquum, cum lapide hæmatite, & corallis, veſperi duabus horis ante cœnam exhibitum.

Victus ſit refrigerans, & incraſſans, cum quiete, & ſomno. Quod ſi his non ceſſerit affectus, ſuaderem quarta qualibet die uſum theriacæ recentis, ad drachmam unam, ſomno, & quiete præſcriptis. *Idem ibidem.*

De tardo Menſium fluxu, Muliebri profluvio; Doloribus, & ſterilitate. Pro Lectiſſima juvene Rhodigina.

Ex enarratis facile conſtat, tres eſſe affectus lectiſſimam juvenem ſex abhinc annis di vexantes, tardum ſcilicet menſium fluxum, muliebre profluujum; & dolores per vices recurrentes in ventre, inguinibus, cruribus, & lumbis; quibus omnino ſterillitas ſuccedit. Menſes ſiquidem, quanquam ſtato circuitu erumpant, ſegnius tamen id fit, nec niſi octavo poſt die liberè fluunt. Additur inſuper, quod exacto purgationis tempore, fluor materiæ cujuſdam heterogeneæ excrementitiæ, calidæ potiſſimum, billoſæ, viridis, porraceæ, feruidæ, nigræ, & melancholicæ, decem dies patientem exerceat, non ſine gravi virium offenſa, inappetentia, & doloribus jam enarratis.

Statuendum itaque eſt, uterum eſſe partem potiſſimum affectam, ratione materiæ excretæ, & dolorum partes illas diuexantium, ad quas pertingunt uteri ligamenta; cujus quidem affectus, me quoque judice, eſt ſymptoma cum in excretis; tum in actione læſa, ratione doloris. Excreta autem duplici potiſſimum nomine noxia ſunt; primo quidem ratione temporis, cum menſtruæ purgationes primum erumpentes, nonniſi interrupto curſu libere fluant; obſtructis ſcil. uteri venis ab humoribus craſſis, pituitoſis, & melancholicis; quibus attenuatis, & perrupto obice, ſanguis inoffenſo curſu poſtmodum effluit. Heterogenea autem materia & toto genere præter naturam, à jecore fervido tranſmiſſa ad uterum, per ipſum ſtatis menſibus expurgatur; quæ ratione acrimoniæ, & craſſitiei, dolorum in ventre, lumbis, inguinibus, & coxis autor eſt; ob conſenſum harum partium cum utero ligamentorum ejus cauſa. Uterus autem ſuccis corruptis redundans, ab his calida intemperie afficitur, nec ſemen continere, & concipere poteſt; quæ omninò ſterilitatis eſt cauſa; ab iiſdem verò dum os ventriculi jugiter perfunditur, diſſoluuntur ſpiritus; unde inappetentia, & totius corporis imbecillitas.

Qui quidem affectus difficillimi ſunt, cum ob ipſorum durationem; tum ob intemperies viſcerum inæquales, à quibus foventur; non tamen inſanabiles omninò futuros ſperare juvat.

His itaque curandis totum corpus eſt expurgandum, materia heterogenea influens ad uterum, contemperanda, & divertenda; prohibendus nouus ejus proventus refrigerantibus & humectatibus jecur; non ſine aliqua ventriculi corroboratione; ac tandem roborandus eſt uterus. Quos ſcopos implebunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

In chirurgicis, laudo ſanguinis miſſionem ex jecoria dextra, evacuando ſanguini craſſiori, & jecori refrigerando, longius tamen à menſtruis purgationibus; quo tempore, ſuaderem eductionem ſanguinis ex ſaphena, duobus diebus ab erumpentibus menſibus, quò ſcil. acceleretur illorum fluxus, qui octo dies cunctatur; ſuperſedendo cucurbitularum ſub mammis uſu; atque aliis omnibus, quæ remorari poſſunt effluxum materiæ illius excrementitiæ, qui menſes excipere ſolet; quam tamen, loco, & tempore opportunis divertendam eſſe cenſeo, frictionibus totius corporis, & diverſionibus ad urinæ meatus; & aluum.

Præmiſis itaque lenientibus, præparentur humores cichoraceis, betonicæ, & menthæ, cum ſyrupo de corticibus citri, & acetoſo ſimplici. Purgentur mox agarico, & rhabarbaro, addito ſyrupo roſato ſolut. & de polypodio compoſito, ex præſcripto Viri Excellentiſſimi. Repetenda poſt modum præparatio, diureticis non admodum calidis; ſyrupo ſcil. de quinque radicibus, & byzantino cum aceto; additis cichoraceis, pentaphyllo, gramine, agrimonia, radicibus petroſelini, & aſparagi; quam excipiat præſcripta purgatio; à qua mihi ſummopere probatur ſeri lactis caprini uſus, plures dies; modo diuretici, inſtillato ſpiritu vitrioli; & immixtis emulſionibus ſeminum melonum; præmiſſo bolo ex Terebinthina laricina; modo dejectorii, additis mechoacan, & cremore tartari; à cujus uſu, quindecim dies circiter, non prætermiſſa in eo infuſione comæ abſinthii, ratione ventriculi, ex uſu quammaximè fuerit Aqua Villenſis; vel Noceræ, quæ Venetias aduehitur; aſſumpta alterutra quindecim dies circiter; cujus vim diureticam augere poterunt ſyrupus de quinque radicibus, ſpiritus vitrioli, & emulſiones ſeminum melonum: hæc enim jecoris fervorem compeſcent: & materiam derivabunt ab utero ad vias urinæ. Quod fiet etiam ad aluum, dejectoriis blandis; atque ad ambitum, ſudorificis, & frictionibus. A quibus, corroborando ventriculo, uſui erit ſtillicidium ex aqua divæ Helenæ, præſcripta à Viro Excellentiſſ. atque ad uteri robur, inſeſſus in iiſdem aquis, cum cannula foraminibus pervia, uteri cervici indita; quibus & miteſcent dolores commemorati.

Quæ cuncta prolem exſuſcitare poterunt, ſi potiſſimum his accedat recta victus ratio, accurate præſcripta à Viro Præclariſſimo: quam propterea, brevitati conſulens, prætermittendam duxi. *Idem ibidem.*

De fluxu materiæ aquoſæ ex utero. Pro Illuſtriſſ. Matrona.

Occurrit nobis affectus Illuſtriſſ. Matronæ, annorum 30. temperamenti humidioris, in activis temperati; mollis habitus, floridi coloris; cui ex variis animi perturbationibus menſes parcius fluxerunt; atque duobus abhinc annis immodicum aquæ profluuium ex utero ſubortum eſt; de quo in præſentia conſulimur.

Statuendum itaque cenſemus, uterum eſſe partem affectam, quod ex ejus actione læſa patet: cujus quidem affectus eſt ſymptoma in excretis toto

toto genere præter naturam; quod cum alicujus morbi ſit ſoboles, non ſatis conſtat, utrum hic ſit eſſentialis ipſi utero, an vero per conſenſum: cenſemus tamen, affici quidem ipſum noxa quadam obſtructione ſcil. venarum, cujus cauſa parcius fluunt menſes; verum in præſentia laborare per conſenſum cum toto venoſo genere, cum magnus adeo ſeroſitatis proventus procreari non poſſit in utero, utcunque imbecilli, quantum jugiter ab eo effluit: ut propterea juxta cum Viro Excellentiſſ. cenſeam, materiam hanc à viſceribus naturalibus per venoſum genus ad uterum, tanquam partem imbecilliorem laxioremque illabi.

Numquid autem hujus cauſa ſit ſcirrhus jecoris, quæ fuit ſententia viri excellentiſſ. dubius valde ſum, & anceps, cum ejus nulla ſe prodant indicia in dextro hypochondrio, non renixus, aut durities aliqua tactui obvia; quin potius contrectatum utrumque molle occurrat, & cedat. Accedit, quod faciei color roſeus, ac floridus, nullam in ſanguinis officina labem, gravem ſaltem admittere poteſt, & ſcirrhum potiſſimum: cum ex Hipp. conſtet, Lib. de Humoribus, humorum colorem, niſi ad intima corporis confluxerint, in cute veluti effloreſcentem conſpici. Adde, quod licet Illuſtriſſ. Patiens macie aliqua laboret, non ea tamen eſt, quam ſanguificatricis facultatis noxa invehere ſolet: ut propterea in eam concedam ſententiam, quod à naturali ipſius diſpoſitione, atque ex animi pathematibus, ſeroſa colluvies in venoſo genere ea copia potuerit coacervari, quæ fluxionem hanc induxerit, cujus indicia exhibent Illuſſ. Patientis temperamentum, & habitus mollior: quam expreſſit Hipp. Primo in 6. Epid. 6. his verbis: Muliebria aqueſcentibus plurimum immorantur, &c. ubi ex Gal. in Com. Aqueſcentes à quibuſdam intelliguntur illæ, quæ promptè aqua inter cutem corripiuntur; ab aliis verò, quæ ſanguinem natura tenuem, & aquoſum habent: qualis procul dubio fuerit, qui redundat in Nobiliſſima Patiente, ratione humiditatis exuperantis, & habitus mollioris. Cui conſtitutioni accedunt animi pathemata; quorum cauſa calor innatus ad intima recurrens, obruitur, ac parcius fluunt menſes; unde ſanguis ille melancholicus, per uterum ſtato circuitu antehac expurgari conſuetus coacervatur, cum in viſceribus naturalibus, tum in venoſo genere; qui cum multo ſero ſcateat, cujus ratione Hippoc. quandoque illum aquam vocavit, hoc ad uterum influens, aquoſum illum fluxum inducit. Atque hæc de eſſentia, & cauſis præſentis affectus.

Cui competit apprimè Hipp. prognoſticum loco primo in 6. Epid. citato: Muliebria aqueſcentibus mulieribus plurimum immorantur: cum autem non celeriter eant, intumeſcunt.

Evacuandæ propterea erunt ſeroſitates in venoſo genere redundantes, per alias partes, alvum ſcil. urinam, & ſudorem: reſerandæ obſtructiones attenuantibus & incidentibus: tandē roborādus uterus exſiccantibus, & modice calefacientibus.

Alvus itaque ſubducatur hydragogis: manna ſcil. electa mechoacan, ſyr. de polypod. compoſito radice iridis Illyricæ, ſucco ebuli, & modico elaterio, cum pilulis alephanginis. diuretica, quæ ad uterum non devehant ſerum, ſint calida, & ſicca: radices ſcil. fœniculi, apii, petroſelini, aſparagi, & ruſci: contemperata ſeminibus frigidis: necnon diacurcuma, lithoſpermum, dialacca, Terebinthina Cypria, & oleum deſtillatum ex aniſo. Sudor ſollicitetur hypocauſti uſu: exhibito decocto columbæ turricolæ, ex modico ſaſſafras, ligno rhodio, & radicibus præſcriptis: præmiſſis duobus, cochlearibus oxymel. ſcyllitici, & ſyrup. de cichorio cum rhabar. cujus uſus erit 30. dies circiter, cū ſudore, & victu exſiccante: parato pane bis cocto, cum ſeminibus fœniculi, & hujuſmodi: atque præſcriptis exercitio, vigiliis, & peregrinatione, levandi animi cauſa. Atque hæc potiora duxi in ſalutē Illuſtriſſ. Patientis. *Idem ibidem.*

Menſium Profluvium.

Mulier 35. annorum, temperamenti totius & hepatis calidioris, mediocris habitus, venoſæ, & merobibula, cui ſemper copioſe menſtruæ purgationes proceſſerunt, & quidem, uberius ab anno ſuæ ætatis trigeſimo, ultra; ſeptimum diem ſemper cum anticipatione ſex tamen abhinc menſibus ſolito multum copioſius effluxerunt, primis quidem diebus, fervido ſanguine, rubri coloris, naturalis conſiſtentiæ, ſed nonnunquam congelato & grumoſo, poſtremis verò, ſeroſo. Interim pallida eſt reddita, ſupervenientibus inappetentia, imminuta ventriculi coctione, & aliqua pedum intumeſcentia. tandem menſe præſenti, quindecim abhinc diebus menſtrua aliquanto copioſiora fluere cœperunt, hucuſque perſeverantia, cum prædictorum ſymptomatum incremento, dorſi laxitate atque imbecillitate, necnon virium notabili languore. Quorum cauſa Medicum poſcit auxilium.

Sicut naturalis menſtrua expurgatio menſuram duarum heminarum atticarum, ſpatio duorum triumve dierum, non multum excedit; morboſa verò exuperat, aut deficit, vel tempore, vel menſura; ita hanc in Nob. noſtra Patiente excedentem utroque modo, menſium profluvium, ſeu hypercatharſin appellandam nulli non apertum eſt. Symptoma in excretis immodice fluentibus, ſola quātitate, toto genere præter naturā.

Hujus immodicæ expurgationis cauſa, referenda non ſolum in vaſorum imbecillitatem; verum & in vitium ſanguinis ac totius. Et primò quidem vaſorum laxitatem atque imbecillitatem præmonſtravit, copioſa & facilis expurgatio, ab ipſamet antea ſemper obſervata; deinde vitium ſanguinis & totius, atteſtantur temperamentum totius, & hepatis calidius, non modò ipſi innatum, ſed à copioſo meri potu, & ab ætate florente non parum adauctum; quibus accedit amplitudo venarum, quæ ſanguinis copiam caliditati junctam ſatis ſuperque demonſtrat. Per anaſtomoſin vero venam ſanguinem fundere credendum; tum quia ſine ullo ſenſu eroſionis ſemper effluxit: tum quia affatim & copioſe excernitur, & confeſtim ſupprimitur; quam venam exiſtimo, non ſpermaticam, ſed dexteram hypogaſtricam, ad uteri fundum perductam, & ſanguinem laudabiliorem à vena cava haurientem; non enim adeo fluidus & conſiſtens, ſed potius ſeroſus prodiret ſi à ſiniſtra vena, cui cum emulgentè communicatio, tranſmitteretur; neq; grumoſus evaderet, niſi in uteri cavitate moraretur diutius. quod nonniſi ab uteri fundo fieri poteſt.

Ex hac autem ſequuta copioſa atque ſuperflua, non modo ſanguinis vitioſi, verum & optimi evacuatione, exanguis & pallida reddita eſt

mulier;

mulier; atque innato calore imbecilliori facto, naturales operationes, ventriculi nimirum & hepatis, labem non exiguam contraxerunt, quam & inappetentia, & imminuta chylificatio, necnon depravata ſanguificatio; ac tandem totius vires proſtratæ ſubſequutæ fuerunt.

Menſtrua, ſi plura fiant accidunt morbi, à toto, ait Gal. in Comm. & ſi non fiant, ex utero morbi contingunt. Eſt itaque morbus gravis, tum ratione individui, tum ratione ſpeciei. Etenim ſterilitatem non modò, verùm hydropem tandem inducit; malus, ex vitio ſanguinis: deterior, ex vitio totius: peſſimus, ex vitio uteri, qui & inſanabilis ſi antiquus evadat. Primò, quia ora vaſorum callum contrahunt. Secundò, quia uterus à toto recipit fluxiones. Tertio, ratione ſitus & amplitudinis venarum. Ac tandem, ratione naturalis uteri imbecillitatis.

Medicæ itaque intentiones erunt, vitium ſanguinis corrigere, & uteri vaſa occludere, utrumque enim præſtare optimum, ut docebat Gal. 5. Meth. 3. Sanguis quidem peccat motu & calore; ideo motus ad contraria revellendus, qualitas calida contemperanda; & refrigerantibus tenuitas incraſſanda. Venæ vero, quia anaſtomoſi laborant, conſtringendæ, ſicut in diapedeſi denſandæ forent; in ruptura uniendæ & conglutinandæ; atque in diæreſi, ſarcoticis inſtaurandæ.

A Chirurgico fonte, in hoc caſu, ſtatim deſumenda ſanguinis miſſio, excubito primò; quia hæc menſtrua ſiſtere ſummopere valet. Secundò, quia nullum validius remedium revulſorium excogitare potuit Gal. venæſectione; & quoniam non ex ſolius uteri, ſed totius quoque vitio, profluvium hujuſmodi contingit; ideò ſtatim ſanguis educendus, antequam adſtringentia adhibeantur, eoque magis, cum ſola ſanguinis detractio repetita ſæpe ſuffecerit. Iterum itaque atque iterum, parce tamen repetatur, ut fiat Antiſpaſis. Cucurbitulæ quoque magnam obtinent vim, lumbis applicitæ, præcordiis & viſceribus imo & inguinibus & coxis, ut ſanguis in æquilibrio veluti immobilis reddatur, & tandem cucurbitula quam maxima ad mammas apponenda. Peſſaria quoque, injectiones & ſuffitus conveniunt, de quibus poſtea.

Inter Pharmaceutica remedia, non erit inconveniens aliquod leniens medicamentum, quod ſeroſitates affatim per alvum ducat, nam præterquam quod diverſionem præſtare poterit, primas vias emundabit, & ad uſum adſtringentium eaſdem præparabit. Sit itaque aut manna, cum ſyr. roſ. ſol. aut pot. ex manna clarif. Et ſi Patiens potionem reſpuat, exhibeatur caſſ. cum pulv. myrobal. cit. & magiſt. mechoac. quibus medicamentis ſuperbibendum ſer. capr. aut aſinin. chalyb. Inde ſtatim ad medicamenta deveniendum, quæ bilem præparare, ſanguinem contemperare, & vaſa ſimul adſtringere valeant, cujuſmodi erit decoctio utriuſque conſolidæ, plantag. portulacæ, acetoſæ, hepaticæ, cum ſyr. de ribes, de roſis ſiccis, myrtino, de papavere.

Sed quoniam in urgenti hujuſmodi caſu agitur de effluxu ſanguinis, vitæ theſauro, ideo ad validiora ſtatim deveniendum, quæ jam dicta omnia præſtare poſſint. Quare tria propono remedia, à me pluries feliciter experta. Primum eſt, aqua plantag. ad unc. viii. cum unc. iii. ſucci plantag. depur. mane, jejuno ventriculo, aſſumenda. Secundum eſt aqua deſtill. ex tenerrimis quercus foliis, cum gutt. x. tinct. corall. chymicæ. Tertium, eſt tinctura roſ. extracta cum ſpiritu vitrioli, in aqua plantag. ad lib. i. præmiſſo ſcrup. i. croci martis conſtrictivi, aut drach. ii. diatragacanthi frigidi, cum bolo.

Apud Hipp. primum locum obtinebat pulvis paratus ex ſpongia pice imbuta, & in ollula combuſta, ad drach. i. cum ſucco granat. pariter pulvis ex ſem. uvarum, ad drach. i. cum ſucco plantag. vel cum aqua ejuſdem. Recentiores pro ſecreto habent pulv. cort. ovor. ad drach. j. per plures dies. Magnam vim in hoc affectu obtinere ferunt aquam deſtill. ex papav. rubro. Mullerus, prout & Hartmannus, extollunt pulveres cuticulæ pedum anſeris exſiccatæ, ad drach. i.

Sed perſeverante fluxione, antequam vires deficiant, ad narcotica deveniendum,

Ut ℞. Laudan. Nepenthes gr. ii. ſalis corall. ſcrup. ſ. m. ref. bol. cum ſucco granat. q. ſ. & auretur, vel exhibeatur Philon. Rom. imo & Perſicum, ad drach. ſ. vel Theriaca recens, cum lapide hæmatite.

Interim topica ſemper admovenda. Sic parari ſolent clyſteres uterini, ex decoct. plantag polygoni, roſar. myrti, burſæ paſtoris, caudæ equinæ, conſolidæ, in aqua plantag. chalibeata, addenda pulv. boli armeni, ſang. drach. & chalcanthi uſti. Poſt repetitam vero dictam decoctionem, mirabilem ego ſum expertus pulverem hujuſmodi.

℞. Chalcanthi uſti unc. ſ. bol. armen. orient. lapid. hæmat. an. drach. i. m. f. pulvis tenuiſſ. cujus portio recondita in cannulam oblongam eburneam, hac ab obſtetrice inſinuata uſque ad uteri fundum, poſteà inſuffletur, adhæret enim orificio venarum, & veluti cruſtam quandam excitando, ſanguinem ſiſtit. Peſſi quoque longi parantur ex album. ovi, aqua roſac. diſſoluto, illinitur enim peſſus, moxque aſpergitur pulv. ex alumine, ſpodio, bolo armena, farina volatili, & corn. cer. Renibus quoque fiat hæc inunctio.

℞. Ung. ſantalini, comitiſſæ, de cortic. Caſtanear. an. unc. i. m.

Vel ℞. Farinæ hordei unc. ii. bol. arm. ſang. drac. an. drac. ii. m. cum albo ovi, ſucco plantag. aceto roſ. & f. empl. pro renibus.

A proprietate juvare dicunt nonnulli, murium majorum ſtercora novem, quæ deaurentur ut ab inſcia Patiente deglutiantur. Extrinſecus verò, ſuffitus ranarum combuſtarum egregie fluxum ſiſtere dicunt.

Ex Periaptis, à propietate ſiſtunt, radix nigellæ ſub lingua detenta, lapis hæmatites, radix papaveris erratici, manu detenta, muſcus arboreus ſub axillis geſtatus, ſanicula & fragaria ſub plantis pedum. Sic & cinis magnæ ranæ appenſus.

Quibus addenda diligens vivendi ratio. Et primo, aer cubiculi ſit obſcurus, paretur ſtratum non ex plumis, aut lana, ſed ex paleis, & ſi delicata Mulier id non ferat, ſubſternatur linteo pellis arietina, & decubitus ſit ad nares elevatus, humilis ad caput, parum moveatur, quiete enim diligenti opus eſt, adeo ut & tuſſis, & ſternutamentum, & vociferationes, & quilibet motus violentus

tus inhibeatur. Cibus ſit refrigerans, incraſſans & emplaſticus, ut extremitates animalium, lagana, lactaria, & potiſſimum caſeus recens ſine ſale. Potus ſit aqua plantag. chalybeata, aut aurata, & ſi concedatur vinum, ob virium imbecillitatem, ſit craſſius potius ex Aetio. Somni longi. Alvus ſubducatur, ſi non reſpondeat, clyſteribus non irritantibus, ut ex lacte chalybeato, butyro & ſaccharo. Omnis iraſcendi occaſio amoveatur, & potius extemporaneus timor incutiatur, & erecto fiducia animo vivat. *Raymundi. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medicin.*

Menſum ſtillicidium.

Nob. Mulier, 45. annum agens, mediocris habitus, jecoris vero calidioris, cum ventriculi imbecillitate ſæpiſſime moleſta, anno ætatis 40. conqueri cepit de menſium imminutione, conſuetum tempus poſtponente, cum doloribus lumborum & pubis, parum ante, & ipſo purgationis tempore, quatuor quinqueve diebus perdurante, cum reliquo toto menſis tempore bene alioquin ſe haberet. Cæterum ſemper recurrentes menſtruæ purgationes, pauciores magiſque imminutæ redditæ ſunt pluribus tamen diebus, ſed guttatim, perſeverantes, cum iiſdem doloribus gravioribus, necnon fluxu craſſi, aliquando & viſcidi ſanguinis, quandoque etiam ſeroſitatis cruentæ, modo aquoſæ, modo tenuioris, modo craſſioris. Tandem, poſtremis hiſce menſibus, purgationes menſtruæ guttatim fluere ceperunt, cum iiſdem doloribus, plurimum tenſivis, nonnunquam tamen & mordacibus, ad inguina & coxas ſerpentibus, per plures dies, cum frequenti mictione, à quibus moleſtiſſimis doloribus, cum & vigiliæ, & virium languor, licet antea robuſta fuerit, & animi corporiſque inquietationes procedant, quærit à nobis Nob. Mulier quid facto opus ſit.

Quotieſcunq, cum graviſſimo dolore, intimas partes divexante, ſanguis guttatim ab utero procedit, menſium ſtillicidium vocatur ab Aetio, ſolo Græcorum de hoc affectu diſſerente. A Mercuriali, uteri ploratus. Symptoma in excretis, referendum ad imminutam, & depravatam actionem facultatis expultricis uteri, quatenus enim ſanguis ſtillatim fluit, ad imminutam: quatenus vero cum dolore, ad depravatam ſpectat, quod aſſimilari poteſt urinæ ſtillicidio, ſtranguriæ ſcilicet, à Gal. 6. de Loc. Aff. 4. propoſito.

Hujus affectus cauſæ quinque proponuntur ab Aetio, ſpecie diverſæ, meatuum anguſtia diverſo modo contingens, virium imbecillitas, ſanguinis multitudo, ſanguis pituitoſus, & fœculentus. Verum melius ad tres reduci poſſunt, ad ſanguinem ſcil. ad vias, & ad expultricis imbecillitatem, quibus addit Trincavellus, ſanguinis acrimoniam, ob miſtionem bilis vel pituitæ ſalſæ, quam putat omiſſam ab Aetio. Modo, in caſu noſtro, anguſtia viarum accuſanda venit, non quidem naturalis, cum anteà Nob. Mulier liberè & ſatis expurgata fuerit, ſed contracta ab obſtructionibus, vitio ſanguinis, tum pituitoſi, tum fœculenti: cujus generationi aptiſſima fuit, ob jecur præcalidum, & imbecillum ventriculum. Vitiatum autem hujuſmodi ſanguinem uſque ad 40. ætatis annum, feliciter quidem per uterum quolibet menſe depoſuit, donec inclinante ætate, eodem magis aduſto & fœculento, necnon viſcidiori redditò, accedente forſan aliqua quinetiam expultricis facultatis imbecillitate, cũ per uteri venas non adeò libere permeare poſſit, ejuſdem tenuior pars per uterum ſtatim extillat, craſſior verò diutius hærens, eaſdem diſtendendo, dolores in utero producit, qui per uteri ligamenta ad lumbos, inguina, & per conſenſum, ad coxas propagantur, mediantibus flatibus, qui à natura, eundem ſanguinem in halitum reſolvere tentante, elevantur, qui dolores tenſivi quandoque, flatuoſæ materiæ proprii: nonnunquam verò mordicantes, acris humoris ſoboles.

Affectus quidem gravis, qui brevi temporis progreſſu continuus evadere poterit, ac perennes vigilias inducere, coctiones vitiare, & vires proſternere, quibus cachexiæ, lipothymiæ, & interitus quoque ſuccedere ſolent. Sanguis verò retentus, vel putreſcit, unde excitantur febres, uteri inflammationes, aut ulcerationes, vel induratus, tumorem canceroſum excitare poteſt.

Quare ſtatim illi ſuccurrendum, ſanguinis copiam evacuando ac divertendo, craſſitiem ac viſciditatem attenuando & incidendo, acrimoniam demulcendo, meatus deobſtruentibus aperiendo, & facultatem roborando, doloribus non neglectis.

Et ex Chirurgico fonte, nullum præſtantius occurrit remedium ſanguinis miſſione, ſed ſtatim adhibita, imo & repetita, ut frequens fiat ab utero revulſio, quam cæteris omnibus Medicis intenſionibus antecellere ſemper obſervavimus. Laudat præterea Aetius cucurbitulas pectini & inguinibus appoſitas, primò ſine ſcarificatione, deinde durante affectu etiam ſcarificatas, quæ tamen non admittendæ, niſi in affectu jam confirmato, in quo caſu, & hirudines ab eodem propoſitæ conferre poſſunt, poſt cucurbitulas admotæ, ad derivationem, quinimò ſi ſanguis craſſus & viſcidus uteri vaſis fuerit impactus, uteri venis apponantur dropaces & cutim rubificantia præcipit idem Aet. deinde emollientia, de quibus infra.

Ad Pharmaciam quod attinet, medicamenta ad alvum decentia, & humores ab utero divertentia, ſummopere conducere ſolent, frequenter repetita. Et primò quidem.

℞. Poc. ex manna clarif. unc. vi.

Vel. ℞. Flor. caſſ. rec. elect. lenit. an. unc. ſ. extracti mechoac. gr. x. m. f. b. Pro alterante convenientiſſimum fuerit jus alteratum malva, althæa, borrag. capil. ven. liquiritio ſem. melon. cui præmittat Patiens unc. i. conſervæ malv. ad contemperandam humoris acrimoniam, laxandas uteri vias Repetitum vero medicamentum ſit exigua doſi, ut,

℞. Elect. lenit. drach. iii. magiſt. mechoac. gr. m. f. b.

Per tres dies vero ante menſtrua conſueta, præbeatur ſcrup. ſ. aloes optimæ non lotæ, quotidie: cui ſuperbibat jus alteratum præſcriptum. Præſente vero affectu, & doloribus ipſis, detur oleum amygd. ita paratum.

℞. Ol. amygd. dulc. ſine igne extracti unc. v.

emulſ. ſem. citri, extractæ cum aqua matricariæ unc. ii. ſucci lim. unc. i. m. pro hauſtu, & urgentibus doloribus, conveniet Triphera magna cum opio, ad rach. ſ. ad ſcrup. ii. Clyſteres quoque epiceraſtici uſui eſſe poterunt, decoct. malv. mercurialis, fœnugræci, cum amygd. lil. alb. & butyro. Interim externa medicamenta ſunt continuo adminiſtranda: Fomenta, Emplaſtra, Inunctiones, Peſaria & Balnea, quæ omnia laxandi & aperiendi facultate polleant, licet tutiora ſemper in morbi progreſſu, toto evacuato, quam in principio. Fomenta itaque parentur ex decoct. malv. althææ, chamæmeli, fœniculi, matric. radic. lil. albor. Emplaſtrum de meliloto convenientiſſimum, pariter ruta trita, melle excepta, & pubi ac pectini appoſita. Inunctiones ex adipibus anſeris, anatis, phaſiani, gallinæ, cum ol. amygdalin. & lil. alb. Peſſus irritans non adhibeatur, ex Aetio, ſed paretur potius ex lana, ſucco mercurialis, granis moſchi aromatizato, imbuta. Inſeſſus parentur, & per tubulum inſinuentur, ex decoctione althææ, ſem. lini, fœnugræci, anethi, calamenthi, & artemiſiæ.

Balnea naturalia, ex aqua marina, proponit Aetius, quia non cognovit fortaſſe ſulphurea. Aponitana itaque præſtantiora ducimus, & potiſſimum, ſi ante ingreſſum Balnei, applicentur regioni uteri luta D. Bartholomæi, quæ eximiam emolliendi facultatem obtinent, adhibitis poſtea balnei, laxandi, aperiendi & reſolvendi vi præditis.

Ultimo, inſignis eſt efficaciæ pulvis radicis imperatoriæ, zedoariæ, vel gentianæ, ad drach. i. in vino, ſicut à proprietate juvare dicuntur maxillæ Truttæ piſcis, ad drach. i. in aqua matricariæ. Pariter pulvis ſecundinæ exſiccatæ, ad dolores remedium optimum eſt, ut obſervavit Rondeletius. Unde quædam animalia bruta, naturæ inſtinctu, eam devorare ſolent poſt partum, ut à doloribus præſerventur.

Victus ratio jam dictis proportione reſpondeat. Execerbatione inſtante, collocetur Mulier in aere tepido, faſciiſque extrema deligentur. Cibi ſint calidi & humidi, at non flatulenti. Vitentur aquæ potus & acres potiones. Venter & femora calefacientibus foveantur, & exercitium imperetur moderatum. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Matronæ cuidam quæ fluxum muliebrem & menſes copioſos ita habebat, ut in ſyncopen quaſi incideret; nec ullis modis reſtringi poſſent, mulier quædam exhibuit tria cochlearia aq. plantag. cum tribus cochl. vini rubri adiiciendo vitellum unius ovi, leviter tandem ebulliendo: ſingulis diebus omni mane totum ſumebat ſuperdormiendo: vix duobus diebus aut tribus cum ſumpſiſſet, fluxus ille enormis ceſſavit, & ſanitati fuit reſtituta; hoc eodem remedio poſtea, & plures à fœdo illo malo liberatæ ſunt per me Deo adjuvante. *Petrus Foreſtus. Schol. ad obſ. 18. lib. 28.*

Pro Menſium fluxu immodico.

Inter alia remedia mulieri cuidam præſcripta, quæ ex immodico fluxu menſium ad extrema redacta fuerat ſequens julepus mirum in modum profuit.

℞. Flor. chamæleont. ſpic. nard. ſang. drac. ſubtiliſſimè pulver. an. ℈i. aq. plantag. & roſ. an. ℥iß. F. julepus. hujus cochl. duo dabantur bis in hora: extractum corallii cum aq. plantag. profuit etiam non parum. *Lazarus Riverius. obſerv. 31. cent. 2.*

Exhiberi jubeo in inopia aliorum remediorum ʒi. pulveris ex putamin. ovor. combuſtis in juſculo; unde fluxus imminutus eſt intra paucas horas ac ſequenti die iterato remedio, omnino ſuppreſſus eſt. Alteri ſuaſi ut ſucci urticæ depurat. ℥iiii. mane & ſero ſumeret per biduum; bis aſſumpto remedio ſanguinis fluxus valde imminutus eſt & ante viginti quatuor horas omnino cohibitus. eodem tempore admovebat uteri regioni fotum ex ſpongia in aceto & vino rubro auſtero madefacta hoc remedium alias in ſimili caſu cum pari ſucceſſu à me uſurpatum eſt *Simeon Jacoz. obſ. 86. cent. 4. obſerv. River.*

Mulier quædam ruſtica menſium fluxu immodico laborabat; cum remedia non ſuppeterent, nec ægrotantis fortuna eorum ſumptus ferre poſſet, exhibui ſtatim ſucci urticæ ℥v. aut vi. & juſſi admoveri parti hypograſticæ prædictum ſuccum cum farina tritici ſubactum inſtar cataplaſmatis, circa mediam noctem utrumque reiterari jubeo; ægra matutinis horis melius habuit, & ſanguinis fluxus omnino cohibitus eſt, ac ſenſim abſque alterius remedii ope convaluit. *Simeon Jacoz. obſerv. 7.*

Experimento comperi, quod tamen ab aliis annotatum eſt, decoctum capitum rubentium roſarum quibus ſemen continetur, nunc in vino, nunc in aq. chalybeata factum aliquoties propinatum ſuperfluos mulierum menſes ſiſtere. Dioſcorides in hoc caſu exhibet x. vel xii. rubentia grana pæoniæ maris, & menſtruum profluvium iſtis ſiſti compertum eſt, advertendum ne imprudens pharmacopœus pro his ſemina pæoniæ ſubſtituat: ſunt enim grana illa rubentia quæ in maris pæoniæ ſiliquis ſemina amplexu ſuo undique ſtipant & firmant; quæque dehiſcentibus ſiliquis gratiſſimo aſpectu malum granatum recluſum æmulantur. *Reinerus Solenander. conſil. 4. ſect. 4.*

Pro Menſium fluxu immodico.

Diæta ſit incraſſans ſiccans, cum ſtipticis, ſicut oriza, lac coctum, carnes aſſatæ, vinum ſtipiticum: injiciatur ſuccus ſtercoris aſinini in matricem, ſecretum eſt hoc, & valet à proprietate: ad idem fiat cum eo epithema ſupra dorſum; ad idem valet emplaſtrum ex ſtercore aſini recenti factum: ad idem etiam valet balneum aquæ decoctionis aluminis pulverati, & eſt experimentum infallibile vetularum; & etiam potui data ſtringit menſtrua rubra & alba: ceratum ad conſtringendum menſtrua alba.

℞. Reſin. pini ℥i. opoponac. galban. an. ʒi. muſci ℈ß. diſſolv. gummi in ſucco fol. hederæ & cum modico aceti & ceræ q. ſ. F. ceratum à medietate ſpinæ uſque ad finem ejus, & aſſidue portetur, & eſt remedium divinum: ego experientia habeo quod ſi quaſſetur pulv. gypſi ℔i. cum ʒx. gummi arabici torrefacti & quatuor albuminibus ovorum, & cum faldellis de cotto emplaſtrentur partes prædictæ, omnem muliebrem fluxum abſcindit uno die.

Expe

Experimentum probatum ad conſtringendum omnem fluxum menſtruorum, eſt hoc.

♃. Stercoris aſini, deſicca & pulveriza, & involvatur pulvis in panno ſericeo vel lineo ſubtili, & vulvæ imponatur, hoc enim mirabiliter operatur à forma ſpecifica ut puto: burſa paſtoris contuſa & mulieri ſuppoſita experimentum eſt ad conſtringendum quemlibet ſanguinem à matrice fluentem, ad conſtringendum menſtrua alba, aqua plantag. bibita manè per aliquot dies, eſt res probata, qua multæ curatæ ſunt: ad idem herba umbilicus veneris quocunque modo ſumpta, vel in pulvere, vel in aqua, vel alio modo; incomparabile eſt in conſtringendo menſtrua alba: dixit mihi mulier fide digna, quod in conſtringendo menſtrua accipiebat herbæ polytrichi M. i. decoquebat in optimo vino videlicet in ℔iii. uſque ad conſumptionem medietatis, poſtea ex dicto vino tepido exhibebat manè patienti ℥iii. & in tribus diebus curabatur: expertus ſum & ita inveni ut dixit mihi. Item,

♃. Unam bonam pullaſtram magnam, & depluma, & exentera bene ab interioribus, & imple eam totam cumino, & bulliat donec caro ab oſſibus ſeparetur juris colati capiat mediam ſcutellam mane & ſero per ſeptimanam, & curabitur optime; experimentum bonum eſt ad conſtringendum menſtrua & maxime alba. Ad conſtringendum menſtruum fluxum eſt hoc probatum ſæpiſſime.

℞. Aq. plantag. in qua lavatus ſit lapis hæmites, uſque ad rubedinem aquæ, poſtea cum illa aqua miſce elect. Athanaſiæ magnæ, ʒiß & da patienti manè, reiteretur, & liberabitur. Ad conſtringendum menſtruum expertum.

♃. Stercor. caprar. montanar combure, da bibere in vino rubro ſtiptico: doſis ℥ß. ad ʒi. & curabitur optime Ad conſtrigendum menſtrua alba & rubra experimentum verum & expertum.

♃. Stercor. aſini rec. torculati ʒiii. cum ſyr. myrtino & aq. plantag. F. potio mane, & continua per aliquot dies, & curabitur, & eſt verum experimentum. Ad conſtringendum menſtrua rubra & alba da pro vice ʒiß. pulv. oſſium dactyl. & dicitur expertum; item comedat omni die unum ovum recens crudum, & poſt mediam horam bibat ℥ii. olei communis dulcis; & ſic continua per novem dies & erit curata, & eſt expertum ſæpe: ad idem fac cingulum ex pilis vel lana aſini & eo cingatur mulier & ſtatim ceſſabit fluxus, & ſi ponatur ſuper caput ſtrinxit fluxum narium: ad idem ſuccus porri mirabiliter valet, & ſtringit etiam hæmorrhoidas.

Experimentum pluries probatum ad conſtringenda menſtrua.

♃. Florum nucum quando ſunt maturi & cadere incipiunt cochlear. j. vel ʒi. in forma pulveris cum vino optimo calido jejuno ſtomacho per plures dies exhibeatur: ex hoc medicamine omnes habentes fluxum menſtruorum ſanantur: ſpecifica etiam vi ſuffocationib. etiam uteri medetur ad conſtringendum menſtruum rubeum antiquum, accipe ſucc plantag. cyathum unum, impone ʒi. colophoniæ pulver. & tribue ægræ, id fiat quater & erit curata infallenter Deo dante. *Reinerus Solenander. conſil. 8. ſect. 4.*

Obſtetrix quædam Cæſarea conjugi meæ ſecundinam exſiccatam & pulveriſ. intra corpus exhibuit, cum poſt abortum menſes tam violenter fluerent, ut nulla arte cohiberi potuerint, & ſic paulo poſt reſtitere: ſed ſi ejus pulveris nimium quæpiam ſumpſerit, ajunt eam ſterilem omnino fieri. *Wolfgangus Hoeferus. lib. 7. Hercul. medec. cap. 1.*

Ancilla quædam cum fluxu menſtruorum ita laboraſſet per aliquot dies, ut nullo modo ſiſti poſſet, jaſpidem rubram femori alligari juſſi, quo tacto, ſubito menſium fluor ſubſtitit nec rediit. *Anſelmus Boetius. lib. 2. D. lapid. & gemm. cap.* 102.

Præmiſſis univerſalibus dedi ʒi. pulveris dominarum cum vino rhenano, & aperti ſunt menſes. Hoc modo hic pulvis parabatur.

♃. Sem. ſeſel ammeos, cinnam. an. ℥iiß. cumini, ℥iii. ſem. fœnic. apii, carvi, nuc. moſch. cal. arom. galang. an. ʒiß. zinzib. mac. caryophyll. an. ʒi. croci ʒiiiß. F. pulvis. *Idem obſ. 4. lib.* 28.

Poſt univerſalia exhibita, inſtante menſium tempore accipiat pulv. ſeq. ʒi. cum cyatho uno decoctionis ſabinæ & artemiſiæ.

♃. Pulv. dominat. infra deſcribendi, ʒii. trochiſc. myrrha ℈i. M. ſumpſit calide, & aperti ſunt menſes. Pulvis dominarum ita ſe habet.

♃. Cumini ℥i. curcumæ ʒii. cinnam nuc. moſch. gran. paradyſ. cal. arom galang. zedoar. ſem. fœnic. leviſtic. apii. carvi ariſtol. rot. baccar. lauri, ſem. nigell. an. ʒi. F. pulvis *Petrus Foreſtus. obſ. 7. lib.* 28.

De Menſtrui ſluxus initio & Fine.

Fæminis circa annos pubertatis univerſi corporis ingens obtingit mutatio: tum temporis enim increſcente jam & vegetiore facto nativo calore, pubes erumpit, ubera tumeſcunt, corpus libidine titillatur, exuberans ſanguis calore veluti extenuatus diffunditur, vixque ſuis receptaculis coercitus viam ſibi parat, qua dimanet: ceu id pulchre deſcribit incomparabilis Fernelius phyſiolog. lib. 7. cap. 7. de Menſtr. Sangv. Idipſum ordinario Naturæ curſu apud noſtrates puellas poſt ſecundum ſeptenarium, id eſt, annum decimum quartum, accidere ſolet, quo tempore plerumque menſes erumpunt. Quanquam obſervatum ſit, quod etiam circa duodecimum & undecimum annum in nonnullis fluere inceperint, ſed id rarum eſt. Durat autem iſte fluxus plerumque uſque ad ſeptimum ſeptenarium, & poſt quinquageſimum annum ut plurimum ſubſiſtit; rarum enim eſt, quod refert guil. Fabric. Hild. Obſerv. Medic. Cent. 2. Obſ. 61. nimirum cuidam ſanguineæ robuſtæ, & morbis parum obnoxiæ mulieri, ſterili tamen, Menſtrua ad annum uſque ſeptuageſimum octavum ætatis ordinate profluxiſſe: alteri ad annum ſeptuageſimum tertium; & tertiæ cuidam ad centeſimum uſque, ut ex greg. Horſtio idem fabricius Cent. 4. Obſ. 63. citat. Baldaſſ. Timæus caſ. Medicin. lib. 4. Caſ. 14. Menſtrua uſque ad ſeptuageſimum ſextum ætatis annum ordinate fluentia annotavit. Sed notæ ſunt Nobis Puellæ ſanæ, vegetæ & robuſtæ, apud quas vix decimo ſeptimo, decimo octavo, decimo nono, imo vigeſimo ætatis anno fluxus ille inchoavit: cujus cauſam ego apud nos Septentionales pleniorem victum & vitam ſedentariam eſſe autumo. Vice verſa novi etiam inter plebejas viduam

Operarii cujuſdam, quinq; liberorum matrem, vegetam, laborioſamque mulierem, cui adhuc anno ætatis quinquageſimo nono fluxus ille duravit: qui fortaſſe diutius continuaſſet, niſi eodem anno mulierem iſtam peſtis ſuſtuliſſet. Novi & alteram Matronam, quæ fere uſque ad ſeptuageſimum, ſcilicet ad finem vitæ eundem fluxum naturaliter experta eſt. Frequenter autem inter Noſtrates, præſertim Sanguineas, ultra quinquageſimum annum protrahitur; uti ſæpiſſime obſervavi, & plurima exempla præſto ſunt.

Scholion. Vivit in vicinia grunbergæ Fœmina ex generoſa familia oriunda, cui 10. ætatis anno menſes cœperunt fluere. Eadem fuit ſalaciſſima, annoque duodecimo maritale ſubivit capiſtrum, Referente dom. Samuele Ledelio in Litteris ad D. Georg. Joach. Elsner. Grünberga Vratislaviam datis. *D. Simonis Schultzii.*

Mater fœcunda nunquam menſes paſſa.

Hac in regione vivit ruſtica temperamenti melancholici, quæ affirmabat ſe nunquam menſes paſſam eſſe, ſingulis tamen annis gravidam fieri. *D. Joh. Dolæi.*

De Menſtruis nunquam fluentibus.

Recenſet experientiſſimus ille Medico-Chirurgus Bernenſis Guil. Fabritius Hildanus libr. Obſerv. Cent. 5. Obſer. 41. hiſtoriam, miram, de menſibus perpetuo ſine noxa retentis, ſeu de matrona quadam quadragenaria, (cujus nomen ibi videatur) quæ nunquam fluxu menſtruali laboravit, tum durante virginitate, tum etiam in ipſo matrimonio: in quo tamen ſeptem liberos peperit, & quidem feliciter, quorum major pars adhuc in vivis eſt, & athletice optimeque valet. In puerperio lochia quoque exigua fuiſſe affirmat &c. Nos autem præſente caſu exhibemus juvenculam quandam viginti ſeptem annos natam, Annam, honeſti Johannis ſteiners pellionis, non ita pridem civis Poſnanienſis, jam vero Thorunenſis, conjugem quæ hucuſque nunquam tam in virginitate quam in matrimonio, menſes paſſa eſt, mulier egregiæ formæ, ſana atque vegeta: ſed nunquam etiam prolem habuit, & quamvis diverſis medicamentis, Poſnaniæ degens, ad promovenda menſtrua uſa fuerit, omnia tamen, fruſtra adhibita ſunt. Quid ulterius cum ipſa agetur, Deo vitam & valetudinem conſervante, in poſterum ſignificabimus. *D. Simonis Schultzii.*

Mulieri non ſterili, abſque valetudinis incommodo, Menſes xxxvi. ætatis anno deſinunt.

Degit hic Vidua, fere quinquagenaria, cui anno ætatis xxxvi. Menſes fluere deſierunt abſque ullo Valetudinis incommodo: Neque in conjugiis hæc fuit ſterilis; Ex primo enim marito filiolam ſanam, Ex altero filiolum adhuc viventem. Hæc eadem Verminationi continuæ ab infantia ad ſenectutem uſque obnoxia fuit. Conſtitutio corporis ejus eſt ſicca, color faciei fuſcus, temperamentum melancholico bilioſum, quale exemplum nullibi me legiſſe memini. *Ex eodem.*

De fluore ſanguinis tertio ætatis anno, & Albo ſeptenario primo erumpente.

Circa Menſium purgationes Natura ſæpe dubia eſt, ſive tempus, ſeu aliam quamque mutationem reſpicias, ut plurimum tamen, credo, ne ſeptenarii periret auctoritas, in quartum decimum ætatis annum rejiciunt menſtruorum maturitatem, imo ominalem arbitrantur fluxum, & cachexiæ teſtem, qui alio tempore erumpat, quam illo, ſive ſerius, ſeu ocyus; & vero ego quoque ſuſpectos habuerim menſes, qui minorem aut majorem ætatem invadunt. In iſtis exemplis eccentricorum atque intempeſtivorum fluxuum facile oſtenderim vitium aliquod naturæ ſubeſſe, & ut toto vitæ tempore nonnullæ abſque fluxu illo vixerint, abſque incommodo tamen vixiſſe omnino non puto, niſi quibus id naturale eſt atque gentilitium, quemadmodum ſeptentrionalium nonnullis, inque his Groenlandis evenit, minime fallaci experimento. Kerckringii Obſervatio lxxxvii. ſatis eſt nova, qua hiſtoriam menſium à prima nativitate fluentium complectitur, ſed, ut apparet, infelici vitæ auſpicio. Ex fidelis Viri ore habeo, puellam, quam habebat, trium annorum, jam tum menſibus ſaltem fluore uterino, nam Intempeſtivius prodibant, divexatam, mox præcocis naturæ impetu lente deficientem ipſo ætatis anno quinto interiiſſe. Nunc vero Albi iſtius fluoris, & quidem ſeptenario primo erumpentis, rara hactenus & inobſervata memoria. Ioannes Fernelius, caſtiſſimus eruditiſſimuſque ſcriptor, lib. vi. de partium morb. & ſympt. Cap. xvi. neque vero affectus hic, fluorem intellige album, ætate maturas tantum, verum etiam virgines, quas pallor decolorat, invadit, quo & puellam octavo ætatis anno obſeſſam vidi, ac diu poſtea graviterque afflictam. Sed rationibus nonnullis adducor ut credam, in ſeptimum potius annum, illum adeo Naturæ ſacrum, recidiſſe, deceptis forte opinione ſua, aut minus curioſis, qui rem primi narraverant. Cognita mihi eſt hiſtoria Illuſtris Perſonæ, quæ ſeptimo ætatis anno fluorem experta eſt album & ſeroſum, magno virium coloriſque diſpendio, quæ tamen diligenti medicorum cura ſervata adhucdum degit incolumis. Vidi nuper Puellam quindecim annorum, vegetam nunc atque ſanguineam. Hæc, matre referente, primo ſeptenario fluxum ſuſtinuerat album, tamque copioſum, ut periculum, quod ominabantur fore magnum, ægre evaſerit. Utrum, ceu in pluribus evenit, hic quoque ſeptenarii quædam ſit prærogativa, & quarti decimi indicia tum erumpant, incertum eſt. Si arcanorum Naturæ aliqua eſt veneratio: ut profecto eſſe debet, non ambigam tum temporis aliquem fermentationis, velutque præparatorium motum oriri, quandoquidem ad primum ſeptenarium fœtus etiam in utero aliquid moliatur, orgaſmo humorum ſpirituumque excitatus. Attamen, ubi Natura tam præpropere & mature agere, ſeque ipſam quaſi anticipare videtur, multum futuræ valetudini roborique decedere vel ipſo hoc indicio neceſſe eſt. *D. Joh. Nicol. Pechlini.*

De

De præcoci menſium fluxu.

Hac in vicinia degit matrona valde plethorica, quæ jam patitur fluxum hæmorrhoidum una cum menſtruo, quamvis gravida duorum menſium. Eadem annum nondum egreſſa quintum, paſſa eſt menſtruum fluxum, & eſt mater fœcunda trium filiorum. *D. Joh. Dolæi.*

De præmatura menſium eruptione.

Purgationem ſequioris ſexus menſtruam pro diſpoſitione corporis, venarum, & cauſarum, Medicis dictarum externarum, non in certam incidere ætatem notum eſt, rariſſima tamen ſunt exempla ante pubertatem eadem apparuiſſe, quorum aliud bartholinus centur. 3. Obſerv. 11. aliud tulpius lib. 3. Obſerv. 11. recenſet, rariſſimum de octidua puella menſtruata bourgeis l. Obſtetr. Obſerv. 17. refert. Nota mihi hiſtoria puellæ cujuſdam, filiæ mercatoris apud nos non poſtremi, quæ circa nonum ætatis annum menſes patiebatur, nunc ordinarie, nunc extraordinarie, nullam obſervantes periodum, copioſe profluentes, queis lege naturæ ceſſantibus, fluor quoque albus ſeſe monſtrabat, qui venuſtam alias ſatis puellam, non decolorem tantum, ſed emaciatam plane reddidit. In ea autem non raro copia apparebant menſes, ut contumaciſſimam uteri hæmorrhagiam, vix ullis expugnabilem remediis, deſinerent. *D. Joh. Schmidt.*

Menſes ante conſuetum tempus ſine damno deficientes.

Maria ſolera apud Thorunenſes obſtetrix, poſtquam quater pepererat, deſit, anno ætatis ſuæ XXVII. menſtrua pati, nec ab eo tempore amplius concepit: Nullum autem incommodum tum ſenſerat, niſi quod abdomen aliquantulum intumuerit, quod tamen & ipſum ſenſim detumuit: menſes vero nullis remediis provocari potuerunt: Vivit adhuc Thorunii, eſtque hic annus 1677. ætatis illius 54. *D. Georgii Segeri.*

De Menſtruis ſerotinis, item ante ſtatum naturæ ordinem fluentibus.

Obſervationes de menſtruis ante determinatum à natura tempus fluentibus, varii varias annotarunt, ſed quæ mox ſequetur inter rara etiam numeranda venit, Albertus Magnus, Comm. ad l. 2. Phyſicor. Ariſt. Loyſa bourgeois, l. 2. Obſtetr. Obſ. 17. & Theodorus Kerckringius obſerv. Anatom. 87. menſes ab ipſo nativitatis die fluentes obſervarunt, Hercules Saxonia & Jacobus Suterus quinto ætatis anno menſes fluxiſſe notarunt. Octavo & nono anno Fernelius, Caſparus Wolfius, Thomas bartholinus, Savanarola & alii viderunt. Tulpius, quod ipſimet fidem ſuperare videtur, à quarto ad octavum annum ætatis menſtrua ritè fluxiſſe obſervat. Quæ egomet obſervatim, jam referam.

Puella nobilis, jam 15. annorum, à tertio ætatis anno menſtruam patitur ordinario purgationem; reticeo nomina tum ipſius, tum parentum, tum familiæ, cum ſciam, tam ipſam, quam parentes rem, quam mihi crediderunt, celatam cupere. Cæterum bene valet, nec ullum ſentit incommodum, à ſcabie itidem, variolis, morbidis aliiſque puerilibus affectibus planè immunis fuit.

Aliam ante tres annos vidi puellam, cui menſes vigeſimo à nativitate die fluere incipiebant, deinde ſuppreſſi redibant poſt menſem exactum denuo, poſt alterum iterum. Eandem periodum ſervabant tertio, quarto, quinto, ſexto; ſeptimo, octavo & nono ætatis menſibus. Decimo autem menſe puella variolis correpta interiit.

Vidi etiam ante quatuor annos Hannoveræ puellam, quæ ſexto ætatis anno fluore uteri albo laborabat.

Sed nec Juvenculis tantum ante ſtatum tempus fluunt menſes, verum etiam ſenibus aliquando ordinarium excedunt terminum. Exemplis hocce demonſtrarunt Solenander, Loyſa bourgeois, Panarollus, Bartholinus, Kerckringius & alii, quæ ego obſervatim jam addo.

Cum præcedente anno Hannoveram, parentes meos in viſurus profectus fuiſſem, ibique per Feſtum Pentecoſtes ſubſiſterem, conſilium meum petiit Matrona quædam primaria affinitate mihi juncta. Huic menſes ſubſtiterant anno ætatis quadrageſimo ſecundo; nullo tamen inde vexata incommodo, ſana vixit ad annum, uſque ætatis quinquageſimum tertium, quo tempore neſcio ob quod leve incommodum Piermondanas acidulas petiit, Has cum biberet, menſes redeunt ſtato quidem tempore, ſed copioſe fluentes, ad annum uſque ætatis quinquageſimum ſeptimum, quo tempore hæmorrhagia uteri copioſiſſima corripitur, pro qua tunc conſilium meum implorabat. Reſtituta autem commodis remediis per aliquot menſes Juventutis vernavit floribus. Sub hyemem tamen, cum ex fractura tibiæ lecto affigeretur, menſtrua purgatio periit, nec poſtmodum rediit, quod ipſum tamen magno cum ſanitatis incommodo factum. *D. Alardi. Hermanni Cummeni.*

Inconſuetus Menſium fluxus.

Vxori cujuſdam ſutoris, ſexaginta duos annos natæ, cum per aliquot ſeptimanas male ſe haberet, cum gravi capitis dolore, appetitus dejectione, reſpirandi difficultate membrorumque laſſitudine, ſubſequente inſuper oris intumeſcentia & quadam loquendi impotentia, tandem menſes, qui jam per aliquot annos ſubſtiterant fluere cœperunt, tam per ductum ordinarium, quam extraordinarium os ſcil. ita quidem ut per duos dies continuos ſanguinem ſputando ejicere, & hoc ipſo imminens ſuffocationis periculum avertere neceſſe habuerit, hinc per totam corporis ſuperficiem ἐκχυμώματα, ſeu maculæ quamplurimæ, majores, atque minores, ob ſanguinis impuri ſtagnationem efflorescentes comparuerunt, quæ convenientibus diaphoreticis, interjectis aliis medicamentis, ſymptomatibus urgentioribus ſuccurrentibus, iterum diſcuſſæ integram Patienti ſanitatem reſtituerunt. *D. Joh. Laurentii Febr.*

De menſtruo fluxu poſt duas ſeptimanas ordinarie revertente.

Menſes poſt quatuordecim elapſos dies ordinarie jam per annum fluxiſſe, & quidem decenti copia & quantitate, in puella plebeja Catharina, conjugi meæ ancillante, ab anno ætatis decimo quarto uſque ad decimum quintum & ultra, præſente obſervatione teſtor: cujus mater nuper me propterea conſuluit: ſed quandoquidem illa nihil præter naturam patitur, imo ſana eſt, muniaque ſua obit debite, naturalem hunc motum nullo modo cohibere vel immutare eidem ſuaſi, quanquam tale exemplum me nunquam legiſſe vel audiviſſe recordari poſſum. *D. Simonis Schultzii.*

De menſtruis ultra conſuetum naturæ terminum ſalutariter fluentibus.

Nemo non experimentis vel leviter tinctus intelligit, quantum ad ſanitatis conferant naturam diſpoſita bene fermenta, & quantum contra damnum adiiciant eadem male temperata.

Matrona quædam ſterile experta conjugium, dum ordinarium patiebatur menſtruorum fluxum, incolumem ducebat & ab omnibus noxis liberam vitam; ſed cum deinde fluxus illi deficiebant, uno ſemper febrili paroxyſmo, eoque menſtruo defectũ hunc luere cogebatur. Acceſſit tãdem renum quoq; calculus, ad quem expugnandum cum varia adhiberentur & fortia diuretica, iiſdem medicamentis rediit [quod ipſa ægrota merito mecum mirabatur) fluxus tot annis ſuſpenſus, etſi lege ætatis ceſſandum ei erat; & ſic quoque febris iſta menſtrua in totum remiſit, illa vero deinceps quoque ſatis bene valuit. Verùm quod declinatæ ætatis ratione haud aliter fieri poterat, ſuppreſſis denuo menſtruis in novam incidit, & ſcorbuticam Cachexiam, qua graviter afflictata, ſenioque confecta paulo poſt periit. Unde judicare unuſquiſque poteſt, quantum illud ſit beneficium quod muliebri ſexui purgatio adfert uterina.

Quare in illud quoque unice incumbere ſoleo, ut deſtitutum plerumque uteri fermentum, & menſium deficientem fluorem, quamdiu natura fert, elixire meo myrrhato revocem. *D. Joelis Langelotti.*

De Hæmorrhagia uterina ſalutari in ultra-ſeptuagenaria.

Fluxus menſtruos, tam incipientes, quam deſinentes, non raro excedere terminos à Natura præſtitutos, teſtantur Medicorum hiſtoriæ & obſervationes. Extreme mirum fluxus incipientis terminum recenſet Nobiliſſimus à Mandeleſlo itiner. Orient. l. 1. c. 39. p. 118. de puella indica, quæ finito anno ætatis tertio paſſa ſit fluxum menſtruatim periodicum, cum effectu parturitionis ann. ætatis ſexto ſequentis. Contra naturam videri hoc, ſed non contra veritatem ſanctè aſſerit Peregrinator nobiliſſimus, ne inter ſcriptores rerum indicarum mendaces à Voſſio recenſeatur, quo crimine liberat illum Olearius in itinerarii præloquio.

Terminos fluxus menſtrui naturæ & veritati magis conſonos annotarunt Medici. E. multis v. Sennert. med. Pr. lib. 4. part. 2. ſect. 2. c. 1. p. 131. & 138. bartholin. cent. 3. obſerv. anat. hiſt. 90. 91. & cent. 6. hiſt. 34.

Exemplum inſigne exhibuit nobis hoc anno Matrona ultra biennium ſeptuagenaria, Hæmorrhagiam tamen uterinam, dixerim potius quam fluxum menſtrum, quia periodice non eſt reverſus. Annis ſuperioribus uſque ad annum ætatis quinquageſimum evacuata eſt illa menſtruatim, intanto exceſſu ut procidentiæ uterinæ, lipothymiæ & alia ſymptomata mortem verius, quam Hannibalem ad portas, non raro portenderent. Menſe anni currentis 1679. Februario, correpta eſt vertigine, cephalalgia, labiorum tremore, linguæ difficultate, lateris dextri impotentia, adeoque affectu quadantenus apoplectico. Reſtituta eſt tum exhibitione ſpecifici Cephalici è cinnabari antimonii ſp. ſal. armoniaci aniſato, eſſentia ſuccini, frictionibus &c. Sale vitrioli tandem, (emetico in apoplexia præſentiſſimo, teſte Langio miſcell. cur. V. p. 8.) & quidem poſtridie, ut exoneraret ventriculum, cujus inter gravamina præcipuum videbatur poſtulare ἀναγκαῖον. Doſis tamen drachmæ dimidiæ nullum præſtitit evacuationis effectum, nihilominus levamen qualecunque, ex præcipitatione forſan fermenti extranei, unde ſtomachi à flatibus oriebatur diſtenſio.

Menſe majo rediere apoplexiæ prodromi, periculum majus quam nuper minitantes, quos præter ſpem mitigavit Hæmorrhagia uterina copioſiſſima. Cum evacuatio hæc eſſet enormis, adeoque formidabilis, ſimulque ſociata cruciatibus uterinis, mature quærebatur conſilium medicum. Appoſiti primum ſacculi ex adſtringentibus, ſed ſine fructu: hinc bufo ſiccatus cum muſco ſylveſtris ſindoni incluſus umbilico imponebatur, unde ſtatim ſimul ac incaluiſſet, ægra fatente, & torminum & fluxus remiſſio, ita ut non excerneretur poſthac ſanguis floridus, ſed tantum & quidem ſenſim, qui jam extravaſatus erat, nigricans & grumoſus. Nihilominus cum urgeret periculum excretionis tam copioſæ in tanta ætate, amuleto illi externo non fidebatur ſoli, ſed ſimul ad placandum archei furorem conſulebatur miſtura cochleatim urgente malo ſorbillanda, quæ habebat extracti anod. ad mentem celeberrimi Holſatorum Chymiatri Miſcell. Curioſ. Ann. III. obſerv. 59. parati gr. iii. in ſyrup. corall. unc. 18. & ſucci cydon. unc. 8. ſoluti: idque monitu Ballonii l. 2. Epid. & Ephem. pag. 206. in morbis mulierum uterinis, præſertim cum dolores adſunt, maxime utendum eſſe ſtupefatientibus, quod & primo quoque tempore fecerit hippocrates l. 2. de morb. Mul. Sitim profluviorum comitem ſolabatur emulſio ex amygd. dulc. ſem. papav. albi, &c.

Vivit jam ſine querela ullius ſymptomatis, ita ut longævitatem & valetudinem proſperam rectius hæmorrhagiis uterinis adſcribere poſſit, quam Riolanus apud Bartholinus cent. 5. obſ. an. hiſt. 28.

Admiranda hic erat naturæ ſagacitas in conſervando individuo. Sanguis ebulliendo, ut antehac, cum tam copioſe fluerent Menſes, furibundus ſine dubio replevit vaſa cerebri periculum apoplexiæ minitans. Natura mole onerata viam conſuetam per uteri venas feliciter

ter repetiit, & quaſi venæſectione quadam revulſoria cerebrum exoneravit.

Medicus naturæ miniſter, in caſu recidivæ indubie metuendæ, non erraret, ſi venæ ſectione artificiali quæreret revulſionem, monitus non tantum hoc naturæ auſu, ſed etiam Ecchymoſi, quæ fere ſemper ſequitur apoplecticorum obitum, ut ita Medicis evidentiſſime exprobrare videatur natura venæſectionis neglectum. Præterea experimenta feliciter tentata, Medicorumque multorum autoritates. Sed quis audeat in tanto ſenio, reclamantibus præſertim, ut fieri ſolet, adſtantibus? Verendum, ſi voto non reſpondeat eventus, & ægra vi morbi pereat, ne pro ſoſtro exhibeantur, ſi non fuſtes & ſtimuli, juxta hiſtoriam ſeptuagenarii in ipſo venæſectionis actu lipothymia extincti, apud Zacutum Pr. Med. admir. l. 3. obſ. 54. tamen execrationes & opprobria.

Tanta itaque eſt Medicorum infelicitas, ut vix evitare poſſint infamiæ notam, etiamſi exquiſitiſſime tractent ægros juxta medendi methodum. Ultimo quippe remedio inconſideratiſſime imputatur eventus, ſi ob vim morbi hic ſit ſiniſter, non accuſatur morbi gravitas, ſed medicina. Cum hæc judicia vereantur Medici prudentiores, in morbis graviſſimis non raro negligunt remedia generoſiſſima, & ad evitandum famæ diſpendium malunt, ut vi morbi pereat æger, quam ut remedio periiſſe videatur. *D. Sigismund. braſſii.*

De menſium fluxu inſolito.

Interea, quæ circa menſtruum mulierum fluxum rarius accidunt, obſervari merentur quoque ſequentia.

Conjux noſtra lectiſſima, triginta tres annos nata, ab eo, quo lactat, (quod integrum jam biennium eſt) menſes ſtatis diebus excernit, in quantitate prorſus incredibili, corpore nihilominus exiſtente florido ac ſucci pleno, nec inde deterius valente dulciſſima filiola. Notus alias Aphoriſmus Hippocr. Sect. V. Aph. 39. ἢν γυνὴ μὴ κυούσῃ μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτῃ τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

Uxor Chartarii ſeptuaginta ſex annorum, fonticulo ex conſilio meo in crure dextro excitato, ſenſit præter expectationem noſtram, menſtrualem fluxionem poſtliminio redire, juſtamque ſervare periodum, tanto quidem cum effectu, ut exinde juveneſcere videatur. Quomodo nunc tuebimur autoritatem Varandæi ſcribentis 1. de affectib. mul. 2. Ceſſant aliquando menſes ſexageſimo anno, ſed ultra hoc tempus nunquam protrahi poſſunt. Nunquid loquitur de eo quod accidit ut plurimum, Sennertus ſana rarioribus caſibus annumerat, quem tradit Guilielmus Fabricius Cent. 2. Obſ. 61. Fidem fere ſuperat hanc in rem quod notavit Solenander 5. Conſu, 15. *D. Joh. Petri Pruckelii.*

Veſiculæ pone aures orientes ante menſium fluxum.

Matrona quædam 38. annos nata A. A. præconſularis filia, D. B. mercatoris Thorunienſis conjux, conſtitutionis tenerioris, melancholiæ hypochondriacæ certa de cauſa ſæpe ſubdita, trium liberorum mater, è quibus tantum unicus filius in vivis reſtat, ſemper ante fluxum menſtruum ordinarium, à natura ſat paucum, decimo octavo ætatis anno initium ſumentem, binas veſiculas poſt ſingulas aures, prævio capitis dolore, levique vertigine percipit, quæ ſponte aperiuntur, effluente ex iis nonnihil ſeroſi humoris citrini coloris: qui cum fluere deſinit, menſtrua incipiunt; ſed, ut dictum, in pauca quantitate. Sunt itaque iſtæ veſiculæ ordinarii appropinquantis fluxus prodromi. Hæc ex ipſius matronæ ore habeo. *Ch D. Chr. Franciſci Paulini.*

Sudor in menſtruatis.

Nihil tam in medicina perpetuum quin variet pro perſonarum temperamentorumque diverſitate. Regula communis eſt, menſes vel impediri vel retrahi oborto ſudore quippe vehiculo per ſudorem ſublato, ſanguinis fluxum ſiſti. Aliter evenit duabus Matronis honeſtiſſimis Hafnienſibus, quibus ſudores copioſi prodeunt, quotiens menſium fluxus vel adeſt, vel inſtat. Quos ſudores ſi cohibeant, ſeriuſve excipiant, dolores capitis, febreſque ſubſequuntur. Nonnunquam parcius alteri fluentes, per vomitum exeunt, quale quoque exemplum recitat Rulandus Cent. 3. Cur. 4. aliique plures. Utriuſque autem humoris melancholici, quo ſeu naturali propenſione ſeu mœſtitia accidentali abundant, copia ſanguis diffluit, ut liquidior ſit, & pro fluxu menſtruo & ſudoris evacuatione ſufficiens. Melancholicos verò & ſpleneticos ab humore ſeroſo notat. Hippocr. *D. Thomæ Bartholini.*

De menſibus frigidis.

Quam miranda circa menſes contigerint ſymptomata & phænomena, latius hinc inde licet legere. Quoad ipſum verò effluxionis ſenſum, calidi, acres, dolorifici frequentius obſervantur, quin & nigricantes obſervavimus, aſt rariores paulo & inſoliti magis actu frigidi. Virgo honeſta 22. annorum, habitus corporis alias ſqualidi & ſiccioris, ultra annum hactenus menſes quidem ordinarie experitur, aſt cum moleſto actualis frigoris in exeundo ſenſu, & ſæpius quoque non tam de horripilatione, quam frigoris quoque conſimilis in corpore moleſtia conſecuta eſt. Conſultus miratus ſum inauditum fere de ſanguine caſum. Neque enim pituitoſus fluxus unquam fuit, ut ad pituitæ vitreæ exempla referri potuerit, de qua Galenus l. 2. de loc. aff. c. 5. & Lindenius ſelect. ex. 7. § 9. pag. 184. inprimis videri meretur. Si quid dicendum, vix videtur alia melior aſſignari cauſa poſſe, quam quæ ab inæquali humoris acidi cum ſanguine intimius remixti occurſu ad partes membranoſas petitur, unde cum averſetur illam lationem archeus, ſub ſenſu frigoris illam concipit. Et niſi remedium adferatur naturæ, vix diutius ſufferre potuerit iſtum ſtatum, fotum ſine dubio à cruditatibus acidis circa inteſtinalium glandularum poruloſ ſtagnantibus. Propinatum hoc fine fuit Elixyr uterinum & proprietatis ana cum ſpirit. ſal. ammon. & guttula una alteraq; olei caryophyllorum, illo cū effectu, ut in melius

verſum fermentum vitioſum jam extinctum appareat. Hoc verò cum abſorbente pulvere ad gut. 25. fuit remedium præcipuum.

Meminit menſium frigidorum, καταμηνίων ψυχρῶν, Hippocr. l. 1. de morb. mul. c. 22. phænomenon hoc ad ſterilitatis cauſas indagandas adhibens. Statui poſſunt eo caſu abundare humores acidi, vel nitroſi, qui & alia patrent, & ſenſum hunc frigoris particulis ſuis quadratis & peregrinis in corpore exhibeant *D. Georg. Wolffgangi Wedelii.*

De menſium per os exeuntium curatione,

Virgo 21. annorum plethorica. corripitur aliquando, poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem improviſo vomitu ſanguinolento per 3 dies continuante, unde de ſalute ſollicita vicinis rem explicat, qui partim vas in pulmone ruptum, hincque, ob præſentaneum mortis periculum, nullis utendum eſſe medicamentis aſſerunt, partim verò, ut, ad compeſcendum vomitum, aqua menth. ſimpl. utatur ſuadent, quorum conſilio obtemperat, & vomitum hoc remedio feliciter compeſcit. Læta de felici hoc ſucceſſu graviora mala non metuit, at menſe elapſo ſanguinolentus hic vomitus iterum redit, quem & vulgari hoc medicamento iterum ſiſtit, eodemque ſubſequente menſe iterum redeunte, ad conſuetum hoc medicamentum tanquam ad ſacram confugit anchoram, illudque toties, quoties ab hoc vomitu ſanguinolento affligitur, repetit, tamque diu in ejus uſu perſeverat, donec virium exquiſitus languor, appetitus plane depravatus, capitis dolor continuus, lumborum & crurum extrema gravitas, reſpiratio maximè difficilis, aliaque talia, quæ circa ſuppreſſionem menſium contingunt ſymptomata, accedant. Hiſce obſervatis, vomituque cruento iterum recrudeſcente, malum mihi aperit & meum efflagitat conſilium; Cùm igitur viderem & perpenderem vomitum hunc ſingulis menſibus ſemper circa novilunium, & conſuetum lunaris tributi perſolvendi tempus accidiſſe & rediiſſe, Virginem eſſe plethoricam & ſuppreſſioni menſium obnoxiam vomitum hunc cruentum non à ventriculo, non ex pancreate, non hepate aut liene provenire, ſed nihil aliud eſſe quàm menſium in utero ſtagnantium & per os exeuntium expurgationem à natura vegeta, & ſanguini ſtagnanti exitum quærente inſtitutam, ſignificavi, hincque de utendis aperientibus monui & ſequentia præſcripſi:

I. Vinum Medicatum, quod

♃. Rad. V. aperient. an. ʒ i. cichor. exoſſ. filic. an. ℥ß. bryon. ℥iß. Ir. noſtr. ʒv. gialapp. ſpir. vin. irror. ʒ ij.

Herb. cuſcut. meliſſ. puleg. ſcolopendr. ea. M j. Fol. Sen. el. ℥iß. Summit. abſynth. pont. M ß. Flor. geniſt. cheir. an. M ß. cent. min. M j. ſem. aniſ. fœnic. an. ʒii. carth, probecontuſ. ℥i. Cinam. Caryophyll. Macer. an. ʒi. Sal. tart. ℈ iv. conciſ. contuſ. D. ad chart. S. *öffnende* Species *zum Krauter-Wein &c.*

Hoc cum officio ſuo deeſſe non videretur, excepit V. S. in talo. 3. ante novilunium inſtituta diebus, quam ſecuta eſt ſequentis Electuarii & ſubſequentis Miſturæ præſcriptio.

II. ♃. Conſerv. rad. ſcorzon. cichor. an. ℥iiß. fumar. meliſſ. borrag. an. ℥ß. Condit. cort. aurant. citr. an. ʒiii. Spec. Diarhod. abbat. diapler. Archont. an. ʒß. Pulv. rad. cichor. cort. cappar. an. ʒii. Limat. Martis ſubtil. ℥iiß. Brod. rad. cichor. condit. ℥ii. F. Electuar. S. *öffnender Zucker* Doſ. ʒii. hora nona antemeridiana & quarta pomeridiana corpus modice movendo.

III. Eſſent. Martis aper. cum Sal. Armon. parat. ℥ß. Tinct. tartari ʒii. Elix. Propr. ʒiß. M. D. S. *öffnende* Miſtur. Doſ. gut. 1. hora 6. matutina & 5. veſpertina, Hiſce adhibitis, & per intervalla repetitis medicamentis purgantibus, obſervataque diæta exquiſita, vomitus cruentus unica duntaxat vice, in exigua tamen quantitate, redit, poſtea verò penitus emanſit.

Scholium. Aliud vomitus ejuſmodi ſanguinei, quem ſuppreſſa menſtrua concitarunt, curati exemplum Dec. 1. Ephem. harum Ann. 1. obſ. 95. recenſuit, nec non D. Bernh. Verzaſcha obſ. med. 13. Marti Ruland. cent. 3. cur. 4. & cent. 4. cur. 67. atque Greg. Horſtius part. 2. obſ. med. lib. 1. obſ. 33. Quorum blandiori methodo, ſanguinis exitum quærentis derivatio à ſuperioribus partibus ad conſuetum locum ſi fiat, felicius progredi licet, quàm ſi violento conatu, non reſerato prius fonte, ſanguini exeunti fores naturales claudantur; qualem ab adſumpto medicamento adſtringente & opiato lethalem caſum profert noſter Exc. D. Wedelius Opiolog. cur. lib. 2. ſect. 3. c. 3. Rariſſimum eſt, quod Dominic. Panarolus pent. 1. obſ. 6. de femina habet, quæ ab adoleſcentia uſque in ſenium, per eandem viam, ſingulis menſibus ſuperfluum ſanguinem evacuaverat. Plures etiam de ſanguinis iſtius per locum illum, ſimili ex cauſa, expulſione obſervationes aliorum collegit Schenckius lib. 4. obſ. med. & deſcribit, præter Thom. Bartholin. cent. 5. hiſt. 32. Joh. Rhodius cent. 2. obſ. 64. Quæ, potiori ex parte in Virginibus dum contigerunt, Hippoc. edictum confirmant, lib. 1. de morb. mulier. conſignatum, frequentius nempe viam hanc in virginibus quam mulieribus adfectare menſtrua, enuncians, *D. Beniamini Scharfii.*

De menſtruis per aliena loca fluentibus.

Quamvis diverſi autores menſtrua per aliena loca fluentia paſſim conſignarint, quorum obſervationes collegerunt Marcellus Donatus lib. 4. Med. Hiſt. mirab. c. 19. Schenckius lib. 4. obſ. de menſtr. p. m. 680. & ſeq. Amatus Luſit. cent. 2. cur 17. Ant. Benivenius c. 41. Fabrit. Hild. cent. 3. obſ. 12. Greg. Horſtius Part. 2. obſ. 33. Balth. Timæus obſerv. Med. l. 4. caſ. 12. attamen præſens quoque caſus connotatione dignus eſſe videtur. Virgo quædam octodecim annos nata, in ſiniſtro genu duplex apoſtema ex utraque parte unum à prima juventute à natuta efficium geſtans, anno ætatis decimo nono menſtrui fluxus ſuppreſſione laborare cœpit: ſed mox præfinito menſtruorum tempore per apoſtematis interioris foramen ſanguinem in ſufficiente copia effluentem percipit, dein & vomitum ſanguineum, quem fluxum jam ſingulis menſibus per loca iſta inſolita redeuntem totius anni ſpatio experitur. Hiſce ante aliquot ſeptimanas tumor pedum acceſſit, cum ſubſequuta eſt inflatio hypochondriorum & diarrhœa dies noctesque durans, concomitante totius corporis

atrophia nihilominus tamen fluxio ſanguinea per loca dicta menſtruatim continuat, cui interdum circa genu aliquid puris immiſcetur. Verum inſignis languor & virium omnium proſtratio miſeræ quotidie mortem minitantur. *D. Simonis Schultzii.*

Menſes per alvum fluentes poſt Dyſenteriam indolentem.

Inter alias fœmina poſt Dyſenteriam indolentem, cui alias ordinarie Menſes per alvum fluebant, ſumme cachectica; cauſata ſe male olim in partu tractatam, unde nova via Menſes eruperint relicta veteri. *D. Thomæ Bartholini.*

De menſibus per anum fluentibus.

Anno 1669. fœminæ 41. annorum Medicinam faciebam, quæ ab 8. annis Menſes per Uterum non viderat, ſed ſemper per anum. Aiebat ſe à partu exantlato primitus hoc præpoſtero fluxu tentatam, & adhibitis medicamentis quaſi reſtitutam fuiſſe. Sed cum ingravidata denuo eſſet, iterum priſtina legiſſe ſanguinem veſtigia, quod quidem tolerabile eſſet, niſi immodico & nimio exeuntis ſanguinis diſpendio vires labaſcerent, & Diarrhœa utplurimum ſimul jungeretur. Et ſane umbram potius quàm hominem referebat, ita pallida facies & membra, totum corpus aridum & infirmum, genua & pedes officio ſuo ritè non fungebantur. Adhibitis Martialibus Anticachecticis, leve quidem ſentiebat levamen, ſed diuturnitate affectus, fractis omnino viribus, anno ſequente fato functa eſt.

Sanguinem, quo fœminæ per menſes exſolvuntur, varias p. n. & extraordinarie vias interdum ſib quærere, tam clarum eſt apud Medicos, & paſſim adnotatum, ut religioni mihi ducam ejus allegare teſtes.

Adeò nemp rata atque ſtata periodo ad uterum decumbit, exitum affectat, ut obſtructis ibilem viis, qua ata porta, fermentantis ſui ſucc depletionem rgeat, neque locis licet inſolitis erumpens, ni id nimio fiat impetu, ullo ſe patiur adſtringi odo. Hinc ſubſiſtentes menſes in virgine, lac nis ſanguineis prodeuntes Dodonæus curavit S guinis è talo miſſione, Obſerv. c. 15. p. 17. Hinc x vena Oculi ſiniſtri vacuati, vel per ſudores e m cruentos, quod notat Sylvat. Cent. 3. conſ. 6. p. 380. vel aliis denique locis, quantum lice, ad uterum ſunt revocandi. Quo nomine ſæpe periti peccant Medicaſtri & Agyrr. Matrona quædam vidua ante paucos annos omitu cru to laborans, ſubſiſtentibus menſib, à Tonſore ccepit medicamentum ſiſtens & dſtringens, uo hauſto reſtitit quidem ſtatim nguis, ſed tra pauciſſimas horas vitam c m morte con utavit, quæ ſaniſſima videbatur ut adnotavi us Tr. noſtr. de Opio.

In noſtro caſu poſſet qidem in parum morbi occaſio referri, ubi in rovida imperi um obſtetricum tractatione mirè ſæpè lacerantur mulieres. Sed cum denuò pſt conceperit, dubium hæſit, an exulceratice quadam vel via manifeſta ab Utero potueri ſanguis ad anum derivari. Quare licet conce id poſſit, à conformatione læſa menſes non reperiſſe vias ut antea patentes, attamen cum ægra ſalſis acribus humoribus valde abundaret, credibile potius eſt reſtagnaſſe primum in corpore ſanguinem, hinc acredine ſalis ſtimulata eſſe vaſa inteſtinorum, ut tandem illuc ordinarie confluxerit excretioni dicatus Sanguis, quod & exinde patet, quia non modo olim, adhibitis commodis Medicamentis, reſtituta fere fuit, verùm etiam noſtris aſſumptis ſupra memoratis levamen aliquale ſenſit. Diarrhœa conjuncta eidem Salis ſtimulo ſuam debet originem. *D. Georgii Wolffgangi Wedelii.*

Menſtrua per nares exeuntia.

Nobilis inter Hafnienſes fæmina, poſt annum ætatis quadrageſimum, admonente ſanguinis menſtrui impetu jam in mammis, ſæpe in gingivis, non raro in extremitate narium pruritus inviſos experta, partem odioſa titillatione moleſtam crebro manibus perfricare ſolebat, imprimis nares, ut injuriæ huic magis expoſitas. Quo effectum, ut evacuatio menſtrua, quam alii loco naturæ leges reverſare ſolent, vicibus ſtatis in veſtibulo narium diu exerceretur, donec à Medicis exorata per iteratas venæ malleolos pedum allambentis ſectiones in alveum ſuum humor ſolennis revocaretur. Nec difficile fuit in illo corpore ſanguinem huc illuc promovere, ob ſummam, qua æſtuabat, mobilitatem; qua impellente, ſæpe præſens notavi maculam in brachio; manu, crure, ſubito & ſine evidenti cauſa obortam, & minutam illam, ante quadrantis boræ lapſum in eam excreviſſe amplitudinem ut volam manus æquaret, initio rubens, mox livida, tandem varia, & ſugillationi quàm ſimillima, adeo ut inter primordia converſationis in illa domo ſuſpicarer conſpectas maculas à diſſidio & vellicatione iracundi, & violenti mariti profectas eſſe. Quod contra erat, placidiſſimum enim ſenſit conjugium, ſed ſanguinem ita inquietum & reciprocantem ſeſe, ut nullus Euripus exiſtimetur fuiſſe adeo verſatilis. Sæpe pridie cutis ejus alba erat & nativæ ſimilis poſtridie tota verſicolor, & pantheræ æmula adeo ut Medici non aſſueti his mutationibus cùm, domina oſtendente, cutim ipſius ſollicite inſpicerent, ſine hæſitatione ſtatim pronunciarent nihil ea morboſius & ſcelotyrbe afflictius reperiri. Interea quoties ſecta vena ſanguinem mittebat, nihil eo purius integriuſque deprehenſum; erat enim illud ſanguinis ejus ingenium, ut (quemadmodum vinum recentius, & cereviſia adhuc calens) deſpumando fæces ſuas extra ſe protruderet, & foras amandaret, ipſe intaminatus. Libuit accuratius recognoſcere, unde tam ſubito erumperent maculæ illæ; demumque notatum mihi, quoties inſtabat ejuſmodi phænomenon, partis ſubjectæ vaſculum aliquod ſanguineum, licet tenuiſſimum, ampliari tantillum, & mox per diapedeſin guttulam cruoris extra alveum ſuum propelli quæ denique in anguſtiis carnis cutiſque luctata, quaquaverſum ſeſe diffundens, & mox addenſata hanc ſenſim varietatem coloris invexit. Id in labris, & uti tenuitas cutis patiebatur, id in reliquis ſubinde partibus Obſervatum

obſer-

obſervatum. Sed quid vaſcula ita ampliavit? frequentior in ſanguine, niſi decipit augurium, acidi & ſalſi pugna in flatus deſinens. *D. Olai Borrichii.*

Hæmorrhagia Menſtrua per talum in gravida.

Fæmina agreſtis, opulenta; ætatis ſuæ anno trigeſimo quarto, Anno 1667. tertium gravida, poſt primam ſtatim menſium retentionem pati incipit ſanguinis profluvium ex poplite ſiniſtro periodicum. Primis menſibus tanto impetu ſanguis erupit, ut de eo vel potentiſſimis remediis ſiſtendo, ob effluxus metum, cogitaret, ſed poſt tertium prægnationis menſem, citra ullum impetum & fermè guttatim tantum ſanguis promanabat: Sanguis autem fluebat continuo ſine ulla intermiſſione, noctu æquè ac interdiu, donec periodus quæ tribus primis menſibus trium dierum naturalium & ſex horarum ſpatio terminabatur. poſt duorum dierum & aliquot horarum, ſemel tantummodo unius diei & decem horarum ſpatio durabat, abſolveretur. Initio, ut dictum, nulla non tentabat remedia, quo ab hac moleſtia liberaretur; ſed cum appareret naturam hanc evacuationem vicariam facere, deſiit ejus ſuppreſſionem amplius moliri præſertim à me monita eam ſine noxa haut futuram, cum hocce profluvium in beneficium converterit natura, eoque ſoleat à ſuperfluo onere liberare, quoties amplius ſanguis increvit, humoreſque ei permiſti, quam ad nutritionem matris & fœtus requiritur, idque maximè cum fidem darem fœtui ex hocce fluxu nullum futurum periculum. Quæ ratio licet in quocunque corpore pondus ſit habitura, magis in hoc prævalebat ob peculiarem ejus conſtitutionem. Nam naturaliter multo ſanguine abundabat, eoque volatili, fervido & bilioſo; præterea vitam ſedentariam agebat, vixque ullis exercitiis utebatur, niſi quod aliquando domeſticis in laboribus occuparetur, quod cum fit, ſudore tota madeſcit. Eo autem lubentius meo acquievit conſilio, quod ſperaret poſt partum ſanguinem naturales vias requiſiturum. Hoc equidem factum cum legitimo tempore filiolum ſanum, & bene habentem enixa eſſet. *D. Albardi Hermanni Cummii.*

Ex vena brachii (fluentibus menſibus) ſecta periculum & mortes.

Quam male ſibi conſulunt fœminæ, quæ Medicis non conſultis, quoties rapit impetus venas brachiorum Chirurgo (& ſæpe ne illi quidem ſignificato ægritudinis ſuæ ſtatu) præbent ſecandas, vel ex ſubjungendis elucebit. Ancilla Dn. Jacobi van Ham, neſcio qua febricula languens advocato Chirurgo venam brachii incidendam offert, durante menſtruo fluxu, & ex febre quidem convaleſcit, ſed intercepto mox ſanguinis per inferiora procurſu, ſentit paulatim præcordia ſibi aggravari, & in mammilla ſiniſtra pullulare nodoſum quiddam, quod aliquot menſium ſpatio ita adaugeri, liveſcere & punctiunculis moleſtum eſſe perrexit, ut niſi mature cum Philippo Hacquardo occurriſſem malo, haud dubie in deſperatum erupiſſet carcinoma. Gravius in ſe deliquit locuples Angla, quæ in ſimili propemodum caſu manum Chirurgi, fluxus illius ignari, poſtulavit, unde tranſlato in pectus motu ſanguinis impetuoſiſſimo, comitantibus graviſſimis anxietatibus cordis aliiſque ſymptomatis vivere deſiit, nequicquam poſtea revocato per venam tali ſectam in deſertos alveos cruore, nequicquam conferentibus conſilia tribus, qui ſerius advocabantur, Medicis. Idem fatum alterius fuit mulieris juvenculæ, quæ febre petechiali tentata eodem modo mortem ſibi inconſulta venæ ſectione, durantibus menſtruis, acceleravit, tranſportato in caput motu ſanguinis impuri; unde levia deliria, averſatio medicamentorum, conſtans in juvenili ætate & lauta fortuna moriendi propoſitum, & tandem mors ipſa ſucceſſere. *D. Olai Borrichii.*

Nimii menſium profluvii in plethorica inconſiderate ſuppreſſi lethalitas.

Viri Clariſſimi, Domini M. P. uxor, plethorica & boni habitus, præterito Anno 1670. ætatis 39. nimio Menſium fluxu corripitur. Eo durante maritus me acceſſit, conſiliumque meum expetiit. Suaſi, ut in cubito vena ſecetur, & ſic nimia Sanguinis copia, qua ægra abundabat, imminuatur. Propoſuit hoc conſilium uxori Maritus, ſed fruſtra: Venæ ſectionem namque extreme averſabatur. Interea tamen mulierculaium perſuaſionibus permota, clam marito obſtetricem vetulam conſulit, quæ ei certiſſimam pollicetur allevationem, modo pulvere, cujus ultra ſemilibram ei ſuppeditaverat, continuo utatur. Hiſce pollicitationibus decepta miſera, peſſimæ Medicatricis imperata ſtrenuè exſequitur. Imprimis ubi à dicti pulveris uſu deteſtandum illud Profluvium ſiſti ſenſit. Sic igitur Menſes, licet interdum debitam evacuationem ipſi tentarint, mox tamen cohibiti ipſius tandem imprægnationis haud levem ſuſpicionem moverunt mulierculis Quibus ipſa quoque ægra facile ſuum accommodavit aſſenſum, quippe quæ primum connubium per 19. annos in ſterilitate conſumpſerat, & ſic poſt auſpicium iterati Matrimonii nihil magis, quàm prolem exoptavit. Sed ecce, dum optatum præſtolatur eventum, corripitur die 27. Decembris anni præterlapſi, vomitibus bilioſis, ut frequentiſſimis, ita moleſtiſſimis. Hos mulierculæ in certiſſimum graviditationis ſignum interpretantes, variis ſibi familiaribus remediis ſiſtere conabantur, ſed fruſtra, Unde ingraveſcente malo & urgente ſimul eipothymia, Cl. Maritus die 30. Dec. me in ſubſidium vocat. Adſum, maritum conquerentem & vetulæ clandeſtinam curam deteſtantem audio mulierculaium bimeſtrem graviditationem aſſerentium rationes examino, mariti tandem ſententiam approbo, & imprimis quandoquidem ægra cum priori marito (qui è defuncta conjuge ſua aliquot ſuſceperat proles) per 19. annos ſterilis vixerat, & Menſes poſt aſſumpta aſtringentia per ultimum bimeſtre aliquoties redire tentaverant, ipſa quoque ægra ante decubitum appetitui indulgens, braſſicam conditam muriaticam, eamque crudam adhuc copioſè deglutiverat, eam gravidam eſſe pernego, ſed potius ventriculum à cibis corruptis: humoribus pravis in eum

con-

confluentibus laceſſitum, moleſtam illam excretionem moliri concludo. Videbantur tum mulierculæ, recenſitis ſuum addere calculum, unde quia alvus per aliquot dies erat occluſa, ut Enemate reſeretur impero, & ſimul ventriculi vitium emendantia promitto: Cæterum ægra cunctorum uſum adeò ſtrenuè denegabat, ut vix Enema ſe admiſſuram promiſerit, Subſecuta eſt nox inquieta. Poſtridie ego accedens, dum variis argumentis, ab effectus præſertim magnitudine deſumptis, medicamentorum uſum ægræ commendare conor, & ut tempeſtive atque viribus adhuc conſtantibus ſibi conſulat plurimis ſuadeo, iſta nec granum quidem alicujus medicamenti ſe aſſumere poſſe aut velle regeſſit. Et licet ſubſequentibus diebus ipſam choleram humidam, atque ſimul cum ea exitium certiſſimum, inſtare prædixerim, in propoſita tamen ſententia adeo pertinaciter perſtitit, ut præter cereviſiam nihil admiſerit. Quare ubi vomitibus, frequentia animi deliquia, calor nimius, ſitis intenſa, anxietates, & tandem die 4. Januarii mane dejectiones crebræ ac fœtidiſſimæ acceſſerunt, eadem die veſperi circa horam 10. placide ac pie obdormivit. *D. Georgii Segeri.*

Scholion. Non ſolum eo jam deventum eſt, ut in Medicinæ Sacra illotis manibus irrepſerint olidi myropolæ, circumpurpurati agyrtæ, fraudulenti dentifrangibuli, ſcatophagi empirici, pediculoſi Unguentarii, umbratici medicaſtri, infames magi, crumenimulgi præſtigiatores, prodigioſi uromantes, exteſticulatores lithotomi, grandiſtrepi ſacrificuli, furnarii ciniſtones, & qui ſunt alii vaniloquidoci & nugi polyloquides, ſed & alia merx mala acceſſit, fatales ſcilicet lotiophyſicæ, & faſtuoſæ medicaſtræ, quæ non raro impunè mortes per experimenta incerta in hominibus exercent; unde

Dum quæque è trivio ſatagit Podalirius eſſe
Fœmina, & in dubiis præſtare Machaona rebus.
Non infelicem faciet Proſerpina meſſem.

Non incognitum equidem apud veteres (dum ipſa Medicina incultior & infrequentior fortè) Fæminas quoque Medicam exercuiſſe artem, uti exempla Cleopattæ, Aſpaſiæ, Victoriæ, elephantis, Artemiſiæ, eſt Martial. xi. Ep. 72: Adducit Cl. Rhodius not. in Scribon. Largum c. 29. §. 122. p. 193. & Tiraq. de Nobil. c. 31. §. 321. ſed veriſimilius eſt pleraſque fuiſſe ſaltem obſtetrices, & quod Pignor. in de Serv. Officiis teſtatur, Gynæciorum curam ſuſpicientes. Dolendum Exc. Gabriel. Naudæum morte præventum imperfectū reliquiſſe ingenii fœtum, in quo quæſtio tractata, num fœminis licitum ſit medicinam exercere. Ut itaque in adducta Hiſtoria ex imprudentia & pertinacia vetulæ iſtius, ægræ nimium confidenti, mors accelerata fuit, ſimili ferali Tragædia vitæ cataſtrophen ante aliquot annos illuſtr. quædam Perſona clauſit in Sileſia. Illa etenim cum materni nominis dignitatem appeteret, & ſobolis ſolatio ſubditos exhilarare, ipſa tamen fluore albo, aliiſque è corrupto ſanguine ortis morbis correpta, aniculæ cujuſdam medicatricis opem imploravit, quam ipſa illi præſtituram ſerio promiſit: Sed qualis cura, aut cacopraxis? nimirum, intermiſſa univerſali cura, neglecta corporis & uteri evacuatione, ſanguiniſque purificatione, adhibet Balnea vitriolata & aluminoſa, nec non alia adſtringentia medicamenta, ut Dis nolentibus menſes ſiſteret, ſanguinem menſtruum cohiberet, & tali lenocinio ſarcina prægnationis illuſtr. oneraret. Quæris quo eventu? Infauſto plane, & qualem inſulſa cura producit, Corrupti & acres humores, impuritateſque, quas Natura per uterum tanquam per ſuccedaneum aliquem fonticulum menſtruatim protuſerat, oppeſſulatæ reſtagnantes verſus ſuperiora, & cum ſanguine in Pulmones circulatæ Phthiſin, & intra aliquot menſium ſpatium mortem præmaturam concitarunt, fruſtra illuſtr. ægra morti vicina in præſentia mea & aliorum trium medicorum deplorante ſero nimis credulitatem ſuam.

Quantas moleſtias præterito ſeculo celeberrimus, & trium imperatorum Archiater primarius Excell. Joh. Crato à Krafftheim Uratiſlav. à medicaſtra quadam in aulam irrepente perferre coactus fuerit, placet tres ejus epiſtolas manuſcriptas, quæ publicam lucem nunquam viderunt, ſed ex reliquiis Bibliothecæ Cratonianæ mihi à Conſultiſſ. Viro Dn. Joh. Kretſchinaro Reip. Uratiſl. Secretario ad deſcribendum conceſſæ fuerunt, B. Lect. communicare. Quarum

I

Illuſtris & Generoſe Dn.

Ægrotante Divo Ferdinando Imp. S. M. in mandatis habebam, ut ad Cæſarem F. de valetudine Sacræ imp. Maj. ſingulorum dierum acta & mutationes perſcriberem, ac ſæpe a S. R. Majeſtate tunc mihi benigniſſime eſt reſponſum. Idem nunc ſervo, & cum ſciam veſtram generoſam Cl. rectius præſente oratione Sacræ Reg. Maj. & Sereniſ. Archi-Duci poſſe exponere, quam ſi quotidianas Epiſtolas mitterem ut in malis poſſum, lætus ſum officium meum à veſtra generoſ. Cl. probari. nudius quartus, literas miſi, affirmabat tunc S. Cæſ. Mai. affectionem illam cordis interdiu ſemper ceſſaſſe; ea die moleſtam eſſe. Commota erant quædam in corpore, & ſeceſſerunt flatus atque pituitoſa excrementa. Oſtendi veram ſanationem eſſe, ſi cauſa tollatur, videlicet humores crudi & flatulenti, ſpem feci fore melius. Ille omnia, quæ foris admoventur, calorem innatum, ut coctioni operam det, ſine qua morbi, quorum cauſa eſt materia craſſa vel vaproroſa, ſanari nequeant, fovere. Biduo proximo ſuperiori S. Cæſ. Mai. ſatis commode ſe habuit, Vere affirmare poſſum, me ex motu cordis atque arteriarum nulla indicia palpitantis cordis obſervare potuiſſe, & antea ſæpe non animadvertiſſe. Itaque laborem illum cordis, quo nititur expellere flatus plane remiſiſſe non dubitavi. Heri autem advenit Ulma fœmina quædam magis magnæ quam bonæ famæ, Ea ſanaſſe D. Ilſingum & Epiſcopum Spirenſem fertur. Sanè iſtorum ſanitatem mihi non opto. Diu apud imp. Majeſt. fuiſſe audio. Ante Cœnam deſcriptionem aquæ, qua pro potu Imp. uti poſſet S. C. M. oſtendit, Ea Epilepticis loco vini Auguſtæ datur, ac omnia quæ ad illam aquam decoquendam ſumuntur, propria quadam vi Epilepſiæ mederi exiſtimantur. Erat præterea Aloes à ſordibus purgata, & neſcio quibus ſuccis contemperata.

Item ad roborandum, Diacorum cum ſuavibus ſuccis commiſtum. Studet iſta mulier ſuavi-

ſuavitati, & à Patre ſuo, qui Medicus Germanus erat, quaſdam deſcriptiones haut dubie habet. Novi illius Patrem ante 33. annos Auguſtæ, cum juvenis Medicinam facerem, nomine & re ſtreicher erat, omnium linguarum præter maternæ imperitus, lectitabat Germanicos libellos, & cum Suvenfeldianis, qui eum fovebant, vivebat. Si muliercula illa plura non novit, quam Pater, quem ego tunc nequidem Medici nomine dignum exiſtimabam, male mecum agitur, ſi poſt trigeſimum annum filia mihi præfertur. Sed felix Medicus qui ad declinationem morbi venit, quidam inquit. Mea nihil refert, dummodo valeat & vivat imperator. Nominis mihi, beneficio Dei, ſatis eſt, à vetula, quæ pudorem perdidit, nihil meæ exiſtimationi metuo. Nam ſi ullus in ea pudor eſſet, certè ad ſummum imp. nunquam veniret. Magnam partem Medicinæ audacia conſtare Medicus ſcripſit. Fortaſſe hanc illa pro dote habet. Nondum tamen reperit qui velit maritus eſſe. Utinam poſteritati iſta probentur. Mirificæ voculæ à præſentibus hominibus exaudiuntur. De Collega amo curam Veſtræ Generoſæ Cle. vix ulla re magis S. Regia Majeſtas Pietatem erga Parentem Imp. declarare poterit, quam ſi hanc curam ſibi curæ & cordi eſſe oſtenderit. Reliqua Generoſ. Veſtram Cle. ex aliis cognoſcere malo, Me Veſtræ Generoſ. Cle. cujus literas à D. Wie heuſero per veſperi heri accepi, ſtudioſiſſime commendo. 14. Septemb. prima luce, Ratisb.

II.

D. Friderico fuchſio, ulmam.

S. Multas ego vidi ſtolidas & impudentes mulieres, ſtolidiorem & impudentiorem ſtreicherianā Veſtra nullam. Nam quod hominibus inconſideratis medetur, nihil mirum, ἄγει γὰρ ὁ θεὸς ἀπρὸς τὸν ὁμοιων ὁμοίους. Quod in conſpectum imperatoris venire, ſuas ineptias impudenter oſtentare, & ſe viris doctrina & uſu artis præditis præferre, ac ſtolide mentiri audet, fuſtibus dignum videtur. Sed ita commendata eſt, tanquam omnes, qui illius opera uſi ſunt, ſanaverit. Verum ne hoc eſſet, ex D. Svvendio cognoſcere ſtudui, ille nihil aliud reſpondit, quam mendaciſſimam eſſe fœminam. Me ex te longum catalogum eorum, quos fefellerit, perdiderit, ad orcum miſerit cognoſcere poſſe. Obſecro, ne moleſtum tibi ſit, quam primum ad me certum perſcribere. Crede mihi, fraudi tibi hoc non erit, ego, quod in me fuit, aditu illam prohibui, venit D. Julius, is conceſſit. Jam omnia in bona ſpe fuerant conſtituta: Catarrhus moleſtus erat, Illa tres ſacculos, unum cervici, alterum capiti, tertium ex papavere erratico cum melle pectori adhibuit, dedit Medicinam ex Manna atque Serapio roſato; Ex eo tempore Imp. Cibum non retinuit. Heri impudens prandio aſſidebat, & affabilis eſſe meditabatur. Non aſſumpſit Imp. tria cochlearia, cum in vomitu pene Spiritus, propter pituitæ craſſitiem, intercluſus eſt. Ad panem toſtum ſtolide confugit. In Cœna nihil ferè Imp. ſumpſit. Hæc ſcribo ante lucem, nec in Aula, illa præſente, maneo. Video hujus fabulis Autores pudere & pænitere. Te oro, ut reſcribas. Veſtrum negotium mihi curæ eſt, & ſpero me non laboraturum fruſtra. Bene vale, pridie Michaelis 1576.

III.

Illuſtris & Generoſe Domine Dn. Adamo à dietrichſtein.

D. Julium adveniſſe ſuperioribus litteris ſignificavi. Is cum interrogatus à S. Cæſar. Maj. medicamenta ſtreicherianæ probaverit, quatriduum, mulierculæ ad medicationem conceſſum. Adhibuit præter varias potiunculas, nullius momenti tres ſacculos, Unum capiti, alterum cervici, tertium pectori. Heri parum Mannæ & Serapii Roſinii imp. Majeſt. exhibuit. Perſuaſit ſe nihil admiſcuiſſe. Ego, ut credam, cum quater ſubduxerit alvum, adduci nequeo. Quicquid ſit, opto ut proſit. Humores tenues vacuavit relicti craſſi, & contumaciores facti, nam cœnam heri vomitu rejecit. Hodie prandente imp. illud monſtrum horrendum, ingens, craſſum compagine corpus adfuit. Vix Opt. Imp. tria cochlearia abſorbere potuit, cum nauſea & vomitus oppreſſit. Rejicit craſſiſſimam pituitam, nam medicamentum tenues ſaltem humores eduxerat, & craſſiores reliquerat. Verum conatum graviſſimum, cui ſtrangulatus parum adfuit, tenacitas humoris impedivit. Mulier ad panem toſtum inſana confugit, ut ſic retineret quod nos omnibus modis ejectum cupimus, in cæna nihil fere ſumpſit, ſed hoc, ut ſpero, non oberit, cum calor in pituitam melius agere poſſit, Pulſus eſt inæqualis & inordinatus, intercæptus tamen, interdum ordinatè poſt tertium arteriæ ictum, interdum inordinate.

Ita foris atque intus anus malum minatur. Omnes ſciunt & fatentur ante dies octo S. Cæſ. Majeſt. valuiſſe melius, quam nunc, & tamen iſta vetula dicere audet, non ſupervicturum fuiſſe Cæſarem quatriduum, niſi illius opera uſus fuiſſet. Rarò cum relicta via recta divertitula quærimus bene procedimus. Ego, quantum in me fuit, obſtiti, & cum meminerim, idem in Divo Ferdinando S. M. factum, cum D. Julius Bartholomæo, quem Bacchum nominabant, locum daret, verſum quem tunc uſurpabam heri recitavi, ſic placuit ſuperis erroribus addere culpam. Sed confido deum nobis adfuturum ne hoc malum ſerpat longius. DD. Conſiliarios fidiſſimè admonui, etiam S. Cæſ. Maj. ea dixi, quæ puto S. Cæſ. Maj. intelligere. Si in viam redibimus, haud dubie præmonſtratorem deum, rectam conſcientiam, & arcem noſtram habebimus. Si res pergat ire, ut cæpit, de me illud Poetæ cogitabo.

Judicium melius poſteritatis erit. Me Veſtræ Generoſæ Cl. commendo.

Ratisb. 28. Septembris, Hactenus ex Schedis Cratonianis.

[*D. Phil. Jac. Sachs. à Levvemb.*

De Euporiſto nimio ſanguinis fluxu.

Vidua plurimum Rev. & Ampliſſ. Dn. Fried. Scheningii, Eccleſiaſtæ olim Parochialis Eccleſiæ longe digniſſimi, annos habens 45, temperamento humido calido prædita, hæmorrhagiam uteri patiebatur maximam, tanta enim in

in copia ſanguis profluebat, ut ferè omnis effluerent: ἀνασόμωσιν venæ alicujus factam eſſe non obſcura monſtrabant ſigna. Plethorica enim erat, ſatis obeſa, & motu pene omni deſtituta ſanguinem cumulabat, qui fermentans, qua poterat parte, exitum quærebat, & motu ad uterum facto vehementi, ἀθρόως rupta vena profluebat, tanto cum impetu, ut parum abfuerit, quin animam efflaret, Color faciei floridus ceſſabat, oculorum acies obnubilabatur, verbo, vix aliquid vitæ ſupererat. Advocor, venam incidi jubeo ad ℥. circiter uncias, cum ultra progredi vires non permitterent; lapidem hæmatitem propino in ſubſtantia, propino in tinctura ſanguinem draconis, corallia, ſpodium fixum exibeo, ventri admoveri jubeo cæruleum linteum immerſum aceto calido. fruſtra omnia: cortices aurantiorum immaturorum virides adhuc in aqua decoctos diligenter propino, experior emolumentum, ſed non tollebatur malum, tandem ſtercoris ſuilli calefacti parum ventri applicari jubeo, & ſtatim integrè ſiſti hæmorrhagiam experior, cùm autem ſubinde recidivam pateretur, ſemper eo remedio levata fuit. Aſt cùm & frater hæmorrhagiæ narium obnoxius eſſet, ſicque quaſi connatum eſſet malum, in cachexiam tandem incidit, quæ poſt aliquot annorum decurſum finiebatur in mortem.

Eodem morbo, & in eodem vehementiæ gradu laborabat pl. Rev. & Ampl. Dn. Iſaaci Detloff, Petro-Paulinæ eccleſiæ Symmiſtæ digniſſimi vidua, annorum 47. temperamenti calidi humidi, habitu carnoſo pollens, quæ internis adhibitis remediis convenientibus pluribus, decocto præprimis millefolii, & corticum aurantiorum immaturorum, juſculo etiam ex partibus duabus aquæ millefolii & parte una vini Alkant dicti cum ovo facto, multum quidem levabatur, in hæmorrhagia autem ipſa vehementi ſuillum ſtercus, ſalva aurium reverentia, celerimè omnium ſanguinem ſiſtebat, ſicque omnium præter adſtantium opinionem, qui extrema inſtare ſæpius opinabantur, à gravi hoc morbo perfectè liberabatur, continuatis nihilominus incraſſantibus ſanguinem, & fermentationem figentibus remediis internis, ſicque benè diſpoſita per plures vixit annos, nuper admodum febre maligna correpta obiit. *D. Joh. Schmidii.*

De Cinnamomi decocto in menſium Profluvio: & de hepate anguillæ, Menſtruoque ſanguine quadam.

Multa vi ſpecifica fœtus expulſiva pollere paſſim quidem referuntur, quæ tamen experientibus, agendive modum diſtinctius conſiderantibus, talia poſtmodum in ſe non deprehenduntur. Sabinam, ſolam præcipuè nec à ſceleratis acceſſorio helleborino ſimilive acuatam, quoties fruſtra fuiſſe bibitam vel nos ſaltem notavimus? Pulegium, etſi longè mitius, nihilominus communiter eò quoque refertur; dum tamen complures gravidæ contra tormina ſecurè ſumant cum vino deſtillatum: etſi nobis menthæ aquat. rotundifoliæ (præſtantis planè & ad Pulegii naturam ferè accedentis) aqua defuerit, ejus loco iſtam cum cinamomi & temperatiori quadam cordiali aqua proportionaliter miſcuerimus ſæpius, loco cujuſvis balſami embryonum ſufficientiſſimam ſic, ac ſecuriſſimam. Quod autem utraque cum conſimilibus, in enixu quoque conferant, id forſan potius ſuſcitatione virium ac nervoſarum partium delinitione fieri poterit. Atque hinc in ejuſmodi allevantium fortuito defectu modo dictus embryonum off. Balſamus, ipſaque aqua carfunculi (iis qui alias hanc ferre conſuevere) paſſim probe ſimiliter ſatisfacit: & quo de Cinamomo id amplius appareat, honeſta hic locorum Matrona decoctum ejus ex uncia una cum duabus vini boni libris, vaſe (pro more) clauſo paratum, ſatiſque de volatilioribus aromaticis particulis (ſi qualicunque corticis ſtypticitati effectus deferatur,) adhuc participans, in affectu quaſi contrario, menſium ſc. fluore nimio ac hæmorrhoiſis, etiam tenerioribus atque cholericis felici cum ſucceſſu bibendum (bis de die) ſuaſit, noſque ejuſcemodi euporiſta ſub practico delectu haut aſpernati, ſimiliter ſæpius ſuaſimus. Sed affinitate materiæ eò ducente, forſan etiam haut inconvenienter de Helmontiano illo anguillæ cum felle ſiccato Hepate hic notaverimus, quod equidem ſit in ſuſcitandis parturientium doloribus, promovendoque hinc partu præſentaneum remedium, dummodo ſit recentius, nec ultra biennium præter propter adſervatum: tunc enim (nobis quidem) ſenſim claudicare occepit. Cæterum nec ſuccini eſſentia, aliquantum (per eſſentiam ſpiritu vini tartariſ. paratam) caſtoriſata, in hoc caſu deſes eſt, ad 24. guttas reperito quoque data, ac deſuper aquæ hyſtericæ Ulmenſium, à Cl. V.V. D.D. Horſtio & D. Thonero in Obſerv. deſcriptæ, (polychreſtæ, ſimiliterque nec gravidis adverſæ) quidpiam. Optandum verò eſſet, ut Medicorum ſaltem, per tot fruſtranea, aut menſes demum aliquot exigentia, fidem ferè perdentium) cauſa, ſuppeteret, notiuſve foret ſpecificum quoddam internum, (dum externa pariter aut languida, aut inter æquè incertum ſæpe effectum non cujuſvis ſunt,) menſes (præſto tamen) movens, & purgantium, emeticorum, diaphoreticorum, opiatorum adinſtar, vel quaſi tantum: uti hæmorrhoidales ſollicitationes, & liquefactorium illud Galeni. relataque recentiorum (at vel ſuppreſſa vel non perfectè cognita) hæmatogoga perſuadere forſitan (licet alio in foro) poſſent; nec mulierierculæ talibus Eleuſinis deſtituuntur. Sanè plus vice ſimplici inveteratiſſimas quoque obſtructiones intra paucas horas, vel eodem die ſolutas fuiſſe vidimus (ſit venia verbo) linteaminum illa menſtr. ad imperialis præterpropter magnitudinem lotura, inſciis data; neque potuimus non poſtmodum ridere Amicum, qui forte ſuperveniens cum Amaſia ſimiliter inſcia, paratum ita juſculum ſe exediſſe, (re comperta demum, at ſine ulla ſubſequa noxa) referebat. Sed hæc aliaque (merito ob abuſus ſupprimenda) ſordida ſunt, ac complurimum (è recenti forſan, vel copioſiore ſicco, nimiumve cachecticarum cruore, an etiam ſuperſtitionibus infecto?) natarum obſervationum intuitu tantiſper ſuſpecta. Comptiora alii viri experientiſſimi docebunt. *D. Danielis Ludovici.*

De Supreſſione Menſium.

Duæ puellæ ſuppreſſione menſium laborantes implorarunt auxilium meum: Una Fridrichſtadii in Holſatia A. 1669. altera heic Buxtehudæ 1673. Utrique præſcripſi pilulas ex commentario Heurnii in Aphoriſmos Hippocratis, quarum hæc deſcriptio.

℞. Aloës ℥i. Myrrh. Gentian. Ariſtol. dictamn. Croc. an. ʒß. Rubi major. Mithridat. an. ʒi. M. cum Syrup. de Artemiſ. F. l. a. pilulæ doſis IV. vel V. tanto cum ſucceſſu, ut jam utraque lunare tributum juſtè & belle ſolvant. Illud vero notandum in contumaci obſtructione, uſus dierum X. vel XII. parum faciet. Buxtehudana puella, quæ mihi nunc ſervit, veſpera uſque ad 20. dies uſa eſt, & hinc Dei gratia curata. Ubi illud obſervavi, quod ſi eas aſſumeret cum cereviſia calida, tum ſolvebat alvum, ſi verò nudas deglutiret, nihil tale operatæ ſunt. Vena nulla in ea ſecta fuit. Minimè igitur probo illorum ægrorum morem, qui Medicamentum, ſi ſtatim non ſatisfaciat, dum ſaltem illud guſtarint, illico ad aliud tranſeant, hinc multa egregia Medicamenta malè audiunt ob præpoſterum illorum uſum. *D. Joh. Ludovici Hannemanni.*

Menſtrua per verticem effluentia.

Quod ſequitur inter therapeuticas fortè poterat referri obſervationes: & referam, quando, quibus quæque remediis curaverim, animus erit dicere, nunc quia viam inquirere, quâ natura ſe tam mirabiliter ſuperfluo ſanguine exoneravit, Anatomiam quodammodo ſpectare videtur, inter ea repoſui, quæ corporis conſiderationem maximè ſibi vendicant.

Anno 1666. menſe Majo adduxit ad me filiam ſuam quædam mater agentem ætatis annum decimum quintum. Ea nondum viâ ordinariâ menſtruis exonerata fuerat, ſed ſtatis temporibus, quæ ſingulis menſibus recurrebant, per capitis verticem, tam copioſum emittebat ſanguinem, ut quater & ſæpius innovata lintea eo madefierent. Ego præmiſſis generalibus, ſpecificis quibuſdam ita feliciter uſus ſum remediis, ut trium menſium ſpatio ægra à morbo hoc mirabili, & tot eum comitantibus aliis moleſtis nauſearum, contractionum, deliquiorumque ſymptomatibus liberata fuerit. Quanto mœrore eam mater ad me ægram adduxerat, tanto gaudio ſanatam deduxit domum, nihil poſtea ab eo morbo ſentientem incommodi. *Theodor. Kerckringius in Spici legiô Anatomicô.*

Menſtrua per manum dextram fluentia.

Rebus, quæ vulgi opinionem ſuperare videntur, ſæpe per ea conciliatur fides, quæ vel parem vel majorem concitant admirationem; neſcio, an non hac ratione ejus, quod dixi, per hoc, quod dicam, an contra hujus, per id, quod præceſſit, impetrandus ſit lectorum aſſenſus.

Audiſtis menſtrua puellæ per caput effluxiſſe, ecce alteram, quæ per manus purgata eſt. Ea mihi oblata eſt anno 1664. in pago juxta Harlemum, qui *Blommendael* dicitur, & linteorum ad ſolem dealbandorum laude per Belgium eſt celebris: hîc inter eas puellas, quæ lavandis, & Soli exponendis linteis dant operam, quædam, neſcio quo infortunio, dexteram læſerat in muſculo pollicis: primùm, ut inter mediocris fortunæ homines fieri amat, neglectis, deinde ſuggeſtis à vetulis remediis vulnus non curatur, ſed quotidie abit in pejus: advocati deinde Chirurgi adhibent artis ſuæ tentamina, ſed irrito conatu: dum inter remedia ingraveſcit malum, matureſcit virgo, & fœcunditatis florem efferre molitur natura, & extulit, ſed viâ non ſuâ: nam cùm ſubitò ex manus vulnere copioſus fluere inciperet ſanguis, is in ſtuporem dedit Chirurgum vulneri medicando adhibitum, qui ſtupor auctus eſt, & ſeſe diſperſit in plures; quando alterum poſt menſem idem rediit paroxyſmus, & porro ſingulis menſibus ſtato menſtruorum tempore ſanguis è dextra fluere perſeveravit, vulnere interim ad omnia remedia pervicace: cùm illud grave videretur incommodum puellæ linteis mundandis victum quæritanti: herus me alia de cauſa pagum iſtum adeuntem in conſilium adhibet: rei novitas me facilè permovit, ut miseræ adferre conarer auxilium. Igitur cùm intrinſecis, tum extrinſecis remediis eò rem perduco, ut ſanato propemodum vulnere, jam non pateret ſanguini eâ viâ tam facilis effluxus: cùm illa in febrem graviſſimam incidit, quæ cùm nullis remediis cederet, & vitæ minaretur periculum, ego aliò vertens conſilium, venam brachii pertundi juſſi, apertoque rurſus majore hiatu vulnere, ſanguis iterum per illud fluere incepit, & author fui puellæ, ut, ſi vita ei eſſet dulcis, potiùs cum iſto incommodo viveret, quàm per perîculoſas ſanationes extingueretur, remque naturæ commendaret, quæ, ſi honeſto adjuvaretur matrimonio, fortè aliò curſum flecteret. *Idem ibidem.*

Menſtrua ab ipſo nativitatus die fluentia.

Obſervationes de menſtruis ante ſtatum naturæ ordinem fluentibus, alii alias adferunt, mirandas quidem omnes, ſed illa, quæ mox ſubjungetur, inter rariſſimas reponenda eſt *Pathol. lib. 6. cap. 18.* Joannes Fernelius octavo vel nono anno. Joannes Schenckius & *Pract. lib. 6. cap. 23.* Hercules à Saxonia quinto. *Obſerv. lib. 3. cap. 36.* Tulpius, quod ipſimet ferè ſuperare fidem videtur, à quarto ad octavum ætatis annum fluxiſſe menſtrua obſervat. Ego autem à primo nativitatis die ea fluxiſſe non oculatus quidem, ſed ex fide digniſſima narratione auritus teſtis affirmo, quod, ut contigerit, audi.

Anno 1668. 14. die Octobris elata eſt Amſtelodami puella, quindecim dies & tres omnino menſes nata. Mater (cujus ſimul & patris nomen, quia id prodi noluerunt, reticeo) gravidationis tempore irâ percita, ita commovebatur, ut menſtrua ei fluere inciperent, & deinde menſibus ſingulis redirent, ita ut illa, num verè gravida eſſet, addubitaret: præcipuè cùm ſub finem gravidationis fluxus hic quindecim continuis diebus perſeveraret: eo nondum ceſſante, parit puellam; cui menſes fluere incipiebant ipſo nativitatis die, itaque fluxerunt quindecim omnino diebus: deinde ſuppreſſi, redierunt poſt menſem exactum denuo: & poſt alterum iterum: poſt tertium autem, puella epilepſiâ correpta, interiit.

Hæc fidem meam ſuperarent, niſi ab oculatis teſtibus, quæ hanc nutriverunt puellam, accepiſſem: parentes enim rem, quà poterant, celatam eſſe cupiebant. Tibi, Lector, cùm rerum talium vix aliter, quàm relatione aliorum ſcientia haberi poſſit, hic non aliud poſſum, quàm mihi relatum eſſe referre: ipſe autem novi puellam nobilem, cui ab anno ætatis nono fluxerunt, & ſtata etiamnum ſervant tempora, ſed ipſa epilepſiæ vivit obnoxia. *Idem ibidem.*

Menſtrua ſerotina.

Antequam abeamus ab hac muliebrium morborum officina, ubi tot cuduntur ſexûs debilioris miſeriæ; ut narrem oportet aliam fluxûs menſtrui exorbitantiam. Vidimus jam è capite, è manibus fluxiſſe menſtrua: in juventute ipſa ante tempus, & ab ipſa nativitate manaſſe ex fidiſſimo auditu retulimus: quid de ſenectute dicam? & hic etiam variat, quæ omnia pro jure ſuo audet, natura. Novi feminam quandam, dum inter mortales verſabatur, jam abiit ad plures, & ideo nomen prodo; Elſia Nicolai erat nomine, Germana natione, huic menſtrua ſubſtiterant anno ætatis ſuæ quadrageſimo tertio: nullo tamen inde vexata incommodo, ſana vixit annum uſque octogeſimum: quo febre tertianâ, non gravi tamen, cœpit laborare,& anno ſequenti, id eſt octogeſimo primo ætatis rediêre menſtrua, eaque ſtatis ſuis temporibus fluxerunt, ſine ulla ſanitatis læſione (niſi quòd antequam ſingulis menſibus redirent aliquo ſuffocationum uterinarum laboraret incommodo) uſque ad annum octogeſimum quintum, quando vivere deſiit. Poſſem ſubjungere de altera, quæ ſeptuagenariâ major, quot menſibus vernat hicce juventutis floribus, niſi, quia etiamnum vivit, & noſtris utitur ad ſanitatem tuendam conſiliis, judicarem & illam malle ſuo parci hac in parte nomini, & Medico putarem commendatiſſimum debere eſſe ſilentium; ne, quâ erga ipſum ægroti utuntur confidentiâ, illis poſſit unquam vel minimæ cedere infamiæ. *Idem ibidem.*

Supreſſio Menſtruorum.

Joanna N. juvencula plethorica, robuſta, circiter 24. annorum menſtruas purgationes per tres menſes ſuppreſſas habuerat, quæ ſuppreſſio primò inducta fuerat à copioſiore lactis preſſi crudi ac frigidi potatione. Hinc decoloratio faciei, appetitus dejectio, nauſea, dolores capitis, aliaque ſimilia mala ſcaturiebant. 1. Octobris poſtquam diætam convenientem præſcripſiſſem, corpus expurgavi cum infuſione foliorum ſenæ & agarici, cui hieram picram admiſcueram. Poſtridie hæc præſcripſi.

♃. Radicum ariſtolochiæ rotundæ, drach. ii. dictamni, oſtrutii, valerianæ, an. ℥. ſ. foliorum nepethæ, pulegii, abrotani, ſabinæ, an. M. ſ. abſinthii, p. i. ſeminum nigellæ, opii, an. drach. ii. leviſtici, drach. j. ſ. aniſi, naſturtii, ameos, an. drach. i. croci orient. ſcrup. i. fiat pulvis groſſus, ligandus in puppa, quæ maceranda ſuſpendatur in vini alvi lib. v.

♃. Trochiſcorum de myrrha, ſcrup. i. ſ. ſpecierum hieræ, diacurcumæ, croci orien. ana ſcrup. i. caſtorei, boracis Venet. an. ſcrup. ſ. gummi ammoniaci aceto cyllit. diſſol. drach. ii. fiat ſ. art. maſſa, è qua formentur pilulæ magnitudinis piſi, & deaurentur.

Harum pilularum quotidie manè & veſperi quinque deglutiebat, perbibendo prædictæ infuſionis ſeu vini, ℥. iiii. vel v. Tandem 15. Octobris menſes eruperunt. Verùm cum ſe biduò poſt inceptam hanc purgationem ſatis temerè rurſus aeri frigido ac ventoſo expoſuiſſet, jam feliciter inceptum naturæ opus ſuppreſſum eſt. Hinc ſtatim magna uteri ſuffocatio illam invaſit, ita ut ſubinde omnino ſtrangulari videretur. Caſtoreum cum aſſa fœtida & ruta viridi in puppa ligata ſtatim naribus objeci. Hujus quoque decocti ſæpe de die aliquantulum bibere juſſi.

♃. Radic. valerianæ, oſtrutii, an. ℥. ſ. folior. rutæ viridis, M. j. ſ. matricariæ, M. i. julorum nucum, ℥. ſ. ſem. leviſtici, drach. v. dauci ameos, an. drach. j. vini albi & aquæ communis; an. part. æq. coquantur ſ. art. ad lib i.

Cùm autem mulierculæ aſtantes etiam aliquid pedibus ſupponi peterent, quod matrix deorſum detrahi poſſet, hujuſmodi cataplaſmo ſeu potiùs paſta à me præſcripta, & pedibus ſuppoſita fuit.

♃. Foliorum viridium petaſitidis, man. v. piſtentur minutim, & addendo fermenti acidi, ℥. iii. ſalis, drach. i. ſ. vini decoctionis matricariæ, q. ſ. fiat paſta ſuppedanea.

His mediocriter ceſſavit illa uterina ſuffocatio. Cùm tamen in totum non evaneſceret, 20. Octobris purgata eſt cum ſola hiera picra. 21. Octobris prædictum decoctum reiteratum eſt. Poſtridie hoc ſudoriferum ſumpſit, à quo cùm copioſiſſimè ſudâſſet, bene valuit.

♃. Oculorum cancri præparat. ſalis cardui bened. ana ſcrup. i. theriacæ Androm. drach. i. caſtorei, croci orient. an. gr. iiii. aquæ theriacalis, ℥. i. ſ. olei ſuccini gut. xii. miſce, fiat hauſtus.

Reliquum curationis, cùm neceſſitas jam non urgeret, diſtulimus uſque ad 8. Novembris quo tempore rurſus, corpore priùs purgato, rediit ad uſum pilularum infuſionis 2. Octobris præſcriptæ. 14. Novembris ſaphena in pede ſiniſtro ſecta eſt. 18. Novembris menſes copioſè fluxerunt, & ægra deinceps optimè valuit.

Annotatio. Eo tempore quo menſtrua fluunt, oportet ut fœminæ ſibi diligenter caveant, alioqui vel à frigido potu, vel ab aëre ventove frigido ſubtus recepto, vel pedum refrigeratione, uel terrore, aliove errore, facilè ſiſtuntur. & poſtea gravium malorum cauſæ fiunt, ſicut & huic noſtræ ægræ contigit. Ita quoque Foreſtus lib. 28. obſervat. 2. refert hiſtoriam ancillæ, quæ cùm menſtruas purgationes conſuetas haberet, nudis pedibus pavimentum aquâ deterſit, unde ſubitò reſtrictis menſibus multa gravia ſymptomata inſecuta ſunt, & fluxus ille non niſi poſt aliquot menſes ſatis difficulter reſtitutus fuit. Idem etiam contigiſſe refert alteri juvenculæ, quæ tempore hujus fluxus in aquam ſaltabat: item ruſticæ, quæ tali tempore ſibi venam in brachio ſecari curaverat.

Ad menſtruorum provocationem variis utimur remediis multis variiſque formis compoſi-

tis, prout ægras medicamenta hâc illâve formâ libentiùs aſſumere velle animadvertimus; atque ea de cauſa huic noſtræ ægræ, præter hyſtericam infuſionem, potiùs pilulas dedimus, utpote illi gratiores, atque in illo morbo non parum efficaces, quales pilulas Medici multis variiſque modis etiam conficiunt. Montagnana has ſequentes laudat:

℞. Trochiſc. de myrrha, drach. i. ſ. ſeminis apii, caſſiæ ligneæ, an. ſcrup. ſ. moſchi gr. xv. cum ſucco apii fiant pilulæ.

Sennertus prax. lib. 4. part. 2. ſect. 2. cap. 2. valde commendat trochiſcos de myrrha in forma pilularum ſumptos, ut & has pilulas.

℞. Trochiſc. de myrrha, ſcrup. iiii. extracti gentianæ, ſabinæ, an. ſcrup. i. caſtorei, ſcrup. ſ. fiant pilulæ. Doſis, ſcrup. ii.

Alii hac formâ efficaciores eſſe putant.

℞. Trochiſc. de myrrha ſpecier. hieræ, diambræ, boracis Venet. chalybis præparati, caſtorei, an. ſcrup. ii. croci orient. ſcrup. i. gummi ammoniaci aceto ſcyllit. diſſol. drach. iii. fiant ſ. art. pilulæ parvæ, doſis, ſcrup. ii.

Zacutus Luſitanus prax. admir. lib. 2. obſervat. 100. nobilem matronam morti jam vicinam, in qua omnia alia adhibita auxilia nihil profuerant, tandem reſtitutam fuiſſe ſcribit, ſolis pilulis ex chalybe & pulvere calamenthæ, cum ſyrupo de artemiſia paratis, quarum drach. j. ſumebat manè cum exercitio, ſpatio viginti dierum. Sic pilulas ſinguli Medici pro diverſis intentionibus diverſimodè componunt.

Quantùm ad ſuppedanea quæ pedibus ſupponuntur, ſi magnas in uterinis affectibus vires non habeant, ſaltem nihil nocent, ac proinde ægrorum petitioni hac in parte etiam ſatisfieri poteſt, præcipuè cùm magni quoque Medici hinc aliquod auxilium expectari poſſe ſcribant, imprimis ſi talia ſupponantur, quæ à proprietate conferre putantur, qualia ſunt artemiſia, pulegium, ſabina, matricaria, maximè autem petaſitidis & bardanæ folia, quæ à nonnullis tam efficacia eſſe creduntur, ut capiti impoſita deorſum potenter trahant. Veteres, teſte Mercuriali prælect. Piſan. ad hiſtor. 28. etiam ſpongiis aceto imbutis & expreſſis ac pedibus alligatis ſolebant menſtruorum & puerperiorum provocationes tentare. *Isbrand. de Diemerbr. in Curation. & obſervat. Medicis.*

Menſium per vomitum oculoſque excretio.

Ruſtica 40. circiter annorum, robuſta aliàs & vegeta, ſed Bacchi, quem jejuna etiam fervidè oſculata fuit, ab aliquo tempore nimis amans, An. 1681. menſe Junio, iſthoc à Marito ingravidata, ſua non amplius vidit menſtrua, rata hinc ſe concepiſſe ex mariti ordinarii magis, quàm Dei vinoſi conſuetudine, animo ſubhilari fuit diu, donec menſe Octobri proximo, ſymptomatum infauſta ſeries, gaudium ſpemque omnem præciderunt, abdomen etenim cum artubus intumeſcere, miſella circa præcordia angi, & difficulter ſpirare, facies palleſcere, appetitus proſterni, viresque delaſſari ceperunt, adeò.

Nox & amor vinumque nihil peperere ſalubris.

Moleſtiores hiſce tractu temporis fuerunt adhuc vomitus cruenti copioſi, nunc periodice, ſingulis menſibus, nunc irregulariter ægrotam defatigante: jam tum temporis rogati, quid periculi immineat, prædiximus, ni medicamentis convenientibus ſedulò uteretur: Verum enim verò, quod vulgus ſapere neſcium factitat ubique, & utinam faceret ſolum, Agyrthæ extranei, cujus ἰατροσοφίαν prudens nemo, niſi barbatulus laudabit, empiricam vocem & remedia libentiùs audiit, quàm ſalubre noſtrum conſilium, ſuo quidem maximo cum damno, ſymptomatibus indies in deterius ruentibus: d. 25. Novembr. inſolito pruritu oculi miſeræ correpti ſunt, quem ſanguinis floridi ad ℥. plures excepit effluxus: jam lecto affixa hæſit, vomituque cruento libera tantiſper licet extiterit, de gravitate tamen & anxietate circa præcordia aliiſque ſymptomatibus conqueri non deſiit. D. 9. Jan. 1682. aliorum precibus, quibus parere filiale jubet munus, moti, (quod Homuncionis remediis noſtra miſcere noluimus) ipſam inviſimus lecto miſere decumbentem: retulit tum octo diebus ante vomitu ſanguinis multo, cum ejuſdem per nares & oculos eruptione denuo infeſtatam fuiſſe, præeuntibus calore & horrore qualicunque, compreſſione circa præcordia, reſpiratione difficili, cum tuſſi, & ſuccedentibus crebris animi deliquiis: ſanguis quem evomuit grumoſus parum erat, reliquus tenuis & acris, inſtar loturæ carnium, pulſus frequens & concitatus, attamen æqualis: Imperatâ dietâ exactiſſimâ, & interdicto vini uſu, ſequentium commendavimus uſum: Diaphor. Jovial. corall. rubr. præparat. ſangum. Dracon. v. terr. ſigil. bol. armen. or. gumm. arab. oc. cancr. præpar. trochiſc. de carab. & ſimil. m. & v. ad ʒß. ſumennum. cum mixtur. per cochlear. ſumend. ex aqu. deſtill. cum Tr. Mart. cydon. quibus utcunque bene habuit, anxietate circa præcordia & reſpirandi difficultate multum imminutâ. D. 18. Jan. menſtruâ periode imminente, aliis locum conceſſit, quibus vomitio ſanguinolenta jam ſubſiſtere, & vias ordinarias menſtrua tantiſper comparere ceperunt. ægra etiam ad munia ordinaria rediit, de artuum inferiorum laſſitudine potiſſimum conqueſta, inde remediis dictis ulteriùs uſa fuit, quibus addidimus pro decoct. ordinario.

℞. Fl. papav. rhead. bellid. m. an. pii. ſemin. aniſ. coq. in menſ. iß. aq. comm. Verùm enimverò quâ ſui dulcedine liquor rubeus, ſibi olim emancipatos pollicere conſuevit, aliquot menſes poſt, quod melius habebat, miſera ad nocivi hujus Dei ſacrarium rurſum properavit, ſpreto Nympharũ ab Jatrice temperatarum potu, minus ut ipſa augurabatur cordiali, indeque funeſtæ recidivæ ſcenam ilico vidit, vomitu redeunte atrociter & abdomine ſenſim ex aquis intumeſcente, donec Creatori placuit animulam è ſuo hoſpitio evocare. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationib. Anatomico Practicis.*

Menſes per aures excreti præcedentibus motibus convulſivis.

Anno 1683. quùm cum Venerabili Præceptore noſtro, Excellentiſſ. D. Doct. Glaſero noſodochii Ægros viſeremus, offendimus Virginem annorum XXIV. corporis habitu macilento, faciei colore liveſcente, vultu humili, quæ medio ætatis curſu ferè per triennium maniâ ſcrophuliſque in collo laboravit: Hæc circa ætatis annum 16. primùm menſtruum vectigal exolvit, inde verò, cùm malæ victus, rationi indulgeret, idem inordinatè, vel parcè vidit. Biennium ante, cùm ex toto menſibus ſe orbatam deprehenderet, acidulas quatuordecim dierum ſpatio bibit cum emolumento, rediit enim lunare tributum, quod olim amiſerat, quia verò ob egeſtatem, uſum earum ulteriorem relinquere coacta fuit, natura in motu ſuo rurſum deſtitit, ut neque in illud uſque tempus menſes viderit: jam verò febris lenta corpus invadere tentabat, convulſioneſque miſellam exercere, quæ ſanguine ex aure ſiniſtrâ fluere incipientete inducias dederunt, uſque dum exacto menſi, ſimili modo ſæviendi occaſionem nanciſcerentur. Sanguis qui excretus fuit ad ℥ß. circiter, nigricans erat & ſeroſus: Acceſſit tertiana febris, quamvis non exquiſita, à quâ tamen prius ſymptoma non fuit imminutum: Fuit nihilominus ægra cùm à febrili inſultu, tum etiam, menſium ſubſiſtentiâ, indeque pullulantibus convulſionibus, medicamentorum, aquarumque præprimis mineralium ope benedicente Deo liberata. *Idem ibidem.*

Menſes à membranâ vulvam claudente ſuppreſſi perque hujus inciſionem evacuati.

Virgo viginti annos nata, & à multis menſibus valetudinaria, ſæpiſſime conqueſta fuit de Hypogaſtrii ponderoſitate, & dolore intolerabili: ita ut mater ejus conſultum duxerit opem implorare medicam Malum indagandi cauſâ, vocatur mecum Andreas Boëkelmannus Chirurgus expertiſſimus, qui ex querelis & doloribus, ſingulis menſibus repetentibus nobiſcum conjicit menſtruorum præpeditum exitum cauſam, vel anſam eſſe totius mali: ſicut eventus quoque edocuit: convaluit enim ſolâ inciſione cujuſdam membranæ ponè hymenem ſitæ, & totam vulvam perfecte claudentis. Mirum dictu quàm tenſa erat dicta membrana propter ſanguinem illic ſtagnantem, & fruſtrà exitum quærentem. Mirandum quoque, ſanguinem, qui illicò à ſectione ad libras circiter quatuor, maximô impetu, erumpebat, neutiquam coagulatem, multo minus putrefactum, aſt nigricantem fuiſſe, ſicut nobiſcum atteſtantur Neſocomii Medicus Meritiſſimus Joh. Dankers ut & Abel van der Horſt. Chirurg. expertiſſimus, qui huic operationi, nuper à nobis factæ, pariter interfuere. *Clar. Frideric. in Kuyſch. i: Obſervationum Anatomico Chirurgicar. Centuriâ.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Menſtrua per collum potius quam per corpus Vteri ferri oſtendit Anatome,

Quod mulieres purgentur ſuis menſtruis per collum potius quam per uteri corpus, probat Columbus 6 ſub finem; Quia, inquit, multo plura & majora vaſa ſunt in eo quam in ulla uteri parte alia: Præterea exemplo cujuſdam mulieris Sanctæ tantum nomine & non re, quæ laqueo ſuſpenſa jugulataque eſt quo tempore menſtrua patiebatur, cujus cadaver ſecavit, diligenterque obſervavit dicta menſtrua expurgari per collum tantum, & non per cavitatem aut corpus uteri: Ibi enim copiam ſanguinis vidit, & vaſa ſuperius dicta pectinatim, ſeu digitatim inſita plena ſanguine fluente aut fluere parato, nec non collum ac ſinum pudoris madida cruore, & minime vteri cavitatem animadvertit.

Similiter duarum mulierum cadavera ſecuimus quibus menſes fluebant ſuſpenſionis tempore: in quibus prædictas colli uteri venas ampliſſimas vidimus, ſanguinem menſtruum effundentes copioſum in colli & ſinum pudoris, & nullum in corporis uteri cavum. *Severtinus Pinæus lib. 2. de Notis virginit. cap. 1.*

In puellæ, quo tempore menſes fluerent, ſtrangulatæ cadavere, ſolus ſinus pudoris obſervatus ſanguine perfuſus tinctuſque ſanguine menſtruo, uterus autem prorſus ſiccus & arcte connivens. *C. Piſo de morbis ab illuvie ſeroſa ſect. 2. p. 2. cap. 7.*

Anatome Virginis nunquam menſtrualis, cujus uterus natura clauſus repertus, ſanguis in vaſis omnino putris.

Tot ſunt authorum circa cauſas menſtrui fluxus impediti opiniones, ut quamnam ex iis arripere velis pene hærere poſſis: Tantus quoque recentiorum in veritate hujus rei perveſtiganda labor, ut merito in admirationem rapiaris ipſiſſimam hujus mali cauſam nondum eſſe detectam: Galenus lib. 3. de cauſis ſymptomatum cap. 4. ſeptem recenſet, quæ hujus affectus cauſæ eſſe ſolent. 1. τῆς μήτρας τὸ σῶμα πυκνὸν καὶ σκληρὸν 2. στενότης τῶν φλεβῶν 3. ἡ θλίψις ἐκ τῶν περικειμένων ἀγγείων 4. ὅταν κεκινημένον τὸ αἷμα παχὺ καὶ γλισχρὸν γένηται. 5. ἔμφραξις. 6. & 7. ad univerſum pertinent corpus, ſi hoc ita ſit comparatum, ut vel purgatione non egeat, vel adſit τοῦ αἵματος εἰς ἄλλα μόρια ῥοπή: Alii naturam menſtruorum & horum fluxus accuratius conſiderantes, inque hunc ſtudioſius indagentes, repererunt neceſſum eſſe ut ad ſanguinis fluxum menſtruatum concitandum aliqua fiat in corpore ſanguinis fermentatio: Etenim cum ſecundum ipſum Galenum in ſanguinis menſtrui vacuatione, ille vacuetur ſanguis qui in reſpectu ad laudabiliorem remanentem, crudior, & temporis tractu vitioſitatem acquitere potuit: hæc vacuatio per nudum ſanguinis impulſum, vel ſolam ejus copiam; vaſorumque ſpontaneam apertionem fieri difficulter concipi poteſt, niſi præviam aliquam ſan-

guinis in corpore efferveſcentiam ſtatueris, quam ſatis probant ſymptomata virginibus & mulierculis eo tempore infeſta: Undenam autem hæc fiat fermentatio, an à corde inſtigante, an ab utero irritante, horumque fermentis; an ab ipſo ſanguine hujuſque partibus ſecum mutuo efferveſcentibus, haud facile eſt concludere: Uteri fermentum hactenus nullum fuit in controverſiam vocatum, eo quod locus huic aſſervando in utero non detur idoneus: Quicquid ſit uterum omni plane materia fermentiſcibili deſtituere huc uſque nolui: adde imprimis cum haud ita pridem in diſſectione puerperæ vita defunctæ, uteri ſubſtantiam præſentibus pluribus φιλιάτροις ſpongioſam totam & poroſam repererim, adeo ut his preſſis liquor manifeſte extillarit: Sanguinem per venam cavam in dextrum cordis ventriculum, & abhinc in ſiniſtrum per pulmones redeuntem, in hiſce de novo ſpirituaſcere, novaſque ſibi acquirere vires certum eſt: qui actus ſive cordis calori intenſo, ſive fermento in eodem latitanti, particulaſque ſanguinis fermentaceas noviter in actum educenti adſcribatur, non multum litigabo: Sanguinem ipſum præcipuam hujus fermentationis cauſam eſſe, & naturæ ipſius eſt conſentaneum & rationi: Illi quidem, quoniam ſanguis ex partibus fermentaceis conflatus eſt, quæ cum juſtam fermentationem ſubeunt, calorem noſtrum æqualem & naturalem conſervant: Cum vero partibus heterogeneis objectis fortius efferveſcunt, calorem adaugent, pulſumque celerem & etiam inæqualem efficiunt: Huic autem, quia ſanguis majori, quam natura diutius ſufferre poſſet, collectus copia, iſque ſibi non per omnia ſimilis proprio inſtinctu(cui forte fermentum uteri, ſi illud ſtatuere volueris adjumentum affert) fermentare ſanguinemque crudiorem, & temporis tractu craſin mixti diſſolvendo naturæ noxam allaturum, expellere hoc modo poteſt: quæ omnia ex continua ſanguinis efferveſcentia, quæ ad corporis ſalutem fieri conſuevit, facile confirmantur: Cum itaque modo dicta ad ſanguinis menſtrui fluxum naturaliter concitandum præcipue conferant, iidem ſecus habentibus, concludo menſtrua plerumque ſupprimi, hancque frequentiſſimam eſſe cauſam, Etenim & obſtructio venarum ab humoribus viſcidis vaſa occupantibus, difficilis eſt conceptu: Uteri clauſura venarumque anguſtia rariora eſſe ſolent: ſola ſanguinis dyſcraſia frequens eſt: quæ autem niſi per defectum fermentationis, vel male, vel non fientis haud facile explicari poteſt: quamvis enim non negetur ſanguinem viſcidiorem & craſſiorem evadere, tamen hujus rei ipſius cauſa eſt legitima fermentatio deficiens, cujus ope alias homogenea congregari & heterogenea diſgregari conſueverunt.

Veritati hæc conſentanea eſſe ſequens docet obſervatio Anatomica, ab Amico communicata: Obiit haud pridem in valetudinario virgo quædam ruſtica annorvm 22. rubicunda, carnoſa, robuſta, cui menſes nunquam fluxerunt: Correpta fuit hæc ſynocho putrida, & die morbi quarta ex hac vita diſceſſit.

Poſt obitum cultro anatomico injecto, omnia viſcera ſana fuere reperta, ſanguis vero in vaſis putridus, & uterus natura clauſus: Firmo indicio labem hanc contractam non tam vitio viſcerum quam vitio ſanguinis, qui debita fermentatione carens, ſubſtitit, hacque magis magiſque deficiente, tandem putredinem ſibi acquiſivit ſummam: Uterus natura clauſus hic multum accuſari nequit, eo quod ſanguis nullus in uteri cavitate fuerit repertus, inque defunctis, vel iis quæ menſtruum fluxum paſſæ non ſunt, uterum ſubſidere nihil ſit novi. Hæc ſunt quæ hac vice communicanda habui: Baſilæ 28. Maij. 1678.

Ex communicatione Excell. Clar. Dom. Harderi Medic. Doct. & Philoſophiæ Profeſſoris, è Clariſſ. Theophili Boneti Sepulchreto.

Menſtruorum fluxum non à ſola ſanguinis in Vtero congeſtione, ſed à toto pendere oſtendit Anatome.

De ratione ac modo quo menſtrua excitari ſolent Medici inter ſe non conveniunt: Aliqui enim cum Ariſtotele 2. & 4. de generat., animæ periodicæ hujus excretionis cauſam referunt ad Lunæ motum: Alii ad ſolam plethoram: credentes tota menſis periodo circa uterum collectum ſanguinem vaſa tamdiu diſtendere, donec nimia diſtenſione irritata ſarcinam ſuam in uteri capacitatem ſeſe contrahendo deponant: Sed illa ſpeculationibus innixa potius quam propagandæ veritati conſentanea videntur: Ad primum quod ſpectat, cunctis menſis temporibus hanc vel illam menſtruo expurgari videmus, citius aut tardius pro temperamentorum varietate: Non eſt itaque hujus periodi cauſa in ſempiternos & immutabiles Lunæ curſus referenda: Alteram vero opinionem, menſtruæ purgationis motum à ſolo exuberante ſanguine, qui in uteri vaſa perlabitur, eaque copia & calore diſtendit ac aperit, derivantem, non ratio ſolum, ſed & frequens, cadaverum Diſſectio prorſus refellendam eſſe demonſtrat: ſi quidem nulla probabilitate nititur quod ſanguis (qui perenni circulationis lege continuo per omnes corporis partes movetur) tanto temporis ſpatio in uteri vaſis ſtagnaret; Quibus addendum uteri vaſa haudquaquam tantam ſanguinis copiam continere poſſe, quanta una periodo evacuari ſolet: Præterea in mulieribus inſtante menſtruorum fluxu ſubitanea morte extinctis ac diſſectis, Uteri vaſa mirum in modum diſtenta inveniri deberent, at illud nunquam invenire potuimus, nec ab aliis inventum legimus, & licet aliquantulum magis quandoque turgerent, illud profecto parum facere poſſit ad quantitatem ſingulis menſibus expurgari ſolitam.

Quibus recte conſideratis arbitramur menſtruorum colluviem ſtatis circuitibus per uterum excernendam à fermentatione potius quam Lunæ motu, aut ſola ſanguinis copia excitari: quandoquidem quotidiana experientia conſtet multis menſtrua fluere quæ jejuniis ſeſe macerant, magnas hæmorrhagias, aut diuturniorem morbum paſſæ ſunt: Neque exiſtimamus fermentationem illam in uteri vaſis tantum, ſed in tota maſſa ſanguinea contingere, quoniam videmus in mulieribus, quarum menſtrua fluunt, non

non uterum ſolum affici, ſed caput doloribus, pedes laſſitudine, ventriculum ac reliqua corporis membra his vel illis moleſtiis infeſtari: nec non ſanguinem illum per nares, pulmones, ac alias jam dictas corporis partes ſubinde manare: quæ neutiquam evenirent niſi integra ſanguinis maſſa fermentationis motu exagitaretur: Ratio vero cur per inſuetas illas Naturæ vias quandoque menſes expurgentur, potiſſima nobis videtur obſtructio, quatenus ſcil. ſanguis menſtruali fermentatione agitatur, per uteri vaſa, propter polypos in illis quandoque à nobis obſervatos, aut aliam materiam pituitoſam, cicatricem, pravam conformationem, &c. erumpere non potens, per debiliora corporis loca prorumpit; eodem plane modo quo vinum vaſe firmiter incluſum, dum fermentatur, per debiliores dolii partes qua data porta ruit: Si petit aliquis, A qua cauſa fermentatio illa procedat? Et cur ſemel tantùm in menſe menſtruus ſanguis excernatur, cum reliqua excrementa ſingulis expurgentur diebus? Reſpondebimus illa ad definitos naturæ motus, & certas illius leges, nobis incognitas referenda: ſi enim quotidie expurgentur menſtrua, nunquam, aut admodum raro mulieres conciperent, neque hominum quiſpiam in amplexum fœminæ rueret ſi genitalia perpetuo cruore maderent. *R. de Graaf. de organis mulier. cap. 9.*

Menſium ſuppreſſio ob Hymenem os uteri occludentem. 1. Ob coalitum cervicis uteri. 2. 3.

Monialis virgo 55. annor. multo tempore circa inguina & pubem doluit, nullis interim ex utero prodeuntibus excrementis: Supervenit tandem ventris tumor, quo in dies majore facto mors tandem ſupervenit &c. Hymen autem obſtitit qui natura virginibus concreſcit, Nam hoc integro nihil ex utero deſcendere aut deferri poſſe vel hinc apparere poteſt. *Dodonæus cap. 34.*

Mulier poſt puerperium menſtrua amplius non habuit: Mortuæ cervix uteri ſpiſſiſſima eſt reperta, ac velut cartilaginoſa, quæ tranſverſi digiti ſpiſſitudine coaluerat.

Mulieri ex partus difficultate os cervicis uteri adeo coaluit, ut nec menſtruis pateret effluxus.

In juvencula ex ſuppreſſione primorum menſtruorum mortua, vena ab utero ad mammas tendens, & venæ ad uterum tendentes ſanguine diſtentæ & nigræ repertæ, uteruſque quaſi gangrænoſus &c. cum ejus callo diſtorto.

Juvencula 14. annos nata, pulcra, cum primum erumpere deberent menſtrua, ſubito incidit in morbum graviſſimum, cum ſummo corporis ardore, tremore, inquietudine, aphonia, oris contorſione, rubore totius & ſuppreſſione profluvii: Nihil autem proficientibus medicamentis eo devenit morbus ut tertia die, nulla ſ. m. inſtituta, obierit.

Secto cadavere ſuperiorum conſtitutio bona reperta eſt, niſi quod vena ſanguinem ex utero ad mammillas deferens, tota illius copia denigrata eſſet, felle omni ex veſicula in inteſtina depulſo: Venæ omnes circa uterum diſtentæ & nigerrimæ: Uterus etiam nigrior, ut gangræna corruptum dixeris; Collum contortum craſſiſſimum habebat. *Joh. Udal. Rumlerus Obſerv. 55.*

Menſes ſuppreſſi aut diminuti ob Polypos, uteri aut cordis vaſa opplentes.

In uteri vaſis ſæpe reperiuntur Polypi, & quidem tanti ut vaſa adimpleant, nec non quandoque in calloſam quaſi ſubſtantiam degenerent. Regn. Graaf de mulierum organis cap. 8. Ratio cur per inſuetas naturæ vias quandoque menſes expurgentur, potiſſima nobis videtur obſtructio, quatenus ſcil. ſanguis menſtruali fermentatione agitatus per uteri vaſa propter Polypos, in illis quandoque à nobis obſervatos, erumpere non poteſt. *Idem ibidem.*

In virginis, cui cum perpetuo defuiſſent menſtruæ purgationes, corde Polypi reperti ſunt; Quid ſimile in puella obſervavi, in qua ſub ventriculo ad pancreas, & in toto abdomine aderant glandularum racemi, nucis inſtar, & in corde globuli, velut avellanæ fructus gypſea quaſi materia excitati, In hujus etiam corde Polypi ſtagnabant. *Marc. Malpighius Tractatus de Polypo.*

Sanguinis vitium menſtruorum ſuppreſſioni, uti & hæmorrhoidum ſæpe occaſionem præbet: Si tale ſit quod illum minus fluxilem reddat, uti fit ſi craſſior quam illius natura requirebat fiat vel ciborum ingeſtorum craſſiorem ſuccum gignentium cauſa, vel quia ſero minus dilutus vehiculo hoc ſuo deſtitutus, craſſeſcit quæ & cauſa quod & cachecticis & hydropicis, ſero è venis exudante, menſtrua ſuppreſſa ſint: ſectaque vena craſſus ſanguis potius quam ſeroſus detrahatur: Sed & corralli alicujus rubri, vel etiam albi inſtar, ſi illum congelari contingit, qualem alii quoque ſe vidiſſe prodiderunt, & nos aliquando è venis extraximus, illud longemagis efficiet; *Platerus Praxeos lib. 1. cap. 14.*

Menſtruorum ſuppreſſio ob meſenterium ſteatomatis refertum &c.

Virgo per multos annos laboraverat menſium ſuppreſſione & febre hectica, quæ illam extinxit: Reperimus in meſenterio ſteatomata varia à lympha craſſa oriunda: Et in ſiniſtro latere magnum veluti ſaccum, repletum materia turbida, pituitoſa, majori ex parte cruenta. *P. Barbette Pract. lib. 4. 11.*

Menſtrua inordinata ob Tumorem vulvæ tunicis adnatum.

Carcinomatis ſpecimen memini me aliquando propalam oſtendiſſe Medicis ac Obſtetricibus, in Vulva cujuſdam mulieris à cancro uterino crudelem in modum occiſæ, quæ in vivis dum foret conquerebatur aſſidue, non modo de Inordinatis menſtruis, vago pruritu ac oberrante ardore, ſed potiſſimum de crebris animi deliquiis, quæ tam frequenter ipſam invaſere, ut tandem miſerrime ab illis obrueretur.

Facta Medicis cadaveris copia, in vulva vidimus delituiſſe tumorem, ut lividum & atrum ſic cruore ac ſanie undique perfuſum: adhæreſcebat autem membraneis ſuis filamentis tam arcte tunicis vulvæ, ut non potuiſſet inde eximi ſine ſcalpelli auxilio. *N. Tulpius obſervat. lib. 3. cap. 34.*

Menſtruorum defectus ab uterò ſanguine nigro impletò.

Fœmina triennali menſtruorum defectu laborans, poſt eſum aſelli arefecti, repente in Lipothymiam & Syncopen incidens, inopinatâ morte deceſſit.

Uterus ſanguine nigrô impletus. Renes tartarô incruſtati.

Defectum menſtruorum incruſtatio materiæ ſabuloſæ in renibus non rarò concomitatur: ſemper enim adeſt ſanguis craſſus & nimium inſpiſſatus ac non rarò ſalſus, cujus particulæ cryſtalliſatæ calculos, arenulas, tartareamque materiem efficiunt. Sic etiam ob ſanguinis craſſitiem ab uteri vaſculis excipi non potuit; ſed ut in cadavere conſpiciebatur, vaſa majora eôdem turgebant. Eandem ob cauſam ſanguis per pulmones & cor ire impotens, in Syncopen, nunquam curabilem, incidit. *Stephanus Blancardus in Anatom. Practicâ rationali.*

Poſt menſtrua denegata cadaveris inſpectio.

Supra quatuordecim annos puella: ante biennium, altum ducebat ſpiritum; ſolitudinem quærebat, vultus & cætera omnia pallebant; pulſus languidus & inæqualis; menſtrua deficiebant; neque cibi, neque potus appetentia; aderat febris, difficultas reſpirandi exigua, parum ſine ſputó tuſſiebat; urinæ craſſæ, albæ, adipoſæ cum ſubſidentiâ.

Denudatô corpore, latus utrumque, ad coſtarum inferiorum ultimam, maculis latis è rubrô liventibus ſugillationemque referentibus erat conſperſum. Jecur & ventriculus plus ſolitô liveſcebant. Bilis porracea. Utraque thoracis vicitas viroſi laticis quatuor libras continebat, pulmones ſphacelati hinc & inde maculas pure refertas. Vaſa omnia & cavitas punicei coloris. Pleura muſculique intercoſtales virore perfuſi. Pericardium, aridum, putrefactum & ſine liquore.

Virgo hæc ob ſanguinem nimis craſſum & inſpiſſatum ex malâ diætâ contractum, menſtrua deponere facta eſt, unde circa uterum colligebatur, ut obſervatione præcedenti vidimus. Verùm cùm iterum in ſanguinem redire cogeretur, plurima viſcera ab eodem obſtruebantur & corrumpebantur: unde in hac ægrâ ſpirandi difficultas, maculæ lividæ, pulmones corrupti, jecur lividum, cæteraque hujus generis ſymptomata. Hiſce ſæpe accedunt cordis polypi, qui ex ſanguine coagulatô nonunquam generantur. *Idem ibidem.*

Veroſimilis eruptio menſtruorum per tubam Fallopianam in pelvim.

Probabile eſſe humores heterogeneos in utero contentos, per oviductus, ſeu tubas Fallopianas, ad pelvim & abdominis cavitatem poſſe deduci in parturientibus, aliquando innui. Quò minùs quoque ſanguis ex uteri cavitate per dictos ductus, ore uteri clauſô ad pelvim pervenire poſſit, extra ſtatum partus, haud video. Menſtruatæ olim aperuit cadaver. R. Koonhuſius Chirurgus dexterrimus. (præſentibus Dortmuntiô, ejuſdem Noſocomii Medicô, meritiſſimo nec non Adrianô Coënergindiô Chirurgô eximiô) in cujus uteri cavitate coagulatum & utero leviter adhærentem obſervavit cruorem quô tuba ejuſdem lateris quoque non ſolum erat conſperſa, verum etiam ovarium, in cujus ſuperficie coagulatus copioſè firmiterque adhærebat. hunc uterum cum ovariô annexô & ſanguine coagulatô, prout mihi demonſtrarunt dicti amici in muſeô noſtrô reſervo, balſamô ita conditum, ut omnia naturalem ſitum, magnitudinem & figuram ſervarint, idque ſine rugis, quæ poſt exſiccationem ſæpius remanere ſolent. *Frider Rhuyſchius in Obſervation. Anatomico. Chirurgicar. Centuriâ.*

MENTAGRA
Vid.
IMPETIGO.

MESENTERII MORBI.

Meſenterii corpus membranaceum, glandulis partibus majoribus ac minoribus chylô ac lymphæ tranſcolandis, vaſiſque variis iiſdem ut & aliis ſuccis convehendis, inſervientibus conſitum; inflammationibus, indeque enaſcentibus abſceſſibus, imô obſtructionibus non paucis ac congeſtionibus multigenis, obnoxium reperitur. Ex quibus morbis jam alibi aliquot explicamus alios inpræſentiarum per *Curationes*, *Conſultationes*, & *Obſervationes* pertrectaturi ſumus.

Curationes.

Obſtructiones & Tumores Meſenterii.

Perperam verò plerique agunt, qui à contrectatione Abdominis de obſtructione Meſenterii temerè judicium ferre audent, præſertim autem decepti à muſculis utrinque per ventrem in longum extenſis: equidem tactu nequit certè decerni tumefactum, vel obſtructum eſſe Meſenterium, quod profundè admodum ſub muſculis, peritonæo, omento, inteſtiniſque reconditur. Vix autem tactu percipi poteſt lien, aut hepar, cùm inſigniter intumuerint.

Meſenterii, ejuſque vaſorum, & glandularum obſtructiones, ac tumores, attenuantibus, diſſolventibus, atque humores indè deducentibus Medentes tollere adnituntur. Purgantia rarò proficere adnotat Hartmannus, conſentitque Mercatus, & Schenchius; quin & iſti multò gravius à catharticis ægrotos affici atteſtantur. Medelam propterea petit idem Hartmannus à reſolventibus, & emollientibus; reſolventia autem mitiora probat ex tartaro vitriolato, vino, in quo chalybs infuſus ſit, pulvere cachectico, & acidulis tùm naturalibus, tùm artificialibus; emollientia verò extrinſecus adhibenda, atque in primis emplaſtrum de cicuta. At comparente per alvum pure, enematibus inſiſtit, quibus alvus ab inquinamentis mitiſſimè repurgetur.

Sennertus etiam à potentioribus purgantibus abſtinet, & ſolùm utendum monet lenioribus, quæ venarum orificia detergant, & humores blandè educant, quales ſunt pilulæ Tartareæ, & Aloëticæ.

Verùm non rarò, tutò, feliciterque curantur obſtructiones ſola victûs ratione convenienter inſtituta, cavendo acida, glutinoſa, cruda, potationes immoderatas aquarum præſertim gelidarum, otium. Juvat motus horis matutinis

nis, vel longè admodum à paſtu: aromata cum cibis: vinum abſinthites, vel ex chalybe per ignem pulverato medicatum: ſal abſinthii: pulvis ſtomachicus, & cachecticus Quercetani, admoto intereà cerato ex ammoniaco, tacamachaca compoſito, aliove.

Neque verò ſemper expedit indiſcriminatim uſu chalybis, ejuſque ſalis, vaſa viſcerum obſtructa reſerare; ſi potiſſimùm ad glandulas pertineat, vel ad partes multùm à ventriculo diſſitas; tùm quia longiorem moram in ventriculo ſal chalybis patitur; diſſolutùmque ſtatim in alvum dejicitur ab acido præcipitatus; tùm quia glandulæ id maximè expetunt, ut aromatis roborentur, undè impactos ſuccos attenuent, diluantque, haudquaquam verò vehementer proritatæ exſolvantur, flacceſcant. Quare juvabit potiùs aromata exhibere, vel eſſentiæ mart. ejuſdemque vitrioli dextero uſu ejuſmodi obſtructiones curare.

In hanc rem maximè à nonnullis commendatur terebinthina Cypria ad ℥. ß. quater lota aquâ abſinthii, & rutæ, deindè adjiciunt pulverem cinnamomi & nucis myriſticæ ad pondus unius drachmæ. Effertur aliis hoc electuarium, quod habet: chalybis limati, & ſuper lapidem porphyritem tenuiter cum aceto contriti, mox ad ſolem aut ignem ſiccati, & ſepties pari modo pulverati ſelibram, cinnamomi, & nucis odoratæ ſingul. ʒ. iii. rhabarbari electi ʒ. ii. ſpecier. aromat. roſ. ʒ. vi. Hæc melle optimo, & ſaccharo albiſſimo excepta rediguntur ad lentum ignem in form. Elect. & ſingulo mane ad pondus ſemiunciæ exhib, præſcriptâ convenienti corporis exercitatione.

Quæ denique cachexiæ, & Aſciti curandæ, aliiſque ægritudinibus ab obſtructione pendentibus uſui eſſe poſſunt, alibi trademus.

Obſtructionem Meſenterii, ejuſque vaſorum, & glandularum non raro Inflammatio ſequitur aliuſve Tumor, & Abſceſſus, potiſſimùm cùm ſanguinis curſus impeditur, retardaturque, ut præſertim in illius glandulis reſtagnet. Cùmque in his exiguus ſenſus habeatur, eò quandoque tumor devenit, ut in ingentem molem attollatur, ac diutiſſimè perſiſtat pondus, & dolorem inteſtinis inferens, quandoque etiam lumbis, quouſque tandem membranas adjunctas pertingens, vel etiam proceſſus nervorum, & Peritonæi comprimens, dolorem inducat intolerabilem.

Nedum autem in uno ſolùm loco contingit Meſenterium inflammari, ac tumere, ſed in cunctis ferè illius glandulis, ubi nimirum facilè humores impingunt, & adhæreſcunt: quamobrem totum tuberculis refertum aliquando Anatomici detexerunt, imò & ſcirrho, gangrænâque affectum, pure repletum, atque lymphâ plurimâ perfuſum. Hinc dolores profundiùs ventrem excrutiant, inquietudines, nauſeæ, vomitus, alvi durities, chyli dejectiones, febres, tabes, aliaque graviſſima ſymptomata, etiam cerebro infenſa, plerumque obſervantur, quæ falsò Inteſtinis, Iecori, Lieni, Renibus, aliiſque à nonnullis adſcribuntur.

Pari modo Pancreas affici multoties compertum: nam & obſtrui, & inflammari, & obdureſcere, & abſceſſus pati obſervatum eſt.

Horum viſcerum affectiones propriis ſignis internoſcere difficillimum. Suſpicari autem aliquando licebit de inflammatione, aut abſceſſu in Meſenterio, & Pancreate; poſtquam ad maturitatem pervenerint; & purulentæ egeſtiones comparere cœperint, neque jecore, neque liene in tumorem elato. Affecti autem Pancreatis longè difficilior conjectura erit; etiam ſi à poſitu ſubter ventriculum, quis non ſe fallere arbitretur; cùm a diaphragmate idipſum prodire poſſit; itemque a muſculis lumborum, & ſpinæ adjacentibus.

Sicut autem iſta cognitu perardua ſunt, ità & curatu difficillima: nam etiamſi maturuerint, non tamen facilè aut per alvum, aut per vias urinæ ibidem congeſta repurgantur, quamobrem retentum pus vel corruptionem afferet, vel ſi aliò deferatur, novum, & quidem graviorem morbum pariet; colicam affectionem, paralyſim, Iſchiadem, Dyſenteriam: Quin poſtquam Abſceſſus fuerit emundatus, etiam inductum ulcus vitæ periculum minatur cùm nequeat convenienter abſtergi, & conſolidari, licet opportuna remedia adhibeantur. Verumtamen Naturæ Opera in hoc plurimum valet illamque proindè Medicus promovere debet, exhibendo primùm; quæ inflammationem, ſi fortaſsè prænoſcatur, impediant, & ſanguinem remorari non ſinant, qualia ſunt plures memorata diaphoretica: mox quæ maturitati illam ſubjiciant, & dirumpant, ſi jam facta ſit. Præcellunt ſanguis hirci, ſperma Ceti, mumia, coagulum leporis, aut hædi, extractum hyperici, & baccarum juniperi, omnis generis Bezoardica, ſtibium diaphoreticam, ſal volatile C. C. viperatum, & ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis redditus, elixir proprietatis, tinctura mart. & Antim. Potiones vulnerariæ optimæ quoque ſunt, præcipuè dirupto jam apoſtemate. Terebinthina pariter fructuoſa eſt, ut & balſamum Peruvianum, Tolutanum, & ligni guajaci. Quod ſi neceſſe ſit inchoatum Naturæ motum per vias urinæ promovere, conducent diuretica, aquæ thermales, oculi cancr. ſal cardui benedicti, & centaurii minoris, verum ſalis balſamum colore aureum, ſapore dulce, & contactu linguæ volatile; pulvis, & eſſentia macis, extractum glycyrrhizæ, trochiſci Gordonii, Si demùm remaneat ulcus, ſuffitus ex cinnabari cum balſamis miram opem afferre conſueverunt, atque horum uſu quoſdam brevi ſaluti reſtitutos vidi: etenim ab inducto ſenſim ptialiſmo è ductibus ſalivariis educitur humor ille, qui in Pancreate, & Meſenterio reſtagnat, ob communionem glandularum interſeſe, & præcipuè illarum, quæ in Meſenterio ſunt, cum colli glandulis. Neque verendum de interno Argenti vivi uſu, modò ritè præparatus ſit, & diaphoreticus evaſerit. *Lucas Tozzi. Medicin. Practic. Parte ii.*

Abſceſſus Meſenterii.

Signa ſunt ſi tumor cum inflammatione præceſſerit, doloris in præſens mitigatio, materiæ purulentæ excretio, & febris hectica.

Indicationes ſunt ulceris deterſio, & conſolidatio, doloris mitigatio, & febris hecticæ extinctio.

Con-

Conveniunt hic clyſteres lenientes & deter- genies. *viz.*

♃. Tapſ. barbat. plantag. totius an. m. i. ſcabioſ. veronic. mar. an. m. ß. hordei integr. fur fur macr. roſar. rub. flor. hyperici, trifol. odor. an. p. ß. coque in aq. font. q. ſ. Colaturæ ℔. i. adde ſyr. roſar. ſiac. ℥ß. mell. caprifol. ℥ß. terebinth. Venet. ovi vitulo ſolut. ʒii. vin. Canarin. aut de malaga ℥iii. M. ſ. f. Clyſter: & repetatur quoties opus fuerit.

Huic addi poſſunt rad. ariſtoloch. caryophyllatæ, bacc. junip. &c. N. B. Clyſteres primo debent, eſſe detergentes, poſtea conſolidantes & aſtringentes.

♃. Aq. decoctionis pomorum (Reginæ dictorum) & hord. (addit. ſantal. alb. & rub. an. ʒiß.) ℔iß. ſyr. rub. Idæi. ℥iii. corall. ℥i ſp. vitrioli q. ſ. ad gratam aciditatem. Mſ. f. Iulapium pro iiii. doſ. bis in die ſumendis longè à paſtibus.

♃. Diacod. ʒiii. ſyr. rub. Idæi corall. an. ʒiß. Mſ. & ſumatur hor. ſomni in hauſtu alæ maciatæ.

♃. Terebinth. Venet. aq. pariet. lot. ʒi. ocul. cancr. præp. ℈i. pulv. virg. aureæ gr. x. rhei. gr. v. gumm. Arab. gr. vi. Mſ. & cum pulv. glycyrrhiz. gr. iv. f. Bolus mane ſumendus ſuperbibendo hauſtum juſculi calentis ſeq.

♃. Rad. alth. ʒiii. petroſelin. fœnic. cichor. taraxac. an. ℥ß. raſur. corn. cerv. ebor. dentis equi marin. an. ʒiiß. cappar. à ſale mundat. uvar. Corinth. an. cochl. i. jujubar. paſſul. exacinat. an. ʒii. includantur ventre junioris galli, qui conſutus elixetur cum fruſto carnis vitulin. addendo ſub finem decoctionis fol. endiv. hepatic. agrimon. borag. adianth. polytric. ling. cervin. an. m. ß. flor. calend. p. ii. F. colatura ad ℥xxx. pro tribus juſculis mane ſumendis cum Pulvere ſequenti.

♃. Crem. tart. ℈ii. lap. prunel. ℈i. cryſtal. ſyderei gr. iv. ſacch. cryſtall. ad pondus omnium. Mſ. pro una doſi in ſingulis juſculis diſſolvendo.

♃. Raſur. lign. ſanct. inter. nigrr. ℥i. abjet. rec. reſinoſ. ℥ii. raſur. lign. junip. ʒx. ſantal. citrin. ʒiii. rad. filic. fœmin. caryophyllat. rub. tinctor. an. ℥iß. ſol. ſcabioſ. agrimon. hyperic. totius, vir. aur. ſicc. an ʒvi. flor. ſambuc. betonic. an. p. ii. ſem. alkekeng. mil. ſol. an. ℥ß. ℥. muſchat. ʒii. Incidantur minutim, & divid. in plures partes ponderis ℥ii. f. totidem ſacculi ex linteo raro oblongi, qui indantur ſingulis lagenis lapideis duarum quartarum capacibus, cereviſiâ ſemilupulatâ repletis: obturentur optimè, & reponantur in cella pro potu ordinario, cum quo incipiat poſt duos dies.

Ingredienti poſſunt coqui in cereviſiæ ſemilupulatæ gallon. vi. ad duorum conſumptionem; poſtea addendo gallon. iv. ejuſdem cereviſ. infunde per noctem, mane cola per ſetaceum & doliolo inde, addendo fermenti alæ rec. ℔i. & ſinatur fermentari antequam lagenis indatur. Singulis lagenis addi poſſunt ℥ii. mellis ſequentis.

♃. Plantag. totius m. ii. bugul. bellid. ſcabioſ. agrimon. an. m. i. ſummit. caprifol. m. ß. Coq. in aq. hord. q. ſ. coloratæ clarificat. ad- de mell. opt. ℔iiii. coq. & deſpuma clarificando donec iterum ad mellis conſiſtentiam reducatur.

Horâ ſomni Bolus ſequens exhiberi poteſt.

♃. Conſ. roſ. rub. cum ſp. vitrioli acidulat. ʒß. confect. Alkerm. ℈ß. magiſt. perlar. lap. bezoar. orient. an. gr. vi. Mſ. f. Bolus. Si dolores urgeant, addatur aliquid laudani.

Purgetur aliquoties Potione ſequenti.

♃. Raſur. lign. ſanct. nig. ʒi. veronic. mar. ſcabioſ. an. p. i. flor. cord. p. ii. trag. commun. ℈iv. crem. tart. ʒi. fol. ſen. mund. vin. alb. irrorat. ʒiii. Coq. & ſeorſim. infund. rhabarb. ʒiß. in aq. card. bened. ſucc. limon. acidulat. addit. ſantal. citrin. ʒß. reducantur ad doſin debitam, addendo ſyr. noſtr. cathol. ℥i. Mſ. f. Potio mane ſumenda.

♃. Tereb. Cypr. & Venet. vin. alb. coctura induratæ. an. ℥i. ocul. cancr. præp. ℥ß. gummi. guajac. junip. an. ʒiii. oliban. myrrh. maſtich. an. ℥ß. croc. ʒi. camph. gr. xxx. pulv. glycyrrhiz. ʒii. balſam. Peruv. nig. q. ſ. f. Maſſa pilularis, & ex ʒi. pil. vi. Sumat. iv. mane & veſperi ſuperbibendo ℥iv. Apozematis ſequentis

♃. Raſur. lign. ſanct. nig. ℥ii. cancror. fluviat. clibano exiccat. & pulv. ʒiii. fol. ſcabioſ. m. i. agrimon. beton. veron. utriuſque, virg. aur. pyrol. bet. rub. perſicar. maculat. caprifol. an. m. ß. roſ. rub. p. iß. flor. ſambuc. p. iii. paſſul. integr. ℥iii Coq. in aq. font. q. ſ. depurando donec liquoris limpidi reſtant ℥xlii. inter depurandum addendo mell. alb. deſpumat. ℥iii. Mſ. f. Apozema pro vi. doſ. bis in die ſumendis.

Si dolores ventris urgeant, f. Fotus ſequens.

℞. Rad. alth. cort. med. fraxin. ulm. an ℥iv. rad. ariſtol. utriuſque bryon. irid. noſtrat. an. ℥ii. polypod. ℥iii. lign. Rhod. ℥iiß. fol. chamæd. chamæm. totius, ſcabioſ. totius, ſambuc. hyperic. centaur. min. eupator. Meſ. & Avicen. an. m. ii. flor. ſambuc. keyr. melilot. an. p. iv. ſem. aniſ. fœnic. an. ℥i. lin. fœnugræc. an. ℥iß. Coq. in aq. font. partibus tribus & unâ vin. alb. generoſ. ſub. finem addendo acet. ſcillit. ℔ß. f. Fotus ventris regioni adhibendus cum ſpongiis eodem intinctis.

Poſt Fotum uſurpetur Linimentum ſequens.

℞. Rad. bryon. utriuſque alth. an. ℥vi. fol. ſambuc. chamæm. agerat. eupator. Avicen. chamæd. hyperic. abſinth. rut. an. m. i. ſcabioſ. tot. m. iv. flor. geniſt. centaur. min. an. p. iv. ſem. lin. ℥i. viticis, ling. avis an. ℥ß. axung. ſuill. rec. ℔ii. vin. alb. generoſ. ℔ii. acet. vin. alb. ℔ß. bulliant ad liquorum conſumptionem & herbarum putrilaginem. Exprime & ex parte puriore f. Linimentum.

Statim poſt fotum detur juſculum ſuprà deſcriptum dilato ad tres horas prandio.

Parti dolenti applicari item poteſt Emplaſtrum de Cicuta cum Ammoniaco. *Theod. de Mayerne Prax. Medicæ lib. 3.*

In Obſtructiones Meſenterii. ℞. Pulp. prun. ʒß. extract. ſenn. ℈i. tartar. chalybeat. gr. xv. olei myrrh. gtt. v. M. f. Bolus.

Vel ℞. Pulp. tamarindor. & prunor. an. ʒß. extr. rhabarb. ℈i. ſal. eſſent. tartar. gr. x. obſtill. àniſi gtt. iii. M. F. bolus.

In India. ♃. Pulp. caſſ. & prunor. an. ʒß. extr. ſenn. & rhabarb. an. ℈i. ſal. cinnam. vitriol. gr. x.

gr. x. o l. ſeu ſal. volat. oleos. radic. cinnam. ſylveſtr. gr. iii. M. F. bolus.

Elixyria. ℞. Elix. propr. ʒi. tinct. tart. eſſent. abſinth. an. ʒß. M. doſ. ℈i. mane & veſperi.

Vel. ℞. Elis propriet. ʒi. ſp. tart. ſulphur eſſent. centaur. min. an. ʒß. M. doſ. à gtt. xv. ad xx.

Seu. ℞. Elix Helmont. ſp. tart. an. ʒß. M. Doſ. gtt. xv.

Pulveres ℞. Sal. eſſent. tart. ℈i. tart. chalyb. ʒß. M. pro unâ doſi.

In India. ℞. Sal. cinnam. vitriol. ſal. volat. oleos. cinnam. ſylveſtr. ℈. p. ol. ſtill. myrrh. gtt. v. M. f. pulvis pro tribus. doſib.

Condita ℞. Conſerv. fumar. ℥ii. extr. card. bened. centaur. min. & abſinth. an. ʒi. ſal. eſſent. tart. tart. chalyb. an. ʒß. elix. balſam ℈ii. ol. ſtill. myrrh. ℈i. M. f. conditum. Doſ. à ʒi. ad ad ʒii. mane.

In India. ℞. Conſerv. abſinth. pontic. & roſar. an. ℥i. ſal. volat. oleos. cinnam ſylveſtr. ℈i. ol. ſtill. myrrh. ʒß. M. f. conditum Doſ. à ʒi. ad ʒii. *Hermann. Nicolaus brimm. Compendii Medico Chymici lib.* ✱

Conſultationes.

Pro Reverenda Monialii Ferarienſi ſcyrro Meſerei correpta.

Corpora quæ ſecundum propriam, & naturalem temperiem ad frigidum, ac humidum inclinant, & quæ diu à morbis, & his ipſis graviſſimis conflictata fuere, tandem, natura à vi morborum illorum veluti victa, ac ſuperata, magis, ac magis morbida fiunt, morboſque frigidos incurrunt; Quod Reverendæ Veſtali, de cujus adverſa valetudine litteræ mihi datæ ſunt, contigiſſe obſervo, cùm enim in litteris illis exactè demonſtratum ſit, temperamentum illud cum habitu mediocri, & colore albido eam nactam, atque poſtea diverſis malis immaniter vexatam fuiſſe, non eſt mirum ſi hoc tempore in tumorem frigidum ſcyrrhoſum ſecundum partem abdominis inferiorem inciderit; cujus ut exactè inſtituatur curatio, vel ſaltem preſervatio, videndum quænam ſedes affecta cujus cenſus ſcyrrhus, & quænam generatio, ac modus generationis illius ſit.

Quod ad ſedem affectam attinet, certè apud me inſignis difficultas ob varietatem partium, quæ in inferiori abdomine exiſtunt, primùm enim cutis membrana carnoſa, ac muſculi. Secundò pars inferior omenti, inteſtina & meſereum. Tertio veſica, uterus vaſa horum deferentia in illo adſunt, quænam harum, & an plures afficiantur decernere veluti (ob ægræ abſentiam) diuinando oportet, quia igitur non audio, tumorem in ſuperficie obſervari, facilè adducor ut credam in partibus illis extimis, primo loco enarratis neque tumorem exiſtere, quod etiam & tumoris mobilitas confirmat; præterea, quoniam tumor, de quo tractatur, inſignis admodum, & durus vehementer proponitur, cujus naturæ tumor in corpore rariori & tenuiori ut eſt omentum nullo modo excitari poteſt, ideo omentum ipſum ſecludo, & eo magis quoniam ſi in parte hac eſſet tumor, præter id quod egregia Monialis detractione viſcerum ad inferiora conquereretur, jugiter ſenſum inſignis ponderis ad pubis regionem haberet, inteſtiniſque primum, deinde veſica compreſſis, actio mingendi aliquo modo vitiaretur; Verùm nec in inteſtinis eſſe malum hoc ex eo convincitur quòd actio inteſtinorum naturalis minimè læſa deprehenditur, ob quod argumentum nec veſicam læſam eſſe ſatis perſpectum eſſe confido, ergo aut uterus, aut meſereum afficitur, atqui uterum non eſſe ſedem mali prædicti, non tantum eo confirmatur quod menſales purgationes de more, & ſecundum naturam procedant, verùm etiam per id, quòd uterus inter inteſtinum rectum, & veſicam ſub oſſe pubis repoſitus, ubi tumet, tactui tumorem ſuum, niſi magnitudine excedat, minimè patefacit, & ſua mole tametſi grandis non ſit perenne deſiderium modò mingendi prout in collum veſicæ incumbit, modò egerendi, qua inteſtinum rectum comprimit; immo ſenſum inſignis ponderis in fundo abdominis parit, quæ cum non proponentur, idcirco uterus videtur ſecludendus; Nec facit illud negotium quod nobilis veſtalis ſingulo menſe menſtruetur, quoniam ſit in extima uteri tunica, non autem interna, quoniam ſi vaſa ſanguinem ſuperfluum ad uterum deferentia æquè tunicam exrernam & internam atingunt, pervaduntque, ergo æquè benè anguſtia vaſorum à tumore inducta cùm in hac, tum in illa tunica ſanguinis illius fluorem ſupprimere poteſt, propterea puto ego, tumorem prædictum attinere ad meſereum, nec enumeratio partium ſufficiens ſola me in hanc ſententiam trahit, ſed etiam quia tumor in profundo exiſtens exterius valdè prominet, ut quaſi ab oſſe pubis, cui hæret ſuſtentetur, & ob id ſenſum gravitatis non inferat, accedit quòd veſtales, ut quæ magis quàm aliæ mulieres in otio degentes, hoc genus mali frequentiſſimè incurrere ſolent, tumoreſque mobiles abſque fœcum excretione vitiata (ſicuti hic non vitiatur) in nulla alia parte quàm in meſereo ſua natura, cùm ob propriam ſubſtantiam, tum ob glandulas quibus eſt refertum ad ſubſcipiendum maximè prono fieri ſolent. Tandem refertur quòd tumor hic modò augetur, modò imminuitur, quod cum accidat ob flatuum, qui elevantur diſſipationem hæcque commodius in meſereo, veluti rariori, & laxiori, quam in uteri tunicis denſioribus, & compactioribus fieri poſſit, ob hanc aliam rationem meſereum, & non uterum affici arbitror.

Scyrrhus autem eſt de genere illegitimorum, quando ſenſus omninò non ſit expers, ſuam verò habuit generationem ex materia craſſa à prædominio viſcida, ac pituitoſa, deinde etiam melancholica, quod non ſolùm ex colore ſubalbido totius, qui ſepè humori tantum ſub cuti exiſtenti atteſtatur, ſed etiam ex habitu & temperie totius ad frigidum inclinante venarumque amplitudine, & nigrore conjicio, pituitamque in ventriculo valdè, ut audio appetente melancholiam in hepate calidiori, ut ſtatus ille venarum, ac ætas ferè quadragenaria (nam octavum ſupra trigeſimum annum ſuæ ætatis agit) humoris melancholici valde ferax apertè demonſtrat, generari pro certo habeo.

Modus

Modus verò generationis fuit quòd humores illi duo tranſmiſſi à propriis ſuæ generationis locis ad meſereum maximè ad ſuſcipiendum paratum, in illoque commixti, ac in ejus propria ſubſtantia, ac glandulis recepti tumorem, & hunc ipſum durum excitarunt, durum quidem non per ſiccationem, nulla enim cauſa tale quid agens præceſſit, ergo & per repletionem à copia humorum factam, & per concretionem à frigiditate non tantùm recipientis, ſed etiam recepti inductam, & hæc de tumore ſint ſatis dicta.

Proponitur & alter affectus illi annexus nimirum febricula quædam, quam & ipſe putridam eſſe, & ex loco tumoris vaporem exuſtum veluti fumum in cor à materia ibidem putredinem aliquam ob obſtructionem nata elevatum, illam aliquotioes excitare ad modum Symptomatis opinor quando nec ob ipſam ſemper decumbere cogatur, ac circuitibus quibuſdam egregiam patientem affligere obſervetur.

Utcumque autem id certiſſimum eſt totum Medici ſtudium eo dirigi oportere ut ventriculus calefiat, jecur refrigeretur, prius obſtructionibus per attenuantia, detergentiaque reſeratis, ac materia impacta per emollientia, diſcutientiaque evacuata, ita tamen ut toti ante hæc omnia provideatur.

Ad quos ſcopos an pervenire liceat nec ne, difficile cognitu non erit ei, qui naturam & conſtitutionem ſcyrrhorum noverit, primum enim ſcyrrhi, qui partes extimas obſident vix aliquando curantur, ergo tantò minùs, qui in viſceribus naſcuntur, nam cum vitia hæc partem veluti emortuam reddant, quia nimirum calor, ac ſpiritus vitalis ob denſationem partis, ac vaſorum anguſtiam non ſuſcipiuntur, quis non videt medicamenta parti illi applicita nil poſſe agere ut eam vivificent? quod cùm maximè ſcyrrhis exquiſitis, minus illegitimis accidat, propterea illi omninò incurabiles à Galeno conſtituuntur, hi verò aliquando vix curantur, vel potius imminuuntur, ut homo diu vivere poſſit, & eò magis, ſi ſint inſtabiles, & aliquando augeantur, aliquando decreſcant, qualis eſt ſcyrrhus, qui tractatur, tantoque magis ſpes præſervationis ſubeſt, quod in ejus conſtitutione pituita perdominatur, nec valdè diſſimilis eſt parti laboranti, qua ratione homines minus ſub morbis periclitari ſcripſit Hippoc. illud tamen non eſt negandum, ac hiſce malis & hydropem, ac cancerosum ulcus ſuborta putredine imminere, ut propterea maxima diligentia in contrectando ſcyrrho hoc ſit adhibenda.

Quare de materiis Chirurgicis ita cenſeo, ut ſicuti ab omni ſanguinis miſſione abſtinendum, ita ad fonticulos femoribus ſecundum partem domeſticam infixos devenendum, nam quantum ad ſanguinis miſſionem attinet, quoniam ſcopi mittendi, ſanguinem ferè nulli occurrunt, ideo illa non videtur opportuna, nec etiam à venis ani, quoniam hæc menſes ab utero derivare, atque ipſos quoquo pacto impedire ſolet, quare ſi aliquid eſt quod poſſet Medico aliquam ſanguinis miſſionem vel ex brachio longè à tempore menſium, vel ex talo ſuadere; hoc maximè eſſet jecoris aliquis fervor merito cujus eventativam aliquam ſanguinis evacuationem fieri poſſe nemo negabit; quoad fonticulos certo ſcio continuò illos à parte laborante materiam noxiam derivare, ac totum ferè ab omni cacochimia expiare; frictiones quoque cùm ſiccas tum humidas cum oleo decoctionis radicum cucumeris agreſtis longo tempore ſcyrrhoſæ parti adhibitas approbo.

Medicamenta primum totius occurrunt, quocirca pro alvo lenienda mel roſatum ſolutivum cum ſyrupo de polypodio magiſtrali, pro humoribus præparandis, decoctum betonicæ, fœniculi, lupulorum, bugloſſi, meliſſæ, & cicoraceorum cum oxymell. ſimplici, pro eiſdem humoribus deturbandis infuſum agarici, & ſenæ cum melle roſato ſolutivo, vel Catapotia de tribus cum Rhabarbaro, adjecto pulvere epythimi ſeligantur, Atque pro evacuatione inſenſibili præter antidotum utramque magnam aliquoties devoratam, decocta guajaci, ſalſæ & Chinæ cum aliquot emollientibus, uti Althea & liquiritia huc referantur, decocta eò magis proderunt, ſi ante ſyrupum matutinum bolus ex ammoniaco ac ſale theriacali cum lacryma therebinti Cyprii exceptis devoretur.

Poſt hæc de medicamentis privatis agendum, ego pro obſtructionibus auferendis laudo vel oxymel ex decocto radicum aperientium, liquiritiæ, Altheæ, ligni ſaſſafras, Chinæ, cuſcutæ, agrimonii, capil. ven. rec. betonicæ, cicorii, ſonchi boraginis, lupulorum, aſari, artemiſiæ, paſſularum, & coriandrorum preparatorum in aqua pluries chalybeata parato, vel jus galli duorum annorum circiter, aut columbi turriti in quorum ventre ſimplicia nunc commemorata ſint incocta, immo verò jura hæc vices quoque decoctorum paulo ſupra propoſitorum, ſi illis eadem medicamenta nunc dicta immiſceantur ſupplere poterunt, atque illi bolo ex ammoniaco, & ſale theriacali chalybem preparatum addere licebit.

Pro evacuatione materiæ tumoris impactæ topica uſurpanda, ideo præter ceratum Diachilon gummarum cum portione cerati ſacri, tria potiſſimum medicamenta probo. Primum eſt ceratum factum ex cremore radicum cucumeris agreſtis, ammoniaco, pulvere Sabinæ, ac utriuſque hellebori, & ſucco, pulvereque Tabacci; Alterum eſt, ſtillicidium factum cum oleo decoctionis tum radicum Altheæ, malvarum, peucedani, & cucumeris agreſtis, tum foliorum Diptami Cretici, thymi, & calamintæ, tandemque ligni guajaci, facta ebullitione in duplici vaſe cum modico vini odorati ad conſumptionem ejuſdem vini, à quo ſtillicidio ſtatim admovendum Cataplaſma factum ex duabus partibus emplaſtri de baccis lauri, una amplaſtri de meliloto, & media fermenti acerrimi cum caricis aliquot, exceptis omnibus aceto ſcyllino; Poſtremum eſt ſuffumigium factum ex decocto in aceto & vino anethi, camomeli, fœnu græci, ſeminum lini, meliloti, abròtani, maluarum, Altheæ, origani, calamintæ, Diptami Cretici, Aſari, Sabinæ, artemiſiæ, hyſopi, Tabacci, betonicæ, radicum filicis utriuſque hellebori, & collocyntidis, ea tamen ratione, ut dum adhibetur ſuffumigium; lapis pyrites, vel molaris

molaris ignitus pluries in decocto prædicto extinguatur, quod medicamentum adhibeatur autem, ſi veſtalis nobilis prona ſuper tabulam ita perforatam ut ſcyrrhus extra foramen extuberet ſituetur, ac tabulæ circumponantur panni, ut totus fumus ſcyrrhum petat.

Tandem pro tollendis intemperantiis viſcerum, atque primum ventriculi, nil habeo quod proponam, quando ſciam, pharmaca interna jam propoſita ad id conducere, ſolum id dicam, quod poſtulante uſu non erit inutile exterius medicamentum aliquod ſtomaticum calfaciens ſub forma vel ſtillicidii, vel cerati adhibere, pro ſtillicidio autem Tertuccianam aquam infuſionis ſolius mentæ, & pro cerato quod ex gummi tachamacha cum ſucco abſinthii concreto, & extracto ipſius maſtiche inter alia ſeligo & probo. Pro jecoris intemperie ſuccus cicoraceorum, & hepaticæ aſſumptus, atque hypochondrio dextro admotus maximè arridet.

De victu nil ferè dico, quoniam abundè, & exactè litteræ mihi datæ melius quam à me nunc proponi poſſit, ipſum continet, id tamen non ſubticebo, & pulverem coctilem ex agallocho, croco modico, pane biſcocto, & ſaccharo paratum, cibariiſque inſperſum, & vinum tenue, album cum auratum, vel chalybeatum, tum cum China, radicibuſque bugloſſi medicatum magnopere probari. Deus Optimus Maximus hæc omnia ſalutaria nobili veſtali reddat. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicis.*

Obſervationes.

De Meſenterii abſceſſu.

Juvenis quidam alvi torminibus vexabatur: inque dies magis magiſque dolor vim capiebat: tantumque aberat ut hujuſmodi doloris abditæ cauſæ comprehendi poſſent, ut nunquam ullis præſidiis tolli, aut ſaltem levari hoc malum potuerit: omnia enim viſcera ſana videbantur, jecur, lien, & inteſtina omnia nullam doloris notam oſtendebant; ſed ille nihilominus, magis magiſque indies, quam ut tolerari poſſet, urgente dolore ipſo, tandem è vita diſceſſit: quare mortui corpore inciſo, ut ſcilicet tanti mali cauſas dignoſceremus, & ſanis omnibus, ut putabamus, inventis viſceribus, jubeo inteſtina amoveri: quæ dum gladio diſcindit miniſter, in abſceſſum magnum incurrit: quo præciſo, materia multa nigrior fœtenſque profluxit, encauſto ſutorio ſimilis: ex quo manifeſtam ejus mortis cauſam deprehendimus, atra enim bilis eò confluens hujuſmodi abſceſſum paulatim effecerat. *Antonius Benevenius. cap. 33. lib. De abditis morborum & ſanationum cauſis.*

Vir quidam febre valida correptus cum vomitu, decimo quarto die tranſacto in alvi cruentam excretionem devenit, ita ut ſanguinem nigerrimum corruptum peſſimè olentem ad quindecim librarum pondus excerneret, unde animi deliquio correptus omnes eum proximè moriturum exiſtimavimus: nihilominus cibis per intervalla optimis refectus vires reſumpſit, ita, ut etſi febre continua, licet non ita intenſa & uniformi, continuo vexaretur, nihilominus ſuæ ſalutis ſpem nobis præberet; ſed tamen cum quotidie fæces conſperſas ſanguinolenta ſanioſaque materia excerneret, indieſque magis, ac magis emaciaretur, infinitis propemodum præſidiis adhibitis (nam ſeptem Medici illius curæ incumbebamus) ſexageſimo tertio die (proh dolor) occubuit, cum tamen poſtremis diebus ingens urinæ profluvium ſuperveniſſet, ita ut quinque libras urinæ & amplius quotidie per plures dies extramitteret. Cadaver diſſectum fuit, ut tanti mali cauſa innoteſceret, atque in meſenterio, in parte ſuperiori, ulcus ſordidum ad ſpithamæ longitudinem adinventum; unde ea in parte collectum abſceſſum conjecimus, illoque diſrupto putridum ſanguinem ea in copia profluxiſſe non dubitavimus: ſed quod mirum eſt, nunquam antea per totum ægritudinis tractum, præterquam extremo die, quo illi venter intumuit, de illius partis dolore conqueſtus eſt. *Marcellus Donatus. lib. 4. Hiſtor. munic. mirab. cap. 7.*

Novimus nos quandam, cui inflammatio in meſenterio nata fuit, & initio malè habuit, ſed poſteaquam inflammatio ſuppurata & in abſceſſum converſa, melius habens, ſana ſibi viſa eſt: interim ſingulis diebus per anum bis terve purulenta, admodum fœtida, ſincera, nulliſque excrementis permixta redduntur, & quidem nunc quartus agitur annus à quo ſic ſe habet. *Rembertus Dodonæus. annotat. ad cap. 33. libri Benevenii. De abditis morborum cauſis.*

MICTIO ac eam attinentes MORBI.
Vid.
URINAM SPECTANTES MORBI.

MISERERE
Vid.
ILEUS.

MIRACHIALIS MORBUS
Vid.
AFFECTIO HYPOCHONDRIACA.

MOLA.

De Molâ ſic paucis Clariſſim. juxtà ac Nobiliſſim. Dom. Fredericus Kuyſchius in Obſervationum ſuarum Anatomico-Chirurgicarum Centuriâ. Mola dicitur caro deformis oſſibus deſtituta, & ex imperfectâ aut malâ conceptione generata. Quod, ſi verum ſit, mirari ſubit ejuſmodi molas à virginibus (aut ſaltem de quibus nulla alia ſuſpicio erat) fuiſſe excluſas. Vetulas Viris non utentes aliquando in lucem expoſuiſſe tales molas, obſervavi. Sæpiſſime in abortu, fætu enixô, remanet per aliquot ſeptimanas, imò menſes, placentula, quæ à compreſſione uteri non ſolùm uteri figuram adipiſcitur, verùm etiam ſæpius ita induratur, ut carnis ſubſtantiam duritie longè ſuperet, & pro molâ habeatur. Jam à viginti annis Nobiliſsimi & Ampliſsimi D. Conſules & Scabini, ad ulteriora infortunia (de quibus

multæ audiebantur querelæ) vitanda, circa obſtetricationem, injunxerunt Collegio Medico & mihi, ut omnes, quotquot eſſent Amſtelodami, Obſtetrices examinaremus; quarum numerus haud erat exiguus; haſce ferè omnes interrogavi, quid circa molas obſervaſſent? Nulla verò earum, nobis vel aliquid potuit revelare, unanimiter dicentes, ſeſe quidem corpuſcula carnoſa & dura offendiſſe, quæ è mulierum corpore erant excluſa, aſt verò nunquam viventia, ſicut nonnulli credidere. Aliquando utero expelluntur Sarcomata, quæ pro molis habentur; Sarcomata, inquam, quia præter carnem nihil in iis deprehendi. Ejuſmodi excreſcentias uterinas per pedunculum utero adhærentes obſervavi in ipſô uterô, dum mulieres in partus laboribus eſſent. Illud verò neutiquam mirandum, quandoquidem in ipſô etiam ſtomachô & veſicâ urinariâ ejuſmodi corpuſcula excreſcere obſervavi. Itaque veroſimile admodum eſt, molas ita decantatas nihil aliud eſſe quàm ejuſmodi carnoſas uteri excreſcentias, aut placentulas retentas, & ab uterô, uti ſuprà innui, compreſſas; neutiquam verò è malâ conceptione ortas.

Hactenus Celeberrimus Auctor, cujus mentem non parum confirmant tum Excreſcentiæ Carneæ ab uterô inverſô ruſticæ quinquagenariæ ſuperioris cujuſdam Turgoviæ pagi incolæ, ac non ſine ejuſdem Ægræ obitu à Nobiliſſimâ Matronâ Sangallenſi, avulſæ, fuſéque à Clariſſ. D. Joh. Jacobô Harderô, è Celeberrimi D. Theodori Zvvingeri doctâ enarratione, ad Clar. D. Georgium Wolffgangum Wedelium, in Miſcellaneorum Curioſorum Decuriæ Secundæ Anno 2. deſcriptæ. Tum & aliæ multæ moles carneæ ex uteris virginalibus excidentes, quales paſſim apud Autores reperire eſt. Sic etiam nos in virginibus & in viduis probatiſſimæ caſtitatis, hæc ſarcomata genita, ac quandoque excluſa, quandoque verò mortis cauſas, fuiſſe non ſemel vidimus. De aliis innumeris molis, iiſque oſſeis, membranaceis, veſicularibus, volatilibus, necnon de molis inter excidendum trepidantibus ac variorum animalium figuram ruditer exprimentibus, non pauca apud rerum mirabilium ſcriptores, hicque etiam quædam ſelectiora in ſequentibus, ut omnibus ſic ſatisfieri noſtrô opere poſſit, habebuntur. Præmittemus tantùm *Obſervationibus* rarioribus *Curationes* ac *Conſultationes* aliquas.

Curationes.

Obſervandum eſt maximè antequam ad indicationes procedatur, an mola ſit conjuncta cum fætu perfectô, an verò ſit ſine eô. Si eſt cum fætu perfectô, nihil temerè agendum eſt, ſed hujus naturalis excluſio expectanda, quoniam tunc ſimul ut plurimum ejicitur mola, aut ſi præter ſpem retineatur, tunc demùm vel manu Chirurgicâ, vel ope Pharmaceuticâ extrahenda, aut expellenda erit.

Quòd ſi ſine ullâ fætus ſuſpicione adſit, id quod in primis fit, ſi ſcilicet ultra decem menſes, aut ultra annum integrum in uterô perſiſtat, tunc opera danda ut quantocyus ejiciatur.

In quem ſcopum omnia fortiora menſes moventia, & partum difficilem accelerantia, ac denique omnia fætum mortuum ejicientia, in uſum vocanda.

His præmittenda ſubinde balnea, fomenta, inunctiones, injectiones clyſmaticæ, & ſimiles ex emollientibus paratæ; quæ vias laxent, uterum ejuſque fibras, ac ambientes membranas tractabiliores & diſtentioni aptiores reddant.

Præparatis ſic viis, conveniunt fortiora purgantia, quæ, uti notum eſt, ſimul potenter uterum ſtimulant: qualia ſunt, pilul. fætidæ, pilul. de hierâ cum colocynthide, aut ejus extract. ſpecies diaturbith. cum Rhabarb. decoct. Senn. pulegii, Sabin. in ſerô lactis ad aliquot dies hauſtum, quô ipſô Rulandus aliquot molas ejecit: Item extract. hellebor. extract. è trochiſc. alhandal, & ſimilia draſticotera internè uſurpanda. His interdum per vomitoria feruntur ſuppetiæ; cùm vomitoria potentia ſint ad excludenda in uterô contenta; ſive ſint antimonialia, quæ ſanè optima; ſive ſint vitriolata, ſal vitrioli vomitivum, &c. quæ minùs commoda. His ſubinde addenda quæ pellunt fætum, menſes & ſimilia, in primis ex ſabinâ, bryoniâ, gentianâ, aſarô, anethô & ſimilibus; ex baccis itidem juniperi, ex ſemine nigellæ, ciceribus & aliis, quibus commodè cinnamomum, ac ejuſdem aqua ſpirituoſa, ſeu tinctura, aliaque ex cinnamomô ac canellâ remedia adduntur. Nam hæc potentia ſunt ad promovendam ex uterô excretionem. Oleum deſtill. Sabinæ cum ol. ſtill. caryophyllor. in eleoſaccharum reducta, ac diutiùs continuata ſtimulum potentem inferunt. Vel fiat pulvis ex borrace, myrrhâ, caſtoreô & ſale volatili ſuccini, de quo pulvere ℥ß. in aquâ cinnamom. quotidie ſemel aut bis repetitis vicibus aſſumatur. Præ reliquis experimentum eſt pulvis ſecundinæ blandô igne exſiccatæ ad ℨj. in aquâ cinnamom. propinatus; & hoc eſt experimentum Hartmanni, commendatum inſigniter Lindano, & adhuc uſitatum Sylvio. Singularis eſt hæc ſecundina ad præternaturalia ex uterô pellenda. Aut fiant pilulæ ex trochiſcor. de myrrhâ ℨj. Euphorbii, gr. iij. cum Syrup. de arthemiſiâ, quæ pro 3. doſibus, tres dies ſucceſſivè hauriantur: nam & hæ potenter expellunt.

Hiſce internis ſimul addantur externa: quorum operatio non mediocriter juvatur, ſi mulier ſimul motu, aut ſaltu, ſimilive exercitiô corpus agitet. Externè ergo præter clyſteres emollientes in principiô præmittendos, clyſteres acres & fortiter ſtimulantes injiciendi, imprimis ex pulegiô, matricariâ, ſabinâ, pulpâ colocynth. in nodulô ligatâ, ac ſimilibus. Item fiant injectiones uterinæ ex decoctô arthemiſiæ & ſabin. an. ℨix. in quibus addantur myrrh. & ſagapeni an. ℈ii. ad ℨi. cum caſtorei ℈i. quæ miſta per metronchytam, ut vocant, injiciantur in vaginam uteri. Condantur item peſſi acuti ex galbani ℥ii. cum hellebor. alb. ℨii. qui violentur ſtimulant. fiat item ſuffitus ex ſcoriis reguli antimonialis martial. item ex decoctô ſabinæ & colocinth. cum cinnam. galangâ & macere ſuffitus ex ane-

anethô & cuminô ad deſperatam molam commendatur à Corberô.

Super pubem & uteri regionem, præmiſſis inunctionibus ex emollientibus, fiant litus cum oleô diacolocynth. vel cheirinô & anethinô, additis parcis guttis olei deſtillati ſuccini. Emplaſtrum denique ex fimô bovillô pectini impoſitum, ſeu proficuum remedium commendatur à Foreſtô lib. 28. Obſerv. 61. His ipſis opera danda ut ſtimulatâ naturâ ejiciatur mola.

Quod ſi non fiat, ad manualem chirurgi operam confugiendum erit ſpeculum uterinum applicandum vaginæ uteri, & orificium internum dilatandum, ac vel manu, vel inſtrumentis mola extrahenda. Enchiriſes pro tali operatione videatis in Hildani Cent. 2. Obſerv. 52. item in ejuſdem epiſtolis.

Extractâ molâ, quacunque ratione ſubſequens hæmorrhagia, more conſuetô in nimiis uteri hæmorrhagiis, erit compeſcenda. *Michael Ettmullerus in Collegio Practicô.*

Molarum extractio quomodo fiat.

Extractio molæ manu ſi neceſſariò perficienda veniat propter ſui adhæſionem aliaſvè cauſas ea ſic peragitur. Muliere eodem in ſitu collocata, qui pro fœtus mortui extractione quàm maximè conveniens eſt, Chirurgus manum in uterum inſinuabit poſtquam ejus orificium, per introductos paulatim, unumque poſt alium, digitos, oleo, vel adipibus probè inunctos, ſatis fuerit dilatatum, molamque foras extrahet; quòd ſi tam magna fuerit, ut integra commodè exire nequeat, (quod tamen rarum eſt, quandoquidem illa eſt corpus molle viis ſe faciliùs accommodans quàm ipſe fætus) adhibebitur hamus, aut cultellus, pro ea vel extrahenda, vel in duas pluresvè particulas, prout id neceſſitas exegerit, diſpeſcenda. Si Chirurgus eam utero adherere agnoſcat, ſeparationem apicè digitorum quàm blandè fieri poterit inſtituet, eos per illud latus quô minùs utero adhæret ſenſim inſinuando, eademque ratione pergendo, donec tota ſit ſeparata, advertendo interim, ne aliquid ſubſtantiæ ipſius uteri vel lædatur, vel laceretur. Atque hæc pauca circa operationem in molâ remediis non cedente, dicta, jam ſufficiant.

Conſultationes.

De Molâ & Fluore uterinô.

Nobilis mulier querebatur de Molâ, & uterinô profluviô, ut nulla eſſet conceptus ſpes. Hæc ſunt præſcripta.

Molæ & uterini profluvii tam frequentis, cauſa videtur nimia ſanguinis humidioris copia, quâ ſemen & ejus vis prolifica obruitur Indiciô ſunt menſtrua copioſiora, & à molæ excretione, tanquam puerperia, per menſem integrum, eôque amplius fluentia. Itaque corpus ſiccabitur victus ratione, medicamentis, & iis quæ provocant urinas & ſudores, corporis exercitatione, fame, pauciore victu, & juſculorum abſtinentiâ. Particulatim verò ſiccandus uterus, tum fotu, tum ceratis, quæ eam vim habent; nec menſes interim movendi. vere & autumnô utetur decoctô radic. chineæ. Aliquando è baſilicâ ſanguis parcius adimetur. Si verò humidiore temperamentô videbitur, ſemenque habere humidius, eâdem ratione victus utetur. Parcior ſit venus, quâ tamen commode utetur tribus aut quatuor diebus à menſium eruptione. *Gulielm. Baltonius Conſiliorum Medicinalium lib. 1.*

De Molâ, Gravitate lumborum, Maculis, Inappetentia, Nauſea, & vomitu. Pro Nobili Matrona.

Quanquam difficillimum cenſeam de affectu Nobilis patientis certi quicquam ſtatuere, quæ ad nonum uſque menſem non obſcura legitimæ prægnationis præbens indicia vigeſimum tamen attigit, juſtum ejus tempus prætergreſſa: vitioſi tamen conceptus, & molæ ſuſpicionem injicit, non ſine magna ſanguinis pituitoſi, & melancholici copia, in utero coacervati: cùm molas, plures etiam annos geſtari prodiderint Savonarola, Ludovicus Duretus in Coacas, & Ambroſius Paræus in Chirurgia magna. Quam cauſam cenſeo gravis illius doloris ad lumbos, ex uteri pondere ejus ligamenta divellente: necnon macularum lividarum effloreſcentium, à ſanguine melancholico, ſeu ichoroſſa materia in cutem effuſis: tum & gravitatis à cibo, nauſeæ, & vomitus heterogeneæ materiæ, ex conſenſu ventriculi cibum non perfectè elaborantis. Nobilis autem Matronæ floridus color, indicio eſt, omnem vitioſorum humorum colluviem, cùm in utero concludi, tum ad ventriculum confluere, frequenti vomitu expurgandam.

Quæ cùm ita ſe habeant; potiſſimum verò ſi quid certius conſtiterit de uteri oſculo connivente, obſtetricis teſtimonio; omni ſtudio incumbendum, ut aliena hæc materia, quæcunque fuerit, ab uterò exturbetur; attenuantibus, emollientibus, aperientibus, laxantibus, & uteri expultricem irritantibus.

Univerſalis itaque purgatio inſtituenda, non ſolum dejectoriis, ſed & vomitoriis cùm vomitus non rarò vomitum ſanet. Clyſteres quinetiam carminativi, & acres frequenter præſcribendi; non ſine ſanguinis, eductione ex utraque ſaphena per vices; necnon cucurbitulæ ſine ſcarificatione cum multa flamma internis coxis ſæpe affigendæ. A quibus interna, & externa menſes moventia, & quidem validiora ſunt uſurpanda; trochiſci ſcil. de myrrha, de capparibus, & de rhabarbaro: nec non triphera magna, Theriaca, antiqua, & hujuſmodi, cum decoctione artemiſiæ, pulegii, capill. Vener. & ſabinæ: ex quibus herbis vino albo generoſo incoctis paratus fotus ex uſu erit; ut & peſſaria ex matricaria, pulegio, & ſabina; atque ſuffitus ex aromatibus; ac tandem balneum ex matricaria; artemiſia, pulegio, ſabina, florib. chamæmeli & hujuſmodi, cum inunctione ex oleo laurino, rutaceo, liliorum alborum cum aromatibus, moſcho, & ambra.

Exercendum corpus, atque omni ſtudio laxandus, & reſerandus uterus, ac materia

excrementitia in eo redundans evacuanda. Quibus ſperare juvat fore ut priſtinæ valetudini reſtituatur. *Bened. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent.* IV.

De Mola; Uteri inflatione; & Febre. Pro Spectabili Muliere.

Ex enarratis conjectare facile eſt, juvenem hanc, fœcundam alioquin, quatuor abhinc menſibus concepiſſe, intumeſcentibus mammis, ſine ulla prorſus noxa toto quadrimeſtri ſuppreſſionis menſium decurſu: quem tamen conceptum molam potius, quàm legitimum fuiſſe cenſeo, cùm quarto menſe ſævisſimis infimi ventris doloribus excruciata à variorum præſidiorum externo uſu corpus quoddam pilæ inſtar ejecerit cum copioſi ſanguinis profluvio: quæ cauſa fuit, ut labefactato uteri calido innato, & vitioſis humoribus ad eum influentibus, in flatulentum tumorem elevatus ſit, cum rugitu quodam, & vago motu, ad coxas, & dorſum per ejus ligamenta diffuſo; non ſine aliqua humorum in eo concluſorum putredine, quæ vapores in cor exſpirans gravem illam febrem induxit, cum virium languore; non raro quidem eventu; cùm febres ex utero continentes putridæ ſæpius ortum ducant; ob magna vaſa arterioſi, & venoſi generis, quibus perfunditur.

Affectus quidem graviſſimus, & difficillimæ curationis, cujus cauſa quid hactenus præſtitum fuerit cùm nobis non conſtet; quid deinceps facto opus ſit, brevibus attingam.

In quam rem, flatus diſcutiendi; evacuanda minera; præmiſſa humorum vitioſorum attenuatione, inciſione, ac purgatione; cùm univerſali, tum particulari ipſius uteri; non prætermiſſis refrigerantibus, & humectantibus, ratione febris; atque alimentis accommodatis vires foventibus. Quæ præſtabunt remedia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

In Chirurgicis primæ debentur ſanguinis miſſioni ex ſaphena, vel ex vena poplitis, durante menſium ſuppreſſione, vel eorundem ſtillicidio; de quo in morbi hiſtoria: quam non prohibet uteri inflatio: Quanquam enim calidum ejus innatum labe non vacet; calor tamen præter naturam ratione obſtructionum & putredinis acrior ſit; cujus causâ æſtuat quam maxime, ut propterea Gal. exemplo Lib. Cur. per Sang. miſſ. qui venam ſecuit mulieri hydrope laboranti, ex ſuppreſſis menſibus, hæc tundi poſſit in uteri inflatione, citra ullum periculum.

Inſeſſus quinetiam in lixivio, alterato flor. Chamæmel. anetho, pulegio, origano, matricaria, ſabina, mentha, & abſinthio, ex uſu erunt. præmiſſa vero humorum præparatione, & purgatione hactenus fortè inſtituta; tria remediorum genera opportuna cenſeo. Primo quidem Tripheram ſine opio; cum ſpeciebus diarrhodon Abbatis; hauſta ſuper his decoctione ſem. citri contuſorum, cichorii, meliſſæ, capil. Ven. cum quatuor, vel quinque guttulis ſpiritus vitrioli. Aliud eſt decoctum ex radice chinæ, cum modico ſaſſafras, in jure pulli alterati pulegio, borrag. & cichorio; præmiſſa drachma ſem. caſtorei, & trochiſc. de myrrha. Tandem uteri fotus ex vino albo montano iiſdem herbis alterato; vel clyſteres uterini carminativi; applicato Emplaſtro regioni uteri, ex baccis lauri, ſeminibus cumini, & fœniculi contuſis; cum farina fabarum, & oleo liliorum alborum cum aromatibus quæ flatus, & eorum mineram diſcutiant, juxta cum recta victus ratione. *Idem ibidem.*

De Mola. Pro Illuſtriſſima Marchione.

Graviſſima equidem, & perobſcura eſt effluxio, quæ octo abhinc annis Illuſtriſſimam Marchionem affligere cœpit; juvenem alioquin boni habitus, & integra valetudine: cui ut occurramus, duo potiſſimum nobis ſunt inquirenda. Primò quidem, numquid affectio hæc ſit legitimus abortus, formati fœtus; vel molæ potius: tum quæ ſit hujus cauſa. Quòd autem effluxionis potius, quàm abortus nomine cenſenda ſit, ex eo patet, quòd ſex, aut ſeptem diebus à menſtruæ purgationis periodo ſe prodat; cùm tamen fœtus pluribus formetur, ex Ariſt. ſententia, 7. de Generatione Animalium; atque ex morbi hiſtoria conſtet, excretam fuiſſe per vices carnem membranoſam, albicantem, & globoſam; quæ nec divelleretur in aqua, aut ægrè in filamenta diſſolveretur, & dirimeretur, certo molæ indicio, omnis membrorum formæ prorſus expertis: cùm tamen legitimus conceptus potius videri poſſit, quàm mola; quòd hujus cauſa efficiens ſit viri ſemen corruptum, aut invalidum; cujus nullum in Illuſtriſſ. Marchione habemus indicium. Accedit, quòd molam comitatur fames præter naturam, pica ſcil. quæ nulla fuit: adde, quòd mola diutius geſtatur, etiam ultra nonum menſem; cùm hæc effluxio contigerit primis ſtatim conceptionis diebus, ſexta nempe vel ſeptima; niſi quod aliquando in decimumoctavum diem protrahi obſervatum eſt. Quod ſi informis fuit ſine ullo membrorum rudimento, adſcribendum id fuerit brevi temporis ſpatio, quo conceptum ſemen retinetur; quod proinde ejus concretioni ſufficiat, non verò partium conformationi: ut propterea Pſaltria illa ab Hippocr. Lib. de Natura Pueri memorata, quæ ſe concepiſſe ex eo conjectans, quòd à congreſſu ſemen non effluxiſſet, eo ſollicitato ſaltu, & citato motu ſex poſt diebus genituram excuſſit; ab ipſo Hippocr. obſervatam, & expreſſam. Ut ſi quis ovo crudo externam teſtam undique auferat; in quo interna membrana contentus humor pelluceat; ad hunc ferè modum ſe habebat liquor ille; & præterea ruber erat, & rotundus. Conſpiciebantur autem fibræ albæ, & tenues in membrana, cum ſanie craſſa, & rubra contentæ, & ipſa membrana externa parte cruore ſugillatorum inſtar ſuffuſa erat; in cujus medio tenue quiddam extabat, quod mihi umbilicus eſſe videbatur, &c. Ex quibus conſtat, in vero conceptu non ſtatim à principio conſpici aliquam membrorum conformationem. Neque molam hanc eſſe evincit quod ex ſemine virili corrupto producatur; cùm in Illuſtr. Marchione aliqua forſan labe affici poſſit; niſi cum recentioribus ſtatuamus, concreſcere poſſe quandoque carneam hanc molem in mulieribus ſine viri conſuetu-

ſuetudine; ac proinde abſque ulla illius ſeminis noxa: quod Medicorum plerique cenſent. Minus faceſſit negotii, quòd appetitus non fuerit depravatus; cùm à ſuccis corruptis in corpore redundantibus ortum ducat; prout aliquando in legitima prægnatione; qui in Nobiliſſ. Matrona non exuberant. Quod autem mola longo temporis ſpatio quandoque geſſetur, fit ex firmiori ejus nexu cum utero; qui laxior cùm fuerit facili negotio ab irritata expultrice exturbatur: quæ mihi perſuadent, abortum hunc eſſe potius molæ, quam legitimi fœtus; ſi potiſſimùm non abſimilis fuerit illi, qui contingit circa decimum octavum conceptionis diem: quo ſanè temporis ſpatio aliquod partium rudimentum conſequi potuiſſet. Accedit, quod in effluxione illa Pſaltriæ conſpectæ fuerunt fibræ quædam albæ, & craſſæ, cruore craſſo, & rubro perfuſæ; atque & in hujus medio umbilici veſtigia, quæ in hac non fuerunt conſpicua, licet eam præclariſſimi Medici ſæpius ſpatula, aut volſella accuratius rimati ſint: quod tamen penes judicium fuerit Virorum doctiſſimorum, qui Madriti, & Florentiæ eam ſæpius magna diligentia inſpexerunt.

Nec minus in obſcuro latet cauſa hujus affectionis Illuſtriſſ. Matronam continue affligentis à primo legitimo, & maturo partu, novennio abhinc; cùm in muliebre profluvium referri poſſit, à primo illo puerperio in hanc uſque diem ferè continuum, quà ſuppreſſum à menſtruorum periodo, uſu Aquarum Picuncellæ, & facta deterſione materiæ excrementitiæ, recurrit, & adhucnum durat: necnon in ſanguinem uberius manantem, poſt abortum quàm alioquin ex naturæ lege, quolibet menſe: quarum tamen neutram cenſeo eſſe cauſam immediatam: non quidem primam, quòd fluor ille parcior ſemper ſit, & in totum ferè ſubſiſtat: nec alteram; quia non raro accidit, ut ſanguis majori copia, facta conceptione effluat; quam antea; cùm tunc uberius ad uterum influat, formando, & alendo foetui; ut propterea, juxta cum Viris Præclariſſ. non aliam agnoſcam, quàm imbecillitatem retentricis uteri; cùm nulla ſe prodat acrimonia, quæ expultricem irritare poſſit, atque ab omni prorſus motu abſtinuerit Illuſtriſſ. Matrona utero gerens abortus metu. Imbecillitatis vero autor eſt intemperies frigida, & humida ejuſdem uteri laxatis illius ligamentis à continuo muliebri profluvio, modò copioſiori, modò parciori; cùm languidioris ejus caloris indicium præbeat luculentum primus Illuſtriſſ. Matronæ puellæ partus, quæ frequentibus, & graviſſimis epilepticis inſultibus convulſa, ſex poſt menſibus extincta eſt. Retentricis autem uteri imbecillitatem fovere potuerit intempeſtivus veneris uſus, fluentibus adhuc lochiis; quam forſitan auxerunt, cùm frequentes fluxiones, tum continuus ferè proventus ſeroſæ humiditatis in ipſo utero, & venoſo genere, necnon in ventriculo, à quibus in caput exhalantibus, vertigo quædam, & capitis gravitas induci poteſt; prout ab iiſdem in utero concluſis, madet ſemper ejus ſubſtantia, langueſcitque calor nativus; atque infarcta vaſorum oſcula, quæ coryledones Hippocr. lenta, & mucoſa pituita, fœtum præ pondere continere non poſſunt, Hipp. teſtimonio 5. Aph. 45. Quorum cauſa Nobiliſſima Matrona vel non concipit; ex Hipp. 5. Aph. 62. prout contigit triennii ſpatio, à primo legitimo partu; vel conceptus ſaltem excidit ſtatim, qui tamen legitimus non eſt; accedente forſan Illuſtriſſ. Marchionis imbecilliori ſemine.

Ex quibus luce clarius patet, difficillimum fore, ut Illuſtriſſ. Matrona perfectum, & legitimum fœtum ad partus juſtum tempus perducat; cujus tamen aliquam ſpem facit florida ejus ætas, & Illuſtriſſ. Marcionis conſiſtens adhuc; cujus firma corporis conſtitutio.

Age igitur, ac præmiſſa univerſali purgatione accommodatis præparantibus, & purgantibus redundantem pituitam, & ſeroſitatem melancholicam, miſſo in primis ſanguine medio tempore ex vena jecoraria, adhibeantur moderatè calefacientia, & validiora exſiccantia, non ſine aliqua ſubadſtrictione, roborando utero.

Materias remediorum præparantium, & purgantium conſultò prætereo, ut notiſſimas Viris præclariſſimis, affectionis hujus curationi præfectis: niſi quod hiera picra Galeni, majori deterſionis cauſa; & cremor tartari non omninò ſint prætermittenda, atque in purgantibus, miſſis validioribus, inhærendum ſit agarico, ſennæ, & rhabarbaro. Ab hac vero totius accurata purgatione, mihi quam maxime commendatur repetitus decocti uſus ex ligno Indico, & radice chinæ, cum lentiſco, & modico ſaſſafras, parati in jure columbæ turricolæ, additis betonica, ſtœchade, calamentha, & cichorio, miſſis aliis refrigerantibus, cum levi ſudore: cujus ope, ut & purgantium, diureticorum, & frictionum, ſanavit Gal. uxorem Boeti fluore muliebri, graviſſimo, & antiquo laborantem. Quod ſi Illuſtriſſ. Matronæ præſtò eſſent Aquæ Thermales ſulfureæ; Lucenſes ſcil. & potiſſimùm noſtræ aponitanæ, curatio harum uſu abſolvi poſſet, potu, balneo, & inſeſſu; immiſſa pro more in uteri vaginam cannulla illa foraminibus pervia; cujus calorem nativum fovebunt Luta magni balnei D. Petri, aut D. Helenæ ipſius regioni applicita, cùm capſula, ſuppoſito linteo raro, ſemel per diem, horæ ſpatio, & diutius. Quæ quidem præſidia naturalia quibuslibet aliis arte paratis præcellunt; non prætermiſſis conſervis, fomentis, injectionibus, & aliis uteri intemperiem contemperantibus, & adſtringentibus; non tamen frigidioribus, & impenſius adſtringentibus ne ſeroſas, & pituitoſas materias in penitiores ejus partes impingant, immixtis ſemper à proprietate juvantibus.

Quibus reſpondeat recta victus ratio: quam ut notiſſimam brevitatis ſtudio prætermitto. Atque hæc potiora cenſuimus, quibus voti compotes fiant Illuſtriſſ. Conjuges, & optata lætentur prole. Quod facilius continget, ſi Illuſtriſſ. Marchio levem quandam purgationem admiſerit; corroborato calore ejus innato. Succedente verò conceptione, non præter rem cenſerem aliquam ſanguinis miſſionem ex partibus ſuperioribus, antehac adminiſtratam; ea lege ut liberalior ſit per vices, & repetita quolibet octavo, vel decimo die, primò quidem ex jecoraria dextra tum ex ſiniſtra. *Idem ibidem.*

De Mola. Pro Nobili Matrona.

Cum Matrona Nobilis, temperamenti calidi, & humidi, floridi coloris, habitior paulò, ſæpius antehac conceperit ſine ulla noxa, & lacte in mammis; edita quinetiam in lucem ſæpius utriuſque ſexus prole; abortum aliquoties perpeſſa decem abhinc annis concipere deſiit, menſtruis

licet ex naturæ præſcripto ſemper fluentibus; diſcuſſa medicamentorum ope levi quadam duritie octo abhinc menſibus in dextro hypochondrio ſuborta. Decimus quintus vero agitur menſis, cùm menſtrua illi ſubſtiterunt per duos menſes; atque tertio menſe parcius iterū fluxerunt leviter intumeſcente utero; non ſine gravi ſuſpicione prægnationis; cùm potiſſimum majori in dies incremento intumuerit; atque idem motus in ipſo manifeſtus fuerit, quem antehac dum fœtaret percepit; menſibus citra ullam offenſionem ſubſiſtentibus. Quanquam verò ex ſignis quæ ſe produnt, ipſam non concepiſſe conjectari poſſet, quod decem abhinc annis non conceperit, atque menſes hac ætate non fluxerint, qua alioquin ex naturæ lege plerumque ſiſti ſolent, in habitioribus potiſſimum, citra ullum incommodum; contrarium tamen præfata illa accidentia ſuadent; & potiſſimùm quod menſium ſuppreſſio repentina nullum inuexerit ſymptoma; illis parcius fluentibus tertio menſe; ac poſtmodum prorſus ſubſtentibus citra aliquam noxam: quorum cauſa ſtatuendum omnino cenſeo, juxta cum Viro Præclariſſimo, Nobil. Matronam concepiſſe; cùm earum in primis ſuppetant exempla, quæ per decem, & plures annos infœcundæ poſtmodum conceperunt. Numquid verò fœtus, vel mola geſtetur, non abs re hæſit Vir Præclariſſ. nondum exacto decimo menſe prægnationis; cum rarius partus undecimum attingat, quanquam molam potius quàm legitimum fœtum ſtatuendum cenſeam, aut aliud quid præter naturam; cùm ſola hæc tremuli cujuſdam motus autor ſit; vitalis ſcil. atque diutius utero geſtari poſſit, incolumi alioquin muliere, & coloris floridi; in qua pondus ſtante muliere in inguina procumbit: & quæ devolvitur in quodcunque latus decubuerit mulier; doloris cujuſdam lumborum cauſa, ex concitato corporis motu, cùm grandior eſt, ratione ligamentorum ipſius uteri. Cùm autem hujus cauſa ſit ſanguis menſtruus crudior, à ſemine minus elaboratus, facili negotio hac ætate, & temperamento hic ſuccreſcere potuit.

Quæ nonniſi aliquo temporis ſpatio, & magno labore exturbari poterit; cùm potiſſimum uterus facilè ferat ejus conſortium, citra ullum patientis incommodum; cujus cauſa per annos quandoque geſtari conſuevit.

Non tamen ſuperſedendum cenſeo medicis præſidiis, quæ ipſam excutiant; quà irritata uteri expultrice; quà laxata ejuſdem retentrice; cùm periculum alioquin immineat, ne vel putreſcens in utero, febrem, & mortem tandem invehat; vel in ampliorem molem excreſcat non ſine graviorum ſymptomatum metu.

Univerſum itaque corpus acuratè expurgandum; præſcriptis attenuantibus, & incidentibus validioribus; puta oxymel. ſcyll. de hyſſopo, & de artemiſia; cum decoct. pulegii, origani, matricariæ, artemiſiæ, & capill. Vener. quæ excipiant validiora purgantia, pil. ſcil. de hiera cum agarico, & aggregativæ; & demum hieræ magnæ; non omiſſis quandoque vomitoriis validioribus; quandoque verò clyſteribus acribus, ex colocynthide, centaurio, beta, & mercuriali, cum el. de bened. laxativa, melle roſ. ſol. & oleo amygd. atque ſternutamento ſæpius repetito. A quibus, ad validiora interna & externa progrediendum cenſeo. In internis erunt, decoctum paratum ex ciceribus rubris, cinnamomo, amomo, ariſtolochia, ſabina iride, & nepeta, cum melle, tum bolus ex opopanace, ſagapeno, & caſtoreo, addito ſemine dauci, & ſeſeleos, cum aqua meliſſophylli, vel drach. 1. myrrhæ, cum mulſa; & alia hujuſmodi. Externa, ſuffitus aromatum, muliebria ducens; peſſarium item paratum ex Terebinthina, ſtyrace, myrrha, ſabina pulverizata, & melle deſpumato; vel ariſtolochia, abrotanum, ſabina, & ſemen rutæ pulverizatum, & incuſum in ſericea ſindone rariori, peſſarii forma; quod oleo liliorum alborum imbuendum, & in vagina uteri detinendum; fiantque frequentes uteri inunctiones, oleo irino, chamæmelino, & liliaceo; necnon inſeſſus in Aqua communi; cui incoctæ fuerint eædem herbæ, vel hujuſmodi aperientes, & laxantes; injectiones item uterinæ ex iiſdem oleis.

Quibus accedat vehementior corporis motus curru, per loca confragoſa, & aſpera rapidiſſime citato; quò diſruptis molæ ligamentis facilius excutiatur. *Idem ibidem.*

De Pluribus Molis; linguæ Paralyſi, & Cachexia. Pro Illuſtriſſ. Comite.

Portento ſanè ſimile eſt, quod à Viro Præclariſſ. oculata fide nobis narratum Illuſtriſſ. ſcil. Comitem, quadragenariam plures quam centum quinquaginta molas unico partu edidiſſe, variæ quidem figuræ, lacertarum, cochlearum, & cancrorum fluviatilium, non ſine profuſo ſanguinis fluxu. A quibus, linguæ paralyſi correpta eſt, & totius corporis ſtupore; cum cachexia, & muliebri profluvio: quibus adhuc num afficitur, linguæ, & totius corporis motu incolumi; quorum cauſa noſtram implorat opem, quo priſtinam valetudinem conſequatur.

Supponendum itaque, harum Molarum efficientem cauſam non ſolum fuiſſe invalidum virile ſemen: in quod potiſſimum refertur ab Hipp. Ariſt. Gal. & aliis Medicinæ Scriptoribus; ſed & ſanguinem crudiorem, in quadragenaria, temperamenti humidioris redundantem: quem in Virginibus quinetiam, cum muliebri ſemine, ſolam cenſent molarum cauſam plerique Medicinæ Scriptores: quanquam eas vita carere ſine maris ſemine, communi doctiſſimorum Virorum ſententia receptum ſit; niſi ab incubis ortum ducant, quod aliquando contigiſſe prodidit Marcellus Donatus, Lib. 5. de Hiſtoria Medica Mirabili, ſub finem Cap. 25. ubi molas vitæ expertes memorat, à ſolo muliebri ſemine conceptas monſtroſas; & vitales, ex congreſſu genitas. Statuendum propterea, in Matrona Nobiliſſima magnum pituitæ, & ſeroſitatis proventum ſuccreviſſe, ob labefactatum calidum innatū cerebri, jecoris, & ventriculi habitus cachectici, & muliebris profluvii cauſam; cùm cachexia ſit intumeſcentia modò totius corporis; modò faciei tantum, & oculorum; aliquando verò manuum, ac pedum, cum pallore: cujus aliam non agnoſcit cauſam Galenus, quàm ſanguinem crudum, & pituitoſum in imbecillo jecore genitum: quæ proinde vel eſt via ad hydropem, vel ipſius principium. Neque muliebris profluvii alia fuerit cauſa, quàm idem ſanguis crudior, & ſeroſus, ad uterum influens; accedente imbecillitate caloris

loris innati ejuſdem, hujus materiæ feraci; cujus ratione tum muliebre nuncupandum, ex ejus decubitu à toto venoſo genere; tum uterinum, ex eadem in ipſo utero genita. Paralyſis autem linguæ,& totius corporis ſtupor, ortum facile ducere potuit à mœrore concepto ex partubus adeò monſtroſis; juxtà Divini Hippocr. effatum, ſect. 7. Aphoriſm. Quadrag. Quibus derepente lingua fit incontinens; aut pars aliqua corporis attonita ſtupet, eſt ſignum melancholicum; ac proinde ſtatim cedens: quanquam admitti quinetiam poſſit levis obſtructio nervoſæ ſubſtantiæ; quæ veſicantium, aliorumque validiorum revellentium ope facile ceſſit.

Uterque verò priorum affectuum graviſſimus eſt; cùm hydropem minetur; atque curationis difficilis; cùm languidioris calidi innati viſcerum principum ſoboles ſit, in Matrona potiſſimum conſiſtentis ætatis.

His itaque curandis, inhærendum evacuantibus, divertentibus, & roborantibus internis, & externis, ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Diætetico depromptis.

In Chirurgicis, primas obtinent frequentes aſperæ frictiones totius corporis, qua prorſus ratione ipſis uſus fuit Gal. in cura uxoris Boëti muliebri profluvio laborantis, Libro de Præcognitione ad Poſthumum; cùm ſanguinis miſſioni nullus ſit locus, ob ejuſdem profluvium jam memoratum.

Pharmaceutica erunt Attenuantia, Purgantia Diuretica, Sudorifica, & Roborantia; præmiſſis lenientibus manna ſcil. electa, & mechoacan, & exhibitis ſyrupis ex oxymel. ſcyl. ſyr. de hyſſopo, de praſſio, de mentha, & de abſinthio; cum pauco diluto. Purgandi humores pilulis de hiera cum agar. vel de hiera diacolocynthidos; non neglectis levioribus, & validioribus hydragogis; & potiſſimùm elaterio, ad gr. duo, immixto pilulis alephanginis; cum eadem ſit curatio cachexiæ, quæ aſcitis, à qua differt tantum ſecundum magis & minus. Quòd ſi Illuſtr. Matrona vomitum facilem habuerit, non abs re cenſerem illum ſollicitare quandoque radice aſari, floribus geniſtæ; vel hujuſmodi: quippe qui ab utero revellat. A quibus decoctum aliquod præſcribendum ex ligno ſaſſafras, lentiſco. & medulla ligni Indici, cũ radicibus fœniculi, aſparagi, & ruſci; necnon ſeminibus cumini, aniſi. & dauci, mentha, abſinthio, & matricaria; paratum cum gallo juniore ſalito, præmiſſo bolo ex trochiſcis Cypheos, de eupathorio, & terebinthina Cypria. In quibus & diælacca, diacurcuma, & lithoſpermũ erunt ex uſu; illi inſtillatis quinque, aut ſex guttulis ſpir. vitrioli, vel ſpir. ſalis. Cujus uſus erit tres, vel quatuor hebdomadas, ſollicitato ſudore ſemel per diem, doliolis aqua hydrotica fervida repletis; vel etiã pane furfuraceo à furno recenti: atque octavo quolibet die exhibito purgante medicamento, cum victu tenui, & attennante; in quo condiatur panis ſeminibus fœniculi, coriandri præparati, & ameos, & quibuſdam aromatibus. Vinum verò ſit modicè generoſum, tenuis ſubſtantiæ, & montanum; quod interim medicatum parari poterit ex iiſdem, quæ decoctum conſtituunt; quod tota hyeme pro potu erit. Tandem viſceribus principibus corroborandis, magnis antidotis locus erit: Theriacæ ſcil. & Mithridaticæ confectioni, præſcripto victu attenuante, exſiccante, & boni nutrimenti, aromatibus condito: cujus cura penes Viros Præclariſſ. fuerit. *Idem ibidem.*

Ad prohibendum Abortum, ac Molæ generationem, & de aliis Affectibus. Pro Illuſtriſſ. Maria Marſi, Lucenſi. Ad Virum Doctiſſimum Franciſcum Mariam Florentinum, Medicum Lucenſem.

Apollineæ Artis Oraculum conſulentibus fœcundæ prolis causâ à Præclar. Viri ſententia doctrina & uſu Artis præſtantis, qui omnia accidentia accuratiſſime obſervavit, recedendum non cenſeo, atq; enarrata conceptionis vitia in morboſam Nobil. Matronæ conſtitutionem, potius quam Nobilis ejus conjugis affectiones referenda, cùm femella abortu excluſa, impurioris ſanguinis indiciũ præbeat, maturiores verò partus, ab imbecilliori retentrice, ob exuberantem humiditatem ortum ducant, prout exomphalos ille gravis in illorum duobus, atque tertio immaturiori ſubortus, eandem cauſam, juxta cum ſeroſæ materiæ affluxu, agnoſcit. De mola vero gravior occurrit difficultas, numquid ſcil. virilis ſeminis, vel ſanguinis menſtrui vitio producta ſit, cùm divinus Hippocrates juxta cum Peripateticorum Principe, virilis ſeminis labẽ ejus cauſam ſtatuat, dum prodidit, molam fieri, cùm multi menſes exiguum, & morboſum ſemen excipiunt, qui copioſi menſes non ſunt præter naturã, quale ſemen eſt vitioſum: ut propterea hujus cauſa princeps in ſeminis noxam ſit referenda, in qua potiſſimùm vis formatrix viget, quæ in conceptione informis molæ languet omninò, ac proinde in Illuſtr. Viri morboſam diſpoſitionem, quam tamen in Nobili Matrona potius admiſerim, triplicem potiſſimùm ob cauſam: primò quidem, quòd meâ ſententiâ mater in fœtus formatione efficientis quoque rationem obtineat, atque ejus ſemen mixtum cum virili vi formatrice præditũ ſit, hoc indicio, quod filiorum aliqui matri potius ſint ſimiles, quam patri, ac proinde in Nobili Matrona non poſſit eſſe perfectè adeò elaboratum, & ſpiritu vivifico fœcundum. Secunda cauſa eſt, quod licet concedamus non concurrere cum virili ſemine, admitti ſaltem debeat, uterum hoc receptum fovere, & conſervare, qui proinde niſi optima præditus fuerit temperie, quæ in Nob. Matrona deſideratur, vitioſis humoribus redundantibus, facilè virile ſemen corrumpere poſſit, qua prorſus ratione locus conſervat locatum ſecundum naturam conſtitutus; quod viciſſim corrumpit, cùm eſt inquinatus. Tertiò, quia ſi quandoque producitur mola à redundante ſanguine menſtruo; potiori ratione corrumpi poterit ſemen ab eodem craſſo, pituitoſo, & vitioſo: cujus magnus eſt proventus in Nobili Patiente humidioris temperamenti, & coloris pallidi, cum palpebrarum intumeſcentia; cujus ventriculus crudiorum humorum ferax eſt; atque menſtruæ purgationes decolores, & parcæ; quæ antehac palleſcebant: quibus accedunt dolores capitis, & comatoſa affectio, apoplexiæ affinis, quibus laboravit antehac; necnon editæ molæ membranoſæ, quæ pauca carne conſtant; crudiorum humorum, & pituitoſorum indicia, quæ vim ſeminis facilè obruere poſſunt.

Quæ cùm ita ſe habeant atq; fœtus nunquam labe omninò vacuaverint, immaturè proinde editi, aut ſtatim ab ortu extincti, nonniſi multo

labore cauſæ morbificæ jam confirmatæ removeri poterunt: aliqua tamen ſpe concepta, fore ut Medicis præſidiis adeo infringantur, ut fœtus etiam perfectos, ac vitales paritura ſit.

Quod ut conſequamur totum corpus eſt accuratiſſimè expurgandum; caput peculiariter evacuandum; ventriculus à cruditatibus emundandus; ac tandem totum corpus, caput, ventriculus, & uterus omni ſtudio exſiccanda, & moderatè calefacienda; miſſo interea venereo congreſſu, ut & tempore purgationis, Vere ſcil. ne interpellat curationem.

Tunc autem toti accuratius expurgando, ſanguinis nonnihil ex jecoraria mittendum fuerit, longius à menſtruæ purgationis periodo; atque urgente admodum catarrho fonticulus ſiniſtro brachio erit inurendus, quo alioquin ſuperſedendum erit.

In Pharmaceuticis, leniatur alvus electuario lenitivo, cum ſpeciebus hieræ picræ Galeni; necnon familiari uſu pil. maſtichinarum, & ex Aloë ſucco roſarum lota. Primi ſyr. ſine diluto exhibeantur, oxymel. ſcil. ſimplex, ſyrup. de hyſſopo, & de corticibus citri; cum modica emulſione ſeminum citri, per quinque dies circiter à quibus purgentur mox humores electuario lenitivo, diaphœnico, & modico agarico trochiſcato; cum ſpeciebus hieræ Repetenda verò præparatio ſyr. compoſitis, de praſſio, de betonica, & oxymelite compoſitis; atque abſolvenda purgatio pilulis de hiera cum agarico, & aggregativis. Ab his Aqua Tetutaina alternato uſu aliquot dies cum melle roſ. ſol. & cremore tartari, expurgando validius, & detergendo ventriculo maximè commendatur. Caput interim peculiariter expurgandum per nares, & os; paratis turundis ex radice cyclaminis, in nares immittendis; & maſticatoriis, ex maſtiche, ſtaphide agria, pyrethro, & zingibere, cum cera, & ſaccharo. A quorum uſu progrediendum ad alterantia interna, & externa. In internorum cenſu duo mihi maximè commendantur, decoctum ſcil. ex ligno Indico, viſco quercino, & lentiſco, eadem omnium doſi, cum modico ſaſſafras, & herbis cephalicis, ſtomachicis, & uterinis, paratum cum columba turricola; præmiſſo bolo ex triphera, ſucco abſinthii concreto, & ſpeciebus diarrhodon Abb. cum ſyr. de artemeſia; cujus uſus erit viginti, & plures dies, cum blando hypocauſti ſudore. Aliud erit, uſus Aquarum Thermalium ſulphurearum, vel in patria; vel noſtrarum Aponuarum; quarum præſens vis eſt in fœcunditate reparanda; per quindecim dies circiter, ad libras ſex; primò addita quotidie libra, ad duodecim, uſque; imminuta poſtea doſi ad minimam; præmiſſo ſemper ſyr. de artemiſia, de capillo Veneris, cum drach. 1. ſemin. fœniculi pulverizati; ea lege, ut permeent. Tandem hydragogo evacuandæ aquæ; præſcriptis deinde conſervis ſtomacho, & utero dicatis. Externa erunt fomenta ventriculi, & totius ventris inferioris, ex vino generoſo; cui incocta fuerint abſinthium, calamintha, ſcordium, & dictamnus Creticus; addito aceto, & ſale, bis per diem; facta poſtmodum ejus inunctione oleo maſtichino, rutaceo, coſtino, & lentiſcino; non neglectis frequentibus picationibus totius ventris inferioris. Utero vero ſuffitus aromatum, Capiti, pulveres capitales exſiccantes ex uſu erunt: omnium tamen maximè Aquæ Thermales ſulphureæ, & nitroſæ, cùm ſtillicidii formâ capiti, ventriculo, & toti abdomini affuſæ, tum inſeſſu, utero adhibitæ, cannula foraminibus pervia in ejus cervicem immiſſa, non omiſſis à proprietate juvantibus, cum victus ratione, quæ his reſpondeat, exſiccante ſcilicet. Quæ potiſſima habui in ſalutem Illuſtriſſ. Patientis. *Idem ibidem.*

De iiſdem Affectibus. Pro eadem Illuſtriſſima Matrona.

Quæ brevibus enarrata ſunt à Viro Clar. literis ad nos datis meam firmant ſententiam, quòd humiditas exuperans in capite, ventriculo, utero, quinimo in toto corpore Nob. Matronæ cum nativi caloris languore, non ſolum abortuum, molæ, umbilici prominentiæ, & aliorum vitioſorum partuum ſit autor; ſed etiam cachexiæ, fluoris muliebris, iſchiadis, & univerſalis arthritidis, qua diutius atrociſſimè torquetur. Numquid vero quid divinum, & occultum lateat, penes judicium Viri Excellent. fuerit; qui naſcentes affectus accuratius obſervare poterit.

Quicquid tamen fuerit, accommodata remedia, validius exſiccantia, moderatè calefacientia, & à proprietate omnino exigi cenſeo; intermiſſo in primis venereo congreſſu, ne concepto fœtu perfectæ curationi inſtituendæ remoram objiciat: in qua corpus univerſum expurgandum accuratiſſimè, non ſimplici tantum, ſed duplici, & triplici adhibita præparatione, & humorum purgatione, viribus ſemper conſulendo.

In hac vero purgatione ſanguis iterum educendus cùm ex jecoraria, longius à menſium periodo, tum ex ſaphena, ſtatim ab ipſis; atque præter fonticulum brachii ſiniſtri, alter dextro interno femori inurendus erit, niſi aliis remediis adminiſtrandis ceſſerit affectus.

Ab accurata verò totius, & capitis purgatione, nullum remedium accommodatius cenſeo decocto ex ligno Indico, & ſalſa parilla, parato cum columba turricola, ratione ventriculi; ſimpliciſſimo alioquin, quo validius occultos, & refractarios morbos ſuperare poſſit: cujus uſus erit per quadraginta minimùm dies cum victu tenui, pro virium modo, & exſiccante; miſſo vini uſu; cujus loco erit mulſa diluta, parata ex ſuperſtite decocti materia: à quo ſemel, aut bis per diem ſudor eliciendus, pro tolerantia Nob. Patientis; ſubacto pane biſcocto aqua medicata ex eodem ſuperſtite ligno; atque octavo quolibet die exhibito purgante medicamento, cum ſublimato dulci, ad grana 12. per vices, citata in primis alvo vacuis diebus, modò clyſtere epiceraſtico, modò electuario de prunis ſol. modò infuſione ſennæ, in eodem decocto. A quibus, ventriculo, & utero conſulendum erit, ſtillicidio, inſeſſu, fomentis & inunctionibus, Viro doctiſſimo quam notiſſimis, cui ſapienti ſat pauca. *Idem ibidem.*

De Abortibus frequentibus, & Mola, aliiſque gravibus Symptomatibus. Pro Nobili Matrona Lucenſi.

Syndrome malorum à decennio ferè Nobiliſſ. Matronam infeſtantium poſt nuptias, adeò diſertè, & accuratè enarrata fuit à Viro Præclariſſimo, & Artis peritiſſimo, ut eandem repetere ſupervacuum ſit, ac proinde juxtà cum ipſo ſta-

ſtatuendum cenſeam, uterum eſſe partem per ſe, primò, & eſſentialiter affectam, quæ tamen affectionis ſuæ cauſam aliunde derivet, necnon jecur ipſum, cæteras verò partes per conſenſum, ex quorum viſcerum morboſa affectione, omnia poſtmodum emanant ſymptomata. Quæ cauſa forſan fuerit, cur affectus præſentes ſint adeò refractarii, qui invaleſcunt potius Autumno, & Hieme, quam Vere, & Æſtate; quanquam & præſenti anno etiam æſtate Nobil. Matrona gravius illis fuerit conflictata. Uteri autem affectio primo ſemeſtri conjugii ſe prodidit immaturo trium menſium partu, ſive fuerit formatus fœtus ſive mola, quam primo triennio bis excluſit, necnon tumore, & dolore non rarò recurrente in ſiniſtra parte infimi ventris, qua ſiniſtrum uteri cornu, vel etiam teſtis retrahitur. Accedit, quòd menſtruæ purgationes primis annis liberè erumpentes, parciùs poſtmodum fluxerunt, penitus quandoque ſuppreſſæ; necnon, quòd melius habere viſa eſt ab uſu linimenti ex colophonia, & petroleo ventri inferiori, & pubi appliciti; quanquam & progreſſu temporis non fuerit juvamento: quibus adde difficilem reſpirationem, privationem ſenſus & motus; totius corporis convulſivos motus; & dolores capitis lancinantes, deliria, aliaque hujuſmodi ſymptomata, hyſterica plurimùm: quibus cedentibus convaleſcere videntur patientes. Uteri autem affectionem duplicem agnoſcimus, ipſius ſcil. intemperiem calidiorem, cum copioſo ſanguine; qui molæ plerumque eſt cauſa efficiens, juxtà cum corrupto ſemine, dum à calore attractus in carneam molem informem concreſcit, languente facultate ſeminis formatrice; cujus redundantis indicia præbent præteritæ hæmmorrhagiæ diuturnæ, & frequentes. Intemperiem verò memoratam comitantur obſtructiones, pituitoſi ſanguinis ſoboles; qui ibi concluſus, & in vapores converſus, tumorem illum cum dolore excitat, in ilio ſiniſtro conſpicuum. Nec ſolum eſſentialiter laborat uterus, ſed & hepar ſanguinis officina: quæ cauſa fuit cachexiæ à principio morbi, diarrhϾ diuturnæ; ſudoris profuſiſſimi ex balnei uſu, & urinæ potum copia longè ſuperantis. Quanquam verò jecoris intemperies frigida cenſeri poſſit, ex labefactato calido ipſius innato; calida tamen affici potius crediderim, quæ purioris ſanguinis loco ichoroſum gignat; cujus meminit Hippocr. 2. in 6. Epidem. & Gal. in Comm. quòd ſcil. non ſolum ſit tenuis, & aquoſus, ſed virulentæ inſuper, & malignæ cujuſdam qualitatis particeps, ſanguinis potiſſimum melancholici ſoboles: qualis in Nobiliſſima Matrona redundat, hoc indicio, quod ſupra ſexum literarum ſtudio ſit addicta, tum quòd ulcus ſubortum ſit, cum dolore, maculis liveſcentibus, & ſubatris toto corpore effloreſcentibus; necnon quod medica præſidia noxæ potius ſint. Quibus accedunt vigiliæ, & variis phantaſmatibus interruptus ſomnus; de quo tamen certius judicium feret præſens Vir Excell. cui nota eſt intemperies Nobiliſſ. Matronæ, & vitæ ejus ratio antequam nuberet; de quibus nihil mihi conſtat. Hic autem ſanguis melancholicus,& ichoroſus inculcatus & impactus in uteri venis, cum bilioſo potiſſimùm mixtus, fieri non poteſt quin aliis partibus auram veluti quandam veneni participem, putridam, & tetram afflet, convulſivi motus, præfocationis uterinæ, delirii, & omnium malorum autorem; quibus accedunt variæ febres, pro variis humoribus crudis in ventriculo coacervatis, necnon bilioſis, & atrabilaribus à fervido jecore tranſmiſſis. Quibus ita habentibus, facile patet ratio durationis harum affectionum, cùm humor melancholicus in atram bilem faceſſens, vel ad eam vergens ſit omnium contumaciſſimus, ſi accedat in primis hæreditaria diſpoſitio, quam nunc vigere accipimus. Ingraveſcit verò potius Autumno, & hieme, duplicem ob cauſam, primò quidem ob æſtatis præteritæ æſtum, melancholiæ feracem, cujus causâ quartanæ, & alii morbi ex melancholia Autumno frequentius invadunt, tum ob prohibitam eo tempore horum humorum difflationem per inſenſibilem tranſpirationem, occluſis cutis poris.

Ex quibus, horùm affectuum patet eventus, qui difficillimæ erunt curationis, ſi potiſſimum divinum quid ipſis accedat, non ſine ſpe tamen futuræ ſanationis eorum, juxta Hippocratis effatum, Morbi connutriti in ſenecta deſinunt, quorum ſcil. cauſa eſt calida, quæ decurſu temporis langueſcit.

His itaque curandis inhærendum alimentis refrigerantibus, & humectantibus: in quibus lactis uſus mihi maximè commendatur, niſi tenſa fuerint hypochondria. Peregrinationes quinetiam ex uſu erunt, necnon injectiones quædam uterinæ temperatæ, miſſis aliis validioribus præſidiis, præter ſanguinis miſſionem, modò ex ſaphena, modò ex venis ſedalibus, ablegatis omnibus calidioribus exſiccantibus, cùm noxæ illi fuerint. *Idem ibidem.*

Mola Aquoſa, & Menſium imminutio, cum aliis Symptomatibus.

Articulorum dolor, genuum præcipuè, per intervalla ſuccedens, ſtomachi moleſtia pene continua, triſtis, & fere aſſidua capitis ſenſatio, frequens pituitæ vomitus, tum noctu, tum interdiu perturbans, viſcerum inſignis obſtructio, ventris inflatio, cum laterum gravitate, incerti & inordinati Menſtruorum eventus, potiſſimæ ſunt affectiones, à quibus Nobil. Patiens diutius affligatur,& à quibus expediri deſiderans, jam ſexdecim abhinc menſibus Purgationem Patavii primum iniiſſe commemorat: qua nondum abſoluta, neque adhuc obſtructionibus integre everſis, quia Conjugis diſceſſus urgebat, ſine uſu Balnei per aliquot dies diſcedere voluit ac poſtmodum acquieſcens conſilio, ut cum in Patriam rediiſſet opportunis repetitis auxiliis, ad potum aquæ B.V. deveniret, eam per tres tantum dies cœpit aſſumere; ſed quia ob ferveſcentis Solis æſtum longius advecta putruerat, ita ut ori nauſeam,& ſtomacho moleſtiam induceret, ideo ad Nocerianas aquas lubentius confugit; ſed ab his etiam, aliquibus tranſactis diebus abſtinuit; tum quia ad nundinas extra Urbem profecta, domum rediens, è curru dejecta eſt, toto concuſſa corpore, capite præſertim & facie: tunc interim hujus uſum omittere ſatius creditum eſt, tum quia per tres fere menſes, Menſtruis deficientibus, paulatim venter intumeſcebat cum inſigni duritie, circa Uteri regionem præcipuè: frequen-

teꝗ

ter & fere quotidie, antequam è lecto conſurgeret, vel ſtatim ac ſurrexiſſet, vel in prima cibi, aut potus aſſumptione, aquæ plurimum evomebat. Si ſcalas aſcenderet, reſpirandi difficultate & gravitate anhelitus premebatur; aſſiduus renum & laterum dolor vexabat, inſignis appetitus dejectio, mammarum tumor æqualis; optimus atque jucundus faciei, & univerſi corporis color, veræ gravidationis indicia credebantur, & me cautum reddebant, ne id fortaſſe contingeret in remediorum progreſſu, quod de Studioſi & Docti Medici Uxore narrat Zacutus, ibi adducto graviſſimorum Auctorum contextu. Hoc tempore tubercula tam in brachiis, quàm in cruribus eruperunt, quæ ſponte poſtmodum evaneſcendo, maculas & impreſſa in cute veſtigia relinquebant, nec ullo remediorum uſu ad pus unquam deduci potuerunt, ut in aliquibus tentatum eſt: laxa etenim effecta ſolummodo, per inciſionem paucis effuſis ſanguinis guttulis ſanabantur. Prædictorum igitur ſymptomatum cauſa, invaleſcens quotidie prægnationis ſuſpicio, à validiori Curatione animum diu revocavit, qua certo & multiplici affectui proſpicere potuiſſem. Sed has inter anxietates Menſtruorum exitus qui circa finem tertii menſis apparuit, amplius dubitandi anſam eripuit; & ſic impoſterum aliquando alternis Lunationibus, tum magis, tum minus, aliquando nihil per aliquot menſes effluxit, donec poſt varia & aſſidua habita ruri exercitia, poſt frequentes agitationes quibus aut in rheda, aut in ciſio, tota æſtate vagata eſt, tandem Septembris initio, cum per menſem integrum Menſtrua deſtitiſſent, imminente purgationis tempore, aliquot tantum ſanguinis guttas effudit: ſed noctu, dum crederet ab Utero ſanguinem ultra modum erupiſſe, mane maximam puræ aquæ copiam ex ipſo effuſam eſſe comperit (non minus, ac Mulieri à Fernelio memoratæ contigerit) quæ per plures etiam dies paulatim atque guttatim deſtillare non diſiit, donec in præſentiarum atri ac nigerrimi ſanguinis quantitas per tres dies feliciter exiit. Sed recenſitis adhuc perdurantibus affectionibus & earum ſymptomatibus, prout compendiario hucuſque propoſui atque recenſui, cum maxima illi ſit, non tam ſalutis propriæ quàm ſuſcipiendæ Prolis aviditas, ac univerſi corporis, & maxime præſens Uteri ſtatus tam ardue repugnet, Patientis deſiderio & repetitis inſtantiis obſequens, ad Sapientiſſ. tuam Doctrinam, veluti ad Apollinis Aram.

Venimus huc lapſis quæſitum Oracula rebus.

Dum Viri Excellentiſſ. exactiſſima relatio de ſtatu Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. Marchion. ad meas manus pervenit, in mentem venit me eamdem hic Patavii vidiſſe, valetudinariam vitam ducentem, ejuſque abdomen tetigiſſe, obſtructiones in meſenterio potiſſimum, ſed & in cæteris viſceribus continens, cum Menſium imminutione & ſymptomatibus hypochondriacis. Pro quibus debellandis, aut ſaltem magna ex parte imminuendis, fuit inita Purgatio; quæ tamen ob Conjugis ſtatum inſalubrem atque morboſum, periculi plenum, rite & recte expleri non potuit: ideoque mirum non eſt, ſi felicem & optatum finem conſecuti non fuimus, ſed potius ipſius ſtatus in deteriorem lapſus, dum neque iſthic pro corrigenda hepatis, ſanguinis, & renum calida intemperie medicis intentionibus ſatisfactum eſt, & ita pravi ſanguinis apparatus in toto venoſo genere congeſtus fuit, qui ideo faciei & totius corporis colorem non deturpavit, quoniam valida Natura portionem improbiorem aliqua ex parte ad brachia & crura, ſicuti multo magis ad Uterum ipſum depoſuit, quo obſtructo, omnino Menſes ſuppreſſi ſunt, imo corpus ejuſdem repletum, veram conceptionem ſimulavit, quam falſam tandem detexit repentina poſt Menſes aquæ copioſæ profuſio, quæ potius aquoſam molam, quàm Uteri hydropem nobis ſignificaſſe credo: cum mali habitus nullum indicium extiterit, & tumidus tamen fuerit à tua diligenti manu Uterus deprehenſus, & mammæ tumidæ ſine lacte obſervatæ. Egreſſa autem confertim magna ex parte, indeque guttatim paulatimve ipſa aqua à colliquante calore ex cruditatibus antea genita ſanguis Uteri vaſa oſtruens, niger & craſſus apparvit, qui medendi normam nobis inſinuat; quandoquidem omnia mala enarrata omniaque ſymptomata à vitiato ſanguine procedere concludo, huncque à viſcerum intemperie, acquiſita potius, quàm naturali exiſtente, & ab obſtructionibus adaucta; quam facile introducere potuerunt animi pathemata, & fovore aëris iſtius Mantuani lacuſtris qualitas. Idcirco de ſpecie propagenda non eſt quod cogitemus, individuo, viſceribus & Utero male affectis.

Quare omnia agenda, ut voti compotes fiamus, neve Matrona Excell. ad deteriorem ſtatum ducatur. Et quamvis reclamare videatur anni tempus non adeo Purgationibus opportunum, nihilominus quoniam bipartita debet eſſe Curatio, ideo pars una hoc Autumnali tempore perficienda, altera in Ver venturum erit differenda.

In præſens itaque, expeditis primis viis, obſtructionibus reſerandis incumbendum, deinde maſſa ſanguinea purificanda, ut tandem Uteri vaſa aperiri poſſint. Cæteris autem intentionibus Verno venturo tempore erit ſatisfaciendum.

Et ſi de Chirurgicis remediis loquamur, utique neceſſaria erit ex venis ſuperioribus repetita ſanguinis miſſio, ſi prima vice craſſus & niger fuerit inventus, tempus tamen eligendo à menſtruis purgationibus æque diſtans; ex pede vero in præſens aut prorſus omittenda, aut ſaltem, quantum fieri poteſt, differenda, & nonniſi fortaſſe hyſtericis urgentibus præfocationibus eligenda: impura namque exiſtente maſſa ſanguinea, valde ſuſpecta eſt habenda, ne ſanguinis craſſioris major quantitas trahatur ad Uterum, & ita adauctis obſtructionibus, Menſes omnino ſupprimantur.

Pro primis viis expiandis, potio clarif. ex manna, & ſyr. roſ. ſolut præberi & repeti poterit, interpoſita quinque aut ſex dierum humorum præparatione julapio acet. ad ℥.iii. corticibus citri & fruſtulo cinnam. alterato.

Inde ad primas meſenterii obſtructiones deturbandas deveniendum, à valde calefacientibus & exiccantibus abſtinendo; ideo ſucci depur. & per arenam trajecti ex uſu eſſe poterunt cich. borag. & endiv. in decoct. Cichorac. addita malva, in qua diſſolvantur gr. xii. ſalis tart. fixi. Transacta hebdomada, præbeatur minorativum Purgans ex flore caſſ. cum pil. de tribus, cui poſt horam

horam ſuperbibat aut ſerum, aut aquam Nocerianam, & tribus horis ab epota aqua prandeat. Inde ad ulteriores obſtructiones reſerandas ſuccis pariter depur. ex cich. agrim. atque fum ria erit utendum, additis granis tartari vitriol. in decoct. Cichorac. foliis additis cuſcutæ & ſcolopendrii; in quorum uſu 12. aut 15. diebus inſiſtendum, & in horum intermedio atque fine Purgans erit exhibendum, quod præter florem caſſiæ, electuarium de ſucco roſ. & pilul. de tribus contineat, ſemper ſuperpræbendo aut ſerum, aut aquam, ut ſuprà. Et ſi Viro Excell. arrideat uſus ſyrupi Ferneliani in noſtris Conſultationibus deſcripti, dum ab Excell. Patiente facile feratur, optimus erit; facultatem etenim in ſe continebit, non ſolum obſtructiones aperiendi, verum etiam maſſam ſanguineam depurandi.

Tandem Uteri vaſis obſtructis occurrendum erit; & quoniam pars illa longè à ventriculo diſtat, ita ut non adeo facile Aperientia illuc pervenire poſſint, ideo validiora ſunt uſurpanda inter quæ validiſſimum eſt noſtrum circulatum Aperiens, ex ſale Martis, ſale urinæ pueri, & ſale tartari, non ſine magno labore & induſtria Venetiis ad ſignum Sanctæ Margaritæ à D. Hieronymo Rizzeto Pharmacopola Spagirico præparatum. Exhibetur autem quindecim aut viginti diebus ad ℥ß. in cyatho aq. ſtillat. capill. Ven. & artemiſiæ, cui addi poſſunt quoque grana ſalis pariter artemiſiæ.

Hæc ſunt quæ hoc anni tempore etiam frigido adminiſtrari poſſunt, cum humores hujuſmodi, ſicuti quoque partes affectæ, per centrum expurgari expoſtulent; dum interim ventriculo quoque robur aliquod addi poterit, at caute, ne jecur magis magiſque accendatur, exhibendo ſtatim à prandio duo grana maſtiches integra, vel ſalem abſinthii, aut confectionem ex ol. legitimo cinnam. & ſaccharo paratam. De cæteris vero ſuo tempore ſcribendum; ſicut victus rationem ſilentio obvolvendam, Viro Doctiſſ. atque Eruditiſſimo præſcribendam relinquo, & reliqua omnia ſuo prudentiſſimo judicio, non ſolum executioni mandanda, verum & alteranda, & mutanda, ſi ita videbitur, libenter committo. *Raymund. Joh. Fortis Conſultat. & Reſponſion. Medicin. Tom. 2. Cent. 4.*

Molæ cum Melancholica & hypochondriaca affectione.

Illuſtriſſima & Nobiliſſima Comes trigeſimum ſecundum annum agens, temperamenti, à naturæ primordiis totius & jecoris ad calidum & humidum vergentis, olim habitus carnoſi & roſei coloris, nunc vero potius gracilis, floridum tamen colorem ſervans, aromatibus, gingibere præſertim & caryophyllis in pubertate multo tempore abuſa; anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo ventriculi & hypochondriorum doloribus frequenter corripi cœpit, qui ab aſſumpta granatorum tinctura, necnon pulviſculo quodam purgante cedere ſolebant, ſubſequentibus tamen animi paſſionibus, quæ à cauſa quoque externa, à diuturnis nimirum Parentum morboſis affectionibus, magiſque tandem ab obitu eorundem, fomentum, imo incrementum ſuſceperunt, unde gracilior quoque evadere cœpit. Anno ætatis ſuæ vigeſimo ſexto Viro Nobiliſſ. juveni jecoris & renum calidiori intemperie prædito, ſed alioquin ſano, nupſit, & quarto menſe Molam, decimo quarto vero poſt menſe, filium peperit vitalem: ſed poſt ſeptem menſes rurſus Molam edidit; anno vero tranſacto, filium rurſus vitalem concepit ac peperit, in cujus Puerperio de flatuoſitatibus copioſis cum animi deliquiis, ſtomachi faſtidio, evaporationibus in partes ſuperiores conqueri cœpit; quibus cremore tartari, levioribus Purgantibus & acidulis aquis proviſum fuit, exiguo tamen cum levamine. Quarto menſe à partu filii rurſus Molam cæteris minorem perperit: quatuordecim vero diebus à Molæ partu, lac aſininum tres continuos menſes in uſum duxit, & nihilominus circa Solſtitium hyemale flatuoſus affectus valde recruduit, cum capitis imbecillitate, cordis palpitatione, inſigni animi apprehenſione, ſine tamen deliquiis, adeo ut tres continuo menſes decumbere cum fletu & mœrore coacta fuerit: quo tempore frequenter evomebat acida & amara, alvique excrementa flava & nigra obſervabantur. Interim à Clyſteribus nonnihil levabatur; vino chalybeato, ptiſana hordeacea, interdum cum cremore tartari, quandoque tamarindis de more utebatur. Tandem 1671. melius habere ſibi viſa eſt, & filium rurſus peperit, qui ſecundo ſuæ ætatis menſe obiit: Puerperium tamen habuit valde moleſtum, tum ob ſecundinam pluribus horis detentam, tum ob dolorem capitis ſubſecutum. Mox ad uſum decoctionis herbarum & ſpumam chalybis ſeſe contulit, interjecto tamarindorum uſu, quibus fere priſtinæ ſanitati reſtituta viſa fuit. Hoc anno filiam perperit ſanam atque ſuperſtitem, & à partu octo ſeptimanas per Uterum commode expurgata fuit. Omnes tamen jam dicti partus cridones paſſi fuerunt. Dum vero iter longum verſus Italiam facere cœpit, rurſus flatuoſus affectus invaluit, cauſam referente Matrona Nob. in vini potum non conſuetum, dum levi cereviſia in ſua regione pro potibus utebatur; & cum duo menſes ſine menſtrua purgatione præterierint, Patavii tandem levi occaſione fœtum non completum abortivit, convenienti ſubſecuta lochiorum expurgatione. Cum autem me pro ſalute conſuluerint Nobiliſſimi Conjuges, hypochondria manibus diligenter exploravi, & contumaciſſimas atque duriſſimas obſtructiones inveni, non quidem in viſceribus principalibus, jecore nimirum atque liene, ſed fere totum meſenterium occupantes, & profundiores ſub ventriculo in pancreate ſtabulantes percepi.

Quod Matrona hæc Illuſtriſſ. hypochondriaco & melancholico affectu, poſt diuturnum aromatum uſum, & longam, infirmis Parentibus, ac moleſtam aſſiſtentiam, moleſtiſſimam vero afflictionem ob ipſorum ſecutum obitum, correpta fuerit, mirandum non eſt: ſed admiratione potius dignum videtur, quod quindecim annorum ſpatio, quibus hac affectione divexatur, duros tumores præter obſtructiones in viſceribus non contraxerit, & quod Melancholia ad totum venoſum genus ſeſe non inſinuaverit, ſicque Nobil. Mulier ad majorem gracilitatem cum coloris defloratione non devenerit: cujus reſiſtentiæ cauſam in ejuſdem temperamentum ab ortu naturæ calidum & humidum, hilaremque

que naturam magna ex parte referri poſſe puto: quam tamen bonam temperiem à diuturno aromatum uſu, & à motibus animi in calidiorem permutatam fuiſſe non eſt dubitandum, ſicut modo à potu vini hæc caliditas præter naturam foveri & adaugeri obſervatur; & quoniam coctiones tum in ventriculo, tum in jecore non ab exuberanti, ſed à moderato & ſuavi calore naturali, perficiuntur, hinc factum fuit ut cruditates in prima coctione olim generari cœperint, quæ in meſaraicis atque glandulis inſinuatæ ac firmatæ, ab adaucto calore jecoris exiccatæ, in terream tandem, immobilem atque melancholicam naturam converſæ fuerunt; a quibus clauſuris calore adhuc magis adaucto, ſanguis quoque exuſtionem quamdam ſuſcepit: unde flatuoſa non ſolum affectio, ſed melancholica quoque ſubſecuta fuit, flatuoſa primo, quoniam natura, ſive calor naturalis, Naturæ inſtrumentum, nunquam ceſſat in materiam illam præter naturam exiccatam agere; unde flatuoſæ exhalationes, craſſæ nimirum, continuo elevantur, quæ, utpote difficulter ſolubiles, dolores ab initio hypochondriorum, progreſſu vero ſeptum comprimentes, ſpirandi difficultates, & quodammodo ſuffocationes: cor vero & caput petentes palpitationes timores atque mœrores frequenter excitant, dum ab eodem ſanguine exuſto fuliginoſi vapores iidem exhalationibus commiſcentur, & ita melancholica quoque redditur affectio: cujus utriuſque affectionis exiſtentia clare nimis patet: moleſti namque flatus hypochondriacum affectum deſignant, ut propterea flatuoſus ab ipſo Galeno fuerit nuncupatus: ſicut timores atque mœrores in præſens, citra cauſam manifeſtam, melancholici affectus præſentiam demonſtrant. Cur autem melancholicus humor non ultra proceſſerit, nec totum venoſum genus progreſſu temporis inquinaverit, duas alias conſidero cauſas: altera eſt, quod cum ab adaucto calore alimenta in ventriculo non modo imminute concocta, unde Bradypepſia, verum etiam corrupta jam fuerint, unde Dyſpepſia, & olim ventriculi dolores, frequenti tamen vomitu acido atque amaro ejiciebantur, eodemque tempore liquida per alvum deponebantur, & ita à jecore & venis divertebantur. Altera vero & potiſſima cauſa eſt, quod impurus ſanguis copioſus ad Uterum ferebatur, ſicque non ſolum ulterius ſemper menſtrua prodierint, verum & ab ejuſdem copia, & pravitate, virili ſemine ſuffocato, Molæ conceptæ fuerint, quas, ſanguine quodammodo depurato, conceptus vitales ſubſequebantur, & Muſculorum, dum virile ſemen à copia & mala qualitate ſanguinis menſtrui non obrutum, proprias vires conſervare & exerere potuit. Verum quoniam non uſque adeo purus unquam fuit ſanguis ipſe menſtruus, neque muliebre ſemen, hinc fœtus omnes cridonibus infecti & affecti fuerunt, impuri & excrementoſi ſanguinis ad circumferentiam & ignobiliores corporis partes à Natura detruſi argumentum evidentiſſimum.

Non me latet hujuſmodi affectus incurabiles communiter à Medicis exiſtimari & præſertim hunc Matronam Illuſtr. divexantem, primò quia longe diſtat ab ejuſdem propria temperie necnon ab ætate, unde efficacior atque potentior arguitur cauſa; & ſicut non adeo facile introducitur, ita introductus difficulter eximitur; ſecundò quia jam inveteratus Medentis manum reſpuit, ut dicebat Galenus, & Trallianus cum eo. Nihilominus quoniam Nob. Patiens propria & majora nondum remedia experta fuit, & à præſcriptione herbarum & aliorum remediorum refrigerantium à Medico ſuo domeſtico aptiſſime inſtituta, non leve, juvamen ſuſceperat, tum etiam quod ſe obedientem fore pollicetur, cui fides quoque præſtari poteſt, ob perſeverantiam in anteacta victus & remediorum ratione: ideo quamvis non adeo facile, nec unico tractu integra ſalus ſperari poſſit, repetitis tamen congruis ôpportuno tempore Purgationibus, integræ ſanitati reſtitui poſſe non diffido: dum interim à medicis præſidiis, & in præſens, & Vere proximo adminiſtrandis, futuræ ſalutis firmam ſpem concipere poterit.

In hunc igitur finem medicæ intentiones erunt: primas vias mundare. Secundo ſiccas obſtructiones. Humectantibus, Emollientibus & Aperientibus reſerare. Tertiò Humores, eaſdem facientes, ad evacuationem præparatos, Benignis evacuare. Quarto Maſſam ſanguineam quoquo pacto depurare. Quintò Jecoris & hypochondriorum exuberantem calorem contemperare; & tandem flatus emergentes caute diſcutere. Quæ omnia præſtanda ſunt remediis ex Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico fonte depromendis.

Et ex Chirurgico unica deſumenda ſanguinis miſſio ex Jecoraria dextera, tempore intermedio æque diſtanti à præterita & futura menſtrua purgatione; hæc autem præſente Medico molienda erit, ut Galeni monitu ſanguis è vena exiens diligenter obſervetur, qui ſi niger, uberius educatur, imo ſi niger fortaſſe atque craſſus (quod ego non credo) exire perſeveraverit, ultra vii. uncias ſupprimatur, & potius ex altero brachio, duobus aut tribus interjectis diebus, parca eductio repetatur; quod ſi ruber & tenuis in prima miſſione obſervatus fuerit, parcius, & unica vice erit emittendus. De miſſione ſanguinis è venis inferioribus cogitandum non eſt, niſi forſan Menſtrua imminute prodirent. Frequentes tamen pedum lotiones ad vapores ſeptum comprimentes, caputque petentes, retrahendos, prodeſſe poterunt, jejuno tamen ventriculo, tum mane, tum veſperi adminiſtrandæ. Reliqua ex hoc fonte haurienda mox in progreſſu proponam.

Ex Pharmacia præcipua erunt deſúmenda præſidia. Et pro prima explenda intentione Leniens erit flos caſſiæ cum tart. vel ſyrupus roſ. ſol. cum tartaro, quibus jus hordei bibendum ſuperpræbeatur. Inde quinque aut ſex diebus ſubſequentibus Præparans erit hujuſmodi.

♃. Jul. acet. ℥. ii. aq. flor. citr. ℥. i. ß. aq. cinnam. ℥. ß. m. pro ſyr. matutino, & ſic pro alijs quinque; & ſi ægre toleretur ab Illuſtriſſ. Pat. ſubſtituatur cremor tart. ad ℥. ß. addita quoque ſacchari ſemiuncia, & omnia diſſoluantur in jure tenui, fruſtulo cinnam, vel cortice citri alterato. Tranſactis ſex jam dictis diebus, repetatur Leniens ex flore caſſ. elect. lenir. & cremore tart. paratum: vel ſyr. roſ. ſol. repetatur, addita portione mannæ, cremore tart. clariſ. quibus pariter ſuper-

ſuperbibat jus; vel aquam hordeaceam; hæcque prima expurgatio reſpicit humores crudos atque pituitoſos in primis viis exiſtentes; quibus Melancholici abundare ſolent: & ideo jubent Hippocrates, & Galenus cum eo in affectibus melancholicis pituitam ab initio expurgari.

Ita ad ſecundam intentionem iter paratum erit, in qua diutius inſiſtendum, cum eſſe debeat principalis, magiſque cæteris omnibus neceſſarius Medici ſcopus, quoniam inimiciſſimam habemus in caſu noſtro ſiccitatem, inimicam caliditatem, cum ſiccitas à calore humidum conſumente augeatur, & calor cum ſiccitate (quæ lima caloris appellatur) vehementius agat: tota vero Curatio hujus affectus conſiſtat in exſiccatæ materiæ extirpatione, & jecoris atque hypochondriorum exuberantis caloris remiſſione; ideo Nob. Patiens ad uſum ſuccorum depuratorum ducenda erit ita

♃. Succi depur. & per arenam trajecti, endiv. borag. pomorum dulc. an. ℥j. Decoctionis in jure pullæ paratæ, folior. cichorii, malv. viol. ℥v. Salis prunellæ gr. x. m. pro ſyr. & ſic pro aliis ſeptem: quibus aſſumptis, ſumat poſtea

♃. Floris caſſiæ recenter extractæ, elect. lenit. vel diaſebeſten an. ʒv. M. F. Boli, aut maſſa quatuor horis ante prandium ſumenda; ſed poſt horam ſuperbibat ſeri caprini, aut aſinini ℔ij. tribus vero horis ab aſſumpto ſero prandeat. Mox repetat eoſdem ſuccos eodem modo & tempore, & hebdomada tranſacta, rurſus aſſumat idem medicamentum deſcriptum cum ſero; deinde ſequentibus diebus aſſumat ſuccos ita

♃. Succi depurati & per arenam trajecti, cichor. borag. aut endiv. agrim. an. ßj. Salis tartari volatilizati gr. x. decoctionis cichor. borag. endiv. malv. meliſſæ, viol. ℥v. M. pro ſyr. & ſic pro aliis. Sequenti vero die aſſumat

♃. Flor. caſſ. recenter extractæ ʒ ij. Rhab. optimi ℈j. M. F. Boli ſummo mane aſſumendi: tranſacta hora ab aſſumptis bolis, ſuperbibat ſeri caprini, aut aſinini depurat. ℔j. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat. Tertia die reaſſumat ſuccos depur. ut ſupra, & quarto caſſiam cum rhab. & ſero: ſicque alternatim perſeveret ad 20. uſque dies: ita namque maſſa quoque ſanguinea quodammodo depurabitur; ſuccis autem, necnon bolis cum rhab. quotidie ſuperdormire poterit, ſi ſomno indigeat.

His peractis, à ſecunda intentione non adhuc diſcedendum erit, ut ad reliquas explendas pervenire poſſimus; & idcirco tribus diebus ſummo mane aſſumere debet Nobiliſſ. Patiens ſerum caprinum, aut aſininum depuratum ad ℔v. præmiſſo parum ante vehiculo dejectorio ſyrup. roſ. ſolutivi, quod ſerum ſuperbibat jam dicto vehiculo commode, nec affatim, ſed ſpatio horæ dimidiæ, vel paulo plus, & duabus vel tribus horis ab epoto ſero prandeat. Qua ſecuta ablutione & hypochondriorum refrigeratione, ad uſum lactis aſinini ſeſe conferat, quotidie ſummo mane cum ſaccharo, ut moris eſt: cui tamen non ſuperdomiat, ne caput nimium repleatur: pergat autem 15. continuis diebus; & interim toto tempore hujus præſcriptæ Curationis, venter quotidie illiniatur unguento malvino cum medulla crurum vituli, ol. amygdalino reformato. Tranſactis autem 15. lactis diebus, ad Acidulas aſſumendas ſeſe conferat Nobiliſſ. Matrona, primis tribus diebus præmiſſo vehiculo dejectorio mannæ clarificatæ, ſequentibus vero diebus cum vehiculo diuretico; quod eſſe poterit ſpiritus tart. ter rectificatus ad ℈j. vel ad ſemidrachmam in primis cyathis. Dum autem ſumit Acidulas, ventriculus aliquo pacto erit corroborandus; in quem finem ſtatim à prandio deglutiat ſalis abſinthii ℈j. in exiguo vino, ſive cereviſia diſſoluti. Terminato vero Acidularum uſu, rurſus ad uſum lactis aſinini ſeſe conferat, in quo ad 40. dies ſaltem perſiſtat; cum enim tophos etiam emolliendo diſſolvere poſſit, exſiccatas quoque obſtructiones ſuperare valebit. Eodem vero hoc tempore, horis veſpertinis, duabus ſcil. ante cœnam, in Balneum deſcendat aquæ dulcis, foliis malv. viol. & ſalicis alteratæ, quod ſit vix tepidum, nullo modo calidum; & in eodem maneat integra hora. Mox à Balneo inungatur totum corpus oleo amygdalino recenti, venter vero Linimento conſueto; in hujus autem uſu perſeveret ſaltem 20. diebus.

Abſoluto lactis uſu, aliquod ex jam dictis Lenientibus, propinato quoque ſero, ſemel erit præbendum; ſicut etiam decimo quoque die tempore lactis aliqua levis evacuatio procuranda erit: imo ſi Clyſteres non abhorreat, ex lacte, butyro & ſaccharo parati, ventrem laxare, & refrigerare, atque humectare poterunt; ſicque abſoluta Purgatione quies Illuſtr. Matronæ erit permittenda.

Poſtremæ tamen intentioni ut ſatisfaciamus, aliqua flatus diſcutientia non ſunt omittenda, caute tamen in uſum ducenda, exigua nimirum quantitate, & à cibo potius, quàm jejuno ventriculo aſſumenda: horum autem deſcriptiones jam habentur in præteritis meis Commiſſionibus; rotulæ nimirum ex oleo legitimo cinnamomi; aqua totius citri, cum elyxir vitæ; aqua cinnamomi cum theriacali; quibus addo

♃. Olei de cortic. citr. ℈j. Sacchari albi diſſol. cum aq. flor. citri ℥ ij. M. & ad ignem fiant rotulæ S. A.

Item ♃. Pulveris ſaſſafras ʒß. Sacchi. albi diſſol. cum aq. cinnam. ℥ij. M. & ad ignem S. A. fiant rotulæ.

Jam dictis omnibus tandem congrua victus ratio erit addenda, quæ jam in meis præſcriptis exacte fuit inſtituta, ſed exactius adhuc inſtitui poterit à Viro Excellent. Adſtanti, qui propitia fortuna Illuſtr. Patientis, affectum hujuſmodi non adeo apud omnes cognitu facilem, ejuſque cauſas optime cognovit ac penetravit. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Pro Mola.

♃. Aſſ. fœtid. ʒß. Sem. rutæ caſſ. lign. raſ. lapid. dactyl. boracis, an. ʒ1ß. Croci ʒß. Myrrh. theriac. diateſſar. an. ʒj. M. detur ʒj. Cum aqua ſabinæ vel vino rhenenſi, cum hac confectione, quam de aſſa fœtida vocat *Joh. Tiengius*, mulierem curavit à mola quam per annum geſtaverat, & aliam etiam mulierem

eodem medicamento liberavit à fœtu mortuo, exhibendo manè & veſperi ante cibum ad ℨj. donec ab omnibus fœtus partibus fuerit repurgata: aliquando exhibuit cum decocto artemiſ. aliquando cum ſucco verbenæ & praſſii mixto cum vino rhenenſi, modo etiam cum vino decoctionis verbenæ & praſſii, & ſemper (inquit) gratia Dei benè ſucceſſit. *Petrus Foreſtus. Schol. obſervat. 63. lib. 28. De mulierum morbis.*

Ad molam excutiendam, qua laborabat mulier quædam, & ſymptomata alia ſatis exitialia eam inſequi ſolita tollenda, machinor ejuſmodi.

℞. Sabinæ, pulegii fol. ſenæ, an. M ß. Coq. lento igne in ſeri lactis q. ſ. manè & veſperi ex hac infuſione una vice ℥ viii. ebibit calidè.

Poſtridiè præter meam ſpem mola eſt expulſa & à multis graviſſimis accidentibus liberata fœmina. *Martinus Rulandus. Cur. 78. Cent. 6.*

℞. Myrrhæ caſtor, an. ℈j. Sabinæ, boracis, an. ℈j. Fellis bovin. ʒß. Ol. ſuccini, gt. 4. Croci gr. v. cum ſucco ſabinæ F. pilulæ 14. pro duabus doſibus. *Joh. Petrus Lotichius. obſervat. 16. cap. 1. lib. 5.*

De Mola in vidua.

Molam carneam aliquot annis (plus minus quindecim) in utero olim geſtavit honeſta quædam vidua: exiſtimabat uterum prolapſum, quod in oſtio uteri propendere aliquid ſentiret: profluebant ſtatis temporibus menſes, & ſubinde copioſiores quam par erat: tandem quodam tempore, ſupervenientibus nonnullis partus doloribus, rudem excrevit & informem carneam molem, pedem ferè longam, latam ſemipedem, tres quatuorve digitos aliam: ſunt verò & aliæ à recentioribus dictæ molæ, per quas venter diſtenditur non minus quam gravidis: una collectis in utero flatibus; altera aquoſis humoribus uterum implentibus: hanc molæ ſpeciem vidimus nos in vidua quadam, quæ defuncto marito, cum ſe gravidam relictam exiſtimaret, nonis menſibus adimpletis, ſupervenientibus partus doloribus, non niſi aquoſos humores enixa eſt, à quibus liberata, lacte ubera repleta haud aliter, quam ſi fœtum peperiſſet. *Rembertus Dodonæus. lib. obſervat. medicinal. cap. 49.*

De Mola aquoſa, carnea & ventoſa.

Nobilis urbis noſtræ mulier, indubiæ honeſtatis, matrona quinquaginta ſex annos nata, carnoſo ac ſanguineo corporis habitu donata, cum jam per aliquot annos menſtruæ purgationes defeciſſent, molas tandem plures carnoſas edidit, fluentibus velut in naturali partu menſibus copioſè & maximis cum cruciatibus, interpoſito nonnunquam duorum, aliquando trium vel unius menſis ſpatio: diligenterque percontata, ſe nullum ſeminis profluvium in ſomnis, nec ullam oblectationem perpeſſam conſtanter affirmavit: fluebant interim menſes, albi, erant carneæ molæ nonnullæ ad pugni craſſitudinem, aliæ minores, duriſſimæ nonnullæ, aliæ minus duræ.

Jacobus de partibus hiſtoriam refert de mola aquoſa per hæc verba: novi quandam generoſam dominam, quæ ſe prægnantem eſſe credidit, & ita Medici viſitantes eam exiſtimabant: dum venit pariendi tempus, providerat de bona obſtetrice, & compatribus & commatribus: multa aqua prodiit à matrice ipſius; & ſic illo & Medici fuerunt illuſi, & illicò venter penitus detumuit. Molam ventoſam ſe vidiſſe Uliſbonæ in quadam Hebræa teſtatur Valeſcus de Taranta in ſuo Philonio cap. de mola: huic enim, cum ſe prægnantem eſſe exiſtimaret, præparata ſunt omnia, quæ parturienti neceſſaria eſſe conſueverunt, dumque obſtetrices vulvam & uterum pertractarent, tanta ventoſitas ſine alio humore exivit à matrice, ut mirum videri poſſit. *Marcellus Donatus. cap. 25. lib. 4. Hiſt. Med. mirab.*

De Mola comitante fœtum uſque ad ipſius perfectionem, deque ejuſdem Molæ extractione.

Iſabella Macé, filia Antonii Macé, olim apud Genevenſes Pharmacopœi vigilantiſſimi, nunc M. Eliæ Brunier, civis Lauſannenſis uxor, matrona ut ex piis & honeſtiſſimis parentibus oriunda, ſic quoque honeſta ac pia, corpore robuſta ac plethorica. Anno circiter ætatis 34. cum quintò utero geſtaret, ad ſextum uſque menſem continuò, aut ad minimum alternis diebus menſtruis ſatis copioſis, abſque incommodo tamen & virium prolapſu, laborabat. Elapſo ſexto menſe, mox ex toto menſtrua denuò abſque incommodo ſuppreſſa fuerant. 22. Mart. qui finis fuit noni menſis prægnationis, parturientium doloribus correpta, puellam robuſtam & omnibus membris perfectam feliciter peperit, & ſecundinam mox ejecit. Poſt partum, quia duritiem ac pondus in ventre non ſine moleſtia magna preſentiret, alterum utero ſe geſtare fœtum ſibi planè perſuadebat: quod verò obſtetrix diſſuadebat, nec manum ampliùs adhibere volebat. Die 23. & 24. ſatis bene ſe habuit. Sed die 25. correpta eſt febre, vigiliis, & maximis doloribus circa imum ventrem & regionem oſſis ſacri, ſymptomatis ſingulis momentis ingraveſcentibus. Altero die Joachimo Rohaud, apud Lauſannenſes Pharmacopœo vigilantiſſimo, & decumbentis ſororio, Enema injicere, ac poſtridiè corpus leni aliquo medicamento purgare viſum eſt. Verùm injecto clyſtere, & exonerato ventre, cùm ægra denuò de re aliqua ponderoſa circa pudenda conquereretur, me advocandum ſuaſit. Itaque ſequenti die, nempe 27. ad ægram ingreſſus, ipſam febricitantem cum doloribus tum capitis, tum ventris & renum, nauſeâ item, ructibus putridis, vigiliis & inquietudinibus, aliiſque ſymptomatis offendi. Ex quibus facilè mihi conjicere licuit, aut molam, aut ſimile quid in utero remanſiſſe. Primò itaque ſequens exhibui enema:

℞. Radicum altheæ & ariſtolochiæ longæ an. ℥j. Folior. altheæ, malvæ, Parietariæ artemiſiæ, meliſſæ pulegii, Flor. chamomil. meliloti. an. M. ſ. Sem. fœnigræci, lini an. ℥j. Aniſi & fœniculi an. ℥j. ſ. Coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis. In ℔j. colaturæ diſſolve Benedictæ laxativæ, Hieræ ex colocyn-

locynthide an. ℥ iij. Vitellum ovi unius, ſalis p. j. Ol. rutacei & Chamomil. an. ℥ij. Miſce. F. ita Enema.

Poſtea pudendis & imo ventri ſequentem ſacculum applicui.

℞. Radicum ariſtoloch. longæ ℥ij. Herbar. artemiſiæ, Meliſſæ, Matricariæ, Sabinæ, Rutæ, Pulegii, Flor. Chamomil. Meliloti. an. M.ſ. Sem. fœnigræci, lini, fœniculi, aniſi, ſeſeleos an. ℥ ſ.

Incidantur incidenda, reliqua contundantur, indantur ſacculo triangulari, filo intertexto, ejus magnitudinis, ut imum ventris ad umbilicum fere uſque cooperiat, apex verò ad pudenda, & peritonæum deſcendat.

Sacculum aquâ incoctum, calidè applicui. Ventrem & genitalia per horas duas fovi, interim quoque aliquoties coxas, genitalia, ventrem atque os ſacrum, calidè ſequenti unguento inunxi.

℞. Ol. liliorum alb. Amygdal. dulc. de vitellis ovorum & lumbricor. an. ℥ ſ. Pingued. anſeris & Caponis an. ℥ j. Poſtea

℞. Farinæ fœnigræci & cydoniorum an ʒj. Croci ſubtiliſſ. pulveriſ. ℈ ij. Aquæ artemiſiæ ℥j. Miſce, & poſt unicam ebullitioné addantur olea, & pinguedines præſcriptæ, fiatque unguentum.

Rejecto clyſtere, mox illam in dorſum collocavi, tantumque corpus deorſum retrahere curavi, ut pedes intima parte ſpondæ commode inniti poſſent, & circa genua parùm inflecterentur. Singulis item columnis inferioribus ſpondę ſuum manutergium alligavi. His omnibus præparatis, dextram ab annulis liberam, ſuperiori linimento innctam, paulatim clementerque in uterum immiſi, idque ut eo commodius fieret, juſſi ut manutergia manibus apprehenderet, pedibuſque ad inferiorem ſpondæ partem firmiter inſiſteret; & ſimul parturientium dolores & conatus, quantum poſſet, provocaret. Sic enim naturæ beneficio, genitalia aliquo modo dilatantur & aperiuntur. Manu immiſsâ utero, Mola vel maſſa illa carnea in ſequenti figura litera B, notata, quæ magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat, ſtatim obviam venit. Rotunda autem erat, ſed paulatim decreſcens, tandem in ſpongioſam quandam ſubſtantiam A. notatam, deſinebat, quæ utero ad dextrum latus, non aliter ac ſecundina ſolet in fœtu, tenaciter adhærebat. Manu itaque altius in uterum immiſsâ, digitis clementer paulatimque fungoſam hanc ſubſtantiam ab utero ſeparavi, atque unicâ vice totam hanc molam ſemiputridam & fœtidam, ſine violentia & dolore, præſente marito & Joachimo Rohaud, nec non multis matronis piis & honeſtis, extraxi. Appendebat præterea molæ huic alia quædam carnis portio, litera C. notata. Verùm quia mola hæc ſemiputrida, putredinis ſuæ notam utero jam impreſſerat, juſſi, ut per dies aliquot decoctum ſequens bis aut ter in die ſyphone utero injiceretur.

℞. Hordei integri M.ſ. Scordii utriuſque, roſar. rubr. Abſinth. vulgar. an. M.ſ. Coquantur in aqua uſque ad crepaturam hordei In ℔ ij. Colaturæ diſſolve, mellis roſati ℥ iij. Pulv. Myrrhæ & Aloës an. ʒj. Miſceantur, iterumque per linteum colentur, & colatura tepidè utero injiciatur. Poſtea ſpongia hoc decocto imbuta, fortiterque expreſſa, pudendis calidè apponatur. Illa enim non ſolùm corroborat partem affectam, verùm etiam cum decocto utero injecto putridos humores palatim attrahit, & abſorbet. Ideoque, ejuſmodi ſpongias duas, ut una applicata altera interim mundetur & exſiccetur, habeas, neceſſe eſt. Reliquis item ſymptomatibus, tum optima victus ratione, tum medicamentis, prout neceſſitas imperavit, proſpeximus. Ita ut intra ſeptimanas tres, divino favore in integrum reſtituta ſit Matrona illa, & etiamnum una cum puello, quem enixa fuerat, bona valetudine fruatur. *Gulielm. Fabr. Hildanis Obſ. Chirurgicarum Cent. 2.*

De Molâ aquoſâ.

Anno 1604. honeſta quædam Matrona Bernenſis, ad quinti menſis finem gravida, & parturientium doloribus correpta, ultra decem libras aquæ, tenaciſſima membrana incluſæ, non ſine conatu & dolore maximo, una cum membrana enixa eſt. Ego, cum adſtantes matronæ medicamentum ad fœtum expellendum propinare vellent, vocatus, in ſedili parturientium matronam hanc animo, ut ita dicam, perculſo atque deturbato inveni. Putabat enim, niſi fœtus expelleretur, de vita ipſius actum fore. At ego contra ſuadedam, ut ſeſe in lectum conferret, quo amiſſæ vires reficerentur, recolligerenturque: quapropter optimam victus rationem, & medicamenta aliquot cordialia præſcripſi, ſic brevi in integrum reſtituta fuit, & fœtum ad maturitatem uſque geſtavit.

Alterum exemplum molæ aquoſæ, obſervavi in honeſtiſſima & pia matrona, ſanguine mihi juncta: illa cum per menſes aliquot ſe gravidam exiſtimaret, interim tamen valetudine parum recta frueretur, factum eſt, ut dum noctu cum marito rem haberet, impetu quodam copioſa erupta ex utero ſit aqua, utcunque viſcida. Venter mox ſubſidit, convaluitque Dei beneficio, & ad hunc uſque diem bona valetudine fruitur, & liberos aliquot progenuit. *Idem ibidem.*

Mulier ſeptimo menſe molam enixa, nono menſe filium peperit, diu incolumem.

Nunquam fœtum, cui conjuncta eſt mola, ad maturitatem perfectionemque pervenire poſſe, Medicis in confeſſo eſt. Attrahit enim mola partem ſanguinis & nutrimenti, inde langueſcente fœtu, fit abortus. Ego tamen honeſtiſſimam ac piam matronam cognovi Duſſeldorpiæ, quæ cum gravida eſſet, ſeptimoque menſe parturientium doloribus oppreſſa; enixa eſt molam, quæ magnitudinem capitis adæquabat. Nono vero menſe filium peperit, quem ad decimum ſeptimum annum ætatis ſanum & incolumem ſuperſtitem cognovi, qui tandem Weſaliæ peſte obiit.

Anno 1599. Coloniæ vocatus ad honeſtiſſimam matronam, Rutgeri Groppers filiam, cui per triduum parturientium doloribus laboranti, fœtum perfectum & maturum extraxi. Paucis poſt fœtus extractionem elapſis diebus, mola ſeſe offerebat, eamque fruſtratim, & ſemiputridam exemi.

Nobilem item & honeſtiſſimam matronam Freiburgi Aventicor. cognovi, quam ante annos 4. in puerperio dolore coxendico graviter laborantem, curandam habui. Ea mihi referebat, ſe in omnibus ſuis puerperiis (habebat autem tunc

temporis quatuor liberos robuſtiſſimos) duabus aut tribus circiter à fœlici partu horis, molam enixam fuiſſe. Eſt illa matrona ſatis robuſta, plethorica, & maxime carnoſa. *Idem ibidem.*

De Mola Virginum.

Virgo quædam Generoſiſſima, ex antiquiſſima Nobilium proſapia (nomen non addo) mola laboravit, eademq; morbo tandem extincta eſt, de cujus Virginali integritate dubitare non permittit pietas, morumque probitas ac virtus, quibus ea dum viveret addicta fuit.

Varia alia ſunt obſervata, quæ id confirmant. Allatam hiſtoriam habeo ex relatione cujuſdam fide digniſſimi Viri & quidem Paſtoris, olim hujus Virginis Confeſſionarii, cui ergò Virginis mores optimè fuere cogniti, ac nulla unquam ſuſpicio defloratæ virginitatis fuit. Neque ſolum obſervata illud probant, verum etiam ſana ratio idem evincit.

1. Unde in utero humano formantur glires, piſciculi, teſte *Bartholino*, Ranæ, ſerpentes, animalcula rubetis ſimilia, alata animalia, &c. Vide Ann.1. Ephem. Curioſ. Obſ.1.p.12.13. Addo: novi juvenculam Buxtehudanam fœminam, quæ cum partu ſimul peperit monſtrum capite Leonino præditum, ſed demortuum. Unde horum animalium & monſtrorum ſemen in utero provenit? quod ſi natura tantam metamorphoſin efficere valeat, ut ex ſemine humano longè diverſis formis prædita animalia producat, quid obſtabit quod non etiam molam in virginum utero creare poſſit.

2. Ad molarum productionem (ut jam invitus retineam hypotheſin erroneam de Generatione materiali, quam alias nego) non requiritur ſemen utriuſque parentis, cum non vivat in utero vitam animalem & ſenſitivam ſed merè vegetativam, & ſingulari attractiva facultate prædita eſt, ita quoque illæſa Virginitate in utero produci valet ex congeſta materia putrida ſanguinis menſtrui, quæ à calore uterino excoquitur, ac quotidie plus ſanguinis allicit, donec tandem in magnam molam molemque excreſcat, hinc in ejuſmodi ægris partes ſuperiores marceſcunt, & graciſleſcunt, quoniam ob inſignem vim attractivam Molæ ſuperiorès partes ſuo alimento privantur. Ante biennium ægram habui in vico quodam Horneburg dicto, quæ mola laborabat, ubi mola erat inſtar racemi uvarum colore albi, quæ fœmina tota conſumpta, ac tandem quoque hoc morbo exſtincta eſt.

3. Quod Mola fiat ut plurimum ex ſanguine materno, probat hiſtoria quam Curioſi Collegæ noſtri afferunt ex *Alex. Benedicto* l. 45. de Morb. cur. c.29. ubi intra molæ ambitum maſculinus fœtus inventus fuit, &c. niſi ſuperfætationem accuſare velis, ſed quid ſuperfætatio in hac re, ubi ſolus ſanguis maternus ſufficit: dum etenim punctum cryſtallineum ſaliens, primum mobile microcoſmicum, ſummumque volatile figeretur ab intromiſſa aura ſeminis maſculini, tanta quoque copia loco alimenti affluxit maternus ſanguis ad nutriendum hoc fixum punctum, ut quidem in lineamenta maſculini fœtus mantica fuerit extenſa, verum quoniam nimia copia fuit ſanguinis materni, hinc circum vallatus, ac exſtinctus eſt.

4. Stante theſi Harveana & Deuſingiana, denique & nunc Ralliana, quod ſemen maſculinum in uterum non intret, ſed ſaltem aura aſpergat, quid tum opus accuſare virginitatem deflorationis, ubi mola invenitur, aura etenim maſculini ſeminis molam non producit, quoniam non eſt corporalis ſed ſpirituoſa; ſufficit ergo ad molam ſanguis menſtruus cum aliis humoribus affluentibus.

5. Neque ad generationem fœtus humani ſemper requiri ſemen maſculinum probat hiſtoria quam citat *Excell. Rallius l. de gen anim. p.90.91. ex Martino Leopardo Viſſenſi,* qui ita loquitur, Virum quendam ſibi facie & moribus notum, conſueviſſe interdum œſtro libidinis percitum, geniali deſiderio fervere, cui tamen cum indulgebat, ea mulcebatur ac perfundebatur Veneris dulcedine, ut impotens voluptatis, ſenſibus ferè omnibus deſtitutus, humi concideret, &, quod erat magis admiratione dignum, ſeminis nihil effundebat; Hunc ipſum tamen virginem non ſolum ſubagitaſſe, ſed & imprægnaſſe refert; Huic *Martino Leopardo* ſuſcribit *Sinibaldus*, & ſubſcribo ego, generationem enim eſſe immaterialem credo; ſed ut ad molam redeam, Noſtram de ea ſententiam probat Obſerv. *D. Pauli Sorbaii* Ann.3. *Ephem. cur. obſerv.* 213. quo Lectorem remitto, Quo in puncto etiam nobiſcum facit *P. Joh. Faber* Curat. inſign. 79. *p.*731. *D. Joh. Ludovici Hannemanni.*

Mola Virginum.

Verum eſt quod ſcribis cent.3. Epiſt.28. Nunquam majora miracula & oſtenta videntur quam in humano partu, eſt enim uterus, ais, rerum mirabilium officina quædam. Hoc tuum aſſertum illic probas, probantque recentiorum ſcriptorum Volumina, tum Academia noſtra Curioſa. Ad hæc pertinent quædam mirabiles hiſtoriæ, quas affert Clar. Rallius in eruditiſſimo ſuo Tractatu de Generatione animalium juxta mentem Harvei, Deuſingii, conſcripto. Nuperrimis meis literis quædam attuli de quæſito, An Virgo illæſa virginitate mola laborare queat? Id aſſerui rationibus, & ni fallor, etiam aliqua hiſtoria. Pergo nunc in eadem materia, quamvis eleganter de quæſtione hac pro & contra diſputet Melchior Sebizius in Exercit. Medicis & praxi ſua. Et meum aſſertum, quod eſt, Virgo illæſa virginitate mola laborare poteſt probo, & nunc vero aliqua hiſtoria, quam mecum in eruditiſſ. literis communicavit præcellentiſſimus, Lachmund apud Hildeſienſes Practicus conſultiſſimus. Et ego ipſemet, inquit laudatus Vir, ante paucos annos vidi virginem quandam monialem, & quidem Abbatiſſam Evangelicæ religionis, quæ ventrem tumidum non aliter ac fœmina partui vicina, per aliquot annos geſtabat. Quis quæſo vellet de hac Virgine religioſa, quæ voto caſtitatis Eccleſiæ obſtricta erat, ſuſpicionem malam habere. Huic noſtræ aſſertioni quoque lucem fœneratur obſerv.17. ann.2. Ephem. Curioſ. p.32. 33. Hactenus Celeberrimus Vir, quo cum & ego facio, ita amplius dubium eſſe non poteſt, quin Virgo ſalva integritate virginali mola laborare poſſit. *Ex eodem.*

Molæ ſeptem in Virginis utero repertæ.

In Virgine nuper Epiſcopicellenſe, matrici incluſas ſeptem diverſæ magnitudinis Molas videre datum, quæ omnes ad manum adhuc mihi ſunt, & forte typis ab admirandi ingenii viro Joh. Conrado Peyero mandantur, ſi id nondum præſtitum *D. Syl. Samuel. Anthornii.*

Mola quinquennis prolapſum Vteri mentiens,

Plurimas eaſque raras circa molarum generationem & earum excluſionem paſſim apud autores fide dignos inveniri hiſtorias teſtem habemus ſat locupletem Schenckium in ſuis obſerv. qui molas in utero per ipſos ſeptendecim annos commoraſſe annotavit, id quod etiam Zvvingerus theatr. vit. hum. p. 331. & 357. confirmant. Haud abſimilem, aliis tamen circumſtantiis & accidẽtibus, curioſo lectori hic ſiſtam hiſtoriam: Uxor quædam in ſuburbio Uratiſlavienſi 34. annorum & decem liberorum totidemque ferè abortuum, nec non plurium molarum fœcunda parens, ante annos circiter duodecim fœtus aliquot excluſit vitales ob impurum autem & ichoroſum, quo & parens ipſa & hinc enatæ ſoboles ſcatebant, ſanguinem, plerique excoriata totius corporis cuticula, nondum abſoluto puerperio, diem ſuum objerunt, ut ex novem duas ſaltem conſervare potuerit ſoboles, poſtmodum negotio concipiendi & pariendi natura defatigata aliquandiu vacare coacta eſt, quæ nullis tamen remediis, niſi anilibus ſuffulta, tandem ad incitas redacta nil niſi molas concipere, & ſingulis menſibus per ſequi annum, etiam abſente longo tempore marito, numero unam, duas, plures imò plurimas acerbiſſimis parturiendi doloribus nimioque ſanguinis profluvio excernere molita eſt. Tandem cordatiorum perſuaſu virum ob raram experientiam Clariſſimum, Dn. D. Johannem Agricolam, Reipub. hujus Proto-phyſicum p. m. conſuluit, qui ſingulari ſua prudentia & generoſiis medicamentis è lerna hac morborum eam eripuit priſtinæque & inculpatæ ſanitati reſtitui, ut menſibus ordinatè fluentibus poſtmodum denuo conciperet, ex difficili autem ſubſequenti decimo partu, prolapſu uteri ſatis periculoſo non corrigibili & moleſtiſſimo ſe laborare, credidit, & obſtetrix confirmavit, ut abſque ligamentis huic malo aptis nec ſtare, multo minus incedere valeret per quinque integros annos. Elapſo autem quinquennio tam ob errorem diætæ, quèm ſulphur ex accenſis carbonibus narcoticum, quibus hyberno tempore in foro publico intenſum frigus arcere cogebatur, (quæſtum namque in vendendis pomis habuit longo tempore) natura in deterius ruit, noviſque menſium obſtructionibus, paſſionibus hyſtericis & lipothymiis affligitur, nunc meam opem implorare geſtit hæc miſera. Ipſam inviſens ſemi-animem reperio, morbum cauſamque indago, ex relatione adſtantium hujus individui naturam, morbos & accidentia præterita prolixè & graphicè depicta video, & originem hujus mali ex impuro utero itidem provenire judico, interim ob urgentia ſymptomata cordialia hyſtericis nupta propino, his ſymptomata paulatim cedunt, ut ægra ipſa mecum colloqui valeat, cui ob adſtrictam alvum clyſterem applicandum ſuadebam, quem tamen cane pejus & angue fugiebat, coactus ergo tandem externè ſaltem fomentationes ex emollientibus & carminativis, præprimis herba mercuriali toti abdomini ad pubem uſque applicari, internè verò eſſentiam caſtorei & ſpiritum ſecundinæ (ob præſentis molæ ſuſpicionem) in ſyrupo de artemiſia propinari juſſi, quibus præſtitis elapſo bihorio acerbiſſimi iterum dolores & conatus parturientium, abſque tamen lipotymia oborti, brevique poſt molam, capitis infantis ad inſtar peperit, tantæ tenacitatis, ut vix ſecuri dividi potuerit, abſque tamen putredinis & hinc orti cadaveroſi odoris moleſtia, & quod magis miremur, ſine omni ſanguinis veſtigio. Hoc facto prolapſus uteri quinquennis evanuit, & molæ molem non in utero, ſed extra eum in vagina uterina, circa exterius pudendi orificium tandiu latitaſſe eventus docuit, uteri ſitu inculpato invento: Continuatis poſtmodum per menſem medicamentis ſanguinem & uterum purificantibus, per Dei gratiam illius ſanitatem reſtitui, ut hoc ipſo tempore, dum hæc ſcribo, bene ſe habens iterum gravida, ſine omni tamen periculoſorum ſymptomatum futurorum ſuſpicione incedere valeat, undecimumque partum, Deo volente, animoſe expectet. *D. Johann. Jœniſch.*

Gemina Mola in prægnante.

Nobilis fœmina in diſtrictu Grunbergonſi, ante quadriennium, impletis imprægnationis menſibus, partu excluſit puellam ſatis vegetam, & adhuc ſuperſtitem. Tribus horis interpoſitis ſucceſſit mola carnoſa, duriſſima, ſatis craſſa, cum copioſiſſimo ſanguinis fluxu, etiam tali, quem vix medicamentis efficaciſſimis poteramus inhibere. Fluxu altero die ſubſiſtente, iterum conatus excernendi aut pariendi adeſt, & excludit puerpera adhuc aliam molam, minorem quidem prima, attamen etiam carneam & duriſſimam. In prima apparuerant luſu naturæ aliqua rudimenta capitis, oris & oculorum, ſed reliquum informis caro. Non impunè tamen ferebat nobilis hæcce tantos naturæ conatus, ſuccedebat enim febris ardens, quæ in prima, ut dicitur, herba ſuffocata, deſinebat in tertianam intermittentem per tres ſeptimanas prolongatam, Deo benedicente, noſtroque conſilio tandem extirpatam. Illud erat notabile in hoc ſubjecto, quod laborarat pica virgo quatuordecim annorum, & pro cibo adſumſerat calcem in parietibus avidiſſimè per ſex menſes, uſque dum fuerat maritata. Ingentis molis eſſe curare molas poſſem proprio firmare exemplo, ſed quia integrum σὺν θεῷ conſtitui exarare tractatum de mola, ſufficiat hic aliquid delibaſſe. *D. Samuelis Ledelii.*

Mola portentoſa.

Mulier quædam L. annorum ultra tres annos, grandi ſuo incommodo molam in utero geſtabat. Potiſſimum vero maxima reſpirandi difficultate laborabat, ob compreſſum diaphragma, liberæ reſpirationis organum: venter

prædurus erat, & ſenſim à pondere dolor imprimis hypochondria affligebat; ſi vero antrorſum propenſa ventrem ſcamno imponens ſuſfulciret, majus quàm ex cubatione aut alio ſitu levamen ſentiebat. Hanc molam fœtidam, ingentem, enormis cucurbitæ inſtar, XX. librarum pondere, (vera recenſeo) quæ nullis antea remediis, plurimis licet adhibitis, expelli poterat, beneficio ſpiritus ſalis ammon. ſalſi Zvvelfferi (in append. Animadv. pag. 53. deſcripti) præmiſſo prius laxativo, non ſine magna illius & adſtantium admiratione, Dei gratia, feliciter exturbavi, muliere integra ſanitate fruente adhuc ſuperſtite. *D. Alphonſi Cohnii.*

Molæ volatiles.

In vico Pictorum Hafniæ natum non ita pridem monſtrum, capite canino, latrans ſenis digitis in manibus pedibuſque inſtructum. Nulli indicium ejus factum eſt, mortuum enim & inſciis vicinis ſepultum. Hoc ſilentio puerperarum ſæpius occultantur Molæ illæ Volatiles, avem quadrupedem referentes, cujus ſceleton in Muſæo ſuo ſervat Vir Illuſtris *Georgius Roſæcranzius*, Præſes Regius Soranus, hic publicè omnium oculis expoſitum.

Familiaris eſt illa mola in Belgio, ubi vulgò *Suygers* vocatur, quaſi ſanguiſuga, fœtui infeſta ſugillando. Similis illi quam *Levinus Lemnius* deſcribit lib. 1. de Occult. Nat. Mirac. cap. 8. In urbe noſtra nonnullæ ſunt matronæ, quæ molam talem ediderunt, ſedulo caventes ne facilè innoteſcat. Poſt fœtum in partu prodit, & cubiculi angulos pervolitando inquietat mulieres, quæ omni ſtudio perſequuntur, ut enecatam comburant, credentes niſi comprehenſa comburatur, laborare aviculam in eo, ut iterum uteri latebras intret, quas ſi repetierit, mori puerperam. Obſervatum quoque aliquando fœtus pedem ab hac commorſum fuiſſe in utero. Monſtrum eſſe non dubito, & numero monſtrorum quoque accenſet *Licetus* lib. 11. de Monſtr. cap. 3. ſed id mirum videtur, quomodo ſemina Parentum in eam materiam in utero transmutari poſſint, unde aviculæ & inſecta naſcantur. Scripſi de hoc monſtro ad *Phil. Jac. Sachs* Naturæ Curioſorum in Cæſareo Germaniæ Collegio quondam Phoſphorum, ejuſque ſententiam exquiſivi, quam in Miſcellaneis Curioſis Anni ſecundi propoſuit. Utinam tantum Virum fata nobis præmatura morte non invidiſſent. *D. Thomæ Bartholini.*

Placentæ informes, quas vulgus Suygers, *& vocat & eſſe putat.*

Quia anicularum commentis, quæ de beſtiis, quæ infantes conſumunt, aut ab iis conſumuntur, fabuloſè narrant, nec credo, nec te credere vellem, quiſquis hæc legis, niſi oculatus ipſe teſtis beſtias illas videris, noſtrate linguâ *Suygers* appellatas, quas unà cum fœtu, aut ſine fœtu in lucem edi, ſæpe audire, nondum videre contigit: ideo binas haſce placentas deformes æri incidendas curavi; quarum alteram & vixiſſe & cucurriſſe narrabant, credo, ut tanto plus gratiæ inirent, & magis à rei novitate commendarent id, quod adferebant mulierculæ. In altera & caput, & pedes, adeoque & oculos, & os & naſum oſtendebant, nihil horum videnti. Tu, ſi in his accuratè ſatis ad prototypa ſua delineatis, quicquam videre potes, quod figmentis illis, ut ego quidem hactenus exiſtimo, patrocinetur, quæſo, dubitantem doce. Et quo te excitem magis, ut eam meas à me gratiam, gratis dicam quid de toto hoc negotio ſentiam.

Fit ſæpe, ut dum formari cœpit in utero fœtus, nec firmis adhuc retinaculis placentæ alligatur, iis agitatione, ſaltu, caſu, aut alio matris infortunio, aut etiam infirmitate ſolutis, neſciæ, & nihil tale ſuſpicanti, fœtus tenellum rudimentum excidat matri, remanente in utero placentæ materiâ, quæ dum ibi hærens non putreſit, ſed augeſcit, variarum in utero contractionum ſæpe eſt cauſa, quæ dum ſubitis variantur vibrationibus tam vehementer, ut etiam extrinſecus motus earum percipiatur, animalis per uterum ſubito motu diſcurſantis, tam ipſi, quæ ſymptomata patitur, quàm aſpicientibus & tangentibus dat ſuſpicionem: cùm autem poſtea hæc placenta ſine fœtu, quæ vera eſt Mola, prodit in lucem, quod ſæpe fit cum ipſis parturitionis laboribus, imo ipſo tempore, quo prodiiſſet infans, obſtetrices, & reliquæ mulierculæ putant animal illud, quod antea vivum ſenſiſſe ſe exiſtimant, fœtum, cujus nullum apparet veſtigium, conſumſiſſe. Sin autem prodeat fœtus poſt ſimiles agitationes, contra animal illud, quod non comparet, abſumptum eſſe ab infante pronunciant, & ejus veſtigia præoccupatæ præjudicio in placenta quærunt, & invenire ſeſe imaginantur quandam beſtiæ configurationem. Tu ſi melius quid habes, Lector, adfer: ego hîc Thomas ſum, niſi videro, non credo. *Theodorus Kerckringius in Spicilegiô Anatomicô.*

Maſſa informis per dolores inſtar parturientis à vidua caſtiſſima in lucem edita?

Siqua ventre non nihil intumeſcat virguncula, continuò in partem deteriorem cadit ſuſpicio; ſiqua vidua tantillum diſtendatur, vix pudori ſuo poteſt conſulere apud homines. Habeo tamen, quo haſce defendam, hiſtoriolam; illæ ſibi, quantùm quidem hinc licet, capiant patrocinium. Vidua quædam nomen ſuum & famam, honeſtè vivendi egregiè tuita hactenus, poſthumum ediderat: poſt partum diu adverſâ ualetudine uſa, tandem viſa tumidiore pondus aliquod circumferre ventre; hinc converſi in eam oculi, & auditæ voces: hem, hæc illa eſt ægritudo, hic morbus viduæ: & verò tumor adeo increvit, ut etiam prudentibus & amicis ejus admirantibus, neſcio quid vel pudoris incuteret, vel doloris adferret; quæ augebantur omnia, cùm ingruentibus quaſi parturientis doloribus obſtetrix accerſitur: illa ſibi optimè conſcia, puerum proditurum negat, eſſe tamen quod ſe non ſecus ac puer, qui in lucem moliretur iter (pepererat enim, ut dixi) premeret: tandem poſt varia uteri luctamina prodit maſſa quædam informis, ſive illa fuerit reliquum ex ſecundinis quippiam, cui aliæ im-

immunditiæ adhæſerant, ſive nova quædam in utero congregatio. Illa certè ejecto onere optimè valuit, & quod nihil ſequeretur eorum, quæ partum, aut abortum ſolent comitari famam apud ſuos integram retinuit. Poſſet in moralibus ſæpe, in Politicis aliquando uſui venire hæc obſervatio, Medicis certè & obſtetricibus non erit prorſus inutilis, ideo non putavi prætereundam. *Idem ibidem.*

Infans Molæ incluſus.

Quod ſuperiùs ſcripſi, Obſervatione 38. jam ſcriptum & ſculptum erat de monſtris illis, quas ſanguiſugas aliqui Romano, nos noſtro ſermone ſuygers vocamus: cùm anno M. DC. LXIX. die 11. Februarii obſtetrix quædam mihi attulit, molam, ſeu placentam: & ecce, inquit, mi Domine, inſpice, quod tibi adfero, & nega dari animalia, quæ Suygers vocamus: ego avidè accepi, curioſè aſpexi, ut illa dicebat, animal, ut ego exiſtimabam, informem placentam. Habebat tamen quo, quàm promptè mihi nummos, tam facilè unicuique opinionem elicere potuiſſet, quâ crederet eſſe, pro quo illa venditabat, animal. Corporis forma cyprinum piſcem referebat, niſi quòd in longiorem anguſtioremque, quàm ille, ac tandem bifurcatam, ut ille, caudam deſineret. Caput ei erat ſimillimum, & os, quod perforatum, ſtilum ad uſque mediam molis, aut molæ partem admittebat: oculos etiam aut videbam, aut putabam me videre in capite. Diffindo ergo medium molæ ventrem: & ecce tibi in eo infantem perfectè efformatum, tantillum, quantus eſſe ſolet unius menſis fœtus; affirmabat tamen adhuc præſens obſtetrix ſupra quatuor menſes gravidam fuiſſe matrem; quamvis ergo multis modis hîc peccans humani corporis conformatrix facultas, perducere non potuerat corpuſculum hoc ad juſtam fœtus quadrimeſtris magnitudinem, aliquid tamen in membrorum perfectione molita erat, quo proderet gravidationis diuturnitatem.

Condonet ergo mihi Lector curioſus, ſi adhuc in eadem, quam ſuperiùs citato capite affirmavi, maneam ſententia: nec adhuc de animalibus ſimilibus generandis negantem deſeram opinionem. Video hîc quidem figuram piſci ſimilem; caudam bifurcatam intueor; capitis formam, & in ea eo perfectum, oculorum quandam ſimilitudinem contemplor: ſed animal illud eſſe, fuiſſe, aut unquam futurum fuiſſe, nondum mihi perſuadeo. Quid enim? apertâ molâ nihil inteſtinorum, nihil viſcerum in ea, ſed infantem tantùm reperio: non monſtroſum quidem, niſi quod tanta poſt quatuor menſes corporis exilitas, & placentæ, quæ ſæpe variat, hæc forma admodum extraordinaria mihi monſtroſa videbantur. Exſpectabo ergo adhuc certiora hac ſuper re argumenta, antequam in illam de ſanguiſugis deſcendam ſententiam: quod non pertinaciæ, ſed non nimis in incerta pronæ credulitatis, tibi ſit, Lector, argumentum. In divinis ſit chara fides: in ceteris quod opinor, opinor: quod ſcio, ſcio; fides autem in humanis, nunquam affirmantis in me ſuperat authoritatem, quæ hactenus non niſi femellarum eſt variè garrientium. *Idem ibidem.*

Ex placentulis poſt fœtus excluſionem in uterò remanſis pſeudo mola.

Quot & quanta incommoda puerperis obveniant, ubi præeuntem fætum maturum ſecundinæ non ſequuntur, difficile dictu. Nonnullæ in uteri fluorem immodicum & irregularem, per intervalla repetentem, non ſine cruciatibus, eâ de cauſâ incidunt. Aliis in magnam molem diſtenditur abdomen, cum reſpirandi difficultate, pedum ædemate, ventriculi anorexiâ, præcordiorum anxietatibus, animi deliquiis & faciei pallore. Non rarò quoque mors illarum miſeriis imponit finem. Ita ut malum illud magni quidem momenti & periculoſum ſit, non verò lethale per ſe, ſicut voluere nonnullæ minùs peritæ obſtetrices. Non rarò per decimeſtre, & quod excedit ſpatium, in uterò remanet placenta, fœtu jam in lucem editô. Mirum dictu quantam mutationem & metamorphoſint, ut ita loquar, placentæ præter naturam ſubeant. Eas aliquandò in hydatides, aut veſiculas è pedunculis dependentes, & humore aquoſô refertas degenerare, poſthac demonſtrabimus; nunc oculis veſtris ſiſtimus retentas placentulas, perperam ab aliis pro molis habitas; pro molis dico, 1. propter duritiem, craſſitiem, formam, & carnoſitatem, quibus deſcriptioni molæ ſunt conformes; ut mirandum non ſit, eaſdem pro molis habitas eſſe ab iis, quibus occaſio haud data fuit, quotidie nobiſcum ejuſmodi retentas placentulas cultro anatomico ſubjicere. A quô tempore enim in hac vaſtâ civitate lectiones in uſum obſtetricum habui, quicquid rari ac inſoliti in earum incidit manus, in redhoſtionem tum mihi ſemper adferunt. Rediens in viam unde digreſſus ſum, dico placentulas fœtuum, duorum, trium, quatuorve menſium, ſi diutius, quàm par ſit, remaneant in uterô, non tantùm periculi, ac quidem mutationis afferre. Si verò placenta fœtus maturi, aut ſeptimeſtris, vel octimeſtris, remaneat, plus ſubeſt periculi, & ſæpiſſime tota placenta in hydatides degenerat, quarum numerus aliquando tantus eſt, ut gravidæ videantur mulieres, propter abdominis extenſionem. Memini me bis ſcullam magnam, ejuſmodi hydatidibus refertam vidiſſe ex iis, quæ per aliquot poſt partum menſes retinuerant placentas in uterô. Dixi ſuperiùs placentulas, duorum, trium, quatuorve menſium abortus, ita indurari, talemque adipiſci formam, ut pro molis habeantur ab imperitis, modò diutiùs quàm par ſit, aut per dies aliquot, in uterô hæreant: humoribus enim cum fœtu expulſis, contrahitur placenta ab uterô in hanc vel illam formam, & ſic talpæ, ranæ, aut ſimilis rei ſpeciem aliquando induit: unde fœminæ nimis credulæ, nugatoriiſque fabellis addictæ molas viventes, imò volantes, in lucem pro-

diiſſe narrant, imò in partu preſentes ſocias ſuas alias monent, ut ſibi caveant ab ejusmodi molis, ne ſcilicet molæ iſtæ ipſas adoriantur, & ſub veſtimentis ſe ſe inſinuent. Hiſce rejectis anilibus nugis, obſervatu dignum eſſe cenſeo, tales placentulas, ſi per ſeptimanam, aut diutius retineantur in uterô, fœtu in lucem editô, ita ab uterò comprimi, ut non ſolùm carne muſculoſâ ſolidiores evadant, verùm etiam formâ & magnitudine uteri naturalis exteriorem faciem adæquent.

Mulier ab undecim ſeptimanis (ut ipſa mihi referebat) gravida facta ab animi pathemate abortiit: remanente per aliquot hebdomadas placentulâ; quæ, ab uteri compreſſione, cùm ad priſtinam ferè magnitudinem & formam rediret uterus, ita induruit, & deformis facta eſt, ante excretionem, ut niſi ritè examinaſſem ejus ſubſtantiam, molam crediſſem.

Alia quædam in quintum menſem gravida, peperit fœtum immaturum, & poſt eum quoque ſecundinam integram bene conſtitutam. Hiſce in lucem editis, ſecuta eſt carnea moles, formâ & magnitudine uterum naturalem referens. Hac inciſâ, & ritè examinatâ, placentulam quoque eſſe deformem, & juſtò duriorem, deprehendi. A quô tempore geſſerit hanc ſecundam placentulam dictu difficile. An gemellis gravida fuerit, & unô, in nihilum redactô, aut inſciâ gravidâ excluſô, ejus placentula remanſerit; an verò ante hanc ultimam imprægnationem gravida jam fuerit, & embrione excluſô, placentulam retinuerit (quod pluries contigit) & de novô uterum geſſerit, haud licuit inveſtigando determinare. *Clariſſ. Frederic. Ruyſchius in Obſervat. Anatomico-Chirurgicarum Centuriâ.*

Maſſa Cruoris coagulati quandoque Molam mentiens.

Non ſolùm placentulæ poſt embrionis excluſionem, in utero per aliquod tempus remanentes, molam mentiuntur: verùm etiam ſanguis in uterô coagulatus, quem mihi obſtetrices ſæpius pro molis, aliæ pro placentulis obtulêre. Hunc cruorem coagulatum, ab uteri compreſſione admodum durum, & in ſe coactum aliquoties offendi, cui ſæpiſſime membranis analogum quid appenſum invenitur, ſicut poſt venæ ſectionem in pede inſtitutam, aquæ innatare videmus. Cùm hic & ſimilia mihi occurunt, ad hæc duo reſpicio. Primò an funiculi umbilicalis abrupti veſtigium ſuperſit. Secundò an vaſis ſanguiferis gaudeant ejuſmodi maſſæ, (ſine quibus non poſſunt vocari placentulæ retentæ) & inſuper notandum in placentulis remanſis, quantumvis vaſa ſanguifera adſint, ut plurimùm eadem ſanguine caſſa reperiri, ita ut magis fibras, quam vaſa ſanguinea referant. *Idem ibidem.*

Mola Veſicularis.

Annô 1681. lectiſſima quædam Matrona Genevenſis annos præter propter 30. nata & puerperiô pluries jam feliciter defuncta, ſe iterum concepiſſe, atque in quartô graviditatis menſe verſari putabat, (quanquam per totum illud tempus aliquid ſanguinis ab ipſius uterô perpetuò defflueret) donec die 15. Martii, poſt dolores inſtantis præmaturi partus prænuncios aliquandiu perpeſſos, imò & frequens animi deliquium, largumque ſatis cruoris fluxum, non fœtum abortivum, ut, & ipſa, & adſtantes expectabant, ſed ingentem veſicularum, & veluti ampullarum acervum enixa eſt. Quamdiu duravit dies, tamdiu veſiculæ excretæ, adeò ut pelvis ſtannea profundior vix eas omnes capere poſſet. Veſiculæ illæ rotundæ, aut ſaltem ovalis figuræ erant, ſibique mutuo, quaſi totidem ranarum ova, cohærebant Magnitudo plurimùm diverſa erat; minimæ vix milii ſemen æquabant, maximæ ad nucis iuglandis, aut ovi gallinacei craſſitiem accedebant, intermediæ verò, uvas, piſa, & minutiora ſemina rotunda referebant. Pellucidæ admodum erant, & diſruptæ liquorem limpidum emittebant. Sequenti die ejuſmodi excretio omnino ceſſavit; at non item hæmorrhagia, quæ per aliquot adhuc menſes moleſta fuit. Bene tamen poſtmodum habuit hæc matrona, atque annô 1683. menſe Novembr. filiam peperit. Has veſiculas (quanquam coctione, inſtar albuminis ovi indurarentur) cum ovis prolificis nihil ideo commune habere nemo non videt; unde obiter concludere licet viviparorum ova etſi elixatione indurentur, ab hydatidibus unô hoc ſignô diſtingui non poſſe quin eas materiæ cuipiam ſalinæ lentæ & viſcidæ, poſt longiorem in uterô moram motum adeptæ, ſive à flatu, aut ſpiritu intus conceptô exagitatæ & in varias ampullas faceſſentis, ortum ſuum acceptum referre debere exiſtimamus: atque ideò illis molæ veſicularis, ſeu hydatodis nomen indi poſſe credimus. *Hæc ex Bibliothecâ noſtrâ Anatomicâ*; quibus jam ſubjungimus non tantùm placentulas relictas his hydatidibus originem præberi debere, ſed etiam à ſerô viſcidô intra uteri membranas coacervatô, dumque illinc tranſudat pelliculas ſibi confingente, unde ampulæ ad inſtar ovorum ſubventaneorum, variæ magnitudinis & figuræ enaſcantur ſubinde efformari. Opinamur itaque eandem ſæpiſſime eſſe harum hydatidum materiam quæ hydropem uteri efficere valet. Molas alias quod ſpectat, non ſemel vidimus eas ovulis prægnantes imo iiſdem ovulis fœtus rudimenta concluſa conſpeximus, unde non immerito concludi poteſt eas aliquando à deviâ in conceptionem ſuffocatus limaturâ ut ſi ita loqui licet embrionis rudimentis per placentam undiquaque ea circumcingentem, inque enormem ſæpius magnitudinem excreſcentem, oriri. De Molis carneis nihil addimus, quia frequentiores ſunt, interim non ſine admiratione nobis aliquando intueri contigit pluſquàm triginta per longos ac atroces plurium ſeptimanarum dolores, excuſſas quorum minima ovum anſerinum excedebat.

Mola ex membrana grumum ſanguinis continente conſtans ab utero ejecta. Mola tota ſolida. Mola parenchyma Lienis interius referens

Molam ex ſanguine temporibus ſuperioribus vidi, compactam ſeu concretam ex grumis, incluſam membrana, qua diſſecta, & grumum dividi ſine ulla reſiſtentia: Sanguis ſiquidem condenſatus quaſi infarctus fuit membranæ, ut in apexabine videmus: Adhærebat hæc moles alii, non carneæ ſed membranæ per totum, ambæ pendebant plures libras: Aderat & tertia mola plane carnea, referens ſubſtantiam renis magna ſatis, cum quibus gemelli ſexu diverſi prodierunt non vivaces. *Hæchſtetterus decade* VIII. *caſu*. VIII.

Mulier quater jam peperat & poſt ſuppreſſa menſtrua quintum jam fœtum putabat in utero habere: Cum vero in novo menſe ad pariendum ſe accingit, pro expectato fœtu globulum ſeu ſphæram excernit albam, mucore reſperſam, caput humanum magnitudine ſuperantem.

Cultro ſphæra diſſecta ſolida tota intus apparuit, cepæ inſtar membranullis craſſis & albis fabrefacta, quibus ſectis nullus ichor, humor ſeroſave ſubſtantia emanavit: Hæc mulier cum frigidi eſſet temperamenti attenuante victu eſt præſervata. Zacutus Praxis admir. lib. 2. Obſerv. 155. Vide Obſ. 153. ibid. de mola carnea vivente mirabili.

Molam obſervavi bulbum omnino referentem in parte exteriori, Diſſecta vero per medium, carnem quandam ſpongioſam, ſicut parenchyma Lienis habebat, exterius vero membrana forti & carnoſa cincta erat. *Dom. Panarolus Pentec.* 4. *Obſervat.* 46.

Vterus ulceratus carnem putridam continens.

Puella xiij. annorum ex ſcala in ſubterraneam cellam delapſa, nihil mali experta fuit præter dolorem colli, mox poſt ſedatum: emerſit tamen in dorſo dolor poſt aliquot hebdomadas, quem ſenſim in hypogaſtrio dolor inſequutus: Adhibita in conſilium obſtetrix, inſpecto corpore puellæ, Gravidam pronunciat: Morbo interim correpta, nihil proficientibus remediis, auctaque in dies ægritudine incognita, octava hebdomada ad meliorem vitam tranſiit.

Moeſtiſſimorum parentum rogatu cadaver apertum, ut mortis tumoriſque cauſa innoteſceret Statim diſſecto abdomine uterus prodiit, ovi gallinacei magnitudine, ulceribus plenus, ſed ſine pure aut fœtore: In ipſa autem uteri cavitate nihil inventum præter fruſtulum carnis ſpongioſæ, & putridæ, libras quatuor cum media pendens, Hepar, Lien, reliquaque viſcera nullum vitium viſa contraxiſſe. *Bartholinus cent.* 1. *Obſervat.* 97.

Molæ duæ extra matricem.

Quædam civis Vienneſis habuit molam extra matricem: Erat illa albiſſima & mundiſſima, circa vaſa ſeminaria: Vivebat cum virò annos 16. quam Medicus (ut mulier petebat ante mortem) diſſecuit, quo aliis mulieribus ſimili morbo laborantibus conſuleretur; Invenit autem duas molas extra matricem, Unam in quantitate fruſti carnis ſupra matricem & ipſi fortiſſime adherentem; alteram in latere ſiniſtro circa vaſa ſeminaria, in quantitate capitis: Nupſit bona puella ſeni, & quum venerea eſſet, caſte & honeſte vixit, quum interim vir ſenex debitum præſtare non poſſet: caveant igitur puellæ venereæ à ſenibus & nubant ſimilibus. *Johannes Marquardus Practicæ. Theor. & Empiricæ cap.* 5. *de mola.*

Mola membranacea bullis referta.

Compertum eſt Gravidationem aliquando degeneraſſe in membraneam ſubſtantiam globoſamque, totam aquoſis bullis rotundis, tumidis pellucidis & innumeris plenam, aliquando cum ſanie fœtida & diluta: quam ſane figuram jam comperimus in uxore Bibliopolæ cujuſdam. *Mercatus de mulier. affectibus lib.* 3. *cap.* 8.

Mola pulmentaria.

Vidi molam ab humore phlegmatico, groſſo, ad ſimilitudinem pultis factæ per ſuperfluam milii decoctionem in aqua, quæ tantum excrevit; ut poſt mortem patientis facta anatomia eſſet majoris quantitatis & ponderis quam reſiduum corporis ipſius *Io. Arculanus comm. ad cap. de mola, lib.* 9. *ad Almanſorem.*

Molæ duæ in uterò conceptæ.

Mulier fere quinquagenaria, quæ nunquam viro nupſerat, ex congreſſu cum adoleſcentulo concipit in utero, unde ſequuta eſt inappetentia, macies & pallor totius corporis, quorumdam eduliorum deſiderium, cum aliis graviditatis ſignis: poſt xl. à conceptione diem percepit palpitationem quandam verſus hypochondrium dextrum, ab eoque tempore melius ſe habuit & appetitus reſtitutus eſt: Venter in dies augebatur, mammæ intumeſcebant 4°. menſe: in mamma ſiniſtra, ruſum, poſtea album, in dextra lac apparuit: quarto menſe fluxus menſtruorum apparuit copioſus, triduo perſeverans, inde ventris tumor imminutus eſt, poſtea tamen ſenſim denuo augebatur, menſtruæ purgationes ſingulis menſibus prodibant quemadmodum ante graviditatem: motus in ventre ſentiebatur illi conſimilis quem fœtus in utero concluſus ſolet exercere: Nono menſe dolores parturientium paſſa eſt, ita ut vocata obſtetrice omnes adſtantes partum expectarent: Illi tamen dolores poſt. XXIV. horas quieverunt & nihil excluſum eſt: Ab eo tempore menſtruorum fluxus adhuc ordinatus fuit uſque ad XIII. menſem, inquo iterum

iterum parturientium dolores paſſa eſt ſine effectu: poſtea vero nunquam menſtrua prodierunt, ventris tumor permanſit cum motu interpolato inſtar fœtus incluſi: Iamque ſunt lx. menſes à principio graviditatis, neque tumor ventris eſt inſignis, vixque enim æmulatur ſemeſtrem graviditatem: Duo tumores ſenſibiliter diſtincti, ut quoddam inteſtium apparent medium: illi tumores ad hypochondria vergunt decumbente muliere, ac eadem erecta veram graviditatem referunt, medium ventrem occupantes, compreſſi recedebant & iterum accedebant, ſæpe motu proprio inſtar fœtus in utero incluſi: Mammarum tumor jam dudum evanuit, & illæ admodum molles & flaccidæ evaſerunt, à quibus exprimuntur lactis viridis guttulæ perexiguæ: toto graviditatis tempore mœrore & jejuniis ſe confecit, domi incluſa remanens, quod graviditas illa ſine conjuge contracta fuiſſet: denique anno 1636. mortua eſt.

Aperto cadavere Molæ duæ diſtinctæ inventæ fuerunt, Guiganii degebat, vocabatur Claudia Demarez: *Obſervatio D. Pollet. D.M. Matiſconenenſis.*

Monſtroſa Mola in qua crines reperti.

Vidua quædam honeſta, quinquaginta circiter annorum ætatis, Catharina nomine, Molâ laborans, in Aula Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini Georgii Frideri Marchionis Badenſis & Hochbergenſis, &c. ante annum naturæ debitum perſolvit. Hujus matronæ, ex juſſu Principis: aperto cadavere, hepar & lien ſine noxa, pulmo verò ſemiputridus repertus fuit. Separatus & exemptus uterus, ad libras octoginta & ſeptem Mercatorum ponderavit: Et partim ichore quodam flavo, partim quoque materiâ adipoſâ & oleaginoſâ infarctus erat. Sed, quod admiratione non vacat, in medio ipſius uteri crines, (aut veluti lana flaveſcens, & adipoſâ illâ materia involuta,) reperti fuerunt. Quia verò juſſu Sereniſſ. Principis aliquantum hujus lanæ communicatum mihi fuit, portiunculam quoque ad te mittere volui, ut illam inter rariora tua reſerves. De hac matrona clariſſimus ac doctiſſimus Vir, Dom. D. Ludovicus Schmid, Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini Georgii Friderici Marchionis Badenſis & Hochbergenſis Archiater longè celeberrimus, & amicus meus ſingularis, inter alia hæc annotavit, mihique communicavit.

Venter, inquit, huic fœminæ intumuit ut in prægnante, urina coloris ac ſubſtantiæ mediocritatem ſervavit: functiones naturales, vitales & animales ferè ſine noxa: alvus tamen ſegnior ferè ſemper, quippe molis pondere compreſſa. Pedes ac tibiæ longè poſt in tumorem ſublatæ durum, renitentem; qui preſſus nullas foveas œdematoſas recipiebat, nec ſcarificatus, aquâ exudabat. Carminantia, incidentia, purgantia, balnea nihil proderant: Uſa fuit victu mali ſucci, refrigerante, præſertim braſſicâ muriatica (*Saurkraut*) acetariis, tantâ copiâ, ut de pluribus menſibus, quæ horum ſuperarent, colligeret, ebibito inſuper, quod his affuſum erat, aceto. Venter prædurus erat, ſenſim pondere dolor, imprimis hypochondria affligebat. Si verò antrorſum propenſa, ventrem ſcamno imponens ſuffulciret, majorem quàm ex cubatione aut alio ſitu levationem ſentiebat. Plus quadriennio duravit affectus iſte. Hactenus Dn. D. Schmid.

Præteritis diebus, cùm piræ circa matronam cancro exulcerato & graviſſimo, in mamma ſiniſtra laborantem occupatus eſſem, unà cum Domino Johanne Hulderico Streitter, Doctore Medico excellentiſſimo, matronam quandam Molâ laborantem aliquoties inviſi, cujus venter in monſtroſam ferè magnitudinem extenſus eſt. Circumferentiam, ducto filo per medium, continet pedes Geometricos quinque cum dimidio: ſedendo præterea ad genu uſque propendet. Tumor ille ventri, quatuor abhinc annis incepit: paulatimque auctus eſt. Ab initio morbi utero ſe concepiſſe, cùm ipſamet ægra, tum obſtetrices putarunt; Motus enim ac ſi fœtus adfuiſſet, perſenſit, & ubera lacte abundare cœperunt, aliaque ſigna conceptionis aderant. Poſt menſes tamen aliquot lac ex mammis evanuit: motus quinetiam utero paulatim & indies imminutus, tumor vero adauctus eſt. Jam etſi venter prægnus ac durus ſit, facultates tamen naturales, vitales & animales integras habet. Sed de hoc caſu abſque ullo dubio, poſthac fuſius ad te ſcribet, Dn. D. Streitter, tanquam ordinarius ipſius Medicus.

Ante annos viginti, Genevæ ſimilem vidi molam in matrona quadam honeſta, quæ per annos ſedecim morbo iſto laboraverat: qualis autem fuerit finis, & quidnam in ipſa repertum ſit obſervare non potui; Ante obitum enim ipſius Genevâ diſceſſi. Illud tamen ſcio, ipſam multis variiſque medicamentis, ex conſilio Medicorum perſcriptis, abſque fructu uſam fuiſſe. *Gulielm. Fabric. Hildanus Obſervationum Chirurgicar. Cent. 5.*

De ingenti Molâ, & uterô peritonæo adnatô.

Matrona quædam duorum ferè annorum ſpaciô graviſſimè uterô laboraverat. Ab initiô gravidam ſe eſſe putabat: omnia enim ſigna prægnationis aderant. Elapſis tamen menſibus aliquot falſæ hujus prægnationis, pejus ſe hàbere capit; mammæ flacceſcebant, venter verò de die in diem accreſcebat, appetitus item proſtratus erat, dolores quoque totius ventris continui, in primis verò lateris dextri, atque è regione renis ſiniſtri tam vehementes, tamque maximi aderant, ut ſæpiſſime maritum ſuum & adſtantes imploraverit, quò Medicum, aut Chirurgum accerſerent, qui apertô abdomine, horrendas illas & crudeliſſimas beſtias expelleret: planè enim perſuaſum habebat, ſe gerere beſtias. Tandem cùm in hac miſeriâ ultra duos annos langueret, auctâ febriculâ, nauſeâ & vigiliis, nullis item uſa remediis, è vitâ diſceſſit.

Ada-

Adapertô abdomine, plurimum aquæ, carnis loturæ ſimilis, effluxit. Uterus in magnitudinem ingentem extenſus, peritonæo à lineâ albâ uſque ad coſtas breves & renem dextrum, adeò tenaciter adhæreſcebat, ut vix avelli poſſet. Ren ſiniſter planè putrefactus conſpiciebatur. Hepar undique abſceſſibus putridis ſcatebat.

Uterô diſſectô aquæ fœtidiſſimæ puri permixtæ ultra libras ſex effluxerat. Mola quoque in conſpectum ſeſe dabat, magnitudinem capitis longè excedens, inæqualis, nonnullis quoque in locis dura, atque hinc inde putrida, ac fœtida. Utero tenaciter adhæreſcebat, præſertim parte quæ dorſum reſpicit, imò abſque dilaceratione uteri avelli atque ſeparari non potuit. Ambo quoque ovaria adeò excreverant, ut magnitudinem pugni excederent, erantque inæqualia, dura, & ad inſtar ferè uvæ.

Aqua, ſeu lympha, quæ in ventrem effluxerat, ex hepatis abſceſſibus, ſine dubiô, emanavit, cui nonnihil ſanguinis admixtum fuit.

Dolores in dextrô latere, hepatis inflammationes & tandem abſceſſus fuere: in ſiniſtrô verò à putreſcente rene ſiniſtrô oborti.

Mola eſt ovum jam jam utero receptum, atque à virili inſtrumentô, aut aliàs iterum læſum, ſed tamen non ita, quin aliquô modô alimentum accipi poſſit; hinc indigeſta moles, & caro quaſi fungoſa. Sæpiſſime figuram cordis refert, quia uteri cavitas trilatera eſt.

Obſtructiones in ovariis, eorum ſubſtantiam extenderunt, hinc liquet dolores totum abdomen occupaſſe. Mirum ejuſmodi corpus, tamdiu fuiſſe ſuperſtes. *Stephanus Blancardus in Anatomiâ Practicâ rationali ex Gulielmi Fabricii Hildani Obſervationibus Chirurgicis.*

Mola ex parte oſſea, uteri parietibus concluſa.

Anno 1683. Maii menſis 26. Matrona Genevenſis annos 42. nata, quartô à conceptione menſe, febri continua cum vomitu frequentiſſimô & violentiſſimô, prehendebatur. Poſt quatuor, aut quinque dies, vomitus (qui ipſa febre pernicioſius ſymptoma videbatur) ceſſavit: at febris contrà mirum in modum excanduit, uſque adeò ut, non multis elapſis diebus, ægram è mediô, cum deliriô & convulſionibus, ſuſtulerit. Cadaveris abdomen prætumidum erat: eôque reſectô, flatus tantùm cum aquæ exiguâ quantitate, eruperunt. Uterus verò pluribus in locis niger omnino erat, & inflammationis, ſeu gangrænæ, notas non paucas extrinſecus præ ſe ferebat. Fœtum fœmineum octo uncias longum intus reperimus: nec eô contenti dum uteri parietes, inflammationis cauſas penitius exploraturi, curioſè luſtramus; ecce corpus quodpiam intra membranas uteri contentum, digitiſque reſiſtens, perſentitur, quod inciſione factâ facilè abſtulimus. Magnitudine ad juglandem craſſiorem accedebat; ſubſtantia partim carnea, partim fibroſa, & duriſſima erat, atque in ſui centrô, oſſicula, aut analogum quid, continebat. Sedes è quâ avulſum fuit, foramini quô tuba dextra in uterum aperitur, ferè reſpondebat, tantumque propemodum ſpacii occupabat, quantum tuba inter uteri tunicas ſerpens, occupare ſolet.

Molam hanc duritie ſuâ utero moleſtam fuiſſe ejuſque partes nerveas irritaſſe, tunicaſque, unà cum ſubſtantiâ vaſatâ & celluloſâ ab invicem divellendo, ſanguinem & ſpiritus illuc, æquô majori copiâ advocaſſe, ac proinde inflammationem accerſiviſſe, probabiliter aſſeri poteſt. Utrùm autem hæc eadem mola ab ovô è teſticulô, ſeu ovariô dextrô, per tubam ejuſdem lateris delapſô, & ingreſſu in uterum, propter meatus obſtructionem, aut anguſtiam, fruſtratô, derivari? An verò alii cuipiam materiæ (ut in molis communibus forſan uſu venit) concretæ, adſcribi debeat, determinare non audemus. Priorem tamen ſententiam probabilitate non carere, ſitus corporis illius ſcirrhoſi, arguere videtur. Si teſte Graeffô, ova mediis in molis vulgaribus reperiantur; quidni idem & in hâc contingere potuit? Quidni, quæſo, è geminis ovis fæcundatis, & ab ovariô utrinque, ad gemellorum productionem, ſeparatis, alterum in uteri cavum feliciter pervenire potuerit; alterum verò (craſſius forſan) meatum in extremitate ſuâ impervium, aut ſaltem anguſtiſſimum, penetrare non valens, ibi hæſerit, & aliquale incrementum, pro ratione loci, capeſſerit, donec tandem mole ſuâ importunum, honeſtiſſimæ matronæ & fœtui mortem intulerit? Nihil ſanè obſtat quô minùs rem eô modô ſe habuiſſe credamus. *Hæc ex Bibliothecæ noſtræ Anatomicæ Parte.*

MONSTRA.

A Monſtrorum tractatione commodùm ſane hìc ſuperſedere poſſemus, quia nihil inde propriè ad Praxim ſpectans elicitur. Verùm quandoquidem Curioſis Lectoribus, ſubinde etiam ſatisfacere hôc opere animus eſt, quædam eorum exempla breviter jam exarabimus.

De gravidæ ſymptomatibus ſingularibus, & Partu Gemellorum monſtroſo.

Etſi innumeris expoſitus ſit muliebris ſexus ægritudinum miſeriis, ab ipſis propè incunabulis eum per ætates frequenter infeſtantibus: magis tamen calamitoſam haud conficere lucis uſuram, quàm quæ conceperunt & utero geſtant, quotidiana abundè teſtatur experientia. Funeſto idipſum ſuo confirmavit non ita pridem exemplo fœmina quædam honeſta, annorum quadraginta, undecim liberorum mater, & bis abortum paſſa, gravibus quidem alias conflictata ſæpe morbis, ex obſtructionibus hepatis ac lienis ortum ducentibus, concurrente ventriculi debilitate & inappetentia. Quæ, licet congruo

gruo remediorum uſu adhibito, inducias darent aliquas, attamen pacem firmam non concedebant, dum gravida denuo facta, ab ipſo imprægnationis tempore mox ventriculi debilitate, frequenti vomitu, contumacibus alvi obſtructionibus, cordis palpitatione, ſitis vehementia, evaporationibus ad caput dolorificis, & anhelitus difficultate ſubindè infeſtaretur, eoque vehementius, quo magis creſcebat ventris moles, in tantum indies aucta, ut oneri ferendo vix par eſſe potuerit, ſtare enim aut ambulare miſerrimè afflicta non valebat, nec niſi ſemi-erectæ, ob ſuffocationis periculum, in lecto quieſcere concedebatur facultas. Tantis igitur in anguſtiis, ſeptimo geſtationis menſe, conſtituta matrona, quin & fruſtra, exhibitis varii generis remediis adjuta, cùm extra lectum tergo tenus inclinaret ad ſellam corpus, improviſo incredibilis limpidæ aquæ copia, quantum æſtimari poterat, ultra triginta menſuras noſtrates, quæ ſingulæ duas pendent libras civiles, profluxit, maximam hypocauſti partem, uti in adventu meo cum admiratione conſpexi, quaſi inundans. Ex in dolorum & reſpirationis levamen ſentiens, lectum petiit, atque brevi poſt puellulam mortuam peperit, ſubſequente mox feliciter ſecundina. Aſt dum in ſiniſtro abdominis latere tumor tactu notabilis, cum obtuſo dolore, adhuc remaneret, alter inſuper ſupereſſe fœtus credebatur, id quod etiam eventus probavit, ſiquidem trihorio ferè elapſo, alteram enitebatur filiolam vita quoque privatam; reſtitante, omine infauſto, ſecundina, quæ putredinem acquirens, fruſtillatim non abſque fœtore, pluribus ſucceſſivè diebus, uſque ad puerperæ beatum vitæ exceſſum, ſeptima demum poſt partum hebdomade (quippe 3. *Januar.* hujus anni onere geſtationis levata, 25. *Febr.* è vivorum numero ſublata fuit:) ſubſecutum, excernebatur. Prolis, quam enixa eſt, gemellæ procerior primigenia erat, cum tumido ventre & umbilico, hepate etiam (uti in ſectione, à parentibus conceſſa, apparebat,) ultra modum vaſto, utrumque hypochondrium implente, reliquis viſceribus ſalvis inventis: Secundariæ & humilioris abdomen, quod putrilaginem jam concepiſſet, ſcrutationi locum non concedebat. Utraque, à collecta extra calvariam, inter cutem ac pericranium ſeroſa colluvie, aquæ fluctuantis inſtar motum repræſentante, hydrocephalam capitis deformitatem oſtendebat. *D. Lucæ Schroeckii.*

De partu gemellorum, alterius vivi, alterius quatuor menſes jam mortui.

Lætiori eventu ſtatim biduo poſt, ex quo matrona hæc abortum iſtum fuerat paſſa, alia quædam fœmina, parvæ ſtaturæ, gibboſa, exacto novem menſium curriculo, filiolas quoque binas, pauco temporis intervallo, peperat; quarum una elegans, & omnibus corpuſculi membris ritè conformata, viva & alacris, jam verò diarrhœæ à dentitione excitatæ, & negligenter ab adſtantibus tractatæ vehementia è vivis ſublata; alterum fœtum quinquemeſtrem longitudine, juſta articulorum compagine, niſi quod à capite, in acumen faſtigiato, ad pedes uſque, quaſi ſtudio duos inter aſſeres leniter compreſſa eſſet, præſentans, mortua naſcebatur. Superfœtationem hic factam ſuſpicari quis potuiſſet, niſi placenta una uterina, quæ gemellis iſtis ejuſdem ſexus communis erat, uti in antecedenti hiſtoria cuilibet ſua propria, dubium ſolviſſet. Majus miraculum capiebatur ex integritate fœtus, inſtar alabaſtri nitidi, quomodo tamdiu in latebris abſque ulla putredinis nota hærere potuerit. Mihi *Clar. Amon. Denſingii* verbis, §. 115. *de fœtu Muſſipont.* apud *Excell. D. D. Laurent. Strauſſium ſect.* 4. *pag.* 154. talem dare miri iſtius reſolutionem libet: Sed neque præter rationem eſt, poſſe fœtum jam verè mortuum, per longius temporis ſpatium in materno corpore aſſervari citra putredinem, æque atque fructus varii, etiam horarii, in liquoribus quibuſdam, integri planeque incorrupti aſſervantur diutiſſimè. Quin & corpuſculi non parum exſucci natura diutius à putredine ſe vindicare potuit. Quam ob cauſam etiam fœtus ille, cujus *Guil. Fabric. Hildanus cent.* 2. *obſerv. Chirurg.* 51. meminit, per trimeſtre ſpatium poſt mortem in utero retentus fuit abſque inſecuta putredine: alium quoque fœtum in utero exſiccatum, tranſactis hebdomadis novem à definito partus tempore demum excluſum proponit *Illuſtr. Thom. Bartholinus cent.* 1. *Hiſt. Anat.* 12. *pag.* 323.

Deinde duplex hic gemellorum partus controverſiam illam de Secundinarum in Gemellorum partu occurrentium numero commodè ſatis decidit, docetque, Naturam non unicæ ſemper, nec etiam duplici ſeſe adſtringere; adeoq; univerſale haud eſſe Hippocratis effatum, quod lib. de ſuperfœtat. prodidit: quæ gemellos utero geſtat, eodem die, velut concepit, parit; uno autem involucro utrumque fœtum continet. Quanquam idem lib. de nat. puer. duplici fœtui duplex etiam involucrum concedat, ſcribens: Ad eundem quoque modum in muliere, ex uno veneris complexu nati gemelli, uterque ſuo ſinu & involucro conditur, & eadem die in lucem prodit, alterumque prius cum ſuo involucro foras egreditur. De eadem materia videri inprimis poſſunt prælaudatus [*Bartholinus Anatom: ſuæ novæ lib.* 1. *cap.* 36. Item *Volum.* 2. *Actor. Medic. Hafn. obſervat.* 22. *& cent.* 5. *Epiſt. Medic.* 62. Necnon *Excellent. Joach. Georg. Elſnerus in Ephem. Germ. Cur. Ann.* 1. *obſervat.* 39. *& Isbrand. Diemerbroeck lib.* 1. *Anat. cap.* 29. *pag.* 197. *Ex eodem.*

De gemellis monſtroſis, coalitis partibus obſcœnis.

Inter præteritorum temporum hiſtorias, quas in adverſaria mea retuli, ea valdè ſingularis & curioſa eſt, quam hic referam breviſſimè: Vinitoris uxor Scaphuſiæ in prædio quodam ſuburbano anno Chriſti 1675. ineunte vere gemellos fœminini ſexus difficillimo partu enixa eſt, coalitis oſſibus ſacris & partibus obſcœnis, monſtroſos: quos diſſecante Excellentiſſimo *Johañe Jacobo Wepfero* vidimus uterum habuiſſe geminum totidemque vaginas, ſed vulvam unicam; bina item inteſtina recta, unum tamen podicem. Mirum ſanè, geminato per omnia corpori pudenda fuiſſe communia. *D. Joh. Conradi Peyeri.*

Ann-

Anatome monſtri gemellorum humanorum:

Menſe Martio Anno 1664. peperit Mulier quædam hic Viennæ gemellas concretas mortuas, quarum à me apertarum corporis conſtitutio hæc fuit inventa. Capita habebat duo, ſed in unum concreta, tamen cranio inter diſtincta, omniaque capitis organa duplicia fuerunt, ſic duplices ventriculi, omnes membranæ venæ & arteriæ duplices, duplices nervorum origines, duæ linguæ, duo ora, quatuor oculi, duplex concretus naſius, exceptis auribus, quæ binæ tantum erant, brachia duo. Collum, thorax pectus eorumque organa omnia fuerunt ſimplicia, ſed craſſiora, longiora ſolito & majora, Cor quoque unicum, ſed & hoc conſueto majus. Ventriculus erat una cum inteſtinis tenuibus, corpus totum erat continuum uſque ad regionem Lumbarem, ubi ſe dividebat in duo, faciebatque ex uno ramo duas ſpinas dorſi, quæ alia quaſi ſpuria ſpina, ut fulcro fulcitæ & inter ſe extenſæ tenebantur. In diviſione hujus corporis ſe quoque organa denuo multiplicabant, erantque inteſtina craſſa duplicia, cum duabus ſeparatis & diſtinctis alvis: præterea reperiebantur 4. Renes, duo Uteri, cum omnibus requiſitis bene perfectis duæ veſicæ & pedes quatuor. Hoc corpus ita balſamavi, & adhuc balſamatum apud quendam Magnatem reſervatur. *D. Joh. Georgii Greiſelii.*

Infantes bicorporei.

Anno nati Chriſti 1461. Norimbergæ fabri ferarii uxor peperit filiam, capite quidem unico, binis tamen ventribus ſub ſtomacho, binis podicibus, binis pudendis. Ex chronico M. S. Noriberg.

Anno 1551. ſeptimo die menſis Septembris ibidem paupercula edebat in lucem infantem, qui quatuor manus, totidem pedes, duo pudenda, ſed duntaxat unicum truncum habuit: diſſecto cadavere, intus duo corda, duo pulmones, duo hepata, & quatuor renes inventi. Ex eodem.

Scholion Hellvvigianum. Hic alter monſtroſus fœtus cum priori fere conformis eſt. Ac ejuſmodi monſtrum prope Eslingam ad Neccarum ann. 1529. d. 9. Januar. natum ex Joviano Pontano narrat Paræus lib. 24. Oper. chirurg. cap. 2. & 10. Julius obſequens ſcripſit, M. Marcello & P. Sulpitio Coſſ. Theani Sidicini puellum natum fuiſſe uno capite, quatuor manibus & pedibus, atque duobus pudendis, quem fœtum ex eodem allegat Jacobus Ruef. lib. 3. de concept. hum. c. 3. Lycoſthenes lib. de prodig. & oſtent. conſimile monſtrum notavit anno Chriſti 1389. in Italia in lucem editum fuiſſe. Ejuſmodi monſtra in rerum natura inveniri uniformia excedentia, tum in diſcreta, tùm in continua membrorum quantitate, idque aut ex defectu, aut exceſſu nimio materiæ ſpermaticæ & ſanguineæ, quæ in parentibus ortum habet ex alimento deficiente vel abundante, nutricatui partium earundem dicato, docet Fortun. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. cap. 12. & 13.

Additamentum Schrockii. Libet hic paucis attingere, quod non tantum ſuperſtitioſa plebecula, ſed, & ex Eruditis nonnulli, varia ex iſtiuſmodi monſtrorum nativitate præſagire ſoleant pericula, rati, Deum hiſce portentis velut iræ ſuæ internunciis, belli, famis, peſtiſve inſtantis notitiam mortalibus dare, ſimulque ad pœnitentiam eoſdem adhortari. Liberum equidem unicuique hic per me licet ſit judicium, vana tamen videtur eſſe perſuaſio iſta, ideoque à Cl. Gaſp. à Rejes inter humanæ curioſitatis ludibria merito repoſita. Argumentorum ſane aliqua, prognoſticis illis quæ opponunt laudatus à Rejes Elyſ. jucund. quæſt. camp. qu. 45. Fortun. Licetus lib. 1. de monſtr. c. 2. & Joh. Riolanus diſp. de monſtro Lutetiæ nato c. 6. magno valent robore, ibidem videnda. Ignorant Sacræ literæ hos deformes pœnitentiæ præcones; neque etiam iis poſteriora ſecula indigent, cum habeant Moſen & Prophetas. Imò impietate forſan haud carebit, ſi monſta, quæ ſæpe ſæpius nefariæ veneris ſpurciſſima ſunt ſoboles, ad tam divinum miniſterium adhiberi dicatur. Nec abs re erit Joh. Bapt. Helmontii de hiſce judicium adponere, quod tr. Tumul. poſt. cap. de ſignis, format: aliis quoq; placuit, monſtrorum nativitates trahere in prænuncia ſigna Peſtis. Sed quis ille, qui monſtrorum prænuncia deſignata ſciet, vel interpretabitur? Peſte enim præſente, nunc nimirum, atque ſero quiſque ſignificata ad lubitum trahit ſuum. Quin ſi quid præſagire monſtra ponamus, eadem tamen certitudine qua dira quævis mirari creduntur lætum & fortunatum quid promittere illa dici poteſt, Sic & nos Prophetas agere valemus, & in ſpecie, ubi monſtrum crudeli orto bello & diſcordia ſæviente naſcitur, capite tantum unico, quatuor vero manibus pedibuſque præditum, quis non optatum eventum, pacemq; & concordiam redituram ſaniori vaticinio exclamaret, diſcordia utpote, & in diverſum abeuntia membra, ſub uno pacis & rationis capite brevi conjungenda ſperans? *D. Joh. Helvvigii.*

Gemellæ corporibus concretæ.

Anno 1576. mulier quædam in ſuburbio Norimbergenſi *Wæhrd*, partu protulerat gemellas in utero demortuas, quæ in latere invicem concretæ alioquin ſingula ſuum caput, brachia crura, & pudendum habebat. Ex Chron. MS Norimberg.

Anno 1620. Hortulana quædam Norimbergæ gemellas, ſed in utero mortuas pepererat, quæ in latere infra axillas ad femora uſque connexæ, unicum tantum ſimul ventrem ac umbilicum habuerunt, cæteris membris in ſingula perfecte & naturaliter formatis. *Ex eod.*

Anno 1633. Monſpelium quæſtus gratia ſpectatum attulerat Anglus quidam fœtum arte, vel conditura arefactum, erant gemellæ invicem in podice à natura connexæ, tres verò pedes duntaxat habentes, quæ decennio ante Amſtelrodami natæ fuerant. Ex obſerv. propr.

An. 1643. Ruſtici in pago Noribergenſi, *Alten-Sittenbach*, uxor in lucem protulerat gemellas, quarum quælibet alioquin perfecte formata habebat caput unicum, labia ſuperiora decurtata & diſciſſa, brachia duo, manus duas, pedes duos, partes naturales, præter quod ſub axillis ad umbilicum uſq; ambæ cohærerent, ac

umbilicus illis tantum unicus eſſet, anterius etiam unicum pectus ſeu ſternum latum cum pupillis duabus, poſterius verò ſpina dorſi disjuncta & cuilibet propria. In aperto corpore, ut exterius unicum pectus cum præcordio lato apparuerat, ita intus quoque cor unicum ſub figura renis cujuſdam tranſverſim oblongum, cum duobus diverſis ſinibus, è quibus quælibet infans ſpiritus vitales haurire poterat, ſicuti cætera quoque organa, venæ ſcilicet, arteriæ; pulmones & ejuſmodi pro ſingulis neceſſaria bina fuerunt: ſub diaphragmate etiam omnia viſcera bifaria, quælibet infans ſuos proprios habebat cotyledones & vaſa umbilicalia, quæ exterius ſub cute confluxerunt, & quaſi unicum umbilicum præſentarunt; quælibet & ſtomachum ſuum proprium, atque ſplenem; primo attamen intuitu hepar etiam videbatur cuilibet fore proprium & parvum, accuratiori autem inſpectione, quoad ſubſtantiam & formam maſſa fuit communis & unica, magna parte ſua in oris extremis concreta. Ex commun. Amici.

Scholion helluvigianum. Tales gemellas in latere concretas Jacobus Ruef lib. 5. de concept. hum. cap. 3. Narrat, Anno 1543. Schafhuſiæ, in Helvetia, & fere ſimiles Ann. 1553. in einſiedeln natos eſſe. Inveniuntur etiam fœtus in pectore ſibi accreti, & faciebus mutuo obverſis, unoque umbilici vinculo conſtricti; alii rurſum tergoribus annexi, ſingulatim umbilici vinculis propendentibus. Horum autem monſtroſorum infantium forma exterior plerunque diſtinctis membris viſa eſt, nullo abundans, nullo deficiens, præter gemellas hic anno 1643. natas, quæ, veluti ſupra notatum, duntaxat cor unicum, cætera verò tum viſcera interna, tum membra externa duplicia habuerunt. Fieri autem poteſt, ejuſmodi fœtuum cohærentia aliquando ex liquido & corrupto ſemine, aliquando ex terrore aliiſque adverſis caſibus, ut gemelli in utero jam concepti collidantur, ruptis ſeminibus, quæ natura glutinoſæ ſunt ſubſtantiæ, aliquatenus concreſcant. Num autem hæc monſtra concreta unicum ſint animal, aut diverſa & duplicia, concludit Ludovicus Cœlius l. 24. c. 3. L. A. ex principii ratione, quod, ſi unicum ſaltem in ejuſmodi concretis appareat cor, quod eſt cæterarum partium omnium in generatione primum & principium, itemque fons vitæ, unum tantum animal eſſe ſtatuatur; ſin vero corda duo, monſtroſi hi fœtus pro duplice quoque animali habeantur, propter conceptuum conjunctionem tantum coalito. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. cap. 13. gemellos vult cor ac unum hepar habentes non eſſe ex genere monſtri excedentis ex abundantia materiæ, ſed monſtri excedentis ob defectum materiæ neceſſariæ generationi gemellorum primario à natura intentæ & inchoatæ, quæ deficiens aut in utero conſumpta, aut ad ipſum uterum non pervenerit, ſicque quod efficere voluit Natura non valens, efficit, quod valet, reſiduumque materiæ in unius corporis formam gemellorum partibus antea formatis adjungit. In Miſcellaneis Academiæ Naturæ Curioſorum Anni primi obſerv. 55. habetur etiam anatome gemellarum in faciei & trunci latere uſque ad femora concretarum.

Additamentum ſchrockii. Generationis humanæ opus, quod admirandum, nec ſatis ab humano ingenio penetrandum exſiſtat, omnes mortales fateantur, neceſſe habent. Quod conſiderans Regius Propheta, Divino impulſus Spiritu, mirabilia inter & occulta Dei opera, ſui etiam generationem pſalm. 139. 14. & 5. reponit. Et quamvis hodierna Anatomicorum induſtria multas, quæ circa abſtruſum generationis actum hactenus occurrebant, difficultates diſcuſſerit, plurima tamen adhuc reſtare perficienda, ingenue fatentur. Cum itaque naturalis illa & quotidiana hominis generatio tanta laboret obſcuritate, quid mirum, ſi, præter intentionem & conſuetum ordinem in efformandis monſtris quæ raro contingit, altiſſima nos ignorantia premat: id quod inprimis de hac etiam gemellorum corporibus concretorum productione tenendum eſt. Si tamen hominis ex ovo productio, à Clar. Kerckringio, Graaſio, aliiſque, & nuper à Nobil. D. Caſp. Bartholino Th. filio in epiſtola de ovario mul. ad Exc. D. Guil. Rivam, contra priorum temporum varias hac de materia conjecturas, ſolide adſerta, admittatur, prout revera admittenda eſt, cum ſenſuum fide polleat, balbutire aliquid circa rem iſtam poſſumus. Ut itaque prima illa pulli rudimenta neque ex ovi vitello, neque albumine proprie ſic dicto, ſed hujus tantum ex particula aliqua ortum ducunt, ſcilicet ex ovi oculo vel colliquamento, ſive, ut aliis vocatur, orbiculo illo vel circulari macula, quæ vitello ovi adnata videtur: Sic quoque in analogo huic hominis ovo non univerſam humoris contenti ſubſtantiam, quam inſtar albuminis ovi ſe habere, compertum eſt, ad fœtus primam efformationem concurrere, ſed ſimilem particulam, fœtui rudimentum daturam, in ea deliteſcere, credibile eſt, quæ à ſubtiliori ſeminis maſculini parte, ad ovarium ſeu teſtes muliebres delata, in motum concitata & quaſi vivificata, ſicque fœcundata, paulatim ſeſe in eam, quam corpus humanum præ ſe fert, extendere formam incipiat. Confirmat hoc prælaudatus Bartholinus, in viviparorum, ſcribens, ovis non niſi tantum humoris adeſt, quantum ſufficit pro inteſtina fermentatione cicatriculæ. Reliquæ igitur ovum efformantes & exterius ambientes pelliculæ, pro membranis tantum fœtum involventibus, & ſecundinarum nomine communiter venientibus, habendæ erunt. Quod itidem teſtatur Regnerus de Graaf tract. de organ. mulier. generat. inſervientib. cap. 15. dum in peranguſto ovi illius muliebris medio aliud quaſi ovum innatare, ſive nubeculam quandam, fœtus rudimentum, comparere referens, ex eo conſtare concludit, ova iſta duabus membranis inveſtiri, quarum exteriorem chorium, interiorem vero Amnium eſſe adpellandum determinat. Si igitur duplex talis reperiatur concretus in ovo orbiculus à Natura, quæ ludere ubique, præcipue etiam in ovis ſolet, (quod v. g. duplex in multis gallinarum ovis vitellus loquitur, ex quibus ovis duplices oriri pullos, Petr. Borellus cent. 1. obſerv. 1. autumat, atque monſtra exin gallinacea, partibus quibuſdam abundantia, prodire poſſe Exc. D. D. Georg. Segerus in obſ. 188 Miſcell. German. Curioſ. Ann. III. concedit, non poterit non exin fœtus duplici è corpor conflatus inde produci. Quare cauſa, quæ in l

qu

quidum & corruptum ſemen hic ab Auctore rejicitur, nullum habere locum poteſt. Uti enim vegetabilium ſemina ſi maturitate debita careant, vel præter naturam corrumpantur, nullatenus neque in ſimilem, cujus ſemen ſunt, plantam propullulant, neque etiam aliam aliquam producere valent: Sic in animalium quoque genere corruptum ſperma novum producere poſſe animal, haud eſt probabile, nullumque potius, quam monſtroſum dabit embryonem. Unde varias inter ſterilitatis cauſas, ſemen etiam virile crudum, tenue, ac præter naturam fluidum, vel quocunque modo vitioſum, & hac ratione quoque corruptum, referre Medici conſueverunt; nec immerito, cum ſpiritus ille primus fœcunditatis opifex, vel inſufficiens ad opus iſtud, vel plane non in eodem reperiatur. Quod verò à colliſione in utero, concepti jam gemelli concreſcere queant, maxime dubito, cum tam vehemens & violenta earum conjunctio ſive colliſio, abſque præſenti vitæ diſpendio poſſibilis vix eſſe poſſit; cum primis iſtis in gemellis, quibus unicum v. g. cor. Natura conceſſit, concretio hæc locum haud quaquam invenit, quorſum enim alterutrum cor &c. abiiſſe, & conſequenter, qua vi novam vaſorum connexionem & divaricationem, ex uno ſuperſtite corde in utriuſque fœtus corpuſculum, tam exiguo temporis momento (ſi enim in inſtanti, ut ita dicam, haud fieret, fœtuum alterum, cujus cor eliſum fuiſſet, vita mox privari & putreſcere, neceſſum foret) peractam fuiſſe, dicendum credendumve erit? Si tamen gemellorum hujuſmodi quilibet ſingulis ſuis, quæ ad vitam ſimpliciter neceſſariæ ſunt, partibus inſtructus ſit, conjunctio talis, non quidem per violentam colliſionem, ſed blandiorem potius adproximationem, in primis præſertim conformationis diebus, mediante humore illo, cicatriculas ambiente, lento, albugineo, & ad concretionem ſatis apto, facilius admitti poſſet. *Ex eodem Helvvigio.*

Alii Gemelli connati.

Anno nati Chriſti 1672. d. 17. Martii mulier quædam Argentinæ cum magno dolore & labore monſtrum tale enixa eſt: quod habuit duo diverſa capita è duplici collo prominentia, & quidem dextrum multo majus ſiniſtro, brachia quatuor, quorum duo inter utrumque caput è medio trunci exorta, & communi tegumento involuta ad manus uſque quæ disjunctæ mirè tamen ſe invicem ſpectantes; reliqua ſingula ab humeris protenſa. Truncus vel pectus amplum, deorſum vero ſtrictius, quoad exteriorem formam vel aſpectum bene & naturaliter formatum, crura quoque ſaltem duo naturalia, Aperto corpore intus inventa ſunt duo corda ſub unico pericardio latentia, ſiniſtrum autem duplo majus dextro, conſpiciebantur etiam pulmones duo diverſi cum diverſis & propriis arteriis ſuis; œſophagi & ventriculi duo, itemque inteſtina duplicia, quæ demum ad initia fere inteſtini coli in unum terminabantur meatum ad exitum uſque ani. Jecur quidem unicum, attamen tam magnum, ut totum latum corpus compleret. Splen etiam aderat unicus, renes duo prægrandes, unica veſica, ac unicum pudendum maſculinum & naturale cum ſcroto quodammodo turgido. Spina dorſi duplex cum ſuis quævis teſtis. Ex communic. Amici.

Scholion hellvvigianum Monſtroſus hic fœtus pertinet ad genus monſtrorum enormium, propter malam & vitiatam partium organizationem & formationem, quatenus ſcilicet a conſueta Naturæ norma recedit, aut ob aliquod impedimentum, aut ob defectum materia convenientis, adſtipulante Liceto lib. 1. de monſtr. nat. c. 8. & Aldrovando hiſt. monſtr. c. 2. Conſimile fere monſtrum notavit Lud. Cœlius l. 24. c. 3. L. A. Ac. Nicol. Tulpius deſcribit lib. 3. obſ. med. c. 38. ſectionem monſtri bicipitis, puellam nempe bicipitem cum brachiis quatuor & pedibus tribus, artubus vero & capitibus ut à ſe invicem ſeparatis, ſic ventribus contra ac thoracibus tam arcte in unum coalitis, ut ne lynceis oculis ullum in iſtis diſcrimen obſervare quis potuerit: Diſſecta cute, apparuit conſpicue ſub illa plurimum adipis albicantis: jecur erat duplex cum duplice fellis veſicula, & venæ tam perplexo errore inter ſe intricatæ & confuſæ, ut non licuerit quicquam, diſtincte ſaltem in illis notare. Thoraci erant duo corda, incluſa uno involucro, & innatantia eidem aquæ, ſed cuilibet ſuus pulmo; ſub ventre autem una duntaxat vulva. Unus lien, ſed adeo rubicundus & floridus, ut videretur accedere ad naturam jecoris; vaſa autem umbilicalia deſinebant hinc in diffiſſam jecoris portam, illinc bifido ductu in arterias iliacas & veſicæ fundum. Huic pene ſimilem obſervationem anatomicam bicipitis fœtus legimus in Miſcell. Acad. Nat. Cur. An. 1. obſ. 7. Plurium etiam monſtrorum humanorum bicipitum mentionem faciunt Jaco. Rueff. lib. 5. de concept. hum. c. 3. Joh. Schenckius lib. 1. obſ. med. c. 10. Fort. Licetus lib. 1. de monſtr. nat. c. 3. & lib. 2. c. 22. Legatur quoque Johannis Conradi Brunneri de monſtro hoc argentinenſi diſputatio inauguralis elegans, docta, & ingenioſa Anno 1672. Argentinæ habita, in qua diffuſiorem deſcriptionem dedit, & problemata tredecim de illo propoſuit ac pulchre enodavit; nimirum: Utrum fœtus hic fuerit monſtrum verum? Quiſnam iſtius formationis modus in utero extiterit? An propter ſeminalis materiæ inopiam enatus? Utrum unus, aut plures extiterint homines? Utrum vitam, niſi δυστοκία aut vipartus oppreſſi fuiſſent, potuiſſent una aliquandiu protrahere? Utrum cum duo homines extiterint, anima duplex in partibus eorum ſimplicibus, & quomodo conſiſtere, ſuaſque functiones edere potuiſſent? Utrum horum connatorum eadem animi ſenſa ac deſideria, mores & actiones eædem, an verò eſſent diverſæ, ſi adhuc aura vitali uterentur? Utrum utriuſq; infantis eadem fuiſſet phantaſia, & quid de motu in pedibus, illorumque ſenſu ſit ſtatuendum? Utrum una ſpiritum traxiſſent & locuti fuiſſent, an verò tempore diverſo, & quid de pulſibus notandum? Utrum eſuriente uno, & alter eſuriiſſet? Utrum ſi unus ægrotaſſet, alter ſimul affectus ſimilique labe correptus fuiſſet? Utrum ægrotante uno, ipſi ægroto, an verò alteri; utroque laborante, utrique medicamenta, quomodo & qua doſi fuiſſent adhibenda? Quid de obitu, ſi hactenus protraxiſſent vitam, eſſet ſtatuendum? Quæ omnia certe lectu jucunda, & diſquiſitione ac ſcitu digna ſunt.

Additamentum Schrockii. Alios etiam fœtus bicipites, præter hos ab Auctore memoratos

videre licet in Ephemer. Germ. Curioſ. Ann. III. obſ. 165. & 224. necnon apud Th. Barthol. cent. 2. hiſt. anat. 55. & Fortun. Fidelem lib. 3. de relat. Medic. ſect. 8. cap. 8. Monſtrum etiam biceps habet Joh. Scultetus Armament. chirurg. part. 1. tab. 45. Petr. Borellus hiſt. & obſ. rar. medico-phyſ. cent. 2. obſ. 57. Paul. Zacchias Tom. 2. quæſt. med. legal. lib. 7. tit. 1. quæſt. 9. §. 3. Inprimis verò huc referenda erit elegans monſtroſi fœtus feminini, Monachi Ann. 1973. editi hiſtoria, quam à rei anatomicæ peritiſſimo, D.D. Joh. Ignatio Sattlero, Amico meo honorando, deſcriptam Illuſtr. D.D. Franc. Ignac. Thiermairius in fine lib. 1. Conſil. medic. divulgavit. *Ex eodem Helvvigio.*

Monſtrum à conſtrictione,

Monſtrum, cujus figuram præſens indicat delineatio, anno 1680. ipſis Calendis Maii in oppido Ebeleben ab ancilla ſtuprata naſcebatur, uno quidem prædito capite, at in eo tres oculi, duo naſi, ora duo, menta duo, aures duæ, poſtea in corporis ſuperficie unicus quidem thorax, at duo ventres, in quorum medio abſciſſus vaſorum umbilicalium unicus funiculus prominebat, duo muliebria membra genitalia, duo ani, quatuor brachia & manus quatuorque pedes erant conſpicui. Cauſa tam monſtroſi partus ex ancilla, matre hujus monſtri, quæſita, talis reddebatur, ſe videlicet clanculum ſtupratam & impragnatam veſtimenta tam arctè conſtrinxiſſe, ut nemo fuerit, qui ob arctiſſimam corporis compreſſionem, ingravidationem ſentire potuiſſet, hinc factum eſſe ſuſpicabatur, ut hæ gemellæ, quæ à natura intendebantur, in fœtum tam monſtroſum abierint, quæ cauſa non abſque fundamento prolata videtur; Cùm enim corpus gravidarum nimium conſtringitur, locus fœtui augendo denegatur, quem deinde facile poſſe coaleſcere vel alio modo corrumpi, res eſt in propatulo: Caveant ergo ſibi mulieres gravidæ ab hac ſuperba corporis gravidi arctiſſima conſtrictione, ne, manſuetiſſima Dei facilitate & gratia abuſæ, tales edant partus monſtroſos.

Scholion. Cum de rebus phyſicis conjecturas ratione innixas libere proferre, nemo Eruditorum prohibeat, idem etiam mihi licitum fore, arbitror. Quamvis autem arctam corporis compreſſionem gravidis non uno modo nocere poſſe, haud ſit negandum, id quod de pectoris ſtrictura alii jam notarunt, fœtum tamen hunc gemellum in principio geſtationis fuiſſe ſeparatum, & ab arctiori demum illa abdominis conſtrictione coaluiſſe, mihi vix perſuadere poſſum: tum quòd ſitus partium, quantum ex delineatione colligitur, id vix permittat; tum plurimas meretriculas, clanculum impragnationem itidem ſtrictiſſimis ligaturis occultantes, fœtus tamen bene formatos & perfectos parere videamus. Japonicæ ſane fœminæ, referente Arnoldo Montano in deſcr. Legation. Batav. ad Imper. Japon. ventres mox à conceptione facta faſciis conſtringere ſolent; perſuaſæ, ni fortiter ligatæ fuerint, partum excludi nō poſſe, fœtus nihilominus perfectè formatos, nec compreſſis præterea aut malè locatis membris præditos parientes cùm magnus hiatus in duobus hiſce corpuſculis, dum conjungebantur, fieri debuiſſet, nullum autem omnino cicatricis inde enatæ veſtigium obſervetur; caput etiam rotunditate ſua, & brachia ac pedes &c. naturali figura ſint præditi, quæ ſane omnia incurvari ac comprimi una, imo multo promptius debuiſſent, non parvum hinc dubium, enaſcitur. Proſtant denique tot alia gemellorum connatorum exempla, quos ab hujuſmodi ligaturis, aut alia violentia externa fuiſſe conjunctos nemo dixerit; ſi, præterquam quod duo capita, juſtumque brachiorum ac pedum numerum habuerint, unicum tamen cor, hepar &c. in eis fuiſſe repertum, conſideretur; quale, præter alios, Joh. Riolanus in diſſ. de monſtro Lutetiæ nato, Nicol. de Blegny Zod. med. Gall. Ann. 1. Menſ. Auguſt. obſervat. 4. & Menſ. Octobr. obſervat. 2. atque Conſilia Med. Thermairiana in append. lib. 1. delinearunt; quomodo enim duo ex. gr. corda in unum abſque vitalis ſanguinis effuſione, & conſequenter vitæ diſpendio, concreſcere poſſint, haud video. Unde errorem hic luſumve Naturæ ſubeſſe, credere malo, quæ in uno illo ancillæ ovulo duas cicatriculas connatas efformaverat, ex quibus dein, à ſemine maſculino fœcundatis, connatos etiam duos fœtus fuiſſe prognatos, mirum videri haud poteſt. Conferantur, quæ in additamento ad obſ. 13. Helvvig. olim ſimili in materia prolixius examini ſubjeceram. *D. Benjamini Scharffii.*

De infante monſtroſo cutem porcelli aſſati ſimilem & duram ex parte gerente.

Anno 1661. die 13. Sept. ex Autoritate Spectabilis Conſulatus Mariæburgenſis, in pago noſtro *Hoppenbruch*, in præſentia Nobilium, Spectabilium ac famatorum Duorum Joan. *Tuſchels* p. t. Præſidiis, Dn. Davidis *Beingken* I. V. D. Dni Martini *Pirken* Proconſulum, Pl. Reverendi ac Doct. Dn. M. Adam. *Heinrich Rhoden*, Paſtoris Mariæburg. Vigilantiſſimi, ego Phyſicus tunc temporis Ordinarius, inſpectionem aggreſſus, inveni, quæ ſequuntur: Infans erat unius & dimidiæ ſpithamæ longitudine, caput juſta dimidietate majus, cum crinium, ſicut Polonis eſt familiare, aliquali protuberantia; Aures carebant lobis; Oculi nulli apparebant, ſed loco oculorum duo rubicunda tubercula, naſi ferè nullum veſtigium, ſed foraminum ejuſdem differentia, ſiniſtrum concretum, dextrum apertum conſpiciebantur.

Cutis per totum corpus & caput aſſato porcello ſimilis, lutei coloris & dura, ita ut pulſata ſonum ederet: fiſſuras habebat quindecim, per quas caro cruda tranſparebat.

Manus unius & dimidii digiti longitudinem æquabant: Concreti verò digiti, quorum pollex æquè longus ac reliqui ſimilitudinem pedis talpæ præſentabant, in extima manuum parte duo tubercula magnitudine nucis avellanæ.

Ex forma conſpiciebatur fuiſſe marem, & virile membrum paulo ſupra locum naturalem poſitum. Scrotum ſolito majus, ſed abſque teſticulis: in loco autem membri virilis quædam apparebat fiſſura, ac ſi fœmella eſſet, ſed non erat.

Tempore abductionis mingebat, ſed urina, quam emittebat, erat craſſus & albus liquor.

Poſte-

Poſteriora etiam non in loco naturali, ſed paulo altius ſpinæ dorſi inſinuata, graviter fœtebant, ſicut etiam mucor pudendis adhærens, qui album & virideſcens pus referebat. Moriebatur tertio die ſequente. *D. Andreæ Cnoeffelii.*

Infantes cum ventre patulo.

Anno nati Chriſti 1597. Menſe Auguſto, Noribergæ infans prognatus fuit cum ventre aperto, & inteſtinis propendulis, porcelli jugulati inſtar. *Ex Chron. M. S. Norimb.*

Anno Chriſti 1659. Menſe Novembri, ibidem Scriniarii cujuſdam uxor primipara in lucem protulerat puellum omnibus membris perfectum præterquam quod anteriori parte venter inferior longitudine ac latitudine palmæ majoris patulus exſiſteret quaſi ſtudio diſciſſus fuiſſet, ita ut & hepar, & viſcerum ſitus exactè cognoſcerentur, natura nihilominus alvi ſordes & urinam per meatus ordinarios excernente. Fœtus quatriduum tantum vixit. *Ex communicat. Amici.*

Scholium Helvvigianum. Quantumvis ex mente Liceti lib. 2. de monſtr. nat. cap. 9. imaginatio ſeu phantaſia parentum vim non habeat detrahendi quicquam materiæ in generando conceptum, & ſolum potens ſit figuras variare, tamen ille ipſe eod. lib. c. 47. & 56. imaginationi in producendo monſtro multum tribuit, & ſi quid fiat, id fieri, ait, ſub ipſo parentum coitu, vel ſub conformationis tempore, Vulgoque habetur, matris phantaſiam in contemplatione rerum intenſiorem & puriorem eſſe, quàm viri, ut quæ ſpecies ſpiritibus, quicunque in ſemine fœtum organizaturo comperiuntur, alte imprimit, ac animæ ſeminis virtutique formatricis communicat. Sic & originem & cauſam monſtrorum ſupra delineatorum imaginationi parentum rectè aſſignamus, atque cùm unius rei plures cauſæ eſſe poſſint, ob defectum unius alteriuſve partis competentis non inique ea quoque monſtra ad genus mutilorum ex debilitate virtutis formatricis & defectu materiæ propriæ annumeramus, Jacobus Ruef l. 5. de concept. hum. c. 3. neſcio ex quo authore ſcribit, Nurſiæ puerum quidem alias bene formatum, ſed aperto ventre, ita ut nudum inteſtinum conſpiceretur, circa nates verò ſolidum, natum fuiſſe, qui mox emiſſa voce exſpiravit.

Additamentum Schrockii. Similis hiſtoria infantis cum ventre patulo nati à me deſcripta habetur in Anno 7. Ephemer. Germ. Curioſ. obſ. 232. & Joh. Sculteri part. 2. Armament. chirurg. obſ. 60. *D. Joh. Helvvigii.*

Infans artubus deſtitutus, rudimenta tantum illorum gerens.

Anno Chriſti 1644. civis quidam Norihergenſis monſtroſum fœtum mortuum in lucem partu dederat, cui caput quidem naturali fuit conforme, corpus vero truncus quaſi rudis, deorſum prorſus planum, ſicuti pupa puellarum lignea; ad latera pendebant brachiola mutilata, cum appendicibus digitorum loco ſex carnoſis, oblongis fere ſine metacarpo; infimæ corporis, ſeu trunci partis ſimiles appendices fuerunt annexæ, ſine omni crurum ac pedum rudimento nec ullum ſexus ſignum apparuit.

Scholion Helvvigianum. Ejuſmodi monſtri cauſam videtur Fortun. Licetus lib. 2. de monſtr. nat. c. 3. attribuere defectui potius materiæ, originem ſuam trahentis à reſiduo alimenti ſuperabundante nutricatui conſimilium partium in corpore parentum, licet alii debilitati virtutis formatricis illud adſignare volunt. Cùm autem unius rei ſecundum Logicos poſſint eſſe cauſæ plures, facile concedendum eſt debilitatem virtutis formatricis, ac defectum materiæ ſimul hic concurriſſe. Nec valet hic talia monſtra mutila ex parentum phantaſiæ vel imaginationis vi oriri, quum hæc, quantumvis intenſa, vim non habeat detrahendi quicquam materiei generandi conceptus, nec virtuti generatrici; nec formatrici ſeminis; nec loci amplitudini, uterum nimis, quàm par ſit, anguſtando; nec ſanitati fœtus morbum membrorum conſumptorum procreando: cùm phantaſia vehemens ſolùm valeat figuras & colores partium variare, iterum verba ſunt ſagaciſſimi Liceti l. 2. allegati tract. c. 9. monſtroſi fœtus manibus & pedibus carentis mentionem etiam facit Caſp. Peucerus in Teratoſcopia.

Additamentum Schroekii. Recedere hic à ſagaciſſimi Liceti opinione, me cogit ipſa, quæ loquitur, experientia, tot exemplis docens monſtra mutila ex imaginatione parentum in lucem prodiiſſe. Sufficiet hic, binis id teſtibus comprobaſſe, Kerckringio ſcil. & Schenckio: Ille obſ. 64. Spicileg. anatom. infantem occipitis oſſe carentem deſcribit, quem mater octavo jam menſe gravida, ob fractum ex caſu filiæ triennis os occipitis, vehementi conſternatione ceu fulmine icta, poſt octo dies in lucem edidit: Hic in obſ. ſuis medic. Medici cujuſdam uxorem, ob fruſtum carnis ei à lanione denegatum, tam iracundam fuiſſe redditam, memorat, ut ſanguis eidem à naribus effluxerit, quem à labris abſterſerat, fœtu poſtea, cui ſupremum labrum defuit, in lucem excluſo. Quamvis caſu potiùs labrum hoc defuiſſe, non vi imaginationis, cenſeat Th. Fienus Quomodo enim, ait, abſterſio ſanguinis à labro cauſaſſet defectum labii? cauſare potuiſſet labium ſanguinolentum, ſed non nullum. *Ex eodem Helvvigio.*

De puero cum ſex digitis in utraque manu & dextro pede nato.

Quantum vis imaginationis valeat in prægnantibus, vix verbis exprimi poteſt; & quidem noſtro ævo tanta eſt frequentia exemplorum, ut non tam mirum ſit, vi imaginationis fœtum à matre aliquando ſignari, quam potius quod non ſemper id faciat. Circumſcripta tamen ſunt tempora, quod enim natura primo geſtationis tempore facit, medio haud perficiet, multo minus ultimo. Egregie Tho. Fienus de vir. imag. q. 121. p. 340. de iis, quæ ultimo tempore fieri poſſunt, differit: In fine prægnationis poſſunt induci notæ in colore, in pilis, ut maculæ rubræ aut lividæ, aut pilis conſitæ. Poſſunt etiam produci carneæ aliquæ adnaſcentia & tubercula &c. Et paulo poſt: Et ſi mulier quinto aut ſexto menſe deterrita à pictura vel homine enorme caput vel pedē habente, poſſet adhuc producere fœtum, ſimilem earundē partium magnitudinem habentem,

tem. Exemplum adducam de fœmina honeſta, quæ quinto menſe ingravidationis fœtum ſignavit,

Viri cujuſdam honeſti uxor prægnans quinto menſe accepit dono cancros egregia magnitudine, illos admirantis & manu contrectantis digitum minimum unus chela comprimit, ita ut manui adhæreret. Illa perterrita quidem, cancrum tamen manu excuſſit, nil amplius de illo ſollicita. Anno 1675. die 12. Junii juſto tempore filium parit, qui in utraque manu digitum minimum habebat duplicem, unum debito loco poſitum, alterum ab illius articulo infimo dependentem, in ſiniſtra quidem manu magis adhærentem, in dextra verò plane pendulum. In pede autem dextro digitus minimus uterque articulo ſuo inſerti, ſed carne & cute ad ſupremum apicem uſque ſibi adhærebant, ut fere chelyn cancrinam formarent. Cum tertiam ſeptimanam infans complevisset, ligatura prius inſtituta digitum firmius adhærentem novacula abſcindere curavi, mox altera die abſque ligatura alterum. Quod ſine magno dolore & profuſione ſanguinis factum, & vulnera haud difficulter ſanata ſunt, ita ut vix veſtigium conſpicuum ſit. *D. Gottofreti Chriſtiani Wincle i.*

Monſtra cruribus intortis, & capreæ figuræ.

Figuras monſtrorum Tibi mitto, rudi penicillo adumbratas. Mulier Leydenſis, uterum gerens, dum è regione ædium ſuarum Agyrtæ canem, cruribus inverſis ſaltantem, contemplatur, ejuſque tripudio oculos fere quotidie paſcit, fœtum tandem enititur, cruribus ſimiliter intortis, monſtroſum. Facies ſatis venuſta, in reliquis membris aberrantis naturæ veſtigia. Via utraque imperforata, ut nec podicis, nec vulvæ aut penis ullum indicium. Immane quantum in prægnantibus valeat imaginatio, quas embryoni inſculpat figuras, quoties ex Æthiopum aſpectu fœtus editi, noctis colore tincti? teſtis ante pauculos annos mulier Ultrajectenſis, quæ ſtatuam ante ædes Viri nicotianam vendentis, in ſignum venalis herbæ, collocatam, & Æthiopem, pilis criſpis oculiſque protuberantibus referentem; ſæpius cum voluptate aſpexit, partuſque tempore, infantem peperit coloris ex flavo nigricantis, qualis eorum eſt qui ex Nigritæ & albicantis congreſſu prodeunt. Apud Thom. Fienum & Licetum larga exemplorum ſeges. Vires imaginationis prægnantium Oves Jacobææ luculenter teſtantur, quæ inſpectu Virgarum ſub aquis latitantium, fœtus varii coloris parturiebant.

Alterum monſtrum enixa eſt mulier Leidenſis prope Promontorium bonæ ſpei, jam in Indias navigatura, (Di talem terris avertite peſtem) quod per ſuperiora navigii hinc inde curſitavit. Beſtiam hanc, Capræ figura (cornu ferit illa) caveto; 4. Menſes in utero geſtavit Mulier. Cauſam monſtroſi fœtus certo expiſcari nequeo. Parentes, ubi menſtruæ purgationis tempore liberis dant operam, generationi monſtrorum obnoxios eſſe, multis perſuaſum. Paræus lib. 24. c. 1. mulieres, quæ fluentibus menſibus Viro ſe miſcuerint, monſtra parituras aſſerit. Succinit Solinus c. 3. Polyhiſt. qui mulieris profluvia menſtrua inter monſtrifica numerari, ex Democrito Phyſico inculcat. Alii talis beſtiæ ſimulachro imaginationi prægnantis altè infixo, & ſpiritus virtutique formativæ impreſſo, monſtri hujus generationem tribuunt. Certè ob imaginem humanam brutorum phantaſiæ obverſantem, inprimis veneris conceptuſve tempore, vi imaginationis, fœtus à brutis editi ſunt, hominis figura induti. Forſan eodem modo, ob imaginem bruti monſtrum hoc peperit mulier; An cum bruto congreſſa fuerit non auſim divinare; An cum Diabolo rem habuerit, cui ſæpius quàm Divino Numini precibus ſuis litavit, omnium ſuffragio vera fuit, ut Galli vocant, *une Diableſſe*, ab imis unguibus ad verticem ſummum, Fœtum ſæpius divis devovit, pudiciam in propatulo habuit, totaſque dies apud maritum infermento jacuit. *de Obſerv. D. Oligeri Jacobæi.*

De Monſtroſo fœtu.

Anno 1668. d. 6. Aug. qui X. poſt Trinitat. Feſt. Dominica celebrabatur, in Ducali Olſna habitantis Sutoris Uxor partum maſculum, intra ſua clauſtra extinctum, poſt labores totas ferè 24. horas perpeſſos, enixa eſt. Conformatio externa Chalcographi cælo accuratius quàm penna deſcribi potuit, ipſam ergo in figura adjuncta intueri licet. In ea hæc ſolum advertenda: Auriculam alterius Capitiſque notatur foramine pertuſam fuiſſe: in tertii pedis dorſo excreſcentiam calcari gallinaceo perſimilem, prominuiſſe: in eodem pede ſeptem conſpicuos fuiſſe digitos: id quod quartum pedem conſtituere debuit, informem potius maſſam, quàm pedem dici promeruiſſe, nec commodè in pictura hac exprimi potuiſſe. Internam viſcerum ipſiuſque cordis ſtructuram, qua figuram & numerum Dn. D. Johan. Wilhelm. Agricola, Archiater & Phyſicus Olſnenſis longe celeberrimus, in cadavere aperto à maximè naturali ac ſolita nil differre vidit.

Scholion. Monſtrorum tum hiſtorias, tum picturas præſcindere ab hoc Ephemeridum Curioſarum Anno decretum erat tantum, non quod viderentur illæ uſum fermè nullum ad Medicinæ vel Phyſices polituram conferre, imprimis cum cauſæ eorum naturales vel abſtruſæ ſint, propter ingenii humani hebetudinem atque caliginem, aut à conſciis data opera ſupprimantur, aut à vulgo rudiori non obſerventur. Veruntamen cum viros famam ab Eruditorum ſuffragiis conſecutos videamus, integros libros ſimilibus hiſtoriis & exemplis compleviſſe, Bauhinum, inquam, Licetum & Weinrichium, nobis quoque vitio haut verſum iri putavimus, ſi, quæ nuperis & modernis temporibus monſtrorum provenere exempla, eorum hiſtorias & icones annotaremus, poſteritatique conſervaremus. Utut ergo ſimilia Obſervata Medicinæ, qua circa Sanitatem vel conſervandam vel reducendam occupatur, utilitatem nullam conferant; Anatomiæ tamen, quam fulcrum Medicinæ, alterum certè eius pedem non immerito dixeris, utilitatem ſuam non denegabunt, modo in ejuſmodi medicorum manus inciderint, qui aut perfunctoria inſpectione & recenſitione tam internorum, quà externorum errorum contenti eſſe noluerint; aut qui per varia impedimenta

menta quæ quemq; ſuo loco manere poſſunt, qua vellent induſtria diſſectionibus incumbere ſemper valerent, aut demique qui requiſitis adminiculis non deſtituerentur, Intercidat vero omnis in Medicina utilitas, non alienum tamen à Medicis erit obſervare taliſmodi Exempla, ut, quos etiam Hippocratis juſſu Viros Pios eſſe decet, pietatis alios admoneant, quo quanto frequentius errores circa humanan Generationem contingunt, tanto magis cogitent, quam non ſine Providentia divina hominis generatio ſingularumque ejus partium particularumque conformatio perficiatur, adcoque de ſua quique corporis integritate Deum venerati ſibi gratulentur, atque inſuper procreationi ſuæ ſpeciei ea ſobrietate ac reverentia incumbant, ac abominabilium partuum abominabiles parentes non exiſtant. Quivis ergo ab ejuſmodi monſtris ſeſe inclamari putet: in me intuens pius eſto, Deo gratus eſto! *D. Henrici Vollgnad.*

Monſtroſus fœtus.

Uxor *Georgii Schvvenckens* Civis & Lanionis Eisfeldenſis honeſta, Eliſabetha, quæ per 4. annos cum marito vixerat, tres liberos ſanos, quorum Filia natu maxima adhuc ſuperſtes, genuerat, Anno 1680. d. 4. Maii, nocte inter hor. 11. & 12. obortis tamen uteri doloribus immenſis, abortum enixa eſt monſtroſum facie duplici, ad triginta hebdomadas vergentem, fœminei ſexus, cujus caput ſine collo axillis inſitum, univerſum occiput aſpectu horrendum, additamento carneo deforme, intus cruore refertum; ſed laceratum & pendulum. Cranium craſſum, Cranii leporini inſtar, cum pauco cerebello & materia mucoſa. Pars ſuperior dorſi gibboſa, media inverſa, infimaque iterum elata, ſed totum cartilaginoſum, tenuiſſima cuticula obductum. Frons exigua & prope nulla, inq; ea ſuperne hinc inde tenelli capilli nigricantes. Oculi tres leporinis ſimiles & aperti, unus quidem cum duabus pupillis in medio frontis, duo in utroque temporum latere ſiti. Duo naſi compreſſi. Ora duo leporina, cum una lingua humana ad utraque ora flectente & ſuperioribus maxillis fiſſis. Ambæ aures latæ & flaccidæ. Cutis totius fere corporis piloſa. Inter utraſque genas foraminulum umbilico ſimile. Eo diſſecto, Cor cum lobo pulmon. minimo in dextro inventum latere, magnus vero lobus pulmonum in ſiniſtro. Sub Diaphragmate ingens hepar omnia ilia tegens. Cætera viſcera bene conſtituta. Lubet & hic alias addere obſervationes: Eodem anno Menſ. Maii à muliere quadam Fabri ferrari *Zu Hitſchendorff*, in Præfectura Eisfeldenſi, nata puella quidem formoſa, ſed grandi cum tumore ſtrumoſo à dextra gena ad ſiniſtram uſque tendente, ſeroſoque humore pleno, quæ eodem die poſt ſacrum lavacrum denata. Alia prioribus annis Eisfeldiæ vitam iniit puella parentibus tenuioris quidem ſortis, ſed honeſtis, cujus ſummæ occipitis parti adnata moles carnea & rotunda, magnæ pilæ palmariæ inſtar, ut plerumque eo tempore lautioris fortunæ fœminæ crines conglobatos, vel vitra alba, vel reticulo involutos & ligatos juxta verticem capitis geſtarunt, ideoque matrem hujus puellæ, tempore prægnationis, accuratius ex invidia cogitatione intenta facile formatricem facultatem ad caput fetus impuliſſe crederetur. Anno 1679. circa Menſ Febr. in Horreo Chriſtophori *Kreuchaufs*, Civis & lanionis Eisfeldenſis honeſtiſſimi, agnellus uno collo biceps cum duobus oribus, quatuor oculis, totidem auribus & rima dorſi duplici natus & à plurimis viſus. Binos Hœdulos, unum bicipitem cum duobus collis, quatuor oculis, tot auribus, duobus ventribus annexis, quatuor ſurſum, totidemque deorſum tendentibus pedibus: 1680. Menſ. Febr. in pago *Bockſtadt.* excluſit capra vitalem, ſed paulo poſt denatum. Alterum vero naturalem & vivacem. In pago *Alſtadt*, in Ducatu Coburgenſi, vitulus tripes, qui antica parte unum, poſtica vero duos habuit pedes, item alius in eodem pago capite urſino cum fronte criſpa & ore urſino in lucem editi & demortui. *D. L. Balthaſar. Chiliani.*

De Fœtu Monſtroſiſſimo.

Framlingamiæ in agro Suffolcienſi, ubi egomet aliquando vixi, menſe Januarii ſuperioris anni natum eſt monſtrum, cujus hæc eſt deſcriptio, uti ab αὐτόπτῃ accepi. Sexus erat diſtinctio nulla, neque enim pro excrementis vel veſicæ vel alvi exitus patebat: papilla tamen carnea parva inſtar nucis avellanæ minoris, loco pudendi, exurgebat. Funis umbilicalis nullus. In dextro latere foramen ingens, ex quo pendulus erat ſaccullus diaphanus, viſceribus medii & infimi ventris plenus. in latere ſiniſtro os unicum, indiſtinctum, latum, loco omnium coſtarum: In capitis ſiniſtra parte, auris nulla, ſed foraminulum: nullum cranium, ſed membranula quædam tranſparens, in qua cerebrum conſpicuum. In parte dextra, carnea moles magna pilis obducta, ad humerum pendula, cui adnectebatur, quam cum obſtetrix amoverat, auris ſubtus comparuit. Hujus lateris brachium tortuoſum, quaſi fracturam paſſum fuerit. Nullus naſus neque etiam labia adfuere, ſed foramina in horum loco. A lumbis ad genua os integrum, ſed divaricans pro ratione crurum in ſingulis pedib. & manibus ſex digiti, qui colligabantur per tiaram quandam membraneam. Paulo ante partum certo certius eſt vivum fuiſſe hunc fœtum monſtroſiſſimum, imo in ipſo matris conatu exaudita ſunt moribundi infantis ſuſpiria. Mater ipſa dicitur Elizabetha uxor cujuſdam Thomæ Welles tonſoris; tam hic, quam illa mihi optime noti, neque de aliquibus infamis vitæ inquinamentis defamati. Mater non recordatur terrorem aliquem ſibi incuſſum, non pica aliqua laboravit inter prægnandum, neque ictum, vel caſum, quantum novit, paſſa eſt. *D. Henrici Sampſonii.*

De Fœtu Monſtroſo.

Præter lapſo anno ruſtici & fabri ferrarii cujuſdam uxor, in pago Coln prope Miſniam, puellam peperit bicipitem, unico equidem capite vitta muliebri quaſi adornato, aſt cum quatuor pedibus, brachiis & manibus duabus, ventribus vero ac thoracibus ad umbilicum uſque tam arcte in unum conglutinatis, ut ne lynceis oculis ullum in illis obſervari potuiſſet diſcri-

men, uti ſchema hoc tranſmiſſum à D. Fratre meo Philippo Erhardo Neſtero, Sereniſſ. Sax. Elect. ad Albim ſcholæ Oeconomo, mihi communicatum, abunde ſatis demonſtrat: Deforme profecto eſt ſpectaculum. Simile monſtrum, ni fallor, à Valleriola & Cardano etiam deſcribitur. Ita ludit interdum natura noſtra, & tales aliique errores circa conformationem fœtus accidunt. Sic nuper monſtroſus infans, poſthumus quidem, natus eſt in pago quodam ſeſquihora Barutho diſtante, qui præterquam quod admodum gibboſus erat, antrorſum etiam valde elevatum & exporrectum habebat pectus. Vidi etiam nuperrime virum quendam, qui à pueritia totus incurvabatur, ut brutorum inſtar vultu prono incederet, duobus ſcipionibus innixus, nec oculos ſurſum extollere poſſet. *D. Joh. Matthiæ Neſteri.*

Abortus humani monſtroſi hiſt. Anatom.

Quamvis Monſtra patrati ſceleris, malive ſubſecuturi indicium vulgus cum Tullio habeat: quaſi horrendo prodigio exorta Parentes ſceleratas, futuraſque ærumnas demonſtrarent; re tamen vera vitiatam ideæ ovalis ſtructuram, & impeditum perfectæ conformationis principium deſignant potius, quam ingruentia mala nobis portendunt. In omni ſiquidem ſubcœleſtium viventium genere Naturæ haud vero luxuriantis monſtroſos experimur fœtus, ita, ut ne ſimpliciora Corpora generanti Naturæ peccandi occaſionem adimere videamus. Ut proinde intuentium animos tantam in admirationem non rapiant ejuſmodi monſtra, nec immaturioris judicii pruritum ſtatim excitent. Præſertim ubi Matres ex paſſim obviis ſubito terrore perculſas, indeque blandum earum fotum fœtui ſurreptum cogitaverimus; Non minus quoque anguſtiores uteri cancellos tenellum Embryonem arctius ſæpe comprimere, aut violentius concutere poſſe; interdum & ſuccum nutritium laſcive fermentantem impetuoſius in eundem irruere, aut ubi plures ſimul conceptus, parcius & ſegnius eoſdem enutrire, unique horum perfide ſe ſubducere; ſic haud raro quoque tenellas ovuli membranulas, aut ob liquamenti nutrientis luxuriam, aut validiorem coarctationem inter primordia facile diſruptas cum obvio coaleſcere, atque hac ratione enormiter deformare comperimus. Eoquefacilius hi (cum aliis plurimis) errores juſtam fœtus formationem vitiare ſolent, quo materni ovuli ideaiis plus favet. Hanc ſiquidem ea pene ratione ovulo imprimi, qua prima plantarum rudimenta, in earundem ſeminibus, obſervamus, nullus dubito. Gemmam enim & folia, quæ primo erumpunt, facile ibi deprehendes, caulemque ſimul quem protrudit, & radicem quæ ſe terra firmat. Adeoque planta ſuis jamjam conformata partibus tamdiu deliteſcit, quamdiu idoneo humore minus perfunditur aut irrigatur. Non minus Alma Parens fundamentum futuræ prolis in ovulo humano jam poſuit, quod ſpirituoſi ſeminis virilis contagioſa quaſi fermentatione actuatum ſucceſſu temporis ſeſe exſerit, ſanguiniſque & ſpirituum mutuo impulſu motum pro vita acquirit, Quæ feliciter in utero materno inchoata, ſine labe etiam perennat, niſi quidpiam ei impedimento futurum ſit, Minimo vero errore inducto, non tantum langueſcere incipit & vacillare, ſed & parti languenti idem error profundius imprimitur, uſque adeo, ut pro mala partium diatheſi, diverſoque iis charactere impreſſo, Natura in earum adaugenda mole & textura ſapienter & bene ſtruenda fatiſcat & à tramite ſuo deflectat. Tales Naturæ errores, etiamſi ſæpius admiremur, hac tamen vice nõ ſine animi ſtupore præſentem Abortum Humanum, tam externo aſpectu monſtroſo horrendum, quam interiori partium formatione; imo earum rara abſentia ſtupendum contuebimur, ejuſque hiſtoriam Anatomicam hic ſubnectemus.

Nimirum, poſtquam Uxor Civis cujuſdam urbis noſtræ, per ſeptimeſtre ſpatium utero geſſiſſet, & per id tempus ſæpius de dolore conqueſta eſſet, emortuo fœtu monſtroſo, maturiorem partum accelerante, Mater trium natarum facta eſt. Atque primo quidem puellam decentis & perelegantis formæ feliciter enixa eſt. Hanc infauſto conatu inſequebatur monſtroſa, quam hic luſtrabimus. Tertia denique corporis forma & magnitudine primæ vix cedebat. Veluti autem natu majorem & minorem ſecundinæ facile ſequebantur: ita mediam, monſtroſam nempe, non excepere, Totum ſi quidem corpus iiſdem obvolvebatur, ac ſi integumentis communibus cinctum videres: quod innumeræ venarum atque arteriarum propagines, & infinitæ glandulæ miliares hinc inde per eas diſperſæ, uti & ſubſtantia grumoſum & fibroſum ſanguinem repræſentans, digitumque craſſitie ſua adæquans, facile demonſtrabant. Hincque corpus deformius redditum à ſecundinis, veram cutem mentientibus, quam ipſa oſſea & carnoſa mole, Detractis enim hiſce à toto corpore, omnes muſculi ſeorſim dividi, & facili negotio diſtingui potuerant, ut quod Monſtrum antea, nil poſtea ab humano fœtu alienum fere cernebatur: niſi quod dictæ cutis pars reclinatum caput cuculli in mitræ ad inſtar pendula contegebat. Oculorum tantum aderant veſtigia; Nareſque lineolis modo diſtinguebantur, Ore hiante & patulo ſuperior gingiva diviſa prominebat, denteſque æmulabatur. Lingua latiori ligamento palato firmata & labiis coextenſa videbatur. Aurium rudimenta ad latera deprehenſa. Facies & collum ejuſdem cum thorace latitudinis vix diſtinguebatur, unde vulgus faciem in pectore locatam ſibi perſuadebat. Duo brachia corpore propendebant, quorum tamen dextrum longius craſſiuſque; utriuſque cubitus recurvus protendebatur, unicuſque digitus, pollex nempe, ungue diſtinctus radio breviori affigebatur; utrique enim ulna plane deerat. Sic etiam crura decuſſatim ſibi impoſita, in parvo pede unicum tantum alebant pollicem tibiæ annexum, Fibula neutri præſente. Et velut Natura dextrum brachium grandius ſiniſtro; ita, contra crus ſiniſtrum majus dextro formabat, ut damnum utriuſque reſarcire viſa ſit. Vaſa umbilicalia quatuor tantum digitos tranſverſos longa, fœtuique annexa abſcedebant. Pudenda ſat ampla erant; Anus autem imperforatus.

Hæc Naturæ in exteriori contextu inſolentia ad interiorem viſcerum luſtrationem me commovit. Et ecce abdomen primo apertum tantum

veſica

veſica quadam, id omne replente, lymphaque viſcida ſcatente, diſtendebatur, ut peritonæum haud incongrue crediderim. Prope umbilici autem exortum quædam inteſtinula extra peritonæum contorta, ac meſenteriolo quaſi firmata interius decurrebant, & in inteſtinum cœcum deſinebant. Hepatis & lienis ne veſtigium quidem deprehendebatur: uti nec ventriculus obſervabatur: niſi peritonæum ventriculum ita extenſum, mucoque illinitum dicere mavis. In Hypochondrio dextro vena cava, ubi alias hepati ſe inſinuat, hic propter ejus abſentiam paulo amplior ramos ad dictum meſenteriolum dimittebat, plerumque, pro vena portæ habendum, formabat. Superius aſcendens ramulo quodam Aortæ ſe inſerebat, & in ſubclavias diviſa, jugulares conſtituebat venas. Deſcendente autem trunco ſuo emulgentes ad renes dimittebat & dein Iliacos ramos diſpergebat. Renes cum incumbentibus glandulis renalibus exterius oblongæ preſſulæque rotunditatis; interius vero ſinuoſæ cavitatis, conſpiciebantur. Uterus majoris molis, duriuſculus, canini ad inſtar bicornis pelvim explebat; Cui tenuis membrana incumbens proculdubio veſicam conſtituebat, quam tamen accurate obſervare non licuit. Abdomen pectuſque diaphragma certo limite dirimebat, expanſaque ſuperiori ſua, quam pleuræ debet, membrana, ſubclaviculis ulterius extenſum, ſibique rurſus coadunitum, duplicatum quaſi extabat, limitibuſque ſuis per totum thoracis ambitum effuſum, ſpiritum continebat: ut velut peritonæum liquore viſcido repletum totum abdomen occupabat; ita & hoc ſpiritu turgens, tanquam veſica eundem in thorace concludebat; Gulæ venæque cavæ non erat pervium; ea namque penitus abſuit; hæc verò ſub tendinoſa ejus portione deſcendebat. Arteria Aorta juxta diaphragmatis duplicaturam in ſiniſtro thoracis latere exorta ei cohærebat, verſuſque ſuperiora pergens in ramos diviſa ſubclavias & ab his enatas carotides protrudebat; inferius in iliacas excurrebat.

Pulmones plane deerant; uti &, quod mirum, penetrale cordis. Aſpera tamen arteria linguæ affixa, in deſcenſu ultra primam coſtam non protenſa, in parvam quandam membranaceam cavitatem, aere turgidulam, deſinebat. Caput, licet ſphæricæ figuræ nota à collo & thorace *non* diſtinguebatur, quoniam cutis totum corpus ambiens craſſior collum expleverat, caputque in ſe quaſi cogeret & quodammodo reclinaret: reſecta tamen cute iſta, collum gracilius probe id diſtinguebat, terminiſque ſuis circumſcribebat. Dum vero cutis per capitis ſuperiora pergebat, ſupra cranium minus ſibi coadunita aut adnata longius protendebatur, ut à capite pendula cucullos Monachorum fere imitata fuerit. Os bregmatis dextrum tantum aderat, ſiniſtrum verò membrana albicante duriori, Natura adæquabat. Vertex, uti in omni fœtu tenui tantum membrana inducitur; ita hic patulus plane fluidiori cerebro effluenti anſam dedit: Nam quamvis cerebrum variis mæandris & gyris in ambitu adhuc exornatum erat, fluidius tamen & putredini jamjam propinquius ſui contrectationem non ferebat; ut proin partes ejus diſtinguere & curioſius ſcrutari non licuerit. Oſteogeniæ limites alias Natura in hoc fœtu non excedebat, ſed compagem oſſium decoro ordine & numero cohærebat, niſi quod in cubito, uti dictum, unicum tantum os, radium nempe produxerit, eique pollicem variis ſuis oſſiculis diſtinctum annexuerit. Simili modo cruri tibiam tantum addebat, eique pollicem ſolum quodammodo recurvum conjungebat. Hæcque ſunt, quæ Curioſior diſſectio aperuit nobis & detexit.

Scholium. Sed miraberis forſan, ſpectator, quod intuitus es? nec abs re; modo exin benigniſſimi Conditoris Tui laude ducaris.

Stupeſce, ſi vitam vixiſſe cognoueris. Lapidem non hominem dixeris, qui abſque eo, quo vivat, vivit. Quid ſanguinem impulit? quid eum purpura tinxit? An abfuiſſe, an immotum ſtetiſſe credis? Prudentiorem Te judico. Naturam inſueto tramite incedere poſſe exinde diſcas. Quis iſte? Conjecturæ dabis veniam. Hæc Tibi diſpliceant, meliora docebis. Dicam tamen quod res eſt, & ab ovo, quod ajunt, exordiar. Nimirum poſtquam Genitalia matris ob ſeminis virilis ferocius fermentantis vim turgidiora reddita, tria ſimul ovula è glanduloſa teſtium compage, quam ovarium dicunt, in uterum depluentia, conceptum triplicem foviſſe non negabis. Hoc enim ſtructura viſceris ſuadet, & ratio experimentis confirmat. Poſita vero hæc in utero fundamenta, & jamjam motu actuata, ſucco nutritio ſubinde affluente æqualiter perfuſa augmentum ceperunt. Et feliciter forſan, ni infauſta Mater abortu quodam vitulino immaturiori viſo perterrita, Filiolumque ſuum creberrimis convulſionum paroxyſmis tentatum mœſta ſæpius deplorans characterem fœtui impreſſiſſet. Poſitus namque monſtroſi corporis inflexus quaſi & reclinatus, puero, dum convellitur, admodum reſpondebat: carneaque vituli moles, glabra adhuc & rutila, ſanguine quaſi ſuffuſo fœtui haud abſimilis hoc ſuadebat. Eoque magis vim Animæ fœtus experiebatur, quo plus uteri coarctantis anguſtia & reliqui fœtus ſitu medium (quod ordo in pariendo probavit) valde comprimentes, ei favebant. Unde non mirum, ſi diſruptis ſuis membranulis cum proximis ſibi ſecundinis coaluit. Haud enim ignotus eſt Naturæ hic coaleſcendi modus, dum pulchro luſu interdum flores & fructus ſibi accreſcentes geminavit, atque varios inde inſitionis modos mortales edocuit. Idque ſpiritus nutritii fermentantis, & in ſe coerciti occaſione. Nam quam primum hic intra ſuos carceres non coactus erumpit, ob continuum novarum portionum balſamicarum acceſſum turgeſcit magis & luxuriat, ut cum contiguo ſibi corpore in unum cogatur. Majorem admirationem ſubit nutritionis opus, organique ſanguinem impellentis, uti & aliarum partium abſentia. Anne adhuc cor primum vivens cum Ariſtotele, & hepar ſanguinis officinam cum vulgo dixeris? ſane micans iſtud punctulum, primis diebus poſt conceptionem præſens, id non confirmabit: Minime enim cor eſt, ſed tota embryonis idea, ſanguine ceu principio ſuo vitali perfuſa, in qua partium ſtamina jamjam revera poſita motu ſervantur & vigent. Ubi cruentum hepatis imperium? ubi muneris ejus majeſtas tamdiu ſervata? non miror exequias

olim

olim ei celebratas. Sanguis ſui ipſius cocus eſt & arbiter, alieno non indiget. Nihilo tamen minus neceſſarius erat ſanguinis motus & ejus fœcunditas. Scias diaphragma duplicatum ſpiritu diſtentum, ſuccumbentem Aortam comprimens, ut & nervos, arterias ubique comitantes ob cerebri motum eas quodammodo retrahentes, impulſum ſanguinis adjuviſſe. Tantus enim, qui in adulto, impetus non requirebatur in fœtibus, liberius in utero nondum adhuc reſpirantibus: ut proin non mirum pulmones, qui alias quaſi quieti in embryone, plane abfuiſſe. Quidni & lympha viſcidior chyloſaque peritonæo contenta fœtum noſtrum enutrire potis erat? Licet ore patulo, ad ſuctionis munus inepto, dulciorem è matre affluentem liquorem eligere ſibi non potuerit. Nec cerebrum rore ſuo per nervos amandato partibus vigorem addidiſſe dubites. Hoc enim, præ cæteris fœtus partibus mole grandius munere ſuo non iners fungitur.

Adeo ita neceſſarius erat pro vitæ continuatione ſanguinis, ſpirituumque Animalium mutuus impulſus, motuſque perennis; ut Natura de his magis quam de ſolidioribus partibus ſolicita, quacunque etiam ſtructura fœtus perennationem moliatur. Sufficit ergo per imperfecta organa Naturam vitæ ſervandæ conſuluiſſe, & abſque primariis organis eam etiam continuaſſe, dum per perfectiora non licuit. Quamvis difficilior, ſi non impoſſibilis, excluſi in auras fœtus noſtri ſuſtentatio diffitenda non fuiſſet. *D. Chriſtophori bolleri.*

De Monſtris.

Fortunius Licetus libro de Monſtris (quo quidem in opere licet miranda veniat figurarum varietas, longe tam magis animum percellunt, quas varietatis hujus adducit origines] operoſe diſquirens quo ex capite portentorum alterum, ſive exuperantia, ſive defectu materiæ, ſive quacunq; deformitate, alterum longe ſuperexcedat, non aliam hujuſce rei cauſam allegare videtur, niſi & aſſiduas phantaſiæ impreſſiones, quæ in uterum ſpeciali ratione aſſiduo redundant, & materiæ defectum; quas binas cauſas ſtato numero concludit Paræus lib. 25. cap. 1. Ariſtoteles vero ſolam poſtremam tanquam omnis hac in re diſcriminis ſcaturiginem aſſignat.

Verum contra luctatur avidiſſimus ſcientiarum zelator Wilhelmus Harvæus, qui in ſuo de generatione animalium volumine demonſtrat, non materiæ copiam, ſed hujuſce qualitatem animalis generationem operari.

Aſt huic ſeſe vulgaris opponit opinio, vix hominum phantaſiæ evellenda. Etenim, ait, materiæ copia plures uno partu fœtus ſæpenumero produxit, ut ex Paræo aliiſque colligere licet.

Judicat Nicolaus à Maſſa epiſt. 29. tom. 2. non ſolam materiæ inopiam, verum etiam parentum ſenium, mutilam poſſe prolem generare, in cujus rei probationem ſe partum conſpexiſſe Venetiis narrat, poſt quindecim menſium in utero moram, oculis, manibuſque privatum. Cujus rei culpam in patrem ſeptuagenarium ſimul ac matrem ſexagenariam conjicit.

Nos interim cauſarum multitudini ſuperſedentes, nil hac in re ſatius ſtatui poſſe ſentimus, quam potiſſimam, quin imo & ſolam monſtrorum ſcaturiginem in imaginatione ponendam eſſe.

Impreſſiones in cerebro factas in ſemen atque uterum efficaciam ſuam diffundere, aſſerit Empedocles; Ac nobis quidem hæc humorum ſpirituumque cum utero communicatio hunc in modum exponi poſſe videtur: obſervare licet minoris corporis vires ſive potentias à majoribus recipere influxum, in tantum ſæpius, ut etiam operationes naturales ſuperent. Animadverti id poteſt in vehementioribus animi paſſionibus, ut ira, triſtitia, dolore, &c. quæ ex liene naſci judicantur; quod ipſum propugnat Joannes Baptiſta ab helmont, in ſua medicinæ Auroræ ita diſſerens: maſculus quoque, quamvis matrice careat, ſuæ nihilominus figuræ circa ſplenem efformat effigiem.

Imaginatio igitur, quæ potiſſimum, ut dictum, hac in re operatur, in ſpiritus humoreſque dominatum exercet, dum ad integrum efformandum fœtum univerſæ naturales potentiæ collaborant: hinc accidit ut prægnantes intus commotæ, ſpiritus animales atque humores tranſmittant ad uterum, ac ea quæ per commotionem recepere phantaſmata, tenello fœtui communicent atque altius imprimant.

Inter Belgas littoribus maritimis vicinos, plurimi nigro criſpato capillitio, ac fuſco aſpectu conſpiciuntur, quod non incongrue tribuitur, aut temperiei, aeris, aut clymatis genio, aut conſuetis loci alimentis, aut demum occultis fœminei ſexus phantaſmatibus & impreſſionibus. Ita Levinus Lemnius lib. 1. de Complex.

Quorum quidem phantaſmatum tanta vis eſt atque efficacia, ut quidquid conceptionis momento mulieris occurrerit phantaſiæ, id omne concepto fœtui imprimatur.

Audiatur denuo Joannes Baptiſta ab Helmont, qui de febri tractans ſic ait: Palam nihilominus eſt cur mulier prægnans gravius laboret quovis alio homine cum uterus vicinus ſit vaſi in quo ſpirituum commotiones univerſæ peraguntur.

Monſtra omnia à variis obſervata, ubi imaginatio fortis cauſa mali fuit quod ſi proponere luberet, chartæ inſignem conſumeremus quantitatem, ſufficiet pauca nobis oblata amico lectori communicaſſe.

Gravidæ, ex familia magna, ad fores ſtanti occurrebat mendica, brachium truncatum, quo eleemoſynam extorqueret; oſtendens, illa ſubito conſternata filiam mox peperit, cujus brachij oſſa, ad tactum omninò mobilia, vi imaginationis, de ſtatu ſano deturbata, maxime ea quæ manus digitorumque, adeo ut non niſi truncatum brachium exhiberent.

Similis conditionis exempla duo proponit helmontius Auroræ Medicinæ art. 11. quæ loco citato legi poſſunt, ubi inſuper quæ ſit imaginationis vis declaratur.

Anno 1643. videre mihi contigit monſtrum, per aliquot dies vitale, cujus cerebrum extra cranium protruſum, naſus diviſus digiti dextræ manus comminuti, ſiniſtræ ſeparati. Mater ultimis menſibus gravida virum ex caſu gravi demortuum, cujus cerebrum cranio fracto, extrorſum erat dimotum adſpexerat. Ab eo tempore obſervabatur continuo imaginationi & ſitus & conditio læſæ partis.

Anno 1634. 15. Decembri monſtrum in urbe natum: cujus ſuturæ à ſe invicem videbantur ſeparatæ, ſurſumque elevatæ, ſic ut galeæ formam exhiberet.

Anno 1653. 18. Auguſti ſex menſium filium peperit Klaartje Teunis hora quarta aut quinta ante partum monſtrum excluſerat, formam habens limacis, coloris variegati inſtar anguillæ mobile adeoque vivens.

Anno 1656. 9. Novembris, juſto pariendi tempore, mulier quædam, quod Æthiopem fortè occurrentem adſpexiſſet, filium excluſit ope obſtetricis publicæ, cujus facies, & brachium dextrum cum manu coloris erant nigricantis; venter aquâ diſtentus adeò ut ejus claræ, flaveſcentiſque libras duas diſſectus exhiberet, incluſa ea membranæ viſcidæ; viſcera omnia bene ſe habebant, excepto Liene qui exiguus valdè, firmus, obſcuri coloris, Renes corrupti. Veſica ovalis, aqua gelatinoſâ repleta. In Thorace Cor ſolidum, bene conſtitutum, auriculæ ejus duræ, cœruleæ, ventriculus dexter ſiniſtro multo amplior.

Anno 1655. ultimis Januarii, præſentibus Viris Clariſſimis, Dn. Joanne Hartogvelt, & Wilhelmo Piſone puerum vidimus octo vel novem ſeptimanarum, pedibus, brachiiſque privatum.

Mater 38. annorum liberos plurimos ſaniſſimos antea peperat, monſtri verò hujus cauſa, quod filium 13. annorum in prelio navali anglico brachii pedibuſque orbatum, certò ſibi perſuaſiſſet; vixit ad menſes quinque.

Non ſolum monſtra occurrunt membris his illiſve deſtituta, imaginationi ſuum eſſe quæ debent; ſed & ejuſdem virtute non raro generari fœtus hujus illiuſve coloris, experientia quotidiana docet. Animalia bruta multoties alterius longè coloris excludent fœtus, cujus ipſa ſunt; equorum Magiſtri ubi equos coloris varii, ex nigro albicantis, exoptant, caballum ad aliquot dies in ſtabulo detinent, cujus parietes calce incruſtati variis locis denigrati, nullam hic admittunt lucem, niſi quam candela ſuſpenſa præbet. Hinc ex obſcuro ejuſmodi loco equum, quem impraegnare equam deſiderat, in lucidum producit. Hic equus clauſis oculis; dum congreditur, non niſi variegata obverſari ſibi perſuadens fœtum variegatum generari efficit. Simili ferè modo proceſſit Patriarcha Jacobus, dum pecora tranſire fecit decorticata ligna; qua de re Gen. cap. 30. verſ. 37. & 38. agitur.

Anno 1655. Filiola publicis nundinis ſe ſpectandam exhibuit, quæ toto corpore, mento imprimis, hirci inſtar piloſa; referebat is qui eam circumducebat, matrem ejus gravidam impetus varios ſuſtinuiſſe ab hirco quodam illatos, quocunque modo removere hoſtem hunc laborabat, nihil efficere valuerat.

Præter imaginationem, in gravidis duorum triumve menſium appetitus quandoque adeſt depravatus, unde variis corporis partibus maculæ ſæpius notantur, tubercula, deformitateſve, quoties deſiderio ejus modi haud ſatisfit. *Jobus à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

Monſtrum ſine cerebro, cum pulmonibus inverſis &c.

Lectiſſima Matrona annos præter propter 25. nata, & pueruli jam mater, ſecundò gravida facta, per totum prægnationis tempus optime ſe habuit, agilis ſemper ac hilaris vixit. Debitò tempore fœtus, quem geſtabat, motus, eoſque etiam cum ad partionis terminũ accederet non parum vehementes, perſentiit. Terminus autem quem ſibi præfixerat ipſam non fefellit, nam 18. Martii Ann. præſentis 1695. poſt quinque ſexve horarum labores, potentioribus adjuta volatilibus, quibus vires non parum labaſcentes ſubinde excitabantur, convulſioneſque identidem adventantes arcebantur, maſculum mortuum peperit; quem cultro anatomico ſtatim ſubjectum, reperi, caput craniò prorſus deſtitutum, ita ut ne quidem lamellula aut bractea aliqua oſſea, cartilaginoſave, ab ipſis oculorum orbitis, oſſe occipitali, ac ſphenoidis marginibus, aſſurgeret: Verùm totum illud ſpatium quod à cerebro occupatur, ac cranio operitur, replebatur corpore tuberoſo, hepatis parenchymati colore ſuô non abſimili. Illud corpus per taleolas exſectum, varias nobis præbuit cellulas, alias quidem ſanguine fluidiſſimô ac nullatenus fœtente, alias lympha tenuiſſima plenas, quibus cellulis ſubinde interponebantur maſſæ carneæ hepatis ſubſtantiam quam exquiſitiſſimè referentes. Cellulas prædictas quod attinet, illæ nullam habebant cum cerebri ventriculis in ſitu & numero proportionem, ſiquidem plures multò erant quàm quatuor; & hinc inde indiſcriminatim poſitæ. Cerebrum verò omnino deficiebat, nec ejus defectum, vel medulloſum quod cellularum cavo adhærens, vel aliud ejuſdem ſubſtantiæ aliquatenus analogum, nequidem ad ipſius baſim, quam os ſuſtinet ſphenoides, ſupplebat: verum nervi optici de orbitarum fundô aſſurgentes, ſe in membranaceum quid, pellucidum tenue admodum, ſed firmum, eidem oſſi ſphenoidi intimiùs adhærens, explicabant. Cerebellum non minùs quàm cerebrum deſiderabatur, nec aliquid quod ipſius vices gereret advertere licuit. Spinalis medulla ab origine ad ipſum os ſacrum fiſtuloſa viſa eſt, ſeu in ſuô mediô tubulata. Aures ac major faciei pars pilis largioribus erant referta. Glandula Thymus in ſex lobos, tres ad dextras, tres ad ſiniſtras, poſitos, diviſa, ad thoracis imum deſcendebat, corque, ac ipſos pulmones per anteriora obtegebat. Pulmones inverſi fuere, parſque eorum quæ ſternum in ſtatu naturali ſpectat; circa vertebras dorſi erat poſita. In abdomine nihil vitioſi repertum.

Hic ſanè quæſtio non immeritò moveri poteſt, unde fuerit motus principium in fœtu cerebrô prorſus deſtituto, an-ve illud in medullâ ſpinali hîc neceſſariò ſecundùm Celeberrimorum quorundam Anatomicorum ſententiam, exquirere debeamus? Huic opinioni firmandæ non parum facit quod in pullô embryonato ac de ovô extracto, obſervatur, dum enim cerebrum nullum conſpici poteſt, ſed mera lympha ejus ſpatium replet, ſtatim ac ſpinalis medullæ regio aciculâ compungitur, illius corpus variè retrahitur. Ac etiamſi in noſtrô fœtu, medul-

dulla ſpinalis aliquatenus membranoſa, ac per totam ſuam longitudinem tubuloſa fuerit, nihil inde vi ejuſdem fibrarum, ſpirituumque ipſas irradiantium, adimitur. Notatu præterea dignum erat, quòd partes in quas nervi à ſpinali medulla orti, diſtribuuntur, in noſtrô hôc ſubjectô, naturalem erant adeptæ magnitudinem, dum caput ipſum in quod nervi à cerebro derivantur, totum erat flaccidum, ac natura multo minus.

MORBILLI.
Vid.
VARIOLÆ.

MORBUS HUNGARICUS.

De eô hic tantum per Obſervationes ex Tobiâ Coberô cum ejuſdem doctiſſimis ſcholiis.

Obſervat. I.

CUm Anno 1598. Theodoſia, Calendis Auguſti expugnata, per dies 18. in inferiore Ungaria vagari cogeremur, ſic quidem, ut illa expeditio ſatis ſane fauſta propter ſucceſſum, propter nos autem non victoriis, ſed pane victitantes, parum commoda ceſſerit, plurimi & in his magni nominis viri, partim ob parum coctos cibos morbis Ungaricis puris corripiebantur. Erat in his generoſus Dominus, Dominus Johannes Georgius de Kolonitſch, &c. Signifer Domini fratris Germani, Domini Sigfridi, &c. qui cum carnes non tam vulcano, quam ſole præuſtas, latranti ſtomacho obtruſiſſet, languorem Hungaricum, qui morbo Pannonico familiariſſimis, confeſtim ſentire cœpit. Cum n. tentoriis, rei culinariæ deſtinatis, deſtitueremur, ſub medio, eoque ferventiſſimo ſole aſſaturæ cocturæve carnium vacare cogebamur. Nam cum tauris caſtra ſecuturis abunde pabula ſuppeterent, horum carnibus ſolis fere veſcebamur, ita quidem, ut ex mactatu adhuc calentes trementeſque carnes avidis faucibus diſcerperentur; à ſole nonnunquam plus concalefactæ, quam toſtæ. Hoc autem, quod vel ſolum languorem Pannonicum infligere poſſit, plurimis perſuaſum eſt, mihi vero plus ſatis expertum. Ad ſubverſiones equidem ſtomachi, caputque vehementer diſturbandum, radios ſolares non ſentitos tantum, ſed devoratos quoque plurimum poſſe multi milites apud Pannonas miſeris edocti modis tandem ſunt convicti. Inter convictos erat & hic noſter æger: qui cum per triduum cum nauſea, anorexia, ſingultu & dolore gravativo, licet non admodum vehementi, colluctatus fuiſſet, ſic tamen, ut nihil interim defunctionibus Equeſtribus, eiſque clariſſimis, remitteret, me ad ſe vocato, cum ex Domini generoſi relatu fomitem languoris cognoviſſem, vomitorio noſtro, de quo in Scholio Obſervat. 3. Decad. 2. ſentinam ocyus è ſtomacho exturbandam aſſerens, poſtquam quinque ejuſdem grana ex mulſo propinaſſem, vomitu ſatis facili & copioſo ſubſequente, cruditatem exhalans, materia prompte in ſtomacho revelebatur, ita tamen, ut de dolore, in ſterno per vomitum excitato, conquereretur. Hujus rei cauſam cum perſcrutarer: inveni totum pectus ſuæ Magn. miraculi inſtar, non ex coſtis, ſed ex continuo ſolidoque oſſe conſtare, tanti roboris, ut etiamſi pugno quam fieri poterat duriſſimo ictu, ſua Magn. facile annuente, pulſaretur, nihil doloris eo in loco ſentiret. Cauſam tam ſtupendæ conformationis cum a tius inquiſiviſſem, generoſæ ſuæ Magn. Dominam matrem, heroinam nullis unquam laudibus ſatis evehendam, jucundiſſimo aſpectui cataphracti inhærentem hoc embryoni robur impreſſiſſe cognovi, ſic tamen, ut propter minus perſpirabile pectus, ſemper fere Dominus noſter Patiens vel tuſſiculis conflictaretur, vel empyematibus (ex quo vix non Anno 1600. contabuiſſet] obnoxius eſſet. In dubium, hoc ſtupeſcendum Naturæ opus Anatomici forſan vocaverint: cum tamen ſua Magn. non modo ſuperſtes ſit, ſed etiam in conjugio vivat, ipſi veritati oculari fidem nunquam perogaverint. Etſi autem paulo poſt etiam dolor ille, quem ob vomitum ex muſculis thoracis, motu violentiore concuſſis, & tamen oſſi ſolidiori ſtricte quaſi ſuperinductis commotum ſtatuebam: poſt inunctionem ex althæa evaneſceret: tamen cum febricula quædam ex diuturniore conſtipatione ſuboriri videretur, languore paululum in calorem tranſmutato, ſuam Magn. 21. Auguſti hauſtu evacuativo, præmiſſa leni præparatione purgare volebamus. Hunc autem hauſtum cum pharmacopæi tyro, ob defectum luculentioris foci, vix tepidum in aurora exhibuiſſet, enormi paulo poſt vomitu, ſtomacho tepore pharmaci relaxato, ſubſequente, etſi phlegmatis uiſcoſi, biliſque porraceæ plurimum reficeretur, cum tamen per ſeceſſus operationem medicamenti maluiſſet, & ob languorem viribus ſatis proſtratus eſſet, pane toſto ex malvatico exhibito, & eodem caryophillor. pulvere conſperſo, cum jam nihil impuri in ventriculo relictum videretur, foris admoto, tumultus ventriculi tum compeſcuimus. Cum vero de Turcarum adventu altum eſſet ſilentium; ut ſua Magn. ad aërem, ex inſalubri in melius mutandum, paulum ad Caſtrum ferreum expatiaretur, auctores fuimus: quod etſi primo ægerrime admitteret, tandem tamen morem gerens, cum poſt unam & alteram hebdomaden viribus reſocillandis inſeruiſſet, ad caſtra redux proſperrima deinde valetudine eſt uſus. Quid n. & quantum in languore pannonico aëris mutatio poſſet, cum ex Anni 1597. propria experientia evidentiſſime edoctus eſſem, (ſic quidem, ut ſimul cum primo aëris Auſtriaci attractu, omnes & illas, vix non lethales, anguſtias relaxatas, & languores diſcuſſos ſentirem) hoc genus medelæ in corpore hoc heroico obviis ulnis amplexabar.

Scholia. Priuſquam languoris Pannonici συζυγίας excutiamus, prima ſtatim fronte ſemel pro ſemper definitionem ejuſdem ob oculos ponemus. Eſt igitur Languor Pannonicus diſpoſitio ad morbum, ex rerum ſex non naturalium, vel prorſus mutato, vel ſiniſtro uſu & abuſu, primo hominem ad neutram ſanitatem diſponens, tandem negligentia ſui ad mortem ſenſim deducens. Inter auctores autem, qui teterrimum luis Pannonicæ languorem ſcriptis ſunt perſecuti, non poſtremus eſt, doctiſſimus Thomas

mas Jordanus qui tractatu 1. φαινομένων peſtis, cap. 19. ex Anni 1566. infauſta expeditione phyſicum caſtrenſem agens, ſtricte quidem, docte tamen, hujus virulenti mali rabiem delineat. Eſt etiam inter illos, qui patrio idiomate rem non infeliciter aggreſſi ſunt, non ultimus, Coradinus: cujus opuſculum ut Medicus ad caſtra digreſſurus aliquoties evolvat conſultum puto. Ante omnes tamen doctiſſimum, & omnibus numeris abſolutum opus de morbis petechialibus clariſſimi domini D. Octaviani Roboretæ Tridentini perlegendum conſulo: cum Petechiæ municipali quaſi jure ſymptomatum συνδρομὴ languoribus Pannonicis patrocinetur. Apud Hungaros quidem ne literam ullam de hoc peſtifero malo typis excuſſam vidi: quamvis Procerum infer. Ungariæ & Reipub. Semproniensis Ordinarius ſedulo inquiſiverim. Quem enim ſolum ſibi Sympatriota ſuum & familiarem luem Pannonicam ſtatuunt, ſua lingua *Tſchemmerle* vocantes, ſolo allio, aceto, piperaceo, & artubus, violentiore fricatione vix non excoriatis, leviſtici ſimul fruſtulis aliquot commanſis, promte eradicari poſſe ſtatuunt: adeo ut hoc ſolo medelæ genere utentes, pauci lue Pannonica corripiantur, pauciores prorſus decumbere cogantur, pauciſſimi exſtinguantur. Et ſane conceſſerim: trium ſumme acrium rerum, piperis, nempe, allii & aceti forti odore, qui ex affrictu longe intenſior fit, putres & cerebro in hoc languore ſemper junctiſſimas fuligines diſcuti poſſe, ſic tamen, ut durum hoc pharmacorum genus apud alios, quam penes Hungaros, plus ſæpius nocuiſſe, quam profuiſſe expertus fuerim. Cum enim inter plures alios generoſus Dominus Stardnitzky, Nobilis Polonus, Coſacorum equeſtrium dux, Anno 1599. ſatis intempeſtive hac frictione uſus eſſet, cum alias eduliis, aromatibus conditis vinoque viveret, in tam lethalem febrem acutam & cauſonidem mox poſt frictiones incidit: ut ægerrime, nec niſi longo tempore poſt ſanitati reſtitui potuerit. Idem de reliquis plus quam mille dictum eſto, ſic ut exteris & tenerioribus gentibus durum hoc pharmacum æque adverſum, ut ipſum morbum Ungaricum, tuto proclamem. Quod autem peculiaris & aliis morbis prorſus ἑτερογένιος, cunctiſque Europæ terris præter Ungariam, hoſpes & advena ſit languor Pannonicus firmiter aſſero. Aſſero & illud: ſolum aërem Pannonicum, craſſum illum, & picea fuligine inviſcatum, pulmonibus puriori auræ aſſuetis, primo virus infundere, ſpiritibus intoxicatis cerebro quod fere arx & ſedes eſt morbi Ungarici infecto, hunc ipſum languorem introducere poſſe. Languor. n. eſt per ſe, & non morbus: cum in initio actiones animali conſuetas, non prorſus interturbet, ſed paulatim ineptitudinem ad functiones inducens, non prius malitiam ſuam prodat, quam homine jam proſtrato, dinturno decubitu, aliunde quaſi mutuatis præſidiis, victor evadens ad mortem deducat. Hoc autem omnino intelligendum dico, de noſtro, jamque caſtris familiari languore Ungarico, qui non minus, quam Hydronoſos Anglicus, & lues Callica multum de ſua ſævitia remiſit: quam primo (ut nil de Anno 1566. ubi inſana prorſus rabie peſtis inſtar in omnes graſſatus eſt) etiam ab Anno 1593. ad 96. uſque contagio & internecione attrociſſime exercuit. Solent enim tandem bellui ni iſti morborum furores, ut nullum violentum diuturnum, cicurari quaſi & miteſcere: quod etiam hoc in malo, negotio Martio & inaudita prius ſerie ultra duo luſtra continuata, militibus uſu venire certo addidicimus. Etſi enim pauci ex tyronibus ob inevitandas aëris eventilationes ab hac lue prorſus, primo præſertim anno, immunes eſſe ſoleant: tamen ni modo nimis in ſanitatem propriam, quodvis etiam ſumme noxium ingerendo, deſævierint, ſæpius etiam fortiter languentes cito ſatis evadunt. Gula enim & intemperantia militaris quovis Turca noſtratibus hoſtilior, etiam ad Pannonas uſq; omnes comitatur, ſic ut plurimi pro deliciis Ungaricis damna neceſque paciſcentur. In delitiis autem ſunt carnes bubulæ, ſucci craſſiſſimi, nec non juxta flumina ſtativa habentibus, piſcium, concoctioni æque contumatium, carnes: quod ex reſtagnantis Iſtri lacunis ſæpius, aut ex ipſis Danubii limoſis ripis extrahantur: ut de fugacium fructuum, vinorumque ſentinis, nihil dicamus. His autem omnibus nullum membrum plus, quam ipſum ſtomachum, primario affici, & orificium ventriculi ſub ſterno defatigari, lancinarique quis eſt, qui non videat. Et recte quidem eo loci renitentias, duriores in ipſo morbo Ungarico Jordanus obſervavit: cum ἀντίτυπον illud apud omnes fere longe minus lue correptos, evidenter ſenſui ſit obvium. Eſt igitur os ventriculi primario pars læſa, locus affectus: quem ſi vix molliter depreſſeris, cum ſumme ſenſile ſit, dolere plurimum, nonnihil & intumeſcere deprehendes. Adhoc malum exacerbandum, carnes tam bubulas, quam vervecinas, utraſque æque noxias & inſalubres, has quidem adipe ſumme nocenti, illas ſuccorum craſſitie plurimum poſſe ita ſtatuo: niſi dextre præparentur, coquantur & denique maſticentur. Hæ autem conditiones quam præſcriptu faciles, ſed quam in caſtris obſervatu difficiles ſint, vel lixis & calonibus notum. Præparari quidem non poſſe, ſcilicet a mactatu refrigerari, probeq; elui, miles ſtatuet: qui ad hoc ſæpius aquas, ad illud, tempus ſemper deeſſe, elixationes vero vel aſſationes ob lignorum ſæpe defectum fieri non poſſe, maſticationi: vero, quæ, ſi perfecta eſt, ſemicoctioni æquiparatur, famelicos ventres vacare non poſſe dejeraverit. Nam quod etiam lautioris fortunæ Heroës in caſtris aliquando extrema pati cogantur, vel ex hoc generoſo noſtro patiente, qui ex carnibus peſſime coctis in languorem Pannonicum perfectum incidit, liquido conſtat. Quid vero gregarius miles perferre cogatur, recordari quidem exhorreſco: cum ſupina præfectuum annonæ negligentia interdum, ſordes, & avaritia, plus quam Turcica feritas, miſero militi ſæpius obfuerit. Carnes quidem recens mactatorum boüm tremulas adhuc animamq; ſpirantes, calore ſolo, utpote noſtro ſatis analogo, parum obeſſe quamvis noſter Jordanus cenſeat: cum tamen longe difficilioris concoctionis eaſdem eſſe concedat, ventres vero æſtivo tempore frigidiſſimi ſint, ipſa quoq; natura in ſemicrudarum carnium diſcerptu prorſus abhorreat, liquet profecto, cum præſertim apud omnes fere malo granati, quem vocant, dolores, ſenſibileſq; duricies deprehendantur, hæc omnia ex ciborum, concoctu contumacium, retentis ſentinis, derivari. Secus enim ſi eſſet, non tantum

ex vomitu tempeſtive irritato, levamen ſentirent: quo tamen ſolo plures languore Pannonico dexterrime curatos fuiſſe, ſcio. Quicunque igitur apud Hungaros paulo ſecundiore ſanitate frui concupiſcis: in hoc totus eſto: ut, quantum fieri poſſit, carnibus, non adhuc crudis, vel ad ſolem potius, quam ignem toſtis, veſcaris: Sed neceſſitate urgente, panis aliquot fruſtis vino delibutis, divæ Hygiææ potius, quam gulæ litare ſtudeas. Ita enim niſi ipſemet ſæpius feciſſem, fruſtra vitium in prima concoctione commiſſum, in ſecunda vino meraciore exhauſto corrigere ſtuduiſſem. Et hæc de languore Pannonico ex eſu carnis ſiniſtre præparatæ concitato, dicta ſufficiant: accedamus ad idem malum, ex aquæ ungaricæ paludoſæ hauſtibus, irritatum.

Obſerv. II.

Cum in obſidione Papenſi ſtagnantibus minusq; ſalubribus aquis uteremur: unde deinde morborum Ilias repullulabat: Et priusquam recens effoſſis fontibus penuriæ aquationis conſuleretur: Nobiliſſimus, ſtrenuiſſimusque Dux Janus à Steger Auſtriacus Signifer, neſcio ex qua lacuna Julep præparatum, siti enectus hauſiſſet, nidoroſis continuo ructibus ſtomachum tumultuari ſentiens, vomitu, quod conſultiſſimum fuiſſet, ſentinam rejicere voluerat. Quod quidem cum fruſtra attentaſſet, ad crudæ materiæ concoctionem animum adjiciens, unum & alterum vini meracioris, ſed turbidi, cyathum cum ſuperbibiſſet, allii vero fruſtula tria commanſiſſet, languorem, quem vocant, Ungaricum incurrebat. Erat alias tum continentiſſimus, tum modeſtiſſimus: quas dotes, in caſtris carne ferina rariores, cum in iſto ætatis & fortunæ flore diligeremus, ad morbi propulſionem pro virili anhelabamus. Redolebant aquæ papenſes tunc mephitim quandam, palato ſtomachoque ſumme inviſam: cum tamen æſtu torqueremur, vix illi etiam, qui rerum gnari erant à paludoſis lymphis ſe continere poterant. In his erant Italorum peditum cohortes: quæ ſub ſignis quadraginta, octo millium numerum excedebant: eratque, ut vere dicam, flos primo lectiſſimus, qui tamen brevi poſt ſatis inhoneſte contabuit. Inhoneſte dico, quod ignobile genus mortis per morbos plus infamiæ apud heroicum genus militare, quam ſi fortiter pugnando in acie occumberetur, ſecum ferre certo ſciam. Hujus autem miſeriæ cauſam principio aquas, eaſq; Pannonicas, & quidem ſtagnantes ac limoſas fuiſſe, ſciendum eſt: quas cum miles Italus, ſiti coactus, ſorbitaſſet, puriſſimis antea aſſuetus, eo res rediit: ut numeroſa, & quavis laude digna phalanx, morbis ad nimiam raritatem deduceretur; ſic quidem, ut vix quingentos ex tanto numero Alpes retranſcendiſſe dicât, Marte paucis, plurimis vero morbis fæde confectis. Etſi autem huic malo noſtrates non uſque adeo ſuccumberent: cum tamen primo indiſcretim ſummi & imi ex lacunis potare cogerentur, plurimorum morborum ſeminaria ſunt ſparſa; quæ quidem toto iſtius expeditionis decurſu magna militum ſtrage defloruerunt. Hic autem noſter Signifer cum ex aquæ iſtius Julepo (cujus uſus in caſtris, neſcio quam conveniens, frequentiſſimus certe) nauſeam incurriſſet: cur exhauſto inſuper vino, ſatis mero, cruditates illas paluſtres evincere nequiret, diſquirendum venit. Demus enim vinum forte illud Ungaricum ad cruda concoquenda plurimum poſſe: quæ ſcilicet adhuc in ipſo ſtomacho detinentur: ſi tamen jam ad ſecundæ concoctionis organa ſint protruſa ſuper poto vino, malum quoque exacerbari poſſe, cruditatibus tanquam vehiculo ad graciliora vaſa deductis, per ſe liquet. Aquarum quidem, promiſcue omnium noxam, fætores, cruditates, limum, ſaburras denique receptiſſimo allii uſu Pannones corrigere ſolent, ita quidem; ut omnibus, ab hac ſola, antidoto ad quodvis venenum tutiſſima alexipharmaca mutuari poſſe certo ſibi perſuadeant. Allium igitur huic genti non minus in delitiis, non minus familiare, non minus quotidianum, quam panis ipſe: quin multos reperias, qui hoc tutius quam illo carendum cenſent. Erodit quidem ignea ſua qualitate quodvis crudum: utrum tamen Germanis, qui plerumq; bile plurimum conſarcinata ad caſtra deſcendunt, in Ungaria conducat crebra allii cômeſtio, indagandum eſſet. Ad recens exhauſtarum undarum fuligines diſcutiendas uno & altero fruſtulo forſan impune uteris, tu, qui peregrinus es, & advena Pannoniæ: ſi tamen potu meraciore indulſeris, igni ignem addendo, plurimum aberraveris. In hoc cum quoq; noſtrum ægrum erraſſe vidiſſem: quamprimum fortiore vomitivo exhibito, reſiduum & adhuc ventriculo inhærens malum proturbando, ſtomacho quidem conſului: ſic tamen, ut ex materia, jam ad hepar tranſmiſſa, languor diuturnus remaneret. Vix tamen eo res rediiſſet: ſi vino puriore primo ſtatim uti potuiſſet, aut ab allio, caput violenter petente, abſtinuiſſet. Vinum quidem quo omnes tum in caſtris, ſatis infauſto ſydere ad Papam metatis, uti cogebamur erat turbidum, feculentum & inſalubre. Turbidum quidem, quod ſuper abſides & currus devolutum ſatis etiam longinquo itinere terreſtri, limpidum eſſe, non poterat. Feculentum vero, quod caupones ex fecibus nummos mercaturi ſimul cum vino eaſdem vendebant: inſalubre autem, quod paludoſis, ſtomachoque inviſis aquis ſanitatis publicæ violatores contemperaſſent. Hæc autem cũ ſiti & laboribus caſtrenſibus exhauſtus miles ingurgitaſſet, aquæ præſertim, ad potum commodæ, penuria laborans, non poterat non ad morbos & lues Pannonicas ſuccendendas, fomitem colligere. Nec enim etiam hic noſter patiens recte prius convaleſcere potuit, licet uno & altero ſatis feliciter attentato, quam ad parvum tempus Auſtriæ redditus, ex aquis ſumme ſalubribus large potans, ſentinam languoris Pannonici prorſus eluiſſet. Etſi autem Anno 1599. menſe Septembr. ex Danubii aqua hauriens in diarrhæam ſatis diuturnam incidiſſet: tamen & ab hac tandem continentia ſane ſingulari, paucis adhibitis, iiſque vulgaribus remediis, optime ſe habuit.

Scholia. In languoribus Pannonicis inducendis primas quoque partes ſibi vendicant aquæ: quæ in Ungaria vel fluviales, nempe ex Danubio, Rabnitza, Grano, Eipola, Tibiſco, &c. vel fontanæ illæque laudatiſſimæ, juxta

Vaciam & Veſprinium, vel paluſtres & ſtagnantes, ut hic juxta Papam, Albam regalem, Theodoſiam, Sempronium, Palottam, &c. inemtam quidem utilitatem cuivis elargiuntur, ſed ita: ut, quid diſtent æra lupinis, nemo non videat. Danubius quidem (qui recte, quod nubes & nebulas denſiſſimas exhalare ſoleat, Danſnubius vocatur) aqua ſua turbida limoſaque quæ omnem tranſparentiam prorſus excludit, ſuo jure gaudet: nec tamen Budam uſque latices illius inſalubres, potuique minus commodas confirmo: Si præſertim per temporis momentum ſubſederint. Quamvis enim ob putrem, pinguem, gleboſamque tellurem, ad ripas præſertim, limo turbidiore coïnquinetur: cum tamen motu violentiore in alveo decurrat, ex eodem hauſtas undas ſemper, etiam ad ſatietatem potas, parum obfuiſſe ſum expertus. Longe quidem craſſiores eſſe fontanis, quis eſt, qui neſciat? & tamen ſingularem hanc munificentiſſimi Dei prodigalitatem, quam noſtræ Europæ contra Dracones Orientales paterne elargitur, paulo ſanctius & circumſpectius habendam exiſtimarem. Ecquid non agimus: qui exercitus noſtros, data quaſi opera, ab hoc benigno conterraneo, promo condoque, ab hoc rerum omnium, ad uſum vitæ humanæ perneceſſariarum, placido ſubvectore, Danubio longius deducamus? cum ratio & experientia dictitet nobis: ab hac inæſtimabili belli commoditate ne latum quidem unguem abſcedendum: quam Turcæ obviis ulnis eſſent amplexuri. Non n. niſi prudentiſſimo ſapientiſſimo conditoris conſilio, factum credo: quod ſolus ex cunctis Europæ fluminibus Iſter verſus orientem tendat; Natura, in hoſtis filii Dei, prono decurſu ſuppetias ferente. Nam ut de aquationis commoditatibus (quæ quanti habendæ ſint, verbis exprimi nequit) nihil dicamus, vel hoc ſolum nullo auro æſtimari poteſt: quod parvo negotio caſtra trans & cis flumen transferri poſſint: quæ ſola commoditas quantum ad ſanitatem conſervandam poſſit, nemo cui ſani cerebri vel mica eſt, inficias iverit. Et ſane nulla alia re calamitoſam illam morbi Hungarici labem primo ad Comaronium plantatam, juxta Jaurinum incrementa ſumſiſſe, per Europam tandem diſſeminatam fuiſſe Anno 1566. certiſſime aſſero: quam quod uno eodemque loco caſtra toto tempore hæſerint; parum profecto Medicorum caſtrenſium prudenti conſilio: niſi barbaries militaris ſalubre monentibus fidem derogaverit. Caſtra enim in Ungaria, ultra menſem nullibi uno in loco habenda, ni præſentis ſegnitiei pœnas dare voluerimus, omnibus auctor ſum: quod ſordibus caſtrenſibus nulla re magis, quam crebra ſtativarum mutatione obviam iri poſſit. Nec tamen ſua laude defraudandi ſunt Ungari noſtri: qui in metationibus caſtrorum munditiem obſervant longe ſtrictius, quam aliæ Nationes: in aquationibus quoque circumſpectiores ſunt, non quaſvis lacunas & voragines exhaurientes: quod plerumque noſtrates ad potandum nati, poſt habitis ſordibus quibuſvis, fauces, mox evanido liquore paulum delibutas reddentes, ſtrenue factitant, lambendi ſorbendique finem prius non facientes, quam cum ranis in Stygia palude circumnatent. Ad hos enim uſus coriaceas plerumque amphoras quiſque ſecum circumfert; plicabiles nonnulli: quibus ad primum aquarum aſpectum advolitantes, plus ſæpe cœli limique, quam undarum, ingurgitant. Aliter Ungari: qui propriis & inquilinis, ſatiſq; cognitis aquis plus ſatis diffidentes, eas ad neceſſitatem raro, ad voluptatem nunquam, admittunt: ſic tamen, ut præmanſo allio malitiam cruditatuum correxerint: aut transcolatis, vel jam mundioribus uſi fuerint. Iſter autem, ut ante dictum, ſi non aliunde ingeſtis impuritatibus adulteretur, genuinis ſuis aquis ſic ſatis commodus, nec inſalubris eſt: & ſubdubito: utrum apud Pannonas, præſertim tantis hominum jumentorumque turbis, de ſalubriore & commodiore aquatione proſpici poſſit: quam quæ ex Danubii gurgite abundanter promanat. Utinam igitur poſthac nunquam ab hoc promtiſſimo Patrono, penu & cornucopiæ ſemet exercitus noſter abſtrahi divellique pateretur: cum plures ob ſeceſſiones à Danubio Annis 96. Hattvvanum, 97. Papam, 98. Palottam verſus, aquarum inſalubrium hauſtibus enectos, quam toto fere decennio ab hoſtibus conciſos confirmare auſim. De reliquis enim Pannoniarum fluentis non eſt, quantum ego quidem obſervare potui, ut aliquid ejuſmodi prædicem vel pollicear: cum Rabnitza ſive Arabo, qui juxta Jaurinum Danubio miſcetur, ſatis profundo quidem gurgite peſtiferas aquas & ſumme graveolentas volvat: ſiquidem: ut ipſos etiam piſces cancroſque teterrimum fætorem coctos eructaſſe, non ſine nauſea recorder. Granum, paulo infra Strigonium ab Iſtro exceptus ex limo ſatis cœnoſo parum ſalubre ſpirat, nedum ut aquationi commodiori inſerviat. Idem de Eipola integro milliari ſatis magno ſemet in Danubium exonerante (contra omnes omnium Typographorum Ungariæ tabulas, in hoc valde mendoſas) judicatum eſto. Tibiſcum quidem ex Carpathiis jugis ſcaturigine ſaluberrimis rivulis adauctum, reliquis anteferendum ſcio: cum tamen ſolers ille Wernherus in ſuo, de mirabilibus aquis Pannoniæ, tractatu, mille carpiones pro unico floreno Ungarico vœniſſe ſcriptum reliquerit. Tibiſco ſc. extractos, piſcibus quam militi, ſalubriores illius fluminis aquas cenſerem. Huic tamen præ reliquis poſt Iſtrum primas in caſtris noſtris laute tractandis tribuerem: idque ut tandem, Agria, Solnock & Buda receptis, fiat Deum precor. Ad fontes porro quod attinet, tota quidem Ungaria eſt fontana, ſic, ut ubique locorum, tellure vix ad pedes duos, treſve rejecta ſcaturientes aquarum venulas reperias. His autem fontibus in univerſum caſtra ſtudent, adeo: ut etiam ad paucas horas quodam in loco commoraturi, fontes confeſtim effodere ſoleant. Cum enim nunquam fere fruſtra in ſcrobibus hiſce conterebrandis deſudent, ſingulis fere tentoriis ſingulos puteos adjunctos videris. Hi autem latices quod non ſemper ejuſdem farinæ ſint, cum ex poris diverſarum terrarum, quæ interdum argillaceæ, gypſeæ, ſaxoſæ, limoſæque ſunt, diverſas etiam qualitates acquirant, eſt in confeſſo. Hæc tamen milites noſtri nauci facientes ſtrenue, fodere non dubitant: dummodo gelidis, licet turbidis, lymphis, fruantur. Lacus & ſtagna quoque Pannoniæ contemplemur: in his Papenſis: ex quo Patiens noſter Julep potarat, ob im-

motas valloq; incluſas aquas, etſi molendinum ſatis magnum circumrotet, ſatis inſalubris eſt: quod circumcirca planitiem quandam decliviorem ſortitus, paluſtribus, illisq; nullo motu vegetandis aquis incrementa ſumat. Quam vero noxiæ putreſq; ſint paludes Albaregalenſes, ego Anno 1598. plurimi ex militibus Anno 1601. ſatis ſunt experti. Vix enim labiis hauſtulum ex iſtis juncetis, rapidiſſimo æſtu conſulturus, admoveram: cum ſubito tam noxium, virulens, & putre quid ipſas nares afflavit: ut ſitim pati, quam tantum vulnus ſanitati infligere voluerim: cum reliqui laxis faucibus tam peſtiferos ſuccos ingurgitarent. Proclamamus idem de Theodoſienſis ſtagni plus quam nocentibus aquis: cujus hauſtum cum, eodem tempore, ob intolerabilem, penituſq; flammeum fervorem à quodam equite emendicaſſem, tunc quidem ſatis impune tuli: cum tamen quarto anno poſt Sempronii febricula corriperer, hunc ipſum vaporem, quam ex hujus ſtagni potu tunc ſtomachum turbare ſenſeram, apud me evidentiſſime recruduiſſe, manifeſte ſenſi. Lacus Piſonius & Palottenſis uterq; piſcoſiſſimus, & amœniſſimus vix noſtram cenſuram ſubeunt: cum vix, aut nunquam, juxta hos caſtra metanda ſperem. Et hæc de Aquationibus caſtrenſibus, paucis dicta, ſufficiant: hoc tamen adjuncto: quod nullas fere præter Danubiales, ad coctionem, commodiores aquas ſim expertus: ſic quidem, ut vel parum ebullientibus Polypod. vel liquirit. radicibus & aniſi momento adjectis tuto & jucunde uti potuerim: has qualescunq; delicias fæculentis cereviſiis viniſque turbidioribus; quibus jam obſervatione ſequenti imminemus, proponendo.

Obſervatio III.

Cum in luſtratione equitum inferioris Auſtriæ, D. Signifer Domini Comitis à Turri, &c. Locum tenentis, ſatis ſanguineæ, ad bilē tamen inclinantis, temperaturæ, pro more receptiſſimo, cum commilitonibus potaſſet, nec in deſcenſu quidem donec infra Faciam à Turcis deſertam anno 1596. conſediſſemus, à poculis abſtinuiſſet, Sirio flagrante & equitando defatigatus, in tantam ſitim incidit: ut ſingulis diebus vix quinis, imo quod majus, ſenis conchiis eandem reſtinguere potuerit. Hanc vix non meræ bilis congeſtionem, languorem Pannonicum ſæviſſimis accidentibus concomitatum ſequi, & quidem confeſtim, nemo mirabatur. Erant enim vina ſuperioris anni, etiam Auſtriaca ſatis generoſa. Ungarica vero cum quod per ſe fortiſſima, tum ſubvectionibus turbidiora in citrinam bilem eadem fere quantitate, qua aſſumta fuerant, convertebantur. Et habet fere hoc peculiare noſtra Auſtria: quod vinis, maxime puris & generoſioribus delectetur, dilutis aut ſubacidiuſculis parum lætata. Hoc autem ut ſobrie pitiſſantibus minime diſſuaſerim: Sic intemperantiſſime potantibus noſmet non connivere quilibet intelligit. Erat autem Patiens hic noſter, laudabili alias Procerum Auſtriacorum inſtituto, methodo προφυλακτικῇ tempore verno, tam purgatione, quam ſanguinis miſſione, integra ſanitate fruens, dextre quidem tractatus, ſic, ut niſi tantis ictibus corpus jam purum, ſatiſque laudabilis conſtitutionis concuſſum fuiſſet, hunc tam gravem, non amplius languorem, ſed morbum perfecte Ungaricum, facile effugere potuiſſet. Satis enim apparebat, & ex familiarium ægroti relationibus palam fiebat: Naturam quidem non niſi violentiſſimis inſultibus tandem ſuccubuiſſe. Et erat quidem jam morbus in ἀκμῇ: Cum ad ægrum vocaremur: Symptomatum omnium vehementiſſimæ exacerbationis συνδρομὴ ad ſummam rabiem deducta. Sitiebat enim, ſatiſque forti mentis ablatione pervigil manebat: Lingua fauceſque clamoſa ſiti vexatæ areſcebant cumque extra ſub Papilione, Turcica fervidiſſimo aere foris, intrinſecus ardore cauſonico torqueremur: ut vel aëris tantum refrigerationi & quieti conſuleremus, ad navem Domini Comitis aſſeribus tectam, & in Danubio anchoris annexam, ægrum ſub crepuſculum deducebamus. Hic etſi prima nocte, alvum clyſtere laxante & refrigerante dum recluſiſſem, Laudano exhibito ſatis belle quieviſſet, & tamen ſequenti die caſtris, Hattvvanum verſus motis, adverſo flumine rates Strigonium remulco quaſi retraherentur, delirium forte incurrit. Cum tamen eadem navi cum ægro reaſcendens, ad ſymptomata compeſcenda ſic ſatis inſtructus, ne ulterius peccaretur invigilarem, poſt biduum omnia longe mitiora reddita fuerunt: Sic, ut paulo poſt etiam equo, licet ex tam lethali malo languens, ad caſtra Hattvvanſia digrederetur. In his autem cum ſatis Tragicus caſus Domini patientis parentem, tormenti majoris impetu è medio ſuſtuliſſet, & ex luctu, triſtitia, & mœrore, eoque ſatis maximo, recidivam longe graviorem vereremur, ut paulum fortunæ cederet, & Auſtriam repeteret, auctor fui. Patiebatur tunc Dominus Doctor Egen, quem nunquam ſatis laudata Reſpublica Noribergenſis equitatui Franconico pro Phyſico adjunxerat, ex hæmorrhoidibus cœcis dolores acerbiſſimos: quibus, ſi diutius in caſtris hæſiſſet, vix non contabuiſſet: hunc tali occaſione Domino patienti pro Comite adjungens, ut inſpector ſanitatis, & diætæ Domini Signiferi moderator eſſet, utriſque officium ſatis gratum præſtans, brevi Dominum Patientem recollectis viribus ſanitatem recuperaſſe audivi: quæ tamen primo ex tot vini meracioris conchiis, ſub cane & ante canem exhauſtis, ex luctu deinde in ſummum diſcrimen vocabatur.

Scholia. Duplicis voti de intemperantia caſtrenſi locuturus compos fieri peroptarem: quorum unum, ut ſancta frugalitas, quâ Turci tantopere commendantur, vallis & foſſis Chriſtianorum intercluderetur: alterum, ut helluationis & crapulæ teterrimæ lues ad porcos Mahometicos redundaret. Nihil enim, noſtris quidem fructuoſius, hoſtibus nocentius, imprecari poſſem: quam ſi eadem intemperantia, qua vitæ ſtamina militibus noſtris computreſcunt, hyænis Turcicis diſſolverentur. Inter alias enim peſtes, quæ Chriſtianorum victoriis compedes injecerunt, non poſtremas ſibi vendicant helluationes diurnæ nocturnæque quibus antequam ad caſtra eatur, plerique ad nauſeam pergræcari ſolent. Nec enim auctorari, luſtrari militiæque nomina dare conſueverunt milites: quam prius, per ſeſquimenſem nonnunquam, miſeris colonis oneri longe graviſſimo futuri gulæ Bacchoque

alienis impenſis ſtrenue litaverint. Tria hinc, ſi non plura metuenda mala emergunt: primo, quod miſeris agricolis illud, quod vix de demenſo ſuo comparſerint, temere liguriendo eripiatur: deinde quod ſuſpiriis & ejulatu miſerorum Deus ultor ad vindictam inflammetur: tandem, quod inſuetis antea delitiis ex alieno prodigaliſſimus miles, ita ſe, ſuoſque pantices vino dapibuſque infarcire ſoleat: ut ſemideſperata ſanitate plerumque prima ſtatim fronte ad Ungaros deduci poſſit. Holobrunæ enim, quæ vicus eſt Auſtriæ, ſtratiotam unicum cum putido ſcorto & calone unico ſedecim optimi vini amphoras quas vocant, ante luſtrum exhauſiſſe, & tamen, ſtipendio non ſatis arridente, nomen dare noluiſſe, iſpemet vidi. Quanta autem ingluvies, & quam inexplenda vorago, ſit hominum militarium intemperantia, ſi præſertim ſumtibus alienis ſuo jure gaudeat, præ reliquis Germaniæ terris Auſtria teſtis erit. Hæc enim ſola fere præter deſcenſus, tranſitus redituſque omnium exercituum, ſuos etiam manes ſatis ſuperque pati coacta fuit: cum de injuria quaſi facta miles quiritetur: niſi decuſſatim per totam regionem deductus, ante luſtrationes miſeros colonos belluinis comeſſationibus vix non excoriaſſet. Patientius autem forſan has expilationes laturi eſſent; ſi, quos fructus aurum hoc Tholoſanum pleriſque lucrifaceret mecum præſentes vidiſſent. Plerumque enim evenit: ut vix jam in primo limine Pannonias ſalutantes, crapulæ ſuæ pœnas dent meritiſſimas, morbis, penuria ſordibuſque è medio ſublati. Hoc autem vel ſolo, quã luctuoſum acerbumque, nec non miſerabile vulnus, Reipubl. Chriſtianæ infligatur, deplorari potius, quam verbis exprimi poteſt. Miles enim non jam ſuus, ſed re, fama, fide, corpore, quin ipſa etiam anima homagio præſtito, ſtipendioque accepto, Sac. Cæſ. Maj. mancipatus, tam turpi & imbelli mortis genere proſtratus, plus Reipubl. Chriſtianæ, quam ſibi admactandum deſtinatus nocet. His tam fœdis & inhoneſtis fatis legiones primo ſtatim ad paucitatem deductas, parum profecto roboris in aciem ſiſtendas, habuiſſe ſæpius infremui: cujus rei & turpitudinis cum ſæpe oculatus teſtis, grande Pannoniæ damnum intuliſſe viderim, & tamen primo ex militari intemperantia maturatum ſentirem, remis veliſq; in hoc elaborandum dictitavi: ut ab hoc ſpontaneæ veſaniæ genere miles quam longiſſime arceretur: Legibus ſumtuariis rigore caſtrenſi adſtrictæ ſervandum promulgatis. Ex vini enim præſertim meracioris, aſſidua ingurgitatione bilem, eamque ad languores Pannonicos inducendos ſumme appoſitam, copia nimirum & materia coacervari nemo eſt, qui neſciat. Conſtat & illud: homines, antea vino non aſſuetos, longe magis ex aſſiduo Lyæi uſu inflammari, quam qui inter vineta cum vinis adoleverit. Experiebar hoc ipſemet ego: cum prius in Arctois regionibus, cereviſiis optimi ſucci, vinis tamen Gallicis, Hiſpanicis, iiſque fortiſſimis aſſuetus, vix tamen ſine nauſea & abſque bilis manifeſta collectione ad Auſtrum delatus, vino tandem vivere didicerim: quod quidem longe moleſtius tuliſſem: niſi tempore Autumnali fructibus horariis comeſtis, cruditate tempeſtiva, fervorem & tumultus vini mature compeſcuiſſem. Quid vero agat fex plerumque hominum, qui ſæpius à teneris aqua tantum aut viliſſimis potus quiſquiliis vivens, ad incognitas Bacchi delitias ſiniſtro ſemper omine plenis greſſibus tranſilit, tunc demum belle ſecum actum putans: Si plurimo, & ex raptu parto, potu quotidie ad inſaniam inebriata fuerit. Ignorat tamen hæc Helleboro digna, turba: quantas his inſolitis cupediis, ſecuturorum morborum flammas ſuccendat: quod tunc demum (ſed nimis ſero ſæpius) deteſtantur: cum languore Pannonico flacceſcentes ex prius conſarcinatis bilioſis humoribus, appetitu penitus proſtrato, hoſte ne viſo quidem, ad Tartara lente deſcendere coguntur. Huic autem, ex immodico vini uſu maturato languori Pannonico, nulla re dexterius iveris obviam: quam ſi concitato vomitu, forti quidem, ſed non admodum moleſto, felleum illum amarorem ex ſtomacho deturbaveris. Quod quam feliciter, Elohah benedicente, in cunctis attentatum ſit, ex ſequentibus eluceſſet. Hæc enim de lue Hungarica ex meraciore potu vini exacerbata, dicta ſunt: ad languorem Pannonicum, ex indignatione & animi commotionibus exortum, ventis vela demus.

Obſervatio IV.

Capitaneus unius vexilli pedeſtris, Georgius Ebenberger, ex Auſtriæ ſuperioris metropoli Lintzio, oriundus, vir plurimarum regionum peregrinationibus & fortitudine militari laude dignus, cum Anno 1599. menſibus vernalibus & primis Æſtivis, variis, plurimiſque curis, ſollicitudinibus, & ſimilibus animi commotionibus perenni fere viciſſitudine fuiſſet jactatus, partim livore, partim calumniis, partim rixis, nolens volens involveretur; interdũ quoq; curas graviores mero diluere conaretur, ſatis mature, menſe Maio, in febrem acutã (erat enim exquiſite bilioſus, melancholia admixta) incidit. Hanc autem, cum alias ad pharmaca promtiſſimus eſſet (ita ut atrociſſimis aliquando colicæ paſſionibus excarnificatus, Viennæ decumbens, doloris vehementia, & Medicorum hortatu compulſus, paucis horis 94. enemata lubenter admiſerit) poſtquam tempeſtiva venæ ſectione, & evacuatione bilis utriuſque facile eliminaſſemus, non modo luſtrationi interfuit: ſed Strigonium quoque verſus ordines dextre deduxit. Illic autem, ut ſupra dictum, cum ſatis otioſe torpeſceremus, otii ſomnique diurni impatiens, temporis fallendi cauſa, colluſoribus convocatis, ſæpe teſſeris ludens, in eaſdem animi perturbationes, peſtem vix tacite irrepentem, vix animadvertens, incidit. Fit enim plerumque ut inter colludentes, præſertim plurimo ære in dubium vocato, multivariam affectus commoveantur, ſic, ut Oceano procellis deſpumante, affectus luſorii accommodari poſſint. His igitur tempeſtatibus, cum & hic noſter Capitaneus, quem in cariſſimis habebam, varie jactatus fuiſſet, tandem in languorem Pannonicum, ex ira, qua ſatis quidem irritatus inter ludendum excanduerat, incidit, bile prorſus efferveſcente, ita quidem, ut in hujus ferocia retundenda, plurimum nobis ſub Sirio fuerit deſudandum, Admittebat autem Clyſteres refrigerantes &

bilem educentes: cumque poſt rejectam vomitu ventriculi ſentinam, emulſionibus delectaretur, & ad ſomnum reconciliandum Laudano vero bis uſus fuiſſet, tunc quoque etiam ad iter ſurſum verſus, noſtro conſilio inſtituendum reſtitutus fuit. Ad aërem autem mutandum eo proclivio res eramus, quod alias in caſtris otioſe deſidendum eſſet: & altum de hoſtibus ſilentium cuivis, ſanitatis cauſſa diſcedenti, patrocinaretur: turbæ vero tumultuſque caſtrenſes mentem, per ſe ad irarum flammas concitatiſſimam, facile pathematum variorum moleſtiis, inquietaturi viderentur. Morem igitur cum nobis, rectis monentibus, geſſiſſet, poſt aliquot hebdomades ſanus ſoſpeſque ad caſtra regreſſus, incolumi ſemper ſanitate fruens ſequentibus annis in expugnatione & defenſione Peſthi ſtrenuum ſe præbuit. Ad bilem enim cum procliviſſimus eſſet, conſulvimus:. ut primo vere bis vel ter ſeſquidrachmis ſpec. Eleſcoph. in vino aſſumtis, bilioſam, & irarum ſuſcitatricem, materiam evacuaret: quod cum hactenus exacte obſervaverit, toto hoc quadriennio longe ſedatiorem, minuſque languoribus Pannonicis obnoxium inter arma perduraſſe, nuper admodum intellexi. Redarguendum eſſe Scammoneæ, cordi paulo infenſioris uſum crebriorem, aliquis dixerit: cui hoc reſponſum velim: Scammoneæ, modo corrigentibus præparata fuerit, uſum in viris militaribus ſuſpectum non eſſe debere: quod plerumque vegetioris ætatis flore vigente, fortioribus evacuationibus ſint exercendi, aut ipſorum etiam cordium ἀῤῥωστία halituoſo pharmacorum purgantium afflatu, multo minus quam bilis evacuandæ copia diſturbetur.

Scholia. Peculiare quiddam, & nuſquam fere albi citius comparandum, Caſtra in ſe habent: quod ſcilicet nuſquam major bilis ad iras exacuendas expeditiſſimæ, copia coacervetur. Plurimas hujus rei cauſſas dari poſſe, nemo neſcit: excutiamus tamen unam & alteram. Nam & ipſemet, ut verum fatear, primis annis nondum ſcilicet duritie militari callum animo & corpori induens, tantos bilis utriuſque catachyſmos, ſenſi n collectos; ſenſi: ut optimè mecum actum putaſſem: ſi tantum integros dies nocteſque ferro, cum quovis etiam, decertandum fuiſſet. Inſolitæ hujus feritatis rabiem cum tota natura deteſtarer: utpote meæ profeſſioni minime conſonam, mihi ipſi ſuccenſebam: deinde tamen quid ebullientis materiæ fervor, & cauſarum procatarcticarum συνδρομὴ ſecum ferret, mecum perpendens, pro viribus reluctabar: & tamen morbos certiſſimos tandem ſubſecuturos, non fruſtra nec errans, verebar. Cum iiſdem n. furiarum larvis cum plures ex ægris noſtris antequam, graviſſimis morbis corriperentur, luctatos fuiſſe audirem, vix me impune laturum ſperare audebam. Graſſatur quidem immanis, & pluſquam inhumana quædam barbaries in caſtris, plurimis quotidie fere ad furcam, vel ob leve mementum abreptis, decollatis, palis affixis, harpagonibus interdum injectis: ſariſſarum & macherarum fulgores ubique coruſcant: aures tormentorum fragoribus in dies pulſantur; fœtore ſordibuſque nares intoxicantur: guſtus autem ob miras ſæpius diætæ, modo prodigaliſſimæ, modo tenaciſſimæ nunquam mediocris, metamorphoſes omnib. injuriis expoſitus eſt: Senſuum tamen, omnium miſerias, tactus, totius corporis ſolertiſſimus judex perferre videtur. Non enim tantum dure cubando, ſoles, imbres, frigora perferendo, extrema quæque pati cogitur: Sed die noctuque, cum beſtiolis quoque illis non tam minutis, quam moleſtis, in procinctu ſtare, manuque conferre cogitur. In his ſunt culices, *Golizcheu* vocati, muſcarum turpiſſimi, & punctim feriendo moleſtiſſimi: qui præſertim noctu, tempore æſtivo, qualcunque partes corporis attigerint, mordaciſſimis aculeis perterebrant: faciem ſæpe pluribus, iiſque rubentibus effloreſcentiis deturpantes. Harum viperarum morſus quam infeſti invinque ſint, nullus niſi expertus, facile crediderit: hoc certo ſcio: diris & imprecationibus hanc peſtem ſæpe ſumme excandeſcentes milites devovere. Accedunt his teterrimi, vixque ob nauſeam nomine digni pediculi, ad bilem coacervandam ſoli fere continuis deambulationibus & ſuctionibus ſatis futuri. Fruſtra enim, primis præſertim annis horum nebulonum ictus effugeris: cum jure quaſi municipali in caſtris gaudeant. Tantus enim tepor, mollities & craſſities eſt aëris illius: ut ſi linteolum aqua, ſtagnanti præſertim, locum ad ſolem ſiccandum expoſueris, totum verminibus Syllanis ſcaturire videris. Non eſt igitur, quod his aſſiduis futuris comitibus ſociiſque teneri et ſubtracturum ſperes: cum vel ex ipſo corporis madore prompte progenerantur. Putabam quidem primo, novis ſemper induſiis linteis has peſtes eludi poſſe: quæ tamen reipſa plures attraxiſſe, nedum profligaſſe, ſum expertus. Et hanc quidem φθειρίασιν Magis Ægyptiis olim prolatu impoſſibilem, hiſce in locis a quovis facile producendam, in coacervatione bilis plurimum poſſe egregie expertus ſum. Quoties enim ab his turpiſſimis viliſſimiſque beſtiolis compungebar, toties dentibus & anima infrendens, omnes irarum habenas me laxaſſe, vel adhuc non ſine bile, reminiſcor. Idem reliquis noſtris ſemiſathaniſatis ſanguinis cruore deſpumantiſſimis propugnatoribus, cum ſæpius uſu veniſſe, certo ſim expertus, juſto Dei judicio evenire credo; ut per has deſpectiſſimas quaſi ſanguiſugas, tam miſeræ plebeculæ ruſticæ ſudores, ſæpius plus æquo devorati, retrahantur, quam criſtæ Thraſonicæ, quibus plerique ad rabiem uſque ſuperbiunt, infringantur. Fruſtra enim contra hos ſenis pedibus armatos Turcas chalybe ferroque temet incluſeris: ſic quidem, ut animis, aſſiduis irarum flammis exæſtuantibus, etiam ab hoc turpiſſimo viliſſimoque verme bilis copia convaſata, plures ſcintillas languoris Pannonici, quo tandem deflagrarunt, primò ſufflaviſſe mihi perſuadeam. Ut taceam, quantis blaſphemiarum plauſtris divina Majeſtas à plurimis violetur: qui fœdiſſimis his beſtiolis ſuccumbentes, ad mortem uſque jam proſtrati perpetuis morſibus excarnificantur. Vidi enim apud plures ex grege milites, horrendo ſane deteſtandoque ſpectaculo, eo uſq; hanc peſtem progreſſam fuiſſe: ut cervicibus à tergo eroſis, & carne ad unum & alterum digitum non jam excoriata, ſed excavata, miſerrime diſcerpti cum gemitu & fremitu vitam finirent. Et hæc & alia Tragicæ calamitatis exempla, quotidie in caſtris obvia, ad varios animi motus inducendos plurimum poſſe nemo ſanæ mentis inficias iverit: quamvis quoſdam, cr. tib.

ſaxiſque

ſaxiſq; duriores, non homines,ſed belluas tam truculentis & ſpectatu luctuoſis Theatris citius ad cachinnos, quã ad commiſerationes animis commotos fuiſſe non raro viderim. Et hæc de languore Pannonico, ex animi affectibus inducto, dicta ſufficiant: ad aeris Pannonici injurias ventilandas calamum deſtringamus.

Obſerv. V.

Decadi Auſtriacæ colophona impoſiturus memet, non tanquam Medicum, ſed tanquam lethaliter ægrum ſubjunxi: cum quod Sereniſſimæ domui Auſtriacæ ſubditus, natus & juratus ſim: tum quod laudatiſſimorum Ordinum inferioris Auſtriæ per plures annos, magnanimitatem, vigilantiam, & prudentiam luculenter perſpexerim. Etſi enim Anno 1595. Strigonio recuperata, ad caſtra digredi, ſalariumque Medicum (quod quanto ſudore periculiſque promerendum eſſet, facile judicare poteram) aggredi vererer, priuſquam penſitatis omnibus pluribuſque morbis, qui ex Ungaria reverſis, Viennæ & alibi familiares erant, penitus inſpectis,utrum oneri ferendo eſſem,mecum perpendiſſem: tamen cum ſtipendio imperiali à Sereniſſimis Archiducibus Anno 96. ad caſtra una cum Collega, menſe Julio, ablegatus diſceſſiſſem, praxique militari pro virili invigilaſſem, reipſa expertus ſum: quamvis, etiam Adamantinam ſanitatem tyrannide mutationis inſolitæ flecti confringique poſſe. Torquebamur, ut ſupra dictum, illa æſtate Sirio, non fervente, ſed candente: qui mihi, cum ſiccioris temperamenti δυσκρασίᾳ, colluctanti, plurimum negotii faciebat. Cumque ob decumbentium multitudinem in caſtris latè metatis hinc inde curſitandum equitandumve foret: qui quidem labor in obſidione Hatuvanenſi duplicabatur:Collega ob ſordium caſtrenſium, & intempeſtivum alii uſum, ut in ſcholiis latius,militiam deſerente, ſumma etiam modo caritate, modo vilitate annonæ, accedente, mœrore animi ex immanitate in ægros, uſitata adaucto, paulatim fomitem morbi vere ungarici conquirebam, qui deinde tanta virulentia deflagravit: ut propria experientia uſque ad fauces mortis deductus, aliis hoc modo correptis, ſerio compati, & quinam peſti tam malignæ obviam eundum eſſet, indagare didicerim. Satis quidem honeſto quinquaginta florenorum ſtipendio menſtruo Sac. Cæſ. Majeſt. binos ſemper Medicos caſtrenſes ſanitati publicæ aſſignare hactenus cenſuerit, ſic quidem: ut, medice vivendo, ſumtus utcunque ferri poſſent: cum tamen ſanitas & libertas res ſint inæſtimabiles, lucri cauſſa nunquam, Chriſtiano zelo ſemper, deſcendendum exiſtimem. Aerem enim ambientem, eumque ungaricum, tota natura tibi è diametro contrarium, & hoſtilem, inviſumque primo cum deſcenderis inde à finibus Auſtriæ certo experieris. Me quidem, qui ſemper in Arcto, eoque puriſſimo, aere victitaram, quam primo ſtatim afflatu hoſtiliter exceperit, cum præſertim nebuloſo & impuro aere Comarrhonium delatus, ex cœnoſis congeſtorum alveis nebulas imbibens,pulmones inviſcaſſem,probe memini quam labem, primo ſtatim limine aſperſam, nunquam deinde abſtergere potui. Duobus n. ſemper cum extremis aer Pannonicus colluctatur,aut extrema craſſitie, nocte & nebulis inſpiſſatus: aut iiſdem penitus diſcuſſis, extrema ſubtilitate, hac, æque ut illa, ſuſpectiſſimis. Quos enim primo tanquam novacula diſſectos pulmones totis arteriolis recluſit aer ſubtilior: hos paulo poſt craſſius impuriuſque viſcum patentibus vaſis infarciendo conſpurcat. Hæc autem ab uno extremo ad aliud viciſſitudo aſſidua, quantam non aſſuetis vim inferat, concedere, quam denuo experiri, malo. Mihi quidem ex primo ſtatim aeris contrarii attractu fomitem ſequentis morbi collectum fuiſſe jure quodam ſuſpicabar: cum vero humi decumbens, terras etiam, & cerebro ſumme noxias, fuligines ex putreſcentibus glebis attrahendas, ſuperſorbere cogerer, luem Pannonicam illam famoſam, ſubſecuturam, & quidem tota ſymptomatum graviſſimorum ſerie concomitatam, certo præſagiebam. Non deerat quidem papilio, ſive tentorium, ſatis capax, & ex optima lini cannabiſque textura paratum (quippe quod Anno 1566 phyſicis aulicis & caſtrenſibus deſtinatum fuerat, mihi ex ædibus Hævvenſteinianæis munifice oblatum) ſic ut ab externis aeris injuriis ſatis defenderer. Et tamen cum ſub eodem tecto putri ſolo affixus, inter vapores tetros pernoctare cogerer: & adhuc hoſpes, barbariei caſtrenſis rudis, erroribus externis obviam ire nondum didiciſſem, plenis greſſibus ad languores Pannonicos, in funeſtum tandem morbum terminandos, deferebar. Natura autem, per ſe ſatis adhuc ſibi conſtans & fortis, levioribus inſultibus non facile manus dabat, ſic ut uſque ad finem octobris utcumque valens, munia,eaque moleſtiſſima, obire poſſem: paulatim tamen malum, incrementa ſumens, ad purum putum morbum ungaricum deducebat. Nec enim impenſe calebam: nec nimium ſitiebam: nec ſcabritie linguæ, nec eroſione oris ventriculi excruciabar: cerebrum tamen cum lethali totius corporis languore plus, quam verbis effari poteſt, phantaſia prorſus diſturbata, lancinabatur. Vigiliæ perpetuæ aut ipſis vigiliis intranquillior ſopor, concomitabantur: quæ ob infelicem illum receptum Kereſtinianum, quo 26.Octob.non longe nuper à nobis erepta Agria domum revertebamur, plurimum exaggerabantur. Cum enim pluribus diebus per montana ſuperioris ungariæ revertentes, modo ſub dio, modo ſub caſis deſertis pernoctare cogeremur, & victu duriſſimo, qui modo ex ſemicruda aprugna vel ſuilla, modo ex turbidiſſimo muſto ſtagniſque conſtabat, ſtomachus quotidie gravaretur, vix tandem vivus novam domum, quod *Neuhenſſel* noſtri vocant, perveniebam. Sentiens autem me indies in deterius vergere, cum abſque ſaluberrimi aeris Auſtriaci, ad quem unice anhelabam, reſpiratu, ſanitatem nullo modo reſarciri poſſe præviderem, tandem 7. Novembr. Viennam deferebar: ubi morbo noſtro ungarico, requiſitis omnibus Symptomatibus abunde ſatis fiebat; Sic quidem, ut abſque divina clementia, & fidiſſimæ meæ Conjugis,nec non elegantiſſ. Medici D. D. Andreæ Ebersdorfferi,quem honoris cauſa nomino,& æternum nominabo, præſentiſſimo conſilio & auxilio nunquam elapſus fuiſſem.Succedebat enim

continua ſerie peſtis peſti, adeo ut ne unum quidem morbis Ungaricis familiare, ſymptoma, tyrannide ſua memet non exercuiſſe ſenſerim. A ſummo enim vertice ad imos uſque talos, nil niſi morbus Ungaricus eram ita ut vix uno, ex ſævioribus accidentibus, ſuperato, nova confeſtim lues ſubſequeretur. Tandem igitur tantæ malorum myriadi nolens volens ſuccubuiſſem: niſi natura hœmorrhoides, antea non animadverſas, re vix non deſperata, ſponte recluſiſſet: quæ quidem ſaluberrimo defluxu uſque adeo ſemet exornavere: ut quatuor libris ſanguinis nigerrimi, feculenti & melancholici rejectis, tunc primum paulatim, diæta ſelectiſſima accedente, reſpirare cœperim. Tanquam enim totus morbus ad hunc ſcopum collimaſſet, eo, vel leviter tacto, ſenſim valedicebat. Hanc autem exuſti præaſſatique ſanguinis copiam, tantam hinc præſertim primo conglomeratam fuiſſe recordabar: quod menſibus æſtivis, ob motum, rarioribus veſtibus uti coactus, in tergo, ſole ardentiſſimo, ſi non toſtus & aſſatus, ad maciem tamen uſque excoctus fuerim, ſic ut niſi renes & ſpinam dorſi, inunctione roſata camphorata ſæpius reſtinxiſſem, tam diu incendii candentis flammas non remoratus fuiſſem. Mœror quoque qui (cum quod prima fronte officinis caſtrenſibus, de quibus ſupra, fidem habens, parum feliciter ſuccederet: tum quod illam in ægros veſaniam, quæ erga miſeros milites auſpicabatur, tandem in nervum erupturam præviderem) non poterat non perennis longeque maximus eſſe, ad ſanguinis feculenti colluviem plurimum fecerat, ſic, ut inſtar candentis ferri lamina lumbos longe ante cinctus ingredi viderer. Accedebat & hoc: quod plurimos quotidie diverſiſſimorum inceſſuum equos, modo ſuccurſores, modo veredos, conſcendere cogerer: qui quidem labor ſolus, toto corpore violentiſſime commoto concuſſoque memet exoſſare potuiſſet. Ex nulla tamen cauſſa externa, magiſque urgente morbum hunc pure Vngaricum, primo radices egiſſe, ſuccreviſſe poſtea, tandem fructus ſolitos protuliſſe ſtatuo: quam ex aeris Pannonici, mihique, homini germano inviſiſſimi ſummeque noxii attractu nocentiſſimo: quod ut cuivis liqueat, ad Scholion pervenientes, paulo pleniore diſſitione rem ad radium protrahamus:

Scholia. Wolffgangus Lazius, regius Hiſtoricus & Medicus, fide digniſſima recenſione, qua res contra Turcas Anno 1556. geſtas complectitur, Hungariam regionem Germanis ſemper adverſiſſimam, cœlum vero corporibus eorundem adverſiſſimum, manifeſte libereque conteſtatur: & vere. Excuſſis enim omnibus fere Hungaricarum expeditionum hiſtoriis, & ſecretiore valetudinis utriuſque labyrintho recluſo, rei Medicæ potius, quam Martis armamentaria recludenda fuiſſe, ex eventu luctuoſiore omnibus innotuit. Aerem quidem Pannonicum Læſtrigonas Turcicos benignius, quam nos Germanos hactenus foviſſe cognovimus. Cur enim non eodem ſucceſſu, eademque fortitudine noſtrates, qui fama & armis totum orbem impleverunt, barbari perjurique hoſtis audaciam retunderent: niſi ſanitati Germanorum contraria locorum & aeris diſpoſitio, medium quoque victoriæ curſum inhiberet. Nam cum è Germaniæ regionibus, Auſtrina aeris intemperies ſummis Alpium jugis, ſi non excludatur, plurimum tamen immutetur: Si ad Pannonas quaſi ad zonam torridam, & in aliud clima miles deducetur: reſolutione profecto ſubitanea, eo citius concidet: quo magis flagrans vividæ juventutis calor externi caloris occurſu incandeſcens exæſtuaverit. Liberrimo enim tractu a Cyrænaicis & transmarinis Africæ oris Pannonas Auſter & Libanotus perflant, longe ſane contrariis corporum diſpoſitionibus inductis: quam quos ab Aquilone & ſaluberrimis ventis Germani mutuaverint. Minime itaque mirum: Si nimis ancipiti eventu cum hoſte digladiamur: quem Aſiatica mollities non modo non exarmat, ſed ad perferendos æſtus, aeriſque ſibi familiarem teporem promtiorem reddit. Quod ſi quis indomitum priſcorum Hunnorum robur, vaſtaſque moles, & hodiernam ad arma promtitudinem nos redarguere exæſtimaverit: is neque conſuetudinis vim, neque πνελζοόντων privilegia, ſecum diſquiſiverit. Neque vero magnopere noſtras rationes infringunt illa, quæ propter expeditiones bellicas Germanorum ad Gallos in hac aſſerta contorquebuntur: cum ea duplici ratione defendenda opinemur. Concedimus n. auſpiciis Wolffgangi Palatini ad Gallos deductum exercitum (ut Anno 1570. per Auguſtum ex. Galliis copias reductas Germanorum omnibus aliis, expeditionibus præferamus) non modo Francos & Lemovicas, ſed & Pictos, Xantonas, avernos, Quercetanos, Tholoſates, Occitanos, Vivariates, Bourbonios, omnes denique Galliæ populos adiiſſe: per medias hoſtium acies ſæpius perrupiſſe, ſic tamen: ut ex equitum viginti octo turmis, vix undecim, ex octo peditum millibus perpauci Mortis & Martis ſævitiam effugerint. Negamus autem, Galliæ Pannoniarumque aërem, unius ejuſdemq; qualitatis eſſe: cum rhombi ſui extremitate, ut Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2. contra quadruplatorem quendam demonſtrat, Alpium Pyrenæorumque jugis Auſtris interceptos ad Delphinatum & Narbonenſes difficulter illos admittat. Boreales vero, Circios & Cauros liberrimo tractu ab Oceano recipiat: tantum quidem mutationis periculoſæ germanis ſubtractura: quantum Pannonia ad fovendos Auſtros laxiores ſinus pandit. Eſt autem in confeſſo: duplicem ob cauſſam aerem, ad tuendam proſperam ſanitatem, perneceſſarium: cum ut æſtuans, cordis aſſiduo & indefeſſo motu agitati, calor frigidi attractione contemperet: tum ut ſuperfluitates halituoſæ, ſpiritus & calorem innatum tepore immodico moleſtantes expulſiones ventilatæ protrudantur. Quod enim ob perpetuum, nullaq; arte inhibendum naturæ fluorem calor innatus & ſpiritus aere nutriente, conſervante & temperante egeant, eſt in confeſſo. Nam quamvis Philoſophus lib. de ſenſu & ſenſilibus cap. 5. Pythagoræos erroris arguens, nobis non ſuffragetur: tamen Hippocrates, Galenus & Arabes tanto conſenſu paradoxo philoſophi diſcuſſerunt: ut rem in dubium vocare nemo auſit. Conſtat & illud: intenſiorem caloris æſtum refrigeratione majore indigere: quam in florenti & conſtanti ætate militari quæ nimirũ ob calorem, qui in ſanis, in florentibus ætate, in Germanis denique

nique non poteſt non ſummus eſſe, contemperationem aſſiduam flagitet. Concludimus ergo ad militum Germanorum, cum ſucceſſu apud Hungaros decertaturorum, ſanitatem, nihil magis neceſſarium aëre: qui tamen quam iiſdem noxius, inſalubris, hoſtiis ſit, paucis demonſtremus. Cum enim clivoſis Carpathii montis rupibus obice non parum obfuturo ſanitati, germanorum familiares ventos excludi ſubinnuimus: tamdiu cum gemino, ſanitatis nempe & ſalutis, hoſte germanos digladiaturos conſtat: quamdiu radicibus ſuis, quæ æternæ ſunt, montes illi inhæſerint. Crebræ autem paluſtrium regionum uligines nunquam non ſuſpectæ ſunt. Quid vero Pannoniis aquoſius? apud quos cum plerique amnium vix declivibus montium jugis præcipitentur, paulum nimbis denſioribus adaucti non poſſunt non alveos ſuos deſerendo magnas aquæ moles circumjacentibus locis infundere: quæ limoſis voraginibus excepta noxium certe, germaniſq; plane inimicum, putorem exhalabunt. Iſtri autem cataractas, nullaq; vi comprimendam violentiam, ne attingamus quidem: cum imperii impatiens quoquo velit expatietur, tanto paſſim undarum diluvio agros & planitiem obruens: ut aſſidua, mephiti militibus noſtris aëra, viatoribus itinera non parum incommoda, reddere ſoleat. Hanc autem ſubſtantialis malignitatis aëris Pannonici peſtem non parum quoque accidentia longe teterrima exaggerant; Sordes nempe & impuritas caſtrenſis; quæ cum extrema ſemper ſit, deplorari potius, quam corrigi poſſe videtur. Quoties enim de fœdiſſimis ſpurciſſimiſque ſordibus, quibus plerumq, caſtra velut altiſſimo cœno obruta & ſubmerſa ſunt, cogito: toties ad Augiæ ſtabulum commovendum non tantum cohorreſco: ſed etiam extremæ noſtræ cœcitatis, quæ communem Chriſtianorum ſalutem ad præcipitium recta deducit, me vere pudet. Quam n. miles noſter, data quaſi opera, ſordibus & immunditie aërem, per ſe ſatis ſuſpectum conſpurcare geſtiat, abſit, ut commemorem: cum omnes illi, qui caſtrorum ſpurcitiem vel per tranſennam inſpexerunt, ſupinam militum ſocordiam vel negligentiam ſerio deteſtentur. In ipſis n. caſtris, imo, ut mali labes eo longius graſſetur, inter omnes fere tentoriorum intercapedines non tantum ſordes, ſed cadavera quoque jumentorum hominumque nonnunquam videas; & videndo excandeſcas. Laudabilem verò SS. Scripturæ munditiem, quam Spiritus S. nobis, qui benedictioni ſucceſſimus, non temere denuntiari juſſit: ſagacem etiam Romanorum providentiam, quorũ vigor Martius munditie caſtrenſi adeo conſenuit: ut veteranorum venerandos canos galeis contegi Roma nunquam non viderit: cum Tyronum noſtrorum valentes lacertos humo contegi, & in ipſo ætatis flore contumulari videamus. Hi tamen ſi pro aris & focis ſtrenue pugnando, vel nervos periuri hoſtis Turcæ præcidiſſent; vel pulcherrima, plenaque gloriæ morte ſuccubuiſſent, momentaneam caducæ vitæ uſuram æternitate abunde compenſaſſent: nunc inermi mortis genere turmatim abrepti negligentiam ſanitatis propriæ velamine honeſtiore, quã quod propter patriam cœlum mutaverint, conveſtire non poſſunt. Non. n. eo milites ſelecti conquiruntur: ut apud Pannonas, hoſte ne viſo quidem, peſtiferis fætoribus elangueſcant; & è medio tollantur: næ illa Sac. Cæſ. Mai. ſereniſſimorum Archiducum, nec non omnium Imperii ordinum mens adeo non eſt: ut promtiſſimis animis nemo periculis hiſce ſe ſubtraxerit. Quid ergo, inquies, quo minus votorum compotes fiant, illos remoratur? Calamitoſa caſtrorum noſtrorum immundities: quæ dum illam præcavere nulli, corrigere pauci ſtudent, ſordidiſſimo contagio altiſſimas radices agit, non, niſi exitioſa plurimorum militum calamitate, germinaturas. Ut n. calori noſtro innato, humidoque primogenio nihil magis adverſatur, quam putredo: ſic eandem nihil promtiore fomite ſuſcipit, quam tetræ fuligines, ex putreſcentium cadaverum ſanie exhalantes. Hac autem velut virulentiſſima nebula caſtra noſtrorum obumbrata, & tabo viruque peſtilenti ſolum incruſtatum pallere, vel rubere, cuncti advenæ non viderunt, ſed plerique maximo ſuo damno ſunt experti. Hoc autem quodnam coarguat, næ lippus viderit. Etenim ſi virulenti aëris infecti contagio ſuccumbunt illi, qui brevi tempore venenatos halitus caſtrenſes receperint; quis illum non pro deplorato habuerit: qui diuturna ſuctione, illos penitus imbibens, fomitem malignæ putredinis coacervaverit illis reb᷒, quæ ſalubris aëris puritati prorſus ſunt contrariæ? Nam ſi ex ſentinis caſtrenſibus labes aëris infecti confeſtim etiam ad illos dimanaverit: qui ſpectatum, non militatum, ad breve temporis momentum deſcenderunt, quis apud illos peſtiferas morborum lues graſſaturas mirabitur: qui propriæ ſalutis pertæſi, nulla ſanitatis ratione habita aëris contagioſas labes maturaverint? Quod certe fiet; ſi adverſiſſimum germanis aërem Pannonicum, ſolumque inviſum ſpurcitie caſtrenſi in nos armaverimus. Ad decubitum vero in nuda tellure quod attinet, conſtabit, opinor, illum propter putres malignoſque vapores admodum ſuſpectum eſſe: cum tamen in caſtris devitari nequeat, eo nocentior fuerit, quo tellus maligníoribus ſuccis imbuta, corruptioni magis obnoxia fuerit. Et ſane cum univerſa Ungaria pene dubii Martis ſanguinolentis gurgitibus paſſim [illegible]t inundata: conciſarum vero legionum ſanie & tabo omnia diffluant; teterrimis ſuccis perfuſam terram inficientia ex putridis, & adhuc animam ſpirantibus glebis aërem attractum plurimum infici conſentaneum eſt. Quod enim inſalubres & pernicioſi halitus iis ex locis exſpirent, quæ cadaverum putredine ſqualent, tam rationes quam ignis fatui crebræ evaporationes, quibus ſepulcreta nuſquam non relucent, edocebunt. ſi igitur illa in regione noſtris exercitibus ſuſpectior erit diuturnus terræ decubitus, hic ſane fuerit: ubi crebris & profundioribus foſſis ſubterraneæ fuligines aſſidue renovantur: quæ quidem ſolis etiam Auſtrinis ſtatibus, ne dum virulentis glebarum exhalationibus peſtes præſentiſſimas diffundere poſſunt. Talparum n. inſtar quilibet fere ex peditibus tentoriola ceſpitibus effoſſis contra imbres communire ſolet, ſic, ut primo perverſum hunc ſed plane receptum, morem ſerio deteſtatus, inter ſepulcra potius, quam caſtra me verſari putarem. Quod vero in muniendis caſtris, ubi crebra ſuffoſſione, telluris aggeſtione, vix non montes hoſtilibus incurſionibus ſunt opponendi, cavernis ſubterraneis adapertis, aër corrigatur, non modo rationibus, ſed etiam

exem-

exemplis certo conſtat. Tres enim Suidnitii, die 2. Julii, Anno 1556. Flambronii in Palatinatu 31. Julii Anno 1573. Romæ, die 23. Junii Anno 1574. duo afflati aëre infecto refoſſione ex ſpecubus contracto ſubito mortui ceciderunt. Sic ſæpius λειποθυμίας ſymptomaticas graſſari conſueviſſe inter milites etiam valentes cum animadverterem, inter hos præſertim, qui diutius inter ceſpites telluremve circumcirca effoſſam delituerant, aëre tantum locoque mutatis plures facile reſtituebamus. His primæ Decadi Auſtriacæ finem facientes ultra decem ejuſmodi morbis correptorum millia, quæ tantum laudatiſſ. Ordinum utriuſque Auſtriæ auſpiciis Turcis, toto hoc decennio ſemet oppoſuerunt, tacite comprehendimus: plures ex his ipſis, & notatu ſatis dignas, obſervationes ſubjuncturi: ſi benigno lectori ſtudium qualecunque noſtrum non prorſus diſplicuiſſe ſenſerim. Archiater caſtrenſis Filius Dei cunctis in periuros Turcas arma ſumturis ſanitatem, Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ victorias, miſeræ Hungariæ tranquila Halcyonia clementer elargiatur.

MORBUS VIRGINEUS
Vid.
CHLOROSIS.

MOROSIS.
Vid.
STUPIDITAS.

MORPHÆA.
Vid.
CUTIS VITIA.

MORPIONES.

Morpiones facillimè fugantur per applicatum mercurium quò quò modô demùm præparatum; Nec eſt quòd de iis multis agamus. Unicam itaque tantum obſervationem ex Nobiliſſimi ac Clariſſ. Nicolai Tulpii Obſ. Medic. lib. 3. adducemus. Quæ hæc eſt.

Juveni Brabantino, plurimum vagi, & oberrantis pruritus, in pube ubi fieret; vidimus tandem illic tectè delituiſſe, aliquos pediculos; figurâ rotundos, ſed in dorſo nigrâ maculâ notatos; ad hæc pedibus ſuis cuti tam firmiter accretos: ut nequiverint inde avelli ſine ſcalpello. Quæ tamen ſordida, ac immunda colluvies, ne ſemel ſublata, iterùm facilè recurreret, imparata fuerunt inſequentia remedia, quibus etiam radicitùs evulſum fuit moleſtiſſimum hocce malum.

♃. Succi folior. aſari ʒ iiß. oxymell. ſimplic. ℥ß. aq. hordei ℥ ii. M. f. vomitorium. Quô ubi elicuiſſemus pituitam in ventriculo ſtabulantem: movimus deinde alvum; & impoſuimus feliciter loco affecto, fomenta ac linimenta, ſubtus notata.

♃. Ariſtol. rotund. ℥ i. veratr. alb. ℥ß. abſinth. marrub. abrotan. an. m. j. ſem, lupinor. & ſtaphyſagr. an. ℥ß. nitri ʒ ii. coquantur ex lixiviô dilutô, & admixtis colaturæ ℔ ij. aceti ſcyllitici ℥ iv. fiat fotus. Quô convenienter deterſo, illinebatur pubis regio hôcce unguento.

♃. Sem. ſtaphyſagr. ℥ß. radic. veratr. alb. & alumin. an. ʒj. argenti vivi ſublimati ℈ i. (*non videmus quid hic per argentum vivum ſublimatum intelligat Auctor; nam ſi de ſublimatô corroſivô hic agatur nimia eſt doſis; ſi de ſublimatô dulci, multo parcior. Itaque præſtabit admiſcere mercurii ſublimati dulcis ʒ iij. vel præcipitati albi probè loti ʒ iß.*) axungiæ porcinæ q. ſ. M. f. litus.

MORSUS HUMANUS.

De Morſu humanô vide capite, de Rabidi Morſu.

MUCRONATÆ CARTILAGINIS PROLAPSUS.

Quòd vulgò Cartilaginis Mucronatæ, ſeu Xyphoidis prolapſus dicitur, eſt potius ejuſdem depreſſio ac reflectio. Ex eô cognoſcitur morbus; quòd propter inde enatam orificii ſuperioris ventriculi anguſtiam, cibus durior, nec ſatis dentibus confractus difficulter ad ventriculum tranſeat; dolor etiam hinc oritur, & aliquando vomitus; imò appetitus imminuitur, reſpiratio difficilis evadit in aſcenſu, & morbo durante icterus, ipſaque atrophia inducitur.

Ut vitium hoc emendes, ſolummodò cucurbitula ventoſa amplioris orificii, exteriùs cuti, cui cartilago ſubjacet, applicanda, ſicque illa relinquenda uſquedum inſpiratio impeditur; ſubitò tunc removeatur, & cartilago ſæpius prima vice locum naturalem iterum occupabit. Quod ſi non contigerit, repetat Chirurgus operationem ſemel, aut bis.

Poſtea præmiſſa illitione olei roſarum & myrtillor. emplaſtrum hoc apponatur, per aliquot dies in affecto loco detinendum.

♃. Radic. biſtort. nucum cupreſſ. an. ʒi. maſtich. thuris an. ʒß. balauſtior. ℈i. ol. nuc. moſch. expr. ℈i. picis naval. & terebinth. an. q. ſ. M. f. Emplaſtrum. *Paulus Barbette in Chirurgiâ.*

MUTITAS.

Quomodo ii qui propter connatam ſurditatem, Muti facti ſunt, loqui edoceantur, explicat Clariſſimus Johannes Conradus Ammannus Medicinæ Doctor Scaffuſâ-Helvet. in curioſiſſima quam publici juris fecit Diſſertatione, quam integram hic exhibemus cum illi præmiſſa ad Lectorem præfatione.

Joh. Conrad. Ammannus Med. Doct. Lectori S.

In paucis hiſce paginis, *Candide Lector*, apertè & ingenuè tibi expono, quâ ratione ſurdos, & quòd tales nati ſint, mutos articulatè loqui, alioſque loquentes facilè intelligere doceam, ita ut librum, epiſtolamve, & legere, & intelligere, ſuamque vel ore, vel ſcriptô mentem aperire poſſint.

Quam

Quam egregium hoc beneficium? quam commode auditus arte hac ſarcitur? ſi quid invidia & deteſtabilis lucrandi cupido apud me poſſent, mecum abſconditam retinerem. At quam miſera ſurdorum ſors eſt? quam manca eſt multilaque, quæ ſignis geſtibuſque fit, loquela? quam parum capiunt, quæ æternam ſuam ſalutem concernunt? quis hanc conditionem non miſereatur? quis eam omnibus, quibus poteſt, mediis ſublevare recuſet? Ego, divina adſpirante gratia, non ſublevabo ſaltem, ſed vulgari in eo præſtantiorem reddam, & jam reddidi, quod alios, voce etiam maxime ſubmiſſa loquentes, vel potius ſibilantes intelligant.

Nova & incredibilis pluribus videbitur hæc doctrina, non tamen plane inaudita eſt, fuerunt enim, ut accipio, quidam, quibus eadem cura fuit, quid autem effecerint, me latere non diffiteor; ſancteque teſtor, mihi, antequam ipſe excogitaram, ne veſtigium ejus apud ullum Auctorem occurriſſe. Non deerunt tamen, qui doctrinam hanc prima fronte ceu fabuloſam rejicient, alii, & hi tandem ipſi forſan, cum modum ipſis detexero, ſe idem potuiſſe efficere dicent: ego neutros curo, probe gnarus, æquos rerum æſtumatores aliter judicaturos.

Cum huc uſque legendo perveneris B. L. parum quæſo ſubſiſte, libertate cuivis conceſſa utere, & attentus tecum voluta, quid ipſe ageres, ſi hæc Tibi excolenda daretur provincia. Si rectam invenies viam, gratias Deo age, mihique Te monuiſſe ſufficiet: ſi non, ad ſequentia perge, ubi nullo negocio eam invenies. Hæc eſt ipſa illa via, quam ſequebar, cum magnæ ſpei Puellam Heſter Koolaert, Dn. Petri Kolardi filiam unicam, ſurdam natam, non legere ſaltem, ſed expedite loqui, imo ſermonem cum aliis miſcere docui, adeoque brevi profecit, ut Catecheticas quæſtiones quam plurimas memoria teneret, ſed ita ut earum ſenſum, quantum per ætatem puerilem licet, caperet: maximo gaudebat opere, cum ipſi dicerem, me methodum hanc qua ipſa loqui didicit, omnibus communem facere velle. Bene his utere amice Lector, ſique quid rectius noſti, candide imperti, nec ingrato feceris, Vale.

Surdus Loquens. Quæ ſit vocis natura indagatur, & in quo à Spiritu differat.

Nemo ad nobilem hanc artem ſe perventurum præſumat, ſi, in quo literarum, tam in genere quam in ſpecie, natura conſiſtat, ignoret; id enim opuſculo huic dedit occaſionem: quare antequam de modo Surdos erudiendi verba faciam, examini ſubjiciam primo literarum materiam, Vocem nimirum & Spiritum; ſecundo literas ipſas earumque differentias; tertio denique praxin docebo.

Sæpius audivi à quibuſdam, miraculo non inferius eſſe, quod Deus homines potius motibus, quos labiis, lingua, dentibus &c. efficiunt, quam aliis mentis ſuæ cogitata alligare voluerit, idque tam univerſaliter, ut nulla ſit barbara adeo natio, ne exceptis quidem Hottentottis, quæ loqui neſciat. Verum, conſiderent hi quæſo, quid homines bene conſtituti velint, dum ſibi invicem loquuntur; cordis enim penetralia aperire, imo propriam in alios vitam transfundere deſiderant, quod non fit commodius quam loquendo; nihil enim à nobis emanat, quod vividiorem vitæ characterem gerat quam vox noſtra: imo in voce eſt ſpiritus vitæ, cujus pars in vocem tranſit; Eſt enim vox proles cordis noſtri, affectuum & concupiſcentiæ ſedis. Hinc impetuoſos affectuum motus aliquando reprimere nequimus, ſed ex cordis abundantia os loquitur. Ita quando quid nobiſcum volvimus, & tamen effari veremur, cor quaſi parturit & anxium eſt, ſi id autem in amici ſinum effudimus, magna ſtatim tranquillitas oritur, & evacuaſſe cor dicimus. Adeo vox vitæ, immediate è corde ſcaturientis, plena eſt, ut diu loqui ſummopere fatiget, imprimis ægros, quos ſæpe, cum vix tria quatuorve protulere verba, animus delinquit. Ut paucis multa complectar, vox eſt emanatio à ſpiritu illo, quem Deus Homini, dum crearet illum in animam viventem, in nares ſufflavit: hinc etiam verbum Dei, filius Dei, omnipotentia dei &c. in S. Scriptura non raro homonyma ſunt.

Non eſt mirum itaque, ſi vox homini, etiam ſurdo naturalis eſt; rident enim ſurdi, exclamant, egregie vociferantur, flent, ſuſpirant, gemunt, animique præcipuos motus voce, attendenti diverſa, exprimunt, imo vix geſtibus quid ſignificant, quin vocem admiſceant. Ita omnium fere nationum exclamationes ſimiles ſunt: *a* eſt præcipue gaudentis, *i* indignantis & iraſcentis, *o* commiſerantis, exclamantis, ut plura alia taceam.

Jam in quo vocis natura conſiſtat, ubi formetur, & quomodo formetur, breviter dicam, ſimulque expediam quænam vocem inter & ſimplicem ſpiritum ſit differentia, ut pote quæ tanti eſt momenti, ut, ſi ignoretur, ſurdi nonnulli loqui non diſcant, ſicuti in Cap. III. docebitur. Homines bifariam loquuntur, nimirum ut vel à quovis non nimis remoto exaudiri poſſint, & id vox eſt; vel cum clam quid alicui in aurem dicunt, tumque ſimplicem & non ſonorum ſpiritum proferunt. Etiam ſurdi vocem à ſpiritu ſimplici dignoſcunt, utroque enim modo loqui poſſunt & ego ab iis differentiam hanc ex parte didici.

Vox humana eſt aër, vitæ charactere imprægnatus & ſonorus, ſive qui ita ad vocis organa inter expirandum allidit, ut inde tremant, abſque tremulo autem hoc motu vox nulla generatur: imo non ſola larynx inde tremit, ſed totum cranium, imo aliquando omnia totius corporis oſſa, quod quilibet manu gutturi verticique admota in ſe facile deprehendet. Hic tremor in pleriſque ſonoris corporibus admodum eſt conſpicuus, & aëris, ni fallor, Elateri maximam partem debetur; quod, niſi brevitati ſtuderem, fuſius explicarem. Simplex autem Spiritus eſt aër ſimpliciter & abſq; alliſione per oris nariumve aperturam expiratus, qui ſibilum potius quam ſonum excitat. Hinc animalia, quibus trachea infra guttur præciſa eſt, Spiritum quidem reddunt, at nullam vocem; nimis amplus enim eſt & æqualis tracheæ tubus, quam ut aër alicubi allidere, inque ſe reflexus tremere, tremulumque vicinis corporibus motum imprimere poſſit: Id medicorum diſcipuli

no-

norunt, vivos enim canes ſecturi tracheam ipſis præſcindunt, ne offendat latratus; Vox enim tantum à ſimplici ſpiritu differt, quantum raucus ille ſonus, quem digitorum apicibus vitrum aliquod tabulamve fortiter fricando excitamus, diverſus eſt à leni illo ſibilo, qui, dum idem vitrum tabulamve manu leviter abſtergimus, auditur.

Vox itaque qua Vox in Laryngis cartilaginibus generatur, deinceps demum in has illasve literas fingitur: ut autem pulcra ſit vox, cartilagines iſtas læves, nulloque muco obſitas eſſe oportet, alioquin rauca fit vox, & aliquando plane aboletur, quando nimirum vim ſuam elaſticam amiſerunt.

Tibia aliaque organa pneumatica vocis naturam egregie explanant; ibi enim ex ſimplici aëre, dum laceratur quaſi, inque tremulum adigitur motum, vocem quandam ſeu ſonum generari videmus: quod autem in organis his lingula eſt, ejuſve vicem implet, id homini eſt Epiglottis & Uvula, at reliquæ gutturis Cartilagines, præterquam quod ad vocis generationem nonparum faciunt: ei tamen vel graviori vel acutiori reddendæ maxime inſerviunt; idque præcipue ope oſſis Hyoidis & annexorum muſculorum: at nolim muſculos laryngi proprios ab officio hoc removere, omnes enim unanimiter in gutturis rimulam vel ampliorem vel anguſtiorem reddendam, conſpirant. Summopere hic miranda eſt facultas illa vocem pro lubitu flectendi, quæ, ſicuti etiam loquela, nobis non naturalis eſt, ſed habitus longa conſuetudine contractus; hinc imperiti non ſaltem cantare neſciunt, ſed ne alios quidem canentes imitari poſſunt; ita & linguæ alicujus ignari, alios, linguam iſtam loquentes, non ſolum non intelligunt, ſed nec auribus acceptam vocem repetere ſtatim ſciunt.

De præcipuis vocis requiſitis eſt, ut ejus officina larynx ſolida ſit, ſicca, deque corporum reſonantium natura. Hypotheſi hac duo egregia vocis phænomena ſolvuntur; cur vox tum demum firma ſit & matura, quando oſſa robur ſuum juſtamque duritiem adepta ſunt, quod circa pubertatis annos accidit, ubi vitalis calor ſe magis exerit. Alterum eſt raucedo, vociſque omnimoda abolitio, quod fit, quando gutturis cartilagines, & maxime Epiglottis tenaci muco obſitæ ſunt, ita enim elaterem ſuum amittunt: hæc autem vocis ſymptomata etiam tibiis aliiſque pneumaticis inſtrumentis communia ſunt, quando ab aëre halituoſo nimis humectantur. Eadem ratio eſt, cur vox tandem deficiat eos, qui nimis diu declamaverunt, quorumque fauces immodico torrentur æſtu, utrorumque enim larynx tenaci pituita obducitur.

Bina adhuc vocis ſymptomata explicanda mihi ſumſi, cur nimirum vox ab una aliquando octava in aliam tranſiliat, &, ut vulgo bene loquuntur, rumpatur; Curque vel nimis acutam, vel nimis gravem reddere vocem conantes, ea nos plane tandem deficiat. Primum quod attinet, conſiderandum quando id fiat, & quomodo fiat: accidit autem imprimis oratoribus, quando vocem nimis efferre contendunt, at quomodo fiat, tibiæ nos & monochorda docent, quando impedimentum aliquod ſonum ordinarium in duos dirimit; ſi itaque partes ſunt æquales, ſonus uterque una octava acutior eſt priori, nec ab invicem diſtinguuntur; at ſi ſunt inæquales, duo diverſi ſoni eduntur ſimul, quorum alter altero gravior, & hoc vox fracta communiter appellatur. Cur autem deficiat nos vox, quando eam acutiorem juſto glavioremve reddere conamur, ratio eſt, quod laryngis rimam vel adeo contrahimus, & cartilaginem gutturniformem beneficio oſſis hyoidis verſus Epiglottidem premimus, ut exitus & voci & ſpiritui præcludatur; vel quod è contra eadem rima, deorſum cartilagines trahendo, in tantum aperitur, ut exiens ſpiritus obſtaculum offendat nullum.

Verum hic propemodum oblitus eſſem, laryngis conſtitutionem ſicciorem humidioremve, ſolidiorem aut tenuiorem, multum etiam ad vocem vel acutam, vel gravem reddendam conferre. Suſurrus ille, quam plurima inſecta volatia non tam alarum, (his enim abſciſſis ſuſurrus adhuc remanet) quam muſculorum in pectoris cavo abſconditorum celerrimo & quaſi criſpatorio motu excitant, aliquid cum voce affinitatis habere videtur, quare eruditos rogo, ut examinent, an non exigui illi, laryngis cartilaginibus proprii, muſculi tale quid efficere queant.

Plura adhuc de voce diſquiri poſſent, ut, quomodo ſua quiſque Voce ab aliis dignoſcatur, quomodo inter canendum ſonus ille, qui κατ᾽ ἐξοχὴν tremulus dicitur, excitetur &c. verum cum ad vocis naturam proprie non ſpectent, brevitatis ergo omitto.

Literarum natura, & formandi modus exponitur.

Hactenus de voce & ſpiritu, & utriuſque formandi ratione in genere, jam diſpiciendum, quomodo dicta Vox & Spiritus, ceu apta materia, in has illasve literas fingantur, unica enim literarum materia Vox eſt & ſpiritus, forma autem earum à meatuum, per quos tranſeunt, diverſa configuratione petenda eſt. Literæ igitur, non qua ſunt characteres quidam, ſed quatenus enunciantur: ſunt vox vel ſpiritus, diverſimode ab organis, loquelæ deſtinatis, figuratus.

De literis autem præmonendum, quod omnium fere magna ſit latitudo, idemque character non una eademque oris configuratione, etiam in eadem lingua, pronuncietur; ita *a* & *e* aperta quandoque audiant, quandoque clauſa; habet & *o* ſuam latitudinem, adeo ut multo plures eſſe literæ poſſent; imo tot, quot diverſis modis vox & ſpiritus ab organis loquelæ figurari queunt; at ab omnibus gentibus faciliimi tantum & maxime conſpicui, quorum numerus vigeſimum quartum nunquam fere ſuperat, recepti ſunt, certiſque characteribus annexi; Verum cum characteres hi non eodem ubique modo pronuncientur, imo eadem litera eidem populo diverſimode aliquando ſonet, quare Germanorum literas, & mihi vernaculas, & omnium maxime ſimplices, hic loci examinandas delegi; idem quippe ubique fere ſonant, vocales eorum ſunt admodum ſimplices & rei natu-

naturæ convenientes, diphthongi inde compoſitæ componentium vocalium naturam retinent, quippe ſemper in eis audiuntur, ſecus ac fit in pleriſque linguis, quas vivas appellant; namque ex ſimpliciſſimis vocalibus diphthongos aliquando faciunt, ut ſunt *au*, *ou*, *ai* Gallorum, *oe*, *eu* Batavorum, vel diphthongos adeo improprias habent, ut componentium vocalium vix alterutra audiatur, qualis eſt *oi* Gallorum & *uy* Belgarum, ut plura exempla taceam; vel tam varie pro ſitus varietate ſonant, ut ſi mihi Gallus aliquis ſurdus docendus eſſet, non Gallicas eum literas, ſed Germanicas ab initio docerem: alioquin plane confunderetur. Nec conſonantium melior ſors eſt, tamque diverſa quarundam eſt pronunciatio, ut vix duæ ſint gentes, quæ characterem *g* eodem modo efferant.

At in Germanorum Alphaheto mihi ordo maxime diſplicet, qui ſane nullus eſt; quippe vix duæ ejuſdem claſſis literæ ſe invicem ſequuntur, quod ſurdorum informationem multo difficiliorem redderet, quare eas in hunc ordinem, qui maxime naturalis mihi videbatur, redegi.

a. e. i, j. y. o. u, vv. aͤ. oͤ. uͤ. m. n. ng. l. r. h. g, ch. s. f, v. k, c, q. d, t. b, p. x. z.

Ex ſolo ordine attendentibus patet, me totum hoc Alphabetum dividere in Vocales, Semivocales, & Conſonantes.

Vocales ſunt vox, diverſa tantum apertura oris modificata, & ſunt vel ſimplices ſeu uniformes, ut.

a. e. i, j, y. o. u, vv.

Vel mixtæ, quæ è duabus in unam ita coaluerunt, ut ſimul pronuncientur, & ſic à diphthongis differunt, utpote quarum vocales ſucceſſive pronunciantur: hæ autem vocales mixtæ ſunt aͤ. oͤ. uͤ. quas gentes quædam vel plane non habent, vel male ſcribunt: verum de formationis modo infra plura dicentur.

Semivocales ſunt medium quid inter genuinam vocem & ſimplicem ſpiritum, poſſuntque pro lubitu ad inſtar vocalium produci; ſunt autem vel Naſales, ut *m. n. ng.*

Vel Orales, ut *l. r.*

Conſonantes ſunt ſimplex ſpiritus, non ſonorus, varie tamen modificatus: ſuntque triplicis generis,

Vel enim ſucceſſive pronunciantur, & ad lubitum produci poſſunt, ut *g, ch. s. f. v.*

Vel ſubito exploduntur; quas proin exploſivas voco, ut *k, c, q. d, t. b, p.*

Vel compoſitæ ex duabus præcedentibus, quarum numerus diverſis gentibus diverſus eſt, Germani duas habent *x.* nimirum & *z.*

Diviſioni huic, in qua maxime ad literarum naturam & pronunciandi modum reſpexi, non incongrue additur, quod literæ hæ in tribus potiſſimum oris regionibus, ima nimirum ſeu gutture, media ſeu palato & dentibus, & denique extrema ſeu labiis efformentur; hinc de ſingulis earum claſſibus fere tres ſunt, Gutturalis una, dentalis altera, & tertia Labialis: ſed de his pluribus infra.

Præoccupabo hic Lectorem, qui in ſequenti capite mihi objiciet, hanc meam doctrinam ſemper fore mutilam, quoniã ſurdi omnes, quos lingua, labiis &c. loquentes efficimus, motus nunquã viſu ſuo ſint aſſecuturi: Verum, præterquam quod viſus auditui vivida ſenſibilitate non cedat, nec opus id eſſe aſſero, ſi aliqualem fecere progreſſum; namque & nos ſæpiſſime literas iſtas, quas ego Conſonantes appello, inter pronunciandum non audimus, ſed ex admixtis vocalibus & ſemivocalibus colligimus: nemo v. gr. *b.* vel *g.* vel *d.* ita enunciabit, ut centum inde paſſibus audiri poſſit. Et hæc præcipua mihi ratio videtur, cur verbum aliquod, peregrina lingua prolatum, prima vice rariſſime repetere queamus.

Antequam autem literarum in ſpecie naturam, & formandi modum explicem, hic non omittendum cenſui, quod, ſicuti omnes literæ, etiam vocales ipſæ, tanquam ſpiritus ſimplex & non ſonorus aliquo modo pronunciari poſſunt, cum v. gr. alicui quid in aurem ſuſurramus, ita & conſonantes, exceptis illis quas Exploſivas appello, vocaliter ſeu adjuncta voce proferri poſſint, genteſque ſint, quæ ita pronuncient, ut Galli *z.* ſuum & *v.*

Jam de literis in ſpecie agam, eaſque ita examinabo, ut literarum Germanicarum & perfecta ſimplicitas eluceſcat, & aliæ gentes ex formandi ratione diſcere queant, quomodo eas pronunciare oporteat; hinc inde etiam addam, quam improprie nationes quædam eaſdem literas ſuo idiomate reddant. In explicatione autem hac eundem quem in diviſione, ordinem ſervabo, ubi vocem & ſpiritum pro triplici oris regione tripliciter figurari ſponte patebit.

Vocales itaque ſimplices & uniformes ſunt *a. e. i. j. y. o. u, vv*, & ſequenti modo formantur.

a. Vocalis eſt Gutturalis, & omnium maxime ſimplex, clavis Alphabeti, ac proin litera initialis apud omnes gentes, exceptis ſolis, quod ſciam, Abyſſinis, quibus teſte M. Ludolfo decima tertia eſt. Vario quidem linguæ ſitu pronunciari poteſt, communis tamen & maxime conveniens eſt, ut lingua in ſitu quietis ſuæ ſit, blande in ore exporrecta, dentiumque inferiorum marginem vel non, vel leviter tantum attingat: ſi itaque maxilla inferior deorſum trahitur, & *os* ita aperitur, ut vox in gutture efformata nec ad dentes, nec ad labia impingat, *a.* quoddam apertum audietur.

e. i, j, y. ſunt vocales dentales, ſeu vox, quæ inter prodeundum ad dentes magis minuſve allidit, hinc infantes licet dicant pappa, bo, &c. has tamen literas pronunciare nequeunt donec dentes, ſaltem inciſorios habeant: Et quidem *e.* formatur, dum vox, leniter diductis labiis, ad dentes itidem modice diductos impingit; linguæ autem ſitus talis ſit, ut utrinque caninis dentibus inferioris maxillæ aliquantulum obnitatur, ita enim vocis meatus redditur anguſtior, & *e.* multo fit clarius.

i. j, & *y.* ſunt eadem vocalis, modo correpta magis, modo producta, nec ullo nititur fundamento, *i.* aliquando conſonantem fieri, ſed rapidius tantum pronunciatur, ut cum ſequente vocali diphthongum conſtitue-

re queat: cæterum formatur *i.* eodem fere modo, quo *e*, niſi quod dentes magis ut plurimum ſtringantur, & lingua, dentibus obnixa, vocis meatus reddatur anguſtior; unde ſonus quoque emergit acutior, qui tamen aliquando ab *e.* diſtingui vix poteſt: *y* autem eſt *i.* ſolito productius ſeu geminum.

o. u. vv. ſunt vocales labiales, ſeu quæ vario labiorum ſitu efformantur, & tantundem inter ſe differunt *o.* & *u.* quantum *e.* & *i: vv.* autem ad *u.* ſe habet ſicuti *j.* ad *i.* Formantur quidem *o. u. vv.* dum dentes & lingua eundem, quem in *a*, ſitum retinent, labia autem, ſicuti in *e.* & *i.* dentes, magis vel minus contrahuntur, & ſic, quando minus ſtringuntur, *o.* habebitur, quando autem aliquanto magis, *u.* vel *vv*: at ſollicite cavendum, ne, dum *o.* vel *u.* pronunciatur, appareant dentes, alioquin facile tenue quoddam *e.* admiſceretur, & loco *o.* vel *u.* haberetur oͤ vel uͤ. Hæ literæ ſunt Gallorum, *au*, & *ou*, cum tamen nihil minus ſint quam diphthongi, & Belgarum *oe.* eſt noſtrum *u*, ſed admodum improprie.

Vocales mixtæ ſunt aͤ oͤ uͤ harum characteres linguæ noſtræ peculiares ſunt, & admodum ingenioſe à Veteribus excogitati, licet moderni plerique rationem neſciant. Simplicem habent quæque characterem, quoniam ſonus, quem ſignificant, unicus eſt, licet mixtus; ſunt enim *a. o.* & *u.* ita pronunciata, ut vocis tranſitus, lingua dentibuſque ad *e.* pronunciandum compoſitis, anguſtior reddatur, & ita *e.* cum dictis literis *a. o. u.* unicam at mixtam vocalem conſtituat. Galli eas reddunt per *ai*, *eu*, & *u*, & quidem ſatis male, ut quilibet videre poterit. Belgæ carent aͤ, oͤ reddunt per *ev*, uͤ autem per *u*, nihilo melius quam Galli.

De Diphthongis, è vocalibus his compoſitis, quæque inde componi poſſent, multum dicere ſupervacaneum duxi; nihil enim in lingua noſtra ſunt, quam ſolito rapidior, ſucceſſiva tamen, componentium vocalium pronunciatio: & ita à vocalibus mixtis differunt. At quam improprias & abſurdas gentes nonnullæ diphthongos habeant, quivis ex hactenus dictis facile colligere poterit.

Altera literarum Claſſis ſunt ſemivocales, ideo ita dictæ quod formentur quidem è ſpiritu ſonoro ſeu voce, at quæ in itinere ſuo multum infringitur. Sunt, ut dixi, vel Naſales, ſive quæ per meatum, quo naſus in oris cavitatem hiat, pronunciantur: Vox autem eà tranſire cogitur, cum vel ad compreſſa appellit labia, & inde regurgitans in *m.* formatur: vel cum linguæ apex ita palato dentibuſve ſuperioribus adaptatur, ut vox per nares regurgitare debeat, & ita *n.* formatur: vel denique cum poſteriori linguæ parte, palato admota, ita vox coërcetur, ut exitus non niſi per nares pateat, & ſic *ng.* formatur; ſonus, qui peculiarem in nulla, quod ſciam, lingua characterem habet, cum tamen à reliquis naſalibus non minus differat, quam *k.* diverſum eſt à *t.* vel *p.* Si quis hæc ſecum experiri cupiat, naſo digitis compreſſo unam de tribus; pronunciare conetur, nec poterit.

Vel ſunt Orales, quæ quidem per *os* pronunciantur, at non tam libere quam genuinæ Vocales, ſuntque duæ *l.* & *r.* Fit *l*, quando lingua ita applicatur palato dentibuſque ſuperioribus, ut Vox non niſi exili radio juxta linguæ latera erumpere poſſit; ſi enim genas verſus molares dentes premas, exitum voci præcludes, & difficulter admodum hanc literam pronunciabis. *r.* eſt vox ſumma rapiditate fluctuans, & formatur, dum pars linguæ mobilior oculi ictu aliquoties palato & applicatur, & iterum inde retrahitur; ita enim vox, in gutture formata, inter pronunciandum fluit refluitque; & ſubſultim effertur: hinc quorum lingua nimis gravis eſt & humida, minuſque volubilis, literam hanc, ſive audiant, ſive ſurdi ſint, non bene pronunciabunt.

Jam reſtant adhuc conſonantes, ſeu literæ, quæ ex non ſonoro ſeu muto ſpiritu formantur: è quibus tamen non nullæ ſemivocales fieri poſſunt, ut *g*, *ch. ſ. f*, *v*.

Sicuti Vox vocalium & ſemivocalium communis eſt materia, ita conſonantium eſt ſpiritus quidam aſperior ſeu *h*, quod omnium eſt ſimpliciſſima, & è quo diverſimode figurato reliquæ fiunt. Suntque vel ſibilantes, quæ ex ſpiritu alicubi compreſſo ſeu coarctato formantur, quales ſunt *g*, *ch. ſ. f*, *v*: *g.* quidem ſeu *ch.* fit, quando fauces ope partis linguæ poſterioris adeo arctantur, ut tranſiens ſpiritus cum ſibilo quodam vique erumpat.

Hic non prætereundum cenſeo, quod ſint Germaniæ tractus, ubi tanta *g.* cum *k.* eſt affinitas, quanta *b.* cum *p*, & *d.* cum *t*, ſeu ubi *g.* tanquam *k.* lenius pronunciatur; ita & Galli *g.* ſuum ante *a. o. u.* & *ou.* pronunciant.

ſ. Formatur, quando dentes & lingua ita invicem aptantur, ut ſpiritus non niſi per dentium interſtitia prodire poſſit: *f.* autem ſeu *x*, quod ab *f.* non differt in lingua noſtra, fit, quando labium inferius ita ſuperioribus admovetur dentibus, ut ſpiritui per eadem dentium interſticia ſit erumpendum: *ph.* eſt *f*, linguæ Germanicæ peregrinum, nec ab eo quicquam niſi charactere diverſum.

Alterum conſonantium genus ſunt Exploſivæ, quæ nimirum uno impetu, & veluti ictu oculi excutiuntur, ſuntque aliud nihil quam ſpiritus, qui vel in anteriori, vel in media, vel in poſtrema oris regione coäcervatus ſubito exploditur: & *k.* quidem formatur in poſteriori regione, quando pars linguæ poſtrema ita admovetur palato, ut ſpiritus nec per *os.* nec per nares erumpere poſſit, ſubitoque iterum laxatur; ita enim ſpiritus coërcitus erumpit, & erumpendo *k c.* vel *q.* efficit, quæ Germanis eadem litera ſunt: in media regione formatur *d.* & *t*, quando nimirum ſpiritus ope linguæ, dentibus palatove admotæ, ſubitoque iterum retractæ, magis minuſve compreſſus, proprio elatere proſilit, & ita vel *d.* vel *t.* efficitur, quæ tantum, ſicuti *b.* & *p*, ſecundum magis & minus differunt: in regione oris extrema generantur *b.* & *p*, quando nimirum ſpiritui, in tota oris cavitate compreſſo, ſolutis labiorum repagulis, fores patent.

Sequuntur tandem conſonantes, ex ſibilante & exploſiva compoſitæ, ut ſunt *x.* ſeu *ks.* & *z.* ſeu *ts*, unica anomalia linguæ Germanicæ; ſi enim, quod ſentio, eloqui licet, characteribus his commode carere poſſemus: uſum tamen eorum non improbo, ſed tantum quid conveniens

nientius eſſet, oſtendo; nimirum ut vox vel ſpiritus ſimplex ſimplici quoque charactere exprimatur, & contra, ut ſimplex & unicus character non niſi unam vocem ſpiritumve ſignificet: ſi autem tachygraphiæ commodum objiciatur, omnes poſſibiles vocalium cum ſemivocalibus & conſonantibus combinationes ſimplicibus characteribus exprimere ſuaderem.

Hæc ſunt, quæ de literis, earumque formatione dicere conſtitui, cumque Grammaticam ſcribere non ſit animus, quæ de iſtis præterea dici poſſent, prætereo; quid autem præſtiterim, aliis dijudicandum relinquo, non tam docere eos, quam præſentibus excitare, & ab iis, ſicuti juvenem decet, diſcere avidus; errores ſpero ætati condonabuntur. Certus tamen ſum, ſi veteres Hebræi, Græci & Romani, ita ſuas deſcripſiſſent literas, de pronunciationis modo jam litem non fore.

Ipſam Methodum docet, qua ſurdi, & ob ſurditatem Muti, loqui diſcere poſſint.

Hactenus dicta attendentibus quidem ſufficere poſſent, totius quippe artificii fundamenta continent: at ne ſalivam tantum ſibi moviſſe me querantur curioſi, ingenue iis aperiam, quid quadriennio hoc, quo ſurdis quibuſdam inſtituendis operam dedi, ſcitu & dignum & maxime neceſſarium obſervaverim: quid autem hac mea Methodo effecerim, imprimis in filia ſpectatiſſ. Dn. Kolardi, Mercatoris Harlemens. præter magnam Hollandiæ partem & univerſam fere Harlemenſem civitatem, alios omnis conditionis teſtes habeo innumeros.

Primum, quod in ſubjecto docendo requiro, eſt, ut ſit docilis ingenii, & ætatis non nimis puerilis, tum ut loquelæ organa bene habeat conſtituta; ſtupidi enim nullius doctrinæ ſunt capaces, quorum ætas nimium adhuc tenera eſt, nec ſatis attendunt, nec uſui ſibi commodoque id fore ſciunt: quorum autem organa loquelæ ſunt inidonea, alios quidem loquentes intelligere, ſuamque ſcripto mentem aperire poterunt, at loqui non diſcent.

Aptum igitur ſubjectum nacto prima cura eſt, ut vocem eliciam, ſine qua labor fere irritus eſt omnis: id autem, quo ſurdi vocem à ſpiritu muto in ſe diſcernunt, eſt magnum artis myſterium, & ſurdorum, ſi ita loqui fas eſt, auditus, aut ejus ſaltem analogum, nimirum tremulus ille motus & titillatio, quam, dum vocem ſponte ſua edunt, in proprio percipiunt gutture. Ut itaque ſcire ſurdi poſſint, me dum pro voce edenda os aperio, non ſimpliciter hiare, mutumve expromere ſpiritum, manum eorum gutturi meo admoveo, ut tremulum ejus motum, dum vocem edo, ſentiant: tum eandem manum proprio admovere gutturi, meque imitari jubeo; nec terreor, ſi vox ab initio ſit ſcabra & difficilis, magis enim ac magis tempore politur.

Si vocem, quod prima plerumque vice fit, obtinui, vocales eos brevi tempore pronunciare doceo; nimirum oris aperturam, dum vocem in gutture fingunt, ita moderari jubeo, ſicuti ſupra de vocalium formatione dixi: ut autem eo facilius id poſſint, ſpeculum adhibeo, quia diverſos iſtos maxillæ, linguæ & labiorum motus ex ſolo intuitu imitari nequirent, niſi aliquoties id coram ſpeculo tentaverint. Inde dedici, falſo communiter credi, ſurdos, ſtatim ac auditus ipſis redderetur, locutoros; tanta enim inter vocis organa & auditum conſenſus eſſe non mihi videtur, ut prima vice auditam vocem imitari poſſimus: verum acceptam ab aliis vocem ſpiritumve ſæpius imitando, propriamque ſimul audiendo, utriuſque demum ſimilitudinem deprehendimus, & ita omnes loqui diſcimus; qui enim loqui diſcit, perinde eſt, ac ſi aliam quandam artem addiſceret, longa namque conſuetudine organa redduntur apta & ductilia; hinc peregrinas literas aliquando non niſi longo tempore rite pronunciamus.

Probe autem conſiderari velim, me omnes ſtatim literas ſurdis præſcribere, alioquin ideas ſuas figere nequirent, quod tamen ſummopere eſt neceſſarium; & raro plus quam duas treſve literas uno die doceo, ne turbentur ideæ: ſæpiſſime eas repetere, & à me pronunciatas pingere jubeo.

Si autem caſu, ut fit aliquando, unam literam pro altera pronuncient non increpo, ſed applaudo, & ſatis mihi factum innuo, protenuſque literæ illius characterem in chartam defigo, ut ideam ejus cum figura connectere poſſint. Interim dum vocales addiſcunt, manum ſæpiſſime gutturi meo admoveo, ut vocem edere aſſueſcant.

Quando vocales ipſis familiares ſunt, ad ſemivocales accedo, quæ aliquanto ſunt difficiliores, imprimis naſales; per naſum enim ſurdi vocem non niſi docti reddunt, proinde incipio ab *m*, utpote maxime conſpicua, & reliquis faciliori, ut ſaltem vocem per nares reddere aſſueſcant: jubeo itaque labia comprimere, manuque gutturi admota vocem edere, & ita neceſſario *m.* pronunciant, non autem *em*, ut vulgo pronunciatur. Dn. Kolardi filia, antequam curæ meæ commiſſa erat, dicere quidem poterat Pappa, eſt enim vocula fere nobiſcum nata, at fatebatur mihi Parens, ſe plus millies fruſtra tentaſſe, ut diceret Mamma: quod tamen ego minuto temporis effeci.

Alterum jam tibi arcanum committo Lector, ut ſcilicet, ſi tibi docendus ſit ſurdus, caveas, ne ſemivocales & conſonantes cum annexis ſuis vocalibus ſimul pronunciare doceas, ut v. gr. *em, en, ka, ef, te &c.* ita enim nec legere, nec rite quicquam effari diſcerent. Semivocalium & conſonantium vis non eſt in adjecta vocali, ſed in peculiari vel voce vel ſpiritu: cumque dicere ſurdum velles Tafel, vel *Svvartz*, nihil audires, quam *Te, a, ef, e, el*, vel *Es, vve, a, er, te, zet*; quod valde eſſet abſonum, nec facile emendares: Hac autem methodo, primum ac literas norunt, legere incipiunt, nam legere eſt literas ſucceſſive tantum pronunciare.

NB. Id in Scholis etiam magni uſus eſſet, imprimis quando linguæ docentur, quarum litera integris vocibus exprimuntur, ut alpha, omega, gimel, dubbeld *u, zet. &c.* plurimum enim temporis perditur, diſcen-

dique deſiderium pueris adimitur, antequam initiales harum vocum literas abſtrahere, & inter legendum connectere poſſint; adeo ut ſit ſummo mirandum opere, egregium hoc Lectionis compendium hactenus delituiſſe.

Reliquæ naſales *n* & *ng* peculiare nihil habent, niſi quod ſurdis linguæ ſitum in ſpeculo oſtendam, manumque naſo meo admoveam, quo ſpiritum ſonorum per nares egredi ſentiant.

Quando *l* doceo, linguam dentibus ſuperioribus, at inciſoriis tantum & caninis, adhibere jubeo, tum ut vocem per *os* edant, ſignum do manu: at ne loco *l* pronuncient *n*, quod fit, cum lingua voci adeo præcluditur exitus, ut regurgitet per nares, eas, donec aſſueverint, digitis leniter comprimo.

Litera *r* eſt omnium fere difficillima, de ſex tamen ſurdis, quos hactenus informavi, quatuor eam ſumma facilitate pronunciabant; reliqui duo non niſi in faucibus eam efformare poterant; doceo autem, dum manum eorum modo gutturi, modo ori admoveo, quo ſubſultantem & interruptam vocis expulſionem quaſi palpare poſſint; in ſpeculum quoque aliquoties reſpicere jubeo, ut tremulum & fluctuantem linguæ motum obſervent: at nemo genuinam hujus literæ pronunciationem prima vice expectet.

Vocalibus & ſemivocalibus probe inculcatis, conſonantes nullo fere negocio addiſcuntur, ſunt enim ſpiritus ſimplex & mutus, pro diverſa oris apertura vel ſucceſſive vel ſubito prodiens, & ſola fere manu, ori admota, facile omnes doceri poſſunt.

h Omnium eſt ſimpliciſſima, nec aliud quid eſt quam aër, qui ſolito denſius & concitatius expiratur.

g Seu *ch* eſt *h* aſperius, quod ita doceo, dum ſurdis meis linguæ ſitum in ſpeculo oſtendo, ſpiritumque prodeuntem palpandum do: ita ſe res habet cum *s* & *f*, utpote quibus nihil eſt facilius, quæque ex antecedenti deſcriptione facillime diſci poſſunt.

Conſonantes exploſivas ſurdum, etiam ſi cœcus eſſet, docerem, ſi enim exploſum ipſi ſpiritum darem palpandum, unam de tribus neceſſario pronunciaret: ſimpliciter enim ad *os* meum linguamque reſpicere jubeo, tum manu *ori* admota vel *k*, vel *b*, *p*. vel *d*, *t*. pronuncio, &, ut idem faciant, impero.

x & *z* non aliter pronunciantur quam *ks*, vel *gs*, (ubi *g*. eſt conſonans exploſiva) & *ts*: quare nihil de iis addo.

Diligenter aſſuefaciendi ſunt ſurdi, ut has ſemivocales *n*, *ng*, *l*, *r*, nec non ſequentes conſonantes, *b*, *g*, *k*, *t*; quavis oris apertura pronuncient, alioquin eas quandoque non ſine notabili hiatu & dyſphonia cum vocalibus quibuſdam jungere poſſent. In genere autem hibernum tempus inſtituendis ſurdis fere aptius eſt; ſimul enim halitus, inter pronunciandum ab ore provenientes, videre poſſunt.

Quando itaque ſurdum aliquem literas hactenus enumeratas ſingulatim pronunciare docui, duas treſve de facillimis ita effari doceo, ut inter eas hiatus non ſit: v. gr. *ab*, *am*, *da*, *fa*, *ef* &c. ut literas ſucceſſive pronunciare aſſueſcant; tum ſenſim difficilioribus combinationibus aſſuefacio, vocales, ſemivocales, & conſonantes invicem miſcendo, & ita parvo negocio legere diſcunt: ſi quid autem legerunt, eos ad os meum reſpicere, idemque, denuo à me pronunciatum, repetere jubeo; ita enim ſenſim aſſueſcunt humanam vocem ſolo intuitu imitari: at nolim eos hoc labore, ſatis moleſto, donec multum profecerunt, fatigari, abſterrentur enim.

Interim ſedulo laborandum, ut, quando conſonans ſequitur aliam conſonantem, ut *ps*, *kt*. *ks*, ſch &c. vel ſemivocalem, ut *ls*, *lk*, *md* &c. immediate eas jungant inter pronunciandum, ne *i* quoddam inter utramque audiatur vel *e*, quod, niſi cavetur, frequenter accidit.

Quando legere, & alios loquentes aliquo modo intelligere poſſunt, eos ceu recens natos tracto; primo nomina maxime obvia doceo, tam ſubſtantiva quam adjectiva, ut & verba & adverbia maxime neceſſaria, tum declinationes & conjugationes. Egregii autem hic uſus mihi fuit Quintuplex ille verſatilis orbis, dives totius linguæ Germanicæ Theſaurus, quem in *Svventeri* deliciis Mathematicis reperi, auxi, & Belgico etiam idiomati applicui: ibi, præter omnes poſſibiles vocalium, ſemivocalium, & conſonantium combinationes, omnes itidem vocabulorum Germanicorum terminationes, ut & derivata & compoſita cito jucundeque ediſci poſſunt. Primus orbis continet præpoſitiones & voculas, cum quibus nomina & verba componuntur; ſecundus literas initiales; tertius vocales & diphthongos; quartus literas finales; quintus denique omnes Germanicas terminationes.

At magna videtur difficultas, quod literæ nonnullæ, ut *e* & *i*, *o* & *u*, eadem fere oris apertura enuncientur, adeoque confundi eos, neceſſe ſit: revera autem parvi eſt momenti plerumque enim non animadvertitur differentia, & literæ, quæ quoad naturam longe magis differunt, eodem fere modo ſcribuntur, maxime inter feſtinandum, ut *m* & *n*, *r* & *n*, *a* & *o* &c. quæ tamen exercitatum lectorem non remorantur.

Alii objicient, ſurdos, ita doctos, forſan præter me neminem intellecturos: hæc ſane difficultas aliquid ponderis habere videtur, at ſciendum, homines pleraſque literas æque male pronunciare, ac earum characteres negligenter pingunt: cum tali autem, qui loqui diſcit, perinde eſt ac qui aliorum ſcripturas legere docetur; primo enim vix quicquam niſi à Magiſtro ſcriptum, deinceps & a commilitonibus, denique nihil non leget, licet peſſime pictum. Non itaque mirandum, ſi, quos loqui doceo, ab initio me cæteris facilius intelligant (ego enim literas in omni ſua extenſione, non autem mutilas, ut multi ſolent, pronuncio) tum domeſticos & familiares, & tandem quemlibet.

Sub finem addo, quod pleræque literæ tam inſpirando quam expirando formari poſſint, quod in Gaſtriloquis quibuſdam valde admiratus ſum: & Amſtelodami olim vetulam quandam utroque modo loquentem, ſibique

bique ad quæſita reſpondentem, audivi, ut eam cum viro, duos treſve paſſus inde remoto, colloqui dejeraſſem; vox enim, inter inſpirandum abſorpta, de longinquo venire putatur.

En, Lector, trium dierum opuſculum; ſi quid rectius proferes, cum gratiarum actione accipiam: ſunt & alia adhuc quædam, ſcilicet, quomodo efficiatur, ut ſurdus literas quaſdam, ab alio pronunciatas, diſcernere ab invicem queat, ut *m* à *b*, *n* à *d*, *ng* à *k*, *&c.* vel quomodo ſyllabarum quantitas ſit moderanda. Verum hæc & ſimilia vix niſi docendo poſſunt diſci.

Hactenus Clariſſimus Amnaannus ſubiungimus jam varias de mutitate è variis Autoribus petitas Obſervationes.

Mutis loquela data, & Surdis Auditus.

Modus cum quo poſſunt à nativitate Muti curari, miraculoſus eſt, non tamen impoſſibili, ingenio humano: Numeroſa inveniuntur exempla in Hiſpania, ex Nobiliſſimis familiis eorum, qui in infantia muti, aut vitio Naturæ, aut ex accidenti per nimiam agitationem currus, aut per nimium ſtrepitum exploſorum tormentorum (hæ enim cauſæ mutos reddere poſſunt) qui poſtea diſtincte verba pronuntiant, licet Surdi permaneant ſemper, non tamen muti: Talis Filius Sereniſſimi Principis Sabaudiæ Thomaſſ. Marchio di Priego Marchio del Freſno, Frater Coneſtabilis Caſtiliæ, qui fuerunt muti, nunc abſque omni difficultate aut hæſitatione loquuntur, ſaltem defectus ſurditatis obſervatur: Alia plura dantur exempla diverſorum privatorum, qui hoc beneficium acceperunt ab Emmanuele Kamiteſio de Carione, quod rarum ſecretum addidici, partim diſcurſum faciendo cum ipſo Authore, partim philoſophando cum extraordinaria conſtantia, & optimè ſucceſſit, D. Petr. à Caſtro in tract. de Coloſtro cap. 3. p. 18. Quod tamen ibi revelare hæſitat, ſequenti modo ab ipſo inſtitutum fuit. Totum verò negotium conſiſtit in induſtria, dexteritate & patientia, affirmatque Idem D. Caſtro. quod ipſemet in oppido Verganæ Cantabriæ, hoc modo puerum à nativitate mutum & ſurdum cum ſumma & licet prolixa aſſiduitate reſtituerit intra duos menſes, perfectè voces & conceptus exprimentem.

Primo corpus expurgandum eſt ſecundum conſtitutionem, dein exhibenda purgatio ſpecialis ex helleb. nigro, vel ejus extract. in pilul. exhibito, vel decoct. rad. helleb. nigr. ad dragm. i. cujus decocti ſumebat Author uncias iii. in quo per noctem infundebat agaric. dragm. ii. & colat. addebat Syr. de epithym. uncias ii. Purgato per hoc medicamentum ſemel aut bis capite, prout neceſſitas exigit, raditur capillitium ſupra ſuturam coronalem ad quantitatem latæ manus, dein raſo capiti inungitur ſæpè linim. ſequens:

♃. Aqu. vit. unc. iii. Salpetræ ſ. nitri purificat. dragm.ij. Ol. amygd. amar. unc. j.

Bulliant ſimul ad conſumptionem Spir. vini, dein adde Aq. nimphæ unc. i. & inde bene conquaſſetur ſpatula & reducatur ad formam linim. quo ſingulis diebus ſemel perungitur pars raſa, præcipuè veſpertinis horis, dum itur cubitum. At matutinis horis poſtquam omnes cerebri ductus emunxerit, aures, nares, palatum, maſticato præſertim granulo maſtich. aut portiuncula liquiritiæ, aut quod ſatius eſt, paſta ex ſucco liquiritiæ, maſtich. & ambr. & moſch. ducto pariter ad poſteriora capitis pectine eburneo pluries capillitio, denique lota probè facie, mutum alloquitur ſupra ſuturam coronalem, partem ſcilicet deraſam, & mirum eſt, quod ita clarè vocem percipiat mutus & ſurdus, quem nullo pacto per aures conſequi poſſet. Si legere neſciat, incipiendum erit ipſi tradere literas alphabethi, & ſæpius repetere unamquamque, donec ipſe proferat, & ea induſtria procedendum, ut modus pronuntiandi ipſi innuetur; & ſic perſerverandum per multos dies, donec à litteris ad voces integras deveniatur, & ipſi oſtendantur res domeſticæ communes, & variæ, quarum diſcere poſſit nomina, dein ſæpè multa alioqui continuata, ut ipſe capiat modum colligendi locutiones. Primis 15. diebus mirum in modum nomina apprehendit, quæ non niſi tenaciſſima memoria ſervare poſſet; ſequentibus ſingulis res redditur facilior, & mirandum eſt quanta anxietate continuò in verba prorumpere cogitet.

Scholion.) Solent plerumque muti à nativitate ſimul ſurdi eſſe, quanquam Dominicus Panarol. pentecoſt. iv. obſerv. 17. p. 121. puerum viderit duodecimum annum agentem, qui à nativitate quidem mutus, ſed non ſurdus; unde à tergo interrogatus faciem volvit: cujus cauſas Idem reddit, tum quod ſaltem læſio nervorum vocalium in hoc homine fuerit, tum propter conformationem nervorum diverſam, ut nervus auditorius in aurem ſolam & non alibi ingreſſus fuit, tum denique à fatuitate, qua mediante nihil. Sic cur muti plerumque ſimul ſurdi triplices quoque ſtatuuntur cauſæ à Practicis:

1. Ob conjunctionem nervi quintæ conjugationis, quorum ſurculus major ad aurem, minor ad linguam & laryngem excurrere ſolet. Camer. cent. 8. Memorabil. Memorabil. Med. §. 82.

2. Alii imputant canaliculo cartilagineo velut Aquæductui, qui à ſecundo auris meatu ad os & palatum fertur, ita ut ab ore in aurem, & ab aure in os liberè meet, remeetque aër, præcipuè, ſi à natura amplior ſit effectus iſte meatus è tympano ad palatum protenſus. Veſling. Syntagm. anat. c. 16. Unde ratio dari poteſt, quod D. Beubeſius Gallus narravit D. Paulo Marquardo Slegelio Medico poſt Hamburgenſi celeberrimo, ſe noviſſe fœminam ſurdam quæ cornu ori inderet, rogaretque colloquentes, ut orificio prominenti cornu labiis admotis voces, in os ſibi inſpirare vellent, quas ita ipſa audivit, uti olim ex D. Schlegeli MSS. notavi, & à D. Hieronymo Welſchio in Epiſagmat. obſ. med. citatam hiſtoriam vidi obſ. 24. p. 16. nam & hujus ductus beneficio fides ore mordicus prehenſæ & pulſatæ ſonum per os præbent Camerar. cent. 2. mem. §. 71. & ut Laz. Rivertus

lib.3. Prax. cap.1. pag.184. ait, hujus patentis meatus ope fit, ut aure utraque obturata, ſi muſica inſtrumenta baculo contingantur & dentibus prehendantur, exquiſitius audiatur, & in via alicujus procul advenientis ſtrepitus è longinquo magis percipiatur, ſi enſis alterum extremum terræ effigatur, alterum verò dentibus apprehendatur,

3. Alii à nativitate ſurdos, pariter ἀναύδους mutos ſeu ad minimum μογιλάλους faciunt, quia animus ſurdorum ſono non eſt edoctus, neſcius eas formare voces inauditas, nec animo concipere, nec loqui poſſunt, cum ſermo non niſi ſermocinantes audiendo regulariter addiſcatur. In hanc ſententiam inclinat Franc. Mercur. Helmontius in Alphabet. Natural. Hebraico Colloq. l. p. 1. qui huic miſeriæ (nempe loquelæ carentis) ſubjacent: Surdi plerumque tantum ſunt propriè loquendo, voce enim nec carent, nec oris linguæque motu, ſed defectus articulati ſermonis exinde oritur, quod ob corrupta auditus organa, alios loquentes non audiverint, adeoque nec ordinariam ſonorum humanorum ſpecificationem, juxta normam loquendi conſuetam, in linguæ vociſque ſuæ motus introducere potuerint. Ex hoc fundamento Petrus Pontius Monachus S. Benedicti, natos ſurdos loqui docuit, non alia arte, quam docens primum ſcribere res ipſas, digito indicando, quæ characteribus responderent, provocando, teſte *Franciſco Valleſio in Philoſ. Sacra c.3. p.57.*

Quo verò nunc non penetravit Humani ingenii acies, quæ Surdis & mutis feliciter loquelam reſtituit? Modum hactenus occultatum, aperuit Franc. Mercur. Helmont. l. a. colloq. 1. & nititur ſequentibus principiis.

1. Qui ita Surdi ſunt, plerumque viſu pollent acutiſſimo atque argutiſſimo, hac ratione, ut ſi quis de rebus domeſticis cum ipſo loquatur, ille verum verborum ſenſum, quam velociſſimè, etiam è longinquo intelligere queat, quaſi legendo, idque non niſi ex obſeruatione oris loquentium aliquantulum accuratiori quod infra notatæ teſtabuntur hiſtoriæ.

2. Didicerunt hæc eo modo, cujus beneficio illiteràti primum legere diſcunt; nam ut illi primo figuris utuntur majuſculis, & characteris craſſioris, quo cognito ad litteras minores pergunt, & ad abbreviaturas quoque, quas faciilimè aſſequuntur, licet quædam uſque ad finem ſententiæ plenariè non ſint expreſſa: Sic Surdi iſti videntur primò tales exactius obſervare, qui ſublata voce clamantes, aliquid ſibi apportari juſſerunt, eorumque linguam, labia, genas, mentum, jugulum ſimileſque partes, earumque motum ac mutationem, accuratius notantes, his tanquam characteribus majoribus uſi ſunt, ad aſſequendum loquentium ſenſum; in quibus confirmati ad leniores & magis ordinarios loquentium motus progreſſi eſſe videntur, donec tandem eorum intentionem, ex ipſo horum motuum initio, nondum abſoluto toto contextu intelligant, potiſſimum conſuetudine adjuti. Sunt itaque iſtorum ſurdorum intelligendi principia, diverſæ in mota loquentium lingua configurationes, ex quibus tanquam ex primis ſcripturæ cujuſdam elementis genuinum loquentis ſenſum quaſi intelligunt.

3. Poſt hunc verborum intellectum non difficilè putat Helmontius, ut ſcripturas quoque commodè legant ſi quis ipſis litteras depingit, ſicut eaſdem per vivum loquentium motum à lingua formari viderunt, & ad uſum ſermonis adduci poterunt, ſi quis illos ante ſpeculum conſtitutos, hos ipſos motus ſuo ore imitari eoſdemque motus poſtmodum efflato anhelitu quaſi animare doceat.

4. Felicius hoc ſuccedere cum linguis Orientalibus aſſerit Idem Helmont. l. a. p. 3. iſti etenim homines orientales copioſiore opus ob calorem habent anhelitu, unde aperto ore & patentiſſimo gutture, tanquam ex ipſo pectore, proloquuntur, ut omnes linguæ commotionem faciliime obſervare queant; in Anglia verò lociſque Septentrioni vicinioribus paululum ſaltem aperto ore, vix labia movent.

Teſtatur itaque Helmontius l. a. p. 5. in Surdo Muſico ſe experimentum feciſſe, quem trium hebdomadarum ſpatio eo uſque perduxerit, ut ad omnia reſponderit, quæ quis tardè & ore aperto præſertim cum ipſo locucus fuerit, & deinceps proprio marte linguam Hebræam, brevi admodum tempore perdidicerit. Quod Helmontius Lingua Hebraica præſtitit, hoc paucis abhinc annis Excell. & celeberrimus Mathematicus Oxonii in Anglia D. Wallis raro artificio cum lingua Anglica præſtitit, ſurdos loqui docens, imò & mutos duobus jam experimentis clareſcens: Ita namque de eo D. Olaus Borrichius nunc Prof. Hafniæ digniſſimus. in lit. ad D. Bartholin. è Londino 10. Aug. 1663. datis (vide cent. IV. epiſt. 92. p. 527.) viſus mihi, inquit, apud Walliſium nobilis Juvenis qui neſcio quo infelici caſu anno ætatis quinto ſurdus redditus eſt, & poſt ſex ex eo menſes mutus, & jam per 20. annos ne verbum potuit pronuntiare. Huic D. Walliſius in ſchedula litteras ſyllabaſque præſcribit, hinc recitat ipſe, ad motum ſimilem in alterius lingua provocans; nec opinione ſua fruſtratus, Juvenem hunc nunc eo quoque redigit, ut quædam ſatis diſtinctè eloquatur, licet nec dum audiat. Meminit quoque nobiliſſimus Dn. de Monconnis, in Itinerar. Anglic. Tom. II. p. 50. quod cum ipſe Anno 1663. menſe Junio Oxonium fuiſſet profectus, vidiſſet nobilem quendam puerum Anglum in ædibus laudati Dn. D. Wallis, qui à nativitate ſurdus & mutus; hunc legere docuit, qui præſenti Dn. de Monconnis ſpecimen edidit legendo ex libro Anglico, non aliter ac alia perſona, hoc ſolo cum diſcrimine, quod ſolum unam Syllabam, una vice & voce, proferret; & hunc eſſe alterum in quo experimentum ſucceſſerit. Edidit nuper Anglus D. D. W. Horder. diſſertationem in elementa ſermonis, eo tendentia, quomodo ſurdi & muti ſint informandi ut loquantur, de quo libro plura invenire licet in Tranſaction. Philoſoph. Anglic. Tom. 4. num. 47. p. 958.

Quod hi muti & ſurdi per vivi Præceptoris induſtriam aſſecuti ſunt, hoc alii ſurdi, auditum ſcilicet proprio naturæ inſtinctu, & ſumma diſcendi aviditate per motum labiorum conſecuti ſunt, ſurdi tamen manentes. Narrat Corell. cent IV. obſ. 23. de Nauta apud Santones à quin-

quinto ætatis anno per morbi violentiam ſurdo facto, cum difficultate loquelæ, is loquentes ſubmiſſa voce, imo labia tantum motitantes, nullo emiſſo ſono, audit, & quæ dicant, capere poteſt, & ad petita reſpondet. Veriſimile putat, quod Spiritus qui alias auris & linguæ organa agitarunt, recurrerint ad imaginationem, quæ fortior facta, eundem perſpicaciſſimum in viſu (ad motum labiorum obſervandum) reddiderit; quod verò ſubmiſſos ſonos, & non violentos excipiat, credibile fieri in auditu ob mutationem in organis, ea ratione, ut aulæ arte architectonica parantur, in quibus remoti ea audiunt, quæ in angulo inſuſurrantur. De Simeone Dieterico Hollando, qui Surdus factus ex lapſu è Turri Purmerendana refert *Nicol. Tulpius lib. 4. obſervat. cap. 18.* quod is ex ſolo colloquentium labiorum motu conciones domi enarraverit, & prout colloquentium labra glabra vel piloſa, tenuiora vel craſſiora pro eo vel citius vel tardius intellexerit eorum mentem. Pro majori rei veritate recentiſſimum dabo ex Sileſia exemplum. Vivit ſub ditione Generoſiſs. Comitis Joh. Henrici de Hohberg in Fürſtenſtein, Freiberg & Fridland in ejus pago *Saltzborn* dicto, & vivit adhuc dum hæc ſcribo, ſcriniarius nomine Johannes Freund, qui poſt variolas ſurdus factus eſt, is naturalem ad Studia Mathematica habet inclinationem, adeò ut artem pingendi & colores miſcendi proprio ingenio cum arte ſcriniaria didicerit. Imploravit aliquando Empiricorum operam pro ſurditate tollenda, nihil tamen effectum, niſi ut per aliquot dies bombardarum diſploſarum ſtrepitum aliquantulum obaudiret, rurſus verò adeo ſurdus ut licet quis ſtentorea voce clamitet, tamen hoc non exaudiat: Ille tamen cum omnibus, maximè tamen cum iis, quibus jam aſſuetus eſt, verba miſcet, colloquentes cum ipſo ſi ſaltem ſibilent, melius intelligit, quàm eos, qui ſonorè clamitant, & hæc omnia ex ſolius linguæ & labiorum motu, quæ fixis intuetur oculis, ad dicta, quæ ipſi mandantur, exactè reſpondet, & reipſa ritè laborando, & colores addendo, quæ injunguntur, monſtrat ſe exactè omnia intellexiſſe: duxit præterito anno uxorem, cujus ſermonem & motum labiorum iſte ſurdus optimè intelligit, adeo ut ea, ignotorum hominum quibus non adeo aſſuetus eſt, interpretem agat. Templa intrat, conciones eo modo audit, & quod Confeſſionarius ejus Vir conſummatæ divinæ & profanæ eruditionis Dn. M. Benjamin Gerlachius mihi affirmavit, quando facta confeſſione auriculari abſolutionem expectat, intentè admodum ejus labia aſpicit, quomodo moveantur, ne ullum ipſi verbum excidat. Hæc, præter narrationem prædicti Generoſ. Dn. Comitis, affirmavit veritatem dictorum Admodum Strenuus & Nobiliſſ. Dn. Chriſtoph. Erneſtus de Sommerfeld in Gruna & Alzenau, Statuum Ducat. Svidnic. & Jaurav. Orator, in cujus prædio iſte ſurdus per pluſculas ſeptimanas commoratus, & ex arte ſcriniaria varia elaboravit, ipſiuſque famulam in matrimonium duxit.

Pro Surdaſtris tamen, qui non penitus ſurdi ſunt Ars quoque humanæ ſolertiæ adinvenit auxilium egregium. De Johanne Baptiſta Lallio Nurſino Icto & Poëta, (qui ſale facetiiſque omnes ſui ævi Poëtas ſuperavit,) refert Janus Nicius Erythræus, quod cum ab anno ætatis ſuæ quadrageſimo, cœperit audiendi facultate carere, neceſſe habuerit parva tuba ex argento facta auribus admota, loquentium voces excipere. Vide Nicii Pinacothec. part. 1. Imagin. 73. p. m. 131. Edit. Colon. quod inventum jam à Galeno celebrari ad Aſclepiadis mentem exactum eſſe, ſtatuit D. G. Hieron. Welſchius not. ad Epiſagmat. Obſervat. Medic. pag. 16. Simile inſtrumentum ad acutius audiendum hodie Hiſpani fabricant ex argento vel cupro, & Sarbatana vocant, idque ſi defectum in auribus habent, ſecum geſtant, ut myopes ocularia; vidit tale apud Hiſpanam mulierem Lincii Hœſerus in Tom. 1. Hercul. Medic. lib. 1. cap. 9. p. 55. dicitque exactius deſcriptam à Mathematico Altorffenſi, ipſe verò à ſe viſum narrat fuiſſe inſtar infundibuli, cujus amplior pars objiciatur ſecum loquentibus, anguſtior, autem auribus propriis applicetur.

Pro iis tamen, qui halbutiunt, pariter inſtrumentum caſus fortuitus invenit, & ars poſtea perfecit in homine, cui ob amputatam linguæ portionem, loquelæ uſus impeditus, deſcribitur & depingitur à Paræo Chirurgiæ lib. 22. cap. 5. fol. 489. ſcutula ſcilicet, cujus pars ſeſqui capitati argentei craſſitie eſt, & inter inciſſorios dentes continetur, ut ab ore haut promineat, pars inferior & tenuior capitati argentei craſſitie eſt, hanc reliquæ linguæ tenaci adhæſu componunt recta ad ligamentum membraneum, quod ſub lingua eſt; interius nonnihil excavatum, quam ſcutulam ligneam quoties legitimè in os indunt, toties articulatè loquuntur, ut ab omnibus intelligantur. Novi Virum admodum curioſum & Eruditum, qui balbutientem Nobilem Puerum è nobili familia de Falckenhain oriundum, hîc in Sileſia paucis menſibus perfectam loquelam formare feliciter didicit, ex fundamento Linguarum Orientalium demonſtrando, quomodo pro diverſitate literarum, dum aliæ gutturales, aliæ labiales, aliæ dentales, aliæ linguales inſtrumenta loquelæ diverſimodè moveantur & flectantur, puero non ſolùm exactè motus iſtos in ſe monſtrando, ſed etiam ſæpius propriam linguam & labia inflectendo, donec perfectè verba exprimere didicerit. Porro dantur quidem Exempla Sanctorum Martyrum, qui per miraculum exciſis à Tyrannis penitus Linguis tamen locuti fuerunt, ut de Libycis Epiſcopis quibus Arriani Linguas radicitus evulſerant, de aliis Chriſtianis à Perſis mutilatis, ex Egnatio, & Nizephoro & de aliis quoq; teſtatur Caſpar à Reies in Campo Elyſio Jucund. Quæſt. quæſt. 55. §. 12. p. 688. inauditum tamen noſtro ætate Salmuri in Gallia ex variolis quemdã expuiſſe Linguam totam, nec tamen loquendi promptitudinem amiſiſſe, exactè quidem aliqua Litterarum elementa proferre neſcivit, melius autem illas Litteras quæ ſine linguæ alliſu enunciantur & vel è gutture enunciantur & vel è gutture eructantur ut A, vel à Labiis eduntur ut B. Th Barth. Cent. 2. Hiſt. rar. 22. Propter raritatem hujus Galli in loquela edidit integrum tractatum Jacobus Rolandus Chirurgus Salamurienſis Juratus, cujus titulus Agloſſoſtomagraphia ſive Os abſque Lingua, quod perfectè loquitur, ubi agitur de mirabili caſu cujuſdam è Pictavia

inferiori oriundi, qui puer quinquennis linguam ſphacelo à variolis tum temporis ibi locorum epidemialiter graſſantibus totam corruptam & putrefactam amiſit, ut nihil prorſus in bucca remanſerit, omnes tamen quinque functiones, quæ huic parti tribuuntur, ut ſunt loqui, ſcreare, guſtare, cibos in ore intra maſticandum volutare, & eoſdem denique deglutire benè & diſtinctè omnium cum ſtupore & admiratione potuit obire.

Tandem quidam mutos ſe fingunt, & ex ventre ſaltem videntur loqui, vocantur Engaſtromythi ſeu ventriloqui. De iis *Nobil. Digbæus in de nat. corpor tract.1. cap.28. pag.310.* hi, qui vocantur, ventriloqui, inquit, imperitæ plebi imponunt perſuadentes ipſis dæmonem aliquem ab ipſorum ventre voces emittere Spiritum ſcilicet peculiari quadam arte intus attrahendo, quo fit ut voces videantur non ab ipſis edi, ſed ab alio intra ipſos latente, cum tamen ab ipſis ſaltem egredi videantur; nam ſi id non advertas, putabis ea à loco aliquo diſtanti proficiſci. Talem vidit *in Galliis Clar. Joh. Walæus Prof.* olim. Lugd. Batavor. nominatiſſimus, notante hoc exemplum *Alb. Kypero* in Cathedra medica ejuſdem ſucceſſore digniſſimo *in Inſtitut. Phyſic.L.X. cap.2. th.12. §.1.* Beneficio Epiglottidis, quæ velut quoddam in folle aſſarium initium aſperæ arteriæ ſuperintegit, & claudit. *Fr. Mercur. Helmont. in Alp. Hebraico cap.III.p.22.* fieri ſtatuit, ut illi attracto ſpiritu introrſum loquantur in ventrem ſuum, ore penitus clauſo, quales noſtris temporibus deceptores quidam ſeſe divinare fingant, quod ipſe Helmontius certiſſima edoctus eſt experientia. *Petri à Caſtro.*

Tentamen docendi Mutum & Surdum loqui, ac intelligere linguam aliquam. Ex Epiſtola Doct. Johannis Walliſii, ad Gener. Robertum Boyle. Act. Philoſ. 1670.

Non ita pridem ſcripſeram tibi, me (præter conſiderationem ....., quam tractabam,) ſuſcepiſſe alium laborem, (non minus forte arduum, quam Dominum .... : facere rationalem,) docendi mutum & ſurdum, loqui & intelligere linguam aliquam. Quorum ſi alterutrum calleret, alterum facilius foret; ſed quia neutrum poteſt, utrumque difficilius eſt. Et licet iſtud videatur minus facile, hoc tamen forſitan minime brevius tempus requirit. Si enim multum temporis requiritur, ut ſecundam linguam diſcat, qui unam novit; quanto longiore tempore opus eſt ei, qui nullam novit, ut primam diſcat?

In noviſſimis meis ſcripſi tibi mutum meum nunc minimùm eſſe ſemi vocalem, cujus rei cum deſideres ſpecialiorem informationem, non potui non tibi exhibere hanc brevem relationem totius negotii: ut ſimul percipias, & quibus rationibus motus tantum opus fuerim aggreſſus, quidque mihi propoſuerim in eo tanquam poſſibile, & quo ſucceſſu conatus mei fuerint comitati.

Opus ipſum conſiſtit in duabus diverſiſſimis partibus; quarum alterutra alteram difficiliorem reddit. Nam, præterquam quod primo intuitu apparet, docere eum qui audire nequit, pronunciare ſonum vocum: altera eſt difficultas, docendi ipſum intelligere linguam aliquam, & cognoſcere ſignificationem illarum vocum, ſive pronunciatarum, ſive ſcriptarum, per quam poſſit & ſui animi ſenſa exprimere, & aliorum percipere: ſine quo poſteriore, illud foret loqui inſtar pſittaci; vel ſcribere inſtar ſcribæ, qui Anglicè tantum ſciens tranſcribit orationem Latinam, Cambro Britannicam, vel Hibernicam; vel componere inſtar typothetæ Græcum ſeu Arabicum librum, qui nec ſonum, nec ſignificationem ejus quod componit, novit.

Verum enim verò, licet neutram iſtarum partium impoſſibilem ducerem; utramvis tamen alteram earum difficiliorem reddere, tam obvium erat, ut non poſſem id ignorare. Nam quam facile intellectus linguæ alicujus acquiratur beneficio ſermonis, quotidie videmus; non tantum in iis, qui jam periti unius linguæ, ſtudent addiſcendæ ſecundæ, ſed & (quod magis noſtro caſui ſimilis eſt) in infantibus, qui necdum ullam ſcientes linguam, primam diſcunt.

Maxime enim certum eſt, non poſſe duas linguas ita ab invicem eſſe diverſas, quin cognitio unius ſubſerviat adipiſcendæ cognitioni alterius: non tantum, quia nunc eſt lingua communis, cujus ope magiſter interpretetur diſcipulo ſignificationes illarum vocum & notionum, quas ignorat; ſed & (quod ſummopere notandum eſt,) quia communes notiones linguæ, in quibus omnes vel pleræque linguæ conveniunt, necnon tot earum particulariter, quæ communes ſunt linguæ illi, quam jam tenet, & quæ ei adhuc eſt addiſcenda, (quales erunt quam plurimæ,) jam cognitæ ſunt; & idcirco magna pars iſtius operis jam abſoluta eſt, quod neceſſarium fuerit in docenda prima lingua eum, qui necdum ullam novit.

Sed quando huic difficultati (docendi primam linguam) ſuperadditur difficultas quæ oritur ex ſurditate, neceſſe eſt difficultas hujus operis eo major ſit: quandoquidem manifeſtò patet ex experientia, aptiſſimam viam docendi infantem primam linguam inſtitui per perpetuum diſcurſum; non tantum de iis, quæ ſpeciatim ad ipſum diriguntur, tam per jucundas confabulationes, ſeu ſuavia alloquia (adeoque inſinuantur ſine ullo tædio aut moleſtia,) quàm per ea quæ directius intenduntur ad ejus magis ſeriam informationem: ſed & de rebus, de quibus alii colloquuntur; ubi ſine moleſtia ſeu difficultate infans obſervat, quæ actiones concomitentur in loquente ejus verba, & quos effectus producant in iis, ad quos diriguntur; unde graduatim infanti inſinuatur intelligentia iſtorum verborum.

Et ut ſurditas cauſat majorem difficultatem in docendo ipſum lingua aliqua: ita ex alia parte, defectus ille linguæ, difficiliorem reddit laborem docendi ipſum loqui vel pronunciare ſonos. Nam cum non ſit alius modus dirigendi loquelam ejus, quàm docendo ipſum, qua ratione ejus lingua, labia, palatum, & alia organa loquelæ, ſint applicanda vel movenda in formatione ſonorum requiſitorum; ut ipſe per artem, pronunciet illos ſonos, quos alii ex conſuetudine, neſcii qua ratione, pronunciant; videatur grave admodum opus, ſcriptione exprimere

vel

vel peritiſſimis iſtius rei, ſubtiliſſimas has & accuratiſſimas motus curioſitates, quæ obſervandæ ſunt (quamvis eas ipſi non percipiamus,) ab eo, cui, ut ſine auris ſuæ ope dirigat linguam ſuam, formanda eſt varietas illa ſonorum, qua nos in ſermone utimur: quarum curioſitatum plurimæ tam delicatæ & exquiſitæ ſunt, ut nos ipſi pronunciantes eas quotidie, nequeamus fere ſine ſeria conſideratione rationem dare, qua arte vel motu eas ipſi formemus; multo minus alios docere, qua ratione motus illi ſint dirigendi. Et ſi, ſcribendo ad aliquem, qui intelligit linguam aliquam tam difficile ſit inſtruere ipſum, quomodo, ſine ope auditus, proloquatur illos ſonos, quanto majorem oportet eſſe difficultatem, quando non eſt alia lingua, qua id exprimamus, præter ſigna muta.

Hæ autem difficultates (quas ſatis prævidebam) non arcebant me ab illo conamine; ſed ſemper animo concipiebam poſſibile, ut utraque pars hujus penſi felici cum ſucceſſu abſolvatur.

Ad priorem illarum quod attinet; licet non dubitarem; quin auris tantum dirigeret linguam in loquendo, quantum oculus dirigit manum in ſcribendo, vel canendo fidibus: & idcircò qui ex accidenti penitus perdunt auditum; perdunt etiam loquelam, & conſequenter non minus fiunt muti, ac ſurdi, (nam quodammodo eadem difficultas eſt ſurdo loqui bene, quæ eſt cœco bene ſcribere:) attamen, cùm comperiamus eſſe poſſibile, ut quis tantum acquirat habitum, ut & in tenebris canat cithara utut ad varietatem illam velocium motuum videatur requiri non minus oculi directio, quam judicium auris, quibus manus regatur, non arbitratus ſum impoſſibile eſſe, quin organa loquelæ doceri poſſent obſervare debitos ſitus, quamvis nec oculus obſervet eorum motum, nec auris percipiat ſonum editum.

Et poſteriorem quod concernit, notitia linguæ videatur poſſibilior. Nam cum infantes indies gradatim ope auris acquirant notitiam verborum, cum eorundem variis conſtructionibus & ſignificationibus, ita ut ſpacio paucorum annorum obtineant mediocrem habitum exprimendi animi ſui ſenſa prima ſua lingua, minimùm quæ verſantur circa ſolenniores ſeu uſitatiores ejus partes ac notiones; cur videatur impoſſibile, oculum (licet majore difficultate) applicare æquè iſtiuſmodi complicationem literarum, aliorumve characterum ad repræſentandum varios conceptus mentis; ac auris ſimilem complicationem ſonorum? Nam quamquam, prout res nunc ſunt, veriſſimum eſt, literas vobis eſſe immediatos characteres ſoni, prout ſoni illi immediata ſigna ſunt ſenſorum: nihil tamen obſtat in ipſa rei natura, quominus literæ & characteres poſſint eadem aptitudine applicari ad repræſentandum immediate, ac interventu ſoni, quæ ſint animi noſtri ſenſa.

Quæ veritas tanta eſt, (licet non adeò obſervata,) ut quotidiano uſu, experientiaque confirmetur; non tantum apud Chinenſes, quorum univerſa lingua dicitur compoſita ex characteribus repræſentantibus res & notiones, ſine dependentia à ſono verborum; & propterea diverſo ſermone pronunciatur ab iis, qui non differunt in ejus ſcriptione: (ſicut quod nos ſcribimus numeris, 1. 2. 3. pro *Unum, Duo, Tria*, Gallus e.g. pronunciat *Un, Deux, Trois*; Anglus *One, Tvvo, Three*:) ſed & ex parte apud nos; ut in figuris numeralibus jam memoratis, plurimiſque aliis characteribus ponderum & metallorum, quibus pariter diverſæ gentes utuntur ad ſignificandos ſuos conceptus, licet illi exprimantur diverſo ſono verborum: & frequentius in praxi ſpecioſæ Arithmeticæ, operationibuſque Algebræ, quæ exprimuntur ejuſmodi ſymbolis, quibus paucorum verborum interventu opus ſit ad ſignificandum ſenſum iſtorum, ut diverſæ gentis homines verbis exprimentes ſenſum horum characterum, non magis convenient in iiſdem verbis, licet omnes exprimant eundem ſenſum, quàm duo interpretes in verſione unius, ejuſdemque libri in aliam linguam.

Et licet nolim in controverſiam vocare practicam poſſibilitatem introducendi Univerſalem Characterem, quo omnes nationes, etſi diverſarum linguarum, exprimant communes ſibi conceptus; attamen, ut duo, treſvè (vel plures) conſenſu mutuo ſibi ſtatuant iſtiuſmodi characteres, quibus ſibi invicem per ſcripturam exprimant animi ſui ſenſa, ſine conſideratione ſoni verborum, tantum abeſt ab impoſſibilitate, ut id neceſſariò concedendum ſi non facile, tamen ſummè poſſibile. Si verò id fieri poteſt per novè inventos characteres, cur non & per jam uſitatos? qui licèt ab illis, quibus eorum communis uſus notus eſt, ſignificent ſonos, ab iis tamen qui ſonos illorum uſitatos ignorant, vel non conſiderant, non minus immediatè applicari poſſunt ad ſignificandum res vel notiones, quàm ſi nihil aliud ſignificarent: & per conſequens, quamdiu eſt merè arbitrarium, quo charactere exprimamus talem rem vel notionem; non minus nobis licet uti illo charactere, ſive collectione literarum, ad exprimendam rem oculis ſurdi; quo charactere vel collectione literarum alii exprimunt ſonum vel nomen ejus illis, qui poſſunt audire. Ita ut revera in illis ſit character realis, qui alteri exprimit ſonum vocalem, ſed utrique eundem conceptum ſignificat: quod eſt, intelligere linguam.

His fundamentalibus theſibus poſſibilitatis in natura rei ipſius, nunc mihi addenda eſt conſideratio, qua motus arbitratus ſum rem illam moraliter poſſibilem; id eſt, non impoſſibilem in ſucceſſu praxeos. Et quia nunc relationem exhibeo tam perito rerum Mathematicarum fautori, nullus dubito, quin hæc conſideratio proditura ſit vim non contemnendi argumenti ſuaſorii. Conſiderans itaque, ex quam paucis, iiſque tritis ſeu contemptilibus principiis, totum Geometriæ corpus, per continuam conſequentiam ſit ſtabilitum ac exſtructum, quamque pulchra fabrica & curioſa ſtructura ſurrexerit, & firmiter corroborata in mota ſtet ſuper tam exili fundamento; non potui ducere incredibile fore, ut & nos obtineremus ſucceſſum quendam non contemnendum in hoc inſtituto, utut omni fermè fundamentorum principio deſtituti: & ex illis exilibus agitationibus, & geſtibus, quibus ineſt quædam naturalis ſignificantia, (ſive ſignificativa vis,) poſſemus, ſi ritè negotium hoc tractaremus, gradatim procedere ad explicationem completæ linguæ,

&

& ſimul directionem præbere ad ſubtilitates iſtas motus & ſitus in organis ſermonis, quæ requiruntur ad formationem ſoni poſtulati; & ita perficere utramque partem propoſiti noſtri.

Alterum hujus operis ſuſcipiendi argumentum erat conſideratio viri ipſius, (quæ in hujuſmodi opere non levis eſt momenti;) qui mihi referebatur eſſe admodum ingenious & docilis, (& idcirco ſubjectum idoneum ad tentamen hoc in eo moliendum;) & in tantum minimum Mathematicus, ut picturas fingeret; qua in arte dicebatur mihi acquiſiviſſe mediocrem habitum; quo ipſo perſuadebar ut crederem eum minimè impatientem fore tædii, quod neceſſario oriretur ex attentione ſubtilitatis exilium illarum varietatum in articulatione ſonorum; cùm jam aſſuetus eſſet obſervare & imitari ſubtiles iſtas minutias in facie, ſine quibus minime poſſibile eſt bene pictorem delineare. Hoc adhuc addam, eum olim potuiſſe loqui, ſed abhinc tanto tempore, ut (arbitror) vix temporis iſtius recordetur. Sed ubi accidente quodam auditum perdidiſſet, cùm quinque annos natus eſſet, conſequenter etiam uſum linguæ dedidicit; non tamen ſimul, ſed pedetentim, intervallo circiter dimidii anni: quod licet confirmet quod jamjam dixi, quàm neceſſarium ſit, ut auris dirigat linguam in loquela, (quando habitus ille loquendi acquiſitus per auditum, ſimul cum eo amiſſus erat,) & idcirco mihi ſpem omnem boni ſucceſſus adimere videretur; eo tamen ipſo certiſſimus eram defectum ſermonis ejus tantùm conſequens fuiſſe defectus auditus ejus, nec præceſſiſſe originariè ex indiſpoſitione organorum loquelæ ad formandos ſonos. Et quamquam neglectus curæ ejus in annis puerilibus, quando organa loquelæ adhuc tenera, & per conſequens flexibiliora erant, nunc videtur organa dicta magis indiſpoſita reddidiſſe ad exactitudinem illam, quam organa infantium acquirunt: (cujus rei quotidiana nobis eſt experientia, quando admodum difficile, ſi non plane impoſſibile eſt, ut peregrinus provectæ ætatis diſcat accuratam pronunciationem ſoni illius ſeu, linguæ, quam à teneris non didicit:) tamen, ſi poteſt pertingere ad illum gradum perfectionis, ad quem pertingit peregrinus provectæ ætatis, in addiſcenda lingua Anglica; quod deficit ex plena illa exactitudine, ad quam indigenæ à teneris pertingunt, æquo Judicio facile tolerabile, minuſque neceſſarium habeatur.

His conſiderationibus, quibus perſuaſus hoc opus moliri cœpi, tibi expoſitis: ne opineris, me confidentius juſto iis niti, neve me judices reum nimiæ arrogantiæ, promittendo mihi ſucceſſum omni ratione majorem omnemque ſpem ſuperantem; nunc neceſſe videtur, ut tibi relationem quandam exhibeam, quantum gradum felicis ſucceſſus in tanto conamine mihi ceu probabilem proponerem.

Et quod attinet ad primam ejus partem, (nempe loquelam) utut crederem longè plus præſtari poſſe, quam vulgò poſſibile creditur, eique poſſibile eſſe, ita loqui, ut intelligeretur, nequeo tamen mihi promittere, eum tam accuratè locuturum, quin auris critica facilè diſcernat quoſdam defectus, vel exiguas differentias à ſono vel pronunciatione ſolita aliorum hominum; (quandoquidem quotidie obſervamus ſimile quid, cum non tantum peregrini, ſed & noſtrates ipſi nati in remotioribus gentis noſtræ provinciis, vix tam accuratè loqui queant, quin poſſit diſcerni non contemnenda differentia à vulgari dialecto ſeu ſono Londinenſi.) Idque non tantum ex conſideratione noviſſimè memorata; (circa organa loquelæ minus flexibilia ad formandos ſonos illos, quibus non fuere ab initio aſſueta;) ſed præcipuè ex altera illa conſideratione, circa auris uſum in dirigenda & corrigenda lingua. Nam ut nullus dubito, quin aliquis, qui bene ſcribere callet, uſu obtineat tantum habitum, ut in tenebris ſcribat ſatis bene; non tamen ſperari poteſt, ut id præſtaret, non minore elegantia, ac ſi videret motus manus ſuæ: ita neque cum ratione exſpectari poteſt, ut qui audire nequit, licet norit, quomodo bene loquatur, tam accuratè loquatur, ac ſi uteretur directione ſimul auris ſuæ.

Neque mihi promittere auſim, neque exſpecto, ut quamcunque accuratè diſcat loqui, æque ac alii tanto uſu fruatur loquelæ ſuæ. Nam cùm nequeat audire, quod alii ipſi dicunt, prout poteſt exprimere ipſis animi ſui ſenſa; non poteſt tanto uſu loquelæ in diſcurſibus frui, quanto alii. Et utut videatur poſſibile, cum tractu temporis ex motu labiorum, oculis perceptibili, poſſe diſcernere quid ipſi dicatur; (qua de re non auſim determinatam ferre ſententiam, quando multa utrimque probabiliter dici poſſunt;) id tamen nequit exſpectari, donec ipſe minimum tam perfectè ſciat linguam illam, ut ex paucis literis cognitis, poſſit ſupplere rei qua verba; & ex paucis verbis reliquum ſermonis, vel nimium ejus ſenſum, conjectura probabili, (prout agimus reſerando ſteganographicas literas:) nam oculum actu poſſe diſcernere omnes varietates motus in organis loquelæ & videre, quales ſoni per illos motus formentur, (quorum multi ſunt interni, nec omnino oculis expoſiti,) nequit concipi.

Sed alteram partem inſtituti noſtri quod concernit, nimirum intellectum linguæ; nullam video rationem dubitandi, qui illum obtinere valeat non minus perfectè, quàm qui audiunt; & conceſſo æquali tempore & exercitio, quod aliis opus eſt ad acquirendam perfectionem linguæ alicujus ejuſque elegantiam, & æquè benè intelligat, ſcribatque ac alii; & (exceptis iis quæ directè dependent à ſono, ut ſunt toni, cadentiæ, & ſimiles minutiæ,) nihilo minorem acquirat perfectionem, quem adipiſceretur, ſi ut alii auditu præditus eſſet, & quod de ipſo particulariter dico, de quovis alio viro ingenioſo ejuſdem cum eo conditionis dictum velim; quos arbitror doceri poſſe uti ſuo libro & calamo, non ſecus ac alii, ſi modò recta methodus in eum finem adhibeatur.

Ut nunc tibi referam, qua methodo hactenus uſus ſim in propoſito hoc, minus neceſſarium eſt. Nam deſcendere ad particularia nimis foret tædioſum; in primis cùm ſint modis diverſiſſimis in praxin adhibenda, & varianda prout caſus objectus & circumſtantiæ requirunt, Generalis verò methodus jam affatim expoſita eſt.

Quod ad primam partem, nempe loquelam, attinet, primò per ſignificantiſſima ſigna, quæ mihi concipere poſſible eſt, præſtandum eſt ut intelligat, quo ſitu, quove motu velim eam applicare linguam ſuam, labia, aliaque organa loquelæ, ad formandum ſonum illum, quem ego requiro. Quam rem ſi rectè tangat, confirmo ipſum in ea: ſi erret, ſignifico ipſi, qua in re differat à directione mea; & quæ circumſtantiæ ipſi attendendæ ſint, ut errorem corrigat.

Quo modo, mediantibus quibuſdam tentaminibus, & levi patientia, diſcit primò unum, deinde & alium ſonum; & per frequentes repetitiones in iis confirmatur; vel (ſi forte obliviſcatur) denuo addiſcit.

Et ad hoc opus eo promptior eram, quod ante, alia occaſione, (in tractatu meo De loquela, præfixo Grammaticæ meæ linguæ Anglicanæ,) exactiſſimè conſideraveram, (quod mihi cum paucis commune,) accuratam formationem ſonorum in loquela, (nimirum in lingua noſtra, vel quas noram:) ſine qua fruſtraneus foret hic conatus. Nam, ſi neſcimus, vel non conſideramus, quo modo applicemus propria organa in formatione ſonorum, quos pronunciamus, non ſit veriſimile, ut illa ratione alium docere poſſimus.

Quod ad intellectum linguæ attinet: neceſſe erat (more Mathematicorum proceditur ex paucis principiis primo conceſſis,) ut ex tenui iſta penu (qua inſtructi ſumus initio) talium actionum & geſtuum, quibus ineſt quædam naturalis ſignificantia, vel paucorum quorundam ſignorum, quæ ipſe ante acceptaverat ad exprimendum optimè animi ſui ſenſa procederemus ad docendum ipſum, quid per aliud quid intendamus; & ita gradatim ad alia & plura: idque ea methodo, ut quod jam ſcit, gradus loco ei ſit ad diſcendum quod proximè ſequitur; prout in Mathematicis non tantum utimur principiis, & propoſitionibus jam demonſtratis, in demonſtratione rei ſequentis.

Reliquum nunc eſt, ad perfectionem relationis, quam nunc à me poſtulaſti, ut unicè ſcribam tibi, quo ſucceſſu jam fruitus fuerim. De quo adhuc aliquandiu ſiluiſſem, donec pleniorem tibi relationem exhibuiſſem, niſi id à me expreſſè poſtulaſſes.

Jam mecum fuit paulò pluſquam duos menſes. Quanto tempore utut non poſſit credi opus abſolutum; ſucceſſus tamen non eſt tam exiguus, ut de conamine deſperem, ſed tantus, quantum tam brevi temporis ſpatio ſperare poteram, imo exſpectatione major. Ita ut mihi dicere liceat, maxima difficultate utriuſq; operis ſuperata, reliquum paulò plus requirere præter laborem temporis & exercitii. Vix eſt ullum quod (prævia attentione) nequeat pronunciare, ſed ut id faciat accurratè & facilè, concedenda ei eſt praxis aliquanti temporis longiuſculi, qua ſibi habitum illum acquirat.

Et quod ad linguam attinet, licet omnino indifferens eſſet ei qui linguam nullam novit, quā primum diſceret; cum tamen extra controverſiam ſit, linguam Anglicanam veriſimiliter fore ei maximè utilem & neceſſariam; non conſultum erat, ab alia lingua incipere. Nam utut poſſet facilius pronunciare linguam latinam, (ceu minus perplexam multitudine concurrentium conſonantium;) hæc tamen conſideratio multò minoris eſt momenti quam iſta.

Poſtquam itaque ad hanc rem ſeſe applicuit, jam didicit inſignem copiam verborum, imò liceat mihi dicere; magnam partem linguæ Anglicanæ, quoad verba frequentiſſimi uſus: cum verò tota lingua tam ſit dives verborum, licèt alias facilis, requiretur longius tempus perficiendi bene cœpta.

Hæc verò, Domine, eſt plenaria narratio noſtrorum hactenus progeſſuum. Si poſt hac futuros noſtros ſucceſſus exiſtimabis dignos tua obſervatione, manda mihi, vel quicquid alias præſtare potis eſt. DOMINE, *Tuus humillimus ſervus, Oxoniæ, Martii* 14. 1661. Joannes Wallis.

Homo ille, de quo in præcedente epiſtola ſermo, eſt Dominus Daniel Whaley (filius Domini ..... Whaley, Northamptonienſis, iſtiuſque oppidi prætoris.) Ipſe (non diu poſt Datum harum literarum) d. 21. Mai, 1662. intererat congregationi Regiæ Societatis (quam rem Ephemerides rerum geſtarum iſtius diei ſpeciatim obſervant,) & coram dicto collegio, non ſine magno applauſu, pronunciabat ſatis diſtinctè voces, quas collegium ipſi pronunciandas ponebat; & licet non ſemper aſſequeretur uſitatum tonum vel accentum, ita tamen pronunciabat, ut facile intelligi poſſet: Quamobrem etiam Doctor ſupra memoratus ab eodem collegio incitabatur ad proſequendum inſtitutum illud, tam ingenioſe tamque felici cum ſucceſſu inceptum. Circa idem etiam tempus (poſtquam Rex de eo inaudiverat, & videre vellet) idem præſtabat pluries in White-hall, coram Rege & Principe Ruperto, compluribuſque aliis Nobilibus, quamvis tum brevi ſaltem tempore uſus fuiſſet in acquirendo hoc habitu. Spatio unius anni, quod tempus totum eſt, quo ipſe convixit cum Doctore Wallis, perlegit magnam partem Bibliorum Anglicanorum, & tantum peritiæ adeptus eſt, ut in rebus vulgaribus animi ſui ſenſa exprimendo intelligi faceret; ipſe intelligeret literas ad ſe datas, ad eaſque reſponſorias exararet, utut non elegantes, tamen intelligibiles; & coram peregrinis hoſpitibus compluribus (qui curioſitate ducti eum viſum venerant,) ſæpe iis non tantum Anglica & Latina prælegit ſed & pronunciavit difficillimas voces, quas ipſi ex ſua lingua ſelectas (& vel ex ipſa Polonica) ei pronunciandas proponebant. Poſtquam à me abiit, non potuit quidem frui opportunitate multum ulterius proficiendi, ex defectu Informatoris, ea tamen quæ ſemel, didicit, pertinaciter memoriæ ejus adhuc inhærent, vel ubicunque fortè oblivioni tradiderit exactitudinem requiſitam in pronunciatione quorundam ſonorum, parva ope eam denuo facile acquirit.

Neque verò hic homo ſolus eſt, in quo memoratus Doctor demonſtravit effectum ſuæ peritiæ, ſed & poſt idem præſtitit in alio (juvene nobili præſtantiſſimæ divitiſque familiæ,) à nativitate ſua ſurdo. Hac occaſione aptiſſimum & commodiſſimum duco, lectori notum facere ejuſdem Authoris exiguum tractatum Latinum, primo editum a. 1653. ſub titulo, De Loquela, præfixumque ejuſdem Grammaticæ Anglicanæ etiam Latinè conſcriptæ. In quo tractatu de Loquela (ad quem ablegat lectorem in hoc diſ-

diſcurſu, cujuſque ope auſus eſt humeros ſupponere oneri huic tam difficili) diſtinctiſſimè explicat modum formationis omnium ſonorum literarum in loquela uſitatarum, non magis in Anglicana lingua quam in aliis linguis, qui liber, ut arbitror, primus eſt de tali re editus, (nam licet ſcriptores quidam ante hinc inde data occaſione, vel caſu, paucis digreſſi fuerint in formatione quarundam particularium literarum; nemo tamen, quantum ſcio, ſuſcepit hanc rem de omnibus literis ex profeſſo tractare,) meum penitus non eſt determinare annon quidam poſt ipſum majore cum judicio & exactitudine idem egerint: In ſua Grammatica Linguæ Anglicanæ (cui hic Tractatus de Loquela eſt præfixus) tam ſuccincte & clare hanc linguam explicuit ut maxime utilis eſſe queat, non tantum extraneis in facile addiſcenda dicta lingua, ſed & ipſis Anglis ad claram obſervationem (plurimis neglectam) veri genii ſuæ ipſorum linguæ.

Muta curata.

Puella Borringholmenſis Chriſtina Johannis, nata annos decem, ante menſes aliquot præcedente rigore, genu dolere dextrum cœpit. Dolore vero eo evaneſcente, collum laborare viſum, unde per materiæ metaſtaſin, prorſus muta facta. Ad conſilium vocatus cum D. Henrico à Moinichen, obſervavi collum dextra parte tumidum, compreſſam laryngem, linguam ſanam. Adhibitis variis Cephalicis per D. Moinichenium, qui curationi præfuit, poſt menſtruum ſpatium loqui cœpit, diſcuſſa ſcilicet materia, quæ ad nervum ſexti paris tumentem translata fuerat. *Thomæ Bartholini.*

De Loquela reſtituta.

D. Salomon Reiſelius Archiater Hanovienſ. meritiſſimus cum legiſſet prædictam Obſervationem, experiundi cupidus tentavit experiri ejuſdem effectum in ſurdo quodam mutoque. Sed in alia Litteris eventum hiſce ſignificat verbis: Eventus & cura in ſurdo mutoque nondum reſpondit ſpei noſtræ, credo quod in adulto & marito tanta non fuerit patientia, quæ in pueris invenitur & requiritur: accedit quod ipſe dum infans eſſet, capiti illapſus ſuturam coronalem callo & cicatrice (quæ adhuc notabilis) obduxerit, fortè & tympanum ruperit aut abſceſſu læſerit, unde nulla articulatarum vocum & vocalium diſtinctio, neque in ſutura coronali, neque per fauces (uti quidem ſurdaſtros aperto ore melius audiviſſe, vidi ipſemet) neque per aures percipi potuit, cum alias ille homo ſatis ingenioſus, docilis, torneamentorum & ſcriniariæ artis peritus etiam in pueritia ſcribendi, ſed ſine ullo ſenſu & litteras imitandi edoctus fuerit. Interim aliquando in puero tentabo fortè meliore cum ſucceſſu.

Cum verò Tomo 4. Tranſaction. Philoſophic. Anglic. Num. 61. poſt Conſeſſum Anno 1670. Londini 18. Julii habitum ab Ampliſſ. Oldenburgio inſerta ſit Epiſtola D. Johan. Wallis Anglice ſcripta ad Dn. Robertum de Boyle Equitem, de tentamine præfati Doctoris informandi hominem mutum & ſurdum, ut loqui & linguam intelligere poſſit, una cum ſucceſſu informationis, & digna ab ipſo æſtimata fuerit, ut in uſum publicum in Tranſactionibus communicetur, veniam Illuſtr. Collegii nos impetraturos ſperamus. *D. Caſpari Kollichen.*

De Muto à Tertiana facto periodice loquente.

Non amplius miramur Naturam ſtatutis temporibus alligari v. gr. in menſtrua femellarum purgatione, ſcarificationi & venæ ſectioni adſuetis, morborum criſibus &c. tametſi genuinas harum periodorum cauſſas eruere, non ſit ingenii uſque proletarii. Miramur impenſius, & rimamur ſcrupuloſius ſtatos & accuratos paroxyſmorum febrilium reditus, quorum cauſas in Inaugurali noſtra de Tertiana intermittente Altdorffii Anno 1680. habita evolvere conati ſumus. Nec minus notari merentur affectus complures alii certas, haſque ſtricte, invaſionum periodos obſervantes. Sic cephalalgiam ſtato tempore & hora recurrentem exhibent Ann. 2. Ephem. Cur. obſ. 247. Ann. 6. & 7. obſerv. 73. Qualem etiam in Illuſtriſſima Comite Rhenana, ſingulis noctibus præciſè hora undecima ad duodecimam uſque intolerabiliter & adeò excruciantem, ut vix mente conſtaret, actorumque recordari poſſet, ſolis diaphoreticis cum cephalicis mixtis addito laudani opiati tantillo, intus & extus ſpiritibus diſcutientibus, nec non veſicatorio poſt ambas aures applicato feliciſſimè compeſcuit B. Anteceſſor meus Dn. Joh. Mich. Hornung, Hemicraniam quotidie ſeptima matutina paullatim increſcendo & decreſcendo ad horam duodecimam affligentem Ann. 1. Ephem. Cur. obſerv. 53. quam ſimilem mane ſexta hora circa tempora lateris dextri, ad maxillam inferiorem & dentes citiſſimè decurrentem, linimento Zecchiano, quod ex eo allegavit Illuſtris noſter Dominus Præſes tr. de hier. picr. p. 81. & Epithemate carminativo Joëlis idem B. Hornungus ſuſtulit, & ego in Curlandiæ Superintendente, quamvis non adeo exquiſito tempore recurrentem, vidi, qui ſæpè appropinquante paroxyſmo humorem ſalſiſſimum cum levamine evomuit, & epota frigida paroxyſmum mitigavit. Epilepſiam ſingulis diebus circa horam ſeptimam matutinam, primam & ſextam pomeridianam redeuntem Ann. 2. obſerv. 95. aliam Williſ. de morb. convulſiv. c. 9. Singultum periodicum, tametſi quotannis tantum ſtato tempore ad 14. dies continuos excruciantem Act. Med. Hafn. Vol. 1. obſerv. 73. Fluxum menſtruum hæmorrhoidum in fœmina quinquagenaria ibid. obſerv. 81. Aſthma Scorbuticum ibid. obſerv. 32. Hæmoptyſin ſemeſtralem ibid. obſerv. 105. dolores hypochondriacos horrendos eodem die ſingulis menſibus recurrentes Ann. 4. & 5. Eph. Cur. obſerv. 141. Partium externarum, aurium, narium, digitorum in puella per ſingulos menſes admirandam mortificationem eorund. annor. obſerv. 178. Diabeten ſpuriam periodicam ad 24. libras inſtante plenilunio redeuntem Act. Med. Hafn. vol. 1. obſerv. 5. Maculas in extima cute ſingulis æſtatibus efflorescentes cum lunæ augmento, Ann. 2. Eph. Cur. obſerv. 249.

Quibus addo, me noſſe Generoſiſſimum quendam Franconiæ Nobilem & Chiliarcham quotidie circa horam tertiam pomeridianam colica acerbiſſima excruciatum; à plus quam 20. Medicis fruſtra curatum, alioqui valentiſſimum. Hæc omnia periodorum exempla, uti mereantur omnino notari, & eruditiorum ingenia exerceant, longe tamen poſt ſe relinquit, à Generoſiſſima quadam Barone narrata primum, poſt ab honoratiſſimo meo Affine D. Io. Martino Maskoſky, Acidulis Göppingenſibus & Balneis Bollanis in Ducatu Würtembergico præfecto Medico confirmata, proinde credenda hiſtoria, quæ ſic ſe habet: Caupolſingenſis, qui pagus eſt propè Kirchhemium ſubter Teckam in eodem Ducatu Würtembergico ſitus, Pater eſt filii Joannis Michaëlis 27. nunc annos ætatis ſuæ numerantis, Juvenis pii, prudentis, & in labore ſeduli, legere & ſcribere ſcientis, & qui ante annum & quod excurrit uxorem duxit. Hic juvenis ante annos nunc tredecim ex febre tertiana obmutuit, & ab illo tempore non niſi à hora duodecima uſque ad primam meridianam, loqui poteſt. Elapſa hora prima ne verbum quidem profert, immo ne ſonum, utcumque primis annis de pertinaci dolo ſuſpectus, ſæpe vapularit. Neque verò horam meridiei duodecimam ad horologia metitur, ſed ubicumque ſit loco, ſive ruri, ſive in ſylvis, exactè horam illam novit, loqui incipit, audita prima rurſum obmuteſcit. Imperante Sereniſſimo Duce Würtembergico variis eum technis & ſtratagematis aliqui ſunt adorti, cum primis horologiorum motus nunc promotus, nunc retardatus, ſed fruſtra; poteſt enim eſſe vice horologii, & cum ille loqui incipit certum eſt, adeſſe duodecimam, ſive campana eam ſonet, ſive non. Qui eum medicamentis tentarunt, laterem lavarunt. Supra me monuiſſe oportuit, infantulos colica flatulenta laborantes certiſſimis periodis perditiſſimè vociferari ad aliquot horas; ubi clamare ceſſant, edunt, bibunt, rident, quaſi non fuerint illi ſtentores; præter exempla alia ſunt Affini meo mihique domeſtica, quibus id probatum dare queamus. Hoc, an ab ente pagogeo derivandum ſit, diſquirendum aliis relinquo; ita ſuſpicatur dictus Affinis meus, ego penuria temporis, quam hæc ſcriptum comitatur, nil in re intricatiſſima judicii evomere audeo, alii otio hanc inveſtigationem relinquens. Solum hoc ob materiæ affinitatem addo.

Judæa mulier juvencula, æſtate præterita delirio uti ſuſpicor, ex utero corripitur; hæc ſemper eſt hactenus, ubi ad ſe rediit, conqueſta, horis imparibus e. g. prima, tertia, quinta, ſeptima, ſecum pejus actum, circa pares autem horas ſe melius habuiſſe, quod & adſtantes affirmarunt. *D. Roſini Lentilii.*

De Muto quavis hora prima pomeridiana loquente. Ejuſdem cum ſuperiore notæ, cum cauſæ ejus perveſtigatione.

Admirabilis Muti hora quavis 1. Pomeridiana loquentis Hiſtoria naturæ ferè limites ſuperare videri poſſet, nil tamen impedit, quo minus & naturaliter ejuſmodi quid evenire poſſit. Sicut enim galli gallinacei ſtatis qs. periodis horas emetiri cantuque ſuo prædicere ſolent, adeò ut vix horologium curſum ſuum exactius abſolvat; ita non video, cur & homines ejuſmodi muti elapſo ſilentii horologio, in verba quædam erumpere poſſint. Pro ulteriori E. caſus hujus reſolutione duo paucis excutienda ſunt. 1. Ipſius ἀφωνίας cauſa in genere, quam vel in ipſis linguæ muſculis, vel nervis, vel utriuſque p. n. diſpoſitis conſiſtere, expeditum quidem, certum verò ex his ſeligere difficile eſt; mediam tamen ire viam, nerviſque recurrentibus id adſcribere, hic quidem tutius eſſe judico, ita ut quovis modo ſive quoad fibrarum ſuarum ductum & texturam diſlocati ſpiritibus huc tendentibus obicem figere, viamque & commeatum intercludere potuerunt, donec (in hoc ſcilicet caſu) ſtatis quaſi periodis vi ſibi exitum parare, linguæ muſculos debito modo inundare ac aliquot vocum expreſſioni materiam ſuppeditare ſoleant: Hæc experimentis Anatomicis concordare in aprico eſt. Conf. ſi placet Cel. Dn. Drelincurtius in Exp. Anat. canicidio 4. §. 1. Et Collega noſter Honoratiſſ. Dn. D. Schelhammer in diſp. Inaug. de Voce. Cur verò id hora præciſè prima pomeridiana fiat, illud eſt quod 2. profundiorem exigit inquiſitionem. Abundet hic quilibet ſuo ſenſu: Mihi probabiliſſimum eſt, rem totam in automatico ſpirituum anim. motu & undulatione, vel ſi mavis elatere & continui ad motum inclinatione fundatum eſſe, id quod Nobil. Domin. Cartheſius Princ. Phil. §. 63. per preſſionem ſeu primam ad motum præparationem explicare ſolet: Motum potentialem fortè diceres, ſi q. Scholas potius Veteranorum imitari placuerit. Ita enim comparata eſt ſubtiliſſima prorſus & continua Sp. animalium ſeries, ut pro varietate functionum obeundarum quoad texturam ſui variè diſponi & flammæ inſtar in quaſdam ſive plicas ſive gradus frangi poſſit, pro quorum ſitu, numero, magnitud. & motu hoc vel illo tempore & modo ſeſe explicare, & vi quadam elaſtica determinatas ſibi actiones obire ſolent: Sicut enim chartæ folia variè complicata & in gradus acta, non uno prorſus impetu, ſed paulatim & ſucceſſivè ſeſe explicando in priſtinum redeunt, ita ſimili fere modo ſp. anim. texturam in quaſdam quaſi plicas formatam concipere licet, quæ cum preſſione ſua continuò ſe explicare nitantur, ſpiritus illos in motum continuò proclives reddunt, donec acquiſito tendentiæ termino è potentia in actum erumpant, & munera ſibi deſtinata obire poſſint. Hypotheſis hæc, etſi paradoxa multis videri poſſet, cum Philoſophia tamen Experimentali & ipſa ſpirituum natura facilè conciliari poterit, eaque admiſſa plurima œconomiæ animalis φαινόμενα, quæ aliàs vel obſoletis animæ facultatibus à Veteribus aut vix intelligibilibus ideis ab Helmontio, Grembſio, Marco Marci & aliis tribuuntur, clarè & diſtinctè expediri potuerunt, ſicut D. B. fuſius id & ex condicto quaſi demonſtraturus ſum ubi occaſio ſe tulerit, in Tr. quem dudum meditatus ſum de Motu ſpirituum Automatico.

Hiſce præmiſſis jam facilis erit problematis noſtri deciſio, cur nimirum horâ tantùm primâ pomeridianâ & non aliis quoque tempori-

ſſ

bus loquelam exercere poſſit ille mutus? Quia nimirum Spirituum vocalium plica & elater nixum ſuum & tendentiam nychthemero tantùm ſpatio abſolvere & impetrato motus ſui complemento, victiſque omnibus obſtaculis muſculos linguæ rurſus inflare & pro vocum articulatione movere ſolent: Interea tamen cùm nihil violentum ſit diuturnum, impetu hoc delaſſati ſpirit. animales paulò poſt receptui canunt, priſtinam ſtationem repetunt, novumque motus ſui horologium inchoant & abſolvunt, inde miſerabilis hæc loquendi viciſſitudo: cui quoque ſymbolum ſuum addit non tantùm conſuetudo, quæ altera eſt natura, ſed & inſigne illud loquendi deſiderium, quo perſona hæcce miſerabilis eâ potiſſimum hora dubio procul teneri ſolet, qua primùm rediiſſe ſibi loquelam ſenſerat. Quantam enim vim habeat ardentiſſimum ejuſcemodi deſiderium, obſervare licuit in Muliere quadam Gieſſenſi, quæ per aliquot annos incertam ob cauſam ſponte obmutuerat, adeò ut ne quidem verbulum proferre valuerit: Cùm verò aliquando ad SS. Cœnæ uſum aſpiraret, & ob loquelæ defectum in æde ſacra Confeſſionario ſuo confeſſionem typis expreſſam oſtendere, hácque ratione ſeriam peccatorum ſuorum pœnitentiam aperire vellet, en! eô prorſus momento Dei quaſi digito deſuper tacta lingua, ſueto ſibi munere adeò fungi cepit, ut confeſſionem oretenus ✕ ad verbum articulatim recitare, & aliquo temporis ſpatio perfectè rurſus loqui potuerit, paulo poſt tamen rurſus obmuteſcens. De veritate hiſtoriæ nullus dubitet, quæ vel centenis teſtibus facile confirmari poterit, ipſaque Mulier, civis noſtratis, Balthas. Stohrii conjux adhuc in vivis eſt, uſquedum tamen ferè muta. Divini quid ſubeſſe credidêre plures, quod ſi tamen naturaliter id evenerit, deſiderio ejuſmodi devoto & ferventi tribuere mallem, quod ſpiritus animales vi quadam eò determinare valet, ut diffractis ſilentii repagulis qua data porta ruant, parteſque loquelæ deſtinatas ad tempus movere poſſint. *D. Michaelis Bernhardi Valentini.*

De Oculis audiente. Quia hoc ad modum quô muti muſſitantes aut labia moventes, intelliguntur, pertinet.

Etſi Ampliſsimus *Dn. Nicolaus Tulpius*, hujus loci Conſul, obſ. Medicar. Cent. 4. cap. 19. Surdi viſu verba intelligenti hiſtoriam propoſuerit, haud inutile tamen fore æſtimamus, ſi, quæ præſente Celeberrimo Viro Dn. Guiljelmo Piſone in eodem ſurdo obſervavimus, à viro nobiliſsimo dicto loco adductis. Homo hic, referente Tulpio, ex edito templi Purmerendani culmine prociderat in terram, aut durius aliquod ſubjectum, ex quo caſu, forſan etjam uſu inordinato medicamentorum, minus huc facientium, gravem primò auditum, hinc omnimodam ſurditatem contraxit, adeò, ut ne quidem tormento bellico excitatum ſonum percipere valeret, nihilominus tamen peculiare hoc illi ex motu labiorum quemcunque intelligere ſermonem, & promptè reſpondere ad quævis interrogata, ſive cominus, ſive eminus propoſita, modò idoneus ſub dio caperetur locus, neque labia effugerent oculorum ſenſum.

Domum ſurdi vix erat ingreſſus Dn. Piſo, cum voce leni, labiis vix motis, interrogaret, ubinam eſt uxor tua? reſpondebat ſurdus, in templo, (erat enim dies ſolis) quo cum liberis verbi divini explicationem audiat,

Pergebat Dn. Piſo, voce magis ſubmiſſâ, poteſne tu in templo audire quæ concionator proponit? Si, reponebat ſurdus, poſſem audire quæ docet concionator, non eſſem ſurdus, interim tamen quæ proponit intelligo; aſt canere nequeo. Cur ergo eccleſiam non accedis? inſtabat Dn. Piſo, quia inquiebat ſurdus cuſtodire teneor ædes meas, infantemque.

Diſcurſus hic inſigni admirationi anſam dedit, ſic etiam ut jocando in hæc verba erumperet Dn. Piſo: credo Te communicaſſe ea ſurdo, quæ ad interrogata mea reſpondit.

Relictá eccleſiá yam fluvium accedebat, Medicus, referret ipſi muſſitando exigens: quot naves eo loco detinerentur, ubi exædificari ſolent: ſex numero reperiri reſpondebat, imò cujuſvis nomen addebat.

Tandem poſt confabulationem variam author fui Dn. Poſoni ut linguâ latinâ ipſum alloqueretur, annuebat, an vales? inquiens, dic mihi? quot liberos habes? & ſic porro. Ad hæc Surdus? Domine, quid quæris? quid loqueris intelligere nequeo, lingua Gallicá, Hiſpanicâ, Latinâ, aut aliâ hæc te propoſuiſſe credo, non eſt quod reſponſionem exſpectes. Deſinere hic coactus Dn. Piſo, cui exemplum ſimile nunquam occurrerat.

Obſervationem hanc ſimiliter ac præcedentem arti Chirurgicæ parum utilitatis adferre licet conſtet, placuit tamen aliis utilioribus eas addere, quo ſolativum aliquod adferre queant iis, quibus inter curandum ſenſuum externorum aliquis aboletur. Externis enim ſenſibus ablatis, ingenii ſenſus augeri ferè ſolent. *Jobus à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

MYOCEPHALUS MYDRIASIS MYOPIA

Vid.

OCULORUM VITIA.

Finis Lib. XI.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER DUODECIMUS.

De Morbis à Litera N. incipientibus.

NÆVI MATERNI.

DE iis jam aliquid in Cutis vitiis, hic rurſus in eodem argumento Diſſertatiunculam, & Obſervationem unicam.

De Nævorum varietate, & cicere in facie M. T. Ciceronis.

Nævorum hiſtoriam pauciores expoſuere, inter quos ſingulari eruditione Lud. Septalius eminet, ut nuperi Scriptoris cujuſdam delicatulam reprehenſionem incurrere non debuiſſet. Horum curatio licet ex ſe non ſit neceſſaria, à pleriſque tamen magis, quàm vel graviſſimi morbi, expeti ſolet. Novimus, cui in gena muris piloſi effigies faciem fœdat, qui, cum lautiſſima fortuna ſemper uſus ſit, hanc turpitudinem jam olim magno redemiſſet. Ex ſequiori ſexu plures nobis notæ, quibus aut in pectore, aut collo, aut brachiis, Ceraſorum, piſorum, fragorum, ribeſiorum, foliorum, avellanarum, & vulnerum quoque hiantium effigies multum diſplicentiæ animi volutatione ingerunt. Nos iſtis nunc in aliud tempus ſepoſitis, exemplum ex veterum monumentis adducemus, quod nobis ſemper conſideratione dignum viſum: Quis enim M. T. Ciceronem, niſi qui Latinas literas, neſcit? Huic nomen Cicer. in facie dedit, matris imaginatione, ſub ſiniſtro oculo conſpicuum, quod quia in ſtatuis nummiſque antiquis pleriſque non cernitur, quid cauſæ ſit, hic indagare lubet. Nec enim inde genuinis non accenſendos concludi poteſt, quod nuper adeò Vir doctus putabat. Cum enim Illuſtriſſimi Lambecii librum de Bibliotheca Auguſtiſſima Cæſarea vidiſſet, quo me inſigni benevolentia donaverat, nummumque argenteum ex Cimeliarcheo Ambraſiano Archiducali in Vindobonenſe translatum, cujus geminum exemplar uno latere Ciceronis effigiem, altero Minervæ ſuæ refert. lib. II. p. 726. æneâ icone expreſſum diu contemplatus eſſet, de antiquitate illius modeſte dubitavit, quod ipſa facies tenuior, rugoſior, & ſine Cicerculo illo videretur: Cui tamen temporum varietatem, qua uni homini non ſemper eadem vultus plenitudo eſſe ſolet, & ſitum corporis, quo dextra pars tantùm exhibetur, ſiniſtra, quâ nævus erat, latente, repoſuimus, conjectura etiam noſtra addita, quæ honori illius datum credimus, ne ſpectaretur, quemadmodum de Apelle Plinius XXXV. Hiſt. Nat. XIII. refert. Antigoni Regis imaginem pingente, altero lumine Orbani primùm excogitata ratione vitia condendi: Obliquam enim fecit, ut, quod corpori deerat, Picturæ potiùs deeſſe videretur, tantumque eam partem oſtendit, quam totam poterat oſtendere. Sic enim in iſto quoque nummo obliqua facies eam tantùm partem exhibet, quæ nævo libera exiberi poterat. Plurimi certè nummi antiqui cæteroquin integras quoque facies repræſentant. Quod ſi omninò genuina Ciceronis Statua marmorea dicenda fuerit, quam Theodorus Gallæus in libro ſuo Antverpiæ à Plantinis excuſo in lucem potulit, Romæ in hortis Cœlimontanis apud Cyriacum Matthæum exſtantem, cur tamen nullum Ciceris iſtius veſtigium habeat, nemo facilè docuerit, niſi hic quoque Statuarii ingenium ſuſpectemus, quod tamen nullum eſſe poterat, quia directam faciem integramque oſtendit. Vero ſanè ſimile videtur Romanos, qui tantùm aruſpicinæ, auguriis, cæteriſpue Etruſcis diſciplinis, & Mathematicorum thematibus ac præſagiis tribuebant, etiam Phyſiognomonicen & nævorum ſcientiam majoris, quàm par erat, æſtimaſſe, adeò ut illis non tantùm turpitudinis ſpecie moleſti fuerint, ſed etiam quod ſortis futura loquerentur. Quod licet facilè hiſtoriis probari queat, viciſſim tamē obſtare quis putarit, quod alii nummi & ſtatuæ reperiantur, in quibus verrucæ extuberantia maniſeſtiſſima conſpicitur. Talem nos Thoracidem

marmoream perantiquam Venetiis apud Illuſtriſſimum Roſinum vidimus, qui nobis, Viri ſummi Jo. Veſlingii commendatione, Theſauros ſuos rerum Naturalium & Antiquitatis verè rariſſimos, incredibili humanitate ipſe monſtravit. Huic autem faciei lineamenta, quæ diu & attentè conſideravimus, præter calvitium, Gallæanæ ſeu Matthæanæ ſimillima, ſed ſub ſiniſtro oculo tranſverſi ferè pollicis latitudine Verruca cicercularis majuſcula erat, verſus exteriorem canthum, qua ferè Os ſuperioris maxillæ ad temporum proceſſum jugalem tendens, Zygoma conſtituit in vivis. Nihil ferè nobis ex veterum Phyſiognomonicis genuini ſupereſt, ſed tamen ex Cardano aliiſque recentioribus conſtat, nævos ejuſmodi verrucarios læva faciei parte infauſtos pleriſque pronunciatos, vitæque violentos exitus portendere creditos, non tam fortuito caſu, quam rerum geſtarum imprudentia ſuperinductor. Quod licet vaniſſimum ſciamus, Romanis tamen quoque Vett. ad ſuperſtitiones promptiſſimis, receptum ex ipſo Cicerone patet, qui Piſoni morum fœditatem objiciens: Non piloſæ, aiebat, genæ deceperunt me, nec vultus totus. Quid ſi viciſſim Piſo aut qui pro illo dixerat, Ciceroni Calvitium, & ſiniſtrum hoc Cicer objecerit? Infelix ſanè fuit, quamvis rebus in Cilicia proſperè geſtis. Conſul enim in patriam redux, non aliud quam Triumphum meritis ſuis proximum animo præcipiens, civili bello involutus, dum non potentiorem, ſed juſtiorem cauſam ſequi maluiſſet, cum illo etiam vitam, reciſo à cervice capite amiſit. Quod ſi è contrario hæc parum curata Tullio oſtendi queat, non aliam deinceps cauſam reddituri ſumus, quàm quod in Stoïcorum Scholis educatus fatorum ſuorum fiduciam habuerit, *D. G. Hier. Velſchii.*

De Nævis Maternis.

Amicum habeo, Clariſſimum Virum, in cujus fronte vitrum elatius vino rubello ſemiplenum, quoties incaleſcit, viſitur. Matris id vitio adſcribitur, viſum forte ejuſmodi poculum avidiſſimè deſiderantis. Alium novi in Francia Orientali cujus in cubito perfectus mus cum pedibus & cauda exprimitur, pluribus pilis nigricantibus breviſſimis horridus. Condiſcipulum memini me quondam Mompelgardi habuiſſe, cui tuberculum fragiforme in humero enatum erat, Junio Menſe ſemper tumidius ac alias. Accepta vitia ferunt illi terrore Matris, hic deſiderio.

An curari poſſint aut debeant? non parum illuſtris quæſtio eſt inter Chirurgos. Proſtant exempla infelicis tentaminis. Amicus cui in ſiniſtra maxilla tres maculæ lentiformes lenticoloreſque, nihil elatæ, ſed cuti æquales à Matris phantaſia ſunt, pilis durioribus horidæ, variis tentaminibus eradicare deformitatem inſtituit, ſed à leviſſimis quibuſcunque innocentes maculas ita exaſperavit, ut ſurgere in tumorem, & immani dolore torquere genam cœperint, nec dubium, quin gravius quid fuiſſet paſſurus, ni tandem medicaminis impatientes maculas feciſſet miſſas. Infelix tentamen mori eradicandi in puella 17. hebdomadum memini me legiſſe apud Ammannum in Parænesi. Plauſtra poſſent adduci. Præſertim in capite vel facie nævum, ſi tangatur, plus offendere tradunt, quàm prægrandes in corpore maculas aut verrucas. Conſului hac in re excellentiſſimum Chirurgum Dn. Joh. Petr. Willium Civem Francofurtenſem primarium, Patruum meum, qui à prudente & perito Chirurgo tale quid raro reformidandum ſua experientia didicit, & hiſce mihi reſpondit: Sectione talia tolli optimum, quæ facilis eſt ſi tumor filo circa radicem poſſit conſtringi, apponique parti talia quæ humores affluentes commode intercipiant aut repellant: Cavendum ne arteria aut vas aliud majus, maximè verò nervus lædatur: Nam ſi ſine vitæ periculo naſum, aurem, oculum evelli natura permittit, cur in ſpuriis filiis ejuſmodi non eadem facilitate utetur? Cum Ann. 1649. in *Richsleben*, qui locus Helmſtadio quatuor milliariis diſtat, degerem, affertur mihi infans ludimagiſtri loci, cujus avus paſtor erat, ſupra cujus infantis utrumque oculum perque totam frontem infinitæ exuberantiæ molles, rubræ, cœruleæ, albæ, fuſcæ, variis denique variegatæ coloribus, non ſecus ac ſi Galli Africani collum & caput fronti accreviſſet extendebantur, procedente ſuper utrumque oculum criſta roſtrata Galli Africani longiſſima, ſimilis excreſcentia ſed aliquanto depreſſior genas deformaverat. Cauſa tantæ deformitatis erat ſimilis facies aurigæ, quem forte gravida viderat Mater. Infantem viderat etiam Excellentiſſimus Dn. D. Herm. Conringius, amicus meus colendus, cujus uxori infantis mater olim à famulitiis fuerat, & pro incurabili caſum is habuerat. Ego verò curam tentavi, & remotis hiſce quiſquiliis omnibus, ea brevi felicitate infantem reſtitui incolumem, ut præter alios ſummopere illuſtris Conringius ſucceſſus non ſperati felicitatem fuerit admiratus. Nec hæc hirundo mihi ſola, quæ ver faciet, plura ſi voles recenſebo exempla. Vale. Francof, 1674. 2. Jul. Hæc ille venerandus ſenex, quæ in Sermonem Latinum transferre & publico communicare volui. *Joh. Val. Willii.*

NARIUM, HAEMORRHAGIA

Vid.

HAEMORRHAGIA.

NARIUM MORBI.

NArium carnes ſpongioſæ, glandulis pluribus interſperſæ, ſedes ſunt fætoris ulcerum, indeque factæ ozænæ, & polyporum. Cancros non addimus, quia de his fuſe alibi. Nec etiam opus eſt hic de Polypo vel Ozænâ verba faciamus, ſi quidem ea propriis explicantur capitibus. Inpræſentiarum itaque tantùm generalia quædam de Narium Morbis per. *Curationes. Conſultationes*, & *Obſervationes.*

Curationes.

Ozæna.

In ozænis & reliquis fœtidis ulceribus præmiſſis univerſalibus mundificantia primùm neceſſaria, poſteà conſolidantia.

Mundificantia ſunt aquæ abſtergentes, qualis eſt aqua aluminis ex arena ſine ſpiritibus cucurbitâ terreâ ſimpliciter per alembicum deſtillata, & aq. plantaginis, in qua aliquid de Mercurio dulci diſſolutum fuerit, & ſimilia.

Deinde præſtans eſt aqua viridis ex Auripigmento confecta, quam ex aliis Platerus habet in curatione doloris, quæ.

℞. Æruginis æris ℥j. auripigmenti ʒiß. terantur ſubtiliſſimè, & coque in Vini albi ℥iv. ad conſumptionem partis mediæ, ubi refrixerint, adde Aquæ roſarum & ſolani an. ℥ii.

Aq. Viridis Hartmanni.

Præſtantior eſt alia aqua viridis mihi uſitata, quæ non tantùm in ozænis ſed in omnibus ulceribus fœtidis narium, palati, uvulæ, gingivarum, linguæ mirificè valet. Eſtque talis.

℞. Mellis roſati, ℥ii. Sulph. vivi, aluminis crudi, æruginis æris, an. ℥i. albi græci, Comarum ſabinæ, an. ʒii. ſambuci, ʒi. fol. hyperici, roriſmarini, rutæ, plantaginis, ſalviæ, pulegii, an. Mß

Hæc coque in Vini & aquæ ℔ii. ad conſumptionem digiti tranſverſi unius (in aphthis puerorum temperetur aqua tabaci, ſolani ana, ſecus nimirum acrior eſt.) Nota: ærugo æris non ſimul coquatur, ſed in fine addatur & relinquatur, donec refrixerit, poſtea, coletur & ſervetur uſui. Cujus cochlear calefiat ſupra candelam, poſtea cum penicillo eadem aqua intincto tangatur locus exulceratus.

In fœtidis ulceribus palati, faucium, uvulæ, immitatur aqua hæc cum ſtuppis: mirabiliter non tantùm mundificat, ſed inſuper etiam conſolidat, in primis ulcera palati & faucium ex lue Venerea orta.

Mirabilis quoque eſt ſcorbuto oris (interdum applicetur cum goſſypio vel ſtuppis, ne noctu deglutiatur propter æruginem.) Pro gargariſmate multùm valet decoctum Veronicæ & mellis in aqua ſimplici vel decocto ſaturejæ in Vino.

Conſolidantia ſunt præter illam aquam Viridem poſteriorem, quæ maximè ad conſolidationem facit, præſertim in ozænis.

1. Præſtantiſſimum eſt quod reperitur apud Rondeletium titulo de ozænis, quod.

℞. Laudani puri, hypociſtidis, maſtichis, myrrhæ an.ʒii. ſtyrac. rubri, Calaminthæ, Corticum thuris, Sandarachæ, auripm. rub. an.ʒii. (Rondeletius habet ʒiii. ſed improbo) excipiantur omnia terebinthina & F. trochiſci, quibus fumigetur in cubiculo ſerò & manè. Optimum etiam eſt iis parare candelas, cum cera rubra (propter cinnabrium, quod in cera rubra) & fumum, qui ex candelis ſuccenſis in loco anguſtiori colligitur, excipere.

2. Eſt decoctum Myrrhæ & Olibani an. ʒiß in Vino & acet. an. ℔ii. & in petiis aliquoties (de ſyndone) calidè applicatum.

Eryſipelas Narium.

Eryſipelata narium communi more inſtar Eryſipelatum cæterorum reſtinguuntur.

Specificum eſt menſtruum virginis in acet. deſtillato roſaceo diſſolutum, & in petiis rubris calidè applicatum, præſertim ſi ſudores moveantur.

Carcinoma Narium.

Carcinomata narium curantur, ut alia carcinomata (carcinomata exulcerata tantùm in intelligantur) reliqua quæ ſine dolore & ulcere, ne tangantur, mirificè tamen hic valet aqua Arſenici, quæ fit hôc modô.

℞. Arſenici albi, Salis nitri puri an. q. ſ. figantur invicem in tigillo igni rotæ, ita ut in fine omnia fuerint liquata (NB. evitetur fumus ſtudioſè, ideoque hæc operatio ſub dio fiat) ubi omnia refrixerint, arſenicum erit candidiſſimum, Hæc autem operatio ſecundâ & tertiâ vice cum ana Salis nitri inſtituatur. Ex hoc arſenico per deliquium in loco humido F. oleum. Hujus tantum in aqua plantag. vel perſicorum diſſolvatur, ut mixtura ipſa ad guſtum linguæ tolerari poſſit.

Polypus.

In Polypo præter cætera vulgaria præſentiſſimam medicationem (præmiſſis præmittendis) præſtant turundæ radicis gentianæ cum unguento ſequenti illitæ.

℞. Pinguedinis anſeris q. pl. foliorum malvæ, radicis althææ q. ſ. coque invicem, poſteà exprimantur per laciniam & F. Unguentum.

Vel ℞. Butyri recentis, pinguedinis capi, ol. olivarum, q. omnium placet, adde ceræ exiguum. F. Unguentum.

In alterutro horum unguentor. miſce Mercur. præcip. aut arcanum Corallinum, vel etiam Mercur. vitæ v. gr. in unguenti ʒß. Mercur. ℈ß. vel etiam plus uſque ad ℈j. Hôc unguento paratô inungantur turundæ ex radice gentianæ factæ & indantur naribus, ſi adhuc quandam cavitatem habuerint: ſi minùs tantùm polypus propendens inungatur aliquoties, idque fiat tantiſper donec totus abſumtus fuerit.

Fœtor Narium.

Fœtor narium aſſiduus difficulter curatur: Fit ex abſceſſu vel putredine in ipſo olfactu ſenſorio vel oſſe ethmoide.

Odoratus Abolitus.

In odoratu abolito ſpecificum eſt Extractum Majoranæ ſingulis diebus jejuno ventriculo & veſperi præmiſſis univerſalibus ſumptum, doſ. ℈ß. vel etiam ℈j. Item. Balſamus majoranæ affabrè factus, & cum Extracto mixtus, aut per ſe gr. vi. vel viii. ſæpiùs in vino ſumptus, vel etiam oleum, moderatè ad gr. ii iii. iv. aliquando ſumptus, penitùs morbum tollit.

Valent etiam ſternutamenta, cùm præſertim vitium ſit in obſtructione oſſiculi Ethmoidis.

Coryza.

De Coryza vide ſuprà in Catarrho.

Hic etiam valet Gummi animæ vel oleum ejuſdem pro ſuffitu ſuper carbones. Item Tabacum aliquot guttis ol. aniſi conſperſum more communi ſumptum.

Hæmorrhagia narium.

Hæmorrhagias narium excitat millefolii ſuccus recens expreſſus (pulvis minùs efficax) item flammulæ (ſed minori efficaciâ) conſtrictis leniter faſciâ venis jugularibus. Vide P. Bayerum capite de Polypo.

Eandem ſi ſiſtere libet, proximum eſt: accipe 1. fumum de pilis leporis ſub ventre naſcentibus, vel caudæ extremitates, *die Weiſſen Haar*, Xenia Paracelſi.

2. Hæmorrhagiam narium ſiſtit pulvis bufonis exſiccati in nares inſufflatus, vel laciniis inditus aut bufo integer ſub axillis geſtatus.

3. Flor. Bellidis minoris in manu patientis aliquandiu detenti, ſanguinem ſiſtunt. Alioquin iidem flores ſanguinem coagulatum & putreſcentem extra venas mirâ proprietate diſſolvunt & conſumunt, ſi in cibo uſurpentur (etiam in partibus diſtantiſſimis, verbi gratiâ, ſub unguibus.)

4. Stipites Melanthii admoti, vel geſtati etiam idem faciunt ſiſtendo ſanguinem.

5. Laudanum opiatum vel intrò ſumptum, vel etiam cum pilulis naribus intruſum.

6. Lamina argentea (verbi gratiâ Thalerus) inter cilia applicetur (fortiſſimè) faſciâ, extemplò juvat.

7. Hæmorrhagiam ſiſtit Extractum croci Martis ſequens, ſi ejus gut. IV. cum aqua plantag. exhibentur.

♃. Limat. Martis ℥ j. affundantur paulatim & ſucceſſivè ℥ IV. ad VIII. Aq. fort. digerantur per noctem in cineribus vel arena: hinc per alembicum eo extrahatur. Aq. fort. ad ſiccitatem, pulveri reſtitanti affundatur ſpir. V. ad 2. digitorum eminentiam, digeratur totum, donec rubeſcat. Hinc à fæcibus decantatur, & in B. vel cineribus uſque ad oleitatem deſtillatur.

Lepus in Martio captus, exſiccatus, pulveriſatus, pulvis in naſum vel vulnus immittatur.

Hæmorrhagia Critica.

Hæmorrhagia narium critica, niſi copiâ vires proſternat, non impedienda: morboſæ verò mox in principio ſuccurrendum. Quare ad ea, quæ ſanguinem avertunt ad alias corporis partes, accedendum, & ſi indicantia permittant, vena ſecetur brachii externa, nec magna ſanguinis quantitas unâ detrahatur vice, ſed reiteratis vicibus, horâ unâ intermiſsâ ſemper pro virium robore.

Cucurbitæ magnæ hypochondriis & inter ſcapulas applicentur. Omnia acria & calida vitet, vinum granatorum cum aqua Chalybeata dilutum bibat, ſuccum ribium inſpiſſatum: conditum eorundem per intervalla aſſumat: Syrupis utatur refrigerantibus, ut de Corallis Quercetani, dilutis cum aqua cichorii, Endiviæ, portulacæ, nymphææ addita ʒ j. aut altera Sal. prunellæ. Aquam item è Typhis cervorum aſſumat, terram ſigillatam, bolum armenum cum ſpeciebus diatrion ſantalon in forma aut aq. cardiacæ cum confectione de hyacintho, aut in forma boli cum conſerva.

Epithema item applicetur exteriùs hepati ex aqua Endiviæ, cichorii, roſarum, nymphææ cum flor. roſ. rubrarum, ſantalo, camphora, additis, ſemine portulacæ, oxalidis, cichorii, cum pauco acet. ſtatim hinc ſequente manè purgetur infuſione Rhabarbari cum ſyrupo roſarum ſolutivo aut de cichorio cum Rhabarbaro.

Fronti quoque & temporibus adhibeantur medicamenta adſtringentia & refrigerantia: in primis fiat cataplaſma ex bolo armeno aut ſanguine draconis cum albumine ovi ſubactis, immittatur turunda è gr. 10. aut 6. cum panno raſo: aut fiant pilulæ duæ ex laudano occludendo illis narem utramque. Aut ſtercus aſininum aut ſuillum acet. roſaceo diſſolutum immittatur in nares, quod vel ſolo odoratu ſæpiùs ſiſtere compertum, ſi cum aqua roſarum & camphora mixtum ſacculis includitur ad odorandum.

Ad collum, ubi venæ jugulares aſcendunt, applicantur lintea in aqua ſperniolæ, in qua parum camphoræ & ſacchari ſaturni ſolutũ ſit intincta.

Eadem aqua utiliter ad Epithemata hepatis & teſtium, qui involvi poſſunt linteis imbutis acet. roſaceo, in quo ſperniolæ compoſitum diſſolutum, adhibeatur. Imò dictâ aquâ lavare faciem & nares commodum, quia coagulat ſanguinem: ità in hæmorrhagiis quibuſvis vulnerum applicari cum linteis commodiſſimè poteſt. *Johann. Hartmannus in Praxi Chymiatr.*

Fœtor narium.

Si ab ulcere, polypo aut ſarcomate promanat, non priùs quàm eadem curatur; ſi verò à corruptis humoribus in naribus contentis, exoritur, ac recens fuerit, facilè curatur. Si inveteratus, incurabilis eſt, maximè ſi à malâ narium conformatione, nempe ſimitate & depreſſione nimia contingat.

Curatio perficitur cauſarum ablatione & ſymptomatis lenitione. Ac primùm evacuationes univerſales inſtituendæ, quæ totum corpus & ipſum cerebrum ab excrementis pituitoſis liberent, per apoſemata, pilulas, &c. quibus, ſi magna humorum copia redundare videatur, diæta ſudorifica addi poterit, mox errhina abſtergentia, & materiam conjunctam educentia, erunt adminiſtranda; ac primùm manè & veſperi è vola manus vinum album attrahatur in quo centaurium minus & calamenthum fuerit incoctum deinde betæ ſuccus cum aquâ majoranæ extractus locò prædicti attrahatur.

Vel. ♃. Radic. cyperi & calam. aromat. an. ʒß. Roſar. rubr. p. j. Myrrh. ʒij. Coquantur cum vinô albô pro errhinô. Ad potentiùs pituitam ex altô eliciendam.

♃. Rad. ireos Florentin. Ellebor. alb. piper. long. an. ʒß. Sem. aniſ. & major. ſiccæ pulver. an. ℈j. Euphorb. gr. 1. Olei nard. cheyr. & violacei an. q. ſ. f. unguentum molle, ex quô intinctâ digiti minimi extremitate fricentur nares internæ, vel turundâ, aut aliô linamentô lentis magnitudine in nares immittatur. Denique ad fœtidum

tidum odorem tollendum, ſuave olentia naribus ſæpe immittenda ſunt, ut Gallia moſchata in vino odorô diſſoluta, aqua angelica, &c. *Lazarus Riverius in Praxi Medicâ.*

In narium profundô, circa oſſa ſpongioſa, & in antris cavis maxillæ ſuperioris oſſium, pituita, mucus, diutius retenta, nauſeoſum, vel, ſi putreſcant, fœtidum odorem reddentia, Narium fœtorem dictum inducunt. Quod cùm ob muci illius tenacitatem & immiſtionem cum pravis aliis humoribus, tum etiam ob anguſtias harum cavitatum, ubi hæ ſordes colligi, atque donec emungantur vel effluant, retineri ſolent, evenire poteſt, ab ortu ſic conſtitutas, vel coarctatas, ac tunc ferè naſus naturâ, vel vi aliquâ externâ depreſſus apparet. Ab ulceribus in abditô narium, vel naſi amplitudine aliquâ hærentibus, hoc idem accidit. Ab humoribus intra calvariam circa organa olphactus, vel etiam in ipſis cerebri ventriculis putreſcentibus, idem fieri ſcribunt, ſed veritati haud conſonum hoc videtur, tantam putredinem in cerebrô gigni, quin longè graviora accidentia, & mors interdum ipſa ſequatur.

Exhalatio illa fœtida ſi ab ulcere exurgat, eô curatô ceſſat. Si à morbô narium organicô, ob illarum anguſtiam, vitium eſt ferè inemendabile, niſi præcaveatur ne excrementa cerebri majori copiâ, vel planè nulla eò defluant. Quod ſi alioquin cauſa ſordium, quæ ob copiam vel pravitatem facilè corrumpuntur, vel putreſcunt, fœtor hic, quando hæc redundant, aut retinentur, exurgat, tunc curatio ſic aggredienda.

Purgamus corpus decenter, & pro ratione humorum redundantium medicamenta exhibemus, capitique ea accommodamus.

Naribus attrahuntur errhina, vel eæ illinuntur unguentis, quæ abſtergendo & irritando ſordes promovent, odoreque ſuavi has ſedes imbuunt. Succus iridis attractus, vel illitus naribus, valdè efficax eſt & boni odoris. Vel ſic.

♃. Succi iridis ℥ i ß. Succi major. ℥j. Vini odorati vel malvatici ℥ß. M. Succus betæ ad majorem ſtimulationem addi poteſt. Vel, cùm magna adeſt putredo, adde huic errhino ſucci centaurii min. & abſinth. an. ℥j. Aceti roſac. vel ſcill. ℥ß. Myrrh. ʒj. M. Succus folior. lauri vel myrthi, aliique odori addi poſſunt. Inſpiſſantur hæc quandoque ut meliùs hæreant & illini poſſint.

♃. Prædictæ alicujus compoſitionis ℥ iß. Adde ladani, ſtorac. calamit. an. ℥ß. Mellis, vel infuſionis gummi tragacanth. factæ in aquâ aliquâ odoratâ q. ſ. ut fiat linimentum.

Ad odorem ſuavem conciliandum, odoratis, quæ vel attrahenda naribus, vel etiam infundenda, utimur; ut vinô generoſo vel malvaticô in quô folia ocymi, majoran. calamint. lauri, flor. lavendulæ, cinnamomum, caryophylli, infuſa macerataque ſint. Vel aqua ſtill. flor. aurantii, roſar. citri, limon. uſurpanda. Vel aliæ ſuavis odoris compoſitæ variis modis ex odoratis plantis, ſeminibus & aromat. Quibus tam ſimplicibus quàm compoſitis, ſi moſchus vel ambra addantur, majorem habituræ ſunt gratiam.

Inunctiones ſimiliter odoratæ, fiunt ex moſchô, ambrâ, diſſolutis in oleô de been vel aliis, quæ tamen horum odorem non planè infringant, ut ferè fit, ſi hæc aliis compoſitionibus, ut multi docent, addantur. Zibettum per ſe inungi poteſt; olea ſtill. cinnam. caryophyll. majoran. aliave odorata cerâ albâ excepta, ſi naribus indantur, odorem vehementem & diu perſeverantem expirant. *Felix Platerus in Medicâ Praxi.*

Errhina & ptarmica motum ſeri promovent, ſicubi ſtagnet, vel evacuari deſideret. Motum promovent, tum mediatè ex capite, una enim & perpetua eſt communio vaſorum ſalivalium & lymphaticorum; tum immediatè ex naribus ipſarumque glandulis, ubi ſpiſſeſcit quandoque ſerum, torpidius fit ac putrilaginoſum. Quandoque enim in oſſis ethmoïdis confiniis reſidens humor; obſtructis poris, nec aëre ſufficienter ventilatur, & odorem ingratum concipit, ſive jam in ulcus faceſſat, ſeu minùs, quæ cauſa eſt fœtoris narium ordinaria. Ubicunque ergo per has vias motus ſeri promovendus eſt, illa ex uſu ſunt; evacuant humores præſentes, abundantes ac retentos, liquando & liquatam deplendo lympham. *Georg. Wolffgang. Wedelius in Aman. Medic.*

Conſultationes.

Ad narium fœtorem.

Cùm ſit fœtor narium antiquus, videndum num ſit ob conformationem, aut gentilitium; à vitiô olfaciundi facultatis, oſſium, aut viæ, aut generationis ipſius materiæ.

Malum aliquando eſt in olfaciundi ſenſu ipſô, aliquando in oſſibus. Quærendum an ſit ſymptoma fœtor narium, an morbus, & quis morbus, quod ſymptoma, cujus morbi. An ſit actionis læſio, an exiens mutatum, an utrumque. An ſit ulcus. Nam in eâ virgine de quâ conſulebatur, ſolebat velut quoddam cruſtoſum ex imâ nare deradi, quod ἑλκῶδές τι ſignificare videtur.

Sciendum præterea an vitiô humoris qui talis generatur, id fiat, an bonus & ἰχώδης humor ſit excrementitius, ſed dum attingit oſſa ethmoïdea, aut alias partes ulceratas, ibi corrumpitur, & δυσωδίαν acquirit. Sic diathesis tantùm mala eſſet. Et non tam vacuandum quàm alterandũ.

Eſt enim ubi diligentiùs purgandum, eſt ubi non, præſertim cùm agitur de fœtore oris. Imò licèt totum corpus evacuaremus ne hilum fortè proficeremus. Indelebilis enim eſt diatheſis.

Dubitari poteſt an humectantia conferant, an ſicca & calida. Si enim tetra eſt ſanies, ſi ulceroſum quid, potiùs eſt ſiccandum & detergendum: Et quod in meth. medend. aut potiùs in lib. de loc. affect. Galenus facit, qui pulmonicis, præſertim ubi putredo eſt in pulmonibus, ſicca & calida dat; (contrà quàm Medicorum vulgus facit, præſcribens multa juſcula) id Herclè faciendum eſt. Contrà quæ humectant juvare videntur. Nam quæ è cerebrô huic Virgini fluunt, viridia ſunt & tetri viſus, quæ declarant æſtum quendam in cerebrô aut corruptionem. Quibus enim corpus bilioſum & æſtuans, ſi tale caput eſt, iis ferè mucus viridis excernitur.

Sic ratione caloris valebit litus ex mucore pſyllii extractô in aquâ plantagin. additâ pomatâ lautâ in aquâ odoriferâ, aut aquâ ro-

ſaceâ. Valebunt pilulæ etiam cum aromaticis; Gargariſmi cum odoriferis; Balnea ad contemperandum & ſqualorem tollendum; Cauterium occipiti addendum; Abſtinendum à majoribus & calidioribus. Ptyaliſmus provocandus iis quæ ſunt moderata; Tabellarum ſit frequentiſſimus uſus; Cucurbitulæ. Si ulcus, curandum ut ulcus. Caput purgia valent.

℞. Folior. major. betæ, betonic. an. m. ß. tundantur affund. aq. beton. & vin. alb. an. ℥ii. fiat expreſſio. Adde aliquid ireos. Vel infunde in hydromelite. Adde tantillum piperis; quia vis coctione evaneſcit. *Gulielmus Ballonius Conſilior. Medicor. lib. 2.*

Annotatio Jacobi Thevartii.) Noduli non ſunt omittendi. Fernel. probat expurgationem cerebri per gargar. Si liquor hauſtus in nares ore reſupinô relabatur in fauces. Fiat decoctio in hydromelite maceretur iris, ſalvia, cyclamin. rad. vel in hydromelite diſſolvitur mel anthoſatum.

De rubore Narium.

D. Robinella ſentit ex intervallis appulſum fuliginis, aut vaporis calidi, ut eſt prædita viſceribus calidis, extrema naris incaleſcit, intumeſcit; ſed ut mulieri non poteſt eripi cura cultus corporis, ita nihil negligit quod ad id mali evitandum pertinere poſſit; imò etiam ad Empiricos confugit. Illi calidis rem irritârunt, & infecta planè res eſt. Nos eâ ratione ei conſultum voluimus. Quia malum à viſceribus, iis danda opera eſt, phlebothomia; purgatio valet cum caſſia, catholic. ſenna; lotio pedum, epithemata, cucurbitulæ, enemata refrigerantia. Caveat topica frigidiora; eaque quæ moram in parte affecta trahant. Unguentum citrinum, cera virginea in aqua roſarum & nenupharis lota; vinum fragorum, cremor hordei; decoctum hordei, quô mangones ad mangonium puerorum & nitorem, utebantur Hippocratis tempore. Emplaſtr. molle ex gumm. tragac. arabic. amylo, pauca ceruſſa & cera virg. locô ceruſſ. lythargyr. valebit.

℞. Folior. ſalic. m. ii. albumin. xii. ovorum ſucci limonior. ℥ii. deſtillent cum lacte. oleum ex ſeminib. frigidis aqua lior. cum trochiſc. alb. Rhaſ. vel emulſiones aqua roſar. cum paucô mucoris ſeminis althææ & gumm. tragac. fruſtum carnis vitulin. mane applicatum. Valet paſta regia Fernelii & hordeum mundatum in juſculis. *Idem Conſilior. lib. 3.*

De Narium anguſtia pro Religioſiſſimo Concionatore.

Quantô cum labore legi præſentem Conſultationem, tantùm cognitu difficilis affectus proditur in ipsâ curâ, qui curandus proponitur, cum ipſius eſſentiam ad inſtar materiæ primæ per negationem deſcriptam viderim. Neque ex enarratis conſtat qua prædita ſint qualitate, & qua copia, quæ per nares, cùm antehac, tum in præſentia excernuntur, quæque ſit excrementorum natura, & numquid melius habeat æſtate, an hyeme: ſed hoc ſolummodò, religioſiſſimum Patrem, & diſertiſſimum Oratorem, quinquagenarium, & quod excurrit, calidi & humidi temperamenti, cùm totiùs, tum etiam quoad partes principes, ex parte natum olfactu privatum, duobus abhinc annis, poſt varios labores exantlatos itineribus, ſtudiis, concionibus, jejuniis, vigiliis, accedente incompoſita vivendi norma, conqueri cœpiſſe de anguſtia quadam narium, ad inſtar nodi eas comprimentis, quæ ad quodcunque ſtudium, aut ſcribendi munus ſe applicet, diutius illi incumbere non permittit, non ſine ſenſu titillationis; cui & acceſſit ardoris ſenſus. Quibus etiam, adueniante vere præterito, gravedo ſucceſſit, licet variis medicis præſidiis univerſalibus, particularibus antea uſus fuerit.

Ex Quibus ſanè compertiſſimum fit, partem affectam eſſe nares hæreditaria quadam imbecillitate, & forſitan anguſtia naturali laborantes: cùm præſertim non tantum lectiſſima Matrona, religioſiſſimi patientis mater, ſed & auunculus labem in naribus paſſus fuerit, cujus cauſa velut ex naſo loquebatur. Qualis nam autem ſit narium affectio non conſtat, cùm nil obſervetur, neque extrinſecus, neque in earum meatibus. Crediderim tamen anguſtiam illam eſſe majorem craſſitiem, quàm conveniat, cum exſiccatione internæ narium membranæ, naturà craſſæ, quæ perpetuò nares patulas conſervat, & ſua lubricitate mucoſæ illuviei effluxum faciliorem reddit; quoties enim cunque prædicta membrana craſſior, & durior redditur, non poteſt non coarctare nares ad inſtar nodi; craſſioremque redditam eſſe membranam prædictam, ob confluxum materiæ, cùm pituitoſæ, tum melancholicæ craſſæ eò confluentis; & impactæ. Quod ſi talis materia ſalſedinem aliquam contraxit, quod in cerebro calido non difficulter contingere poteſt, titillationem, & ardorem excitare apta eſt, prout majori copia fluens, gravedinem, & forſan difficilem reſpirationem reddere poteſt. Quæ omnia intenſionem, & remiſſionem facilè ſuſcipiunt, cùm ex lectura, tum ex ſcribendi labore, propter confluxum novæ materiæ, & ejus quæ confluxit reſolutionem.

Affectus ſanè curatu difficilis, cùm jam ſit confirmatus, hæreditariam diſpoſitionem ducens à parentibus, totque & tam variis remediis hactenus adhibitis non cedens. Quinimò metus eſt, ne per ætatem in deterius labatur, cum ipſiusmet olfactus abolitione. Non tamen ſuperſedendum Medicis præſidiis.

Hæc eò collimare debent, ut divertatur fluxio, fluxaque materia atrenuetur, emolliatur digeratur, & ſenſibiliter evacuetur, ac tandem contemperetur caliditas, & ſiccitas partis affectæ. Hæc præſtabuntur remediis Chirurgicis, & Pharmaceuticis.

Chirurgica itaque quod attinet, præmittendam cenſeo aliquam ſanguinis eductionem ex venis ſedalibus, non tantum hoc tempore, verum etiam, & alternis menſibus, pro majori revulſione; mox & ſanguinem mittere ſuaderem ex venis narium phlebotomo, vel admotis hirudinibus, cavendo ne ſuperiora petant, & præter inuſtos fonticulos, inurerem & alium occipiti, pro derivatione à capite, & revulſione à parte anteriore: duaſque leves inuſtiones retrò aures, vel ulcuſcula pararem, cum lacte tithymali, aliquandiu patentia ſervanda; non omiſſis infernarum partium lotionibus frequenter

quenter adminiſtratis lixivio dulci moderatè calido.

Pharmaceutica autem remedia ſint, quæ alvum continuè ducant, non tamen generoſa, & præmiſſa blanda totius cura. Laudarem quoad interiora remedia, potum aquæ Villenſis, vel magis Ficoncellæ in agro Senenſi. Porretanam enim in agro Bovonienſi, & Maſerianam in Valetelinenſi erumpentem, dal Maſero dictam, tanquam calidiores ſuſpectas haberem. A quibus ſaccharum roſatum cum juſculo ex cichorio aliquot hebdomadas ſummopere proderit, prout & antehac factum fuit ex præſcripto præclariſſimorum Medicorum Bononienſium. Omnia namque cum ratione facienti, non eſt ad alia tranſeundum, ſtante eo, quod à principio viſum fuit. Extrinſecus pariter probantur embrochæ capiti jam propoſitæ, ex dulci lixivio cum cephalicis temperatis: vel ſtillicidium ex aquis Thermalibus ſupra propoſitis, præmiſſa aliqua peculiari capitis expiatione gargariſmis potius, & maſticatoriis, quàm naſalibus, ne materia ducatur ad partem affectam. Non tamen propterea omittanda cenſeo errhina ſpectantia materiam fluxam, cujus ratione pergendum erit aliquot dies in uſu lactis vaccini, vel caprini, vel alterius animalis, ducti intra nares, & frequenter iiſdem appoſiti cum linteolis; inungendæ quinetiam ſunt intus, & extra oleo amygdalino, prout & antehac præparata fuere naſalia ex hordeo, malva, & althea, additis deinde ſenſim, & ſenſim levioribus digerentibus, ut puta ſucco anagallidis, & betæ; vel attractio fiat aquarum Thermalium exſiccantium. Ac tandem deveniendum erit ad errhina validiora, ad pulverem nempe liliorum convallium: attractum ſternutandi cauſa ducatur item lac cum agarico, vel pulvis tabaci, ita tamen, ut ab horum uſu, & poſt purgationem, denuò perſcribantur refrigerantia & humectantia. Ac interim ſuperſedendum eſt illis omnibus quæ quovis modô caput replere, & materiam ad nares allicere valent. Et hæc in caſu hoc perdifficili attingenda duxi, in confirmationem eorum quæ ſummâ cum ratione præſcripta fuerunt à Præclariſſimis & Doctiſſimis Medicis Bononienſibus. Faxit Deus Omnipotens, ut ad vota ſuccedant *Benedic. Silvaticus Conſilior. & Reſponſ. Medic. Cent. 2.*

De ulcere cancroſo in Naſo. Pro Nobili Tridentino.

Puſtula illa ſicca, & ſquamoſa, quæ quatuor ab hinc annis apparuit in ſiniſtra externa partena ſi Illuſtris Viri, atque anni alterius cum medio vix medii unguis magnitudinem excedebat ab eo tempore ſenſim & ſenſim ita excrevit, ut & in ulcus amplum, ſanioſum, cruſtoſum, pruriginoſum, degeneraverit, cum labiis craſſiobus; quod propterea diſepulotum, fluxioni opportunum, cacoëthes ſeu intemperatum nunc dicendum eſt.

Hoc verò fluxionem recipit, cùm à capite ſuggerente pituitam ſalſam, ob quam gravedinem, & raucedinem patitur, tum à toto veneno ſo genere ſanguine vitioſo, redundante, ob incompoſitam victus rationem. Atque hæc intemperies eſt calida, cum aliqua ſiccitate, ut ex rubedine narium id probare eſt, & ex temperamento totius calido, & ſicco.

Ideoque non ſolum ulcus hoc eſt difficillimum curatu, ob malignam naturam, & continuam fluxionem; verum etiam quia periculum imminet, ne ſubſequatur oſſis corruptio, quod in præſentia illæſum eſſe ſcribitur. Habemus enim ex Hipp. Sexto aph. 4. quod, ſi ulcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere neceſſe eſt, & cicatrices cavas fieri. Eoque magis id pertimeſcendum eſt, cùm patiens hic vitioſis alimentis uſus fuerit, à quibus neceſſariò nova fluxio ſucci vitioſi jugiter in partem affectam decumbit; quod patet ex ulceris ipſius dilatatione, & labiis ipſius craſſioribus redditis. Propterea non immeritò de agendis conſulitur.

Pro debellatione igitur præſentis affectus valdè difficilis, quinq; ſunt agenda. Primò divertenda eſt fluxio per evacuationem totius, & capitis, diverſionem materiæ fluentis, & exſiccationem capitis: ſecundò corrigenda eſt intemperies calida partis affectæ refrigerantibus: tertiò detergendum eſt ulcus, ſublatis labiis, & cruſtoſa materia: quartò ſarcoticis caro reſtituenda. Tandem exſiccantibus cicatrix erit inducenda. Quæ præſtabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Chirurgica quod ſpectat, conveniunt univerſalia, ac deinde particularia. Ideo vena communis ſiniſtri brachii tundenda, indeque ſanguis moderata quantitate erit ducendus, repetita mox ejuſdem evacuatione ex venis ſedalibus; ac tertio ex vena retrò aurem partis ſiniſtræ. Fonticulus quoque mihi videtur apprimè neceſſarius in eodem ſiniſtro brachio, ad derivationem fluxionis. Alia chirurgica parti affectæ dicata proponentur inferius.

Pharmaceutica quod attinet, alvo lenita ſyrup. roſ. ſol. & manna, præparandi erunt humores ſyr. aceroſo ſimplici, de pomis, cum decoctione betonicæ, cichorii, borraginis & hyſſopi. Purgabuntur agarico, & rhab. cum ſyr. roſ. ſol. & de polypodio compoſito. Repetatur præparatio cum ſyr. compoſitis, & purgetur pilulis aggregativis, de hiera cum agar. vel hujuſmodi. Purgatio denuò fiat ſimili purgante, ſi vires ferent, in quo caſu quammaximè neceſſarium cenſeo blandum aliquod decoctum, paratum ex radice chinæ, ſantalis & viſco quercino, ſumendum 30. dies ad minimum, cum ſudore blando ſemel in die excitato, doliolis aqua fervente repletis, habita ratione nativæ corporis gracilitatis, & quibuſlibet octo diebus dejectorio exhibito: in quem uſum pil. de hermodactylis, vel pulvis hermodactylatus dictus, erit accomodatiſſimus, præſcripto victu attenuante, non tamen valdè exſiccante, ob habitum gracilem à naturæ primodiis, uti dictum eſt. Dum hæc intrinſecus præſcribuntur, externis quinetiam remediis tentanda, erit ulceris ſanatio; ac primò removenda erit fluxio, per intercipientia circumpoſitis partibus applicata, venis ſcilicet jugularibus, & temporum, circa quas partes poterit fieri linimentum ex bolo armena, ſanguine draconis, alumine pulverizato, & aceto: mox cruſtoſa materia emollita eſt auferenda, ſi labia ſint calloſa, & dura, ſunt abſcindenda extrema for-

forfice, ſin minus, exſiccantibus validioribus detergenda, puta pulveribus ex oſtreis uſtis, ariſtolochia, radice panacis, chalcitide uſta; linimento quinetiam applicito, confecto ex gallis immaturis, abrotano uſto, cum quarta parte calcis vivæ ſemel extinctæ, quæ excipiantur melle, formâ linimenti. Nec abs re erit detergere aliquando ulcus melle roſ. quod ſi fuerit valde ſordidum, poterit aliquando addi portiuncula unguenti Ægyptiaci, vel etiam tangi oleo de chalcantho moderate tamen, ſi aderit intemperies calida, cujus ratione aliquando abluetur aqua plantaginis, roſarum, & myrtillorum, applicabiturque unguentum de ſuccis refrigerantibus. Quod ſi venæ illæ circa partem excurrentes turgerent, duæ hirudines illis apponendæ erunt. His peractis, pro tollenda intemperie, fluxione & putrilagine materiæ ſarcoticis poſtea conſuetis, & exſiccantibus, ſeu cicatrizantibus utendum erit. In quem uſum & conferet unguentum de betonica, de Matriſylua: à quibus, unguentum de tuthia ejuſdemque tuthiæ præparatæ pulvis, unà cum oſtreis uſtis, ex uſu erunt.

Et hæc adminiſtranda cenſemus, cum congrua victus ratione à Viris præclariſſimis præſcribenda; hoc addito, cum Hippocr. quod, quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ſanat ignis. Spero tamen fore, ut levioribus propoſitis Illuſtris Patiens liberetur ab hoc affectu. Quod ipſi à præpotente Deo obnixè precor. *Idem ibidem.*

De Tuberculo in Naſo. Pro Perilluſtri Patiente.

Tuberculum, quod in præſentia patitur in ſummo naſo perilluſtris patiens, & cui alia minora circumcirca accreverunt autumno præterito, ex pituita craſſa originem duxiſſe veriſimile eſt; quæ forſitan à capite calida, & humida intemperie donato eò confluxit, à qua & præteritum tumorem in genu productum fuiſſe ſtatuerunt Viri præclariſſimi: cùm præſertim uterque ſit durus, indolens, & concolor, atque Vir Perilluſtris ſæpius podagrâ correptus fuerit, cujus frequens cauſa eſt materia pituitoſa. Ad horum tamen tumorum generationem non parum contuliſſe aliquam copiam humoris melancholici cùm naturalis, tum & aliquatenus exuſti, poſtquam geniti ſunt in Autumno, poſt æſtus præteritos, in ætate adhuc conſiſtente, & temperamento calido, & humido, hac ætate ad ſiccum vergente.

Unde conjectare facile poſſumus tubercula iſta ſcirrhoſi, ſeu glanduloſi tumoris naturam redolentia, non parum ad cancrum vergere: primò ob eorum aliquam aſperitatem, & inæqualitatem: ſecundò ex cruſta ſupergenita: tertiò ex ſpongioſa carne, quæ ſubjacet: & quartò ex facili ipſorum mutatione in affectum inflammatorium, malignum, & ex prava materia, à compluribus Medicis præſidiis loco affecto, variis temporibus applicitis: unde ſumma cum ratione cautè procedendum eſſe in eorundem curatione ſtatuerunt Viri ſapientiſſimi. Quorum opinioni ego quoque ſubſcribendum cenſeo, curationem ipſam periculi plenam ducens, ob imminens periculum ulceris cancroſi, vel in eadem parte affecta, vel ſi curationem admittat, in aliqua alia, ad quam hujuſmodi materia facile decumbere poterit.

Non ob id tamen quibuslibet Medicis præſidiis ſuperſedendum eſt: atque primò ac præcipuè divertenda eſt fluxio, per diligentem totius expiationem, per revulſionem, & derivationem. Secundò exſiccandum eſt caput, abſq; inſigni calefactione: ac deinde blandis localibus emollienda eſt, & digerenda materia, quæ confluit. Quæ præſtabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Quantum ad Chirurgica, probatur ſufficiens ſanguinis detractio, cùm ex jecoraria dextri brachii, tum ex hæmorrhoidibus, ex quibus forſitan hactenus ſanguis eductus fuit. Venæ autem frontis reſeratio tunc erit neceſſaria, quando caput eſſet valde calidum per eſſentialem intemperiem, non autem per tranſmiſſos vapores à ſubjectis partibus: quod obſervabitur à Viris doctiſſimis. Placet quinetiam fonticulus inuſtus dextro femori, & inurendus ſiniſtro brachio, potiùs quàm occipiti: ne materia à ſubjectis partibus trahatur in caput. Alias manuales operationes circa partem affectam quoquo pacto ſuſpectas habeo, cùm propter imminens periculum, tum quia licet Chirurgicis ſanaretur affectus, immineret nihilominus periculum, ne excreſceret novus tumor in aliqua alia parte.

Inter Pharmaceutica laudantur, hinc quidem evacuantia totum per alvum, ſæpe repetita, & aliquando per vomitum, & evacuantia caput, per os potius, quàm per nares; hinc verò præparantia, & alterantia interna: in quem uſum placet ſummopere decoctum ex ſantalis, ſalſa, lentiſco jam præſcriptum. Nec præter rem adderetur viſcus quercinus, ratione capitis, cum tamariſco, propter humorem melancholicum, additis emollientibus, vel etiam præmiſſo bolo ex Terebinthina Veneta, vel ſpiritu Terebinthinæ. Quoad topica, mihi ſufficeret linimentum aliquod blandum molliens, & moderatè digerens, nullatenus mordicans, vel corrodens, quod parari poſſet ex pulvere tuthiæ, & lithargyri, ammoniaco, cinere cancrorum fluviatilium & oleo roſ. completo in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo, quò ſuſcipiat facultatem digerentem, & roborantem à plumbo ipſo, validioribus miſſis, ut ſuſpectis.

Addatur congrua victus ratio, quæ ſit tenuis, attenuans, boni ſucci, & nulla ex parte excrementitia, aromaticis, glutinoſis, & vinis generoſis miſſis factis. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Vir quidam cùm naſi rubedine inſtar Cancri aliquot annis vexaretur, ac fruſtra Chirurgorum ope uſus eſſet, ad nos tandem venit oratum, ut ſi quo modo poſſem, huic turpitudini opem ferrem. Huic conſului ut ſecta vena, & corpore repurgato ab atra bile, à cibis atram bilem gignentibus abſtineret, & hoc linimentum præſcripſi.

♃. Succi ſolani ℥ iv. Pulv. diapomphol. ʒj. Ceruſſ. ablut. cum aq. roſac. & iterum ſiccat. ℈ j ß. Ducantur pauco oleo roſac. adjecto, & cera alba liquata in mortar. plumbeo cum piſtillo plumbeo, donec ad ſpiſſitudinem linimenti con-

concreſcant, quo optimè poſtea ſe habuit: & miraculi inſtar curatus eſt *Petrus Foreſtus obſerv. 6. in ſchol. lib. 13. De Naſi Affectibus.*

Obſtructio utriuſque naris, altera quidem integra, à polypo ſpurio, carne ſcilicet calloſa ulceri ex contuſione externa accreſcente; alia verò imperfecta, feliciter ſanatæ.

Curavi Nobilem Germanum in ædibus Præclariſſimi Joannis Rhodii, laborantem obſtructione integra alterius meatuum naſi, adeo ut altero quinetiam medio obſtructo ægrè duceret ſpiritum. Hæc autem obſtructio cauſam habuit contuſionem inſignem naſi, dum puer eſſet, prout in hujuſmodi caſibus obſervavi, læſis ſcilicet externis partibus, lædi quinetiam plurimum internas; in quibus propterea ulcus progreſſu temporis ſuboritur, ex quo caro ſuccreſcit, quæ longo annorum ſpatio indureſcit, & aliquando polypus ſpurius evadit, educendus poſtea, modo ab Aquapendente propoſito, qui quandoque in oſſeam ferè duritiem occaleſcit; prout contigit nobili huic Germano, illa parte potiſſimum, quæ omnino obſtructa erat. Facta itaque totius corporis purgatione, deveni ad Chirurgicam operationem, præſentibus multis Germanis ſtudioſis, & ipſum callum duriſſimum, ac partem obſtructam, per cannulam, ferramento acuto ignito, ſpatio viginti dierum perforavi, ut commodius reſpiraret, idque multis diebus, cum patiens non poſſet ferre continuam inuſtionem. peracta operatione, appoſui globulum ex filamentis aridis, inductis poſt inuſtionem, butyro, illito quotidie naſo oleo, vel unguento roſato, arcendæ inflammationi: quamvis operatio valde moleſta eſſet, quod cum caro illa calloſa admodum ſuperficietenus, & dura eſſet, hac attrita, ab inuſtionibus nobilis patiens ſævos pateretur dolores. Facta itaque perforatione, ut dictum eſt, & dolore ſublato medicamentis anodynis, impoſui turundam imbutam unguento ex tuthia, quo ſenſim induxi cicatricem, quæ ut firmior evaderet, inſperſi turundæ pulveres ex bolo armena orientali, & cornu cervi uſto, cum portiuncula thuris; quibus adeo cicatrix occaluit, ut nunquam pars amplius coaluerit, patente naturali meatu. Sanata verò obſtructione alterius meatus naſi, deveni ad aliam partem, non omnino obſtructam, per quam nonnihil ſpiritus ducebat æger; ut propterea eodem tempore utrumque meatum curare abſtinuerim, quo commodius reſpiraret. Hanc vero partem citius ſanavi, utpote non admodum calloſam, duabus ſcilicet, vel tribus inuſtionibus, per cannulam ampliato meatu ad figuram naturalem, omnibus alioquin peractis ut in prima curatione; quibus quinquaginta dierum ſpatio æger omnino fuit liberatus. *Petrus de Marchettis in obſervation. Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

De naſo læſo ob frigus hibernum.

Puella ſedecim annorum, dum hiems ſæviebat, ac frigus intenſum aderat, conquerebatur de tumore, rubore, nec non dolore in apice naſi; atque hoc malo revertente hieme jam ſæpius afflicta fuerat ægrotula.

Scilicet ob frigus aëris naſum tam interne quam externe afficientis ſanguis in vaſis valde exiguis ac humores in tubulis aliquatenus ſubſtiterunt, ac progreſſu temporis acorem quendam contraxerunt, unde tumor, rubor ac dolor facile deducitur.

Sed unde contigit, ut malum hoc jam aliquoties inſtante bruma redierit? non alia de cauſa, quam quia vaſcula ac tubuli prima vice ita diſtorti ſunt à ſanguine ac humoribus ſtagnantibus & aceſcentibus, ut poſtea nunquam tam bene ad ſtatum priſtinum redire potuerint, quin adveniente hieme ſanguis ac humores in circulatione ſua aliquod offenderent illic obſtaculum.

Affectus hic Belgicè nominatus *de koud* periculo caret, ſed interim tamen haud parum inviſus eſt puellis ſuam qualemcunque formam pro ſummo bono habentibus, ideoque vitam quam formam amittere non rarò malentibus.

Paucis diebus linteo ſolo ſpermate ceti inuncto hoc malum in totum abegi. Non diſputabo jam temporis, quidnam ſit illud, quod ſpermatis ceti nomine innoteſcit; an revera ſit ſemen magni piſcis, an ſit ſubſtantia quædam, quæ ſub forma olei craſſi reperiatur in cellulis quibuſdam ovi anſerini magnitudinem habentibus ac ſitis in capite balœnæ, an tandem ſit compoſitio quædam artificialis ex lixivio calcis ac cerebro cujuſdam piſcis ſiccato confecta; hac, inquam, de re hic loci non diſputabo; ſufficit mihi in citato medicamento contineri multum ſalis volatilis oleoſi, quod acidum in ſanguine ac humoribus ſtagnantibus correxit.

Hoc malum non tantum apicem naſi, ſed & calcaneum, ac pedum manuumque digitos invadere ſolet; ſupervacuum foret hujus rei rationem reddere velle, quandoquidem manifeſtum eſt, aërem frigidum magis afficere extremitates corporis quam alias partes, ac vaſcula exigua citius obſtrui, quam capaciora.

Ad malum hoc præcavendum cucurbitulas cum ſcarificatione adhibere ſolent, ſed perperam, quoniam hoc pacto obſtructiones non tolluntur, ſed multiplicantur, & vaſcula diſtorta ad priſtinum ſuum ſtatum non revertuntur, ſed magis diſtorquentur. Præſtaret vapor ex accenſo ſpiritu vini progrediens aut fotus ex vino ac herbis copia ſalis volatilis gaudentibus confectus.

Ad malum hoc, ubi apicem naſi infeſtare ſolet, præcavendum quidam applicant ſanguiſugas, ſed malè, nam affectum hunc inde non parum exacerbatum eſſe memini, cujus rei rationem adderem, niſi illa ſatis conſtaret ex paragrapho præcedente.

Affectus, de quo dixi, pedetentim prorepere conſuevit, ſed occurrit aliquando aliud malum ſubito ab intenſo frigore proveniens, diciturque grangræna ex frigore, quæ incipiens curari ſolet immerſione in aquam frigidam, verumenimverò num hæc medela rationalis eſt? maximè, & rationi conſentanea eſt & experientiæ; pomum congelatum in aquam frigidam conjice; exiguo temporis intervallo illud, ſalvâ priſtinâ ſaporis gratiâ, ac conſiſtentiâ priori retentâ, obſervabis intus regelari, totâ glaciei cruſtâ putamini externo adhæreſcente; quod ſi autem idem pomum congelatum admoveas igni, flacceſcet illicò, ac ſaporis ſuavitatem amittet.

Com-

Complures nimirum particulæ in pomi congelati poris ac tubulis contentæ, quæ prius fluidæ fuerunt, jam propter gelu induerunt formam glaciei, hoc eſt, multæ particulæ, quæ antea à materia ſubtili ſatis forti motibus à ſe invicem diverſis continuò agitabantur, jam juxta ſe invicem quieſcunt, quia cinctæ ſunt materia ſubtili, quæ debilior eſt, quam ut illas in motu ſolito poſſit conſervare. Ubi pomum hoc congelatum jam aquæ frigidæ immerſum eſt, materia ſubtilis fortior ex aqua provolat in pomum & ſic pomum re gelatur, materia autem ſubtilis debilior ex pomo progreditur in aquam pomi putamen externum proxime tangens, quod inde cruſta glaciei obducitur.

Ubi verò pomum congelatum igni admovetur, materia ſubtiliſſima mundi valde fortis ac multis craſſis ligni aut ceſpitum particulis comitata per poros pomi congelati magno impetu ingredi conatur, nec poteſt, quia pori frigore valde conſtricti ſunt, ideoque eoſdem vi diſrumpit, atque ita conſiſtentia ac ſapor hujus pomi mutatur ac vergit in deterius.

Hinc jam ſatis liquet, quod rationalis ſit hæc gangrænæ ex frigore curatio, licet interim una circumſtantia varianda quibuſdam forte videatur. Pomum nempe congelatum in aquam frigidam conjicitur, & quidem optimè, quia liquor in pomo bene conſtituto repertus quoad tactum frigidus eſt; ſed ſanguinis ac humores noſtri bene conſtituti non frigidi ſunt quoad tactum, ſed calidi aliquatenus, ideoque membrum levi gangræna ex frigore laborans potius in aquam tepidam (Belgicè *Boet-laeuvv*) quam frigidam deberet immitti. *Joh. Muys in Praxi Chirurgiâ Rationali.*

NATA vel NATTA.
Vid.
ATHEROMA.

NASI MORBI.

De iis partim mox in Narium morbis; partim alibi in *Cutis vitiis.* De Naſo verò deperditô reſtaurandô vide Capite de Carne ablatâ reſtituenda.

NAUSEA
Vid.
VOMITUS.

NEPHRITIS.

De Nephritide revera ex parte Capite de Calculô; verùm de eadem jam paulò fuſiùs agendum venit.

Lapides in averſum jacti, humanum genus Deucalioneis undis deletum finguntur quondam reparaſſe. Impræſentiarum autem de calculis commentamur corporis noſtri ædificium diruentibus. Introeamus ergo miſellorum hominum arenarias ac lapidicinas, ſaxumque à tot ſcitiſſimis viris volutatum, non Siſyphæo ac ærumnoſo labore, ſed Philoſophico nec injucundo ſtudio iterum revolvamus. Magna profectò magna ad ſcribendum feneſtra (ut ait Terentius) hic aperta eſt; ſed eò magis ardua, quò numeroſior atque confuſior ingredientium turba.

Ubivis partium lapides coagmentantur, ſub linguâ, in palpebris, articulis, cerebro, corde, pulmonibus, ventriculo, biliosô folliculo, inteſtinis, ac præcipue in protuberantibus coli ſemiglobulis: quanquam Galenus calculos in inteſtinis genitos, ſe modò nunquam vidiſſe, ſed ne fando quidem audiviſſe ſcripſerit: item in utriculo muliebri, ut contigit famulæ Dyſeridis; ſic mulieres poſt partum arenulentas interdum emiſère ſecundinas, fitque non ſemel mentio apud Hippocratem menſtruorum arenoſorum; nemini etiam non nota eſt portentoſa de Lithopædio Senonenſi per viginti octo annos geſtato hiſtoria. Dentes quoque neglectâ ἀποδόντωσι, ac converrendi incuria, oſtreo quaſi cortice non raro operiuntur, qui delibrati niveum ſub ejuſmodi incruſtatione deprehenduntur candorem aſſervaſſe. Itaq; oppidò perquàm mirum videtur, Galenum docuiſſe quemadmodum ſuffuſio, oculis propria exiſtit, ita lapidem eſſe affectum renibus ac veſicæ peculiarem; cùm pateat haſce partes haud ſolas eſſe, tametſi magis conſuetas lapidum fodinas.

Nephritis univerſim quamcunque renum affectionem, ac proinde horum quoque ulcera, & omnis generis obſtructiones generatim deſignare poteſt. At ſpeciatim tria ſignificat, primò urinarum ſanguinolentarum effluvium propter renum effœtorum ἀτονίαν, pariter ac in hepatitide loturæ carnium alvo funduntur. Secundò renum inflammationem; nam apud Veteres, morborum nomina à loco affecto deſumpta, ac in ῖτις deſinentia, illius phlegmonem exprimunt ut phrenitis, pleuritis. Tertio renum calculum, quod phlegmonoſam diſpoſitionem habeat comitem ferme individuum.

Hippocrates libro ſexto Epidemiorum calculum veſicalem vocavit σύναγμα μετ' οὔρησιν; & Galenus commentario in hunc locum ut σύστασιν in veſicâ μετ' οὔρησιν, ita in renibus πρὸ οὐρήσιος fieri jure concludit. Τὸ οὖρον namque ſumitur apud Hippocratem, gloſſatore Galeno, non ſolùm pro lotio ejecto, ſed etiam pro ὀῤῥῷ τῶν χυμῶν, id eſt humorum ſero intra corpus adhuc ſtabulante: hic οὐροδόχος κύστις æque congruenter dicitur de veſicâ urinam nondum excretam complectente, quàm οὐροδόχον ἀγγεῖον de matulâ quâ redditum lotium excipitur; indeque οὐραχοῦ, οὐρητήρων, & οὐρήθρας voces etiam deſumuntur. Placet quibuſdam vitilitigatoribus, hoſce canales ità appellitari quod humore perluantur qui extra corpus, urinæ nomen obtinet; ſicut πόροι ἱδρωτικοὶ indigitantur quibus effunditur ſerum, quod ubi expulſum eſt, ſudor denominatur. Sed audiant Galenum ſcribentem, renes τὸ οὖρον ad ſe trahere, nec propter imbecillitatem retinere; quo loco evidentiſſimum eſt τὸ οὖρον accipi pro ſero etiam ſupra renes reſidente. Reſpondent verborum penſitatores, ut ſibi videntur ſubtiliſſimi, id verum eſſe de τοῦ οὔρου, non de τοῖς οὔροις in multitudinis numero enunciatis: Verùm iſtæ vocabulorum argutiæ non modò futiles ſunt, nihilque ad nos quibus ſufficit ſi τὸ οὖρον in ſingulari nuncupetur generaliter pro ſero, ſed inſuper commentitiæ exiſtunt; nam pluſquàm certum eſt urinam

& urinas, ſputum & ſputa, tuſſem & tuſſes atque alia ſexcenta tàm ἑνικῶς quàm πληθυντικῶς in veterum ſcriptis indiſcriminatim ſumi. Verùm omnem difficultatem tollit Aretæus apud quem nominatim legimus διάκρισιν τῶν οὔρων ἀπὸ αἵματος καὶ τὴν ἀπόκρισιν ſecretionem urinarum à ſanguine, harumque excretionem, eſſe opus renum: item renibus ineſſe κοιλίας σμικρὰς ἰσθμοειδέας εἰς τὴν τῶν οὔρων διήθησιν cavitates parvas & anguſtas ad urinarum excolationem: & paulò poſt ἴσην εἶναι τῶν οὔρων ἀπὸ νεφρῶν τὴν ὁδὸν εἰς κύστιν, æqualem eſſe urinarum viam è renibus ad veſicam.

Quemadmodum igitur hoc verbi τὸ οὖρον ἢ τὰ οὖρα & urinam ipſam, & ſerum humorum denotat, ac ἰσχουρία, unanimi Medicorum conſenſu, non minus renum quam veſicæ culpâ provenit; ſic vox οὐρήσεως uſurpatur non modo in vulgari ſignificatu ἀντὶ τῆς κύστεως urinæ è veſicâ in matellam, ſed etiam pro ſeri per renes ſaccati à ſanguine ſequeſtratione, hujuſque in ſubditam veſicam tanquam in mulctram extillatione; ita ut præter veſicalem, externam ac προαιρετικὴν mictionem quæ per circuitus obitur, altera detur eaque prævia, ſcilicet renalis, interna ac φυσικὴ, & quidem perpes atque jugis, licet ſerum denſiore aut rariore currat agmine pro ubertate potus; hujus autem renalis mictionis ratione, ſicuti ab Hippocrate lapis veſicæ μετ' οὔρησιν, ita à Galeno renis calculus πρὸ οὐρήσεως appoſite vocitatur. Sed miſſis tribulis ac tricis verborum, ad materiam ipſ m nos accingamus; memores Galeni qui de λογομαχίᾳ celeriter ad pactionem veniendum eſſe toties jubet, ne tempus & operam in eâ inſumentibus rerum cognitio præripiatur.

Nonnulli ut vitam nihilo opponunt ac vivens enti coæquant, adeo ut agere apud ipſos idem ſit quod vivere; ſic lapides à λόγῳ πλαστικῷ & ſpiritu architectonico, ex idoneâ materia tanquam ſemine concinnari, ac certis figuris adornari cælarique exiſtimant. Sed novitium iſtud dogma corpora inanimata cum animatis confundens eruditiſſimi Philoſophi confutarunt, nec eſt inſtituti noſtri ipſum revincere. Proindeque, eo poſthabito, deſcendamus in arenam Medicam, omnemque moveamus lapidem ut è litibus quæ hic cientur perplexiſſimis, veritatem exquirere poſſimus & quaſi emolere, ut Ambroſii verbis utar.

Cauſa calculorum gemina ponitur, materialis & efficiens. Illa juxta Antiquorum opinionem, eſt humor crudus, atque craſſus, qui dum, ut aiunt, exuccatur, ſi viſciditatis expers ſit adeo ut ejus partes cohærere, ac mutuò ſeſe quaſi inuncare nequeant, in arenas cogitur: ſi lentus fuerit, conglobatur in lapidem, quem Hippocrates definivit ξυμπώρωσιν τοῦ φλέγματος; proindeque in plagis calidis calculos aſſeverant eſſe friabiliores à materiâ defectu pituitæ male conſertâ, & colligatâ; In rigentibus ac humentibus, ſolidiores ob pituitam cùm cœli frigore tùm incolarum voracitate ubertim collectam: quâ pariter ratione, exquiſitæ tertianæ raró lucent in oris algidioribus; ſed ſpuriæ duntaxat, ac eæ præſertim quas majoris famæ Arabes appellant, quæ ex bilis ac pituitæ in eodem foculo commixtione & putredine ortum ducunt. Ejuſmodi autem humor in renibus non indigena eſt, ſed advena, ſcilicet unà cum ſero & ſanguine irruit, ac nonnunquam à cerebro, ſæpius à ventriculo apportatur.

Galenus aliuſve quilibet Scriptor libri de renum affectibus, ſanguinem quoq; in renibus morantem, vel ut habet Avicenna, in apoſtemate congregatum, interdum lapideſcere arbitratur: idemque Avicenna è ſucco melancholico, ac Hippocrates è pure lapidem fingi tradiderunt, quibuſcumque arenoſa aut tophi in urinis ſubſident, his initio tubercula circa craſſam venam enaſcuntur, & ſuppurant: poſtea verò tuberculis non celeriter diruptis, tophi ex pure concreſcunt qui per venam, hoc eſt per ureterem, foras extruduntur ſimul cum urinâ in veſicam. Si quis objiciat, ſanguinis dum ἐκπυΐσκεται villos computreſcere ac idcirco pus divulſum fieri atq; ἄπηκτον ut conſtat ex pure è renibus abſceſſu tentatis deturbato, quod totum toti urinæ commiſcetur, aut ſi in imo urinæ deſidis ſubſtet, rurſus i n verſæ urinæ vel leviſſimâ agitatione remiſcetur. Reſpondent Hippocratici dogmatis aſſer ores, etiamſi concederetur pus fibris plane orbari, has tamen ad coagulationem conferre non ab extrinſeco principio, (qualem eſſe volunt lapidoſam concretionem) ſed ab intrinſecâ causâ prognatam; cum experientiâ ratum ſit in diuturnis abſceſſibus pus calloſâ ſæpenumerò donari conſiſtentiâ; & ab Empyicis, pure excocto paulatim & aſſato, grandinoſa ſputa extundi.

Cauſa calculi efficiens à Veteribus proponitur calor, non quidem nativus; quippe qui præſtantiſſimorum operum officioſus Autor tam male de nobis nuſquam mereatur, ut evadat λιθοπλάστης, affectumque adeo anxiferum invehat; ſed præternaturalis ac immoderatus calculi materiam præſertimque glutinoſum phlegma compingens in lapidem; vel ut alii malunt ſiccitas huncce calorem conſequens, ab ἐξατμισμῷ id eſt particularum liquidarum exhalatione, haud ſecùs ac lateres ab igneo calore ſiccati indurantur. Quemadmodum, inquit Hippocrates, ferrum excuſsâ ſcoriâ, ſolidius atque compactius in fornace remanet, ſic eductâ aquatiore urinæ patre, quod fæculentum ſupereſt, in lapideam molem à calore ſtringitur.

Calor iſte calculi opifex bifariam cenſetur immodicus, aut ratione gradus, aut ratione diuturnitatis; Etenim caliditas remiſſior ἠπίως πρήξασα, morâ ſæpe idem præſtat, quod intenſior majore activitate: & Galenus ad ἀπολίθωσιν craſſioris materiæ ſat eſſe mediocrem caliditatem ſibi viſus eſt probaſſe exemplo lapidum in aquis ſponte calidis etſi tepidioribus naſcentium; ſed tenuiorem materiam, nonniſi validioris caloris pollentiâ docuit coaleſcere. Illa enim ex ſe ad naturam lapidis propius accedit, eſtque εὔπηκτος; hæc verò longiùs recedit, eſtque δύσπηκτος; ac remotiorem materiæ diſpoſitionem, potentiore efficientis virtute opus eſt compenſari. Quapropter ſi ſubſtantia calculi dura fuerit & cineritia, ut aſſolet eſſe in veſica, is oboriri creditur vitio materiæ potiùs quàm caloris; ſi ſandarachodes, levique attritu deteratur ut ſæpicule uſu venit in renibus ope caloris magis quàm materiæ putatur condenſari τὰ ὑπὸ θερμοῦ πηγνύμενα, ψαθυρά. Quæ à calore concreſcunt, friabilia ſunt. Hinc etiam rationem depromere ſuetum eſt, cur majores ſint puerorum calculi ac breviori conformentur tempore nempe quia conditionem materiæ, quæ ex ſe vergit ad lapidem, magis ſequuntur; ac econtrario, cur virorum lapides minores plerunque

exiſtant lentiuſque glomerentur, videlicet quoniam à calore potiſſimùm dependent. Igitur juxtà hanc doctrinam, illi tota errant via qui calculum frigiditati adſcribunt, ni intelligant vel cauſam materialem, nempe pituitam per ſe frigidam, etſi hæc ſuo frigore nequaquam dureſcat; vel ventriculi frigiditatem cruditatum feracem; vel ambientis algorem qui ut alvi munus retardat, ita veſicæ officium ſuſpendendo, calculi occaſio eſt; vel denique remiſſiorem etſi acriuſculam renum ac veſicæ caliditatem, quæ per collationem cum intenſiore calore, frigoris nomen apud Medicos ſibi tribuit. Ariſtoteles ſcribit quidem in genere corpora durari vel à calido reſolvente humidum, vel à frigido illud exprimente: Verùm hæc poſterior cauſa à viſceribus humanis arcenda eſt, quod vita tanto frigori ſit inſociabilis. Neque dixeris ut materia craſſiſſima moderato calore lapideſcit in duritiem, ſic eandem à mediocri partium frigiditate poſſe transformari in calculum; manifeſta enim apparet diſparilitas, eò quod calor qui æſtimatur λιθοποιητικός, ſit poſitivus, etſi mitior; at frigus internum, utut temperatum, ſi actuale fuerit, inevitabili morte calamitoſum exiſtat. Eademque ipſa ratio adverſus illos militat, qui lapides tàm intra quàm extra corpus à duplici ſimul causâ, nimirùm primò à calore coquente, mox à frigore congelante progigni ſtatuunt, ac propterea calculos nec calore ſolvi nec frigore, quod ſpiſſeſcant ab utroque.

Si quærat quiſpiam, quo pacto calculus ſtare poſſit ἄλυτος, interimque uni calori ſiccanti abſque frigiditatis conſortio, ſuam debere σύμπηξιν, cum ex Ariſtotele ea omnia aquâ diſſolvantur, quæ calore ſicco congregata ſunt. Reſpondent φιλάρχαιοι, Philoſophum loqui de concretione multas partes humidas relinquente ſiccis admixtas; alioquin ſi omne humidum ita fuerit exhauſtum ut tantùm ejus ſolummodo reſtitet, quantùm expoſtulat partium terrenarum glutinatio, tunc corpora eſſe penitus ἄτηκτα καὶ ἀμάλακτα seu à frigore coaluerint ut cryſtallus & adamas, ſeu à calore ut lateres & calculi.

Hancce de calculorum ortu Priſcorum ſententiam, quam non adumbrare, ſed imprimere tentavimus, Aſclepiadæ Neoterici, ſemotâ antiquitatis ac authoritatis idololatriâ jure explodunt ejiciuntque, ac pituitoſum humorem, haud eſſe legitimam lapidum materiam pluribus rationibus demonſtrant. Primò quod indurata pituita non in lapidem, ſed in cruſtulam commutetur, ut liquet è blennâ reſiccatâ. Secundò quod glutinoſum omne in aquâ potiſſimùm calidâ, liquetur potius quàm dureſcat. Tertiò quod probabile non ſit, tenacem ſuccum qui ἰσθμώδη renum incernicula inoffenſo curſu permeavit, mox in pelvi renum aut veſicæ lacu detineri, unde per ureteras ac vrethram liberrimus patet egreſſus. Quartò quod in ipſiſmet pituitæ ſeminariis, cerebro nempe & ventriculo; calculi perrarò comperiantur; ac ex adverſo bilis in ſuo folliculo nonnunquam grumeſcat in calculum. Quintò quod ex limpidâ urinâ arenoſam materiam τῆς χρίδος, hoc eſt pollubri vel trullei, lateribus adhæreſcere nullus non quotidie experiatur. Tandem quod à nephritide ſaltem ulceris experte abſint mucoſæ urinæ, ſed hæ lithiaſin veſicæ duntaxat comitentur, & quidem per accidens, quatenus veſica naturaliter frigida atque exanguis à pungente ac tundente calculo imbecillior facta, tale excrementum propter mancam debilemque ὁμοίωσιν coacervat; cui nunc datur exitus, nunc denegatur ſeu à calculo obturante, ſeu ob innatam craſſitiem quâ ſibimet obex eſt viamque præſtruit. Quamobrem mucilago quam ſimul cum lotio tam copioſe fundunt οἱ λιθιῶντες, nil minùs eſt quam materia ex quâ calculi, ſed potius importuna hujus progenies quæ illo exempto & roboratâ veſica tollitur; nec idcirco aliunde pro lapidis generatione eò adventaverat, ſed in ipſamet veſica crudam ac elabentem alibilis ſucci portionem velut plorante, primitivam duxerat originem: pariter ac infirmatâ oculorum virtute θρεπτικῇ, ſenum palpebræ ſordium concrementis patiuntur κόλλησιν; oculi in ophthalmiâ lemulis obſepiuntur; ac in dyſenteriâ immenſam muci copiam inteſtina profundunt.

Calorem quoque tanquam calculi δημιουργὸν nullatenus agnoſcunt Medici juniores, quod in membris perenni uligine irriguis, quales ſunt renes & veſica, materiam à calore exarefieri potis non ſit: & quanquam eorum nonnulli calorem admittant pro causâ calculi non magiſtrâ; ſed ancillari vel τῷ συναιτίῳ; alii tamen non modo calorem in cauſas calculi non cooptant, ſed expreſſe docent hujus συστροφὴν à calore utpote colliquante removeri, potius quàm promoveri; hincque pueros, judice Hippocrate, quia calidiſſimos renum calculo non teneri, & contra in veſicâ ſpermaticâ & algiosâ calculos perſæpe congeri: eoſdemque qui in veſicâ molliores fuerant maxime extremâ ſuperficie, quamprimum extracti ſunt, aëris frigidioris contactu ſolideſcere: haud ſecus ac ovorum nuper editorum putamina, lapides è latomiis non pridem effoſſi, ac recentia corallia aëre dureſcunt; quod & ipſimet Galenici videntur fateri, dum obſervant albugineos humores emictos ac ſubdio poſitos, intra paucas horas ad lapideam perveniſſe firmitatem. Idem comprobatur è lotio excreto, quod tantò citius tartarū ſuum τῷ ποτηρίῳ τῶν οὔρων, ſeu vaſi urinario apponit, aut τὰ ψαμμώδεα deponit, quantò promptius refrixit, imo ſi tepido foveatur calore, non prorſus deponit; ita ut caloris ſigna calculo aſſidentia referri debeant, vel ad ſalem quamplurimum & acriorem quo imprægnata urina mictionem reddit δυσκολαίνουσαν, vel ad partium dolorem qui ſanguinem cum ſpiritibus prolectat, ſimiliter ac in arthritide etiam frigidâ articuli rubent & caleſcunt: eaque ratione calculus ſe habet inſtar ſtipulæ in oculos illapſæ quos dum laceſſit, lippitudinis; minime autem lippitudo, ſtipulæ genitrix eſt.

Recentiores ergo cornicum oculos, ut dicitur, confondientes, alias calculi cauſas, eaſque ſimiles generationi lapidum extra corpus non immerito occeperunt inveſtigare, nimirum terreſtrem materiam unà cum ſale ipſi commixto, ita ut concretio ſali tanquam principio activo: lapideſcentia verò terræ ceu principio paſſivo imputetur; conveniente ſimul paucâ humiditate velut causâ ſubſidiariâ quæ ſalem iſtum diluat, eique ſit pro vehiculo ut terrenas partes intime permeare, ipſiſque coadunari poſſit. Nec certe ita nova eſt hæc opinio, quin in eâ verſatus fuerit Avicenna, docens urinam

nam eò paratiorem eſſe ad calculum, quò plus ſale abundaverit.

Sal enim ingenitâ proprietate ἐκπηκτικῇ corporum omnium gluten eſt & quaſi ferrumen; ideoque pacis & amicitiæ ſymbolum cenſetur. Hinc conchylia, ovorum teſtæ, cornua & oſſa animalium concretionem ſuam ſali, qui multus ex illis arte educitur, ferunt acceptam; hinc animalium duris cibis veſcentium fæces uberrimo ſcatent ſale, ac ſtercus canis oſſivori anginoſum tumorem ſtrenue diſcutit; hinc ædium calcatarum tenax eſt junctura, luteæ verò cæmenti defectu caducæ exiſtunt, ut conſtat vel Iobi teſtimonio: latercuii quoque & tegulæ non ex quâvis terrâ vi ignis coquuntur, ſed ex terrâ ſale refertâ ideoque viſcidâ & cohæreſcente quam vulgus pinguem, ſicut ſalem quo terra fœcundatur, pinguedinem vocitat; ſed impropriè: hæc namque fertilitati potius officeret. Lapis etiam ille oſteocolla dictus, habens pro domicilio, præ cæteris Germaniæ locis, Heidelbergenſem tractum, qui pondo ſemidragmæ oſſa fracta ferruminat, totus fere reſolvitur in ſalem: ligna tanto ſunt ſolidiora, quanto plus ſale onuſta, ut fagus, quercus, guajacum, ebenum quod aquæ demergitur. Lacrymæ inſuper quia paululum ſalſæ, in tenuiſſimas formantur arenulas quibus ceu pulviſculo genarum limbi ac cilia aſperguntur, oculi ἀχνώδεες dicuntur Hippocrati; imo cervorum lacrymæ vertuntur in lapillum quem venatores adverſus ſerpentum ictus, morſuſque curioſe recondunt. Tandem lapidoſi ſoli natura nitroſa eſt, plantaſque ſummittit ejuſdem indolis participes. Sic prope Aretalem in campis Herculeis (Crantiam vocant) inter congeriem lapidum incredibilem, herba enaſcitur, quâ utpote multo ſale gravidâ mirum in modum pecora ſaginantur.

Calculos porrò ſimul cum ſale, terrâ conſtare probatione non indiget, ſenſu id monſtrante; meritoque Ariſtoteles terrenum veſicæ ὑπόστημα, tanquam calculi materiam celebrat; & Hippocrates lapidis cauſam regeſſit ad gravitatem lactis quod non modò ſit φλεγματῶδες, ſed etiam γεῶδες; ac Alexander Aphrodiſeus cauſam calculi agnovit, humorem craſſum & terreſtrem. Lapidem denique πάγος, ſive concretum quoddam terræ, definivit Plutarchus.

Imo præter ſalem & terram, oleum, & quidem fœtidiſſimum è calculis arte ſpagyrica educi planum certumque eſt; ſed illud omittimus quod nec concretioni, nec lapideſcentiæ per ſe opituletur, quanquam ad ſalis terræque illaqueationem non ſit inutile.

Salinam autem terreſtremque materiam debitô proportionis commenſu macerari ſimul ſubigique neceſſe eſt, juſtamque adeſſe ſalis quantitatem ne, terrâ in minutum pulverem diſgregatâ, meræ arenæ cumulentur; necnon quoque ſufficientem terræ copiam quæ coagulati ſalis fuſioni valeat obſiſtere. Poſitâ verò hâc analogiâ, ac terrâ & ſale, amico conſilio mutuas ſibi tradentibus operas, quò plus ſalis ineſt eò compactior ac πυρωδέστερος, quò plus terræ eò fragilior & ἀσυμπαγέστερος fabricabitur calculus.

Objectabis ſali proprium eſſe in humido liqueſcere, ac idcirco in renibus & veſicâ jugi humiditate obſitis, ſalis congelationem, ut nunc dicebamus de exſiccatione minime videri poſſiblem. Reſpondemus primò humiditatis evaporationem, etſi ſuffragetur ſalium concretioni haud eſſe tamen præcipuam ejus cauſam, ſed quemadmodum ſales non pauci in mediis aquis conglaciantur, ſic urinâ intra veſicam ſtagnante calculos συμπωροῦσι. Dicimus præterea ſeroſitatem quâ pori urinarii naturaliter alluuntur, ſale jam ſatis ſuperque ſaturatam eſſe, nec idcirco novum ſalem ſinu ſuo recipere.

Corporum porrò neque à calore, neque à frigore, neque à ſiccitate, aliave cauſâ externâ coagulatorum, ſed αὐτοπαγῶν exempla afferuntur ὅσαι κόνις; verbi gratia, coralliorum in fundo maris aſſurgentium, quæ per mechanicam analyſin tota ferme in ſalem abeunt: ſtiriarum lapidearum è ſpeluncarum fornicibus pendentium; tartari aſſeribus dolii vinarii, necnon vitro uroſcopico lateratim adnaſcentis: certorum fontium ſaxificâ facultate pollentium, & qui non modò libro lapideo, ſtirpes, animantia; aliaque omnia immerſa intra paucos dies, conveſtiunt (ſicut interiorem veſicæ ſuperficiem cruſtâ ſaxea ferunt nonnunquam fuiſſe inductam) ſed qui qualitate πηξοποιῷ res immiſſas reapſe in lapides tranſmutant. Quo etiam pertinent hominum ac brutorum repentinæ metamorphoſes in ſtatuas marmoreas à ſpiritu quaſi Gorgonico è terræ cavernis afflante, ut fideles Hiſtorici teſtantur.

At, dicet aliquis, ſi hæc vera ſint, qu re igitur latices minerales, puta nitroſi, ſalſi, vitriolati non modo non generant calculos, quin potius calculoſis auxiliantur? Dicimus primò aquas iſtas, aperiendo, detergendo, contemperando, corroborando atque vacuando prodeſſe. Secundò non diu viſceribus eas immorari, ſecus non leve damnum allaturas. Tertiò ad πλάσιν calculi præter ſalem qui eſt πρῶτον δεκτικὸν concretionis, & quaſi mas iſtius connubii, requiri terrenam limoſamq; materiam, ceu fœminã quæ haud præſto ſemper adeſt in urinæ ductibus.

Cauſæ calculorum materiali atque efficienti conſociari debet cauſæ ſuſcipientis, hoc eſt renum diſpoſitio; ſi nempe hi ſenſu obtuſo præditi, flaccidi atque imbecilli ſalſæ materiæ irritamento non tangantur, vel tacti ipſam non detrudant: unde narcotica nephriticis ſunt noxiosiſſima, ac multi citra calculoſitatem (ut loquitur Aurelianus) toto vitæ curriculo urinam dant tartaream, imo etiam arenoſam, quam virtus renum expulſoria à materiæ calculoſæ ſalſedine, aut arenarum ſcabritie, ſtimulata in opere faciundo belle ſe gerat. Quam veritatem ſuadet ipſa quoque Curatio, remedia etenim renes exarenantia atque elapidantia pigram eorum expultricem aut acrimoniâ ſuâ ſolicitant ut raphanus, aut aſtringendo roborant ut ſemen plantaginis, fructus cynorrhodi, ac ſpongiolæ eidem roſæ caninæ virgis innaſcentes.

Inſita renum λιθοποιὸς διάθεσις, & ſi fas ſit ita dicere, lapidoſum ſtigma conſiſtit partim in præfatâ imbecillitate, partim in viarum conniventia; dum enim ſerum per renes tanquam per qualum aut fiſcellam perlabitur, ſi eorum meatus naturaliter arctiores fuerint, ſalſa illius portio quia craſſior in itinerum anguſtiis hæret facillime, haud ſecus ac aqua marina per terram σακκιζομένη ac ut aiunt ſacellata, ſuam ponit ſalſedinem: quamobrem cæteris paribus frequentior

eſt in univerſum renum quàm veſicæ calculatio, quod illorum ductus minus patuli ſint. Fatemur quidem ſi renum itinerula ita eſſent occæcata ut craſſi ſucci aditu omni prohiberentur, tunc nullam prorſus fore calculorum creationem: ſed id mente cogitari poteſt, nuſquam verò experientiæ conſentit; renes namque ut ut ſtricti fingantur, ſunt tamen multifores ſatiſque pertuſi ad craſſorum humorum affluentium introitum: proindeque miror Galenum docuiſſe denſitatem renum, ut etiam oſcilla venarum in jecore perangusta, in causâ eſſe cur interdum ex victu craſſo diutius exhibito, nulla fiat calculorum σύμπλασις. Porrò notandum eſt nephritidem inter morbos, patriâ maxime & avitâ viâ ad liberos derivari, propter renum cum teſtibus cognationem, mediis vaſis ſemen præparantibus, quæ partim ab emulgentibus, partim juxta emulgentes exoriuntur. Notandum inſuper renem ſiniſtrum frequentiùs affici quàm dextrum, ſeu quod ſiniſtra dextris debiliora ſint, ſeu quod lien ſalſarum ſeroſitatum ſcaturigo has κατ' ἐξοχὴν in ſiniſtrum renem uberius depellat.

Cauſa calculi interna ſed remotior duplex eſt, calor hepatis qui humores torrefaciendo, arenoſa quædam ſynagmata renibus miniſtrat; & ventriculi imbecillitas. Nam cum tartarum, calculi materia, in omni terrâ paſſim occurrat, & à plantis pro nutritione alliciatur, commigretque poſtmodum in animalia plantis iſtis victitantia; neceſſe eſt hominis cibum, ſive plantæ fuerint, ſive animalia iſto tartaro perfundi. Si igitur ſuccus ille tartareus vel ob ſui copiam vel ob ventris coquentis ac fermentantis impotentiam, non ut par eſt volatiliſetur, nec ſatis ſecernatur ut per alvum deſcendat, unà cum chylo ad hepar indeque ad renes fixus, & ad lapides conformandos promptus ac expeditus deducitur.

Ad cauſas calculi internas refertur etiam conſtitutionum, ætatumque conſideratio: nam macri & obeſi ad calculum procliviores ſunt; hi ob ductuum anguſtiam; illi ratione caloris, vel potius propter ſalſorum, quibus reſtagnant, excrementorum πλεονεξίαν, ſal namque per ſe emaciat. Non eſt ergo quod Galenus extenuatos homines calculo abſolvat, hoſque arguat intemperantiæ, ſi forſan id mali patiantur: quamvis in genere verum ſit craſſos tenuibus huic morbo eſſe opportuniores. Avicenna tamen controverſiam ita ſolvit ut pingues renali, graciles veſicali calculo magis objiciantur.

Ætates quod attinet; Nephritis gentilitia, præcoci maturitate, junioribus poteſt obvenire; ſecus νεφρῖτις δ' πρὸ τῆς ἥβης; ſed lithiaſi, ſeu calculo veſicæ pueri maxime patent, ac τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον. Adulti ex adverſo & homines conſtantis ætatis renali quàm veſicali calculo frequentiùs miſeri ſunt; atque Hippocrates à quadrageſimo ſecundo ad ſexageſimum ætatis annum lapidem, niſi prægenitus fuerit, in veſicâ non reperiri teſtatus eſt, quorum eventuum cauſæ rimandæ veniunt.

Galenus ſcribit in infantibus acervari cruditates, quòd varium ſingularum partium & nutriri ſimul & augeri deſiderium uno ac eodem cibo debeat expleri; idcóque alimenta ante perfectam in ventriculo mitificationem præmature raptentur à membris famelicis, quorum quippe aviditati ventriculi actio non ex æquo reſpondeat. Alio autem loco docet idem Galenus, in pueris propter edacitatem ac luſum motumve à cibo, præſertimque in lactentibus craſſos congeri humores, verùm qui à vegetâ hujus ætatis facultate naturali, adeo liquentur diſſolvanturque, ut citò percolentur é renibus ad veſicam, ſicque renes à calculo liberari. Cum verò veſica frigida ſit, nervoſa, pauci ſanguinis, & ampliſſimâ cavitate inanis, humores in renibus attenuatos ac veſicâ receptos, ibique commorantes, iterum compiſſari exiſtimat, cogique in calculum.

Sed ſuo ſe gladio confodit Galenus; ibidem enim rationem exponens, quare juxta Hippocratis placitum, pueri quoniam calidiores, calculo veſicæ ſint obnoxii, ſcribit craſſam pituitam in ipſis tenaciorem exiſtere, quod à calido inſito vividiore magis elaboretur. Si id verum eſt; ad quid crudam puerorum pituitam nobis occinit Galenus? Quare pituitam illam à naturali eorum virtute liquari docet, ſi econtrario vi caloris nativi glutinoſior evadat? Imo cur veſicæ frigiditatem criminatur, ſi conſtans ſit ejus dogma calculum omnem immodico calore concreſcere?

Dicamus itaque pueros neſcire nephritidem; primò quod polleant renum robore, utpote Veneris uſu nondum attritorum; deinde quod expulſio ſupervacaneorum è renibus actio ſit mere naturalis, potentiæ autem naturales, pueritiæ tempore plurimùm vigeant; denique quod renum ſubcernicula & quaſi cribra ratione humiditatis habeant potentiora; teſte ſiquidem Galeno quandiu humores tenues fuerint, ac renum corpora mollia ut humores facile tranſlabantur, nunquam progignetur calculus: unde juxta præſcriptum Hippocratis nephriticos ſolemus ἀπολύνειν, nempe in ſolium aquæ dulcis egelidæ demittere, quâ renes ſimulque ureteres alioquin arundinis inſtar ſicci quodammodo & inflexibiles molleſcant & obſequioſi reddantur: quamobrem mulieres ob mollitiem ac viarum laxitatem rarò nephritide fatigantur; & apprime Paracelſus, quò ſiccius, *inquit*, eſt vas aliquod, eò plus humiditatis, & ſic etiam tartarum attrahit: ſic res quoque ſe habet in vaſis hominis. Si autem illa multum humida ſunt, tunc parum tartari eis apponitur. Nec idcirco audiendus eſt Alexander Aphrodiſeus dum cenſet renalem calculum pueris eſſe inuſitatum, ob anguſtiam renum humores comprimentium, ac in veſicam exprimentium: adultorum autem renes laxiores eſſe, ut ſatis viæ ſit & expellendæ urinæ & retinendi craſſamenti. Nam falsò ponit problematographus renes puerorum denſiores, adultorum verò rariores exiſtere: imo datâ erroneâ ejus hypotheſi, Annon denſi puerorum renes, calculi materiam ſemel admiſſam ſervabunt potius quam in veſicam extrudent, ac viciſſim rari adultorum renes eandem dimittent, potius quam morabuntur?

Dicamus deinceps pueros ſolere κυστολιθιᾶν, non quòd itinera haud ſatis aperta ſint; liquet enim pueris non minus quàm natu majoribus, veſicæ cervicem renum cuniculis naturaliter multò latiorem eſſe, ſed triplici de cauſâ. Primò quod excretio urinæ è veſicâ, actio ſit mixta, juvetur nempe à muſculis abdominis, præſertimque à pyra-

pyramidalibus; facultates animales verò in pueris ſint parum firmæ; ut vel inde colligitur quod minore impetu urinam foras projiciant, quàm viri. Secundò quoniam pueri, ob ſomni copiam, ac hebetiorem urinæ mordacitatem, infrequentiùs meiunt. Poſtremò ob veſicæ pariter ac cæterarum partium nervearum ac membranearum ex ætatis madore infirmitatem: unde Hippocrates loco laudato, calculum veſicæ in pueris frequentiorem eſſe pronuncians: An, inquit, quod calidiores? ſcilicet non qualitate, ſed ſubſtantiâ calidi nativi, quæ cum pinguis ſit atque humida, ſimul cum reliquis nervoſis particulis veſicam mollit atque effœminat; quo etiam ſenſu, libro de natura humana, docebat Hippocrates lapides in pueris coagmentari propter loci iſtius, & totius corporis calorem: viris autem minime, ob corporis frigiditatem, id eſt minorem calidi innati copiam etſi caloris vis magis exſplendeſcat.

In adultis porro res plane diverſa eſt; torquentur enim nephritide propter renum imbecillitatem, veneris exercitio contractam: item ob renum ἀγγεῖα σωληνοειδέα, conceptacula canaliculata, ratione ſiccitatis minus pervia; nam vivere noſtrum, ſicceſcere eſt. Addunt inſuper acrem renum calorem qui & materiam attrahit, & hujus elapſum in veſicam anticipat priuſque cogit, quàm natura depulerit. At iidem viri lithiaſin rariùs incurrunt, quoniam vis animalis quæ mictioni famulatur, vegetior eſt; ac veſica, ut etiam cæteræ partes nervoſæ, in hac ætate utpote aridiore, magis valent,

Tandem ſenes nempe ab anno ſexageſimo ad extremum ævi cardinem propter coquendi impotentiam ſunt excrementitii, lapidumque materiam coacervant; quoniam verò non veſicâ modo, ſed renibus quoque debiliores ſunt, veſicalem quidem calculum crebrò experiuntur, neque tamen à renali lapide immunes vivunt, cum Hippocrates ſenilibus morbis nephritidas annumeret. Galenus ſuis innixus principiis, calorem compingendo calculo parem ſenibus negavit. At concretio, ut probatum eſt, ſali debetur, non calori; jam verò ſaleſcunt ſenum humores propter putredinem cutis denſitate acceſſitam, ut prurigines, pſoræ, impetigines, alopecia, cæteraque cutis dehoneſtamenta ætati devexæ familiaria plus ſatis atteſtantur: ſic morbus ſideratus parcit ſilicerniis extremam agentibus vitæ fabulam, ob pituitæ non dulcis & ignavæ, ſed ſalſuginoſæ dominium,

In genere homo ſæpius quàm animalia quadrupedantia hoc morbo capitur, ob pigriorem exercitationem, ciborum varietatem, vini uſum, rectumque corporis σχηματισμὸν per quem humores ex alto in renes facilius decumbunt.

Cauſæ externæ calculi in univerſum limoſam ſalſamque materiam ſubminiſtrant, coctiones vel per ſe vel ex eventu interturbando, ſemitaſque urinarias impediendo. Unde apud Avicennam materia calculi duas habet generales cauſas, quarum una eſt materia materiæ, ſeu quæ lapidis materiam ſuggerit; altera eſt retentrix materiæ.

In ſpecie verò recenſentur Ingluvies; craſſa ac dyſpepta eſculenta; dulciaria atque ſalſaria ut hydrogarum, hinc capræ quæ ſale delectantur, ideoque muros lambunt, calculi morbo plerunque implicantur, maxime dum ſeneſcunt: terræ eſus in iis qui malaciâ tentantur: omnia θαλαττοζύμητα, ſive ſalſa, ſive inſulſa fuerint: fructus crudi ac auſteri, præſertimque ſucco turgentes lapidifico, ut pyra: Ova indurata: Lac ratione butyroſæ ac ſeroſæ ſubſtantiæ nephriticis quidem prodeſt, illa enim emollit ac lenit, hæc deterget atque aperit; quâ ratione Hippocrates Cleonigo dyſenterico ſimul & nephritico cum difficili ac cruentâ mictione lac caprinum utiliter præſcripſit, ad ulcerum deterſionem ac conſolidationem, dolorisque lenitionem. Sed lac per ſe ac extra paroxyſmum, propter caſeoſam partem admixtam, nocet calculoſis; minus tamen quàm caſeus purus à coagulo vim cogendi poſſidens, & præcipue vetus qui acorem ac putredinem inſuper comparavit. Pueris igitur diutius lactentibus, lac calculi materiam præbet, potiſſimùm craſſum & terreſtre, quale eſt lac vetuſtum, id eſt nutricis quæ jam pridem fœtum enixa eſt: etſi enim unoquoque die lac novum ab uberibus ſuppeditetur, tamen cum mammarum vis γαλακτοποιητικὴ continuâ actione fatiſcat, lac quoque in dies ſpiſſeſcit: quò etiam refertur uſus pulticulæ in infantibus ex farinâ crudâ & lacte decoctæ: damnat præcipue Hippocrates lac cùm pituitoſum, tùm bilioſum, illud tanquam cauſam calculi materialem, hoc tanquam efficientem; quò venter, *inquit*, ac veſica caleſiunt.

Cauſis calculi procatarcticis præterea adſcribuntur panis azymus, male coctus, è frumento pulverulento nec rite repurgato confectus; atque etiam ſiligineus è polline tritici paratus, maxime ſi ad candorem conciliandum lacte fuerit ſubactus, necnon biſcoctus & nauticus; vel etiam cruſtarum panis creber eſus: ὕδατα ἐπακτὰ aquæ advectitiæ, hoc eſt è longo locorum intervallo decurrentes, quòd ex aquarum diſſimilium itineris tractu ſimul confluentium permixtione conſtent; ſed maxime cœnoſæ, ut Tyberinæ quarum uſu Romani tormenta calculi creberrime ſentiunt; τὰ ἀφ' ὑδάτων, λιθιῶντα, σπληνώδεα, inquit Hippocrates, ab aquis lithiaſes, ac ſpleniticæ affectiones. Vinum generoſum, tartariſatum, ac in terrâ calcariâ atque lapidoſâ natum; item tortivum, circuncidaneum, præliganeum, & quod Græcis dicitur ἀειγλευκὲς ſemper muſtum, quam vocem Plinius latinitate donavit, vocans aigleuces cui ſatis reſpondet vinum turbidum neque defæcatum, noſtratibus dictum *vin bourru*. Potus parcior; ſicut plenior è contrario calculoſis benefacit, non tam calorem mitigando quàm ſalem concretionis autorem liquefaciendo: unde Hippocrates notavit fœminas pueris eſſe minus calculoſas, quod plus bibant. Somnus diuturnior & à cibo; tergi ad ignem obverſio; arctiores lumborum faſciæ in infantulis; grandiorum verò ſupinus decubitus, potiſſimum in culcitrâ plumeâ eâque anſerinâ; renes enim ob μαλακευνίαν percalefacti plus trahunt tartareæ materiæ, quàm expellere queant, ideoque lapidoſi debent σκληροκοιτεῖν. Quid igitur de Avicenna ſupinum decubitum commendante? Reſpondemus hunc ſitum, panſis intermedio calore renum viis, lapidis deturbationi commodare, nempe ſolò tempore egreſſus calculi; ſicut feſtinus per ſcalas deſcenſus, ac inæqualis

vel equitatio vel vectio, nephriticos juvant, ſæviente exacerbatione, nocent verò extra paroxyſmum. Adjiciunt hic nonnulli ordinarium ſitum in eodem latere ob quem ſerum innatâ gravitate, haud libere ſtillat è rene iſtius lateris in veſicam utpote mediô inter utrumque renem locô naturalirer poſitam, ac proinde reni, quâ parte corpus lateri incumbit, paulò ſublimiorem.

Nephritidos cauſis adjungi etiam debent exercitationes à paſtu; balnea intempeſtiva; vita deſes, ſellularia & umbratica: hinc calculus omnium fere literatorum carnifex eſt, jureque Hippocrates nephriticis quietem interdixit; ventris aſtrictio, ſicut vice versâ alvus lubrica præſervat à calculo; Venus immodeſta renes ſiccans & enervans, ſecus ſi moderata fuerit, calculi materiam liquare poteſt, ac è renibus depellere. Neque obeſt Galeni autoritas negantis renum vitia τῇ μίξει percurari. Hic enim intelligimus non curationem, ſed prophylaxin calculi, per amotionem cauſæ antecedentis; imo ſi calculi minores fuerint, nec aſperi, è renibus, mediante coïtu, dejici queunt; urinæ retentio, quamobrem pueri interpellato ſomno ad faciendam urinam hortandi ſunt, peccantque in calculoſorum commoda qui frequentem ipſis vetant mictionem: nituntur enim tritâ ſed falsâ hypotheſi, calculum fieri per modum exarefactionis, ac idcircò in veſicâ vacuâ quàm plenâ hunc promptius coïre; eôque ſenſu etſi, uti probavimus, minus veriſimili exponunt τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν apud Hippocratem, calculum qui ex urinæ ſubſidentiâ apud veſicam poſt mictionem derelictâ coagulatur. Triſtitia denique quia uberem facit fæculentorum humorum proventum, calculi effectrix eſt; ac ex adverſo Galenus ad hujus prophylaxin iram imperat.

Calculos intra ureteras cogi poſſibile non eſt, quòd materia velocius præterfluat; etſi craſſi lentique humores in teretem pilaremque effigiem illic nonnunquam ducantur, τριχίασιν appellant, ſicut filamenta ejuſmodi mingentes dicuntur τριχιάζειν. Igitur conduntur calculi vel in tubulis renum quibus ſerum perpetim in pelvim depluit, vel in ipſomet renum ſtomacho, etſi ſuperficie conſtet lævi ac æquali, ne materia adhæreſcat atque commoretur; ac uretere ſublimior ſit ad faciliorem ſeri deſcenſum. Priores calculi urinam ex toto non ſiſtunt, quod vix unquam omnes renum fiſtulæ oppleantur; at poſteriores obſtructo ureteris capite lotium plene ſupprimunt.

Calculi dantur rotundi, oblongi, angulati, acuminati, læves, aſperi, hamati, corniculati, aut alius figuræ; hæcque vel fortuitam ac inconſtantem ſequitur materiæ lapideſcentis formam; vel pendet à modo generationis: nam qui granatim ex arenis fiunt, inoleſcuntque, aſperi eſſe ſolent; qui lamellatim, læves: vel variat pro ratione loci cui lapidis materia ſeſe accommodat; eoque pacto ſicut opera figulina ſuum repræſentant proplaſma, ita calculi in renum ſinibus, ad inſtar coralliorum ramuſculis brachiati nonnunquam figurantur. Huc etiam referri poteſt ſalium diverſitas, quorum ſinguli certam appetunt figuram, hancque lapidi quem achitectantur, impertiunt; ſic ſal marinum naturaliter cubicum exiſtit; alumen, octoedron; ſalis nitri cylindracea eſt ſex facierum figura, & ita de aliis.

Calculi præterea vel ſunt friabiles ac ita teneri ut in terram delapſi frangantur, vel ſaxei qui nihil arenoſi ex ſe remittunt, vel unâ parte arenoſi, altera tophacei. Item rubri, albi, flavi, ruffi, nigricantes, ac plerunque cineritii. Colorum autem varietatem affert caloris exurentis gradus, vel potius humiditas quæ terreſtrem materiam cum ſale compaginat; unde renum quia ſanguine præditorum lapides coloratiores ſunt quàm veſicæ; iidemque renes ſi purulenti fuerint, albos congerunt calculos; hinc etiam puerorum quia pituitoſorum calculi albi ſunt atque argilloſi; ſeniorum, quia bilioſorum, flavi & crocei, teſte Aretæo.

Calculi demum vel unus ſunt, vel plures; hi ſi inæquales ſint ἀλληλουχοῦνται interveniente quaſi lithocolla facile in unum colligantur; ſi politi & velut marmorei, manent disjuncti. Calculi renales ſæpe ſæpius multiplices ſunt, ac minores, ob ductuum multitudinem & anguſtiam: at veſicalis calculus plerunque & unicus eſt & major ob cavitatis unitatem atque amplitudinem; item durior, non propter diverſitatem materiæ, eadem enim eſt quæ per renes ad veſicam defertur; ſed quod materia indeſinenter renum canaliculos, & quaſi Euripos tranſcurrat, neque hoſpitetur; intra veſicæ verò εὐρυχωρίαν ceu in ciſternâ colligatur, & aliquandiu moretur, interimque ſalſiores urinæ partes quia graviores veſicæ fundum petant ubi per moram arctiore nectuntur copulâ, unde durities: nam in genere lapides νεοσύστατοι, & ſi dicere liceat Embryonati, cæteris molliores ſunt; vetuſti verò & quaſi adulti, duriores.

Quodque maxime notandum, quia non eſt par ratio corporum inanimatorum & animatorum; hæc nempe è minimâ ſeminis mole juſtam ac determinatam ſtaturam ſenſim attingunt; illis verò nulli quantitatis limites in naſcendo atque augeſcendo præfiniti fuere. Ita quoque pro copiâ materiæ ad laqidem idoneæ ac virtutis lapidificæ ἐνεργείᾳ, lapides mox ab ovo majores minoreſve indiſtincte efficiuntur, ſemelque geniti ad majus minuſve incrementum novarum partium juxta poſitione indefinite perveniunt.

Diognωſis.

Placuit Galeno haud ſolum in calculorum ἐξόδῳ, ſed in ipſorum quoque γενέσει acerrimos dolores, cieri ab igneo ſcilicet calore cujus vi lapidem conflari cenſet ac perfici. Alii verò non modo calculi generationem, at ejuſdem quoque jam geniti è renum ſubſtantiâ, ut in pelvim tranſplantetur, eradicationem indolentem eſſe affirmant. Unâ diſtinctione componetur diſcordia; ſi lapis occupet renis parenchyma ſub quo caruncularum quoque papillares comprehendimus, expers erit doloris; ſi membranoſos repleat ureteris ſurculos per renem diſperſos, & qui in carunculas papillares ad ſeroſitatem ebibendam deſinunt, dolor tunc exurget, & quidem exinde acerbior quod renes ob ſubſtantiæ firmitatem non cedant tenſioni.

Calculus igitur intra renem concretus, & ad

cunei

cunei modum infoſſus, dum emovetur in pelvim, locum cui implantabatur, interdum cum doloris ſenſu, ſæpius verò indolenter dilacerans, ſanguinem prolicit in urinâ conſpicuum; deinde ſi exiguus ſit, per ureterem volvitur in veſicam cum inſano dolore, præſertim juxta anguſtum & obliquum ureteris ſinum veſicam ſubeuntis; ſi grandiuſculus aſperve extiterit, in mediâ hæret viâ tanquam in vado, vel ut ita dicam ἀγκυροβολεῖται ſtat quaſi ad ancoras: Etſi enim ureteris (præterquam dum veſicam ſinuoſè ingreditur) capacitas naturaliter æqualis ſit, hujuſque priorem ac ſuperiorem partem calculus jam permeaverit, non datur tamen ulterius progredi, alterâ ac inferiore ureteris parte, quâ calculus pergere deberet, conſtrictâ; ſeu quod præ dolore quodammodo convallatur; ſeu quod hoſtem infenſiſſimum retrò in antrum è quo recens prorupit, tentet retrudere. Hincque fit ut ureter lapide obturatus lotii à tergo incumbentis repulſamque patientis onere gravetur, ac præſertim a tendente pungenteque calculo atrociſſimi moveantur cruciatus, iique totum aquæductum à renibus ad veſicam obſidentes. Tandem ſi lapis major fuerit quam ut ureteris caput introire queat, ſeſſitat ἐν τῷ κύτει renis, doloremque parit gravatorium & obtuſum tempore ἀλγημονῆς, ingentem & acutum tempore διεξόδῳ; dum nempe renes ſui nimiùm diligentes, grandioris calculi amolitionem temerario niſu aggrediuntur, huncque ureteris faucibus fruſtra impingunt. Prior dolor videlicet gravatorius pendet à pluribus cauſis, putà à calculo ſubſtratum muſculum premente, ab urinâ ſuppreſſâ, à plenitudine ſanguinis & humorum in partem afflictam confluentium. Nec tantum particulæ circunſcriptæ, ſed ren ipſe gravitate occupatur, oppreſſâ à lapidis contenti pondere cùm membranâ renem obvolvente, tùm ipſâmet renis ſubſtantiâ; aliquam enim ſentiendi virtutem ab externis nervulis, modico carnis ejus intervallo communicari autor eſt Galenus. Poſterior dolor qui inſtar pali impacti acutus eſt, ſua habet ſilentia ac reverticula, ſcilicet, quandiu renes labore defecti conquieſcunt, ceſſat, ſed malâ fide; ſoporatus enim improviſò recrudeſcit

Parva fit ardoris violenti pauſa parumper:
Inde redit rabies eadem, & furor ille reviſit:

ſive quòd renes quiete recreati pugnam iterum committant, ſive quòd otioſus calculus exſtimuletur à cauſis externis internive, vel per ſe, vel per conſenſum, verbi causâ ventriculi male affecti: quemadmodum enim ventriculus laborantibus renibus conſentit, ſic renes ægrotanti ventriculo compatiuntur. Dolor iſte nephriticus non ut is quem deſtillatio peperit, externarum partium preſſu admodum manifeſtatur, ſed totus eſt internus, niſi inflammatione forſitan fuerit ſtipatus. Nec infeſtat ſolummodò τοὺς κενεῶνας, hoc eſt inanitatem illam quæ extremam è mendoſis coſtis, & os ilium interiacet: unde ſpina dorſi vix inflecti poteſt; ſed latiùs nonnunquam exporrigitur, nimirum & ſuperne ad illegitimas coſtas, ita ut πολλοῖσι ἀπάτην πόνος ὡς ἀπὸ πλευρίτιδος, inquit Aretæus, multos pleuritidis opinione deluſerit; & inferne ad teſtem e regione ſitum, qui tumefactâ ac decurtatâ, ob vicini renis φλόγωσιν, venâ ſpermaticâ, ſurſum quaſi retrahi videtur. Obſervant etiam nonnulli à ſanguinis ac ſpirituum ad renes dolentes appulſu, virilia tentigine affici; quod tamen ſymptoma, ut infra dicetur, veſicali calculo magis proprium eſt. Dolor præterea invaleſcit adverſo decubitu quò calculus in ureterem delabitur; altero autem ſitu dolor extenuatur atque diluitur, per quem calculus recedit ab uretere. Exacuitur denique ſumpto cibo, alvo ſuppreſſâ, ac inteſtinis flatu turgidis ob compreſſionem; at inediâ, dejectione, flatuumque eruptione nonnihil miteſcit. Dolor iſte nephriticus adeo immanis eſt ut de Stoicorum ἀπαθείᾳ quandoque triumphaverit. Sic Heracleotes Dionyſius cum à Zenone fortis eſſe didiciſſet, à dolore deductus eſt, nam cum ex renibus laboraret, in ipſo ejulatu clamitabat falſa eſſe quæ de dolore ipſe ſenſiſſet. Attamen non eſt prætereundum renes aſſuetos in excernendis arenulis minus cruciari quàm inaſſuetos, quòd crebris quaſi parturitionibus ureteres dilatentur, ita ut interdum pollicis æquent craſſitudinem. Atque hæc de dolore: cætera nephritidos ſigna percurramus.

Ventriculus tantâ perturbatur ἀνατροπῇ ut omnem averſetur cibum, huncque ingeſtum confeſtim eructet, ex ſympathia ac germanitate ventriculi cum renibus; ſeu ob peritonæi quò utraque hæc pars vallatur communionem, ut lubet Galeno; ſeu quod renes per dolorem diſtenti fundum ventriculi ſurſum evehant, ut vult autor libri de renum affectibus; ſeu potius ob nervi ſextæ conjugationis participationem, quâ fœderatæ iſtæ partes alternis tanguntur damnis. Neque cibi tantùm; ſed & excrementa in nephritide evomuntur, primùm quidem pituitoſa ex ventre imbecilliore atque crudiore (non verò quod putata calculi materia remeet è renibus ad ventriculum) mox biliosa è jecore & venis. Commotis enim humoribus illi maxime ejiciuntur, qui tenuitate ſuâ ſequaciores ſunt; dolorisque vehementiâ, cibi abſtinentiâ, & ſomni vacuitate, corruptus ſanguis in bilem facillime vertitur, primò flavam, ac poſtmodùm viridem & æruginoſam, quam tamen non à ſanguinis, ſed à ciborum in ventre corruptelâ progigni alii opinantur. Iſte porro vomitus juvandus eſt non compeſcendus, quoniam tantundem cacochymiæ detrahitur, & ſublatâ plenitudine renes minus premuntur: quâ de causâ Hippocrates nephriticos, ſi juvenes fuerint, prudenter ἐκκαθαίρειν; adde quòd vomitus etſi vi ſuâ ſurſum revellat, concuſſo tamen & exagitato calculo, hujus delapſum per accidens machinetur.

Nephriticis quoque crus ſtupet è directo (quod ſignum renum inflammationi atque ſcirrho, non ſoli calculo convenit) νάρκη τοῦ μηροῦ κατ' ἴξιν, inquit Hippocrates, modò nempe lapis tantæ ſit molis, tantique ponderis ut comprimat vel muſculum pſoam renibus ſubditum, vel nervum qui è lumbis in cruris muſculos inſeritur; quanquam Galenus eos ſugillet ceu diſſecandorum corporum imperitos qui crurum cum renibus per nervos conſenſum admittunt; ipſe verò hunc mediis venis & arteriis fieri mavult; ac diſtinctiùs libro de renum affectibus ſcripſit, venam ad crura perrepantem à renali lapide arctari, arctatam intumeſcere, tumefactam

propinquos nervos anguſtare; quâ ratione Hippocrates in fragmento de morbis virginum, à ſanguine è coxis atque femoribus in tibias ac pedes depreſſo, torporem induci affirmat: quæ tamen ſententia difficultate non caret, cum membra plethorica citra ſtuporem graventur, ac tabidis (quamvis ſint ferme λείφαιμοι ſive ſanguinis inanes) nephritide affectis, crus ſtupeſcat.

Urina quandoque non prorſus commeat, tametſi alteruter duntaxat è renibus laboret calculatione, ut loquitur Aurelianus, quòd propter ἀδελφιξίαν ſeu fraternam neceſſitudinem ren ſaucius langueat ac marceſcat. Dolor renum repente obortus cum urinâ ſuppreſſâ, lapillos aut craſſam urinam oſtendit, inquit Hippocrates. Si autem ituræ urinæ calculus iter non præpediat, ea vel tenuis fluit, ſeu propter obſtructionem, quâ craſſioribus urinæ partibus non datur transfluere, ſeu propter renum calorem ſerum præpropere & antequam coctum fuerit, trahentium: vel turbida mingitur à mixtione craſſorum humorum: vel cruenta, renibus ab anguloſo calculo attritis, præſertim in vehentibus curru equove ſuccuſſore: vel expers ſabuli, utpote calculo agglutinati: vel ſabuloſa, arenis aut vi torrentis urinæ raptis, aut facultatis expultricis robore propulſis, hiſque duris ac rubris, nempe renum ſubſtantiam & colorem referentibus. Nec tantum è renis cavo, ſed ex ejuſdem quoque corpore, illas prodire indubium eſt: nam ſi natura, corpora extranea, eaque non exigua, ut ſpicula ac pileas plumbeas carni inditas ad cutem extimam è profundo interdum extrudit, quantò facilius è cuniculoſo renum parenchymate, in eorum pelvim minutulas tramittet arenulas?

Notandum autem lithanicorum ſabulonem non exacte urinæ admiſceri, ſed illicò ſubſidere, nec attritu ita facile comminui: ſecus enim tenuiſſimas arenulas ſabulo quô κλέψαμμοι ſeu horologia arenaria hodie implentur ferme ſimiles, omni generi hominum abſque calculi σημείωσι ſuetum eſt emittere, & ſanorum jecore ferventium, & ægrorum ardenter febricitantium ob humores in venis ac hepate tanquam uſtrinâ cinefactos; quomodo Hippocrates meminit menſtruorum diu occultatorum, quæ poſtmodum arenæ ſimilia apparent, & alibi arenularum generationem ad calorem magnæ venæ retulit: etſi permulti eo loco συνεκδοχικῶς renum regionem intelligant, nam quibus calet magna vena, iis lumbi exæſtuant, ac juxta communem loquendi modum, renes ardent.

Ejuſmodi arenulæ è venoſo genere per medios renes ad veſicam provolutæ lotio accurate commiſcentur, raroque imum petunt, quin potius urinæ ad modum pulviſculi perſæpe innatant, ac digitis compreſſæ facillime diffringuntur; Hippocrates μικρὴν ἄχνην appellat, prætenuem lanuginem inſtar acus, id eſt leviſſimi leguminum purgamenti quod ventilabris excutitur.

Denique notandum eſt è ſignis commemoratis nullum revera eſſe pathognomonicum, imo nec è ſignorum συνδρομῇ quidpiam certi decerni poſſe, ſed dubium ſemper relinqui, an arena, an lapis, an phlegma viſcoſum, an grumus ſanguinis, an pus craſſum, dolorem nephriticum provocet. Imo à flatibus quoque ureteris ductum ſubeuntibus ac diſtendentibus, dolores nephritici aliquando concitantur.

Nephriticus dolor colico quam ſimillimus eſt: hic quidem ſi vagus fuerit, aut per ventrem circunquaque extenſus, aliamve abdominis regionem quàm lumbarem adoriatur, ne quidem lippis ac tonſoribus pro nephriticô haberi poteſt. Verùm ſi fixus ſit, & anguſto loco nempe inteſtinis juxta renes ac ureteras poſitis circumſcriptus, nephritici ſpecie illudit. Nam ex Hippocrate rerum ſimilitudines aciem etiam aquilinam fallunt; ac ipſemet Galenus cum egregium velut terebræ perforantis dolorem in intimo ventre juxta ureterum regionem perſentiret falsâ calculi in renem impacti opinione deceptus fuit, donec injecto oleo rutaceo, moxque excretâ per alvum vitreâ pituitâ, dolor deſiiſſet. Signa proinde utriuſque hujus doloris colici videlicet ac nephritici διαγνωστικῶς exacte tradenda ſunt. 1° igitur dolor colicus pro coli poſitione aſcendere potius videtur, nephriticus deſcendere ſecundum ureterum ductum. 2° ille ſaturitate ſtatim ægreſcit, arctato inteſtino à plenitudine ventriculi; jejunio miteſcit: hic verò aliquot horis poſt paſtum præcipue exacuitur; quoniam inteſtina à delabente poſt coctionem cibo tumida, renes jam per ſe vexatos comprimunt, tantùm abeſt ut factâ alimenti diſtributione, dolor nephriticus demulceatur, ac repleta cibo inteſtina renes ſuſtentent, ut fingunt nonnulli. 3° Colicus dolor ſupernis inferniſque vacuationibus ſeu naturalibus ſeu artificialibus, vel mitigatur, vel prorſus deſinit; ni forſitan ejus materia geminis inteſtinorum tunicis involuta fuerit ac intricata: Nephriticus paululùm quidem concedit, quod depletis inteſtinis non ita coarctentur renes, verùm minus quàm colicus, conſtante lapidis ſtimulo. 4° Colico dolori aſſociatur vomitus, ſed non bilioſus & æruginoſus poſt pituitoſum ut in nephritico. 5° ob inteſtinorum cum ventriculo continuitatem, nauſea, vomitus, cibi faſtidium, dyſpepſia, ſimiliaque ſymptomata in colico dolore magis vigent: In nephritico autem propter renum cum lumbis connexionem, ὀσφυαλγία ac corporis flectendi erigendique impotentia magis urgent; crus etiam torpet è directo, quod alienum eſt à colico cruciatu. 6° per colicos dolores, fæces & quandoque etiam flatus reſtitant; per nephriticos, urina aut tenetur, aut vitioſa, uti diximus, emingitur. Denique laxatis viis per fotus & cataplaſmata, nephriticus dolor multùm remittit; colicus tantillùm quidem lenteſcit, ſed illicò invaleſcit, diffuſis à calore humoribus, adauctoque flatuum proventu, ex Aetio.

Porro omittendum non eſt, nephritico dolori colicum eumque utplurimùm à bile ſolere complicari, ſanguine enim, ſicut dictum fuit, bileſcente, tantilla quidem genitæ bilis portio vomitu rejicitur, dum altera eaque potior in inteſtinis ſupereſt, ubi colicam, ut aiunt, bilioſam commovet.

Prognoſis.

Mulieres dictis ſuperiùs de cauſis non modò rarò ſentiunt renalem calculum, ſed hunc quoque cum moleſtiâ minus intolerabili in veſi-

cam depellunt, ob ureteras latiores, rectiores & breviores quàm in viris.

Arthritici vix effugiunt nephritidem; ſunt namque hæ paſſiones conſanguineæ & collactaneæ, hoc eſt iiſdem oriundæ parentibus, eodemque pabulo connutritæ. Quamobrem facete ludebat calculoſus Eraſmus, ſcribens ad amicum arthriticum, ſe affines eſſe, ſcilicet ambarum ſororum, arthritidis & nephritidis maritos, ac perſæpe alterum abſque adulterii ſuſpicione, ad alterius uxorem accedere.

Grandior renum calculus quàm ut tubos ὀρηλκὺς pertranſire queat, τῷ ἀνθρώπῳ ζυναποθνήσκει, neque enim ut cyſtotomiæ, ſic nephrotomiæ tuta eſt adminiſtratio. Hippocrates quidem libro de internis affectionibus, ſi quando calculo renali aſtantium muſculorum abſceſſus supervenerit, hujus probat apertionem, quâ pus collectum eliciatur, at minime renem ſecat, τέμνειν, inquit, non ipſummet renem, ſed κατὰ τὸν νεφρὸν regionem reni proximam; nec proinde renum arenulas vulnere educit eò loci Hippocrates, ſed poſt puris per vulnus evacuationem, renes glareis ſcrupiſve differtos pharmaco diuretico euerrit, extergetque.

Puſillus lapis in quâcunque ætate etiam ſenili poteſt foras abjici. Verum de lapidoſâ diſpoſitione aphoriſmus legitur immotæ viritatis: Nephritica mala in ſenibus difficulter conſanantur: quin potius ætatis flexu augmentum capiunt, ita ut ſupra quinquageſimum annum, horum curatio Hippocrati fuerit inviſa. Nec obeſt Galeni autoritas in numerum morborum ſenectute curabilium nephritidas referentis; renum namque phlegmonas intelligit per ſenectutem elangueſcentes, minime autem calculoſas conſtitutiones, quas tamen in ipſis quoque ſenibus ſanabiles eſſe nonnulli pro certo affirmant, factâ μεζαπλώσει in affectus congeneres, ac potiſſimum in podagram. Verâ igitur nimiumque infœlici experientiâ ſic de ſe ipſo in Epiſtolâ quadam ſcribebat Eraſmus, fœminæ ſterileſcunt ætate, me ſenectus reddit fœcundiorem; aut enim concipio, aut pario, aut parturio, ſed partus eſt viperinus, & vereor ne quando parentem interimat. Certe ſemel atque iterum gravi periculo ſum enixus, quod ſi parùm favente Junone, & Lucinâ niti cœpero, vixerit Eraſmus. *Nam ex Aretæo*, ſi utrumque renem calculi obſtruant, interclusâ urinâ, diſtentiſque locis, intra paucos dies ægri moriuntur.

Calculoſâ ſtirpe ſatus, paternæ crucis exors reddi nequit; deſunt enim μηχανήματα quibus ruinoſum corpus ac male materiatum inſtaurari valeat atque reformari: quare Aretæus, λίθων, inquit, ἐμφυῆ γένναν, calculorum fœcundam progeniem nemini datum eſt ſterilem efficere; uterusque ἔγκυος facilius à conceptu, quam renes ſaxipari a fœturâ lapideâ prohiberentur.

Ulcus, calculi inæqualis affrictu, renibus illatum (quod ex urinâ purulentâ ſanguinolentam excipiente dignoſcitur) nullam ſalutis ſpem relinquit, propter αὐτένδεξιν; calculus enim acria, ulcus conſolidantia expoſtulat; recteque Aretæus: Renum ulcera à calculis inducta omnem reſpuunt curationem, citâque colliquatione mortifera ſunt.

In genere cur renum affectus ſint δυσίατοι, cauſam retulit Ariſtoteles ad partium affectarum multitudinem; ſcilicet quod ren in hominibus non ſit unica particula, ſed inſtar renum bubulorum ex pluribus parvuliſque renibus conſtruatur. Ariſtoteli videntur impoſuiſſe carunculæ papillares, quas pro diſtinctis renibus habuit; quinimo poſitâ tali renum multiplicitate, haud tamen vis cauſæ morbificæ, nec proinde morbi magnitudo exinde intenditur. Quapropter dicamus renum morbos in univerſum eſſe obduratæ pertinaciæ, quod ſeri acrimoniâ indeſinenter vellicentur, unde ἀνέλκωσις ſeu redulceratio; deinde quod renes in perenni actione verſentur, ſanatio verò quietem exoptet. *Antonius Meniotius Diſſertationum Pathologicarum Parte 2.*

Curationes.

Quamquam Nephriticus dolor plerumque à calculo ſit, poteſt tamen ab aliis cauſis inferri, & quidem à cruda viſcoſaque materia, flatibus permiſta, ab inflammatione, aliove tumore, ulcere, vermibus.

A crudis, craſſiſque humoribus inductus in Renibus dolor, erit gravans, muccoſa in urinis apparebunt (ni tamen ex Gonorrhœa virulenta proveniant) urinæ ipſæ decolores, aut craſſæ cum inutili ſedimento, quod etiam aliquando pilorum, aut capillorum figuram referet; ſi verò unà flatus conjungantur, dolor per intervalla redibit. Solent tamen interdum talem; ac tantam pati obſtructionem Renes eorumque glandulæ, aut arteriæ emulgentes, ut præter gravantis doloris ſenſum cum quadam inflatione, urinarium ſerum nequeant ſecernere, & in ureteres, ac Veſicam deponere; unde Urina vel omninò ſupprimitur, vel difficulter, & guttatim redditur; quin & cum remeante ſanguine commiſta, plurima alia damna parit, quorum mentio fit apud Schenchium, & apud Marcellum Donatum. Obſervatum inſuper urinam ante ſeptimum diem non excretam mortem afferre, etiam ſi deinde reddatur. Quamquam Tulpius ad undecimum diem proroget. Mavult autem Willifius diureſim minutam & debito parciorem ſæpenumerò à ſanguinis compage nimis ſtricta, & velut obſerata pendere, adeout laticem aquoſum intimè permiſtum è ſinu ſuo ægre dimittat: quod etiam notavit Sylvius *Append. tract. 5. §. 294.*

Ab Inflammatione dolor erit vehemens, & continuus, gravis aut pulſans, impedietque tùm motum, tùm corporis erectionem, imò ex tuſſi, ſternutamento, ventris compreſſione, aut alia quacumque motione acutiſſimè exaſperatur; ſenſus ardoris, & quidem ingentis juxta lumbos, ſupra jecur, vel ſub liene percipitur: ſtupet etiam crus è regione, cum extremorum frigore: urina difficulter redditur, licèt crebrò micturiat æger, & ſæpiùs levandæ veſicæ gratiâ aſſurgat: tenuis in principio illa erit, mox rubens, & acris: alvus aſtringitur compreſſo colo: venter inflatur, ac tumet, eâ præſertim parte, quæ reni affecto reſponderit: Febris tandem adjungitur acuta, cum ſiti, lingua ſcabra, nauſea, vomitu, inquietudine, vigiliis. Multa verò ex hiis deerunt, ſi tumeant ſolùm Renes citra inflammationem, aut ex ſola obſtructione, potiſſimùm in canaliculis illis à Malpighio, & Bellino memoratis.

Ab

Ab ulcere, urina erit cruenta, mox etiam purulenta, cum mingendi difficultate, præter dolorem alterutrum ex renibus occupantem Malo autem in longum protracto Tabes ſuccedere ſolet.

A vermibus denique, ſi ſimul cum urina purulenta illi comparent ſimiles iis, quos in caſeo veteri, & rancido obſervare eſt; licet & grandiores excreti viſi ſint.

Cùm crudi, craſſique ſucci Renes occupaverint, medicamenta illa ſalutaria erunt, quæ attenuandi, diſſolvendique vim habent, atque in vias urinæ deducendi, qualia ſunt tartarum vitriolatum, ſal tartari, abſinthii, & corticum fabarum, nitrum fixum, ſal prunellæ, elixir proprietatis, & ſimilia, adjectis quoque diſcutientibus, atque ſubducta alvo pilulis aloëticis, tartareis, Rufi. Quòd ſi urinarium ſerum per Renes minimè ſecernatur, præter alia diuretica, ſummè proderit ſal volatile urinæ, ejuſque vice ſpiritus ſalis ammoniaci illi analogus in aqua baccarum juniperi, aliòve liquore. Sudorifica locum habebunt, ut aliò ſerum prædictum diſtrahant, ac per cutim educant, ſuaque vi diaphoretica materiam urinæ extenuent, & ductus amplificent. Cæterùm ſpiritus nitri, vel ſalis marini, & ſal volatile quodvis utilia ſunt, vitatis intereà iis, quæ urinam cumulare poſſunt, ac præſertim potu.

Ad inflammationem Renum conferent illa eadem, quæ adverſus cæteras inflammationes internas memorata ſunt, potiſſimùm verò ſanguis hirci, pulvis glycyrrhizæ, ſemina cardui, ſuccus cichorii ſylveſtris, raſura eboris, ſperma Ceti, C. C. Macis, ſal prunellæ, cum ſaturno fixus redditus magnoperè etiam commendatur, itemque ſaccharum ſaturni, tinctura roſarum, & violarum è ſpiritu ſalis, extractum florum hyperici, & papaverum rubrorum, eorumque ſalia. Arcanum inquit eſſe Hartmannus ſuccum Aſtacorum, ſeu cancrorum fluviatilium crudum, ſcilicet ex ipſis contuſis expreſſum, & aliquo juſculo, vel decocto prunorum aſſumptum ſemel, aut bis ad cochleare unum.

Si verò citra inflammationem obſtructi ſolùm videantur renum ductus, præſtabit tartarum Vitriolatum, ſal tartari prunellæ, ſal elicitum ex calculo humano, & alia ſuperiùs relata.

Si inflammationem ſuppuratio ſequatur, atque puris per urinam excretio, ſignum erit evidens rupti apoſtematis. Detergendum autem ilud primò erit, deinceps verò conſolidandum. Proderunt propterea decocta vulneraria cum balſamo ſulphuris; terebinthi; vel ſucc. Pleriſque eſt in uſu Terebinthina ipſa vel lota, vel cum vitello ovi diſſoluta, vel ut Hofmanno placet, commiſta cum oculis cancri & floribus hyperici. Aqua hederæ terreſtris cum ſyrupo de ſymphyto Fernelii conducibilis etiam dicitur.

Ferè communiter lac commendant; ſed ambiguus exindè ſperatur eventus; quamobrem multa in ejus uſu exquirit Horſtius; & alii vel candente chalybe exuſtum, vel cum herbis vulnerariis incoctum exhibendum volunt.

Magnifit Hartmanno Mercurius dulcis bis vel ter in hebdomade exhibitus, ejuſque ſpiritus ab eodem deſcriptus: hujus enim guttæ duæ vel tres quotidiè ſemel atque iterum in aqua radicum nymphææ, equiſeti, plantaginis exhibitæ mirabiliter operari feruntur. At Angelus Sala Mercurio vitæ ad grana aliquot utitur, eoque nephriticos dolores citò ſe debellaſſe confitetur. Conſolidationem verò ulceris tempeſtivè abſolvi conditurâ roſarum, cum ſubdupla quantitate ſeminum hyperici ſub veſperam per aliquot dies ſumptâ idem Hartmannus affirmat. Atqui uſu medicamentorum Mercurialium nonnunquam curatum quendam vidimus diù Renis ulcere conflictatum. Cætera quæ his auxiliari creduntur bolus armenia, corallium, conſolida, & varii generis trochiſci plerumque inutilia ſunt.

Hæc eadem medicamenta Mercurialia unicè conferent in dolore à Vermibus inducto, præter alia adverſus lumbricos ſuperiùs recenſita. *Lucas Tozzi Medicinæ Practica lib. 2.*

Nephritidis ſigna ſunt nauſea, vomitus, lumborum dolor fixus, ſtupor cruris lateris affecti,

Intentiones ſunt, ut viæ urinariæ lubricæ reddantur, calculi expellantur, & dolor ſedetur.

Primò injiciatur clyſter ſequens.

℞. Herbar. chamæmel. parietar. melilot. ſanicul. an. m. i. flor. ſambuc. hyperic. an. p. iii. ſem. malv. ℥ii. ſa nigr. ℥ß. ſem. alkekeng. & mil. ſol. an. ℥iiß. fiat omnium decoctio & colatura ad ℔ i. in qua diſſolv. Elect. lenitiv. ℥i. bened. laxat. ℥ß. ol. viol. ſcorpion. an. ℥i. tereb. Venet. in ov. vitel. ſolut. ℥ß. mſ. f. Clyſter.

Si dolor non ceſſet, repeti poteſt Clyſter cum additione aliquot gr. Laudan. ſi dolor urgeat; vel præparari poteſt ſemicupium cum malv. viol. parietar. hyperic. chamæmel. & plurimis rapis conciſis, quo utatur iteratò pro ratione doloris, atque in eo moretur ad horam unam ad minus quâvis vice; quò diutiùs, eò meliùs.

Si perſeveret dolor, & adſit plethora vel inflammatio, mittatur ſang. è brachio.

Pro potu ordinar. bibat. liquor. ſeq.

℞. Rad. alth. ℥iv. rad. glycyrrhiz. Hiſp. ℥ii. rad. ſymphyt. mai. ſiccat. calieul. nenuphar. ſemin. plen. an. ℥i. lign. abiet. reſinoſ. tec. ℥iiß. gumm. Arab. ʒv. gumm. prun. & ceraſor an. ʒv. ſacchar. albiſſ. duplex pondus omnium; ſem. coriand. ʒxii. f. omnium pulv. ſubtil. ſervand. in pyxid. ad uſum.

℞. Hujus pulv. ℥ii. cereviſ. nonlupulat. calefact. quart. duas, trajic. ſæpiùs per manicam ſuper pulv. horâ unâ ante paſtum. Citra calefactionem cereviſiæ poterit pulvis indi lagen. lapid. probé obturat. repon. loco ſubterran. unde deprom. pro potu ordinar.

Quod ad victum pertinet, cibi ſint euchymi; ſalſa, piperata. acria, vaporoſa, vina generoſa vitentur. Motus ſit moderatus. Veneri parcè litandum. Vitentur animi pathemata violentiora.

℞. Pulvis glycyrrhiz. rad. alth. ſymp. maj. an. ℥ß. rad. petroſelin. ſaxifrag. bulboſ. oſſ. meſpil. ocul. cancr. præp. mandib. lucii. vir. aur. lap. Tiburon. an. ʒiii. ſem. alkekeng. mil. ſol. bardan. an. ʒiiß. gumm. Arab. prunor. ceraſor. tragacanth. an. ʒii. lap. prunel. ʒvi. Mſ. f. Pulv.

aut

aut cum conſerv. flor. mal. vulg. & roſeæ an. ℥ii. medull. ſem. melon. rec. ℥i. & ſyrup. de alth. q. ſ. f. Electuarium. Doſ. pulveris à ʒi. ad ʒii. ex vino albo mane hor. 4 ante prandium. Doſis electuarii quantit. jugland. mane per menſem integrum, ſuperbibendo hauſtum vin. alb. aut aquæ parietar.

℞. Axung. cuniculi circa renes collect. levi calore liquat. in aq. parietar. ad albed. lot. & cum pulv. glycyrrhiz. & ſacch. cryſtal. an. ʒß. ſubactæ in formam Boli, & ſuperbibatur hauſtus vin. Rhenan. ſaccharat. vel medicati additione ℥i. ſyrup. de alth. Sæpiùs cum felici ſucceſſu exhibui.

N. B. Hoc remedium ex tempore præparandum, ideo axungia hyeme collecta ſervetur ſeorſim ſub aqua parietariæ. Efficacius autem erit remedium hac formâ.

℞. Axung. dict. ℥iii. ol. amygd. dulc. rec. vel butyr. recent. inſul. pulv. rad. alth. condit. ſacch. cand. an. ℥i. ſucc. glycyrrhiz. Hiſp. non combuſt. gumm. Arab. an. ʒß. mſ. Doſis ʒii. vel ʒiii.

Vel ℞. Hujus balſ. ʒii. lap. prunel. ℈i. ʒß. ℈ii. mſ. f. Bolus.

Multum proderit Vinum diureticum ſequens.

℞. Lign. nephrit. ℥ß. rad. eryng. gramin. petroſel. fœnic. rub. tinct. an. ℥i. fol. virg. aur. beton. xifrag. utriuſque rut. murar. ſicc. an. ʒvi. flor. viol. malv. an. p. ii. ſem. paliur. ſpatul. fœtid. an. ʒiii. alkekeng. mil. ſol. nucleor. meſpil. contuſ. an. ʒiii. ciner. albiſſ. junip. totius ℥ß. Inciſ. & contuſ. includantur ſacculo lineo qui imbibatur. q. ſ. vin. Rhenan. dein affunde ejuſdem vini ℔ii. infund. per hor. 24. Coletur ſuper cinamom. inter. ℥ß. ſacch. cand. aut violac. ℥ii. pro iv. doſ. matutinis, ſuperambulando, longè à paſtu.

Foveatur latus dolens emollientibus lact. & aq. an. part. æq. incoctis, & mox liniatur ol. ſcorpion. & axungiâ cuniculi.

Pro diuretico fortiori præſcribatur medicamentum ſequens.

℞. Succ. raphan. cum ſacch. and. ſtratificat. per reſolutionem extract. aq. diuret. ſequent. an. ℥ii. ſyr. nephrocathartic. ſequentis ℥i. Mſ. f. potio in ſemicupio ſumenda.

Aqua diuretica talis eſt.

℞. Rad. bardan. ſcolym. eryng. petroſelin. an. ℥iv. fol. argentin. beton. virg. aur. auricul. lepor. ſaxifrag. an. m. iß. flor. geniſt. utriuſque an. p. iv. ſem. ſpatul. fœtid. mil. ſol. an. ℥ii. nucl. meſpil. ℥iii. bacc. junip. ℥iiß. ſuccor. parietar. raphan. limon. bacc. alkekeng. an. ℔ii. vin. Rhenan. ℔xii. Macerentur per quatriduum, dein diſti. in M. B. primò dein in cineribus citra empyreuma ad ſiccitatem. Magma calcinetur ad albedinem, atque ſuper cineribus in manica trajiciatur quinquies aut ſexies liquor ſtillatitius, & recondatur ad uſum.

Syrupus noſter nephro catharticus talis eſt.

℞. Succ. depurat. bacc. alkekeng. & limon. an. ℔j. liquor. è raphan. ſucc. parietar. an. ℔ß. ſacch. albiſſ. ℔iß. trochiſcor. de nitr. (quem lapidem prunellæ appellant) ℥iii. Mſ. & exactè in vaſe argenteo f. ſyrupus, qui reddi poterit acidulus uſûs tempore ad gratiam cum ſp. vitrioli aut ſulphuris.

Nota, Quæ poſtea præſcribuntur ad calculum veſicæ, hic etiam locum habent; quare caput illud conſulatur.

De Inflammatione & Vlcere Renum Vnde etiam dolores enaſcuntur Nephriticis aliis affines.

In Renum inflammatione largâ manu mittendus ſanguis, ne phlegmon inde naſcatur; & demum ulcus superveniat.

Quodſi vel hinc, vel à calculo, vel ab alia cauſa, ulcus in renibus fiat, ſequenti modo eidem occurendum.

Ulcus detergendum, carne opplendum & ad cicatricem perducendum. Ut hæc fiant, ſuperflua quævis arte per idoneos ductus ſunt evacuanda, & cauſæ morbificæ a partibus nobilioribus ad ignobiliores deducendæ. Vires item ſunt reficiendæ. Renes autem adulari debent, & blande lenientibus tractari.

Victus ſit refrigerans & humectans, abſtineat à ſalſis, piperatis, acribus, aromaticis, acidis, vaporoſis, lacticiniis, piſcibus, craſſis eduliis, lapidoſis fructibus, aliiſque quæ vel humores inflammabiles reddant, vel concretionum occaſiones ſubminiſtrent vel foveant. Veſcatur cibis euchymis, carnibus junioribus, elixis potiùs quàm aſſis, juſculis alteratis boragine, bugloſſo, endiviâ, lactuca, chærefol. capparibus; ouis ſorbilibus, pomis coctis, prunis, amygdalis. Panis ſit albus bene fermentatus, vinum oligophorum dilutum. Vitentur Aëris inclementia, & negotia ſeria. Exercitium moderatum ſit non violentum, ne fiat inflammatio. Abſtineat à Venere. Somnus & vigiliæ ſint moderati. Ab animi pathematibus violentioribus cavendum. Alvus teneatur leniter ſoluta.

Frequenter injiciatur Clyſter hujuſmodi.

℞. Fol. malv. alth. viol. parietar. atripl. ſenecion. an. m. j. agrimon. m. iß. flor. chamæm. melilot. an. p. j. flor. nenuph. p. ii. ſem. melon. alkekeng. an. ℥ß. Coq. in aq. font. q. ſ. Colaturæ ℔i. adde elect. lenitiv. ℥iß. mel. violac. ſacch. alb. an. ℥ii. butyr. ℥iii. Mſ. f. Clyſter.

Addi poſſunt rap. domeſtic. numero 1. bulb. lil. alb. m. j. præcipuè ſi ſit ſuſcipio calculi.

Mane ſequenti purgetur potione ex fol. ſen. crem. tart. &c. in aq. hord. factâ, addendo ſyrup. aliquem magiſtralem purgantem. Repetatur purgatio ſemel intra octiduum.

Purgatio fieri poteſt tali bolo.

℞. Caſſ. fiſtul. rec. ʒvi. diaphœn. ʒiß. tereb. Venet. aq. parietar. lot. j. gumm. ceraſ. glycyrrhiz. pulv. an. ʒß. Mſ. f. Bolus ſemel in ſeptimana. ſumendus è cochl. j. ſyrup. de alth. Aut quoque cum. diaprum. ſimplicis ʒiii. & mercurii dulc. ℈ß.

Vel. ℞. Caſſ. fiſtul. rec. ʒvii. rhabarb. ſubtiliſſ. pulv. ʒi. terebinth. Venet. aq. parietar. & melilot. ad albed. lot. ℈iv. gumm. Arab. ℈i. Mſ. f. Bolus.

Juſculum fiat ex pullo gallinaceo exenterato & farcto rad. gramin. petroſelin. ſummitat. aſparag. cicer. rub. cappar. ſem. melon. contuſ-

&

& elixetur cum fruſto carnis vitulin. addendo circa finem borag. bugloſſ. oxylap. portulac. &c. In quaque doſi diſſolve crem. tart. ʒi. Sumatur mane per 4. dies.

Diagridiata mihi ſunt ſuſpecta, quia nimis violenta.

Ad ulcus renum detergendum & arenulas (ſi adſint) educendas paretur decoctum ſequens per xii. aut xvi. dies uſurpandum.

℞. Rad. chin. ℥iß. raſur. lign. junip. ſantal. citrin. an. ℥ß. rad. tuſſilag. glycyrrhiz. an. ℥i. lign. nephrit. ʒiij. fol. ſicc. agrimon. veronic. utriuſque, prunell. betonic. piloſell. an. ʒiiiß. roſ. rub. p. ii. Omnia conciſa digere per hor. 24. in balneo vaporis in ea quantitate, quæ ſupernatet 6. digit. vaſe vitreo probe clauſo; mox citra ebullitionem filtretur per chartam. Sume ℥v. mane, expectando non promovendo ſudores in lecto.

Huic addo ſæpiùs rad. ſarſæparil. alth. ſymph. lign. ſaſſaf. fol. equiſet. virg. aur. herniar. ſcabioſ. flor. archang. alb. primul. ver. betonic. ſem. alkekeng. lign. lentiſcen. raſur. corn. cerv. ocul. cancr. & infundo ſæpiùs in cereviſ. lupul. gallon. vj. ad duorum conſumpt. fermento per noctem, colo, & addo ejuſdem cereviſ. lupulat. gallon & in vaſe idoneo includo, in quo pendeant in ſacculo nuces moſchat. ad ℥iß & ocul. cancr. ad ℥iiß. nitri puriſſ. ℥viii. ſumatur pro potu ordinario.

Aqua inſtaurans eſt talis.

℞. Corn. cerv. tenell. ℔iii. (aut, ſi deſit, gelatin. ejuſdem) ſucci carnis vitulin. vervecin. & capi in vaſe duplici extracti ℔iv. ſuccor. depurat. pomor. redolent. ℔ii. bugloſſ. oxalid. rotund. trifol. acetoſ. card. bened. ulmar. an. ℔i. vin. alb. generoſ. ℔iii. ſantal. citrin. lign. Rhod. an ℥iß. cinamom. inter. ℥ii. bacc. junip. recent. ℥ß. raſur. lign. junip. ℥i. pulv. elect. triaſantal. diamargarit. frig. an. ʒiii. digere per biduum, dein diſtilla in balneo vaporoſo, & liquor diſtillatus ſervetur pro decocto ſupradicto.

His peractis, habitâ neceſſitatis æque ac tempeſtatis ratione, Lac aſininum, vel caprillum, ſerum lactis clarificatum, aut aquæ Spadenſes exhiberi poſſunt. Lacti utiliter admiſceatur manus Chriſti perlata & corallata. coacta cum gummi Arabico in aq. roſ. ſolut. viz.

℞. Sacc. cand. & Madarenſis ſubtiliſſ. trit. an. ℥vi. perlar. & coral. præparat an. ℥vii. M. & cum gumm. dicto vel mucagine gum. tragacanth. aq. plantag. & roſ. ſolut. q. ſ. f. Tabellæ ponderis ℥ß. quarum una pulverizata diſſolvatur in dimidio lactis ſextario.

Præter hæc conveniunt hordeata. amygdalata & emulſiones ad acrimoniam temperandam.

Emulſio ſit hujuſmodi.

℞. Rad. alth. ſymp. maj. an. ℥j. glycyrrhiz. rec. ℥iß. rad. ononyd. ſaxifrag. utriuſque, petroſel. gramin. fœnic. an. ℥ß. ſem. alkekeng. cum baccis, mil. ſol. an. ʒiii. hord. integ. p. ii. f. decoctio & colatura.

℞. Amygd. dulc. excort. ʒvi. ſem. 4. frig. maj. ʒi. lactuc. papav. alb. an. ℥ß. alkekeng. ʒiii. cum decocti ſupra præſcripti ſ. q. f. Emulſio, addendo ſyr. de alt. ℥ii. gum. prun. ceraſ. aq. parietar. ſolut. an. ʒi. Mſ. pro duabus doſibus, m. & v. ſumend. per quatriduum.

Quoad ordinem, primò injiciatur Clyſter, die ſequenti inſtituatur Purgatio, dein per dies 4. ſumatur Juſculum; tandem reiterato clyſtere, deveniat ad uſum lactis aut ſeri lactis &c.

N. B. Loco juſculi ſuprà præſcripti ſubſtitui poteſt vinum é fructu fragariæ, ceraſis acidis, mg. & baccis halicacabi ſuo tempore paratum, aut cereviſia ex iiſdem parata; aut Hydromel ſequens, quod pluribus intentionibus inſervit.

℞. Rad. alt. ℥iii. glycyrrhiz. raſ. ℥ii. cichor. taraxac. filic. fœm. an. ℥i. lign. nephrit. junip. an. ℥ii. fol. agrimon. pimpinel. ſaxif. rag. veron. fœm. prunell. ſicc. an. ʒx. flor. beton. malv. an. p. iii. fragor. ℔iv. bacc. alkekeng. ℔ii. Hydromel. ex parte una mellis & octo aqua præparat. ℔xxx. affunde prædictis in doliolo, & fermentetur, dein tranſvaſetur liquor, & ſervetur in dolio optimè clauſo. Doſ. ℥iv. mane.

Huic quoque ſæpiùs addo ingredientia decocti vulnerarii ſupra deſcripti.

Si adſit ardor Urinæ, addantur. ſem. 4. frig. maj. papav. alb. flor. papav. errat. ſem. cydon. lactuc. portulac. paſſul. uvar. Corinth. jujub. gumm. Arab. tragacanth. &c.

De Pilulis balſamicis lenientibus, vid. Cap. de Calculo & Ulcere veſicæ.

Si hæc non juvent, adeat æger aquas minerales ſulphure a.

N. B. Aquæ minerales non ſunt uſurpandæ donec ulcus ſit deterſum, & corpus bene expurgatum.

Vel fiant artifiales hoc modo.

℞. Aq. pluvial. ℔xvj. redd. acidul. ad ſaporis gratiam cum q. ſ. ſp. vitriol. Martis, adde glycyrrhiz. Hiſpan. raſ. ℥i. raſur. abjet. ℥iv. lign. ſaſſaf. ʒv. rad. alth. ſicc. ℥iß. infunde per triduum loco tepido: cola per chartam emporetic. adde quartam partem vin. Rhenan. optimi, & pro ſingulis pintis liquoris adde. Animæ hepat. gr. xxiv. Lagenis bene obturatis cum cera indatur. Cum ſacchar. edulcoretur tempore uſus. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medica lib. 3.*

Conſultationes.

Pro doloribus Nephriticis.

Vix unquam aliquis fuit, qui doloribus articulorum obnoxius, nephritidem non fuerit paſſus, id quod nulla alia ratione contingere puto, niſi quia ambo hæc vitia ſolent corpora ſuccis, & pituitoſis præcipuè redundantia apprehendere, quæ cum à primo ſemine, aut etiam alia occaſione articulationes imbecilles valdè, renes, ac jecur æſtuantiam nacta fuerint, facilè fieri poteſt ut ſuccis prædictis modò ad articulos demiſſis, modò à jecore, atque à renibus calidioribus attractis, modò pariter Artritis, modò nephritis ſuboriatur, quod hoc tempore Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo viro contigiſſe obſervo, cum etenim pluries gonagra, & podagra tentatus fuerit, nunc etiam nephritide corripitur, ſicuti inter alia, urinæ turbatæ, craſſæ factæ, arenoſæ, & calculoſæ, teſtantur; Quæ mala dubio procul Virum Illuſtriſſimum invaſerunt, non ſolum quia ſuccus pituitoſus tum in capite, tum in ventri-

ventriculo frigidioribus copioſius quam deceat genitus eſt, continuoque generatur, verùm etiam quia Vir Illuſtriſſimus articulos à primo ſemine valdè ad fluxionem ſuſcipiendam ob raritatm, & frigiditatem, itemque ob jus hæreditarium pronos habuit, ac renes, & jecur, ut luce clarius conſtat, fervidiores, ut exindè non ſit mirum ſi artritidem pluries paſſus, nunc dolorem nephriticum patiatur, nam præter fluxionem, quam venæ, & ex conſequio renes à capite recipiunt, jecur ſuo fervore cibum ferè crudum, pituitamque à ventriculo, renes verò æſtuantes à jecore ſucceſſivè eoſdem ſuccos continuò trahunt, qui quidem ſucci cum eo pervenerint, ſi experiantur operam fervoris renum, & jecoris, neceſſariò incraſſantur, ac indurantur, in arenulaſque & lapillos demum mutantur, lapilli autem, atque arenulæ per loca urinalia maximè deſcendentia cum impetu delata abradunt, contundunt, hinc in locis illis dolorem acerbum, & contuſivum inducunt: ad quod non parum conducit colluvies excrementorum craſſorum in renibus inſignem patiens obſtructionem, merito cujus ſicuti excrementa in renibus iiſdem recepta detinentur, ita etiam ibidem retenta facilius à calore indurari poſſunt, quemadmodum ubi non retinentur, ſed ad veſicam ſtatim amandantur, operam caloris præter naturam renum non ſuſcipiunt, ac proinde non indurantur urinaſque turbatas, & craſſe factas reddunt.

Nec eſt, quod aliquis cum Fernelio præter calorem renum adducat earundem calculoſam quandam conſtitutionem, quia quantumque aliquis jure hæreditario renali calculo ſit obnoxius, nihilominus puto ego præter conſtitutionem eam hæreditariam, neceſſarium eſſe calorem, & hunc ipſum intenſum pro calculi generatione, ut docebat Galenus tertio de Alimentis 17. & quamquam calor non admodum vehemens ex eodem 3. Aphor. ultimo, idem præſtet, longiori tempore tamen id efficit, ubi in materiam craſſiſſimam ac viſcidiſſimam incidet, qua prorſus ratione in ſenibus calculi renales ſunt; ſed præter renum calorem requiritur etiam calor jecoris, ille quidem, ut cauſa principalis ejuſdem calculi, hic verò ut coadiuvans, quia nimirum attrahendo à ventriculo materiam tum ſuppeditat, tum diſponit, tandemque renum calor calculi formam introducit.

Quocirca medendi ratio in eo repoſita eſt, ut arenulæ, ac lapilli jam geniti educantur, & eorum generatio inhibeatur per alterantia renes, itemque jecur ad frigidum, Caput verò, & ventriculum ad calidum, & ſiccum, ſed hic, & ibi tollenda ſunt prius impedimenta. Hic igitur prius ſucci pituitoſi redundantes ſunt concoquendi, & evacuandi, ibi autem prius habenda eſt pariter totius providentia viæ ſunt laxandæ, ac dolor anodinis demulcendus.

Quibus Medicis intentionibus plurimum difficultatis obſtabit multis de cauſis, præcipuè ob eam, quod contra cauſas vehementes eſt pugnandum, nam intemperies omnium ferè viſcerum ſunt veluti confirmatæ, ac natura, antequam etiam dolores iſti ſuborirentur, per vias urinæ excrementa jam diu evacuare conſuevit, ut hac ratione potiſſimum ſuſpicer à malo hoc Illuſtriſſimum Virum difficilè admodum, ne dicam vix præſervari poſſe, Diligentia tamen, ac peritia medici adhibita à majori ſaltem ruina, non tantum renum, ſed & veſicæ calculo præcaveri poterit.

Nec etiam difficultas (uti ſpero) ſi quandò occurrerit dolor ob præſentiam arenularum, & lapillorum, curationi obviam ibit, quando urinæ, quas craſſas, turbidaſque jugiter Illuſtriſſimus patiens mingit, id ferè certò pollicеantur, ſolent enim hujuſmodi urinæ occaſionem generationis calculi renum, ſubtracta cauſa materiali, omninò auferre, vel ſaltem plurimum imminuere.

Utcumque tamen ego, qui Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Viro, tanquam Patrono mihi inter cœteros omnes chariſſimo, omnia debeo, nihil prætermittam, quod poſſit ipſum ab hiſce doloribus tum liberare, tum præſervare.

Exordium ideo ſumens à Chirurgiâ una cum D. Hippocrate ſexto Epid. à principio ad materias ſanguinem ſpectantes reſpiciens, ſtatuo infeſtante dolore, venam poplitis, ſecandam eſſe, at abſente dolore, tum Veris tempore à ſectione venæ cubiti dexrri, tum autumno à venarum ani per hyrudines apertione ſuperius, etiam occaſione artritidis propoſita non abhorreo; Atqui ad materias chirurgicas, quæ alios à ſanguine ſuccos reſpiciunt animum convertens cauterium in fœmoris dextri parte interna excitatum non improbo, ſicuti & cucurbitulam loco dolenti verſus pubem applicitam probo.

Pharmaca præſervatoria, quæ totum reſpiciunt in præcedenti conſultatione adducta, præſertim verò vomitum ſingulo menſe vehementer laudo à quibus pro alterandis viſceribus etiam atque etiam opto, ut aſſumpta aqua Tettucciana per 3. dies, Aquam noſtram Porrectanam veterem per duodecim dies tempore opportuno, non dicam hoc anno ſolum, ſed tribus annis continuis Illuſtriſſimus aſſumat, & quamquam Villenſis illi ſit propoſita, hæc tamen noſtra tanquam minus ventriculo infenſa mihi magis arridet, quo potu abſoluto, ut ad potum Tettuccianæ per duos dies redeat in ventriculi gratiam ſuadeo.

Cœterum de pharmacis præſervatoriis, quæ ad arenulas, & lapillos, parvos, minutoſque nullum ferè dolorem inferentes dirigantur, eſt agendum quapropter alvo ſubducta ſæpius cum therebintina & benedictæ modico, tempore verò calidiori cum caſia ſtatim ex Cana extracta, ac in prima menſa commanſa, ad renes expurgantia deveniendum, ideo & lacryma therebinti non lota (quia magis adſtergit) cum pulvere oſſium meſpillorum, & corticũ avellanarum ſylueſtrium, ac pulvere ex milio ſolis, liquiritia ſeminibus melonum, gummi ceraſorum cum ſaccharo candido ad pondus omnium paratum & aqua, quæ magis placet Viro Illuſtriſſ. & cujus deſcriptio eſt quæ ſubſequitur, valdè opportuna ſunt.

♃. Radicum reſtæ bovis, Rafani domeſtici, Alteæ an. ℥. 1 5. betonicæ, ſaxifragiæ, capil. ven. rec. parietariæ, virgæ aureæ, mentæ ſiccæ, an. m. 1. mirt. p. 1. milii ſolis ʒ. 1. 4. ſem. majorum frigidorum an. ℥. 5. nucleorum perſicorum, amygd. amararum an. ℥. 3. limones à cortice mundatos

numero 10.aniſorum Coriandr. præpar.an.℥.5. gummi ceraſorum ℥.1.

Contundantur,& incidantur,deinde M.& inſ. q.Aquæ Villenſis vel Porrectæ noſtræ veteris per viginti quatuor horas infundantur, tandemque in balneo mariæ diſtillentur. Et aquæ ex iiſdem ſtillatitiæ doſis ſit ℥.10. vel lib.1. pro vice , cum modico ſacchari.

Tempore verò calidiori ſerum primum infuſionis ſem. Alchachengi , deinde diſtillatum & cum ſyrupo de limonibus datum, vel aquam ononidis cum eodem ſyrupo laudo.

Quòd ſi calculus aliquandò grandior factus occurreret , doloreſque illuſtriſſimum excrucient , præter jam dicta, ac electuarium lytontriton, oleum de amygdalis dulcibus, & amaris recenter paratum, vel de cytoniis completum vocatum aſſumptum , tria maximè probo.

Primum eſt Coagulum leporis cum ſucco limonum,& aqua Citrac. Alterum eſt balſamus naturalis cum eodem ſucco limonum, & aqua florum geniſtæ. Tertium, recipit vini vulgo Græci dicti ℥.4.rad.rafani m.1.Infundantur, & f. f. e. cui adde ſucci cepæ parietariæ limonis an.℥. 4. Aquæ ardentis optimæ ℥.5. M.pro una vice.

Quibus non conferentibus ad oleum Calcanti cum ſanguine hirci præparato,atque therebintina adſcendendum , Doloribuſque maxime inſævientibus theriaca cum ſpeciebus electuarii Juſtini data, eſt miri uſus.

Exterius autem nil præſtantius fotu ex parietariæ ſucco,aqua ardenti & oleo ſcorpionum, item emplaſtro ex cœpa in oleo ſcorpionum, ac butyro cocta,potiſſimum verò inſeſſu, vel ex oleo communi, aut decocto ſimplicium diureticorum relaxantium , ac lapidem comminuentium, à quibus illico aliquod ex medicamentis dictis propinandum. Embroca etiam ex oleo ſcorpionum,amygd.amararum, & anethino maximè proficua eſſe ſolet.

Verùm dum materiæ præſervatoriæ , & curatoriæ erunt in uſu , expediet Illuſtriſſimum patientem ſe ita in victus ratione gerere,ut in præcedenti conſultatione dictum fuit , præ cœteris tamen hoc interim admoneo , ut nimirum ante prandium aquam dulcem tepidam , vel juſculum pulli tenue bibat , deinde ſemper omnem cruditatis occaſionem aufugiat , interim autem Altiſſimum Deum vehementer præcor,ut hæc omnia propoſita ipſum ab hiſce doloribus nephritricis vindicent , ac præſervent. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicinalibus.*

Pro egregio viro Virginio Guicciardino Cive Bononienſi doloribus Nephriticis detento.

Duo ſunt,quæ pro recuperanda ſanitate egregii viri apud me difficultatem habent, & digna ſunt, ut intimius perſcrutentur. Primum eſt, an habeat in veſica lapidem , alterum quomodo à Nephritide,quam per intervalla patitur (ut calculi,& arenulæ urinis excreta declarant) poſſit artis auxilio præſervari.

Circa primum igitur, aſſerendum videtur lapidem in caſu noſtro in veſica reperiri ob tres potiſſimum rationes egregio viro propoſitas, necnon etiam ex rebus evidentibus deſumptas, Primum etenim bis inter mingendum quandam veluti interceptionem urinæ incurrit , ſecundo, ut ipſe narrat, dum terram pede ferit, & percutit moleſtiam quandam circa veſicæ collum patitur,accedit quod & arenoſa in urinis continuò excernit,modo ex D.Hippocrate quarto Aphoriſmo 79. Quibus in urinis arenoſa excernuntur his veſica calculo laborat ; Poſtremò inter mingendum, in fineque mictus , ab aliquo urinæ ardore,ac triſti ſenſatione patiens noſter non eſt immunis.

Verum tamen, his non obſtantibus puto ego hic veſicæ lapidem locum non habere; ductus autem Galeni primo de locis affectis capite primo, ubi tria præcipuè ſigna , & pathognomica lapidis veſicæ proponit. Primum eſt quod urinæ, veluti aquoſæ excernuntur,alterum urinæ ejuſdem interceptio inſignis, Tertium & poſtremum eſt ſcalptus quidam moleſtus ex pruritu glandis, ferè continuus illatus , quorum nul um jam video in caſu noſtro reperiri. Primò enim urinæ ſubſtantia mediocres , colore ſubflavæ redduntur , deindè lotii interceptio ferè nulla præſens eſt, & eam (quæcunque ſit,) quam patiens paſſus fuiſſe refert,potius refero in facultatis ob noxam inductam , ab aliqua urinæ acrimonia retractionem , & forſitam etiam in aliquot flatus in glandoſis illis corporibus ad radicem penis exiſtentibus, & urinæ meatum ibidem anguſtantibus ut non ſit mirum , ſi illa interceptio cito deliteſcit , ut quæ à flatibus,qui & ipſi citò evaneſcunt , inducta fuiſſet;De ſcalptu nil aliud habeo quod afferam , niſi quod egregius patiens nullam penitus de ipſo querelam habet.

Neque rationes in oppoſitum adductæ aliquid contra hanc determinationem urgent, nam quoad primam attinet , ex dictis jam liquet, interceptionem illam non eſſe eam , quæ veſicæ lythiaſi laborantibus contingere ſolet, quod verò ſecundo loco dicitur de moleſtia occaſione percuſſionis terræ cum pede percepta, dico eam ferè nullius eſſe momenti , & potius ob aliquam noxam ab urinæ acrimonia partibus veſicæ communicatam perſentiri ſentio, præter quàm quòd inter ſigna lapidis veſicæ non maximum habet momentum. Ad tertiam verò dicerem , ſententiam Hippocratis altero horum modorum interpretandam eſſe, primo modo quod arenoſa , alba , læviaque in urinis unicè veſicæ lapidis atteſtantur , ut arenoſa aſpera , rubra , vel flava qualia in urinis noſtri patientis viſuntur , lapidis Renum ſunt mera indicia. Secundo ſententia Hippocratis vera eſt ſecundum hunc ſenſum, quod qui lapidem habent in veſica , iis in urinis arenoſa excernuntur, at converſa , nempè qui arenoſa excernunt , habent lapidem in veſica , non eſt neceſſariò vera ; Vel cum Galeno dicendum, ſententiam illam eſſe diminutam,ac addendum iis veſica , aut Renes calculo laborant , addunt recentiores iis aut nec veſica, nec renes calculo detinentur.

Quod autem poſtremo loco adducebatur de ardore , Dico hunc ipſum ſatis mitem neque noctu cruciantem , ut millies patiens ſit coactus aſſurgere, non eſſe comitem lapidis veſicæ, ſed potius ſobolem , & partum exiſtere acrioris urinæ ob fervorem Renum genitæ, atque ob arenoſa vias nimis detergentia.

Cum

Cum itaque nobilis patiens ab omni lapidis veſicæ ſuſpicione ſit immunis, ſtudendum ut à calculo renum, ac arenulis in illis genitis præſervetur, ne ita frequenter in calamitatem illam Nephriticam incidat. Dato igitur quod calculi, & arenularum generatio ſit à fervore, primum renum, deinde jecoris (ut facies hepatica puſtulis rubris referta demonſtrat) & ex materia pituitoſa genita in ventriculo ob errorem facultatis concoctricis, non quidem ratione erroris externi (quoniam ipſe in nulla ex ſex rebus non naturalibus delinquit) ſed ratione intemperiei frigidæ (quam habent hi, qui jecur fervidius habent, hoc etenim ventriculi humidum, veluti depopulans, ac tempore coctionis in eundem effumans eſt in cauſa, ut frigidam intemperiem ventriculus incurat) à jecore, ac renibus calidioribus attracta, adjecta bilis flavæ portione, ut color arenularum indicat. Tota præſervationis ratio in eo conſiſtere videtur ut intemperies horum viſcerum per contraria amoveantur, detracta prius cacochimia quòd ſi aſſequi non licebit, ſtudendum, ut mixta illa præter naturam genita in renibus continuò à corpore depellantur, quod ſi retenta cruciatus interdum inferant, agendum, ut D. Hippocrates ad initium primi Epid. loquens de ſcopis curativis nephritidis dicebat. Ad præſervandum ergo arbitror neceſſarium fore, ut ſuo tempore opportuno leniatur alvus cum caſia, & electuario diaſebeſten lenit. ac melle roſato ſolutivo, & manna, deinde præparentur humores decocto betonicæ, mentæ ſiccæ, cicoraceorum, radicum graminis, ſeminumque melonum, cum ſyrupis de melonibus, & oxymelle ſimplici, ea ratione, ut in medio uſu horum baſilica dextra aperiatur. Tandem iidem humores deturbentur infuſo agarici trociſcati, ac Rhabarbaro cum melle roſato ſolutivo, vel cum pilulis de tribus cum Rhabarbaro, qua totius providentia præmiſſa, ad aquam Tettucianam primum tribus diebus, deinde ad Villenſem, vel Porrectanam veterem per duodecim dies aſſumendam devenirem, tandemque in fine gratia ventriculi rurſus per duos dies ad Tettucianam accederem, quibus pariter cœlo accommodato permittente, non tantum balneum aquæ dulcis toti adminiſtratum, verum etiam & embrocam ex aquis refrigerantibus dictis ſuper renes, ac jecoris perfuſionem ex aquis ſtillatitiis cicoraceorum, ſpeciebus confectionis ex tribus ſandalis, ſuperdato unguento ex ſucco hepaticæ, ſonchi cum pulvere ſandalorum, pauculo camphoræ, & ceræ parato adjungerem.

Pro ventriculo cydoniatum cum pipere albo ruditer tuſo, vel maſtiche devorata, ceratum quoque ex eadem maſtiche cum tantillo aromatici roſati exterius admotum probarem.

Pro arenulis verò, ac parvis calculis (ſi opus erit) jugiter expellendis, tum modicum caſiæ in canna (ut dicunt) prima menſa devoratum, tum pulvis ex æquis portionibus ſeminum, milii ſolis, gummi ceraſorum, liquiritiæ, & radicum reſtæ bovis cum ſaccharo cando pulverato ad pondus omnium ex jure pulli vel cicerum rubeorum. Aut loco hujus pulveris aquam mihi familiarem ex acido citri crudo, amygdalis amaris, gummi ceraſorum in ſucco parietariæ maceratis ſummopere laudo.

Quorum uſus tempore, ſubductoria diuretica per intervalla aſſumpta non improbarem, ideò electuarium benedictæ, vel cum caſia, vel cum therebintina, adjecto pulvere oſſium meſpillorum, vel corticum avellanarum ſylueſtrium omnibus præfero. Hoc verò tempore hyemali primorum ductuum detracta cacochimia, cum caſia, & hiera, præmiſſo uſu oxymellis ſimplicis, ſerum diſtillatum cum ſyrupo de limonibus per plures dies exhiberem, & aliquot intervallis dimiſſo ſerò modicum caſiæ fiſtularis in primo prandio ad comedendum offerrem.

Victus ille eſt ſervandus, qui à patiente obſervatur, adeò enim accommodate, convenienterque vivit, ut nil ſit addendum, niſi id quod in prima menſa ex Aëtii præſcripto modicum aquæ dulcis tepidæ, vel juris pulli tenuioris non ſaliti ſingulo manè bibat. Vinum etiam illi cum ſandalis, china, liquiritia, & ſeminibus Alchachengi erit præparandum.

Ad curationem autem, eſt recedendum à D. Hippocrate loco citato, ubi ſcopos curationis Nephritidis proponens, primum eos, qui victus ratione perficiuntur, affert, dum dicit quieſcere non convenit, ſed exerceri, non repleri, nam cum in corpore nephriticorum adſit cruditas, hæc coquenda, & maturanda eſt, nulla verò commodior exiſtit via, quam per motum corporeum, ab hoc enim humores, inducto calore attenuantur, item per cibum minuentem ut omnis cruditatis occaſio aufugiatur. Ad primum igitur reſpiciens Hippocrates dixit, exerceri, ad ſecundum, non repleri, cum itaque repletio ſit devitanda, ne crudi ſucci gignantur, ſupponit Hippocr. ut alimentum ad ſucci illius generationem idoneum devitetur, deindè inſtituto victu ad removenda duo impedimenta, quæ ſunt in toto corpore, plethoria inquam, atque cacochimia Hippocr. accedit, merito illius venam in poplite ſecat, ego verò in talo interno venam ſecarem; merito hujus veratro, ideſt medicamento valido juvenes, ideſt robuſtos purgat, noſtrum autem patientem ſpeciebus eleſcoph. cum diaphenico vel benedicta, & caſia, vel mel. roſ. ſol. à principio, ut tutius agamus, præaſſumpto bolo hieræ, aut etiam aqua Tettucciana cum eodem melle roſato exhibita purgarem, Tandem Hippocr. deſcendens ad calculum, qui Nephritim facit, & animadvertens eundem à toto genere præter naturam evacuandum eſſe, ipſumque cum ſit in renibus alia ratione non poſſe evacuari, quàm medicamentis urinariis, & diureticis, habet Urinariis mundare. Verùm quoniam remanet adhuc impedimentum quoddam non totius ſed Renum, quod duplex eſt, materiæ craſſities, & viarum anguſtia, ideo ſubdit, merito illius attenuare, merito hujus mollire, ſeu laxare neceſſe eſt, & per attenuare, credo etiam Hipp. intelligere lapidis contritionem, quæ fit pariter medicamentis attenuantibus. Pro laxandis igitur viis hic referenda ſunt balneum, ſeu inſeſſus ex oleo communi aut ſeminum lini, vel ex decocto malvarum, parietariæ, altheæ, violariæ, braſſicæ, fœnugræci, meliloti, abrota-

ni, anethi, petroſelini, liquiritiæ, ſem. lini, & hujuſmodi, adjectis pinguedinibus, vel ex aqua ranarum; In hunc uſum conducit oleum amygdalinum dulce recens cum portione amari, vel aquâ fœniculi, aut ſcolopendrii bibitum. Tandem verò, quæ materiam craſſam attenuant, & vias urinæ mundant, urinaria ob Hippocr. vocata ſimul uſurpanda; Ideo in hos uſus præter ſuperius propoſita, lacrymam theribinthi cum ſpeciebus electuarii Iuſtini, ſeu litontribonis, adjecto pulvere aliquo, à proprietate agente, uti ſanguinis hircini præparati, & ſiccati, aut lapidis Iudaici, item & coagulum leporis ex ſucco limonis, & aqua ſcolopendrii epotum, ac denique oleum cydoniorum completum vocatum pariter ſumptum etiam, atque etiam laudo.

Quibus omnibus Dei auxilio fretus, ſpero futurum, ut egregius patiens poſſit tum præſervari, tum curari, nam affectus eſt recens, ſymptomata non adeò gravia adnectuntur, patiens eſt ita prudens, & obſequens, ut nil, quod ad propriam ſalutem conducat, ſit omiſſurus: accedit quòd & hucuſque ferè illa remedia, & hæc ipſa generoſa ſunt adhibita: Verùm nonnihil difficultatis occurret, quando cauſæ morbificæ, nempè viſcerum diſcraſiæ ſint ſatis progreſſæ, atque patiens ob victum conſtitutum, quem continuò ſervat ab hoc malo facilè ſe præſervare deberet, verum tamen ipſum incurrit. *Idem ibidem.*

De Dolore Nephritico, ac Podagrico. Pro Perilluſtri, & Adm. Rev. Patiente.

Conqueritur perilluſtris patiens pluribus ab hinc annis de dolore nephritico, qui antehac podagra quinetiâ laboravit. Quem utrumque affectum à pituitoſo humore ortum ducere, cùm à capite illabente, tum à ventriculo per venas tranſmiſſo, ſumma cum ratione à Viro doctiſſimo conſtitutum video. Cujus propterea ſententiæ lubens quoque accedo; qui compertiſſimum arbitror, pituitoſam hanc materiam non modo in arenulas, ſed & in calculos concretam doloris nephritici cauſam eſſe. Cruenta ſiquidem mictio, cum urinis craſſis, & arenoſis id palam facit. Numquid verò arenularum procreatio fiat ab immoderato calore renum, vel anguſtia caruncularum papillarium, cujus ratione materia craſſa diutius in illis hærens, ab ipſarum calore vel remiſſo in arenulas, & calculos concreſcat, ſi in primis ſedimento tartareo abundet, non leve dubium occurrit; cùm frequentiſſimè in tophos obdureſcat in articulis, non concurrente immodico eorum calore; nec non & quandoque in inteſtino colo dolores ſuboriantur, in dejectionem calculorum faceſſentes: quos licet fateatur Galenus ſe nunquam obſervaſſe, alios tamen non præterierunt, accedente mei ipſius occulata fide. Quod quidem fruſtrà non eſt, ſiquidem in hoc caſu diureticorum uſus minus eſſet ſuſpectus, quàm ſi renum caliditas primas obtineret partes.

Quodcunque tamen ſtatuatur, nobilem patientem valetudini in integrum reſtituere, ut in poſterum ab arthritide immunis fiat, præter ſpem cenſeo, cùm vix fieri poſsit, ac ne vix quidem, quin hujuſmodi materia denuò generetur; neque partibus affectis robur ſuum ita conciliari, ut hanc non ſupiciant.

Quamobrem conſultius ducerem, prohibere quidem pro virili hujuſmodi materiæ novum proventum, illis quæ capitis, & ventriculi intemperiem contemperent: à renibus tamen divertenda in primis omni conatu, neque ita ſollicitè ab articulis; cùm ex duobus malis levius ſit præferedum. Quare facta diligenti totius, & capitis expiatione divertenda erit fluxio, reneſque detergendi, & roborandi, minus tamen articuli.

Pro totius evacuatione ſanguis erit educendus, cùm ex jecoria dextra, tũ ex venis ſedalibus.

Præparentur humores à prædominio pituitoſi, attenuantibus, & incidentibus: qui evacuentur deinde calidioribus purgantibus: in quibus principem locum obtinent medicamenta ex hermodactylis. Vomitus quinetiam ſit ipſi familiaris, majoris diverſionis cauſâ; qui ut felicius ſuccedat, cieatur à cibo iterum, vel tertiò in menſe. Maſtiches dentibus facta attritio ſit in familiari uſu. Caput ſiquidem expurgat, & roborat ventriculum. A ſimplici verò, & repetita humorum præparatione, ac purgatione, aquæ Tetutianæ potum tres vel quatuor dies ſuaderem, cum ſyr. roſ. ſol. vehiculi loco, quò per alvum promptius ſecedat. A quibus deveniendum erit ad topica interna, & externa; inuſto interim fonticulo ſiniſtro brachio, ad intercipiendam, & revellendam materiam fluentem; prout & alterum in crure dextro commendarem, ratione renum, ac proinde nephritidis, dummodo majorem non acceſſat fluxionem ad articulos. Interna autem remedia duo potiſſimùm ex uſu erunt; decoctum ſcil. radicis chinæ, cum ſantal. citrinis, lentiſco, & viſco quercino; atque herbis accommodatis; præmiſſo bolo ex terebinthina Cypria vel Veneta ſaltē, ſi æſtuoſus ſit hepar: cujus uſus erit 30. dies circiter adjectis bolo oſſibus crematis, & ſpeciebus lithontribon; vel elect. Iuſtini cum decoctione ſeminùm eryſimi pulverizatorum, cum blando ſudore, & victu accommodato: in quo erit aqua ſecunda vini loco. Aliud remedium erit potus aquarum frigidarum Lucenſium, aut Ficoncellæ, tempore calidiori, niſi aliqua pedum intumeſcentia has prohibuerit. Externa remedia ſunt inunctiones renum, ung. roſato, & infrigidante Galeni. Lotiones item capitis, vel etiam ſtillicidia ex aquis Thermalibus nitroſis, & ſalſis, ac pulveres capitales ex agarico cornu cervi, oſſibus ſepiarũ, roſis, & betonica, ut & quod ſupra ventriculum adhibetur, ex iiſdem aquis Thermalibus, ſulphureis, & nitroſis; ſuperaddita raſura purpuræ, imbuta oleis ſtomachicis. Quod ſi roborandi fuerint pedes, uti poterit oleo antiquo ſalito, vel oleo viperino. Si dolor nephriticus non ceſſerit, ita ut de calculo grandiori ſuſpicio ſubſit, progrediendum erit ad ea quæ vias laxent, loca affecta emolliant, & calculum comminuant, quantum in nobis erit. In quam rem oleo chamæmel. & anethino inungendi ſunt ductus, ſeu loca ureteribus incumbentia; magna cucurbita cum flamma infra renem erit applicanda, & ad inferiora trahenda, obſervato ureterum ſitu. Immerſio quinetiam corporis in balneo aquæ dulcis, præſcriptis diureticis puta ſeminibus milii ſolis, eringii, & ſaxifragiæ, cum aquis ex ſiliquis fabarum, & ononidis, & ſpiritu vitrioli.

Victus proportione his reſpondeat, interdicto omnium uſu, quæ ad renes materiam deducere, ac devehere poſſint. *Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent. 3.*

De Dolore Nephritico, & Iſchiadico. Pro Generoſo Patiente.

Dolore nephritico, & Iſchiadico conflictatur generoſus patiens, ex affluxu materiæ pituitoſæ, cùm à capite calido, & humido, tum à ventriculo ipſo, ad prædictas partes affectas tranſmiſſæ, imbecilliores ex continuis equitationibus; non alia ratione quam Hippocratis ævo Scythæ frequentiſſimè Iſchiade torquebantur, quòd totum ferè vitæ tempus equitationib. tranſigerent. Quam forſitan ob cauſam renes laxiores, & fluxionibus opportuniores facti ſunt, ita ut materia craſſa, & pituitoſa illuc promptius confluxerit; ubi diutius immorata, ob anguſtiam vaſorum, partibus tenuioribus à calore renum diſcuſſis, in arenulas obduruit.

Affectus ſanè curatu perdifficiles, quia diuturni, & quod jugi fluxione tentantur partes affectæ. Si tamen recta victus ratione, & congruis remediis vſus fuerit nobilis patiens, ſpero ab illis liberatum iri.

Quod ut fiat, attenuanda, digerenda, & evacuanda materia, quæ confluxit ad iſchiadis articulum; reneſque detergendi, & emundandi; intercipienda fluxio; caput exſiccandum; ventriculus, aliæque partes affectæ roborandæ, præmiſſa univerſali, & particulari capitis evacuatione.

Sanguis ex jecoraria, atque externa vena pedis affecti eſt educendus. Fonticulus ſiniſtro brachio inurendus.

Lenienda alvus mell. roſ. ſol. & manna. Præparandi humores ſyr. de betonica, oxymel. ſimpl. & decoct. betonicæ, ſtœchadis, cichorii, borraginis, menthæ, & ſem. citri. Purgentur demum pil. aggregat. & de hiera cum agarico. Repetatur præparatio cum ſyr. de beton. comp. oxymel. comp. & de quinque radicibus, cum decoct. ivæ arteticæ, ononidis, betonicæ, radicùm petroſelini, & aſparagi, quam excipiat purgatio cum puluere hermodactyllato, vel pilulis de hermodactylis. Purgetur interim caput erhinis, & maſticatoriis; à quibus, utatur decocto ex ligno Indico, viſco quercino, & ſalſa, additis ſimplicibus accommodatis, cum terebinthina Cypria, boli formâ; 30. dies circiter. Fiant clyſteres acres, madeſcat pars affecta aqua ardente, ſudore excitato, niſi his ceſſerit affectus. Veſicans parti affectæ applicetur ex iberide, & batrachio, cum recta victus ratione. *Idem ibidem.*

De Dolore Nephritico ex Calculo. Pro Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Mauroceno, D. M. Procuratotore. Ad Virum Præclariſſimum.

Ex enarratis ſymptomatibus Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. D. Marci Procuratorem diuexantibus, dolore ſcil. quodam continuo gravante in ſiniſtra parte lumborum, & ſubcruentis urinis ex levi quocunque motu, iiſdemque à validiori, & concitatiori cruentis omninò, quæ poſtmodum ſubſidentes hypoſtaſin habent ſanguinis fæci non diſſimilem, dum autem abſtinet à quocunque motu, inclareſcunt, & ſanis ſimiles effluunt, dubium occurrit, utrum cauſam habeant æſtuoſum renum calorem, ut cenſent Virorum Præclariſſimorum aliqui, in conſilium de hoc affectu acciti; an calculum renibus impactum. Ego verò liberè, & incunctanter pronuntio, & ſtatuo, hanc urinarum varietatem cum gravitate ſiniſtræ partis lumborum non poſſe fieri ab immoderato renum calore, duplicem potiſſimùm ob cauſam. Primò, quia gravitatis ſenſus continuus in rene ſiniſtro ab intemperie induci nulla ratione poteſt: ſed vel à materia ſuo pondere gravante, ut propterea prodiderit Hipp. ubi de renum calculo Primo in 6. Epid. 6. quòd in renum dolor gravis; vel à partibus adiacentibus, quæ comprimuntur, ex Gal. in Comm. Secundò, & id patet, luculentius ex urinis illis variis, quæ motu cruentæ evadunt, quiete verò inclareſcunt ſiquidem quando affectus ortum ducit ab intemperie, illa vigente, durat hic; qua viciſſim recedente, & ipſe cedit, nulla ſuperſtite moleſtia, niſi denuò convaluerit intemperies; cum nulla ſit ratio, quod ex levi quocunque motu incaleſcant adeò renes, ut venæ reſeratæ ſanguinem effundant. Propterea pro comperto ſtatuendum affectus præſentis cauſam eſſe calculum in rene ſiniſtro, cùm gravitate continua in regione ſiniſtri renis prematur. Ubi enim dolor, ibi morbus, qui quidem calculus inæqualis, & ſcaber eſt, non læuis, & veluti marmoreus, ut aiunt: alioquin renis ſuſtantiam non abraderet, quod contingere exiſtimo ex quolibet corporis motu; magis tamen & minus, prout concitatior eſt, & minus violentus, quod quidem aliud eſt calculi ſignum ab eodem Hipp. l. cit. memoratum his verbis: ſanguinolentum meiunt. Neque faceſſit negotium, quod Vir Illuſtriſſ. ſtuporem non obſervet in femore è regione partis affectæ, ab eodem Hipp. propoſitum; quoniam in eam molem non excrevit, ut ex venæ cavæ, & arteriæ magnæ deſcendentis compreſſione, ſpiritus, & ſanguinis ad infernas partes affluxum intercipiat. Vomitus autem concitatus eſt pituitoſæ materiæ multâ copiâ ab aſſumpto medicamento, & injecto clyſtere. Sicuti enim hæc in ventriculo coacervata, & ad renes decumbens, ſi ab ipſorum expultrice cavitate ampla patentium exturbetur, nullam, vel levem ſaltem infert moleſtiam; ita ſi ipſis infarcta fuerit, atque adhæſerit arctius, ita ut ab expultrice non poſſit inde extrudi, & expelli, tunc novam à vena cava ſuſcipientes, continuo partium ductu coacervatur, diſcuſſiſque partibus tenuioribus in calculum concreſcit etiam ſi renes immodico calore non æſtuent, ex Gal. in prædicti textus Commento.

Utrum autem ipſi extirpando & excludendo potus aquarum Thermalium, & in primis B. Virginis ex uſu ſit futurus, quod deinde queritur; cenſuerim equidem non inutilem hanc futuram, ſi liberè permeaverit, quâ expurgandis humoribus in renibus coacervatis, quâ calculi incrementa prohibendo. Quod verò ipſum jam concretum ad veſicam propellere poſſint aquæ illæ, non admiſerim, ſi in eam molem excreverit, ut vreteres ſubire non poſſit, quod vereor. Neque unquam comperi diuretica lapidem frangentia, dummodo non coaluerit ex pluribus arenulis compactus. Has etenim ſecernere, & expurgare fateor. Quod innuit Hipp. ſequenti textu: Quieſcere non confert, ſed exerceri; non replere. Iuvenes helleboro purgare, poplitis venam ſecare, cientibus urinam purgare, attenuare, & emollire. Hæc enim cuncta conferre poſſunt cùm præſervationis loco à calculo, confluente materia vitioſa ad renes, tum curationis arenularum, antequam in legitimum calculum obdureſcant;

quem, quando jam concrevit, incurabilem cenſeo; ut propterea quolibet medico præſidio diuretico ſuperſedendum ſit, præter ſolam rectam victus rationem, humorumque in corpore redundantium expurgationem, vomitu, & per alvum inſtitutam. Atque hæc reſponſi loco ad prædicta quæſita abundè fuerint. *Idem ibidem.*

De Nephritide. Pro Nobiliſſi. quodam Peruſino.

Ex doctiſſimo conſilio, hiſtoria potius à Viro Præclariſſimo ad me tranſmiſſa, conſtat Nobiliſſimum Virum 23. annorum, temperamenti totius calidi & humidi, ad pituitoſum vergentis, cordiſque cerebri, & ventriculi frigidiorum; cùm ſit hilaris, non ad iram pronus, lentus, motu tardus, capillis flavis, albeſcentibus, deſtillationibus obnoxius, hepatis calidi modicè, ut ſcribunt; quanquam venæ non multum emineant; quod alioquin non eſt indicium calidioris jecoris, niſi corporis obeſitati id adſcribendum fuerit. Promiſcuis verò cibis uſus eſt, corporis otio indulgens, atque continue ſtudiis operam navans. Multis verò abhinc menſibus dolore Nephritico in Rene ſiniſtro non rarò conflictatur, cum excretione urinæ craſſæ, turbatæ, & minutiſſimis arenulis immixtæ: ut medicam propterea imploret opem, quò à prædictis doloribus, & à calculo præſervetur, præter ea, quæ ex Methodi lege anno elapſo fuere adminiſtrata, cum aliquo juvamento: in quibus fuerunt Aqua Tetutiana, & Ficuncellæ. Electuaria à proprietate juvantia, & vias laxantia, præmiſſa univerſali corporis evacuatione, & repetito familiari uſu pilular. ex aloe, agarico, & rhab. ad divertendam materiam à renibus.

Noſtræ itaque partes erunt aſſignare cauſas principes prædictorum affectuum, quibus extirpandis adhibeantur medica præſidia, quò à prædictorum dolorum novo inſultu præſervetur, ſi fieri poſſit; ſupponentes dolorem hunc non dependere à morbo in ſoluta unitate. Fit enim cùm natura corrumpitur, & alteratur, non verò ea corrupta jam & alterata. Statuimus autem, cum Viro doctiſſimo, cauſam ſolutionis continui, & doloris eſſe materiam vitioſam, craſſam, prædominio pituitoſam, à ventriculo, cerebro, & toto venoſo genere ad renes tranſmiſſam; quæ ipſis inhærens, cùm ob meatuum anguſtiam, tum ob expultricis imbecillitatem, à calore etiam non exuperante in flatus, & minutiſſimas arenulas faceſſit; parteſque membranoſas divellens, dolorem exſuſcitat; admittentes tamen calorem hunc acrem plurimùm, & igneum, ex Gal. 3. de Alim. Facul. Cap. 16. ubi de Oxygala, qui ſic habet: Succus ex Oxygala, caſeo, & omnibus craſſi ſucci eduliis calculos in renibus procreare conſuevit, cùm ii calidiores juſto fuerint. Quod tamen præſtat etiam calor non æſtuoſus, diutius agens ex eodem Gal. 3. in 6. Epid. 15. in Text. Hipp. Poſt mictum concretio puerulis magis, num quod calidiores. Ubi hæc habet. Igitur urinarum craſſities creandorum calculorum prima, potiſſimaque cauſa eſt, caliditas verò etiam mediocris ad hujuſmodi materiam denſandam ſatis eſt. Quinimò etiam infra mediocritatem id præſtare poteſt, cùm in veſica urinaria, inteſtinis & articulis, pituita craſſa in calculoſam, & tophaceam materiam concreſcat; nec non in ſenili ætate, cùm ex vinis craſſi ſucci tum potiſſimùm ex hujuſmodi cibis calculos procreari ex Gal. conſtet. 5. de San. Tuend. 4. & 5. 3. de Aliment. Facult. 16. & 2. in 2. Epid. 6. cùm tamen in illis partibus, & ſenili ætate caliditas, non exuperet. Nec fortaſſe Gal. 3. de Alim. Fac. cap. 17. ubi de Caſeo hæc habet: Oſtendimus enim calculos in illis corporibus procreari, in quibus ſuccorum craſſities cum igneo calore concurrit, innuere voluit, opus omninò eſſe calore igneo in renibus, ſed in caſeo tantum, de quo data opera verba fecit, cùm ait, quòd, Caſeus ex coagulo injecto acrimoniam acquirit, potiſſimum ſi inueteraverit. Tunc enim quam priùs acrior, & manifeſtè calidior evadit, atque ardentior. Addit poſtea: Major enim noxa ex ſucci ipſius pravitate, & ardenti calore quàm craſſorum attenuatio conferre valeat. Quæ fuſius propterea nunc diſſerui, quoniam in eam feror ſententiam, quòd in Nobiliſſimo Patiente nullus caliditatis exceſſus ad ſe curationem trahat: ut ſuſpicari ſubeat, horum cauſam eſſe meatuum in renibus anguſtiam, vel expultricem eorumdem imbecilliorem. Vaſorum quippe anguſtia prodit ſe ex venis totius minus conſpicuis, & ex pinguedine: expultricis verò imbecillitatem tarditas coctionis, & motus, ſermo lentus, & ventris adſtrictio, in corpore alioquin molli, & humido, palam faciunt. Et quanquam melius habuerit ab expurgatione præterita, & potu aquæ Sancti Caſſiani, hoc potius adſcribendum accuratæ humorum vitioſorum evacuationi per alvum, & urinam, quàm jecoris, renumque refrigerationi.

Ut ex his mihi perſuadeam, inſiſtendum eſſe prohibentibus materiæ craſſæ generationem, genitam per vices evacuantibus, atque vias patenſiores efficientibus, & calidum innatum corroborantibus, juxta mentem Viri Excell.

Evacuetur itaque accuratè totum corpus cum ſanguinis miſſione ex jecoraria dextra, mediocri copia, repetito quinetiam aquæ Tetutianæ uſu alvus continuò lubrica fiat, ut antehac, & vomitus à cibo quandoque cieatur, niſi reluctetur ipſius conſtitutio. Repetantur, aquæ Thermales, nitroſæ potius, & ſulphureæ, quàm refrigerantes, hoc potiſſimùm conſilio, ut venas patefaciant magis; cùm experientia compererim Gal. ſententiam 5. de San. Tuenda 7. quod; qui latas habent venas, à cibis craſſi ſucci non læduntur. Fonticulum ſiniſtro brachio inuſtum quam maximè commendo, non omiſſa peculiari capitis expurgatione. Aquis verò octiduum ſaltem epotis, laudarem decoctum ex viſco quercino, cortice radicis lauri, & ligni Indici, parato cum columba turricola; additis radice cyperi, & hippomarathri; præmiſſo bolo ex terebinthina Cypria, & gummi ceraſorum: 20. & plures dies. Neque in caſu præſenti ſuſpecta habeo diuretica, dum renes emundentur, quæ aliis temporibus noxa non vacarent, cùm humores ad partem affectam devehere poſſint. Omnium tamen

men maximè conferet victus attenuans, & exſiccans. De quo peroptimè Gal. 6. de Sanitate Tuenda 11. Si obeſus ſit, inquit, quem calculus infeſtat, audacter huic victum tenuem præſcribas. Noritque Nobiliſſimus adoleſcens, veriſſimum fore aliud Gal. præceptum 6. de San. Tuend. 7. quòd, ſcil. multi per intemperantiam adeo nihil agunt, quò quod vitioſum in corpore collectum eſt, corrigant, ut etiam magis ipſum accumulent, dum vitioſo victu ipſis feſtis diebus utuntur; quò fit ut aliis eorum diuturni morbi incidant, à quibus tota vita expedire ſe nequeunt; cujus generis mala ſunt, Podagra, Articularis morbus, & Calculus; aliis acuti, ſed qui ſingulis annis infeſtant, vel certè alternis omnino, aliquando verò bis in anno ita laborant. Quod ſi Nobiliſſimus patiens ærumnoſum exiſtimet, juvenem medicè vivere, ſola ſaltem hebdomadæ die inedia utatur, & duobus diebus menſis, quibus dejectorium aliquod admittat, atque vomitum, ut dictum eſt, familiarem habeat. Sic enim fore ſpero, ut Nobiliſſimus Vir à doloribus Nephriticis & calculo præſervetur. Quod faxit D. O. M. *Idem ibidem.*

Nephritis & Podagra in Hypochondriaco, cum Capitis deſtillatione.

Illuſtriſſimus Dominus Marchio annum quadrageſimum circiter agens, calida humidaque temperie præditus; compoſitam corporis ſtaturam, carnoſamque partium molem, circa ventrem potiſſimum luxuriantem nactus; fuſco vultus colore, gratioſe tamen refulgens; moroſus atque pronus ad iram; innumeris gravibuſque fere ab Adoleſcentia negotiis implicitus à teneris, ut ajunt, unguiculis, deſtillationibus obnoxius, ob quas fortaſſe in anticipatam canitiem, & unius luminis vivendi hebetudinem incidit; quoniam nonnullis abhinc annis, cum Capuam regeret, in affectionem hypochondriacam, liene a ſua craſi penitus everſo, delapſus eſt, unde rheumata increvere, magis, ventris murmura atque faſtidia, inſomnia, corporis fœdatus color, dira flatuum ac fere univerſæ naturalis regionis ruina, ſuborta fuere; adverſus quorum malorum obſidionem Chalybe intrepide, utpote Herculis clava, pugnando, nonnulla fugavit, reliquaque in Thermas Gurgitelli demerſit. Verum ex hiſce debellatis hoſtibus, velut ex Hydra reciſa, nonnullis aliis renaſcentibus malis, denuo ejus vitæ pacem turbari intelleximus: irrepſit enim œdematoſus quidam pedum tumor, qui cum poſſeſſionem in illis partibus firmiſſimam diu tenuiſſet, opus proinde fuit ut in eum hoſtiliter decertaremus, arenis nimirum Puteolanis & vinaceorum uſu. Aſt ubi tot malorum phalangem ſuperaſſe ſperabamus, ecce omnium fere dentium vacillatio nonnullorum que excluſio; nephriticus inſuper dolor, bis, terve recurrens; atque demum podagricæ quædam affectionis rudimenta, quæ quidem narratæ p. n. affectiones non ſolum diſperſos revocarunt affectus, verum & illos reddidere pertinaciores. Hæc eſt ergo dira malorum Cataſtrophe, quæ Illuſtriſſimum hunc meum Dominum obſidet.

Quod tot Mala, totque Symptomata quæ Marchionem Illuſtriſſ. jam afflixere, & in præſens affligunt, à capite, à nativitate humidiſſima intemperie prædito, ortum potiſſimum duxerint, mirum videri non debet, cum omnium malorum fons à Gal. creditum fuerit; ut propterea Hipp. pronunciaverit, quod ſi colliquatio in capite moderata fuerit, ſaniſſimum illud erit, ſi vero immoderata, morboſum; unde varia & multa mala procedunt, prout in varias corporis partes ipſa delabitur fluxio: ſeptem enim à capite fluxiones ab eodem Hipp. in partes ſubjectas recenſentur; quæ ſi in capite retineantur, graviora mala inferre idem docuit, nempe Syderationes, Comitiales, & hujuſmodi alia, vel ſaltem, ſenſoria occupantes, ſenſuum operationes lædunt, ut in præſenti viſionem quam hebetem reddiderunt ad opticos nervos delatæ, dum ſpiritibus ad viſus organum tranſitum intercipientes, viſionem imminutam Amblyopiam dictam citra ullam pupillæ maculam induxerunt. Major autem deſtillationis portio in Ventriculum lapſa, alimentorum fermentationem obtundens, ſimulque eorumdem amplexum impediens, chyloſin non parum turbavit, unde cruditates, indeque obſtructiones, non parum foventibus animi intenſis applicationibus, quæ viſcera & ſanguinem adhuc magis excalefacere potuerunt, & hinc exuſtione introducta, ſanguinem craſſiorem atque melancholicum ſtagnantem reddiderunt, & obſtructiones in meſenterio atque in liene produxerunt, unde hypochondriacæ & melancholicæ affectiones emerſerunt, quibus præſentibus, quoniam ſemper major & copioſior evadit excrementorum proventus, ideo ſubverſa naturali œconomia, & adaucta capitis dyſcraſia, aliorum morborum Iliadem ſubſequutam fuiſſe non miror; Et quamvis organicis morbis chalybis uſu nonnihil proviſum fuerit, & Gurgitelli Balneo coctiones quodammodo in meliorem ſtatum reſtitutæ, capitis tamen humidiſſima intemperies in ſuo vigore remanſit, à qua catarrhalis materia copioſa perpetuo reproducta, per infundibulum & œſophagum rurſus in Ventriculum præcipitans, coctioneſque turbans, & novas cruditates regenerans, nephritici doloris in cauſa fuit: ſicut ejuſdem portio à capite per ſpinæ parietes, & inde per muſculorum ſpatia delabens, & ad pedes perveniens, pedum tumores & articulorum dolores excitavit, tandem arenis Puteolanis & vinaceis remiſſos. Verum quoniam principium morbi ſedare atque curare oportet, deinde id quod influxit, ut dicebat Hipp. de loc. in hom. 42. neque hoc in caſu fons mali exhauſtus & exiccatus fuit, ideo poſt exiccantia & roborantia pedibus adminiſtrata, catarrhalis materia in capite detenta, dentium alueolos occupavit, & eorumdem commotionem ſuſcitavit: unde recte docebat Gal. quod ſemper melius ſit, contriſtantes ſuccos à nobilioribus ad ignobiliores partes detrudere: vidit enim ipſos, repulſos ab articulis ad principem partem, nonnunquam hominem occidiſſe. Neque id ab affecto liene proveniſſe credendum, ita enim Scorbuti ſuſpicio adeſſet, quam tollit crurum ab ulceribus, aut varicibus, aut ſaltem ſugillationibus, immunitas, & putrilaginis atque

fœtoris in ore abſentia, ſed & alia ſigna adeſſent, ab Hipp. recenſita; præterquam quod humiditatis à capite defluentis redundantiam, quæ & pedum intumeſcentiam, & dolores articulares atque nephriticos excitare valuit, facilius multo dentium radices laxare potuiſſe, juremerito credi poteſt.

A tot tantiſque p. n. affectionibus, parvis exiguiſque remediis Virum Illuſtriſſimum levari, minuſque vindicari poſſe ſperandum non eſt, eoque minus, cum altas & à nativitate connutritas habeant radices; quare neceſſe eſt ut Medico perito atque diſcreto ſeſe committat, qui ſupervacaneis relictis remediis, neceſſaria nullo modo negligat, aut omittat, alioquin articulares dolores atque nephritici, augmentum ſuſcipientes, & ad motum impotentem, & prorſus calculorum Virum Illuſtriſſ. reddere poterunt, cum tamen ſatius ſit, ſexcenties malle mori, quàm ſui ipſius manibus & pedibus ob Arthritidem uti non poſſe; vel magis magiſque nutritione vitiata propter Ventriculi, aut lienis affectiones, totum corpus ad Cacochymiam, vel Atrophiam duceretur.

Quæ ut arceantur, primis expiatis viis, lienis & meſenterii obſtructiones ſunt reſerandæ, inde totum venoſum genus ab impuritatibus, quoad fieri poteſt, defæcandum; mox partes affectæ Topicis expurgandæ: ſicut purgandum quoque caput, ac illud ipſum, ut pars primario & eſſentialiter affecta, corrigendum; & tandem partes per quas & ad quas tranſit atque pervenit catarrhalis materia, ſunt exiccandæ & roborandæ; quibus demum renum calidam intemperiem corrigentia addere conceſſum erit.

His autem ineunte Vere erit ſatisfaciendum, & omnia negotia ſanitati poſthabenda.

Ex fonte itaque Chirurgico unica ſaltem eſt depromenda ſanguinis miſſio ex venis ſedalibus; nam præterquam quòd à toto evacuat, Melancholicis atque Nephriticis quàm maxime, prodeſt: ſicut Cauterium quoque in brachio inuſtum evacuatione atque diverſione magnopere juvare poſſet.

A Pharmaceutico fonte reliqua ſunt depromenda medica præſidia. Et primò lenientia, & humores in primis viis exiſtentes, præparantia; deinde ulteriora, tum præparantia, tum aperientia uſurpanda; & eſſe poterunt ſyrupus Ferneliano more à nobis paratus, ad ℥.ii. alternis diebus in exiguo vino albo duodecim vicibus exhibendus. Diebus vero intermediis validum aliud Aperiens adminiſtrabitur, vel ex chalybe paratum, vel ex ſale Martis, vel ex croco Martis cum acido ſulphuris præparato, addito quoque tart. vitriolato, aut ſale tart. fixo, cum decoct. aperiente. Quibus peractis, aliquod aliud Purgans erit omnino præbendum; ſit autem Extractum aliquod ſenæ, polypodii, aut etiam veratri, addito ſemper flore caſſiæ. Et ſi articuli evacuatione tunc egeant, Hermodactylata iterum atque iterum offerenda erit, ut tandem caput quoque pilulis capitalibus, nec non Errhinis, ex nigella, major. & rad. iridis paratis expurgetur.

Poſtrema, ſed neceſſaria magis intentio executioni mandanda, erat capitis, viarum & partium ſuſcipientium laxitatem & intemperiem humidam corrigere, ſecus irrita cætera fuerint: ad quod aſſequendum, Decoctum ſudorificum erit inſtituendum, ex ſalſa, viſco querc. lentiſco & ligno tamariſci parandum, quo poſt horam aſſumpto, hypocauſtum ingrediatur, ita ut totum corpus, & caput potiſſimum ſudet; & propterea ſudatoria ſicca, vel cum ſuffitibus omnino reprobantur; ſudet autem ſemel in die, ad dies quadraginta; & decimo quoque die medicamentum aliquod exhibeatur; quo toto tempore victus non ſit adeo tenuis, ut in Gallicis curandis affectionibus inſtitui ſolet: à vino tamen omnino abſtineat, & aquam ſecundam pro potu conſueto de more bibat.

Interim adventabit Æſtas, quo tempore caniculari aquæ acidulæ, & ſi præſto eſſe poſſint vitriolatæ, erunt propinandæ, ut jecoris & renum calida intemperies corrigatur, ſicque calculorum procreatio ſterilior reddatur.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, à Præclariſſ. Viro præſcribenda, cui jam dicta, conſideranda & opportune adminiſtranda committo *Raym. Tob. Fortis Conſultat. & Reſponſ. Medic. Th. 2. Cent. 3.*

Pro Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Principe. Ad Medicum Ordinarium.

Ad illa, quæ mihi ſcripſiſti, pluribus nunc reſpondeo. Condolenter ſanè intellexi, quatenus Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Epiſcopus N. clementiſſimus noſter Patronus, ante quatuordecim circiter dies, tali dolore circa regionem renis dextri obrutus fuerit, ut Reverendiſſimus Princeps poſt ſeſſionem aut aliam quietem pedibus incedere non potuerit &c. Ex omnibus circumſtantiis ad longum ab E. V. mihi deſcriptis, quæque tanquam ſigna Medicum ad cognitionem morbi cauſarumque deducunt, aliud judicare non poſſum, quàm quòd talis dolor plus nephriticus, quam iſchiaticus extiterit, quandoquidem plerumque ferè accidit, & quidem rationabiliter, quòd dolor iſte nephriticus nempe, ad oſſis ſacri regionem ſuperiorem ſe extendere, & iſchiaticus dolor raro aut nunquam crebriores vomitiones, difficultatem mingendi, aut urinæ ſuppreſſionem excitare ſoleat, & meo ſaltem judicio bene actum fuiſſet; ſi in tali dolore mox ab initio clyſteres, de quibus mentio in litteris facta eſt, injecti, atque inſtante & urgente dolore ſecundâ & tertiâ vice repetiti fuiſſent. Nam in principio prædictorum dolorum, ſi per os medicamenta moventia humores exhibeantur præſertim ſi alvi obſtructio (ut quæ huic affectui nephritico, perpetuus comes eſſe ſolet) adſit, & naturalis Oeconomiæ ſentina ab excrementis & cruditatibus libera non ſit, tunc talia medicamenta per ſuperiora rejiciuntur, humores agitantur, & vomitus augentur, nec non & ipſi dolores, ſupervenientibus novis torminibus, exacerbantur. Præter clyſmata congruum fuiſſet, ut pro mitigatione & ſedatione doloris, ſequens formentum humidum, ſicca enim cum non dilatent ſed intemperiem ſiccam augere ſoleant, in hoc affectu non probantur, pro-

propterea pellem cati ſylveſtris & avenam torrefactam impoſitam laudare non poſſum) magno utique cum emolumento, ac dolorum ſedatione adhibitum fuiſſet.

℞. Rad. Althææ mundæ ℥ii. Fol. Malvæ, Parietariæ an. Mii. Chærefol. Melilot. Flor. Chamomil. Ital. an. Mj. Sumit. Anethi, Fol. Lauri an. Mß. Sem. Lini, Fænugræci an. ʒvi. Miſce.

Ex his conquaſſatis mixtis præparentur duo ſacculi lintei quadrati, interſuantur decuſſatim, & decoque in olla cum aq. fluviat. q. ſ.

Hi apponantur alternis vicibus, exempti & expreſſi, applicentur loco affecto calidiſſimè, ſed ita tamen, ne lædatur aut uratur cutis. Poſthæc & præcedentibus, his præparantibus ſi vomitus remiſerint, dolorque parùm delinitus ſit, poterit pro evacuatione cruditatū & abſterſione renum atque ureterum, potiuncula lenitiva tantùm, bono cum fructu, exhiberi; uti nec pilulæ ex Terebinthina improbandæ ſunt, inprimis verò ſequentes, ob effectum quem præſtant, merentur laudem.

℞. Reſin. Terebinth. Cypr. in ſucco Limon. lotæ ʒxi. Succi Liquirit. Oſſium Meſpilor. ſpongiæ in arbuſto Roſar. ſylveſtr. natæ an. ʒiß. Tart. Vitriolat. Rhabarb. opt. an. ʒiii. Salis Succini albi, Prunellæ an. ʒi. Succi Portulac. inſpiſſati ℥i. Cum Ol. ſtil. Chamomil. Rom. f. ſ. a. maſſa.

Mirum in modum ad diſſolvendum renum calculum, & ciendas urinas conveniunt, præcipuè calidioribus naturis, (qualem Rever. & Illuſtriſſimus Princeps nactus eſt) tartarum enim & ſabulum ad miraculum uſque expellunt, gonorrhæam & id genus alia curant, nec non hepatis linienſque obſtructiones liberant. doſis jejuno ventriculo vel longè â cibo ſumpto ʒi ß. ad curationem; ad præſervationem formentur ex qualibet drachma pil· N. 27. doſis à 5. 7. ad 9. manè & veſperi. Vel loco harum pilularum ſequens pulvis: catharcticum præſtantiſſimum & experimentum mirabile in calculo renum & veſicæ frangendo, in arthritide, colica, gonorrhæa, dyſuria, ſtranguria, aliiſque meatuum vitiis.

℞. Reſ. Terebinth. Cypr. bis in ſucco Limon lotæ ℥i. Speer. Lithontribont. ʒi. Tart. Vitriolati, Hermodact. an. ʒiß. Croci orient. Maceris an. ℈ß. Turbit. elect. ʒiß. Magiſt. Scāmmonii ℥ß. Ol. ſtillat. Aniſi, Caryophyll. Aurant. Fœnic. Cinnamomi, Chærefol. an. gutt. v. Sacchari Violati tabulati ℥ii. M. f. Pulvis ſubtiliſſimus, doſis, à ℈ii. ad ʒi. in juſculo capi, vel carnis bubulæ, aut in vino calido.

Ad præſervationem calculi, omniſque doloris nephritici inſervit etiam ſequens lixivium Tartari, quod calculum reſolvit, expellit, omnemque tam renum, quàm veſicæ mucilaginem inſenſibiliter educit. quod.

℞. Tartari puriſſ. alb. ad nigredinem calcinati ℥iv. Aq. pluvialis deſtillatæ ℔iii. Fiat lixivium in quo poſtea bulliant Cort. Aurant. inciſorum ℥i. Colatura ſervetur ad uſum.

In menſe ſemel, per dies octo continuos, cochlearia duo vel tria, cum hauſtu vini Malvatici vel Hiſpanici miſta. Omnibus autem medicamentis tam prophylacticis quam curativis, ſequens decoctum experientiâ crebriori ultra triginta annos edoctus antepono, illudque inter præſentiſſimas medicinas refero.

℞. Sem. Malvæ Althææ an. ʒiii. Cicerum rubr. ℥iii. Quat. frigd. major an. ʒii. Hordei mundi ℥ii. Caricarum ping. N. viii. Sebeſten N. vii. Rad. Liquirit. raſæ ʒvi.

Præparata & miſta indantur in ſericum album pro nodulo ſeu ſacculo. hic decoquatur in aqua fontis puriſſ. ℔iv. ß. in olla vitreata ad caſum partis tertiæ, & fiat puriſſima colatura pro uſu.

Talis doſis ſufficit ad præſervationem in menſe ſemel exhibita, ut ſingulis diebus manè jejuno ventriculo, tum à meridie horâ tertiâ & tandem cùm decubitum, vitrum uſus quotidiani plenum, vel ℥v. abſque calefactione ſumantur, Interdum unico hauſtui hujus decocti adde Spiritus Salis ritè ppti. gutt. vj. vel vij. ſummo & admirando cum fructu. Hoc decoctum, in doloribus nephriticis demulcendis & profligandis, ſatis deprædicare non poſſum; quapropter illud Reverendiſſimo & Illuſtriſsimo Principi noſtro commendatum volo, palato etiam arridet, ſitimque egregiè reſtinguit. Sequenti medicamento, Autumno præterito, â Nobili quodam Viro magnum calculum expuli, ante annum etiam magnam quantitatem arenularum cum multa admiratione Medicamentum hoc eſt.

℞. Reſin. Terebinth. Cypri. ℥ß. Diſſolve optimè cum Ovi vitello ſ. q. addendo paulatim. Syr. de Althæa Fernelii ℥ii. Vini Malvatici ℥vi. Miſceantur & diluantur optimè pro liquore albo lacteo ad uſum.

De hoc liquore bibebat alternis tantùm diebus, manè jejuno ventriculo ℥iß. ſine calefactione, & jejunabat poſtea ad conſuetum uſque prandium. Diebus intermediis, utebatur decocto ſuprà ſcripto, & cum tali operatione ad inſtar incantamenti. Qua de cauſa dictus Nobilis hujus uſum hoc anno in Vere & Autumno repetiit, eundemque impoſterum bis in anno reitetare ſecum conſtituit. His medicamentis ut ſingulis annis uteretur bis, Reverendiſsimo Principi noſtro author atque ſuaſor exiſterem; niſi timerem, ut liquoris ſaporem, utpote palato ingratum, reſpueret.

Diætam quod attinet, me ad Practicantium libros refero, hoc unicum addens, in gracilibus, & aduſtos humores in corpore habentibus (ut eſt, Reverendiſsimi Principis noſtri) extenuantium uſus tutus non eſt, ſed humectan victus ratio requiritur: Et hic etiam hoc tenendum: herbacea & olera, ut & omnes cibi vim diureticam habentes (cujus generis ſunt Atriplex, Malva, Cichorium, Petroſelinum, Aſparagus, Chærefolium, Cynoſbatum) non debent uſurpari, quando primæ viæ in corpore impuritatibus ſcatent, neque etiam cum aliis eſculentis miſceantur, ne cibum crudum & eorum excrementa ſecum deducant, ſed ſolis, & ventriculo jejuno iis utendum, præſertim æſtivo tempore, Aſparago & Chærefolio, quorum germina in prima menſa ſumpta ſingulare ſunt calculi remedium; quòd renes ab arenoſis impuritatibus egregiè mundent. Omnes cibos ad generationem calculi aptos abundè proſequitur Galenus Lib. 3. de Alimentorum Facultatibus Cap. 15. 16. 17. Lib. 6. & alibi. Potus apud dictum Reverendiſſimum Princi-

Principem noſtrum tam in cœna quàm in prandio, pro primo & altero hauſtu, ad ſitim reſtinguendam, debet eſſe cereviſia ex tritico cocta & probè defæcata, poſtea vinum Rhenenſe, vel Neccaricum: Auſtriacum & imprimis Moraviæ vina hoc ſibi natułale habent, ut noceant nephriticis. *Joannes Roſa Medicus Ratiſbonenſis. apud Ignatium Franciſcum Thiermairium.*

Scholia ejuſdem Thiermairii ubi Rara Calculoſorum exempla narrantur. Quibus ſubnectitur dialogus viſcerum, Renum ſcilicet, Hepatis, & Stomachi, ob generationem Calculi ſeſe invicem excuſantium, & accuſantium.

Vix ulla eſt pars corporis, quæ à calculo immunitatem ſibi poſſit promittere: idque poſt priſcorum memoriam locupletiſſimi teſtes confirmant. In cerebro calculos natos eſſe, annotavit Jacobus Hollerius in Schol. ad Cap. 48. Lib. 1. de Morbis Internis. & Braſſavolus Commentario ad Aphoriſmum 79. Lib. 4. Ex naribus calculos emunxiſſe virginem quandam, refert Thomas Bartholinus Hiſtoriarum Anatomicarum Centuriâ 1. Hiſtoriâ 34. In lingua calculos vidit Foreſtus in Scholiis ad Obſervationem 18. Lib. 24. In colli glandudulis Nicolaus Tulpius Libro Secundo Obſervationum Cap. 25. In Pulmonibus Galenus Lib. 4. de Locis Affectis cap. 9. & ego ipſe olim Ingolſtadii. Veros calculos per tuſſim fuiſſe ejectos recitat Alexander Trallianus Lib. 5. cap. 2. In corde enatos vidit Abraham Murgelius lib. ſuarum Obſervationum. In tumore humeri miratus eſt inſignem calculum Petrus Borellus Obſervationum Centuriâ 1. Obſervat. 87. In ventriculo Cardanus Contradict. 9. Lib. 2. Tract. 5. In hepatis tunica lapillos plures multiformes reperit Antonius Benivenius de Abditis Morborum cauſis cap. 3. Lapillos ex abſceſſu hepatis prodeuntes vidit Cl. Godefridus Thileſius, mihi olim Patavii amiciſſimus, In Ephemeridibus Germanorum Anno 1670. Obſervat. 105. In Liene Fallopius in Obſervat. Anat. ad Petrum Mannam. In veſicula fellea Duretus in Hollerium Scolio 45. ſed hoc frequens eſt; & vidi ego aliquoties; in Viro quodam ſene Nobiliſſimo defuncto numerati ſunt 25. piſi magnitudine omnes nigricantes. Magnum calculum in prædicta veſicula genitum & non ſine ingentibus doloribus per porum bilarium tandem ad inteſtina; ac per ea ad alvum devolutum & excretum eſſe, in Viro Perilluſtri animadvertit Thomas Mermannus in ſuis Conſiliis; de quo caſu admodùm raro aliàs plura. Sub umbilico lapidoſam materiam extractam atteſtatur Carpus in Commentario ad Anatomen Mundini. In inteſtinis Gilbertus Anglicus Lib. 6. Fernelius 6. Parthol. 9. & quod plus eſt, ab inteſtinis ſecutum fuiſſe fluxum lapidoſum affirmant Savanorola Tract. 6. cap. 16. Arculanus 9. ad Almanſorem Tract. 3. cap. 3. In arteria aorta lapidem natum depinxit Nicolaus Tulpius loco ſuprà citato. In venoſo genere, ſeu in omnibus venis oriri arenulas docent Jacobus de Partibus, & Matthæus de Gradi, apud Zacutum Luſitanum de Medicorum Principum Hiſt. Lib. 1. Dubio 44. Lapillos quatuor in venæ ſectione unà cum ſanguine in pelvim non ſine ſonitu proſilientes audivit & vidit Viennæ Joan. Georg. Greiſelius, teſt. Ephem. Germanorum 1670. Huc videtur pertinere, quod fide digniſſimus Olaus Wormius vidit, illuſtrem Virum calculoſum nephriticum, quotidiano ferè ſudore exſolutum eſſe, quo non ſerum exſudabatur, non ſueti per poros liquores, ſed quod mireris, manipuli arenularum, quas inducta manu àbſterſit. Porrò bonâ ego fide affirmare poſſum, me Patavii, cùm vetulæ alicujus corpus, unà cum aliis Medicinæ ſtudioſis, in ædibus meis diſſecarem, ac divaricationes venarum diligentius introſpicerem, reperiſſe me in ſingulis hiſce divaricationibus materiam gypſeam, calculoſam, parietibus venarum adhærentem firmiter; haud aliter ac in thermis lapides tophoſque canalibus, per quos labuntur, accreſcere videmus. Sed quid dico in venis? in omnibus univerſim corporis partibus, tartareos hos lapides enatos viderunt unà mecum in quinquenario Viro, primò Geiſenfeldii, dein Ingolſtadii decumbente, Clariſſimi Viri Collegæ mei D. Wolfg. Sigiſmundus Brem, & D. Jacobus Stelzlin, ambo Medicinæ Profeſſores ordinarii, celeberrimi, quos honoris causâ nomino. Non ſolùm enim omnes articuli tartareum hunc fætum ediderunt, ſed etiam lingua, aures, naſus, virgæ virilis exterior cutanea pars, ſimilia monſtra protulère; imò ſub ipſa in oculis cornea, gypſea hæc ſoboles latitans, clariſſimâ inæqualitate tranſparebat, utique ob omnibus interioribus partibus, ſimili malo obſeſſis, protruſa. In renibus, ureteribus, veſica, calculos tanquam domeſticum inimicum reperiri, ſatiùs foret, ut ignoraremus, vel certè tanquam caſum rarum miraremur, quàm toties ac tam atrociter illo, his in partibus, excruciari: cujus dolor adeò ſubinde intolerabilis, ut apud Tulpium lib. 4. Obſerv. cap. 30. repertus ſit quidam, qui, non exſpectato chirurgo, ſibi ipſi calculum (qualem tamen jam ante aliquod tempus Chirurgus ſectione exemerat) novâ ſectione, ſed crudeli, & funeſtâ è veſica exemerit. Funeſta ſanè hæc fuit ſectio, & remedium ipſo morbo crudelius. Sed ecce! quàm bellè prædictam ſpontaneam ferri crudelitatem ſupplere ſciverit blanda Naturæ ſagacitas, ſponte & artificioſè, ſine ferro, vulnerando illas partes, calculum protrudens. Accepi, inquit, Cl. Joannes Bairſtius in ſuis ad me nuper literis, calculum veſicæ eximiæ magnitudinis, pondere ℥xiv ß. quem in adoleſcente 16. annorum (continuatâ tot annorum miſeriâ) Natura per ſe ſolam ſine alterius adminiculo protruſit, eo prorſus loco, quo aliàs à Chirurgis, artificioſâ manu, veſicæ calculi, inciſione, eximuntur; exulceratione ſatis dilargato, & ejecto calculo, iterum Solius Naturæ ope occluſo, ſanato. Scio quidem prorſus idem contigiſſe 1663. non procul à Ratisbona in pago Mosheim in piſcatore jam ſene (erat ibi meus Dominus Frater parochus in vicinia, adeoque omnia mihi notiſſima) ſed id factum religioſi quidam miraculoſè adſcribebant oleo S. Ignatii, quo pauperculus ille piſcator in ſumma rerum inopia ob graviſſimos dolores & urinæ difficultates ſe aliquoties ungebat. Hæc Cl. Bairſtius. Ampliſſ. Dn. de Maphæis mihi atteſtatus eſt, hunc ipſum à ſene excluſum calculum, Ratisbonæ dum ibi cum Sereniſſimo noſtro Electore in Comitiis mo-

moraretur, ſe vidiſſe, ac manibus contrectâſſe; ac cum aliis pluries admiratum eſſe. In utero calculum gigni Author eſt, præter alios, Aëtius *lib. 4. Sermone 4. cap. 98.* Taceo demum Claudium à Sancto Mauritio, Medicinæ Profeſſorem Dolanum, vidiſſe uterum totum lapideum; certè fætum integrum in utero materno jam olim lapideſcentem vidi ego in Italia Venetiis aſſervatum; qualem fusè deſcribit apud Schenkium *lib. 4. Obſerv. 194.* Simon Provancherius.

Quænam verò viſcera, vel quænam diatheſis calculoſam hanc ſobolem principaliter producant? non una eſt omnium ſententia. Renes multi, multi ſtomachum, alii hepar inculpant; plurimi non tam viſcerum labem, quàm ipſam hominum ingluviem ad judicium vocant. Viſcerum in hac cauſa defenſionem antehac & quidem eâ, quæ tunc florebat, Theoriâ videtur in ſe ſuſcepiſſe (ni me fallit character manuſcripti) Perilluſtris Dominus Antonius à Colle Comes Ceſanæ, Archiater quondam Bavaricus, Vir optimus & apprimè doctus. Is, inquam, per modum dialogi (quem ex mea quidem conjectura Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principi Paridi Lodronio Archiepiſcopo Salisburgenſi dedicavit) Renes, Hepar, & Stomachum, querelas ſuas apud Præfatum principem deponentes, ſequentem in modum, introduxit.

Renes. Inſontes, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps, à veſtris incuſamur Medicis, quòd ſcilicet locum demus tyranno calculo, quod ipſum generemus, quòd pituitosâ, craſſâ, tartareâ, lapidificaq; in nobis retentâ materiâ foveamus, augeamus, eumque non expellamus. Sed impotentiam noſtramque ſimul innocentiam oſtendere nobis non erit difficile, dummodo, quale ſit in corpore humano officium noſtrum, audire non diſplicuerit. Nutriri animal, ut viveret, neceſſe erat: eouſque enim vivimus, quouſque nutrimur; & hoc extrinſeco accedente alimento, quod apud Stomachũ primò ſemper divertit; inde potûs beneficio ad hepar defertur: craſſum enim ſine potulenta ſubſtantia exiguas Portæ venas ſubire non poſſet; hinc ad hepar uſque tantùm neceſſarius erat humidus potus, poſtea ut excrementum expellendus. Nos itaq; renes natura conſtituit, ut ſuperabundantem hanc humiditatem alliceremus, percolaremus, & ad veſicam ut excrementum inutile expellendam dimitteremus. Hoc præſtitimus hucuſq; feliciter ſemper, expelleremuſque etiam impoſterum, ſi vel ſola ad nos deveniret, vel ſaltem cum concocto ſanguine: eum enim in noſtram ſubſtantiã percolatum tranſmutaremus: Sed quandoquidem potulenta humida liquidaque hæc ſubſtantia una cum craſſo crudoq; excremento tartareo lapidifico ab hepate inconcocto nobis dimittitur, in noſtris colatoriis remanet, & contractâ morâ lapideſcit; & quia per ſubtile noſtrum cribrum pertranſire non poteſt, lancinat, dolores infert, & tyrannidem exercet; cujus incõmodi autem, ut apparet, nos non ſumus in cauſa ſed hepar, quòd tam craſſam & inſeparatam ad nos miſit materiam, de ſui natura in lapidem facilè convertibilem. Hepar itaque inculpetur, & innocentia noſtra triumphet.

Hepar. Quis meum incuſat officium? quis me de inconcocta materia inculpat? Hepar ſum naturâ quidem præcalidum, intempeſtivoque motu, equitatione, & laboribus non ſemel excalefactum, fateor; ſed ſanum adhuc ſum; perfectè, Deo ſint laudes, ſanguificationem meam perficerem utique, niſi crudum chylum mihi ſuppeditaret ſtomachus. Si non ex quolibet fit quodlibet, *inquit* Philoſophus, ſed ex determinato ſuo contrario; proportionatam à ſtomacho expeto ſanguinis materiam, & vobis inde renibus inconcocta percolanda non mittam: Monetam, quam ſuſcipio, expendo: meum non eſt ſtomachi corrigere errores. mittit ille mihi crudum ac craſſum chylum, craſſos ac crudos humores vobis etiam mitto: ſtomachus peccavit; non ego: ſatis enim mihi feciſſe videor; bonum chylum ſi habuero, officio meo non deero. *Stomachus.* O me miſerum! undiq; ſunt anguſtiæ, omnibus deſervio, nulli ſatisfacio, intrinſecæ & extrinſecæ querelæ; hepar bonum petit chylum; & vix intempeſtiva ipſius caliditas coctionis meæ tempus exſpectat; unuſquiſque de me conqueritur; ò quàm malus eſt mihi coquus! ò quàm malum habeo ſtomachum! ſe ipſum accuſat nemo; in me miſerum, dum aliquomodo valeo, gloriantur omnes, indifferenter dicunt: comedere poſſum omnia; nullum recuſo cibum caro bubula, cervina, aprina, ſuilla ſunt meæ [dicunt] delitiæ, pedes boum jucundiſſimè deglutio, indurata ova in venationibus mecum porto; dum appeto, quacunq; horâ comedo ſuaviſſimè; elixam, paſtam & frixam, uti perdices, deglutio, prandium & cænam claudit ſemper caſeus; nemo recordatur, bonum chylum expeti ab hepate, ex cruditatibus morbos & lapides generari; nemo mecum compatitur, naturamque meam frigidam conſiderat; hominis ſum non Strutii ſtomachus; Principis & non communis hominis; ſenis & non ampliùs juvenis. Sis ergo, Clementiſſimè Princeps, ſicut in omnibus tam benignus, quinquagenariæ meæ ſervitutis memor: Omne agens agendo repatitur: craſſa concoctu difficilia bene concoquere non ampliùs poſſum: hepatis petitioni ſatisfacere nequeo: juſtè conqueritur; ſed cibariorum, non mea eſt cauſa: meliora, rogo, concedat: ſanus adhuc per Dei Gratiam ſum, ea optime concoquam; & ab accuſationibus immunem me reddam, omnibus ſatisfaciam; neque me impoſterum, pro vulpecula, lepore, brutovè animalculo laboribus, obſecro, afficiat; conſideret, ſupplico, me non intrinſecè valde reconditum, ſed quaſi prope cucem dimorantem; temporum, & alimentorum injurias primus ſentio; ſemperque [ut milites dicunt] adverſum calorem, frigus, adverſus cibaria cujuſcunque generis l'avanguardia ducere debeo. Supplex itaq; exoro Princeps Clementiſſime, ut mihi impoſterum non bubulas, craſſiores carnes, ſed vitulinas juniores; non ſuiles, ſed hædinas; non cervinas, ſed vervecinas; non ſylveſtria quadrupedia, ſed montanas aviculas; non indurata ova, ſed ſorbilia recentia tremula; non paſtam elixam vel frixam, ſed hordeum, ſpinachia, ciceres rubros; non aſellos marinos, ſed trutas, ſalmones, lupos. & ſaxatiles alios concedat piſces; non fructus horarios, ſed amygdalas dulces, piſtachia, & nuces pineas. Et ut cibaria hæc feliciter venas ſine obſtructionibus pertranſeant, meſaraicas, & hepar intrent, in renibuſque tartaream non deponant materiam; concedat potum non tartaro plenum, ut Auſtriaca ſolent eſſe vina, ſed album, tenue, bene maturum, Rhenanum, ſive Neccaricum; prandiumq; & cœnam non caſei quantitas, ſed cydoniorum electuarium claudat; addo unum, quod in memoria, ut ſemper habeat, vellem; quòd ſcilicet ſalita omnia, proximam ad calculum obtineant diſpoſitionem, rogo hoc inſuper, ut à prandio potiſſimùm aliquamdiu me in quiete permittat, injuriis temporum non me exponat, competentem nocturnũ ſomnum concedat, alvi excrementa arte aliquando deponat, moderataque exercitia obeat, hoc ſemper impreſſum habens; quod melius ſemper erit, non generari excrementa noxia, quàm ea gentia violentis exercitiis, artificis inſtar, diſſipare, diſcutere. Gratias has ſi obtinuero, viſcerum querelas non ampliùs audiam. Quod faxit Deus Optimus Maximus, dum felicia omnia precamur Illuſtr. Reverendiſſimæ Celſitudini ſuæ, naturales ſubditi *Stomachus, Hepar, Renes.* Hucuſque laudatus ſupra Dominus Comes a Colle, qui uti erat Vir admodùm prudens, ita prudenter Celſiſſimum ſuum Principem [cui tunc temporis etiamnum inſerviebat] per modum dialogi, inter viſcera naturalia habiti, alloquebatur, & de ſanitate modeſtè admonebat. Magnæ artis eſt, modum ſcire, perſuadendi ægrotis ſalubria. Multi enim ſibi imperari à Medicis nolunt, aut non ſuſtinent; in quos non malè dixit olim Hieron. Faber, celebris archiater Bavaricus:

Qui vivunt, prout volunt, curari debent, prout poſſunt.

Gravidæ in quinto menſe Nephriticæ, an Caſſia & Terebinthina tutò adhiberi poſſint? Ad Collegam Medicum.

Nobilis & Clariſſime Domine Collega, amice, & Frater honorande. Dixiſti heri, me non ſatisfeciſſe quæſtioni tuæ; utrum nimirum Caſſia cum Terebinthina tutò exhiberi poſſit gravidæ in decima ſeptima jam ſeptimana, graviſſimis doloribus nephriticis excruciatæ, atque etiamnum in perpetuis illis tormentis verſanti, balneis fruſtra adhibitis, aliiſque remediis internis, externis. Quia de graviſſimis doloribus in Matrona Nobili gravida quæſtio erat, nolui eſſe longior, maximeque quia Magiſter, quem miſiſti, præſens reſponſum urgebat. Et certè his agere potiùs quàm diſputare convenit; cùm

nemo-

nemo ambigat à dolorum immanitate periculum aborſus eſſe poſſe. Secutus ergo Ludovicum Mercatum Regium Medicum, dixi periclitantem Matronam auxilio non deſtituendam; moderandum tamen auxilium eſſe, ſumptâ ad id indicatione à ſtatu fæminæ, & ab affectionis natura & periculo. Hæc, inquam, dixi ſaltem implicitè; dum Caſſiæ lubricitatem Rhabarbaro corrigendam monui, ex eodem Mercato, quem ſi placet, vide Lib. 3. de Mul. Affect. cap. 22. & poterat fortè in caſu periculoſo ſufficere reſponſio; cùm vigiliæ & perpetui dolores mulieris corpus ita afficiant, ut fætûs nutrimenta diſſipent, ex quo, quid metuendum, vides. Et Hipp. non repugnat, qui gravidas à quarto menſe ad ſeptimum purgari permittit. Putavi ergo tantùm de Caſſia ſcrupulum eſſe, quem adjecto Rhabarbaro ſublatum ſperavi. At de Terebinthina, video, major eſt difficulas: cùm aperitiva dicatur, ut metus ſit, ne aborſum procuret. Poſſem hæc eâdem facilitate negare, quâ dicuntur; ſed audi, quid Dioſcorides & Galenus. Ille, Terebinthus, inquit, cognita eſt arbor, cujus folium ſemen & cortex aſtringunt, & paulò poſt. Terebinthina reſinas omnes antecedit; & natura omnibus, calefacere, mollire, diſcutere, expurgare, & urinam cient, cruda concoquunt, ventrem emolliunt. Galenus autem 8. de Simplicium Medicamentorum Facultatibus. Interal ias præfertur Terebinthina, inquit, manifeſtam quidem non tamen ſimiliter atque maſtiche aſtrictionem poſſidens. Cujus jam auctoritate me vis niti? an illius, qui ipſi ſibi ſolus in omnibus auctor eſt, an horum anteſignanorum? concludo ergo cum eodem noſtro Galeno: inter reſinas optimam, tanquam medicamentum in multiplices uſus accommodatum, meritò Terebinthinam affirmaveris, non tamen in caliditate primas obtinere. Et hæ ſunt cauſæ, cur in ſimili caſu uſum ejus, modo dicto, maxime ſi in aqua Plantaginis plùs lota, non reformidarem, quin potiùs quàm ægram doloribus excarnificandam permitterem cum periculo fætûs, &c. Vale. *Joannes Jacobus Sattlerus Sereniſſimi Elect. Bavar. Medicus. apud Franciſcum Ignatium Thiermairium.*

Scholia. Ejuſdem Clar. Thiermairii quibus Caſſiæ & Terebinthinæ in gravidis ac nephriticis uſus ulterius examinatur; Præcipuè verò diſcutitur propria Authoris opinio, quâ, ſeptimo circiter poſt conceptionem die, fœtum humanum credit eſſe vivum, & animâ rationali informatum.

Diverſitas opinantium frequenter radicem habet, æmulam quorundam diſſentiendi libidinem ægrotantibus nunquam non periculoſam. Sed videamus, quid præſentis Domini Conſulentis, Clariſſimi D. Sattleri, quondam Medici Cubicularis Bavarici, opinio, circa Caſſiam cum Rhabarbaro, item Terebinthinam nephriticis gravidis exhibendam habuerit firmitudinis? aut an meritò Dominis Collegis ejus fuerit ſuſpecta?

Caſſiam innocuum eſſe medicamentum etiam in gravidis, ex Avicenna, Meſue, Rhaſi, Haly, Averrhoe, & Serapione diſertè & rectè docet Zacutus in ſua Phamacopœia, Articulo 3. cap. 2. Verùm cùm flatulenta ſit, non immerito aromatis inter quæ Rhabarbarū & connumerari poteſt, corrigitur. Rhabarbarum, docet ex Averrhoe Valleriola lib. 3. Enarrationum Medicinalium Enarrat. 6. facultatem aromaticam poſſidere multam, tantæque æſtimationis jam olim fuiſſe, ut non ſolùm auri precium pari pondere æquarit; ſed etiam nullo alio purgante, niſi Rhabarbaro, tutiùs ac majori cum fructu, noxia è corporibus pelli, veteres crediderint; addit Valleriola, Joannem Meſuem magna cum ratione ſcripſiſſe, Rhabarbarum & pueris, & ſenibus, & uterum gerentibus tutò dari poſſe.

An verò Caſſia & Terebinthina proſit etiam nephriticis? alterius eſt quæſtionis: ſcio Caſſiam & Terebinthinam à Zecchio Conſult. 7. aliiſque Medicis non dari nephriticis, niſi corpore præpurgato: ſcio quoque Fabricium Hildanum lib. de Lithotomia Veſicæ cap. 28. & apud hunc Petrum Pigræum Galliæ Regis Chirurgum, Caſſiæ uſum in nephriticis ac calculoſis multis exemplis improbare. Ego tamen cum Viris præcipuis credo, Terebinthinam in nephriticis pro deterſione eſſe remedium adæquatum, etiam gravidis, prout Clariſſimus Sattlerus ſufficienter docuit, non pertimeſcendum. Idem de Caſſia aſſero, utpote quòd renum ſqualorem optimè contemperat, humorum acrimoniam demulcet, ſine agitatione primas vias eluit, & demum meatus, calculo obſitos, moderatè laxat.

Ex hac circa gravidam Clariſſimorum Virorum controverſia, nactus ego occaſionem, aliud problema ſubjungo, tum à Philoſophis, tum à Medicis, in varias opiniones diſtractum: nempe, quid ſit ſemen humanum? & quomodo humanus fœtus in utero materno formetur? quove tempore, anima rationalis infundi à Creatore probabiliter credi poſſit? Et quamvis non ignorem; difficillimum eſſe, hac in re, quæ tot cùm veterum, tum recentiorum ingenia fruſtra exercuit, quidquam afferre, quod in tanta rerum Phyſicarum obſcuritate firmi aliquid præ ſe ferat; ſcrutari tamen liceat, & unà cum omnium ſæculorum Philoſophis indagando admirari, quidnam illud ſit, quod materiam hominis ſeminalem ſuſcitet, omni perfectionis genere inſtruat, magnitudines, numeros, figuras, ordinem, ſitumque & alia, quæ in corporibus fœtuum conſpiciuntur, tam affabre conformet.

Sunt non pauci, qui credunt, ſemen eſſe animatum, animamque unà cum ſemine ab animali decidi; quæ cùm ejuſdem ſpeciei ſit cum anima, à qua deciditur; jam verò ob ſubjectum numero differat: ex ſemine ob hanc animam jam novum animal exoritur, dum anima in ſemine latens ſeſe exſerit, & ſuas virtutes explicat. Quæ ſententia, animam hominis rationalem ſi intelligat, longè eſt periculoſiſſima, & à Theologis Catholicis omnibus tanquam erronea rejicitur: propterea, quòd, qui id aſſerunt, animæ rationalis immortalitatem negare, palam videantur. Quòd ſi verò juxta opinionem Fortunii Liceti Libro de Animæ Hmanæ Ortu, Patavii Præceptoris & ad Lauream Medicam Promotoris olim mei gratâ memoriâ colendiſſimi, dicant: animam humanam non ſimplicem naturam, ſed formam eſſe compoſitam, ex irrationali mortalive anima, tanquam potentiâ; & rationali, quæ eſt immortalis, tanquam actu ejuſmodi potentiam eſſen-

eſſentialiter perficiente; atque adeò animam humanam, quantùm ad ſui partes ratione carentes, vegetativam inquam, & ſenſitricem, prodire omnino à patre mediante ſemine; partem verò rationalem creari à Deo, & in fundi. Opinio eſt non minùs confuſa, quàm plurimis difficultatibus immixta: præſertim quòd tres ſimul animas in homine perpetuò coëxiſtere nulla neceſſitate comminiſcatur. Tolerabilior eſt eorum ſententia, qui S. Thomam ſecuti affirmant, in generatione hominis, priùs embryonem animari animâ vegetativa tantùm, huic dein ſuccedere ſenſitivam, ac denique rationalem. Verùm cùm ſufficiens has formas multiplicandi fundamentum non appareat, hancque ſucceſſionem animarum comitari inconvenientia plurima, Medici & Philoſophi paſſim annotârint; ut videre eſt apud Paulum Zacchiam Proto-Medicum Romanum, locis poſtea ſæpius citandis; item apud admodum R.P. Chriſtophorum Haunoldum Soc. Jeſu Philoſophum, Theologum celeberrimum, olim Collegam meum Ingolſtadii, omni debitâ veneratione etiamnum obſervandiſſimum in Acroamatibus Phyſicis, ſatius eſſe credimus, ſi Monarchiam humanæ vitalitatis ſoli animæ rationali, utpote quæ juxta probabiliorem Philoſophorum ſententiam formaliter & ſenſitiva & vegetativa eſt, relinquamus.

Alii, & plurima quidem Philoſophorum pars credit, ſemen eſſe prorſus inanimatum, atque fœtûs organizationem non niſi per juxta poſitionem partium, vi ac virtute, ſeu ſpiritûs ſeminalis, ſeu animæ adſiſtentis matris perfici; eò quidem uſque, donec trigeſimo aut quadrageſimo aut etiam tardiùs poſt conceptionem die, in fœtum ſeu embryonem quoad omnes partes condecenter efformatum, adeoque in condignum ſuum habitaculum, nobiliſſima anima rationalis, à ſummo Deo in hunc finem de novo creata, infundatur. Verùm ante plures annos communiorem hanc Philoſophorum ſententiam inſectatus eſt Thomas Fienus, Vir inſigniter doctus, Lovánii Profeſſor, & Bavariæ Principum olim Archiater, atque animæ infuſionem tertio ſtatim poſt conceptionem die contingere docuit; hancque ſuam opinionem contra Antonium Ponce Sanctacrux Regis Hiſpaniarum Proto-Medicum, qui in ſua Hippocratica Philoſophia Fienum pluribus refutare conatus eſt, item contra Ludovicum Gardinum Profeſſorem Duacenſem, & denique contra Fabricium Bartoletum Profeſſorem Bononienſem, poſtea Mantuanum, longâ iterum apologiâ acriter & doctè defendit. Fienum in multis videtur eſſe ſecutus Paulus Zacchias Medicus Romanus doctiſſimus *Tom. 2. Quæſt. Medico-Legalium Lib. 9. Tit. 1. & ſeq.* niſi quòd animam rationalem, ipſo ſtatim conceptionis momento, infundi crediderit. Tanta nimirum opinionum diſſenſione certatur ubique; &, quò quis majorem in perlegendis Authorum monumentis operam collocat, eò magis ſe confuſum & ignarum agnoſcit, deque veritate vix non deſperat. Interim ego, quid hac in re probabiliter dici poſſe credam, per modum concluſionum diſtinctè enarrabo; quæ ſi aliis videantur improbabilia, vel etiam abſurda, quid tum inde? ſufficit, ſententiam dixiſſe meam; regant fata quemque ſua.

Dico igitur primò, non tam viros, ſed & fæminas intra ſe conficere ſemen, & utrumque ſemen ad efformationem fœtus effective, prout poſtea explicabitur, concurrere. Ita Hippocrates toto fere Libro de Genitura. Atque hinc fieri videtur, ut nati modò patrem, modò matrem mira ſimilitudine, modò utriuſque miſtam veluti ſpeciem repræſentent. Quid autem ſemen ſit, & quomodo ad generationem concurrat? ulteriùs tum ex principiis Philoſophicis, tum Medicis inquirendum.

Dico ſecundò, probabile eſſe, ſeminis materiam in utroque ſexu, ex qua ſcilicet ſemen conſtituitur, aliam non eſſe, quàm ſanguinem & ſpiritus; è nervis enim præter ſpiritus ſuppeditari aliquid, prout Gliſſonius & Gualterus Scharletonius apud Gothofredum Mœbium cap. 19. Libro de Fundamentis Medicinæ Phyſiologicis ſentiunt, nondum ſatis liquet. Interim ſemen humorem eſſe credo, licet non adeò ad conſervationem individui; ad ſpeciei tamen propagationem vel maximè neceſſarium: humorem, inquam, æquè ac ſanguinem, ſpiritus, aliosque corporis humani ſuccos, inanimem.

Dico tertiò, ſemen ſubſtantiam eſſe non unam ſimplicem, ſed aggregatam; unam quidem ſpirituoſam ex ſpiritibus; alteram terreſtrem magis, & ex ſanguine confectam: porrò quidquid virtutis activæ ſemen in ſe continet, id omne partem ſeminis, quæ ex ſpiritibus, adeoque ſubtilior & tenuior eſt, poſſidere; ita quidem, ut iſta ſubtilior pars, partem craſſiorem ſeminis, ex ſanguine, uti diximus, confectam, veluti partem merè paſſivam, in utero materno fermentet, alteret, diſponat. Cujus propoſitionis ratio iſta eſt; quia ſi dicta vis activa in ſingulis partibus ſeminis tam ſpirituoſis, quàm craſſioribus reſideret, profectò videretur idem corrumpere ſe ipſum, quod eſt contra Naturæ inclinationem. Siquidem per illam actionem, qua ex ſemine fit genitura, ſeu, ſi dicere mavis, embryo, parùm refert (nam per utrumque intelligo animam viventem jam eſſe introductam, ut poſtea apparebit) neceſſum eſt, partem illam ſeminis, ex qua nempe fit genitura, corrumpi. Unde, me judice, rectiùs dicitur, ſolas partes ſpirituoſas agere in craſſiores ſeminis partes, & has paſſivè tantùm ſe habere. Quid verò cum prædictis partibus ſpirituoſis fiat, poſtquam forma viventis introducta eſt? docebimus inferiùs.

Dico quartò, partes ſpirituoſas humani ſeminis, quidquid ad generationem faciunt, id à virtute teſtium illis imprimi; quamobrem caſtrati, ſeu quibus teſticuli exſecti ſunt, virilitatem exuunt, vox virum non ſonat, vultu, colore, moribus immutantur, robur langueſcit, & quod potiſſimum eſt, non generant. Experientiis, quibus compertum eſſe aiunt, mulieres ex concubitu eunuchorum generaſſe, equidem non adeò facilè fido; cùm ſciam, mulieres omnes, quæ cum eunuchis coëunt, impudicas eſſe à quibus vix unquam extorſeris veritatem. Unde porrò non immeritò Lindenius in Med. Phyſ. de Medicis, qui ſimilia affirmare & narrare auſi ſunt, edixit; Horum Virorum authoritati, ſicut fidem ego unus derogare non poſſum, nec volo, ſic neque credere: forſan nec alii. Cæterùm ſpirituoſas ſeminis partes, teſtium virtute ad generationem exaltari, exinde potiſſimum fit veroſimile; quòd in cujuſvis animalis teſtibus ſpi-

ritum peculiarem magnopere penetrantem, qui ſimilis in nulla alia parte eſt, experientia confirmet. E caſtoreo quàm graveolens halitus & ſpiritus prodeat, nemini non notum. dici non poteſt, quanto, & quàm ſpirituoſo odore polleat verris teſtis recens apertus. hircus Venerem expertus non ſtabulum ſolùm, quo continetur, ſed & totam domum graveolentiâ replet. imò non caſtratorum bruotrum carnes peculiare ſeminis virus cùm odore, tum ſapore manifeſtè præſe ferunt; & quælibet animalis ſpecies peculiarem emittit graveolentiam.

Dico quintò, ſpirituoſas ſeminis particulas ſine dubio è ſpiritu vitali & animali mixtas eſſe & compoſitas. Probabile inſuper eſſe puto, in actu conjugali præter ſemen, etiam ſpiritus tum vitales tum animales per corpus etiam tum diſperſos, commoveri, & ad vaſa deferentia peculiari Naturæ impetu præcipitari; qui dein ſemen ſuo ſpiritu, licet antea jam fæcundum, irritent, commotionem in dictis partibus inſtituant, ut omnium ejaculatio commodiùs fieri queat. Hujus aſſertionis argumentum eſt, ut cum Hippocrate Libro de Genitura, loquar, quod ubi res Venerea exercetur, tantillo emiſſo ſemine, vel maximè imbecillis evadat homo. Præterea ſpirituoſum aliquod à toto, in ipſo coitu, unà cum ſemine emitti, vel id imprimis facit probabile, quòd à Viris fide dignis aliquoties fuerit obſervatum, unà cum ſemine vim & virtutem pharmaci, paulò antè à mare aſſumpti, mox inter copulam in fæminam fuiſſe transfuſam. ita Petrus Borellus in Epilogo Centuriæ quartæ Obſervationum Rararum Medicarum. ita Joannes Daniel Horſtius Obſervat. Anatom. 10. Nobilem quendam, narrat, ſibi amiciſſimum, Aureliæ in Gallia, poſt horam à purgante medicamento ſumpto, in coitu purgantem efficaciam ita communicaſſe mulieri, ut hæc decies per ſuperiora & inferiora vehementer purgaretur.

Dico ſextò, craſſiorem ſeminis partem, quam in formatione fœtûs merè ſe paſſivam habere ſuperiùs notavimus, non eſſe adæquatam, totalem, & omnimodam fœtûs paſſivam materiam; ſed huic meritò ſanguinem maternum paulatim affluentem adjungi. quò referre per me licebit ſuccum quendam ſeroſopituitoſum, utero materno proprium; illum nempe, quem ab uteri foraminulis, per capacitatem rugoſam internam exiſtentibus, preſſa parùm uteri ſubſtantia, exſudare, & in demortuis pleriſque conſpici aſſerunt: quemadmodum obiter notavit in Epiſtola de Partibus Genital. Mulierum Regnerus de Graaf. Putaverim ego, ex hoc ipſo ſucco, quandoquidem ab omni uteri parte naturaliter exſudat, membranulam ſeu pelliculam illam, ſemen & genituram primis diebus forinſecus ambientem, prout Hippocrates Libro de Natura Pueri vidit, & deſcripſit, conſtitui, & ab ipſa matre effici, folliculi inſtar, certa tumorum genera involventis, Unde porrò fateri liceat, me hactenus nondum ſatis aſſequi potuiſſe quorundam opinionem, præcipuè cum Gul. Harveio in Exercitatione de Generatione Animalium affirmantium: Semen à coïtu, utero iterum exire omne, ſolumque contagium quoddam ſpirituoſum remanere, uterum fœcundans. Addit Harveius loco citato ſe autopſiâ per plures annos in multis brutis adhibitâ, poſt coïtum ſtatim diſſectis, nihil ſeminis in utero illorum reperiſſe. Nondum, inquam, aſſequi potui hanc novam & primam, ut Recentior quidam ſat imprudenter vocat, Harveii opinionem; quam jam olim contra quoſdam Ariſtotelicos peripateticos aſſerentes, Semen, ubi menſtruo principium motionis indiderit, rurſus excerni, egregiè oppugnavit contrarium etiam ex ipſo Ariſtotele clariſſimè demonſtrans Galenus lib. 1. de Semine c. 3. Et licet non negem, virile ſemen ſpiritibus copioſè impragnatum aliquam fœcunditatis auram utero afflare; omne tamen illud iterum effluere, remanente ſolùm contagio quodam fæcundante, ut loquuntur, planè, contra rationem ſeminum, mihi quidem eſſe videtur; cùm ſemina omnia, quotieſcunque terræ committuntur, neutiquam evaneſcant; ſed paulatim ex ſeſe ſuique ſubſtantia germen aliquod protrudant. Quis neſcit, quàm diligenter honeſtæ matronæ ſemen, quod accepere, cuſtodiant? Sibi de omni inquietudine caveant? atq; illud ſi iterum effluxerit, mox de conceptione, utique experientiâ ductæ, deſperent? Audiamus, ſi lubet, Hippocratis Lib. de Natura Pueri experientiam: Mulieris nobis familiaris famula, *inquit*, pſaltria erat inſignis, quæ ad viros ventitabat, quam quidem non oportebat in ventre concipere, ne minoris exiſtimationis redderetur. Audiverat autem hæc pſaltria, id quod dicere inter ſe mulieres conſueverunt; quòd, quando mulier conceptura eſt in ventre, genitura non egreditur, ſed intus manet. Auditis autem his atque intellectis, hoc ſemper obſervavit, & quum quandoque ſentiret genituram non exeuntem, &c. ſaltationibus effecit, quod voluit.

Effluere ſubinde aliquid utero, poſt conceptionem, non nego; imo ſcio, in quibuſdam gravidis ſatis diu talem fluxum me obſervaſſe; nego tamen illum ſemper eſſe neceſſarium; multò minùs concedo, fluxum illum eſſe perpetuò ſeminalem. Proinde ſi quid effluat, credendum eſt, illum vel mucum eſſe utero proprium, vel etiam excrementitium, vel ſeminis partem copia abundantem, vel minùs aptam; præcipuè, cùm ex pauca ſeminis quantitate generationem fieri poſſe, negandum non ſit. Interim in quocunque horum fluxu periculum eſt, ne, laxato uteri orificio, effluat & ipſum ſemen vel genitura, atque de concepta ſobolis ſpe ſolicita mater fruſtretur. De brutis quæ Harveius aperuit, non admodùm laboro, nec Authoris fidem ſugillo; neceſſarium tamen erat, ut doctiſſimus Harveius demonſtraſſet evidenter, bruta illa multa, quæ diſſecuit, reverâ & ſine controverſia fuiſſe gravida; aut ſemina, quæ à maribus ſuſceperant, ſemper perdidiſſe. Addo ego, uterum, etiam in non gravidis, rarò ita ſiccum & vacuum reperiri, ut non mucus aliquis internos ipſius & rugoſos parietes obliniat; cui muco, ſi tantilla ſeminis quantitas commiſceatur, facilè fit, ut ſtatim poſt coïtum difficulter oculis ſecernatur; in animalibus maximè vi interemptis, atque adeò ſeminali ſpuma mox ſubſidente.

Dico ſeptimò, ſemen utriuſque ſexûs, poſtquam in utero materno mutuo inſtinctu naturali commixtum eſt, mox incipere peculiari quodammodo fermentari, alterari, ac paulatim actuari; quidem non tantùm virtute ſpirituum in utriuſque ſexûs ſemine latentium, ſed etiam fotu, calore, proprietate uteri, tanquam viſceris ad

ad generationem peculiariter determinati. Certum enim eſſe puto, ſemen humanum licet in teſtibus eò uſque exaltetur, ut determinata ad ſpeciem propagandam ei imprimatur virtus diſpoſitiva, attamen omnino neceſſarium eſſe, ut prædicta in ſemine latens virtus ab utero materno in actum excitetur; quâ actuatione, ultima tandem ponitur diſpoſitio determinata, ad introducendam formam viventis. Dixi, uterum ad actuandum ſemen humanum viſcus eſſe neceſſarium, & à Natura peculiariter determinatum: nam fabulas eſſe credo, quæcunque de fœtibus extra capacitatem uteri formatis hinc inde ſparguntur. Sic infantem per os & fauces excluſum, marito per os uxoris nefandum in modum ſemper coëunte, prout narratur apud Salmuth *Obſer. Med. Cent. 3. Obſ. 94.* fæminarum impoſturam, deceptionem, vel certè longè extra limites Naturæ aliquid fuiſſe, non eſt dubitandum. Sic felem projectum ex ore fæminæ, quæ, unà cum aqua ex urna pota, ſemen felium poſt coïtum ſuper puteo excretum, relictumque ſimul hauſiſſe credebatur, vel fabulam, vel præſtigium equidem puto: vide Miſcel. Curioſa Medico-Phyſica Germanorum Anno 1670. *Obſerv.* 109. Sic denique Paracelſi & Amati Luſitani homunculus impoſtura eſt, prout rectè judicat Riolanus Fil. *in Enchir. l. 2. c. 37.* dum ait: Extra uteri capacitatem formari fœtum, faveret opinioni Paracelſi & Amati Luſitani de formatione homunculi in vitro ex ſemine virili & menſtruo, intra fimum equinum collocato; niſi ambo, Atheus unus, & alter Judæus, tanquam impoſtores agnoſcerentur.

Dico octavò, ex prædicta alteratione, fermentatione ſeminum in utero materno commixtorũ, ibique actuatorum, nihil aliud primis ſeptem circiter diebus effici, quàm ut maſſa quædam coëat, veluti ſeminis, affluentiſque materni ſanguinis, ſeu etiam ſucci uterini, concrementum; ita quidem diſpoſitum, ut ſpirituoſa pars ſeminis per totam maſſam diffuſa, potiſſimùm verò in medio concentrata, fermentando bullulam agat; & neſcio quod ponat ex ſemine, ſanguine, & ſpiritu, rudimentum, non quidem vitale, mox tamen infundendæ vitæ futuram radicem. Nam cùm ſemen inanime ſit, nullum ſanè vitalem effectum facilè producet; ad vitalitatem tamen virtute ſuâ determinatâ ac diſpoſitivâ concurrere, quis negabit? præſertim cùm ſeminis virtus, quamdiu vitalis forma, ceu intrinſecus director, nondum adeſt, ab utero & adſiſtentis matris anima non parùm adjuvetur. Itaque quidquid circa materiam ſeminalem in utero materno ad ſeptimum circiter uſque diem peragitur, diſponitur; illud totum eſt nondum vivens aliquid; & peragitur, conſtituiturque virtute ſeminis ſpirituoſi, actuati & adjuti à virtute peculiari ipſius uteri, ut ſupra inſinuavimus.

Dico nonò, ſeptimo circiter die materiam ſeminalem ita conſtitutam eſſe, ut non ampliùs ſemen, ſed genitura evadat, & conformationis rudimenta ſua habeant initia A copula, inquiunt communiter, mixta & actuata ſemina vocantur conceptus: & poſtea ſeptimo die, cùm incipit aliqua rudis conformatio, vocatur genitura: & poſtea, factâ perfectâ conformatione, vocatur fœtus: ſeu, ut alii loquuntur, ſeptem vel ſex primi dies occupantur in ſpumificatione, vel lactatione; reliquum dein tempus, uſque ad quadrageſimum quintum ſolem, quo animam iſti infundi credunt, diverſarum partium conformationi tribuitur. Juxta illud:

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine trini,
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

Dico porrò, conformationem, organizationem, quæ, ut modò aſſeruimus, circa ſeptimum incipit, eſſe actionem vitalem; adeoque ſupponere principium intrinſecum immanens, formam ſcilicet viventem formaliter inhærentem. Ratio mea eſt iſta. Organizatio eſt quoddam complexum, ex alterationibus variis, ex motibus localibus diverſis artificioſiſſimè procedentibus, ſeparantur quædam partes ad caput, aliæ ad pedes, aliæ ad pectus, &c. producitur durities in oſſe, cartilagine, firmitudo in tendine, color in oculo, amaritudo in bile, omniaque reliqua miro ordine, ſecundùm numerum, ſitum, figuram conformantur. Atqui hæc conformatio eſt actio vitæ, non minùs quàm nutritio, aſſimilatio, accretio: quandoquidem in conformatione organica, æque ac in nutritione, debent omnes minimæ & intimiſſimæ partes formari, augeri, quod fieri non poſſet, ſi organicæ conformationis principium parti conformandæ eſſet extrinſecum, & omnia per extrinſecam ſolummodò juxta poſitionem partium, uti communiter explicant, perficerentur. Ergo organizatio, quæ circa ſeptimum incipit, æque ac nutritio, eſt actio vitalis: hoc eſt, ſupponit principium vitale formaliter immanens; quod aliud non eſt, quàm anima vivens. Profectò punctum illud rubrum, quod Harveius Exercitatione de Uteri Membranis ſaliens, in medio viviparorum genituræ, aut bullula illa, quam Thomas Cornelius Conſentinus de Generatione, Progymnaſmate 5. reciproco & perenni motu vibrantem, primis utique à conceptione temporibus, obſervari ait, quid aliud demonſtrant, quàm ibi latentem igniculum, intimè præſentis animæ omnia vegetantis inſtrumentum? Præterea organizationem illam, actionem eſſe vitalem quis negabit? Nam ſi actio vitalis eſt auctio illa, à trigeſimo die, ſeu illo, quo communis opinio in embryonem minimè viventem infundi animam docet; cur organizatio & auctio, ante trigeſimum peracta, minus ſit vitalis? cùm eadem ſemper videatur ſpecie indiſtincta actio, eadem per omnes fœtûs intimas particulas ordinatiſſima, quoad numerum, ſitum, figuram conformatio, accretio, & auctio?

Scio, quòd aliqui dicant, non opus eſſe animæ præſentiâ; ſufficere ſemen eſſe organizationis vitale principium, hoc eſt, eſſe inſtrumentum tale, quod quamvis non vivat, habere tamen virtutem ſeu potentiam vitalem, quæ ab anima generantis in illud profluxit. Sed reſpondeo: nulli enti potentiam vitalem, ſeu virtutem vitaliter agendi, ineſſe, & concedi poſſe, cui ipſum principium vitale formaliter non ineſt: Potentiæ immediatè à formis ſuis emanant, nec ullis partibus inſunt, niſi quæ principio vitæ immediatè, per partium continuitatem, cohærent. Unde nec mater organizationis author à me habetur: quippe cùm fœtus ſeu embryo, meo ſaltem judicio, non poſſit à principio aliquo ſibi extrinſeco adeò ordinatè, ut hactenus dictum, in omnibus partibus, ſecundùm omnes dimenſiones, conformari, augeri; atque adeò organizatio iſta non poſſit non eſſe actio vitalis, immanens, præſup-

ponens principium formaliter inhærens; non video, quomodo mater adſiſtens tantùm & principium reſpectu vitalis organizationis merè extrinſecum, quidquam præſtare poſſit?

Dico proinde decimò, quandoquidem conformatio embryonis principium vitale formaliter inhærens ſupponit; probabiliter illud eſſe animam hominis rationalem, circa ſeptimum mox diem à Deo in hunc finem creatam, & infuſam; atque adeò animam rationalem ſui ipſius domicilii optimam eſſe architectricem. Ratio ex diſcurſu hactenus facto ſufficienter patet: nam cùm ſemini parentum omnem vitam, animamque etiam vegetativam, cum pleriſque Philoſophis ſuperiùs negaverimus, neque animarum ſucceſſionem admittendam eſſe cenſuerimus; illud certè, ſemen inquam, organizationis author eſſe non poterit. Sicut nec ullum aliud, quod reſpectu materiæ organizandæ ſe habet per modum principii extrinſeci. Et ſanè ſi quis rem iſtam, ſine partium ſtudio, rectè perpenderit, fateatur neceſſum eſt: fœtûs in utero organizationem à nullo alio principio, quàm ab ipſa anima rationali perfici poſſe. Organizatio enim corporis humani longè excedit cùm animæ vegetativæ, tum ſenſitivæ virtutem; quarum neutra ſufficiens eſt, ut cerebrum hominis, exempli gratiâ, tali figurâ, in qua intellectio fieri poſſit, efformet; quid enim pertinet intellectio ad ſenſitivam, aut vegetativam animam? ergo organizatio corporis humani ad neutram harum cauſarum referri poteſt; ſed ad illum opificem, qui ſufficiens exiſtat, ad animam ſcilicet rationalem: utpote cui tale corpus pro apto domicilio futurum eſt. Et hanc opinionem meam ulteriùs per aliqua quæſita ſic confirmo.

Quæres primò, quid cum prædictis partibus ſeminis ſpirituoſis (quas, per uteri actuationem, ſuperiùs craſſiorem partem ſeminis in maſſam quandam diſponere notavimus) fiat, animâ tandem in maſſam illam ſeminalem introductâ? Reſpondeo, ſicut illæ partes ſpirituoſæ, ante infuſionem animæ, totam maſſam reliquam penetrando, ſeſeque inſinuando, ac fermentando diſpoſuerunt; ita poſt infuſionem animæ non evaneſcere, aut una cum aliis humoribus extra uterum effundi, ut aliqui docent. Sed puto vero ſimile eſſe, calidum illud ſpirituoſum, etiam infuſâ jam animâ, omnino perſiſtere, atque ibi retineri, ipſamque animam hoc calido ſpirituoſo, tanquam principali inſtrumento, non tantùm ad perfectam uſque corporis organizationem, ſed etiam impoſterum ad omnes actiones vitales uti; eſſeque hunc ipſum ſpiritum, calidum nativum, inſitum, implantatum, aut certè hujus calidi ſemen, de quo toties Medici ſermocinantur.

Quæres ſecundò, quòd ſi igitur ſemen parentum utpote non vitale, effectum viventem ſeu prolem non producat, ipſaque anima ſui ipſius corporis ſit architectrix; quidnam illud ſit, quod propriè prolem generare dici poſſit? Reſpondeo, matrem immediatè generare prolem. Nam poſtquam materia ſeminalis ita intra dies ſeptem, prout hactenus fusè enarravimus, conſtituta eſt; tunc enim verò mater ultimò actuando juvandoque ſemen, ultimam ponit diſpoſitionem pro inductione formæ viventis neceſſariam; atque ita per actionem generativam, immediatè producit unionem ſubſtantialem animæ rationalis divinitùs in hunc finem creatæ, cum materia prima & diſpoſitionibus, ſæpius enarratis. Et hæc vera eſt generatio prolis: ipſaq; mater virtutem generandi prolem habet, & debitè eſt applicata; atque nulla alia cauſa naturalis eſt, in quam immediatè hæc productio referri poſſit. Cùm enim hæc actio ſit propriè generatio viventis, ut in Philoſophia edoctus ſum, non poteſt competere ſemini, quod non vivit: nec poteſt competere patri, ut qui debitè applicatus non eſt: nec denique poteſt competere ipſi animæ fœtûs, utpote cujus omnis actio præſupponit actualem jam informationem. Hinc pater ex eo tantùm, & meritò dicitur pater, quòd ſemen ponat, ad propagandam ſpeciem ſibi ſimilem, determinatum, diſpoſitivum; ac licet & mater ponat; attendenda tamen eſt ratio ſexûs, cujus τὸ pater, eſt determinatio viri, τὸ mater, fœminæ.

Quæres tertiò; quid dicendum ad Juriſconſultorum Leges? quid ad Canones? qui illum tantummodò pro homicida agnoſcunt, qui fœtum conformatum & organizatione perfectum in utero interimit? Reſpondeo, Canones de tempore infuſionis animæ nihil credendum præcipere; de cætero locutos eſſe ex communi Doctorum opinione, & pœnas ita determinâſſe, ut mitiorem ſemper videantur ſequi ſententiam. Prout pluribus explicavit non ſolùm Fienus, ſed etiam Paulus Zacchias Romanus, totius ſtatûs Eccleſiaſtici Proto-Medicus generalis, *Quæſtionum Medico-Legalium, Tom.2. Lib.9. Tit.1. Quæſtione ultimâ.* Juriſconſultorum Leges quod attinet, nihil videntur contra me facere, & ut facerent; dico authoritatem Juriſconſultorum, in rebus Philoſophicis & Medicis, non eſſe magnæ authoritatis.

Quæres quartò: quid Ariſtoteli reſpondendũ, qui animam actum eſſe corporis organici definit? nec agere illam, niſi per organa? Reſpondeo hanc Ariſtotelis definitionem animæ, multis non immeritò eſſe ſuſpectam: illamque non eſſe undiquaque bonam, pluribus contendunt Æmilius Pariſanus *Lib.3. Nobil. Exercit. de Subtil. Averrhois Exercit.1. cap.40.* Daniel Sennertus *Hypomn.4. c.7.* Paulus Zacchias Medicus Romanus *Lib. cit.* Aliique quamplures, qui corpus priùs vivere affirmant, quàm ſit organicum. Unde ſatius fortaſſis foret, cum Paulo Zacchia *l.c.* animam ex eodemmet Ariſtotele *Lib.3. de Anima, Text.24.* definire: quòd ſit principium vitæ & operationum omnium corporis humani.

Animam poſſe eſſe ante organizationẽ & ſine ea, opinio eſt, *inquit Fienus*, non tam paradoxa, ut nullus unquam eam tenuerit; allego Authores aliquos, qui eam tenuerunt, & non allego ſolummodo Veigam, Mercatum, Capivaccium; ſed omnes illos, qui unquam ſemen, ſanguinem, & ſpiritus animatos eſſe aſſeruerunt; quales ferè ſunt infiniti: Plato, Themiſtius, Philoponus, Zimara, Citadinus, Forlivienſis, Cardanus, Argenterius, Zabarella, Scaliger, Vega, Valleſius, Peramatus, Tancredus, & infiniti alii; ſicut & de ſanguine tenuerunt Theologi plurimi: nam cùm ſemen, ſpiritus, ſanguis non ſint organici, ut omnibus eſt manifeſtum, ſi tenuerunt eſſe animatos, ſequitur etiam tenuiſſe, aliquid poſſe eſſe animatum, quod non ſit organicum. Sed quidquid de his ſit, dico & reſpondeo: animæ ſeptimo die introductæ non deeſſe occaſionem, nec inſtrumenta,

menta, vitales operationes exercendi. Nemo negat, calorem nativum, ſpiritus vitales, animales inſtrumenta eſſe præcipua, quibus anima corpus informans functiones edat vitales & admodum nobiles, atque etiam humorem alibilem in corporis ſubſtantiam tranſmutet: quid ergo impediet animam ſeptimo die infuſam quò minùs organizet maſſam illam, ex præcedente determinata fermentatione, diſpoſitiſſimam, omnique caloris & ſpirituum genere (prout ſuperiùs aſſeruimus) ad vitales operationes inſtructiſſimã? Itaque ſpiritibus hiſce inſtructa anima, in materiam illam jam fermentatam, & per ſeptem dies ſubactam, facilè vires ſuas exſeret, figuras, numeros, magnitudines diſponet, inſtruet, & pro inſtinctu naturali partes omnes conformabit. Neque enim aliis organis opus eſt animæ ad organizationem corporis ſui; ſufficit, ut ſpiritus tanquam principalia inſtrumenta, quibus agat, præſentes ſint, & ſubjectum, in quod formaliter agat anima, ſit proportionatum. Verùm audio te, mi Lector, ſubitò ulteriùs quærentem, in quo conſiſtat, ſubjectum eſſe proportionatum? reſpondeo, ſubjectum, ſeu maſſam ſeminalem, tunc eſſe ſufficienter proportionatum ad infuſionem animæ, quando, in maſſa ſeminali, virtus illa diſpoſitiva, à parentibus ad ſpeciem propagandam ſeminibus indita, (quæ virtus tam paſſiva quàm activa alteri ſubjecto, præterquam ſemini ab humano corpore profluenti, communicari naturaliter utique non poteſt) ſufficienter ab utero Matris actuata eſt: tum enim verò maſſa illa, per ſpecificam ſeptem dierum circiter fermentationem ſubacta, eum in modum moveri incipit, ut non ampliùs fermentationem merè naturalem, ſed verè motum vitalem, atque adeò vitam formaliter ſubeſſe, ego quidem negare nunquam auſim. Hanc vitalem motionem Thomas Cornelius Conſentinus Progymnaſmatum Phyſicorum 5. (licet in aliis à me diſſentiat hic Author) pulchrè & non improbabiliter deſcribit: *Primò*, ait, vis, quæ in ſemine, hoc eſt, in conceptu, viget, ſpiritum in eo deliteſcentem excitat; hic autem convenientem nactus fomitem turget circumfuſumque humorem fermentat, tum bullula formatur, quæ vibrans reciprocoque motu ſaliens concluſum halitum comprimit, atque in anguſtias cogit; ut propterea facto impetu halitus erumpat, & ceu per fiſtulam tubulumque longiùs procurrat: hoc interim ſpatio materia, ſeu halitus intra bullulam fermenteſcens, dum ab iteratis ejuſdem compreſſionibus propellitur, proceſſu quodammodo in orbem ſinuato, tandem ad ipſam bullulam revolvitur; idque jugiter fit. Interea ex eodem ductu, tanquam ex trunco complures prorepunt rami, qui deinde in unum concurrentes, halitum novâ acceſſione auctum ad bullulam revehunt. Hæc autem dum fiunt, obſcura ſunt, nam tanta horum corporum eſt tenuitas, ut fugiat aciem: ſed ea vis eſt iſtius halitûs, ut circumjacentem lentorem ſenſim rarefaciat, ſubigatque, & inſigni rubore inficiat. Atque hinc eſt prima ſanguinis origo. *Hæc ille.*

Quibus ergo ita conſtitutis, quis facilè negaverit, reciprocas illas & tam ordinatas ſalientis bullulæ vibrationes, principium eſſe vitalis ſyſtoles & diaſtoles pulsûs? quem in omnium animalium corporibus quoad vita & anima præſens eſt, perpetuo motu agitari obſervamus? Itaque jam tum (aliquot ſcilicet poſt conceptionem diebus) præſens eſſe, & embryoni infuſa, videtur anima; cui ſatis eſt reſpectu primæ organizationis actionem aliquam vitalem, qualemcunque demum, immediatè poſt infuſionem, exercere poſſe. Neque hoc rationalitati animæ quidquam præjudicat: nam ſi trigeſimo vel quadrageſimo die, quo utique rationalitatis inſtrumenta & organa vix etiamnum bene cæpta ſunt, & tamen rationalis anima eo tempore jam infundi communiter docetur, rationalitati nihil præjudicetur? quid, quæſo, ſeptimo die præjudicabitur animæ rationali; utpote quæ, nec ſeptimo menſe, nec anno, rationalitatis officia ob nondum perfecta organa obire poteſt?

Cæterùm liberè fateor, ſententiam Pauli Zacchiæ, quæ primo ſtatim tempore & conceptionis momento animam rationalem infundi aſſerit, non eſſe undiquaque mihi probabilem. Nam ſi ſeminum mutua commixtio, fermentatio, actuatio ſit neceſſaria, uti hactenus docuimus & ſupponimus, non video, quomodo anima, primo ſtatim conceptionis momento, utriuſque genitoris ſemen, nondum mutuâ alteratione probè diſpoſitum informare poſſit? Interim, ne erremus in vocabulis, notandum hîc obiter eſt: conceptionis nomen & tempus dupliciter intelligi poſſe: Primò, ut per conceptionem intelligatur illud inſtans, quo ſemina utriuſque ſexûs per ipſam copulam mox in utero materno concepta ſunt, utique nondum actuata; & hoc conceptionis vocabulo, per totum diſcurſum meum, uſus ſum ſæpius, dum dixi primo conceptionis die, ſeptimo poſt conceptionem die, &c. Secundò, per vocabulum conceptionis intelligitur etiam illud ipſum, quod conceptum eſt, quod tamen, meo judicio, magis propriè vocatur conceptus, & eo quidem potiſſimum tempore, quando ſemen utriuſque ſexus fermentatum & actuatum eſt; prout ſuprà loqui ſolitus ſum, dum §. Dico nonò, ita diſſerui: A copula, inquiunt communiter, mixta & actuata ſemina vocantur conceptus, *&c.* Jam verò, quòd ſi doctiſſimus Paulus Zacchias per primum conceptionis momentum, quo animam introducit, intelligat tempus illud, quo ſemen utriuſque ſexûs probè commixtum, fermentatum, actuatum eſt, atque adeò ſupponat, animam non infundi, niſi in ſemen actuatum; non incongruè quidem facit; attamen minùs bene, meo judicio, ſentit; quòd ſemina utriuſq; ſexûs primo ſtatim poſt copulam tempore, ſeu, ut ille loquitur, primo poſt conceptionem momento illico actuata, & ad infuſionem animæ diſpoſita credat; prout ex toto illius Authoris tractatu non obſcurè patet. Et hæc difficultas cauſa etiam eſt, quod neque Fieni propoſitioni, qui tertio die animam infundi docet, abſolutè aſſentiar. Puto enim hoc communi Philoſophorum ſententiæ dandum; animam, ut agere in ſubjecto quidquam poſſit, ſaltem aliquam in ſubjecto requirere diſpoſitionem, & talem proportionem, qualem ſuperiùs, ſeptimo circiter die abſolutam eſſe, propoſuimus. Sanè diem ſeptimum Hippocrates Lib. de Carnibus Textu 20. ſingulariter expreſſit: dum ait, vita hominis ſeptem dierum eſt. Primum etenim poſtquam genitura in uteros pervenit, in ſeptem diebus habet, quæcunque corpus habere debet. Id eſt, ut ego quidem interpretor, habet genitura diſpoſitionem talem,

ut & corpus & vivens meritò nominari poſſit. Eundem dierum numerum etiam Galenus & Medici communiter ferè omnes ſtudioſè obſervant: dum ſcilicet ſeptem vel ſex in lacte dies, id eſt coagulatione, ſpumificatione, &c. numerant; reliquum verò tempus conformationi, atque adeò vitæ attribuunt.

Quæres quintò; quid illis reponendum, qui aiunt, animam rationalem, formam omnium nobiliſſimam, embryonem non ingredi, niſi ſit prius, triginta vel quadraginta dierum ſpatio, condecenter conformatus? Reſpondeo, mirari me non immeritò, quòd tantam decentiam in embryone triginta vel quadraginta dierum conſtituant, cum ille tamen reſpectu nobiliſſimæ animæ nil ſit, niſi etiam tum informe corpuſculum, à quorundam brutorum ejuſdem ætatis embryonibus, præſertim quoad interiora animæ præcipua organa, parùm aut nihil differens; ut rectè notavit Fienus, contra Antonium Sanctacrux, mihi pag. 179. Et licet habeat homo millecuplo perfectiorem conformationem ullo bruto; quid tum? arguit hoc quidem majorem perfectionem animæ humanæ tam perfectam conformationem facientis; ſed non arguit, illam conformatioenm animę inductione eſſe anteriorem. Eſt, ut rectè inquit idem Fienus. l. c. pag. 201. majoris perfectionis, animam corporis ſui organizationem ſibi facere, quam ab alio accipere. Objectiones aliæ, ſi quæ ſunt, quæ contra hanc maturam animæ rationalis infuſionem à Medicis, Philoſophis, & Theologis opponi poſſunt, fusè admodùm & doctè à prædictis Thoma Fieno & Paulo Zacchia ll. cc. enodatæ ſunt. Itaque ut vela contraham, dico, animam rationalem ſeptimo die creatam & infuſam organizationis propriæ eſſe magiſtram: quandoquidem, meo judicio, organizatio actio eſt vitalis immanens, & alius artifex formaliter inhærens monſtrari non poteſt. Interim monendum cenſeo Lectorem, quandoquidem Canonum & Legiſlatorum decreta, de fœtu animato & non animato per abortum evocato, vel occiſo, ex placitis & communi Doctorum ſententia videantur emanaſſe, rectè Judices in imponendis pænis, in cauſis illis Philoſophicis Medicis, ubi diverſitas opinionum controvertitur, mitiorem ſequi ſententiam. Qua de re tum à Juriſperitis, & judicibus, tum à Medicis, qui ſæpe ſimiles ob cauſas à tribunalibus interrogantur, meritò conſuli poterit ſæpe citatus Paulus Zacchias Romanus totius Statûs Eccleſiaſtici Proto-Medicus, Quæſtionum Medico Legalium Libro 9. Titulo 1. Quæſtione 1. & ſequentibus. Præterea, omnia in hoc toto Scholio à me prolata & expoſita, in tantum recipi volo, in quantum Catholicæ cenſuræ conſona videntur.

Quæres ſextò, quidnam illud ſit, quod fœtum vel ad maris, vel ad fæminæ ſexum determinet? quænam etiam morboſæ monſtroſæque conformationis cauſa habeatur? Reſpondeo, cùm ſpiritus in coitu à toto corpore, unà cum ſemine etiam ſuo ſpiritu fœcundo, in uterum projiciantur, ut ſupra docuimus; ſpiritus porrò hi, omnium totius corporis partium, à quibus divelluntur, idæis imprægnati ac ſignati ſint; fieri exinde, ut modò mas, modò fæmina, nunc patri, nunc matri ſimilis natus prodeat: prout ſcilicet vel maſculi vel fæminei ſpiritus, ſemen ſui ſexûs magis fœcundantes, vigent, & exſuperant; qui in ipſa mox organizatione, faciliùs ab anima ſuſcitati, tanquam potentiores igniculi, ſimile relinquunt in fœtu ſui veſtigium. Animam ad hunc vel illum ſexum eſſe ex ſe indifferentem, hermaphroditi ſatis evidenter oſtendunt; in quibus probabiliter par & æquale ſpirituum, ſpirituoſarumque idæarum ab utroque parente concurrentium robur ita intervenit, ut neutrum ſuccumbat, utrumque vincat, utriuſque ſui imprimens ſignaturam. Fœtum ad morbos, & præcipuè hæreditarios, diſponit morboſa & quaſi contagioſa in ſemine latens idæa; cujus radix adeò altùm ſemini fœtuique aliquando infixa hæret; ut etiam non niſi, poſt annos plurimos, omnino actuata, efflorеſcere incipiat; nunquam ampliùs, aut difficillimè eradicanda. Idem ferè de monſtris dicendum arbitror; fiunt enim illa, (ut taceam inconcinnam uteri figuram, compreſſionem, caſum &c.) quotieſcunque naturales à toto corpore in ſemen implantatæ partium ſignaturæ, à ſua ſymmetria degenerant: degenerant autem ſæpiſſimè in gravidis, ubi violentiâ imaginatricis, vel in ſemine concepto, vel etiam in fœtu, prædictæ naturales ſignaturæ, peregrinis idæis ita turbantur; ut confuſis organizationis humanæ ſignaturis non niſi extranea & monſtroſa exoriri poſſit miſtura, animâ formatricis magiſtrâ ad normam peregrinam formandi quaſi coactâ: quatenus Meſſanæ aurificis uxori contigiſſe ſcripſit Petrus Caſtellus, quæ primò fœtum formâ aſini, quia gravida aſinum coëuntem in via curioſiùs obſervârat; ſecundò caninum monſtrum peperit, quia, ut ipſa referebat, eo tempore, quo cum viro ſuo rem habebat, canem adſtantem veluti mirabundum, mirabatur & ipſa canem reſpiciens. Verùm ſimilia nata monſtra, quæ brutorum notabiles habent ſignaturas, hominem matrem à ſuſpicione nefandi coïtus & commixtione ſeminum diverſæ ſpeciei difficulter excuſare, admonuit ſæpe citatus Paulus Zacchias Tom. 3. Conſilior. Conſil. 22. de ſignaturis, ſive de idæis, mirâ & novâ methodo ſcripſit Joh. Marcus Marci Medicus & Profeſtor Pragenſis. De viribus imaginationis Thomas Fienus librô propriô.

Quæres ultimo, cur ſi anima ſui ipſius corporis architectrix eſt, & fæmella in utero organiſetur tardius mare, extra verò velocius matureſcat? Quod Hippocr. Ariſtot. Galen. & medici reliqui fere omnes concedunt. An quia fæmina & uterus, maris amici, eum fovent lubentius, & liberalius, atque adeo neceſſaria ad illius fabricam citius ſuppeditant? Vel an mares, quia magis agiles, citius moventur, affetantque exitum, fæmellis haud invite domi latitantibus? Verum cur è contrario fæmellæ extra uterum citius adoleſcunt? An iterum quia fæminæ ad maris conſortium properant? Crediderim potius quòd pubeſcant citius fæminæ, ſapiant, ſeneſcantque citius, inſtar fructuum horariorum; quorum teneriores omnes citius quàm ſolidi & durabiliores matureſcunt; ob humidi ſcilicet abun-

abundantiam, viriumque ac facultatum teneritudinem, imbecillitatem. Communiter, quæcunque infirmiora ſunt, temporiùs adoleſcunt.

De Nephritide.

Non obſcuri nominis JCtus, qui in Aulis Principum, crebriſque, ac longinquis peregrinationibus optimum juventutis ſuæ conſumſerat robur, Temperamento Cholerico, habituque corporis ad maciem diſpoſito, à multis jam retrò annis modò gravativo, modò tenſivo, interdum & lancinante doloris ſenſu circa renum regionem, cum frequente ſabuli rubenti excretione, fuerat divexatus. Eundem quoque dolorem, magis adhuc exquiſitum, & adurentem, totâ proximè elapſâ hyeme annum agens IL in dextro rene, cum dolorifico cruris ejuſdem lateris ſtupore perſenſit: Comite inſigni appetitûs, circa veſperam præſertim, imminutione, & calore quodam præternaturali, & inſolito, qui vel unicô ſaltem diætæ exceſſu, vel vehementiore corporis exercitio ſeſe manifeſtabat, cum inconſueto totius corporis torpore, & laſſitudine in hunc uſque diem, reliquis licet paululum mitigatis moleſtiis, intolerabili cum conſtantiâ continuante. Conqueritur inſuper de ventriculi intemperie frigida, veneris extinctione, & iſchiatico reliquis ſeſe commiſcente cruciatu. In juventute lucubrationibus admodum fuit deditus; Nec adhuc ab eiſdem ſeſe ſolet temperare. Hoc de affectu quid ſentiam, unde eundem exiſtimem progenitum, quid de eo ſperandum ducam, vel metuendum; quibus demum præſidiis ipſum augurer oppugnandum, in ſequente exegeſi pro ingenioli viribus planum reddere laborabo. Faxit deus T. O. M. ut id fiat bonô omine & feliciter.

Reſolutio.

Affectus, quo noſter JCtus non exiguo annorum ſpacio laboravit, Nephtis mihi eſſe videtur; Cujus nomen deſumptum eſt à parte affecta, & ſymptomate, nam νεφρὸς renem, & terminatio ῖτις communiter Inflammationem (unde ſolutio continui, & conſequenter dolor) denotat, de quo vid. Lexic Medic. Brunon. p. 750. Ab aliis inflammatio renum (ut apud Coſter. Tab. LXIX. pag. 269. videre eſt.) vocatur. Germanico idiomate vocatur, *das Grieſz*, vel *Grün*. Eſt autem Nephriticus dolor ſenſus renum partiumque proximè illis adjacentium, & contiguarum triſtis, ſeu moleſtus; cum variis ſymptomatibus, mitioribus, & vehementioribus, proveniens à ſolutione continui partium nervoſarum ſenſu tractûs præditarum, ab objecto improportionato, vi & vehementia agente introducta.

Laborare verò Ægrum hoc affectu, demonſtrant:

1. Eſſentialiter inhærentia: Adeſt namque modò gravativus, modò tenſivus, interdum & lancinans doloris ſenſus circa renum regionem, cum frequente ſabuli rubentis excretione.

2. Eſſentialiter Conſequentia: Nam obſervatur Cruris ejuſdem lateris ſtupor dolorificus, circa dextrum Renem, quem comitatur inſignis appetitûs dejectio, calorque præternaturalis, ac inſolitus, qui vel unico diætæ exceſſu, vel vehemente corporis exercitio ſeſe manifeſtat, cum inconſueto totius corporis torpore, & laſſitudine, ventriculus quoque intemperie frigida laborat: Adeſt quoque veneris extinctio, quibus inſuper incommodis iſchiaticus ſeſe cruciatus aſſociat.

3. Cauſæ Prægreſſæ non minùs Affectum hunc præſentem eſſe demonſtrant; quas infra ſumus conſideraturi.

Subjectum Principale ſunt Renes: Qui ideò à ſummo Creatore in corporibus animalium ſunt exſtructi, ut per illos ſeroſum excrementum à maſſa ſanguinea ſecernatur, & percoletur. Quali autem ratione, & modo hocce fiat, & quomodo per quandam (quam ſupponit) efferveſcentiam ſeri pars cum ipſi admixtis impuritatibus ſeparetur, & qualem nanciſcatur figurationem, ut ſola per Renum poroſos meatus delabi poſſit, ipſo ſanguine ab iis excluſo, explicatum difficillimum cenſet Diemerbrock. lib. 1. Anatom. cap. 17. adeoque hunc, qui explicarit, verè laureâ dignum judicat. Afficitur autem Ren vel unus tantùm, iſque vel dextri, vel ſiniſtri lateris, vel etiam interdum uterque. Sic quidem, ut unus totaliter putredine abſumatur, alter verò calculoſâ, & aliâ quadam moleſtâ materiâ oppleatur, quo fit, ut ſeroſo ulutici, planè tranſitus inhibeatur, quale exemplum Williſ. in Tr. de Urin. cap. 5. p. 245. & ſeq. de Matrona Illuſtriſſima allegat. Minus Principale ſubjectum ſunt Ureteres, Veſica, Ventriculus, Crura &c. quæ Renibus pr. nat. affectis συμπαθικῶς, ſeu conſenſum afficiuntur.

Cauſa Immediata, & Proxima hujus affectus eſt ſolutio continui: Quæ fibras, parteſque Renum membraneas pr. nat. affectas demonſtrat.

Cauſa Mediata Proximior, eſt objectum diſproportionatum. Hoc noſtro in ſubjecto materia quædam eſt tartarea, limoſa, & feculenta, ſabulum itidem, quod ipſo actu admixtum apparere ſupra oſtendimus.

Mediata Remota Cauſa, omni dubio procul Ventriculi, Hepatis, & Renum eſt dyſcraſia, Ventriculus enim, ut ex præcedente hiſtoria haud obſcurè conſtat, frigidus eſt & debilis, & ſic per conſequens cruditatum, & obſtructionum meſenterii, vaſorumque renalium parens: Hepar calidum eſt, eâdemque temperie etiam Renes laborant, crudam ad ſe translatam materiam adurentes, & exſiccantes, atque in arenulas transmutantes. Nullum quoque dubium eſt; Vitam aulicam, quæ inordinata, & luxurioſa plerumque eſſe conſuevit, crebras pariter, ac longinquas peregrinationes, haud parvum pondus, atque momentum ad procreationem iſtius affectus contuliſſe.

Quibus præſentibus, & in actum deductis mirum non eſt, Ægrum noſtrum laudatum tali affectu correptum non modò; Verùm etiam recenſita ſuperius Symptomata fuiſſe perpeſſum quorum nunc rationes paucis, quoad licet exponemus.

A multis jam annis modò gravativô, modò tenſivô, modò lancinante doloris ſenſu circa

renum regionem, cum frequente ſabuli rubentis excretione divexatus eſt Æger, eo quòd per longum temporis ſpacium in illius corpore, ſeu maſſa ſanguinea delituerit, mox verò in apricum jam minus, jam magis pro copiæ diverſitate prodierit: Quæ excretio cum à bonitate naturæ juvaretur, Æger, huic nimium confidens, ſibi perſuadebat, fore, ut tractu temporis omnis materia peccans tandem evacuetur, id quod tamen tantum abeſt ut evenerit, ut potius.

2. Dolor tota proximè elapſa hyeme magis exquiſitus, & adurens quaſi in dexto Rene perſentiri cœperit: Quandoquidem ſabulum illud, quod adhuc permanſerat, continuo materiei affluxu grandius factum ſicuti ingreſſum ureteris, quem infundibulum vocant Anatomici, ulterius dilatavit, ita quoque exquiſitiſſimos, maximosque dolores attulit.

3. Acceſſit verò cruris ejusdem lateris ſtupor, ideo quia lumbaris muſculus ψόας dictus, in renum regione ſitus eſt, ortum habens ab inferioribus duabus thoracis, & tribus ſuperioribus lumborum vertebris, ubi per internam oſſis Ilii partem deſcendit, trochanterique annectitur. Cùm autem hic muſculus inſigni nervo gaudeat, renesque eô locô incumbant, ubi nervus ingreditur, idcirco ſtupor in ejuſdem lateris fœmore ſentitur.

4. Inſignis præterea appetitûs dejectio, præſertim circa veſperam, aliquandiu jam moleſta fuiſſe perhibetur. Quam quidem ob conſenſum Renum cum Ventriculo obortam arbitror; inferiori enim membranæ renum inſeruntur nervuli, à ramo ſtomachico communicati, qui renibus obtuſum ſenſum præbent. Ulterius verò in ureteres inſerti, valde notabilem illis ſenſum communicant. Id verò præcipuè fit circa veſperam, quia ægri circa hocce tempus plerumque debiliores eſſe obſervantur.

Et 5. Calor quidam inſolitus ſupervenit; Eò quod præpedita quadantenus ſanguinis περιδρομὴν quandam in Renibus φλόγωσιν excitet. Notanter dico: Φλόγωσιν; cum alias, ſi Renes inflammati eſſent, Febris continua oboriretur, cujus tamen in Ægro noſtro nulla hactenus indicia adfuerunt.

Interim 6. vel unico diætæ exceſſu commiſſo, vel vehemente corporis exercitio dolor exacerbatur, eo quod, ob partis affectæ debilitatem, & εὐαισθησίαν, etiam levior mutatio, concitatiorque M. S. motus turbas ciere, moleſtumque in Renis afflicti regione ſenſum producere queant. Unde minus mirari ſubit, quod

7. Inconſuetus totius corporis torpor & laſſitudo in hanc uſque diem, reliquis licet paululum mitigatis moleſtiis, & quidem intolerabili perſeverantiâ continuante Ægrum affligat, atque excruciet; præterquam enim quòd, ob vitioſam partis affectæ nutritionem, particulæ heterogeneæ magis magisque in illa colligantur, ipſi quoque muſculi lumbares in afflictionis hujus ſocietatem veniunt, & ex præpedito ſpirituum animalium affluxu languoreve inconſueto gravantur.

8. Conqueritur Æger de intemperie ventriculi frigida; Quæ niſi nativa ſit, abſque dubio ab aſſumptis talem intemperiem producentibus fuit producta, dumque Renes pr. nat. calent, calor etiam ventriculi ad Renes amandatur, unde frigida illa ventriculi intemperies.

9. Veneris verò extinctionem accerbiſſimis renum doloribus, quin etiam teſtibus, & vaſis ſpermaticis, quæ quandoque contrahuntur, ut teſticuli & vaſa ſpermatica quaſi inguini infixa videantur, adſcribendam eſſe judico.

10. Iſchiaticus quoque dolor præſenti afflictioni, propter partis affectæ viciniam, ut & nervorum communionem, ſeſe aſſociare videtur.

Prog. Expoſitis ſic ſymptomatum rationibus; porrò, quid ſperandum? vel quidnam periculi immineat? proxime ut ſubjungamus, ordinis ratio expoſcit. Eſt itaque hocce mali genus, cum quo Ægrotans noſter conflictatur, minime contemnendum, eò quod pars quædam nobilis lædatur, quæ ſecretioni ſeri à ſanguine inſervit; quæ actio ad vitam noſtram ſuſtinendam eſt ſumme neceſſaria, ſiquidem excretione illa ſeroſa impedita graviſſima ſymptomata excitantur, quæ mors neceſſario ſubſequitur. Cum autem ſymptomata in caſu noſtro recenſita nondum plane ſuperent morbi naturam, ſed potius Ægri vires ad ferendum adhuc ſatis validæ deprehendantur, inſuper etiam mentio fiat errorum in diætâ commiſſorum, ſicut & vehementiorum exercitiorum, illumque dolorem non à calculo majore obſtructionem cauſante provenire conſtet exindè, quia mediante urina ſabulum rubrum excernitur, quod deindè in fundo matulæ ſatis copioſe reperitur: Quare Ægrum noſtrum cum ſanitate in gratiam rediturum, ſi nempe legitima diæta obſervetur & convenientia in uſum vocentur remedia ſperamus.

Explicatâ nunc Theoriâ, bono cum Deo nos nunc ad Praxin conferimus. Cùm verò perſuaſum habeam, atque ex ſuperioribus ſatis ſuperque conſtet, inordinatam victus rationem haud parvum pondus, atque momentum ad procreationem hujus affectus attuliſſe, de regimine victus in contrarium mutando prima omnium cura in mentem veniat, neceſſe eſt. Fruſtra enim medicamenta præſcribuntur, (teſtante Galeno) ſi bona victus ratio negligatur. Nam quod pharmaciâ ædificatur, hoc malâ diætâ deſtruitur.

Victus verò regimen, ſeu Diæta, cùm in ſex rerum nonnaturalium legitimo uſu, & adminiſtratione conſiſtat: Vitandæ primum erunt, quantum fieri poteſt, inſigniores aëris intemperies, hyemali potiſſimum tempore, quô nebulæ, pluviæ, & nives ſunt frequentes, boreales etiam quandoque urgent ventique frigidi & ſicci multorum affectuum ſunt genitores.

Deindè cibus eſt eligendus, qui ſit boni ſucci, & facilioris digeſtionis: Quales ſunt juſcula carnium gallinarum; panatella, pulticula, & cremor hordei: Carnes gallinarum, caponum, perdicum, pipionum, pullaſtrarum, avium in ſylvis, dumetis, ſaltibus, collibus, & montibus degentium. Agnorum item, & vervecum & boum juniorum: Huc pertinent etiam carnes lepuſculorum, & capreolorum: Ova item tremula, & ſorbilia: Ex piſcibus trutta, thy-

thymalli, funduli, lucioli, ſalmerini, & ſalmones commendantur. Ea verò quantitate aſſumendi ſunt cibi, quam ventriculus benè ferre, & concoquere poteſt: Prandium & cœna inſtituantur ſtatis horis; Nullo præſente appetitu à cibo abſtineatur, aut parum comedatur. Cibi duri, lenti, craſſi, viſcidi, concoctu difficiles, quales ſunt: Carnes cervinæ, leporinæ, aprugnæ, vaccinæ, bovinæ, & vervecinæ veterariæ, fumo etiam induratæ, & ſalitæ: Lentes, fabæ, ipſa ova frixa ſicca & dura: Viſcera & extremitates animalium; Aves aquaticæ, ut anſeres, & anates: Anguillæ, tincæ, cyprini annoſi: Caſeus antiquus putridus, & verminoſus vitentur.

Potus ſit cereviſia defæcata, mediocris, quæ alterari poteſt veronica, betonica, & foliis ſcolopendrii; Craſſam verò recentem aut ex aquis impuris, & paluſtribus coctam & nondum defæcatam fugiat. Vinum ſi appetat Æger, etiam concedi poteſt, ſed non craſſum auſterum, nec dulce, ſed album, tenue; nimis fortè dului poteſt infuſo ligni nephritici, & ſucco limonum, poſſunt etiam julapia eidem ſcopo inſervientia concinnari.

Motus corporis ſint mediocres ante prandium, & cœnam, poſt paſtum lento gradu Æger obambulet, ut cibi ingeſti in ventriculo probe miſceantur, & in fundum deſcendant.

Somnus duret horas 7. l. 8. à cœna non ſtatim eatur cubitum: Vitetur etiam Somnus meridianus, niſi prægreſſa nocte parum fuerit dormitum, vel matutino tempore corpus defatigatum.

Alvus quotidie ſit laxa, & aperta, talis verò ſi non extiterit, pilulis angelicis, prunis, paſſulis, pomis dulcibus coctis, lactuca elixa, aut ſpinachia, ovis itemſorbilibus, & tremulis, cum butyro hauſtis provocetur.

Omnes denique vehementiores animi motus, quales ſunt: Ira, Melancholia; adde lucubrationes, communes vitæ inſidiatores, cane pejus & angue vitari debent.

Pharmaciam quod attinet, natura multitudine, & crebritate medicamentorum neutiquam oneretur, præſtat in promtu habere pauca, & facilè parabilia.

Primum autem quod juxta indicationes ſuſcipiendum, hoc eſt, ut cruditates è prima corporis regione ſenſim eliminentur. 2. Ut obſtructiones venarum meſeraicarum reſerentur. 3. Ut diureticis non calidis, ſed refrigerantibus, & temperatis reliquæ materiæ ſabuloſæ, vel calculoſæ per meatus urinarios educantur. 4. Ut Dolor urgens anodynis ſedetur. 5. Ut totum corpus, præſertim verò renes alterentur, tabeſque præcaveatur, ſtomacho non neglecto. 6. Ut iſchiatici quoque affectus ratio habeatur.

Primam intentionem quod attinet, non unâ, ſed repetitis vicibus corpus mitioribus medicaminibus veniet expurgandum; idque docente Galeno lib. de aëre, aquis & locis vere & autumno, die ab æquinoctio, octavo vel decimo.

Medicamenta, quibus hoc in negotio utendum, erunt ſequentia:

℞. Mann. calabrin. ſelect. tabulat. ℥ii. Crem. Tart. ʒß. Diſſolvatur in brodio carnis, rad. petroſel. alterato: vel decoct. prunor. dulc. vel in Aq. alkekeng. & petroſelin ℥iii. Colatura calidè ebibatur.

Vel ſi libuerit infuſum, tunc tale proderit:

℞. Fol. ſen. or. ſ. ſt. ʒvi. paſſular. corinthiac. ℥ß. Rad. liquirit. ʒi. Specier. inciſar. ʒß. Excipiantur ſacculo ex ſyndone alba, & affundantur decoct. 1. prunor. dulc. adhuc calentis ℔. iß. ſtent in infuſione per horas XXIV. poſtodum de infuſo hoc hauriantur ſingulis diebus, jejuno ſtomacho, ℥iiii. idque alternis diebus, duabus vel tribus vicibus.

Vel Decoctum hoc ſumatur:

℞. Fol. ſen. or. ſ. ſt. ʒ. ii. Rhabarb. el. ʒj. Agaric. trochiſc. ʒß. Cinam. ac. ℈i. Infunde per noctem in aq. cichor. vel alkekeng. q. ſ. loco calido, mane ebulliant parum, in colat. ℥iii. diſſolv. mann. calabrin. ſolut. ʒvj. colentur denuo & addatur conſ. alkerm. ʒi. M. F. potio.

Vel Syrupus propinetur, e. g.

℞. Aq. acetoſell. ℥ß. Diacyd. luc. Jalapp. ʒiiß. Julep. violat. ʒi. Spir. Sulph. acid. gt. ij. M. S. *Gelindes Purgier-Säfftlein.*

Alter ſcopus eſt, obſtructiones reſerare. Ubi hoc in caſu & ſubjecto improbo & repudio uſum omnium tincturarum, ſalium mineralium, & metallorum, utpote quæ plerumque corroſiva ſunt, nimiumque exſiccantia: Talis autem ſunt, antimoniata, ſpir. nitri vitrioli, tinctura martis; improbo etiam cremorem, & cryſtallos tartari, cum nec hæc medicamenta omni exuta ſint corroſivitate. Horum verò loco propino ſimpliciſſimum decoctum aperiens cum pulvere ſequenti, ſingulis diebus, horis matutinis, ſtatim poſt purgationem, per octiduum calidè ſumendum.

Pro decocto, quod indigitavi. ℞. Rad. cichor. alb. exſiccat. & inciſ. ℥iv. Coq. in brod. carn. vitulin. gallor. aut bubul. ℔iii. h. e. menſ. i. ad conſ. tertiæ partis, Colaturamque expreſſam ſervabis pro uſu.

Pulveris verò deſcriptio hæc eſt, quæ ſequitur.

℞. Scob ebor. ʒiii. Ocul. cancri præparat. Sal. matr. perlar. ʒß. M. F. pul. ad ſcatulam. Doſis ʒß ſumend. in primo cochleari brodii, de quo ℔ß. pulveri huic ſingulis vicibus ſuperbibenda.

Quod ubi per octiduum fuerit continuatum, una ex ſupradictis potionibus purgantibus erit repetenda, ita enim omnes oppilationes venarum meſeraicarum aperientur, materiaque vel calore, vel ſiccitate lapideſcens per urinam educetur.

His poſitis, pro tertio ſcopo aſſequendo reliquas materiei peccantis per diuretica temperatiora educere oportebit, qualis eſt emulſio ſeminum refrigerantium maiorum.

℞. Decoct. Hord. limpid. ℔iß. Aq. fragor. S. V. ℔ß. roſar. fragrantiſſ. ʒvi. Nucl. pinear. rec. ℥iß. Sem. melon. exc. ℥ß. violar. ʒii. F. l. a. Emulſio edulcoretur Rotul. perlat. ℥i. M. S. *auf* 4. *mal.* Ejuſmodi Emulſio etiam tempore paroxyſmi, ubi plerumque urget ſitis, & φλόγωσις erit exhibenda; Item ſuccus portulacæ inſpiſſatus ad ʒß. in forma pilulari, aut alia exhibitus plurimi æſtimatur, ſecretique loco ha-

habent à Cratone trium Imperatorum Medico feliciſſimo. Nonnullis, experientia teſte, pulvis liquiritiæ eadem doſi in aqua veronicæ vel brodio carnis per effatu dignum temporis ſpacium jejuno ſtomacho exhibitus (utpote admodum temperatus) inſigniter commendatur.

Ad leniendos dolores tempore paroxyſmi, parari poteſt balneum ex rapis in aqua decoctis; vocari illud ſolet, *ein Lenden-Baad*.

Antequam verò balneo ſeſe committat Æger, corpus ſequenti enemate eſt eluendum:

♃. Decoct. veronic. v. ſero lact. fact. ℥x. El. lenitiv. Florenzol. ℥i. Ol. ſcorpion. lilior. alb. ana ʒvi. Vitell. ov. nr. i. Croc. orient. ʒß. M. S. Enema. Et de Aqua ſequenti cochlearia 6. vel 8. aſſumenda:

♃. Aq. linar. alkekeng. petroſel. hed. arbor. ana ℥ii. nephrit. ℥ß. Syr. de alth. Fern. ℥i. M. D. Emulſio quoque ſuperius deſcripta hic quoque locum habet; item Ol. amygd. dulc. rec. expreſſ. ab ℥iß. ad ℥ii. cum brodio carnis calide exhibitum. Item ſyrup. de alth. Fern: per ſe, locò aq. veronic.

In balneo perſeverandum, quamdiu vires permittent; Ab egreſſu verò ex eodem, ubi aliquamdiu ſeſe in lecto collegerit Æger, illinatur lumborum regio calide linimento ſequenti.

♃. Ungt. nephritic. ℥i. anodyn. ℥ß. Ol. ſcorpion. ʒiß. chamom. lumbricor. terr. ana q. ſ. M. F. linimentum. vel Unguento, quod

℞. Ungt. nephrit. ℥i. de alth. ping. cucicul. ana. ℥ß. Ol. Scorpion. ʒiß. Succ. portulac. parietar. ana ʒvi. Cerat. ſantalin. ʒi. Sal. nitr. ʒii. ol. nymph. q. ſ. Coq. ad ſucc. conſumtionem, add. terebinth. Venetæ parum, vitel. ovor. n. j. M. F. unguentum, quo renes calide inungendi.

Cataplaſma verò ſequens multis aliis, teſte Cratone, præferendum.

♃. Cancror. n. xii. aut q. v. coq. in ſ. q. lact. & contundantur. Succus poſtea exprimatur & cum panis albi mediocris magnitudinis micis, vitelliſque ovor. nr. ii. butyrique recentis & ol. violar. qſ. excipiatur, addito pauco croco M. & calide in lineo duplicato renibus applicetur, reitereturque ſæpius.

Sequitur nunc intentio iſta, ubi ea remedia, quæ totius, præſertim verò hepatis, & renum intemperiem calidam & ſiccam corrigunt, febremque præcavent, erunt proponenda. Inter ea verò primum locum obtinet ſerum lactis caprilli cum ſemine coriandri præparato, aut aniſi coct. optime depuratum, & per chartam bibulam colatum per 15. dies menſe Maio prædictis & univerſalibus præmiſſis bibendum hoc modo: Ut ſingulis matutinis horis à ℔j. incipiendo ad ℔ii. calide hauriatur, corpuſque ad ſeri uſque excretionem obambulando exerceatur. Alvum hocce ſerum laxat: Urinam ciet, obſtructiones reſerando totum corpus refrigerat inſtar Acidularum, quas in hoc ſubjecto, ob ſpiritus, quos obtinent corroſivos, & exſiccantes, ventriculi imbecillitatatem corporiſque maciem, tanquam ſuſpectas, exulare jubeo. Ulterius præcavet maciem lac aſininum; cum hoc ſolum inter lactis genera calculoſis carens cenſeatur particulis ab Archigene, omnibuſque Medicis quippè quod tenuiſſimæ ſubſtantiæ ſit, & multum ſeri detergentis habeat, recens mulctum, & adhuc calide aſſumptum per 3. aut 4. ſeptimanas, prout naturæ contulerit.

Aſſumitur ad ℔ii. uſque cum momento ſacchari roſati, vel illius, quod aromatarius *der Stern-Zucker* appellatur, idque horis matutinis cum moderato deambulationis exercitio. Quod ipſum lac hoc modo ſumtum corpus reficere, probumque ſanguinem generare creditur. Huc etiam facere videtur electuarium ſequens

♃. Sulph. citr. condit. ℥iß. Diarib. ʒvi. Rad. cichor. condit. Conſerv. roſar. violar. flor. borag. bugloſſ. Cortic. citr. condit. ana ℥ß. Conf. alkermes C. ʒii. Syrup. granator. q. ſ. ad Electuarii mollis conſiſtentiam. M. D. ad fictile. S. *Einer Caſtanien groſz zu nehmen.*

Cum externa quoque hic non ſint negligenda, in uſum quoque trahendum cenſeo balneum ex lacte; vel hujus loco, ſi nempe tales ſumptus ferre noluerit Æger, balneum aquæ dulcis, cui aliquot menſuræ lactis ſint admixtæ. Corrigunt enim ejuſmodi balnea calidam, & ſiccam corporis intemperiem, pariter ac à macie, & calculo præſervant.

Unde clarum eſt, quàm foret pernicioſum, thermas ferventiores adire: cum earum uſus toti naturæ, affectui, & ſymptomatibus ob ſummam calefaciendi & exſiccandi vim ſit contrarius.

Hæc dum aguntur, ſtomacho quoque conſulendum eſt, ſeduloque danda opera, ut illius frigida intemperies vel corrigatur, vel ad minimum contra frequentem refrigerantium, & humectantium uſum, quantum fieri poteſt, protegatur, in quod ſequens Conditum, ſi quod aliud, mirificè præſtabit.

♃. Conſ. roſar. rubr. Rad. acor. condit. Gelatin. cydonior. ana ℥i. Rad. bugloſſ. condit. ℥ß. ZZ. in chin. condit. ʒiii. Cortic. citr. condit. aurantior. condit. ana ʒii. pulv. groſſiuſcul. cinam. calam. arom. Macis ana ℈ß. F. c. ſyrup. de corticibus citri q. ſ. Conditum molle ad fictile. Doſis quantum cultri cuſpis largior bis capere poterit.

Externè eminet Unguentum ſequens.

♃. Ungt. ſtomachal. Craton. ℥ß. Ol. ſtomachal. ejuſdem ʒii. nuciſt. expreſſ. ʒi. ſtillatit. abſint. menth. maſtich. ana ℈ß. ſpir. Zedoar. ℈i. M. F. unguentum.

Tandem Iſchiaticus ille non negligendus eſſe videtur dolor. Quoniam verò ab eadem, quâ nephriticus, cauſâ dependet, eadem quoque univerſalia hic locum habebunt, quæ hic repetere tædioſum foret. Ad Topica itaque ſtatim accedo, duo ſaltem ex eiſdem, utpote omnium probatiſſima, ut credo, proponens. Primum eſt decantatum illud emplaſtrum Norimbergenſe alutæ inductum, & tamdiu ſupra locum affectum relictum, uſque dum dolor omnis evanuerit. Alterum eſt cataplaſma ſequens calidè inter linteamina duplicata imponendum:

♃. Rad. alth. ℔ß. lilior. alb. ℥iii. Coq. in aq. malv. q. ſ. in pultem redactis, adde Farin. hord. ℥ii. Vitell. ovor. nro. v. θ. nitr. præparat. ʒiii. Croc. or. ʒi. Ol. chamom. Axung. cicon. q. ſ. M. F. Cataplaſma.

Fons

Fons Diæteticus & Chirurgicus paſſim occurrunt apud practicos. *Joh. Michaelis in Praxi Clynica Speciali.*

Diputatio Medica Ægrum Nephritide laborantem exhibens.

Prooemium.

Tophaceas aquas, quæ vel rapido motu in ſe abſorpsêre delicatas atomos, vel ſalinis miculis mediantibus ſibi junxêre eaſdem per ſoli, quod perfluunt, ſubſtratam viam, affigere hinc ſenſim obviis corporibus ſolidis cruſtam terream, toto die in macrocoſmo cernimus.

Serum in corpore humano vector eſt variorum alibilium & excrementitiorum. Inprimis verò, ſi officio ſuo functum ad exitum properet, ſalinas & terreas ſeu tartareas particulas ſecum evehit, quas in viſcerum cohobiis imbibit, reſultantes ex artificioſâ ingeſtorum reſolutione.

Hinc quod poſſidet & occultat ſecum, caloris vinculo excuſſo, è ſaniſſimis quoque hominibus eductum congelationi aptat, in parietibus vaſis recipientis urinam conſpicuum.

Non mirum verò eſt & in ipſis corporis porulis, ductibus & cavitatibus explicari & conſpicuam reddi tartaream hanc progeniem, prout vel cœco ductu, generali motu, huc illuc appellit, vel ſpeciali debilitate loci, unde inductâ, ſubſiſtit. Hinc modò bilis granulatur, modò lingua tophum occulit, modò ſudor ipſumque ſemen arenoſum viſitur, modò articulis cretacea calx inſidet.

Præ reliquis tamen locis illa calculum parturiunt; vel obſtetricantur potius huic, quæ à naturâ colligendo & excernendo excrementitio ſero officioſè vacant. Decantatiſſimus ſcilicet renum & veſicæ eſt calculus, & ipſe varians multis modis.

Tortorem hunc & ſpurium renum fœtum inpræſentiarum luſtrabimus, prout quidem obicem ponit canalibus naturæ, prout eandem deſtructum it, & internicionem machinæ intentat. Faxit æternum Numen, ut feliciter omnia eveniant!

Hiſtorica Relatio.

Vir. LXVIII. annorum, temperamenti phlegmatico-melancholici, habitum corporis obeſioris, variis peregrinationibus clarus, vini potu magis deditus, cibis delectatus dulcibus, & ſaccharo ceu condimento ordinario ad omnia ferè fercula uſus, ſalitis quoque & durioribus libenter veſcens, vitæ ſedentariæ & otioſæ deditus, ſomno indulgens largius, retinere diutius aſſuetus urinam, arthriticis & iſchiadicis doloribus aliquoties alias afflictus, ſenſit per aliquot annos, præcipuè circa noctem, in reddendâ urinâ quandam remoram, ſine ſtranguriâ vel ardore; hinc verno tempore ante annum paſſus eſt paroxyſmum nephriticum mitiorem, ubi poſt aliquot ſeptimanas calculos plures minores excrevit. Nuper, vertente ſcilicet anno, circa idem tempus affligebatur vomitionibus continuis & inappetentiâ, dolore lumborum per vices obtuſo, quaſi cinctura adeſſet, torpore & ſtupore femoris modò dextri, modò ſiniſtri, hujus tamen magis, interdum tormina abdominis acceſſere, & diarrhœa, excrevit etiam copioſè urinam, licet ſolitâ ſibi prævia remorâ, adeò ut diabetem timeremus, viſus eſt quoque retrahi teſticulus ſiniſter. Tandem cum ex acidulis quæreret ſolatium, viſa eſt ſupprimi penitus urina, paucis ſolum guttulis per vices ſecretis, ſanguis ex naribus grumoſus excernebatur. Hinc die ſeptimo fauces inflammatæ, pulſu naturali ferè ſimili conſtante, ſuccedente lethargo; ſudor in facie concrevit inſtar ſalis, calentibus extremis. Mortuus die ab urinâ ſuppreſſa decima. Inſpecto cadavere, exhibuit in dextro renis pelvi tres calculos inſtar dactylorum ferè, quorum unus oſtio ureteris erat incarcertaus; in ſiniſtro verò rene præter ſabulum copioſum calculum inſtar cordis ferè effigiatum, cornubus in tubulis abditum, corpore pelvim occupante, veſica vacua, præter pauxillum liquorem. Petitur de morbo judicium, & quomodo curatio inſtituta ſit.

Reſolutio.

Affectus quo æger recenſito modo laborat, dicitur à cauſa & producente Calculus Renalis, ſeu Νεφρίτις, ἀπὸ τῶν νεφρῶν, à renibus, parte ſcilicet affecta, Germanicis *der Nieren-oder Lenden-Stein.* A principali verò ſymptomate, quod mortem intulit, denominari poteſt Iſchuria.

Hoc ſymptomata conjunctim ſumpta, in hiſtoria recenſita, luculenter quidem à priori docent, firmiſſimè tamen idem à poſteriori demonſtrat diſſectio poſt mortem, ubi ſenſuum teſtimonio, omni exceptione majori, idem patuit.

Ratione Eſſentiæ ſuæ Morbus, qui adeſt, conformationis eſt. Ureteres enim, tanquam viæ & canales, excrementium ſerum ad veſicam in ſtatu naturali ducentes, jam ſunt obſtructi; quamvis diverſo reſpectu etiam cauſa morbi calculus optimè dici poſſit.

Subjectum ſeu partem affectam hoc loco utrumque renem eſſe dilucidat (1) dolor lumborum per vices obtuſus, (2) torpor & ſtupor femoris modo dextri, modò ſiniſtri; (3) exhibiti inſpecto cadavere calculi varii.

Siniſtri tamen lateris præ dextri aliqua prærogativa indicatur (1.) ab ejus in ſignis appoſito majori torpore & ſtupore; (2.) ſiniſtri teſticuli retractione; (3.) tam inſigni in eo reperto poſt mortem calculo, inſtar cordis effigiato, corpore totam pelvim occupante. Uterque ergò ren molem hanc ſuſtinuit, non tam in parenchymate, quàm in ipſâ cavitate & pelvi, expanſione in tubulos facta.

Cauſa Immediata iſchuriæ ſunt ipſi calculi in pelvibus & initio ureterum incarcerati, Calculi verò immediatam cauſam dicemus coagulationem ſalis tartarei.

Mediata Proximior eſt duplex: Materialis & Efficiens. Materialis ſecundum eſſentiam eſt, ut cum Ariſtotele loquamur l. 3. Hiſt. anim. cap. 15. ξηρὰ σύστασις, concrementum ſiccum, naturaliter cum urina ſecedens, ſeu ſal tartareum,

ex

ex terreſtri & ſalina conſtans materia, licet & viſcoſus & glutinoſus humor concurrere queat, uti notum eſt, calculum in ſabuloſum, glutinoſum & lapideum, ſeu ſaxoſum diſcerni. Hoc ſecundum effendi modum, ratione quantitatis, in non parva copia parti affectæ fuit ingeſtum. Secerni debebant non retineri partes terreſtres, limoſæ, tartareæ, ſalinæ, fixæ & volatiles. Contrarium verò hic evenit. Unde & qualitate aliena ſua renibus moleſtiam creavit, & motu peccavit generationis & locali.

Generata fuit materia hæc cùm in renibus, ceu loco affecto, tum extra hunc locum. In renibus, per uſitatò dictum συναθροισμὸν, ſenſim ac ſenſim congeſta vitioſa materia. Urinam videlicet dum diutius retinere aſſuevit, intemperiem renibus conciliavit, eorumque facultatem debilitavit; hac debilitata ſerum arenoſum, quod in maſſa ſanguinea copioſe abundavit, mediante circulatione in renes eſt depoſitum. Hic ſive ob renum intemperiem, ſive ob meatuum conformationem, ſive ob materiæ copiam, & alia impedimenta, præcipuè ipſam fracedinem & conjunctum acorem præcipitantem non eductum fuit, ſed, parte tenuiori ſolum ablata, ſenſim per appoſitionem concrevit reliquum. Accedit otioſa & ſedentaria vita, qua facilis noxa & torpor viſceribus inducitur.

Extra renes ad illos miſſa eſt à toto corpore, ſanguine à diætæ erroribus valdè impuro & cœnoſo abundante. Uti enim pluribus experimentis certum eſt, ut plurimum, & tantùm non ſemper nephriticos & arthriticos eſſe unà hypochondriacos, id eſt, ipſorum ſanguinem abundare particulis ejuſmodi ſalinis, tartareis, licet adhuc fluidis; ita cum in noſtro ægro prius ad articulos & os iſchii saburram ſibi moleſtam natura ſecreviſſet, huc tandem ejuſdem robore derivata fuit clades, ceu ad ordinarium ſecretionis locum.

Conſentiunt renes, utpote pars recipiens, ob innatam raritatem, & aſcititiam, à fortiter retentâ diutius urinâ, debilitatem minus reſiſtentes.

Viæ ſunt arteriæ; cum enim materia arthritica & nephritica ſibi admodum ſit affinis eadem ſanguini nupta non potuit non per canales ordinarios deferri ad tubulos glanduloſos renum, ibique excreta ſubſiſtere & colligi.

Cauſa efficiens ſeu coagulans tartarum, huc uſque ſero dilutum & inexiſtentem, quæ ſit, acriter diſquiritur. Nos jam ſepoſitis aliorum ſententiis, ſpiritu gorgonico, ſucco lapidifico, & aliis, ſtatuemus, principium hoc coagulans partim intrinſecum, partim extrinſecum. Intrinſecum ſali debetur merito, illud enim cum terra ſymbolizans & ſolutum omne in ſe habet coagulationis aptitudinem, ut ſociatum cum terreis moleculis, quas in ſe abripit, dato, extraneo commodo promotore, concreſcat & excutiat ſolventis liquoris, quo fluida detinebantur utraque, dominium. Extrinſecum verò, à Galenicis maximè æſtimatum, frigoris & caloris proportio ipſi coagulationi aptata conſtituit.

Licet enim calor & frigus tale craſſo modo in corpore concipi nec poſſit, nec debeat, ut inde concreſcere calculus, & humor exui terreno magmate poſſit, ſatis tamen eſt nobis hac vice, archeum renum debiliorem impedire non poſſe, quin coëant hæ particulæ, quæ fluidæ debebant cœteroqui excerni; ſive intemperies, ut diximus, ſive pororum ſtructura vel per ſe, vel ex accidenti, ratione objecti, magis huic velificetur negotio. Quo dato, concurrente inprimis copia, ſaturati enim liquores promptius & præcipitantur & concreſcunt, facilis eſt ſecretio terrearum atomorum in renibus, eorumque tubulis & ſecretorum coagulatio.

Nec aliud mechanica lapidum & chimica compoſitio quotidiana ſuadet, quæ dictis his innititur. Neque hinc ſpiritus aliquis ſeparatus à materia calculeſcenti, ſeu coagulabili, aliunde petendus, ſiquidem in illa ipſa exiſtit, cum ordinariè pars ſeroſior & ſalina per renes ſeparetur, adeoque omnes homines materiale calculi ſecum gerant. Hinc facilè concipi poteſt motus particularum tartarearum antea promiſcuè, nunc verò ita ſitarum, ut talis, calculi ſcilicet non alia forma producatur, concurrente renum ſtructura, juxta quam ceu matricem, ut vocant, forma externa impreſſa fuit, unde plenaria ſabuloſæ materiæ in perfectiſſimos calculos concretio ſucceſſit.

Ex Cauſis Mediatis Remotioribus id ipſum clarius pateſcit & confirmatur, & quidem è Naturalibus.

Temperamentum phlegmatico-melancholicum ſuum contulit ἐπιβάλλον μέρος, tum pituitam lentam, vel potius ſerum mucilaginoſum tartareum, terreſtre, procreando; tum ſalinum coagulum ſubminiſtrando. Ἀπὸ φλέγματος γίνεται αὕτη ἡ νοῦσος νεφρῶν, ſcilicet à pituita hic morbus fit, ut docet apertè Hippocrates lib. de intern. affect. c. 15. t. 12.

Habitus Corporis obeſior nunquam ferê ſine terreſtreitatibus reperitur, ob hoc adjutor hujus mali.

Ætas conſentit ipſa, πρεσβύτῃσι γὰρ νεφρίτιδες, ſenibus enim nephritides adjudicantur à Coo. 3 aphor. 31.

Res Non-Naturales ingentem materiæ morbificæ adduxêre commeatum.

Variæ Peregrinationes, variæ corporis inimicitiæ; ſingulum iter, ſingulus ictus, inprimis continua peregrinantium potus mutatio, bone Deus! quomodo chylificationem invertit, lymphæ conſtitutionem ſubdulcis mutat in ſalſam, ſanguinem tartariſat, ſcoriis imprægnat, ſerum atro colore tingit, & ita calculo præparat materiam.

Vinorum & inprimis generoſiorum continuus Potus, Gallicorum, Francicorum & aliorum ſimilium, ſubtiliori larva tartarum ſuum occultantium, quantum contulerit, in aprico eſt, inde domeſtica ſanguini facta, nec debitè ſegregata ſalina tartarea progenies, ſive materiam, ſive efficientem ſpectes cauſam, in vino ſaturatè reperibilis, lerna malorum evaſit.

Cibi dulces, quibus delectatus, omnia mutare totius corporis fermenta, & cruditates adferre apti nati ſunt. Inprimis ſaccharo ad omnia fercula, ceu condimento ordinario, dum fuit uſus, oleum igni addidit, & limoſiorem ac cœnoſum ſanguinem reportavit. Salitis & durioribus libenter veſci, eſt omni labore & ſtudio in id inniti, ut calculus procuretur.

Vita Sedentaria & otioſa cruditates, & cruditates in ſerum redundantes ſabulum, proximam calculi materiam ſuggeſſerunt.

Cum Somni nimiâ indulgentiâ res eadem eſt, ſiquidem minus hinc ſubtiliſatæ & diſcuſſæ uligines torpidius & coagulo aptius reddidêre ſerum, vectorem tartari.

In excretis, diutius moras nectens in urinâ reddendâ tonum partium eandem ſegregantium & colligentium mirum quantum debilitavit; Ita enim retinuit hoſpitem, quem omni labore exterminare debuiſſet. Fovit illum, qui ei non favit.

Ex præter-naturalium claſſe, arthritici & iſchiadici dolores accuſandi veniunt. Obſervatum ſæpius eſt, ex calculoſâ & ſabuloſâ materiâ poſt paroxyſmum nephriticum productam fuiſſe podagram, quod experientia Excellentiſſ. Dn. D. Præſidis. ſæpe notavit, viciſſim verò arthritidem degeneraſſe in calculum præter alios plures exemplo eſt noſter.

Non mirum itaque, ex tam fæcundis parentibus tot, ceu ſpurios fœtus, proſiliiſſe ſymptomata, quorum, hactenus vicem ſignorum gerentium, cauſas facili negotio eliciemus.

(1.) Remora per aliquot annos in reddendâ urinâ obſervatâ, tum ob debilitatem ſphincteris veſicæ, cujus fibras diutinâ retentione prius magis dilataverat, accedente & multum conferente ipſo ſenio; tum ob conſenſum renum, qui dubio procul dudum primordia tam ingrati hoſpitis ſecum foverunt.

(2.) Circa noctem præcipuè id contingit, ſive ob facultatem renum expellentem circa noctem debiliorem, quàm de die; Per diem enim vegeta ſic ſatis officio ſuo functa eſt, lotium dextrè exterminando, donec tandem delaſſata quaſi, ſpiritibus ex parte exhauſtis, non aliter ac cœtera membra circa veſperam languet & opus ſuum retardat; ſive ob aëris frigidiorem ſtatum, adeoque tranſpirationem minorem aucta urinæ copia minus promptè ſequatur.

(3.) Sine ardore & ſtranguriâ; Virga enim & in hâc urethra, primarium illorum affectuum ſubjectum, mucagine naturali nondum privata, multò minus corroſa fuit.

(4.) Paſſus eſt ante annum paroxyſmum nephriticum verno tempore; quod tempus illud deſpumationi ſeri aptius fuerit, collectâ per hyemem & præcedentes menſes materiâ ſabuloſâ. Citantur enim eo potiſſimum tempore, ad inſtar macrocoſmi, humores ad motum, unde tunc potiſſimum videas in aliis affectus podagricos & arthriticos, in aliis ſcabiem, in aliis ſymptomata alia ordinaria in apricum produci magis & vigeſcere.

(5.) Vertente anno circa idem tempus afflictus eſt vomitibus continuis & inappetentiâ; ob plexûs nervorum ſextæ conjugationis prope renes affinitatem cum nervis ſuperius ventriculi orificium cingentibus, indicio latitantis & paroxyſmantis jam calculi, unde ſæpe vel ſoli vomitus inanes & repetiti calculum benè gnaris patefaciunt.

(6.) Dolor lumborum obtuſus, ob manſionem & fixam ſedem calculi, infeſtat. Lancinat enim hoſpes ingratus renes, lumbis accumbentes, & ita continui ſolutionem tenſionemque membranarum excitat, ac ſi cinctura adeſſet, Per vices verò id contingit ob inæqualitatem tenſionis, quoniam movetur ex carunculis in cavitatem, & pelvim, & ex hâc ad ureteres, unde ob horum conſenſum deorſum utrinque dolor ſolet obſervari tendere, mox retrogrado graduit, & quaſi natat in ſero, in renibus ſtagnante, unde nec ſemper eundem locum afficere poteſt.

(7.) Stupor & torpor femoris modò dextri modò ſiniſtri obſervatur, ob compreſſionem muſculorum pſoas. Utriuſque enim renis cavitas repleta fuit calculis, qui mediantibus membranis & nervorum plexibus muſculorum capita & tendines comprimendo, eorum motum imminuendo, torporem & ſtuporem induxêre. Siniſtri verò magis, propter ingentem, aculeatum & quaſi cornutum calculum, magis ferientem partes ſubjectas,

(8.) Tormina acceſſêre abdominis. Colon enim flatuum ſubminiſtrator fidelis, renibus communi membranâ adnexum, compaſſum eſt, & irritatum flatus, torminorum cauſas, procreavit.

(9.) Diarrhœa dependet tum à regurgitatione ſeri acrioris in glandulas inteſtinales, liquantis excrementa, & expultricem ad excernendum irritantis; tum à communis membranæ involventis tam renes quam inteſtina punctione.

(10.) Excrevit copioſè urinam, licet olitâ ſibi præviâ remorâ, adeò ut diabeten timuerit Medicus, ob irritationem & ſtimulum peregrinum renibus magis ſolicitatis, adeoque etiam naturam moleſtum pondus eliminare conatam.

(11.) Siniſter teſticulus viſus fuit retrahi, ob prægrandem calculum, membranas & vaſa diſtendentem quo ipſo muſculum cremaſterem in altum evexit. Latitudinem enim nimiam longitudo minor excipere & compenſare debuit.

(12.) Ex acidulis viſa eſt planè ſupprimi urina per accidens, ob vim harum diureticam præcipitato in oſtium ureteris calculo, unde portâ clauſâ emitti nihil amplius potuit. Iſchuria ergo hæc contingit vacuâ veſicâ, nullus enim circa eam tumor, nullus moleſtiæ ſenſus, & hic patulas eſſe fores per vices extillantes, ſed rarius, guttulæ demonſtrant. Interdum tamen, & quidem per vices ſolummodo paucæ hæ guttulæ effluxêre, quæ vel inter calculi & ureterum parietes penetrarunt, vel à reliquiis urinæ in veſica adhuc dum aſſervatis, illam tamen nondum replentibus, & à niſu & conatu ægri foras promotis, arceſſendæ ſunt, neque enim à quavis urinoſi liquoris in veſica collecta quantitate ſtatim ad excretionem ſolicitamur.

(13.) Sanguis ex naribus grumoſus excretus eſt, tota nempe maſſa ſanguinea à regurgitante ſalſo acri ſero fuit infecta, & fluxilior rariorque reddita, cujus pars in grumos ſciſſa per nares, ut frequens ſanguinis expurgatorium, excreta fuit.

(14.) Fauces inflammatæ, ob dictam cauſam, ſanguinis ſcilicet univerſi acrimoniam, ſero acri ortum ſuum debentem, unde & ſubſiſtit magis in glandoſis hiſce partibus, ipſiſque roſionem infert

(15.) Pulſus naturali fere ſimilis hactenus conſtitit; Cor enim & reliqua viſcera cæteroquin ſalva nondum penitus labefacta ſunt.

(16.) Lethargus acceſſit, ob ſerum reſtagnans, à ſubſtantia & poris cerebri imbibitum.

(17.) Sudor in facie concrevit inſtar ſalis, ſalinâ parte aqueâ ſegregandâ ad extimam corporis veſtem à natura protruſa.

(18.) Extrema calent; non enim reſolutio, ſed oppreſſio ſive ſuffocatio ſpirituum vitalium adeſt.

Bone Deus! quanta ſymptomatum farrago calculum comitatur, vix ullo calculo numeranda.

Sed ad Prognoſin accedimus. Ratione Salutis & Mortis, generale Coi prognoſticum attendi meretur, quando 6. aphor. 6. renum ait & veſicæ vitia in ſenibus difficulter curari. In initio quidem aliquid ſpei fulſit, cum poſt primum paroxyſmum calculi, ut mali omnis cauſa, fuere excreti; poſtquam verò ſuccedente anno, ſtato tempore vehementius fuit afflictus, cinctura hæc nihil boni præ ſe tulit, ingraveſcentibus ſimul de die in diem ſymptomatibus, vomitibus, inappetentiâ, torpore, ſtupore femoris, torminibus abdominis, retractione teſticuli, nec ullo in urinâ, poſt adhibita etiam generoſiſſima, reſolventis ſe ſabuli emicante veſtigio, imprimis verò plenaria urinæ ſuppreſſione. Ætas tanta illis non fuit ferendo, unde maturè prædictum fuit in excernenda urina moram anguem in ſinu alere, & minari ex hoc ipſo loco mortem, ubi primum viſa eſt ſuccumbere natura.

Acceſſit magnus à naturali ſtatu receſſus juvantium infirmitas, & ex carcere liberandi calculum impoſſibilitas, unde licet vegetus ſic ſatis æger nulla lethi ſigna comparere repeteret, modeſtè tamen periculi admonitus in divinâ voluntate acquievit.

Longus fuit morbus, per integros binos ferè menſes duravit vomitus, nauſea, inappetentia, aliaque, unde immutabilis quaſi viſus quia, ut eventus demonſtravit, fruſtraneum à remediis quæſitum fuit auxilium, quæ natura ipſa in actum deducere, non tam ob elangues vires, quàm calculorum copiam & magnitudinem non potuit. Longior verò adhuc fuiſſet idem, niſi ætas decrepita, & calculorum hæc eximia magnitudo, ſymptomatumque immanitas finem vitæ feciſſent. Hinc quoad.

Eventus Modum, poſtquam calculi tanquam juniores peregrini ne micam ſeri per ureteres migrare conceſſerunt, ejus regreſſus ſanguinis fermentationem & ſubtiliſationem nimiam cauſavit, & hinc ſuffocatione vita terminari debuit.

Licet autem de mortuis nec conſultatio, nec curatio propriè inſtitui poſſit, quoniam tamen, quomodo curatio inſtituta, & in poſterum in tali caſu inſtituenda ſit, ſolùm quæritur, non erit incaſſum ſecundum methodum progredi ſuis indicationibus ſuffultam. Harum tres numerantur Curatoria, Præſervatoria & Vitalis.

Curatoria morbum ipſum auferre ſtudet, quia verò hic ut obſtructio, non vincitur niſi prius calculos obſtruens, & proinde cauſa, eximatur, illi manus & medicamenta adhibenda, reſolventia, emollientia, tranſponentia aliaque; quod altera indicatio, nempe præſervatoria unicè jubet. Vix tamen ac ne vix quidem hæc incipi, nedum ad finem perduci poſſunt, niſi ratio habeatur virium exactiſſima. Potentia enim naturæ ſanitatem, imbecillitas morbum parit, inquit Aretæus lib. 1. de curatione diuturn. c.5. Igitur & hanc optimè attendendam vult, vitalis indicatio, ut, quantum fieri poteſt, corpus alioqui vegetum ſatis & ſanum ab extraneo hoc hoſte liberetur, nec detrimenti quid capiat.

His omnibus materia ſuppeditatur ampliſſima ex triga fontium auxiliorum uſitatâ, Chirurgia, Pharmacia & Diæta.

In Chirurgia plura offendimus, quæ aliàs in calculo præſentaneum adferunt remedium, ſingula luſtranda. Non verò locū habet exſenſibiliter evacuantibus ſanguinis miſſio per venæſectionem, cum noſtri ægri conſtitutio illam minus admittat. Non enim adeſt ætas florida non hanc indicans plethora, & alia. Non ſucci à ſanguine diverſum & educentia veſicantia, & cauteria, quia & ipſa nullatenus indicantur. Non præcipuè rem toto genere præter naturam calculum ipſum, educentia, quæ operatio vulgò vocatur calculi extractio. Hæc quidem, cum cætera remedia omnia in caſſum propinata, & calculus in tantam magnitudinem & duritiem ut diſſolvi, medicamentis appropriatis plane renuat, redactus fuerit, indicatur, ſed renalis calculus eam non admittit, cum vulnus hoc citra infallibilem lethi conſecutionem ipſi renum ſubſtantiæ infligi non poſſit. Taceo craſſitiem & profunditatem carnium, quod Riolan. j. 2. Enchir. p. 29. valdoperè monet.

Inter inſenſibiliter evacuantia, hoc loco pro Tranſpoſitione adhibendæ, Cucurbitulæ ſiccæ, cum multa flammâ lumbis & natibus applicitæ, ſæpè proficuæ viſæ, cum & in ureteribus ſi hæreat calculus, ad veſicam ejus progreſſum accelerent, & ureteribus imminentem in renes retrahant, adeoque tranſitum deſtillanti urinæ fœnerent, in uſum trahi queunt, ut nihil relinquatur intentatum.

Cathetere verò vel explorare calculum, vel eundem removere fruſtraneum eſt, cum veſica non contineat eundem, neque obſtructa ſit.

Φαρμακεία infinita ſuppeditat medicamentorum genera, ad varios fines ſpectantia. Ut autem ordinem & methodum inter ea obſervemus, præmittemus, quæ totum corpus evacuare potis ſunt, ubi ſeſe offerunt.

Lenientia, ἐκκοπρωτικά. Cum chronicus evadit morbus, ea adſumuntur ante præparantia ad primas mundandas vias, inquit ὁ πάνυ Rolf. Ord. & Meth. comment. lib. 5. ſect. 1. cap. 8. p. 451. Quanquam & ad ſecundas pertingere eadem poſſe, idem alibi rectiſsimè ſtatuat. Talia eſſe queunt ſequentia.

♃. Elect. lenit. pulp. caſſ. recent. extract. an. ʒiii. elæoſ. aniſ. ℈ß. M. F. cum ſacch. ſ. q. Bolus.

♃. M. P. de Aloë g.xii. tartarear. Q. g.vi. tart. vitr. g. iii. M. cum tinct. tart. F. l. a. pil. xv. Conſulto autem præcipimus formam pilularem & bolarem in liquida quippe conſiſtentiâ æger facile evomit medicamenta, illa verò præ aliis facilius retinetur.

Fortiora his præmiſſis erunt accerſenda extra paroxyſmum purgantia, ut & maſſæ ſanguineæ vitia ad inteſtina alliciantur & exterminentur. Exempli loco ſint ſequentia.

♃. Extr. panchym. Croll. g. xv. reſin gialap. ℈ß. elix. nephrit. q. ſ. F. l. a. Pilulæ num. 13.

♃. Rhabarb. Alex. ℈j. Scammon. roſat. gr. 7. Tart. vitr. gr. 4. Olei cinam. gr. 1. M. F. pulvis.

♃. Decoct. aperit. Meſ. ℥ iij. Extract. cartham. ʒß. Tart. vitr. gr. 15. Scammon. roſat. gr. 6. Syr. de cichor. c. rhabarb. ℥ß. M. F. Hauſtus.

Pertinet huc locus *Walæi M. M. pag.* 4. ubi, in doloribus nephriticis, *ait*, ſive purges, ſeu venam ſeces, nihil agis, ſin verò exhibeatur terebinthina cum mannâ & oleo amygd. d. res facta erit. Nimirum oleum amygdalinum lenit dolores, laxat vias, emollit, & variis indicationibus ſatisfacit, vel ſolum ſumendum ad cochlear unum alterumque, imò amplius, modò ventriculus conſenſerit.

♃. Decoct. cicer. rubr. ℥ij. Mannæ Calabrin. ʒvj. Terebinth. cypriæ. ʒij. Vitell. ovor. num. 1. Olei amygd. d. ℥ß. M. Propinentur calidè.

♃. Spec. pro decoct. laxat. ℥ij. Cryſtal. tart. ʒij. D. in chartâ. S. *Laxier*-Species. Utut vero purgantia videantur fruſtra propinari tum in genere calculo urgente exitum, tum in noſtro hoc ægro, in quo nonnunquam diarrhœa adfuit, quæ eadem contraindicare videri poſſet, ut autoritatem modò citatam non memoremus; Nihilominus tamen certum eſt, in hoc ipſo caſu purgantia ſæpe multum eſſe proficua, & non rarò horum ope felicius ejectum calculum.

Nephritici alvo obſtructâ ſemper deterius habent; natura obſtructâ portâ ordinariâ ſuperfluum illum humorem ipſa ad inteſtina amandat, ut ſe iſthoc exoneret; purgantia optima ſunt ſimul diuretica, quæ vel in ipſo paroxyſmo data viſa ſunt exturbaſſe feliciter calculum, ob communionem archei utriuſque.

Præcipuè verò multum ſpei ſitum eſt in clyſteribus, quicquid etiam contra uſum horum debacchentur Helmontiani. Hi quippe emolliunt vias, & blando tepore paregoricam vim renibus impertiunt vicinis, utroque nomine libertatem ipſis ſi non integram, inſignem tamen fœnerantes. Sublato enim infarctu comprimente renes & anguſtante naturam, promptius ad excernendum laxantur viæ, admonetur archeus, citatur calculus. Hinc ſequentia in exemplorum vicem inſervire queunt.

♃. Herb. cerefol. parietar. viol. malv. alth. an. mß. Rad. alth. petroſelin. fœnicul. ſem. fœni Græc. an. ℥ß. Agar ʒiij. Paſſ. pingu. ℥j. Coq. in ſ. q. aq. font. Col. ℔j. adde elect. bened. laxat. caſſ. pro clyſter. an. ʒ iij. Olei lil. alb. ℥j. Mell. anthoſat. ʒ vj. Sal. gemmæ ʒj. Vitell. ovor. n. 1. M. F. Clyſt. debitè applic.

♃. Decoct. herb. 5. emoll. c. flor. chamom. ℥x. Bened. laxat. hier. Logad. an. ʒiij. Ol. chamæm. ſcorp. an. ℥j. nitr. anod. ʒj. M. Non autem ſemper tantus requiritur apparatus. Poſſunt etiam non ſine laudando effectu ſimpliciores è lacte vaccino recenter mulcto, cum ovi vitello, pugillo ſal. butyri quantitate parvâ, vel ol. amygd. d. & mellis cochleari, igni admovendo ad juſtum teporem, parari.

Vomitoria quidam, licet non primariò indicentur, commendant, ut eò promptius motu abdominis compreſſivo facto deſcendat in veſicam calculus; ſed uti incerta eſt magnitudo calculi in vivis, ita & incarcerari magis niſu nimio poſſe eundem credibile eſt. Neque indicantur eo ipſo, quod vomitus adſint, & vomitu curari debeant, quippe hi à cauſa potius privativâ, quàm poſitivâ ortum ducunt. Quod ſi vero circumſtantiæ quædam ea urgeant.

♃. Mann. vomit. ℈j. Gumm. gutt. gr. 4. Ol. macis gr. 1. Sacch. alb. ℈ß. M. F. pulvis S. *Brechpülverlein.*

♃. Merc. vitæ gr. ij. Elæoſacch. macis gr. 4. M. D. in ch. S. ut ante.

♃. Tart. emet. Mynſicht. gr. 3. extr. panchym. Croll. gr. 4. Ol. aniſ. gr. 1. M. F. l. a. Pil. n. 5. S. *Brechpillen.* Expoſitis, quæ totum corpus purgant, medicamentis, particularia, renes atque ureteres ab onere liberandi virtute pollentia intuebimur.

Omne verò abſolvunt punctum Diuretica, quæ cum Nephriticis ipſis dum coincidunt, Alterantium quoque Specificorum titulum hic merentur, à quibus potiſſimum & unicum ferè præſidium eſt expectandum.

Uti verò hæc ipſa appropriata nephritica tum pellunt, tum reſolvunt, tum mitigant; ita nos in noſtro vel ſimilibus ægris juxta hanc methodum reſpiciemus præcipuè reſolutionem coaguli, doloris item & viarum lenitionem, ut obice & remorâ hâc ablatâ extemplò omnia priſtino reddantur vigori.

Fortiora enim pellentia, ſeu propriè magis dicta diuretica, habent quidem ſuum locum & providè, in initio præſertim, ubi calculus nondum ſuam nactus eſt perfectionem, uſurpari poſſunt; verùm, poſtquam in illis locis, ex quibus ſine noxâ expelli non poteſt, ureteribus ſcilicet, pedem figit, & perfectus jam eſt, ut in noſtro caſu, uſus illorum rarus eſſe debet, docente *B. Rolf. l. cit. p.* 586. Fortiſſimè enim quia pellunt, malum ſemper augent, & ineffabilium exiſtunt autores dolorum. Errant in hoc ſæpiſſimè tum Empirici, tum ægri ipſi, quatenus fortioribus hiſce pellentibus quaſi ſimul & ſemel conantur exturbare hoſtem, præpoſtero hoc conſilio non rarò vel mictionem cruentam, vel iſchuriam reportantes.

Cum reſolutio præſtari poſſit partim aqueis, diluentibus & abſtergentibus, partim oleoſis, obtundentibus unà & dolorem tollentibus, partim ſalinis, terreis, abſorbentibus, & aliis; Vias autem & dolorem leniant demulcentia, mucilaginoſa, oleoſa, nervina, opiata, ſingulorum exempla probatiora ſiſtemus, quæ in paroxyſmo præcipuè, quædam etiam extra eum commodè uſurpari queunt.

♃. Rad. 5. aperient. maj. an. ʒj. ſumm. virg. aur. mj. ſem. ſaxifrag. violar. petroſel. an. ʒij. Cort. fraxin. ʒi. Lign. nephrit. ʒß. Coq. in ſ. q. aq. font. Col. ℥v. add. ſyrup. fragor. ℥i. Elix. nephrit. ʒi. M. F. Potio.

♃. Aq. nephrit. compoſ. flor. acac. an. ℥ iij. fragor. ℥i. Sp. ſal. nephrit. ʒj. Syr. de alkekeng. dialth. Fernel. an. ʒvj. M. F. Potio S. *Lindtranck.*

♃. Aq. gramin. onon. an. ℥ii. Eſſent. gramin. halicac. an. ʒii. Liqu. lap. Cancr. ʒi. Syr. fragor. q. ſ. ad g. ſ. M. D. in fictili. S. u. ſ.

♃. Ol. amygd. dulc. vel avellanar. ℥i. Liqu. lap. cancr. ℈i. ſucc. citr. ʒii. M. F. Hauſtus.

♃. Milleped. præp. ℈i. lap. Judaici, lap. perc. an. ʒß. nitr. vitr. aq. M. ℈ii. M. F. Pulv. Doſ. ℈j. vel ʒß. in aq. petroſ.

♃. Sperm. cet. ʒi. Lap. cancr. ℈ii. Specif. cephal. ℈i. Sal. volat. ſuccin. gr. 6. mag. anod. ℈ß. M. F. l. a. pulvis. D. in Chart. S. *Reſolvier-Pulver.*

♃. Tart. vitr. cryſtall. tart. lap. cancr. an. ℈i. Magiſt. lap. nephrit. ℈ß. M. F. Pulvis.

♃. Spec. lithontrip. Aug. ʒii. Tart. vitr. ℈ii. Magiſt. lap. jud. ʒß. Aſell. præpar. ℈ii. M. F. pulvis.

♃. MP. de terebinth. ʒi. Rob. alkekeng. ʒß, Magiſt. oc. cancr. Aſellor. lap. judaic. an. ℈i. M. cum tinct. tart. q. ſ. F. l. a. pilulæ. D. in pyx. S. *Nieren Pillen*.

♃. Spir. ſal. compoſ. c. ſpir. fragor. circulat. ʒiij. D. in vitr.

♃. Liqu. nephrit. Mich. ʒii. D. in vitr.

♃. Tinct. ſilic. Glauber. ʒiij. S. *Nieren-Tinctur*.

♃. Tinct. tart. ʒii. D. in vitr.

♃. Arcan. tart. ʒii. D. in vitr. S. *Reſolvier-Wäſſerlein*.

♃. Tinct. nephrit. ex calc. viv. & tart. ʒii. D. in vitr.

♃. Herb. virg. aur. heder. terr. an. mß. Rad. onon. bardan. an. ℥i. Sem. ſaxifr. alb. ℥iß. Mil. ſol. dauc. an. ℥ß. Nucl. perſic. amygd. amar. an. ʒiij. Lign. nephrit. M. Extrah. cum ſpir. fragor. acidulato. ſp. ſal. q. ſ. S. Eſſentia nephritica.

♃. Tinct. lap. nephrit. ʒiß. D.

♃. Eſſent. nephr. clyſſ. antim. tart. an. ʒii. D.

♃. Sp. nephrit. vegetab. ʒii. vitr. philoſoph. clyſſ. antim. tartar. an. ʒi. M. D. in vitr. S. *Grieſz-Mixtur*.

♃. Malv. juniper. c. ſpir. nephrit. fact. ʒii. Eſſent. nephrit. ʒiß. anod. ℈ß. M. D. in vitro.

♃. Pulv. rad. alth. ʒii. Trochiſc. de alkek. c. op. ʒi. Sal. onon. ℈i. M. F. pulvis, in ardore urin. proficuus.

Cum verò inprimis obſtructioni à calculo factæ & iſchuriæ tanquam ſymptomati urgenti proſpiciendum ſit, hunc in finem, præter ipſa jam dicta reſolventia & cauſæ debita, conveniunt probatiora ſeq.

♃. Tart. vitr. laq. cancr. cryſtall. vitr. an. ℈i. Sem. lycopod. ʒß. Ol. tereb. gtt. ij. M. F. pulvis.

♃. Gran. cochinell. ʒi. Lap. judaic. ſal. geniſt. an. ℈i. Mag. oc. cancr. gr. xv. M. F. pulvis.

♃. Sem. violar. martial. mil. ſol. an. ℥ß. Saxifrag. ʒij. 4. frig. maj. an. ʒi. F. l. a. cum aq. petroſel. onon. ſaxifrag. q. ſ. Emulſio. add. Mag. nephrit. ʒi. Syr. de alth. Fernel. q. ſ. D. in fict. S. *Nieren-Milch*. Externa his quoque ſuccenturianda, lumbis & pubi applicanda, paregorica, lenientia & mitigantia.

♃. Ol. ſcorp. Mathiol. ʒiij. Junip. ℈j. Succin. chamom. ſtill. an. gt. v. Lign. rhod. gtt. 3. Ungu. dialth. ℥ß. M. F. Unguentum. S. *Nieren-Sælblein*.

♃. Ol. ſcorp. hyoſc. an. ʒij. Aniſ. carv. ſtill. an. gt. 4. Succin. junip. an. gtt. 6. M. S. *Euſerlich Oel*.

♃. Ungt. anod. ℥ß. Ol. carmin. Mynſ. ℈iß. Scorp. ʒij. M.

♃. Empl. de hyoſc. ℥ß. Malaxetur ol. ſcorp. Matth. Applicetur lumbis.

♃. Rad. allii n. 2. cepar. ſub ciner. frixat. n. 1. Herb. cereſol. flor. chamæm. melilot. an. mj. ſem. carv. bacc. juniper. an. ʒvi. Farin. lin. ℥j. M. Conciſ. D. in chartâ, S. *Euſerl.* Species. Ex his ſacculi fieri poſſunt, pubi calidè applicandi, præviâ illinitione cum unguentis, quin & decoquendi pro renatâ.

Fotum verò unguentorum & oleorum applicationem præcedere debent inſeſſus. Nam & hi eo caſu utiliſſimi ſuaviter humectando & calefaciendo poros cutis paregoricâ vi aperiunt & relaxant, parteſque internas blando calore fovent, ut & unguentorum vis promptius ſe inſinuare queat, & natura fortius ad ſui liberationem inſurgat.

♃. Rad. lil. alb. aſparag. malv. alth. an. ℥j. Herb. 5. emollient. cereſol. origan. an. mij. flor. chamom. Rom. m. iij. melil. ſaxifr. verbaſc. an. mj. Bacc. juniper. ℥iß. Sem. fœni gr. lin. an. ℥ij. S. Species *zum Bade*. Decoctis his apparatis inſideat æger uſque ad umbilicum.

Sacculis quoque taliſmodi ſpecies inſui ſeorſim poſſunt, & lumbari regioni admoveri, inuncto hinc climate eodem unguentis memoratis.

Et ita ex his ſatisfieri poterit omnibus indicationibus, dummodo ritè & cum judicio adhibeantur ſingula, nec eò proceſſerit malum, ut æquatorem naturæ tranſgrediatur, omniumque etiam probatiſſimorum remediorum vim eludat, quod in noſtro ægro contigit, qui hinc in rationem Libitinæ fato ſuo venit.

Diætæ ratio noſtro labori tandem finem imponet. In Naturali, Cibi quoad ſpeciem ſint teneriores, πόματα ϗ ῥοφήματα, qualibus etiam ſemper noſter æger uſus fuit. Reficiunt enim doloribus penè conſumptum corpus, alvum non obſtipant, & à ventriculo facili negotio ſubigi poſſunt.

Quoad quantitatem horum, præ oculis & manibus habeatur illud Hippocratis: πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. Ventriculus multis cibis non gravandus.

Quoad qualitatem ſint temperati, & alibiles. Dulces fugiantur, quæ & materiam morbi augent, & obſtructiones producunt.

Quoad ſubſtantiam, non omnia promiſcuè ſunt gulæ concedenda, ſed eligenda talia, qualia jam deſcripſimus: juſcula gallinarum, ova tremula, ſorbilia; carnes pullorum, agninæ, alaudarum, turdorum, nephriticorum ſolatium. Vitentur viſcoſa, pituitoſum craſſumque ſuccum in corpus importantia, caſeus, lac, & lacticinia, infumata, indurata, piſces, exceptis ſolis forſean purioribus & arenoſis aquis victitantibus. Salis & aromatum proſcribatur exceſſus. Cane pejus & angue vitetur promiſcuus victus. Turiones aſparagi & lupuli ſuâ non deſtituuntur famâ, ſi nihil aliud præſtant, alvum apertam ſervant. Nucleis avellanarum multum tribuit Crato & alii. Nec oberunt poma Borſtorfiana, præcipuè cocta cum paſſulis. Embammata ex ſinapi, raphano ruſticano, cochleariâ & ſimilibus concedi queunt.

Potus ſit cereviſia optime defecata. Vinum exulet, inprimis fortius. Noſtratis tamen modicus uſus non nocet, quoniam ejus tartarus groſſior promptius ſeparatur in ipſo quaſi primæ culinæ atrio, neque intimiore admiſſione cum ſero æquè copulatur.

In Vitali Diætâ Aër commendandus ſerenus nec impuris imprægnatus atomis. Frigidus cavendus eſt, præſtat enim blando tepore corpus mulcere.

In Animali indulgeat æger Somno, quantum fas eſt, nec vigiliis corpus fatiget nimis, caveat tamen decubitum ſupinum magis, quàm alium.

Motus & Quies alternatim ſe excipiant, in medio tamen perſiſtendo. Moderato motu ad exeundum magis aptatur calculus, quiete continuâ torpidior redditur archeus, & nido ſuo firmius inhæret moleſtus hoſpes. Si verò æger continuò lecto alligetur, motus vicem ſubeat frictio extremorum. Aliàs quemadmodum ſom-

num ſtatim poſt aſſumptum prandium vel cœnam initium comitantur varia mala; ita etiam motus intempeſtivus citius deturbat chylum, & cruditatibus amplam pandit viam, ante cibum potius injungendus.

De Veneris illecebris, quibus nephritici ob conſenſum vaſorum non rarò obnoxii ſunt, non cogitet, nec iis indulgeat, vires jam debiles abſumentibus ſenſibiliter magis.

Excreta & Retenta teneantur in ſtatu naturali & ordinario. Alvus providè ſervetur aperta, urinæ excretio medicamentis promoveatur, ſi videatur, ut ſolet, remoras nectere.

Animi Affectibus & præprimis iræ & excandeſcentiæ blandis ſermonibus & cedendo obviam eatur, triſtitia verò jucundis abigatur & dictis & factis. *Joh. Heinric. Schmoller, Salzungenſis, in Georg. Wolffg. Wedelii Diſſertationibus Medicis ſelectis.*

Obſervationes.

Pro Nephritide.

Frequenter bibat cyathum aquæ decoctionis rubiæ tinctor. rec. calidæ, cum ℥ß. penidii duabus horis ante cœnam: quibus ex tali potu contingit nauſea, dare ſoleo ad comedendum radicem prædictæ herbæ rec. longitudine digiti medii: & ſanè in oppilationibus renum medicinam huic parem vix invenies; ſed niſi cum magna difficultate meliorem. *Bartholomæus Montagna. conſil.* 4.

Ad exterendum & excernendum lapidem exhibuimus ſyrup. de althæa Fernel. ad ℥ ß. cum aqua fabar. denique curavi ut ſingulo manè ℥ß. Terebinth. lotæ cum aq. raphani aſſumeret. Eſt enim optimum medicamentum; quia omnia viſcera deterget, & ipſum lapidem egregiè diſſolvit & pellit. *Rodericus à Fonſeca. Tomo* I. *conſult.* 14.

Quidam Monachus articulari morbo & Nephritide corripi ſolebat, qui cum nullo remediorum genere ex multis tentatis bene valeret, tandem meis monitis, aſſiduo terebinthinæ eſu, intra 6. menſes liber à dictis morbis fuit: erat autem terebinthina nucis magnitudine, quam ſingulis diebus jejuno ſtomacho ſaccharo admiſtam deglutiebat. *Amatus Luſitanus. Cent.* 1. *curat.* 63.

Foris emollit axungia cuniculi cum ſucco malvæ cocta. Ad vacuandam autem materiam uſu terebinthin. cum rheo & pulv. liquir. nihil convenientius; non ſolum enim materiam ipſam expellit, ſed etiam renibus & ureteribus læſis auxiliatur, *Jo. Crato. conſ.* 12. *lib.* 2.

Singulis ſeptimanis ex ſequenti pilul. maſſa ʒii. vel ʒiii. ſumantur.

♃. Terebinth. aq. ſimplici & ultimo roſar. novies lotæ ℥i. rhei opt. & ſubt. pulv. ʒiii. cinnam. el. ʒi. pulv. ſuccini alb. ceterach. liquirit. an. ℈i. M. F. magdaleon, de quo formentur pilulæ mediocres: hæ ſatisfacient ad removendam materiam Calculi, ſi temperanter tamen vixeris: plurimis profuiſſe ſcio, poſtquam corpus mediocriter pilulis præſcriptis purgatum fuerit, cum poſt medium noctis hanc potionem biberint.

♃. Aq. fragar. ℥v. ſyr. viol. ℥i. M. Quidam etiam ſingulis noctibus aquam frigidam bibebat, atque graviſſimos cruciatus Calculi, quos antea perpeſſus fuerat, effugit, manè verò ne frigida potio noceret, aliquot grana piperis integri aſſumebat. *Io. Crato. conſil.* 9. *l.* 1.

Illud nunquam è memoria excidat nihil præſtantius pro arcendis renum calculis eſſe, quam aqua tepida, vel jus pulli gallinacei, aut vituli, aut vervecis, quinque vel ſex unciarum menſura, immediatè ante cibum mane & veſperi, modicè calidum potatum. Pro excludendo materiam renibus adhæreſcentem calculis gignendis idoneam quatuor diebus continuis ſorbitionem hanc omnium elegantiſſimam quatuor horis ante prandium abſorbeat.

♃. Rad. alth. ℥i. ſummitat. braſſic. p. j. liquir. ℥ß. cicer. rubr. ℥iii. bulliant S. A. in aq. ononid. q. ſ. colat. ℥vii. adde ſyr. cap. ven. ℥iß. mellis cocti & deſpumati ℥ii. terebinth. claræ in eodem decocto candendi diſſol. ʒii. F. potio, detur modicè calida. Hic unum apprimè neceſſarium minimè prætereundum duco; videlicet caſſiæ medullam paſſim ubique locorum in propoſito affectu ab omnibus indifferenter uſurpatam non uſque adeo tutam eſſe, niſi ventriculo primaque regione prius vel inedia, vel vomitu, vel ventris dejectione expurgatis; quandoquidem inter medicamenta diutetica hæc non ignobilem obtinet locum. *Jo. Zecchius. conſult.* 13.

Vidua quædam dolore nephritico vehementiſſimo vexabatur, cum urinæ acrimonia & frequenti micturitione; huic neque clyſteres cum aqua benedicta, neque cum terebinth. neque cum laudano, neque ſemicupium, neque laudanum aſſumptum quicquam profuere, dolore clamoſo per bidum perſeverante, tandem aperta fuit vena malleoli, & ſtatim ſanguine miſſo dolor ingens quievit; ſuperſtite tamen dolore obtuſiori. *Lazarus Riverius. obſ.* 15. *cent.* 2.

Medicinæ quidam ſtudioſus correptus eſt dolore nephritico valde urgenti: urinæ erant rubræ & ſanguinolentæ, primum injectus eſt clyſter ex decocto emolliente cum diaphæn. ℥i. aq. bened. ℥iv. qui parum præſtitit. Sequenti die miſſus eſt ſanguis ad ℥x. quia erat plethoricus: dolor tamen perſeverabat. Tertio die iteratus eſt clyſter prædictus, qui eum toto die purgavit blande, & per dilucida intervalla, eodemque die à dolore prorſus liberatus eſt, excretis duobus calculis perexiguis. Clyſter prædictus ad dolores colicos & nephriticos præſtantiſſimus eſt, ut in aliis centuriis videre eſt. In hac autem curatione hoc annotandum, quod ſi prima vice injectus clyſter votis non reſpondeat, ſemel atque iterum repetendus ſit. *Lazarus Riverius. obſ.* 7. *cent.* 4.

Pro Nephritide.

Vir quidam quinquagenarius nephriticis doloribus valde obnoxius, ſumpſit per duodecim dies decoctum radicis card. aſinini & liquir. quo multos lapillos & arenulas excrevit, & poſtmodùm per plures annos ab affectu liber permanſit, erat autem radicis ℥iß. cum liquir. ʒii. in ſingulis doſibus. *Lazarus Riverius obſervat.* 7. *cent.* 3.

Quidam nephriticos dolores non alio remedio quam frigidæ fotu compeſcuit, *Rhodius. obſ.* 23. *cent.* 3.

℞. Troch. alkikengi cum opio ℥ß. Oculi cancri & ſuccini albi, an. ℈j. Sacch. penid. ℥i. M. F. pulvis, cujus capiat manè ʒi. in lecto. Deinde iſtam aquam nephriticam commendavi, de qua præſervationis & curationis ergo guſtet manè duabus horis ante cibum.

℞. Aq. parietar. ſaxifrag. an. ℥iß. Aq. fragor. ſtillat. ℥i. Spir. ſal. rectific. ℈ß. Spir. terebinth. correct. gt. iv. Sacch. candi ℥i. M. diligenter fiat hauſtulus. *Joh. Petrus Lotichius. obſerv. 2. c. 3. l. 3.*

Nephritis.

Filius Vice-Capitanei Sin George, juvenis circiter 18. annorum (qui renum ſabulo ab infantia laboraverat, & ſæpius etiam parvos calculos excreverat) menſe Januario à calculo in uretere altero hærente tantis torquebatur nephriticis tormentis, ut quò ſe verteret neſciret. Ad mali ſanationem hoc apozema præſcripſi.

℞. Radicum fœniculi, ſaxifragiæ, an. unc. ſ. Glycyrrizæ raſæ drach. 6. herbar. althææ, malvæ, an. m. j. florum chamomillæ m. j. ſ. Hordei mundati unc. j. ſem. dauci, malvæ, urticæ, bardanæ, an. drach. j. 4. frigid. major. an. drach. j. ſ. ficuum ping. n. 9. dactylorum n. 11. lactis dulcis recenter mulcti, aquæ communis, an. part. æq. coquantur ſ. art. & fiat apozema ad lib. 3. Hôc epotô, eodemque poſtridie reiterato dolores ceſſârunt, & parvum calculum cum multis arenis excrevit.

Idem ille ſequenti menſe iiſdem doloribus rurſus infeſtatus fuit, atque tunc calculus eodem decocto facilè & citò per ureteres in veſicam deductus eſt, verùm cùm inde in meatum urinarium cum urina extruderetur, adeò magnus fuit, ut tranſire nequiens, mediæ urethræ inhæſerit, atque urinam prorſus obſtruxerit, immaniſſimoſque dolores induxerit: qui calculus cùm inde Chirurgi operâ abſque inciſione extrahi non poſſet, & Chirurgus cataplaſmate impoſito partem affectam emollire niteretur; ipſemet pater, tantos filii ſui cruciatus æquis oculis diutiùs aſpicere nequiens, abſente Chirurgo novaculam arripuit, & filii ſui miſertus, meatum urinarium ſubtus, eo loco ubi calculus hærebat, parvo vulnere incidit, è quo calculus cum impetu protinus exiliit, magna urinæ copia ſubſequente. Poſtea inflictum vulnus, citiùs quàm opinati fueramus, paucis emplaſtris rurſus conſolidatum fuit, nullo poſt ſanationem incommodo remanente. *Isbrand. de Diemerboek in Obſervat. & Curationib. Medicis.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Renum dolor Calculis obſeſſorum, ureterum capita ſubeuntibus.

Anno 1673. menſe Decembri fere extremo, Vir quidam Reverend. nephriticis doloribus interemptus, anno ætatis quaſi quinquageſimo vita Uratislaviæ defungebatur, quantumvis εὐσάρκου ac ſanæ alias conſtitutionis, quod imprimis in exenteratione comparuit.

Nam abdomen 1. pinguedine duos digitos tranſverſos, vel amplius craſſa obductum erat, & deinde viſcera naturalia omnia optime conſtituta viſebantur, ſolos renes & veſiculam felleam, potius contentorum vitio quam ſuo, morboſos dicere oportebat. Veſicula enim fellea non ſolum lentiſſimam bilem, quæque ſatis largo ſpatio ſe diſtendere patiebatur, nec multam, ſed & inſuper lapillos puniceos, prominentiis quibuſdam inæquales, rubriſque maculis, necnon luteis quibuſdam parvis conſperſos continebat: Dicti lapilli aliis parvis, minorum piſorum magnitudine, & plurimis arenulis ſtipati erant: Ren dexter calculum luteum fovebat, cujus cuſpis in ureterem ſe inſinuaverat: reliquæ duæ ſic parenchymati infixæ utrinque erant, ut tranſitum & excluſionem omnino prohiberent: Calculus in rene ſiniſtro latitabat, juxta cum plurimo ſabulo, cujus pars initium ureteris pene obſtruxerat, Lapillus denique in veſica jam deturbatus inveniebatur: Ureteres ampli admodum & ſolito carnoſiores erant: In cauſam hujus, in corpore tam bene conſtituto, λιθογενεσίας inquirentibus, imprimis vinum nimis tartareum, quo Rever. familiariter, quanquam non exſceſſive utebatur inculpandum eſſe probabile vi[r]um eſt. *Henricus Wollgnad in miſcell. curioſis anni 4. obſerv. 169.*

Lumborum dolor à Calculis Renum inſolenti figura & molis: Calculi Sperlingiani.

Credas aliquando hominem totum in dolores verſum; à calculis quam maxime, partim in cavitate renum hærentibus, partim per exſertos ureterum canales, ſed, irrito interdum naturæ ſtimulo tranſitum ſibi quærentibus, unde tenſio & dolor, affluxus humorum ac inflammatio, febris, vigiliæ, deliria, vomitus, urinæ ſuppreſſio, periculum ſuffocationis, virium jactura & ipſa tandem mors: Illuſtre hujus rei ſed funeſtum exemplum anno 1658. die 12. m. Auguſti experiri hic Wittebergæ fuit in Celeberr. Philoſopho Ioh. Sperlingio, Doloribus hic Lumborum & moleſtis Dorſi torminibus, concurrente mingendi difficultate ac tarditate, per aliquot retro annos vexatus, corpore verò cæteroquin robuſto ac valido, cui proinde etiam nimis fere confidebat, medicaminum aſſumendorum impatiens, circa Julii menſis finem dicti anni, à plurimis amplius ſe cohibere, quam maxime vellet, nequiit, ſed incaſſum quæſita ampliore obambulandi libertate, victuſque mali vi, tertia quaſi ante obitum hebdomade, lecto ſe, ultimo mortis proſcenio ſubmiſit, agitantibus ipſum non raro, ut calculoſis fieri aſſolet, & defatigantibus vomitibus, ratione ventriculi in conſenſum tracti: Urina toto decubitus tempore obſtructa manſit, nec deſtillare ex renibus quicquam ejus potuit ob ureteres ſabulo infarctos: Exacerbabantur dolores, ſuperveniebant cum febri vigiliæ, quæ innocens corpus uſque ad ultimum fere vitæ articulum, convulſionibus finitum, excruciabant;

Ut incurabilis morbi cauſæ paterent, quæſitus à me in defuncti aperto corpore mortiferæ cauſæ locus: Integumenta abdominis, muſculi & viſcera pleraque recte ſatis ſe habebant: quibus proinde ad latus revolutis, abactoque à renibus involucro, confeſtim iidem apparuere penitus inflammati, qui ſic radices febris fuerant: Increverat verò adeo renum tumor, ut illorum figuram, etiam externam dimenſionum de-

determinationem quodammodo mutatam cerneres: Hæc, ut notum eſt, per naturæ leges inſtar phaſeoli Indici, in adultis lævi & plana ſuperficie deſcribitur: In exuviis Sperlingianis, unus quidem tantum utrobique ren obſervabatur, elatior tamen uterque, in aliquibus ſuperficiei ſuæ partibus, ſic ut niſi renes plurimos complicatos, quod non ſemel obſervavi in diſſectis Lutris extraordinarias tamen quaſdam & arcuatas veluti eminentiæ notas ob ſummam, qua diſtenti erant inflammationem, referrent; Sed quænam jam facies interna erat renum? Illorum uterque, quod admirandum, omnimode repletus erat calculis innumeris, minimis, mediocribus tribus etiam, præterea maximis, ſic ut internum latus omne, ac ſinum, pelvimque quam vocant, renibus æque ac ureteribus communem, penitus occluderent: Ureteres ipſi etiam à ſuo circa renes exortu, uſque ad veſicæ valvulam, immani arenularum copia & farciminum inſtar extenſi & turgidi viſebantur, ut irritus tantum fuerit quotuſquiſque naturæ, ſive in promovenda urina, ſive renum calculis, minoribus quantumvis, conatus, quem ſane non ſine inſigni doloris ſenſu unquam exorſa eſt, ſed quotieſcunque hos loco movere aggreſſa eſt, viſum ſibi retulit B. Sperlingius, ac ſi aliquis cultro acuto vulnus profundum ſecundum longitudinem lumborum ipſi infligeret, tractuſque hos, identidem à ſumma illorum parte, uſque ad regionem veſicæ, repetitos daret; unde colligi poteſt ſumma doloris ferocia & atrocitas, ſumma totius corporis inquietudo qua optimus vir decubuit: Placuit proinde calculos iſtos ære delineatos dare: Primus, (fig. 1.) ſat grandis, figuræ fere triangularis, ſed circa baſin latioris, quaſi montana quæpiam repræſentet, ſuperficiei inæqualis & aſperæ, coloris, ut reliqui omnes, ex albo flaveſcentis, conſiſtentiæ non fungoſæ aut ſpumeæ, ſed compactæ magis & durioris, in cavitate ſiniſtri renis hæſit. correſpondens illi non parum quem in muliere viſum delineat Tulpius (cap. 45. l. 2.) Hic noſter ad æquilibrium vocatus dum humidior adhuc eſſet, drachmas medicas quaſi tres pependit, replevitque cum altero ſibi accumbente minore, calculiſque quamplurimis aliis minoribus, totam modo dicti Renis ſiniſtri cavitatem: Secundus priore duas tertias minor, figuræ fere orbicularis, ſed oblongæ, ac tuberoſæ, atque in ſe ſpectatus ipſe etiam ſat grandis ac damnoſus, in eodem ſiniſtri renis thalamo recumbebat, ne quicquam deeſſe videretur ad abſolutam aliquam urinæ interceptionem: pondere primum æquavit circiter drachmam unam medicam: Tertius omnium maximus, & reliquorum veluti pater, ſtupore & admiratione dignus, totam renis dextri capacitatem occupabat, & nihil non in eo connotabatur memoratione dignum: corpus enim ipſius, ſeu maxima ejus craſſities, ad nucis juglandis mediocris molem accedebat: Gravitate & inclinatione ad centrum mundi, poſtquam ille ad æquilibrium reductus, acceſſit ad pondus drachmarum quinque medicarum & paulò amplius: Figuram proceſſus craſſiſſimi deformem reddidere, ex quibus duo breviores, in eodem calculi latere; dorſum renis ſpectantes, ſibi oppoſiti, ſpatiis inſignioribus caruncularum papillarium conſpiciebantur implantati: tertius verò, iſque longior & curvus, roſtrum avis alicujus æmulans, pelvim ſeu ureteris principium obſtruebat, eique veluti cuneus quiſpiam inſertus, non permiſit quicquam ad veſicam pertranſire, ne guttam quidem: Calculi plurimi minores, diverſi inter ſe ponderis, figuræ ac molis exhibentur, ex quibus alii rotundi & piſis ſimiles, alii grana milii referentes, alii majores & irregularis figuræ, alii oblongi ac mediocres, alii tandem arenularum minimarum inſtar, quemadmodum reſidua in renibus ſpatia, ſic maxime omnium urinales meatus, inter renes ac veſicam, oppilabant, ut farciminum par quis dixerit, ſi cui inſcio hi ureteres objecti eſſent: Ab illorum copia & aſperitate factum ut in dies auctum fuerit quoddam etiam exulcerationis periculum, unde ubi Sperlingius contentius quandoque ante decubitum ambulavit, diſcuſſurum ſe exiſtimans ope motus, præſentaneæ mortis ſuæ cauſas, non tam profuit ſibi, pauxillum arenæ evacuando, quam obfuit mixtionis cruentæ ſpeciem incurrendo, ob attritas à calculis per agitationem partes: Etiamſi enim calculi tam renum quam ureterum, dum eximerentur, muco quodam & lentore purulento obducerentur, uſque adeo tamen ſcabritiem ſuam ac aſperitatem non amiſerant, quin angulis ſuis ac eminentiis lædere, partes molliores potuiſſent: ut taceam quod per intempeſtivum iſtiuſmodi motum limoſa ſabuli colluvies prorſus tandem eſt compacta, ut nulla amplius urinæ emittendæ ſpes ſupereſſet: Hinc mirum non eſt veſicam alioquin ſalvam à nobis viſam fuiſſe, humoreque ſeroſo ac lixiviali prorſus deſtitutam, ob totalem inquam infarctum renum ac ureterum. *I. Daniel Major in hiſtoria Anatomica de illis calculis conſcripta.*

Lumborum dolor à calculis Renum ſubſtantiam abſumentibus, comite inflammatione.

Magnificus Vir poſt gonorrheam diuturnam, cibi potioniſque & veneris immoderationem, paſſus eſt dolorem gravem in regione ſiniſtri renis, interdum acerbiſſimum, more infixi aculei pungentem, cum vomitione crebra, pituitoſa, interdum bilioſa, rigoribus & febre inordinata, cum ſabuloſis urinis: Hinc judicavi affectum Renalem & nephriticum, qui etiam aliquod imminentis Renum inflammationis indicium præ ſe ferebat.

Adhibitis multis præſidiis ſuperatus fuit dolor, ablata febris, tamen non convaluit niſi poſt annum, dum poſt magnum corporis laborem lapis maximæ magnitudinis, figuræ oblongæ excretus eſt: Iterum in eoſdem dolores incidens, cum rigoribus inordinatis tentaretur, dum templum Lauretanum appelleret, ex uſu uberiore chalcanthi, in peſſimum ſtatum redactus eſt, unde interiit.

Secto cadavere fuerunt inventi renes conſumpti, ut portio, quæ reliqua fuit, facile frangeretur.

Doloris Renalis & Nephritici generationem Galenus lib. 1. Epid. refert in materiam craſſiorem, quæ cum ſanguine reperitur, ad renes at-

tractam: Renes enim quicquid ſeroſi tenuiſque cum ſanguine in vaſis permiſtum eſt, ad ſeipſos attrahunt; meatibus ad renum ventriculos percolantibus latius patefactis, aliquid ex craſſioribus ſuccis ſimul illabitur: quando iſtud excalefactum in renum cavo, ad tophi conſiſtentiam redactum fuerit, ſi renum vis expulſoria omne id una cum lotio expulerit, ſubſidentiæ fiunt arenoſæ: Quod ſi ejus cavo impactum inhæreſcat, aliquid ejuſdem materiæ à vena cava ſuſcipiens, ſibique apponens plus augetur; ſemper enim quod recens influit priori circumdatur, atque ita inſigni magnitudine tophus grandeſcit, exuſto areſactoque craſſo & viſcido humore, atque ad tophi conſiſtentiam redacto: Qui affectus Materialem habet cauſam, humorem ſcil. craſſum, frigidum & lentum: Alteram vero conſtituentem & Formalem, fervidam ſcil. jecoris & renum caliditatem, præter lapidoſam forte renum conſtitutionem: Imminentis vero, & in fieri inflammationis renum cauſæ ſunt, humores quantitate & qualitate peccantes, ad ipſos delabentes, ob ipſorum intemperiem, vel in attrahendo robur, & in expellendo imbecillitatem, ob dolorem: Quæ quidem affectiones ſe produnt, tum Dolore gravi in dorſo, qui paulo nothis coſtis eſt altior; interdum acerbiori, qui per intervalla fatigat, prout in ventriculo renum figitur lapis: vel in ureteres incidit; urinis ſabuloſis, vomitione aſſidua pituitoſa, propter renum cum ventriculo, mediante peritonæo conſenſum: aliquando biliosa, quæ cum rigore inordinato, & febre aſſidua, ſine certo ordine invadens renum incipientis inflammationis, aut biliosi humoris irritantis eſt indicium: Rigor enim vehemens, & totius corporis concuſſio, cum dolorifica refrigeratione nervoſarum partium, id demonſtrare videntur: cujus cauſa, cum ſit inæqualis contractio caloris nativi, è contrario materiæ motu & occurſu; quæ neceſſe eſt, vel ſit frigidus & crudus humor, vel ſuppurans vapor & ſanies, membranas per morſum afficiens: vel acris & putrens materia, motu ſuo vellicans nervoſas partes, vel fortaſſe initium inflammationis efficiens, ut in propoſito caſu &c. *Lælius à Fonte conſult.* 40.

Renum dolor à Calculo immenſo in rene dextro, Siniſtro penitus conſumpto &c.

Nob. quædam matrona multos annos graviſſimis renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere divexabatur, & quatuordecies uterum geſtans toties 8°. vel 9°. ſemper menſe abortiebat: Tandem una cum ætate, doloribus invaleſcentibus, de dextri præſertim lateris dolore, ita ut nec contactum aut decubitum in illam partem ferre poſſet, conquerebatur, rejectis interim toto morbi tempore multis calculis, & puris & ſanguinis copia per urinas: accedente inſuper graviſſimo ſtomachi & gutturis ardore.

Eam tandem, ante mortuam, cum ſecarem, Renem ſiniſtrum penitus conſumptum, & marſupii inſtar cujuſdam, membranoſum, ſinubus amplis, ſcirrhoſis tuberculis refertum, ureteremque illius admodum dilatatum, inteſtini cujuſdam inſtar, deprehendimus: Dextrum vero renem tumidum in immenſum excreviſſe; in quo, per medium diſſecto, calculus tantæ molis excreverat, ut ſinum ſecundum omnino adimpleverit, illiuſque ductus, ramis undique effarciens & obturans, ureterum principium obſtruxit, qui forma ſua cervinum caput cum cornubus & collo appoſite exprimebat, illiſque locis, ubi ſubſtantiæ renum minime adnatus erat, incruſtatus ſplendebat, ex contactu bilis flaveſcens: E quibus facile dolorum cauſas & Abortus, utriuſque renis calculos, quorum ille in ſiniſtro rene illius ſubſtantiam contriverat, atque confractus comminutuſque ſucceſſive per mictionem redditus fuerat: hic vero in dextro rene ſubſtiterat, fuiſſe colligere licebat. Hæreditarium autem malum hoc illi fuiſſe oſtendit, quod ex matre illius, iiſdem affectibus mortua, calculus ex utroque rene quoque fuerat exectus. *Platerus Obſerv. lib.* 2. *pag.* 467. *Praxeos lib.* 2. *cap.* 12.

Poſt nephriticos dolores, à lapide Renum ſubſtantia conſumpta eſt, ſola ſuperſtite membrana.

Reverend. Aquini Epiſcopum eo morbi genere laborare quem Medici Nephritin appellant, indicio ſunt urinæ ſabuloſæ præcedentes: dolor gravativus in regione Renum, auctio doloris à cibo, atque in hoc tempore dorſi debilitas, mictio frequens, crurum imbecillitas: Per epicraſin vir Illuſtr. curatus, aliquando medicatione prophylactica, interdum extraordinaria; nihil unquam profuit, ut tandem ad ultimum vitæ exitum perductus fuerit.

Secto cadavere; inventus eſt ren ſiniſter ut crumena, ſine ſubſtantia, cum ſola pelle, lapillis referta & ichoroſa ſanie. *Lælius à Fonte conſult.* 37.

Pleriſque ſuppurantur renes calculoſi, & colliquantur ut tantum maneat pellicula, ſicuti D. de Manoy, cui ren dexter colliquatus, ſiniſter calculum habebat, ureter & partes reliquæ ſiccatæ. *Scholiographus ad cap.* 47. *lib.* 1. *Hollerii de morb. internis.*

Anno 1644. in cadavere mulieris ætatem ſenilem proſpicientis, Ren dexter totus erat flaccidus marſupii modo, calculis undique incruſtatus minimis, qua pori conſpiciebantur: magnus inſuper lapis & inæqualis impactus ureteris principio. Calculi verò materia potiſſimum eſt bilis ac pituita, ſale permixto, qui ſupereſt in linteo Soli expoſito, per quod urina fuerat trajecta. *I. Rhadius iii. Obſerv.* 22.

Sæpe vidimus tota Renis carne ac ſubſtantia pereſa ambiente, tanquam marſupio membrana, pus calculoſque multos obvolvi. *Fernelius Pathol.* 6. *cap.* 12.

Obſervavi in Elizo des-Bordes membranam Renis in eam amplificatam longitudinem, quæ univerſam abdominis capacitatem, ſervata tamen figura, exactè coæquaret, & 14. libras puris, exeſo ſcil. parenchymate & ſuppurato contineret, nec ab eo pondere per aliquot annos continuitatem amiſiſſet: Scil. natura membranæ eſt ductilis & extenſilis in omnem differentiam ſupra fidem. *Car. Piſo ſect.* 3. *cap.* 2. *de morb. à Sero.*

Pauper quidam 30. annor. laboraverat dolore nephritico & dyſuria, Obiit, Diſſecui cadaver, reperique Renis ſiniſtri ſubſtantiam totam conſumptam, ita ut præter membranam nihil

nihil ſuperfuerit, ſed ſolito, ut ſolet, longe fuit craſſior. *P. Barbette Praxeos lib. 4. cap. 8.*

Aperuimus corpus cujuſdam, qui novem circiter menſes laborabat affectu renis ſiniſtri, extenuatus omnino: Renem invenimus totum conſumptum, plenum pure, magna quantitate, ita ut levi attactu diſruptæ fuerint omnes tunicæ: *Ex obſervat. Joh. Bauhini.*

A Nephriticis doloribus extinctæ mulieris Ren dexter plane putridus inventus, Siniſter flaccidus, tumidus pure & calculis refertus &c.

Filia quadragenaria, xxv. annos doloribus nephriticis miſerrime vexata, plurimos ſubinde calculos excrevit, diverſi diverſo tempore coloris, rubicundos, fuſcos, albidos, nigricantes: ante triennium cùm ſubitò terrore percelleretur, in ſymptomata parturienti plane ſimilia incidit, ac obſtetricante dolore, ex reſerato, tanquam uteri, veſicæ orificio multum, calculorum in terram cum ſonitu defluxit: Partus hujus poſtero & ſequenti die, pari fere vehementia dolores denuo oborti, parem fere (xx. circiter fuerant) calculorum numerum expulêre, quorum majores nucem avellanam, cum putamine, plures nucleum æquabant, minores reliqui, omnes ſolidi & rubicundi: à quo tempore menſes aliquot immunis à nephritide vixit, donec iterum (quod in promptu cauſa eſſet) novi concreſcerent & cum cruciatu ejicerentur: ita miſerrimam vitam ad extremum traxit diem, quo & vita & dolore liberata eſt.

Diſſecto cadavere vidimus dextrũ renem, (de cujus præcipuè cruciatu multum olim, poſtremo vitæ tempore nihil conqueſta eſt, nervorum ſcilicet ſurculis jam conſumptis) plane computruiſſe: Siniſtrum longe ſolito majorem, flaccidum, colore & ſubſtantia pulmonis carni ſimillimum, tumidum, atque follis inſtar extenſum, ſed ſcalpello leviter tactum purulento ſero exiliente, detumeſcentem: Intus repertum renis parenchyma planè corroſum, & anguſtiæ iſtæ, inter papillares carunculas & ureteris canales, admodum dilatatæ calculis: quædam craſſiori arena & fuſca, quædam (quorum manifeſtam ad collisionem, quoties corpus moveret, ab adſtantibus non exaudiri ægra mirari ſolebat) ejuſdem coloris, ſed variæ figuræ & magnitudinis refertæ, maximus glandis mole & forma, qui, ut & minores, imponere poſſent vel ſagacioribus: nam figura, colore ſubſtantia, non ficus, ut eſt in Græcorum proverbio magis referunt, ac perfectè exprimunt lapides *Bézoar* occidentales, quos itidem ex variis quam illi laminis, ut & calculo, noſtro prioribus illis acreſcentibus conſtare obſervamus: Hæc tot annos excreverat copioſas arenas, quæque in urinis ſubſiderent ψαμμώδεα, imo pluribus ante obitum diebus, ramenta, (ut manifeſte apparebant) calculorum, quod tantum poſſunt plures ſe mutuo atterentes, Et attrittos verſans urina lapillos, Sed nec arenæ nec ramenta hic dedêre ſignum calculoſæ veſicæ, quæ ſana & integra, nec calculum nec ullum calculi exhibuit veſtigium. *Beverovicius Epiſtolicar. quaſtion. pag. 109.*

Ob nephriticos dolores extinctæ Ren ſiniſter maximus inventus eſt, lapidem continens exiguum: Dexter minimus.

Vidua Barnabæ Panthou ſæpe nephritica erat: aliquando è veſica detractus lapis: tandem poſt multos dolores nephriticos doluit inguen ſiniſtrum; febricitavit, mox in imo ventre dolor erat implacabilis: jactatio, vomitiones aſſiduæ, imo dolor ad pectus, variæ admodum erant ſpecies doloris: In ſiniſtro hypochondrio tumor erat, apparebat magnus & durus: quidam vere ſplenem intumuiſſe dicebant: alii renem, febris maraſmodes: convulſiunculæ: frequentes leipothymiæ; involuntarie profluebat urina, ſpecies quædam erat Diabetæ: urinæ tenuiſſimæ, aliquando cruentæ: poſt multos dolores mors.

Aperto cadavere, ren ſiniſter inventus eſt lapide obſeſſus exiguo: ren in magnam molem undiquaque increverat: adæquabat renem bubulum magnitudine, paulum ſaniei in eo erat: Dexter parvus adeo erat ut fere reperiri non potuerit: Macruerat multum, Nunquid verum illud à Renibus febre maraſmodes contingere? *Ballonis Epidem. & Ephemer. lib. 2. p. 152.*

Nephriticus dolor à calculo ovi gallinacei magnitudine, ſub membrana renis ſiniſtri deliteſcente, & pluribus in utroque.

Generoſus H. S. à Vippach &c. hypochondriaci affectibus ſymptomatibus & Nephriticis doloribus crebro infeſtabatur: arenulæ & lapilli ſæpe cum vomitibus, ardore, dyſuria moleſtiſſima apparebant; de pondere ſiniſtri renis, quoties rheda vehebatur, imprimis conquerebatur, magnum lapidem ibi hærere & ſtabile elegiſſe domicilium conſtanter aſſeverabat: Adnuebam, nec negare poteram, fidem dans operam me daturum ut lithontripticis contereretur & educeretur, ſed præveniebatur hic optatus ſucceſſus à beata analyſi. Poſtquam enim eryſipelate dextri cruris ſuppurato conquaſſatus, jam cum bona valetudine in gratiam redire & melius habere videbatur, hydrops aſcites illum corripiebat: liberabatur per tranſverſam ſcroti paracenteſim, ad capitis magnitudinem incrementa ſumentis: inflictum vulnus ſeta apertum ſervatum: hunc trium menſium ab inde curriculo excipiebat catarrhus ſuffocativus, lethi fatalis prodromus.

In aperto cadavere, Ventriculus, qui tot ludribium vomitibus debuerat, mediocriter habebat: Lien ſcirrhodes erat, Jecur floridum, in Meſenterio nulla apparebat noxa: ſub Renis ſiniſtri membrana calculus ovi gallinacei magnitudine, roſtro acuto in cavitatem renis deſinentis: In utroque rene plures minores calculi anguloſi, rotundi deliteſcebant. Cerebrum ſeroſis humoribus à juſta deflectens conſiſtentia diffluebat. Oſſiculum circa radicem arterioſæ cordis venæ, grani panici amplitudine, cartilagine duriori cinctum, obſervabatur. *Guernerus Rolfinckius Diſſertat. Anatom. lib. 1. cap. 13.*

Cujuſdam Nephritico dolori obnoxii Renes lapideæ duritiei reperti ſunt.

In Sileſia ſuperiore Nobil. fœmina maximis doloribus nephriticis per pluſculos annos exagitata fuerat, & tam ſpiſſam ſæpius minxerat urinam, ut in ipſa emiſſione & ſtillicidio quaſi in fila diduci potuerit; ingruentibus interdum rigoribus in nephriticis conſuetis: lumbos fere nudos fornaci admovit, ut ſe calefaceret, vix tamen calorem ſenſit, licet cutem ipſam fornacis flamma læderet: Tandem miſeriis hiſce diu colluctata, ſuccubuit circa annum 1661. nimia dolorum atrocitate.

In diſſecto corpore inventi fuere ambo renes obriguiſſe, tam dexter quam ſiniſter, in alabaſtrinam duritiem & ſoliditatem: Majorem ex his renibus in muſæo meo ad aliquot horas penitius inſpiciendum accepi, Erat adhuc, poſt Gorgoneam iſtam metamorphoſin, Ren in ſua figura (quaſi fabacea) ordinaria conſpiciendus: exterior parenchymatis pars & circumferentia ſemicircularis, ſeu gibba renum pars, videbatur quaſi in aliquot lobos corrugata & poroſior reliquo corpore facta, coloris ad griſeum accedentis: reliqua verò pars verſus ſimam partem & pelvim, cum reſecta particula ureteris principii, ſilicea tota, nihil magis quam candicans alabaſtrum & duritie & colore exhibens, venæ aliquatenus rubeſcentes, quaſi ibi depictæ videbantur. Cum ad libram pondus examinaſſem, 11. lotones exſuperaſſe compertum eſt; Dolendum in iſtius cadaveris apertione Medicos Anatomiæ gnaros defuiſſe qui originem & finem iſtius petrificationis renalis annotaſſent; an toti ureteres ſilicei (quia ipſorum principium reſectum duriſſimum & ſolidiſſimum) & quid forte veſica monſtri alerat. *Ex obſervat. D. Jacobi Sachs Practici Uratislavienſis, in Miſcell. cur. anni 1670.*

Mulieris poſt Nephriticos dolores mortuæ, Renes abſumpti & Veſica corrupta reperiuntur.

Nobilis virgo diu circa Renem alterius lateris dolore & ſimul mingendi ardore miſere afflicta, poſt varia tentata remedia aliquot annos, Et cum ſuſpicio eſſet de calculo veſicæ, poſt actualem operationem in lapidis extractione, in mulieribus fieri ſolitam, quæ tamen irrita fuit, cum nihil profeciſſent, tandem in Galliam reverſa, mortua, ſectaque Renes abſumptos & Veſicam corruptam fuiſſe deprehenſum. *Platerus Obſervat. lib. 2. pag. 469.*

Nephriticus dolor & Imi ventris à Rene ſuppurato & Calculo veſicæ hujuſque exulceratione.

Anno 1668. adoleſcens 19. annorum poſtquam bene longum tempus immenſis doloribus circa veſicæ & ſiniſtri Renis regionem, vomitibus frequentibus & dolorifica urinæ excretione mirum quantum excruciatus fuiſſet, nec remedia tam interna quam externa, ipſæque injectiones in veſicam quicquam ſolatii attuliſſent, moritur.

Hujus abdomine cultello recluſo, ob ingentem fœtorem ſeſe poſt ſectionem exſerentem, recta ad ipſum locum affectum acceſſimus: Ubi primùm in exteriore & ſuperiore veſicæ ſuperficie inſolitus ſinus pugni magnitudine conſpicuus erat, quem in membranis illis efformaverat pus, quod diſciſſo Sinu cum fœtore affatim diffluebat: Inde acceſſimus renem ſiniſtrum, ex eo enim pus illud, in diſſecto ſinu inventum, deſcendiſſe merito ſuſpicabar: Totum autem illius parenchyma erat ſuppuratum, imo in pus plane converſum, unde tunica illius ſcalpello rupta, fœtidum pus in abdominis cavitatem copioſè effluxit: Properavimus inde ad veſicam urinariam, cujus cavitas nullam urinam, ſed ſolum calculum exacte rotundum, aſt nimium aſperum, ſeſquiunciam ponderantem continebat, Interior verò tunica tota, & ſatis quidem profunde exulcerata, quod à calculi aſperitate eveniſſe reor. *Ex G. Segeri Medici Thorunenſis obſervat. in miſcell. curioſis anni 1670.*

Nephriticus dolor à Calculo perforato urinæ tranſitum concedente.

Lapides non ſolum in renum ſinu contineri, verum etiam in ipſorum ſubſtantia reperiri compertum habeo, hincque expelli poſſe non dubito: Vaſe etiam, quod ſinum efficit, non rupto, nec diviſo: nam, ut jam monui, variiſque ampliſque foraminibus eſt pervium, per quæ calculi à ſubſtantia renum in ipſorum cavum facile expelli poſſunt: hæc autem foramina, quamvis admodum pateant, tamen priores Anatomicos latuerunt: idcirco plurimis errandi occaſionem præbuerunt, qui alterutrum neceſſario concedendum eſſe non ſemel mecum acriter contenderunt, nimirum calculum vel in ſubſtantia renum non gigni, vel ſinu membranaceo eorum illæſo cum urinis excerni non poſſe: Neque verò prætermittendum eſt, ureterem ſtatim ab egreſſu è renibus latiorem redditum, inſtar ventriculi ſeu peræ paſtoralis recurvatum, frequenter magnam lapillorum copiam congregare, quos poſtea natura ſagax ſenſim inde cum urinis expellit, quibus iter ob vaſis curvitatem interceptum non eſt, quamvis calculis ſit refertiſſimum: hoc naturæ diligentiam ſummoperè commendat; ſed magis illud quod lapides inſignis magnitudinis in renum ſinu contentos, quaſi coronarum orbes medios ferat: Superioribus annis quidam altero rene doluit, cruciatuſque adeo auctus eſt, ut miſellus brevi vitam cum morte commutârit: hunc calculo minime laborare conſtanter affirmabant Medici, quia neque urina ſuppreſſa unquam fuerat, neque tenuis ſeu turbida, aut ſabuloſa unquam apparuerat: Omnibus ſolus ego repugnabam, arbitratus alterum renem officio ſuo probe fungi, alterum penitus obſtructum nihil penitus lotii tranſmittere.

Contentionem diremit ſectio, quæ aliter ſe habere quam nos opinaremur, patefacit, lapidem nimirum magnum & oblongum, cruciatus & interitus cauſam fuiſſe, qui cum eſſet medius perforatus, quo minus urina exiret impedire non poterat. *Euſtachius cap. 45. de Renibus.*

Quidam ſæviſſimis doloribus nephriticis diu multumque agitari ſolitus, poſt obitum ſecatur. In eo utriuſque renis cavitas reperitur tota calculo

culo occupata & diſtenta ſeu repleta: Pro urinæ tamen emittendæ via, provida ſolerſque natura, in lateribus calculi orbitam quandam cavam, per quam urina ad ureteres & veſicam deferri poſſet, molita fuerat. *Ph. Salmuth Cent. 3. obſ. 30.*

Nephriticus dolor à Calculo ureterem obturante.

M. Nicola, vidua 40. annorum, infeſtata aliquandiu à lumborum dolore, procidit tandem in crudele calculi renalis tormentum, cum vomitu, febre, menſtruis inordinatis, urinæ difficultate, & interdum tanta ejus ſuppreſſione ut totos 18. dies nihil lotii reddiderit: unde excitabatur ipſi ex ſero ſurſum recurrente primum ſopor, ſed mox tam gravis nervorum contractio ut cogeretur vitam cum morte commutare.

Diſſecto cadavere, apparuit ren ſiniſter, ut extrinſecus lividus ac tumidus, ſic intus frequenti aqua & calculis pluribus infarctus: quorum maximus inſinuaverat ſe acuto ſuo apice tam longe in ureteris principium ut id integrè occluderetur, neque permitteretur illac deſcendere quicquam lotii, licet potui darentur plurima aquam ducentia; baſi enim cum foret latiore quàm ut permearet commode anguſtum hunc ductum, neceſſe fuit quo plus urgeretur ab affluente ſero, tantò quoque impenſiùs intercludere tranſitum urinæ à renibus deſcendenti, præſertim cùm oppoſiti renis ureter non minus utique occluderetur à latiore aliquo lapide, inſtaro perculi, ipſius principio impoſito. *Nic. Tulpius lib. 2. obſerv. cap. 45.*

Quidam annos 30. natus nephriticos dolores paſſus erat ſæpe: purulentum minxerat, cætera alacris interiit: Repertus lapis in ore vaſorum urinariorum: Quod mirum uterque Ren tabuerat: nil erat ſucci, nihil carnis, ſed in molem maximam creverat ac ſi inflatam veſicam dixiſſes, & tota cavitas renum ita extenſorum inanis erat. *Ballonius Paradygm. 176.*

Renum ſubſtantia variè pro natura affectuum vitiatur.

Notat *Euſtachius lib. de Renibus cap. 45.* In cadaveribus illorum qui vi morbi interierunt, pro varia ejus ſpecie, varie conſtitutos renes reperiri: ipſumque colorem varium occurrere: nempe quia ſecus ac aliis viſceribus evenit, levi ſæpe de cauſa immutatur: idcirco ruber frequentiſſime, clarus atque ſplendens apparet, interdum obſcurus & niger, non raro ſubalbidus: Ipſa vero ſubſtantia cernitur modo laxa, fragilis & quaſi putris, modo denſa, dura & arida; Superficiem varicoſam & innumeris tuberculis ſcatentem perſæpe vidit: In Nobili Romana quæ propter violentum partum, poſt copioſum ſanguinem excretum obierat, renes albi, fragiles, ac putres inventi ſunt, ſub quorum propria membrana tantum flatus collectum erat, ut videretur à ſubjecta carne prorſus ſeparata, adeoque turgida & diſtenta ut magni tumoris ſpeciem primo intuitu inferret: Maxime imminutos, exſiccatos, obſcuros & undiquaque tuberculis plenos conſpexit in Epiſcopo Senogalienſi, qui ob calculum retenta urina periit.

Anatomicus in rene ſiniſtro magnum calculum bicornem invenit, alterum cornuum divulſum in Ureterem deſcenderat, unde immanis illa parte dolor: Repertus etiam calculus lobo jecoris adnatus, ovi columbini magnitudine, eique ſub finem parenchymatis appenſus: Baronis uxor fuit, quæ viva de illo latere nihil querebatur. *H. ab Heer obſerv. 1. p. 9.*

Lumborum dolor à calculo oblongo & obliquo renem dextrum occupante, eumque tandem corrumpente.

Vir Nobilis, idemque optimus Jacobus Myro Senator Pariſienſis, cum eſſet raræ texturæ & infirmæ valetudinis, circa initium Februar. incidit in febrim continuam, quæ ex prægrandi abſceſſu rupto in meſenterio, cum pravis aliquot ſymptomatis, præſertim vero diarrhœa biliosa & ſeroſa, jugibus vigiliis, hæmorrhoidibus, & univerſi corporis colliquatione, verſa eſt in lentam ſymptomaticam, qualem graphice deſcripſit Clariſſimum olim Scholæ noſtræ lumen *Fernelius lib. 4. Pathol. cap. 16.* ſub finem: Ex hoc affectu poſtquam decubuiſſet Nob. Senator, per quinque fere menſes, quibus in dies pugnatum eſt arte medendi, tandem exitium ſuperavit opem, quæ victa jacebat, fatiſque ceſſit morte leniſſima, ſine ulla vi ullaque torſione, quaque placidiorem nullam potuiſſet unquam ſperare; neque optare Auguſtus ipſe, ſine ullo cruciatu & tormento, quam εὐθανασίας nomine indigitare ſolebat.

Tranſactis ab exceſſu horis 12. diſſectum fuit cadaver me præſente: Inter cætera obſervata digniſſima & hoc unum fuit, Ren dexter, (ex cujus vitio ſupra annos decem ſæviſſimis doloribus nephriticis multoties fuerat divexatus) totus putris & in tabum redactus deprehenſus. In cujus media ſubſtantia & cavitate oblongum & obliquum calculum comperi, anguloſum, & ut ita dicam, cornicularem. Jam multum temporis erat ex quo haud dubie ren ille non ſolùm putris & ſanioſus, verum etiam totus gangrænoſi affectus & corruptiſſimus ſui muneris nihil quicquam edebat, & propria ſecernendi ſanguinis, & ſeri excernendi facultate deſtitutus erat, qui enim potuiſſet obſtructo meatu à grandiore calculo, & corrupta ad eum putredinis gradum propria ſubſtantia, ut ipſius renis nihil aliud quicquam haberet præter figuram & tunicam, quæ pro renis ſubſtantia merum tabum idque nigerrimum continebat, & tamen nulla unquam laboravit per totum morbum urinæ ſuppreſſione. Quod ſane ſæpius quoque à 15. annis in hac populoſa urbe calculoſorum feraciſſima facile obſervavi.

Ergo non eſt ſemper verum uno Rene obſtructo alterum ſtatim ceſſare ab officio, cum ægrorum plurimi urinam profundant alterius renis beneficio ad ultimum uſque vitæ momentum. *Guido Patinus Epiſtola ad Beverovicium, in hujus ſpicilegio de calculo.*

Renis & præſertim dextri dolor, à calculo in hoc rotundo: Alio bifido in ſiniſtro, cum corruptione.

Johanna Ph. Stansby Aromatarii Dorcheſtren-

ſtrenſis uxor, annos ſeptem circiter ſupra quadraginta nata, habitu corporis gracili & raro, temperamento bilioſo, cum per periodos à pluribus annis ex calculo laboraret, quorum plures rejecit, arenulis verò continuo fere moleſtaretur, nec ulla præcautione uteretur etſi paroxyſmo urgente ad levandum dolorem medicamenta quædam, ſed pauca admitteret, in idem tamen malum denuo incidit, cum acutiſſimo circa renes, dextrum præſertim, dolore, ita ut aculei infixi ſenſum præberet, accedente gravi vomitu, quo aſſumpta quævis, præter bilioſa plurima, rejiciebat: lotio primum præter morem tenui, inſtar aquæ exiſtente, poſtea etiam penitus ſuppreſſo, & ad totum regurgitante: Varia huic matronæ fuerunt adhibita, ſed renuente Apolline, morbi magnitudine & vigiliis ſuperata vitæ finem fecit.

Diſſecto à morte cadavere, inventus eſt in ſiniſtro rene calculus, amplo caudice principium ſumens, in duos ramos ſeu radices, inſtar dentium maxillarium, magis tamen circa finem à ſe diſtantes, juxta canaliculorum vaſis urinarii formam, diviſus: Unciæ unius pondere, rene toto aſſumpto, ut nihil præter membranam reſtaret. In dextro verò rene, in quo crudelioribus afficiebatur doloribus, repertus alius calculus rotundior, IV. ſcrupulorum pondere. Ab his cruciatus & interitus cauſa, reliquis viſceribus ſanis exiſtentibus. *Frider. Loſſius obſerv. 52. lib. 3.*

Lumborum dolor à Rene putri, ob caculi & materiam viſcidam tumidum, Altero imminuto.

Bon. Cornéus diuturno Renum dolore & calculo interiit: Erat ei ex Renibus alter magnus tumidus putris, calculiſque ac materia viſcida & ſanioſa refertus. Alter vero, quamvis nihil hujuſmodi pateretur, adeo imminutus, ut magnitudine parvam caſtaneam vix æquaret. Cujus rei, ut arbitror, cauſa erat quia hic jamdiu ſuo munere penitus fruſtrabatur, quippe qui revulſioni obſiſtere nequiret: quam aſſuetus & copioſus excrementorum fluxus ad alium male affectum renem aſſidue procurabat: Imminui verò particulas quaſdam ubi à ſua actione prorſus vacant, ut de aliis nunc taceam, Uterus ipſe aperte declarat. *Euſtachius cap. 45. lib. de Renibus.*

Lumborum & nephriticus dolor, à calculo grandiori pelvim renis dextri implente, cum alio minore, &c.

Vir Nobiliſſ. D. D. Philippus Jac. Sachſius die 2. Januar. 1671. lecto plane affixus quatuor Medicorum implorabat auxilium: incaſſum tamen omnia adhibebantur medicamina, cum morbus jamdudum tam altas egiſſet radices, quæ viribus plane exhauſtis, abſque ſubjecti interitu eradicari haud poſſent, Morbus non erat unus ſed complicati: per ſemeſtre aut trimeſtre ſpatium laboribus & negotiis concatenatis, defatigatus, carnium, piſcium, vinorumq; genera averſatus, pulmentis ſaltem & ſorbilibus corpus reſarcire intendit, medicamentis fere poſthabitis, donec morbo fractus ex aſſe ſibi mederi & voluit & juſſit, ſed nimis ſerò. Hæmorrhagia enim naris ſiniſtræ, non quidem larga, ob nimium autem admixtum ichorem ſæpius rediens, vomituſque tandem auſteri, & ut ipſe nominabat, aluminoſi, omnem ventriculi tonum perverterant, vireſque abſumpſerant, ut 7. Januar. animam reddere cogeretur Creatori, cum vixiſſet annos 44. Iſtud jam Sachſianæ mortis genus, & ultimam Calculorum ferociam optimus noſter Phoſphorus mature ſat prævidit, iterato nempe, cum iis antea conflictatus ab annis aliquot D. D. Volgnadius, laudatum virum anno 1662. ipſo die ſuo natali, primas arenulas excreviſſe: à quibus ſubſequo tempore haud ſemel quidem victor evaſit, etiam cum male ominoſus ille renum ac ſanguinis limus jam induiſſet ſchema calculi, prout ipſemet Sachſius anno 1665. mihi ſcripſerat his verbis. Præterita ſeptimana dolores calculi in rene dextro reſpõdendi officium inhibuerunt, qui tamen Divina gratia, ubi in lucem infauſta calculi proles fuiſſet edita ceſſarunt. Sed ut fieri aſſolet, recurrente ſæpius hoſte, vires reſiſtendi magis magiſque atritas ſenſit: & poſtquam ab acerbis renum doloribus tum etiam evaſerat, verum tamen haud vane ſibi metuit, ne induciæ iſtæ eſſent minus diuturnæ, & potius ſi malum ſæpius recruduerit (ſunt verba ipſius) Sachſium, non ſaxum Saxo ſepulchrali ſit illaturum accedentibus præſertim morbis aliis, à quibus, queritur quod fere ad ultimam maciem ſit perductus, ſubjungitque hiſtoriam morbi “ ſui periculoſiſſimi, relatu dignam, De morbi “ mei, inquiens periculoſiſſimi ſtatu pauca “ ſubjungere libet: Per æſtatis inconſuetas ſiccitates, & viſitationes creberrimas ægrorum, corpus meum viribus attritis maximam tartareorum humorum cumulaverat copiam, nec aliquot dies impendere licuit ut meæ veletudini conſuluiſſem; Itaque ſub exitum Novemb. præcedebant deſtillationes in fauces, tonſillas, uvulam, appetitus proſtratus, capitis dolores, & qui non alii hoſtes in meum interitum conſpirantes? primum hunc inſultum fortiter ſuſtinui, & victoriam per aliquot ſeptimanas reportaſſe videbar, Sed hoſtis aſtutus, Scorbutus, in inſidiis latens, depoſita larva, recollectis viribus rurſum aggrediebatur me, à priori conflictu vix reſpirantem: Accedebant capitis dolores, cum tumore brachiorum & pedum, motus impotentia, vigiliæ, dolores colici nephritici, & quod peſſimum, tam acidæ fermentationes ex ventriculo in palatum, ut tartarus linguæ & faucibus ſe inſinuans, inſtrumentis Chirurgicis eſſet abradendus: Cum his Furiis per IV. & ultra ſeptimanas mihi diu doctuque confligendum: Evaſi tandem per divinam gratiam, factis induciis cum tam feroci hoſte.

In ejus exanimi corpore ſequentia memoratu digniſſima, remotis integumentis thoraci ac ventri communibus comparuerunt, Omentum prætenue. Ventriculi ſubſtantia itidem tenuis minuſque craſſa, inæqualiter tamen: Interiorque illius tunica diverſicolor, circa orificium ſuperius videlicet virore quodam ſubnigro, circa

ca

ca inferius vitellino, circaque medium tincturæ ſub puniceæ ſchemate infecta: In ventriculo verò liquoris fæculenti ac turbidi cochlearia circiter tria, acorem graviter corruptum redolentia.

Meſenterium prorſus expers pinguedinis, & vaſa ejuſdem tantum non exſanguia, ut etiam ramus venæ Portæ, experimenti cauſa diſſectus, vix aliquot guttulas cruoris effunderet: In Pancreate nihil anomali annotatum: Nec in Hepate, niſi quod extremitas cavæ partis utcunque liveſceret, quod verò ob viciniam veſiculæ felleæ facile fieri potuit: Fellis abundantia notabilis & conſiſtentia viſcidior. Lien brevior ac rotundior fere ſolito, cæteroquin optime conſtitutus, pendens uncias quinque cum dimidio. Ren dexter ſiniſtrum magnitudine ſuperans; In cujus (dextri) pelvi, ſupra infundibulum, calculus grandis inſignibus eminentiis, & una earum imprimis notabili, quæ principio ureteris inſigebatur, exaſperatus, uncias duas pendens, eique pinguedo plurima ſuppoſita, præter pinguedinem exteriorem, intrinſecus parenchymati adnata, præſertim circa infundibulum, cum calculo ſocio alio minore, pendente ſcrupulos duos cum dimidio: Ren ſiniſter utcunque melior, ſabulo tamen prægnans, & extrinſecus nonnullis hydatidibus conſperſus: Veſica urinaria pariter inhæſu calculi afflicta; qui verò minor, oblongus & quaſi quadratus extitit, pondere granorum ſeptem. Cor & Pulmones debito modo ſe habuerunt. *Ex Miſcellaneis curioſis ann. 4. & 5. Tit. Memoria Sachſiana, &c.*

Nephriticus dolor à calculis ureteribus vel pelvi impactis.

Cuidam poſt mortem excidi lapillum nigrum ex ureteribus, quibus impactus ob inæqualitatem ſubſtantiæ elabi non poterat, atque ita hominem miſere interemit, præter magnitudinem (pendebat ſcrupulum cum dimidio) ea in parte ſtupendam, color ejus nigerimus, & ſubſtantia ad tophi ſimilitudinem accedens. *Theodorus Kerkringius Obſerv. Anat. 67.*

Per tranſennam hic adnotabo ſæpe in ureteribus inventos à me lapillos majuſculos quoſdam, parietibus adhærentes, qui viam aliis tranſeuntibus occludunt, & vehementer ab iis tacti augent hominis, eo morbi genere afflicti, cruciatus. *Idem.*

Mortuus Illuſtr. Princeps Bonifacius Cardinalis Caetanus, ex doloribus nephriticis, propter varios, aſperos, angulares, & aliquos valde acutos calculos, intra unum ex ureteribus impactos: Nam alter una cum rene ex toto fere contabuerat, & nullo penitus humori pervius apparuit. *Crucius de Quæſitis per Epiſtolam p. m. 93.*

Nephriticus dolor à calculis in Renum ſubſtantia, & ipſo Infundibulo, &c.

Laboravit civis quidam ab aliquot annis renum calculo: Is ante paucos menſes acerbius ex eo malo decumbere cœpit: urinæ ipſi mox ſubſtiterunt, mox profluxerunt: dolore in ſiniſtra renis regione cruciatur intenſiſſimo: tandem viribus exhauſtus, & urina nullatenus profluente extinctus eſt, crure ſiniſtro poſt mortem præ altero non parum intumeſcente.

Abdomine defuncti aperto, & inteſtinis remotis, ante omnia renis ſiniſtri conſtitutio conquiſita, qui prægrandis fuit magnitudinis, ſuperne (qua parte lumbis adhærebat) veſica aquoſa ſatis magna ipſi adhæreſcente: Rene novacula paululum aperto, ſanies quædam, ſive rectius ſerum album effluxit, aptiſſima, meo judicio, pro generando calculo materia; Aperto penitius Rene, abſceſſus aliquis inſignis repertus non eſt: reperti tamen in renum ſubſtantia hinc inde calculi majuſculi cum non parva ſabuli copia: Repertus tandem in ipſo infundiculo (qua ſcil. ſerum è rene in ureterem tranſire ſolet) lapis inſignior, radici zinziberis mediocri, & magnitudine & forma facieque per omnia reſpondens: Dexter Ren flaccidus plane fuit, ut pote qui à multo tempore munere ſuo perfunctus fuit minime: quippe ureter extra renem, ad digiti articuli unius altitudinem, à calculis penitiſſime & firmiſſime obſtructus viſebatur. *Greg. Horſtius Obſerv. lib. 4. obſ. 46.*

Nephriticus dolor à calculo cruciformi per univerſum renem ſe diſpergente.

Plumarum venditor emortuus ob renum ac pectoris vitia, habuit in utroque rene inſignem calculum, diſpergentem ſe quadruplici ramo, inſtar crucis, per univerſum renem, adeo ut non potuiſſet inde eximi niſi diſcerpſiſſes fruſtulatim totum ipſius parenchyma. Viderint igitur qui ſatis ſpecioſe docent ex inciſis renibus calculos eximere, quam turpi ignominiæ proſtituerent & ſe & artem ſuam, ſi quidem aliquando inciderent in calculum tam firmiter renibus innatum. *N. Tulpius Obſerv. lib. 2. c. 44.*

Nephriticus dolor à variæ formæ & coloris calculis.

Licet non modo uſitatum, ſed & quotidianum ſit arenulas & calculos intra renes reperiri, ibidem natos & adauctos, magnos & parvos, duros & leves, forma diverſos, oblongos acuminatos, latos, anguloſos, rotundos, planos coloribus albos, pullos, flavos, fulvos, ſpadiceos & nigros, ut depingi nullo modo poſſint, tamen ſingularem ob granditatem & formam adjicere volui, qui è dextro rene laudatiſſimi Principis Friderici III. Saxoniæ Elect. aperto poſt obitum cadavere exciſus fuit: Is duorum articulorum magnitudine, ſubrutilo colore, circumcirca uno in loco circulari ambitu medicamentum λιθοντριπτικῶν acredine attritus, eroſuſque qua urina profluxit. *Kentmannus libello de Calculis. Peucerus de præſtigiis Dæmonum pag. 310.*

Affirmo vidiſſe me in Epiſcopo Senogalenſi lapidem album inſignis magnitudinis, principium vaſis urinarii occupare, reliquum vero cavitatis renum innumeris fere lapillis ejuſdem coloris repletum fuiſſe. *Euſtachius cap. 45. de Renibus.*

Calottus è nobile ſene mortuo lapidem cuniculis actis, rene jam conſumpto, corallo necdam lævigato, tam ſoliditate quam ramulis ſimilem, omnibus quos unquam vidi veſicæ calculis compactiorem, execuit. *Iordanus Reſponſ. ad Parad. Iouberti 7. decad. 2.*

Admirabile naturæ miraculum ſilentio minime prætereundum in cadavere N. videre nobis obtigit. Cujus alter ren lapidem inſignis magnitudinis continebat, qui ab amplo caudice principium ſumens, in octo ramos, juxta cananiculorum vaſis urinarii formam atque numerum diviſus, coralli truncum & ſurculos elegantiſſime æmularetur: ac præterea renis caro valde contracta & imminuta, ita firmiter huic lapidi undique adhærebat, ut depoſita propria figura quaſi craſſa quædam cutis ei obduceretur. *Euſtachius in annot. Pini ad cap. 44. lib. de Renibus.*

Uxor Eckeberti in Rotenhauff, nephritica à multis annis, ſemper abortiens, nunc prægnans facta, divexabatur ingenti hæmorrhoidum fluxu aliquot menſibus; me abſente mortua poſt partum aperta, invenitur magnus lapis in renibus, varia habens brachia, quo à teneris annis divexata fuerat, uti & mater ejus, quæ mortua erat ſimili affectu *Ex obſerv. Ioh. Bauhini.*

Anno 1558. mortuus eſt quidam, cui in altero rene erat lapillus tot particulis conſtans, quot in rene erant venarum ramuli, quarum particularum lapilli, extremum veluti caput marmoris rotundi & candidi fruſtulum referebat, vel Margaritæ majuſculæ figuram & ſplendorem: id ex pituita vitrea concretum fuiſſe exiſtimo. *Geſnerus lib. de aquat. pag. 219.*

Anno 1566. aperto cadavere P. de Schardes re Medica illuſtris, excluſi è ſubſtantia utriuſque renis duos lapides, ab utroque unum, inſigni magnitudinis & craſſitiei, multis alis, ſeu cornibus aut radicibus in dicta renum ſubſtantia, & ſtomachis ſeu ventriculis adhærentibus, cum multis lapillis piſorum magnitudinis repletis, ureteribus quamplurimis arenulis refertis. *Ferrandus ſenior in lib. de Nephritide.*

In Vrſula Kaufmanniana, inveni in cavitate renum calculi imitantes figuram ureterum, in tubulos, quos carunculæ pupillares obturant, expanſorum: videbantur corallia marina flavo colore ſaturata. *Guern. Rolfinckius Epit. met. lib. 3. c. 19*

Cum aperiretur corpus Illuſtr. cujuſdam matronæ, ab ineunte uſque ad 60. annum doloribus calculi divexatæ, tandem ſuperveniente continuo vomitu, dejecta appetentia, omnium virium proſtratione extinctæ, ejus ex renibus extraxi raræ magnitudinis calculos binos (alter quippe duos digitos tranſverſos latus & craſſus; alter pollicem magnitudine & craſſitie æquabat, forma externa non abſimilis illi Sperlingiano quam deſcribit D. J. D. Major. in Anatomica ſua calculorum hiſtoria n. iii. pondere autem bini non excedebant unciam libræ civilis, quod miratus ſum) duros quidem in ſe, cortice autem exteriori ita tenero ac friabili, ut facili negotio à reliquo vel leviſſimo digiti contactu ſeparari potuerit. *Carolus Rayger in Miſcell. curioſis anni 1672. obſerv. 285.*

Lumborum dolor ob Renem purulentum inſignis magnitudinis. Ob Renem ſemi-putridum, purulentum. Ob Renis dextri apoſtema. Ob Renem ſiniſtrum maximum Dextro abſente. Ob vermes in Renibus. Ob Renum inflammationem, hinc ſequutam gangrænam. Ob abſceſſum in ſiniſtri renis carne extima.

Anno 1578. vocatus fui ut N. ſecarem, ann. 60. In iſtius Rene ſiniſtro abſceſſum magnum reperi purulenta materia plenum: pondus ipſius erat libr. 14 cum cyſti & rene, quæ quidem cyſtis pellem vervecinam craſſitie æquabat. Aliquo poſt tempore Juvenis quidam me accivit, qui cum eadem in parte vehementiſſimo dolore premeretur, alios tum Medicos tum Chirurgos accerſendos eſſe putavi: In contrarias itum eſt ſententias, etenim maxima pars calculum eſſe in renibus conjiciebat, præſertim cum aliquantulum puris cum urinis excerneret: Ego contra abſceſſum eſſe contendebam, abſceſſus illius prioris memor: paulopoſt patiens iterum me rogavit ut ipſum inciderem, ajens ſe malle ſemel mori quam tot mortes vivendo perpeti: Ego precibus motus ipſum incidi, locumque materiam continentem reperi, ſed nihil inde exiit; duabus poſt horis, apparatum primum mutaturus acceſſi, tractoque penicillo, pelvim accipere coactus ſum, cujus plus quam dimidia pars pure repleta fuit, ſingulisque ſequentibus diebus bis vacuatio fiebat, ita ut tum mane tum ſero catinus illo pure impleretur, idque per menſem integrum & amplius: Tandem verò appoſitis remediis ulcus deterſum, cicatrix inducta, ipſeque perſanatus eſt. *Barth. Cabrollius obſerv. 28.*

N. à Selbolt, vir proceræ & ventricoſæ conſtitutionis, avidus conſequendæ prolis maſculæ, Judæi ope Medica uſus eſt: Is cum frequenter dyſuria Renumque doloribus torqueretur, pro calculoſo ab eodem habitus fuit; calidiſſimis itaque remediis utens, tandem in graviſſimam dyſuriam & urinæ odioſam ſuppreſſionem incidit: proinde adhibitis fruſtra remediis, diem clauſit extremum.

Eo ſecto, inventus fuit Renum ſiniſter albus, omnino involutus membrana quadam alba, ſemiputridus intus, materiam purulentam continens, Veſica urinaria exigua: In veſica fellis lapis durus, flavus, avellanæ magnitudine: hic auguſtiabatur, ſitiebat, febriebat. *Ex Obſervat. Iohann. Freder. Trafelmanni Medici Moguntini. in miſell. curroſ. anni 1670.*

Quemadmodum Hepar, ita & Renes apoſtematibus diuturnis infeſtari videmus: Nob. quidam ſexagenarius cum multis annis nephriticis doloribus, ardore urinæ & mingendi difficultate, quæ omnia à renum calculo prodire exiſtimarunt, lancinatus fuiſſet, tandem occubuit.

Secto cadavere, inveni Renis dextri ſubſtantiam totam in pus craſſum & fœtidum converſam, idque membrana concluſum: Veſica, ob inſignem inflammationem atque exulcerationem ita fuit contracta, anguſtata & tumida, ut vix digitum admiſerit: capacitas invenie-

inveniebatur pure craſſo plena, Similiter & in aliis permultis tum calculoſis, tum nephritico dolori ſubjectis, ulcera renum magna deprehendi: dextrum verò renem, ob jecoris incumbentis forſan caliditatem, magis atque ſiniſtrum exulcerationi obnoxium vidi. *Coiter libello obſervat. Anat. & Chirurgic.*

Mulier Lumbos & renes dolebat: Huic ren unus erat, ſed magnitudine duplo ſuperabat renem naturalem, Siniſter erat: Dexter nullus, ſed ſpecies quædam involucri: credo quod nunquam fuerat, mirum, Sæpe nephriticos dolores paſſa lapides excreverat, nullus tamen vel in rene vel in veſica lapis inventus eſt: *Ballonius Epid. & Ephemer. pag.* 264.

Olyſſippone in Xenodochio decumbebat juvenis robuſtus, qui a pueritia veluti dolore renum fuerat oppreſſus, qui ſenſim ac ſine ſenſu pedetentimque ita accrevit, & immaniter excarnificavit, ut ſpretis omnibus præſidiis eum per duos annos ad mortis fauces deduceret: Extenuatum eſt corpus cum febre jugi: Inſolenter illum vexarunt ſitis, ardor ſenſatus in regione renum, alvi nimia adſtrictio, vigilia importuna: Demum accedente nimio faſtidio tabidus vitam finivit.

Cadavere diſſecto, in renibus (in quibus æger dicebat ſe lignum acutum aut cultellum portare infixum) inventi ſunt in utroque renum cavo, vermes craſſi, albi, vivi, dimidii digiti indicis longitudine, qui interiora ita arroſerant, ut totum corpus contabefecerint. *Zacutus Prax. hiſtor. lib.* 2. *cap.* 16. *obſervat.* 6.

Anno 1585. obiit filius meus primogenitus, qui ad ſeptimum uſque annum nulla unquam puſtula defœdatus fuit: cum 7. ætatis anno per unum aut alterum diem cephalæa affectus eſſet, ſucceſſit dolor Lumborum cum febre conjunctus, ſicut etiam urinæ retentio, ita ut fere ne guttulam excernere poſſet, & quamvis omnis adhibita diligentia, urina tamen non proceſſit, atque ita ſeptimo morbi die obiit.

Cadavere diſſecto, ingentem & inſignem Renum ac partium circumjacentium inflammationem, in gangrænam jam degeneratam reperimus. *Fabritius Hild. de Lithotomia veſicæ cap.* 25.

Calculoſi Renes flaccidi reperti cum ureterum amplificatione. In Emulgentibus calculi genitii. Cicatrix Renibus inducta poſt diuturnos dolores nephriticos.

In calculoſis ſubinde cavitates relictæ à calculis in renibus, ſuccedente nova materia majores fiunt: *Crato in Conſiliis Scholtzii, conſ.* 41.

His qui jam pridem doloribus nephriticis erant affecti, uſque adeo dilatatum ureterem comperimus, ut in eum major digitus immitti poſſet. *Fexnelius Patholog. lib.* 6. *cap.* 26.

Ureteres adeo dilatatos & amplos factos in illis qui ſæpius calculos reddiderunt, ſectione obſervavi, ut ſine labore magno poſtea & arenulas & calculos, præſertim dum minores erant, ſæpius excreverint. *Platerus Prax. lib.* 2. *cap.* 12.

Non dilatatos quidem, ſed in longitudinem extenſos ureteres, adeo ut duplo longiores vidi in uxore cujuſdam Auri fabri Genevenſis nomine Rival, quæ nephritidem per multos annos paſſa.

Non ſolum in ſinu cavo renum, ſed etiam in uretere concreſcunt calculi, imo in renum quoque ſubſtantia: Obſervatus eſt in quodam calculus figura muris, caput erat in uretere (is enim paulo poſt exortum à rene amplior eſt) corpus in cavitate renum; pedes & cauda in eorum fiſtulis. *Joh. Aſſuerus.*

Nonnunquam non ſolum ſerum per emulgentes ad renes derivatur; verum etiam pituitoſa & mucoſa materia: hæc cum in pelvi colligitur, arenulæ gignuntur; cum ſubſiſtit in Emulgentibus, propter ſuam craſſitiem, generatur maſſa ſimilis cicadis, habens proportionales alas & pedes, talemque ſæpiſſime in exortu emulgentium deprehendimus. *Rolfinckius in Diſſertat. Anat.*

Illuſtriſſ. Duciſſa Ferrarienſis cum doloribus nephriticis per certa intervalla eſſet obnoxia, graviſſimo item ſanguinis & urinarum purulentarum mictu, exercitii loco deambulationibus utebatur: à quo exercitio cum abſtinuiſſet, & quieti corpus dediſſet, curationem malo contrariam quærens, & ſic aliquando levibus quibuſdam mediis contra calculum uſa eſſet, tandem hæ excretiones deſiêre: quare cum alio morbo interiiſſet, corpuſque ipſius fuiſſet apertum, in rene ipſius parvus calculus repertus fuit, circa quem cicatrix pulchra, ſana & munda, dimidii digiti longitudine erat, quod fidem faciebat, cum tam excretiones quæ per urinas fiebant, ceſſaſent, quam quod conſueti dolores nephritici remiſiſſent, calculum multo majorem fuiſſe, qui etiam ulcus cauſaſſet, ex quo prius ſanguis dein & pus emanârit, quod cicatrice erat conſolidatum, quod etiam Hepati, pulmonibus, aliiſque partibus principibus accidit. *Rouſſetus de partu Cæſareo ſect.* 3. *cap.* 7.

Pueros Nephritidi & lumborum doloribus obnoxios eſſe oſtendit Anatome.

Filiola Domicellæ Du. Buy xi. febris die interiit: repertus lapis in renibus, vomebat frequenter.

Filius Ducis Aumalæi, aperto cadavere, nephriticus deprehenſus eſt. Lapis una cum urina excretus eſt: In corpore renis alius eſt deprehenſus: alvus fluxerat diu, febris perſeverarat dolores, clamores, ejulatus, ſcabies: *Ballonius Epid. lib.* 2. *p.* 2. 12. & 245.

Multos Lumbis dolere citra calculi in Renibus præſentiam, ex ſolo catarrho, Anatome oſtendit.

Multos ſolis ad renes deſtillationibus miſere tortos vidi, ut nil niſi lapidem renum accuſarent dum vixerunt, quorum tandem demortuorum cadavera, cum cultro examinarentur Anatomico, ne veſtigium calculi oſtenderunt: Econtra tot alios fuiſſe diſſectos experientia docuit, quibus & renes & veſica lapillis onerati fuere frequentibus, per omnem tamen vitam nunquam de nephritico dolore conqueſti. *Joh. Georgius Volkamerus in miſcell. cur. ann.* 1674. 75. & 1678.

Lumborum dolor ob Lienis è loco proprio diſceſſionem.

Ruſticus 50. annor. fere, macilentus, exſuccus & ejulans ob graviſſimum dolorem quem ſex menſes ne momentum remiſiſſe, ſed potius increviſſe circa Lumborum vertebras, ad Xenodochium deponitur: Barbitonſores luxationem cauſabantur & abſceſſum circa os ſacrum: reſciverant ipſum quandoque à ſua conjuge pedibus calcatum fuiſſe. Ego dum diagnoſtica diligentius expendo, & in ſiniſtro hypochondrio renitentiam, fere ad oſſis Ilii ſpinam, ſcirrhum Lienis ſuſpicor: Etiam in toto corpore color plumbeus, cum faſtidio ciborum omnimodo me firmat, & pertinaci Vigilia: quare remedia interne & externe contra hoc malum paro, & emulſionem ex ſeminibus frigidioribus contra urinas cruentas & nephriticum dolorem: Ex his quidem dolor deſæviiſſe videbatur, cum eum aliquot ſeptimanas non perciperet, ſuſpectabam tamen recidivam quod fere nihil alimenti aſſumeret, & renitentia hypochondrii ſiniſtri remaneret, & cum corporis lurido colore: Vix metum conceperam, cum ad recrudeſcentem dolorem tanta ſævitia vocor, qui ipſum 4. die extinxit.

Ut poſt iſtius obitum contra Barbitonſores, aliàs Diis placet Chirurgos, mea monita firmarem, ad anatomen hujus cadaveris, tanquam verum in medicina tribunal, conceſſi & omnibus publice hæc expoſui: Aperto abdomine, primo obtutu pro Epiploo fibras conſpexi, inter quas alias pinguedo conſpicitur: Hepar neutiquam noxam ferebat: In Ventriculo laxiore globulos, ut nuces avellanas, & praeduros offendo, etſi per menſes ſex tantum liquidis alimentis uſus ſit: An ideo quod aliquod fermentum Lien per vaſcula, quibus ſtomacho connectitur, denegaverat? Hic Lien ſcirrhoſus, neque diaphragmati neque omento adhærebat, Nec circa ipſum vas breve notabatur, ſed ipſe arcto coalitu ſub ipſam membranam adipoſam renem ſiniſtrum amplexabatur, & nidorem ferebat quaſi ad prunas toſtus fuiſſet: In rene ſiniſtro, etiamſi loco ſuo ceſſerat, nihil ſiniſtri conſpiciebam: Cruentas urinas lienis vitio puto prodiiſſe: forſan ſua mole exprimebat è renibus, nondum in pelvim ex carunculis ſecretum ſerum. *Martinus Bogdanus Obſervat. 3.*

Lumborum dolor a lapidibus in arteriis lumbaribus abſconditis.

Arteriæ membrana, uti venæ, cinguntur aliquando craſſa & communi à vicinis partibus, quando ſunt extra viſcera & muſculos, Et tales arteriæ, quæ adjunctam habent membranam nervos recipientem, ſentiunt: Unde Galenus ait pulſum inflammari, item ſentire atque dolere arteriam: Quod in interiori quidam expertus eſt Patavii, qui ingenti circa lumbos dolore defunctus, lapides inſtar unguis, in arteriis lumbaribus condebat. *Bartholinus libello 2. cap. 1. Anatom. Reformat.*

Lumborum dolor ob ſcirrhum in Ileo inteſtino, ſupra renis regionem conſiſtentem.

Mulierem vidi octuagenariam, quæ videbatur Nephritico dolore affici, prout ſigna pathognomonica oſtendebant. Mortua eſt tandem tali dolore correpta: Hæc ſcirrhum habebat in Ileo inteſtino ſupra Renis regionem: Et quoniam ſcirrhus ſupra Renem ipſum detinebatur, ſymptomata affecti Renis gignebat: Scirrhus inceperat ad intra inteſtinum corrumpere & exulcerare, quando mortua eſt: hæc nunquam volvulo laboravit, ſed difficultatem urinæ paſſa fuit per multos annos ob allatam cauſam: *Hippolitus Boſcus de Facult. Anatom. Lect. 2. pag. 24.*

Lumborum dolor à ſero in Fiſtula dorſi ſtagnante.

Jacobus Spœrlin Vietor, (multis affectibus p. n. laceſſitus) de dolore circa regionem renum & lumborum conqueſtus fuit, qui non raro ad alterutram coxarum pertingebant, &c. Multum ſeri, reclinato pectore, ex oſtio magno occipitis promanavit.

Lumbaginem frequentem, quæ nonnunquam ad alterutram coxam inclinabat, non calculis in renibus latentibus, quorum nulli, qui alicujus momenti erant, reperiebantur, ſed ſero in fiſtula dorſali ſtagnanti adſcribendam ſectio manifeſtum fecit, nam ſeri multum reclinato pectore ex oſtio magno oſſis occipitis promanavit: Doloris ſitus & diffuſio, dum adhuc viveret, indicio erant, & fidem faciebant à ſero potius illum dependere quam à cauſa ſtabili fixamque ſedem obtinente. *I. I. Wepferus Diſſertat. de Apoplexia Hiſt. 13.*

Lumborum dolor ab abſceſſu illic, oborto.

Quidam dolore lumborum diutiſſime afflictus, nullis remediis conferentibus tandem diem ſuum obiit: Inter alia remedia, paulo ante interitum, cauterium femori, quatuor digitis ſupra genu affixum fuerat, à quo deciſa eſchara fluxit ſanies quædam circiter ad ℥ß. poſtmodum vero ſingulis diebus fluebat ex cauterio pus verum & laudabile ad ℥j. vel amplius: Mirabatur Chirurgus, neque unquam potuit conjicere undenam pus illud manaret.

Aperto defuncti cadavere, inventus eſt Pulmo purulentus, quæ præcipua mortis cauſa fuit: In Lumbis vero magnus abſceſſus inventus eſt, à quo dolor ille diuturnus & contumax oriebatur: ab Abſceſſu autem ad cauterium uſque, inventus eſt canaliculus, per quem puris portio quædam effluebat. *Franc. Chomel. Medicus Annonæenſis, ad Riverium obſervat. 2.*

Lumborum dolor à corroſis duabus lumborum vertebris, ſuccedente hinc venæ cavæ & arteriæ aortæ ruptura.

Lugduni erat incola, genere Provincius. Is in ætatis flore, crapulæ & mero addictus, in acerbiſſimos continuoſque Lumborum dolores tau-

tandem incidit: Advocatus Medicus ex antecedenti victus ratione & lotio, aſſiduaque febricula, affectum calidum eſſe pronuntiavit, quare ad mitigationem doloris lenientes clyſteres, fotus, inunctiones, &c. præſcripſit, quibus nequaquam ceſſit dolor: Aliis in conſilium adjunctis Medicis, accurateque omnibus ab iis expenſis, magnam in Renum ſubſtantia obſtructionem adeſſe cum intemperie calida unanimiter conſtitutum: Etenim urinæ admodum flammeæ erant, cum quadam continua febricula, quæ circa veſperam una cum dolore magis magiſque exacerbabatur; quare præmiſſo enemate internam cubiti venam primo, poſt ſaphnam utriuſque pediſſecari jubent, poſtea purgationem præſcribunt, fotibus, balneis linimentis dolores demulcere conati ſunt; ſed fruſtra omnia: quare medicis in poſterum parere amplius noluit, ſed vitæ reliquum fortunæ commiſit, omni alimentorum genere & generoſiſſimo vino quotidie utens: Tandem diuturnis continuiſque doloribus confectus, ac totus emaciatus, à domo ſua in viam ingrediens, præ nimia anxietate ac doloris acerbitate in teſtudinis limite cecidit, ubi derepente interiit.

Poſt cadaver ſectum eſt, in quo illæſis renibus, duæ lumborum vertebræ corroſæ ſunt repertæ, una cum aortæ & venæ cavæ, cui ſuperpoſitæ erant, ruptura, unde magna ex utroque vaſe facta fuerat ſanguinis effuſio: *Aubertus Exercit. 44. ad lib. Fernelii de abditis.*

Renum dolor à pure è corde, calculis & obſceſſibus obſito manante. 1. Ab hydrope thoracis, calculo in corde. 2.

Contigit ſemel mulieri noſtræ ætatis, quæ quatuor menſes integros minxit pus, & aliquando propter puris acrimoniam, ſanguinem puri commixtum: Medici conſulti adhibuerunt remedia ac ſi renes exulcerati fuiſſent, quod in eis per intervalla magnum ſentiret dolorem mulier.

Hæc moritur 4. menſe, diſſecta eſt, inventi renes integri & veſica integra; at in corde inventi ſunt duo calculi & abſceſſus multi, qui expurgabantur per urinas, atque in tranſitu pus dolorem infligebat renibus: ſic ſolus ſanguis poteſt à thorace demitti ad veſicam ut excernatur. *Scholiographus ad cap. 29. & 50. lib. de morb. internis Hollerii.*

Lumborum dolor ab acri ſanie è pulmonibus aut venis, in renes confluente, Aut ſero vaſa diſtendente.

In multis poſt fata diſſectis Renes integri inventi ſunt, qui tamen dum in vivis eſſent de Renum dolore pertinaci conquerebantur, vel ex venis aut pulmonibus eo confluente acri ſanie vel ſero vaſa diſtendente. *Jacotius ad Aphor. 47. lib. 6. ſect. 2. coacarum.*

Lumborum & Dorſi dolor ob vaſa ab Hepate ad Renes euntia Tartaro oblinita.

Nobilem quendam hypochondriacum vidimus, quem Lumborum Dorſique dolor continuo totum per ſeptennium exercuit, cum arenularum intenſe rubrarum mictione, adeo ut quis merito dixiſſet calculoſum fuiſſe admodum: Medicina recreari non potuit, ſed vi morbi tandem ſuperatus fatis conceſſit.

Cadavere à morte diſſecto renes ſcrutati ſumus, nullum vero calculum aut Renibus aut veſicæ impactum comperimus, ſed (quod impenſe ſumus demirati) vaſa quæ ab Hepate ad renes feruntur, coagmento rubro tartareo undiquaque oblinita, & ad inſignem uſque anguſtiam cruſtata. *Gualterus Charleton Diatriba de Lithiaſi cap. 3. ſect. 1.*

Lumborum dolor à Pancreate & meſenterio induratis, &c.

Scotus quidam juvenis dolebat in hypochondriis, lumbis & toto abdomine, aderat nauſea perpetua, vomitus frequens flavæ bilis, poſtea etiam atræ, illarumque per alvum ſubinde dejectio, &c.

Diſſecto cadavere, cum pyloro induruerant totum Pancreas & meſenterium, in molemque ſupra modum latam, longam & craſſam, unde chyli tranſitus ad Hepar penitus erat interceptus, &c. *Platerus obſervat. p. 471.*

Lumborum & dorſi dolor à cancroſo Pancreatis ulcere, Spina dorſi eroſa & putrida.

Chirurgus quidam Brunenſis annor. 42. & aliquot liberorum pater, cum ab annis tribus ſæviſſimis renum & dorſi doloribus ſæpe recurrentibus tentaretur, arenulas quoque rubras copioſiſſime cum urina excerneret, comitante vomitu graviſſimo (qui facile vas quoddam rumpere potuiſſet) calculoſus ab omnibus judicatus eſt: Cum vero tres ante ſeptimanas hoc ipſo anno 1670. iidem dolores repeterent, ſummeque excruciarent, ad urgentiſſimum ſymptoma, dolorem ſcil. ſedandum me converti: verum poſtridie ſuperveniente quadam reſpirandi difficultate, atque materiæ alicujus vel pituitoſæ purulentæ, aut ſanguinis excretione, concluſi hujus cauſam flatus exiſtere: ordinato itaque & ſumpto ſpir. croci compoſ. ad 20. guttas in juſculo carnium macro, melius ſeſe habere credidit patiens: Elapſis tamen horis tribus nullo evidente mortis indicio, nec ullis concomitantibus convulſionibus, vel ſudore frigido, derepente clamans, ſuaviter ac vix advertentibus adſtantibus, placide expiravit.

De repentina hujus mortis cauſa magna inter Medicos fuit diſſertatio, dum unus vomicam Pulmonis ruptam, in cordis ventriculos ruentem, accuſaſſet: Alter lympham copioſam flatibus impræœgnatam, cordis motum impedientem adduxiſſet, Alii apoplexiam morbo ſupervenientem putaſſent, quam litem exenteratio cadaveris compoſuit: Et cum pulmones vel cor, ipſoſque renes pro partibus affectis ſtatuiſſemus, à medio ventre exenterationem inſtituimus: Ubi in ſiniſtro pulmonum lobo copioſiſſimum, etiam ad menſuras duas vel tres, concretum ſanguinem extravaſatum conſpeximus, cor vero ſine labe, nec pulmones adeo morbidos: Sed diaphragma in eodem ſiniſtro la-

tere perforatum deprehendimus, quod pertranſiit caro quædam putrida, nigricans & corrupta. Ad imum ventrem deveniendo, carnem illam diaphragma perforantem Pancreas eſſe vidimus, quod ad duas ſpithamas longum, & duarum manuum tranſverſarum latum erat, putridum, corruptum; quod non ſolum corroſivo ſuo acido diaphragma perforavit, ſed & ſpinam dorſi ita eroſit, ut ulcus Cancro ſimile pugnum capere, & levi ictu tota ſpina dorſi frangi facile potuerit, ultimo denique ipſam etiam venam cavam, qua ſpinam decurrit, corroſit, à qua ſanguis per diaphragma perforatum, pulmonum motum impediendo, mortem intulit. Cancer hic Pancreatis ulterius ſerpendo, ambos quoque renes corrupit, eoſdem nigerrimos ac putridos effecit, nec in illis ullæ arenulæ aut calculus inventus eſt: Cætera ſaniſſima, exceptis inteſtinis, quæ ſuperabundanti bile conſperſa viſa ſunt. *Ex obſervat. Joh. Ferdinandi Hertodi Medici Moravi. in miſcell. curioſ. anni 1670.*

NOCTAMBULATIO. Vid. *SOMNAMBULATIO.*

NODUS. Vid. *GANGLIUM.*

NOLI ME TANGERE. Vid. *CANCER.*

NUBECULA OCULI. Vid. *CORNEAE VITIA.*

NYCTALOPIA. Vid. *OCULORUM VITIA.*

NYMPHOMANIA. Vid. *FUROR UTERINUS.*

Finis Lib. XII.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER DECIMUSTERTIUS.

De Morbis à Litera O incipientibus.

OBAUDITIO.

Vid.

AUDITUS LAESIONES.

OBESITAS

Vid.

CORPULENTIA NIMIA.

OBSTIPITAS.

Conſilium pro Obſtipitate.

NObilis vir annos natus 45. in bellô civili perfuga multa tulit, & in tot tantiſque diſcriminibus cœpit laborare deſtillatione à capite poſticô, præſertim in humeros & cervicem. Hinc colli ac cervicis contorſio quædam, & cùm tempore occurſum non fuiſſet remediis ad id inſtitutis, ita malum increvit ut facies in poſteriora detorqueretur, & nonniſi magnô conatu in anteriora reflecteretur. At ſive bibere, ſive edere, ſive loqui vellet, funiculô in eam rem comparatô retrahebatur caput aliorſum inclinans. Lutetianis Medicis nunquam quidquam tale videre contigerat. Ac laborandum fuit in ſpecie morbi inquirendâ, & remediis accommodatis. Videbatur nonnullis unius partis eſſe reſolutio, quæ alteri convulſionem attuliſſet : quod non erat credibile, nam in eodem ſtatu pars perpetuò permanſiſſet : At reducta facies in locum ſuum, niſi magnô conatu & magnô cum dolore ſiſteretur, convulſivô quôdam modô ſtatim revellebatur in poſtica, magnâ omnium qui aderant admiratione. Convulſio erat revera, & omnes muſculi erant affecti, & viſcoſô frigidôque humore imbuti, qui diſcuſſus uſu rerum calidarum affectum ſuſtulit. Itaque hæc remedia deſcripta ſunt, quibus aliquâ ex parte allevatus eſt.

℞. Pilular. cocciar. & aurear. an. ʒß. Turbith, & agar. trochiſcati an. ℈ß. F. pilulæ.

℞. Gumm. elem. ℥j. Olei ebuli, Keirini, & lumbricor. an. ℥ß. Pro litu ad cervicem & occiput cum lanâ ſuccidâ.

℞. Emplaſtr. de betonicâ ℥iij. Opopan. gumm. elem. ſtyracis an. ℥j. Picis navalis, picis pinguis an. ℥j. Pulver. major. & ireos an. ʒiiß. Ceræ & olei rutæ q.ſ. F. Emplaſtrum pro capite.

℞. Nitri pulveris. ℥ß. Sulphur. vivi ʒiij. F. pulvis quô ſinapizetur emplaſtrum prædictum.

℞. Caſtorei ʒij. Sem. nigell. Rom. ʒiij. Lign. Aloës ʒij. Pulver. major. ℥ß. F. pulvis pro ſuffitu cum roſis rubris.

℞. Conſervar. anthos, bugloſſ. boragin. fol. betonic. an. ʒiij. Mithridat. ʒiß. Marg. elect. ℈j. Rad. pæoniæ, & ſemin. ejuſdem an. ʒj. Cum ſyr. de ſtæchade & conſerv. citri. F. Opiata ad uſum ante cibum, & ſerò ante ſomnum. Uſus eſt decoctô guaiaci & chinæ : abſtinuit vinô : Repetita ſunt remedia frequenter. Uſus eſt laconico. *Gulielm. Ballonius Conſil. Medicinalium lib.* 1.

Curatio Obſtipi capitis.

Prout varia ſunt muſculorum paria, quæ ſimul agendo, caput vel in hanc, vel in illam ordinatè deflectunt partem. Pro eô utique occurrit non unum deformitatis genus, ubi illi ipſi muſculi, non conjunctim, ſed ſeparatim moti, caput diſtorquent in alterutrum humerum : ob induratum corrugatumque illius lateris muſculum. Cujus obliqui ſitus cauſſa potiſſimum conſiſtit in muſculis maſtoïdeis ac ſcalenis, quorum illi latiore, hi verò tereti tendine accreſcunt claviculæ oſſi, prope commiſſuram illius cum jugulò, ac oſſe ſternô. Quorum profectò muſculorum rigidam, ac calloſam duritiem, niſi fomentis, aut inſtrumentis ferreis ad naturalem poſitum, figuramque reduxeris, unicum remedium eſt confugere ad ſcalpellum. Quô tamen etiam nonniſi acri circumſpectione utendum.

Filio Conſulis Mittelburgenſis, annorum duodecim, ab ineunte ætate, obſtipô capite, inclinabat cervix in humerum ſiniſtrum: ob adſtrictum curvatumque alterum muſculorum ſecundi illius paris quod cervicem antrorſum flectit. Quâ deformi immobilis, ac tranſverſi capitis figurâ, nullis auxiliis deinde ad ſtatum naturalem reductâ; conſultum viſum fuit Gulielmo Strateno, Principis Arauſionenſis Medico, ac Franciſco Vicquio, qui mecum adoleſcentulo medicinam fecere, ut tranſverſim præſcinderetur tenaciſſimum illud vinculum, quod caput tantopere in humerum contorqueret. Quam operam Amſtelredami deinde dexterrimè navavit, qui etiam aliis in ſimili affectu opem feliciter tulerat, Iſacius Minnius, ob opera Chirurgica multis ſummè commendatus.

Factum autem fuit curationis initium à cruſtâ, per lixivium coctum, cuti inuſta. Deinde verò directum ſcalpellum, ſupra claviculæ os, ab aure verſus jugulum: At tardiùs certè ob cruſtæ lentitudinem, ac timidiùs propter venarum arteriarumque jugularium viciniam, quàm natura tendinis, ac nervorum requireret. Quibus idcirco magis punctim, quàm cæſim læſis, ſequebatur protinus vehemens cervicis, faciei, ac brachiorũ convulſio; quæ tamen brevi iterum evanuit, adactô penitiùs ſcalpellô, & præcisô animoſiùs integrô, qui in vitiô erat, muſculô. Cujus amputatio actutum reſtituit capiti integrum erectioris figuræ uſum, ac libertatem ſeſe quocunq; locorum movendi; quâ tamen ne abuteretur, circumpoſitæ fuere capiti variæ faſciæ, quibus deinde, ob vulnus brevi conſolidatum, amotis, permanſit tamen aliquandiu inveterata illa capitis inclinatio in latus affectum: adeò difficile eſt longam corrigere conſuetudinem.

Quiſquis verò deinceps ancipiti huic, ac periculoſæ ſubjeceris aleæ, ne deſperes iterum fieri poſſe, quæ ſemel facta ſunt. Sed ſcito tria præcipuè vitanda, & primum quidem; ne cruſtam cuti inuras, utpote quæ adeò non profuit dolori, ut priùs multum nocuerit, tum viſui, tum incidenti ſcalpello. Deinde ne improvidè ſecandò, magis jugules quàm cures ægrum. Danda ad hæc opera, ne identidem, ac interpolatis vicibus, ſed ſimul ac ſemel, attamen caute, integrum muſculum præcidas: in quô potiſſimum hujus curationis momentum. Quæ certè animadverſio, ut Chirurgo ex famâ, ſic ægro non parum ex uſu erit. *Nicolaus Tulpius Obſervat. Medicar. lib.4.*

De Capitis Obſtipi curatione.

Muſculi Cervicis, capitis etiam motui inſervientes, anterius poſteriuſque collocati, in quatuor claſſes commodè diſtribuuntur.

Horum operâ Caput movetur antrorſum, retrorſum, & ad utrumque latus; circa primi, ſecundivè generis muſculos, eorumque actionem quàm conſentiunt anatomici, ita circa actionem eorum qui ſunt poſterioris ordinis diſſentiunt, ex eo quod firmitatem ipſis nullam, ſedemque certam tribuere nequeant.

Adrianus Spigelius lib. 4. Fabr. corp. human. cap.7. Muſculorum cervicem moventium ad latera confuſionem admittit, neutiquam eos hactenus diverſos loco aſſerens.

Vopiſcus Fortunatus Plempius tract. de Muſculis cap. 22. hæc proponit: cervici muſculus nullus licet conceſſus, motui ejus ad latera propriè dicatus, ſufficienter tamen ſatis, atque perfecte exercetur idem ab extenſore & flexore ſimul agentibus.

Obſervamus nihilominus, ad latera claviculæ, muſculo caput flectenti, Maſtoidæo, qui pectori atque claviculæ, hinc carnoſus valde, proceſſui capitis maſtoidæo, nectitur, adhærere fimbriam, latam, tenuem. Vide *Barthol. anat. lib.4.cap.5.*

Julius Caſſerius Placentinus muſculum hunc maſtoidæum inter muſculos caput & collum moventes primi paris muſculos habet, eumque ex claviculâ adſcendentem circa medium duas in partes dividit.

Fimbriam hanc membranoſam ex muſculo maſtoidæo, deſcendentem litera A ſignatam non rarò, induratam adeò, exſiccatam, corrugatamq; reprehendimus, ut tendini exarefacto ſimilis videretur. Varia in hoc caſu uſurpata medicamenta emollientia, formâ fotus, cataplaſmatis, emplaſtri, linimenti, varia itidem inſtrumenta Chirurgica, retrorſum caput extendentia, at nihil ſucceſſus attuliſſe viſa. Præſtantius hic excogitari medium nullum poterit, quam tendinoſam hanc expanſionem, uſu non medicamentorum corroſivorum, ſed forficis acutioris, celeri manu à clavicula, cujus medio lateribuſque firmiter cohæret, ſeparare.

Obſtipi hujuſmodi capitis ad curationem vocatus aliquando, mediis omnis generis plurimis fruſtra adhibitis, indurati tendinis diſſectio quamprimum fieret author fui, quam curationis methodum etiam propoſuerat ægrotanti, puero 14. annorum, parentibuſque. *D. Florianus.*

Operatio hæc Chirurgica convenienter quo inſtitueretur, æger impoſitus fuit ſedeli commodo, faſciarumque aptarum ope debitè eidem alligatus, miniſtro hinc cuidam, Caput ægri quietum detineret, injunctum; Mox locus ſecandus tendinis, prominentis, gracilis, indurati, tenſi, claviculæ connati à Chirurgo *Dn. Floriano* notatus, ſimiliter ac ille qui arteriæ eſt carotidis externæ, exterius ſatis conſpicuæ, circa auriculam in muſculum temporalem excurrentis, circumſpectione ſummâ, ne læſio hæmorrhagiam incurabilem inferat, fugiendus. Tandem forficis acutioris ope tendinis dicti diſſectio ab eodem *Floriano* dexteritate ſingulari, uno ſolo impetu, peracta.

Diſſectione inſtituta, ſanguinis fluxio nulla obſervata, ad cujus tamen ſuppreſſionem in promptu nobis erant medicamenta, licet etiam cutis ipſa vulnerata; imò operatione hâc peractâ Caput illicò, cum ſonitu, erigebatur.

Hùc facit inſignis ea obſervatio, quam *l.4.c.58.* proponit magnus *Tulpius. Jobus à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

OCULORUM VITIA.

Ophthalmographiam integram, hic texere non eſt animus, ſiquidem, hoc penſum abundè ab Anatomicis confectum videmus, & præcipuè é Celeberrimis ac Clariſſimis Viris Vopiſco Fortunato Plempio, & Guilielmo Briggs, qui tractatus ſanè abſolutos hoc in argumento conſcripſere; ille quidem amplum, hic verò brevem at non minus accuratum, quem Bibliothecæ Noſtræ

Noſtræ Anatomicæ Parte 3. inſertum, legere licet. Suffecerit itaque ſi impræſentiarum quæ Praxim Medicam magis ſpectant exſcribentes, primum adducamus mox prænotatum Famigeratiſſimum Plempium, ac aliorum variorum Curationes, Conſultationes, & Obſervationes de oculorum morbis, ipſi ſuccenturiemus. Sic autem ille Ophthalmographiæ libro 5.

De Affectibus Ocularibus, eorumque Curationibus.

Uti ingenioſæ ſubtileſque in quavis ſcientia contemplationes ad operationem non deſtinatæ à cordatis viris inutiles haberi ſolent: ita verò in Medica diſciplina conquiſitæ ſubtilitates ad praxin non ordinatæ, vel maximè reputantur ſupervacuæ. Quoniam quæcumque Medicina ratione perluſtrat, ad corporum viventium utilitatem referre atque accommodare debet. Quapropter etiam univerſam Artis nomine contineri eminentiſſimis auctoribus viſum eſt. Nobis tamen ſpeculatiuncularum illarum agitationes nimis quàm impendiò ſemper placuerunt, præſertim quæ rei cujuſpiam originem cauſamve conſectarentur: ut ut enim ad animalium uſum nihil faciant, neſcio tamen, quâ ineffabili contemplantis animum voluptate perfundant. Adde, quòd mentis aciem non mediocriter exacuant, ut acriùs poſſit ſubtiliuſque ſpeculari, quæ ad praxin conducibilia judicantur. Ita ſane pleraſque quæſtiunculas hinc opuſculo interſperſimus, quæ nullam præſtant in artis noſtræ exercitatione utilitatem; quòd verò etiam nullam divinæ noſtræ menti ingerant oblectationem, nemo niſi miſoſophus auſus fuerit confiteri.

Verumenimverò ne partes Medicinæ, quam profitemur, deſerere videamur, quas in præcedentibus libris ſparſim fudimus cogitationes, in hoc eaſdem ad artis opera utiliter reducere conabimur, plenam affectuum ocularium deſcriptionem & curationem dantes.

Mirari verò hîc ſubit, imò etiam dolere hominum cæcitatem, tam nobilis partis curam ſtolidis quibuſdam aniculis & imperitis agyrtis committentium, Ophthalmicos ſe vocitantibus; cùm, ſi quod corporis noſtri membrum multis morbis pateat, ſi cui ad curationem multâ opus ſit cautione ac prudentiâ, oculus ſine dubitatione ſit. At at iſthæc etiam querela doctiſſimorum virorum olim fuit, eſt, & erit. Mundus enim vult decipi, ut inquiebat ille. Agamus nos, quod agimus.

De inflatione palpebrarum.

Inflatio ſeu intumeſcentia palpebrarum, Græcis *Emphyſema*, eſt tumor palpebrarum laxus & mollis œdemati ſimilis.

Cauſa. Cauſa eſt aquoſus & ſeroſus humor. Unde inflatio obſervatur in febribus diuturnis, in cachexia, hydrope, lethargo, caro; & in iis, qui arthritide frigidiſq; defluxionibus vexantur.

Signa. Malum per ſe patet: eſt enim palpebra tumida ſine coloris mutatione, laxaque & mollis.

Curatio. Palpebrarum inflatio ſæpè ſponte evaneſcit, vel adhibitis calentibus linteis diſſipatur. Si perſeveret, fotus adhibendi, vel inunctiones. Itaque

℞. Roſar. rub. pug. 1. Flor. anthos pug. ß. Chamæmel. hyſſop. melilot. abſinth. puleg. origan. an. man. ſ. Coq. in æq. parte vini & aquæ. De colatura fiat fotus cum ſpongia. Poſtea imponatur emplaſtrum de Vigo ſive Mercurio, vel de baccis lauri.

De trachomate, denſitate, aſperitate, & calloſitate palpebrarum.

Trachoma eſt internæ palpebrarum ſuperficiei aſperitas cum rubedine ac pruritu; nonnunquam & cum puſtulis ſeu tuberculis ſemina ficus vel milii referentibus.

Affectus hujus tres ſpecies ſeu potiùs gradus numerantur. Primus eſt, cùm palpebræ, ſi invertantur, quaſi denſiores & inæquales apparent, diciturque denſitas palpebrarum: in qua palpebræ intus rubent, inæquales & aſperæ ſunt, ac pruriunt. Alter gradus eſt, cùm jam aucta eſt affectio, & non ſolum denſitas atque inæqualitas in palpebra interna apparet, ſed manifeſta jam aſperitas & rubor, adeò ut emineant quaſi granula ficus: unde Græcis dicitur *Sycoſis*, quaſi dicas palpebram ficoſam. Tertius gradus eſt, quando jam inveteravit malum, & pars interior palpebræ exulcerata eſt, ac ſciſſuram & calloſitatem contraxit, Græcis dicitur, *Tyloſis*, nobis calloſitas palpebræ.

Cauſæ. Humor mordax & ſalſus eſt trachomatis cauſa: qui ſi paucus ſit, aſperitatem tantùm quandam & pruritum excitare ſolet, cum moleſtia in interna palpebræ parte, præſertim cùm movetur. Hinc eam perfricant homines; unde copioſior adfluit materia, ac tum poſtea alii trachomatis gradus ſequuntur.

Signa. Affectus hi viſu cognoſcuntur: nam ſi palpebra invertatur, rubra apparet & aſpera; & quaſi ſemen ficus vel milii grana extare videntur.

Curatio. Primò totum corpus & caput convenienter eſt evacuandum: cucurbitulæ & veſicatoria cervici apponenda.

Deinde ℞. Hordei integ. man. 1. Rad. Althææ unc. 1. Sem. fœni Græci unc. ſ. Coq. in aq. com. ad lib. 11. Colatura detur uſui. Pannum lineum duplicem eo decocto madefactum ſupra oculos aliquoties pone.

De pruritu & ſcabie palpebrarum.

Pruritus & ſcabies palpebrarum alia eſt cum humiditate, & dicitur *Pſorophthalmia*, in qua palpebræ ſunt rubræ, exſtillant lacrymæ ſalſæ ac nitroſæ, anguli oculorum ſunt exulcerati & rubri cum magno pruritu. Alia eſt cum ſiccitate, & vocatur *Xerophthalmia*; in qua palpebræ nec ſunt inflatæ, nec plorant, ſed ſolùm graves ſunt & rubræ, & noctu coglutinantur per craſſam pituitam.

Cauſæ. Oritur pruritus & ſcabies ab humore ſalſo & nitroſo, qui plerumque à capite ad palpebras deſcendit. Poteſt tamen etiam hoc malum fieri à collyriis nimis acribus & nimis diu adhibitis.

Signa. Patet ſatis per ſe malum: nam non ſolùm pars interna palpebræ afficitur; ut in tracho-

trachomate, ſed afficitur tota, præſertim tamen verſus oculorum angulos: nam ibi cum pruritu rubet, aſpera & ſcabioſa & exulcerata eſt.

Curatio. Ad ſimplicem pruritum, poſtquam fomentatus eſt aquâ tepidâ, applica tale collyrium:

♃. Aq. roſac. plantag. an. unc. II. in quibus bull. lento igne Aloës hepat. ſemidrachma, Vitr. alb. ſcrup. II. *Sacchar.* cand. drachma una.

Pro curatione Pſorophthalmiæ oportet venam ſecare, purgare, cucurbitulas & frictiones ſcapulis adhibere: vitare cibos omnes ſalſos: fomentare oculum ex Lenticulæ, Malvæ, Roſarum & rad. Oxylapathi decocto: deinde applicare collyrium Philoxeni, quòd recipit Cadmiæ drach. I. Chalcitid. crud. ſemidrach. Aloës ſcrup. I. Ærugin. ſcrup. S. Piperis gran. 5. Flor. roſar. ſeſquidrach. Terantur & incorporentur unguento pomato.

Ad Xerophthalmiam valet quoque jam deſcriptum Philoxeni collyrium. Celſus laudat panem imbutum vino & applicatum. Quia verò ægri hîc valde conqueruntur ſe mane non poſſe aperire palpebras: ad id malum tollendum, oportet illas veſperi, quando vadunt cubitum, ungere unguento de tutia. Sed & unguentum roſatum Meſue eſt hîc bonum, adjecto pauxillo tutiæ præparatæ; apponitur cum petiis lineis. Eo ſe Foreſtus palpebras inferiores rubras & exulceratas in quodam curaſſe ait unicâ nocte.

De Hordeolo, Grandine, & Lithiaſi palpebrarum.

Hordeolum eſt tuberculum in ſumma palpebra ſuccreſcens prope cilia, oblongiuſculum: quòd ſuppuraſcens ſimile eſt grano hordei: unde & nomen ei.

Grando, eſt tuberculum rotundum, tranſlucidum, atque huc & illuc mobile.

Lithiaſis ſimilis ferè eſt affectus, videlicet in palpebra generantur nodi & excreſcentiæ, & aſpera quædam corpora lapidis inſtar dura & oculos prementia.

Cauſæ. Hordeoli cauſa eſt humor pituitoſus & craſſus, cum mixtura tamen ſanguinis.

Grandinis materia durior eſt, & quaſi lapideſcens. Qualis quoque in lithiaſi eſt.

Signa. Patent ex deſcriptionibus datis.

Curatio. Hordeolum illinatur calente adipe gallinæ: vel imponatur ei Galbanum modico nitro ſubactum; vel Sagapenum aceto diſſolutum: vel foveatur decocto Hordei, flor. Chamæmel. Sem. lini, fœni Græci, rad. Althææ. Facto fotu imponatur tale cataplaſma:

♃. Paſſul. unc. I. fol. Malvæ Violar. an. man. S. Poma num. 3. Coq. in aq. q. ſ. uſque ad mollitudinem: deinde exprimantur, piſtrentur, & cribrentur: tum adde vitellos duorum ovorum, butyri, farinæ hordei ana unc. S. Croci parum. F. cataplaſ. hoc maturat & rumpit tuberculum, factâ apertione convenientiſſime pro mundatione & integra ſanatione adhibebitur diachylum ſine gummi. Omnes autem affirmant, muſcas abjectis capitibus affrictas præſtantiſſimum eſſe remedium.

Ad grandinem & lithiaſin

♃. Ammoniac. Opopanac. Galban. an. drach. I. Temperentur in aceto fortiſſimo per diem & noctem, malaxentur, & F. emplaſt. hoc mollit & reſolvit.

Si hoc modo non curentur, ſequendum Galeni præceptum *com. 2. in lib. 6. Hippocr. de morb. pop.* ut tubercula illa priùs vel ſepiæ teſtis, vel pumice, vel unguibus exaſperentur, tum verò detractoriis medicamentis oblinantur: ſic namque ulcerata tubercula in profundum vires medicaminum accipiunt.

De Ectropio, Lagophthalmo, & Corybantiaſmo.

Ectropion eſt affectus inferioris palpebræ, quæ invertitur & deorſum trahitur, ut internæ palpebræ pars cum deformitate videatur, & inſtar rubræ carnis appareat: neque cum ſuperiore committitur, ſed pendet atque hiat.

Lagophthalmus eſt affectus ſuperioris palpebræ, quæ ita ſurſum adducta eſt, ut oculum totum tegere non poſſit, ſed per ſomnum etiam aliquantum apertus maneat.

Corybantiaſmus idem ferè affectus eſt ac lagophthalmus. Plinius *lib 2. cap. 37.* mihi auctor eſt: Oculis patentibus, *inquit*, dormiunt lepores, multique hominum; quod corybantiâ Græci dicunt. Ego nuſquam apud quemquam Græcorum vocem ea in ſignificatione uſurpatam recordor: uſurpari tamen poſſe non diſſuadet etymologia ab Hermolao excogitata, qui Corybantes ſacerdotes dictos ait à pupillis oculorum, & genis, quas Græci κόρας vocant: quippe qui cùm Jovis cuſtodes eſſent, non modò excubare, ſed etiam apertis oculis dormire cogerentur. Obiter hîc ſimul ſpecta doctorum in Pliniana lectione hallucinationes. Adr. Turnebus legit: quos corybantia regrediunt, id eſt, Corybantum ſacra ſanitati reſtituunt: qui enim ſic dormiunt, inquit, ſani eſſe non putantur: malè ſanos autem curabant Corybantum ſacris, quibus tum animo tum corpore ægros initiabant. Contrà Joſephus Scaliger cum morbum Corybantibus immitti, non ab iis ſanari contendit; itaque legendum: quos corybantiare credunt. Uterque cerebrum ſuum, non codicem ſecutus eſt. Legendum ſimpliciter, quemadmodum dictum eſt, ut rectè Dalechampius & literatiſſimus vir Salmaſius.

Cauſæ. Cauſa ectropii primò poteſt eſſe incrementum carnis, vel tumor in parte interna palpebræ, ob quæ invertitur palpebra. Secundò poteſt eſſe vulnus vel ulcus in palpebra inferiore malè curatum, ita ut, dum agglutinaretur, deorſum nimis ſit retracta palpebra. Tertiò poteſt eſſe paralyſis, vel convulſio inferioris palpebræ, ob quam attolli nequit.

Lagophthalmi etiam variæ poſſunt eſſe cauſæ. Nam vel poteſt in utero palpebra ita fuiſſe conformata: vel à conſuetudine iſtum poſitum accepiſſe, cùm infantes in cunis ſurſum vel retrò continenter ſpectant: vel à convulſione: vel à vulnere, ulcere, & cicatrice potuit imminuta aut ſurſum retracta fuiſſe.

Signa. Signa patent ex deſcriptionibus jam datis.

Julius Scaliger *com. in Ariſtot. hiſt. de animal. lib. 4. cap. 10.* ægrotam matronam vidiſſe ſe ſcri-

ſcribit apertiſſimis oculis ſemel ſomnum capere. Nos aliquot vidimus, qui ex dimidio apertis, ex dimidioq; clauſis dormirent. Hoc Hippocrates in Prænot. magnum malum portendere in morbis notat. Cui non penitus fide. Vidimus enim, quibus ſic dormire naturale eſſet: novimus, quibus conſuetum: ſcimus, quibus morboſum, non tamen ullo pacto periculoſum. Naturale quidem, quibus in utero ſuperior palpebra ob materiæ defectum & conformationis vitium brevior formata eſſet: conſuetum verò iis, qui ab incunabulis ſurſum vel retrò continenter ſpectare aſſueti eſſent: morboſum denique, quibus palpebra ab ulcere vel vulnere ſurſum eſſet retracta. Unde colligis, ubi & quando Hippocraticum præſagium conſentiat veritati.

Curatio. Ectropion à convulſione vel paralyſi ortum, curandum ut convulſio vel paralyſis.

Si ortum duxerit à nimio incremento carnis in interna palpebræ parte, caro ea eſt abſumenda. Unde præmiſsâ debitâ totius evacuatione, alumen rochæ vino incoquendum, & palpebra eo decocto lavanda. Tum hic pulvis luxurianti carni inſpergendus.

℞. Vitriol. alb. alumin. an. drach. 1. Lapid. Hæmatit. ſcrup. 2. Tutiæ ſemidrach. F. pulv. ſubtil.

Vel ℞. Lap. Hæmatit. probè levigat. ſemiſcrup. Vitriol. alb. uſti gr. ij. Myrrhæ Croci an. gr. 5. Sacch. cand. ſcrupul. 1. Miſce, F. pulv. cujus particula miſceatur cum aquis ſequentibus, & pluma adhibeatur ipſi carni ſuperfluæ bis die, cavendo pupillam oculumque.

℞. Aq. fœnicul. plantag. Raphani an. ſemunciam. Miſce.

Si his aut ſimilibus non abſumatur caro, eſt operatione Chirurgicâ auferenda. Quemadmodum etiam operatio iſta neceſſaria eſt, dum ectropion factum eſt ob vulnus vel ulcus malè curatum.

Abſumptâ carne ſuperflua ſæpè remanet turpis quidam rubor palpebræ, qui hiſce linimentis pulchrè corrigitur.

℞. Axungiæ porcin. colat. ſeſquiunc. Tutiæ præpar. ſemunc. Caphuræ novies aq. roſac. lotæ ſcrup. 1. Miſce, ſomni tempore inungatur. Vel Butyr. recent. novies aq. comm. loti, poſtea novies loti ſucco plantag. deinde ter aq. roſac. ℥ ij. & ſemis: tutiæ præpar. & lotæ ſemel aq. roſac. Aloës lotæ aq. plantag. ſief albi cum opio ana ſeſquidrach. caphur. lot. ſcrup. 1. Miſ. F. linim. Veſperi inungatur & mane calidâ aquâ abluatur.

Lagophthalmus infantium conſuetudine malâ inductus contrariâ conſuetudine corrigendus: pannis ſcilicet nigris cunas circa caput obvolvendo, & ad pedes luculam aliquam ſtatuendo, quam continenter infantes adſpiciant.

Si à contractione vel cicatrice provenerit, emollientia uſurpanda:

℞. Rad. Althææ ſem. fœni Græci, flor. Chamæmel. an. drach. 2. Croci ſemidrachm. F. ſacculus, qui aquâ conveniente calefactus oculo imponatur. Tum illinatur hoc unguento.

℞. Pingued. gallin. medull. cervi ana ſemunc. Ol. chamæmel. Ol. lilior. alb. unguent. dialthææ ana drachm. 2. Miſce.

Si hiſce non cedat, Chirurgiâ eſt opus. In qua exercitatiſſimus Paræus monet *lib. 16. cap. 6.* diligenter cavendum eſſe, ne in adminiſtratione ſectionis cartilaginea palpebræ ora lædatur: hac enim diſſectâ fruſtrà, *inquit*, palpebram tentamus elevare. At hercle quid huic cartilagineæ oræ cum palpebræ elevatione? Seca ipſam audenter, & perſeca pluries, ſi rectum palpebræ muſculum tranſverſim non dividis, nihil officis palpebræ elevationi. Scitiùs & experientiùs anteceſſor ejus Guido, vita, quantum potes, ciliarem limbum, *ſcribit*, hic enim læſus difficulter ſaneſcit. Hoc veriſſimum eſt ob cartilagineam ejus naturam.

De nimia palpebræ ſuperioris laxitate.

Nonnullis palpebra ſuperior procidit, quia ipſius ſumma cutis ampliùs relaxatur, quàm tegendo oculo neceſſe ſit. Unde duplex moleſtia oritur; una, quòd oculus facilè detegi non poſſit: altera, quod ſic relaxatæ palpebræ pili ad oculum tendant, ipſumque pungant.

Cauſæ. Relaxationis illius cauſa eſt affluxio humoris aquoſi non acris aut mordicantis: quod ex eo apparet, quia ſic affectis unus alterve pilorum ordo ſub ordine naturali ſuccreſcit ob loci humiditatem, quemadmodum terra humida pluribus herbis luxuriat. Jam ſi is humor acris eſſet, pruritum doloremve induceret, & naturalium pilorum radices arroderet, tantum abeſt, ut novis præter naturam ſuborientibus materiam ſuppeditare poſſet.

Ejuſdem affectus cauſa eſt peculiaris illius loci paralyſis, quæ ſenibus frequens eſt.

Spiegelius Præceptor meus ex levi vulnere ramuſculi tertiæ nervorum cerebri conjugationis, qui per foramen oſſis frontis ſupra orbitam exſculptum elapſus in cutem & muſculos frontis deſinit, obſervavit prolapſam palpebram, eo quòd ſupercilii ſeu frontis muſculus propterea paralyſin incurreret.

Signa. Affectus per ſe patet.

Curatio. Præmiſſis generalibus, & ſecundariis; ut cucurbitulis frequentibus etiam cum ſcarificatione, apophlegmatiſmis, cauterio in cervice ad diverſionem humoris: fiat fotus ex Majorana, flor. Chamæmel. & Meliloti, Cumino, additis Balauſtiis & Malicorio.

Quibus ſi non tollatur malum, Chirurgiâ eſt opus.

De palpebrarum inter ſe, & cum aliis oculi partibus cohærentia.

Fit in multis, ut per ſomnum copia pituitoſæ & viſcidæ materiæ ad palpebras affluens earum extremitates ita conglutinet, ut vix mane aperiri poſſint.

Sed eſt altera majoris momenti cohærentia, quâ palpebræ vel inter ſe, vel cum alba, aut cornea, aut utraque oculi tunica planè coaleſcunt: qui affectus dicitur *Ancyloblepharon* propriè Græcis,

Cauſæ. Nocturnæ cohæſionis cauſa eſt humor pituitoſus & viſcoſus.

Alterius autem coalitus cauſa eſt ulcus in interiore parte palpebræ, vel oculi exteriore tunica malè curatum; ſic ut ſaneſcendo, quod diductum eſſe debuit, conglutinetur.

Signa. Manifeſtus eſt affectus.

Cu-

Curatio. In cohærententia nocturna ex pituita corpus expurgandum eſt, & per cucurbitulas, veſicatoria, aliosq; modos humor ab oculis avocandus: deinde æger cubitum iturus palpebras aquâ roſaceâ, cui roſæ & balauſtia incocta ſint, abluat, & petias eâ imbutas imponat.

Alter coalitus non niſi per Chirurgiam tolli poteſt: per quam tamen Celſus neminem vidit perfectè ſanatum: nam poſt ſeparationem oculus rurſus ferè coaleſcit cum palpebra.

De Phtheiriaſi palpebrarum.

Phtheiriaſis ſeu pediculatio eſt affectus is, ſub quo pediculi palpebras infeſtant. Uti enim in aliis partibus, ſic quoque hic pediculi naſci & moleſti eſſe ſolent.

Cauſæ. Materia pediculorum eſt humor excrementitius calidus & humidus, putreſcens non excellenti putredine, præſente calore moderato.

Signa. Ipſæ beſtiolæ per ſe viſui ſunt manifeſtæ, pruritusque magnus adeſt.

Curatio. Hoc unguentum ad palpebrarum pediculos apprimè eſt commodum.

℞. Ung. roſac. Meſ. ſemunc. Sulfur. vivi ſtaphiſagriæ an. gr.15. Hydrargyr. ſaliva extinct. ſemidrach. F. unguent. quo palpebræ illinantur. Poſſunt priùs ablui decocto ſtaphidis agriæ, betæ, abſinthii.

De affectibus pilorum ciliarium.

Cilio ſeu tarſo palpebrarum pili innaſcuntur recti, eandemque ſemper ſervantes magnitudinem, & nigri vel ſubnigri.

Horum affectus ſunt inverſio ad oculos & incurvatio; abundantia nimia, defectus, & color alienus.

Cauſæ. Pilorum incurvatio verſus oculos oritur vel à palpebra ſuperiore nimis laxata; vel quòd ipſimet pili vitioſè & tortuoſè creſcant ob malè conſtitutos cilii poros.

Abundant ſive luxuriant pili aliquando duplici ordine, aliquando multiplici & veluti quadam acie. Cauſa eſt humor copioſus, ſed minimè mordax ad cilia fluens.

Defectus & defluvium ciliarium pilorum fit ex vitioſis & acribus humoribus ad cilia allapſis, & pilorum radices erodentibus.

Color alienus eſt albor, qui viſui incommodat; fitque vel ob defectum humidi nutrientis ex diuturna ægritudine: vel ob præſentiam materiæ phlegmaticæ in radice pilorum ſitum quaſi contrahentis, uti in canitie; vel ob cutem vitiligine albâ laborantem.

Signa. Affectus hi omnes per ſe noti ſunt. Nec ſunt contemnendi, quia plurimùm incommodant.

Curatio. Prolapſus ſeu laxitas palpebræ ſuperioris quomodo curetur, jam antè expoſitum eſt.

Ubi pili ſuperflui oculos pungunt, ſive pauci ſint, ſive multi, ſunt evellendi inſtrumento illo Chirurgico quod *Volſella* vocatur; ſed ita, ut toti evellantur: nam ſi in medio abrumpantur, magis pungunt, quàm dum ſunt integri. Poſtea loco, è quo pili evulſi ſunt, adhibenda ea, quæ pilos renaſci prohibent, ut rubigo ferri ſalivâ jejuni hominis ſubacta.

Vel ℞. Rad. Mandragor. drach.6. ſem. Perſicariæ ſemunc. Caphuræ ſemiſcrup. Aceti cochl.1. Miſce in mortario, & ſuccus exprimatur, quo pori, è quibus pili evulſi ſunt, illinantur. Corrodentia, quæ aliqui hîc ad extirpandos pilos uſurpant, non probo, quia periculum inferunt oculis.

In pilorum ciliarium luxurie damnat experientiſſimus Montanus in conſil. eam Chirurgiam, quæ à Practicis ſolet proponi. Sane intelliciter eam quibuſdam ceſſiſſe animadverterat. Conſulit verò, ut evellantur potiùs accommodiſſimè à perito quopiam vulſore: tum poſt evulſionem frequentiſſimè illinatur locus lacte canis; id enim celebratiſſimum eſſe remedium apud antiquos, ne pili ſuccreſcant. Atque hoc idem remedium omnes paſſim repetunt & prædicant recentiores; adduntque alterum à veteribus proditum & commendatum, ranarum viridium ſanguinem. Cæterùm à Galeno diſcere poterant, in utroque mendaces eſſe veteres: quippe qui facto periculo falſum utrumque ſe comperiſſe monet lib. 10. de ſimpl. med. fac. Candidè Joan. Arculanus comment in 9. Rhaſ. ad Almanſ. ſcribit in hæc verba: Dicant omnes quidquid velint, ego adhuc non inveni medicinam in hac re conferentem.

In pilorum defluvio, præmiſſis univerſalibus, illinantur cilia hoc unguento.

℞. Ol. lini ſemunc. Sevi hircini pingued. urſi ana drachm. ii. Stercor. murium, dactyl. combuſt. an. ſemidrach. Miſ. Vel torretur ſtercus muris, & pulvis commiſcetur melli. Aut uruntur avellanæ, ac cinis pinguedine urſi vel capræ ſubigitur pro linimento. Ante illitionem rectè adhibetur fotus ex decocto adianthi & polytrichi.

De vulneribus palpebrarum, & adminiſtranda in eis ſectione.

Aſſeverat Fallopius, atteſtante experientiâ, iſta vulnera eſſe citæ faciliſque ſanationis. Cui tamen veritati veraciſſimus Hippocrates, uti videtur, adverſans ſect. 6. Aphor. 19. ait, perfectam genæ tenuem particulam neque augeri neque coaleſcere. Ariſtoteles lib.2. de part. animal. cap.13. hoc ipſum ex Hippocrate & alia aliquammulta, ſine honorifica tamen ejuſdem mentione, deſcribens enunciat expreſſiùs: Palpebram, inquiens, aut præputium vulnere diducta coaleſcere non poſſe: ſunt enim cutes ſine carne. Ergone duæ hæ ſcientiarum aquilæ adeò cæcutiverint, ut non perceperint, quod cuilibet occurrit quotidie? Quamquam id de Ariſtotele fortaſſis acutiſſimo contemplatore; de Hippocrate certè in artis operibus exercitatiſſimo ut credam non à me impetro. Itaque ut veritati conſonet propoſita ejus aſſertio hoc debet ſenſu intelligi: palpebras nempe aliaſque illic memoratas partes perfectas non coaleſcere per ſuccretionem carnis vel ſubſtantiæ homogeniæ; coaleſcere tamen atque uniri per aliquid heterogenium. Breviter, non per primam, ſed per ſecundam intentionem conſolidari, ut loquuntur recentiores.

Ex tranſverſis palpebrarum vulneribus prædicunt unanimiter omnes Chirurgiam profitentes caſum earundem, atque abolitionem elevationis.

tionis. Ubi noviſſe convenit, ea tranſverſa palpebrarum ab eis vocari vulnera, quæ à ſuperciliis deorſum verſus oculum deſcendunt: recta vulnera ea, quæ ab uno angulo ad alterum vergunt. Aſſerunt igitur, ſi vulnus à ſuperciliis deorſum deſcendens palpebram diſcindat, neceſſariò ſequi abolitionem elevationis ipſius palpebræ. Me aliter erudit anatome. Nam circularis muſculus utramque palpebram ambiens clauſionem palpebrarum ut propriam actionem exercet; unde ſequitur ex tranſverſa fibrarum ejus ſectione abolitio clauſionis palpebrarum. Proinde vulnus à ſuperciliis deorſum inflictum officit clauſioni, non recluſioni oculorum: ob tale namque vulnus recludentis ſive elevantis muſculi intus latentis fibræ non perfinduntur.

Præterea vulnus rectum, id eſt, ab uno angulo oculi ad alterum procedens periculo caret, inquiunt illi, nullumque portendit incommodum: quia vulneris ductus rectitudinem fibrarum muſculi palpebralis ſequitur. Sanè verum inquiunt, ſi vulnus ſuperiorem muſculum circularem tantùm lædat: ſin autem profundiùs penetret, ut etiam diſſecet inferiorem ſeu internum rectum muſculum, tum non leve adfert incommodum; prolapſum, inquam, palpebræ, eo quòd elevatoris muſculi fibræ tranſverſim diſcindantur.

Quemadmodum porrò in prædictionibus edicendis, ita & in adminiſtranda propoſitarum partium ſectione pro quibuſdam curandis affectibus ſcriptores pariter omnes erraverunt. Id quod mihi quidem non tam mirum videtur de veteribus, quibus ſcio palpebrarum muſculos incognitos fuiſſe, quàm de novitiis hiſce poſteris, qui abſolutam horum muſculorum dedere deſcriptionem. Evenit nimirum ipſis, uti & aliàs nobis, pecorum ritu ſequimur antecedentium gregem. Cæterùm chirurgiam ſive ſectionem palpebrarum exercent auctores in earum prolapſu ac laxitate; in contractura earumdem, ut lagophthalmo; in tuberculis itidem, ut verrucis, moris, grandine, aliiſque id genus. Quibus in affectibus ſemper atque indiſcriminatim jubent ſectionem fieri ſecundùm ductum rugarum palpebræ. Me judice diſcrimen hîc neceſſariò eſt conſtituendum. Si enim prædicta tubercula cutem vel externum circularem muſculum obſident, ſequemur in ſectione ductum rugarum palpebræ: is namque eſt fibrarum circularis muſculi proceſſus. Huic ſimilem chirurgiam inſtitues in lagophthalmo, cujus cauſa fuerit cicatrix. Ubi diligenter attendendum, ne profundiùs inſtrumentum ſecans adigamus, adeò ut lædamus ſublatentem rectum muſculum, quo læſo perit palpebræ elevatio. Contrà ſi tubercula interiorem palpebrarum ſuperficiem occupent, cùm illic ſedem habeat longus rectuſque muſculus deſcendens à ſuperciliis deorſum, conformem huic ſectionem adminiſtrari neceſſe eſt: diligenter iterum attendendo, ne cultellum altiùs deprimamus, ac perſecemus muſculum circularem, cujus ex tranſverſa ſectione aboletur clauſio oculorum. Quod ſpectat ad palpebram inferiorem, hæc unico dumtaxat donatur muſculo, eodem nempe illo circulari, qui in ſuperiore palpebra viſitur. Itaque in ea ſolùm habet lunata ſectio locum, ſic ut cornua non ad maxillam, ſed ad oculum convertantur: nam is eſt fibrarum ejus muſculi progreſſus.

Palpebrarum vulnera curantur ut alia. Verum tamen palpebræ vulneratæ vel omninò non, vel cautè admodum inungendæ ſunt oleo roſaceo, ne oleum defluat in oculum, & ipſum inflammet; olea enim valde inimica ſunt oculis: ſed linteum potiùs in vino nigro auſtero expreſſum eſt ſuper ponendum.

De rebus oculo illapſis eximendis.

Aëtius Tetrab. 2. ſermon. 3. cap. 17. ſi culex, vel alia beſtiola aut recula in ocullum illapſa fuerit, altero oculo clauſo, & qui affectus eſt, aperto, ſuâ ſponte elapſuram ſcribit. Ejus cauſam inveſtigans Alexander Aphrodiſæus ſect. 4. probl. 58. inquit, Videndi ſpiritum à clauſo oculo retentum in patentem tendere, ipſumque implere ac tumefacere: atque ita extrudi ejicique, quod in ipſum deciderat, utpote imbecillum. Adde quod ipſe erumpens confertim ſpiritus per oculi ſpiramenta illam extrudat beſtiolam. Omnia hæc falſa. Non enim erumpit per oculi ſpiramenta viſivus ſpiritus. Neque altero clauſo alter oculus à ſpiritu affluente tumeſcit. Nec denique illapſæ res, altero oculo clauſo, elabi comperitur.

Extrahunt autem illas res ſine periculo & parvo negotio oculi cancrorum fluviatilium, ſive lapilli, qui in capitibus cancrorum inveniuntur, hoc modo. Siniſtrâ manu elevanda eſt palpebra; dextrâ circumſpectè & blandè unus ex lapillis imponendus; mox oculus ſtrophiolo obvelandus.

De Ophthalmia.

Ophthalmia eſt adnatæ ſeu albæ oculi tunicæ inflammatio. Sub hac continentur Taraxis, Xerophthalmia, & Chemoſis.

Taraxis, id eſt conturbatio, eſt levis inflammatio oculi cum exiguo dolore & rubore.

Xerophthalmia eſt inflammatio ſicca ſine lacrymis aut materia effatu digna effluente.

Chemoſis eſt magna inflammatio non adnatam ſolùm tunicam, ſed & corneam ac palpebras obſidens. Hæc pueros magis quàm adultos apprehendit.

Multi etiam literati ophthalmiam Latinè vertunt lippitudinem. Malè. Nam lippire non eſt ophthalmiâ teneri, ſed habere oculos λήμη, id eſt, humore pingui fluentes ſeu lacrymoſos. Horatius ſe lippum vocat, quod hebetiùs videret, & oculis eſſet mollibus; non autem, quòd continenter ophthalmiâ laboraret, uti credo.

Melius nobis diſtinxerunt utrumque nomen ii, quos ut barbaros iſti inſectantur politiores: ophthalmiam eſſe oculi inflammationem ac ruborem; lippitudinem verò conglutinationem interpretantes. Et illatinus Paræus omnium ſcitiſſimè diſtinxit lib. 16. cap. 11. inquiens, lippitudinem eſſe albas quaſdam ſordes ab oculis profluentes, quæ ſæpè palpebras ſibi invicem agglutinant. Ubi & dicit, lippitudinem ab infantia ſæpè contrahi, & totam hominis vitam infeſtare; quod ophthalmiæ ſeu inflammationi non competit.

Galenus lib. 3. de comp. med. ſec. loc. c. 2. ophthalmiam definit inflammationem tunicæ os capitis & calvariam ambientis. Quæ definitio etſi alia videatur, quàm quæ adducta eſt, tamen ni-

hil ab ea differt: nam tunica adnata eâdem eſt ac pericranium ſubſtantiâ, etſi non officio: quippe illa procedit à tunica palpebras ſuccingente reflexa ad cilia verſus oculi bulbum, quem denique contegit: atqui palpebrarum ſuperior ſuccingentem ſuam membranam à pericranio ſortitur. Nihilominus accuratè rem perſequendo non tota adnata pericranio ortum ſuum debet; quia à ſuperioris palpebræ membrana ſuccingente non tantùm naſcitur adnata, ſed etiam à membrana ſuccingente palpebram inferiorem; hæc autem non à pericranio, ſed à perioſtio maxillæ ſuperioris originem habet. Quod fortaſſis Galenus lib. 10. de off. part. cap. 2. conſiderans, adnatam procedere dixit à perioſtio: id quod verum eſt, ſive principium ejus ſpectemus à palpebra ſuperiore, ſive ab inferiore. Hinc ratio colligitur, cur inflammatis oculis tantus adſit ſenſus triſtis Membrana enim pericranium & perioſtium acuti ſunt ſenſus. Indeque, eſt quòd Hippocrates & Galenus opthalmiam ſæpè vocarint dolorem oculorum. Et Hippocrati quidem familiare eſt, in partibus valde ſentientibus per dolorem intelligere inflammationem; uti in Prognoſt. per dolorem auris quoque.

Cauſa. Ophthalmia pro cauſa antecedente & continente eam habet, quam cæteræ inflammationes, ſanguinem ſcilicet vel purum, vel quolibet alio humore permiſtum. Malè ergò aliqui flatum pro cauſa continente etiam adducunt: poteſt enim is quidem ob tenſionem dolorem inferre, & ſic cauſa eſſe antecedens, ſed non inflammationem actu ſeu ſolus efficere.

Taraxin plerique ex Paulo Ægineta à cauſa manifeſta tantùm oriri tradunt, ut à Sole, fumo, pulvere, vento. Sed ratio & experientia convincit, ab interna quoque cauſa non rarò excitari, præcipuè vitio ventriculi, & poſt immoderatiorem vini potationem.

Galenus lib. 4. de diff. pulſ. cap. 1. item lib. 1. de diff. feb. c. 2. ophthalmiam dicit contagioſam eſſe. Quod & ſine Galeno quilibet experientiâ diſcere poteſt. Ejus tamen cauſam dicere non adeò facile eſt: ophthalmia enim inflammatio eſt, at inflammatio contagione non accipitur Cauſa autem ab ipſamet parte affecta petenda eſt, ab oculis ſcilicet, qui cùm humidi, molles & facilè patibiles ſint, promte à vaporibus ex adſtante inflammato oculo effluentibus efficiuntur. At cur ergo non perpetuâ ophthalmiâ laborant ocularii Medici & medicaſtri, qui in dies tot curant, & tractant, & inſpectant ophthalmicos? Eadem quæſtio peti poſſit de iis, qui peſte infectos curant, quomodo tot annis ab iſto morbo immunes agant? Videntur autem curantium corpora per longam conſuetudinem reddi quaſi ſimilia corporibus ægris, atque, ita ab hiſce nihil pati. Deinde abeſt imaginatio ac timor de contrahendo malo, qui timor reddit copora contagioni valde obnoxia ac opportuna. Sed cur oculi inſpectantes quamlibet aliam magnam inflammationem corporis non inflammantur quoque, cùm etiam tum vapores ex parte inflammata exhalantes recipiant? Reſp. Debet ad contagium intercedere quædam partium analogia. Sic enim dyſenteria contrahitur, ſi quis inſideat loco illi, in quo dyſentericus excrementa depoſuit, quæ excrementa etſi manu tractaret, non inficeretur: ſic phthiſis non contrahitur, niſi à pulmone ſano vapores putridi excipiantur. &c.

Signa. Non eget ſignis ophthalmia, quippe quam rubeſcens oculi album, & venæ in eo conſpicuæ manifeſtant. Si rubor ſit modicus, eſt taraxis. Si ambæ palpebræ ex vehementi inflammatione inverſæ ſint, ut vix oculi ab ipſis contegantur, & album oculi nigro ſublimius evaſerit, chemoſis eſt.

Hippocrates lib. 7. de morb. inquit, Omnibus ſuppurationibus & affectionibus circa oculum dolores ad noctem. Ejus probabilem rationem dicit Mercurialis in annotat. ad illum lib. dolores inquiens noctu fieri acerbiores, tum quia minore factâ corporis difflatione intus cauſæ dolorificæ magis cohibentur; tum quia ſenſus eo tempore, cùm non ſint aliò diſtracti, toti ad dolentem locum convertuntur, ſicque inſignior fit doloris perceptio. Verùm eæ communes cauſæ ſunt omnibus doloribus. Propria autem videtur eſſe, quòd cerebri paſſiones omnes, quæ ex ſuccorum in eo redundantia pendent, augeantur noctu ob ſomnum & ob ipſam noctem, quæ cauſa eſt analoga ſomni, gravans ſcilicet, caput, & ſuccos intrò pellens: jam autem oculi laborant cum cerebro; ergò cùm cerebrum nocte lædatur neceſſe eſt lædi etiam oculos.

Notandum prognoſticum Hippocratis lib. 1. coac. præn. ſect. 2. ſcribentis: Ophthalmiâ correpto ſi dolor capitis accedit, idemque diutius comitatur, cæcitatis periculum denuntiat.

Monet Galenus lib. 3. meth. ophthalmiam cum cura eſſe tractandam; cùm ex curationis errore multos ægrè confuſeque vidiſſe obſervarit; alios rupta cornea viſum amiſiſſe. Contrà, ſi rectè tractentur, evenit aliquando, ut poſt ophthalmiam acutiùs videant. Quod & Ariſtotelem non latuit: quærit enim ejus rationem ſect. 31. probl. 9. atque hanc aſſignat, quia oculi poſt ophthalmiam purificati ſunt: fit enim ſæpè ut exterior denſitas pupillæ aciem impediat, quæ lacryma emiſſa laxatur ac reſolvitur.

Curatio. Ophthalmia, ſi quoquo modo magna fuerit, requirit venæ ſectionem. Vena autem ſecetur aut cephalica, aut baſilica, aut media; prout vel capitis vel univerſi corporis vel utriuſque ratio urget. Poſt has tamen duas poſtremas ſectas, ſi vires ſinunt, ad cephalicam venire conveniet. Si menſes ſint ſuppreſſi, vel hæmorrhoides, venas inferiores eligere oportet.

Dubitatur autem, ſi unus tantùm oculus laborat, in utro latere venam tundere deceat. Rhaſes & cum eo aliquot Medici venam eligunt brachii, quod oppoſitum eſt oculo laboranti. Sed ſanior eſt doctrina Galeni, qui inquit, eam demùm ſanguinis miſſionem vel vacuationem utilem commodamque eſſe, quæ ſecundùm rectitudinem procedit; ex contraria autem parte ſæpè nocere, quòd vires debilitet ſine morbi ſublevatione. Itaq; ſive ex brachiis ſive cruribus mittendus ſit ſanguis, ſemper mittatur ex eo latere, in quo laborans eſt oculus. Si uterque oculus laborat, poteſt utrimque mitti. Conducit verò uberem ſatis copiam educere, ſi vires ferant. Permittente morbo poterit ante ſectionem venę alvus clyſtere elui, vel levi medicamento leniri.

Sanguine miſſo purgans exhibendum: ſi enim in alio quoquam affectu, certè in hoc purgatio convenit. Notus eſt aphoriſmus 17. lib. 6. qui ſic habet

habet, Ophthalmiâ laborantem alvi profluvio corripi, bonum. Unde conſtat, validum medicamentum poſſe propinari: contrà quàm ſentiant recentiores quidam, qui dicunt Hippocratem lib. de loc. in hom. prohibere forte purgans, ne humores corporis à pharmaco agitati confluant ad oculos. Contrarium enim illic docet Hippocrates. Verba ejus ſunt: Si fluxio in oculos proceſſerit, & ſtatim fuerint inflammati, nihil omninò illinc, ſed fortiſſimo per inferna purgato, aut alio quopiam alvum ſubducente medicamento attenuato, vitando ne vomitum facias. Et Spiegelius Patavii dicebat nobis, hic alternis diebus purgandum eſſe, imò dyſenteriam poſſe excitari.

Purgante exhibito, cucurbitulæ occipiti & ſcapulis affigendæ cum ſcarifatione; quæ potenter ab oculis revellunt: & faciunt veſicatoria ibidem appoſita, quæ proinde poſt cucurbitulas admoveri poſſunt.

His ritè factis, ad topica deveniendum, circa quorum uſum utiles quaſdam animadverſiones tradidit Ludovicus Septalius; quarum interpolat Sennertus quaſdam, quaſdam corrigit, quaſdam adjungit. Quoniam verò in nobiliſſimæ partis curatione numquam nimis oculati eſſe poſſumus; aſſuam & ego alias cautiunculas, Uno oculo ophthalmiâ laborante, ambo oculi faſciâ obvelandi ſunt, ut & ſanum firmemus, motumque illius cohibeamus. Ratio ejus ab Alexandro Aphrodiſæo data eſt, & jam vulgò innotuit. Capitis ſitus numquam ſit depreſſus, vel prorſum inclinans, ſed rectus & elatior. Locus, in quo decumbitur, non ſit calidus. Sed præſertim lumen fugiatur: quare cùm æger oculus inſpiciendus eſt, ut ipſi medeamur, accipiatur candela cum obumbraculo, vel lumen ſit chartâ circumvolutum aut in laterna; vel ſaltem manus interponatur.

Porrò leves ſed calidas oculorum conturbationes ſatis reprimit fotus ex ſola poſca: ſicut frigidas aëre ambiente frigido ortas fomentum per ſpongiam ex vino albo diluto. Video practicantes paſſim interdicere acetum & acetoſa in oculorum medicatione. Poſca tamen, quam propoſui, ad calidas oculorum perturbationes eſt Galeni remedium lib. de remed. fac. parab. cap. 10. Et fortaſſis intelligendi ſunt iſti probi auctores de aceto impermiſto.

Ad ophthalmiam vulgaria remedia ſunt lac & ovi albumen. Quæ duo perpendens & comparans Rhaſes 2. contin. dixit lac in curatione ophthalmiæ eſſe convenientius. Contra Abuali albumen eſſe magis conveniens ſcripſit. De qua controverſia ita ſtatuendum ex Nicolo Florentino: alterum altero diverſo reſpectu poſſe eſſe conveniens magis. Et quidem (quod innuit Abuali) quando opus eſt aliquali abſterſione, nec multa adeſt venularum obſtructio, tum lac eſt melius; quia ſcilicet in lacte eſt vis quædam abſterſoria, neque obſtruit idem. At albumen nullâ eſt abſtergendi facultate effatu dignâ præditum, cæterùm obſtruit magis magiſq eſt frigidum. Itaque dum non magna adeſt venularum conjunctivæ oppletio, ſed materia magis ſuâ acrimoniâ & mordacitate moleſta eſt, tum ovi albumen accommodatius eſt.

Hæc aqua in oculum inſtillata ſedat dolorem, fluxum compeſcit, & aliquo modo digerit.

℞. Medull. panis alb. unc. IV. infund. per noct. in aq. roſacea, quâ utere. Æquivalens huic eſt aqua roſacea cum albo ovi tamdiu conquaſſata, donec ſpumeſcat: deinde tenuem ſtupam in eo tinge, atque oculo applica. Si magis digerere vis, adde vinum. Vel cape decoctum foliorum malvæ in aq. roſacea factum, eoque oculos fove.

Præſtans quoque eſt, quod Montano erat familiare; ſcilicet Roſas, Myrtos cum fœno Græco, Chamæmelo, Sem. lini in aq. plantag. coquere & in eo decocto pannos lineos tenuiſſimos ac molliſſimos multiplices ad oculi magnitudinem & formam complicatos diu macerare, ac deinde oculis admovere, æſtate frigidos, hyeme calidos; obſervando diligenter, ut, priuſquam areſcant, removeantur, novique applicentur. Et de fœno Græco quidem Galenus dicit, ejus decoctum eſſe medicamen maximè omnium, quæ oculis applicantur, ſine noxa digerens. Parari id melius eſt ex herba ipſa benè lota, quàm ex ſemine, ut monet Septalius, & ante ipſum Petrus Salius. Sed tamen ex ſemine etiam non videtur inconveniens, deficiente herbâ, ſi ex præſcripto Galeni primum decoctum abjiciatur, quia tum non aderit acredo & calor.

Præſente & infeſtante dolore, noctu palpebræ ac totus oculus, maximè ad angulos & extremitates, leniter ungantur hoc unguento, quod pro ſecreto aliqui habent.

℞. Butyri maial. diligenter eloti drachm. II. huic admiſce lapid. calaminaris tenuiſſime triti quantum capere poterit butyrum: tum mane abluatur oculus aq. roſaceâ, cui incocta eſt malva. Item hoc unguentum laudo.

℞. Unguent. alabaſtr. ſemunc. lactis muliebr. unc. II. Miſce, imbuantur eo petiæ lineæ, & oculo apponantur: valet in dolore à qualibet cauſa. Uti etiam hæc aqua. Cape ovum, coque ad duritiem; exime poſtea vitellum, & ſaccharo cavitatem imple: tum colliga ovum, & è filo in cavea ſuſpende; aqua quæ deſtillabit, uſui eſt. Hoc etiam utor.

℞. Tutiæ præpar. ſemidrachm. aq. roſac. unc. II. alb. ovi conquaſſ. ſemunc. Miſce. Denique propono medicamentum Saxoniæ, quod Diabutyrum appellat, & præſtantiſſimum eſt. Fit hoc modo:

℞. Butyri loti aq. roſac. ſemunc. Tutiæ præparat. ſemidrachm. Caphuræ gr. V. Miſce. Sed uſurpandum eſt tantùm in ſtatu vel augmento inflammationis.

Ad opiata, ut in aliis omnibus caſibus, ita hic rarò veniendum eſt: ſi dolor tamen valde urgeat, ſunt uſurpanda. Præ cæteris valet album ovi agitatum cum decocto papaveris albi. Quòd ſi minùs efficax ſit, adde aliquot grana opii. Vel capiatur ſief, id eſt collyrium album Rhaſis cum opio, & diſſolvatur in aq. roſac. vel plantag. Inſtillamus autem hæc oculis, aut pannum lineum mollem, vel tenuem ſtupam iis imbutam oculo applicamus, cavendo, ne exſiccetur, aut calefiat. Nam ſi exſiccaretur, adhæreret, & deinde abſtraheretur cum dolore, à quo augeretur affectus: ſi caleſieret à corpore, attraheret humores. Denique remotis dictis opiatis medicamentis, debent oculi lavari decocto melilot. chamæmel. fœni Græci, ut inductum ab opio vitium corrigatur.

Etiam atque etiam notandum eſt, quod monet Montanus in Conſil. nempe, in curatione ophtalmiæ adverti debere diligentiſſime, an cum ipſa tuberculum, ulcus, aut puſtula ſit conjuncta: quibus niſi propria curatione ſuccurratur, aut cæcitas, aut alia incommoda ſubſequentur. Ego, inquit, miſerum quendam ophthalmicum novi, cui in ea parte corneæ, quæ pupillæ opponitur, puſtula inerat valde exigua, ut vix ſenſu perciperetur. Huic imprudens occurrens Medicus tanquam ſolam ophthalmiam curaturus, pomum ferventi cinere coctum ſaccharoque conditum temere applicavit: eaque nocte cum dolor omninò ſedatus eſſet, probeque obdormiſſet, mane lætus Medicum acceſſivit de ſanitate gratulaturus, nec minori lætitia geſtivit deceptus Medicus. Soluto autem oculo, ablatoque cataplaſmate, ſubſecutus eſt humor aqueus, ut miſerabili eventu æger altero oculo cæcus redderetur: illo enim cataplaſmate diſruptâ puſtulâ profundiore, quàm ſenſui apparuerat, ulcus ſubortum eſt.

Licet à Galeno & pleriſque aliis auctoribus in propoſito affectu paſſim frigida repellentia & adſtrictoria præſcribantur, cautè tamen ea uſurpare oportet. Nam oculi tunica duræ & denſæ ſubſtantiæ eſt, à qua poſtquam aliquid eſt receptum, difficillimè repellitur: ſed & illis remediis ungues & nubeculæ in multis ſunt effectæ non ſine metu cæcitatis. Tum ergò tantùm ea adhibebis, cùm fluxio nondum venas tunicæ egreſſa eſt, ſed ibidem adhuc manens facilè repulſu & compreſſione retrocedere poteſt; id quod eſt mox à doloris principio. Quod ſi fluxione revertente dolores denuò exacerbentur, & id, quod fluxit, in poris tunicæ adhuc impactum manſerit, tunc adſtringentia admovebis vel actu calida, vel diſcutientibus mixta: niſi dolor vehementiſſimus urgeat; hic enim jubet frigida actu applicanda eſſe. Porrò hoc de adſtringentibus oculo ipſi admovendis intellige; fronti autem & temporibus ſecurè valida adſtrictoria adhibere potes ad intercipiendos humores ad oculum fluentes. Quod cum fructu evidenti facies, ſi per externas capitis partes ad oculum deriventur: quo in caſu hoc cataplaſma valde conducit:

℞. Bol. armen. maſtich. ſanguin. dracon. farin. hordei ana ſeſquiunc. roſar. rub. iv. album duorum ovorum, ol. roſac. ſeſquiunc. aceti parum. F. catapl. Circa hæc adſtringentia fronti & temporibus applicata id cavendum, ne ſimul illa adhibeas, ſimul ab oculis repellas. Item ſecuriùs fidentiuſque ea adhibentur in hominibus macræ atque extenuatæ frontis; in hiſce enim talibus valentiùs vim ſuam exſerunt: in pingui autem & carnoſa fronte non adeò valent, & poſſunt eſſe cauſa expreſſionis materiæ contentæ circa frontem verſus oculum.

In diuturnis & pertinacibus ophthalmiis nihil præſtantius quam ſetaceum vel cauterium cervici inurere inter primam & ſecundam vertebram; id enim efficaciter ab oculis revellit, uti de cucurbitulis & veſicatoriis antè dictum eſt. Eadem ratione prodeſt inferiores aurium lobos perforare, & annulos infigere; quod & vulgares jam paſſim faciunt, ac benè.

Qui ophthalmiis obnoxii ſunt, ut ſe præſervent, curent in vere folia cydoniorum integra colligenda: eaque diligenter aſſerventur, ne ſitu vel pulvere inquinentur. Horum foliorum licebit ſubinde manipulum accipere, & in puriſſima aqua coquere; ea ſæpe oculi laventur, mirum quam ipſos præſervant, ruborem diſcutiunt, influentem humorem arcent. Eodem facit pharmacum, quod Galenus compoſuit, ejuſque tempore omnes in uſu habebant, quo ſi quis utatur, ophthalmia nunquam apprehenditur: deſcribitur diſertâ oratione lib. 4. de comp. med. ſec. loc. cap.

Boni Practici Galenum ſecuti in ophthalmiis nigra vel viridia oculis ſive appendi ſive opponi jubent. Celebrem tamen novi ophthalmicam, quæ non talia, ſed alba appendebat, vel potiùs adligabat, Ratio ejus erat, quia ophthalmia cùm inflammatio ſit vel eryſipelas, tutiùs lintea alba munda applicentur, quam nigra vel viridia, vel alius coloris: nam quia colores ii, quibus tinguntur, recipiunt vitriolum vel erodens aliud, poſſunt ea colorata lintea exulcerationem efficere. Bene. At neque hoc Medici boni improbabunt: commendant autem ipſi viridia vel nigra, ſolùm ut obtutus in illa defigatur, & inde recreetur, qui ab albo læditur. Sanè enim ſi albus color ab oculo undiquaque ſano non innoxiè diu ſentiatur, quid de ægro ſperandum eſt? Cæterùm & à rubro colore ophthalmicorum adſpectus removeri debet, conſtat enim à diuturno ejus intuitu oculos rubore ſuffundi.

Eadem ophthalmica non probat etiam appenſionem veli ad oculum inflammatione laborantem: ob continuam enim agitationem nocet potiùs oculo quàm proſit. Adligabat autem linteum album mundum oculo ægro: atque ita & oculum firmabat, & à diuturno lumine arcebat. Quod ut male factum nullus poterit cordatus Medicus condemnare.

Expendendus & explicandus hoc loco eſt aphoriſmus Hippocratis 13. ſect. 6. qui ita habet: Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut pharmacum ſolvit. Sed enim pleriſque doloribus oculorum eſt meri potio adverſiſſima: fit tamen quibuſdam etiam utilis. Atque ſingula eorum, quæ hic Hippocrates recenſet, eodem modo habent; nunc ſcilicet ſunt commoda, nunc incommoda. Et proinde non ait ad omnes dolores hæc omnia valere; ſed ad aliquos hoc, ad nonnullos iſtud, ad alios aliud proficere. Ut videatur verum, quod conjectat Galenus, ſcilicet Hippocratem curationem illam variam propoſuiſſe memoriæ gratia, ut poſtea diſcuteret: doctrina enim coacervans varia genera remediorum in uno morbo inutilis eſt, ſi non explicentur indicationes à diſpoſitione varia affectus, quas nos jam explicemus. Dolorem ergò efficit vel nuda intemperies, vel humor. Si intemperies nuda, rectè adhibetur fomentum: calidum, ſi frigida; frigidum, ſi calida ea ſit intemperies. Si humor cauſa eſt, aut is fluit adhuc in corpore, aut fluere deſiit, toto corpore evacuato. Si fluit adhuc, vena ſecanda, aut propinandum pharmacum. Si deſiit fluere, & mundum corpus eſt, aut id, quod inhæret particulæ, eſt craſſum, & tum juvat potio meri: aut tenue & acre, & prodeſt balneum. Itaque

que etſi nullus oculorum dolor ſit, qui aliquo ex iſtis modis non tractari queat, tamen hæc omnia ad nullum adhiberi poſſunt. Inter omnia autem potu vini omnium cautiſſimè & circumſpectiſſimè utendum eſt.

Jam operoſiora aliquot, ſed elegantia & præſtantia proponam medicamenta. Aqua ophthalmica.

♃. Succ. eufragiæ chelidon ana ſelibr. lactis caprini libram. Miſce, addendo zingib. macis craſſiuſculè contuſ. an. unciam, aloes ſemunc. vitrioli alb. ℥. III. Macerentur per quatuor aut quinque dies: dein diſtill. per baln. vaporoſum. Aquæ diſtillatæ adde Tutiæ fruſtula non pulveriſata, quæ prius in cochleari ferreo novo ignita, & novies exſtincta fuerint, & tandem cum prædicta aqua continuò reſidere ſinantur. Hujus guttula una oculo inflammato admovetur. Nec reſpiciendum ad calida illa ingredientia: nam etſi initio dolor ingraveſcat, ferveatque per tempus aliquod, miros tamen poſtea prodit effectus, humores oculis adhærentes, pungentes, & ſalſas lacrymas moventes diſſolvendo.

Alia. ♃. Urinæ pueri lib. II. vitrioli tutiæ an. ℥. III. Macerentur per dies aliquot: dein per cineres ad ſiccitatem diſtill. Hujus guttulæ aliquot inflammato oculo infunduntur.

Alia ♃. Vini malvat. libram, aquæ ſtillatitiæ album, ovorum coctione induratorum libram, aquæ ſanguinis humani unciam, aq. roſar. alb. & rubr. an. ℥. III. aquæ chelidon. tutæ, eufrag. fœniculi, valerian. fumariæ, pulegii an. ℥. II. mellis virgin. ſeſquicochl. alum. rochæ ſacch. cand. vitriol. alb. ana ſemunc. caphuræ drachmas. III. ſalis eufraſ. fœnicul. Saturni ana drachmam. ſalis margaritarum, corall. an. ſcrupul. II. caryophyllor. zingib. maſtich. an. drachmam, tutiæ præpar. (id eſt, in aq. roſar. & vino Cretico ſexies exſtinctæ ac tenuiſſimè tritæ) ſeſquiunc. aloes ſemunc. Terenda terantur ac miſceantur: ſtent in vitro clauſo, aut caloris digeſtione per menſem; vel, quod melius, ſub dio Soli & rori exponantur per 40. dies, quotidie movendo aliquoties: ſic demùm inſolata promenda uſui. Nota aloen in mortario cum aquis dictis miſcendam eſſe, poſtea reliquis addendam. Uſus hic eſt. Iaceat in lecto æger ſupinus, & cum pluma gallinæ nigræ gutta aquæ in apertos oculos injiciatur, claudat reſeretque oculos infirmus, idque bis terve in die fiat. Si nebulæ fuerint ſupra vel infra corneam, conficito pulverem è ſaccharo cando, alumine combuſto, & ſepiæ oſſe calcinato, ſed tenuiſſimè tritum, ut tactum effugiat. Cùm cubitum pergit æger, ex canaliculo pennæ parum de hoc pulvere inſuffletur, moxque aquæ præſcriptæ gutta inſtilletur: oculos dein claudat ac dormiat.

Alia ♃. Fœniculi, rutæ, eufraſ. verben. tormentill. betonic. roſar. roſt. porcin. gallitrich. hippiæ, pimpinell. chelidon. fol. pæon. fol. vitis, apii, agrimon. caprifol. an. manipulum. Primâ die trita ponantur in vino albo; ſecunda die in urina puellæ virginis; tertiâ in lacte mulieris; quartâ in melle optimo: dein ponantur in diſtillatorio, & quod inde emanat ſervetur ad lavandos oculos. Mira eſt illa ipſa aqua in viſus debilitate.

Trochiſci oculares. ♃. Ceruſſæ lotæ unciam, cornu cervi ſine igne calcinat. ſarcocoll. nutrit. tutiæ præp. an. ſemunc. gum. Arabic. tragacanth. alb. amyli an. drachm. II. matris perlar. præp. nil. alb. oliban. an. drachm. opii ſpagyricè præp. caphuræ an. ſemidrach. Miſc. & cum album. ovi F. trochiſci cum collyriis variis cum aquis appropriatis parandis. Valent ad ophthalmias ſubacres, fluxum tenuem, puſtulas, rupturas, ſcabritiem, pruriginem, dolores, vulnera.

Vnguentum ♃. Butyri maialis non ſaliti & aqua eufraſiæ loti ℥. IV. ſanguin. dracon. veri ſubtil. pulver. ſemunc. ſacch. cand. alb. tutiæ præp. an. drachm. II. margarit. præp. ſarcocoll. an. ſemidrach. caphur. ſemiſcrup. opii. ſpagyricè præp. gr. IV. F. ung. Si hujus unguenti tantillū, præmiſſis priùs univerſalibus, ad angulos & palpebrarum oras adhibeatur, omnes humorum fluxiones, calorem temperando, dolorem ſedando, ruborem auferendo, acrimoniam mitigando, lacrymas ſiſtendo & exſiccando, arcet, oculoſque mirè roborat.

Nubecula ab inflammatione relicta ſic methodicè curabitur. Primò purgetur.

♃. Maſſ. pil. aurear. luc. major. an. ſemidrachm. trochiſ. alhand. gr. VI. cum ſyr. de beton. F. pil. VII. Dein ſecetur vena, & cucurbitulæ ſcapulis applicentur. Tum ſequens collyrium anodynum oculis inſtilletur, & pulvilli eodem collyrio imbuti applicentur.

♃. Mucilagin. ſem. cyton. & fœnu Græc. extract. in aq. roſar. & plantag. ℥. II. lact. mulieb. ℥. III. tutiæ præp. ſemidrach. croci marcerati in aq. roſar. & expreſſ. ſemiſcrup. miſce. F. collyr. liquidum. Hoc ſingulis aut alternis diebus denuò conficiendum, & ſæpè in die adhibendum. Poſtea apozema præparans propinandum: quo abſumto potio purgans danda. Poſt hæc ſetaceum cervici admovendum Tandem ad minuendam nubeculam ſequens collyrium applicandum.

♃. Mucilag. ſem. cytonior. extract. cum aq. roſac. unciam aq. fœniculi eufraſiæ an. ℥. II. mell. roſat. ſemunc. tutiæ præp. cornu cervi uſti an. ſemidrachm. caphur. gr. IV. Miſc. Eo utendum per menſem; & ſingulis menſibus reſumendæ præſcriptæ pilulæ: ſinguloque mane imponendæ oculo extracti chelidon. gutta una vel duæ.

De vulnere oculi.

Natura affectus, cauſæ & ſigna nota ſunt. Duo autem habeo remedia præclariſſima horum vulnerum. Unum eſt aqua de cancris & chelidonia herba, quæ fit hocce modo: R. Cancros fluviatil. vivos menſe Junio, Sole & Lunâ in cancro exiſtentibus, num. XXXI. & pro pondere horum adde tantum herbæ chelidon. totius. Contunde hæc ſimul mixta: iiſdemque porrò adde ſem. fœnicul. contuſ. unc. fabar. marinar. præpar. caphur. ana ſemunc. caryophyllor. aloes epat. tutiæ præp. an. drachm. II. Miſce, & divide in tres partes equales. Primam partem, in B. M. diſtilla: deinde partem alteram immitte cucurbitæ, & diſtilatam à parte prima aquam affunde, rurſumque abſtrahe, ut priùs: tum tertiam quoque partem infer, & aquas antea diſtillatas omnes iterum ſuperinfunde, adeoque tertiâ vice diſtilla. Qui vult, ex fœcibus calcinatis ſalem poteſt extrahere, & majoris effica-

ciæ ergo admiſcere. Eſt mirum & ſtupendum ophthalmicum, occulos ad deſperationem læſos reſtituens, & omnia vulnera 24. horar. ſpatio conglutinans. Guttæ aliquot oculis inſtillantur, vel illinuntur plumâ gallinæ nigræ ter quaterve quotidie.

Sed omnem admirationem ſuperat in vulneribus oculi curandis liquor, qui in veſicis ulmi invenitur menſe Maio. Ejus guttæ aliquot oculo vulnerato affuſæ, & cum linteo applicatæ medio die oculum ſanitati reſtituunt.

De ulcere oculi.

Ulcus oculi eſt ſoluta unitas cum magnitudine imminuta oculi procedens à cauſa mordaci.

Ejus variæ ſunt differentiæ, pro varia habitudine & figura: quibus ſingulis Græci propria nomina indiderunt, nimis penè curioſe; quia neque ipſi forſan inſtitutores ea retinere poſſint, niſi perpetuò recolant: Botryn, Celoma, Argemon, Epicauma, Encauma.

Pars affecta eſt tunica adnata, & cornea, & angulus oculi.

Cauſæ. Cauſa ulceris oculi eſt quidquid mordax eſt & erodens: quale inter cauſas externas eſt calx viva in oculos injecta, vel aliud erodens medicamentum. Inter autem internas humor quilibet acris. Frequens verò horum ulcerum cauſa eſt lachryma multa & calida effluens: item ophthalmia prægreſſa; maxime ſi per medicamenta nimium repellentia & adſtringentia humor mordicans fuerit coërcitus, & prohibitus diſcuti. Quòd idem locum habet in variolis oculos obſidentibus: itaque quando illæ oculos occupant, fugienda ſunt adſtrictoria & emplaſtica.

Signa. A viſu cognoſcitur ulcus oculi. Sed autem aliter apparet ulcus corneæ, & aliter tunicæ adnatæ ulcus. In cornea habet ſe ad inſtar puncti vel maculæ albicantis; in adnata rubicat. Ratio eſt, quia ſanies alba eſt, ideoque reddit ulcus in cornea album. Præterea dum vi ulceris cornea privatur pelluciditate, album præ ſe fert colorem: nam pellucidum coloris expers dum terminatur, album conſpicitur.

At dices: Cur ſimiliter in adnata ulcus non apparet album ratione ſaniei albæ? Reſp. Eſt hæc tunica multis venulis referta, ex quibus in ulcere aliquid ſanguinis effluit, & tingit ſaniem albam rubro colore; quod non accidit in cornea.

Hinc elicitur, Alexandrum Aphrodiſæum ſect. 4. probl. 117. falſum præſupponere, dum quærit: cur ulcera in oculi pupilla appareant alba; extra autem pupillam in nigro oculi, id eſt in cornea adhuc conſiſtentia non item. Nam utrobique apparent alba.

Porrò quæ è regione pupillæ ſtant ulcera, viſionem lædunt: videntur enim ægri iis laborantes per fumum aut nubem videre, id eſt obſcurè. Ratio eſt, quia ſanies ulceris opaca eſt, impeditque directum ſpecierum ingreſſum in oculum, ſed oblique intrare debent; quod efficit viſionem obſcuram. Hoc idem ſequitur, etſi ulcera ad ſanitatem perducta ſint, à cicatrice relicta, quæ opaca eſt.

Ulcera in oculo futura præſagiunt phlyctænæ ſeu puſtulæ ac veſiculæ in oculo apparentes: illis enim non rectè curatis, ſed diſruptis, ſuccedunt ulcuſcula. Similiter ex diuturna gravi ophthalmia ulcera prædicere licet.

Ulcus adnatæ etſi difficulter ſanabile, non adeò eſt periculoſum, niſi valde magnum ſit: corneæ autem eſt, quia periculum eſt effluxus humoris aquei ex oculo, ac proinde cæcitatis. Et quamquam Galenus lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 2. ob ſolutam corneæ unitatem egreſſum aqueum in puero iterum regeneratum fuiſſe narret; id tantùm dicit de vulnere corneæ, non de ulcere: ob quod ſi elabatur humor aqueus, eſt irrecuperabilis viſus ob deperditam corneæ portionem ex ulcere. Et ſanè in adultis ex interna cauſa procedens corneæ ulcus penè inſanabile habetur.

Curatio. Pro curatione illud in primis conſiderare oportet, num ſolùm ſit ulcus & expers alius omnis affectionis, quæ vim indicandi habeat inſignem. Solet autem ſæpiùs ulcera comitari aut dolor ingens, aut inflammatio, aut utrumque. Quæ ſi adſint, his primùm incumbendum erit, ut tollantur. Quod faciendum venæ ſectione, purgatione, aliiſque revulſionibus & interceptionibus; tum etiam medicamentis topicis ſuprà comprehenſis.

His ita peractis, ad ulceris deterſionem & exſiccationem eſt veniendum. Cui negotio inter ſimplicia valde eſt accommoda pompholyx trita & exquiſitè lota: qua ſola ſæpè oculorum ulcera feliciter ſunt percurata. Utendum autem eâ in hunc modum: accipe pannum lineum rarum & mollem, in quo drachmam vel circiter pompholygos, ſeu, ut recentiores vocant, tutiæ lotæ & benè purgatæ liga; atque ita demerge in aq. roſac. vel eufraſiæ, vel in lac, prout magis expedire videbitur. Deinde ex raro & tenui panniculo expreſſam aquam in oculum inſtilla. Eodem modo & lapide corallio optimè in cote trito ac loto interdum ulcera ſanantur. Imò & aloen hac eadem ratione oculos injectam curaſſe ulcera oculorum compertum eſt; quæ tamen ſi ſucco roſarum elota eſt, utilior evadit.

Si cum ſorditie ſit ulcus, illa primùm detergenda. Ad quod præſtandum remedium vulgare eſt, ſed bonum, ſaccarum candum puriſſimum permiſtum cum julepo vel ſyrupo roſaceo: cujus una vel altera gutta in oculum datur: moderatè abſterget ac ſine mordacitate. Idem facit mulſa diluta cum fœni Græci decocto mucaginoſo.

Ad cicatricem ulceribus obducendam, ſi præſcriptis medicamentis obduci non potuit.

℞. Plumbi uſti loti, tutiæ lotæ, æris uſti, gummi tragacanth. ana ſemidrachm. opii. gr. iii cum aqua pluvia F. collyr. Ejus capies ſemidrachmam, & cum ovi albumine inſtillabis in oculum.

Vel ℞. Antimonii, plumbi uſti ana drachmam, Aloës, ſarcocollæ an. ſemidrachmam, cum lacte, F. collyr. Uſus tempore diluitur cum lacte, vel alio liquore conveniente.

Ad ulcus cancroſum, id eſt, nigrum & dyſepuloticum mirificè facit lac aſininum oculis immiſſum.

De ungue oculi & panniculo.

Unguis ſeu Pterygium, ut Græci nominant, id eſt parva ala, eſt nervoſa & duriuſcula membranula plerumque ex angulo ſeſe obtendens, & ſæpe pupillam contegens. Hæc membranula plerumque eſt albicans, non tamen ſemper, ſed aliquando rubicunda, interdum citrina, nonnunquam ſubnigra. Oritur frequentiſſimè ab angulo juxta naſum qui major vocatur; rariùs à minore, rariſſimè ab alterutra palpebra. Neque ſemper arctè adhæret tunicæ adnatæ, ſed aliquando ei tantùm ſuperte nditur adeò laxè, ut inter ipſam & adnatam ſpecillum inferre liceat: quod Caſſius Medicus adnotavit, atque etiam Paræus.

Ad hunc affectum redigitur Sebel, id eſt, panniculus Arabibus nuncupatus, qui eſt excreſcentia quædam ſuper adnatam non ita dura nec membranoſa, ut unguis, ſed mollior, & veluti quædam venularum textura ſanguine turgentium.

Cauſa. Cauſa unguis eſt humor lentus è capite deſtillans; qui ſupra adnatam conſiſtens ob viſcoſitatem facilè concreſcit in tunicam. Proficiſcitur autem id excrementum non tam ex cerebro, quàm ex parte externa, cumulatum ſupra cranium, unde adnata oculi tunica ducit originem. Et quia per majorem angulum major excrementorum copia ſolet tranſmitti, ideo in eo frequentiùs oritur: ex altero minore vix poteſt ſufficiens materia ſuppeditari; multoque minùs ex ſuperiore inferioreque palpebra. Sæpiſſimè autem unguis ſequitur alios oculorum affectus, ut ophthalmias diuturnas, ſcabras, & melancholicas, epiphoras, puſtulas, ac ſimiles.

Sebel ſeu panniculus Arabum oritur à ſanguine venulis adnatæ impacto, eaſdemque turgefaciente.

Signa. Ut quiſpiam oculatus affectum hunc cognoſcat, ſignis non eget, quia viſu percipitur.

Prognoſtica eventum curationis ſpectantia optimè nobis propoſuit Aëtius: Facilia, inquit, curatu ſunt pterygia albicantia & anguſtum fundum habentia, his verò contraria ægrè curantur. Nam ſubrubra poſt curationem chirurgicam, cariem ac dolores dimidiæ capitis parti inducunt; attamen poſt ſymptomatum ſublationem oculus liberatur. At pterygia in quibus etiam principia ſunt ſuffuſionis, curare non oportet; his enim ſublatis citiùs ſuffuſio conflatur. Sed neque craſſa pterygia curanda ſunt, & everſa & eminentia, atque indurata, & quæ tempora per conſenſum afficiunt; ſunt quippe maligna & cancroſa. Quæ verò uſque ad pupillam pertingunt, & propterea viſum impediunt, ſi tollantur, liberant quidem oculum à fluxionibus, cicatrix tamen, quæ ex chirurgia juxta pupillam ſuccedit, nihilominus viſum impedit. Cæterùm ex pterygiis ea manu curare oportet, quæ aucta ad nigrum ſe extendunt: quæ verò parva, & in albo ſunt, ea conandum ut pharmaciâ comprimamus. Hæc eſt doctrina Aëtii, quam omnes amplectuntur, uti & nos quoque. Hæcque ipſa ferè ad ſebel Arabum accommodari poſſunt. De quo hoc itidem notant auctores, quòd ſit contagioſus, id eſt, ab adſpiciente contrahatur, quemadmodum ophthalmia, id quod non competit ungui ſeu pterygio.

Curatio. Curatio ipſius affectus per topica incipienda non eſt, niſi univerſalia præmiſſa ſint. Itaque & purgationes frequentes, & venæ ſectio præmittenda, veſicatoria occipiti ac poſt aures admovenda, caput evacuandum &c. Niſi enim hæc fiant, quia pharmaca ad pterygium omnia acria ſunt, magni dolores & inflammationes inveherentur. Iis ergò ritè factis, ad localia procedimus; quæ cùm mordacia, uti dixi, eſſe oporteat, ideo ipſis mitigatoria commiſcemus: vel ſi impermiſtis utimur, mox ab hiſce mitigatoria adhibemus. Opus autem eſt imprimis unguem quadamtenus emollire, ut melius cedat pharmacis erodentibus: qui enim id negligunt, plerumque non attingunt ſcopum. Emollitio hæc fit vapore decoctionis malvæ, fol. althææ, ſem. fœni Græci, atque ipſo decocto ſemper ante acrium adminiſtrationem oculos fovere convenit.

Iam quod ad iſta acria medicamenta attinet, non quælibet ſumenda, ſed quæ longo uſu à patribus noſtris tutò fuerunt adhibita: eorum quædam mitiora ſunt, quædam valentiora, & ab illis incipiendum. Quod ſequitur tutiſſimum eſt, & ratione atque experientia confirmatum.

℞. Chalcanth. Romani drachmam, viridis æris ſemidrach. in tenuiſſimum pulverem redigantur: tum ſume unum ovum; coque ad duritiem, emundatum à cortice ſcindito per medium, extrahitoque vitellum, cujus loco pone pulveres jam dictos: deinde ligato divisum ovum, ac triduo macerato in aquæ mellis ſtillatitiæ ℥. II. & ſemis, vini alb. maturi ſeſquiuncia; ovum poſtea in liquore exprimito. Liquorem expreſſum quater ſingulis diebus inſtillato ad guttas V. aut VI. in omnes pterygii partes: nam oportet omnes tangere. Atque iſto pharmaco quemdam ſcio à pterygio fuiſſe ſanatum.

Valentius eſt, quod ſequitur, ab oculatis Medicis ſummopere commendatum.

℞. Æris uſti, chalcanthi viridis æris uſti, ſalis ammoniaci ana ſemidrach. Pulveriſentur omnia per ſe, ac poſtea miſce. Sinuntur per hebdomadem ſic permiſta, tum uſurpantur hoc modo: adſpergendum de hoc pulvere ſupra unguem oculi parum pro vice, & ſemel ſolum eo die, quo uſurpatur; uſurpatur autem alternis diebus: totus mox oculus duabus tranſactis horis lacte muliebri fovendus. Alter utendi modus eſt, ut ſumatur pulveris iſtius drachma, liqueturque in aqua mellis ſtillatitia; ex qua guttas VI. aut VII. pro vice angulo immitte, vaſculum benè agitando; & poteſt hoc ſingulis diebus ſemel adhiberi. Si dolor ingruat, hic mitigabitur, uti antè, fotu lactis, vel aquâ roſacea, cui incoxit malua. Ut verò ritè pulvis oculo imponatur, cape ſtilum, in cujus extremo parum bombacis hæreat, quem ſalivâ modicè imbue, tum pulveri intinge, atque ita eundem oculo affecto admove, elevatâ palpebrâ. Poteſt eodem ſtilo & bombace uti ad aquas etiam inſtillandas, bombacem non imbuendo ſalivâ.

Aqua in pterygio, maculis & oculorum offuſcatione mirabilis.

℞. Hepatis hircini ſani & recentis libras II. calam. aromat. mellis an. ſemunc. ſucci rutæ ℥IV. aq. fœnicul. chelipon. verben. eufraſ. an. ℥IV. piper. long. unc. moſch. caryophyll. an. drachm. II. croci ſcrup. flor. roriſmarin. aliquantum tritor. ſeſquimanip. ſarcoll. aloes hepat. an. drachm. III. fellis piſcis rajæ, leporis, perdicis an. unciam. Terantur omnia, tritiſque adde ſacch. alb. ℥II. mel. roſat. drachm. VI. Projiciantur in alembicum vitreum, & diſtill. in B. M. liquor frequenter oculis inſtilletur,

Ad ungues mirifica etiam eſt hæc aqua.

℞. Aqua roſac. eufraſ. fœnicul. an. ℥II. Mercurii ſublimati & tenuiſſ. pulv. ſemiſcrup. Miſce, & de ea ſingulis diebus mane guttas duas in oculum immitte.

Præſtans quoque eſt hoc collyrium Joannis de Vigo.

℞. Aq. plantag. roſac. an. ℥II. vini albi ſeſquiunc. Bulliant ſimul leviter unicâ ebullitione; mox adde floris æris optimé triti drachm. tutiæ ſeſquidrachm. ſacch. cand. drahm. II. myrobal. citrin. ſcrup. Trita omnia miſce, & ſinantur per duos dies: deinde liquor coletur, & clarificetur, atque eo tangatur pterygium.

Quidam empeiricus non alio utebatur, quàm hoc.

℞. ſalis gemmæ drachm. aq. roſac. fœniculi an. unciam. Miſce.

Domina de Hoochſtraten olim multis hac aquâ viſum exacuit, & ungues ab oculo removit.

℞. Exta lupi piſcis, & unà cum felle, jecore ac reliquis viſceribus in minutas partes concide; adjecto manipulo fol. fœniculi, vel ſecide; adjecto manipulo fol. fœniculi, vel ſeminis ejuſdem contuſi: tum in alembico diſtilla, atque uſui reſerva.

Iulius Palmarius in artis operibus valde exercitus & felix unguem pulvere bufonis intra paucos dies radicitus exſtirpabat. Bufonem vivum vaſe terreo probè obturato concluſum urebat in furno: uſtum in tenuiſſimum pulverem redigebat, quem per calamum in oculum flatu oris immitti horâ ſomni jubebat; & mox collyrium ex ovi albo agitato cum aq. roſac. toti oculo imponi, ad prohibendam inflammationem. Alii loco bufonis ranam paluſtrem ſumunt.

Si his medicamentis malum non cedat, ad operationem manualem proceditur, quam exercere noſtri non eſt inſtituti, ſed operariis propriis relinquitur. Deſcribit autem operationem Aëtius ſatis accuraté, ſed diſertiſſimè omnium Célſus lib. 7. cap. 7.

In tenellula ætate remedia præſcripta uſurpari non poſſunt, ob acredinem ſuam: jubetur hîc ergò mater vel nutrix jejuna lambere linguâ ſuâ oculum affectum; ſic enim ſæpè & unguis & aliæ oculorum maculæ deterſæ ſunt. Efficaciùs lambent, ſi fœniculi ſemen antè manderint.

De Epiphora.

Epiphora eſt immoderata tenuis humoris fluxio ad modum lacrimarum in oculos præter naturam facta.

Is humor, qui fluit, modò frigidus & aqueus eſt, nullum dolorem, nullum ardorem, ruboremve inferens: modò acer eſt aut ſalſus, ideoque & dolorem & ardorem, & ruborem imò nonnumquam palpebrarum exulcerationem inducens.

Arculanus hunc affectum refert ad morbum in via, quòd viſum impediat, prohibendo debitam delationem ſpecierum viſibilium per corneam. Sed rectiùs dicitur eſſe ſymtoma in excretis: eſt enim fluxio, quod & nomen ipſum indicat Epiphora, id eſt, incurſio, illatio: unde & Medici rheumatiſmum uteri ac ventris appellant epiphoram eorumdem: ſine tamen adjuncto apud omnes ſignificat immoderatam & præternaturalem illacrymationem.

Lacryma concreta ſeu cocta oculi colore Gramia dicitur Latinis; Lema Græcis. In Feſti Pompeii monumentis invenias, Gramias oculorum eſſe vitia, alii Glamas vocant. Hinc Glamon, qui lemâ vitiatos oculos habet, & Glamyros apud Sophoclem: Gramioſi item apud Nonium oculi.

Cauſæ. Hujus affectus cauſæ poſſunt eſſe quadruplices: ſcilicet, vitium partis ſuſcipientis, oculi nempe: vitium partis mandantis, puta capitis & cerebri: præſentia materiæ: viarum latitudo.

Vitium oculi in tribus iterum conſiſtit, vel quòd caruncula lacrymalis nimium laxa ſit; vel quod deſit, propter imperitiam chirurgi unguem auferentis malè, aut eam diminuentis; vel quòd ipſe oculus aliquâ intemperie exſuperante afficiatur.

In parte mandante poſtrema hæc cauſa etiam locum habet: ratione enim intemperiei cerebrum vel non retinet debitè & concoquit ſua excrementa, vel non convenienter expellit.

Præſentia deinde materiæ eſt cauſa epiphoræ vel ratione copiæ, vel ratione acrimoniæ expultricem capitis & oculorum ſtimulantis.

Latitudo denique viarum juvat ad hunc fluxum, ſicuti ad cæteros.

Porrò viæ, per quas hæc materia lacrymarum ad oculos ruit, poſſunt dici duæ, imò tres. Nam & per venas externas frontales ac temporales hæc quandoque fluit materia: quandoque per venas internas oculo inſertas & per foramina cavo oculi antro inſculpta: tertio denique per foramina oſſium naſi ad oculos terminata derivatur; ſicuti & cõtra collyria immiſſa oculis defferuntur per eadem foramina narium in os, unde interdum ſentitur in ore ſapor collyrii in oculum injecti. Id quod confirmatur quoque per hoc, quòd, multis mucis defluentibus per nares, oculi plerumque collacrymentur.

Itaque minimè adſentiendum Fernelio, qui lacrymarum fluxus originem è ſincipite & ſummo vertice tantùm duci vult, in quo humorem exra calvam & ſubter cutem congeri cenſet, qui per pericranium in adhærentem membranam deſtillet, ac demùm foras per oculos excidat. Hoc ipſum de arthritide, deque alia quavis deſtillatione ſtatuit. Sed propter illud cacodoxum paſſim malè audit apud Medicos: & meritò. Quare enim partes internæ non habeant vim illam expultricem, quâ humores in externa membra mandent, abſque ut ad capitis cutem ii mittantur. Sed de hac Fernelii ſententia uberiùs, cùm de arthritide agemus.

Si-

Signa. Symptoma ſenſu deprehenditur. Sed ab ægrotante audire oportet & cauſas, quæ anteceſſerunt, & qualitatem materiæ, quæ ex oculis ejus deſtillat, ex quibus cauſæ internæ conjiciuntur.

Utile eſt cognoſcere, an materia antecedens extra calvam, an intra hæreat, quod ita ſcitur: qui hæret extra calvam humor, tactu percipi poteſt, cutis eſt œdematoſa; capilli pectine in ſitum contrarium tracti dolent. Ubi defluxus à parte interna eſt, ea abſunt; caput intus grave & ſomnolentum eſt. Si hæc indicia mixta adſunt, tum ex utraque parte humor venit.

Lacrymarum profluvium non protendit mortem, niſi ob ſummam omnium facultatum imbecillitatem ex cadaveroſæ faciei oculis lacrymæ præter voluntatem effundantur. At de illo profluvio hic non agitur. Facilius verò vel difficilius, vel etiam nullo prorſus pacto affectus hic ſanatur pro differentia cauſæ, à qua proximè proficiſcitur. Siquidem is, qui externas occaſiones ſequitur, illis ipſis ſublatis promptè amovetur: at qui ob carunculæ exciſæ vel corruptæ defectum, oritur inſanabilis eſt. Non eſt autem impoſſibile eum ſanare, qui vel retentricis, vel coctricis cerebri aut oculorum imbecillitatem, aut etiam materiæ copiam, & canalium laxitatem conſequitur.

Abuali ſcribit, & repetunt plerique ſcriptores lacrymarum fluxionem connatam non ſuſcipere curationem. Obſervarunt tamen viri exercitati frequenter infantes puerorſque ab incunabulis oculos molles & lacrymantes habentes in adulta ætate fuiſſe perſanatos à moleſta ea affectione. Neque enim diſſuadet ratio; nam beneficio ætatis ſuperfluæ deſiccatæ fuerunt humiditates, præſertim ſi bona acceſſerit victus ratio. Ut ergò Abuali defendatur, dicendum eſt, illam nativam fluxionem ab ipſo intelligi, quæ jam adultam uſque ætatem perſeveravit; talem in hac ætate fruſtrà molieris percurare.

Curatio. Quod ad totius corporis capitiſque evacuationem attinet, eadem hic curatio locum habet atque in catarrho: nam hic affectus nihil eſt aliud, quàm catarrhus ad oculos.

Ad revellendam materiam affluentem nullum hic potentius remedium, quam colli ſetaceum. Vult autem Fabricius Hildanus cent. 1. ſuar. Obſer. id figendum eſſe inter ſecundam & tertiam, vel etiam inter tertiam & quartam colli vertebram. Ego Aquapendentis & Italorum morem potius ſequendum duco,, figentium inter ſecundam & primam vertebram: quod enim demiſſius poſitum eſt, cum dolore geſtatur ob continuum appulſum attactumque collaris & thoracis. Cur verò Duretus comm. in Holler. cap. de opthal. transfigi cervicis cutim in longum potius quàm in tranſverſum jubeat, equidem ignoro. Itaque à conſueto modo non cenſeo recedendum.

Circa topicorum admotionem quædam hic ſingularia notanda. Et in primis, etſi, quando oculi fluxionibus tentantur, cenſuerit Galenus comm. in aphor. 31. ſect. 6. & quoque lib. 13. meth. cap. ult. adſtringentia non eſſe uſurpanda; in epiphora tamen aliter faciendum docet maxime in initio: cùm enim affluxus humorum ſit ad partes oculi externas, roborandæ hæ ſunt moderatè adſtringentibus ac deſiccantibus, ne materiam affluentem recipiant. Quæ tamen medicamenta omnino omittuntur, ſi humor ad interiores quoque oculi tunicas prolabatur: durior enim iis remediis reddita exterior tunica atque humor factus craſſior, pertinaciorem efficerent affectum, & ſæpè viſum læderent. Quo caſu fronti potius adſtringentia illa applicentur. Maſtigatoriis & apophlegmatiſmis hic utendum eſt potiùs, quam errhinis: quæ tamen ipſa progrediente morbo & frigida affluente materia, modò valida non ſint, in uſum vocari poſſunt, ut fiat averſio materiæ ab oculorum angulis ad naſum. A ſternutatoriis cujuſcunque generis abſtinendum: impetuoſe enim mota materia meatus magis aperit, & eadem à naſo ad oculi angulos facilè excutitur.

Adfero nunc aliqua, quæ præmiſſis, ut decet, univerſalibus obſervata ſunt profuiſſe.

In epiphora calida acri probatur pannus lineus tenuis madefactus albo ovi vel aqua roſaceâ. Si morſus & impetus urgeat, decoque melilotum & capita papaveris in aqua roſacea atque etiam malvam, cæteraque, quæ in opthalmia ſunt propoſita.

Platerus hoc commendat.

℞. Cortic. granat. ſemunciam, coq. in aq. fœnic. eufraſ. an. q. ſ. in colatura diſſolve lap. hæmatit. probe triti drachm. ii. myrrhæ ſarcocoll. nutrit. præpar. ſcrup. ii. vitriol. alb. caphuræ an. ſemiſcrup. mucilaginem fœni Græci ſem. pſyllii extract. cum aq. fœniculi an. ſemunc. miſce F. collyrium.

Gulielmus Varignana dicit ſe expertum hanc aquam, ac mirabilem ejus effectum inveniſſe, ut pote quæ paucis immiſſionibus more collyrii lacrimas ſtrinxit, rubores abſtulit, pruritum ſedavit. Cape herbam, quæ dicitur Pes columbinus, eſtque geranium alterum Bauhini: contundatur ejus ſemimanipulus; adjiciatur ipſi tutiæ pulveriſ. ſemunc. ſalis comm. albi triti drachm. ii. vini boni clari media phiala: conquaſſentur ſimul, ac uſui ſerventur

Hæc quoque aqua multis profuit.

℞. Tutiæ præpar. ſarcocoll. an. ſcrup. vitriol. roman. ſumach. an. ſemiſcrupul. ligentur in nodulo, qui aquæ infraſcriptæ imponatur.

℞. Aq. eufraſ. roſar. fœniculi an. unciam; calefiant ſupra ignem, & ex nodulo expreſſo aqua inſtilletur in canthum majorem, ac palpebræ pruriginoſæ eadem aquâ abluantur.

Hoc quoque ſingulare experimentum eſt ad epiphoram & pruritum.

℞. Aeruginis æris gr. xii. caphuræ drachm. tutiæ præp. ſemunc. butyri recentis non ſaliti drachm. vi. Miſce, F. unguent. indatur piſi magnitudine in oculi canthum majorem, leviterque ungantur palpebræ.

Sed hoc, quod ſequitur, omnia alia vincit:

℞. Vitrioli albi ter uſti, & ter exſtincti aq. roſac. ſemidrachm. gummi Arabic. tragacanth. uſtorum & exſtinctor, an. drachm. tutiæ præpar. ſcrupul. ceruſſæ ſcrupul. ii. mucilag. ſem. cyton. extract. cum aq. roſar. q. ſ. Fiat lini-

ment. quo linietur oculus circa utrumque angulum, & ambæ palpebræ etiam: deinde clauditur oculus, & applicatur molle linteolum tum abluitur aliquando hoc decocto.

℞. Gallar. cortic. thuris, maſtiches, nucum cupreſſi, boli.armen. an. drachm. II. bull. in aq. fluviali. Vitriolum in præſcrito collyrio minuitur in delicatis, pueris, mulieribus, occulos ſplendidos exquiſitioris ſenſus habentibus: augetur in viris, ruſticis, nautis militibus, durioribus, ſolidis, ac dolores melius ferentibus. Opii granum cum croci momento additur in majoribus doloribus.

Iſthoc ſimplex aliquibus auxilio fuit: capè bombacem; inſperge & immiſce pulverem tabaci, atque auribus inde.

De Ægilope & Anchilope.

Ægilops eſt inflammatio inter majorem oculi angulum & nares.

Si Paulo Æginetæ credimus, inflammatio priuſquam in ulcus erumpat, Anchilops dicitur: poſt eruptionem, ſi in fiſtulam dehiſcat, vocatur Aegilops. Nihilominus ab aliis auctoribus & ante & poſt eruptionem Aegilops nuncupatur, imò & à Galeno ipſo, ut colligere licet ex lib. ejus 5. de comp. med. ſec. loc. cap. 2.

Quod ad vocis, Aegilops, vim attinet, oculum caprinum ſignificat quam nominationem ſortitus eſt hic affectus, quòd in eo pars tumeat & rubeat inter nares & majorem angulum, perinde uti in capris; vel quòd, ut alii dicunt, ea affectio capris frequens ſit, & ferè propria.

Aliqui Fiſtulam lacrymalem vocant, & Fiſtulam oculi, ut Celſus. Sed propriè ægilops non eſt fiſtula, neque ſemper neceſſe eſt, ut in fiſtulam tranſeat, veluti multorum experientiâ patet. Verumtamen adeò eſt difficilis curationis, ut ſæpè in fiſtulam mutetur.

Chriſtophorus à Vega & Petrus Bayrus ægilopa vocari dicunt inflammationem, antequam rumpatur. Mirum eſt eos non vidiſſe Paulum, qui planè contrarium docet. Vel forſan ſeducti ſunt auctoritate Galeni, qui lib. de remed. fac. par. ad Solon. c. 12. ſcribit id ipſum, ægilopa, hunc affectum vocari, antequam ſcindatur. At is liber Galeno adſcriptus tantùm habetur, non legitimus ejus partus.

Quidam ægilopa non inflammationem definiunt, ſed tuberculum, prout Galenus quoque definivit lib. 5. de comp. medicament. ſec. loc. Verùm dicendum tuberculum illud ſemper eſſe inflammationem ſaltem ſpuriam ex omnium conſenſu, præterquam Aëtii forſan; qui dicit quandoque fieri ex lento humore mellis aut pultis ſimili tumorem eo loco, quo oritur ægilops; ſed vocat anchilopem. Ita videmus inter primates Medicos Græcos etiam non convenire de ſignificatione vocum Aegilops & anchilops.

Cauſæ. Cauſa ægilopis eſt affluxus ſanguinis ad angulum oculi majorem. Breviter, eaſdem habet cauſas, ſimilemque generationis modum, atque aliæ inflammationes.

Cauſa fiſtulæ ſeu ſinus eſt, quòd ægilops non ſat citò aperiatur, aut quòd poſt apertionem pus non liberè effluat, ſed diutiùs cohibeatur; quo fit, ut in ſubjectas partes ſemper agens, eaſdem erodat atque exedat excavetque.

Porrò ex fiſtulis aliæ foràs apertæ ſunt, illæ maximè, quibus à vera phlegmone origo exſtitit: aliæ intrò, quæ ſcilicet à ſanguinis pituitoſo affluxu, aut ob congeſtionem ejuſdem primò intumuerunt; adeò ut foris nullum viſatur foramen, ſed tantùm tumor piſi magnitudine. Hic tumor compreſſus liquore manat ſeroſo & ſanioſo, ruſo, aliàs albo & viſcoſo, idque vel per oculi angulum, vel per interiores nares. Quibuſdam talis ſanies continenter profluit; aliis ſingulis tantùm horis exprimitur; aliquibus menſtruo tantùm circuitu.

Anchilopis Aëtianæ cauſa eſt humor melleus aut pultaceus. Eſt enim anchilops Aëtii nihil aliud, quàm meliceris vel atheroma circa angulum oculi majorem.

Signa. Affectus hic facile ex tumore in loco prædicto & rubore cognoſci poteſt. Cùm dolor ac tumor diutiùs perdurant, & dolor augetur, ſuppurationis futuræ indicium eſt. Quando ulteriùs ſuprema parte molleſcit, tum in pus vertitur. Pure genito dolor remittitur; & tumor mollis jam, neque ita tenſus aut rubicundus apparet.

Difficilis porrò curationis eſt tumor hic: quod evenit multis de cauſis; partim ratione particulæ affectæ; partim ratione oculi proximi; & denique quia non facilè remedia applicantur. Ratione quidem particulæ affectæ quia hæc adeò tenuis & exſanguis eſt, ut ægrè influentes humores poſſit digerere. Deinde vitioſi humores ante & poſt ſuppurationem proximè ferè ſubjecto oſſi inhærent, quod ipſum tenue quoque eſt, facileque proinde afficitur, ut neceſſario conſequatur fiſtula.

Abſumta in angulo caruncula lacryma lis fiſtulam mentitur, adeò ut multi decipiantur. Nam ex foramine, quod conſpiciunt, perpetim fluunt lacrymæ & pituita. Verùm non eſt fiſtula, quia locus iſte non eſt præter naturam foraminulentus, ſed per naturam: eique foramini incumbit dicta caruncula ad cohibendas iſtas humiditates.

Curatio. Anchilops Aëtiana nullis medicamentis cedit, ſed chirurgia tractari deſiderat. Perinde igitur ut in meliceride & atheromate, ſuperficies ſecanda eſt, ut folliculis continens materiam adimatur: tum deinde uti ſimplex vulnus curetur.

Ægilops ſeu inflammatio uti ophthalmia primò curari amat; nam & ſæpè ei ophtalmia conjuncta eſt. Adhibe ergò in primis generalia, venæ ſectionem, purgationem, cucurbitulas, & alias revulſiones ibi dictas. Tum repellentia applica, deinde digerentia. Quòd ſi inflammatio ad ſuppurationem tendat, ea juvari debet cataplaſmate ex farina tritici, lacte, ovi vitello & medico croco. Non eſt autem exſpectandum, donec diſruptio per ſe fiat ſed ante completam maturationem ſcalpello vel cauterio aperiendus locus eſt, ne ex longa mora internæ partes hæ teneræ corrumpantur. Quapropter ratione loci latum quoque foramen fieri debet, ut exitus puri detur. Aperto tuberculo imponatur peniculus melle roſaceo

ſaceo imbutus, vel Aegyptiaco unguento, ſi ſordet ulcus.

Eſt herba quædam veteribus dicta Aegilops, eſtque eadem atque avena; hujus farina cum plantagine aut parietaria aut portulaca in modum cataplaſmatis appoſita eſt ſpecificum ad ægilopem.

Aliud: quo non ſolùm incipientes, ſed & diſruptas ægilopas, etiam præſente malâ intemperie, brevi tempore curatas vidit Petrus Bayrus, foramine etiam ad os perveniente.

℞. Mell. puri, aloes hepat. an. unc. myrrhæ drachm. vi. croci ſcrup. aquæ lib. 1. coq. lento igne ad conſumt. mediet. In hac decoctura calente infundatur parva ſpongia nova, quæ expreſſa & in ſubtili lino benè mundo involuta ligetur deſuper, & videbis mirabilem effectum, uti dicit ſe ſæpiùs expertum eſſe prædictus Auctor.

Chalmeteus inſignis Chirurgus hoc velut præſtantiſſimum commendat.

℞. Aq. vitæ vel vini optim. mell. roſat. colat. an. ℥. myrrhæ drachm. ii. Miſce. F. linim. quo mane & veſperi locus liniatur.

Speciem quamdam contradictionis apud Galenum reperio circa ægilopis curationem. Nam lib. 5. de comp. med ſec. loc. cap. 2. contra Archigenem dicit ægilopa non manuariæ operæ, ſed medicamentis ſecundum genus ſubjici. Tamen Introd. cap. 18. ægilopas ad os uſque excidi ſcribit. & ferramentis candentibus aduri; quoſdam autem loco ferramentorum candentium terebrâ os forare uſque ad nares. Dicendum pro Galeno, ægilopas alios eſſe abſceſſus ſimplices, alios in fiſtulam abiiſſe cum oſſis vitio. Hi ferro ſolo curantur, illi pharmacis. Certè quæ in fiſtulam tranſiit ægilops, & per ſeſquiannum confirmata eſt cum oſſis vitio, numquam aliter removetur niſi per cauteria commodiſſimè applicata ab aliquo exercitato chirurgo; fruſtrà enim alia topica uſurpantur. Itaque ad uſtionem veniendum. Hanc autem docent inter veteres Paulus & Aëtius, inter recentiores Paræus & Aquapendens. Præferendum namque hic cum Medicorum probatioribus cauterium actuale potentiali vocato. Cæterùm cur illud ex auro potiùs fieri præcipiunt, quàm ex alia materia? Nam & commodè parari poſſe videtur; imò ex ferro fortaſſis commodiùs: etenim ineſt ferro confeſſa adſtringendi poteſtas, hoc in caſu non parum expetenda. Deinde aurum ſi fortiter igniatur, liqueſcit; ſin autem mediocriter, nihil facit. Ioannes tamen Montanus ſummus Medicus aurum vel æs eligit in Conſil. quia ex ferro fit major aduſtio & profundior cicatrix, quàm teneræ particulæ hîc objectæ ferant.

Sed quia plerique uſtionem horrent, docebo medicamentum, quo quiſpiam utens non quidem ex toto ſanabitur, ſed ita præſervabitur, ut ſanus adſtantibus videatur. Primò ergo ſanies in fiſtula contenta digito exprimatur tota; deinde in angulum tres vel quatuor guttæ infrà ſcripti medicaminis inſtillentur, infirmus poſt inſtillationem jaceat ſupinus duas aut tres horas: continuetur id per hebdomadem, exſiccabitur fiſtula, ut ſana videatur, & multis menſibus ſic manebit. Medicamentum eſt hoc.

℞. Aloës, thuris, ſarcocoll. ſang. dracon. balauſt antimon. alum. an. ſcrup. virid. æris gr. V. Terantur omnia & cribrentur, & cum aq. fœniculi F. collyr. ex quo, cùm neceſſum eſt, diſſolvatur aliquid in aq. rutæ; & uſurpetur, uti dictum eſt.

De Rhyade & Encanthide.

Rhyas eſt carunculæ anguli majoris imminutio vel abſumtio.

Encanthis eſt illius carunculæ immodica excreſcentia & eminentia. Eminet autem atque excreſcit hæc quandoque ad tantam magnitudinem, ut vel pugnum puerilem adæquet, ſicuti obſervavit Henr. Smetius; vel pilam, prouti Foreſtus vidit.

Cauſæ. Externæ cauſæ rhyadis ſæpè ſunt imprudentes Medici & chirurgi, qui pterygia, aſperitates, ficos & callos palpebrarum pharmacis acribus colliquare ſtudentes ſimul & carunculam colliquant: item qui in encanthidis curatione chirurgica plus æquo de caruncula reſcindunt. Cauſæ internæ ſunt humores acres & erodentes, qui ad eam partem confluunt: unde ſæpè epiphoram & ægilopem hic affectus ſequitur.

Cauſa encanthidis eſt ſanguinis affluentis copia, & reſtitutio ulcerati anguli oculi immodica. Notat Auctor Introd. cap. 15. nautis & piſcatoribus hoc vitium peculiare eſſe, quod & Aëtius dicit: additque in canibus quoque ſæpè contingere. Unde ſicuti à capris dicitur ægilops, ita hic affectus dici poſſit Cynops à canibus.

Signa. Uterque affectus ita facilè cognoſcitur, ut ſignis non egeat.

Encanthidis autem benignitas cognoſcitur, ſi dolore vacat, ſi tenera & laxa eſt caro: Malignitas, ſi dura eſt, inæqualis, & dolores punctorii adſunt.

In rhyade perpetuò lacrymæ effluunt, ob defectum carunculæ, quæ meatum à naſo ad oculos ducentem tegit, adeoque impedit, ne excrementa aſſiduò & affatim ab eo ad hos deriventur.

Quod ad prognoſin attinet: encanthis benigna curari poteſt; maligna non item, meliuſque eſt in hac non tentare curationem.

In rhyade, ſi planè abſumta eſt caruncula, etſi quidam præſcribant curationes, fruſtrà tamen operantur; quia caruncula illa pars eſt ſpermatica, ideoque regenerari nequit. Sin autem ex parte tantùm abſumta ſit, poteſt ſanari malum. Ubi multum tamen intereſt, an ab inciſione, an ab eroſione ſit imminuta. Faciliùs ab eroſione imminuta redintegratur, quia id, quod erodit, plerumque tantùm partem carnoſam erodit, quæ non difficulter regignitur: id autem, quod incidit, tam partem carnoſam quàm ſeminalem aufert; ſeminalis autem reſtitui non poteſt, ſed tantùm carnoſa. Eſſe autem hanc carunculam partem ſpermaticam, ſaltem pro parte, teſtis mihi eſt Galenus lib. 10. de off. part. cap. 11. ubi eam vocat carunculam nervoſam.

Curatio. Rhyas, quæ eſt carunculæ imminutio, curatur modicè adſtringentibus ex Galeno lib. 14. meth. med. cap. 16. toto tamen corpore antè ritè purgato. Moderatè adſtringens eſt vinum, cui roſæ incoxerunt, addito modico croco: quod ſerviet ad generandam carnem. Ut poſtea

ſtea caro genita cicatrice obducatur, utendum vino adſtringente, cum gallis, aloe, & exiguo alumine. Unde notetur differentia inter generantia carnem in ulceribus aliis, & generantia carnem hanc angularem. Nam in ulcere alio adhibentur ſiccantia & detergentia citra adſtrictionem, ne craſſum excrementum cohibeatur: at in aggeneratione hujus carunculæ, cùm nervoſa ſit, opus eſt magis ſiccantibus. Itaque & hoc convenit.

℞. Tutiæ præpar. aloës, thuris an. drachmam: infund. in ſucci granator. ℥iv. colaturam in angulum inſtilla. Et hæc ſæpiùs ac diu facienda, quibus equidem vix adhuc curatur hic affectus: quod ipſum quoque ſignum eſt, glandulam hanc non meram carnem eſſe, ſed partem ſpermaticam, uti dictum eſt.

Encanthis optimè inciſione curatur, quia acria & erodentia medicamenta fere fluxiones in oculos excitant. Cavendum autem, ne nimio plus reſcindatur. Facta inciſione albumen ovi conquaſſatum & aqua roſacea commiſtum oculo commodè adhibetur. Si grandiuſcula ſit encanthis, ita ut filo prehendi poſſit, convenit eam ligare & ſtringere, ſicuti verrucas ſolemus: ſic enim paulatim deſtituta alimento ſponte cadit. Si delicatulus aliquis, aut muliercula iſtas chirurgias refugiat, exedenda eſt ſuperflua caro alumine uſto, vel oleo vitrioli, ſed aquâ roſaceâ vel lacte correcto ſeu attemperato. Interim dum iſthæc uſurpantur, defenſivo aliquo oculus muniendus, ne fluxio incidat. Inter iſta carnem conſumentia unguentum Ægyptiacum quoque eſt. Mite eſt vinum vel aqua, in qua ebullierit alumen. Antequam hæc admoveantur, ſemper præmitti debent generalia, ſcilicet purgatio, venæ ſectio, cucurbitulæ &c.

De Puſtulis corneæ.

Puſtula ſeu veſicula, Græcè Phlyctæna, eſt exiguum corneæ tuberculum procedens à materia ichoroſa.

Ea modò in ſuperficie fit, modò in profundo. Conſtat enim tunica cornea multis membranis denſiſſimis ac fortiſſimis. Aliquando ergò ſub prima membrana puſtulam fieri contingit; aliquando ſub ſecunda aut tertia conſiſtit.

Cauſæ. Cauſa puſtularum eſt materia ichoroſa ſeu ſeroſa in cornea conſiſtens, eamque diſtendens, quæ plerumque acris eſt, & corrodens; qualis eſt, quæ ophthalmiam committit, quam etiam frequentiſſimè vel comitari ſolent puſtulæ, vel ſubſequi.

Signa. An in cornea puſtulæ ſint, & quo loco corneæ, cognoſcitur viſu. Sed arte opus eſt, ut cognoſcatur, an in ſuperficie corneæ conſiſtant, an in profundo. Noſcitur autem id ſic: ſi materia ſit inter membranam ſeu corticem corneæ primum & ſecundum, puſtula apparet nigra: ſi inter tertium & quartum, alba videtur. Cujus apparentiæ ratio alia redditur ab Aviſena, alia ab Aëtio. Aviſenæ ratio hæc eſt: dum puſtula eſt ſuperficialis, non prohibet viſionem tunicæ uveæ; dum eſt profunda, prohibet. Quando non prohibet, ſed uvea videtur, hæc cùm nigra ſit, eſt in cauſa, quòd puſtula nigricans appareat. At puſtula profunda prohibens intuitum uveæ, cùm ſiſtatur in ipſa puſtula intuitus albicans apparet, quod ipſa alba ſit, producta ſcilicet à materia alba ſeroſa. Hæc Aviſenæ ratio ingenioſa eſt, & plerumque vera; ſed explicanda & limitanda magis, ut ſemper ſit vera. Puſtula ergò ſuperficialis ſemper apparet nigra, quando ſtat ante pupillam, vel etiam quando ante marginem uveæ, dum ille ejus margo niger eſt, adeoque dum oculus eſt niger; a colore enim marginis uveæ oculi denominantur hoc vel illo colore præditi. Tum, inquam, apparet puſtula nigra, quia ſpecies nigricantis pupillæ vel uveæ ad oculos noſtros venit per puſtulam diaphanam. Dico, diaphanam; quia ſi puſtula oriatur ab alia materia, quàm ſeroſa & limpida, ut puta ichore ſanguinis rubriuſculo, vel bilis flaviuſculo, tum hæc non ſequentur, ſed puſtula viſionem terminabit, apparebitque ejus coloris, cujus eſt humor, qui eſt cauſa continens puſtulæ. Ulteriùs modò, puſtula profunda apparet alba, quia per hanc non tralucet pupillæ vel uveæ nigrities, ſed ipſa ſiſtit viſionem, adeoque apparet ejus coloris, cujus eſt humor: hic autem cùm ordinariè ſit ſeroſus & aqueus humor, id eſt, albicans, etiam puſtula talis coloris videbitur. Quòd ſi à permiſto ſanguine rubicundior ſit humor, vel a bile flavior, talem quoque colorem puſtula præ ſe feret.

Sed petere poſſit hic quiſpiam, Cur, quæ in ſuperficie eſt puſtula, diaphana ſit; quæ autem in profundo, ſit opaca, ſeu viſionem terminet. Ioannes Arculanus vir barbarioris ſæculi doctiſſimus, cap. de ulcer. ocul. eventi ejus dat hanc rationem: quia puſtula in ſuperficie illuminatur à lumine ambientis propter propinquitatem, unde viſio adſpicientis poteſt penetrare ipſam: puſtulam autem profundam non item, eo quòd hæc non ſufficienter illuminetur. Verùm hæc ratio non penitus exhaurit difficultatem. Nam illuminatio vel præſentia luminis non facit res eſſe magis vel minùs perſpicuas, ſed facit res viſibiles magis atque illuſtriùs videri. Sic adſcito & admoto forti lumine ad oculum puſtulâ profunda laborantem, melius videbitur & opacior apparebit illa puſtula, quæ tamen tum magis illuminatur, quàm à debili lumine ambientis ordinariè illuminetur puſtula ſuperficialis, quæ tamen diaphana eſt. Itaque ad petitionem reſpondetur ſimpliciter; rem imperfectè perſpicuam eò magis terminare viſionem, quò plura corpora imperfectè quoque perſpicua ei ſuperponuntur: atqui puſtulæ profundæ plures corneæ cortices ſuperponuntur, puſtulæ ſuperficiali tantùm unus incumbit: inde hæc diaphana apparet, illa eſt opaca.

Contingit interdum, ut ob tunicæ corneæ eroſionem uvea procidat, & ſuperficialis puſtulæ ſpeciem exhibeat: cujus procidentiæ cùm alia ſit quàm puſtulæ curatio, hinc alteram ab altera accuratè diſtinguere neceſſe eſt. Diſtinguit autem Aëtius & alii ab eo per colorem diverſum. Sed hoc eſt incertum, quia puſtula cujuſcumque coloris eſſe poteſt. Certius ſignum ſumitur è mutatione pupillæ, quæ prolapſâ uveâ vel parva fit vel variatur ſecundùm figuram ſuam rotundam; in puſtula non variatur pupilla.

Porrò ſuperficiaria puſtula non admodum difficilis eſt curationis: difficilis eſt profunda; peri-

periculum enim eſt, ne reliquum corneæ in profundo tenue exiſtens rumpatur, & uvea procidat, effluantque oculi humores. Et etiamſi non effluant oculi humores, dummodo puſtulæ intus rumpantur, malum eſt immedicabile.

Curatio. In puſtulis quia dolor adeſt & ſæpè inflammatio, convenit ſanguis eductio, aliæque diverſiones. Si ſerius eſt, quàm ut ſanguis mitti poſſit, alvus tamen ducenda eſt. Si id quoque aliqua res inhibet, utique victus ratio ſervanda eſt. Topica hic eadem conveniunt, quæ in ophthalmia præſcripta ſunt, ſi comitetur inflammatio. Si hæc abſit, aut ceſſârit, tentanda eſt puſtularum reſolutio per decoctum fœni Græci. Plerique cataplaſmata hîc laudant, ſed quia ſuppuratoria ſunt, non probo: vitanda enim omni modo ſuppuratio eſt, ne eâ diſruptâ humores oculi ſequantur. Quòd ſi puſtulæ diſcutientibus reſolvi non poſſint, acu aureâ ſubtili pertunduntur: quod tutò fit, ſi ſuperficiariæ ſint. A pertuſione ablue hoc collyrio.

℞. Tutiæ præpar. ſemidrachm. Aloës ſcrup. Sacch. cand. drachm. croci gr. 4. F. pul. ſubtilis, qui linteo illigatus madefiat aq. roſac. verben. fœnic. ana æq. part. Ter vel quater quotidie hæc aqua oculo inſtilletur.

De Albugine.

Albugo eſt macula alba in cornea: quæ ſi tenuis eſt & ſuperficiaria, dicitur *Nebula*; ſi craſſa & profundior, propriè vocatur *Albugo*, Græcè *Leucoma*.

Riolanus Pater Leucoma dicit eſſe vitiliginem, id eſt, ſpeciem lepræ in oculo, contra omnium Medicorum veterum & recentiorum auctoritatem, qui omnes maculam tantùm albam in cornea taliter appellant; & plerique cicatricem ſolùm ab ulcere vel vulnere corneæ relictam. Non tamen velim negare, poſſe talem à lepra tribui albitudinem corneæ: id dumtaxat aio, non ſolam eam dici à veteribus leucoma. Deceptus eſt ſimilitudine vocum *Leuce* & *Leucoma*: Leuce illud eſt, quod dicit, non Leucoma.

Cauſæ. Cauſam albuginis ſtatuit Fernelius vel tenuem humorem corneæ inhæreſcentem, & tunc nebula oritur: vel craſſum & album humorem in cornea, aut etiam ſupra hanc concretum & denſatum additque ſæpè hoc fieri ex ophthalmia & epiphora: interdum ex proprio lento humore, qui ob pupillam effunditur ex iis ſpatiis, quæ ſunt inter membranam adhærentem & corneam. Quâ deſcriptione videtur nobis potiùs proponere generationem pterygii, quàm albuginis, quia illud ſupra corneam ſedet, hæc in ipſamet cornea eſt. Verùm ut ut eſt, non à ſolo illo humore craſſo lentoque exſurgit albugo, ſed etiam ex cicatrice in cornea relicta, prout omnes auctores ſentiunt; ita ut Fernelius ſaltem ſit diminutus in reddenda albuginis cauſa. Imò aliam quandam etiam nonnulli albuginis cauſam ponunt, defectum ſcilicet virtutis aſſimilativæ, qualis eſt in lepra & morphæa. At hoc rariſſimè contingit: nam & in confirmata lepra oculi ſolent eſſe ab albugine liberi.

Capivaccius putat ſolam eam eſſe veram albuginem, quæ a cicatrice fit. Sed hoc non eſt neceſſe dicere; neque enim ulla hoc auctoritas vel ratio ſuadet.

Præſuaſiſſimum vulgo eſt, ob Tobiæ ſenioris infortunium, ſtercus hirundinis oculis incidens albuginem cæcitatemque inducere. An autem hoc ob proprietatem occultam, an manifeſtam qualitatem agat, diſputatur apud doctos. Vide, ſi vacat, quid ſuper hac re ſpeculetur Valleſius *lib. de ſac. Philoſ. cap. 42.*

Signa. Affectus hic intuenti patet, ut ſignis non ſit opus. Facilè etiam cognoſcitur, an à cicatrice, an verò ex humorum impactione proveniat.

Quod ad prognoſticum attinet, albugo in ſenibus inſanabilis ſtatuitur; in adultis ſanabilis quidem, ſed difficulter; faciliùs in pueris. Cicatrix multò difficiliùs tollitur, quàm humor; imò non tollitur cicatrix, ſed ſummum quod fit eſt, quod nonnihil deteratur. Calloſas verò, diuturnas & craſſas cicatrices curare non oportet: neceſſe eſt enim hic collyriis valde acribus uti; unde à vehementi horum mordacitate aliæ oculi partes ulcerarentur: ſi verò etiam ſuffuſio aut glaucedo adfuerit, vanum eſt cicatrices extergere.

Curatio. Quamvis detergentibus & diſcutientibus, quæ vim ſatis inſignem deſiccandi habent, tollendæ ſint oculorum albugines, quia tamen, dum nimis exſiccantur, magis indurantur, & ad digeſtionem ac deterſionem difficiliores evadunt; ideo ut medicamenta meliùs poſſint officium ſuum præſtare, operæ pretium faciunt, qui mollire priùs earum ſubſtantiam nituntur balneis, fomentiſve, aut vapore aquæ dulcis calidæ, vel decocti malvæ, althææ, fœni Græci: deinde admovent collyria detergentia humida vel ſicca, ut magis viſum fuerit conveniens. Antequam verò hæc adhibeantur, oportet priùs corpus univerſum & caput evacuare.

Simplex ac facile medicamentum ad albugines eſt, ſi mater vel nutrix vel mulier alia fœniculum mandat, & mox in oculum inſpiret. Valentius erit, ſi linguâ, poſtquam manderit fœniculum, delingat diutiùs albuginem. Sed & cinamomum noſtrum idem efficit: efficacius eſt piper vel ruta: imò ſi vel modicum ſalis vel nitri commaſticetur, efficax erit remedium.

Inter compoſita hoc probatur, & eſt facile.

℞. Sarcocollam, ſpumam maris ſeu aclyonium & ſaccharum candum æquali pondere; ſimul terantur omnia exquiſitiſſimè.

Vel ℞. Tutiæ præpar. ſacch. cand. ana ſemidrachm. oſſis ſepiæ ſcrup. F. pul. Eis poſſumus ita in pulvere uti, vel etiam ſumere tantillum mellis, aut ſucci roſar. vel fœniculi, & conficere in modum collyrii: ubi autem erit opus, teretur & diluetur, atque in liquorem redactum inſtillabitur in oculum. Poterit autem dilui decocto fœni Græci, vel aquâ roſaceâ, vel fœniculi, vel rutæ. Fortius tamen erit medicamentum, ſi arido utamur. Aliorum acrium remediorum non eſt ita tutus uſus, ſicut horum, quæ facilia ſunt; quamvis hæc longiore tempore egeant, ut opus ſuum perficiant. Verùm longè præſtat, ait Galenus *lib. 4. de comp. med. ſec. loc.* ſeriùs & tutiùs curare, quàm majori periculo cum ſpe citioris curationis ægrotantem exponere. Interdum certè ea, quæ acriora ſunt, adeò particulam irritant, ut concitatâ fluxione inflammationem inducant: interdum verò nimis detergendo ulcerant membranas. Itaque mitia,

quantum licet, eligantur ſaltem in principio: inter quæ eſt ſaccharum quoque candum, quo ſolo ſæpè puerorum albugines curatæ ſunt: in pollinem tenuiſſimum teritur & cribratur, atque aliquo ſpecillo albugini inſpergitur, ægrotante ſupino jacente apertis oculis; priùs tamen inſtillato lacte muliebri in oculum, atque itidem paulò poſt, ubi vellicare pulvis videbitur, ut dolor leniatur. Valentius eſt medicamentum, ſi capiatur fel lucii piſcis, atque ei parum ſacchari candi admiſceatur, diluaturque aquâ fœniculi, vel mulsâ.

Mercurialis ſolebat ſumere radicem chelidoniæ, & aquâ vitæ diligenter abluere, deinde piſtare, & per colum tranſmittere, eumque liquorem guttatim inſtillare oculo affecto: expertuſque eſt recentes maculas inde deteri. Alii os ſepiæ valde laudant æquali pondere cum ſaccharo cando commiſtum, & pulveriſatum, atque flatu ingeſtum: aut linimenti formâ cum melle adhibitum parti interiori palpebræ. Quidam utuntur in hoc aquis operoſe diſtillatis, ſed non opus eſt, nam non neceſſe hic altè medicamenta penetrare; non enim hæret profundè malum, ſed in ſuperficie; ut ſatis ſint medicamenta abſtergentia ſimpliciter. Hæc tamen aqua à me & aliis probata eſt eſſe valde efficax:

♃. Fœniculi manip. II. rutæ chelidon. ana manip. I. mell. optimi unc. III. ſacchari candi rhodomell. ana unc. I. tutiæ Alexandrinæ, ſarcocoll. nut. ana drachm. II. vini alb. opt. cochlear. II. Miſc. & diſtilletur inde aqua pauco igne.

De Hypopyo.

Hypopyon eſt collectio puris ſub cornea: quæ ſi determinata fuerit circulo iridis, à ſimilitudine Onyx, id eſt unguis, vocatur.

Vocant autem Medici tam veteres quam recentiores aliam etiam affectionem Hypωpion, quam Latini Sugillationem dicunt, id eſt ſanguinis effuſionem ſub cute vel in membranis oculi factam ab ictu vel alio modo. Sed in hac & illa ſignificatione alio & alio modo ſcribi debet. In priore ſcribitur per ο & υ Hypopyon: in poſteriore per ω & ι Hypωpion. Prior dictio derivatur ὑπὸ & πύον, quaſi dicas, pus ſubtus vel ſublatens: poſterior ab ὑπὸ & ὤψ, id eſt ſub oculo. Et quamvis hypωpion in poſteriore ſignificatione ſumtum ex vi vocis tantùm denotet ſanguinis effuſionem ſub oculo factam, adſumitur tamen etiam ad ſignificandam eandem effuſionem factam in ipſo oculo, id eſt in adnata ejus tunica vel cornea quoque: & nominatur alter Græcis Hypoſphagma & Ecchymoſis. Si in cornea è directo pupillæ ſanguis effuſus ſit omnia ægris videntur rubra; unde ab ea viſione vocantur Hæmalopes, id eſt ſanguinea videntes. Id enim habet cornea, ut, quo colore ipſa infectâ fuerit, eodem objecta videantur.

Quod ad differentias hypopyi ſpectat, vel pus inter membranas corneæ illapſum, & in circulo iridis figuratum ſimilem ungui reſecto imaginem præ ſe fert: vel amplius eſt collectum, & dimidium nigri occupat: aut per totam corneam tunicam pellucet, & tunc oculum ſuppuratum eſſe dicimus.

Cauſæ. Affectionis hujus cauſa eſt pus in cornea; & in ea variam id poteſt habere ſuæ collectionis cauſam. Nam interdum à vehementia inflammationis habet ortum: multo enim confluente ſanguine venulæ aliquæ aperiuntur, aut diſrumpuntur & ſanguinem effundunt intrò, qui ibi poſtea ſuppuratur: interdum aliquo ibidem genito ulcere.

Sed & à cauſa externa fit ſanguinis effuſio; quæ ſi contundens ſit, effunditur per diapedeſin ſanguis; ſi rumpens, per diæreſin. Itaque ſæpè hypopyon ſeu ſuppurationem præcedit hypoſphagma ſeu ſugillatio. Nam primò ſanguis è tenuibus venis effuſus maculam rubram facit, quæ deinde liveſcit & nigricat, atque hactenus eſt ſugillatio: tandem tamen in pus vertitur, tumque appellatur hypopyon. Idem quippe accidit oculo ac cuti ex ictu: ſanguis ſub cutem effunditur, qui deinde livet; poſtremò, niſi reſolvatur, putret & in pus vertitur: tumque pyoſis, id eſt ſuppuratio dicitur, cujus ſpecies eſt hypopyon.

Signa. Sugillatio ſenſui patet, adeoque ſignis non eget; uti nec ſuppuratio. Utrum ex cauſa interna, an externa ortum traxerit, id ex relatu cognoſcitur ægri: & per has cauſas diſtinguitur hypopyon à ſuffuſione, quam alioquin ita interdum æmulatur, ut Medicis imponat.

Sugillationi porrò ſtatim occurendum, antequam ſanguis grumeſcat; grumi enim difficulter exhauriuntur; & difficiliùs, ſi jam nigricent; uti quoque ſi in pus verſi ſint. Non magnâ operâ diſcutitur ſanguis, qui non adhuc in grumos abiit.

Curatio. Venæ ſectio & purgatio locum habent in ſugillatione, antequam humor ſuppuret; uti & aliæ revulſiones ac derivationes in ophthalmia indicatæ. Itaque eæ primò præmittantur, antequam ad topica veniatur.

Facto pure venæ ſectio non habet locum, niſi dolor urgeat. Purgatio tamen ritè inſtituitur, priuſquam localia diſcutientia admoveantur.

Porrò topica in principio ſugillationis talia eſſe debent, ut non modò diſcutiendi vi prædita ſint, ſed inſuper modicâ adſtrictoriâ, quia vaſorum tuniculæ, ex quibus ſanguis exſilit, diſruptæ vel ſaltem apertæ ſunt. Quare ſi ſimplex diſcutiens pharmacum à principio adhibeatur, non ſolùm, quod effuſum eſt, diſcutiet, ſed & per fiſſuras aliquid attrahet è vaſis. Poſtquam verò in ſuam naturam redierint venulæ, ad mera diſcuſſoria medicamenta rectè tranſitur. Quæ primùm ſint leviora: quæ enim vehementer diſcutiunt ac reſiccant, ſtatim quidem multam tenuioris evacuationem faciunt, ſed quod reliquum eſt, incraſſant, ut ægrè poſtea diſſolvi poſſit. In principio ergò probatur fomentum ex decocto foliorum roſarum in vino. Deinde ex decocto fœni Græci in vino, vel in mulſa. Uſitatum aliis & bonum medicamentum eſt inſtillatus calidus columbæ ſanguis; quod ita fit: pulli columbini teneræ plumæ evelluntur ab alis, quæ adhuc ſanguine plenæ exprimuntur in oculos, deinde ſuperponitur lana imbuta decocto meliloti ex vino. Celſus multò efficaciorem ad id dicit eſſe ſanguinem hirundinis *lib. 6. cap. 6. ſub fin.* Ubi addit aliquid conſideratione dignum, ſcilicet, fabulam eſſe, quod viſus hirundinum amiſſus per parentes aut herbam chelidoniam reſtituatur, ſed quod per ſe ſaneſcat;

que

quemadmodum & columbæ & palumbi, at celerrimè hirundinis: ideoque hujus ſanguinem præfert.

Experientiâ conſtat verum eſſe, quod affirmat Archigenes apud Galenum; quod, ſi hyſſopi coma nodulo incluſa bulliat in aqua, & tepidè nodulus oculo cruento applicetur, tam manifeſtè ſugat ſanguinem, ut linteum ipſum ſanguinolentum videatur. Attamen hoc remedium in principio ſugillationis non adhibeatur, verùm poſtea, nigreſcente jam ſanguine: unde & in pure collecto id valet. Quo caſu ſi nihil effecerit, utere hoc, quod pyulcum eſt ſeu pus exſugens, & ad Æginetam Paulum refertur auctorem.

℞. Aloës, croci, myrrhæ ana ſcrupul. I. vini ſcrupul. III. mellis optim. ſcrupul. VI. Crocus primùm teratur in vino, deinde adde Aloën & Myrrham, tandem mel adjiciatur: confectio in vaſe vitreo ſervetur, & oculo bis aut ter quotidie inſtilletur. Iſti par eſt, ſi trochiſci viperini in hydromelle diſſoluti oculo immittantur. Sed videndum, ne hoc nimium ſiccet, & quod diſſolvere non poteſt, illud induret. Succus raphani, item iridis impoſitus præclarè facit.

Si iſtis pus non diſcutiatur, ad Chirurgiam veniunt Medici, oculum ad iridem perforantes acu cavâ, & ita pus educentes. Verùm neſcio, quomodo pus illud, quod craſſius eſt, educere poſſint, non ſubſequente vel etiam priùs effluente humore aqueo, qui tenuiſſimus eſt, adeoque ad fluendum aptiſſimus. Galenus tamen, Paræus aliique auctores dicunt ſe tali modo pus eduxiſſe. Sed non addunt, an homines illi, quibus eductum erat pus, rectè poſtea viderint. Certè ſi humor aqueus ſimul effluxerit, & adultæ ætatis fuerint, cæcitas neceſſariò ſubſecuta eſt: illâ namque ætate non regeneratur aqueus humor, eoque elapſo corrugatur cornea, & oculus fit minor.

De ruptura corneæ, & uveæ prolapſu.

Rupturâ corneæ eſt ejus ſectio vel exeſio; è qua primùm aqueus humor emanat, oculumque multo minorem relinquit; deinde uvea tunica procidit.

Cujus uveæ procidentiæ quatuor ab auctoribus ſtatuuntur ſpecies, à formis, quas repræſentant, deſumtæ. Prima, quia exigua eſt inſtar capitis muſcæ, *Myocephalos* dicitur. Altera amplior acinum uvæ referens *Staphyloma*. Tertia, quando ita increvit, ut extra palpebras emineat, *Malum* ſeu *Pomum*. Quarta denique, ubi obductâ cicatrice occalluit, nominatur *Clavus*; quia clavi caput refert.

Cauſæ. Cauſa rupturæ corneæ eſt res vulnerans corneam, vel ulcerans.

Aëtius inquit fieri aliquando ſtaphyloma humoribus ſub aliquam corneæ tunicæ ſtriam collectis, à quibus coactam corneam elevari contingit & incurvari: ſimiliter quoque à puſtula inter ſtrias corneæ tunicæ ſatis profundè conſiſtente. Sed nos cum Paulo Ægineta iſtos affectus non numeramus inter ſtaphylomata, verùm de iis inter puſtulas corneæ tractavimus; adeoq; ſtaphyloma nonniſi à ruptura corneæ effici dicimus. Sunt tamen recentiores, qui hac in parte Aëtio adſentiuntur, ſcilicet Chriſtophorus à Vega, & Ambroſius Paræus. Imò & Celſus idem ſenſit *lib. 7. cap. 7.*

Signa. Sequendo ſententiam Aëtii, Celſi, & recentiorum illorum, ſtaphyloma aliquando niger eſt tumor, aliquando albus. Nam ſi cornea ulcerata eſt atque arroſa, ſic ut per ulcus proferat ſe & procidat uvea tunica, nigricabit ſtaphyloma acini maturi inſtar: nigricat enim uvea tunica, inquiunt, externâ ſuâ parte. At ſi laxata tantùm, & non rupta cornea fuerit, ſubalbido colore cernetur ſtaphyloma acini nondum maturi inſtar. Hæc ita ſecundùm dictorum auctorum placita dicuntur. Nos autem, uti antè præfati ſumus tantùm à ruptura corneæ verum ſtaphyloma oriri volumus: à qua etſi oriatur, non tamen adhuc concedimus tale ſtaphyloma ſemper nigricare; quia non verum eſt, quod ſupponunt, in omnibus uveam tunicam, quatenus procidere poteſt, externâ ſuâ parte nigricare. Nigricat tantùm iis, quibus nigri dicuntur eſſe oculi; glauca eſt, quibus oculi ſunt glauci, &c. Itaque varii coloris poteſt eſſe uvea prolapſa. Quia verò apud Græcam nationem ordinariè oculi ſunt nigri, atque adeò uvea nigra, rectè ejus procidentiam ſtaphyloma nuncuparunt à ſimilitudine acini maturi nigri. Apud nos alium colorem referre poteſt: utpote quorum uveæ non ſemper externâ parte nigræ ſunt, ſed vel glaucæ, vel fulvæ, &c. Id quod neque Aëtium latuit: nam quod ex uvea tunica procidit, non ſemper dicit nigrum apparere, ſed quando cæruleum.

In circuitu ejus partis; quæ procidit, circa fundum labia corroſæ tunicæ alba apparent: & ſi adhuc magis pars prolapſa duraverit, labia ruptionis tunicæ corneæ calloſiora facta adhuc magis alba apparent.

Divulſa autem eſt omninò in uveæ tunicæ prolapſu pupilla ipſa; ut omninò non appareat, aut & ſitu & figura immutata.

Quod ad prognoſticum attinet: ſi cornea rumpatur, viſus deperditur, quia humor aqueus neceſſariò effluit, ideoque cornea corrugatur. Vidit tamen Galenus, aliique poſtea recentiores viſum dehinc reſtitutum eſſe eo quòd aqueus humor regeneraretur: id quod non niſi in ætate puerili ſperandum eſt. Quòd ſi præter aqueum humorem tunica uvea procidat, inſperabilis viſus eſt; ultra quem deperditum accedit adhuc deformitas, quæ ſolummodò eſt curabilis. Unde miror, quod ſcribit Riolanus, ſe vidiſſe adoleſcentem, cui uvea prociderat ſupra magnitudinem avellanæ, qui tamen eo ipſo oculo videbat. Niſi eo caſu aqueus non effluxerit, & pupilla tantùm figuram mutaverit.

Curatio. In principio rupturæ corneæ omni modo cavendum, ne humores oculi affluant: nam tum oculus planè concideret, & magna inde deformitas oriretur. Itaque mox adſtringentia adhibenda, ut fotus ex decocto plantaginis, myrti, burſæ paſtoris, balauſtior. fol. roſar. Hoc deinde collyrium bonum eſt.

℞. Antimon. ceruſſæ, cadmiæ uſtor. & lotor. an. ſcrup. II. ſpicæ nardi, Aloës, tutiæ præp. ſarcocoll. an. gr. 6. cum muccagine tragacanth. vel gummi Arabic. F. collyr. cujus aliqua portio ſolvatur in decocto burſæ paſtoris, uſu poſtulante. Hæc aqua etiam ut præſtans laudatur:

℞. Bol. armen. ſanguin dracon. tragacanth.

ana ſemunciam, pul. capitum hirundinum uſtor. unciam, infunde in aq. roſac. & ſucci granator. clarificat. ana unc. 4. Bulliant lento igne in Bal. Mar. deinde colentur; & linteum colaturâ imbutum applicetur: id repellit, ac ſuo loco reſtituit uveam; eademque operâ ulcus perſanat. Debet autem interim æger jacere ſupinus. Huc faciunt tum aqua ophthalmica de cancris & chelidonia, tum liquor, qui in veſicis ulmi invenitur menſe Majo, de quibus diximus *cap. de vulner. ocul.*

Si malum ſit magnum & inveteratum, medicamentis locus non eſt, ſed ad Chirurgiam confugiendum, quam pete ab Aquapendente in *Operat. Chirurg. cap.* 17.

De dilatatione, & constrictione pupillæ.

Pupillæ dilatatio. Græcè *Mydriaſis* & *Platycoria* dicta eſt foraminis tunicæ uveæ nimia ampliatio.

Conſtrictio, Græcis *Myoſis* & *Phthiſis* pupillæ vocata, eſt anguſtia præter naturam foraminis uveæ.

Eſt uterque affectus in viciata conformatione, ſcilicet in via ſeu meatu depravato, ut patet, & viſionem lædit. Sed de modo & ratione quâ lædit, non convenit inter Auctores.

Fernelius *cap. de ocul. morb.* dilatationem viſioni obeſſe dicit, ut quæ viſivum ſpiritum univerſè diffundi atque diſſipari ſinit: à conſtrictione autem nativa, quoniam ſpiritum cogit ac denſat, acutiſſimam viſionem reddi ait; at à morboſa, quoniam cauſam præter naturam habet, deteriorem fieri. Hoc idem cæteri omnes recentiores ſentiunt & ſcribunt, eo fundamento innixi, quòd viſio per radiorum ex oculis emiſſionem fiat; illud autem cùm falſiſſimum ſit, ut pluribus convici, & jam paſſim omnes emunctioris naris viri agnoſcunt, non poterit ea ratio ſtatui, quâ dilatatio & conſtrictio pupillæ viſionem lædunt.

Olfecit & hoc Sennertus in Praxi ſua, ideoque quàm majores ſui propiùs ſcopum ferit, ſed tamen non attingit.

Alii in dilatatione pupillæ res minores, in conſtrictione majores apparere aiunt, atque in ejus reddenda cauſa mirè & miſere tumultuantur inter ſe: in quibus tamen turbis cæteris veroſimilius judicavit Joan. Arculanus, *Com. in* 9. *Rhaſ. ad Almanſ.* Sed omninò falſum quoque eſt, accidentia illa dictas ſequi pupillæ conſtitutiones. Nec verò Galenus uſquam eorum meminit. Paulus Ægineta primus, quantum ſciam, id invulgavit; ex quo auctore hauſerit, neſcio; non enim addit. Si ex propria contemplatione dixit, deceptus eſt; non enim reſpondet vel experientia vel ratio. Aëtius idem docet, non etiam addens auctorem, ex quo habet.

Itaque quomodo ex iſtis pupillæ conſtitutionibus oculus afficiatur, fusè & explicatè dixi *lib.* 4. *probl.* 59. cujus hæc eſt ſumma: ſcilicet, quòd per foramen uveæ præter modum exile repræſententur in retiformi tunica res viſiles diſtinctè, ſed minutiſſimè, quæ ut percipiantur, multo opus eſt externo lumine. Accedit, quòd, quæ nonnihil à lateribus ſita ſunt, minimè comprehendantur, quia eorum imagines foramen præterlabantur. Per foramen autem uveæ latum clare & in majuſcula forma exhibentur res, ſed in lucidore aëre dilutè atque imperfectè ob ſubingreſſum nimii luminis rerum viſibilium picturam obliterantis. Adfert porrò hoc commoditatis pupillæ amplitudo, quòd eâ præditi capite immoto videant illa, quæ à lateribus ſtant, quæque non niſi capite eò converſo ab aliis percipi queunt.

Ex hiſce patet, probabile eſſe, quod ingenioſiſſimus Platerus *lib.* 1. *pract. cap.* 7. ſcribit, pupillæ ſcilicet arctationem cauſam nyctalopiæ ſeu nocturnæ cæcitudinis eſſe: cùm enim, modico exiſtente externo lumine, ſoleat pupilla ampliari, ut luminis oculum ingreſſi debilitas copiâ ejus ſuppleatur, fit, ut quibus pupilla anguſtior obtigit, nec potens dilatari, ſub noctem aut tenebris nonnihil ingruentibus minùs cernant, quia debile & modicum lumen viſum movere nequit. Conſectarium hujus eſt, ob pupillæ magnam hiationem in obſcuriore & tenebricoſiore aëre rectiùs, quam in nimium lucente videri: modò illa hiatio non fiat ob incipientem obſtructionem nervorum opticorum, vel aliam internam cauſam viſum obſcurantem: tum enim contrà fit, ut ſcilicet dilatatâ pupillâ meliùs interdiu videatur, peiùs veſperi, uti aliquoties obſervavi.

Cauſæ. Quod cauſas propoſitorum affectuum attinet, ſentio cum doctiſſimo Platero vix poſſe illas pupillæ habitudines ab adſcititia humectatione vel ſiccatione, vel percuſſione provenire; uti neque ab humorum vel ſpirituum copioſiore influxu; id quod paſſim cantillatur à Medicis. Et quidem quæ poteſt major uveæ accidere humectatio in mediis humoribus natitanti? Influxus autem humorum non poteſt uveam tendere, niſi priùs corneam tendat ac turgefaciat maximè, & ita conſequenter uveam corneæ validè adnexam. Excreſcat autem aqueus humor ad tantam, quantam velis, copiam, ſi corneam non diſtendat, non diſtendet uveam, ſed ſemper laxè hæc ei innatabit: quippe non coërcet uvea aqueum, ſed cornea. Itaque increſcens aqueus nullam vim uveæ facit, cùm per ejus foramen liber pateat tranſitus, ſed corneam impetit, cujus obice continetur. Si cryſtallinus humor adeò mole augeretur, ut antrorſum vergens foramini uveæ ſe insereret, ille ſine dubio pupillam dilataret, neque ſineret pupillam conſtringi. Ratio eſt, quia humor ille duriuſculus eſt & conſiſtens, quippe propriâ tunicâ obductus; atque ita ſuâ duritie poſſet diſtendere uveam: quod non poteſt de aqueo dici, utpote qui ſit fluidus liquor. In cryſtallino haberet locum ſimilitudo Valeſci dicentis, humorem dilatare pupillam, ſicut genu ampliat foramen caligæ diruptæ, quando complicatur.

Deinde à ſiccitate oriri dilatationem vel conſtrictionem pupillæ, longè minùs ſimile vero. Siccescente enim oculi globo non ſolùm ſiccescet & concidet uvea, ſed ſiccescet quoque & corrugabitur cornea; unde cæcitas: atque is affectus eſt oculi atrophia, non pupillæ conſtrictio.

Denique à percuſſionibus potiùs dilaceratur pupilla, quàm dilatatur. Hoc tamen verum eſt, ob dilacerationem illam ducere rimam, ac ſic-

ſic quodammodò magis patere; quam ſi ſub dilatatione velis comprehendere, non amplius litigo. Item poſſunt ob percuſſionem conturbari & impuri fieri humores, ad quos dein ſequitur pupillæ ampliatio, uti poſt dicetur.

Porrò opinor, ut plurimum ab ortu homines eas nanciſci pupillarum figuras, nec facilè ab externa cauſa, vel interna dein adipiſci. Quodque priores Medicos ad contrarium adſerendum impulerit, hoc eſſe puto; quia videlicet dum ad conſultationem habendam de oculorum affectionibus & diminuta viſione conveniunt, oculos ægri vel in loco non admodum lucido inſpiciunt, atque ita eum pupillæ dilatatione laborare concludunt: vel in loco admodum claro intuentur, ac tum pupillæ conſtrictionem putant adeſſe: nam in obſcuro loco ſemper dilatatur pupilla, in claro anguſtatur: eæ tamen dilatationes & conſtrictiones morbi nequaquam dici debent.

Exiſtimo nihilominus aliquando poſt ortum acquiri poſſe morboſam pupillæ dilatationem, hoc caſu: ſi quis diutino tempore incluſus obſcuro carcere delituerit; ibi enim cùm adſint perpetuæ tenebræ, pupilla perpetuò quàm ampliſſimè patet, in quo ſitu ob diuturnam moram induratur: denique, ut poſtea in lumine contrahi nequeat, reſtitutioniq; inepta permaneat. Quæ ipſiſſima cauſa eſt, cur ex diuturno carcere ſub dium lucidum prodeuntes tam ægrè ferant lumen; amplas nempe patulaſque ipſorum pupillas nimis ferit.

Scripſit Aëtius, & Medici ab eo alii, illos, qui naturâ nigros oculos habent, ferè magnis eſſe pupillis, ideoque in pupillæ dilatationem præ reliquis faciliùs incidere. Cur autem magnis ſint tales pupillis, non dixerunt; & certò ſcio ipſos neſciiſſe. Eſt autem cauſa hæc: lata fit vel ſtricta pupilla ad recipiendum vel excludendum maius lumen pro rectè obeunda viſione. Jam verò nigri oculi cùm ratione ejus ſui coloris etiam obumbrentur, egent in aëre non admodum illuſtri copioſiore lumine, quàm glauci, quibus non fit tanta umbra: ut ergò copioſius lumen capeſſant, pupillam lateſcere neceſſe eſt.

Iſthæc itidem cauſa eſt, cur impuros & turbidos habentes oculorum humores, pupillas quoque latiuſculas habeant. Per humores namque iſtos craſſiores ſubintrans lumen infringitur ac debileſcit: unde copioſo opus eſt, ut aliqualis fiat viſio; copioſum verò ſubire nequit niſi per diductiorem pupillam. Si igitur quiſpiam in altero oculo humores habeat minùs atque in altero limpidos ac puros, illius alterius latiorem pupillam, quàm hujus advertere licebit. Et ab hac cauſa puto frequentiſſimè dilatationem pupillæ oriri; ab humoribus, inquam, turbidis, & aliquali obſtructione nervi optici: quibus præſentibus cùm advertant Medici pupillæ ampliationem, huic potiſſimùm viſionis defectum adſcribunt, cùm minimè huic, ſed illis ſit attribuendus. Sic dum à validis oculi ictibus dicunt auctores pupillam fuiſſe dilatatam ſine uveæ ruptione, id omninò exiſtimandum eſt factum fuiſſe propter conturbationem humorum, & opacationem eorundem, quam conſequitur, ut dictum eſt, pupillæ diductio. Itaque non ineptè Auctor finitionum Medicarum mydriaſin dicit eſſe alterationem viſoriæ facultatis turbatis humoribus. Quamquam id Mercurialis explodat. In eandem ſententiam ſcribit Avenzoar, dilatationem pupillæ, ſi negligatur, tranſire in ſuffuſionem, quia turbidi facti humores facilè magis incraſſantur; unde ſuffuſio.

Ex præmiſſis patere poteſt, quàm falsè imò abſurdè quidam practici ſcribant dilatationem pupillæ aliquando fieri à multa illuminatione & irradiatione oculi, & inſpectione in ſphæram Solis. Omnium enim experientiâ conſtat, multam oculi illuminationem non dilatare pupillam, ſed quàm maximè conſtringere: unde potiùs inde pupillæ conſtrictionem oriri dicere debuiſſent.

Neque minùs abſurdum eſt, quod dicunt, à ſiccitate fieri & dilatationem & conſtrictionem. Dilatationem quidem, quando exſiccantur & contrahuntur partes uveæ poſteriores verſus nervum opticum: conſtrictionem autem, ſi exſiccetur humidum uveæ circa partes pupillæ, non exſiccatis partibus poſterioribus. Nam hæc eſt vana ſpeculatio ſine fundamento in re. Non poteſt enim fieri ampliatio foraminis ob contractionem partium poſteriorum uveæ; quippe partes illæ poſteriores & laterales firmiter adhærent corneæ, ut non poſſint in ſe contrahi, niſi & tota cornea contrahatur, & cum cornea quoque adnata; ac ſic totus oculus contrahetur, adeoque erit oculi atrophia, non phthiſis pupillæ. Similiter quis credat, anteriorem partem uveæ exſiccari poſſe in humore aqueo natantem, non exſiccatis partibus poſterioribus?

Ita quoque merum figmentum eſt, quòd auctores ex Galeno adferunt *lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 2.* de humectatione & exſiccatione tunicæ uveæ, ut eſt pars ſimilaris, & ut eſt pars organica. Quemadmodum enim antè dictum eſt, non dilatabitur magis pupilla, etſi ut pars organica humectetur, id eſt, etſi ejus meatus humore aqueo repleatur.

Signa. Quia falſum de pupillæ dilatatione & conſtrictione latum judicium plerumque ex eo oritur, quòd non in debito loco ægrorum oculi inſpectentur; ſciendum breviter eſt, ubi eſt judicandum, an nimia ſit pupillæ conſtrictio, locum inſpectionis eſſe deligendum obſcurum: hic enim cùm debeat ſe pupilla expandere, ſi non ſe expandat, pupillæ tabes eſt, ſuppoſitis aliis in oculo integris, & meatu nervi optici libero exiſtente. Contrà ubi explorandum, utrùm præternaturalis adſit pupillæ dilatatio, locum eſſe adeundum lucidum & clarum, in quo ſi non ſe contrahat pupilla, contractioni inepta eſt, ſuppoſitis iterum iiſdem, ut antè.

Hieronymus Mercurialis *lib. 1. pract. cap. 36.* docens, quæ dilatatio pupillæ ſit morboſa, quæ naturalis, ſic ſcribit: Unius oculi pupilla claudatur; quo facto, ſi alterius pupilla dilatatur adhuc magis, eſt à natura. Si verò, altero clauſo oculo, alterius pupilla non dilatatur, affectio eſt morboſa: quia latitudinis naturæ terminos præterire licet, ſed à morbo factam latitudinem non licet. Idem deſcribit Sennertus ex ipſo. At ratiocinantur perperam. Poteſt morbus non extremum ſuum terminum attin-

gere; unde ultra eum ire licet, ſed non citra illum: ſicuti diſtentio veſicæ ab urinæ copia non illa tantùm dicitur morboſa, quæ major fieri non poteſt, ſed illa, quæ impedit naturalem veſicæ contractionem. Itaque morboſe ſeu præter naturam dilatata pupilla non ea eſt, quæ ampliùs non valet diſtendi, ſed ea, quæ contrahi ampliùs non poteſt.

Aliqui Auctores dant pro ſigno conſtrictionis pupillæ à ſiccitate ortæ, quod oculus parvus ſit & diminutus. Qui malè conſtrictionem pupillæ confundunt cum oculi atrophia; in hac enim tantùm id fit. Quapropter ex ipſorum confeſſione etiam non poteſt adeſſe in oculo tanta ſiccitas, quæ uveam contrahat, quin ea contrahat totum oculum, prout antè dixi.

Circa hos affectus videas miſeras doctiſſimorum Medicorum in conſiliis editis hallucinationes. Montanus conſ. 91. & 92. obſervans in duobus ægris pupillas in obſcuro aëre dilatari, in claro conſtringi, inquit hæc ſigna eſſe viſus imbecillitatis, refertque cauſam ad craſſitiem ſpirituum. Nugæ. Omnibus id ex æquo contingit, etiam iis, in quibus ſummam ſpiritus tenuitatem habere ab ipſo judicarentur. Fallopius & Bellocatus mirantur in conſultatione quadam, cur in ægro ſuo pupilla mane videatur conſtrictior, veſperi latior: & neſcio, quas ulceroſas cauſas allegant, ulcera in faucibus ſanata. Imperitè. Eſt ſemper ita; mane orto Sole ob aërem illuminatum unicuique pupilla conſtrictior eſt; veſperi eodem occiduo & abſente, ob minùs illuſtrem aërem lateſcit eadem cuilibet.

Super difficultate curationis horum affectuum obſcurus eſt Galeni textus *lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 2.* ſcribentis: Si tendatur uvea ratione inflammationis, ſcirrhi vel abſceſſus, peritus Medicus non magno negotio malum poteſt ſuperare. Nam difficile admiſſu eſt, ſcirrhum uveæ facilè poſſe curari. Capovaccius ad eumdem ſcopulum impingens ita ſe putat evaſiſſe, dicendo: uveæ tumorem bifariam poſſe accipi; primò, ut tumorem: unde ſi ſit ſcirrhus nequaquam facilè curatur, imò curari nequit. Secundò, prout tumor ille idem cauſa eſt amplitudinis foraminis: & ſecundùm hanc rationem, inquit, non eſt difficile malum hoc ſuperare, cùm ſat ſit tumorem minuere, quo imminuto tenſio etiam minuitur. Quæ evaſio ingenioſa eſt, & valde Galenum excuſat alioqui falſitatis ſuſpectum.

Laceratio uveæ à percuſſione incurabilis eſt. Si contingat, ut vi percuſſionis non laceretur, ſed tumor tantùm excitetur in ea, à quo foramen dilatetur, vel ut humores oculi ab ictu turbentur, id vitium eſt curabile.

Curatio. Conſcribunt Practici curationes mydriaſis & phthiſis pupillæ: & multi in obſervationibus ſuis per exempla edita omnes earum penè ſpecies ſanatas affirmant, tam à ſiccitate quàm humiditate effectas. Quales cùm ex noſtra ſententia fieri non poſſint, veroſimile nobis fit, dictos affectus ipſis minimè obtigiſſe curandos. Et quandoquidem exiſtimemus tales pupillæ conſtitutiones plerumque ab ortu advenire, conſequenter eas plerumque inſanabiles eſſe ſtatuimus.

Si poſt ortum accidant, ut ſi poſt moram diuturnam in tenebroſo carcere facta ſit pupilla latior, paulatim lumini aſſueſcendum eſt, gradatim locum luminoſiorem ingrediendo.

Sin id acciderit ob humores oculi turbatos & impuros factos, ſi quidem hoc citra ictum & percuſſionem provenerit, attenuandi & diſcutiendi illi humores erunt: quod commodè fiet iis remediis, quæ ſuffuſioni apta erunt, ſequenti capite explicanda. Si verò ob percuſſionem vel vim externam ſit, fluxio ab oculo avertenda eſt per venæ ſectionem, cucurbitulas, frictiones, veſicatoria; deinde repellentia oculo applicanda: & ad ſummam facienda penè eadem, quæ in ophthalmia ſunt præſcripta.

De Suffuſione.

Suffuſio, Græcè Hypochyſis dicta & Hypochyma eſt, humoris præter naturam inter corneam & retiformem tunicam è regione pupillæ concretio.

Hactenus omnes Medici in definitione dixerunt, inter corneam tunicam & humorem cryſtallinum, exiſtimantes cum Galeno, in hoc humore viſionem effici. Quâ ſententiâ claræ falſitatis convictâ, jam non dubitandum eſt, quin in cryſtallino quoque & poſt cryſtallinum in vitreo humore poſſit conſiſtere materia ſuffuſa: tam enim tranſmittunt ſpecies cryſtallinum & vitreum humorem, quàm aqueum. Itaque ſi earum tranſmiſſio à craſſa atque opaca in vitreo ſtagnante materia prohibeatur, ſuffuſione oculus indici debet laborare tam æquo jure, quàm ſi in aqueo humore natet materia.

Cæterùm fatendum eſt, rariùs ſuffuſam materiam in vitreo, rariſſimè in cryſtallino hærere: ac fere ſemper in aqueo obſervari humore. Ratio eſt, quia illi humores propriam habent à ſuis tunicis circumſcriptionem; hic fluidus eſt, & alienis terminis continetur, adeoque facilè extranea recrementa ſuſcipere aptus.

Illi, qui opinantur viſionem in concurſu nervorum opticorum fieri, cenſent itidem poſſe ſuffuſos humores & imagines poſt cryſtallinum ſtabulari. Verùm hæc opinio minimè ſequenda eſt: tam enim eſt abſurda, uti demonſtravimus, quàm illa vulgatiſſima Medicorum, in cryſtallino humore viſionem abſolvi, ſtatuentium.

Diſceptant ſpeculatores, qualis morbus nominanda ſit ſuffuſio. Alii enim ipſam perpetuò obſtructionem ſeu morbum in via eſſe contendunt; alii ex Galeno *lib. de differ. morb. cap. 8.* morbum in numero. Neutri me judice penitùs damnandi ſunt. Oritur namque ſuffuſio à craſſiuſculo extraneo humore pupillam obturante: oritur & ab ipſis humoribus nimio plus incraſſatis; & utraque morbus in via vocari poteſt. Quòd ſi humor ille extraneus progreſſu temporis ita concreverit, ut jam membranæ ſpeciem induat, morbus in numero dici equidem poteſt; nam videtur ſanè quaſi particula addita. Imò etſi membranæ ſpeciem non induat, equidem volunt morbum in numero eſſe; in numero, inquam, partis redundantis toto genere præter naturam, ut lumbrici in inteſtinis, & lapis in veſica ſunt apud Galenum loco citato. Porrò autem circumſpectè ii loquuntur, qui

ſuffuſionem nominant ſemper obſtructionem ſeu morbum in via; quomodocumque enim & undecumque orta ſit, eo nomine poteſt comprehendi, & ſub hac potiſſimum ratione actioni animalis incommodat. Quando verò oritur ab humoribus naturalibus incraſſatis, non poteſt dici morbus in numero.

Suffuſionis differentia eſt duplex: alia eſt legitima & per eſſentiam, alia ſpuria & per conſenſum à vaporibus ſurſum illatis orta. Nos legitimam definivimus, utpote verè & proprie ita tantùm appellandam: nam ſpuria ſuffuſio non tam ſuffuſio dicitur, aut dici debet, quam affectus in accidentibus ſuffuſioni ſimilis, uti à Galeno vocatur *lib. 3. de locis male aff. cap. 7.* In hac varia corpuſcula ante oculos verſari videntur, interdum inſtar muſcarum, vel murium, vel capillorum, vel globulorum, & aliorum id genus.

Cauſæ. Cauſam ſuffuſionis rectè ſtatuunt Pragmatici omnes humoris alieni influxum, vel ipſum humorem innatum craſſefactum. Solus Platerus *lib. 1. Pract. cap. 7.* nullo duce alіorſum deflectit à via regia, contendens ab aqueo humore tenacitatem aliquam adipiſcente cauſam ſuffuſionis proficiſci: fieri verò ab humoris influxu nec ratione ullâ probari, nec demonſtratione oſtendi poſſe. Sed deerrat vir hic & fertur avius. Quod ut quilibet percipiat, imò perſpiciat, libet argumenta ejus expendere, quæ veluti deſertionis ſuæ rationes adducit.

Inquit igitur primò: Si ab aquæ vel humoris in oculi globum affluxu fieret ſuffuſio, non hæc exigua tantum & vix lentis inſtar ampla naſceretur materia, ſed oculi globus totus diſtentus, & velut hydropicus tumeret. *Reſp.* Quamvis ſuffuſionem cataractæ nomine donârint incultiore ſæculo Medici, non tamen adeò fuere rudes iidem, ut in eo affectu copioſum humorem ubertim quaſi per amplas cataractas opinarentur in oculos irrumpere: ſatis viſum ipſis fuit, ſi irrumperet. Irrumpit verò non copioſus humor, ſed pauciſſimus, quia exiguuſculi & penè inviſibiles ſunt ductus: ac proinde oculi globum diſtendi ac tumere non eſt neceſſe.

Secundò ait: Nullum ſpatium inane in oculo invenitur, quod aquam hanc poſſit admittere; cùm totus undique propriis humoribus ab ortu in eo natis adeò repletus & diſtentus ſit, ut ne guttulæ quidem alienæ locus ſuperſit, aut cornea ullâ ratione ampliùs diſtendi dilatarive queat. Veretur hîc fortaſſis penetrationem dimenſionum, quam à natura fieri negant Philoſophi. At non eſt periculum: eſt enim aut fit locus externo illabenti humori addenſato nonnihil aqueo, & ſubterfugientibus aliquibus ſpiritibus humori forſan aqueo commixtis. Quippe à mero aqueo non diſtendi corneam, ſignificant mortuorum animalium oculi ſubſidentes & corrugati ob elapſos ſpiritus vel abſentes ſaltem. Itaque ſpiritus hi leviores cedunt locum extraneæ irruenti materiæ graviori & corpulentiori.

Tertiò petit, per quam viam hæc aqua in oculum defluat? Non enim, *ſcribit*, per venas & arterias; cùm hæ oculi interiora minimè ſubeant. Non per opticum nervum; indignum enim eſt partem tam nobilem excrementis hiſce deferendis aptam ſtatuere, per quam præter æthereum illum ſpiritum animalem tranſire nihil poteſt. Confugere verò ad corporis tranſpirabilitatem, ignorantiæ aſylum eſt petere. Nos nihilominus omnes illos modos viaſque commodas exiſtimamus. Quod enim ad venas atque arterias ſpectat, opinamur contra Platerum oculi interiora omninò ab illis ſubiri. Nervis verò opticis etſi utatur natura ad devehendum animalem ſpiritum, abuti tamen eiſdem aliquando poteſt ad deferendas ſuperfluitates: id quod in aliis multis partibus fieri conſuevit, ut dum pravi ventris humores per ventriculum exonerantur; dum thoracis pus per ſinus cordis; quibus tamen tranſmittendis neutiquam hæ nobiles partes ſunt deſtinatæ. Non igitur mirum etiam vel indignum videri debet, nervos opticos benignæ cujuſpiam ichoroſæ materiæ eſſe præter naturam portitores. Sed & alienam talem materiam optico contineri fatendum irrefragabiliter eſt in ejuſdem optici obſtructione, à qua gutta ſerena oritur. Denique quando ad ignorantiæ aſylum, corporis nempe perſpirabilitatem, nos confugere exprobrat, calumniatur magno Hippocrati, qui dixit, corporis confluxum eſſe unum, conſpirationem unam, & conſentientia omnia: detrahit Galeno, qui id ipſum confirmavit: adverſatur experientiæ, quæ atteſtatur. Sanè ſi quarumcumque fluxionum in arte nobis obvenientium manifeſtas vias invenire adlaboret. Platerus magnum ſibi impoſuit opus, magnum laborem fruſtrà; poteſt enim multorum exemplorum congerie inutilis ejus ſatagentia demonſtrari. Ad extremum porrò ſuffuſionem non ſemper ob humorem aqueum craſſefactum gigni, ſed etiam ob alieni humoris influxum, hoc arguere queat, quòd incraſſatio aquei non niſi ſenſim & pedetentim longiore tempore abſolvatur; at craſſam & conſummatam ſuffuſionem uno die congeri interdum vidit Fernelius.

Mercatus *cap. de ſuffuſ.* putat eam quoque fieri, quòd ſpiritus denſiores & frigidiores facti condenſentur, idque in valde ſenibus contingere ait. Sed profectò inanis & falſa illa ſpeculatio eſt, me judice. Quomodo enim in vivente corpore à frigore interno (quod, ni fallor, intelligit) adeò ſpiritus condenſari queant, corpora tenuiſſima & aëria, ut opaci fiant, id quod in aëre externo non evenit à frigore intenſiſſimo?

Alexander Maſſaria examinans locum Galeni *lib. 1. de ſympt. cauſ. cap.* 8. ubi habet, ſuffuſionem fieri ab humore tenui & aqueo, ſi admodum craſſus fiat; exiſtimat hunc humorem tenuem & aqueum per ſe non poſſe tantam craſſitiem & denſitatem acquirere, ut viſioni impedimento eſſe poſſit, ſed alios humores præter naturam ad illud confluere, commiſcerique eidem, qui deinde craſſeſcunt, denſantur, & ſuffuſionem efficiunt. Quam ſuam opinationem cùm nullâ communiat ratione, non meretur adſenſum. Et verò cur humor aqueus naturalis non tam poſſit in ſe craſſeſcere, quàm tunica cornea quandoque, cæteræque & partes & corporis humores?

Cùm ſuffuſio eſt in uno aliquo oculo, ſæpè videmus alterum ſanum tandem affici quoque. Ejus rationem dicit Montanus in conſil. hanc eſſe: quia ſpiritus decurrens à cerebro per nervos opticos per communem terminum dividitur: poſtea & unaquæque pars ſpiritus tranſit ad

proprios nervos. Ubi autem ad partem obſtructam pervenit, redit, & tranſit poſtea ad alium locum: quod videmus apertè, cùm alterum oculum claudimus, dilatatur pupilla alterius; & ita per malum contagium tandem inficit ſpiritus alterius oculi. Qua in ratiocinatione duplicem errorem errat. Primum, dilatari pupillam ob influxum ſpirituum in oculum; quod ſuprà refutavimus. Alterum, ſpiritus ad partem aliquam affectam influentes & retrogreſſos communicare alteri parti illius partis affectionem; quod in Medicina mihi eſt inauditum. Cauſa ergò propoſiti eventi eſt, quòd à cerebro frequentiſſimè materia ſuffuſionis ſuppeditetur, à quo illa tam in unum quàm in alterum oculum nata eſt ferri.

Cauſæ ſuffuſionis illegitimæ ſeu imaginum oculis obverſantium ſunt vapores à cerebro vel partibus inferioribus ad oculos delati, ac maximè à ventriculo. Similes imagines ante oculos oberrant quoque in phreneticis & melancholicis: in quibus Mercurialis dicit non verè eas apparere, ſed eſſe tantùm corruptam eorum imaginationem. Sed certè tam hiſce verè aliquando apparent, quàm in ſuffuſione; utrobiq; enim eadem cauſa. Attamen magna eſt inter illos ægros differentia. Nam phrenetici & melancholici, quæ in oculis percipiunt ſimulachra, ea pertinaciter credunt foris verè exiſtere, ob læſam, quam habent, rationem. Qui verò tantùm ſuffuſi ſunt, ratione duce cognoſcunt, quod vident, non foris eſſe, ſed oculorum culpâ id evenire. Quamquam in principio hi etiam res illas foris eſſe putent; quia nempe aſſueti ſunt, dum rectè valent, omnia in adverſo aëre conſpicere.

Signa. Suffuſio perfecta ſeu confirmata non difficulter noſcitur: intra enim pupillam quædam colorata macula apparet, vel alba, vel citrina, vel livida, pro diverſitate humoris concreti. Antequam verò perfecta ſit ſuffuſio, & nondum concretus humor, tum pupilla non lucens apparet, nec vivido ſplendore perfuſa, ſed eſt ſimilis vitro halitu adflato, vel aëri nebuloſo. Quò antequam progreſſus ſit affectus, in principio nempe ſuffuſionis, ſolent varia ſimulachra ante oculos volitare, pilis, araneis, filis floccilq; ſimilia. Quæ tamen cùm etiam in ſuffuſione ſpuria ſeu per conſenſum videri ſoleant, diligenter hæc eſt à legitima ſeu eſſentiali diſcriminanda. *Primò*, itaque in vera ac legitima ſuffuſione alter tantùm oculus iis imaginibus deludi ſolet, aut ſi uterque fortè tentetur, non tentatur ſimiliter: quod fit in ſpuria. *Secundò*, in legitima iſtæ apparitiones continenter ſine ullis intervallis viſuntur: in ſpuria ſecus eſt. Nam ablato vel inclinante eo affectu, per quem ſymptoma hoc efficiebatur, ceſſatio mali eſt. *Tertiò* ſi imagines illæ aliquot annos hominem vexarint ſine inſigni viſus detrimento, ſpuria eſt affectio & per conſenſum: nam ubi cauſa in oculo eſſentialiter latet, non poteſt ſex menſibus ex practicorum obſervationibus duraſſe, quin concreſcere in humorem vapor incipiat. Hoc tamen in me & multis aliis falſum comperio, qui multis annis ſpectra iſta in oculis patimur ab impuritatibus humori aqueo innatantibus ſine ſubſequente ſuffuſione, vel corpuſculorum eorum concretione.

Suffuſioni ortæ ab incraſſatione & impuritate humoris aquei ſignum eſt, quòd inſpicienti oculum ægrum appareat non limpidus oculus & clarus, ſed conturbatus atque obſcurus & inſtar impuræ aquæ.

Dicit Mercurialis, & alii quidam, imagines in principio perfectæ ſuffuſionis videri ſolitas aliquando non aliam habere cauſam, ſeu non ob aliud videri, quàm ob acumen viſus. Signum autem, quòd ab ea cauſa pendeant, dicit eſſe, quòd appoſitis rebus obſcuris ante oculos non videant. Quod nullo modo accipiendum eſt: niſi enim vapores vel humores alieni in oculis verè exiſtant iſta ſimulachra efformantes, certè viſus quantumvis acutus ea percipere non poterit. Sed & obtuſè videntes ea plerumque percipiunt, atque de illis conqueruntur. Quod autem addit, appoſitis rebus obſcuris ante oculos non videri imagines, id omnibus commune eſt, quibus nondum concretus eſt humor ſuffuſus. Nam ſemper tenuia corpuſcula in oculis volitantia non in obſcuro, ſed clariore aëre ſolùm obſervantur. Ratio eſt, quia cùm exiles ac tenues ſint res, non poſſunt viſum movere, niſi valde illuſtrentur. Et cùm illæ res per ſe obſcuræ ſint, ſi ſimul alia corpora obſcura adſpiciantur, non fit diſcrimen ab oculo, neque illæ præ aliis elucent. Si tamen valde excellens lumen adſpiciatur, ut Solis vel majoris facis, non etiam apparent; quia majus id lumen viſum totum percellit, & quaſi iſtas imagunculas diſſipat, vel lumine ita imbuit ut non ampliùs obſcuræ ſint, atque ita non diſcernantur.

Quod ad locum attinet, in quo materia ſuffuſionis conſiſtit, ſi in humore aqueo hæreat, facilè viſilis eſt, & ad frictum oculi plerumque movetur; item in principio, antequam confirmata fuit, varia ante oculos obverſata ſunt: quæ omnia non obſervantur, ſi in cryſtallino vel vitreo conſiſtat: & verò difficillimè cognoſcitur, in horum alterutro hærens, neque poteſt ferè à nervi obſtructione diſtingui.

Celebre & decantatiſſimum eſt apud Medicos præſagium ex Galeno deſumtum *lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 2.* in ſuffuſione quibus altero oculo conniventibus alterius pupillam dilatari contingit, ſi punctio admittatur, recipiendi viſus ſpem eſſe, quibus non dilatatur, ſpem omnem adimi: nam nervi optici affecti id indicium eſſe ajunt, per quem ſpiritus ad pupillam penetrare non poteſt, etſi ſuffuſus humor tranſpoſitus ſit, vel exemtus. Quod ſignum partim falſum docet, partim & ipſum in ſe falſum eſt. Falſum docet, quia præſupponit ab influente ſpiritu viſorio dilatationem contingere pupillæ cùm à remiſſiore luce dilatetur. Falſum in ſe eſt, quia non omnes ſunt deſperati, quantum eſt ex parte potentiæ videndi, quibus non ampliatur pupilla, ſic ſuadente ratione; *Primò*, ſi ſuffuſus humor lentus craſſuſque inter corneam uveamque conſiſtat, majus ſpatium, quam ipſius uveæ foramen ſit, occupans: tum namque lux externa non poteſt ferire interiorem oculum; unde nec dilatatio nec conſtrictio pupillæ fit. *Secundò*, ſi materia ſuffuſionis viſcida limbo foraminis uveæ tenaciter agglutinetur; tum enim prohibebit motum ipſius uveæ. *Tertiò*, ſi ſuffuſione laborans laboret quoque conſtrictione pupillæ; etenim hoc caſu inepta eſt pupilla

pilla diduci. *Quartò*, falſum eſt illud ſignum, quia poteſt pupilla dilatari & conſtringi, obſtructo nervo optico, ut poſt videbimus *cap. de affect. nerv. optic.* Ac ſic non omnibus viſus recipiendi ſpes eſt, quibus pupilla dilatatur.

Suffuſio ſicuti in principio diſcuti poteſt, ita, dum fuerit perfecta, tantùm deponitur acu. Cùm autem ſuffuſionum plures ſint ſpecies, Rudius docet quatuor curabiles eſſe, ſcilicet albam inſtar calcis; albam ad cæruleum clarum tendentem; albam ad cæruleum opacum vergentem; & citrinam. Verùm prima ſpecies, quia interdum propter percuſſionem evenit, ideo quamvis curetur, fieri tamen poteſt, ut deinde propter percuſſionem, quam æger ſuſtinuit, non bene deinde videat. Secunda autem ſpecie rectè depoſita ægri melius, quam in cæteris videbunt: ſolet enim ex ventriculo, & propter pravorum ciborum uſum procreari. Tertia ſpecis ubi fuerit depoſita, & viſio recuperata, non diu permanebit in eo ſtatu, niſi adhibitis diligenter remediis ægros præſervemus: ſolet enim ex multo capitis dolore, aut nimio frigore, aut propter anguſtiam, fletum, vigilias, & id genus alia immodica provenire. Quarta denique ſpecies, quæ ex multo potu, & cibo ſuperfluo generatur, & interdum propter magnum laborem, & ex humore melancholico, rite depoſita permanet, conſtante viſu. Hæc Rudius ait probari experientiâ, quam ſuſpicor ipſum numquam habuiſſe: nam veterum auctoritates atque experientiæ repugnant; præterquam quòd multa abſurda dicat.

Audiamus igitur potiùs Celſum, qui ita rem hanc digerit. Suffuſionis, inquit, plures ſunt ſpecies, quædam ſanabiles, quædam quæ curationem non admittunt. Nam ſi exigua ſuffuſio eſt, ſi immobilis, colorem verò habet marinæ aquæ, vel ferri nitentis, & à latere ſenſum aliquem fulgoris relinquit, ſpes ſupereſt. Si magna eſt, ſi nigra pars oculi amiſsâ naturali figurâ in aliam vertitur, ſi ſuffuſioni color cæruleus eſt, aut auro ſimilis, ſi laborat, & hac atque illac movetur, vix umquam ſuccurritur. Ferè verò pejor eſt, quo ex graviore morbo, majoribuſque capitis doloribus, vel ictu vehementiore orta eſt. Neque idonea curationi, ſi ſenilis ætas eſt: at ne puerilis quidem, ſed inter hæc media ætas.

Mercurialis ſcribit Celſum hìc ſibi contradicere, dum inquit ſuffuſiones coloris cærulei eſſe inſanabiles, aquæ autem marinæ ſimiles curari poſſe: quia, dicit Mercurialis, color cæruleus & aquæ marinæ idem eſt. Quod contra oculorum eſt ſenſum: cæruleus enim cæli eſt color, aqua marina viret. Voluit verò vir is Celſum cum Paulo conciliare, qui ponit ſuffuſionem coloris cærulei inter ſanabiles. At non multùm in eo laborandum puto. Scripſit enim quiſque, prout vel ipſemet obſervavit, vel ab aliis accepit: jam autem quædam unus aliquis obſervaſſe potuit, quod alteri non licuit. Itaque hic nihil uſquequaque vel ſemper verum eſſe reor, cùm res hæc non tam rationi quàm experientiæ innitatur: inde plerique auctores hic ſibi invicem repugnant.

Curatio. In principio dum imagines conſpiciuntur, vel aliquo modo incipit viſus obtenebrari, ac pupilla offuſcari, curari quidem poteſt hæc affectio, tum univerſi corporis evacuatione, tum localibus remediis, quæ poſſint materias jam in oculo exiſtentes digerere & diſſipare. At verò cùm concreſcere & indurari incepit, tum, ut *lib. 4. de comp. med. ſec. loc. cap. 4.* teſtatur Galenus, quamvis multa remedia & varia medicamenta in auctorum libris deſcripta reperiantur, quæ multa polliceri videntur: tamen cùm deinde ad opus & experientiam devenimus, aut nihil aut omninò parum eorum, quæ ipſi polliciti ſunt, præſtari experimur. Quare ſi in his aliqua curationis eſt ſpes, ea in hoc in primis ponenda eſt, ut ſtatim inter prima initia occurramus, antequam concreſcat humor. Occurritur autem evacuationibus frequentibus tam totius corporis, quàm capitis. Tum adhibenda, quæ oculos roborare poſſunt. Inter quæ fœniculum omnes tam intra quàm extra commendant. Præterea herba, quam eufraſiam vocant, tam in cibo quàm medicamentis magnopere laudatur: item ruta, verbena, betonica, chelidonia, quarum uſus in decoctis, infuſionibus ſyrupis eſſe poteſt. Electuarium præſtans deſcribit Saxonia, quo ſe multos à phantaſmatibus & incipientibus ſuffuſionibus curaſſe & præſervaſſe ait.

℞. Siler. montan. eufraſ. fœnic. aniſi hyſſop. puleg. chelidon. rutæ exſicc. & pulveriſ. ana drachm. II. beton. leviſtic. ana ſemunc. cardamom. zingib. piper. cinamom. cumini ana ſemidrachm. mellis q. ſ. Fiat elect. Doſis eſt à drachma una ad duas ſummo mane, & veſperi in ingreſſu lecti.

Quod ad capitis evacuationem attinet, id hìc non ita tutò per nares purgatur, ſed magis gargariſmata probantur, & quæ commanſa pituitam detrahunt. Sed & maximè hìc procurandum eſt, ut revellatur, & aliò convertatur fluxio materierum ad oculos confluentium. Quod fit per cucurbitulas ſæpius cervici & ſcapulis appoſitas: item per veſicatoria ibidem applicata ac ſæpius repetita. Nam etſi recisâ cuticulâ loco excoriato braſſica copioſo butyro imponatur, tamen invitis his medicamentis ſæpè fit conſolidatio; unde rurſus repetito veſicatorio locus eſt excoriandus. Quòd ſi minùs placeat, ſetaceum cervici infigendum, quod valde potens eſt remedium revulſorium. Inter derivatoria potens eſt veſicatorium applicatum ponè aures ſub infimam auriculam: eâ enim parte in multis excurrit ramus quidam venæ jugularis in nervos opticos.

Si turbatus videatur oculus, ut jam aliquid ſit in eo receptum, collyriis etiam erit agendum quæ digerant & diſcutiant, & ſimul roborent oculum, qualia ſunt in primis confecta ex ſucco fœniculi, addito felle capræ vel galli, vel lucii piſcis, atque melle optimo & myrrhâ. Ante quorum uſum expedit, ut fiat fotus ex aque dulci calida, vel decocto fœni Græci. Inte[illegible] remedium diſcutiens probatiſſimum eſt decoctum ſalſæ parillæ hoc modo confectum.

℞. Aq. chelidon. eufraſ. fœniculi ana lib. III. ſalſæ parillæ unc. VI. Macerentur per hor. XII. deinde bulliant ad conſumtionem medietatis: in fine ebullitionis adde ſem. fœniculi, ſem. rutæ ana ſemunciam. Colatura detur uſui. Doſis mane & veſperi unciæ octo: curatur-

raturque ut ſecundùm morem æger ſudet: atque interim utatur ſolo pane cum fœniculo, & carnibus avium aſſatis. Experiemini poſt purgationes, inquit Mercurialis, ſi hoc decocto utamini per 20. vel 25. dies, quòd ſuffuſiones diſſipabuntur: & ſi non diſſipentur, non alia eſt ſpes, niſi in depoſitione; præſertim ſi topica efficacia ſimul cum illo decocto adhibeantur. Qualia ſunt, quæ jam propono.

Ovum recens ſub cineribus coquitur ad duritiem: medium dividitur, & exemto vitello pulvere vitrioli albi, aut viridis æris admixto ſaccharo impletur: ambabus partibus arctiſſimè colligatis maceratur in aqua roſacea aut eufraſiæ per dies quatuor: expreſſione factâ fit collyrium, cujus præſtantiam experientia confirmat.

Aliud collyrium, quod Spiegelius nobis aiebat inter omnia eſſe potentiſſimum:

♃. Aq. fatureiæ, eufraſiæ, fœniculi ana unc. II. fellis leporini vel caprini unciam, æris uſti loti in aq. com. ſeſquidrachm. gummi tragacanth. myrrhæ ana drachm. Miſc. F. collyrium quod poteſt dilui cum aqua chelidoniæ, cui guttulæ aliquot aquæ vitæ ſunt admixtæ. Debet autem medicamentum id coqui in vaſe operto; ac deinde ab igne ſemotum in phiala bene clauſa in fumo ſuſpendi ad uſum. Convenit verò fieri inſtrumentum vitreum aut argenteum excavatum ovale in modum cymbæ adaptatum oculo; & ſuper ipſum ſæpius id illâ aquâ plenum detinebitur: ſic enim aqua non diffluet, adeoque potentius in oculum aget, quia diutiùs ei inhærebit.

Hanc etiam aquam ſubſcriptam cuidam viſum reſtituiſſe ajunt, qui eum obſuſcatum habuerat plures menſes.

♃. Croci metallor. drachm. aq. chelidon. unc. v. Miſce. Hujus tepidæ tres vel quatuor guttæ homine reſupino intra oculos funduntur ter vel quater in die: ſine morſu valentiſſimè abſtergit, eſtque ſecretum. Fit autem crocus metallorum ita:

♃. Antimon. crudi, ſalis nitri purgati ana part. æq. redigantur in pulverem, & miſc. in teſta figlina, & applicetur ignis: accenditur flamma in ſale nitro, quæ comburit antimonium; atque hoc dicitur crocus metallorum. Id igitur ita combuſtum teritur in pulverem, ac lavatur aquâ communi ſæpius, atque exſiccatur ad uſum.

In aliis ex fœce olei & agreſtæ ſucco unguentum factum ſine morſu & periculo hunc affectum ſanavit, teſte Geſnero *lib.3. Epiſt.*

Doctiſſimo Montano in ſuffuſione incipiente hoc collyrium erat familiare:

♃. Fœni Græci ſeſquiunc. rad. althææ unc. II. mundentur diligenter & coquantur in aq. com. Factâ diligenti expreſſione

♃. Aloës optim. pulveriſ. ſcrup. IV. bulliant omnia ſimul ad ſpiſſitudinem mellis liquidi: quod reſervetur in vaſe vitreo bene obturato. Vſurpatum ſi dolorem excitet, ſignum eſt non bene factum eſſe collyrium.

Aqua præſtantiſſima ad deponendas ungulas, ſuffuſiones, & clarificandum viſum mirabilis:

♃. Aq. roſac. fœniculi chelidon. eufraſ. apii ana unc. II. Mercurii ſublimati ac tenuiſſimè pulveriſati ſemiſcrup. cùm ille ſolutus fuerit, aquam filtra & ſerva. Quotidie mane jejuno ventriculo gutta una vel altera in oculum affectum immittitur.

Pulvis oculis hebetibus conducens, maculas tollens, nubeculas detergens, aquam eò defluentem abſumens, viſum acuens, claritatem faciens, ſanitatem oculorum conſervans:

R. Sacch. cand. alb. tutiæ præp. ana dracm. II. Margarat. præpar. ſarcocoll, ana ſemidrachmam; fabar. marin. præpar. ſcrup. Miſce, F. pul. ſubtil. Hujus portio ex canaliculo pennæ mane & veſperi in oculos inſletur, vel collyriis miſceatur.

Collyrium ſubalbidum miræ virtutis contra amblyopiam, amauroſin, ſuffuſionem, auctore Mynſichto:

♃. Aquæ ophthalmicæ de cancris ſemunciam, aquæ eufraſ. fœniculi ana drachm. II. trochiſ. & pulver. ophthalmici Mynſicht. ana ſcrup. Miſce, F. collyr. Guttatim in oculos inſtillatur, nullum infert dolorem.

Hoc unguentum ſpatio 30. dierum ſuffuſionem in puero diſcuſſit.

♃. Ung. roſac. pinguedin. porcin. in capſula æris rubri viginti dies retenti ana unciam, fellis paſſer. accipitris ana drachm. Miſce, F. Ung. Oculus extra & intus cum pluma mane & veſpere blandè ungitur.

Decoctum ad nubeculam omnem & ſuffuſionem confirmatam diſcutiendam:

♃. Vini malvatici lib. 3. gran. tritic. ſem. fœniculi ana ſemimanipul. cinamom. elect. confract. drach. II. Cariophyllorum contuſ. ſcrup. 4. fol. rutæ, cimarum lauri ana ſemipugill. Infunde per diem naturalem: deinde coq. lentiſſimo igne ad conſumt. quintæ partis: Colaturæ adde tutiæ præparat. drachm. II. Servetur in æneo vaſe ad uſum: cùm autem uti vis, decoctum agita & turba.

Interim dum hæc uſitantur, ægri utantur attenuante victu. Et valde convenit, ut ſemper à cibo cochlear hujus trageæ ſeu pulveris ſumant:

♃. Sem. fœniculi, aniſi, carui, ameos ana ſeſquidrachm. ſiler. montan. ſcrup. II. eufraſ. drachm. II. Macis, cinamom. caryophyll. nuc. moſch. ana drachm. ſacch. optim. ad pond. omnium. F. pul.

Fernelius pro curatione ſuffuſionis ita corpus totum & caput purgabat. Primò victum ſiccantem & attenuantem imperabat, quo neque humidioribus vel ſorbitionibus, neque liquidis, ſed aſſis dumtaxat & ſiccis æger veſcatur, hiſque ſatis tenuiter, & quantum ſat eſſe videbitur ad virium conſervationem. Vino interdicebat dies viginti aut triginta: & loco potus præbebat ligni ſancti decoctum nullius alterius rei permiſtione apparatum; conſulens, ut altero validiore & acriore decocto horâ quintâ matutinâ, & quartâ pomeridianâ & toto corpore, maximeque ex capite ſudor eliceretur. Tertiò aut quartò die hujus victus, cùm jam humores exagitati apparebant, purgationem adhibebat per pilulas lucis majores, & pilulas ſine quibus, aut per alias, quas laborantis naturæ putabat accommodatiores. Eas octavo aut decimo quoque die repetebat, neque illo die ſudores promovebat. Diebus interjectis alvum fortè duriorem emolliebat clyſtere. Quotidie mane, potiſſimùm ſub finem ſudoris, deraſo capiti imponebat

bat ſacculos ex milio, ſale, ſem. aniſi, fœniculi & baccis lauri torrefactis; quos ægrum in lecto decumbentem calidiſſimos perferre volebat horam circiter dimidiam, ut eorum operâ lentus humor foras proliceretur, & cerebrum roboraretur. Ad quod præſtandum efficaciores dicebat eſſe ſacculos, quàm vel emplaſtra, vel ſinapiſmos quantumvis calidos. Sublato ſacculo caput muniendum eſt ſtupis ſiccis, quæ ſuffientur ſtyrace, benioin, caryophyllis, & horum ſimilibus paulò ante utrumque paſtum. Eodemque tempore pituita è capite detrahenda eſt apophlegmatiſmis, quales ſunt ex maſtiche ac pyrethro manſis; vel gargariſmate ex accommodato decocto, in cujus libra una diſſoluta ſit drachma pyrethri pulveriſati. Hic certè modus Fernelii præclarus eſt, cum quo ſi prædicta inſignia collyria adhibeantur, & non curetur affectus, inſanabilis eſt judicandus.

Si denſa & concreta eſt ſuffuſio, medicamentis non eſt agendum, ſed operâ Chirurgicâ, quæ operariis illis peculiaribus eſt relinquenda. Deſcribit autem operationem iſtam eleganter & peritè Cornelius Celſus, atque inter recentiores Paræus. Videndum verò, ne curationi iſti manus admoveatur, ſi tuſſi æger laboret: ſi enim acu introducta ſupervenerit, perforationis periculum impendet; &, ſi tunicula depreſſa fuerit, ex concuſſione vehementi dimota recurrit: item propter tuſſim moto capite poſſet acus alicubi impingere, & ita acies in perpetuum eripi, ut ait Celſus. Sternutamenta etiam tum temporis valde vitanda: quòd ſi operatione perfectâ ſternutamentum imminere æger perſenſerit, ſummis duobus digitis utroque majore oculi angulo dextrè compreſſo id impediet; atque ita periculum recurſus materiæ ſuffuſæ, vel inflammationis in oculo evadet.

Conſulunt Practici quidam non indocti nec pauci, ſi tranſacto jam affectus hujus principio, curatione per medicamenta non ſuccedente, ad Chirurgiam accedere ſit conſtitutum, nondumque ad eam craſſitudinem redacta ſit ſuffuſio, ut acu deprimi valeat, tum ut citiùs ad manuum actionem veniatur, conſulunt, inquam, incraſſandam eſſe quàm primùm ſuffuſionem craſſo victu ac medicamentis. Quod tamen conſilium non placet doctiſſimo Valleſio: & meritò. Enimverò non omnis ſuffuſio, cùm concrevit, acu curari potest, ſed ea tantùm quæ eſt ſine nervorum opticorum obſtructione, & cæterorum ocularium humorum craſſitie præternaturali. Uſus verò eorum tum alimentorum tum pharmacorum, quæ craſſitudinem inducunt, timendum eſt, ne, dum humorem ſuffuſum incraſſat, vias quoque ſpirituum obturet, & humores oculi naturales reddat turbidiores. Nam non tantùm in humorem ſuffuſum vires ſuas exercerent illa remedia, ſed promiſcuè etiam in humores naturales ac cæteras corporis partes.

In ſuffuſione per conſenſum ventriculi Galenus mirificè laudat hieram, jactatque ſe eâ ſolâ multos in Aſia per literas Romam miſſas curaſſe. Singulis hebdomadibus ſemel aut bis datur ejus drachma una: ſed pilulæ maſtichinæ idem ferè præſtant. Quotidie convenit ſumere ſeſquiunciam oxymellis ſcillitici vel mellis roſacei cum decocto fœniculi. Ad ſummam, ea ſunt facienda, quæ cruditatem ſtomachi tollunt, atque ipſum roborant; unde & illis cœna debet eſſe parcior. Vomitum etſi quidam probent in eo caſu, melius tamen omittitur, quia humores & vapores ſurſum protrudit; ita ut ex ſolo vomitu quidam in ſuffuſiones inciderint. In hac ſpecie ſuffuſionis confert à cibo myrobalanos conditos ſumere, vel conſervam roſaceam, vel diacytonium, aliaque os ventriculi occludentia.

De Glaucomate.

Glaucoma eſt humoris oculi in glaucum colorem mutatio. Dico, humoris oculi, in genere, & non cryſtallini tantùm, ut alii definiunt; quia quicumque ex tribus humoribus glauco colore inficietur, ea ſymptomata orientur, quæ ipſi à cryſtallino glaucitate imbuto proficiſci volunt.

Glaucus autem color eſt, qui admiſtum virori habet alborem quemdam. Aliter dicitur Cæſius: viſiturque in felium & noctuarum oculis: à quibus noctuis color glaucus nomen ſumſit; noctua enim Græcè dicitur γλαύξ.

Fernelius de ſuo addit, glaucoma etiam eſſe cryſtallini humoris in fuſcum colorem mutationem; contra aliorum auctoritatem, & ſine ratione.

Veteres Græci glaucoma pro ſpecie ſuffuſionis habuerunt: non abſurdè; nam idem facit ac ſuffuſio: &, ſi humoris aquei incraſſatio atque addenſati ad ſuffuſionem refertur, cur non ejuſdem in alienum colorem mutatio? Quod forſan conſiderans Galenus *comm. in aphoriſ. ſect. 3.* dixit glaucomata ſpeciem quamdam & ideam ſuffuſionum habere.

Cauſæ. Mercurialis *lib. 1. Pract. cap. 29.* glaucoma ex ſententia Galeni dicit oriri ob multitudinem humoris cryſtallini. Cùm autem videret Galenum *lib. 10. de uſu part. cap. 6.* ſcribere, ex ſiccitate & nimia condenſatione humoris cryſtallini oriri glaucoſin, idem tradi ab Aëtio; inquit ipſe, aliud eſſe glaucoma, aliud glaucoſin; & hanc quidem à ſiccitate oriri poſſe, illud minimè. Sed hoc contra Græcorum omnium auctoritatem, qui glaucoma & glaucoſin non diſtinguunt.

Galenus *cap. 27. Art. medic.* glaucum oculum fieri dicit, vel propter magnitudinem, vel propter ſplendorem humoris cryſtallini, vel propter ſitum prominentem, aut propter tenuis & aquei humoris, qui in pupilla exiſtit, paucitatem & puritatem. Atque omnibus quidem in unum convenientibus fit glauciſſimus oculus: quod ſi aliqua adſint, aliqua verò non, tunc major aut minor glaucedo contrahitur. Hæc de glaucedine ſcribit, quæ non eſt morboſus, ſed naturalis affectus. Unde tamen poſſet quis ita colligere: cùm illa ſecundùm naturam ſe habentia ſint cauſæ naturalis glaucedinis, ſi modum naturæ excedant, futuras eſſe cauſas glaucedinis præter naturam ſeu glaucomatis; adeoque compertas haberi jam cauſas glaucedinis morboſæ. Sed verò, qui id ſibi præſuadet toto aberrat cælo. Nam neque illæ ſunt cauſæ glaucedinis naturalis; neque qui cauſas glaucedinis naturalis tenet, continuò & glaucomatis cauſas noſcit. Et primùm cauſæ glaucedinis naturalis illæ à Galeno adductæ non ſunt, quia ſi ab humoribus ſic glaucedo oriretur, glaucus potiſſimùm videretur

retur oculus in ipſo ſpatio pupillæ; atqui hoc non eſt ita: ſed denominatur ac videtur glaucus oculus in eo tantùm ſpatio, quod occupat externa & apparens uveæ ſuperficies: unde à colore hujus ſuperficiei petenda eſt cauſa colorationis oculi; & quando illa eſt glauca, oculus dicitur glaucus, uti pluribus evidentibus rationibus probavimus *lib.1. cap.12.*

Itaque jam conſtat quoque, cur cauſæ glaucedinis naturalis modum excedentes non ſint cauſæ glaucomatis. Nam glaucedo naturalis in tunica uvea tantùm reſidet, in ejuſque convexâ ſolùm ſuperficie apparet, pupillâ nigrâ & limpidâ exiſtente: at in glaucomate ipſamet pupilla glauco colore infecta eſt; hoc enim neceſſarium eſt, ut viſio lædatur: nam in uveæ parte extima hærens color non lædit viſionem.

Quæ igitur, inquies, glaucomatis ſtatuenda cauſa? Omnes eam ex Galeno *lib.10. de uſu part. cap.6.* dicunt exſiccationem & condenſationem cryſtallini eſſe. Ego verò res diaphanas, qualis eſt cryſtallinus, per exſiccationem & condenſationem albas quidem fieri ſcio, veluti aquam ex condenſato vapore, glaciem ex condenſata aqua, nivem ex condenſata nebula: ſed verò glaucas inde fieri necdum ſcio, niſi illius coloris principia & cauſas ante condenſationem in ſe habuerint. Et porrò quod per meram exſiccationem cryſtallinus non evadat glaucus, oculi excocti docere poſſunt, è quibus ſi eximas cryſtallinum, ſiccum eum, imò durum invenies, at non glaucum, ſed merè album. Præterea ſi à ſiccitate glaucoma oritur, & ob eam in ſenectute multis accidit, cur in hecticis non ſemper fit? Cur non in oculi atrophia ſeu imminutione?

Quapropter exiſtimo, glaucoma oriri vel ab humore viridi humoribus oculi commiſto, eorumque alborem ſeu pelluciditatem nonnihil opacante; vel ex certa lucidi & opaci proportione, quæ nobis ignota eſt. Ad qualitates autem aliquas primas, harumque varias commixtiones nullo modo vel hunc vel alium quemvis colorem poſſe referri cenſeo, quia quilibet color cum qualibet ea qualitate quit conſiſtere; ideoque glaucoma ſæpè oriri nullatenus exſiccato vel condenſato humore.

Signa. Glaucoma oculis cognoſcitur: nam pupilla colorem repræſentat glaucum, id eſt ex virore & albore miſtum. Si tamen humor vitreus glaucedine ſolus infectus eſſet, id extrinſecùs noſci per viſum adſtantis non poſſet.

Practici paſſim dicunt, ægros in glaucomate videre quaſi per nebulas & fumum. Quod quidem verum eſt; at id glaucomati non eſt proprium, verùm etiam convenit ſuffuſioni. Sed neque omni glaucomati convenit; tantùm quippe incipienti eſt peculiare. Confirmatum glaucoma planè tollit viſum.

Porrò quando tale eſt glaucoma, ut alborem vincat viror, nec penitus humori ademta ſit pelluciditas, tum obſcura fit viſio, & externa omnia videntur quaſi viridia, perinde ac ſi per craſſum glaucum ſeu ſubviride vitrum videret: atq; iſta viſio dicitur Græcè *Parorasis*, id eſt hallucinatio, qualis etiam fit, dum cornea alieno colore imbuta eſt. At verò non fit, niſi in principio glaucomatis, procedente enim affectu tollitur pelluciditas humoris, & ſimul viſus.

Mercurialis ſigna glaucomatis vel jam facti vel incipientis eſſe ſcribit, ſi circa pupillam inſignis ac profundus appareat albor, cum quo eveniat, ut vel lux non videatur, vel omnia tanquam per fumum conſpiciantur. Verùm iſta ſigna non tam ſunt glaucomatis, quàm hypochymatis ſeu ſuffuſionis. Niſi cum veteribus glaucoma & ſuffuſionem idem morbi genus ſtatuat.

Plerique inſanabile glaucoma eſſe ſcribunt. Quod tamen non uſquequaque certum eſſe cenſendum eſt. Nam ſi ab alieno humore offuſo glaucoma oriatur, curari poterit æquè ac ſuffuſio. Scitur autem id, ſi fluxio præceſſerit, ac ſubitò factum ſit glaucoma.

Scriptores multi glaucoma fieri dicunt ab effuſo humore aqueo, atque ita à ſiccitate; quod etiam aliquando curari aiunt in pueris, regenerato humore aqueo. Sed reverà illud non eſt glaucoma: nam elapſo humore aqueo cornea corrugatur & in ſe concidit; corrugata autem cornea albicat nonnihil, quaſique tendit ad glaucedinem: ſic ut iſta glaucedo in cornea tunica ſit, non in humoribus, in quibus tamen propriè dictum glaucoma conſiſtere traditur.

Curatio. Omne glaucoma inſanabile eſt ex Auctorum ſententia: nulla ergò curatio hîc adhibenda.

Excipiebamus illud glaucomatis genus, quod ab affluxu humoris fit: quod in principio curari poſſe putamus illis remediis iiſdem, quæ capite ſuperiore adverſus ſuffuſionem valere dicta ſunt, tam generalia quàm particularia, quæ nihil opus jam repetere.

De Nyctalopiaſi.

Nyctalopiaſis, Nyctalopia ſeu Nyctalops quid ſit, non convenit inter Auctores. Aëtius enim, Actuarius & Paulus affectum eſſe dicunt, in quo interdiu quis, videt ſed noctu aut veſperi nihil. Unde & Nocturna cæcitudo à recentioribus appellatur.

Contrà Hippocrates *lib. 2. Prorrhet.* affectum hunc dicit eſſe, in quo noctu meliùs cernitur, interdiu verò deteriùs. Quam nyctalopis notionem etiam agnovit Aëtius; addens id vitium admodum rarum eſſe. Et ſanè ipſamet ratio nominis etymologica indicat illud eſſe, quod dicit Hippocrates: nyctalops quippe idem eſt ac nocturnus oculus.

Alii ut ſuam ſignificationem tueantur dicunt derivari vocem Nyctalops ἀπὸ τῆς νυκτὸς ἀλαὸς, id eſt noctu cæcus: λάειν enim videre eſt. Sed ſi inde deducatur, debuiſſet dici Nyctalaos, non Nyctalops.

Altera adhuc abſurdior meo judicio datur origo huic vocabulo Nyctalops ab ἀλωπηξ, quod vulpem ſonat. Nam per hanc derivationem confirmatur, quod Nyctalops ſignificet id, quod Hippocrates ſcripſit: vulpem quippe diurno tempore videre non poſſe docent, noctu verò cernere; quod ipſum Hippocrati eſt eſſe nyctalopem.

Nos de utraque nyctalopia agemus hîc, id eſt tam de Hippocratica ſeu de diurna cæcitudine, quàm aliorum ſeu cæcitudine nocturna. Et inter animalia quidem pleraque tum interdiu tum noctu vident: quædam noctu tantùm, non interdiu, ut veſpertiliones. Sed nullum eſt, quod

quod ſciam, cui à natura tributum ſit interdiu videre, non noctu, quod nyctalopibus accidit in ea ſignificatione acceptis.

Aliqui nyctalopiam ſeu nocturnam cæcitudinem Latinè poſſe dici putant veſpertinam aciem, ſeducti quodam loco Plinii *lib. 8. cap. 50.* ubi ſcribit, jecur caprinum veſpertinam aciem reſtituere his, quos nyctalopas vocant. Sed id valde inſulsè inde hauriunt, nam planè contrarium ibi dicitur: vult reſtitui veſpertinam aciem nyctalopibus tanquam contrariam nyctalopiæ, adeoque hæc eo nomine appellari non poteſt. Diurna igitur cæcitudo melius veſpertina acies nominetur: quod & à quibuſdam fieri auctor eſt Hollerius cap. de debil. viſ.

Cauſæ. Propoſitorum affectuum, id eſt tum nocturnæ tum diurnæ cæcitudinis cauſam eſſe omnes referunt conſtitutionem ſpiritus viſorii: qui ſi copioſus ſit, ſed humidus & craſſus, & obſcurus, tunc nocturnæ cæcitatis eſt cauſa, quia multo lumine eget ad ſui illuſtrationem: ſi igneus ſit & ſubtilis, diurnæ cæcitatis eſt cauſa, quia diurno lumine diſſipatur, nocturno colligitur, inquiunt. Hi quia ſupponunt viſionem fieri per emiſſionem ſpirituum illorum ex oculis, non merentur aſſenſum: nam ſententiæ illius falſitas demonſtrari poteſt.

Ergò aliæ ſunt reddendæ cauſæ dictarum affectionum. Illæ autem, etſi variæ eſſe poſſunt, generaliter binario numero comprehendi queunt; dicendo, quòd cauſa immediata & adæquata nocturnæ cæcitudinis ſit requiſitio multi luminis ad viſionem, cum hoc, quod poſſit oculus ipſum multum lumen tolerare. Contra quod cauſa immediata & adæquata diurnæ cæcitudinis ſit requiſitio pauci luminis ad viſionem, cum hoc, quòd oculus non poſſit multum lumen tolerare.

At jam ultra inquirendum ſpecialius eſt, quid illud ſit, cur oculus aliquis multum lumen requirat ad videndum, & cur alius requirat lumen paucum. In primis craſſities & impuritas tunicæ corneæ cæterorumque oculi humorum eſt cauſa, cur non niſi de die & in magno lumine videatur. Nam ſicuti per denſum & obſcurum aërem videri non quit, niſi valde illuminetur: neque item per craſſa vitra res foris poſitæ, niſi valde illuſtratæ: ita facultas viſiva objecta ſua percipere non poteſt per tunicam corneam & humores craſſos, qui medium ſunt, quod ſpecies tranſeunt, niſi illa objecta & oculus intensè irradientur. Si contra ſe habeant humores & cornea tunica, id eſt, nimis tenuis hæc ſit, illique nimis rari & limpidi, cauſæ ſunt cæcitatis diurnæ. Quod ſi ad priorem cauſam accedat pupillæ nonnaturalis coarctatio, jam efficacior fiet nocturnæ cæcitatis cauſa. Sicuti ad diurnam cæcitatem valde juvat, ſi pupilla nimium hiet, veluti perſpicue explicatum eſt c. de dilat. & conſtrict. pup. Unde cauſa procatarctica nocturnæ cæcitatis poteſt eſſe nimius adſpectus Solis, & rerum albarum, uti accidit iter agentibus per loca nivoſa: nam hæ cauſæ pupillæ conſtrictionem efficiunt nimiam. Ita è converſo longa mora in tenebroſo carcere poteſt eſſe cauſa cæcitatis diurnæ, quia nimium dilatatur inde pupilla.

Quod ad oculi externam conſtitutionem attinet: eminentes & glauci oculi magis ad diurnam hebetudinem proni ſunt; reconditi & nigri contra ad nocturnam. Ratio patet, quia illos qualecumque lumen ſatis afficit, hos non. Præterea qui defluxionibus & inflammationibus oculorum laborant, diurnam lucem non ferunt, adeoque & illi diurnâ cæcitudine laborare dici poſſunt.

Porrò animadverti volo, ex pupillæ ſtrictura magis propriè nocturnam cæcitatem oriri, quam ex tunicarum humorumque craſſitie & opacitate; quia in nyctalopia ſeu cæcitudine nocturna veſpere ægri non vident, ſic tamen, ut de die ſat rectè cernant: at qui craſſas tunicas humoreſque ſortiti ſunt, ne quidem de die res probè intuentur.

Animadvertendum inſuper, eos, quibus oculi ſuffuſi ſunt, in magno lumine recta oculos è orum feriente videre non poſſe. Cujus tamen contrarium ex dictis elici poſſe videtur: nam cùm incraſſatos habeant oculorum humores, magnum lumen benè videntur ferre poſſe. Sed ratio eſt, quia humore medium pupillæ obſidente ſpecies rerum è directo ſtantium non poſſunt recta oculum intrare & retiformi adlabi: unde non vivida fit, ſed maligna pictura, quæ non movet efficaciter viſum; adeoque lumen quoque cum ipſis in oculos admiſſum diluit illam picturam, atque ad ſe viſum totum rapit.

Signa. Nyctalops ex narratione ægri facile cognoſcitur: conqueritur enim æger ipſe vel de die ſe tantùm videre, & non veſperi; vel contra veſperi tantùm atque in obſcuro aëre, non de die.

Signa quoque cauſarum viſu comprehendi poſſunt. Nam tunicarum craſſities humorumque impuritas extrinſecùs quodammodò adverti poteſt; oculus non clarus & limpidus, ſed obſcurus & turbidus apparet. Quòd ſi pupillæ conſtitutio cauſa ſit, hæc facillimè etiam viſu perſentitur.

Notandum Celſi dictum *lib. 6. cap. 6.* inquientis, nocturnam cæcitudinem ſeu imbecillitatem oculorum, ut ipſe vocat, in fœminam benè reſpondentibus menſtruis non cadere. Idem Hippocrates ſcripſit *lib. 2. Prorrhet.* Mercurialis rationem reddere conatus ita diſſerit: Ubi fluunt menſes mulieribus, ſpiritus ipſis depurantur; ubi verò non fluunt menſes, viſorii ſpiritus ita craſſeſcunt & obſcurantur, ut neceſſariò vis viſoria infirma ſit. Sed perperam hæc dicta ſunt, & planè contra mentem Hippocratis. Nam per illam ſuam rationem, quamquam abſurdam, probat, iſtas mulieres, quibus fluunt menſes, non eſſe obnoxias nocturnæ cæcitudini. Hippocrates autem vult, eas non eſſe obnoxias cæcitudini diurnæ; hæc enim vocatur Hippocrati nyctalops, uti antè eſt monitum. Unde & Celſus non rectè Hippocratis ſententiam nocturnæ cæcitati accommodat. Recitemus ipſamet Hippocratis verba: *Qui nocte vident, quos nyctalopas vocamus, hi morbo corripiuntur juvenes, aut pueri, aut etiam adoleſcentes: & liberantur ſua ſponte, aliqui in 40. diebus, aliqui ſeptimo menſe; quibuſdam verò & per totum annum permanſit. Quapropter de tempore conjectare oportet, ita ut & ad morbi robur, & ad ægri ætatem reſpicias. Abſceſſus autem his proſunt inſuper apparentes, & ad infernas partes fluentes; verùm non valde ac-*

cedunt propter juventutem. At mulieres non corripiuntur hoc morbo, neque virgines, quibus menſes comparent. Quibus autem lacrymarum fluxiones diuturnæ fuerint, & hi nyctalopes fiunt: eas interrogare oportet, an caput doluerint, antea quam hæc revelarunt. Ratio ergò, quòd mulieres & virgines, quibus menſes comparent, fiant nyctalopes, hæc videtur eſſe: quia quibus non comparent, hæ inflammationibus, doloribus & defluxionibus oculorum obnoxiæ ſunt, ob raptum menſtruæ materiæ ſurſum: at tales oculi diurnam lucem non ferentes de die cæci quaſi ſunt.

Curatio. Nyctalopia à pupillæ conſtitutione præter naturam orta curatur, pupillâ reductâ ad naturalem ſuum poſitum: de quo cùm egerimus capite ſpeciali, quod eſt de dilatione & conſtrictione pupillæ, non eſt, quod hic iterum repetamus.

Supereſt, ut hic alteram tantùm nocturnæ cæcitudinis cauſam reſpiciamus, craſſitiem ſcilicet tunicarum oculi & humorum: ad quam etiam pleraque valent, quæ adverſus albuginem & ſuffuſionem prodeſſe memorata ſunt. Nam in principio, ſi ferant vires, ſecanda eſt vena cephalica: præbendum purgans, affigendæ collo cucurbitulæ, & quandoque ſetaceum.

Quod ad localia attinet, omnes veteres hic probant jecur caprinum, eo quòd dicantur capræ non minùs noctu cernere, quam interdiu. Dant autem jecur aſſum, & cum ſale comedendum: ſanie, quæ inde effluit, dum aſſatur, oculos illinunt, maximè inſerto ei hinc inde diſſecto pulvere piperis longi, aut vaporem elixi jecoris oculis excipi jubent. Quod tamen remedium, ſi ex qualitatibus manifeſtis æſtimemus, non valde hic juvabit, imò nocebit: nam jecur caprinum fæculentum ac craſſum ſanguinem generat, ideoque humores oculi magis incraſſabit; niſi conditum fuerit aromatibus, & ita comedatur. Nihilominus tribuendum aliquid veterum auctoritatibus; propterea; dicendum, non tam manifeſtis qualitatibus agere hic jecur caprinum, quam occultâ proprietate. Ita & eufraſia ſpeciali proprietate oculos juvat quomodocumque ſumta. In propoſito autem caſu vinum ejus probarim potius, quàm conſervam, vel conditum, vel pulverem; magis enim id penetrat & incidit. Parari poteſt hoc modo:

℞. Rad. elenii unc. IV. eufraſ. manip. IV. ſem. fœnicul. ſiler. montan. ana unc. II. ſuſpendantur in hydromelite recens cocto vel cereviſia, donec deferbuerit. De hoc capiat æger ſingulis diebus mane vel in prandio hauſtum.

Vel ita facito: ♃. Herb. eufraſ. manip. II. ſem. fœniculi ſemunc. cinamom. drachm. III. conciſa ligentur in nodulo, qui ſuſpendatur in vini Rhenani poculis II. Ante quorum ſumtionem ſi eufraſiæ conſerva edatur, utile valde erit. Collyrium ſpecialiter quoque hic conferens eſt hoc.

♃. Succi fœniculi cocti & depurati drachm. II. mellis, fellis caprini ana drachmam. Miſce.

De Myopiaſi.

Myopiaſis ſeu Myopia eſt viſus debilitas, quâ qui laborant non niſi admota oculis cernunt. Dicuntur illi Græcis Myopes, quaſi μύοντες ὦπας, id eſt conniventes ſeu claudentes oculos; ſolent enim iſti palpebris conſtrictis videre. Latinè vocantur Luſcioſi, & Luſcitioſi, & Nuſcitioſi: vitiū ipſum Luſcitio à quibuſdam. Quamquam alii luſcioſos interpretentur eſſe nyctalopas: imò & myopes eoſdem eſſe velint ac nyctalopes; hoc tantùm diſcrimine, quòd myopes ex Aëtio & Paulo tales ſint à principio ſui ortus, nyctalopes poſtea facti tales ſint à morbo. Sunt & qui myopiam opponant nyctalopiæ.

Sed nos hiſce notionum ambiguitatibus dimiſſis, myopes ſolùm vocamus illos, qui proxima quidem vident, remota verò non vident, ſive id ab ortu primo habeant, ſive poſtea à morbo. Aliqui practici vocant ipſos luſcos: malè. Nam luſci ſunt, qui altero oculo carent.

Myopiæ contrarium vitium eſt ſenilis viſus: ſiquidem ſenes admota non videntes, longè reducta vident. De qua affectione hic etiam agemus, quia contrariorum eadem eſt diſciplina.

Cauſæ. Libro quarto problem. 39. Philoſophorum & Medicorum tum veterum tum recentiorum magis celebrium de cauſis hujus affectionis ſententias produximus & profligavimus, propriamque in medium attulimus, cujus hoc eſt breviarium.

Myopiæ cauſa eſt remotior ſitus retiformis tunicæ ab humore cryſtallino: quam ob rem fit, ut conus ſpecierum ab objectis viſibilibus remotis emiſſarum non attingat dictam illam tunicam, ſed citra eamdem formetur iſte conus ſeu concurſus ſpecierum. Unde neceſſario qui ita conſtituti ſunt, vident objecta remota confuſe: nam diſtincta viſio fit tantùm ibi, ubi radii ſpecierum viſibilium coëunt. Contra ſenilis viſus cauſa eſt nimia admotio ſeu propinquitas retiformis tunicæ ad cryſtallinum: cujus ratione fit, ut ſpecies à propinquis objectis productæ ultra tunicam retiformen coëant, adeoque nec diſtinctè videri poſſint: à remotis autem objectis emiſſæ, citoque coëuntes in ipſamet tunica faciant conum. Talis autem ſitus tunicæ retiformis & cryſtallini plerumque obtingit à natura: aliquando tamen & poſtea acquiritur; ut qui vitam ſedentariam agunt intra parietes, vel ſubtilibus aliquibus opificiis incumbentes victum quæritant: hi cùm ferme continenter oculos rebus illis affixos habeant, aſſuefaciunt & firmant tunicam in eo ſitu, ut poſtea ad remota videnda oculus penè ſit ineptus. Contrà eſt in illis, qui in venationibus, aucupiis, navigationibus itineribus perpetuì ſunt: hi enim ad remota tantùm viſu percipienda oculum aſſuefaciunt & aptant.

Altera myopiæ cauſa eſt craſſities & turbiditas humorum ocularium, ob quam fit, ut ſpecies à longinquis rebus profluentes illic quaſi immoriantur, neque poſſint retiformem tunicam attingere, ut ibidem pictura exhibeatur.

Cur porrò myopes, ut acutiùs videant, palpebras contrahere ſoleant & nictare: item cur minuſculas literas conſuerint ſcribere, eodem libro explicavimus; prius *problem.* 41. poſterius *problem.* 43.

Signa. Myopiam ſuam æger quiſque declarare poteſt. An verò is affectus à tunicæ tantùm retinæ ſitu oriatur, an ab humorum craſſitie, ſignis opus eſt. Si ergò oculi planè appareant limpidi, puri & fulgentes, indicium eſt, quòd à retiformis

tunicæ ſitu vitium veniat; ad quod ſi accedat, quòd perſpicillis juventur concavis, jam certi reddimur, ob illam cauſam evenire malum. Contrà ſi à craſſitudine & turbiditate humorum proficiſcatur, ea viſu extrinſecùs noſci poteſt: neque tales conſpicillis juvantur, & ad propinqua etiam caligant; cum alii ab altera dicta cauſa myopes propinqua diſtinctiſſimè & clariſſime videant.

Quod ſpectat ad prognoſticum: quæ à ſitu retiformis oritur myopia, curari medicamentis non poteſt: ætate autem per ſe ſenſim corrigitur. Myopes enim, quò magis ſeneſcunt, eò longinquius vident, & ad extremum ferè ſenium ſine perſpiciliis. Ratio eſt, quia cùm myopia fiat ob remotionem retiformis tunicæ à cryſtallino, interpoſito videlicet nimis craſſo corpore humoris vitrei, quando ob ſenium totum corpus ſicceſcit, & conſequenter etiam oculi humores, contrahitur in ſe humor vitreus, & minus ſpatium occupat, atque ita retiformis propiùs à cryſtallino abeſt.

Myopia verò à craſſitie humorum medicamentis aliquando curari poteſt.

Curatio. Etſi myopiam ob ſitum retiformis tunicæ dixerimus eſſe inſanabilem medicamentis, externis tamen adminiculis quibuſdam emendari poteſt, perſpiciliis nempe concavis, quibus fit, ut myopes remota objecta diſtinctè contueantur. Hoc autem quare ita fiat, perſpicuè explicavimus *problem.* 40. Ad emendandum quoque viſum myopum prodeſt ſæpè vehi curru facie averſâ ab equis, ſic tamen, ut per partem currus poſteriorem proſpectare poſſint. Cujus rationem dedimus *problem.* 43.

In conturbatione autem & craſſitiè humorum eadem auxilia hic proſunt, quæ in ſuffuſione ſunt indicata.

Solent Medici præſcribere myopibus denſantia atque conſtringentia, ut aquam roſaceam cum tutia; ſuccum granatorum denſatum, vel miſtum pauxillo acaciæ, & illis oculos illinere: intus verò pro cibo præbere carnes craſſioris ſucci, pro potu vinum rubrum. Quæ ita conſulunt, ut ſpiritus viſivi incraſſentur, à quorum tenuitate putant oriri myopiaſin. Sed valde falluntur: non enim à ſpiritibus vitiatis evenit illud malum, neque iſti in viſione ex oculo avolant, verùm evenit ex illis cauſis, quas diximus. Quòd ſi ergò cauſa poſterior ſubſit, id eſt craſſities & turbiditas humorum, quid damni prædicta conſtringentia & denſantia medicamenta allatura ſint, quilibet facilè videt.

De affectionibus ſpirituum viſioni officientibus.

Nuſquam Medici ſunt diſertiores, nuſquam magis ſibi conſentientes, quàm in recenſendis affectibus ſpirituum, qui viſioni incommodant. Adducunt eorum impuritatem, obtrudunt craſſitiem, tenuitatem, paucitatem atque inopiam, & ſi Diis placet, multitudinem quoque eorum ac copiam. Ad illos referunt myopiam, nyctalopiam: illis adſcribunt ſenilem viſum, aliaſque in viſu tum depravationes tum hallucinationes. Quæ omnia quàm abſona ſint & abſurda, jam ſæpiùs monuimus: & hic quoque nonnihil videamus.

Spiritum lucidum, tenuem, paucum propinqua tantùm agnoſcere dicunt, non remota. Qui verò remota tantùm cernunt, eos lucido, craſſo, & multo abundare ſtatuunt. Qui deinde lucido, craſſo & pauco præditi ſunt, eos nec propinqua nec remota videre. Denique obſcuros ſpiritus viſioni valde incommodos ſtatuunt, eoque magis, quò craſſiores fuerint. Hi videlicet ſupponunt, ſpiritum viſivum ex oculis ad objecta projici, ut viſio fiat: quam opinionem ubiq; damnavimus, ob multas ineptias, quibus has adtexe. Si ſpiritus emiſſio ad viſionem exercendam ſit neceſſaria, cùm ille corpus ſit, adeoque in inſtanti moveri nequeat, ſequetur, viſionem in inſtanti non poſſe fieri: imò requiretur tempus valde magnum, quando nempe ſpiritus tranſire debet ad objectum longè diſtans, v. g. ad ſtellas. Cùm enim corpus ſit, non poteſt per plenum tranſire niſi cum reſiſtentia: jam verò viſio fit in inſtanti. Accedit, quòd hic ſpiritus in tanta diſtantia & tam frequentibus adſpectibus deberet omninò conſumi, etſi eſſet copioſiſſimus. Præterea cùm tranſeat ſæpè per loca valde intemperata, calida valde & ignea, per frigida item & glacialia, deberet ſæpè corrumpi, atque ita viſio impediri. Denique ex flatu venti neceſſe eſſet viſionem turbari, utpote ſpiritum perinde atque aërem auferentis.

Sed obiiciunt: Sunt quidam, qui ad objecta utcumque etiam remota aliqualiter vident, continuando tamen nonnihil viſionem, obſcuratur hæc ipſis, & denique planè aboletur. Quod ſi claudant pauliſper oculos, iterum redit ipſis viſus. Quod ſignum eſt, hoſce paucis ſpiritibus donatos eſſe, qui ob continuatam nonnihil viſionem diſſipantur; ob clauſionem autem oculorum iterum regenerantur. Ergò ſpiritus ex oculis videntibus emittuntur. Reſpond. ejus eventi cauſam minimè eſſe, quòd ſpiritus ex oculis evaneſcant, ſi enim tantilli ſolùm ſint, ut modicâ tali viſione evolent, quomodo ad aſtra extendi ipſi poſſint, quæ tamen tales ſatis rectè & diu vident? Cauſa ergo eſt, quòd vel nervi optici ſemiobſtructione laborent, ratione cujus ſpiritus non abunde ſatis influunt in oculum, ut viſio poſſit continuari: vel quòd vapores humoreſve impuri in oculo inter objectum & retiformem tunicam ſe interponant, qui tum potiſſimùm moventur, quando videt oculus, quia tum laborat ac movetur; clauſus autem oculus quieſcit, adeoque & illi ſubſident ac quieſcunt. Hæc contra emiſſionem generaliter. Quæ ſi admittenda non eſt, reliquæ etiam eorum rationes myopiæ, nyctalopiæ & ſenilis viſus corruunt.

Sed dato etiam, ſpiritus ad viſionem eliciendam ex oculis ad objecta volare; quidem adhuc dictæ rationes nihili ſunt. Dicunt enim myopes ſpiritus ſubtiles & paucos habere; ſenes, qui eminus tantum vident, habere craſſos & copioſos, qui propterea ad viſionem inepti ſunt, niſi longo ſpatio attenuentur. Ubi quæro ab hujus ſententiæ patronis, cur, quando jam ob longinquorum intuitum ſpiritus illi attenuati ſunt, non poſſint tales homines propinqua rectè videre converſo mox ad hæc obtutu? Verùm & in aſſignando modo iſtius ſpirituum attenuationis errant: nam à multo lumine accedente à remotis objectis attenuari ipſos volunt. Atqui jam ponamus fieri viſionem in medio obſcuro, ſic ut objectum dumtaxat in claritate conſiſtat, ibi tunc ſpiritus craſſus non

attenuabitur à lumine, quod non eſt, ſed magis incraſſabitur à medio obſcuro & frigido, veluti ſi in hyeme & nocte obſcuriſſima ſtellas intueantur ſenes. Adde quòd ſecundùm hanc ſententiam melancholici omnes ſenilem viſum ſint habituri, vel etiam cæcutient planè, utpote quorum ſpiritus ex omnium confeſſione obſcuri ſint & craſſi: multi tamen eorum ſanè objecta tam propinqua quàm remota diſtinctè vident.

Nihilo melius in myopibus ſpirituum inopiam ponunt ad objecta remota non pervenire valentium. Quis enim credat in juvenibus & vegetis, quales ſæpè myopes ſunt, ſpiritus deficere? Et cur ergò tabidi morbiſq; conſumti non ſunt myopes? Sed quòd à ſpirituum paucitate non oriatur myopia, hoc mihi convincere videtur, quòd myopes juvenes, quò magis ſeneſcunt, magiſque decrepiti fiunt, eò fiat melior eorum viſus, id eſt, ad longinquiora protendatur, cùm tamen in ea ætate magis magiſque ſpiritus diminuantur.

Audiamus modo, quid de nimia ſpirituum multitudine ſtatuant, à qua minus damnum in viſu ſubſequi volunt, quàm ab inopia; idque non ſine argumentis in ſpeciem validis. Nam membra ſunt animæ inſtrumenta non minùs quàm ſpiritus: at membra tam aucta quàm diminuta lædunt actiones; ergò & ſpiritus. Præterea valde calida res eſt ſpiritus: hic igitur moderatus temperiem membri ſervabit, excedens autem calorem intendet. Denique jugis ille ſpirituum influxus ſpiritum condenſat non ſecus quàm aërem impulſio: coactus autem in ſe minùs deducit rerum imagines ad ſenſorium commune. Mercatus *lib. 1. de in. morb. curat. cap. 20.* ſic illa ſolvit. Abundantiam ſpirituum duobus modis fieri; uno ex efficacia cauſæ generantis, altero ex defectu cauſæ diſtribuentis. Quo ſuppoſito ait, abundantiam ſpirituum ex efficacia & ubertate cauſæ generantis nullo modo poſſe viſionem vel aliam ſpirituum actionem lædere. Abundantiam verò, quæ fit ob ſubitum aut intempeſtivum retroceſſum, vel ob improſperam diſtributionem, poſſe lædere, uti fit in corde oborto timore. Sed cùm in oculis, inquit, iſtud contingere non poſſit, niſi ex diutino ſomno, aut ex diuturna mora in opaco loco, fit, ut abundantia non lædat, aut id debiliter, & per breve admodum tempus. Ita dubius eſt hic vir, & nonnihil videtur accedere iſti ſententiæ, quæ ſtatuit, ex abundantia ſpirituum viſionem lædi poſſe, cui tamen neutiquam eſt adſentiendum. Nam ex diutino ſomno vel mora diuturna in loco obſcuro nequaquam viſio læditur ob ſpirituum abundantiam, ſed quod tum pupilla valde dilatata, ſi in loco claro ſtatuatur, non poſſit ferre copioſum lumen oculum ingrediens: vel, ut alii explicant, quod deſueverit in tenebris diſtribui ſpiritus ad oculos; adeoque his accidat, quòd membris propter diuturnum otium marceſcentibus.

Ad argumenta ergò reſpondetur: in primis membra aucta vel ſuis propriis actionibus officere, quia ob nimiam molem anima non poſſit ipſa regere, vel impedimento eſſe aliorum muneribus; quorum neuter modus in ſpiritum convenit, utpote qui numquam in tantam molem excreſcere queat. *Ad alterum.* Auctus ſpiritus naturali ſuâ temperie præditus nullum intenſiorem calorem communicabit: nam propterea calor non magis in eo intenſus erit, ſed tantùm extenſus. *Ad ertium.* Spiritus non cogitur denſari aut conculcari veluti aër propter ſequentem inundationem: neque enim intercedit impetus vel impellens vel comprimens, à quo denſetur. Si dicas, facult tem cerebri diſtributivam ſeu expulſivam perpetuò ſpiritus emittere ad organa: Reſpond. eam facultatem non plus emitere, quam quantum ad actiones eſt ſatis.

Quid ergò? inquietis. An nullus ſpirituum ad viſionem uſus? Sanè non is, quem Medici ſibi fingunt. Eſt tamen, & quidem magnus, nempe accipere impreſſionem ſpecierum vi bilium in retina factam; eamque impreſſionem offerre animæ. Ita enim nat râ comparatum eſt, ut ſine ope ſpirituum nihil efficiat anima, quamdiu in corpore hoc eſt ergaſtula.

Itaque duplex tantùm agnoſco ſpirituum vitium viſionem lædens, defectum & motum eorum circularem inordinatum. Ob defectum, prout is major eſt, debilitatur vel aufertur viſio. Ob motum circularem omnia in gyrum verti videntur: ob inordinatas autem eorum intra oculum agitationes atque impetus, aliquibus noctu potiſſimùm luculæ quædam ac ſcintillulæ videntur, cuilibet percuſſis vel compreſſis oculis.

Sennertus addit ſpirituum impuritatem & craſſitiem, ob vapores craſſos & turbidos eis commiſtos, unde fiat, ut muſcæ, flocci, filamenta, ſimiliaque ob oculos verſari videantur, viſioque fiat quaſi per nebulam. At in hiſce caſibus illi vapores potiùs humoribus oculi admiſcentur, quàm ſpiritibus. Ut enim dicti vapores lædant viſionem eo modo, quo propoſitum eſt, debent commiſceri medio viſionis, quod humores oculi ſunt, non item ſpiritus; utpote qui per retiformem tunicam ſparſi impreſſionem ſpecierum inibi factam recipiunt.

Cauſæ. Cauſa defectus ſpirituum eſt vel opticorum nervorum anguſtia, ratione cujus ſpiritus in oculum non influunt; vel, eâ anguſtia abſente, aliqua cerebri aut cordis affectio in cauſa eſt, quòd ſpiritus ad oculos non mittantur, ut in ſyncope, leipothymia, cerebri compreſſione, obſtructione &c. Ab aliis cauſis ſpiritum diſſipantibus, ut nimio exercitio, inediâ, febribus ardentibus & hecticis, quas alii ſolent adferre, non talis fit defectus, qui viſioni noceat, niſi fortè ita excedant, ut omnem ſpiritum exhauriant. Sanè in extenuatis penè ad extremum, & vix membra movere potentibus viſum utcumque conſtare obſervamus.

Quæ cauſa porrò ſit alterius ſpirituum vitii, ſcilicet motus inordinati & circularis, explicatur tractatu de vertigine.

Signa. Mercurialis in ſua Practica ſignum ſe inveniſſe gloriatur, quo cognoſcitur, an læſa viſio fiat ob vitia ſpirituum; an ob vitia humorum. Dicitque, quæ vitio ſpirituum fit læſio, hanc corrigi poſſe perſpicillis; alteram minime. At longè errat vir ille. Nam nullo modo ſpiritus immutantur à perſpiciliis, ſed ſolum ſpecies oculum ingredientes, eo quod vitrum permeantes magis aut minùs à perpendiculari linea, vel ad ipſam refringantur; atque ita vel propiùs conum faciant vel remotius.

Defectus ſpirituum an ob retroceſſum eorumdem, an ob nervi optici anguſtiam ſit, facilè

cilè diſtinguitur: retrocedentibus enim ad penitius cerebrum aut cor, non tantùm viſus læditur, ſed etiam cæteri omnes ſenſus: ob nervi optici anguſtiam ſolùm viſus patitur, neque adeſt gravis aliqua cerebri vel cordis affectio, prout in altero caſu.

Læſio viſionis ex inordinato ſpirituum motu cognoſcitur ex vertigine neceſſariò comitante. Ita ut neſciam, cur tanto molimine Sennertus *cap. de ſpir. optic. vit.* probet vertiginem à læſa hoc modo viſione diſtingui. Uti enim clarum eſt, vertiginem à viſione læſa differre; illa quippe imaginatio læſa eſt, hæc ſenſio externa: ita certum quoque eſt, circularem iſtam viſionem non poſſe contingere, niſi apprehendente ipſam imaginatione; atque ita eſt vertigo comitans. Sed, inquit, ſoli oculi poſſunt affici, cerebro ejuſque ſpiritibus nihil patientibus. Reſp. non poſſe: ſpecies enim illa circularis motus neceſſariò cerebri ſpiritibus communicatur.

Quod ad prognoſin pertinet, Riolanus magnam dicit eſſe difficultatem in ſananda viſus hebetudine, quia tot concurrant cauſæ inmateriales (ſpiritus intelligit) in quas materialia Medicorum remedia nullum aut exiguum habent imperium. Quaſi verò ſpiritus noſtri materiæ ſint expertes! Sunt ſanè illi corpora æquè atque oſſa, etſi non tam denſa: adeoque materialibus ſeu corporeis remediis ſubſunt, imò magis citiuſque quàm alia corpora ab iis alterantur, propter raritatem ſubſtantiæ.

Curatio. Memorata ſpirituum vitia curantur, curatis iis affectibus, quos ſequuntur. Retroceſſio enim eorum ob ſyncopen vel leipothymiam, & impeditio influxus ob compreſſionem vel percuſſionem cerebri, aut nervorum opticorum anguſtiam, hiſce ſublatis tollitur: de quibus ſuo loco tractatur, uti de motione eorum inordinata ſedanda *cap. de vertig.* dicitur.

Electuaria, conſervæ, aquæ, pulveres, aliaque remedia, quæ innumera & magnis pollicitationibus Medici præſcribunt, eò omnia tendunt, ut ſpiritus copioſi & lucidi generentur, putantes eos ex oculis ad objecta viſibilia debere evolare.

De Affectibus tunicæ retinæ.

Hujus tunicæ affectiones nullus hactenus tractavit Medicus, quia verum ejus uſum calluit nullus. Nos quia illum perſpectum compertumque habere perſuaſi ſumus, aliquas ejus affectiones adumbrare conabimur. Eſt autem verus ejus uſus, objectorum viſibilium ſpecies coloreſque cum ſplendore per foramen uveæ in oculum immiſſos ſuſcipere, & in ſe picturæ inſtar delineatos repræſentare.

Prima ergò hujus tunicæ affectio, & quæ frequentiſſimè accidit, ad ſitum mutatum pertinet, nimia videlicet ejus vicinia vel remotio ab humore cryſtallino. Ratione viciniæ fit, ut longinqua ſolùm videantur; quod ſenibus proprium eſt. Ratione remotionis fit, ut ſolùm percipiantur propiùs conſtituta; quod multis juvenibus uſu venit. Aſſertionis hujus demonſtrationes hìc non adjungo; ſatis enim argumentoſè illas conſtruxi in problematis, & compendio dixi *cap. de myopia*.

Altera retinæ affectio eſt raritas ejus nimia vel denſitas. Si plus æquo rara eſt, luminis plerumque illuſtrium radiationes vix poſſunt perferri ab oculis ſine averſione vel lacrymatione. Si denſa ſit nimium, lumen quodvis, imò ipſum ſolare impunè fixis oculis poteſt excipi. Sic Aëtius habet ex Demoſthene, *lib. 2. ſermon. 3.* caput de oculorum debilitate, eſtque 44. ubi inquit, oculos debiles eſſe, qui neque album ſplendidum, neque igneum videre ſuſtinent; ſed ex quavis occaſione viſum continent & lacrymantur, præſertim inter legendum. Hujus affectionis cauſam non reddit Aëtius: putamus autem nos eſſe tunicæ prædictæ nimiam raritatem, aliis omnibus ſalvis in oculo. Quod addo, quia oculo inflammato, vel carunculâ angulari imminutâ, idem affectus oritur ſine tunicæ retiformis rarefactione.

Cauſæ. Cauſas remotionis & viciniæ retiformis à cryſtallino diximus *cap. de myopia.*

Cauſa raritatis nimiæ vel denſitatis, ſi hæc ab ortu ſint, eſt ſubſtantia ſeminalis rara vel denſa. Si poſt ortum advenerint, cauſæ ſunt alimenta rarefacientia vel denſantia iſtiuſmodi. In ſumma, quæcumque alias corporis noſtri partes rarefacere vel condenſare nata ſunt, dictas quoque affectiones retiformi tunicæ poſſunt inferre.

Signa. Signa nimiæ remotionis & viciniæ retiformis ex ipſa viſionis natura hauriuntur. Nam quibus remota nimium eſt, illi myopes ſunt, id eſt, comminus tantùm vident. Quibus eſt vicina nimis, hi presbytæ ſunt ſeu ſenilem viſum habentes, id eſt, eminus tantùm videntes, non quæ oculis ſunt admota. Accedit, quòd ob ejuſmodi mutatum retiformis ſitum læſam habentes viſionem perſpicillis juvari poſſint: qui verò ratione ſpirituum, vel humorum, vel nervorum viſoriorum laborant, non poſſunt juvari.

Quod ad prognoſticum attinet; hi retinæ ſitus arte & medicamentis reſtitui nequeunt: ortum enim habent plerumque vel à natura, vel longâ conſuetudine, quæ jam in naturam abiit. Nimia tamen remotio ætate corrigitur, ut dictum eſt *cap. de myopia.*

Raritatis nimiæ & denſitatis ſigna ſimiliter ex viſionis affectione ſumuntur. Nam omnibus in utroque oculo ſalvis atque integris apparentibus, ſi lumen & luminoſa ægrè ferantur, rara nimis eſt tunica retiformis. Si facilè quodlibet lumen quantumvis intenſum accipiatur viſu, denſa valde eſt tunica eadem. Illud in multis hominibus advertas; hoc in aquilis.

Cauſa autem quòd retiformis raritatem tam moleſta viſio conſequatur, eſt hæc: quia enim impreſſio ſpecierum in retiformem facta non ſolùm eſt quantitativa ſuperficialis, ſed etiam qualitativa penetrans; cùm in raram ſubſtantiam major fiat penetratio, majorem quoque inde ſequi affectionem, eſt neceſſarium. Jam autem lux capitales inimicitias cum eo, quod impetit, ſibique non eſt ſimile, gerit: ergò quò penitiùs illud impetit, eò ipſi eſt hoſtilius; & conſequenter quò lux ſe profundiùs quoque in retiformem inſinuat, eò fertur à viſu moleſtiùs. Quapropter ubi denſa eſt retiformis, prohibens lumen ab ulteriore introceſſu, perſentitur lux etiam ſatis intenſa innoxiè. Quali retiformi præditas credimus aquilas, quæ Solem fixo obtutu dicuntur inſpectare.

Porrò raritas & denſitas dictæ tunicæ ferè co-

mitantur ſimiles totius cerebri conſtitutiones: ita ut, quibus cerebri ſubſtantia rara eſt, hæc quoque tunica ſit rara; quibus denſa, itidem hæc ſit denſa: nam revera hæc tunica eſt ipſa medullaris nervi optici ſubſtantia à cerebro propagata. Itaque quod ſignum erit raræ vel denſæ cerebri totius ſubſtantiæ, poterit etiam hujus tunicæ talem indicare habitudinem: atqui ingenii bonitas raram ſignificat ſeu ſubtilem cerebri ſubſtantiam; contra intellectus tarditas indicat ſubſtantiam craſſam ſeu denſam, ex Galeno *cap.12. art. med.*

Curatio. Situs tunicæ retiformis etſi arte corrigi non poſſit, viſio tamen inde orta artificio emendari poteſt, ſcilicet perſpicillis. Nam qui vicinam nimis habent, convexis juvantur; qui nimiùm remotam, concavis.

Controverſantur autem, an expediens ſit juvenibus myopibus in tam immatura ætate uti perſpicillis cavis? Ego, ſi viſus ipſis aliquatenus conſtet, ut quoquo modo carere iis poſſint, non admodum conſuluerim: etenim perſpicilla iſta aſſiduè uſitata morboſum retinæ ſitum confirmant.

In retiformis quoque raritate & denſitate curanda quid à medicamentis exſpectandum ſit, facilè intelligi poteſt. Sunt enim illæ conſtitutiones à natura, adeoque ſublatu difficillimæ, imò impoſſibiles.

Aëtius tamen debilitatem oculorum, quam ſuprà deſcripſimus, curat deambulationibus, curſibus, exercitiis ſupernarum partium, cum frictione & ſpiritus detentione, capitiſque raſura, ac levi oculorum frictione poſt exercitia, & frigidæ in caput perfuſione. Præſcribit & aquæ potum, victuſque rationem mediam: item lectionem cum clamore, ſimiliter & ſcriptionem. Si verò pharmacis opus fuerit, adſtringentibus & perfrigerantibus ac meatus obſtruentibus hoc in caſu utendum dicit.

De Affectibus nervorum opticorum.

Frequentior & præcipuus nervorum opticorum affectus eſt eorum *Obſtructio*: læſioque viſionis inde conſequens dicitur Græcis *Amblyopia*, id eſt, obſcuritas, obfuſcatio ſeu hebetudo viſus: & *Amauroſis*, id eſt, viſus abolitio ſeu cæcitas, barbaris dicta *Gutta ſerena*; quod eſt abſolutum viſus impedimentum, nullo in oculis vitio apparente.

Alter eorum nervorum affectus eſt *Reſolutio* ſeu *Paralyſis*, ad quam viſus quoque ſequitur ablatio.

Tertius eſt *Anguſtia*. Quartus *Diſruptio* eorundem. Quintus *Convulſio*. Quamquam aliqui hanc non officere viſioni inquiunt, ſed roborare: eo quia per convulſionem dirigatur opticus, & pupillæ conſtituantur planiſſimæ, ac ſic recto canali celeriùs deſcendat ſpiritus, acutiorque procedat viſio, ſicut in priapiſmo acceſſus. Attamen dicendum, convulſione lædi viſum, quia cauſa convellens anguſtet nervos, adeoque ſpirituum via impediatur.

Alii addunt Diſſolutionem conjunctionis nervorum opticorum; ubi uniri volunt ſpecies & abſolvi viſum. Atque ab hac diſſolutione dicunt oriri depravatam viſionem, utpote quâ omnia apparent duplicia. Verùm certâ conſtat tum Veſalii tum aliorum obſervatione anatomicâ, conjunctionem illam nervorum nihil facere ad ſimplicem unius rei viſionem. Nam in quibuſdam inventi ſunt naturaliter disjuncti, qui rectè nihilominus videbant. Abſolutè ergò diſſolutio conjunctionis nervorum opticorum viſioni nihil obeſt. Si tamen poſt ortum à cauſa violenta fiat, plurimùm oberit, quia accidere non poteſt ſine eorum diſruptione, ſub qua tum comprehendetur ille affectus.

Cauſa. Obſtructionis opticorum cauſa eſt vel craſſus humor quilibet in meatus eorum illapſus, vel ſaltem vapor craſſus.

Hæc eadem eſt cauſa paralyſis; quam tamen & efficere poſſit pituitoſus humor, ſubſtantiam eorum irrigans, ac nimium humectans.

Anguſtia fit à tabe, vel ab humore aut tumore extrinſecùs illis accubante & comprimente. Tumor ille poteſt eſſe inflammatorius, vel non inflammatorius. Ita doctiſſimus Haterus obſervavit, cæcitatem aliquando proveniſſe à tumore globoſo inſtar ſtrumæ in cerebro nervos opticos premente.

Diſruptio à cauſa externa violenta fit: ut vulnere, ictu, caſu, &c. à quibus tamen ipſis ſæpè etiam tantùm fit vel obſtructio vel anguſtia.

Convulſio denique cauſas illas habet, quas convulſio quælibet alia. Ab aliquibus animadverſum, poſt graves & frequentes convulſiones cæcitatem relictam fuiſſe: quia ſcilicet in magnis per convulſionum paroxyſmos partium omnium atque adeò etiam oculorum contortionibus; in quibus ſæpè oculi quoque convulſi admodumque exſerti & inflexi apparent, attracto ſic nimirum & exſerto nervo optico illis adnato, illoque ſimul contorto & læſo, oculos viſione privari contingit.

Signa. Signa obſtructionis nervorum opticorum ſeu guttæ ſerenæ dant Medici omnes omnino hæc: quòd viſus abolitus ſit, nullâ apparente in oculis noxâ, idque repente: quòd item, altero oculo occluſo, alterius pupilla non dilatetur, obſtructâ videlicet ſpirituum pupillam dilatantium viâ. Examinemus hæc paulò accuratiùs, an vera ſint; neque ita ſimpliciter temereque omnibus accredimus.

Philippus Montalto *lib. 3. Optic. cap. 7. art. 3.* ſcribit, nobilem quemdam ex illuſtri familia Pereria apud Luſitanos ad os ſiniſtræ maxillæ profundo vulnere læſum, videndi munere in dextro oculo plenè orbatum fuiſſe; tamen ſiniſtro oculo clauſo dextri dilatabatur pupilla. Quæ res, inquit doctorum virorum ingenia non parum exercuit. Nam obſtructio nervi optici cæcitatem illius oculi invehere credebatur; dilatatio tamen pupillæ indicio erat optici liberum patere meatum. Quapropter ipſe iſtam viſionis abolitionem referendam credidit ad intemperiem, quæ ex feriente telo, pervadente aëre, humoreque decumbente contracta in poſterum manſerit; ſitque continuâ alteratione fortè ad glacialem ſeu cryſtallinum uſque pervagata. At hoc nihil eſt: Nulla enim à nuda cryſtallini intemperie opacitatem non inducente viſui noxa fit.

Subtilis Capivaccius *lib. 1. Pract. cap. 48.* duplicem diſtinguit opticorum obſtructionem, ſeu, ut ipſe vocat, anguſtiam: alteram, quæ attinet ad horum nervorum ſubſtantiam; alteram

ram quæ ad meatum. Unde dicit, ſi anguſtia ſit in nervi ſubſtantia (quod ſeſe aliquando obſervaſſe addit) poterit oculi affecti pupilla dilatari, altero occluſo. Verùm ſi anguſtia meatum nervi obſideat, non poterit dilatari pupilla. Ratio eſt, quia ſpiritum animalem, qui dilatationis eſt cauſa, per foramen tranſire neceſſe eſt; quod foramen cùm præcluſum ſit, interdicitur ſpiritui meatus. Anguſtatâ autem & denſatâ tantùm cerebri ſubſtantiâ, cùm hoc foramen liberum ſit, liberè quoque tranſit ſpiritus: non tamen fit ſenſio; quia facultas ſentiens, inquit, non tranſit cum ſpiritu per meatum nervi, ſed per propriam ejus ſubſtantiam. At neſcio quâ vel auctoritate vel ratione meationem illam facultatis & ſpiritus animalis adſtruat. Nam facultas non meat propriè de parte ad partem; ſed ſpiritus ſolùm meat, qui eſt inſtrumentum facultatis: & quia Medici ſæpè cauſam principalem cum inſtrumentali confundunt, ideo dicunt communiter facultatem tranſire, cùm ſpiritus tantùm tranſeat. Verùm etſi demus facultatem etiam à partibus emitti per modum luminis à Sole, non tamen ſatisfacit dubio, quippe falſo innititur fundamento, pupillam ſcilicet ab influxu ſpiritus dilatari.

Mihi aliquando puella quinquennis Amſtelredami curanda oblata eſt, quæ ex febre chronica guttam ſerenam incurrerat, ſub qua ne luculentiſſimum quidem Solem agnoſcebat. Obſervavi autem in ea non ſolùm variare pupillam alteram, occluſo oculo altero; ſed etiam ambas modo ſe contrahere, modo ampliare, prout vel ad lucem, vel ad obſcurum locum oculi converterentur: non tamen adeò contrahebantur, quàm ſolent alias in ſanis & ſalvis oculis lucem adſpicientibus. Itaque hinc colligi poteſt, quàm falſum ſit illud Medicorum indicium, quod tamen velut certum habent, obſtructo nervo optico non dilatari pupillam.

At dicat aliquis: etiam in noſtra ſententia, quæ à lumine remiſſiore diduci ſtatuit pupillam, ab intenſiore contrahi; ſi obſtructus ſit nervus opticus, & ſpiritus animalis in oculum non influat, non poterit quoque fieri dilatatio aut conſtrictio pupillæ. Ut enim propter diverſum illud lumen variet ſe pupilla in ſitu, neceſſe eſt aliquam ineſſe partibus oculi internis ejus luminis ſenſionem: ſenſio autem à ſpiritibus per opticos affluentibus: his obſtructis nullus fit affluxus; igitur & ſenſio nulla, igitur & variatio pupillæ nulla. Reſpond. motum illum uveæ tunicæ non fieri ope ſpirituum animalium, utpote qui animalis non ſit ſeu voluntarius, ſed merè naturalis, ſimilis illi, quo uterus fœtida fugit, & benè olentia perſequitur. Similiter ſenſionem luminis majoris ut nocentis, vel minoris ut non nocentis, eſſe naturalem merè, non animalem. Jam autem ſenſiones & motiones naturales fieri poſſunt, etſi nullus fiat influxus ſpirituum animalium: nam in hyſtericis obnubilato cerebro jacentibus ſine animali motu ac ſenſu obſervamus uterum ab odoratis appoſitis benè affici, adeoque ſe demittere; fœtida verò averſari. Item in membris paralyticis fieri actiones & motus naturales. Ad quorum inſtar internæ oculi partes naturalem luminis averſionem motu uveæ oſtendunt, etſi nullus per nervum opticum animalis ſpiritus illabatur.

Aëtius & ex eo Donatus Altimarus, deinde aliquot etiam Practici adferentes ſigna cauſarum offuſcationis oculorum, inquiunt: Si hæc affectio conſequatur ad nervorum viſivorum reſolutionem, tarde movetur oculus, aut omnino non movebitur. Quod dictum eſt inſcitum: nervi enim viſivi ſive optici ad viſum, non ad motum ſunt deputati: peculiares nervi oculos movent, quorum reſolutio non inducit viſui offuſcationem.

Falſum item & hoc, quod Montanus conſil. 94. ſcribit, ex contortione nervorum opticorum oblique videri. Non fit in opticis viſio, ſed in oculis. Imò ſi rectè perſpicis, optici ſunt contorti, ut ipſe intelligit, ſeu obliqui: non enim ab ortu ſuo rectâ pertendunt ad oculos, ſed ductu obliquo. Cur igitur viſus non unicuique obliquus? Quomodocumque ergò conſtituti ſint optici, modò ſpirituum via non impediatur, viſio eſt integra.

Porrò vitia omnia opticorum nervorum prædicta ſunt difficilis curationis: quædam impoſſibilis, ut diſruptio, & antiquata obſtructio; tabes; compreſſio à tumore frigido. Obſtructio autem recens aliquando curata eſt: quemadmodum etiam à craſſis vaporibus facta ſubinde ſubitò per applicatas cucurbitulas, vel acris clyſteris injectionem ſanata eſt.

Curatio. Nervi optici obſtructionem, quæ præ aliis frequens eſt affectio, ſic curabat doctiſſimus Fernelius. In primis inhibebat, ne quid præterea eò recens influeret, idque bonâ victus ratione, quæ corpus moderatè alat, nec tamen humectet, neque excrementis impleat. Bis aut ſemel ſaltem in menſe purgabat per pilulas ſine quibus, & lucis majores: atque etiam interjectis diebus, ſi quando adſtrictior alvus eſſet, aut ventriculus crudior appareret, per catapotia ex aloe. Caput quotidie mane ſiccabat fomentis ex ſale, milio, & ſeminibus diſcutientibus torrefactis. Frictiones quoque in poſteriora, & in occipitium inferiora verſus deductas commendabat. Pituitam ſæpè ex capite proliciebat apophlegmatiſmis. Errhinorum non æque tutum dicebat uſum; ſternutamentorum adverſiſſimum. His & ſimilibus rationibus excrementa per naturales meatus deducebat. Jam ad ipſummet humorem ex opticis evellendum, ſæpe, maximè verò poſtridie purgationis, & aliquot deinceps diebus, affigendæ erunt cucurbitulæ leves occipitio utrimq; ad cervicis originem. Imperabat decubitũ ſupinum, in quo ſi & caput aliquando ſuccutiatur, conferre ajebat, ut, qui tenaciùs impactus eſt humor, ſede ſuâ dimoveatur. Occipitii & cervicis appellatos ſetones non probabat, quandoquidem nullo illos uſui vel commodo, ſed gravi ſæpè periculo infixos animadvertiſſe ſe diceret. Efficaciſſimam autem ac tutiſſimam revulſionem laudabat, quæ fit à nervo optico in id cavũ, quod eſt in radice auris & in connexione maxillæ pone infimam auriculam; per id enim ramus è vena jugulari intro ſubiens in opticos nervos utrimque excurrit, eoſque comitatur ad oculos uſque. In id ergò emplaſtrum unguis magnitudine apponebat, quod conſtabat vel ex æquis portionibus ſaponis nigri & ſalis communis triti; vel ex ſem. ſinapi & cantharid.

ana ſemidrachma, fermenti acris uncia. Quòd ſi metueretur, ne non ſatis ſequax eſſet humor revellendus, præparabat eundem fotu remolliente & attenuante, ut ex decocto althææ, verbenæ, eufraſiæ, rutæ, ſem, fœniculi ac fœni Græci. Hujus decocti vapore ex ſpongia molli ſub veſperam oculos fovebat, interim dum emplaſtra infimæ auriculæ inhærent. Collyria verò in oculos fruſtrà immitti inquiebat, quòd eorum vis nequeat in affectam ſedem penetrare. Utiliter nihilominus ſæpè mandi jubebat ſemen fœniculi; aut etiam pulverem præbebat in fine paſtus ex coriandro, aniſo, fœniculo, eufraſia, glycyrrhiſa & cinamomo: illorum enim vapor & halitus ex ore & ſtomacho ad oculi anteriora fertur. Ultra hæc ſi guajaci decoctum potaretur, omninò profuturum prædicabat.

In ea inſigni ac methodica curatione illud mirandum, quo pacto ſetones in occipitio damnet tanquam inutiles, imò graviter periculoſos. Si cucurbitulas ibidem commendet, & evellendo ex opticis humori utiles ſtatuat, quanto magis ad ipſum utiles ſunt ſetones, qui potentiores ſunt cucurbitulis? De periculo vero quod addit, neſcio cur illud à ſetonibus ibi timeri debeant: locus enim ille nullis magnis vaſis præditus eſt, quæ à ſetonibus lædi poſſint.

Quod ad ſternutamentorum uſum attinet: Capivaccius celebris & felix ſuo tempore Patavii Medicus, in initio obſtructiones horum nervorum confeſtim ſternutamentum vehemens excitari conſulebat, ut materia commoveretur anguſtans, nec figeretur; quia actum eſt, inquiebat, ubi figitur. Idem ſentit Euſtachius Rudius. Quæ agendi ratio etſi non omnino ſit à methodo averſa, fortunæ tamen etiam innititur, adeoque periculo ſubjecta eſt. Tam enim poteſt per ſternutamentum iſtud materia magis figi in nervis, quàm è nervis elidi: poteſt quoque alia, quæ præſto eſt in cerebro, materia ad eoſdem nervos detrudi. Qua ex cauſa multi ex pluribus ſternutamentis, præſertim de induſtria ſibi concitatis, in cæcitatem derepente lapſi ſunt. Malim igitur ego cum Fernelio apophlegmatiſmis ſine periculo materiam derivare per palatum, a quo non longe abeſt opticorum origo, veluti oſtendit nobis diſſectio.

In principio guttæ ſerenæ ita in praxi hortabatur progrediendum eſſe laudatus jam Capivaccius. Eâdem horâ, quâ accedimus, immittendus acris clyſter: deinde, ſi ſanguis eſt copioſus, aperienda cephalica. Eâdem die poſt ſeptem horas exhibeantur pilulæ fœtidæ vel cochiæ ad drachmas duas: deinde caput vacuetur, & ſecetur vena frontis, poſtea venæ angulorum: applicetur cucurbita occipitio, & ilicò etiam uſurpetur ſetaceum: ſimul fiat vacuatio per os & nares validis medicamentis. Deinde cum Paulo & Aëtio caput perfundendum aquâ ſalsâ actu calidâ: licet etiam adſcendere ad ſinapiſmum. Oculus foveatur ſpongiâ ex aqua marina. Præterea ſtatim exhibeatur decoctum guajaci, & ægri potiſſimùm ſudent ſecundùm caput. Hæc medicandi ratio efficax eſt, bona, ac ſequenda, præterquam in adminiſtrandis fortibus vacuantibus per nares; ob cauſam ante dictam. Hæc igitur uſurpetur in ſubita ac recente obſtructione: altera Ferneliana prædicta in obſtructione aliquatenus inveterata.

Referunt Practici quidam, & narrant obſervatores, ob frontis vulnera cæcitate aliquos aliquando liberatos. In quibus ſane cæcitatis cauſam veriſimile eſt fuiſſe compreſſionem nervorum opticorum à conterminis vaſis, venis, inquam, atque arteriis ſanguine tumidis, quas dicta vulnera nonnihil evacuarunt, unde compreſſione ablatâ reddita eſt viſio. Quæ eventa ſequens Spiegelius non ſine fructu in gutta ſerena mediam frontis venam pertundere ſolebat, ſanguinemq; tam diu evacuabat, donec ſuâ ſponte erumpere deſineret.

Nunc producam remedia aliquot ſelecta ad propoſitum affectum. Primum eſt vinum eufraſiatum, quod in viſus obſcuritate à nervi optici obſtructione nata valde confert, ſi in principio menſæ, vel mane ſtomacho jejuno bibatur. Paratur eufraſia ſicca infuſa, additâ radice & ſemine fœniculi, ac modico cinamomo.

Vel ♃. Rad. enul. campan. in taleolas ſectæ & exſiccatæ unc. II. eufraſ. manip. I. ſem. fœnic. ſem. ſiler. montan. ana unciam. Contund. craſſiuſcule, & omnia in unum vel plures nodulos immiſſa ſuſpendantur in vino, & macerentur per menſem. Dantur duæ unciæ mane.

Aqua aciem oculorum acuens, cæcitatemque in ſenibus incipientem prohibens.

♃. Rad. Valerianæ, enulæ campanæ, fœniculi ana unciam. Herb. chelidon. eufraſ. ana manip. II. betonic. puleg. ana manip. I. ſem. fœniculi, ſem. ſiler. montan. ana drachm. 4. baccar. juniper. ſemunciam, flor. caprifol. roſar. alb. ana pugill. II. ſtœchad. ſalviæ, anthos, ſambuc. calendul. ſchœnanth. ana pugill. I. Zingib. piper. long. cubebar. cardamom. ana ſeſquidrachm. Pulveriſanda pulveriſentur, contundenda contundantur; & infuſa in hydromel. vel malvat. vel vini Canarici lib. 3. ponantur ad ignem lentum vel Solem per quatuor aut ſex dies: dein exprimantur fortiter prælo. Expreſſioni adde aquæ ſpeculi roſar. eufraſ. ana lib. II. aquæ fœniculi, chelidon. ana ſeſquilib. Miſce. Datur uncia mane jejuno ſtomacho, & una atque altera gutta in oculum datur.

Alia. ♃. Baccar. juniper. unc. II. Caſſiæ lign. unciam, ſem. ſiler. montan. fœniculi ana ſemunc. ſem. rutæ drachm. 3. ſpecier. diamoſch. dulc. unc. moſchat. lign. Aloës ana drachm. II. fol. eufraſ. verbenæ, rutæ, ſummit. roriſmar. ſalviæ, puleg. anthos, fœniculi ana ſeſquidrachm. flor. chelidon. betonic. lavend. roſar. rubr. anthos ana drachmam: macerentur in vini malvatic. lib. 4. per octiduum: poſtea in Bal. M. diſtillentur. Datur mane & veſperi ab ſemuncia ad unciam & ſeſquiunciam.

Etſi in hoc affectu externa oculis admota nihil aut parum poſſint, ut antè dictum eſt, unum tamen propono, quod Foreſtus valde extollit, aliique quidam conſentiunt; deſumtum ex piſce quodam, qui Belgis dicitur *Ælpuyt*, Italis *Donnola*, Lugdunenſibus *Lota*, Gebennenſibus *Motella*, Latinis *Muſtella*; eſtque piſcis mollis, valde limoſus, ſubnigriuſculus, aliquantulum latior anguillâ. Hujus jecur, quod valde album eſt ac pingue, tegulæ alligatur cyatho ſubjecto vel vitro in Sole, ut ab eo pinguedo olei inſtar deſtillet. Vel jecur tegulæ filo alligatur, vitroque capaci imponitur; & ſupra hoc aliud vitrum magis capax inſtar galeæ ſeu capitelli ſuperponitur, ac Soli exponitur. Exit autem liquor

quor albus & clariſſimus, ad modum olei puri deſtillantis; qui uſui reſervetur. Hoc liquore ſi cilia tantùm inungantur, lacrymæ ab oculis exibunt; & is, qui viſum obſcurum tenebricoſumq; habet, inquit Foreſtus, miraculi inſtar ilicò lucidum & luminoſum recuperabit: dicitque in multis ſe expertum. Oportet autem minimè hunc liquorem in oculum ſtillare, verùm ſatis eſt, ſi cilia & palpebræ eo inungantur.

Coronidis loco quærere hic libet, expediatne ablutionem oculorum quotidianam fieri calida an frigidâ. Sunt enim diverſæ & contrariæ de hac re ſummorum Medicorum auctoritates. Hippocrates *lib. de humid. uſu* calidam ſcribit oculis convenire. Apud Plinium reperi veteres exiſtimaſſe ſalubre, ſingulo mane oculos gelidâ lavare. Et Aëtius in propoſito affectu quotidie proluendam dicit faciem aquâ frigidâ, præſertim pluviali. Meſue etiam oculos frigidâ lavari jubet. Inter recentiores doctiſſimus Manardus quoque oculos cuidam frigidâ potiùs inſperſâ, quàm per manus admotâ ſingulo quoque die abluere conſulit. Galenus *lib. 4. de ſimpl. med. fac. cap. 2.* oculis frigidum mordax eſſe docet. Et Fabritius Hildanus inter neotericos *cent. 1. obſervat. 27.* ex lotione aquæ frigidæ nobili cuidam debilitatum & obſcuratum viſum exiſtimat. Ego in hoc litigio etſi videam potiores non numero, ſed pondere eſſe eorum partes, qui frigidæ lotionem reprobant, non tamen cenſeo ita hiſce accedendum, ut planè nihil concedatur aliis, ſed ſapienti moderatione utriſque aliquid impertiendum. Et quidem oculos ulceribus vel ſuppurationibus aut ſimili affectu laborantes calidam poſtulare: in quo ſenſu videtur eo loci intellexiſſe Hippocrates. Inflammatis tamen iiſdem in principio inflammationis poſſe, imò debere applicari frigidam; in declinatione calidam. Qui oculi tunicarum vel humorum craſſitie afficiuntur, calidam etiam expetere; frigida enim denſat & incraſſat magis. Alioqui frigidam autumo oculis ſalubriorem, etſi quoque alia de cauſa viſus cuipiam eſſet obtuſior: robur enim conciliat oculis frigida calorem cohibendo intus. Quod autem Galenus loco citato frigidum oculis mordax pronuntiavit, de ſummè frigido eum intellexiſſe eſt exiſtimandum; quod ſanè & nos oculis adhiberi planè renuimus. Vel ita ſtatuendum, ſi frigidum nudis oculorum tunicis confertim occurrat, mordax quidem eſſe, uti experimur eſſe in hyeme gelidum aquilonem. At enim dum de oculorum lotione diſſerimus, non tam volumus oculorum tunicis frigidam infundi, quàm adſpergi atque affundi palpebris, quibus frigidum eſſe mordax prodidit nullus.

De Strabiſmo.

Strabiſmus eſt mutatio debiti & naturalis ſitus oculi intra cavum ſuum receſſum, proveniens à muſculorum ocularium convulſione, vel diutina contortione.

Capivaccius ſtrabiſmum inquit eſſe viſionem inæqualem oculorum dependentem à motu præter naturam muſculorum motivorum. At enimverò formale ipſius ſtrabiſmi non eſt inæqualis viſio, ſed hæc conſequitur potiùs ipſius formale: ſtrabiſmus enim affectio muſculorum eſt, non viſionis.

Malè etiam Mercurialis *lib. 1. Pract. cap. 29.* & quicumque recentiores id ex eo deſcripſerunt, ſtrabiſmum inter cryſtallini humoris affectus recenſet. Sanè enim apud Paulum Æginetam *lib. 3. cap. 22.* apud Galenum *lib. 2. de ſymptom. cauſ. c. 2.* apud Auctorem quoque Finitionum Medicarum ſtrabiſmus eſt muſculorum affectio bulbum oculi moventium.

Johannes Gorræus in Definitionibus ſuis Medicis ſcribit Auctorem *Finit. Med.* enumerare ſtrabiſmum inter oculi exulcerationes. Tu adi locum, & videbis Gorræum perfunctoriè eum tranſcurriſſe.

Dixi, eſſe mutationem ſitus oculi intra cavum ſuum receſſum, ſeu antrum oſſeum; ut excludatur prolapſus oculi, qui etiam eſt mutatio ſitus à reſolutione. Unde quoque non addendo illam particulam, poſſet definiri ſtrabiſmus, mutatio præter naturam ſitus oculi dextrorſum, vel ſiniſtrorſum, vel ſurſum, vel deorſum.

Cauſæ. Fernelius & alii aliqui ſcriptores ſtrabiſmum à convulſione ſolùm muſculorum oculi evenire dicunt. Sed ſi, ut ipſe inquit, ſtrabiſmus ſit alterius oculi obliqua contortio, ita ut amborum nequeat unus adſpectus eſſe; id certè à paralyſi etiam provenire poteſt. Nam, reſoluto aliquo ex muſculis oculum moventibus, antagoniſta ejus ſeu oppoſitus ſanus in ſe contrahitur & ſic idem facit ac ſi convulſus eſſet; perinde uti videtur in convulſione canina ſeu tortura oris fieri orta à paralyſi.

Cauſa convulſionis, ſi hæc legitima eſt, muſculos oculi afficit: ſi illegitima, cerebrum vel nervum ſecundæ conjugationis afficere poteſt.

Cauſa paralyſis poteſt ſimiliter vel afficere muſculos, vel nervum ſecundæ conjugationis, vel eam cerebri partem, unde ille prodit.

Tertiam ſtrabiſmi cauſam poſuimus diutinam conſuetudinem oculos contorquendi: in eo enim tunc ſitu firmantur oculi; uti infantibus in cunis accidit, dum oculos ad candelam obliquè vertunt.

Sed hic peti poſſit: Quomodo infantes ex tali adſpectu incurrere poſſint ſtrabiſmum, cùm ſtrabiſmus ſit affectio, in qua alter oculus non habet ſimilem ſitum atque alter: at illo obliquo adſpectu candelæ, uterque oculus obliquè ad candelam vertitur; & ſic uterque eſt obliquus, adeoque amborum unus adſpectus. Reſpond. obliquam viſionem, utpote laborioſam, non facilè ab infantibus obiri: ſed fieri plerumque, ut unus oculus ab illa contentione remittat; alter, qui lumini propinquior eſt, in actione perſiſtat: unde diſpar ſitus.

Quartam aliqui addunt ſtrabiſmi cauſam, ſitum humoris cryſtallini vitioſum; cùm is videlicet pupillæ non rectà opponitur, ſed ad latus alterutrum, vel deorſum aut ſurſum inclinat: ita enim ſi res rectà adſpicienda eſt, oculus, inquiunt, ad latera contorqueri debet. At hæc cauſa ſtrabiſmum non infert. Nam etſi cryſtallinus directè pupillæ non opponatur, videri tamen directè res poteſt, quamvis non diſtinctiſſimè. Imo etſi videri non poſſet, non tamen adhuc oriretur ſtrabiſmus inde: ſiquidem non incurrunt ſtrabiſmum illi, quibus à ſuffuſione vel alia cauſa medium pupillæ obtectum eſt: quia ſi è directo res integra aliqua videnda eſt, paululum ad latus convertunt oculos, ſed

æqua-

æquabiliter; ſtrabiſmus autem eſt, quando non æqualiter eodem collineant. Vel ſi quiſpiam in uno tantùm oculo ſitum cryſtallini mutatum ponat; & ſic unius ſolùm fieri oculi ad latus converſionem, altero directè ad rem obverſo, adeoque inæquabilem ſitum habere: tum tamen adhuc ſitus cryſtallini remota ſolùm erit ſtrabiſmi cauſa; proxima erit diutina illa & conſueta oculi ad latus contortio, quam in definitione expreſſimus. Verùm nunquam aut rariſſimè talem vitioſum cryſtallini ſitum manente viſu fieri poſſe puto.

Uti quoque fieri non poſſe reor, quod Sennertus in Inſtit. ait, atque inter cauſas ſtrabiſmi quoque refert, ſcilicet ut pupilla non in ipſa anteriore oculi parte medium locum obtineat, ſed ad alterum latus magis inclinet. Ita pupilla per ſe inclinare non poteſt, niſi totus oculus inclinet; vel niſi monſtroſa talis facta ſit conformatio.

Quidam ita ſunt ſtrabones, ut quando volunt, ſic oculum contineant, ut non appareat ſtrabiſmus: quî idcircò exiſtimandus eſt fieri à levi tantùm aliqua convulſione vel laxitate muſculi, quæ adhibito conatu in naturalem ſtatum reduci poteſt. Ubi obſervandum, id tantùm poſſe fieri in quiete, ſeu dum oculus immotus continetur: quando autem movetur, non poſſe, vel quàm difficillimè. Ratio eſt, quia minore robore & conatu opus eſt ad oculum continendum, quàm ad movendum.

Capivaccius animadverti vult, cauſam ſtrabiſmi afficere debere muſculos motivos. Sunt autem, inquit, ex Galeno hi muſculi ſex tantùm: ſeptimus enim non movet oculum, ſed firmat nervo optico circumdatus. Hic ergò ſi convellatur, intrò cedet oculus, & continebitur firmiter: ſi reſolvatur, oculus procidet. Verùm fruſtrà indicat illud curantibus homines, in quibus non reperitur ſeptimus ille muſculus oculum firmans, ac nervum opticum complectens.

Notanda diligenter ac memoriæ infigenda maxima ſympathia inter oculorum & temporum muſculos, ob participationem rami ejuſdem nervi. Unde frequenter fit, ut hi ob conſenſum illorum afficiantur; & contra, nullo proprio morbo detenti.

Signa. Strabiſmus viſu cognoſcitur. An autem à convulſione, an à paralyſi oriatur, id è propriis capitibus de convulſione & paralyſi inſcriptis petendum eſt. Et infantes quidem ſæpè poſt epilepticos inſultus ſtrabiſmum retinent, qui tum putandus eſt à convulſione pendere.

Difficilis porrò eſt curatu ſtrabiſmus: ſi tamen recens ſit, in infantibus curari poteſt; etſi ſit etiam nativus, ut inquit Abuali.

Curatio. In infantibus tentanda hoc modo curatio: ponenda eſt candela accenſa in parte oppoſita ſtrabiſmo, vel res aliqua rubra, aut valde conſpicua, ut infans eam partem adſpiciat; quò natura diſcat à prava viſione abſcedere.

Si in adultis hoc malum contigerit, & ſit recens adhuc, is eſt curationis modus, qui in convulſione canina præcipitur.

De oculi totius prolapſu.

Oculi prolapſus ſeu procidentia & exſertio, Græcè *Ecpieſmus*, id eſt expreſſio, & proptoſis eſt ſitus præter naturam oculi extra cavum ſuum receſſum. Ita verò oculi aliquando prolabuntur, ut in genas propendeant, turpi admodù ſpectaculo. Et quibuſdam ita propendentibus oculis viſus adhuc perſtat; pleriſque tamen læditur.

Cauſæ. Cauſæ procidentiæ oculi poſſunt eſſe variæ. In primis illa omnia, quæ violentiâ quadam oculum extra antrum ſuum exprimere nata ſunt, ut vehemens inflatio, ac fortis ſpiritus ſuppreſſio. *Secundò*, reſolutio muſculorum & nervorum oculum moventium. *Tertiò*, tumor aliquis magnus in interna oculi parte conſiſtens. Ex prima cauſa ſæpè fœminis accidit hoc malum, qui in partus doloribus ampliùs diſtenduntur: item tubicinibus, & ſtrangulatis, violentè vomentibus ac fœces excernentibus. Hæc Platerus quidem negat, ſed convincunt eum experientiæ. Secunda cauſa fit ob humores copioſos ad oculorum muſculos fluentes; atque hoc habet ortum à caſu ab alto interdum, maximè in iis, qui partes circa oculos molles & laxas habent. Sæpè ingens & dirus capitis dolor huic cauſæ originem præbet.

Scriptores novitii plerique oculi prolapſum ex reſolutione ejus muſculi, qui opticum nervum circumdat, oriri docent. At hæc cauſa in equis & mulis locum habet; in homine non item, utpote qui muſculum illum non habet.

Quæſtione dignum eſt, quo pacto laxatis muſculis extra ſinum ſuum oculus non rupto nervo optico poſſit procidere? accidit enim quandoque, ut ad genas uſque dependeat, ſicuti eſt ſuprà dictum. Hîc dicendum, nervos quoslibet, adeoque etiam opticos, plurimùm extendi ſecundùm longitudinem poſſe. Dum ergò humiditatis hi plurimum ſuſcipiunt in inflammationibus oculorum, vel alias aliter, facilè fit, ut laxentur: ipſique muſculi valde inturgeſcentes, cum amplius in cavo receſſu contineri nequeant, foras exſeruntur, laxatis nempe eâdem operâ membranis ac ligamentis, quibus receſſui connectuntur. Neque hoc hîc mirum videri debet; obſervamus quippe & alias partes valde interdum laxari ſine ruptione, ut inteſtinum rectum & uterum foras procidentes.

Signa. Procidentia oculi extrinſecus patet manifeſtè. Noſcitur quoque ex relatu ægri, quæ fuerit cauſa ex iis manifeſtis, quas ſuprà retulimus. Sed & humorum affluxus non difficulter à Medico agnoſcitur: adeſt enim repletio capitis, ac dolor ejuſdem gravativus.

Oculi totius reſolutio cognoſcitur ex abolito motu & ſenſu: nam ſi quis acrius pharmacum ſublinat, non percipit morſum: tumque periit viſus. Si ſoli muſculi ſint reſoluti, viſus conſtat.

Totius oculi reſolutiones ægerrimè curabiles ſunt, maximè in ætate provectis. Procidentiæ à cæteris cauſis ferè poſſunt curari; niſi quæ à tumore ſcirrhoſo interno venit, qualem ſcribit ſe obſervaſſe Trincavella.

Curatio. Platerus *tomo* 3. *Prax. lib.* 2. *cap.* 2. curationem prolapſus oculorum non aggreditur: quia, inquit, mors plerumque ſequitur; vel etſi ægri manerent vivi, hæc diſſolutio ex parte facta reparari minimè poteſt, neque oculus, ut in priſtino ſtatu permaneat, firmari. Adſtringentia enim in hoc caſu applicanda potiùs oculum corrugando cæcitatem inducent, quàm, ut in ſua ſede diutiùs remaneat, efficient. Ita ipſe. Quæ valde ſunt inexercitatè dicta. Nam conſtat

Cla-

Clariſſimorum virorum luculentis exemplis, atque hiſtoriis proditis, oculi procidentiam plerumque perſanari; & quidem etiam non magnâ operâ. Quin ipſemet Platerus *lib. 3. obſerv.* curaſſe ſe teſtatur, nullâ viſus læſione remanente, aut alio aliquo vitio. Infans, ait, ad me deferebatur, cui oculus ex ſede ſua prominebat, & veluti extra eam penitus exſertus, apparebat ovi gallinæ majoris magnitudine, horrendum præbens adſpectum. Præſcripſit ſequens cataplaſma oculo tepidum applicandum:

℞. Farin. fabar. ſcutell. I. ſem. fœniculi ſemunciam, flor. Chamæmel. pugill. I. pulveriſentur: adde lac, mel, & parum butyri recentis; calefiant, & miſce pro cataplaſmate; quod ſpatio unius menſis affectum ſanavit.

In adultis ſi ob affluxum humorum oculus procidat, venæ ſectio quàm primùm inſtituenda, cucurbitulæ cervici affigendæ, purgans exhibendum, & aſtringentia exteriùs imponenda, v. g. fotus cum ſpongia ex decocto roſarum, plantaginis, Cortic. granatorum, balauſtiorum: ex cujus decocti reſiduo poteſt etiam fieri cataplaſma, ac deinde applicari.

Si ſuccedat inflammationi ecpieſmus, oportet primò ſedare dolorem hoc collyrio:

℞. Spicæ nardi drachmam, fol. roſar. recent. pugillum, malicorii drachm. II. Coq. in aq. pluviali ad uncias 4. in colat. diſſol. opii ſcrup. I. Croci ſemiſcrup. F. Collyr. in quo tingantur lintea oculo applicanda. Poterit etiam imponi tale cataplaſma:

℞. Fol. papaver. hyoſcyami ana manip. I. fol. oxalid. plantag. ana ſeſquimanip. roſar. rub. manip. I. Coq. in aq. com. & piſtentur, ac tranſmittantur, addendo myrrhæ drachm. II. vitellum ovi F. cataplaſ.

Expreſſiones oculorum in fœminis ex partus doloribus ſæpè contingentes, purgationes per locos muliebres ſolvunt; quare eas procurare oportet: interea oculi ligamine intrò pellantur.

Hoc ipſum moliendum, ſi per ictum, vomitum, ſtrangulationem venit affectus: videlicet reponendus eſt obligatione vel manu oculus leviter comprimendo: & repoſito nonnihil oculo applicandum eſt linteum imbutum aq. roſac. plantagin. & albo ovi tepidum; ac ſæpè id renovandum.

In reſolutione oculi, ſi æger ſit benè habitus, vena cubiti ſecetur: alvus per clyſterem eluatur: deinde corpus purgatorio medicamento evacuetur: cucurbitula occipitio affigatur: pituita per os ducatur: reliquaque fiant, quæ in paralyſi commendantur, præcipuè in tortura oris vocata.

De Hippo.

Hippos, ut habet Auctor *Defin. Med.* eſt affectio inſita & naturalis oculorum, per quam nunquam illi conquieſcunt, ſed tremulè ſemper moventur, ſemper inſtabiles. Hanc affectionem Galenus *com. I. progn.* comparat ſtridori dentium naturali & congenito. Meminit etiam ejus *com. 2. prorrhet.*

Pars affecta non ſunt palpebræ, ut cenſent recentiores Medici, ſed ipſi oculi, vel potiùs muſculi oculares; quibus trementibus neceſſe eſt tremere oculos. Auctor *Finit. Med.* dicit eſſe affectionem muſculi baſin oculi comprehendentis. Quod in brutis verum eſſe poſſit, non in homine, ut jam ſcitur.

Idem Auctor ſcribit Hippocratem id nomen indidiſſe. Ubi loci neſcio. Fortaſſis in libris à nobis deſideratis. Hippocrati tamen taliter inſtabiles oculi ex morbo in *prognoſt.* ὀφθαλμοὶ ἐναιωρεύμενοι, ut Galenus explicat in *comment.*

Adnotat in Praxi ſua Riolanus pater hippon in pupilla non aliter excitari, quàm in bulbo oculi. Semelque ſe vidiſſe addit intra oculum palpitationem, quæ nullis remediis percurari potuit. Veriſimile mihi fit in uvea tremulum eum motum fuiſſe. Quid enim aliud in oculo ſenſibiliter contremiſcat?

Velim hic obiter notari Plinii vel oſcitantiam vel imperitiam in intelligendo Philarcho; qui cùm in Ponto proderet Thibiorum genus, multoſque alios ejuſdem naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero hippon. Hoc Plinius *lib. 7. cap. 2.* interpretatur equi effigiem. Malè: cum Philarchus intellexerit ingenitam illam oculi affectionem, quâ inſtabilis & tremulus aſſiduo motu concutitur.

Doctiſſimus Capſ. Hofmannus in quadam ſua ad me epiſtola inquit ὕππον oculorum eſſe ſomnium: atque eſſe ὕπνον ἀπὸ τοῦ ὑπόω unde etiam pharmacum ἱπωτήελον. Audenter nimis veteres contemnens. Quid igitur Galeno; quid Auctore finitionum Med. quid Plinio faciemus? quos ſomniaſſe dicere abs ratione, merum ſomnium eſt. ὑπόω autem, ſi quis id ſcire aveat, idem eſt ac premo: ὕπος preſſura. At quid hæc cum ſaltu oculi atque irrequieto motu?

Saltatoria hæc affectio quia inſita ac naturalis, curationem non recipit.

Hactenus Clariſſimus Plempius de Affectionibus Oculorum omnibus: ſequuntur jam Curationes aliæ particulares è variis petitæ Autoribus.

Strabiſmus.

Strabiſmus recens (inveteratus enim non curatur) in pueris (univerſalia pro humore peccante præmittuntur) corrigitur, ſi larva faciei applicatur foraminibus ad locum oculorum perforata, ut per ea radios viſivos emittat patiens, ut propter ſitum ipſorum radii viſivi ad genuinum oculorum ſitum reducendi conformentur: opus tamen eſt accurata diligentia, in hoc rectè perficiendo.

Paralyſis oculi.

Paralyſis oculi rarò occurrit ſine reſolutione aliarum partium: ſi tamen ſola, vix curatur: & ſi cum reliquis partibus, ut in Hemiplexia, cura eadem inſtituitur, quæ in paralyſi communi.

Viſus imbecillitas & caligo.

Ad viſus imbecillitatem & caliginem, ſpirituſque viſivos confortandos, cerebrum humoreſque ipſius rectificandos, præmiſſis univerſalibus mirificè prodeſt Euphraſia dextre parata. Vulgò utuntur eâdem in infuſo vini, in quotidiano victu cibis admixtâ. Item in conſervis, aliiſque formulis. Præſtat ipſius eſſentia Chymicè extracta ad gr. 2. 3. 4. 5. Item Sal ejuſdem crebris ſolutionibus & coagulationibus, præſertim, ſi cineres

neres

neres ab initio cum Sulphure ana calcinati fuerint ſine igne (h.e. ne fluat in tigillo) ad ſummam puritatem deductum & in uſu ſali menſario admixtum. Sic Euphraſiæ arcanum præſtantiſſimum eſt in viſu recuperando a gr. 2. ad 5. hinc verè *Augentroſt*, dicitur.

Aqua quoque eſt efficax, quæ fit. h. m.

♃. Fol. Euphraſiæ, Rutæ, Verbenæ, fœniculi an. M. j. Summit. roriſmarini, ſalviæ. flor. roſ. an. p. j. Bacc. juniperi ℥j. Caſſiæ ligneæ ʒß. Ligni Aloës ʒß. Sem. fœniculi ʒij. Sileris montani ʒj. Rutæ ʒß. Infunde c. vini Malvat. ℔vi. macerentur per quindenam, poſteà deſtillentur. Hujus cochl. ß. vel j. manè jejunô ventriculô ſumptum viſum eleganter confortat.

Externa eſt: aqua Ocularis cum Vitriolo albo confecta, h. m.

♃. Lapidis ſciſſilis, *Schiferſtein*, in fruſta contuſi ℔ß. Aquæ fontanæ claræ vel pluviæ, quæ præſtat, ℔iv. Vitrioli albi ℥j. ad ſummum vel ʒvi.

Coque ebulliendo in olla, & inter coquendum ſpumam diligenter remove ad caſum 2. digitorum tranſverſorum, poſteà per filtrum mitte, & vaſe benè clauſô ſerva. Uſus quotidianus eſt immittendo in oculum manè & veſperi guttas aliquot.

Ad externos uſus it. in glaucomate mirificè commendatur aqua deſtillata ex fellibus piſcium præſertim Lucii piſcis. Vide infrà ungues, nebulæ & pterygia oculorum.

Divulſio & ruptio pupillæ.

In divulſione & ruptione pupillæ, item corneæ omnium optima eſt aqua, quæ fit ex albumine ovorum. Item ex Cancris & Chelidonia, de quibus in notis ad Baſilicam Crollii.

Carcinoma oculorum.

In carcinomate oculorum nihil melius eſt pulvere illo cuticularum in ovis, à quibus pulli excluduntur, ſimpliciter inſperſô. Cætera fiant, ut in Cancro.

Epiphora.

In Epiphora vel Ophthalmia præſtat Periapton ex radice mavæ ſimpl. (præmiſſô caputpurgio & averſionibus debitis.) Radix colligitur, quando Sol præciſè eſt in ſcorpio, effodiendo illam ſubtus cum exortu ſolis, ita ut radix primùm denudetur ad latus fodiendo, poſteà planta tota ſubtus eruatur. Applicetur radix illa ad nucham alligando vel appendendo.

Ophthalmia.

In Ophthalmia mihi uſitatum eſt applicare ad nucham, cæteris paribus, farinam Erucæ *Senffmehl* in ſacculo interpaſſato & cum vino cocto repetitis vicibus eundem calidè è regione oculi patientis apponendo. Mirabiliter nimirum ab oculo verſus nucham trahit quod ſi veſicæ ab hac applicatione fuerint excitatæ illæ aliquandiu ſervantur aut rumpuntur, ſuperimpoſitô foliô braſſicæ vel hederæ, poſteà cum mucilagine ſeminis cydoniorum in aqua plantaginis extracta, curantur. Oculus verò fovetur vel cum lacte muliebri, vel cum Sieff albo, ſeu opio in aqua roſarum diſſoluto. Soleo ſubinde externè oculo applicare ſacculum cum floribus Chamomillæ repletum.

In Ophthalmia & pleriſque oculorum affectibus ſecreta eſt aqua ex floribus cæruleis de cichorio, quæ fit hoc modo. Collige flores Cichorii, quando ſol leonis principium obtinet, recentes in vitrum inde, & illud repiendo, etiam fortiter, quantum fieri poteſt, comprimendo, poſteà orificium diligenter claude (ſubere vel veſicula quintupla) & circùm circà applica farinam ſubactam, ex qua panis pinſitur, ita ut 3. vel 4. digitos æquet. Tandem in clibano pinſe inſtar alterius panis, ſed tantùm maſſa illa eſt ſuper aſſerculum in clibano ponenda (ne rumpatur vitrum) & pro coctione fortiori relinque, donec panis eximatur, proſpice tamen, ut hæc maſſa benè cocta ſit. Exime & exprime & invenies flores in aquam rubentem & pinguiuſculam converſos. Hanc deſtilla per alembicum ex B. (aqua hæc, niſi deſtillata, non ſervatur) & hac in affectibus oculorum, tantùm palpebras externè ſingulis diebus bis illine (ituro cubitum & manè) albugines, nubeculæ, ungues, ſuffuſiones, caligo, imò ipſa cæcitas mirificè tolluntur.

Dolor oculorum.

In doloribus oculorum folia Nicotianæ applicentur, opiata hic vitanda externè, internè tantùm dari poſſunt.

Hordeolum.

In hordeolo hordeum jejuno ventriculo ſæpiùs maſticatum applicetur.

Procidentia oculi.

In procidentia oculi (ut & ani) ♃. Scarabæos in ſtercore equino natos, mortifica in vitro clauſo, ad Solem benè exſiccentur, & F. pulvis tenuiſſimus, qui ſervetur uſui: poſt mollificatas partes aſpergatur tenuiter & fiat dextra repoſitio. Vide infrà de procidentia ani.

Lachrymæ.

In lachrymis. ♃. Cort. granatorum ʒiij. vel ℥ß. Lapid. hæmatitis ʒj. vel ʒiß. Cortices coq; in aq. roſarum, colentur ſæpiùs, poſteà in colatura lapidem pulveriſatum terendo diſſolve. Hæc compoſitio applicetur oculis in petiis: quidam etiam applicant ſacculum ex flor. Chamomillæ. Vide Platerum in praxi.

Puſtulæ & maculæ oculorum.

Ad Phlyctenas, puſtulas & maculas oculorum, fel anſerinum, gallinarum & piſcium ana part. æq. vitro inde, adde mellis modicum. F. linimentum, quô oculi inungantur.

Fiſtula oculi.

Ad Oculi fiſtulam. ♃. Sulph. vivi, acet. fortiſſimi, aluminis, ſalis an. ℥j. Rad. lapathi acuti rec. ℥ß. F. Unguentum.

Inflammatio oculorum.

Ad oculorum inflammationem, dolorem, Epiphoram,

♃. Aquæ roſarum, Euphraſiæ, verbenæ ana ℥ß. Tutiæ præparatæ ʒj. Matris perlarum ſubtiliſſimè pulveriſatæ ʒij. M. & uſus tempore præcipuè miſce probè inſtillando parum in oculum, nec non petias ex miſtura illa madentes extrinſecùs applicando.

Prin-

Principiò ſive à cauſa calida, ſive à craſſis & flatulentis ſpiritibus nata ſit Ophthalmia, præmiſſâ evacuatione per clyſterem ſeu lenitivum purgans, venæ ſectio aut cucurbitulæ ſcapulis applicandæ.

Hinc ſtatim ad corporis evacuationem die ſequente properandum, & ad pillulas coccias & Lucis accedendum.

Interim ſtatim collyrium in oculos mittendũ, ſolum ſcilicet lac muliebre recens mulctum cum aqua plantaginis & pauco croco; Hoc nimirum humores ab oculo repellit, antequam verò applicatur, prodeſt lavare oculos decoctô fœnugræci, aut applicare pomum coctum cum pauco fœniculo ſub cineribus in forma cataplaſmatis. Repetatur lotio & cataplaſmatis applicatio, dictique collyrii immiſſio ſæpiùs. Hinc ad alia collyria & Ophthalmica properandum.

Quòd ſi affectus hic per intervalla revertatur, purgetur patiens cum ſublim. cum ſol. aliquoties

Hinc Vena ſecetur & adhibeantur ſequentia Ophthalmica.

Occipitio quoque ſetaceum ſeu cauterium applicetur, aut fiat Fontanellum in brachio. Nam hoc maximè ex capite & oculis revellit & ab ophthalmia præſervat.

Si verò Hypochyma adſit incipiens (facta nimirum ſuffuſio & confirmata, ſolius ocularii Chirurgi ope curari poteſt) niſi adſit plethora, vena ſecanda non eſt: ne refrigeretur cerebrum & poſteà materiem largiùs cumulet, & in oculum transfundat; ſed potiùs materia concoquenda eſt & educenda, viſus & caput confortandũ & ne vapores è ventriculo ad caput aſcendant, cavendum. Unde pulveres poſt cibum præſcribendi ex confectione, ſemine fœniculi, ſummitatibus Euphraſiæ, vel tabellis cum ol. fœniculi & aqua Euphraſiæ, aut Extracto ejus. Et ſi neceſſitas urgeat, veſicatorium occipitio aut cauterium apponatur, quod ad minimum ad ſex menſes teneatur apertum.

Ad hæc collyriis ſequentibus utendum, quæ antequam oculis indantur, non inutile erit, fovere oculos ſacculo ſequente aquâ calidâ immerſo.

℞. Fœnugræci aq. frigida loti ℥iß. ſem. lini ℥ß. malvæ, althææ an. ʒii. terantur & pannis lineis raris includantur inſuanturque.

Ad Collyria autem oculis immittenda mirè proſunt aqua mellis, Euphraſiæ, rorellæ, Chelidoniæ, fœniculi, valerianæ, ſucci dictarum herbarum per ſe depurati, qui vel ſoli adhibeantur, vel inter ſe permiſceantur adjunctâ paucula aqua roſarum lacte muliebri, decocto fœnugræci, cum collyrio albo, croco & tutia præparata.

Si eroſio vel vulnus ſubſequatur & adſit; ſtupendum hocce ophthalmicum, oculos ad deſperationem uſque læſos reſtituit virtuoſiſſimè eorumque vulnera ſpacio 24. horarum glutinat. Collige ſuccum florum & foliorum Chelidoniæ, ejuſque bonam quantitatem in M.B. digere, ut ſponte ſuâ depuretur, donec nempe omnes impuritates ad fundum dejectæ fuerint; deinde.

℞. Menſe Junio ſole & lunâ exiſtentibus in cancro cancros fluviatiles Num. xx. ſectiſque extremis ſeu durioribus pedibus & caudarum cruſtis, contundantur in mortario, ut ſuccus indè exprimi poſſit, quem cum Chelidoniæ ſucco depurato conjunctum deſtilla ex B.M. reſerva uſui. Eodem tempore collectionis alium cancrum vivum integrum & nullâ ſui parte mancum in ollam inditum exſicca in clibano uſque dum teri poſſit, exſiccatum reduc in pulverem tenuiſſimum & ſubtiliſſimum, per incerniculum optimum trajiciendo. Hujus pulveris exiguam quantitatem ex canaliculo pennæ præciſæ in vulnus oculi inſtilla, atque ita relinque per horas 24. ſuccedente tempore eandem tantùm aquam ſine pulvere prædicto ſæpiùs immitte, lavando & eluendo omnem purulentiam, quæ tamen vel nulla, vel admodum exigua apparebit, & optatus certè finis ſubſequetur.

Rubor Oculorum.

Ad ardorem & ruborem oculorum cum dolore.

℞. Butyri recentis novies in aqua roſarum loti ℥ß. tutiæ præparatæ ʒi. Camphoræ ʒß. M. & reſerva in vitreo vaſe & parum oculo indatur.

Ad inflammationem, & rubedinem oculorum ut & puſtulas faciei rubras diſſolvat ſaccharum Saturni aqua Euphraſiæ & roſarum ana, addito paucul o tutiæ præparatæ.

Ad caliginem, rubedinem, lachrymas & omnia ferè vitia oculorum valet aqua Crollii Ophthalmica & ſequens:

℞. Vini albi non adulterati, aq. roſarum an. ʒii. ſacchari candi albi, vitrioli purificati an. ℈iv. M. poſteà ex hac aqua ſuper cotem tere tamdiu Zinziberis digitum unum, donec in aquam abſumptus fuerit, cola per Chartam emporeticam per vitrum, tandem in S.V. Cochl. ii. ſolve camphoræ tritæ ℈i. M. cum priori & eam probè ſervatam ad quævis oculorum vitia uſurpa, immittendo ſæpe gutt. j. atque alteram.

Hypoſphagma.

Hypoſphagma oculi tollunt ſummitates hyſſopi aquâ ſimplici coctæ, & in nodulo oculis tepide applicatæ. It. Radix ſigilli Salomonis conquaſſata, oculo partibuſque vicinis in forma cataplaſmatis appoſita. Vulgò ſanguinem è plumis columbarum pullorum expreſſum calidè oculo indunt.

Ad rubores tollendos utile ovum ad duritiem coctum per medium diſſectum oculo per noctem calidè apponere.

In omnibus ferè oculorum morbis medicamentum eſt. Aqua ophtalmica cœrulea.

℞. Calcis vivæ benè uſtæ & in fruſtis integris, quæ aëris vel aquæ injuriam non paſſa ſit lib. iv. pone in vaſe amplo ſtanneo & ſuperfunde aquam pluvialem aut fluvialem uſque ad eminentiam dimidii pedis, ſine lentè reſolvi & agita ſubinde ſpatulâ ligneâ uſque dum aqua benè imprægnata ſit ſale calcis, quam filtra & ſerva uſui. Hoc tertia vice repete cum aquâ recenti & ſingulas filtrationes ſeorſim ſerva. Nunc recipe aq. primæ part. i. ſecundæ part. ii. tertiæ part. iii. miſce invicem & & in lib. i. hujus aquæ diſſolve drachm. unam ſalis armoniaci, infunde diſſolutionem hanc vaſi cupreo aut æreo & retine in eo duodecim aut quindecim horas, vel uſque dum inſtar Sapphiri orientalis tingatur; Poſt filtra exactè & uſui ſerva in ampulla vitrea.

De hac le Febure in tractatu de Chymia. Hæc aqua non habet ſibi æqualem, ad omnes affectus oculorum, abſque reſpectu à qua cauſa oriantur. Nam ſal calcis vivæ cum ſale volatili urinæ, quod virtutem ſalis armoniaci conſtituit, permixtus,

vitriolum ſubtile ex cupro & ære extrahit, quod inſeparabiliter reperitur in aqua & communicat virtutem refrigerantem, mundificativam & deſiccativam; Dicam inſuper, quòd hæc tria ſalia ita invicem conjuncta extinguere, & depellere poſſunt omnem malignitatem ſalium acrium corroſivorum, & mordicantium, quæ ſanguinis ſeroſitati permixta ſunt, & quæ ſunt vera cauſa efficiens non ſolùm doloris, inflammationis, & ulcerum oculorum: ſed etiam plurium, omnis pruritus, omnis eruptionis & ulcerum, quæ oriuntur & in externis humani corporis partibus formantur. Ideoque hæc aqua utilis non ſolùm contra affectus oculorum, ſed quoque contra pruriginem, ſcabiem & ulcera.

Iſta autem emendatior eſt ſequens d.m.

℞. Aq. flor. Cyan. Chelidon. Euphraſ. roſar. proprio ſale acuatas an. ℔ii.

Superfunde calci vivæ injuriam aëris non paſſæ, cujus ſale quoque impregnatas filtra, adde.

Phlegmatis urinæ ex deſtillatione Mercurii microcoſmi collect. ℔ iv. Salis ex fæcibus ejus extracti, vel ſalis armoniaci ℥iß.

Stet in vaſe cupreo aut aurichalcino, donec perfectè colorentur, poſt per aliquot menſes ſoli expone, filtra & uſui ſerva. Hæc aqua, quæ in oculorum morbis eſt ſtupenda, cum aquis deſtillatis ſimpl. permulceri poterit, ad uſum pro medici arbitrio. *Joh. Hartmannus in Praxi Chymiatrica.*

Dolores oculorum, inquit Hippocrates, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum ſolvit, pro varietate ſcilicet humoris dolorem, aut phlegmonodem tumorem inferentis. At plerique nulla adhibita diſtinctione cauſarum, ſemper & omninò ſanguinem detrahunt, ac refrigerantibus liquoribus affectos oculos abluunt: mox etiam purgans medicamentum propinant cucurbitulas ſcapulis, capiti, & temporibus emplaſtra, oculis verò cataplaſmata, aliaque topica admovent.

Verùm refrigerantia nunquam affectis oculis profuere: his enim ſtagnantes humores adeò impinguntur, ut tandè inſolubiles fiant. Notabile eſt quod refert Riverius. Ruſticus quidam diuturna opthalmia laborans, cum ex præſcripto Medici refrigerante victu, & aquæ potu ad longum tempus nihil profeciſſet, tandem ab alio Ruſtico perſuaſus refrigerantem illum victum deſeruit, & mero indulſit, ac ſubindè ſe meliùs habere ſenſit, & intra paucos dies, continuato eodem potu ab ophthalmia prorsùs liber evaſit. Idemque aliis duobus contigiſſe ſubdit idem Auctor. Neque ſolùm vitioſos oculos refrigerantia lædunt, ſed & ſanos. Meminit de quodam Nobili viro Fabr. Hildanus, quod ab aſſidua lotione faciei, & oculorum cum aqua frigidiſſima viſus paulatim elanguerit.

Conferunt itaque intrinſecùs quæ ſanguinem ſtagnantem diſſolvere, atque à ſuis recrementis purgare valent: Externè verò efficax mihi ſemper, & ſalutaris obſervata eſt. Hæc aqua, quæ ita fit: In aq. roſ. alb. lib. ß. euphraſiæ fœniculi, chelidoniæ. & rutæ ſing. ℥ iii. vini alb. opt. & veter lib. 4. infund. antim. crudi in pulverem redacti ℥iv. fell. avium aut Gallinarum iii. tutiæ præp. ℥i. viridi æris pulv. ʒii. aloës opt. ʒ. i. ß. caryophyll. pulv. ʒ. i. camphor. & croci ſingul. ʒß. Omnia in phialia obturata exponantur ad ſol. per dies 30. tempore æſtivo, quotidie vas agitando, donec aqua ad flavum tingatur.

Ea poſtmodùm utor manè, & ſero jejuno ſtomacho inſtillando in oculorum angulos unam, aut alteram guttam: brevi enim impactos humores attenuat & abſtergit, viſum acuit, maculas delet, ſuffuſionem arcet, & oculos mirabiliter confortat. Addi etiam illi poteſt, ſi lubet, aliquantulum ſacchari candidi, quod una ſimul cum cæteris diſſolvatur.

Plures aliæ aquæ ophthalmicæ, & collyria cõmendantur à Medicis, ut ab Hartmanno aqua florum cichorii, ſicut etiam ejuſdem collyrium. A Crollio, & à Quercetano alia; & alia pariter à Riverio, qui prætereà lib. 2. cap. 8. ad maculas oculorum conficit aquam mellis: & in aqua roſarum diluit ſal ammoniacum. A Riolano deſcribitur aliud collyrium. Et à Mynſicht aqua ophthalmica aurea, viridis, ſubnigra, & de cancris, quas omnes præſtantiſſimas eſſe dicit. Commendantur quoque ſanguis recens columbarum cum aqua roſarum: albumen ovi cum alumine agitatum: vinum album, in quo tutia præp. ſoluta ſit: decoctum radicis ſymphyti, & ſigilli Salomonis in aqua vel vino: ipſiuſque vini ſpiritus; ſi videlicet his oculi lippientes pluries abluantur. In Actis Hafnienſibus ann 1673. deſcribitur unguentum ophthalmicum valde efficax compoſitum ex unguento nihili, & de tutia, margar. coral. rubr. ocul. camphora, camph. foliis aur. & lun. & ſaccharo ſaturni, idque Auctor expertum fatetur. Optimum quoque eſt quod conficitur ex una parte ſacchari ſaturni, dupla verò camphoræ.

Suffuſio Græcè ὑπόχυμα, & ὑπόχυσις, vulgò ex Barbaris Cataracta, affectus ille eſt, in quo pupilla à concreto ibidem humore obſtruitur, & viſio impeditur. Arabum plerique inter cryſtalloidem, & uveam tunicam, humorem concreſcere arbitrati ſunt. Galenus inter cryſtallum, & tunicam corneam. Celſus inter hanc, & aqueum humorem; cui Avicennas cohærere videtur. Experientia verò pluries innotuit ejuſmodi humorem denſari inter Adnatam tunicam, & corneam, quia à peritis Chirurgis acu argentea extrahi ſolet. Nihilominùs teſtatur Rolfinchius ſuffuſionem non rarò fieri à craſſitie humoris cryſtallini.

Incipientem ſuffuſionem deſignant apparentes ante oculos muſcæ volitantes, culices, pulices, pili, ac veluti aranearum telæ; quin & aliquandò res videntur cancellatæ, præſertim matutino tẽpore. Mox pupillæ color mutatus, & viſio omninò deficiens confirmatam ſuffuſionem arguunt.

Obſervat Galenus 1. de ſympt. cauſ. cap. 2. faciliùs curari ſuffuſos, quibus altero oculo conniventibus, alterius pupilla dilatatur; ſecus verò quibus potiùs conſtringitur, ſicut pariter cum ſomni lumine orbata cernitur, atque ad fuſcum, nigrumque colorem verſa eſt.

Quoniam ſuffuſio oriri putatur à craſſo, tenacique humore, illam tollere conantur Medici per medicamenta, quæ eundem humorem evacuare valent, qualia dicuntur phlegmagoga; deindè cephalicis calefacientibus incumbunt, itemque decoctis ex ſalſa, ſaſſafras, china, cum ſtœchade, betonica, euphragia, chelidonia. His non proficientibus deueniunt ad collyria detergentia, nempè ad aquam ſocialem dictã aut mel roſatũ, aquam mellis, rutæ, fœniculi, verbenæ, euphragiæ, chelidoniæ cum felle perdicis, accipitris, hirci,

hirci, lucii piſcis, aut lupi: pariterque ad cauteria occipitio, & brachiis adhibita. Tandem cùm confirmata videtur ſuffuſio, concretum humorem inſtar membranæ acu removendum expertis Chirurgis committunt. Cujus extractionis modum tradit Celſus lib. 7. cap. 7. Ægineta lib. 6. cap. 21. Fabr. ab Aquapendente de Operat. Chirurg. Scultetus, Barbette, & Gerardus Blaſius, præ cæteris aliis. Addit Hartmannus, ſi eroſio, vel vulnus ſubſequatur, ſtupendum opthalmicum: quo oculos inquit ad deſperationem uſque læſos reſtitui, eorumque vulnera ſpatio 24. horarum glutinari. Colligendum vult ſuccum florum, & foliorum chelidonæ ad eam quantitatem quæ abundantior haberi poteſt: in B. M. digerendum ſubdit, ut ſponte ſua depuretur, impuritatibus nempè in fundo ſubſidentibus; deindè (menſe Iunio luſtrantibus ſol. & lunæ ſignum cancris) cancros fluviatiles 20. reſectis durioribus extremis, & caudarum cruſtis, contundendos præcipit in mortario, ut ſuccus inde exprimi poſſit, quem ſimul cum chelidoniæ ſucco depurato deſtillandum ex B. M. & uſui ſervandum inquit. Per idem tempus alium Cancrum vivum integrum, & nullâ ſui parte mancum in ollam inditum, exiccat in clybano, uſque dùm teri poſſit; exiccatum reducit in pulverem tenuiſſimum, atque per ſecerniculum trajicit. Hujus autem pulveris exiguam quantitatem ex canaliculo pennæ in vulnus oculi immittit, ibique relinquendum per horas 24. ſuccedente verò tempore aquam ſæpiùs infundendam, lavando, & abſtergendo omnem purulentiam, & optatum certè finem ſubſequuturum aſſeverat.

At quamvis fidem omnem adhibeamus ophthalmico huic medicamento, tot, tantiſque aliis medicamentorum ſive tormentorum generibus pro curanda ſuffuſione propoſitis, minimè poſſumus aſſentiri: pluries enim experti ſumus his non levari, ſed magis labefactari ſuffuſione correptos. Satius propterea erit congruentibus catharticis per vices uti, potiſſimùm reſinâ jalapæ, extracto agarici, diagridio ex fumo ſulphuris parato, pilulis de ſuccino Cratonis, pilulis Lucis, doſi tamen moderatiori; poſtmodum oculos affectos fovere ſpiritu vini iteratis ablutionibus, vel aqua noſtra ophthhlmicâ ſuperiùs deſcriptâ aliave ſimili Ex Th. Bartholino in Actis Hafnienſibus, ſuffuſioni valde utilis dicitur, Axungia viperina, ſi ea oculi liniantur. Commendatur etiam collyrium Riolani. Gentianam inciſam, & cum aceto ſtillatitio coctam oculis inſtillatam ſuffuſioni remedio eſſe teſtatur Lipſ. Refert Boyle ſucco millepedum curatas ſuffuſiones ex conſilio cujuſdam Empirici, qui gradatim à tribus pro vice ad novem in ſingulos dies procedebat, atque iterùm ad tres, & rurſùm ad novem, & ſic viciſſim. De alia item Muliere meminit ab imminente ſuffuſione præſervata, quæ primùm quinque poſtea 10. tum 15. dein 20. ac gradatim augendo numerum quotidie per quinque uſque ad quinquaginta millepedes contundebat in vino albo, vel tenui cereviſiâ, ac liquorem expreſſum jejuno ventriculo bibebat. Cæterùm concretum in modum membranæ humorem, in confirmata ſuffuſione, extrahere cum ad Chirurgos pertineat, ipſi conſulantur.

In Pterygio, ſeu ungue oculi, eadem remedia abſtergentia conveniunt, præter Chirurgorum operationes. Sed omittendum non eſt, incipientem interdum deletam fuiſſe iterato halitu manſi allii jejuno ſtomacho: quod remedii genus Ruſticis eſt familiare.

Accidit nonnunquam muſculis oculorum reſolutio, vel convulſio; indeque oritur ſtrabiſmus, quo oculi à ſua ſede remoti nequeunt directè proſpicere, ſed coguntur obliquo ſitu objecta intueri. Aliquandò etiam à nativitate ſtrabones fieri contingit vitio muſculorum, aut cryſtallini humoris cùm ejus ſitus non recta pupillam ſpectat: Qua viſus deformitate integram familiam ex parentibus ſtrabonibus oriundam affectam novi. Interdum quoque puellos in cunis jacentes hoc vitium arripit, ſi nimirùm lucernæ lumen obliquè intueantur; quin & metu repentino perculſos infantes ſtrabiſmo affectos vidi, cùm ſcilicet oculos inæquali, & violento motu ex incuſſo timore commoverent. Quod ſi non æquabiliter oculi contorqueantur, aut unus rectum ſitum, tortuoſum alter nanciſcatur, unus ſurſum, alter deorſù res geminæ apparebunt; undè Lucretius.

At ſi fortè oculo manus uni ſubdita ſubter
Preſſit, cum quodam ſenſu fit uti videantur.
Omnia, quæ tuimur fieri tum bina tuendo.

Ut etiam cùm mente diſtracti, ac veluti ecſtaſi abrepti, aliò intendentes, lucernæ lumen, immotis oculis, ſpectamus, geminum illud intuemur, alterum in proprio ſitu, alterum aliquanto intervallo diſſitum.

Cùm itaque ad Paralyſim, aut convulſionem referri poſſit hic morbus, iiſdem utemur remediis, quibus prædictos affectus curari ſuperiùs tradidimus. Hæreditario ſtrabiſmo correptos inemendabiles eſſe experientia docuit, ſicut etiam ex diuturno tempore laborantes, pariterque vitio humorum, præſertim cryſtalloides à ſuo ſitu immutati. In puellis faciliùs ſanatur, ſi ex obliquo rerum intuitu inductus ſit, eâ tamen induſtriâ, ut continuato motu oculus affectus in ſuum naturalem ſitum ſenſim diſponatur. Solent in hanc rem nutrices apponere auri alterutri, è regione affecti oculi, florem, vel aliud quidpiam, ut infans ſtrabiſmo correptus in eam partem oculos dimoveat, atque ita inductum vitium tempore procedente, corrigat: quod ſanè facile eſt in tenera illa ætate. Memoriâ Patrum noſtrorum proditum eſt quendam ſtrabonem factum, ob ſubitum timorem à ruina cujuſdam ædificii, cujus cauſa oculos repentè, vehementerque ſurſùm attollerat, ab ejuſmodi vitio evaſiſſe, pupilla in ſuum ſitum demiſſa, à pari violento motu oculorum deorſùm cùm ſe ruiturum crederet; unde nil mirum quod ſcribit Sennertus, accidiſſe Medico Leuſchenero, cui ob oculorum ſurſum citam vehementemque everſionem, omnia deinceps inverſa apparuerint, & homines obverſis pedibus ambulantes viſi ſint.

Hebeſcit viſus, & quandoque etiam extinguitur; unde Hebetudo, Caligo & Cæcitas exoriuntur. Hebetudo quidem in juvenibus, caligo in ſenibus, cùm ſcilicet utrique in viſu deficiunt; Cæcitas verò cùm omninò Viſio aboletur. Hebetudo inſuper citra manifeſtam oculi affectionem Græcè ἀμβλυωπία, & ἀμαύρωσις dicitur etſi aliquando ἀμαύρωσις accipiatur pro abolita viſione, ſine apparrente oculorum vitio, quæ Gutta ſerena ſolet appellari.

Ad viſûs hebetudinem, ſeu imbecillitatem reducitur μυωπία, & Νυκταλωπία. In prima, niſi exilia corpora oculis admoveantur, iiſque conni-

ventibus, videri non poſſunt. In ſecunda verò patientes occidente ſole, aut tenebroſo aëre, obſcurè admodum, & noctu nihil prorſus vident; at interdiu, & aëre ſereno, ac lucido perfecte omnia diſcernunt: quamquàm Hippochrati Νυκτάλωπες dicuntur potiùs qui noctu clariùs quàm per diem cernunt.

Myopia referebatur antiquitùs ad paucitatem, tenuitatemque ſpirituum animaliũ per opticos nervos ad oculos confluentium. Nyctalopia verò ad eorundem craſſitiem. At ex Opticis cauſas rationabiliter deducit Flaterus & ad cryſtallini humoris ſitum varium has videndi varietates refert. Si namque cryſtallinus humor ad anteriora & versùs pupillam magis vergat, objecta remotiora meliùs cernuntur; at ſi profundiùs immergatur, objecta nonniſi proximiora diſcerni poterunt. Unde Myopiam fieri docet ex ſitu cryſtallini humoris profundiori; Cùm autem remotiora corpora meliùs videntur, cryſtallinum ad pupillam accedere ait. Verùm ejuſmodi acceſſum ad anteriora non approbat Sennertus, qui potiùs in ſenibus humores à ſiccitate coarctari putat, indeque fieri ut remota rectiùs, quam propinqua ab illis aſpiciantur.

At præter ſitum, etiam figura, & moles indecens, videndi vitium afferre poteſt, ſi nimirum plana, ſi globoſior, & extuberantior juſto fiat; itemque ſi diminutior, vel auctior, nec non ſi ſolito denſior, vel laxior ſit Hinc experimur quoſdam in viſu juvari conſpiciliis concavis, ut Myopes; alios convexis, ut ſenes, & Nyctalopes, neque omnes pari perſpicillorum convexitate. Contingunt etiam aliquandò defectus in viſione ab humore aqueo, qui interdum extenuatur, & abſumitur, quandoque craſſeſcit, aut diſtrahitur, atque aliter multifariam vitiatur. Videndi quoque vitia provenire poſſunt ab humore vitreo; ſed certè rariùs. Quare veriſimile admodum eſt, quod quemadmodum naturâ humores iſti exigunt convenientem magnitudinem, debitum ſitum, decentem figuram, & proportionatam diaphaneitatem, ut acutè videamus; ita cùm in uno, vel altero deficiunt, viſio læditur, & quidem modis ferè innumerabilibus, pro varia eorundem depravatione.

Innatam lucem oculis ineſſe, jam alibi ex Platone meminimus. Provenit autem lux iſta in oculis ex humoribus, pari certè modo, ac obſervamus ex ſpondylis, oſtreis conchyliis, cæteriſque teſtaceis noctu, & in tenebris lucem non exiguam emitti: Quamobrem, ſi magna, vehemens, & fulgida illa ſit, ut ex pupillæ amplitudine ad extimam ſuperficiem effundatur, atque cum externo lumine, quod etiam noctu per aëra aliquatenus diffuſum invenitur, radiorum pluralitate conjungatur, objecta adhuc in tenebris, non tamen omninò opacis, videri poſſunt, ut pleriſque accidiſſe perhibetur. Atque hinc noctuæ, feles, bubones, aliaque animalia ampliorem pupillam nacta, per noctem vident: quoniam in ampliori pupilla plures, & confertiores externi luminis radii recipiuntur, atque cum interno lumine uniuntur, colliguntúrque ad formandam viſionem. Eſt tamen neceſſe, ut ſimul cum amplificatione, pupilla parumper etiam extuberet, ut ex convexa figura radii lucis meliùs, & arctiùs uniantur, & in cryſtallo lenticulari excipiantur. Quamobrem è profundo ſomno experrecti, ac ſubito timore perculſi, quia pupillam repentè dilatamus, ſimulque oculum impensè expandimus, & extuberamus, propterea fulgorem quendam ante oculos conſpicere ſolemus.

Imbecillitatem viſus, imò & cæcitatem aliquando procedere ob obſtructione nervorum opticorum, probabile quoque eſt: at non ex eo, quod impediti ſpiritus animales influere nequeant in retinam, & criſtallum, ut communiter ferè putatur; ſed potiùs quia fibræ nervorum opticorum, quæ à lumine percelli deberent ad promovendam in cerebro ſenſionem, ineptæ ſunt redditæ ad ejuſmodi traductionem afficiendam; quare delapſus humor in nervos opticos, impedit, ne à cerebro ſenſionum omnium judice & exploratore, objectæ rei viſio percipiatur. Qua ratione, oculo lucido adparente, viſio nulla fit, ut in eo affectu, quem Medici Guttam ſerenam nuncupare conſueverunt. Sæpiùs etiam deprehenſum eſt Anatome, viſum defeciſſe à cerebri læſione varia, ut ex pluribus deducit Bonetus.

Quocumque autem modo Viſus imbecillitas contingat, difficillimæ ſemper erit curationis, præſertim verò ſi à Nativitate ſit, vel ob ætatem ſenilem inducta. Qui enim humorum vitia emendari unquam poterunt, aut quænam remediorum vis, & efficacia in tot, tantóſque oculorum anfractus inviolabiliter pervenire? Perperam proinde plerique medentium pluribus, iteratiſque medicamentorum generibus ejuſcemodi viſus defectibus, & luſcioſis, ac hebetibus oculis inſultant, quibus ægros potius torquent, & in pejorem ſtatum adducunt, quàm vel minimum allevent. Satiùs, & rationabilius alii ſolis ſpecillis admittuntur languenti viſui opitulari, atque extrinſecis dumtaxat remediis oculorum aciem roborare, & exacuere: interquæ præſtat potiſſimum aqua noſtra ophtalmica, ſi mane, & veſpere in oculos ad guttũ unam, vel alteram inſtilletur. Prohibeantur interim ea, quæ caput, & cerebrum infirmare poſſunt, ne congeſta ibidem excrementa in nervos opticos, vel in membranas oculorum deponantur, quæ ſi fortaſsè ibidem cumulata credantur, blandè per convenientia medicamenta repurgentur, uti ſunt pilulæ aloëticæ, extractum agarici, reſina jalapæ, extractum catholicum: Confert deindè ad plures dies ceruſa antim. deſcriptione Angeli ſalæ ad gr. 15. in ſingulas vices manè per quatuor horas ante prandium in aqua lavendulæ, euphragiæ, florum tiliæ, fæniculi, betonicæ, aliuſve; vel etiam cum modico vini albi. Vinum in quo euphragia infuſa manſerit efficax quoque dicitur. & efficacius adhuc ſi ex quo tempore muſtum fervet, infuſio illius fiat; quo deinceps in potum aſſumpto per annum integrum, plerique fatentur etiam decrepitos viſus aciem recuperaſſe. Ad hebetudinem quoque viſus commendat Montagnana pulverem quendam, quo decrepitis ad cecitatem ferè perductis videndi perſpicuitatem reſtitutam vidit. Conficit autem illum ex ℥j. macis, & euphragiæ ʒ iv. de quo cochelearis dimidiã partem ante cibum exhibet. Heurnius verò ſolutum liquorem ex hepate muſtelæ recenter exẽpto, & vino abluto, atque in vitro ſuſpenſo, ſoliſq; radiis expoſito, palpebris, & ciliis adhibendum ſuadet: eo enim viſum mirificè reſtitui ſcribit; licet Hartmannus ſolùm eo utatur in albugine, & nebula oculorum. Idem de alio piſce, Alpnit, vocato teſtatur Borellus: idemque etiam de lam-

lampetrâ: & Foreſtus de alio piſciculo Aelpuych, patrio idiomate dicto. Præſtantiſſimam aquam deſcribit Cardilucius in Hartmannum, qua multos talem, ac tantam viſus aciem comparaſſe fatetur, ut non ampliùs perſpicillis oculariis eguerint. Aliam quoque ceruleam notat Hiermias Marcius, quam Bonifacio arcanam fuiſſe ait. Verùm hæc, & alia licet aliquando profuiſſe credam, plerumque tamen irrita fieri experientia teſtatur, ſcilicet vitium intimiores oculi partes occupat, & mutatione ætatum viſus imbecillitas accidit.

Ad cryſtallini humoris vitium pertinet Glaucoma, & Glaucoſis; ſiquidem is in glaucum colorem mutatur, ex eo quod craſceſcat, & plurimùm denſetur; unde fit, ut viſio infringatur ob pertubatam luminis refractionem.

Poſtremò epiphora, ſeu Illachrymatio involuntaria fieri dicitur à nimio confluxu ſeroſi humoris in oculos, & præſertim in illorum glandulas; undè lachrymæ proſiliunt.

Illacrymationem ſiſtere feruntur quæcumque adſtringendi, & roborandi vim creduntur habere, ut acacia, hypociſtis, balauſtia, myrtorum baccæ, roſæ puniceæ, plantago, nuces cupreſſi, cortices punicorum, gallæ immaturæ, maſtiche, thus, aloë, ſanguis Draconis, bolus armenia, lapis hæmatites, gummi Tacamahaca, & Animæ, balſamum Peruvianum, myrobalani: ex quibus aquæ & decoctiones parari ſolent pro fomentis, & ablutionibus oculorum.

Ad epiphoras, & pruritus eorumdem ſingulare experimentum inquit eſſe Platerus hoc unguentum, ſi eo liniantur palpebræ, atque ad piſi magnitudinem in majorem oculi canthum indatur. Componitur autem ex ærug. æris gr. xii. camphoræ ʒi. tutiæ præparatæ ℥. ß. butiri recentis cum aqua roſ. liquefacti, & parùm elixi ʒ. vi.

Quod ſi cerebrum compatiatur, & lympha ſuperabundet, optima cenſentur, quæ ſudorem movent; ſicut pariter opiata, ſi mordacitatem lachrymæ præſeferant, & eroſionem, ardoremque afferant, potiſſimùm commiſta cum liquoribus cephalicis, & oclariis.

At ſi Ægylops timeatur, vel fiſtula lachrymalis dicta immineat, convenient detergentia, ac tandem conſolidantia. Amatus Luſitanus ad Ægilopes ceratum hoc deſcribit, multiſque laudibus effert. Habet autæm pulv. teſt. conch. ʒii. myrrh. aloës lotæ, & thur. ſingul. ℥ß. ſarcocoll. ſang. drac. & ceruſſ. ſingul. ʒiii. opoponac. aceto ſol. & lapid. hæmat. ſingul. ʒiß. Croci ℈ii. ceræ, & reſinæ ſingul. ℥iii. m. ſimul. ad ignem ſ. a. & f. Cerat. angulo oculi applicand.

At Petrus Bayrus ſumit mell. puri, & aloës hepat. ſingul. ℥. ii. myrrh. ℥. i. croci ʒß. aq. lib. ii. mox coq. lento igne ad conſumpt. mediet. & in decoct. calenti infundit parvam ſpongiam novam, eamque expreſſam, & in ſubtili tela incluſam, ac ſuperligatam ſæpiùs adhibet. Commendat pariter herbam ægilopem, quam eandem eſſe ait cum avena: ejus namque farinam cum floribus labruſcæ, ideſt vitis agreſtis, ſanare docet. At Plempius cum plantagine, parietaria, aut portulaca permiſcet, & ſpecificum ad Ægilopem dicit. Præſcribit etiam hic Auctor linimentum ex aqua ardente; vel vino optimo, & melle roſ. coi. ſingul. ad ℥i. & myrrham ad ʒii. addit.

Ad Fiſtulam denique ſanandam, adhibet ulceri Fabr. Hildanus pulverem euphorbii, quo nil præſtantius inveniri ait: poſteà utitur emplaſtro ex gummi Elemi, aut balſamo Tolutano ad conſolidandum. *Clariſſ. Lucas Tozzi Medicinæ Practicæ parte. I.*

De Ophthalmia.

Ophthalmia cùm ſit oculi (præcipuè tunicæ ejus Adnatæ) inflammatio, à ſanguinis plerumque bilioſi fluxione orta; quæcumque eundem revellunt, derivant, repellunt, ejuſdem calorem & acrimoniam temperant, oculum denique ipſum, ejuſdem canthos palpebraſque leniter refrigerant ac refocillant, ad morbi hujus curationem faciunt.

Revulſionis & derivationis causâ mittatur ſanguis e brachio larga manu ſi æger ſit plethoricus, & inflammatio magnum dolorem comitem habeat: parciori autem, ſi ſymptomata ſint mitiora.

Injiciatur ante omnia clyſter emolliens & refrigerans circa veſperam, ac mane ſeq. ſum. potionem ſeq. & ad diem proximum differatur phlebotomia, niſi ſymptomata, viz. dolor, pruritus, rubedo, tumor. &c. urgeant.

Clyſter ſit talis. ♃. Decoct. comm. emoll. & refrig. pro clyſt. ℔i. elect. catholic. ℥iß. mellis violac. ſacchar. rubr. an. ℥ii. mſ. f. clyſter.

♃. Rad. chichor. polypod. an. ℥ß. glycyrrhiz. ʒii. paſſul. par. iii. flor. bugloſ. p. I. ſem. anii. ʒi. fol. ſenn. mundat. ℥ß. cremor. tart. ʒiß. f. decoctio in aq. com. & colatura, cui addatur infuſionis ʒii. rhabarb. ſeorſim factæ in aq. endiv. q. ſ. cum ℈ii. ſantal. citrin. Reducantur omnia ad doſin, in qua diſſol. ſyr. roſar. compoſit. cum agaric. ℥i. aq. cinam. parum: mſ. f. potio, detur poſtridie clyſt. mane hor. 3. ante juſculum cum cuſtodia.

Alvus ſervetur laxa clyſterem ſæpiùs injiciendo, ac potionem hanc ſubinde repetendo.

♃. Flor. vetonic. rubr. p. iv. roſ. rubr. p. ii. flor. bugloſſ. borrag. & violar. an. p. iiß. flor. papav. Rhœad. p. I. aq. font an. ℔iiß. vini albi Rhenani ℔ß. Cum ſpiritu vitrioli extrahatur tinctura. In colatur. diſſolv. ſyr. de pom. redolent. ℥iv. ſyr. nenuph. & ceraſ. an. ℥ii. mſ. f. julap. exhibend. bis in die longè à paſtibus per 5. aut 6. dies.

Vel ♃. Syr. violac. ℥iv. ſyr. de pomis redolentibus ℔ß. ſyr. de trifol. acetoſ. ℥vi. julap. Alexandrin. ℥iii. miſceantur & ſerventur in ampulla vitrea. Uſus tempore, iſtius ſyrupi ℥i. agitetur cum ℥vi. aquæ hordei, vel etiam fontanæ aut ciſternæ limpidiſſimæ, & bibatur mane jejuno ventriculo, & poſt meridiem urgente ſiti, loco alterius potûs.

Æſtus quoque ſanguinis optimè attemperatur balneo aquæ dulcis & lact. tepidul. additis emollient. & refrigerant. cum roſis & floribus nenupharis.

Oculo externè adhibeantur ſequentia.

♃. Aq. roſar. plantag. an. ℥ii. phlegmatis aluminis ℥iv trochiſc. alb. Rhaſis ʒi. tutiæ præp. ℈ii. vitrioli alb. ℈ß. mſ. f. collyrium, cujus

gutta una vel altera indatur oculis ad majorem oculi canthum.

Vel ℞. Aloës ʒß. diſſolv. in aq. roſar. ℥ß. adde ſacchar. albiſſ. ʒi. pinſatur cum duobus ovorum albuminibus, additis gr. ii. camphoræ, f. expreſſio cum diſſolutione aloës miſcenda.

Vel ℞. Aq. ſtillatit. roſ. alb. rut. chelidon. fœnicul. an. ℥iii. vin. alb. Hiſpan. ℔i. tutiæ præp. aloës hepatic. an. ʒiii. camphor ʒi. pulverizentur pulverizand. & infundantur loco tepido in arena per 20. dies: deinde ſervato ad uſum.

℞. Viridis æris gr. vii. aloes ʒi. myrrh. ʒß. maſtich. ʒß. vin. alb. q. ſ. f. injectio.

℞. Herb. virid. betonic. fœnicul. euphraſ. chelidon. major. verbenæ, trifol. maculat. maculâ fuſcâ an. m. iii. rad. pœon. rec. contuſ. ℔ii. omphacii ex uvis acerb. vel ſi deſit, ex pomis ſylveſtribus ℔iii. phlegmat. vini poſt ſpiritûs extractionem reſtibilis ℔ii. vini Hiſpanici ℔i. Miſceantur ſ. a. & in alembico ſtanneo nitido f. diſtillatio ſuperpoſito capitello vitreo, idque in B. voporoſo, ad ſiccitatem. Aqua ſervetur pro toto anno vaſe vitreo forti ad uſum.

℞. Iſtius aquæ ℔iv. croci metall. optimè præp. inſtar. ſmalti aut vitri nitentis in ſubtiliſſim. pulverem reducti ʒvi. Miſceantur & ſtent continuò in infuſione pro lotione oculorum.

Egomet palpebrarum pruritu ſummo, inflammatione, tumore, lippitudine laborans, clauſis oculis palpebras dolentes leviter excoriatas ablui cum ſpongia molli hoc liquore tepidulo imbuta quavis horâ diei, maximo cum levamine & omnium ſymptomatum diminutione. Excitat dolorem pungentem primo appulſu hic liquor, ſed fugax eſt & momentaneum iſtud incommodum.

℞. Ovum recens, coque in cineribus ad duritiem, aperiatur, extrahatur vitellus, cujus vice cavitas repleatur pulvere ex vitrioli alb. & ſacchar. cand. ana part. æqual. claudatur optimè, ponatur in ℔i. aq. roſarum, atque in ea infunde per dies duos naturales, f. colatura ſervanda ad uſum.

Unguento hoc de tutia nihil præſtantius ad ruborem & inflammat. palpebrarum.

℞. Butyri recent. inſulſi ℥i. ſebi caſtrati ʒii. ceræ ʒß. mſ. ablue: adde tutiæ præp. ʒiß. mſ. optimè, ſerva in aqua. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib. I.*

Oculi Cryſtallus difformis.

In humorum numero vulgò & Oculi Cryſtallinus habetur, ſed καταχρηστικῶς. Nam etſi velamento ſuo pluſquàm araneo orbatus lentè diffluat inque humorem ſolvatur, non tamen magis hoc probat liquidum eſſe, quàm vel Glandulam pinealem aut Urticam marinam, quòd & ipſa aëri expoſita formam ſuam amittant & deliquio in humorem ſolvantur. Jam verò cùm humor iſte, ſi humor eſt linea ſuâ circumſcribatur, & terminum nactus ſit lenticularem, convexo rotundum, & ſolidorum hoc ſit proprium, ſuis ipſorum terminis contineri, non alienis; utique de corpore hoc figurato, tanquam de ſolido, loquendum erit, imprimis, cum actio ejus omnis à figura & ſolido, velut vitrea lentè deduci debeat. Certè à figurâ eſt, eaque ſubtiliter rotundata, quod actio ejus integra ſit & viſus conſtet, quando enim vel complanatur nimium aut in acumen exit, vel in aliam formam refingitur, jam laborare viſum neceſſe eſt. Nempe, ita comparatus ejus figura eſſe debet, ut ex tam vaſto Horizonte prodeuntes radii tantùm non infiniti in indiviſibile punctum colligi, inque exiguas imagines, εἴδωλα vocant, contrahi poſſint, quod fieri non poteſt, ubi in aliam aliamque figuram detorquetur centrique cum circumferentia analogiam amittit. Vitium eſt ætatis, aut morbi, quando Cryſtallus ille & exſiccatur & deformatur. Ut autem figuræ exſiccatio non officiat, plerunque tamen cum ea conjuncta eſt quædam ἀμετρία, & rotunditas in anguſtius ſpatium contracta facilè etiam in angulos projicitur. Vidi ex cæcis erutas Lentes cryſtallinas, ſi tamen Lentes dicendæ ſunt fœdata angulis corpora, quæ in illâ opacitate, hæc enim plerunque conjungitur, figuram indeptæ erant planè irregularem, tuberoſam, triquetram, trifidam, hiante hinc inde præ nimia ſiccitate fiſſura. Sed & alterum ab infarctu aut obſtructione Lentis opticæ vitium eſt, quando tartareum quid aut gypſeum intra fibras ejus lamellaſve immittitur; namque hinc etiam fatalis cæcitas oritur. Tumet tunc Lens illa ſeque ipsâ major Pupillam opplet, & quod intertexta fibris gypſea materia craſſa eſt & opaca, totum quoque corpus & ipſa opacat, prohibitâ radiorum tranſmiſſione, atque hoc Veterum eſt Glaucoma, & ſic explananda Galeni definitio, quando eam definit ἡ μὲν γλαύκωσις ξηρότης μὲν ἐστὶ τῆς πήξεως ἄμετρος τοῦ κρυσταλλοειδοῦς ὑγροῦ. Quod non tantum in decrepita ætate a nimiâ exſiccatione, orbatis humido ſuo fibris, ſed etiam ab obſtructione morbifica, tranſpoſita in eam partem fæce quadam gypſea, oriri certum eſt. In Variolis certè viſus orbitas non aliunde, quàm ab ejuſmodi fæculentia craſſa & opacante repeti poteſt. Eſt lapillorum, ovalium aut lentiformium aliquod genus, quod, ubi ſiccum eſt, niveum habet candorem, ubi madeſcit, radios tranſmittere & luceſcere incipit; huic ſimile quid cum ſera ætate Lenti opticæ evenire credibile eſt. De angulis aliàs & vitiata Lentis rotunditate jam tum quoque extat Cl. Drelincurtii, accuratiſſimi Anatomici, Obſervatio. Vidi, inquit, in Glaucomate Veterum Cryſtallinum vel tripertitum aut quadripertitum præ nimia ariditate findi vel hiſcere.

Oculi procidentia.

Miſeram Oculi procidentiam in Puero bienni notavi. Conflictatus inde erat jam à die natali cum Rheumatiſmis. Ophthalmia & Amauroſi. Nato ſtatim oculus dexter inflammari & ſanie ſtillare cœpit, quæ etſi remediis quibuſdam mitigari videbantur, infantis tamen ferocia medicamenta non admittentis, aëriſque in illa pauperie occurſus malum magis magiſque exaſperabant. Accidit tandem, ut confluentibus in orbitam catharrhis oculus ſenſim protuberaret cumque muſculis omnibus atque indumentis extra eam propelleretur, propendentibus jam & viſui expoſitis rubicundis muſculorum ventribus. Miſerabilis ſanè & luctuoſa erat Pueri facies, quam jam ſic annum traxerat

rat Chirurgo in curam traditus. Fecerat hic officium alvumque ſæpius ducendo humorum minuerat affluxum; ſed identidem recurrens tumor novum medicationis genus poſcebat, & jam ſuffitu, jam Balſamicis, jam aliis certabatur, quæ intolerabilem ardorem, & hinc natos ejulatus, ex parte lenirent; at neque ſic dolorum requies & nullum aliud quàm à mucilagine delinimentum, illa namque, quamdiu hærebat, ardorem oportunè temperabat. Nihil autem magis reformidabat, quàm plagæ reſolutionem ad motum aërisque novi impulſum recrudeſcente denuo dolore. Poſtquam hoc remedio aliquot ſeptimanæ tranſactæ eſſent, & linamentis oculus molliter adſtrictus, certo die factum eſt, ut detractas faſcias, quas ipſas exſiccata mucilago oculo accuratius conglutinaverat, ruptura Corneæ tunicæ, hanc ſtatim magna vis humorum & ſaniei ſequeretur, oculi autem moles, ut erat carne pinguedineque obſita, in orbitam repelleretur: quod eò commodius fieri poterat, quia globi illa magnitudo, quæ pridem pugnum æquaverat, nunc remiſſa atque in anguſtius ſpatium puris jactura contracta manus officium non abnuebat. Reſtituto Oculi globo minus jam erat à carie periculum, ſed abſque viſus detrimento res confici non potuit; quippe humor, qui oculo exſtillaverat, exploratus, omnem vitrei aqueique orbitatem facilè oſtendit. Hærebant adhuc in Vitreo humore fibræ aliquæ ciliares, quæ Lentem cryſtalliformem ligamenti inſtar coërcere & librare ſolent, ſed ipſa adhuc Lens fibris tenacioribus impedita cum Uveâ tunica coaluerat, una in illo homorum detrimento ſuperſtes. Vulnus poſt Ichoris & Saniei debitam purgationem intra quatuordecim dies conſolidatum, oculuſque intra orbitam complanato globo reſedit. In mediis tamen tunicis ſiccum candidumque corpus conſpiciendum ſe dabat, quod Lentem illam vitiatam hodieque refert, at ſine luce cæcum atque induratum. Hac occaſione non poſſum, quin memorem peregrinum cæcitatis genus in duobus pridem natis à me viſum. Nimirum utrumque oculum ſpiſſa quædam Tunica ex muco, ſivè in Matris alvo, ſeu primo aeris adflatu concepto valebat, viſumque omnem prohibebat. Uni Naturæ viribus ſolo ſaccaro adjutæ viſus rediit; alteri quid acciderit, in illo locorum temporiſque intervallo neſcio. Nota mihi aliàs quoque oculi Procidentia à Carie oſſium naſi vicinæque orbitæ, ſed in Lue Venerea.

Vermiculi Oculorum.

Nulla admodum corporis pars oſtendi poteſt, in qua non viva ſæpe & animata putredo reperiatur. Interna viſcera ad unum omnia vermis quandoque occupat, ſed externa vario, magno & parvo animalium genere infeſtantur, humores & ipſi, ſiquidem armatis oculis credendum, non uno genere animalculorum perfunduntur, quid quod & aquæ quamvis pellucidæ innumeros ineſſe vermiculos, certum microſcopii genus, niſi laboret oculorum fides, oſtendat. De morbis autem nonnullis, Scabie, Gangrænâ, Carbunculo, quod ex animatâ volatilique humorum putredine oriantur, dubitare experimenta vetant. Imprimis autem & alia ſymptomata, ſpecie levicula, puſtulas vultus ruginoſas, exanthemata cruenta non rarò vermiculorum quorundam agmine mundari, ſuique ſenſum prurigimis ſpecie volubili & formicino corporis motu præbere, & jam pueri credunt. De Oculis tamen necdum ſcio, an obſervatum ſit inflammationem eorum minutulis deberi inſenſibilibuſque vermiculis. Committebatur curæ meæ Puella octo annorum, quæ à quinque inde annis morbo laboraverat oculorum; cilia ſemper rubebant & prurigine moleſtiſſima manuum quærebant temperamentum, ſed neque tutum ab illis auxilium, quando magis magiſque efferveſcere ſerum inque oculos deſcendere ad manus trictionem gemebat. Quare omni ope allaboratum, ut prurigo hæc tolleretur prohibito humoris ſeroſi influxu, ſed in caſſum, quando nec à calidis nec frigidis levari ſe ſentiebat. Neque enim vel Vitrioli deliquatus ovi albo liquor, aut Saturni Sal, neque etiam, quæ alias vermiculos quibuſvis è partibus evocant, Saccari canti pollen aut Mella, quorum unum illud Fucorum ad miraculum uſque ab aniculis celebratur, quidquam profuere. Mater autem pertæſa eorum, quæ hactenus à Medicis exhibita erant, Vetulæ cujuſdam conſilium ſequi ſtatuit. Suadet ergo Ovum ut coquant ad duritiem, inde albumen ejus findant medium, & exemto vitello cavum albuminis, ut adhuc calet, oculi applicent convexo. Nec mora, quin ſtatim prurigo deficeret nidoreque ovi & fumo evocata animalcula minutarum lendium inſtar albumen ovi occuparent. At cum tenella eſſent iſta corpuſcula nudiſque oculis vix diſtinguenda, ad nitidiorem lucem umbræ eorum, ad Microſcopium verò figuræ ipſæ & lineamenta, quamvis confuſius, apparuere. Sanè, cum flammanti candelæ admoverentur, crepitum edidere, quem ego à rupturâ corpuſculi ſalino nitroſi deducere non verebar. *Joh. Nicol. Pechlinus in Obſervationibus Phyſico-Medicis.*

Conſultationes.

Ad oculorum ſuffuſionem, pro uxore D. de Riou die 29. Martii. 1551.

Utriuſque oculi hebetudo, & impendens cæcitas, tum quæ ex ophthalmiâ oculò relicta eſt, tum quæ poſtea in ſiniſtrum invaſit, primam efficientem cauſam in cerebrô demonſtrant. In hoc quippe abundantior pituita excrementitia progigni cumularique ſolet, idque ex frigidâ humidâque Dominæ laborantis intemperie, & ex immoderatâ vivendi ratione. Ea quippe, ut præcipua eſt arthritidis cauſa, quoties per poſteriora defertur, ſic per anteriora & per opticos nervos irrepens in oculos, hæc videndi ſymptomata peperit. Neque enim ſola pupillæ dilatatiò citra hanc cauſam cæcitatem inferre poteſt.

Hoc autem loco hæſitamus, ubinam potiſſimùm hic humor impediens, & qui continens & proxima eſt mali cauſa conſiſtat? An in nervô opticô, anne ſub pupillæ partibus intimis ſuffuſionis ſpecie, aut extrinſecus ſupra corneam pupillæ effundatur albuginis ſpecie? Hæc

enim ſingula diligenter æſtimenda ſunt & internoſcenda, ſine quibus curatio, ſi qua ſperanda eſt, perfici non poſſit. Itaque optamus diligenter moneri per te de iis omnibus. Si nihil ob pupillam in oculô eſſe deprehenditur, cauſa eſt in opticô nervô, atque is obſtructus forſan eſt: neque enim eſt ſuſpicio læſæ facultatis videndi, aut partis cerebri in qua conſiſtit. Si quid obſcurum ob pupillam animadvertitur, diſcernendum denuò, id ne in profundo ſub tunicis conditum ſit, anne foris circa tunicam corneam idem adhæreſcat. Illud ſuffuſio, hoc albugo eſt.

Tantiſper autem, dum horum certiùs monebimur, curatio ineunda eſt generalis, & quæ hiſce omnibus affectibus æquè communis eſt; primùm victus ſiccans & attenuans imperandus eſt, quo neque humidioribus, vel ſorbitionibus, neque liquidis, ſed aſſis duntaxat & ſiccis veſcatur, hiſque ſatis tenuiter, & quantum ſatis eſſe videbitur ad virium præſervationem. A vinô abſtineat dies viginti aut triginta, potus ſit ligni ſancti decoctum, quod nullius alterius rei permiſtione ſit apparatum. Si alterô validiore & acriore decoctô horâ quintâ matutinâ & quartâ pomeridianâ tentes ex totô corpore, maximeque è capite ſudorem elicere, non leve momentum ad curationem fuerit.

Tertiô aut quartô die hujus victus, cùm jam humores exagitati apparebunt, purgatio adhibenda per pillulas lucis majores, & pilulas ſine quibus, aut alias quas laboranti naturæ expertus eris accomodatiores. Hæ octavo aut decimô quoque die repetandæ ſunt, nec eo die ſudores movendi. Diebus interjectis alvus, ſi fortè durior exiſtet, emolliatur clyſtere.

Quotidie manè, potiſſimùm ſub finem ſudoris, deraſo capiti, vel tenſo imponendi ſunt ſacculi ex milio, ſemine aniſi, fæniculi & baccis lauri torrefactis, quos in lecto decumbens calidiſſimos pereat horam circiter dimidiam ut eorum opera lentus capitis humor foras proliciatur, & cerebrum totius mali fons, magis quàm partes cæteræ roboretur. In hoc enim efficaciores ſunt ſacculi, quàm vel emplaſtra, vel ſinapiſmi, quantumvis calidi. Sublato ſacculô, caput muniendum eſt ſtuppis ſiccis, quæ ſuffientur ſtyrace, benjoin, caryophyllis & horum ſimilibus, paulò ante utrumque paſtum.

Eodemque tempore pituita è capite detrahenda eſt apophlegmatiſmis, quales ſunt ex maſtiche & pyrethro manſis: vel gargariſmo ex accommodatô decoctô in cujus librâ una diſſoluta ſit ℥i. pyrethri pulveriſati.

His conſtanter utendum interim, dum affectus oculi certius innoteſcet, ſit ne albugo, ſuffuſio, aut optici nervi obſtructio: nam imbecillitas ex ſpiritus penuria, aut virium diſſolutione eſſe nequit. Quibus perſpectis, idoneis remediis, dum licebit, opem feremus. *Joh. Farnelius in Conſiliis Medicinalibus ſub finem operum additis.*

Pro Illuſtriſſimo Barone Germano imaginibus oculorum detento.

Duæ ſunt rationes, quæ ut in tractando caſu Illuſtriſſimi Baronis Maxima diligentia utar ſuadent. Una eſt, quod oculi, de quorum adverſa valetudine mihi interim eſt agendum, nacti ſunt prærogativam ex Galeno, ut auſus fuerit affirmare, caput, & proinde cerebrum, membrum præcipuum, factum fuiſſe ob oculos; Altera eſt, quod oculus tam variam, atque multiplicem habet compaginem, & conſtructionem, ut etiam varios, & hos ipſos cognitu difficiles morbos ſuſtineat. Verum tametſi maxima diligentia mihi adhibêda ſit, nihilominus inſigni utar brevitate, atque tria tantum enodabo. Primum erit, quis nam verè ſit affectus præter naturam, qui in viro nobiliſſimo operam Medici exigit; Alterum, an affectus ille ſit ſanabilis. Tertium & poſtremum, ſi ſanabilis vel ſaltem præſervabilis, quibus remediorum materiis.

A primo itaque exorſus, dico, quod affectus de quo conqueritur duplex eſt, alter quidem naturalis & à primo ſemine contractus: alter verò ab hinc ſeptem menſes acquiſitus, ille quidem eſt diminuta actio videndi, qua exactiſſime vicina videt, idque magis ſecundum oculum dextrum quàm ſiniſtrum, mediis tamen ocularibus, remota verò non æque bene, qui affectus interim tanquam nativus & minimè curabilis eſt relinquendus. Illud autem certiſſimum eſt, quod quia exactè videt, ſpiritus ſunt clari quia verò à longe probè non videt, iidem ſpiritus pauci, ac nimis tenues ſint oportet. Affectus autem alter, qui aſcititius, & operam medicam exigit, refertur ad imagines quaſdam, & ſimulachra, ſeu Idola, quæ à tempore ſuperius ſtatuto, narrat, ſe videre & magis ſecundum oculum dextrum, quam ſiniſtrum, magiſque in claro, quam in obſcuro. Imagines autem hæ referuntur ad lineam nigricantem, cui globuſculi quidam videntur appenſi, minoreſque quidem in extremitatibus lineæ, grandiores in medio, & hi grandiores in medio ſunt Diaphani, ſic etenim in ſcheda data refertur, & quærelæ in ipſa ab illuſtriſſimo patiente propoſitæ, omnes in lineam prædictam cum globuſculis propoſitis referuntur.

Sed jam ſedes affecta atque conſtitutio hujus mali ſunt expendenda. Quantum attinet ad ſedem affectam, illud certiſſimum eſt; Idola illa eſſe inter chryſtallinum humorem, & corneam; atque aut inter albugineum humorem, & Rhagoidem, vel inter Rhagoidem, & corneam. Hic ſine dubio vitium eſt, inter albugineam & Rhagoidem, alias ſi inter corneam, & Rhagoidem, pupilla evidentius obtenebrata obſervaretur, oculiſque non obverſarentur ſpectra aliqua, refertur tamen in chyrographo, oculum, optimè conſtitutum apparere & pupillam ſecundum naturam eſſe affectam; Item & oculis obſervari phantaſmata jam dicta. Quantum verò attinet ad conſtitutionem hujus vitii, dico, quòd neceſſarium eſt illud pendere à vapore, vel ab humore, ſeu minera. Non quidem à minera; quoniam malum gravius eſſet, ergo à vapore, qui cùm poſſit eſſe vel craſſiſſimus, tenuiſſimus, & mediæ naturæ, vel melancholicus, pituitoſus, bilioſus, & ſanguineus, primum dico eſſe vaporem mediæ naturæ quoniam ubi eſt craſſiſſimus ſpectra ſunt animalia, nimirum culices, muſcæ, ubi eſt tenuiſſimus, idola illa pilos, & filamenta tenuia

nuia redolent, quæ cum abſint in noſtro caſu nam phantaſmata ſunt linea, capillum quidem referens, necnon globuſculi lineæ appenſi, ideo imagines illæ mediæ ſunt naturæ. Præterea, idem vapor eſt à prædominio melancholicus, deinde pituitoſus, nam pro majori parte eſt niger & prout Diaphnitatem aliquam globuſculi illi redolent, ſignificatur, vaporem redolere etiam naturam pituitoſam. Cœterùm, cùm vapor hic referat imaginem jam propoſitam, & in oculo nullum manifeſtum malum cernatur, neceſſarium eſt fateri mineram hujus vaporis extra oculum eſſe, ergo aut in capite, aut in partibus ſubjectis, aut in toto. Non in toto, quia corpus ſatis bene conſtitutum proponitur, puto igitur à capite prodire vaporem pituitoſum, quia ſicuti ob calorem nativum imbecillum, deſtillationem, quæ ad gingivas moleſta deponitur parit, ita ex eadem materia deſtillationis ob eundem calorem vaporem producit ad oculos à primo ſemine imbecillos, & ob id ad ſuſcipiendum aptos tranſmiſſus, apparentias illas efficit. Cæterùm, quoniam ex maſticatoriis adhibitis, ex cauteriis tum in Nuca, tum in utroque brachio inuſtis, nullum juvamen perſentit, neceſſarium eſt, malum hoc aliunde fomentum habere, in cujus confirmationem, & id facit, quod cum apparentiæ illæ pro majori parte ſint nigricantes neceſſarium eſt, ut ſi ſoboles humoris molancholici, qui cum non generetur in capite, niſi ob fervorem derelictum ab aliqua diſpoſitione ignea, uti à phrenitide, vel à timore & mœſtitia immoderatis, quæ abſut in noſtro caſu, ergo oportet, ut humor hic melancholicus generetur vel in hepate fervido, vel in meſeraicis obſtructis ac calore æſtuantibus, à quo fumi in caput & proinde in oculos delati Idola illa nigricantia efforment. In cujus rei confirmationem faciunt mores illius Illuſtriſſimi Baronis, qui melancholiam redolent, quicumque enim in conſtituendis machinis torno, & in inſpiciendis volatilibus occaſione venationis occupantur, proculdubio mores melancholicos ſapiunt, etſi aliquis contra hoc obſtaret, quod magis afficitur oculus dexter, quàm ſiniſter, & quod idola ſunt permanentia; ut propter hoc non ſit neceſſarium à partibus ſubjectis oculis labem communicari, hic ipſe ſciat hæc accidere, quia oculus dexter forſan eſt imbecillior ſiniſtro; Præterea propter rectitudinem magis ab hepate recipit. Quantum verò ad continuationem affectus, dico quòd præter id quòd jugiter à capite ſuppeditatur materia, non eſt inconveniens, quòd etiam à partibus infernis communicetur materia, ut aliquando etiam fiat, morbum aliquem per conſenſum eſſe continuum, quia cauſa morbifica continuè agit. Quibus in hunc modum ſeſe habentibus, apparet imagines propoſitas non vitio imaginationis, uti in deliriis, ſed vitio oculorum ſuam habere generationem, & hæc de primo capite dicta ſufficiant.

Erat aliud, quod ad partem prognoſticatricem attinet nimirum an malum prædictum ſit remediabile, de qua ita ſtatuo, nimirum vix malum hoc curari poſſe, nam præter id quod incidit in oculos à natura imbecillos fabrefactos, tanquam forſitan valde progreſſum, materiis Medicis valde reluctatur, video enim cauteria in brachiis, & in Nuca citra aliquod juvamentum uſurpata fuiſſe. An verò immineat ſuffuſio necne dico, quod tametſi Avicennas affirmaverit, poſt ſextum menſem ab illis apparentiis non imminere ſuffuſionem, nihilominus ego experientia edoctus affirmare poſſum, & ante, & poſt illud tempus ab imaginibus illis ſubſecutam fuiſſe ſuffuſionem, & quod poſt illud tempus id fiat, clariſſimè habetis à Galeno quarto de locis Affect. capite ſecundo, ut propterea valde ſuſpicer, ne malum hoc in cataractam degeneret, & eo magis, quia Idola hæc non pendent à materia tenuiſſima, quæ in oculis minimè concreſcat, ſed ut dicebam à materia partim craſſa, & tenui, & niſi oculi nobiliſſimi patientis, ut qui in ſcheda Leonini, & fulvi proponuntur, eſſent ita calidi & æſtuantes; fulvus enim color, eſt ipſius ignis color, & Leoninus oculus valde calidus eſſe ſolet, ego puto, quod jam ſuffuſio apparuiſſet, ut hiſce nominibus ego arbitrer, cataractam imminere.

Erat tertium, quod propoſueram de materiis Medicis, quæ indicationum inventionem ſupponunt primum igitur totum, deinde caput ab excrementis jam dictis etiam expiandum, poſt hæc capitis, jecoris & hypochondriorum alterationi incumbendum, à quibus omnibus, quicquid in oculis præter naturam continetur, eſt diſcutiendum & evacuandum. Sed jam ad materias medicas deveniendum, in ſerie quarum auſpicatus à chirurgia ſectionem venæ negligo, tanquam, eam, quæ in imminuta viſione ab omnibus potiſſimum verò à Principe Avicenna ſuſpecta habetur. Accedit, quod in præſenti non adſint ſcopi illam indicantes, non negarem tamen cum fructu ſanguinem ex venis podicis, per hyrudines extrahi poſſe, ea tamen ratione, ut ſanguis craſſus & fæculentus exeat, hac enim ratione venis hypochondriorum expiatis à ſanguine fæculento, occaſio effumationis in oculos ſubtrahetur. De cauteriis verò ita ſtatuendum mihi videtur, ut quod in Nuca eſt, ac brachio ſiniſtro conſervetur, quod in brachio dextro claudatur, & novum in femore dextro ſecundum partem domeſticam excitetur; Immò verò quod in nuca ipſa geſtatur, non excrementa evacuet, prout optaretur, probarem ut eo clauſo in ſyncipite aliud inureretur, & per aliquot dies apertum ſervaretur, nam præter alia commoda illud unum præſtare poſſet, ut vapores aſcendentes per ipſum evacuarentur, immò verò Medici antiqui in ſimilibus caſibus à cauteriis ad utramque eminentiam capitis inuſtis non abhorrebant, quemadmodum nec ipſe abhorreo ab aurium perforatione, & aſſiduis frictionibus, deligationibus, lavationibus, ventoſationibuſque partium extremarum, ac pectinationibus mane in poſticam capitis partem factis.

Pharmaca, gratia primum totius, deinde hypochondriorum, tertio capitis, poſtremo oculorum ſunt uſurpanda, gratia totius, lenientia primo loco ex hiera picra Galeni, ſuperbibito per modum apozematis ſyrupo de polypodio magiſtr. vel ex caſia & ſpeciebus ejuſdem hieræ parata. Secundò præparantia ex decocto cicoraceorum, boraginis, meliſſæ, betonicæ, eufragiæ, & fœniculorum cum ſuis ſyrupis confecta. Poſtremò verò purgantia ex pilulis cochiis helleboratis, vel cum aureis, & ſine quibus, vel ex hieris

hieris magnis helleboro refertis efformata probantur. Huc quoque referenda ſunt quæ & inſenſibiliter evacuant, ergo chinæ decoctum, immo verò & ipſius ſalſæ, modicique guajaci in jure viperino paratum, ſandalis, vel cicoraceis caſtigatum, plantiſque præcipuè ocularibus medicatum, ad plures dies bibitum erit maximi uſus, & ſi viperæ non poterunt haberi, quemadmodum in Germania non ita facilè habentur, paretur decoctum in aqua communi, deinde ante ſyrupum matutinum bolus ex trochiſcis viperinis vel ſale theriacali, cum conſerva boraginis, & betonicæ efformatus devoretur. Mox ſtudendum eſt obſtructionum reſerationi per medicamenta aliqua chalibeata, poſt quæ danda eſt opera, ut caput evacuetur Catapotiis jam propoſitis, potiſſimum verò pilulis lucis, & aſſaiaret Avicennæ aliquoties devoratis. Item & maſticatoriis jam etiam adhibitis ex pulpa carthami, pulvere euphragiæ, maſtiche, & caricis, ac cera paratis, niſi tamen deſtillatio ad gingivas hæc prohibuerit, quibus non vererer pulverem Majoranæ, quæ ex Rhaſe ſolum odorata, imagines depellere ſolet admiſcere. De ſternutatoriis, etſi ſciam ex Hippocr. in libell. de locis in homine probari, in imaginibus oculorum nihilominus cavendum eſt à fortioribus, quare penna gallinacea imbuta ſucco majoranæ, in quo manna ſit liquata in nares immiſſa conducet, quæ narium medicamenta, etſi aliquibus in affectibus oculorum videantur ſuſpecta, nihilominus quia humorem quem attrahunt, etiam foris educunt, poſſunt tutò uſurpari, quod video, etiam factum fuiſſe à Gal. 3. loc. A quibus omnibus pro jecoris, ac hypochondriorum alteratione, non modò ſerum caprinum depuratum, cum ſucco cicoraceorum, & thermæ frigidæ mineræ, bibita, ut decet, ſed etiam balneum aquæ dulcis tepidæ toti corpori adhibitum, ſunt maximi uſus. Sicuti & ad capitis alterationem, conſervæ capitales, & euphragiæ, immo verò & theriaca ſerena mediæ ætatis cum ſaccharo roſaceo caſtigata lotioque capitis ex lixivio cum bacchara, verbena, myrto, & roſis medicato, nec non embroca quæ ſiccet, & in activis ſit temperata, cum artificialis, tum naturalis, quam magis probo, opportuna videntur, & eò magis, ſi una cum lotione adhibeatur uſus Saponis Damaſceni cum cariophyl. ſantal. ligno aloes medicati, in pilas redacti, & exiccati. Tandem inſiſtendum medicamentis ocularibus, tum internis, tum externis, in ſerie priorum, tum confectionem humani vocatam, tum vinum euphragia vel verbena medicatum, immò verò ſal chymicum ex eufragia, & verbena, ac majorana paratum etiam, atque etiam probo, quo refero pulverem cibis inſpergendum ex flore nucis muſcatæ, euphragia, & ſaccharo fino paratum, morſelli quoque ex carne viperina, pulvere euphrag. & fænic. cum ſaccharo diſſoluto in aquis ocularibus facti mihi valdè arrident. In coordinatione autem externorum ego ab acribus omnino abſtinerem, quo circa liquorem ſtillatitium ex vermibus in carne viperina natis & Chelidonia recenti, vel aqua majoranæ, in qua aloës, & tutia ignita ſint extincta, vel deſtillatum ex conſerva euphragiæ; vel vinum medicatum cum ſeminibus rutæ, & majoranæ inſtillarem in oculos, atque his admoverem, ſicuti & inſufflationem in oculos Illuſtriſſimi patientis fieri ab homine ſano jejuno, qui fœniculorum ſemina maſticaverit, curarem.

Quæ omnia ut prodeſſe poſſint, patiens nobiliſſimus omnem aëris inclementiam, quantum fieri poteſt, aufugere debet; amplius bonis cibis veſcatur, & in fine menſæ comedat cydoniatum, coriandros ſaccharo ſemitectos, ſaccharum roſaceum antiquum, poma, & pyra auſtera, ſub cineribus cocta, & vapores a capite arceantur, quo nomine edulia omnia, quæ in caput vaporibus facile feruntur, ſunt deteſtanda. Bibat vinum album, ſi tenue, pauciferum, quod magis proderit, tempore vindemiarum, cum china, ſantalis, radicibus bugloſſi, & euphragia alteretur. Alvum ſibi lubricam uſu panis ex tota farina, cum ſale, fœniculis, & paſſulis parati, & in prima menſa comeſti, vel aloë ſuccotrina, ſucco roſarum nutrita, aliquoties ante cœnam devorata, ſervet. Dormiat capite humili, & cruribus, retractis, ne ita facile in caput ferantur vapores, & ut coctio melius procedat, fugiet ſomnum meridianum, & ſtatim à cibo factum corpus exerceat ambulationibus, equitationibus, geſtationibus in curru, & venationibus, ſed modeſtè, & tempeſtivè, & omnem viſus defatigationem in aſpiciendis ipſis avibus volantibus omnino devitet, & ab operibus per tornum factis ad longum tempus protractis, & ſtatim à cibo factis, caveat. Poſtremoque mœrores, triſtitias, curas, ſolitudines aufugiat. Deus autem optimus maximus, qui verè omnes noſtros languores ſanat, hæc omnia felicitet, & ſecundet. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicinalibus.*

De Nyctalopiâ, ſeu nocturnâ cæcitate pro admodum Rev. Patre Carthuſiano.

Quanquam admodum Rever. Pater, poſt lapſum ex equô de variis affectionibus conqueſtus ſit, contuſione ſcilicet femoris, genu & pedis doloribus articularibus univerſalibus, ac de hypochondriorum rugitu, & murmure, cum ventris ſegnitie, ſiti, & febriculâ; præcipuus tamen affectus, de quo conqueritur, cujuſque curationem expetit quam maximè, ad viſionem ſpectat; quandoquidem elapſis annis, dum à ſacris recederet Aris, repentè ipſi omnia obcura & caliginoſa viſa ſunt. Cæterum ex variis tum Chirurgicis, tum Pharmaceuticis remediis, iiſque cùm univerſalibus, tum ophthalmicis alterantibus, & reſolventibus, viſum recuperavit, ita ut in iiſdem perſiſtens remediis, eademque victus ratione uſus, perfectam ſanitatem ſe adepturum ſperaret. Verùm cùm cælum mutaſſet in villa amæniſſima, & dum mane è lectô ſurgere vellet, iterum lux offuſcata & tenebræ ſubortæ, hâc tamen differentia, quòd quando lux ſolis ſerena effulgeſcit, omnia perſpicuè videt, quà poſtmodum obducta, perit viſus: omnia namque caliginoſa, atriſque nubibus offuſcata ſibi obverſantur, oculi pupilla naturalem ſtatum ſervante adeoque de agendis conſulit.

Quare ſuppoſitô oculum eſſe partem affectam, affectionemq; ipſius eſſe viſionem imminutam, cũ

videat interdiu, non verò noctu; ſtatuendum eſt affectum præſentem eum eſſe quem Græci Nyctalopa, latini nocturnam cæcitatem vocant, quâ detentos Plinius Luſcioſos vocat; ita tamen, ut ſicuti præteritis annis erat Nyctalops non morboſa, accedens & recedens, ita nunc morboſa ſit, eaque valdè moleſta.

Cauſa autem hujus affectus eſt craſſities ſpiritus animalis per nervos opticos ad chryſtallinum tranſmiſſi, nec non & craſſities aliqua humoris albuginei: cùm enim viſio non fiat per ſolam ſpecierum receptionem, ut cenſuit Ariſt. qui propterea ſtatuit viſionem eſſe paſſionem, ſed etiam per radiorum extra miſſionem, ut eſt ferè communis Medicorum ſententia, propterea vitium hoc non ſolùm eſt in ſpiritibus irradiantibus, ſed etiam in humoribus ſpecies recipientibus omnis enim actiò fit ab agente validò in paſſum diſpoſitum. Spiritus autem affectus eſt craſſities, ob quam egent externô lumine ut fiat viſio, ſicuti quando ſunt tenuiores, à radiis ſolaribus diſgregantur: atque ideò hi meliùs vident noctu quam interdiu. Quod ſi ſpiritus pauciores fuerint, ſed tenues, tunc patientes proximiora perfectè diſcernunt, diſtantia non vident ſi verò copioſiores, ſed craſſi, tunc diſtantia magis dicernunt, ob eorum imminutionem ab aere luminoſo factam: concurrit tamen diſpoſitio ex parte paſſi, nempe chryſtallini recipientis. Quare in caſu præſenti craſſities ipſorum provenit ab excedente cerebri humiditate, quæ eſt cauſa etiam arthritidis, eaque cùm naturali, tum per ætatem adaucta, coadjuvante continua evaporatione à ſubjectis partibus, non ſolùm ratione victus ex herbis, leguminibus, teſtudinibus, & lacticiniis, quibus ferè continuò veſcuntur Patres iſti, ſed etiam ratione hypochondriacæ, cui eſt obnoxius.

His ſic ſtatutis, quam maximè pertimeſcendum ſit eſt, ne brevi temporis ſpatio aucta majori ſpirituum craſſitie, nervorumque opticorum obſtructione ab humoribus à capite fluentibus, ſuperveniat integra cæcitas, Gutta ſerena vocata.

Pro curatione præſentis affectus, dicendum eſt cum Platone, quod oculi curari non poſſunt ſine capitis evacuatione, neq; caput, ſine totius providentia. Ideò totius corporis, & tandem oculorum inſtituenda eſt curatio. De totius autem providentia nihil dicam, cum ſit ſæpius à Viris Excel. ex methodo præſcripta; ideoque repetenda, inſiſtendo revellentibus ad inferiora, crurum lavacris, frictionibus, & fonticulis, dummodo non perſiſtat intumeſcentia crurum: clyſtereſque carminativi ſint familiares, ſuperſedendo ſanguinis eductione antehac miſſi; hac lege, ne adſit aliqua ejus proclivitas ad venas ſedales, in quo caſu ſanguis in moderata copia ex iis educendus erit.

Caput tamen perculiariter, & diligenter eſt expurgandum; primò maſticatoriis paratis ex maſtiche, ſtaphide agria, cubebis, & pyrethro contuſis, & cum cera, & reſina, modicoque ſaccharo in globulos redactis, quorum alter ſingulis matutinis horis atteratur dentibus horam unam, expuendo quidquid ad os defluxerit. Per nares quoque fiet expurgatio, attracto ſucco betæ cum ſucco fœniculi, modico pyrethri, & ſtaphidis agriæ pulverizatorum, & permixtorum cum ſuccis prædictis. Lac quoque cum caſtorio, & elaterio diſſoluto prodeſſe poterit. Nec diſplicet attractio pulveris Tabaci aliquoties repetita; non tamen valde familiaris; quoniam agitat humores pluſquam convenit. Sternutamenta quoq; aliquando excitata proderunt. Ac interim topicis utendum eſt, non omiſſo decocto ex viſco quercino, ſalſa parilla, & ligno indico deraſo, pro catarrhi exſiccatione. Inter topica, commendatur aqua euphragiæ, cum ſpiritu ſalis. Oculorum ablutio facta vino generoſo, in quo diſſolvantur fella quadrupedum, ſicuti & ſief de fellibus, diſſolutum in aqua ſileris montani, & chelid: vel in dec. fœnugræci.

Omnium tamen maxime juvabit victus tenuis, & attenuans, omnino contrarius victui conſueto: potuſque ſit vinum oligophorum, & alvus continuò lubrica ſervetur. Sic enim ſpero fore, ut ſaltem præſervetur à gravioribus affectibus Adm. R. Patiens. *Benedictus Silvaticus Conſ. & Reſp. Medic. cent. 2.*

De Myopia. Pro Iuvene Iſtriano.

Affectus, de quo præcipuè conqueritur ſtudioſus juvenis, eſt imperfecta diſtantium objectorum viſio, Græcè Myopia, Latinè Luſcioſitas dicta; quam quinque ab hinc annis obſervare cœpit, quæ in dies convaleſcit, cuique jungitur paucis abhinc diebus expuitio cruenta matutinis horis moleſta, dum ſurgit è lecto.

Provenit autem luſcioſitas hæc ab imminutione ſpiritus viſorii, cum ob impuritatem ſanguinis craſſi, & melancholici, quo totum corpus abundare patet ex eo quod jecur habet præcalidum, & cor excedenti aliqua caliditate donatum, undè provenit fervor quidam, quem obſervat ferè continuò in vola manuum, & plantis pedum; tum ob excedentem humiditatem cerebri, tum & à nimia ſpirituum diſſolutione conſequente vigilias immodicas, & intempeſtiva ſtudia; ut propterea inde quoque ſequatur ſputum cruentum, à capite ſcil. deſtillante ſanguine calido ad os nocturnis horis, dum tempore ſomni repletur cerebrum magis, quàm conveniat, & facta venarum apertione, ſeu anaſtomoſi, ſanguis effluit ſine ſcreatu valido, ſine tuſſi, aut vomitu. Unde manifeſtiſſimè patet ipſum à capite profundi.

Quæ cũ ita ſint, patet affectus prædictos nonniſi cum difficultate removeri poſſe, ac pro ipſorum curatione neceſſarium eſſe caput exſiccare, jecur, & cor refrigerare, ac ſanguinem ipſum puriorem reddere, cordialibus, & cephalicis horum duorum viſcerum innatum calidum roborantibus, præmiſſa totius corporis expiatione. Hæc præſtabuntur Chirurgia, Pharmacia, & recta Victus ratione.

Inter Chirurgica præſidia toti proſpicientia, laudatur ſanguinis miſſio ex jecoraria dextri brachii, & venis ſedalibus; parca tamen, ne major fiat ſpirituum diſſipatio. Cucurbitula affigatur occipiti cum multa flamma bis aut ter in progreſſu curationis: ac deinde paretur ſetaceum in occipite, ſaltem aliquot menſes conſervandum: quo poſtea obducto, parabitur duplex fonticulus, in dextro ſcilicet brachio & ſiniſtra coxa; cùm cerebrum ſuſcipiat ab infernis partibus potius per ſiniſtram, quam per dextram regionem. Nec omittantur frictiones, & lotiones infernarum partium.

Inter Pharmaceutica, probantur primò totum corpus

corpus expurgantia, lenientia, præparantia, & purgantia, pituitæ potiſſimum accommodata, & melancholiæ, quibus abundare totum corpus cuilibet compertiſſimum eſſe poteſt. Purgetur deinde peculariter caput, primò maſticatoriis paratis ex zingibere, maſtiche, cubebis, & ſtaphide agria: deinde etiam errhinis, & iis cùm levioribus, tum & validioribus: quibus peractis, ad topica deveniendum eſt interna & externa. Propterea valebit intrinſecus decoctum paratum ex radice chinæ, & ſalſa inciſa, cum portiuncula ligni Indici, & ſantalis, additis betonica, chelidonia, euphragia, verbena, cichorio, ſoncho, fumaria, & meliſſa; cujus uſus erit decem, & plures dies, cum ſudore ſemel in die matutinis horis, ita ut caput ſudet. Quod ſi à ſudore magis incaleſcat quam conveniat, tunc ab ipſo propinetur juſculum paratum ex cichoraceis, cum ſucco cichorii optimè depurato. Imò æſtuoſo anni tempore, uſui erunt intrinſecus aquæ refrigerantes & exſiccantes: quales eſſe ſolent Aciduiæ in Germania, & apud nos aquæ Beatæ Virginis, vel Villenſes. Exhibeantur tamen aliquando magnarum Antidotarum aliquæ temperatæ magis, ad recreandos ſpiritus; quales erunt confectio de hyacintho, & diamargaritum frigidum. Extrinſecus verò caput exſiccetur dulci lixivio alterato roſis, ſalice, plantagine, betonica, ſalvia, agarico, & roremarino; ita tamen, ut lotiones fiant capite ſupino, aqua non admodum ex alto labente, ſaltem primis diebus, ne liquata materia fluat majori impetu ad partem affectam. Deveniendum poſtea ad collyria. Ideo laudatur aqua fœniculi cum aceto, & vino albo modicè generoſo. Crocus cum vino mediocri; Sief de fellibus, cum aqua euphragiæ. Aqua marina alterata origano, & portiuncula myrrhæ. Frequenter abluantur oculi vino malvatico & aceto; illis applicentur remedia tepida, & ſi fieri poterit, utatur cucurbita vitrea, ex illis, quibus applicata collyria diutius detinentur ſuper oculum. Hiſque non conferentibus, ad mineralia accedendum eſt, qualia uſurpantur etiam in ſuffuſionibus.

His omnibus proportione reſpondeat victus ratio, ita ut habeat in uſu familiari fœniculum, ex quo panis paretur, & vinum condiatur euphragia, verbena, & fœniculo. Alvum frequenter lubricam conſervando pilulis Lucis, & aggregativis. Hæc è re judicavi pro curatione affectionum propoſitarum. Faxit Deus ut cedant in emolumentum Nobilis, & ſtudioſi juvenis. *Idem ibidem.*

De Suffuſione, & Dolore. Pro Nobili Matrona.

Quemadmodum oculi naturaliter conſtituti duplici facultate ſenſitiva donati ſunt, tactiva ſcilicet, quam habent communem cum aliis ſenſoriis, & viſiva ipſorum propria; ita ſiniſter oculus Nob. matronæ utramque functionem depravatam habet, tactivam, ratione doloris, & viſivam ratione incipientis ſuffuſionis, cùm veluti per nebulam videat. Quorum ſymptomatum. cauſa diligentiſſimè propoſita fuit à Viro Excel. Nā ſi de dolore ſermo fiat, hic non aliunde provenit, quam ab inflammatione tunicæ conjunctivæ Ophthalmia dicta. quæ morbum conſtituit in intemperie calida cū materia: non tamen in magna compoſitione in patiente noſtra, cùm tumor non devenerit ad tantam magnitudinem, ut inde motus oculi recipiat ſenſibile impedimentum: longè minus in ſoluta continuitate: quanquam enim dolor aliquam continui ſolutionem indicet, quia non poteſt excitari à qualitate tangibili, niſi adeò confertim agat, ut partis continuitatem ſoluat; tamen continuitas non eſt adeò ſoluta, ut inde conſtituatur morbus, quoniam ab ea non læduntur operationes ſenſibiliter: ut nos docet Galen. in L. de morborum Different 12. Quod ſi in 3. de Temper. 5. duplicem affectum in phlegmone conſtituit, alium ſcilicet in quantitate, & alium in qualitate, non propterea inferendum eſt, phlegmonem ſemper eſſe morbum in aucta magnitudine, ſed tunc tantum, quando inde læduntur operationes: ut teſtatum reliquit in L. de Diff. morb. cit. Terminus enim diſtinguens ſanitatem à morbo, eſt ſenſibilis operationum læſio, ex Lib. Artis meden. cap. 8. Quare ophthalmia hæc erit intemperies calida cum materia, quæ quidem eſt maſſa ſanguinea, conſtans ex multo ſanguine, non ſine copia bilis, quam in nobili matrona prædominari, prodit promptitudo ad iram, & ad omnes actiones; cum ſubdominio tamen melancholiæ, cùm animi paſſionum tenax maximè ſit, cum aliqua pituitæ copia, qua ſexus iſte ferè ſemper abundare ſolet. Maſſa itaque hæc ſanguinis, multa copia genita à fervido jecore & totius temperamento calido & humido, neque expurgata per uterum, pro muliebri conſuetudine, & habitus plethorici modo. caput facilè petit natura præcalidum, calidiuſque redditum ex diuturna mora in thalamo calido, accedente forſitan aliqua naturali ejus imbecillitate, ob quam præteritis menſibus, vel annis, levem apoplexiam paſſa fuit, à quo deinde confluxit ad oculum ſiniſtrum, tanquam ad partem imbecilliorem, ob continuas & diuturnas lachrymas plures menſes manantes poſt dilectiſſimæ filiæ interitum: concurrente quinetiam oculi caliditate, indicata ab ipſius magnitudine, mobilitate, & venarum amplitudine; unde poſtmodum ſucceſſit Lippitudo ſeu Opthalmia. Cui jungitur incipiens Suffuſio, dependens à morbo in via, facto à vaporibus craſſis, mediis inter cryſtallinum, & corneam, ab eadem forſitan maſſa ſanguinea elevatis, & utcunque incraſſatis, qui prohibent liberam facultatis irradiationem, & viſibilium ſpecierum receptionem. Augetur autem dolor, & affectus horis nocturnis: quia tum calor innatus ad interiora recurrit, & in humores agens ipſos in vapores reſolvit, quorum difflationem nocturna aëris frigiditas prohibet. Hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum.

A quibus certè non ſine aliqua difficultate liberabitur patiens, cum ſint 40. dierum circiter, foveanturque ab imbecillitate partium & augeantur à continua fluxione ad partem affectam utero, & toto corpore; immò niſi rectè curetur ſuffuſio, periculum imminet, ne denſentur magis vapores, & in membranoſam ſubſtantiam converſi, morbum ſcil. in numero, perfectam ſuffuſionem inferant: propterea ſumma cum diligentia curanda eſt nobilis hæc matrona, prout video factum eſſe ab Excellentiſſ. Viro.

Quapropter totum corpus diligenter eſt expurgandum, materia fluens à parte affecta revellenda, & per partes mandantes, aut vicinas evacuanda; fluxaque ad oculum ſenſibiliter, & inſenſibiliter, evacuanda, non neglecta aliqua capitis evacuatione; quanquam ipſum afficiatur potius per conſenſum ab infernis partibus: nec poſthabitis jecur, & totum corpus refrigerantibus, ad prohibendam regenerationem ſanguinis hujus candioris. Quæ præſtabunt Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

Chirurgiam quod attinet, ſicuti laudo ſummopere ſanguinis evacuationem ex cephalica ſiniſtri brachii jam adminiſtratam, ita mihi ſummopere probatur apertio venæ ejuſdem pedis, ad majorem revulſionem à parte affecta, & etiam ab utero, tanquam à parte mandante: atque poſt aliquot dies, probatur apertio venarum ſedalium, ut fiat major ab utero derivatio ad locum proximum, & à capite revulſio; educendo ſanguinem ad lib. 1. ſ. circiter ex his duobus locis. Fiantque frequentes frictiones, lotioneſque partibus infernis, cum aqua alterata baccara, puleg. ſabina, matricaria, malva, & ſimilibus. Applicentur cucurbitulæ cum multa flamma coxis in parte domeſtica, & ſi opus fuerit, poſterioribus partibus, cum ſcarificatione. Nec omittatur fonticulus in coxa; quanquam audiam ipſam alium in coxa dextra geſtare. In hoc enim corporis ſtatu, niſi continuæ diverſiones fiant ad infernas partes, periculum imminet gravioris apoplexiæ, qua de cauſa ſuperſederem in præſentia veſicantibus, & cauteriis applicitis ſupernis partibus, contentus aliqua evacuatione ſanguinis, vel ex venis poſt aures, vel ex vena anguli majoris oculi affecti, hac lege, ut hanc operationem præcedat diligentiſſima totius evacuatio, & revulſiones jam propoſitæ. Dum verò fiet hæc operatio, ligaturæ pedibus, & manibus erunt ex uſu, ut & cucurbitulæ ſine ſcarificatione coxis: vel pedes in aqua calente detinebuntur ad prohibendam humorum attractionem. Et hæc quantum ad Chirurgica præſidia.

Leniatur alvus ante prædictas operationes mell. roſ. & ſyr. roſ. ſol. cum decoctione pulpæ tamar. vel elect. lenit. cum pulpa tamar. & portiuncula hieræ. Præparentur humores primò iis medicamentis, quæ toti corpori conſulant, & nullatenus partem affectam reſpiciant. Quod præſtabunt ſyr. de cichorio, acet. ſim. cum decoct. cichorii, pentaphylli, capill. ven. borraginis, & ſem. citri. Purgentur blando purgante ex agarico, rhab. & myrobalanis, Indis, infuſis in vino albo, cum ſpica, addito ſyr. roſ. ſol. & de polyp. compoſito; poſt ea præparentur localibus valentioribus, utpote ſyr. de beton. compoſito, oxymel. compoſito, ſyr. de duabus radicibus, unà cum decoct. chelidoniæ, betonicæ, cichorii, capill. veneris, & borrag. & deinde purgentur pil. ab Exc. Viro præſcriptis, vel alio ſimili medicamento boli formâ, potius quam potionis propinato, quò magis ex alto trahat; ac deinde 12. aut 15. dies bibat ſerum caprinum deſtillatum, cum capill. ven. & abſinthio Pontico; & ipſum modo diureticum, cum ſyr. de duabus radicibus modò dejectorium, cum manna; quo tempore blando maſticatorio caput purgabitur, ut charta, vel mæſtiche. Atque localibus externis digeratur materia in oculo contenta, pulvere ſcilicet oſſis ſepiarum, & ſaccharo cand. ſubtiliter pulverizatis, & inſufflatis: aliquando aqua roſarum, fœniculi, & chelidoniæ, cum minima aceti portione & ſief albo ſine opio; ac tandem etiam tutia, in lacte nutrita, & vino albo montano, in quo ebullierint verbena, fœniculum, chelidonia, euphragia, & roſæ cum portiuncula aceti. Ad validiora non progrederer, & repellantia omitterem, ne materiam ſuffuſionis cauſam nimis incraſſent, & denſent.

Victus ſit tenuis, attenuans, non tamen calefaciens, neque caput replens; ideo ſelinum, hipoſelinum, & ſimilia mittantur, & à cibo comedat parum diacydonii, vel cydonii cocti. Abſtineat à vino ſi fieri poteſt: cujus loco aqua coriandrorum ſit in uſu, vel vinum admodum lymphatum. Alvum continuò ſollicitet pilul. ex Aloë lota cum ſucco roſ. ſumptis alternis noctibus ſtatim ante cœnam, ad ſcrup. 1. juvant enim, bilem educendo, & venas uteri, vel hæmorrhoidum reſerando, & à capite divertendo. Caveat ab igne quantum fieri poteſt; exercitium ſit potius infernarum partium. Aërem frigidum, fumum, & ſimilia vitet, & in reliquis ſe gerat juxta præcepta Viri Excellentiſſ. Sic enim priſtinam ſanitatem recuperabit; quam D.O.M. ut ipſi concedat, veneror. *Idem ibidem.*

Ophthalmia.

Ophthalmia, qua quinque abhinc annis frequenter corripitur Nob. hic Juvenis, pluribus repetitis purgationibus præſervativis minimè cedens, propriè ſanguinea à nobis exiſtimatur, licet non ſine aliqua, ſed exigua pituitæ permiſtione, etenim copioſum ſanguinem producit ejuſdem hepar, quo totum venoſum genus redundat. Verùm quoniam raro fiunt fluxiones ad quamlibet corporis partem, niſi aliquis intercurrat bilioſus icor, vehiculum, ideo & hoc caſu eundem non abeſſe credendũ, cum juſto calidius hepar, & naturali fervidior ſit ipſe ſanguis, qui propterea facilè ſurſum petens, caputq; replens ad venas tunicæ adnatæ influit, & per ipſius ſubſtantiam diffunditur, unde inflammatio lippitudinem, ſive ophthalmiam conſtituens ſuboritur. Hanc autem contumaciorem reddiderunt non ſolùm alexipharmaca adverſus Celticam luem adminiſtrata, aucto jecoris & ſanguinis fervore, verùm etiam aquæ Thermales, quæ caput petentes & opplentes imbecillius reddiderunt.

Quare, ut ab hoc affectu vindicari atq; præſervari poſſit, in præſens ratione curationis, primis expiatis viis caput erit expurgandum, & materia ſanguinea conjuncta attenuanda, & reſolvenda. Pro præſervatione verò ſanguis erit minuendus. Secundò omni induſtria à capite divertendus. Tertiò ſeroſus humor evacuandus. Quartò & ultimò jecur & ſanguis ipſe contemperandus.

Quibus intentionibus ſatisfieri poſſe minimè dubitamus, obſervato tamen præſcripto ordine.

Et primò, pro curatione, expediantur primæ viæ Pot. ex manna clarif. aut caſſ. cum magiſt. mechoac. Mox, quoniam jam nuper totum corpus fuit expurgatum, pilulæ capitales hujuſmodi exhiberi poterunt.

℞. Pil. aur. ℈ij. cochiar. aggreg. lucis an. ℈j. m. ſ. pil. cum ſucco chelid. aut euphragiæ q. ſ. & aur. & tribus vicibus, quarto quoque die præbeantur, à quibus bibat aquam Nocerianam,

contemperando earundem calori, diebus verò intermediis exhibeatur jus herbis capitalibus ophthalmicis alteratum.

Interim oculo ophthalmica attenuantia & reſolventia adhibenda, poſtmodum detergentia.

Sic paretur fom. ℞. Sem. fænugrec. ℥j. fœnic. ℥ſ. flor. Chamæm. melil. euphrag. an. m. i. Vini albi aq. euphrag. an. ℔.i.ſ. m. bul. ad conſumpt. quartæ, & ſpongia foveatur per horam oculus, qui bis ſaltem per diem poſtea abluatur aqua euphr. cum ſaccharo cand. in pollinem redacto.

Dum hæc fiunt omnino abſtineat æger à lectione & ſcriptura, à vino item, & parcè comedat.

Ut autem præſervetur, jam propoſitæ intentiones erunt hoc ordine explendæ. Quolibet menſe hæc aſſumat Nob. Juvenis.

℞. Elect. lenit. ℨvi. Magiſt. mechoac. ℈j. m. & ſumat tribus horis ante prandium: ſequens verò dies vacuus ſit, ſed tertio aperiatur ſaphena, educto ſanguine ad ℥vi. Interim adhibeantur frictiones, incipiendo à nucha per ſpatulas & dorſum mane antequam è lecto ſurgat, ſicut & pedum lotiones frequentes, veſperi ante cœnam. Et niſi valdè abhorreat Cauterium, coxæ dexteræ inuratur, quotidie verò prima menſa, bibat jus plantagine alteratum in quorum uſu pergat atque perſiſtat quolibet menſe, ut dictum eſt, & quotidie per integrum annum, hoc ſolo diſcrimine, quod tempore hyemali frigidiſſimo, & æſtivo calidiſſimo, ſaphenæ ſectioni ſubſtituatur reſeratio venarum ſedalium hirudinibus admotis.

Et his addatur congrua victus ratio, adeò ut fugiat acceſſum ad ignem, & moram diuturnam ſub radiis ſolaribus. Abſtineat item à potu vini meracioris, à cibis omnibus vaporoſis, calidis, ſalſis; de more prandium & cœnam claudat conſerva roſar. miſſo exercitio ſtatim à cibo. In ſomno ſitus ſit ſemper ſupinus; & abſtineat à lectione, & à ſcribendi munere, quantum fieri poteſt. Quæ ſi accuratè obſerventur, præſervationem penè certam Nob. Pat. ſpondemus. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſp. Medic. Tom. I. Cent. I.*

Ophthalmia cum Maculis.

Puerum Illuſtriſſimum ophthalmia ſeptem abhinc menſibus conflictari, ex hiſtoria tranſmiſſa accepimus. Et licet ejus gradus, num ſcil. Taraxis, an Lippitudo vera, ſeu potius Chemoſis ſit atque fuerit, non conſtet, lippitudinem tamen eſſe & fuiſſe ſupponimus; non enim Taraxis tandiù perduraſſet; prout Chemoſis ad inverſionem uſque palpebrarum progreſſa eſſet, de qua nulla fit mentio. Scitu tamen neceſſarium foret num legitima an ſpuria fuerit, ut cauſæ antecedenti potiſſimum, nec non conjunctæ adæquata præſidia adhibere poſſemus; digna ſiquidem Gal. obſervatio in ophthalmiæ curatione, qui juvenem ſola bilioſorum humorum purgatione ſanavit; prout & Oeconomum ſola ſanguinis miſſione; & duos alios, cum Hipp. meraci potu, & balneo: ſi enim à ſanguine cacochymo bilioſa facta fuerit inflammatio, prodeſt purgatio; ſi ab ejuſdem copia, ſanguinis miſſio; atque ſi ab eodem pituitoſo, in oculorum adnata & venulis impacto, meri potus & balneum, attenuando, diſſolvendo prodeſt & affectum ſanat. Verùm quoniam ophthalmia diuturna fuit, licet totum corpus bilioſa intemperie ſit præditum, à bilioſo tamen ſanguine non proveniſſe credendum; neque à puro ſanguine, tum ob totius & jecoris fervidam intemperiem, tum quia neglecta ad Chemoſin deveniſſet, nec tandiu perduraſſet. Quare, ut conjectura colligimus ex humida capitis intemperie, affectus diuturnitate, nec non ex maculis, ſive nebulis in oculo ſuperſtitibus, ſpuriam fuiſſe inflammationem & ophthalmiam cenſemus, ex ſanguine ſcil. pituitoſo à capite humido, & facilè à toto capiti ſubminiſtrato, (cum pueri, ob ingluviem ciborum, cruditatibus ſcateant) ac per venulas ad adnatam tunicam tranſmiſſo; quo venis repletis, eademque tunica diſtenta & tumefacta, neceſſario ſolutio continui fuit inducta, dolorum cum inflammatione cauſa. Et quoniam pituitoſa portio non adeò facilè ut ſanguinea reſolvi potuit, & quidem difficilius neglecta; hinc eadem denſata, in nubeculas converſa & obfirmata fuit; quarum tamen ſedes nos adhucnum latet, utpote quæ poſſit eſſe circa eandem tunicam conjunctivam, quod optandum magis foret; nonnunquam enim vi inflammationis atq; doloris, per venulas internas ad aqueum humorē & membranulas alimentum devehentes, fit excrementitii ſanguinis attractio, cujus pars craſſior in illo ſpatio inter corneam & cryſtallinum denſata, ſimiles nubeculas, imò quandoque deterioris conditionis producit; quæ ſi parieti internæ tunicæ adhæreant infra cryſtallini ſitum, ut eſſe poſſunt præſentes, multo levius malum, prout gravius longè foret ſi aqueo humori innatantes criſtallino obverſarentur; ſuffuſionem quippe temporis proceſſu inducerent.

Affectus equidem ſanationis difficilis, tum ratione ſui; tum potiſſimum Patientis. Ratione quidem ſui; quoniam inveteratus & confirmatus eſt, atque repleto capite & humida intemperie prædito ſit; necnon quia licet lædatur oculus dexter, ſiniſter tamen nihilo validior eſt; & tandem quia ex levi cauſa recrudeſcit inflammatio. Reſpectu vero Patientis; quoniam renuit ipſe medicamenta; & præterea, quia multa & valida ejuſdem tenella ætas ægre tolerare poterit. Nihilominus, quæ adminiſtrari poſſunt omni arte & induſtria uſurpanda; cum Hippocr. In diuturnis lippitudinibus cum dolore cæcitatem minetur; memores, quod uno affecto oculo, facilè temporis ſpatio alter quoque trahitur in conſenſum.

Quare, licet anni tempus purgationibus obluctetur, non eſt tamen differenda curatio; ſicut enim præſervationi opportunum tempus, vernum ſcilicet, præfertur; ita curationi quodlibet tempus accommodatum eſſe neceſſe eſt; morbi enim præſentes quolibet tempore curandi.

Primò itaque fluxus prohibendus. Secundò materia jam fluxa attenuanda & evacuanda. Tertiò cauſa fovens fluxum removenda. Quartò oculi roborandi. Et tandem dolores demulcendi.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, aliqua ſanguinis miſſio convenire videtur; ait enim Hipp. Anginam & lippitudinem ſolvit venæſectio. Præterea in omnibus lippitudinibus, Avic. etiam miſſionem ſanguinis conferre aſſerit. Convenire verò poterit in hoc puero, per cucurbitulas dorſo appoſitas, pluribus eodem tempore ſiccis, infernis partibus admotis. Convenientiſſimæ quoque erunt frictiones, & quidem quotidianæ, matutinis horis, antequam ſurgat, à nucha uſque ad

extre-

extrema corporis; ſicuti veſperi ante cœnam, quotidianæ etiam lotiones pedum aqua calente. Cauterium brachio dextero inurendum, & in pertinaci hujuſmodi malo, præmiſſis omnibus neceſſariis totius, & capitis evacuationibus. Nuchæ quoque, ſi non ſetaceum, ſaltem cauterium luculento juvamento inuri ſolet. Quod enim medicamentum non ſanat ſanat ferrum, & ignis.

A Fonte pharmaceutico deſumenda Lenientia, Præparantia, totum Evacuantia, caput Purgantia, materiam impactam Diſcutientia ophthalmica, oculum Roborantia, & dolores Sedantia.

Leniens ſit caſſia cum tartaro; vel pot. ex manna clarif. Primum præparans ſit julap. acet. ad ℥ij. vel iij. cum ʒii. crem. tart. per quinque, vel 6. dies. Primum purgans verò caſſ. cum pil. de tribus; vel potio ex manna clarif. infuſioni conſuetæ addendo agar. & rhab. à quibus bibat aquam hordei.

Præparantia ſecundo loco ſint decoct. cich. borrag. end. viol. beton. euphragiæ; cui addatur julap. acet. & ſyrup. de beton. in cujus uſu perſiſtat ſeptem, vel octo diebus. Inde ad purgans medicamentum deveniendum, quale eſſe poterit caſſia, cum pilul. aggreg. vel potio ſuperius propoſita, à qua pariter hauriat aquam Nocerianam, aut hordeaceam.

Ita utcunque toto expurgato, caput quoque evacuandum pil. coch. aur. & aggreg. tertio aut quarto quoque die exhibendis, tribus aut quatuor vicibus, ab iis epoto pariter aliquo refrigerante, diebus autem intermediis, præbeatur decoctio borrag. cich. end. euphragiæ, chelidoniæ, & fœniculi.

Purgato toto & capite, & revulſionibus omnibus prædictis adhibitis, ad oculi curam erit deveniendum, hac præmiſſa cautione, ut ophthalmia prius & inflammatio, doloreſque ſedentur, antequam macularum & craſſioris ſanguinis impacti reſolutio tentetur.

Ad inflammationem itaque atq; dolores, Gal. tria potiſſima proponit remedia, lac ſcil. albumen ovi, & fœnugræci decoctum; in caſu tamen noſtro, uti poſſumus ſpuma ex albumine ovi quaſſato, cum aqua roſac. agitato, linteo puro, atq; ſubtiliſſimo, oculo admota; inflammatione verò atq; dolore remiſſis, foveatur oculus ſpógia, decoctione fœnugræci imbuta: ſicut enim primũ remedium repellendi & leniendi; ita ſecundum leniendi ac reſolvendi facultatem obtinet.

Pro attenuatione verò, atque reſolutione materiæ craſſioris, talis paretur aqua.

℞. Succi praſſii, fœniculi, euphragiæ, chelidoniæ an. ℥iij. Fell. perdicis n. 4. Mellis optimi ℥ij. M. & B. M. deſtill. aqua verò ſervetur pro lotione oculi, tepida adhibenda. Et ſi aliquis ex jam dictis ſuccis præſto non fuerit, ſuppleatur aucta aliorum doſi.

Ad nubeculas verò obliterandas, egregium ophthalmicum ſolet eſſe Crocus metallorum ad ʒj. in aquæ euphragiæ, aut chelidoniæ ℥iij. diſſolutus.

Tandem caput & oculi roborentur conſervis, ſub ingreſſum lecti aſſumendis, modo ex roſis, modo ex euphragia, modo ex betonica, in earundem uſu quotidie perſiſtendo.

Victus ratio non poſtremum locum obtinet in hoc caſu; & ideo primò cavere debet aërem nebuloſum atque ventoſum, acceſſum ad ignem, moram ſub radiis ſolaribus; imò & aërem luminoſum, adeò ut domi in obſcuro potius quam lucido cubiculo degat,

Secundò abſtineat à vaporoſis cibis, atq; odoratis alimentis, ſicut & ab iis quæ ſuccum craſſũ atque glutinoſum gignunt, quæ ab Excellent. diſtanti recenſeri poterunt, verbo, hic Puer ut febricitans curandus fuerit, ovis ſorbilibus, pullis junioribus, carne tenella vitulina, aviculis ſylveſtribus, ſed carnes, ut ait Hipp. exhibeantur ferè ſemiputridæ, quas nos ſolemus appellare Frolc. Vinum omnino interdicendum; unde Ariſt. dicebat, quod qui aquam bibunt, acutius vident. Martialis vero, *Vinum Phryx bibit, oculi venenum*; Bibat autem aquam ſantalinam, aut ſtillatitiam borrag. ut quæ reliquis minus frigida habeatur & in hac victus ratione ſine vino, ad mẽſes perſiſtat.

Tertiò noctu dormiat capite elato, & ſupinus, aut ſaltem nunquam in latus dextrum.

Quartò motus & exercitium ante cibum adhibeatur, capite ſemper erecto.

Quintò Alvus lubrica ſervetur, & aliqua pil. maſtich. cum granis magiſt. mechoac. bis, aut ter per menſem ſolicitetur.

Tandem alacri animo ſit Puer, qui & à ſtudiis, & à ſcribendi officio, & legendi eſt omnino avocandus. Quibus faxit Deus, ut optatam ſalutem conſequatur. *Idem ibidem.*

Ophthalmia, & imminuta Viſio.

Non adeò probam ſanguificationem fieri in Illuſtriſſ. Patiente, nobis ſignificavit ſæva ſcabies quæ olim eundem afflixit, medicis auxiliis tandem expugnata; ſicuti in præſenti idem nobis confirmat Ophthalmia non legitima, ſed ſpuria, pertinax atque rebellis, unius anni & ultra, quæ nil aliud eſt quàm inflammatio adnatæ tunicæ, proveniens à fluxione impuri ſanguinis, cujus ratione alii quoque humores, per venas internas, in albugineum humorem ſeſe inſinuarunt, à quibus imminuta quodammodo redditur quoq; viſio. Humores autem jam dicti, utrumq; affectum producentes, primò & præcipue à toto, ſecundariò verò à capite tranſmiſſi fuerunt, & tranſmittuntur ob jecoris calidam intemperiem, capitis verò humidam, à quibus prædicti pravi humores ſanguinem inficientes, & ſpuriam, ideoque contumacem ophthalmiam inducentes, originem ducunt.

Affectus quidem ſanabilis, ſed non adeò facilè; nam, ſicut difficilis eſt materiæ ad oculos influxus, per venas nimirum exiles; ita humoris jam tranſmiſſi reſolutio tarda, & fluentis diverſio laborioſa futura eſt; quod hucuſque expertus fuit Illuſtr. Patiens; quia ſpuria, utpote à craſſiori ſanguine proveniens, difficilioris reſolutionis eſt. Diuturnitas autem poteſt viſioni quoque non parum officere, nec tandem etiam ſine ſuffuſionis metu. Quare cauta atque diligenti curatione opus eſt; etenim oculum curare ante caput non licet; neque caput ante totum, ut habemus ex Galeno à Platone.

Quare primò primæ viæ expiandæ. Secundò totum venoſum genus defœcandũ & expurgandum. Tertiò à capite & oculis revellendũ. Quartò caput purgandum. Ultimò oculis ipſis erunt auxilia adhibenda. Quibus omnibus, ita jubente Illu. Viro, ordine executivo erit ſatisfaciendum.

Sicque omnium primò aſſumat potionem, quatuor horis ante cibum, hujuſmodi.

℞. Syrup. roſ. ſol. ℥iv. Man. elect. ℥ij. Aq. flor. citri parum m. f. p. Deinde per quinque dies, ſummo mane, Julap. acet ℥iii. quibus tranſactis bibat hanc potionem.

℞. Syr. roſ. ſol. ℥v. Diacatholici ℥ſ. ſeri capr. q. ſ. m. f. p. à qua præbeatur ſeri Capr. depur. ℔iſ. & duabus horis ab eo, prandeat. Inde ad ſecundam præparationem deveniendum, ſuccis herbarum depuratis, Cich. Borrag. Beton. ad ℥j. ana, in decoctione cichor. borraginis, acetoſæ, endiviæ, agrim. per ſeptem dies, ſummo mane aſſumendis. Altera vero die horum ſuccorum, hora una ante prandium, ſanguis educatur ex vena communi brachii dextri ad ℥vij. Mox in uſu ſuccorum perſiſtat. Exactis autem his ſeptem diebus, ſumat ſequentem potionem.

℞. Syr. roſ. ſolut. ℥v. Elect. Diaphæn. de ſucco roſ. an. ʒiſ. Seri depur. q. ſ. m. f. p. cui tribus poſt horis, ſuperbibat ſeri Capr. depur. ℔ij. & duabus horis ab eo prandeat. Sequentibus duobus diebus, ſumat ſucci depur. cichor. beton. euphragiæ an. ℥j. In decoct. cich. borraginis, acetoſæ, betonicæ, Euphragiæ, chelidoniæ. Tertio vero die, in Aurora, ſumat pilulas has, quinque ſaltem horis ante prandium.

℞. Pilul. Aggreg. Cochiar. præpar. an ʒj. Lucis, Aurear. an. ℈j. M. reform. pilul. & aur. à quibus duabus poſt horis, hauriat Aquæ Nocerianæ ℔ij. mox tribus horis ab eadem aqua prandeat. Deinde duobus ſequentibus diebus repetat ſuccos jam dictos, rurſuſque pilulas eaſdem, ut ſupra; & mox ſuccos, ita ut quarto quoque die, ter pilulæ repetantur. Interim maſticatoriis quoque caput expurgandum, ut.

℞. Maſtich. elect. ʒſ. Pulveris gingib. Fœniculi an. ʒj. Ceræ q. ſ. m. ad ignem fiant glob. ad maſticand. Quibus peractis, decoctum in jure quotidie aſſumendum per menſem, non obſtante æſtivo calore; exſiccandi namque, at non calefaciendi vim obtinebit; verùm altera die hujus decocti, hora una ante prandium, educatur ſanguis à venis ſedalibus, hirudinibus applicitis, ad ℥vij. Decoctum autem tale erit.

℞. Santal. alb. raſp. ℥ij. Lentiſci è Chio unc. 1. radic. roſar. noſtr. ℥ſ. Aquæ ſtillat. cichor. ℔ij. Aq. beton. euphrag. an. ℔j. m. f. inf. per horas 24. deinde bulliant, ad conſumpt. dimidii, & colatura ſervetur pro tribus vicibus, ſummo mane aſſumenda; verùm qualibet hebdomada aſſumat pilulas jam dictas, ſcilicet.

℞. Pilul. Aggreg. Cochiar. præp. an. ʒſ. Lucis, Aurear. an. ℈j. m. ref. pilulæ, & aur. ſuperhauſta aqua Noceræ, ut ſupra, quo tempore utatur Conſerva roſar. tum à prandio, tum à cœna. Et tandem oculi. jejuno ventriculo, pluries abluendi aqua Euphragiæ, Fœniculi, Chelidoniæ deſtillatis, ſimul miſtis & tepefactis.

Quibus omnibus addenda congrua victus ratio. Sic vitentur radii ſolares, item alimenta calidiora, caput petentia, ut aromata omnia, condimenta Allii, Cæparum, & Aceti, Apium, vina generoſa. Dormiat ut plurimùm ſupinus, numquam pronus. Exercitia ſint ante cibum. Summo mane, antequam ſurgat, frictiones ſibi fieri jubeat, à nucha incipiendo, & ad crura deſcendendo; ſicuti veſperi ante cœnam, frequentes pedum lotiones, aqua calente convenientiſſimæ erunt. Abſoluta verò præſcripta expurgatione, ſemel per menſem aſſumat has pilulas.

℞. Pilul. Maſtic. Aurear. Aggreg. an. ℈j. M. ref. pil. & aur. qua die hordeum comedat, atque alacriter vivat. Quæ omnia Patienti Illuſtriſſimo à Deo ſalutaria precor. *Idem ibidem.*

Ophthalmiæ Præſervatio.

Puer Nob. 28. natus menſes, hilaris, temperamenti calidi & humidi quoad totum, cerebrique calidioris & humidioris, ſub menſis Februarii initium correptus eſt defluxione ad utrumque oculum, cum lacrymis copioſis, oculorum rubore, dolore, ardore, turgeſcentibus palpebris, & frequenti coalitu, ex materiæ ſordidæ viſciditate; qui affectus adeò in dies invaluit, ut viſionis præſens periculum immineret. Curatus autem leviter quidem eſt eo tempore, quantum licuit per æſtatem & hyemem, non ſine aliquo levamine; videt ſiquidem modo exactè, & oculi pellucidi ſunt, ſuperſtite tamen adhuc in extremis ciliis, unde pili erumpunt, glutinoſa fluxione, noctu in ſomno invaleſcente, & eadem cilia adeò conglutinante, ut nonniſi labioriosè mane diducantur; prurit inſuper totum corpus.

Præteritam Ophthalmiam, ad Chemoſin uſque perductam, in Nob. Puero, à ſanguine bilioſo & pituitoſo ſimul miſtis, per venam jugularem externam; aut per carotidas arterias ad caput ſublato, atque à venis in adnatæ ſubſtantiam effuſo, & inflammationem in eadem excitante, proveniſſe credendum; qui forſan ſanguis, ſi caput adverſus ambientis frigiditatem fuiſſet munitum, in pſoram, achores, & favos antehac erupiſſet, abſque oculorum offenſa. A toto autem caput, & ab hoc oculos, materiam morbificam ſuſcepiſſe non dubitandum; cùm univerſalis pruritus vitiatum ſanguinem totius nobis abundè indicet.

Hæc affectio jam à prudenti manu medica curata & ſanata fuit. Verum quoniam de recidivis jure dubitatur; ideo aliqua ad præſervationem agenda, humores à capite revellendo; cauſam foventem removendo; & oculos roborando. Quod nos conſequi poſſe ſperamus, non tamen certò; cùm tenella infantis ætas propria prorſus auxilia non admittat; & Endemius ſit affectus, Nihilominus quam maximè confidendum adhibitis præſidiis, & potiſſimum inuſto jam cauterio, præſervationi potius quàm curationi dicato; ſicut quam efficaciſſimum derivans materiæ antecedentis & decurrentis remedium, foret alterum inter primam & ſecundam vertebram inuſtum. Setaceum verò ſuſpectum habemus, ob capitis à toto magnum conſenſum, quod proinde ob dolores continuos, copioſos in caput attrahere poſſet humores. Auriculis aliquod leve pondus ex auro eſt appendendum; prout frequentes pedum lotiones magni fecit Hipp. in oculorum affectibus, potiſſimum inflammatoriis; quinimò & Paulus atque Oribaſius. Bis autem per menſem aliquod medicamentum ſeroſitates evacuans erit exhibendum; Lippientem enim alvi profluvio corripi bonum. Poterit verò eſſe ex uſu potio ex manna clarif. ad ℥iij. Vel, quod melius, extractum mechoacan. ad gr x. exhibendum, dulciariæ ſpiræ immiſſum ad faciliorem exhibitionem. Atq; interim humorum fervor, atque acrimonia perpetuò erit contemperanda, repetita quotidie ſorbitione juſculi, ſola acetoſa alterati. Nec nos turbet multiplex atque

atque diverſus modus, quo & Hippocr. & Gal. uſi fuerunt in ophthalmiis curandis; modo ſcilicet ſola purgatione, modo ſola ſanguinis miſſione, modò ſolo balneo, modò meraci potu & ſomno, nam cauſæ quoque variæ ſunt; aliquando enim fit ophthalmia ab humoribus heterogeneis in toto redundantibus, & ab eo ad caput tranſmiſſis, quo caſu medicamentis purgantibus utendum, quibus gloriatur Gal. ſe oculorum inflammationem, unico die, purgatione ſanaſſe; quandoque verò fit à ſolo ſanguine, & tunc ſanguinis miſſio quam maximè convenit; atque ita Oeconomius Romani divitis, Medico Eraſiſtratæo antea commiſſus, repetita ſanguinis miſſione fuit à Gal. ſanatus; item à ſolis acribus humoribus, & ſic juvenis ille non plethoricus, ſolo Balneo aquæ dulcis fuit ſanatus; prout interdum ophthalmia contumax, ex craſſo ſanguine in venis adnatæ hærente, & eaſdem tumefaciente excitata, vini meraci potu & Balneo ſanatur, ut accidit alteri juveni. Nos itaque purgantium uſui inſiſtemus.

Ad oculorum verò corroborationem, familiarem habeant Domeſtici eorundem lotionem, vel aqua roſacea, in qua thus accenſum pluries fuerit extinctum; vel aqua ſimplici, aut pluviali, in qua lamina æris ignita pluries fuerit injecta; aqua autem euphragiæ & fœniculi utendum in ſola declinatione, ad humores impactos attenuandos atque diſcutiendos, & ad curationem potius quàm præſervationem.

Quibus omnibus addatur conveniens victus ratio, Viro Excellentiſſimo Adſtanti, ſicut cætera omnia, notiſſima. Interim Gal. obſervatio non negligenda, quod caput calidum ab externis; frigidum verò facilius ab internis cauſis lædi ſoleat; & illud Martialis memoria tenendum.

Phryx vinum bibit, Oculi venenum.

Idem ibidem.

Suffuſio.

Sacra profanis ne miſceamus, non canamus, ſed dicamus cum Gal. Vis ut oſtendam tibi in microcoſmo Solem? oſtendam oculum, organum lucidiſſimum, & Soli quam ſimillimum; ſed quid Sole præſtantius? unde Tanta fabricæ excellentia oculus præter alia omnia ſenſuum inſtrumenta, præditus fuit. Cerebrum autem locatum fuiſſe in capite propter oculos; reliqua verò ſenſoria omnia propter cerebrum, idem protulit. At quoniam hæc hujuſmodi hominibus, aut ignota, aut non ſatis conſiderata eſſe ſolent; ideo luce orbati, veluti talpæ promiſcuè, imò alacrius vivunt, & laboris ſibi infenſi vacui, ſecuri pingueſcunt. Unde parvi feciſſe patientem hunc oculorum ſuorum morboſum primum ſtatum pro certo habendum. Quare non mirum, ſi à prima ophthalmiæ acceſſione neglecta, caloris & doloris cauſa per venas aquoſa, imò mucoſa materia ad ſpatiū non exiguum, inter corneam & cryſtallinum, attracta fuerit, ibique magis denſata, objectorum viſibilium intromiſſionem intercipiens, in oculorum altero abolitam, in altero verò valdè imminutam redideric viſionem, & hypochymata, ſeu ſuffuſiones tandem produxerit; facilè namque id contingit in capite calida & humida intemperie laborante, à toto quoque genere venoſo non levem fomitem atq; conſenſum ſuſcipiente.

Harum verò ſuffuſionum altera, ut conſummata, & in tertio gradu, omnino inſanabilis; altera verò in ſecundo vix curationem admittit; incipiens namque ſola diſcuti poteſt; quanquam & in hac quoque promiſſiones medicamentorum magnæ ſint; effectus autem nullus, aut valdè exiguus, potiſſimū hoc anni tempore frigido, in hoc homine rudi, non Viro, & omnium minimè, ſi annexam haberet ophthalmiam, prout judico, quæ ut cauſa ſine qua non prius removenda foret.

Quare vix vera atque legitima curatio tentanda; in cujus gratiam prognoſticum proponitur; quam ſi moliri animus eſſet, materia fluens & fluxa attendenda, fluens evacuanda, revellenda, ejuſque generatio inhibenda; fluxa calefacientibus moderatis reſolvenda; oculique tandem intemperies corrigenda foret.

Et ſi de ſanguine mittendo loquamur, ratione ſuffuſionis, nec Gal. nec Avicen. uſquam hoc præſidium admittunt, à Rhaſi quinetiam prohibitū, ut quod poſſit materiam magis refrigerare, atque incraſſare; niſi in corpore plethorico, & cùm ſuffuſioni Ophthalmia adjuncta eſt. Venæ hæmorrhoidales tamen in caſu preſenti, aperiri poterūt. Pedum item lotiones, & frictiones aſperæ dorſi; Cucurbitula in occipite magna, ſicca, & repetita ex uſu erunt. Sicut & ſetaceum, purgato toto & capite forſan proderit; aliter enim in corpore Cacochymo, plus attrahit à toto ad caput quàm evacuet, & ſæpè celerius occæcantur.

Purgatio ineunda, & repetenda, tum totius, tum capitis, à te prudenter præſcripta; & inde ad decoctum ex Guajaco, viſco querc. & ſantalo deveniendum, additis decoct. euphragia & chelidonia. Interim topica attenuantia & reſolventia oculo admovenda; inter quæ præſtantiſſima duo Gal. ſunt; alterum ex ſucco fœniculi, marrubii, melle, & fellibus compoſitum, deſtillatis omnibus B. M. ut fiat aqua adhibendum; alterum eſt efficaciſſima Aqua Quercet.

♃. Croci metall. ʒj. Aq. euph. aut chelidon. ℥iv. m. pro collyrio.

Vinum oligophorum pro potu, ex jam dictis parari poterit; quanquam acutius videant, qui aquam bibunt, ex Ariſt. Degat in cubiculo clauſo, ſed ſine igne, & qualibet hebdomada pil. aliquam ſumat; atque in reliquis, prudentiſſimis tuis mandatis obtemperet. Faxit Deus ne oleum & operam perdamus. *Idem ibidem.*

Suffuſio Incipiens.

Illuſtriſſimus Vir, poſt ictum vehementem capiti prope oculum inflictum, & hinc enatum tumorem, brevi tamen ſanatum, Rus adhuc convaleſcens ſe contulit, ubi præter aërem humidiorem & impuriorem illius loci, ſæpius etiam nocturno ſeſe expoſuit, ſicque naturalem humidam capitis & oculorum intemperiem non parum adauxit. Quamobrem præteritis diebus ex improviſo ſenſit humorem quemdam in dexterum oculum delabi, qui objectorum diſtinctionem non ſolum eripuit, ſed viſionem ipſam offuſcavit, valdeque confuſam & nebuloſam reddidit; ideoque medicum auxilium expoſcit.

Momentanea fere Viſionis depravatio ex ſenſibili deſtillatione & condenſatione materiæ inter tunicam uveam & corneam, non alio quam Suffuſionis nomine cum Celſo & Galeno nuncupanda eſt; quæ tamen in fieri in hoc caſu eſt: etenim ſi abſoluta foret, aut velum ſeu tela, aut macula, aut guttula quædam ante ocu-

lum appareret, vel nulla omnino eſſet viſio: prout quando eſt in fieri, fumus ſolum, vel vapor, vel nebula tantummodo cernitur.

Hæc autem fit ab humore pituitoſo inter uveam & corneam condenſato ex Celſo; ſeu inter corneam & cryſtallinum ex Galeno. Humor verò iſte abunde generatus ab humido capitis temperamento, naturali quidem, ſed ab erroribus etiam in rebus nonnaturalibus adaucto; non potuit in oculum natura imbecillem, poſtea à vehementi ictu debiliorem factum, nec in Curatione, ut par erat, corroboratum, partim non delabi: qui tamen humor neque hoc Suffuſionis principium induxiſſet, niſi condenſationem à frigiditate oculi adeptus eſſet.

Ut malo huic conſulamus, ſatis faciendum eſt intentionibus à Gal. propoſitis, dicente, quod Oculum curare ante caput non licet, neque caput ante totum corpus. Quare totum prius expurgandum, inde caput, tertio materia in oculo attenuanda & reſolvenda, antequam Suffuſio ulterius progrediatur: Hypochyma enim in principio digeri poteſt; ubi verò diu conſtiterit, amplius digeri non poteſt.

Et quamvis habeat Gal. quod promiſſiones medicamentorum in Suffuſis magnæ ſunt, effectus verò aut nullus, aut valde exiguus, nihilominus hoc locum habere ſupponimus in Suffuſione tantum perfecta & abſoluta, quæ, ut inquit Paulus, immoderate coaluit; quod dignoſcitur, quia tunc ex digiti impreſſione nulla fuſio oboritur. Sperandum itaque, & licet non ſine dubio, agendum tamen ut ſaltem ſanus oculus præſervetur, qui facile ob mutuum nervorum oculorum conſenſum, & ipſe quoque affici poſſet.

In Chirurgico itaque fonte, facta primarum viarum expiatione, ſanguis ad ℥. vi. ex Cephalica dextera educendus ad evacuationem & derivationem. Et quoniam caput copioſis humiditatibus abundat; ideo Cauterium utroque brachio inurendum pro Curatione læſi oculi, & pro ſani præſervatione. Et ſi morbus interim potius augeſceret, ſetaceum in occipite per aliquot menſes conveniet. Frictiones quoque in dorſo & cucurbitulæ ſiccæ valde conferent.

Ex Pharmacia, exhibito medicamento ex lenit. & ſpeciebus hieræ, deſumenda Præparantia ex ſyr. de cich. de beton. & oxymel. ſimplici, in decoct. cich. borag. beton. fœniculi, euphrag. & ſtœchados, à qua Præparatione purgentur humores elect. lenit. & diacatholicone. Inde efficaciora Præparantia uſurpanda, ſyr. ſcil. comp. in eadem decoctione; quibus ſuccedat Purgatio pilulis de trib. cum rhabarb. ſine quibus, maſtic. aur. & lucis.

Toto expurgato, capiti quoque incumbendum maſticatoriis & maſtiche, rad. Acori, pyrethro, zinzib. & cera paratis. Gargariſmi quoque convenient ex decoct. origani, pulegii, calamenthi, hyſſopi, beton. addito oxymel. ſimplici. Interim alvus lubrica ſervanda pilulis lucis, maſticinis & de hiera cum agar. ad ʒ. j.

Tandem ut corroboretur caput, parandum erit electuarium ex Conſervis appropriatis, nempe roſarum, è floribus beton. è flor. roris marini, niſi potius Theriaca quandoque utatur, quæ magis fortaſſe proderit.

Si verò hiſce remedis morbus non cedat, neceſſario deveniendum erit ad Decoctum guajaci, ſalſæ, viſci querc. ſaſſafras & ſantalorum, cum herbis appropriatis, per viginti aut triginta dies ſudorem in lecto procurando: cui tamen præmitti poterit bolus ex ſucco cich. pulu. euphrag. fœniculi, ſileris mont. & chelidon. paratus. Poſt Decoctum vero uti poterit Confectione aliqua, ex pulv. fœniculi, chelidoniæ, ſileris mont. chamædryos, ſaſſafras, & ſacch. q. ſ. Extrinſecus idoneum erit leve lixivium herbis exiccantibus paratum, quo abluatur caput, & inde pulveribus exiccantibus aſpergatur, additis macis, caryophyll. laudano, & ſimilibus. & à ſtillicidio abſtinerem, ne fuſi humores ad affectam partem copioſius irruerent.

Purgato & corroborato capite, læſi oculi ratio habenda; & quidem inter plurima Collyria eligerem decoctionem Anagallidis, euphrag. fœniculi, chelidoniæ, in aqua fœniculi & euphragiæ, in qua diſſoluatur fel Perdicis aut lucii, à proprietate oculis valde amicum.

Si his adhibitis remediis perſeveraret adhuc morbus, Chirurgo relinquendus erit, dummodo tamen Suffuſio talis ſit, ut poſſit tuto deponi: hæc enim operatio non immerito ſubtiliſſima vocatur à Celſo.

His addatur conveniens vivendi modus, adeo ut vitet aërem humidum & impurum. Alimenta ſint potius aſſa, quam elixa, & fœniculo ac petroſelino condita. In fine menſæ aliquod adſtringens ſemper aſſumat. Somnus ſit mediocris, & nocturnus tantum. Exercitium moderatum & ante cibum. Alvus lubrica ſervetur pilulis lucis & maſticinis. Et alacriter vivat. *Idem T. 2. Cent. I.*

Suffuſio Incipiens.

Excellentiſſimus Comes quinquageſimum quintum annum agens, temperamenti totius calidi & humidi, hepatis calidioris, & humidioris Cerebri, alearum ludo noctu & aquarum potibus maxime delectatus; præterito Autumno catarrhalibus fluxionibus quibus ſemper obnoxius fuit, maxime divexatus eſt. Quare Medicinæ opem tentare coactus, præter alia Extractum chinæ, additis tamen ſalſa, lentiſco & ſantalis, per plures dies aſſumpſit, cujus ope bene habere viſus eſt, uſque ad Quadrageſimæ initium, quo tempore Viſus dexteri oculi obtenebratus eſt, & valde impeditus in apprehendendis clare & diſtincte objectis viſibilibus quinimo veluti nubecula quædam ante oculos apparet, quæ non ſolum peractæ expurgationi ceſſit, ſed potius aucta eſt. Quare conſilium tuum enixe efflagitat.

Viſus imminutio circa objecta diſtantia, Myopia dici poſſet, ſi ſine ullo intercedente impedimento, & non adeo illico facta fuiſſet. At quoniam extempore incepit & quotidie magis increvit cum quadam apparente fumoſitate, quæ ſpecierum ſenſibilium diſtantium impedit ingreſſum, ſicut impeditur quoque obviantium ſpirituum ad debita loca tranſmiſſio, ideo Hypochymate ſeu Suffuſione oculum dexterum Excellentiſſimi Comitis affectum eſſe pro certo habendum, cujus quoniam tres dantur gradus, & primus eſt, dum nulla in pupilla, Medico intuente, mutatio, & à Patiente ſolus fumus obſervatur, ideo in primo gradu conſtitui poteſt.

Cum

Cum verò conditio hujus affectus ſit, quod ſpatio menſium augeatur & increſcat, ideo ſi ad ſecundum gradum accedat, nonniſi per telam raram, ſeu cribrum objecta Patienti videre conceſſum eſt, ſicuti tandem ubi tertium gradum attigerit, prorſus aufertur viſio, & Amblyopia evadit.

Fumus autem iſte apparens vere vaporoſa materia non eſt, ſed aquoſa, à vaſis oculi, humoribus, & potiſſimum aqueo alimentum deferentibus, in intercapedinem inter corneam & cryſtallinum exiſtentem extruſa, quæ tractu temporis à frigiditate, tum potiſſimum ipſius oculi, tum ambientis, & propria paulatim craſſeſit, ſicque viſionem minuit, quæ tamen tanto tempore imminuta conſervatur, quanto conſervatur perſpicuitas atque diaphaneitas in ipſa materia etiam citra ullum alium alterius materiæ acceſſum: unde jure merito Paulus & Oribaſius Suffuſionem appellabat, humoris Præterfuſionem inter Corneam & Cryſtallinum, & Aëtius humorum præterfuſorum Congelationem; quare decipi ſolent, qui Suffuſiones à continuato materię influxu augeri credunt: ita enim exiguo tempore intumeſceret & extuberaret oculus, aliique affectus à Suffuſione diverſi exorirentur.

Nec defuit ſeroſæ materiæ antecedentis copia in Excellentiſſimo Viro, cum hujus excedentiæ alia manifeſta ſigna non deſint, tum quia caput ejus eſſentialiter calida & valde humida intemperie jam diu laborat, tum quia in aquæ potu ſemper deliquit, & tandem quoniam à jecoris caliditate colliquante atque fundente, ſeroſitates in eodem multiplicari alias conſideravimus, quas per venoſum genus ad cor, deinde per arterioſum ad caput delatas, & ab oculis, tum in alearum ludo accenſis candelis circumſtantibus, tum etiam facile in legendo aut ſcribendo ſeſe exercentibus nimium attractas, & nutritioni ineptas, vaſa ipſa in jam dictum ſpatium evomuerunt & ſuffuſionem conſtituerunt, quæ quando ab extrinſeco intuente diſcernitur, tunc non amplius incipientem, ſed progreſſam eſſe cenſendum.

Summa vero prudentia ſtatim ab Excellentiſſimo Adſtanti fuit tentata Curatio, quæ inſervire quoque potuit illæſi oculi præſervationi, cum facilis nimis unius cum altero ſit communicatio, & rara unius, & non alterius læſio Nec deſerenda ſuſcepta provincia, cum Excellentiſſimi Comitis corpus totum & caput humiditatibus ſcateat, quas educere, corpuſque totum, & præſertim caput exiccare noſtra ſemper intentio fuit. Et quamvis promiſſiones medicamentorum in Suffuſis plures ſint, effectus verò ut plurimum aut nullus, aut valde exiguus; attamen Hypochyma incipiens digeri poſſe promiſit Gal. idem. Non eſt igitur cunctandum, ſed in Curatione progrediendum, tum ut attenuato humore ulterius non procedat affectus, imo diminuatur, tum ut oculus ſanus aliæque corporis partes ab imminentibus malis præſerventur.

Et ideo Medicis intentionibus jam ab Eruditiſſimis Viris ſuppoſitis ſatisfaciendum; primò materiam fluentem evacuando, revellendo, ejuſque generationem prohibendo, fluxam vero reſolvendo, & oculos moderate calefaciendo.

Pro quibus aſſequendis, ſanguinis miſſio locum habere non videtur, & ideo & à Gal. & ab Avic. omiſſa fuit, ſicut & Rhaſis quamcunque ſanguinis miſſionem prohibet, quam & nos in hoc Viro Excellentiſſimo omittendam eſſe cenſemus, ſicut nullo modo omittendum Cauterium in lævo brachio inurendum; nec frictiones à nucha incipientes uſque ad infernas partes, neque pedum lotiones. Interim totum corpus, quoad fieri poteſt, ab humiditatibus vindicandum. Inde caput quoque & pilulis Elleboratis, & Errhinis expurgandum: oculum enim ante caput curare non licet, neque caput ante totum, ut dicebat quoque Plato in Carmide. Quod tamen ſolis purgantibus medicamentis nos aſſequi poſſe minime ſperamus, ſed Diaphoreticis & ſudorem provocantibus intus, & extra opus eſſe pro certo habemus, alioquin & oculos, & alias facile partes à redundantibus humiditatibus lædi dubio procul videbimus, ut ſuperius innuimus. Idcircò præmiſſa exacta jam dicta totius & capitis expurgatione, Decoctum ſudorificum erit inſtituendum; nec de liquatione & fluxione ad oculos quicquam timendum, dum liquatæ humiditates ad extimas corporis & capitis partes alliciuntur, & per ſudorem expelluntur, ſicque ab oculis divertuntur, & interim materia jam fluxa attenuatur, ſubtiliſatur & reſolvitur, aut ad reſolutionem paratur: ſicuti valde ſuſpectus apud nos ſemper fuit Decocti liquantis uſus citra ſudorem: fuſi namque humores dum per ſudorem non expelluntur, ad debiliores corporis partes irruunt, ſicque præſentes affectus adaugent novoſque producunt: credibile namque non eſt Decoctum ipſum tantum abſumere poſſe, quantum liquat. Paretur itaque Decoctum, ſed ſudorificum, adeo ut totum corpus, & caput potiſſimum in hypocauſto exudare poſſit, nempe ex viſco querc. ligno roris mar. exigua pulpa guajaci, necnon lentiſci portione, in aqua ſtillat. cich. atque beton. euphrag. aut chelidoniæ, cui ſi placeat præmittere bolum ex Extracto præſcripto Chinæ, aut pulverem viperinum, Peritiſſimi Adſtantis arbitrio remittimus, de cujus recto uſu plura adducere non licet.

Interim autem Ophthalmica topica externa in uſum ducenda, inter quæ quoniam crocus metallorum in aqua chelidoniæ diſſolutus à Quercetano extollitur, ideo nos tincturam ejuſdem croci parari juſſimus, ipſo croco multo præſtantiorem: cum enim crocus metallorum ex antimonio & nitro ſemel calcinatis conficiatur, citra metallorum miſtionem non adeo operoſum evadit tincturas extrahere; verum ut facilius Corneam permeare valeat ipſa tinctura, præmitti poterit ſuffumigium ex vino malvatico, in quo crocus & fœniculum ebullierint, repoſito vino calente in vaſe, aut phiala vitrea oculo adaptata, ita ut fumus ab oculo eodem recipiatur: rarefaciendo enim tincturæ penetrationem non parum juvabit.

Ante ſudorem & poſt, vinum pro menſa ligno roris mar. & euphragia paretur medicatum. Et in reliquis congruam victus rationem à Viro Excellentiſſimo Adſtanti præſcribendam relinquimus: ſicut cætera in præteritis noſtris Conſultationibus deſcripta optime dirigi pro ſalute Illuſtriſſimi atque Excellentiſſimi Comitis & optamus, & exoramus. *Idem ibidem.*

Suffuſio Incipiens.

Nob. iſte Adoleſcens temperamenti ſecundum totum ad calidum & ſiccum vergentis, calidioris jecoris, capitis humidioris, glaucos oculos à natura ſortitus, libere præterea vivens; annus jam agitur cum dimidio, ex quo corpuſcula quædam, ſeu atomos pupillæ obverſantes, ſurſum & deorſum moveri obſervavit, quæ modo majores quam antea eidem apparent, nec ſemper ejuſdem magnitudinis, ſed quandoque majores, quandoque minores, ſine tamen viſus imminutione, ſed potius ejuſdem confuſione: objectorum namque viſibilium viſio non impeditur, niſi quantum loci occupant corpuſcula ipſa, nunquam ſtabilia, ſed ut ſuperius diximus, in continuo motu poſita. Pupilla obſervatur nitida, & licet non nigra, ſuo tamen naturali colore prædita; humiditas autem quandoque, licet raro, ſponte ab oculis decidit. Pejora vero timens Nob. Juvenis de agendis conſulit.

Corpuſcula illa in oculis volitantia, aſcendentia & deſcendentia, Imagines dici poſſent cum Gal. ſi perpetua non eſſent, ſed modo adeſſent, modo abeſſent: ſicuti quoniam perpetuo adſunt, Idola potius cum eodem ſunt appellanda. Differunt autem inter ſe Idola & Imagines ratione cauſarum: Imagines enim à materia vaporoſa ab infernis partibus ad oculos elevata proveniunt, quæ vaporoſa materia, quoniam modo elevatur, modo non elevatur, ideo nec illæ continuo apparent. Idola vero fiunt à materia humoroſa in oculo exiſtente, quæ in Aqueum humorem exprimitur in intercapedine inter Corneam & Cryſtallinum, quæ poſtea in atomos diviſa & à ſpiritibus ſemper commota & agitata, ſurſum & deorſum movetur, & modo majores, modo minores apparent particulæ illæ humoroſæ, prout quandoque elevatur quoque materia vaporoſa, qua implentur, & majores apparent, ſicuti à calore, vaporibus reſolutis, minores fiunt & ad priſtinum ſtatum redeunt. Oculo autem glauco exiſtenti & naturalem imbecillitatem habenti, ab humidiori capite juſto major impertitur humiditas, ſicuti à jecore & hypochondriis, fervidioribus exiſtentibus, vaporoſa quandoque communicatur materia, unde hæc mala, eoque facilius, addita promiſcua libertate vivendi.

Quod quidem ſymptoma nuncius Suffuſionis eſſe ſolet: jam enim Præterfuſio humoris ſecuta eſt cum Paulo & Oribaſio, unde reſtat quod uniantur corpuſcula illa, incraſſentur, & ut Aëtii verbis utamur, congelentur: tunc enim ad inſtar telæ ante pupillam velamen apparet, quod ſpecierum viſibilium ingreſſum impedit, & Suffuſio, ſeu Cataracta tunc abſoluta evadit.

Juremerito igitur Nob. Adoleſcens affectum præſentem non parvi facit, cum majora mala minetur: ideo cum Hypochyma incipiens digeri poſſe promittat Gal. non ſine ſpe præſentis ineunda Curatio & à progreſſu Præſervatio. Et proximo verno tempore agendum, antequam corpuſcula illa ſimul coëant: tunc enim ſpatio menſium viſio ſemper tenebroſior redditur.

Et quoniam oculum curare ante caput, neque caput ante totum corpus non licet, ideo primæ viæ ſunt expiandæ. Secundò Totum expurgandum. Tertiò Caput. Quartò illud idem exſiccandum & roborandum, ut tandem materia pituitoſa tenuis in oculo exiſtens inſenſibiliter digeratur, habita ſemper caloris jecoris & hypochondriorum ratione.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis & Diæteticis.

Et à Chirurgico deſumi poterit ſanguinis miſſio ſemel tantum adminiſtranda, eaque ex pede dextero, tum pro revulſione vaporum aſcendentium, tum ut minus caput & oculi refrigerentur. Cauterium quoque pro nunc in lævo brachio inurendum. Frequentes ſint matutino tempore, antequam è lecto egrediatur, frictiones dorſo: veſpertino vero ante cœnam pedum lotiones.

Reliqua remedia ex Pharmaceutico depromenda; ſic potio ex manna clarif. vel ſyrupus roſ. ſolut. cum manna poterit ventriculum exonerare; ſicut cremor tart. ad ſemiunc. in jure, cortic. citri alterato diſſolutus, per quinque dies erit primum Præparans, cui ſuccedat eodem medicamento ſupra propoſito evacuatio. Inde ad ulteriora Præparantia erit deveniendum, & eſſe poterunt Julapium quidem ſimplex acet. ad ℥ij. cui ſuperbibat ſucci depur. cich. & beton. an. ℥j. in decoct. Cichorac. addita betonica, ſalvia & majorana; in horum uſu inſiſtendum ad dies 12. in quorum intermedio ſumat vel infuſum agar. rhab. & ſenæ, addito ſyrupo roſ. ſolutivo, vel electuarium lenit. cum diaphæn. cui ſuperbibat aquam hordeaceam ad lib. 1. vel j. ß. quod idem medicamentum repetatur duodecim jam dictis terminatis diebus. Poſt hæc caput quoque erit reſpiciendum, tum Præparantibus, tum Expurgantibus; Præparantia ſint oxymel ſimpl. ad ℥ij. cui ſuperbibat ſucci beton. & euphrag. an. ℥j. in decoct. cich. endiv. meliſſæ, calend. beton. ſalviæ, euphrag. chelidoniæ; & quinque tranſactis diebus aſſumat pilularum aggregat. coch. & aurearum an. ʒß. quibus, tranſacta hora, ſuperbibat aquam hordeac. ad lib. 2. & quatuor horis ab aſſumpta aqua prandeat. Repetat deinde tribus ſequentibus diebus eadem Præparantia, & inde pilulas aggregat. cochias, & lucis eadem doſi, ita & tertia vice interpoſitis, ut ſupra, Præparantibus. Quibus Præparantium diebus omnibus, maſticatoria ex uſu matutino tempore erunt, ex maſtiche, pulvere ſtaphiſagr. pyrethri, fœniculi & cera parata: Errhina namque, ſive Naſaria non valde ab Hippocr. probantur.

Purgatum caput eſſet quoquo pacto exſiccandum: Verum pro hac vice faciliora proponemus: quibus tamen non ſufficientibus, mox ad generoſiora & magis operoſa alio tempore eſſet deveniendum. Fiant ergo quotidianæ aſperſiones & mane & veſperi, pulveribus capitalibus exſiccantibus, paratis ex carie lignorum, cornu Cervi uſto, radice Iridis Florent. uſtis orizis, roſis rub. major. & caryophyll. in aqua roſac. prius maceratis, deinde exſiccatis & in pulverem redactis. Poſt pectinationem perfricetur caput ſpongia vino albo imbuta, mox expreſſa & exſiccata, in quo infuſa fuerint & efferbuerint lignum ſaſſafras, roris marini, radix rhodia, radix fœniculi, majorana, ſalvia. Sub ingreſſum lecti, ſummo digito medio quinta eſſentia

ſentia roris marini intincto illiniatur ſutura coronalis,& ſumat Conſervam, modo è floribus roris marini, modo beton. modo euphragiæ.

Tandem Ophthalmica quoque externa ſunt adhibenda,& eſſe poterit aqua B. M. deſtillata ex ſuccis euphrag. chelidon. fœniculi, praſſii, vino malvat. & melle, additis bovis & lucii fellibus, cum volatilium hoc tempore haberi non poſſint; qua aqua tepida jejuno ventriculo pluries oculi ſunt abluendi: & ut facilius Corneam penetrare valeat, præmitti poterit Suffumigium ex vino malvatico in quo ebullierit globulus Croci & fœniculi pugillus,per phialam oculis adaptatam recipiendum. Ophthalmico jam dicto feliciori cum ſucceſſu ego ſum uſus,quam celebri illo Quercetani ex croco metallorum & aqua chelidoniæ parato.

Jam dictis omnibus cautior erit addenda victus ratio, adeo ut caveat Nob. Juvenis ab aëris inclementiis, ab eduliis vaporoſis, tum frigidis, tum nimis calidis, & præſertim ab uſu lactis, lactucæ, apii, leguminum; à craſſis & viſcidis; à vinis generoſioribus. Fugiat ſomnum diurnum, pariter exercitium à cibo; Veneris immoderatum uſum; & alacriter vivat, ſed citra comeſſationes & compotationes. Quæ à Deo Nob. Adoleſcenti ſalutaria precamur. *Idem ibidem.*

Myopia, & Mydriaſis.

Vir Nob. trigeſimum ſextum annum agens, temperamenti ſecundum totum ad calidum & ſiccum vergentis, fervidi jecoris atque cordis, ad actiones promptiſſimus, longis itineribus, & locorum atque Regionum mutatione poſtremis annis magnopere delectatus,qui ab incunabulis uſque ad vigeſimum quartum annum ſemper pruriginoſus fuit, & ob vivendi libertatem hypochondriacam actionem contraxit, ut propterea cauſariam vitam duxerit,& Quartana, correptus multos menſes perſeverante, à prurigine prorſus vindicatus fuerit. Vigeſimo octavo ſuæ ætatis anno viſionem in oculo dextero ſibi imminui ſenſit, quæ imminutio uſque in hunc diem ſemper augmentum ſuſcepit,oculo quoque ſiniſtro,progreſſu,communicata,cum utriuſque oculi gravedine, præſertim noctis tempore, & ſæpe lacryma citra ullam inflammationem; quandoque aliquid veluti feſtucam in oculos incidere ſibi videtur; & dum objecta, præſertim longinqua inſpicit, aliquod impedimentum in oculo ſibi obverſari, & ſpiritus diſſolvi videntur. Interim ſuperioribus annis, dum in Gallia morabatur, Pleuritide & inde Peripneumonia fuit correptus, pro cujus Curatione ſanguis copioſus ad decem uſque vices fuit eidem extractus. Pleuritide verò ſanata, tuſſicula cum totius macie perſeveravit, ut propterea ad lactis aſinini & balnei aquæ dulcis uſum cum utilitate devenerit: carnoſior enim factus fuit, tuſſiſque receſſit. Ob eandem cauſam duo Cauteria in brachio dextero atque coxa affixa fuere, & poſtea ſuppreſſa, cum nullam utilitatem inde reportaverit Patiens; hæmorrhoides interim tumefieri cum dolore cœperunt, exiguum raro ſanguinem fundentes. Modo cum viſio ſemper in pejus labatur, pro hac potiſſimum conſilium & auxilium implorat.

Nob. Virum à naturæ primordiis viſcerum naturalium intemperies ſortitum fuiſſe liquido patet, cum ab ineunte ætate uſque ad vigeſimum quartum annum pruriginoſa ſcabie univerſum corpus infectum habuerit propter excrementitios & aduſtos humores in toto venoſo genere redundantes à fervida jecoris intemperie progenitos: ut propterea additis à ventriculo cruditatibus, facile obſtructiones & inde hypochondriacam affectionem contraxerit, eamque melancholicam, cum vitium in ſanguine ſemper extiterit; quam veritatem confirmavit Quartana ſuperveniens, validis melanagogis purgantibus curata, quibus una cum Quartana ſcabies quoque ſive prurigo evanuit, ſicque morbum & cauſam morbi demonſtravit ſanatio. Verum quoniam poſt ſanguinis depurationem ſuperſtites manſerunt, intemperies viſcerum idcirco nova excrementorum reproductio rurſus maſſam ſanguineam inquinavit: unde portio illa ſanguinis oculorum humores nutriens, craſſior exiſtens, viſionis hebetudinem inducere cœpit: ſpiritus enim & pauciores, & impuriores geniti, neceſſaria diaphaneitate priuati à nimio lumine, requiſito ab objecto diſtanti, diſſolvuntur,dum per radium longiſſimum deferuntur ad oculum ſpecies viſibiles, ſicque objecta diſtantia ægre videre, benè verò propinqua, & Myopia acquiſita laborare cœpit. Præterea quoniam ab iiſdem excrementis vel nimis impletur, & extenditur Rhagöides tunica, vel albugineus humor eſt adeo copioſus, ut replendo eandem tunicam nimis diſtendat, ſicque Mydriaſim in oculo conſtituat, viſio ideo imminuitur, qua ſpiritu evaneſcente ob pupillæ dilatationem, minima fit ſpecierum impreſſio, quæ per radium acutiſſimum apte refractum, & in Retina exacte terminatum fieri debet. Ambo autem iſti affectus in oculo dextero manifeſtiores, ſicut obſcuriores in ſiniſtro in præſens apparent, quoniam octo abhinc annis in dextero inceperunt, nuper autem in ſiniſtro. Excrementorum autem redundantiam in humoribus exiſtentem confirmat gravedo oculorum à Patiente noctu percepta: item & lacryma, & impedimentum quoddam quod viſionem hebetem reddere ipſi videtur, præterquam quod ſanguinis in toto pravitatem atteſtabantur præteritæ ægritudines laterales & Atrophiæ cum tuſſi nutritionis defectum ob alimenti pravitatem ſignificantes; & tandem confirmat hæmorrhoidum dolorifica intumeſcentia.

Affectus iſti ſunt curatu difficillimi, Myopia enim in Amblyopiam, indeque in cæcitatem ut plurimum terminari ſolet: deſiderabilis enim potius eſſet Suffuſio; & ſicut brevi fit, & ſpatio menſium perficitur, ita frequentiſſime facilis eſſe ſolet depoſitio quam non admittit humorum infectio. Nihilominus omnia agenda, ne in deterius labatur Nob. Patiens, neve ſenectutem præcurrat cæcitas.

Quæ ut arceatur, Vere proximo erit ineunda Purgatio, primas vias mundando. Maſſam ſanguineam totis viribus depurando. Jecoris fervorem contemperando. Caput purgando; & Topicis ophthalmicis excrementitios humores abſumendo.

Et quamvis ad vitium ſanguinis corrigendum pro-

prodeſſe ſoleat ejuſdem detractio, caute tamen in caſu noſtro eſt procedendum: obeſſe namq; potuiſſe credendum copioſam & pluries jam repetitam in Gallia phlebotomiam; ideo ſufficiens erit ſanguinis ex hæmorrhoidibus detractio, hirudinem unam hæmorrhoidi magis tumenti apponendo, eandem ſtatim amovendo facto foramine: diuturnam namque beſtiolæ ſuctionem ſequitur humorum attractio; quæ operatio bis & ter in anno repeti poterit, parce ſanguinem educendo: quo enim natura vergit, per loca conferentia, eo ducere convenit. Præterea duo Cauteria ſunt inurenda, alterum in brachio ſiniſtro ratione capitis, alterum vero in coxa dextera ratione totius.

Ex Pharmacia cætera ſunt depromenda remedia. Sic pro primarum viarum expiatione potio magiſtralis ex manna clarif. conveniens erit. Pro prima Præparatione julapium acet. cinnamomo cortice citri aromatizatum, ut quinque aut ſex tranſactis diebus repetatur potio jam præſcripta. Inde ad ulteriora Præparantia progrediendum. Et quoniam ſaccharata & mellita ab Hypochondriacis non adeo facile tolerantur; idcircò ſucci herbarum depur. ſubſtitui poterunt ex cich. borag. & agrim. in jure pullæ, cremore tart. alterato, vel cum crem. tart. prius ebullito: in quorum uſu 15. diebus erit pergendum; quorum intermedio tempore, Purgans electivum erit præbendum, ex elect. lenit. de ſucco roſarum, diaphæn. & confectione Hamech paratum, cui ſuperbibenda propinetur aqua hordeacea, aut Noceriana: ita medicamentum cum aqua repetatur in fine. Purgato toto, & caput Cephalicis erit purgandum; in quem finem præberi poterunt pilulæ coch. cum Elleboro præparatæ, additis aur. & aggregativis. Sed efficaciores eſſent pilulæ capitales Paracelſi, quæ conſtant ex Extractis diagrydii, colocynth. & Ellebori nigri, quarum doſis eſt à ſemidrachm. ad ℈ ij. & quoniam aſſumuntur circa noctis dimidium, ſummo mane propinanda erit copioſa aqua Noceræ, ratione caloris hypochondirorum & jecoris; hæ autem ter repetendæ erunt tertio aut quarto quoque die; intermediis vero diebus maſticatoriis utendum, cum errhina ſuſpecta ab Hippocr. habeantur: Pilulæ autem jam præſcriptæ, paratæ diebus Canicularibus, habentur hic Patavii ad ſignum Sirenis. Hoc vero eodem tempore, jecoris, cordis, hypochondriorum & ſanguinis fervor contemperari poterit uſu emulſionis ita paratæ.

℞. Sem. melon. mundat. cucurbitæ an. ℥j. Aq. ſtillat. cich. ℥ viij. m. extrahatur emulſio, cui adde ſyrup. de pom. ℥j. m. pro potu matutino integro menſe aſſumendo: aquæ namque minerales omnes, ut caput implentes, ſuſpectæ. Tandem ad Topica ophthalmica deveniri poterit; & primo ſuffumigium recipiat Pat. ex vino albo generoſo, in quo folia croci ebullierint, vinum reponendo in vaſe vitreo oculo accommodato: ita rarefactis oculi tunicis, Collyrium erit inſtillandum ex tinctura croci metallorum, aquæ chelidoniæ ita immiſta.

℞. Tincturæ croci metallorum ℥ß. Aq. chelidon. ℥j. m. pro Collyrio in æreo vaſe detinendo. Aliqua etiam Conſerva Cephalica ophthalmica in uſum ducenda, ut Conſerva roſarum ſtatim à prandio, & Euphragiæ ſub ingreſſum lecti.

Quòd ſi jam dictis non cedat affectus, anno ſequenti ad majora deveniendum, nimirum ad Decoctum capitale ſudorificum, ut humores in capite & oculis contenti magis attenuari, & ſenſibiliter ac inſenſibiliter evacuari & diſcuti poſſint.

Congrua vivendi ratio erit a Nob. Pat. ſervanda, abſtinendo à vaporoſis omnibus tum calidis, tum frigidis, & præſertim à lacte & a vinis generoſis: etenim.

Vinum Phryx bibit, Oculi venenum.

à cibis incraſſantibus, ab aëris inclementiis, à diuturna mora, tum prope ignem, tum ſub radiis ſolaribus; à ſomno pomeridiano, & nocturno à poſitu prono. Longa itinera dimittat, & quieſcat. Inimica quoque immodica Venus & animi alterationes, ira præſertim & mœror.

Tribus autem hiſce menſibus antequam præſcriptam Purgationem aggrediatur, obſervet Nob. Patiens, quod alvus lubrica erit ſervanda, aſſumendo ſingula hebdomada electuarii lenit. ſemiunciam hora dimidia ante prandium. Pariter in uſum quotidianum ducat jus endivia, aut borag. alteratum, in prima menſa Utatur quoque Conſervis præſcriptis, necnon Collyrio, at ſine præcedenti ſuffumigio quod poſt Purgationem locum habebit. Quæ omnia D. O. M. ſalutaria reddat. *Idem ibidem.*

Medicatio juvenis, Panno oculorum laborantis.

Juvenis 25. annorum, cum variolis non ſatis accurate curatis & conſolidatis ſe intempeſtive, ſub tempus autumni, aëri aliquot dies foris expoſuiſſet, incurrit in quandam oculorum inflammationem; cui cum remedia convenientia non adhiberentur, excrevit hoc malum in tantum intra paucos dies, ut jam panniculus ex vaſculorum ſanguine repletorum diſtentione rubens, tanquam tela carnoſa in ſuperficie oculorum, ac præcipuè tunicæ adnatæ appareat. Oculi offenduntur à lumine, & contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ. Viſio non tantum eſt obſcura, ſed fere tota ablata.

Afficitur in hoc ægro, utriuſque oculi & præcipue adnatarum tunicarum ſuperficies; idque ex præcedente inflammatione, & ex inſecuta panniculi in illis excreſcentia patet.

Morbus, qui ipſum torquet, eſt pannus, ſive panniculus utriuſque oculi: qui eſt membrana rubicunda, ſupra adnatam & corneam tunicam præter naturam genita, viſuſque obſcuritatem hic magnum inducens, atque cum intemperie ſanguinea, & nimis laxâ utriuſque oculi etiam conjuncta.

Cauſa procatarctica, unde hic morbus primùm originem duxit, fuit aër autumnalis, externus, cui noſter juvenis corpus ſuum, à variolis nondum ſatis curatum, foris per aliquot dies expoſuit. Inde enim pori corporis, & præſertim oculorum, clauſi, halitus acres & calidos exhalare ſolitos, & etiamnum emittendos, in corpore retinuerunt. Iique retenti antecedentem huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò eorum in oculorum tunicas adnatas per poros poſtea nimis dilatatos delata, ibique vehementius incaleſcens, induxit, tanquam cauſa continens, primum oculorum inflammationem.

Cumque illi pori nimis aperti, ob apta remedia neglecta, paſſim magis magiſque aperirentur,

tur, hinc deinde factum, ut ex humoribus ſanguinis, per poros illos nimis apertos exſudantibus, paulatim membrana quædam rubens, tanquam tela carnoſa, in ſuperficie oculorum fuerit per partium cohæſionem & conglutinationem genita, eaq; paulatim magis magiſque craſſeſcens inducit jam, per radiorum à pelliculæ iſtius craſſitie factam ex oculis excluſionem, non tantum obſcuram, ſed fere penitus ablatam viſionem.

Et quia oculi ex affluxu humorum non tantum foris, ſed etiam intus valde teneri ſunt facti; hinc contingit, ut oculi contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ, item à lumine valdè offendantur.

Morbus hic, quia eſt in parte acutiſſimo ſenſu præditâ, atque ideo à remediorum, præſertim acrium contactu exacerbari ſolet, difficilis erit curationis; imò ſi diuturnior ſit, Chirurgiâ tantum auferri poterit.

Curatio conſiſtet in cauſæ antecedentis, & membranæ ac intemperiei iſtius ablatione.

Primo itaq; purgetur æger tali Medicamento:

♃. Pili cochiarum ʒß. Scammonii gr. x. F. Pilulæ, num. 7. aliquoties reiterandæ.

Poſtridie ſanguis educatur è brachio dextro ad ℥vij. & ſequente die etiam ex ſiniſtro.

Cucurbitæ etiam collo & ſcapulis, primum ſine, & deinde cum ſcarificatione, ſunt adhibendæ, uti & veſicatorium.

Corpore ſufficienter purgato, ad topica veniendum, quæ panniculum abſumere valeant; à mitioribus incipiendo, quale hoc eſt:

♃. Oſſis ſepiæ ℈j. Sacchari candi ℥j. Vitrioli ℈ß. Tutiæ præp. ʒß. Miſce F. Pulvis ſubtilis, panno inſpergendus.

Quod ſi non ſufficiat ad fortiora eſt veniendum: quale hoc eſt, à multis in hoc affectu ſummopere laudatum:

♃. Succi fœniculi ℥iv. Chelidonii ℥iij. Rutæ ℥ij. Malvæ ℥iiß. Aloës ʒj. Æruginis ℈j. Sinſiberis, cinnamomi an. ℈ß. Fellis anguillæ ʒß. Bubuli, aut porcini ʒij. Sacchari candi ℈ij. Mellis optimi ℥ß. Bulliant ſucci, addendo reliqua, & depurentur. F. Collyrium, bis in die in oculos inſtillandum.

Ante uſum talium remediorum, pars fovenda eſt decocto emolliente malvæ, fol. violariæ, ſem. malvæ, cotoneor. papav. ſem. fænigræci, meliloti, & ſimilium; quod etiam poſt eorum applicationem eſt, ad dolorem leniendum.

Si his topicis pannus abſumi non poſſit, ad Chirurgiam eſt veniendum.

In diæta, luminoſum aërem vitet æger; tenui utatur victu; abſtineat ab omnibus fumoſis; quies corporis hic laudatur; alvus ſit lubrica, natura vel arte. *Henricus Regius Medicationum lib.* 1.

De Ophthalmia.

Vir triginta annorum, ſanguine calido ac bilioſo abundans, cùm præterita hyeme vino generoſo admodum excalefactus, maximo nocturno hyberno frigori ſe paulo diutiùs expoſuiſſet, acutum in oculis ſenſit dolorem, cum ardore. Poſtridie magna quoque rubedo conſpecta eſt in adnata tunica ſeu albo oculi, cum venularum manifeſta intumeſcentia. Lucem ferre omnino non potuit, ita ut clauſis oculis continuè ſederet. Lachrymæ acres ex oculis affatim profluxerunt, & apertis oculis viſus obſcuritas obſervata eſt.

I. Pars affecta in hoc ægro eſt oculus, in quo primariò afficitur tunica adnata ſeu conjunctiva dicta, reliquæ verò oculi partes per accidens.

II. Hic autem morbus Medicis Ophthalmia & Lippitudo appellatur, quæ eſt inflammatio adnatæ ſeu albæ tunicæ cum rubore, ardore, dolore & lachrymis.

III. Cauſa mali antecedens fuit corporis totius ſanguis copioſus & calidus, qui ob excandeſcentiam à vino inductam valdè commotus, cùm à cauſa procatarctica, externo ſcilicet magno frigore, in oculo repente detineretur, in ejus adnatam tunicam copioſior effuſus, cauſam continentem conſtituit.

IV. Cùm enim ſanguis, ob magnam incaleſcentiam à vino, rapidius per arterias & venas moveretur, ab externo illo frigore oculis recepto in adnata tunica ſubitò incraſſatus eſt, ita ut per minimas ejus venulas tam citò tranſire & circulari non potuerit, quàm à corde per arterias eò propelleretur. Hinc cùm plus eò impelleretur quam tranſire poſſet, intumuerunt adnatæ tunicæ venulæ, & ipſa quoque tunica à ſanguinis copia diſtenta fuit: qui ſanguis diutiùs ibi detentus & aliquam putredinem ſuſcipiens nimis calidus & acris factus eſt, ac inflammationem induxit.

V. Dolor autem acceſſit, partim propter adnatæ tunicæ (quæ acutiſſimi ſenſus eſt) diſtenſionem; partim propter acrimoniam humorum eandem tunicam erodentium.

VI. Clauſis oculis ſedet æger & lucem perferre nequit, partim quia ab aëre externo admiſſo exaſperatur dolor: partim quia, cùm apertis in luce oculis radii oculum feriant, ſicque viſio fiat, atque in eum finem, ut viſio fiat, copioſiores ſpiritus animales ad locum determinentur & confluant, oculumque diſtendant, hinc ab illa diſtenſione longè acrior fit dolor, quem ut æger evitet, oculos clauſos tenere cogitur, ut ita radios illos evitet, ſicque minor fiat ſpirituum determinatio, & ad oculum influxus, ac per conſequens minor diſtenſio tunicæ adnatæ.

VII. Cùm autem viſus fiat à copioſo ſpirituum ad oculum influxu, eumque influxum ob doloroſam diſtenſionem adnata tunica præferre nequeat, hinc apertis oculis viſus ægro obſcurior eſt; nam pauciores ſpiritus in principio viſum obſcuriorem præſtant; cùm verò copioſiores influere incipiunt, ob diſtenſionem & dolorem adnatæ tunicæ cogitur æger oculum occludere, ut ſic majorem ſpirituum influxum ſiſtat.

VIII. Lachrymæ verò profluunt, imprimis aperto oculo, quia caruncula, quæ in cantho majore inſidet puncto lachrymali, ſeu foramini naſi oſſi inſculpto, in utroque oculo à vicina inflammatione etiam vellicatur, hincque dolet & contrahitur; imprimis ſi aperto oculo aëris injuria accedat; atque propter illam doloroſam contractionem minùs exactè tegit ante dictum punctum lachrymale, unde per foramen nimis laxum & apertum lachrymæ liberiùs effluunt. Quæ acres ſunt propter ſalem iſti ſeroſo humori admixtum; & multò acriores ægro videntur quam per ſe ſunt, quia fluunt ad acutiſſimè ſentien-

ſentientem tunicam adnatam, nunc malè affectam, & cujuslibet rei, etiam aëris, quàm minimam acrimoniam facillime perſentientem.

IX. Ophthalmia hæc oculis periculum minatur, quia ob aëris hyberni frigidi allapſum, difficilior eſt humorum in adnata tunica influxorum diſcuſſio; qui ſi diutiùs ibi hæſerint, metuendum eſt ne nimis erodatur & tandem exulceretur tunica adnata, atque etiam cornea, indeque albugo, cicatrix, aliudve vitium remaneat, quod viſum lædat.

X. In curatione quamprimùm tollenda eſt cauſa antecedens, utpote quæ continentem fovet; procatarctica quoque removenda eſt, ut ſic continens melius diſcuti poſſit.

XI. Corpus primò expurgandum cum pilularum cochiarum drach. j. vel electuarii diapruni ſolutivi unc. ſ. additis paucis granis diagridii, vel tali hauſtu.

♃. Rhabarbari elect. drach. j. ſ. fol. ſenæ mundat. drach. iii. tartari drach. j. ſem. aniſi drach. j. decocti hordei q. ſ. fiat infuſio ſ. ar. adde colaturæ, elect. diapruni ſolutivi drach. iii. miſce, fiat potio.

XII. Purgato corpore, mox vena brachii ſecanda eſt, & ſanguinis unc. viij. aut x. educendæ. Deinde rurſus purgandum, & poſt purgationem, iterum vena ſecanda, ſi neceſſe ſit.

XIII. Ut verò pauciores humores excrementitii è cerebro ad oculos affluant, revulſiones inſtituendæ ſunt per cucurbitulas cervici & ſcapulis appoſitas; nec non per veſicatoria poſt aures applicata. Quæ ſi affluxum humorum ad oculum non ſatis avertant aut revellant, & malum diuturnius fieri videatur, cervici ſetaceum, vel etiam cauterium actuale aut potentiale eidem, aut brachio adhibendum.

XIV. Ad doloris ſedationem ſanguis è pennis vivorum pipionum recenter evulſis in oculum exprimendus eſt; vel lac muliebre recens mulctum inſtillandum, vel mucilago ſeminis pſyllii & cydoniorum in aqua roſacea extracta adhibenda: vel vitellum ovi ad duritiem coctum, aut ſequens cataplaſma imponendum.

♃. Pulpæ pomi aſſati unc. i. ſ. micæ panis albi recentis unc. iii. croci pulveriſati ſcrup. j. ſ. lactis recentis & aquæ roſaceæ, ana part. æq. fiat cataplaſma.

XV. Dolore aliquantùm ſedato, tale collyrium immittendum:

Rec. Sarcocollæ lacte nutritæ drach. i. tragacanthæ drach. ſ. mucilaginis ſem. cydoniorum q. ſ. fiat collyrium.

XVI. Ad diſcuſſionem humoris in tunica adnata contenti, ſequenti fotu tepido oculi cum molli ſpongia ſæpe fovendi ſunt:

♃. Herb. althææ, fœniculi, flor. chamomillæ, meliloti, ana m. j. aquæ q. ſ. coquantur ad unc. viij. quibus adde, aquæ roſatum unc. iij. miſce.

XVII. Poſt fotum imponatur cataplaſma antè præſcriptum: vel tale collyrium oculo inſtilletur:

♃. Aloës aquâ fœniculi lotæ ſcrup. j. ſarcocollæ lacte nutritæ drach. j. croci gr. vii. aquæ euphragiæ, fœniculi, ana unc. j. miſce, fiat collyrium.

XVIII. In diæta ſit aër temperatus ac purus, expers fumi, pulveris & ventorum, obſcurior tamen & tenebricoſior, habeatque æger linteolum atrum, cæruleum, vel potiùs viride oculis obductum. Cibi ſint pauciores, & facilis digeſtionis ac boni ſucci, conditi cum euphragia, fœniculo, cichoreo, borragine, &c. Potus ſit ptiſana, cerevisia tenuis, & in paſtu pauxillum vini valde tenuis. In cibo & potu vitetur ſemper repletio: vitentur etiam ea quæ caput replent; raphanus, cepe, allium &c. ut & ea quæ peculiari vi oculis nocere ſolent, qualia ſunt caules, fabæ, lentes, olivæ, &c. Somnus longior ſit, & quies corporis ſolito major. Alvus liquida ſervetur; & fugiantur animi pathemata, imprimis ira. *Isbrand. de Diemerbroeck in Medicationibus.*

De Suffuſione & ſuggillatione oculorum.

Adoleſcens duodecim annorum, temperamenti frigidioris, ante quinque menſes viſus aliquam obſcuritatem in utroq; oculo percepit, qua primò culices, pulviſculos ac paleas ante oculos volitare putabat. Poſtea tanquam per nebulam denſiorem vidit: ſicque viſus paulatim magis magiſque imminutus eſt, ita ut nunc homines quidem aliquo modo videat, ſed neminem cognoſcere poſſit, imò vix equum à bove diſtinguat. In pupilla albicans quiddam, cryſtallinum humorem contegens, conſpicitur, quod, oculis digito preſſis, loco cedit, ſeque dilatat.

I. Hujus ægri affectio Medicis Suffuſio appellatur, quæ eſt pupillæ ſive uveæ foraminis obſtructio, facta ab humore præter naturam inter corneam tunicam ac pupillam collecto ac conſiſtente, viſionemque impediente.

II. In hoc ægro humor ille eſt pituitoſus, ut ex colore albicante in pupilla conſpicuo patet: ibique colligitur, quia ob oculorum frigidius temperamentum, eorum nutrimentum non ita bene coquitur, quin ex uvea tunica exhalent ſubinde pauci craſſiuſculi vapores, qui in interſtitio inter cryſtallinum humorem, foramini uveæ incumbentem, & corneam tunicam, ab aëris externi frigore in humorem craſſiuſculum condenſati, ſiſtuntur, & humori aqueo admiſcentur, ac craſſiuſculis viſcidiſque particulis eidem innatant.

III. Humor hic cùm in principio paucior ac tenuior eſſet, radiorum quidem ingreſſum ad cryſtallinum humorem non prorſus impedivit, ſed craſſioribus ſuis particulis hic illic impedimento fuit, ut omnes radii non ingrederentur, atque hinc æger in principio putavit pulviſculos, paleas ac culices ante oculos volitare, quæ tamen non fuere niſi craſſiuſculæ dicti humoris particulæ, aqueo humori ante cryſtallinum innatantes. Poſtea verò ubi paulatim copioſior & æqualiter craſſior evaſit, quaſi per denſiorem nebulam vidit, ſicque pro incremento iſtius craſſitiei viſus paulatim magis magiſque obſcuratus eſt.

IV. Difficilis erit hujus mali curatio, quia humor ille pupillam contegens nunc valde incraſſatus eſt, & medicamentis non facilè diſcutietur, unde metuendum ne in pelliculam concreſcat, & omnimodam cæcitatem inducat. Aliqua tamen ſanationis ſpes apparere videtur, quia ad abſolutam cæcitatem nondum eſt deventum

rum; & oculis digito compreſſis, ſuffuſio aliquantum loco cedit, neque firmata eſt.

V. In curatione primò corpus aliquoties purgandum eſt cum pilulis lucis, aureis, vel cochiis, electuario diaphœnico, hiera picra, diacarthamo, vel hauſtu aliquo phlegmagogo, ex agarico, turbith, jalappa, ſena, aliiſque ſimilibus compoſito.

VI. Deinde ad humorum frigidorum diſcuſſionem bis in ſeptimana promovendi erunt ſudores, cum theriaca, mithridatio, decocto ſalſæparillæ, chynæ, & ſaſſefras. Intermediis diebus convenient decocta cephalica ex majorana, roſmarino, euphragia, fœniculo, betonica, ruta, & ſimilibus confecta: ut & condita cephalica ex conſerva euphragiæ, flor. ſalviæ, betonicæ, anthos, &c.

VII. Ad capitis corroborationem cucupha ex cephalicis calefacientibus vertici imponenda eſt. Capitis humores excrementitii etiam ab oculis divertendi, & ad alias deducendi ſunt; quod commodè fiet per veſicatoria poſt aures ſæpe applicata, vel per fonticulum in brachio aut cervice excitatum, qui diu apertus ſervandus eſt.

VIII. His præmiſſis, ad topica ipſi oculo adhibenda deveniendum, ac primò talis decoctio paranda.

℞. Radicum raphani unc.ij. Valerianæ unc.j. Herb. rutæ, fœniculi, euphragiæ, leviſtici, majoranæ, fol. Lauri, an. m.j. flor. Chamomillæ m.ij. Sem. fœniculi carvi, an. drach.ij. Aquæ q.ſ. fiat ſ. art. decoctio ad lib.i.ſ.

Inter coquendum recipiat æger in oculos decocti vaporem: poſtea ipſo decocto tepido oculos cum molli ſpongia diu multumque foveat, in ejuſque uſu per duas treſve ſeptimanas procedat.

IX. Poſtea hoc collyrium in oculos inſtilletur.

℞. Succi chelidoniæ majoris, rutæ, fœniculi, Aquæ mellis, an. unc.ſ. Miſce fiat collyrium.

Hôc cùm aliquamdiu uſus fuerit, fortius reddetur, addendo fellis perdicis & lucii piſcis an. drach.i. & poſtmodum an. drach.i.ſ.

X. In diæta ſit aër ad calidum vergens, non valde lucidus. Cibi & potus ſint modicè calefacientes, attenuantes, & diſcutientes, vitenturque talia quæ caput vaporibus replent. In ſomno & corporis motu ſervetur mediocritas. Excretiones naturales bene procedant, & fugiantur animi pathemata.

XI. Si, his omnibus non juvantibus, abſoluta tamen cæcitas fiat, ad Chirurgiam deveniendum, & ſuffuſio acu à pupilla removenda eſt. *Idem ibidem.*

De Suggillatione Oculorum.

Juveni plethorico in ſphæriſterio ludenti per infortunium pila inflicta fuit in oculum ſiniſtrum. Hinc ipſi oculus adeò doluit, ut oculum per totum diem aperire non potuerit. Poſtridie dolore penè ceſſante, magna ſanguinea rubedo per totum oculi album conſpecta eſt, ſine ulla inflammatione; & palpebræ quoque ſimili rubedine infectæ viſæ ſunt. Attamen nullo modo viſus immutatus aut oblæſus eſt.

I. Hujus ægri affectio, oculum occupans, Suggillatio dicitur, eſtque ſanguinis extra vaſa in oculorum tunicas & palpebras effuſio.

II. Sanguis hic imprimis profluxit è minimis vaſculis tunicæ adnatæ & palpebrarum, ictu pilæ diſruptis & apertis. Corneam autem tunicam illæſam eſſe patet ex viſu, qui nullo modo immutatus eſt: nam ſi in illam quoque ſanguis effluxiſſet, præcipuè anteriore parte, objecta viſibilia rubro colore ægro offerrentur.

III. Affectus hic periculo vacat; ſi modò remedia convenientia tempeſtivè adhibeantur, antequam ſanguis extravaſatus putreſcat & inflammetur, tunc enim ophthalmiam aliudve gravius malum induceret.

IV. Primò igitur corpus purgandum, ac vena brachii ſecanda. Deinde lac muliebre recens mulctum in oculum inſtillandum, vel ſanguis è pipionum vivorum pennis in oculum exprimendus eſt, hicque fotus oculo frequenter adhibendus.

℞. Foliorum ſalicis, plantaginis, flor. Chamomillæ, meliloti, an. m.j. Coquantur in aquæ q. ſ. ad lib. ſ. adde colaturæ aquæ roſaceæ unc.j.ſ. Miſceantur pro fomento.

V. Poſtridie, cùm major ſanguinis extra vaſa effluxus non metuetur, fomentum ſit ſolùm diſcutiens:

℞. Herb. fœniculi, euphragiæ, betonicæ, chelidoniæ majoris, flor. Chamomillæ, meliloti, an. m.j. Sem. fœnugræci unc.ſ. Sem. aniſi, fœniculi, an. drach.j.ſ. Aquæ q.ſ. Coquantur ad lib.i. Sit fomentum, cum ſpongia molli adhibendum. Poſt fotum inungatur unguentum roſaceum cum pupillo olei ceræ. *Idem ibidem.*

De Ophthalmia.

Juvenis quidam 24. annos natus, temperamenti ſanguineo-bilioſi, cum per tempus aliquod victu calidiori, imprimis carne bubula cœpis vel raphano marino vel aromatibus, conditâ delectatus fuiſſet, ſuperque bibiſſet vinum ſatis generoſum, factum ut primò dolorem capitis non tamen continuum, ſed mox remittentem, mox iterum infeſtantem cum oculorum dolore perciperet. Nihil autem periculi hocce habere malum ſibi imaginans, genio liberalius indulgere cœpit, quo facto pejus in malum incidit, nam progreſſu temporis tanto correptus fuit oculorum dolore & ardore, cibique faſtidio, ut diutius hoc malum perferre nequiverit. Quapropter gravius metuens diſcrimen, Medicum accerſi curavit, qui primo intuitu oculos rubicundos, tumidos lachrymaſque ſtillantes, caput valdè calidum, Pulſum quoque plus juſto celeriorem, in reliquis benè ſe habentem ægrum deprehendit.

Reſolutio.

Si quis oculo paulo accuratiori omnia ac ſingula in modò recenſitâ hiſtoriâ conſideraverit ac perpenderit ſymptomata, is procul dubio non errabit, ſi Affectum, de quo Juvenis noſter conqueritur, Ophthalmiam dixerit, nomen à ſymptomate & parte affectâ habentem.

Dicitur Ophthalmia Græcis, ut ab ovo rem exordiamur, ὀφθαλμία ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ ab oculo, ſive parte affectâ, teſte Galen lib. 2. M. M. 2. pag. m.34. Sebitz. Manual. Medic. part.2. Sect.5.c.32. p.624. Latinis dicitur inflammatio oculorum, quo in ſenſu etiam ſumpſit Hippocr. l.3. aphor.11.

Hinc ophthalmiam Definimus: quod ſit inflammatio oculorum, imprimis verò tunicæ annatæ, cum rubore, tumore, dolore & ardore, à ſanguine acri confertim ac cum impetu in arteriolas ac venulas irrumpente eaſque diſtendente, aut planè erodente ortum habens.

Generis loco hic ponitur inflammatio, quoniam omnia accidentia, quæ ad inflammationem requiruntur, dolor nimirum, rubor, tumor, &c. in ophthalmia inveniuntur, quod etiam teſtatur Galen. *lib.2. de tumorib. cap.2. p. m.* 330. *& lib. de differ. morb. cap.* 13. *p.* 19. it. *lib.*4. *de compoſ. pharmacor. ſecund. loc. cap.*2. *pag.*565. pertinetque ad morbos compoſitionis: teſte Donat. Anton ab alto mari *de medend. Human. Corp. mal. cap.*10. *p.*260. & Galen. *de differ. morb. cap.*13. *p.*19. *&* 20. it. Hieron. Capivacc. *lib. de affect. oculor. p.*158. Adeſt enim (1) Intemperies oculorum calida, & ſic pertinet ad morbos intemperiei calidæ; adeſt (2) læſa conformatio, quod videre eſt ex aucta magnitudine, & ſic morbis conformationis accenſetur: adeſt denique (3) Unitas continui ſoluta, quod ex dolore ſatis manifeſto patet, & ſic ad morbos ſolutæ unitatis refertur.

Dicitur Inflammatio oculorum, ad differentiã aliarum partium, quæ quoque inflammationibus ſunt ſubjectæ, e.g. meninges, pleura, pulmo, &c.

Sequitur, imprimis tunicæ annatæ, ut excludantur reliquæ tunicæ, quibus oculus gaudet. Notum enim eſt ex anatomicis, oculum varias habere tunicas & quidem (1) annatam, quæ ſaltem eſt ligamentum, teſt. Donat. Anton. ab alto mari *cap.*10. *de medend. human. Corp. mal. p.*259. Galen. *lib.*4. *de compoſ. pharmac. ſecund. loc. cap.*2. *p.*565. *& lib.*10. *de uſu part. cap.*7. *p.*680. mediante quo oculus firmatur, ne ex ſuâ orbitâ excidat, & impropriè ad oculi tunicas refertur, (2) Corneam, (3) Uveam, (4) Retinam, addit adhuc Barbette in ſua Chirurgia aliam tunicam, quam vitream dicit, & à multis malè omiſſam eſſe aſſerit. vid. Barbett. *Chirurg. p. m.* 325. Sed quoniam hæc propriè huc non ſpectant, ſicco etiam pede præteribimus.

Additur porrò cum tumore, rubore, dolore, &c. ad confirmandam inflammationem, nam hæc omnia ſunt ſigna inflammationis pathognomica.

Sequitur tandem, à ſanguine acri confertim ac cum impetu in arteriolas ac venulas irrumpente, &c. quæ ultima verba hujus morbi cauſam proximam deſignant.

Reverâ autem rem ſe ita habere, Juvenemque noſtrum ophthalmiâ laborare, haud obſcurè ſigna in hiſtoria recenſita confirmant, & quidem.

Eſſentialiter conſequentia id quoque aſſerunt. In qualitatibus enim mutatis oculi apparent rubicundi, caput exploranti tactui valdè calidum occurrit, pulſus plus juſto celerior deprehenditur.

III. Cauſſæ progreſſæ id etiam confirmant, quippe quæ partim partis debilitatem augere, partim bilis acrimoniam intendere, ſanguiniſque motum concitatiorem reddere ſatis idoneæ ſunt.

Hiſce itaque miſſis ad contemplandum ſubjectum ſive partem affectam progredimur.

Subjectum, uti ſuperius quoque in definitione innuimus, dicimus eſſe oculum, pretioſiſſimam corporis noſtri partem, organum lucidiſſimum teſte Galen. *lib.*3. *de uſ. part. c.*10. *p.m.*496. Notandum autem duplex dari ſubjectum, nimirum adæquatum, & inadæquatum: Adæquatum ſubjectum, quod aliàs dicitur denominationis, eſt oculus; inadæquatum ſive immediatum eſt tunica, quæ dicitur annata. Illam etiam Hipp. *lib. de princip. ſ.*18. *tx.*12. *p.m.*122. ſimpliciter τὸ πρὸς τὺς ὀφθαλμὺς λdelta; [illegible] vocat. Riolan. autem *lib.*6. *Anthropogr. c.*4. *p.*448. eam nihil aliud, quàm ligamentum oculo, ne exorbitet, circumjectum eſſe putat.

Cœterùm cum omnis morbus dependeat à ſua cauſa morbifica, noſtrum erit, inquirere hoc in affectu in cauſam morbificam, & quidem proximam & immediatam.

Dicimus itaque Cauſam Proximam & Immediatam eſſe ſanguinem acrem, confertim ac cum impetu in partem affectam irrumpentem, ibidemque conſiſtentem.

Cauſas Mediatas Proximiores quod attinet, varii generis humores ac vapores accuſandi veniunt. Inter quos primatum obtinet ſanguis tum quantitate, tum qualitate, tum etiam motu peccans: Quantitate peccat ſanguis, quatenus ſc. plus influit in arterias, quàm per venas refluere poteſt, unde ſanguis in vaſis ſuis ſtagnat, ea diſtendit & ſucceſſu temporis, ob continuum & impetuoſum ſanguinis affluxum, quo ipſo in motu p. n. peccat, diſrumpit, unde ſanguinis extravaſatio, quam ipſius putredo, hanc autem neceſſariò inflammatio inſequitur.

Qualitate peccat ſanguis, ſi ipſi conjungitur κακοχυμία (quod plerumq; fieri ſolet teſte Galen. *lib.*9. *M. M. cap.*11. *& lib.*20. *ad Glaucon. cap.*1. *p. m.*391. *it. Caſp. Brav. Reſolut. Medic. part.* 4. *Diſput.* 2. *Reſolut.* 2. *p.* 484.) vel biliosa, quæ apta nata eſt ad producendam ophthalmiam, dum ſc. unà cum ſanguine, mediantibus arteriis, ad oculum defertur, ibidemque vellicando ac rodendo ſuam ἐνέργειαν fortiter exerit teſt. *Sylv. part.*1. *diſput. Medic.* 6. §. 47. Vel etiam ſeroſa, quæ quoque partes modò dictas exaſperare & inflammare poteſt, de quo videſis Schenck. *diſſert. de Sero ſanguin. cap. ult.* A Vaporibus quoque hoc malum oriri poſſe quotidiana teſtatur experientia. Sunt autem nonnulli, qui hoc negant, dicentes, vapores oculos nullibi locorum ſubire poſſe, quod etiam *Felix Plater.* in ſua *prax. cap.*4. *tom.*2. *p.m.*235. aſſerit, quod tamen locum neutiquam invenire poteſt, nam ſi conſideramus ſtructuram oculorum, videmus eos ſuis gaudere poris, per quos tanquam per viam immediatam vapores aſcendere & ad dictam partem pervenire queunt. Dein ſua quoque habent vaſa, nimirum arterias, mediantibus quibus unà cum ſanguine arterioſo vapores ad oculum deferuntur, ibidemque hoc mali genus excitant; quod etiam teſtatur Schenck. *in Epiſt. ad Bartholin.* in qua ſcribit, ſpumoſum ſanguinem conciliare ejus fermentationem & aëris acceſſum. Seque in ea etiam ſemper eſſe ſententia, in arteriis plus eſſe aëris cum ſanguine conjuncti, quàm in venis.

Aggredimur nunc Cauſas Mediatas Remotiores, quæ commodè in tres poterunt diſpeſci claſſes. Rerum videlicet Naturalium, & Præternaturalium. Inter res Naturales primum obtinet locum, temperamentum juvenis noſtri ophthalmiâ laborantis ſanguineo-bilioſum, quod utrumque ad producendum hunc affectum maximè eſt proclive, illud enim ad fieri, hoc ad acerbari

valdè

valdè diſponit; illud ſanguinem quantitate, hoc qualitate peccare facit.

Secundum locum obtinet Ætas Juvenilis, unde etiam æger noſter, quippe qui Juvenis, adeoque in eo ætatis flore conſtitutus, in quo ſanguis, ob ſpirituaſcentiam & caliditatem, facile fervorem concipit, acriuſque intendi ſolet.

In rerum non naturalium claſſe agmen ducit Aër calidus, quoniam caliditate ſua excedente ſanguinem p.n. efferveſcere facit, ejuſque motum plus juſto celeriorem reddit, ut majori cum impetu ad partem affectam affluat. Spectat huc quoque anni tempus, ſiquidem hyems ſicca & aquilonia ſi fuerit, ver a. pluvioſum & auſtrale, æſtate neceſſe eſt febres acutas fieri & ophthalmias ex ſententia Hippocr. *Sect.3.aph.11.it.aph.14. Sect.3.* ſi verò aquilonius & ſine pluviis autumnus fuerit, iis quidem, qui à natura ſunt humidi & mulieribus commodus erit, reliquis verò ophthalmiæ ſiccæ.

Cibi & potus ſuum quoque ad producendum hoc malum conferunt ſymbolum; ſic cibi craſſi, viſcoſi, acres, flatulenti, it. potus calidi, impr. vinum, ophthalmiæ ſæpè ſæpius cauſæ ſunt: quod noſter Juvenis etiam teſtatur, qui cum non ſolùm carne, raphanò marinò aromatibuſque conditâ, ac cæpis delectatus fuiſſet, ſed etiam vinum ſatis generoſum ſuperbibiſſet, hoc malo correptus. Eſt autem raphanus marinus calidus & ſiccus ad tertium uſque gradum, & ſecundùm commune omnium Medicorum eloquium, oculis nocet, caputque vaporibus replet, idem etiam de cœpis ſentiendum eſt, unde etiam factum eſſe cenſeo, quòd, quoniam caput vaporibus replent, æger noſter dolore capitis primò laboravit.

Vigiliæ quoque nimiæ authores hujus mali exiſtunt, ſpiritus, unà cum ſanguine arterioſo, continuò & juſto celerius movendo, undè facilè fieri poteſt, ut ob impetuoſum ſanguinis affluxū vaſa rumpantur, & hocce malum producatur.

Animi pathemata, ſi ſc. in iis committantur, exceſſus ad ſubminiſtrandum huic malo fomitem, ſat grave obtinent pondus.

Denique Suppreſſas conſuetas evacuationes malo huic cauſam ſuppeditare, nemo ferè inficias ibit. Sic menſes ſuppreſſos ophthalmiam excitaſſe confirmat Gabelchov. *Cent.3.pag.49.*

Ex rerum præternaturalium cenſu, varii huc pertinent morbi. Sic dyſenteriam ſecutam fuiſſe ophthalmiam teſtatur Horſt. *lib.4.obſ.19.p.m.250.* A Catarrhoſis defluxionibus ophthalmiam ſæpius produci, quotidiana teſtatur experientia, cui etiam adſtipulatur *Guil.Fabric.Hildan Cent.2. obſerv.12.p.m.89.* qui diuturnam ad dentes defluxionem ophthalmiam excepiſſe, confirmat. Et Foreſt. *lib.6. obſerv.5. p. m.203.* Ophthalmiam poſt variolas relictam & mox in Pterygium degenerantem commemorat. Confer. Lipſius *tr. de Variolis it.* Lotich. *obſerv. Medic. lib.2. cap.2. obſerv.6.* Poſt frontis venam ſectam, capite non purgato, graviſſimam ophthalmiam una cum viſus & loquelæ perditione obſervavit. Guil. Fabric. Hildan. *Cent.5. obſerv.18.p.m.339.* Gallicam obſervavit ophthalmiam Joh. Steph. *decad.7. conſil.5.* it. Zacut. Luſitan. *prax. admir. obſerv.54.p.m.43.* Periodicam Galen. *lib.1. de differ. febr. c.11.p.m.134.* commemorat. Epidemicam ophthalmiam annotavit Amat. Luſitan. *Cent.4. obſerv.80.* Foreſt. *lib.9. obſerv.4.* Actuar. *l.2. MM. c.7.* Galen. *l.1. de differ. febr. c.2. p.116.* Mirabilem ophthalmiæ ex incantatione recenſet hiſtoriam Horſt. *in epiſt. medic. ſect.7. de morb. per incantat. p.m.417.* Facit huc etiam aliorum viſcerum labes & inflammatio, quæ per conſenſum ophthalmiam poſſunt inferre. Pertinent huc quoque varia capitis vulnera, ſic ex leviſſimo circa palpebram vulnere, ophthalmiam ortam commemorat. Guil.Fabric.Hildan. *Cent.2.obſ.17. p.m.398.* Contuſiones, Ictus, Caſus ab alto, quæ omnia apta nata ſunt ad producendam ophthalmiam, Neque res forinſecus oculos incidentes hic omittendæ ſunt, ut pulvis, fumus & ejuſmodi alia. A fumo enim cinnabaris antimonii ad oculos delato ophthalmiam ortam fuiſſe annotavit, Guil. Fabric. Hildan. *Centur.2. obſervat.24. pag. m.102.*

Hiſce præmiſſis ſpecialiorem nunc aggredimur ophthalmiæ conſiderationem, cujus ut & aliorū φαινομένων Rationem paucis explicabimus.

Factum, ut primò Æger dolorem capitis, non tamen continuum, ſed periodicum, mox intermittentem, mox rurſus infeſtantem, cum oculorum dolore, perciperet, quoniam vapores acres ad caput & oculos per intervalla delati, ibidem ſuam acrimoniam erodendo & continuum ſolvendo exſeruere, hancque triſtem ſenſationem induxere.

Progreſſu temporis pejus incidit in malum, majorique correptus eſt dolore: Propter variorum in diæta commiſſorum errorum continuationem, nam vino, uti aſſuetus erat, liberalius indulſit. Unde neceſſariò major ſecutus dolor, quia vinum non poteſt non ſanguini majorem conciliare efferveſcentiam biliſque acrimoniam intendere.

Et Ardore, ob nimiam ſanguinis efferveſcentiam ac incaleſcentiam, & hanc ſecutam inflammationem, dein quoque ob nimiam particularum bilioſarum, i.e. tenuium & acriorum ſulphurearum, quæ ſalinis permiſcentur, nimiam exagitationem.

Cibi faſtidium adeſt, ob materiam bilioſam in ventriculo collectam, ejuſque orificio ſuperiori inhærentem. Quapropter pejus metuens diſcrimen, Medicum accerſi curavit, qui primo intuitu oculos rubicundos, ob plethoram & copiam ſanguinis in arteriolas & venulas cum impetu influentem ibidemque conſiſtentem, unde color ille rubicundus; & tumidos, quoniam novo ſemper affluente ſanguine, vaſa turgere incipiunt, & oculi tumidi quaſi apparent: Lachrymas ſtillantes, ob ſeri in ſanguine contenti copiam & acrimoniam.

Caput valde calidum, propter nimiam ſanguinis biliſque efferveſcentiam & exagitationem.

Pulſumque plus juſto celeriorem, propter nimiam ſanguinis efferveſcentiam & rarefactionem, deprehendit.

In reliquis verò æger bene ſe habet, quoniam nulla in viſceribus notabilis labes animadvertitur.

Cum autem plerumque non ſolùm ægri, ſed & adſtantes, magno cum deſiderio morbi eventum ſcire deſiderent, Medicus ut ſemper aliquo inſtructus ſit Prognoſtico, mediante quo morbi eventum, an ſc. ſalutaris ſit, nec ne? prædicere poſſit, neceſſe eſt. Dicimus itaque, hancce

ophthalmiam, quâ Juvenis noſter conflictatur, non eſſe lethalem, ſed plus habere doloris, quàm periculi, quoniam ab externo tantum victus errore ſuam ducit originem, & præterea altiores nondum egit radices: Si enim firmiores egit radices, dolor oculorum diu perſeverat & valdè contumax, difficilioriſque eſt curationis; Sicut etiam, quando negligitur vel malè curatur, graviſſimos inducit affectus. Quod teſtatur mulier, quæ ex mala ophthalmiæ ab Empirico adhibita curatione in unius oculi ulcus incidit vid. Foreſt. *lib.*11. *obſerv.*18. *p.m.*25. imò ipſam quoque interdum inducit cœcitatem.

Pergimus, bono cum Deo, ad ipſius ophthalmiæ Curationem. Cum autem omnis curatio ſuis innitatur Indicationibus, eas, ut methodicè rem pertractemus, perluſtrabimus. Dividuntur autem Indicationes in Generales & ſpeciales. Generales ſunt, quæ quid in genere; ſpeciales verò, quæ, quid in ſpecie faciendum ſit, indicant. Generalis itaque hoc in caſu eſt indicatio, cauſas morbificas eſſe tollendas & removendas, ſpeciales verò indicationes, pro varietate cauſarum, uti notum, variant, v.g. ſi humor quantitate peccat, evacuandus, ſin verò qualitate, eſt vel alterandus, vel præcipitandus, vel ejus acrimonia corrigenda, & ſic porrò.

Hiſce præmiſſis, ipſa accedimus præſidia, quæ ex triplici præſidiorum fonte, Chirurgico nimirum, Pharmaceutico & Diætetico deſumuntur.

Fons Chirurgicus, primo in limine nobiliſſimum & generoſiſſimum remediorum genus, nimirum Venæſectionem nobis ſuppeditat, ſine qua nulla curata fuit ophthalmia, videlicet vera, (non enim negamus ſpuriam ophthalmiam poſſe curari ſolis adhibitis medicaminibus purgantibus & topicis) hanc enim omnes ferè Practici uno ore commendant, vid. Foreſt. *lib.*11. *obſ.*12. *p. m.* 20. Cauti tamen in ejus adminiſtratione ſimus, nec venam, corpore non purgato, ſecemus, niſi ægro noſtro id accidere velimus, quod illi Sartori apud *Hildan. loc. ſuper cit.* cui barbitonſor, corpore non purgato venam frontis ſecuit, quo facto in gravius incidit malum. Quapropter non adeò liberales ſimus in ſecandis venis, ſed potius ſequentes circa venæſectionis uſum obſervemus cautelas. I. Venæſectionem non eſſe adhibendam viribus non permittentibus. i. e. viribus maximoperè debilitatis.

II. Venam non eſſe ſecandam, nulla præſente venæſectionis indicatione.

III. Præſente etiamſi indicatione, venæſectionem non adhibendam eſſe, ſi ægri diſpoſitio eam non permittat. i. e. ſi non diſpoſitus ſit ad perferendam venæſectionem, ſed potius eam abhorreat.

IV. Venam non eſſe incidendam, corpore non purgato, ne nobis id, de quo ſuperius nobis ſermo fuit, accidat. Cum autem noſtro in Juvene non ſolum vires eam permittant, ſed & inſuper adſint Venæſectionis indicationes, nimirum plethora ſive ſanguinis copia, quæ ſui indicat imminutionem, omninò eſſe adhibendam venæſectionem putamus. Inſtituatur E. venæſectio, majoris revulſionis gratia in lateris oppoſiti brachio, ita cum ſit oculus dexter affectus, in latere ſiniſtro, ſin vero ſiniſter in dextro latere venæſectio inſtituenda, incidendo venam Cephalicam vel medianam, & emittendo ℥v. vel ℥vi. ſanguinis, in ſexu autem ſequiori ſi malum à menſibus ſuppreſſis oriatur, vena ſaphena in taló ſecanda eſt. Huc quoque pertinet cucurbitularum, impr. ſcarificatarum, in ſcapulis affixio, quarum uſum non improbat Grembſ. *in arbor. integr. & ruinoſ. p.m.*187. & Rhod. *Cent.*1. *obſerv.*79. has etiam hujus mali fomitem extirpaſſe teſtatur. Conveniunt etiam veſicatoria propè aures applicata, it. fonticuli in brachiis excitati, quatenus ſcil. ſerum abundans derivant & revellunt, & conſequenter extra corpus eliminant: Convenit quoque ſetaceum in capitis parte poſteriori applicatum, teſt. Euſtach. Rhud. *art. Med. lib.*1. *cap.*20.

Ex fonte Pharmaceutico nobis ſe offerunt purgantia cacochymiam, ſive cruditatem biliosam evacuantia, qualia ſunt fol. ſennæ. Rhabarbarum, Jalappa, mechoacanna, agaricus, ſyr. de cichorio c. rhabarb. roſar. ſolutiv. Magiſtral. River. & quæ ſunt id generis alia, ex quibus variæ poſſunt concinnari formulæ e. g.

♃. Fol. ſen. ſ. ſt. ʒiiß. vel ʒiij. Rhabarb. opt. ʒß. Agaric. trochiſcat. ʒj. Herb. cuſcut. fumar. euphr. an. mß. Flor. betonic. euphraſ. violar. an. pß. Paſſul. minor. ʒij. vel ʒß. Sem. fœnic. Coriandr. præp. an. ℈j. Cremor. Tartari ʒß. Inciſ. & trit. infund. per noct. in aq. ſimpl. q. ſ.

Manè leniter ebulliant Col. ♃. ℥iiiß. cui add. ſyr. de cichor. c. rhabarb. Vel roſar. ſolutiv. ʒj. vel mann. el. ʒvi. M. S. *Purgier-Tranck Morgens nüchtern auf einmal zu nehmen.*

Si autem Juvenis noſter mallet pulverem, ſequens ipſi præſcribi poſſet;

♃. Pulv. Jalapp. ℈j. Rhabarb. Cremor. Tartar. an. ℈ß. Magiſter. Jalapp. gr. 1. oc. Cancr. præp. gr. 4. Ol. fœnic. gr. 1. M. F. Pulvis. S. *Purgier Pulver auf einmal.*

Ex quo etiam additis conſerv. roſar. vel violar. ʒij. & pauco ſaccharo bolus concinnari poteſt.

Præmiſſis purgantibus & evacuantibus, doloris, tanquam urgentioris ſymptomatis, habenda eſt ratio iſque mitigandus medicamentis anodynis, e. g.

♃. Mucilag. ſem. pſyll. alth. an. ʒij. Cydon. ʒj. Aq. roſar. alb. plantag. euphraſ. an. ℥ß. tut. præp. ℈ß. M. F. Cataplaſm.

Vel ♃. Medull. pomi dulc. ſub cinerib. coct. q. ſ. malaxetur cum lacte muliebri, & linteolis incluſum oculo tepidè applicetur.

Guilh. *Rondeletius lib. 6. meth. cur. morb. cap.*4. *camphoram* adhuc addit.

Poteſt etiam fieri cataplaſma non inconveniens ex medulla panis triticei cum lactè muliebri, vel Aq. roſar. euphraſ. & liquor. album. ovi. it. cataplaſma ex flor. Chamomill. melilot. papav. errat. &c. Hæc autem ex mucilaginibus vel lacte muliebri parata anodyna, ſæpius renovanda ſunt, diutius enim aſſervata, facile acorem contrahunt.

Riverius etiam utiliter adſtringentia fronti & temporibus ſtatim à principio admoveri poſſe, dicit, utpote quibus venæ, per quas humores defluunt ad oculos, comprimuntur, humor influens repellitur; quem in finem ſequentia præſcribit cataplaſmata.

♃. Bol. armen. ſang. dracon. thur. Maſtich. an. ʒj. Roſar. rubr. balauſtior. farin. lentium an. ℈ij.

Excipiantur albumine ovi & aceto roſaceo M. F. Cataplaſma fronti & temporibus applicandum.

Vel ℞. Album ovi, agitetur c. fruſto aluminis ſatis magno in patina ſtannea, & tamdiu moveatur, donec unguenti conſiſtentiam adeptum ſit, poſt extendatur ſupra linteum & oculis tepidè applicetur. Poſt duas aut tres horas auferendum eſt remedium, ne nimium adſtringat.

Pinguedinem viperarum in ophthalmia, palpebris oculorum illitam, vel ipſis oculis inſtillatam, valde commendat Dn. D. Wedel. *in Ephemerid. Germ. ann. 2. obſerv. 125. p. m.* 207.

Emulſiones hic in uſum quoque poſſunt vocari, quatenus ſpicula Salina acrimoniamque ſeri, à quibus triſtis doloris ſenſatio provenit, obtundunt, & præcipitant, formula id eſto.

℞. Sem. 4. frig. major. an. ʒj. papav. alb. ʒiij. c. ſ. q. Aq. hord. roſar. & euphraſ. f. l. a. emulſio, cui add. CC. Philoſophic. præp. corallor. rubr. præp. an. ℈j. Sacchar. perlat. ℈iv. Aq. cinamom. ℥ß. M. S. *Kühlende Milch Abends vorm ſchlaffen gehen ein paar Læffel voll zu nehmen.*

Hiſce uſurpatis, quoniam cruditatis bilioſæ vires nondum ſufficienter ſuperatæ mihi videntur (impoſſibile enim eſt ſemel & ſimul uno propinato purgante omnem evacuare humorem peccantem) ut corpus planè à cacochymia bilioſa liberetur, ſequentes in uſum poſſunt vocari pilulæ.

℞. MP. aggregativ. aurear. extr. cholagog. Quercet. an. ℈ß. Reſin. jalapp. gr. 4. vel 5. Cum ſ. q. elix. propriet. Parac. l. ſpirit. euphraſ. fiant pilul num. 13. aſperg. pulv. fœnic. S. *Purgier-Pillen mit ein paar Læffel warmer Brühe Morgens nüchtern zu nehmen.*

Huc faciunt etiam pilulæ cholagog. Timæi, it. potiuncula evacuans ejuſdem.

Corpore ſufficienter nunc expurgato, ſpecialiorem aggredimur curationem, eaque, quæ vulgo dicuntur appropriata ſive ſpecifica, in uſum vocamus. Qualia ſunt variæ aq. ophthalmicæ, ſpiritus, tincturæ, eſſentiæ, & ejuſmodi alia ex quibus variæ poſſunt fieri formulæ e.g.

℞. Aq. ophthalmic. ex croc. metall. Querc. ℥j. S. *Augenwaſſer.*

Quæ citra dolorem & morſum guttatim oculis poteſt inſtillari.

Vel ℞. Aq. Euphraſ. roſar. alb. fœnic. an. ℥j. Spir. euphraſ. fragor. an. gr. 15. Tut. præp. ℈j. M. S. *Beſonders Augewaſſer.*

Quæ linteis excepta oculis applicetur.

Crollius & reliqui Chimici miris laudibus efferunt Sal. Saturni in aq. roſar. & euphraſ. diſſolutum vid. *Croll. Baſilic. chimic. p. m.* 47. cui etiam adhuc addunt ſal armon. gr. aliquot.

Poteſt etiam eſſ. flor. cyan. quam valdè laudat *Tim. à Guldenklee lib. 1. p. m.* 50. oculis ad guttas aliquot inſtillari. Præparationem ejus tradit *l. 1. Epiſtol. 28. p. m.* 514. Barthol. *in act. Medic. Haffnienſ. Volum. 2. p. m.* 302. ſequens unguentum ophthalmicum mirum in modum laudat, eoque mau ferè abſtergi malum ægro viſum fuiſſe refert.

℞. Ung. nihili de tutia an. ʒij. Magarit. præp. Corallor. rubr. præp. oc. cancr. præp. tut. præp. an ℈j. Camphor. gr. 6. fol. auri & argent an. n. 4. M. F. Unguent. tempore decubitus cantho oculi majoris lentis magnitudine indendum.

Spongias ſambuci per noctem in Aq. conſolid. regal. vel roſar. imbutas & deinde oculorum palpebris decenter applicatas præſentaneum eſſe remedium dicit Simon Pauli *Quadripart. Botanic. Claſſ. 2. p. m.* 141.

Fotus ex herbis euphraſ. fragar. roriſmar. &c. hic etiam locum habet. v. g.

℞. Herb. euphraſ. fœnic. fragar. betonic. roriſmarin. an. Mj. Flor. balauſt. betonic. cyan. euphraſ. roſar. alb. an. p. i ß. Coq. in ſ. q. Aq. euphraſ. & fœnic. quò foveatur oculus.

Et hæc ſunt, quæ externè oculis applicata, profutura cenſemus.

Cum autem omnis curationis pagina ſolis remediis externis abſolvi non poſſit, interna quoque, quæ acrimoniam ſalinam ſeri obtundant, ut propinentur, neceſſe eſt.

Quem in finem ſequentia adjicere nobis placuit.

℞. Seri lact. caprill. ℔ß. Aq. cichor. endiv. fumar. euphraſ. an. ℥ß. Syr. fragor. ℥iß. M. S. Mixtur *des Tages etlichmal 3. biſz 4. Læffel zu gebrauchen.*

Vel ℞. C. C. phlic. præp. Corall. rub. præp. Oc. cancr. præp. an. ℈j. Ebor. alcoliſ. Margar. præp. an. gr. 12. M. F. pulv. *Pulver auf etlichmal zu gebrauchen.*

Huc etiam facit emulſio ex ſeminibus ſupra præſcripta, quæ acrimoniam ſeri potenter obtundere valet.

Denique reſtat tum partis affectæ, nimirum oculorum, tum ipſius ventriculi, qui ob commiſſos in diætâ errores labefactatus, corroboratio.

Pro corroborandis itaque oculis ſequentia proderunt remedia. e. g.

℞. Conſerv. anthûs euphraſ. betonic. roſar. an. ℥j. Rotular. dianthoſ. pulv. rad. cichor. ſpec. diamargarit. frig. an. ℈j. Cum ſ. q. Syr. euphraſ. vel betonic. F. Electuar. MS. S. *Latwerge jedesmal einer Caſtanien groſz zu gebrauchen.*

Vel ℞. Spec. diamargarit. fr. dianth. an. ʒj. Diamoſch. dulc. ℈j. Extr. euphraſ. betonic. an. gr. 12. Sacchar. in Aq. euphraſ. roſar. fœnic. ſolut. ℥ iii ß. Aſpergant. ol. fœnic. & cortic. citr. an. gr. 2. F. l. a. Morſuli. S. *Stærckende Morſellen.*

Vel ℞. Aq. ceraſor. nigr. ℥ij. Lilior. convall. Euphraſ. fœnic. an. ℥j. Syr. euphraſ. betonic. papav. errat. an ℥ß. Spir. lilior. convall. fragor. an. ℈j. M. S. *Beſonders Waſſer Abends vorm ſchlaffen gehen ein paar Læffel voll zu trincken.*

Ultimum nunc erit, ventriculo proſpicere, nimirum cum corroborando, ejus fermentum reſtaurando, ipſumque ventriculum priſtinum in tonum reducendo, quod ſequentibus expedire conamur remediis, ut

℞. Clyſſ. mineral. ʒß. Spir. abſinth. ℈j. Maſtichin. gt. 6. M. S. Spiritus *Morgens nüchtern jedeſmal 7. 9. biſz 11. Tropffen mit 3. oder 4. Læffel warmer Brühe zu nehmen.*

Vel ℞. Elixir. proprietat. Parac. ʒj. Spir. ſalis dulc. ʒß. M. S. Elixir *alle Morgen jedeſmal 13. biſz 15. Tropffen zu nehmen.*

Poſt meridiem circa horam tertiam vel quartam ſequens pulvis ſtomachum co roborans poteſt aſſumi.

℞. Tunic. ventricul. gallin. ʒj. Spec. diatrion. ſantal. diarrh. Abb. an. ʒß. Aromatic. roſat. Corallor. rubr. an. ℈j. Margarit. præp. Nuc. Moſchat. an. ℈ß. Sacchar. roſat. tabulat. ʒvj. Ol. cinamom. gt. 2. M. F. Pulv. D. ad ſcatulam. S. *Magen-Treſinet auf etlichmal.*

Uſurpari poteſt hic pulvis vel cum pane tritíceo prius toſto & dein vino macerato, cui tantum pulveris hujus quantum duo vel tres cultri cuſpides capere poſſunt, aſpergatur, & ſic comedatur. Aut ſi placet ſequenti cum aqua poteſt proprinari. e. g.

℞. Aq. cichor. acetoſell. an. ℥iß. Meliſſ. c. vin. Cortic. aurant. an. ℥j. M. S. *Waſſer zum Pulver.*

Huc etiam pertinent conſervæ, ut acetoſ. cichor. roſar. vitriolat. &c. it. varia condita, ut rad. cichor. condit. cydon. condit. lactuca hyſpanica, ribes, berberes, Cortic. aurant. Cortic. citr. Nux Moſchat. in India condita, & quæ ſunt ejuſmodi alia, quæ, quoniam & vulgò nota, ſicco præteribimus pede.

Veſperi ante decubitum ſequens aqua ad ventriculum corroborandum cochleatim aſſumi poteſt.

℞. Aq. ſtomachal. Dorncr. ℥iß. Cydon. cichor. Zedoar. c. vin. an. ℥j. Syrup. acetoſ. citr. Granator. an. ℥ß. M. S. *Waſſer Abends beym ſchlaffen gehen ein paar Lœffel zu trincken.*

Et hæc ſunt remedia, quæ fons Pharmaceuticus nobis ſuppeditat.

Quid bona ac legitima Dieta ægris auxilii afferrat, quidvè contra illegitima & prava Diæta damni producat, ipſa teſtatur experientia, & unicuique Medicorum notum eſt. Quapropter miſſis duobus pririoribus curationis fontibus, Chirurgico videlicet & Pharmaceutico, ad ultimum Diæteticum nimirum progrediemur, videbimuſque, quid is nobis ſuadeat.

Cum autem optimè Diæta ſecundum ſex res nonnaturales inſtituatur, eam ad normam illarum ægro noſtro præſcribere placuit.

1. Fugiat igitur aërem nimis calidum, vel nimis frigidum, item nimis lucidum aut tenebricoſum.

2. A cibis calidis, acribus, bilioſis flatulentis, viſcidis, dulcibus, nimis ſale, pipere, cœpis, allio, aceto aut aliis aromatibus calidioribus conditis abſtineat, ſed è contra cibis tenuioribus, refrigerantibus, probè nutrientibus, facilioris concoctionis, &c. utatur. Pro potu ordinario cereviſiam benè coctam & probè defecatam, non adeò recentem, neque nimis lupulo conditam aut pinguem bibat, Vinum verò præſertim generoſius cane pejus fugiat.

3. Corporis exercitia non ſint diuturna nec vehementiora, ſed potiùs moderata, & tempeſtivè inſtituantur.

4. Somnum debitò tempore ineat, & lucubrationibus, quæ oculis maximè nocent, in concubiam uſque noctem non incumbat.

5. Animi pathemata ſint moderatiora, caveat ſibi à nimia iracundia & mœrore.

6. Alvus quotidie ſuo fungatur munere & officio. Et hæc ſunt, quæ Juveni noſtro profutura cenſeo. *Joh. Michaëlis in Praxi Clynicâ ſpeciali.*

In Oculorum vitio Conſultatio.

Morbi deſcriptio.

Vir annô natus 1641. à juvenilibus annis viſus debilitatem paſſus eſt; Verùm quæ à duodecimo ætatis ita diſcuti cæpit, ut à viceſimô ad quadrageſimum uſque octavum acriori etiam viſione donatus fuerit. Cùm autem ultimô hôc annô paulô diutius ſcripturis immorari, iiſque etiam noctes integras impendere coäctus fuiſſet, ipſius viſus vitiari cæpit.

Anno 1689. menſe Novembri cum oculos intenſiori obverteret lumini, aliquid obſervavit ipſis obvolitans, in puncta lineamque laxius circumcingentem, diſtinctum, indeque poſtea nubecula efformari. In ſpecie verò, ante ſex menſes, ob oculum ſiniſtrum plures lineas quaſi ſanguineas in ſpiram convolutas, obverſari deprehendebat, idque primùm præcipuè cùm loca ſolari lumini magis expoſita, aut nive cooperta, intueretur, nunc verò in quemcunque demùm colorem incidat idem ipſi apparet. Filamenta hæc, ſeu ſpirales venulæ multipliciter variant; ſi enim oculorum axim rectà in aliquod dirigat ſubjectum, maculæ præmemoratæ illius centrum non occupant, ſed lentò paſſu à ſuperioribus ad inferiora feruntur, (eæ præſertim quæ oculo obverſantur ſiniſtro) ſicque infra centrum, ad eandem diſtantiam, ſemper poſitæ remanent, etiam ad dextras & ſiniſtras permotô oculô. Macula hæc in dies continuò augeſcit, quaſi nova filamenta ei ſenſim accreſcerent; & ipſæ venulæ, ſeu ſpirales lineæ, quæ primò adnotatæ fuere, atriores ſenſim evadunt. Æger oculi iridem cæruleô colore donec tam gerit, plethoricus valde eſt, nec aliô quàm arthritide, levique ſtomachi dolore, affligitur morbô. Cùm primùm hanc ægritudinem advertit, vitris ocularibus coloris viridis uſus eſt matutinis horis, aliiſque communibus ſub veſperam. Interdum oculos aquâ Reginæ Hungariæ lavit, ſales volatiles adhibuit, imò medicamenta aliqua corroſiva, ac ſuccini fumum, quibus ne hilum quidem profecit. Exquiritur jam à Clariſſimô Dominô Drelincurtiô, Medicinæ in Leydenſi Univerſitate Profeſſore Celeberrimô, qualis in ſpecie ſit hic morbus? An ad cataractam accedat? Quæ remedia, & qualis diæta in ipſô oppugnandô ſint adhibenda?

In Caſu propoſito Reſponſum.

Ut accuratè explicari queant phænomena in caſu propoſitô deſcripta, neceſſarium foret plura Optices ac Anatomiæ principia huc adferre, quibus ſanè multorum defatigaretur patientia. Ea itaque ad maximè eſſentialia reducam, ac quatuor ſtatuam, à paucis nota, ſed quæ ſæpius publicè demonſtravi.

Primum eſt quòd Ciliaris tunica, non, ut creditum eſt, membranaceum revera ſit corpus, at potius mirabilis textura minutorum muſculorum, qui omnes à limbô orbiculari corneæ opacæ enaſcuntur, & qui radiatim inde prolongati in alium minorem circulum terminantur, nec ulteriùs, procedunt. Per illos muſculos efformatur pars illa oculi quæ Iris dicitur, perque vacuum quod in ſui medio relinquunt, ſeu potiùs per minorem illum circulum in quem implantantur, cujuſque circumferentiam non tranſgrediuntur, faciunt partem illam quæ pupilla vocatur.

Secundò adnotandum venit, quòd omnes illi muſculi elongentur, aut abbrevientur, prout lumen fuerit vel intenſius vel remiſſius, ac prout objecta magis aut minùs à nobis remota conſpiciuntur.

Tertiò attendendum eſt, quòd illi omnes muſculares

ſculares radii, qui à majori circulô in minorem progrediuntur, velut ad ſuum modiolum, enutriantur per parvulas arterias à ramô anteriori carotidis internæ aſſurgentes, quæ nervum opticum concomitantur.

Tandem meminiſſe oportet, quòd ſpiritus animales quibus prædictorum muſculorum agitantur fibrillæ, à tunicâ procedant reticulari, in quam diffunduntur innumeri prædicti carotidis ocularis ramuſculi; quod ſæpiſſimè demonſtravi incredulis quibuſdam Doctoribus qui impoſſibilem opinabantur, vel unius tantùm arteriæ, in oculi globô demonſtrationem.

Hiſce poſitis facillimum fuerit probare, quòd cùm D.N. debiliorem habuerit viſum ad annum uſque ætatis duodecimum, cumque illi non minùs vim fecerit per ſcripturas nocturnas, ita perturbatus ſit ordo prædictorum muſculorum iridis, ut à ſe invicem dimoti fuerint. Per illam autem ab invicem amotionem, aut per ſpatia ſic inter illos interjecta, effuſæ ſunt per modum roris plures humorum guttulæ, unde puncta enata ſunt primò obſervata. A motu verò eorundem iridis muſculorum pendet hoc phænomenon, quòd ſcilicet macula oculi motum ſubſequatur, in eâdem ſemper centri diſtantiâ.

Si de aliis omnibus rationem dare intenderem, longior ſanè forem. Præſtiterit itaque explicare quid demùm in malo tam gravi, locoque remediis propè inacceſſo poſitô, agendum veniat. Aſſero enim topica omnia prorſus inutilia futura propter corneæ diaphanæ craſſitiem impenetrabilem, quæ tanquam cryſtallina lamina iridis muſculis apponitur: Unde conſequens eſt remedia externa hic non magis profutura, quàm ſi pro delendâ maculâ quæ in mercuriô ſpeculo affixô reperiretur, deterſivum quid extus laminæ ejuſdem applicaretur.

Hæ ideæ me in ſolâ concludunt diætâ, inque remediis quibuſdam internis ſelectioribus, quorum opera arteriis ocularibus ſufficiam ſpiritus, diſpellendis illis omnibus corpuſculis intra iridis muſculos effuſis aptos, unde quilibet muſculus ad vicinum ſuum proximiùs accedet, & in ſpiras non curvabitur à globulis ipſi ſuppoſitis.

Primò, cane pejus & angue devitandum eſt omne lumen vividius, ſive à ſole procedat, ſive à facibus.

Secundò, fugere oportet frigoris omnem ſuſceptionem tum in pedes, tum in caput, ſive demùm per pluviam, per aërem nocturnum, cumque vaporoſum, adveniat.

Tertiò, caveat D.Pat. à viſcoſioribus alimentis, ſive è piſcibus, ſive è quadrupedibus petitis, vitet propterea porcos lactentes, pedes ſuillos, legumina, &c.

Quartò, ſub veſperam, aut de nocte, nec legat, nec ſcribat.

Quintò, prandium ſumat largius, cænam verò parciorem.

Sextò, nunquam dormiat immediatè poſt paſtum, videatque ne cubet vel ſuper dorsô, vel capite nimiùm humili.

Septimò, alvum ſemper habeat liberam, idque vel per alimentum aptum, vel per clyſteres, ac præcipuè per pilulas cephalicas in ipſa lunæ decreſcentia ſumptas. Horum omnium delectum Medicis ordinariis relinquo.

Præterea oportet ut tum in paſtu, tum extra ipſum, utatur cereviſiâ medicatâ, cum chelidoniô majori, hederâ terreſtri, euphraſiâ, majoranâ, betonicâ meliſsâ, &c. Vino itidem medicatô cum iride Florentina, foliis lavendulæ & ſalviæ, ſeminibus rutæ & fœniculi, caryophyllis aromaticis, &c. Addendo per intervalla hauſtulo hujus cereviſiæ, aut vini, guttulas aliquot ſpiritus cochleariæ, aut ſalis volatilis ſuccini parum.

Poſt paſtum varianda ſunt bellaria; aliquando adhibendus venit cortex, aurantiorum, vel citriorum conditus, iſque vel ſiccus, vel propriô ſyrupô immerſus; aliquando verò aſſumet nuces moſchatas in Indiis conditas, aut nuces juglandes conditas, addita etiam ambrâ, & moſchô.

Matutinô tempore ſaliva eſt elicienda per ſemihoram, maſticando baccas lauri, vel ſalviæ folia. Poſtea aſſumat conſervam è floribus lilii convallium, caryophyllis hortenſibus ac roremarinô. Interdiu geſtet in perâ tabellas è confectione alkermes, multâ ambrâ, ac moſchô perfuſas; iiſque ſubinde utatur.

Si verò malum in autumnum uſque perſtiterit, neceſſariò deveniendum erit ad cauterium, commiſſuræ ſuturarum ſagittalis & coronalis inurendum; ungendo præterea bis de die, mane ſcilicet & veſperi, nucham cum balſamô confectô ex eſſentia roriſmarini, oleô ceræ, ac rutæ, & caſtoreô. Bibendo per id tempus hydromeli vinoſum multâ iride Florentinâ, caryophyllis aromaticis, & roremarinô alteratum.

Si autem à præſcriptâ diætâ aliquatenus abhorreat Æger, quod ei nimiùm calida videatur; ſciat oportet ægritudinem quam curandam ſuſcipimus aliâ ratione nunquam iri oppugnatum.

Oculiſtam quòd attinet, eô hic non opus eſt, quia nulla adhucdum cataracta efformata eſt. Verùm ſi negligatur morbus, ſenſim illa enaſcetur ex omnibus corpuſculis deſcriptis, quæ facili negotiô in maſſam opacam obdureſcent, quæ tum omnibus remediis erit impervia, &c. Datum Leydæ Maii 22. Ann. 1690. *Ex traductione Conſilii Gallici à Clariſſimô atque Ampliſſimô Viro D. Carolô Drelincurtio Lugduni Batavorum Profeſſore Medicô Celeberrimo, & Univerſitatis Decanô, amiciſſimè communicati.*

Obſervationes.

Pro Oculorum rubore & dolore.

Quidam in hoc caſu maximopere commendant aquam ſimplicem in qua vitriolum album & ſaccharum candum diſſoluta ſunt, ego verò plurimùm prodeſſe comperi eam aquam quæ à nive *Martii* diſſoluta in vaſe vitreo provenit. nam hæc etiam abſque alia ulla re adhibita in affluxu calido loco collyrii eſt: ad rubedinem autem peculiariter commendatur aqua fragorum, illis prius in eo vaſe in quo deſtillantur putrefactis in fimo: aqua etiam è tormentilla deſtillata rubores tollit, & initio fluxionum prodeſt; laudatur & hoc collyrium.

♃. Aq. fœnic. euphraſ. roſ. an. ℔ß. ſacch. candi, ℥i. vitriol. alb. ℈ß. M. & per filtrum aliquoties transfundatur; dolor iſto modo ſedabitur; noctu totus oculus inungatur iſto unguento, cujus mirificam efficaciam expertus & pro ſecreto habui.

℞. Butyrum ſi haberi poteſt, menſe *Maio* factum, aut aliud recentiſſimum diligenter elotum, vel loco illius medullam bovinam è cruribus, vel cervinam; atque huic admiſce lapid. calamin. in tenuiſſimum pulverem triti quantum accipere poterit, atque ut dixi hora decubitus applicetur; repeti autem poteſt aliquoties noctu iſta inunctio, ſi præſerim dolor vehementer urgeat; manè abluitur aq. roſ. & fœnic. in qua particula pomi dulcis ſit decocta. *Jo. Crato conſil. 5. lib. 5.*

Aurifaber quidam fluxum lachrymarum ex oculo ſiniſtro diu perſerverantem cum rubore, tumore & obſcuritate illius oculi, patiebatur; aliquando hęc ceſſabant, mox iterum revertebantur, eratque antiquus & confirmatus affectus: tandem acceſſitus, ordinavi pilulas ſequentes.

℞. Pil. aurear. coch. an. ʒß. cum aq. fœnic. F. pilulæ: dejecit admodum, atque eo ipſo die lachrymæ ceſſarunt, & oculum aperire potuit: veſicatorium dein nuchæ applicui: emplaſtrum pro ruptura ad arcendam defluxionem utrinque temporibus quadrantis thaleri magnitudine admovi: ad cohibendam item defluxionem ſequens ordinavi collyrium.

℞. Cortic. granat. contul. ℥j. bol. arm. pinguis, ʒii. coq. in aq. plantag. & peculi roſar an. part. æq. in colat. ℥iv. diſſolv. lap. hæmatit ʒii. diu agitando ut penitus diſſolvatur adde vitrioli albi ℈i. camphor. ℈ß. M. diligenter ut fiat collyrium: in quo parvam ſpongiolam madefaciat & exprimat, atque oculo clauſo applicet, ſæpe repetendo: cum aliquoties uſus eſſet, ut melius operaretur addidi.

℞. Aq. plantag. ſolan. an. ℥iii. tutiæ ʒii. mucilagin. ſem. pſyll. fact. cum aq. roſar M. cum priori collyrio, & utatur, & ſanatus eſt. *Felix Platerus obſ. lib. 2. pag. 377.*

Fomentum iſtud meum ophthalmicum (quoties cum ſuceſſu uſus ſum) tepide applicari juſſi.

℞. Sem. fænugræc. conquaſſ. ʒiß. ſem. euphraſ. aniſ. fœnic. an. ℈ii. fl. euphraſ beton meliloti chamæm. an. p. iß. tutiæ præp. ſarcocoll. nutrit. ſief. alb. an. ʒi. incid. & conquaſſ. omnia & coq. in lact. vaccin. rec. q. ſ. & ſacculis includantur pro fotu. *Jo Petrus Lotichius. obſ. 7. cap. 2. lib. 2.*

Jo. Heurnius oculorum rubedinem dolorificam miraculi inſtar hoc ſecreto remedio curavit.

℞. Phlegma aluminis, applica. extillatur in balneo, in notis annexis cap. 5. lib. 5. patholog. *Jo. Fernelii.*

Pro Oculi macula cum catarrho & metu ſuffuſionis.

Pro conſervatione oculi, velim utatur hoc collyrio abſtergente.

℞. Aq. roſar. ℔iv. ſem. fænugræc. ℥i. rad. alth. numero 6. bulliant ad conſumptionem tertiæ partis, fiat fortis expreſſio, colaturæ adde aloes opt. pulverizatæ & ſacch. candi roſati, an. ʒii. bulliat iterum cum his ad ignem clarum ad conſiſtentiam mellis: deinde ſervetur ad uſum in vaſe vitreo bene obturato, uſu iſtius collyrii corroboratur oculus & mundificatur, & abſterguntur humores, hoc mihi habeo familiare, quod ſemper fœliciter ſuccedere expertus ſum. *Jo. Baptiſta Montanus. conſil. 145.*

Aqua mellis oculorum maculas certiſſimè delet ſi penicillo illas tangamus; ſed oculorum dolor, ſi quis ſit, primò mulcendus; eſt enim dolorifica quod notandum. *Petrus Pachequus, obſerv. 43.*

Quædam mulier infimæ ſortis maculam habebat in oculo: cui conſilium dedi, ut bis in die ſucci rutæ guttam unicam in oculum inſtillaret, quod cum ſatis diu continuaſſet, macula prorſus abſumpta eſt. *Samuel Fermius. obſ. 28.*

Pro Ophthalmia bilioſa.

Præmiſſo lenitivo, ad humores acres & mordaces contemperandos ſyrupos incraſſantes & infrigidantes hoc modo propinavi.

℞. Aq. ſolan. plantag. cichor. an. ℥ii. ſyr. de roſ. rub. ſicc. de nymphæa & papav. an. ℥i. M. F. julepus pro duabus doſibus. Poſtea etiam purgavi cum infuſo rheo, adjecto ſyr. viol. oculis verò candidum ovi liquorem inſtar aquæ concuſſum infundebam, hoc enim modo acris fluxio ſine offenſa eluitur juxta Gal. 13. meth. & cum dolor urgeret, accipiebam. aq. albuminis ovi ℥ij. lactis muliebr. ℥iij. ſucci plantag. ℥i. M. panni lintei dupplicati in eo infuſo oculis imponebantur, interea & collyrii alb. rhaſis ʒß. modo cum lacte muliebri ſoluti, modo cum aq. roſac. oculis inſtillabam. Fovebam etiam oculos cum decocto fol. malv. viol. & ſem. fænugræc. Medicamento illo ex ovi liquore, quo nos uſi ſumus, veteres magna conſideratione utebantur, cum minime mordens ſit & glutinoſus, & propterea, lenit aſperitates omnes quaſcunque acris fluxio excitat; deinde cum craſſus ſit & lentus humor conſtantius quam tenuis & aquoſus in loco permanet; cumque abſque roſione ſit, ſi modicè incaleſcat, dolorem maximè lenit. *Petrus Foreſtus. obſ. 2. & ſchol. lib. 11. De Morbis Oculorum, &c.*

Mulier quædam de oculi dolore ingenti cum rubore conquerebatur, & palpebræ non ſolùm inflatæ, ſed inflammatæ, ac rubedine affectæ conſpiciebantur, optimo victus ordine inſtituto, poſt ventris lenitionem, huic vena cephalica in brachio è directo oculi affecti ſecta fuit: poſtea etiam cucurbitulæ cum ſcarificatione in parte colli qua jungitur cranio, appoſitæ fuere: etiam ſanguiſugæ poſt aures applicatæ, & medulla panis, ſimul & pomorum dulcium, cum lacte muliebri & aqua roſar. macerata oculo impoſita ſunt: atque ovi albumen concuſſum cum collyrio alb. Rhaſis quod opium recipiebat, inſtillatum, pilulas quoque lucis devoravit, & à dolore liberata eſt. Alteram quoque, cum acerbè ab ophtalmia conflictaretur, pomum coctum cum aqua roſarum & lacte muliebri mixtum cum oculo continuo appoſuiſſemus; deinde collyrium Rhaſis album cum aqua roſ. ſolutum inſtillaſſemus, tandem ab omni dolore liberavimus. *Idem obſ. 5. lib. 11.*

Cum tribus integris menſibus, nempe Octobri, Novembri & Decembri, conſtitutio auſtrina permanſiſſet, multæ inflammationes oculorum cum rubedine, & ophthalmiæ non veræ populariter graſſatæ ſunt. Omnibus ferè purgationes profuere; poſtea & cucurbitulæ ſcapulis oppoſitæ cum ſcarificatione, quibuſdam verò propter pruritum & acres humores purgationibus

tum cucurbitulis præcedentibus, collyria ex aqua albuminis ovorum cum aqua roſac. egregiè contulerunt. Sed hoc collyrium ſequens præ aliis omnibus valdè commodum fuit.

℞. Ceruſſ. lotæ ℥i. amyli ʒvi gummi tragac. ſarcocoll. tut. præp. an. ℥ß. camphor. opii, an. ʒi. aq. roſar. q. ſ. F. maſſa uſui ſervanda, atque hujus portio exigua diſſolvebatur cum aqua roſ. ubi uſus poſtulabat, & collyii inſtar pluma in oculum affectum ſtillabatur, præcedentibus tamen purgationibus. Infiniti hoc ſolo remedio convaluere. *Petrus Foreſtus. obſ. 4. lib. 11.*

Pro Ophthalmia.

Ad fluxiones oculorum valet maximè crocus metallorum in hunc modum.

℞. Croci metall. ʒi. aq. euphraſ. ℥iv. crocus tenuiſſimè pulverizetur ut fiat pulvis impalpabilis, & miſce cum prædicta aqua. Deinde corpore ſupino exiſtente quater in die inſtillentur intra oculos quatuor guttæ tepidè. *Rodericus à Fonſeca. tomo. 1. conſult. 1.*

℞. Aq. roſ. ℥vi. aloes lotæ, tutiæ præp. an. ʒi. M. F. collyrium, cum linteolo vel ſpongia foveantur oculi. *Rodericus à Fonſeca. tomo 2. conſult. 55.*

℞. Aq. roſ. plantag. an ℥ii. troch. alb. Rhaſis ſine opio ʒiß. tutiæ præp. ℈ii. ſarcocoll. nutrit. ℈i. M. F. collyrium. Si dolor ſimul urgeat, addatur præſcripto collyrio emulſio ſem. papav. & mucago pſyllii, & ſi adhuc non cedat dolor, Rhaſis collyrium cum opio uſurpandum. *Io. Zecchius. conſ. 69.*

Multis fruſtra tentatis remediis in patre meo ophthalmia detento, ſequenti applicatione curatus fuit.

℞. Album ovi, & cum aluminis fruſtro tamdiu agitetur, donec pultis conſiſtentiam acquirat. Poſtea linteo ſubtili involvatur, & oculo clauſo palpebræ imponatur ſæpe renovando. *Petrus Borellus. obſ. 31. cent. 1.*

Ruſticus quidam ophthalmia inveterata laborans, ex medici præſcripto, victu refrigerante & aquæ potu longo tempore uſus fuerat, ſine ullo levamine, tandem ab alio ruſtico perſuaſus fuit, ut victum illum refrigerantem deſereret, & meri potui indulgeret. Poſt aſſumptum primum meri cyathum, ſe oculis melius habere ſenſit, & intra paucos dies eodem potu continuato ab Ophthalmia prorſus liberatus eſt. Idem aliis duobus contigiſſe mihi relatum eſt; quod confirmat aphor. Hippoc. dolores oculorum interdum meri potione curari: quando ſcilicet ophthalmia fit à ſanguine craſſo & pituitoſo oculorum tunicis impacto, qui meri uſu liquatur; attenuatur & reſolvitur. *Lazarus Riverius. obſ. 25. cent. 3.*

Quidam laborabat à longo tempore inflammatione, quæ tum adnatam, tum utramque palpebram occupabat; affectus non erat continuus, ſed recurrens, poſt varia uſurpata fruſtra remedia, tandem præſcripſi duo cauteria inter duas ſcapulas geſtanda, nec non cucurbitulam utramque amplectentem applicandam, urgente nimirum fluxione, quod cum præſtitiſſet, ſani omnino illius oculi evaſere, non parum ad curationem contulit unguentum ſequens, quo in initio uſus fuit, purgato prius corpore, ſectaque vena.

℞. Virid. æris gr. xii camphor & lapid. calamin. an. ʒß. tutiæ præp. ℥ß. butyr. rec. aq. roſ. lot. ℥ii. M. F. unguentum. *Jo Marſinus. obſ. 7.*

Oculorum inflammationem & exinde exortos dolores nullo alio remediorum genere ſedare nuper potuit collega nuper noſter inter primos æſtimandus, quam nivis globulo, quem in horto obambulans applicuit, irruentem enim ad corneam tunicam cruorem frigore ſuo nix repellit, & eodem dolorem mitigat. *Thomas Bartholinus. cap. 23. De Nivis uſu.*

Puella quædam poſt Variolas ophthalmia ex utroque oculo adeò laborabat, ut de viſu periclitaretur. Multa ipſi, ſed fruſtra, præſcripta fuerunt remedia. Ego tandem cum Clariſſimo D. Manlio Medicæ facultatis in Academia Colonienſi Profeſſore primario, ad conſilium vocati, ſetaceum ipſi conſuluimus, & applicavimus, cujus beneficio, & Divino favore, brevi curata fuit. Guil. *Fabritius Hildanus. obſ. 41. exempl. 2. cent. 1.*

Legantur etiam duo inſequentia exempla; ubi in oculorum Affectibus ulterius oſtenditur ſetacei præſtantia & ſumma utilitas.

Aqua aluminis deſtillata in alembico ſupra cineres, & oculo cum linteis ea madidis admota, inflammationem efficaciter temperat. Crollius & reliqui chymici miris laudibus efferunt ſal ſaturni in aqua roſ. diſſolutum, cui etiam ſalis ammoniaci grana aliquot addunt, hujus formula talis eſſe poterit.

℞. Salis ſaturni gr. xij. Sal. ammoniac. gr. iij. aq. roſ. ℥iii. M. inſtillentur in oculum mane & ſerò, in vulgari uſu habetur aqua ex vitriolo albo, in hunc modum.

℞. Vitriol. alb. ℈i, aq. roſ. vel plantag. ℥iv. vitriolum pulveratum in aqua ad ignem diſſolvatur, coletur aqua per linteum, & in oculos inſtilletur, ſi acrimonia ſua nimium eos vellicet, additione aq. roſ. vel plantag. ad libitum temperabitur, ſequens minoris acrimoniæ particeps eſt, & magis reſolvit.

℞. Rad. ireos fl. & roſ. rubr. an. ℈i. aq. roſ. & plantag. an. ℥iii. bulliant lento igne ad tertias, colaturæ adde vitrioli albi pulv. gr. 8. F. collyrium.

Præſtantiſſimum etiam & paucis notum ad diſcutiendas ophthalmias remedium paratur ex oleo, ſeu liquore, qui ex linteis accenſis, & inter duas patinas ſuffocatis elicitur; cujus liquoris gutta una cum ſaliva pueri permiſcetur, & pennæ apice oculis admovetur.

Aqua fœnic. ſola cum vino aſtringente permiſta utiliter admovetur pro fotu ad ruboris & inflammationis reliquias diſcutiendas & oculum roborandum, ovum etiam ad duritiem coctum, detracta teſta, & per medium ſectum, calidè oculo admotum ruboris reliquias abſumit, fotus ex decocto hyſſopi ſoli ruboris reliquias etiam efficaciter diſcutit. Ad ophthalmias inveteratas aqua ſequens magnæ eſt efficaciæ.

℞. Aloës opt. & tutiæ præp. an. ʒvi. ſacch. albiſſ. ℥i. aq. roſ. & vini albi non acidi. an. ℥vi. infund. in ampulla vitrea benè clauſa ad ſolem per quadraginta dies, hujus aquæ non colatæ inſtillentur guttæ aliquot in oculum.

Veſicatoria quoque in hoc affectu utiliſſima ſunt, tum poſteriori parti cervicis, tum ponè aures admota, ſed ante omnia ſtatim ab initio vena

vena ſecanda eſt, præmiſſo clyſtere, eaque è directo partis affectæ aperienda, ſæpeque iteranda phlebotomia, donec ſufficiens evacuatio & revulſio facta fuerit : docetque Avicenna in vera ophthalmia ſanguinem mittendum eſſe uſque ad leipothymiam Gal. vero lib. De curat. per ſang. miſſionem, refert hiſtoriam cujuſdam œconomi, qui à graviſſima ophthalmia liberatus eſt ſanguine detracto, primùm ad ℔iii, deinde verò poſt quatuor horas ad ℔i. moderanda tamen eſt iſta ſanguinis miſſio, juxta temperamenti, ætatis, ſexus, virium, & ſpeciei ophthalmiæ rationem. *Lazarus Riverius. prax. medic.. lib. 2. cap. 8.*

Vetula quædam in Italia oculos habens lippientes, lachrymantes & ſanioſos cum intenſo dolore & prurigine, cum nullis remediis poſſet curari, tandem raſo capiti emplaſtrum veſicatorium impoſitum eſt, quo præſidio perfectè curata fuit; ut ex arcanis Gisberſti Horſtii præceptoris mei Romæ exaravi, ſi per venas extra calvariam deſcendat fluxio in oculos, poſt univerſalia remedia, cauterium aliqui in temporibus vel poſt aures applicant, remedia reſtringentia & emplaſtra adſtringentia ſupra tempora & frontem apponunt, prius tamen corpore & capite repurgatis. *Petrus Foreſtus. ſchol. obſerv. 12. lib. 11.*

Ex diuturna defluxione ad dentes, Ophthalmia & viſus alterius oculi abolitio.

Honeſta quædam ac pia matrona Colonienſis, diuturnâ defluxione ad poſteriorem dentem molarem ſiniſtræ maxillæ, cum ejuſdem eroſione, & carie, vexabatur. Medicorum conſilio pilulis aureis, Lucis, & Cochiis frequenter purgata fuit, cucurbitularum quin etiam applicatione in ſcapulis, aliquoties uſa. Sed cum dentis extractionem recuſaret, cumq; caries, tum dolor continuus defluxionem magis magiſque ad gingivas irritaret, & attraheret, tandem ejuſdem lateris ophthalmia exorta eſt. Hinc cataracta & cæcitas inſequutæ : forſan, quia ratione inflammationis ſpiritus partim diſſipati, partim uſu medicamentorum refrigerantium, unà cum humoribus condenſati ſfuerunt. *Gulielm. Fabricius Hildan. Obſerv. Cent. 1.*

Qua ratione, arena, feſtuca, ſegmenta aliaq; ſimilia ex oculis extrahenda.

Adnatam membranam à Pericranio, corneam verò à dura matre, membranis exquiſitiſſimo ſenſu præditis, procreari, omnes norunt Anatomici. Hinc fit, ut oculi adeo exquiſitè ſentiant, & ab arenis feſtucisque facilè lædantur. Vidi nonnullos, qui ex hujuſmodi cauſa leviſſima viſum amiſerunt: Dolor enim, qui ex inflato oculis pulvere excitatur, ſtatim humores ex capite ad oculos attrahit, inde ſymptomata non levia excitantur. Promptè igitur, & ſummo ſtudio, quicquid eis inhæret, extrahendum.

Suadent nonnulli, ut violenta narium emunctio, aut etiam ſternutatio excitetur : putant enim hujus beneficio naturam ſimul, quicquid extraneum oculis inhæret, expellere. Id verò vix abſque periculo fieri poſſe, colligitur ex primæ Centuriæ Obſerv. 24. Violentus enim ille motus, & concuſſio cerebri, quæ fit ſternutando, materiam excrementitiam, tam ad oculos, quam nares protrudit, & excutit. Sine periculo autem & parvo negotio, arenam, & pulverem ex oculis (uti ego non raro expertus ſum) expurgant oculi cancrorum fluviatilium, ſive lapilli, qui in capitibus cancrorum inveniuntur. Siniſtrâ itaque manu elevanda eſt palpebra, dextrâ verò circumſpectè & blandè unus ex lapillis imponendus eſt, mox oculus claudendus, & quocunque modo fieri poterit, excitandus eſt ſomnus. Si verò æger in peregrinatione fuerit, oculum ſtrophiolo obvelando colliget, ſic enim lapillus non excidet oculo, niſi prius ipſo expurgato. Idque abſque dolore & incommodo fieri, affirmare auſus ſum.

Alii granum unum ſeminis Ormini ſativi oculis non ſine fructu imponunt. Quandoquidem ſemen hoc oculis & viſui maximè prodeſſe, oculoſque à ſegmentis & pulvere expurgare, experientia comprobatum eſt.

Si verò ſegmentum ligneum aut ſimile quid membranis infixum eſt, ut mihi aliquoties videre contigit, tum aliter eſt procedendum. Inprimis igitur diligenter proſpiciendum, ubinam inhæreat, deinde jubeat Chirurgus, ut caput ægroti firmiter teneatur. Ponamus igitur caſum, quòd ſegmentum in inferiori parte Iridis inhæreat, tunc Chirurgus ſequens inſtrumentum, auriſcalpri inſtar factum, ſupra ſegmentum ſatis firmiter, ſecundum longitudinem adnatæ membranæ apponat, ita tamen, ut acies concavæ partis inſtrumenti membranam verſus inſpiciat.

Deinde jubeat, ut æger ſurſum reſpiciat, ſic oculum fricando, ſegmentum ſub inſtrumento extrahitur. Quòd ſi id prima vel ſecunda vice non ſucceſſerit, non tamen ab opere deſiſtendum eſt, imò tandiu reiterandum, donec extractum ſit. Sin profundius membranis infixum fuerit, volſellis blandè extrahendum, poſtea reſidentia albuminis ovi diu agitati, cum aqua roſac. & plantag. parumque aluminis crudi, oculo inſtillanda, pulvillus quoque eadem aqua madefactus, applicandus, & cum faſcia firmiter colligandus eſt oculus, tum ut medicamenta contineantur, tum etiam, ut oculus minùs moveatur. Dum enim oculus apertus eſt, ſemper movetur, at motus maximè contrarius eſt laborantibus partibus, imprimis oculis. *Idem ibidem.*

De Ophthalmia à fungo inducta.

Anno 1680. die primo Auguſti puer duodecim annorum, corpore ſanus, inter ludendum, fumum ex orbiculari vel crepitu lupi (qui belgico idiomate dicitur *een boevyſt*) ab alio puero emiſſum oculis ſuis excepit, unde ſpatio duarum horarum vix elapſo palpebræ adeo intumeſcebant, ut oculos aperire nequirent; oculi toti rubebant non aliter, ac ſi panno rubicundo fuiſſent cooperti, & talis quoque apparebat interior palpebrarum ſuperficies, ac dolor intenſus aderat. Patiens per biduum remedia neglexit, ac interea prædicta ſymptomata increſcebant, & præterea continuus erat lachrymarum acrium effluxus.

Res miranda ſane, quam nuſquam me legiſſe memini; ſed quo pacto fumus, ille horrenda adeo phænomena potuit excitare? Orbicularis ſcilicet exiguo tantum foramine perforatus à

manu pueri undique comprimebatur extrinſecus, atque ita particulas volatiliores & minus cohærentes intus foras urgebat, quæ omnes ſimul exire non valentes aliæ alias propellebant, atque ita multo celerius agebantur; non aliter ac videmus aquam ex ſyringe celerrime proſilire, quando piſtillum non niſi leviter ac tarde tantum adigitur, aut ſicut cernimus, latera follis molliter tantum comprimi, dum aër interea ex tubo illius non ſine impetu propellitur.

Sed ſi forſan aliquis hic interroget, qualeſnam ſint illæ particulæ, illi reſpondeo, ipſas eſſe acido-corroſivas ac utrinque acriter ſcindentes, nam tales particulas acidas orbiculari ineſſe, colligere licet ex illius uſu in ſiſtendo ſanguine, quandoquidem, cum fruſtum orbicularis imponitur vaſi ſanguifero vulnerato, ſanguis ſiſtitur partim ob particulas ramoſas ac ſibi invicem implicitas vas apertum obturantes, partim ob particulas acidas orbicularis, quæ ſanguinem coagulant, haud ſecus ac lac coagulatur ab acido infuſo.

Hæ igitur particulæ acidæ magna vi ex orbiculari expreſſæ profundè penetrarunt in poros oculorum & ſuperficiei interioris palpebrarum, & ſic lateribus ſuis ſcindentibus vehementiori motu agitabant fibrillas nervorum ibidem diſperſorum, unde doloris ſentiendi occaſio menti dabatur, cui dolori etiam ſuum contribuebat diſtenſio, quæ oriebatur ex eo, quod vapores ſoliti per poros à particulis orbicularis obſtructos exire non poſſent, ac proindè intra tubulos membranarum colligebantur ſub forma humoris, qui brevi temporis ſpatio aceſcebat à particulis acidis orbicularis tanquam à fermento, ſicut videmus fermentum acidum in parva quantitate ſumptum totam maſſam farinaceam in ſuam naturam vertere.

Hæ igitur particulæ acidæ utraque laterum ſuorum acie validius impellentes fibrillas nervorum, ciebant in illas partes copioſiorem ſolito ſpirituum animalium influxum, unde fiebant ibidem leves quædam contractiones, quæ tamen ſufficiebant, ut impedirent aliquatenus circulationem ſanguinis & humorum per tubulos illarum partium circulantium, nam adjuvabantur in hoc negotio à vaporibus intra tubulos illarum partium in aquam converſis.

Sanguis in vaſis capillaribus contentus & humores in tubulis, dum ita ſtagnabant, etiam aceſcebant modo prædicto & coagulabantur, unde adhuc magis inepti reddebantur ad circulandum, atque hinc jam ſatis manifeſtum evadit, unde ortum traxerit rubor oculorum & palpebrarum, harumque intumeſcentia.

Sed unde continuus ille lachrymarum acrium effluxus? res ex prædictis facilè deducitur; ſcilicet particulæ quædam acidæ orbicularis intrarunt poros glandularum & vaſorum lachrymalium, ibidemque leves quaſdam convulſiones irritatione ſua excitando, lachrymas continuo expellebant; ſed unde ſolito acriores ſentiebantur; nullus ferè mortalium eſt, qui, ipſo guſtu indice, neſciat lachrymas eſſe ſalſas, quapropter illæ in tranſitu efferveſcentiam quandam ſubitaneam inibant cum particulis acidis ibi hærentibus.

His attento animo pauliſper penſitatis mirari deſino, quod fumus ille tantorum malorum cauſa extiterit, ſimulq; jam nō difficilis videtur medela.

Scio namque, quod lac fervens, ab acido coagulatum, iterum ſolvatur intra horæ ſpatium, ſi digeratur cum ſale aliquo idoneo; ſcio etiam quod acetum dulceſcat ab injectis oculis cancri, ut & à lithargyrio infuſo; novi etiam efferveſcentiam, quæ concitatur ex concurſu olei tartari ſalſi cum oleo acido vitrioli.

Atque ex his concludo, ſanguinem ab acido coagulatum iterum fluidum reddi & acidum temperari poſſe ab oculis cancrorum, lithargyrio & multis aliis medicamentis multum ſalis continentibus, qualem exhibet vitriolum album, gummi ammoniacum, ſagapenum, galbanum &c.

Ego igitur tertio læſionis die ad puerum vocatus inſtillavi calide in oculos guttas aliquot alicujus collyrii, quod ex vitriolo albo, aliiſque cum aquis convenientibus mixtis componitur, & ſuper oculum applicui emplaſtrum ex gummi ammoniaco, galbano, ſagapeno, lithargyrio &c. conflatum & ſuper linteum extenſum. Hæc ego quotidie bis iteravi, & puerum in loco tenebroſo retineri juſſi, atque ita æger intra duas ſeptimanas priſtinam ſanitatem in totum recuperavit. *Joh. Muyſ. in Prax. Chirurg. rationali.*

Oculi procidentia.

Malè vocant nonnulli quamlibet oculi procidentiam, ſive πρόπτωσιν, ſive ϛαφύλωμα Pauli Æginetæ *lib.3. cap.22. & lib.6. cap.19.* Loquitur quippe illic de illa procidentiæ ſpecie, quam produxit, vel rupta, vel elevata oculi tunica: cujus etiam meminit Cornelius Celſus *lib.7. cap.7.* In ipſô, *inquit*, oculô, attollitur nonnunquam ſumma tunica: ſive ruptis intus aliquibus membranis, ſive laxatis, & ſimilis figura fit acino: unde id ϛαφύλωμα Græci vocant.

At longe aliud procidentiæ genus contigit nobis ſubinde videre poſt Victorem Trincavellium, ac Fabricium Hildanum: qui idem quoque memoriæ conſecrârunt. Protuberantiam videlicet non membranæ uveæ elevatæ, vel inſtar acini, vel capitis muſeæ: Sed tumorem totius oculi; effundentem ſe tam latè ex ſede ſuâ ut deturpet faciem univerſam.

Quem deformem, excedentis oculi, prolapſum, ſiquidem lubet reducere ad nomen aliquod antiquitati uſitatum: videbis eum Paulo Æginetæ ἐκπιεσμὸν vocari *lib.3.cap.22.* Exprimuntur, *inquit*, oculi, & exerti permanent: cauſa eſt, vel ſtrangulatus, vel dolores, qui frequenter accidunt ex partu: quos ſolvunt uteri purgationes.

Sed Aëtio, ac Cornelio Celſo, vocatur idem vitium πρόπτωσις; tumor videlicet, ob magnum inflammationis metum, oculos è ſede ſuâ propellens. Celſus *lib.7. cap.7.* Verùm addit Aëtius, procidere uſque eo oculis, ut à palpebris contegi haut poſſit: imò vergere interdum ad malas, & ipſa ſupercilia. *lib.7. cap.24.*

Ex ſuppreſſis menſtruis, inciderat filia cujuſdam vitrarii in immodicum narium profluvium: quô intempeſtivè ab iracundiâ ſuppreſſô; convertebatur protinus omnis impediti ſanguinis impetus in oculum dextrum; qui inde uſque adeò intumuit, ut ſede ſuâ propulſus, deformaverit mirum in modum totam faciem. Cujus vitium uti auferret, nil non nobiſcum molitus fuit, Vir jurè magni nominis, Vopiſcus Plempius; ſed ſucceſſu minùs proſperô.

In-

Induerat quippe jam tum naturam carcinomatis, cum cute lividâ, tubere inæquali, & pure tam acri: ut vitiata forent inde narium oſſa; & vires præterea adeò fractæ, ut nihil profuerint etiam ſaluberrima conſilia: niſi fortè lubuiſſet oculum excidere: quod tamen crudele auxilium, licet ſuccedat nonnunquam feliciter: equidem haud facilè ſuaſerim, niſi conſtent vires.

At enim, ſublatâ è vivis ægrâ, vidimus evidenter procidentiam hanc originem traxiſſe, ex tumore ponè oculum deliteſcente: quò adapertô, occurrebant paſſim venæ laceræ; membranæ diſtentæ; oſſa carie infecta; & tantùm ſanguinis dùm extra, tum intra cerebrum, effuſum; ut nulli mirum videretur periiſſe virginem, tot hoſtibus circumventam.

Inconſideratè itaque agit, quiſquis ſatagit coërcere qualecunque ſanguinis profluvium: diſtinguenda ſunt cautè loca; & vitanda obnixè quæ hic ſignantur brevia: Satiùs enim naturam liberare, quàm onerare: & præſtat interdum ſanguinem aliquamdiu fluere, quàm indiſcriminatim inhibere.

Quòd ſi verò procidentia hæc originem traxerit ex lue venereâ, (uti interdum fit) ex re ægrorum fuerit, aquâ mercuriali, aliôve aliquô mercurii litu, partem attingere; cujus deforme vitium feliciſſimè hôc remediô ſuperatum iri videbis. *Nicol. Tulpius Obſervat. Medicar. lib.1.*

De Oculi humoribus reſtituendis.

Artificium expreſſos humores omnes oculorum reſtituendi apud Illuſtriſſ. Burrhum Hafniæ vidimus, cujus ea de re ad me ſcriptas literas typis publicis commiſi ita jubente Auguſtiſſimo Rege Divo Friderico III. Quamprimum in lucem eſſent miſſæ Epiſtolæ Burrhianæ, cenſorio Diſcurſu eas percurrit Clariſſ. Medicus Jo.Dan Major Kilonienſis Profeſſor editoque libello indicavit dubia illi ex lectione Epiſtolarum orta. Miſſum mihi ab amiciſſimo Autore exemplar Burrho ſtatim obtuli, qui in editione ſecunda Epiſtolarum, quam in ſe ſuſceperat, dubiis majoris momenti reſpondit, mihique tradere conſtituit, ſed cum poſt Exceſſum Regis incomparabilis, abitum hinc maturaret, cui eas conſignarit ignoro. Mihi enim leviculam ob cauſam offenſus non valedixit niſi per alios amicos. Quippe cum ex Cl. Kerckringi Obſervatione Centeſima nuperrime tum ex Belgio ad nos delata, recenſerem ipſi in amico colloquio difficultates ibidem motas, non animo contradicendi, ſed ut ad reſponſionem invitarem, ille, ſeriò me contra illum rem agere ſuſpicatus, mirari ſe dicebat, quod adhuc Thomas eſſem, ſeu incredulus. Non diffiteor dubium me ſemper hæſiſſe in experimenti veritate & oculatas manus deſideraſſe. Ut ſcrupulum mihi eximeret tentavit quidem in anſere experimentum, ſed neque tum mihi ſatisfacere potui. Invitaverat me & Dn. Borrichium ad prandium cum Chirurgo Nicolao Boje, ut præſentibus nobis operatio fieret. Ex vulnere ſatis largo per Chirurgum inflicto expreſſis humoribus omnibus, infudit ſuccum chelidonei à ſe preparatum per vices ſæpius effluentem. An quicquam in oculi bulbo remanſerit, ignoro, obligatum vulnus oculi fuit & in ſcamno clauſo anſer reſervatus vinculo injecto noſtriſque ſigillis munito ne de fraude ulla ſupereſſet ſuſpicio. Reverſi poſtea vidimus oculi bulbum integrum & quaſi renatum cicatrice adhuc conſpicua. Sed an integer oculi eſſet viſus, diſcernere nequivimus. Nonnihil tamen admotam manum fugiebat. Experimenti ſucceſſu lætus Burrhus cum in Arce Regia conveniremus, ſereniſſio Regi narravit, me præſente factum experimentum, audereque ſe etiam oculos prorſus erutos reſtituere. Ad quæ ſubridens Magnus Rex, an etiam malas mulieres eruere & reſtituere poſſet interrogat. Cui ille; ſi id poſſem, certè, Sereniſſime Rex nollem. Tantum ego de artificio hoc Burrhiano teſtari poſſum, cujus hic loci nullam feciſſem mentionem ad priores annos ſpectantis, niſi occaſionem dediſſet Chirurgus Regius Doctus pariter & curioſus Henricus Jacobi Scriverius, qui à me rogatus, ut ſi ad manus eſſet obſervatio aliqua elegans eam non invideret Actis noſtris Medicis ſub prælo ferventibus; hanc mihi exhibuit, propriis ipſius verbis hic conſignandam. *Thomas Bartholinus.*

De ſponte renatis in Anſere Oculorum humoribus obſervatio.

Quoniam de reſtitutione humorum oculi, toto literato orbe increbuit fama, adeò ut non tantum Perilluſtris D. Burrhy peculiari Epiſtola artificium hoc promulgârit, ſed & Romæ illud ipſum cum per Chelidonii aquam, tum ſimplicem fontanam tentatum ſit, ut pluribus Miſcellan. Curioſor. Germanic. anno Primo obſerv.117. videre eſt, libet paucis delibare, quid mea hac in re præſtiterit obſervatio. Cum coram Potentiſſimo glorioſiſſimæ memoriæ Rege noſtro Friderico III. Domino meo Clementiſſimo, famigeratiſſimus Dn. Fr. Joſeph. Burrhy, humorum oculi reſtitutionem moliretur, ipſe ego juſſu Regio Chirurgiam adminiſtraturus præſto fui, apertâ igitur lanceolæ ope cornea, humores expreſſi, tunicaſque, quantum quidem licuit, comprimendo corrugavi, Dn. Burrhy vero aquam aliquam, quam pro Chelidonii ſtillatitia, ſed ſingulari artificio concinnata venditabat, orbo humoribus oculo inſtillabat, ſpem faciens ea ipſa in integrum reſtitutum iri oculum; quod quidem præſagium ſucceſſu deſtitutum non eſt, ut pluribus ejus hac de re in publicum emiſſæ literæ teſtantur: An verò aquæ iſti artificioſæ, non verò ſoli naturæ accepta ferenda ſit hæc viſus & humorum reſtitutio, dubium evadet ex hac mea ſequenti obſervatione. Forte eodem tempore, quo hæc à memorato Dn. Burrhy tanquam ſingularia artis myſteria venditabantur, periculum domi meæ in alio anſere feci, quem pari modo & corneam pertundendo & humores exprimendo excæcabam, reſtitutionem ſoli naturæ relinquens, quæ ita ſolerter opus ſuum executa eſt, ut intra paucas hebdomadas viſus cum humoribus reſtitutus fuerit, relicto tantum plagæ in cornea levi veſtigio. Viſus autem actionem ex parte (ſi non omnimodo) redditam fuiſſe, exinde conjectare pronum erat, quod læſus ille oculus ſaniori alteri & ſimillimus præter ſolam cicatricem eſſet, & occluſo altero (prout experimentum aliquoties feci) æque ad plagæ minitationem cederet, & conniveret, nec in varia hinc inde conſultò diſpoſita offendicula impulſus

pulſus anſer impingeret, quin potius ſcitè eadem declinaret. Hanc igitur reſtitutionem naturæ induſtria in anſeribus, etiam citra ullius humoris vel artis acceſſionem obtineri; ea quæ dicta ſunt, liquidò evincunt. Nec dubium mihi eſt idem in aliis omnibus contingere volatilibus, adeoque a Cl. Dn. D. ab Heer æque elenchum cauſæ committi, dum in Ulmi foliis collecto ſucco humores oculorum reſtituendi facultatem, adducta in proſcenium de gallinaceo comprobata experimenti fide, tribuit. Hoc autem ipſum veſtra, Vir Illuſtris authoritate, quod in anſere ante quadriennium, his diebus in gallo & gallina expertus ſum. Gallinaceum, quidem utroque oculo profunda ſatis plaga privavi, ita ut prioribus tribus hebdomadibus ne minima quidem lucis utilitate frueretur, adeoque ne fame periret, cibum in paſtillos compactum ipſi in os ingerere tenebamur, ſenſim tamen ſubſequentibus hebdomadibus ad lucis radios connivere cepit & proprio ductu pabulum quærere, donec forte quidam è Regiæ cuſtodiæ cohorte protervior, me abſente, miſerum illum capite multabat. Gallinam autem altero tantum ſed ſtudioſiſſimè expreſſo toto cryſtallino orbam ad hodiernum uſque diem aſſervari curavi, quæ occluſo quidem ſano non æque feliciter utpote minus aſſueta colligebat grana, colligebat tamen; Sed ut certior redderer, num ipſe cryſtallinus regenerari poſſet, hanc ipſam hodie capite truncavi & læſum oculum diſſecui illumque pari fere felicitate ac reliquos renatum fuiſſe obſervo, licet nondum ad debitam pervenerit magnitudinem ſano enim minor aliquanto erat. Effluxerunt ab expreſſione humorum 8. hebdomades quod ſi adhuc per aliquot aſſervata fuiſſet, dubium non eſt eum ipſum plane reſtituendum fuiſſe. Acta autem omnia hæc ſunt dum mihi adſtitit Henricus Creutzfeld Medicinæ Candidatus ſolertiſſimus fidus dictorum teſtis. In homine v. vel difficiliorem eſſe, vel omnino forte impoſſiblem omnium humorum præcipue cryſtallini repoſitionem (nam de ſolo aqueo res paradoxa non eſt, utpote non tantum aliorum relatione ſed & mea ipſius experientia ſæpius roborata) quod ſequitur edocebit. Regius quidam puer purpuratus è nobili ſtemmante *von Kahlen* dictorum oriundus, alterutrum oculum ita lædebatur, ut omnes humores, qua data via, elaberentur. Advocabatur Regio juſſu Dn. Burrhus, ut ea, quam præ ſe ferebat, arte, & humores & viſum huic ægro reſtitueret, qui difficultatem perſpiciens, ſubterfugium in dierum aliquot mora venabatur, quarum prætextu ſpecioſum ſuæ artis commentum tueretur. Sed & moram gratis in ſubſidium vocari, nuper in mercatore quodam Hafnienſi Nicolao Jahn dicto qui perinde ad omnium omnino humorum effluxum læſus erat, didici. Vocatus enim ad eum Vir celeberrimus & in omni meliore literatura Excellentiſſimus Dn. Henricus à Moinichen, Regiæ Perſonæ Medicus uti digniſſimus ita meritiſſimus, poſtquam me ſibi ſocium elegiſſet, nihil eorum quæ cum ad ſanitatis reſtitutionem tum ad artis incrementum facere videbantur, prætermiſit, ſed tantum abfuit, ut vel aqua chelidonei vel aliis in ſubſidium ritè vocatis, reſtitui potuerit ut etiam hodie factitium ex auro geſtet oculum. Hac in re etiam apprime nobiſcum conſentit Ammianus in Medicina ſua Critica Diſcurſu 52. ubi examen hujus artificii inſtituit, qui loco citato pluribus videatur.

Quod de homine dubitat Scriverius noſter, alio exemplo confirmabo. Colono cuidam Severino jani in prædio meo Hageſted oculum calce equa ita colliſerat, ut retracto intra orbitam bulbo flaccido humoribuſque vacuo, viſus eſſet deperditus. Rogatus glebæ meæ aſtrictum hominem ad Illuſtrem Burrhum, cujus tum fama inter noſtros increbuerat, deduco ut precibus uxoris ſatisfieret. Rectè verò ille nihil auxilii ſupereſſe dicebat, ſiquidem nervi optici vitium appareret. Non ſemel enim ante monuerat laudatus Naturæ Procus, jam, quod dolemus, fortunæ ludibrio expoſitus, nervo optico illæſo reparari poſſe cryſtallinum, & forſan allabente humore nervino refici. *Thomas Bartholinus.*

Ad Obſervationem de Reſtitutione humoris Aquei.

Experimentum cum Anſere pariter fecit Exc. Dn. D. Joh. Dan. Major Prof. Anat. & Botan. in Kiloniens meritiſſimus, Collega Curioſus laborioſiſſimus, in Collegii Medici Curioſi privati ſpecimine VI. §. 26. Addo 1670. qui Anſeri utrumque oculum acu transfodit circa limbum tunicæ corneæ, ut humor aqueus ex flacceſcente oculo efflueret; cœcitatem ipſi inde contigiſſe, probavit, quod manibus hinc inde ante oculos ipſius ultrò citròque jactatis, immotus tamen permanſit; repoſitus anſer ad experiendum, an natura per ſe aliquot dierum ſpatio compenſatura ſit detractum aquæ laticem, an impoſterum viſus reſtituendi gratia medicato liquore, aqua Chelidoniæ &c. ſit utendum? Eventum dein explicat *Idem Dn. D. major in ſpecimin. VII.* §. 30. Anſer, inquit, ante octiduum obcœcatus, in medium productus optimè iterùm vidit, quod 28. vel 30. Auditoribus monſtravi, idque natura ſola in oculo anſeris fecit, nullis medicamentis per vulnus infuſis, adjuta ſolo 36. horarum aut bidui ſpatio, in locum detracti humoris aquei novum alium undecunque attulit per vaſcula minima nervea & arterioſa ad oculi concavum tendentia, & oculi flaccidiuſculi ex amiſſo humore iterùm turgere viſi ſunt, parvam tantúm maculam, inflicti vulneris veſtigium in cornea reſervantes. *P. J. Sachs à Levvenheinb.*

Oculi humores excuſſi redeunt, non ex adventitio per ſiphones infuſo, ſed ex depluente à cerebri vaſis liquore.

Virguncula annorum ſeptem, rationarii ſcribæ Regii filiola ferreum infelix uncum improviſo ictu, medio oculi impegit, ita profundo, amploque vulnere, ut proximo triduo non ſolùm, quicquid erat humoris aquei, effunderetur, ſed & quicquid vitrei, id quod craſſamentum cocto leviter ovi albumini ſimillimum continuè effluens clarè oſtendebat. Accerſitus ego, ad avertendam, quæ violentiſſima ſucceſſerat, inflammationem, & derivandum alio ruentis humoris noxii procurſum veſicatoriis inſto, quibus parum conferentibus, ventum

denique eſt, præmiſſis univerſalibus, ad ſetaceum: oculo autem collyrium ex aqua fœniculi, cyanique jubeo per intervalla infundi; quibus effectum, ut in paucis diebus multum adhuc humoris vitrei turbati eliceretur. Poſtquam nihil craſſioris illius ſubſtantiæ per infauſtum ictum confuſæ prodire amplius obſervatum, infuſo bractearum orichalci ex vino Hiſpanico (tantoperè laudato Angelo Salæ collyrio) hiantis oculi foramen ſenſim ad cicatricem perduco, ratus fore, ut ex cerebri vaſis, ſive arteriolis tunicarum ejus paulatim tantum in vacuum pæne locum deſtillaret humoris, quantum implendo oculi bulbo ſufficeret, illum autem ipſum liquorem omni alio peregrino convenientiorem eſſe, (deſtillare enim aliquid vi debar mihi colligere tum ex eo, quòd oculi in perpetuo motu & calore verſentur, adeoque non poſſint non quotidie aliquid exhalando amittere; in cujus locum aliquid continuò ſuccedere neceſſe eſt, ne bulbus oculi flacceſcat, tum quòd ægrotantium oculos in morbis præſertim ardentibus flaccidiores videamus, humore, qui ex cerebri vaſis alias ſubminiſtrari ſolet, aliò translato, convanleſcentium autem & ſanorum, vividos & humoribus ſuis refertos. Ut taceam, ſolo preſſu moderato ex quibuſdam bulbi oculorum bubulorum poris humorem proſilire, quod Clar. Stenonio obſervatum.) Nec fefellit evéntus: quamquam enim impetuoſus ictus omnia confuderit, & ligamentorum ciliarium appendices vel diſtorſerit, vel diſruperit, hoc eſt, certam viſui objecerit deſperationem, impletus tamen bulbus eſt, & viſus non plane abolitus, ut qui ad certas lunæ phaſes jam tum recurrit, & forſan ſuccedente ætate magis inclareſcet. Licuit diu ſingulis hebdomadibus novas in oculo mutationes recognoſcere: jam omnia albeſcebant, jam in flavum, jam coerulum, jam turbatum vergebant colorem; ſæpe tota pupilla filamentis candentibus obſita erat, nec adhuc certa mutationum meta eſt. Id quod ex membranarum, & ligamentorum, quibus in officio ſuſtinentur oculi humores, læſione contingere cenſendum. Utcunque enim humores recte ſe ſe iterum habere credibile ſit, fluctuant tamen, & turbas dant, niſi limitibus ſuis coërceantur, neque vel aquæ chelidonii majoris, vel alii cuicunque liquori ſtillatitio, à natura conceſſum, ut rupta omnia reſarciat. Quis rerum naturæ gnarus ab aqua deſtillando per alembicum evocata ſperabit membranas & ligamenta? Imò, nè quid diſſimulem, ex quo didici aquam illam Burrhianam ophthalmicam deſtillando parari, (neque enim Amſtelredami, viſis experimentis ejus, & epigrammate honoratis, id ſcieram) ſtatim ita mecum: aqua illa acuit haud dubie viſum, & labra vulneris oculi ad cicatricem forſan diſponit, reſtituere tamen craſſos oculi humores ſolius naturæ eſt, humorum ex cerebri vaſis renaſcentium: neque enim credibile eſt, gluten illud humoris cryſtallini, vitreique cum aqua chelidonii in alembicum aſcendere poſſe. Quod ſi vel ſuccum folliculorum ulmi; vel humores ex oculis caninis aliis elicitos & ſollicitè temperatos infudiſſet terebrato moloſſi ocello, & anſerinos alios anſerino lumini, color illuſtrior acceſſiſſet operationi, quamquam & id ſuos paterentur manes. Utque poſſet lentor ille cryſtallini, vitreique humoris aſcendere, qui aſcendet ſal ille lixivus, qui in oculi humoribus deprehenditur? de quo ne ſine experimento diſſeram, ſepono quandoque humorem oculi bubuli aqueum ad ignem in vaſculo vitreo, evaporat, relicto in fundo ſpiſſamento quodam craſſiuſculo non aſcendente, quod amplius uſtum ut incandeſcat, deſinit in pulviſculum ſalſum, qui cum ſpiritu vitrioli acriter efferveſcens oſtendit ſe eſſe ex genere ſalium lixivorum. Similia contingunt humori vitreo, quo tamen evaporante craſſamentum in fundo ſpiſſius, ſalſius & copioſius apparet. In cryſtallino autem mihi nihil obſervatum eſt ſalis lixivi, nullus vel cum acidis, vel lixivis notatus fervor, relinquitur maſſa dura & firma, ad ignem intumeſcens, & nidore cornu uſtum referens, qualem per alembicum paulo ante prodiiſſe, aut prodire poſſe, id vero eſt, quod nondum aſſequor, utcunque non invitus largiar aquas per alembicum evocatas craſſamentum tandem, & poſt moram longiuſculam, in fundum propellere fixum & in omni igne conſtans, ſed inſulſum. Sed cur gemini illi oculorum humores ſubſalſi? ad arcendam, opinor, putredinem, à qua tutior cryſtallinus, tum ob duriorem ſubſtantiam, tum quod in ſubſalſis natet. Sed ut ad propoſitum revertar, video Ampliſſ. Tulpium obſervat. Med. l. 1 c. 30. neque aliud requirere in ſimilibus oculorum affectibus, quàm ut cicatrix inducatur, narrat enim ſe obſervaſſe, inducta vulneri oculi cicatrice, brevi iterum ſuccreſcere deperditam aquam; ante omnia illuſtris eſt Celſi locus lib. 6. cap. 6 ubi poſtquam docuiſſet læſam oculorum hirundinum aciem interpoſito tempore in antiquum ſtatum redire, ſubjungit: Unde etiam locus fabulæ eſt, aut per parentes, aut id herba chelidonia reſtitui, quod per ſe ſaneſcit. De experimento clariſſ. Kerckringii hic nihil ut de re in publicum hactenus ignota, quanquam ſpes ſit fore, ut quem doctiſſimum ſcimus, eundem in demerendo, ſibi etiam hac parte humano genere humaniſſimum experiamur. *Olai Borrichii.*

Hirundinum Excæcatio & Reſtitutio.

Artificii, quo Oculorum humores reſtituuntur, veſtigia apud Veteres jam dum extare, ſuperiori anno oſtendimus, nimirum Tom. v. Ephemer. German. obſer. 126. Adduximus autem ibi illuſtrem, notatuque digniſſimum ex C. Plinio locum, cui merito quoque jure adjungendus nunc eſt inſignis Cornelii Celſi textus; quem de Hirundinum excæcatione & redintegratione habet *lib. 9. De Re Medica, cap.* 6. Verba autem ipſa apponere hic non pigeat: Harum avium, inquit, acies extrinſecus læſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redit, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulæ factus eſt, aut per parentes, aut id herba chelidonia reſtitui, quod per ſe ſaneſcit.

Poriſmata inde terna deduco. 1. Spontaneam viſus reſtitutionem C. Celſo jam dum cognitam fuiſſe in avibus. 2. Fabuloſa eſſe, quæ intuitu Hirundinum excœcatarum de chelidonia herba, forſan etiam chelidonio lapide, vulgus blaterat. 3. Operoſum illum apparatum pro conficienda Chelidoniæ ſingulari aqua, quam Franciſcus

ciſcus Joſephus Burrhus Epiſt. iv. ad Thom. Bartholinum pag. 43. propoſuit, eſſe ſupervacaneum. Quæ enim per ſe ſaneſcunt, tantis haut opus habent myſteriis: Id quod citata etiam ſuperius Obſervatione jam monuimus. *Joh. Sigiſm. Elsholtii.*

De artificii, quo Oculorum humores reſtituuntur, veſtigiis apud veteres.

Inter ſeculi noſtri inventa refertur etiam encheireſis illa, qua oculorum humores ſectione facta expreſſi reſtituuntur. Eam hoc ævo, quantum ex epiſtolis Franc. Joſeph. Burrhi ad Thomam Bartholinum Haffniæ 1669. editis conſtat, primus exercuit Romæ Eques aliquis Neapolitanus, ob tumultus bellorum civilium exul, qui artem hanc Celſ. Principi Joanni Paulo Jordano Urſino ibidem monſtravit: & paulò poſt Florentiam profectus, Robertum Sothuel Equitem Anglicanum eandem docuit. Is porrò Robertus Sothuel cum Burrhum Amſtelodami inveniret, ipſi arcanum oſtendit, atque ita circa annum 1666. apud Batavos artificium hoc inclareſcere cœpit, emulatore mox etiam felici Theodoro Kerckringio quemadmodum patet ex ipſius ſpicilegii Anatomici obſerv. 100.

Hæc fama cum ad aures noſtras perveniret, tentavimus anno 1670. artificium hoc in pullis, anſeribus, vervecibus, canibuſque exercere, non irrito prorſus ſucceſſu: quamvis minore apparatu, neque tam artificioſè compoſitis liquoribus opus eſſe, quam Burrhus prodidit, reipſa expertus ſim. Quin imo ſi nihil prorſus inſtilles, tardius quidem redit perdita oculi globoſitas, atque iridis pupillæque nitor: redit tamen tandem, natura humores ſurrogante. Quod ſi verò facta inciſione & expreſſione liquorem per ſiphunculum mox immittas, mox etiam oculus & globoſitatem ſuam recuperat, & ſive iridem ſive pupillam ſpectes, alteri ſocio atque integro oculo ſimilis evadit: remanente ſolo vulnere in cornea, id quod ſequentibus diebus tam in longitudine, quam in latitudine paulatim etiam imminuitur. Unde patet, promptius omnia redintegrari, ſi liquor inſtilletur, quam ſi omittatur: quamvis vero conſonum videatur, liquorem illum inſtillatum, à ſubrogatis ſive ſuccedentibus denuò humoribus naturalibus, iterum per vulnus corneæ totum extrudi. Profectò cum inter alias aves anſeris horni dextrum oculum ſummo mane tunc inciſiſſem, humoreſque adeò, ut bulbus in ſe penitus collaberetur, expreſſiſſem, anſeremque abſque inſtillatione dimiſiſſem: ſub veſperam ejuſdem diei, bulbum ſuam globoſitatem jamtum ferè recuperaſſe adverti. Sequenti die globoſitati quidem nihil amplius deerat, itemque pupilla alteri ſimilis conſpiciebatur: Sed iris adhuc erat obſcurior & minus vivida: cui etiam tertio vix die nitor ſuus redibat. Quamobrem omnino, ut ſuperius dicebamus, præſtat operatio hanc adhibita inſtillatione perficere, quam ipſam intermittere.

Dum verò iſthæc experimenta illo tempore facerem, dubium mihi arduum de humore vitreo oboriebatur, an ſcilicet is, ob ſitum adeò profundum, totus ulla ratione exprimi per vulnus corneæ poſſet. Quare ad indagandam rei veritatem pullo gallinaceo ſiniſtrum oculum diſcidi, & poſt effluxum aquei ſpontaneum, expreſſi cryſtallinum totum, & vitrei tantum, quantum fieri mulgendo poterat. Ulterius collum pullo abſcidi, & oculum diſſectum planè erui, quo explorarem, num adhuc aliquid humorum intus remanſiſſet. Inveni autem poſt expreſſionem ſatis violentam, reſtitiſſe nihilominus aliquid de vitreo: at tantillum, ut pars ejus tertia circiter videretur. Mox etiam dextrum oculum in illo detruncati pulli capite diſcidi, & cum vehementia expreſſionem perfeci: deinde erutum oculum diſſecui per medium, & adeò vacuum reperi, ut tunicæ interius tantùm maderent. Hinc manifeſtum evadit, in vivente humorem aqueum ſponte effluere, cryſtallinum à perita manu totum, vitreum maxima ex parte poſſe auferri: & quanquam portiuncula quædam vitrei altius aut retrò latens reſtet, tamen oculi œconomia priorum duorum expreſſione ſatis turbatur: imò adeò ut de cœcitate irreparabili inducta olim nemo dubitaviſſet. Id verò adnotatione dignum hic circa expreſſionem in mentem venit, quod, ubi vitreus humor inter exprimendum egredi incipit, appareant quidem in iſto veſtigia ligamenti ciliaris nigricantia: ipſum vero ligamentum ciliare, quoniam in circumferentia corneæ, firmiter oris duræ membranæ conjungitur, nunquam, niſi violentiſſima & cœcitatem perpetuam illatura expreſſio accedat, elabitur. Salvis itaque nervis & membranis humores natura univerſos in oculis reparat: illis vero læſis, etſi humores natura ſurrogaret, omnis tamen peribit viſio. Cl. Galenus certè *lib. de oculo cap.* I. atque alibi paſſim, jam ſtatuebat, humorem cryſtallinum à vitreo, & hunc à cerebro nutriri: nutritio autem fit per ſurrogationem nutrimenti: igitur hæc quoque ſurrogatio humorum ablatorum ab intra non erit ad mentem etiam Galeni adeò abſurda. Ratio itidem inde patet, quare vulnera oculorum caſu facta, adeò frequenter cæcitatem inducant: læduntur etenim per illa plerumque non humores ſolùm, ſed ſimul etiam membranæ, aut etiam nervi. Hæc autem vulnera non caſu, ſed perita manu inflicta, ſolos educunt leniter humores.

Alia etiam ſub primordiis addiſcendi hujus artificii difficultas mihi naſcebatur, de explorando nimirum redeuntis viſus tempore, præſertim in illis gallinis, quibus unum dumtaxat oculum incidebam, altero ſervato, ut cibum miſeræ capere poſſent. Itaque excogitabam pileolum ſive vittam, ex panno xylino confectam, quæ capiti impoſita, oculum integrum ſive ſanum prorſus contegeret, relicto foramine pro oculo inciſo. Septimo aut octavo ab inciſione die examen ordiebar, & accommodata capiti vitta atque alligata adverti, grana hordei à gallina cum quadam quaſi præmeditatione & ad latus inclinato capite quidem colligi: roſtrum tamen ad ſingula grana exactè dirigi, ipſamque nunquam hallucinari, argumento haud obſcuro, aut ipſam perfectè oculo ſecto iterum cernere, aut certe à perfectione parum, & fortaſſis tantum, quantum à relicta adhuc cicatrice impediretur, abeſſe. Circatrix enim ut penitus evaneſcat, vix ſeptem menſes ſufficiunt.

Atqui, ne nimis diu recenſendis his experimentis noſtris, aut argumento jam tum ſatis per orbem literatum cognito inhærere videamur: placet ſtylum vertere, & ad antiquitatem reſpicere, inquirendo, num Artificii hujus veſtigia apud veteres extent,

Galenus ſanè, cujus auctoritatem de humorum in oculis nutritione paullo ante quoque citabamus, humorem aqueum puncto oculo effluere, & in pueris etiam regenerari, jam olim vidit; verum hæ puncturæ Galeno viſæ, caſu ſaltem inflictæ ſine dubio fuerunt, non arte, neque ultra aqueum progreſſæ. Verum enim verò apud C. Plinium *lib. 29. Hiſtor. natur. cap. 6.* extat inſignis locus, & in quo operationis hujus non obſcura facilè indicia agnoſcas. Alii, inquit, terram ſubſternunt lacertæ viridi excœcatæ, & una in vitreo vaſe annulos includunt è ferro ſolido vel auro: cum recepiſſe viſum lacertam apparuerit per vitrum, emiſſa ea, annulis contra lippitudinem utuntur. Et paulo poſt: Muſtelæ etiam oculis punctu erutis, ajunt viſum reverti, eademque quæ in lacertis & annulis faciunt. Tria autem hinc poriſmata deduci poſſunt: 1. Veteres lacertas virides & muſtelas excœcaſſe, & quidem oculis punctu erutis. 2. Ab iiſdem illa animalcula in vitris una cùm annulis tamdiu fuiſſe repoſita donec viſum reciperent, atque ipſo recepto fuiſſe dimiſſas. 3. Annulos iſtos tanquam virtute ophthalmica imbutos, poſtea contra lippitudinem fuiſſe geſtatos.

Ad primum quod attinet, Plinius diſertè lacertas excœcatas nominat, non cœcas per naturam aut morbum: imò de muſtelis aſſerit, oculos ipſis punctu erutos fuiſſe, atque ita manualis neceſſariò interceſſit operatio: non, quæ totos oculi globos evelleret, quippe viſum hoc pacto nunquam recepiſſent: ſed quæ punctura aut ſectione ſcalpelli humores evocaret, atque hac ratione temporariam inferret cœcitatem. Ex altero membro conſtat, lacertas, muſtelaſque iſthac ratione viſu orbatas, abſque ullo adhibito remedio, ſola paulatim reparante humores natura, ipſum recuperaſſe: id quod in gallinis & anſeribus pari prorſus modo nobis tentantibus eveniſſe, ſupra retulimus. In tertio effectus annulorum iſtorum contra lippitudinem continetur, quem quidem ſuo relinquam auctori, atque illis, qui transfuſioni virtutum ab una re in aliam multum tribuunt: inter quos eminet Henr. Cornel. Agrippa, qui propterea hunc Plinii textum ferè integrum in Philoſophiæ ſuæ occultæ *lib. 1. cap. 16.* tranſtulit. Cæterum plura ex antiquitate loca jam non ſuccurunt, extare tamen non dubitamus; & quamvis plura haud extarent, ad oſtendendam nihilominus analogiam ille Plinii ſecundi tantiſper ſufficeret.

Referri huc meretur inſigne experimentum reſtituendi humores oculorum cum ſucco veſicularum ulmi, quod refert *Heerius Obſer. 4. p. 71. Johan. Sigiſmundi Esholtii.*

De Cataractæ cauſis.

Si conjecturæ locus, ego de cauſa & foco ſuffuſionis ſequentia ſtatuo; videlicet (de ætiologia hujus affectus ſecundum Galeni Scholam nihil addo) ſuccum nutricium lymphaticum, qui humori cryſtallineo in nutrimentum cedit, extra ſuum locum eſſe propulſum, & in modum abſceſſus vel alicujus excreſcentiæ tanquam appendicem aliquam humori cryſtallineo adnatam eſſe, ita etiam hæc paſſio inſidet humori cryſtallineo tanquam ſuo foco. Hanc meam conjecturam ſtabilit. 1. quod corpuſcula omni colore careant. 2. quod etiam minimi pulviſculi in aëre volitantis intuitum licet ea corpuſcula inter viſum & pulviſculum medium locum teneant, non tollant. Si ab aliquo humore hic affectus eſſet natus qualiſcunque etiam ille foret, i aliqua coloris tinctura gauderet, ſunt vero humori cryſtallineo ſimillima, id eſt, omnis coloris expertia. Poſſet autem hic humoris cryſtallinei abſceſſus facile addenſari, ſi libero affluxu quorumlibet humorum gauderet; eos exhauriunt fontanella & pulvis natalis Juſs, tumque emplaſtra temporibus applicata. Mirum nihilominus eſt, quod rerum à meo viſu contemplatarum ſimulachra, etiam poſtquam ea viſui meo ſint ſubtractæ, in oculis circumferam, veſtigiaque diutius inhæreant. e. g. diſcus Solis & alia phænomena lucidiora, cujus rei ætiologiam ego à fortiori rerum ſpectandarum apprehenſione, quæ fit in retina, deduco. Quemadmodum nunc de ſuffuſionis ætiologia aliter ac alii philoſophor. eodem modo divortium facio in cauſis reddendis vel foco guttæ Serenæ aſſignando, quem communiter in obſtructione nervorum opticorum collocant, verum enim verò, ſi nervi optici forent obſtructi, non ſolum viſui cæcitatem, verum etiam ob privationem alimenti, quod per hos nervos impellitur vel trahitur, tabem aut oculorum maraſmum conciliarent, quare hi nervi ſunt ſalvi, & alibi focus quærendus. Kiliæ 21. Mayi 1678. *Joh. Ludovic. Hanneman.*

Suffuſio Tunicæ Adnatæ.

Patiuntur diverſos affectus qualibet machinæ oculi partes, non ſolum interiori concamerationi inſervientes, verum etiam externæ. Adnatam in ophthalmia inflammari ſæpius experimur, aſt eadem ſuffundi humore, paulò rarius eſt. Paſtor quidam in vicinia primum in mala prope oculum dextrum tuberculum quoddam paſſus, me conſulebat, quod illo evaneſcente oculus ille ruberet, & tunicæ adnatæ cuticula tota circumcirca pupillam manifeſtè elevata ſero turgeret fluxili, & hinc inde pro ipſius oculi motu mobili & tremulo, adeò ut pupilla & iris depreſſa ſubſidere in profundo viderentur. Aperire ſanè non conſultum duxi, ſed diſſipationem meditatus, exhibui ſudoriferum liquidum cum eſſentia ſuccini alcalina, exterius verò præter veſicatorium nuchæ applicatum, balſamum ophthalmicum ex pinguedine viperina, & collyrium ex croco metallorum cum aq. chelid. mai. &c.

&c. ex voto ſanitatem & vigorem priſtinum brevi reſtituit.

Cataractæ metus. D. Jo. Lud. Hanneman Med. Buxtehud. 16. Jan. 1673.

Ante 10. menſes ferè oculis meis ſimulachra telarum aranearum inſtar obſervata, viſus verò Dei gratia adhuc, licet nullus dies ſine quærela tranſigatur, dum hæc ſcribo, tam acutus eſt ut nec atomus fugiat eum, & ſplendiſſimam lucem citra omnem ferunt laborem oculi, univerſum corpus ſæpius evacuavi, ut & caput pilulis cephalicis mundavi, interdum quoque ad ſudorem eliciendum me compoſui, fonticulum in ſiniſtro brachio & jam per 9. menſes habui, veſicatoria quoque errorem in diæta angue & cane pejus vitavi, nihilominus adhuc dum hæc ſpectra ante oculos fluitare, & varias juxta oculorum nutum inducere formas, perſeverant. Periculoſam prognoſin mecum inſtituo, & ne tandem aliquando, quod tamen cæleſtis avertat Archiater, ſuffuſio ſuccedat, paveo herclè; licet Clariſſ. Plempio à pueritia, Platero & ipſi ægro apud Carolum Piſoneum talia citra notabilem noxam oculis fuerint obſervata, & ipſe in hac praxi mea vidi virum, cui quaſi rete ante oculos expenſum per quod objecta videret, verum jam citra ullam querelam acutè cernit, nihilominus tamen ego mihi vereor, quare à Te imploro auxilium, &c.

Th. Bartholini ad D. Hannemannum Reſponſio.

Dolendi cauſam ſubminiſtras, ſed telis aranearum, ut ſpero, fragiliorem. Times ſcilicet à ſuffuſione, quod ſimulachra quædam inſtar telarum aranearum ante oculos obſerventur. Sed noli metuere. Securum Te à ſuffuſione eſſe jubeo vel meo exemplo. Triginta & amplius anni effluxerunt, cum primum Patavii hæc ſpectra metum quoque mihi injicerent, ut conſilii gratia ad ſenem Medicum Jo. Dom. Salam, in Praxi meum ibidem Ducem, accedens pro remediis ſolatium reportarem, plus hæc terrere quam nocere. Ego certè ex illo tempore ſprevi iſta ſimulachra, quæ pro aëris humidi vel calidi conditione, vel augentur vel minuuntur, nullo viſus impedimento, quem Tibi quoque integrum & acutum ſupereſſe lætor. Cæterum ſedulò ex illo tempore cavi à lucubrationibus, à quibus mihi tempero, ut poſt cœnam ad lucernam nunquam vel legam vel ſcribam. Præterea pulveri Tabaci magnam partem clarioris viſus refero acceptam, derivanti per nares oculorum humiditates offuſcantes viſum. Quo remedii genere plures ſublevavi. Vel ſola Tabaci folia in pulviſculum comminuo, vel addo majoranam, euphraſiam, Agaricum Trochiſcatum & ſem. fœniculi. Alia medicamenta ad ſuffuſionem præcavendam Tibi commendare nolo, ne noctuas Athenas. Ipſe qua es experientia, plura & ſcis & rectè ſingulis uti noviſti. Axungiam viperinam laudatam vidimus in Miſcellaneis Curioſis Germanorum, quam etiam amicus quidam meus expertus nuper eſt, quem idem metus tecum terret. Simplex aqua Ophthalmica ex vino albo Rhenano, in quo infuſa fuere fœniculum, bethonica, ruta, euphraſia, chelidonium majus, farfara, triticum, laudabatur mihi Patavii ex Bellocati traditione. Non dubito quin corpore quotannis ritè expurgato, ſervataque decenti victus ratione, & a lucubrationibus abſtinentia, poſt hac ſimulachra iſta mecum diſcas ſpernere, quod ex animo precor, ut diutiſſimè ſalvis oculis tuis perfruaris.

Cataractæ depoſitio.

Idem Lithotomus & Ocularius Laurentis Nicolai non ſemel magna dexteritate cataractas labente anno depoſuit. Unius depoſitioni interfuit, me in prædio abſente, filius Caſparus Bartholinus cujus in hanc rem literas ad me ſcriptas non pigebit hic ſubnectere, modò non pigeat Lectorem legiſſe.

Pater chariſſime

Adfui die 19. Januarii cum Dn. D. Simone Paulli, D. Henrico à Moinichen, & D. Caſparo Kolichen, Viro cuidam natione Gallo, annorum vix quadraginta, cui reliqua membra de meliore luto finxerat Titan, cæterum in ſiniſtro oculo ſuffuſionem patiebatur, quam ſumma cum dexteritate deponi vidimus à Laurentio Nicolai Cimbro, artis quam profitetur haud infelici Magiſtro. Oculo ſiniſtro oppoſuerat ſe hæc ſuffuſio ex pituitoſi, ut videbatur, humoris in ſpatium, quod eſt inter corneam tunicam & cryſtallinam, affuſione, quanquam Galenus lib. 1. de ſympt. Cauſ. cap. 2. ab ipſius humoris aquei condenſatione fieri interdum ſuffuſionem doceat. Veram & legitimam ſuffuſionem hanc atque à ſpuria diſtinctam eſſe nemo dubitabat, quippe quæ omnes veræ ſuffuſionis habuit notas. 1. Alterum tantum oculum occupabat, quod veræ ſuffuſioni proprium ajunt; unum tantum oculum aggredienti, aut ſi utrumque, non tamen ſimul aut ſimiliter, ſicut in ſpuria accidit. 2. In legitima ſuffuſione tenebroſum quiddam in pupilla apparet, quod in ſpuria non contingit. Unde Vegetius lib. 11. Artis Veterinariæ cap. 16. Cum accedit ſuffuſio oculus videtur incolumis, nullis lachrymis, nullo ſanguine, nulla indignatione prodit injuriam, ſed uno tantum declaratur indicio, quod cum pupilla ipſius imaginem tuam tanquam in ſpeculo videre non potes. 3. In vera ſuffuſione ſymptomata ſunt continua, nec ulla ſunt intervalla, in ſpuria verò per vices augentur & remittunt, prout, vapores ad cerebrum efferuntur. Quas notas noſtram, de qua ſcribo, ſuffuſionem habuiſſe vidimus. Quamquam autem Plinius lib. 28. Hiſtor Natural. cap. 1. Milotum ſcripſiſſe ait, oculorum ſuffuſiones felle hominis ſanari, huic tamen uſitatum atque præſens noſtris temporibus remedium adhibitum fuit, ſola depoſitione per acus ſeu ſtyli immiſſionem. Hic ſine jure jurando ſed efficacius oculos tetigit alienos Ocularius, ſecus quam veteres, qui oculos juraturi olim tangebant, teſte Petronio. Ovidius Lib. 11. Amor. El. 16.

At mihi te comitem jurabas uſque futuram
Per me, perque oculos, ſidera noſtra, tuos.

Sic & *Tibullus* lib. 3. El. 6.

Et ſi perque ſuos fallax juravit ocellos.

Cur id factum, ex Parente diſcere vellem, quem ſcio in Anatome Pagana olim rem hanc pertractaſſe accuratius. Sed Vulcani invidia tantus labor periit. Si balbutientem me audire velis, Minervam hoc more coluiſſe & ad teſtimonium vocaſſe veteres ſuſpicor. Oculos quidem Cupidini Veneris filio, in quibus excubet ceu ſpecula quadam, tribuit Philoſtratus: rectius tamen Minervæ eos ſacros fuiſſe Paganis tradit Fulgentius. Unde Minervam cæſiis oculis, ut pulcherrimis, finxerunt Poëtæ Heſiodo in Operibus vocatur Θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη: Dea Cæſia Minerva, Et alibi de Deorum Generat. idem Aſcræus:

Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς γλαυκώπιδα Τριτογένειαν.

Ipſe verò (Jupiter) *ex capite* (peperit) *cæſiis oculis Tritogeniam.*

Neque in injuria. Minervæ enim oculi debebantur, quibus nihil pretioſius aut utilius eſt. Hinc oculis digni habiti non ſunt venefici & malefici. Exurebantur enim iſtis. Plaut. Menech. A. 5. ſc. 2. Ecce Apollo mihi ex oraculo imperat, ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus. Imò malignis eruti, apud eundem Plautum in Captiv. A. 2. ſc. 4. Nam Hercle ego huic diei ſi liceat oculos effodiam libens, ita malignitate oneravit omnes mortales mihi. Deus Tibi, Parens indulgentiſſime, Tuos diutiſſimè conſervet. *Vale.* Hafniæ. *Filius obſequentiſſ. Caſp. Bartholinus.*

Suffuſionis initium Fonticulo in brachio excitato evaneſcene: Et oculi vigore eodem in nucha facto, reſtitutus.

Chirurgo cuidam hujus Urbis ante oculos muſcæ & culices obverſari videbantur, hicque Fontanellam facit in ſiniſtro brachio; hujus beneficio viſus naturali claritati reſtitutus, muſcæque obvolentes evanuerunt?

Alias quidam puer ruſtici Filius in Hollandia ex pago Bargenhuſen, omnimodo oculorum imbecillitate laborans ita ut lucem ægre ferret, hic primo in nucha habuit fonticulum ſine ſucceſſu, tandem conſolidata rurſum fontanella in nucha, unum in brachio, alterum in pede ipſi fecerunt, fonticulum; hinc optime jam habet, acute cernit, ſplendidiſſimam lucem oculi admittunt. *Joh. Ludovicus Hannemannus.*

Oculi putredo.

Vetula ſexagenaria, ante annum circiter epiphora oculi ſiniſtri affligi cæpit, quam ſuſque deque habens incrementa ſumere permiſit. Nuperis natalium Servatoris feriis intumeſcente oculo grande frigus perſenſit ex ambitu orbitæ, ſimul gelu naſi lateris ſiniſtri cum dentium ejuſdem vehementi dolore. Tum è canthis oculi copioſa materia purulenta fluere occepit, & aliqua quoque per os. Continuavit verò hic materiæ fluxus cum ingenti partium circumjacentium dolore, tanta vehementia, ut omnis brevi oculus cum palpebris, pinguedine, muſculis & vaſis materiæ purulentæ inſtar effluxerit. Uſa eſt miſella medicaminibus, quæ quiſque empiricus commendaverat. Acceſſit tandem, ea qua hæc ſcribo, die, ad me, miſerandum commonſtrans ſpectaculum. Tota orbita cava ſpectabatur, non ſecus ac ſi corvi ungulis & roſtris eruiſſent bulbum. At ubi nervus opticus à cranio ſe prodere ſolet, globulus aliquis, avellanæ inſtar, membranaceus, haud dubiè cornea eſt tunica, cernitur, Muſculi etiam ut dictum omnes abſumpti. Ubicunque fovea hæc tangitur, indolens offenditur, pure & cruore ad latera paſſim oblita. Ad limbum hujus foveæ tam horrendæ computreſcentes muſculi cum cute ſaniem ſemper fundunt & cruorem, utut parcè, circumtenſo tumore, haud elatiori, ex purpureo liveſcente, ubi quidem dolores ſentit miſella acerrimos; tetra & cadaveroſa hoc ex foramine ſpirat mephitis. Dexter oculus valet quidem ſatis, ſed periculum eſt ne & hic corrumpatur, cum facies paſſim & naſus fœdis ulcuſculis fœdetur.

In naſi parte ſiniſtra continuum ſibi eſſe frigus miſera conqueritur, & ſenſum doloris fere nullum, at creberrimum dentium ſuperioris maxillæ, utut non multi adſint, imminere cruciatum Affluxui ſcorbuticè corruptorum humorum rem totam adſcripſi, unde oculi ſideratio & putrefactio. Cum medicaminum nihil ferè hic loci præparatorum, Hafnia aliquantum remotiori, mihi ſuperſit, ſanum oculum muniri juſſi Unguento illo, quod in Actis veſtris efficax ophthalmicum nominare voluiſti, atque ut maſſæ univerſæ conſuleretur, ſub noctem ⅄ C. C. Scrup. ſ. & ⅄ trifolii fibrini drach. ij. cum cereviſia calida abſorbere juſſi. Ipſum verò horrendum chaſma ſtupha cannabina in ſpiritu trifolii fibrini calefacto, cum momento ⅄ C. C. probe madefacta implevi, ſuper impoſito Empl. Diachil. cum gummi. Ego equidem in muliere mediocriter vegeta per Univerſalia tam purgantia & ſudorifera, quam V. S. in partibus remotioribus & veſicatoria avertere materiæ fluxum, ſimulque antiſcorbuticis, exſiccantibus, mundificantibus & reſolventibus margines hujus hiatus fovere decrevi, ad quam rem ea quæ ex Trifolio fibrino petuntur medicamina, utpote crebra hic experientia in Ulceribus malignis ſcorbuticis, à me comprobata, commodiſſima arbitror. *Joh. Valentini Willii.*

Oculorum Suppuratio, & viſus imminutio.

Infans trium hebdomadarum in vico Boreali, neſcio an per incuriam humi prolapſus; tantam oculorum inflammationem concepit, ut non tantum inviſibiles nobis fuerint occluſis palpebris, ſed humor cryſtallinus ex altero effluxerit inſtar albuminis ovorum. Interea ſuppurati, copia puris ingenti quotidie effluente. Acta à Medicis qui curationi adfuerunt, quæ in hujuſmodi caſu agi ſolent. Tandem aqua ophthalmica ex ſucco chelidonii majoris, aliiſque impletus quidem, finita ſuppuratione, oculi humore cryſtallino vacui bulbus, ſed ſine viſu. De Viſus imminutione

penes

penes me eſt Conſilium Joh. Dom. Salæ Medici Nobilis Patavini & ætate & experientia & eruditione inclyti, quod hic propter materiæ affinitatem inſerere operæ precium duco, grata in magnum Præceptorem memoria, quo duce olim in Viſitandis ægris triennium Patavii inſumpſi. Latina conſuetudine à me redditum ita habet:

De relatione miſſa, quæ melior fuiſſet ſi à Medico eſſet conſcripta, ita judico: quod cauſa viſus imminuti non ſit Cataracta, quia ſi illa eſſet facta, videretur, nec meliori ſtatu conſpiceretur, ſed ſemper in pejorem ſtatum provolveretur, ut jam prorſus viſus eſſet ſublatus; ſi eſſet incipiens, potius, ut ſolet, depravationem viſus induceret quam imminutionem, adeò ut hoc tempore apparerent ante oculos aut culices, aut filamenta, aut alia objecta quæ objiciunt ea viſui quæ revera non videntur; præterea, cataractæ non ſolent ad maturationem tantum temporis requirere ut viſum auferant. Non eſt ungula, quanquam externè aliqua ejus appareant veſtigia, quia, quando ungula pupillam non attingit, innoxia eſt. Non eſt alterius generis macula externa, ea quippe appareret. Judico non eſſe affectum illum internum nervi viſorii, quem Græcè vocant Mauroſin, Latini Guttam Serenam, in qua videntur oculi & pupilla tam clara inſtar ſanorum, ſiquidem non capit initium hic affectus à cauſis externis oculorum, ſed potius ab internis capitis, & ſubito omnem viſum tollit, nec mutatur modo in melius modo in pejus.

Judico igitur eſſe in oculo offenſam ante humorem cryſtallinum, qui præcipuum eſt viſus organon, ab humore aqueo, per quem tranſire debent ſpecies viſibiles, & præterea adeſſe craſſitiem tunicæ corneæ, quæ etiam tranſparens eſſe deberet, ut ad organum dictum ſpecies tranſmitteret. Credo huic parti introducta eſſe hæc vitia à diuturna & ingenti defluxione, poſſeque ætatem aliquid conferre ad hanc offenſam, quia cauſæ exigui viſus adſunt in omnibus ſenibus, quanquam ætas ſola non ſufficeret ad tanta mala producenda, niſi ab alia cauſa eſſet oculi debilitas. Sed de his rectius poſſent judicare Medici periti præſentes, quales ſunt Norſini, idque multo ſecurius.

Si cauſa proxima eſt illa quam judico, cauſæ remotæ erunt humores pituitoſi, craſſi, & tractu temporis defluxiones incraſſatæ primo à capite calido & humido, unde ſemper fluxiones prodeunt deinde etiam ab hepate calido, quod ſe prodit per tot puſtulas in reliquo corpore apparentes. Quicquid ſit, periculum imminet ab hoc malo ne viſum amittat oculus hic, ſicut altero oculo evenit. Difficile erit curatu, quia magnum, quia antiquum, quia à fluxione conſervatur, quia oculus eſt debilis, quia in hac ætate incidit, quia multa remedia à longo tempore tentata ſunt. Spero non fore impoſſibilem curationem, quia alia remedia ſuperſunt quæ procurentur, quia obſervata eſt mutatio modo in pejus modo in melius.

Ideoque in opportuna hac anni ſtatione, primo purgandum eſt totum corpus, poſtea particulariter, caput, fluxio divertenda, quantum poſſibile, exſiccandum nonnihil caput, refrigerandum hepar, in quo generantur humores qui poſſunt deducere alios ad locum, denique attenuandæ & reſolvendæ materiæ concurrentes, roborandaque eſt pars læſa.

In purgatione univerſali corporis ſuadeo, quia adhuc nulla adeſt inflammatio, in hac ætate & oculi imbecillitate, parum ſanguinis extrahere. Succeſſerit ad calorem hepatis, & ad purgationem, quæ facienda eſt, ne concurſus fiat humorum calidorum per medicamenta localia, extrahere quatuor vel quinque Uncias ex hæmorrhoidibus, & ſupplere per balneum aliquod inferiorum partium, per frictiones & cucurbitulas ſine ſcarificatione.

Medicamenta purgantia & præparantia reſpicere debent humores pituitoſos & bilioſos. Sed purgatio erit diligens & duplicata, primo per medicamenta mediocria & Syrupos ſimplices, deinde per Syrupos compoſitos, & purgantia nonnihil efficaciora, ut poſſint trahere ex partibus diſſitis & ex capite quoque ſicut ſunt pilulæ Lucis cum juvamine probatæ. Materiæ remediorum notiſſimæ ſunt, & præſcribentur à Medicis præſentibus.

Caput non expurgetur per naſum, ne irritetur fluxio ad oculos, ſed per os, abſtinendo propter eandem rationem à medicamentis calidis. Sufficit maſticatoria conficere ex maſtiche, cera, pulvere fœniculi & Saccharo, vel, quod mihi magis placet, maſticare fœniculum conditum in aceto. Si hoc tempore orietur inflammatio aliqua in oculo, laudarem ſanguiſugam unam vel alteram poſt aurem ſiniſtram.

Ad fluxionem derivandam fontanellæ inuruntur, ut evacuent, Fiat ſetaceum in nucha. Sæpe applicentur veſicatoria, ſed ſuperficialia poſt utramque aurem, quæ fiunt vel cerato cum pulvere pauco cantharidum, ſubtili manu extenſo ſupra telam, vel lacte ex Tithimalli omni ſtillante, frangendo caulem, & locum tangendo aliquot guttis quæ exſtillant: qualia veſicantia geſtentur longo tempore, minimum quadraginta diebus, renovando quotieſcunque ſanantur. Derivabitur quoque uſu diuturno maſticatoriorum, & familiari aliquo purgante leniori, ſicut pil. de Tribus cum Rhabarb. & ex Aloë lota cum ſucco roſarum cum pauxillo ex pil. Lucis.

Ad caput exſiccandum interius laudo decoctum ex ſalſa parilla, ſandalis rubris vel viſco quercino, additis fœniculo & euphragia, ut oculis approprietur. Exterius ſpongia alterat partem, tincta ſæpe & ſiccata in decocto ex eo quod remanſit, additis roſa, betonica & Agarico, quod magis ad rem faciet ſi fiat aut in lixivio dulci, aut in aqua marina, aut in balneo quodam ſulphureo: & hac ſpongia ſicca fricetur caput, ſemper ad nucham verſus.

Hepar refrigerabitur, ſi poſt uſum decocti hujus, ſumat per quindecim dies vel juſculum alteratum cum cichoraceis, vel uncia una Sacchari roſati. Dum decoctum ſumit, non mihi neceſſarium videtur nec ſecurum ſudorem excitare, vel victu uti adeò tenui ſicut ſolent; caro aſſa concedi poteſt, & vinum, ſed lymphatum.

Inter remedia localia expertus ſum utile eſſe Unguentum diabutyri, quo primo ſimplici utor, oculis applicato, poſtea ſenſim au-

gendæ ſunt vires ejus expoſiti Soli in vaſe æneo cum pauco aceto, ut acquirat colorem viridem ab ære: augentur præterea addito parum fellis primo piſcis, deinde animalium volatilium & quadrupedum.

Probatur mihi etiam illud, quo Norſini pro ſecteto utuntur, nempe ut ſæpius abluatur oculus aqua Euphragiæ, fœniculi, in qua infunditur parum vitrioli coloris cœrulei. Efficax quoque remedium eſt, deſtillata aqua vitæ, in qua infunditur panis coctus ex tota farina cum furfuribus, additis fœniculo, euphragia, & exſuviis viperæ, quæ oculo applicetur tepida cum aliquo inſtrumento vitreo, ut aqua oculum tangat.

Et ſiquidem hæc remedia aliquando propter vehementiam ſuam alterant oculum dolore & rubore; in tali caſu oportet ea intermittere donec mitigetur dolor & rubor, ſoloque diabutyrato ſimplici inungere, aut aqua roſacea cum pauco vino albo & aqua fœniculi vel euphragiæ.

Tandem volente Deo ad priſtinum viſum reſtituto oculo, ut roboretur, conducet nunquam aqua lavare, ſed vino albo mediocri vel decocto euphragiæ & fœniculi, cui infundatur parum Tutiæ.

Cancer latens cauſa cœcitatis.

Mortuus paucis abhinc annis Leutſchoviæ Senator ferè 60. annorum, nomine Joſephus Alauda, hypochondriaca affectione diu afflictus, qui cancri malitia oppreſſus varia ſenſit Symptomata. Triennio ante obitum in digitis pedum loco Unguium ſuccreverunt horrendæ, curvæ, denſæ & plumbei coloris ungulæ inſtar cornu, & quo pectines elaborantur, & quidem tàm abundè augmenta ſumpſerunt, ut cogeretur eoſdem ſingulis octiduis forcipe demetere. Tota ſubſtantia cutis degeneravit in planta pedis in naturalem ungulam, cornu taurino æmulam, quam pariter poſt pediluvia crebriùs abradere coactus fuit, nimia cutis durities ingreſſum impediret, eumque dolorificum efficeret. Poſtmodum exulceratæ ungues in manibus per abceſſum perierunt, & ſimilia monſtra corneæ ſoliditatis ſuccreverunt, niſi quod cutis in vola manus mollior permanſerit. Et hoc malum ad vitæ finem perſeveravit. Paralyſin poſtmodum dextri lateris ſenſit, ſed ſenſus motuſque reſtitutus fuit: ſucceſſit demùm falſa imaginatio quaſi ab uxore ipſi venenum pararetur, quæ Phantaſia tàm vehemens, ut per dimidium annum præſentiam uxoris nullo modo toleravit, imò eandem nudis pedibus ne ſtrepitum ederet, clàm incedentem quaſi odoraretur. Defecit poſtmodum paulatim viſus, auditus verò factus intenſior: tandem in momento cœcitas ſupervenit. Cum peractis Univerſalibus aliiſque revellentibus Nuchæ veſicatorium applicaretur, nulla veſica fuit excitata, ſed ſubjecta caro tantùm intumuit; & ſubpunicea facta eſt. Poſt triduum veſiculæ hædatides multo ſero ſtillantes coloris plumbei collum inſederunt, quibus cum Balneator improvidè Empl. maturativum impoſuiſſet, per aliquot dies, tumor incrementa ſumſit, non minùs, quàm humorum effluvium, primùm ſeroſitates, poſt purulentam fœtentemque fundens materiam. Durante hujus materiæ egreſſu à phantaſia depravata liberatus, ut ab uxore ſæpiuſculè actorum erratorum veniam peteret, viſus autem non rediit. Tandem quod ab improvido Chirurgo cancer ille ingens plumbeus & gibboſus cito ſuppuratus fuiſſet, intra 3. Septimanas è vivorum numero ſublatus fuit. Mediæ fuit ſtaturæ, ex parte ſanguineus, liberalis, comis, in juventute hilaris, vino deditus: provectiore ætate moroſus, iracundus, pigrior, & defectum memoriæ, imò totius capitis ſentiens, ut cum vino ſe ingurgitaſſet liberalius, triduanam ferè experiretur ebrietatem.

Scholion.) Cur veſicantia in cadavere ita etiam in cute cancroſa nihil operentur explicare conatur *Helmont. de Lithiaſ. cap. 9. §. 103. pag. 730.* Conſideravi inquit, quod Ranunculus, Apium, Flammula non veſicent in cadavere: veſicant tamen carnem vivam. Cenſui itaque quod in ipſa anima ſenſitiva conſiſteret differentia hujus actus & non primario in flammula; quippe quæ tantum veſicat, quatenus mordicatione juſto acriore infeſtat hæc Spiritus ſenſitivos, ut qui ſenſatam acrimoniam mitigent, retundant aut extinguant, furit anima in illis, reſolvitque ideo propriam membrorum ſubſtantiam vitalem in albumen corroſivum, quapropter ipſamet anima ſenſitiva, ut immediata ſubſtantia ſenſitiva: ita eſt cauſa efficienter effectiva; flammula vero quæ in cadavere operatur nihil eſt cauſa effectiva occaſionalis, externa & excitativa. *Davidis Spilenbergeri.*

Tuberculum eminens, Pupillam dextram obtegens.

In juvene Tuberculum eminens, Pupillam dextram texit & obvolvit, dubiis nobis an cryſtallinus humor intus latens ſanus eſſet, adeoque de curatione vel ablatione tumoris nihil ſuadere auſis. *Caſpar Bartholinus.*

Puſtula Oculi, cum totali viſus ablatione, ex Ophthalmia, feliciter curata.

Juvenis Mercatorii ordinis 19. circiter annorum bilioſo-ſanguinei temperamenti, optimoque & robuſto aliàs corporis habitu præditus, niſi quòd defluxionibus capitis ſubinde obnoxius, à nono jam ætatis ſuæ anno Fonticulum geſtare coactus ſit, utriuſque oculi Ophthalmia graviſſima, alias quidem etiam ſatis ſibi familiari, corripitur, qua cum jam penè ultra octiduum laboraſſet, fruſtra adhibitis euporiſtis quibuſdam remediis, me tandem ad ſe acceſſit. Suadeo cucurbitularum in dorſo applicationem cum ſcarificatione etiam auricularum; applicatur cum ſtupa utrique oculo alumen crudum cum albumine ovi agitatum inque unguenti formam redactum, ceu indubitatum præcipuumque hoc in caſu præſidium; & lac muliebre tepidum ſubinde inſtillatur; quin & venæſectio in brachio celebratur. Et hæc omnia remedia, quamvis non ſine euphoria adhibita ſint, tamen tertio ſtatim à venæſectione die, nobis nil tale metuentibus, exorta in ſiniſtro oculo puſtula viſum ante triduum demum adhuc ſalvum penitùs

nitùs obfuſcavit. Actum eſſe de oculo adſtantes uno ore clamabant: ſed ego quidvis potius tentare, quàm ſocorditer deſperare in caſu licet admodum ancipiti, ſatius duxi. Hinc actutum pilulas purgantes exhibeo, quæ fortiter oculo inhærentes quoſcunque vitioſos humores excutiant atque diſturbent; & collyriam aquam præſtantiſſimam inſtillari juſſi. Imò altero mox die Chirurgum & Ophthalmicum dexterrimum Dn. Brotmannum in conſilium convoco; is pulviſculum oculo inſpergit, facitque, quod ſuarum erat partium egregie. Quarto poſt die ſetaceum in nucha poſuimus, quòd adeò benè ſucceſſit, ut mox puſtula nonnihil diſcuſſa oculus indies propius ad priſtinum ſtatum redire, ac viſio tandem perbellè reſtituta viſa fuerit, relicta ſolum ſuper oculo exigua nubeculæ quaſi cujuſdam portione, quam tempore non minus deletum iri confidimus.

Viſus privatio, omniumq; membrorum tremor, ex totius corporis Refrigeratione.

Notabilis fuit ſævities hyemis anni 1670. circa finem menſis Januarii, ubi præcedente aliqua exundatione tùm temporis inſolita, una nocte ita adſtrictus glacie Danubius, ut ſicco quodammodò pede quis ex una in alteram ripam ire, & ubi heri remos duxit, jam equo vel carpento vehi potuerit. Quodnam majus damnum intulit, inundatio, an inopinatum & rigidiſſimum frigus, dubium? Verum periiſſe multos, inprimis qui inſulam illam Danubialem e regione urbis incolunt, aquis ſingulis momentis creſcentibus, & ingruente nocte; ſed & non paucos, qui in excelſioribus domus partibus, vel arboribus irruentem vim aquarum effugere conati ſubitaneo frigore toti madidi vel extincti, vel ita deſtructi, ut digitis in manibus, pedibuſque mutilari opus habuerint. Fortè civis hujus urbis vietor, ut ligna pro opificio ſuo neceſſaria, & in loco quodam Danubio vicino jacentia, ſalvaret ex undis, ultra tres horas quandoque uſque ad axillas in aquis manſit. Domum reverſus penes fornacem fortiter calefactam decubuit, ſtatim laſſitudinem ſenſit omnium membrorum. Aliquot diebus elapſis in ſingultum incidit tres dies durantem, inde reſtitutus, intra anni ſpatium viſum in ſiniſtro, mox in dextro amiſit oculo, utriſque tamen externè bene conſtitutis. Poſt triennium articulorum doloribus horrendis corripitur, quibus ſupervenit tremor perpetuus in hunc uſque diem durans. Multa ille adhibuit quibus dolores ad tempus mitigavit, non ſuſtulit, præterea æſtate & à me petiit conſilium, dedi varia iterum pro leniendis tantum doloribus, ſed in ſenili laboribuſque exhauſto corpore plura efficere nequivi. Originem autem ſumpſiſſe malum ex iſta corporis refrigeratione extra dubium, cum conſtet non tantum ex veterum hiſtoria, verum etiam ex recentioribus, quantum damnum ſoleat inferre talis corporis refrigeratio. Certe retulit mihi perſona Illuſtris, quod ex Candia rediens naufragium paſſa ita membris contracta & quaſi paralytica ſit facta ut difficulter Paduæ in integrum reſtitui potuerit. *Caroli Raygeri.*

Cæcitas ſubitanea.

Anno nati Chriſti 1654. Prior quidam in Cœnobio Pr. complexionis phlegmaticæ, corporis obeſi, vitæ deſidioſæ, bibaculus, hypochondriorum dolore, ac ventris conſtipatione ſæpius laborans, inciderat in cœcitatem ſubitaneam, ita ut etiam apertis oculis neminem cognoſceret, nec lucem & tenebras diſcernere poſſet; ſed poſt uſum clyſmatis carminativi, atque cathartici brevi viſum recuperavit. *Helvvigius.*

Scholion ejuſdem: Indubitatum principium eſt, monente Andr. Laurentio tract. de viſus nobilit. cap. 11. ea, quæ parti alicui corporis humani accidunt, cognoſci non poſſe, niſi prius, ut ipſa ſe ſecundùm naturam habent, cognitum & perſpectum ſit. Quare neceſſe eſt, ut naturam oculi, & quæ ad ejus actionem requiruntur, exacte teneat Medicus, aut autopſia, vel ex lectione Anatomicorum ediſcat, ſi læſæ viſionis ſpecies indagare decreverit. Morborum verò oculi ut infinita propè multitudo eſt, ita in illis diſtinguendis maxima confuſio, ac cùm Galenus variis in locis docet, omnem partium corporis actionem tribus modis lædi, nimirum aut auferri, aut diminui, aut depravari, hîc duntaxat de ſecunda læſæ viſionis ſpecie, diminutione ſcilicet, quæ Monacho noſtro acciderat, ſermo noſter erit. Ad cœcitatis, quæ propriiſſimè alias eſt viſus omnimoda abolitio, genera à Practicis vulgò annumerantur etiam amauroſis & amblyopia. Amauroſis enim eſt abſolutum viſus impedimentum nullo manifeſto affectu in oculo apparente, ſed pupilla pura & incolumi. Amblyopia eſt viſus hebetudo, ſine manifeſto quoque oculi affectu. Uterque affectus, qui inter ſe tantùm differunt ſecundùm magis & minùs, oritur vel ob ſpiritus viſorii craſſitiem, vel ob debilitatem aut denſitatem tunicarum oculi, vel ob humorum lentorem, vel ob nervi optici obſtructionem à craſſis & viſcoſis humoribus. Amauroſis alioquin, uti Tulpius lib. 1. obſerv. med. cap. 31. ſcribit, duplex eſt: altera cèrebro propria; altera verò cum conſortio aliarum partium. Prior ſpecies ut eſt planè immedicabilis, ſic curatur interdum poſterior. Potiſſima autem hujus cœcitatis cauſa ſtatuitur humor turgens à flava bile, aut atra, vel à veneno potui dato, manente in hoc cœcitatis genere pupilla ſemper clara & pellucida, licet interim nil cernat oculus, ob vitium nervo viſorio intrinſecus objectum, vel ab humore eò uberius affluente, vel à cerebro affecto. Cerebri autem occaſione uti omnes ſenſus lædi poſſunt, ſic & viſio quoque labefactatur, tum ſi aut generatim, aut ſpeciatim, & præſertim ea ſede, ubi nervi optici prodeunt, affectum patiatur, vel illi ipſi nervi à cerebro producti, & ad oculum uſque delati, afficiantur, ex mente Plateri lib. prax. de function. læſionib. cap. 7. quod multifariè fieri poteſt, veluti mox dicetur. Amauroſis præterea interdum ſenſim & tempore, nonnunquam etiam ſubitò evenit. Quæ ſenſim evenit, varias habet cauſas: vel enim ſpiritus viſorius acciditur, idque ſive vitio cerebri ſpiritum non ſuppeditantis, quando nimirum à longa evacuatione eſt exhauſtum, vel ob inſignem morbum, vel ob ſenectutem: vel ſpiritus viſo-

viſorius, qui natura debet aërem redolere, & qualitatem moderatam gerere, nimium craſſeſcit: vel tunicæ oculares denſantur, aut humores viſifici lenteſcunt. Subitò verò videndi vi exuuntur homines, cùm craſſi quidem ſucci confertim irruunt in nervos opticos, vel cùm ille nervus viſorius paralyſi laxatur; quæ cauſæ naſcuntur plerumque à rebus, quæ à foris fiunt, veluti ſunt cruditates aſſiduæ, crapula, in nudum caput ſummi frigoris aut caloris incuſſio, ſtudium, lectio, ſcriptio repentina ac continua à cibo, balnea, vomitus, venus immoderata & cita à paſtu, nimia animi contentio, verba ſunt Joh. Heurnii tract. de morb. oculor. Vel ut vulgaris verſus habet:

Allia, vina, venus, pulvis, ventus, faba, fumus, iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Aſſentit etiam Holler lib. 1. de morb. intern. c. 19. ajens, affectionem hanc, experientia teſte, non rarò ab interna cauſa excitari, præcipuè vitio ventriculi, & poſt egregiam potationem, neque tamen propriè eſſe ophthalmiam, licet aliquando in corpore cacochymico, & ſi ea negligatur, in illam facilè degeneret. Præter has cauſas manifeſtas debilitatur etiam ſæpius viſio, aſſerente Gordonio in Lilio Medic. part. 3. cap. 5. propter vapores à ſtomacho aſcendentes, quod diſcernitur, quando imaginum apparitio ſtet per menſes, & pupilla appareat munda; quando verò provenit à cerebro, non permanet tanto tempore, ſine aggregatione aquæ. In ſenibus quidem viſus debilitas eſt familiaris, ſive catarrho obruente, ſive longo uſu abſumptis ſpiritibus, ſive denique quod nervi ſicciores; & nonnihil marcidi, ut vult Barthol. cent. 4. Epiſt. med. 41. non admittunt ſpiritum animalem, in nonnullis ſenibus ſatis copioſum; quam etiam in junioribus fuiſſe cæcitatis cauſam, obſervationes docuerunt. Petrus Pavv notavit in obſervat. anat. 2. ſe Anno 1590 puellam octodecim annorum ſecuiſſe, quæ aliquot ante obitum annis diabete laborarat, & præternaturaliter ſitibunda fuerat; hæc paucis ante obitum diebus cæcitate correpta, qua uterque oculus clarus quidem exiſtebat, nec aut in membranis aut in humoribus vitii aliquid apparebat, ipſa tamen nec lumen quidem candelæ oculis admotæ percipiebat; in hac aperto cranio reperta inſignis veſica, quæ nervos opticos circa incruciationem (uti Duncanus Liddelius, coalitum verò nervorum Riolanus vocat,) occuparat; hac novacula pertuſa, circiter libra dimidia materiæ aqueæ limpidiſſimæ effluxit. Utpote materia potus præ renum debilitate attrahi ampliùs cùm non poſſet, ad caput regurgitarat, eumque locum occuparat. Notandum inſuper, ſicut Gulielm. Ader in tract. de ægrot. & morb. in Evangel. part. 3. enarrat. 12. memorat, cæcitatem ab obſtructione nervi optici jam diu contractam, cùm primis remediis non cedat, indelebilem ſeu incurabilem fore, nec magis ſperabilem, quæ ab imbecillitate cerebri, ſpirituum viſualium paupertate, aut ſenectute fiat. Si à debilitate cerebri, pergit Idem, reſtituatur roborantibus, ſpiritus craſſiores & tenebroſi recta victus ratione incidente & viſum clarificante reſtaurentur reparenturque. Paſchalius lib. 1. de curand. morb. cap. 19. ad curationem hujus affectus proponit, præter diætam legitimam, remediorum quinque genera, nimirum præparantia, purgantia, avertentia, roborantia, & reliquias reſolventia, denique viſum acuentia. De quibus ipſe legatur, atque ſimul cæteri Practici celeberrimi conſulantur.

Additamentum Schrockii.

Salutarem Enematum uſum hac etiam ex obſervatione abunde diſcere poſſunt Oſores eorum, non tantùm è Vulgò qui contemnunt atque rejiciunt, ſed & Medentium nonnulli, quorum inprimis agmen dicit ingenioſus alias Joh. Bapt. Helmontius, pudendum ſubſidium Medentum, & belluinum remedium lib. de febb. vocans, variiſque argumentis inviſas reddere injectiones iſtas laborans; Cui tamen cùm alii jam, præſertim verò Excell. D.D. Frideric. Hoffmannus in Meth. medend. lib. 1. cap. 10. ſufficienter reſponderint, aliud quod addatur, neutiquam opus eſt. Hoc ſaltem monendum, quod, quemadmodum idem Helmontius neminem unquam per clyſteres eduxiſſe febres, objecit, quia materia febrili obſeſſa loca non adiverint, pariter hìc à Sciolis opponi poſſit, nec cæcitatem à clyſteribus emendari, cùm ultra inteſtina craſſa non adſcendant. Quibus ſanè prælaudato cum Hoffmanno regerere æquum foret: Licet ipſam non rejiciant febrem, (cæcitatem) tamen cauſam ejus occaſionalem diminuere poſſunt. Imò dicere; ipſam cauſam primariam per Enema in hoc Caſu fuiſſe ſublatam, non video, quid prohibeat. Ventris enim morboſa tarditas uti diverſorum malorum cauſa exſiſtit: ita vaporum & flatuum inprimis uberrimum ſuſcitat proventum, qui non inteſtinales tantùm fiſtulas diſtendunt, ſed & reliquum in corpus propagantur, unde fecum alvinarum præternaturalem retentionem frequentiſſimè cephalalgiæ, aliique capitis aliarumve partium adfectus inſequuntur. Quare cùm æger noſter conſtipatione ventris ſæpius laboraverit, cæcitatem, in quam ſubitò incidit, ab eadem ſumſiſſe primordia, mihi videtur veroſimile, præſertim dum corporis conſtitutio phlegmatica, quam deſidioſa & bibacula vita ſuſtentabat, obſtructioni nervorum opticorum concitendæ ſatis quadrabat. Unde ſubducta, ope catharticorum clyſteri junctorum, materia illa excrementitia in inteſtinis hærente, ulterior flatuum exortus fuerat impeditus; Quin & ingredientium iſtorum ſolutivorum uberiori, à calore inteſtinorum, facta reſolutione, particulæ quædam tum venarum lactearũ oſcula ſubeuntes, tum etiam, quæ ſubtiliores, in venas meſaraicas penetrantes, ac ita utrobique ad maſſam ſanguineam delatæ, agitare illam, & quam à natura poſſident, ſeparandi vim exſerere, ſicq; una pituitoſum humorem ab oculis, vi circulationis eò perductæ, propellere poterant. Idq; tantò promtiùs præſtare valebant, cũ̃ addita carminativa, ſubtili ſua ac volatili natura in remotiores etiam partes penetrando, calorem in iiſdem debiliorem confortare, peccanteſque pituitoſos humores incidere, attenuare ac reſolvere & ita flatulentorum ſpirituum diſſipationi non parũ momenti addere potuerint. Qua eadem fortè præditus fuit virtute clyſter, quo puellæ, repentè cæca quæ fuerat facta, præter ex-

exſpectationem viſum reſtituit Guil. Rondelet. uti ipſe cap. 58. Meth. cur. morb. memorat. Licet verò magna enematum ſit utilitas, tantùm tamen abeſt, ut univerſale conſtitui medicamentum queant, i. e. quod in omnibus ſubjectis morbiſque adhiberi poſſit; cùm plurima ſint uſum eorum prohibentia; veluti, exemplum ut addam, quorundam in colo inteſtino interiorem tunicam adeo teneram & ſenſilem eſſe, monuit Celeberr. Th. Willis part. 1. Pharmac. ration. ſect. 1. cap. 2. ut ab enemate, licet anodyno, injecto, ſpiritus ſtatim excandeſcentes, ac intra fibras nerveas exploſi, membranas ſummè inflent ac diſtendant, adeoque in toto abdomine maximas moleſtias excitent. Ut itaque duplici nomine impudentiſſimum fuerit Circulatoris iſtius promiſſum, quem omnes, nulla alia conſideratione habita, ſolo clyſteriorum uſu curare ſe velle ægrotos, quicunque illi eſſent, Brixiæ fuiſſe profeſſum, Aloiſius Mundella, Medicus Brixienſis Italus Epiſt. medicin. 8. ſcribit, ſcilicet tum quòd omnibus ægrotis indiſcriminatim iſtud remedii genus adplicare auſus fuerit, tum quemvis morbum ſolo eo profligaturum ſe jactaverit; cui quidem tam proficua ex iſto myſterio obtigit meſſis, ut brevi tantam pecuniæ ſummam extorſerit, quantam præfatus Medicus, licet continuis medendi exercitationibus omne tempus contriverit, decem annorum ſpatio non lucrifecerat. Quod eò faciliùs credere ipſi debemus, quò certiùs Practici compertum habent, ubique ferè locorum non admodum abſimilem ſortem Medicis genuinis & fictis contingere. Præſertim verò frequentior eorum uſus non adeò tutus eſſe comperitur. Maximi nominis Archiater Cæſareus, Joh. Crato. tria incommoda recenſet: videlicet calorem inteſtinorum debilitari, flatuum proventum ſuſcitari, & naturam ad expellendum ſegniorem reddi, vid. Conſil. medic. à Laurent. Scholzio collect. conſ. 169. & 199. Immoderato quoque uſu non ſemper ſubduci ſuperflua, ſed interdum quoque neceſſaria, indigæ Naturæ in utile alimentum ceſſura, Nicol. Tulpius lib. 3. obſerv. medic. cap. 16. edocet. Jure meritoque igitur Barbitonſorem quendam Liſſetus Benancius, Gallus, tract. de pharmacop: fraud. & error. ab Excell. D. Th. Bartholino latinitate donatus, pag. 67. perſtringit, qui vix octidui ſpatio ultra centum clyſteres miſero cuidam ægro adplicuit, ſimulque eundem ære egregiè emunxit, cui tamen unus vel alter morbo conveniens ſubito ſedare & imminuere dolorem potuiſſet. Tales utique catalogo illorum veterum Medicaſtrorum inſeri merentur, quos remedio iſto non adjuvandum, ſed nocendum uſos fuiſſe, Celeber. D. D. Joh. Dan. Major. dub. 11. Chirurg. infuſor. §. 8. oſtendit, quorum cauſa interdicto opus fuerit, quod ſub nomine Ulpiani L. 9. §. 1. ad leg. Aquil. his verbis exſtat: Si quis per vim vel ſuaſum medicamentum alicui infundit vel ore, vel clyſtere, vel ſi eum ungit malo veneno, lege Aquilia tenetur. Similium ergo ad humani generis deſtructionem natorum Medicinæ monſtrorum peccata ſi vulgo innoteſcant, neutiquam mirum, medicamen adeo proficuum ei inviſum reddi, utpote cui abuſum à genuino uſu diſcernere, rarò eſt conceſſum. Quamvis hac etiam abſque data occaſione, novum haud ſit, clyſterum uſum ab eo, tum ineptum ob pudorem, tum & vanum propter timorem, contemni ac rejici. Quoad illum, Paracelſi forte defendi poſſent clypeo, qui lib. 2 tr. 1. de morb. & tartaro oriund. cap. 6. viliſſimum, abſurdiſſimum, & turpiſſimum medicamen vocat; nec ipſe uſus contradicere videtur, dum iſti adaptari requirunt parti, quæ vel non, vel ſaltem haud abſque pudore nominari ſolet, & ſic multò minùs denudari, quod tamen pro applicatione requiritur,) abſque verecundiæ læſione debet. Sed, quæ de hoc Paracelſi effato, ratione turpitudinis, eſt ſententia Cl. D. Olai Borrichii lib. 2. cap. 1. §. 12. de Hermete Ægypt. utilitas vincit turpitudinem. Turpia quoque delectare aliquando, exemplo addito, ibidem demonſtrat. Naturalia ſanè, ſi petulantia abſit & laſcivia, non ſunt turpia; neutiquam deeſt partibus iſtis, obſcœnis dictis, ſuus nitor & elegantia, qua vel cum aliis corporis partibus decertare, palmamque dubiam reddere valent; cujus ſpecimen apud Athenæum lepida ſuppeditat hiſtoria quam etiam Exc. D. D. Joh. Theod. Schenckius Exercit. anatom. p. 201. inſeruit. Cæterum verecundiam omnibus cordi eſſe utique decet; aſt neceſſitas ubi urget, tam ſtricte eadem non obligat. Huic tamen utiliſſimæ medelæ impedimento obviam ut irent, de clyſterum, quæ ab ipſis ægris fieri poſſet, applicatione multi laborarunt, quos inter Chirurgorum Germaniæ Antiſtes, ceu Guil. Fabricium Hildanum venerandus Archiater Dn. Simon Pauli Claſſ. 3. Quadripart. botan. cap. de ruta, ubi de clyſteribus diſſerit, appellat, non incommodum invenit & deſcripſit libello de dyſenter. c. 10. Alios etiam Joh. Heurnius Meth. ad praxin. lib. 1. nec non Joh. Scultetus part. 1. Armament. Chirurg. tab. 13. & 44. delinearunt. Suum inprimis extollit inventum Regnerus de Graaf tract. de clyſteribus addito tract. de viror. organ. generat. inſerv. quo tam commodè injectionem iſtam peragi, ſcribit, ut nullus ægrotantium ſuorum à clyſteribus ampliùs abhorreat. Nec contemnendus eſt modus, quem exhibet Nob. D. Joh. Paterſonius Hain. Ephe. German. Curioſ. Anno 3. obſerv. 221. pudibundis ſuis ægrotis, præſertim feminis, rem eſſe gratiſſimam, teſtatus. Innocentiam verò remedii hujus, à perito & prudente Medico propoſiti, ipſa experientia ſatis ſuperque defendit. Unde illorum timorem, qui ejuſmodi medicinam uſurpantes Libitinæ victimas evadere putant, appoſitè ſuperſtitioſum vocat Excellent. D. Chriſtian. Langius Miſcell. curioſ. med. 6. Grave etiam & periculoſum ut remedium qui rejiciunt, toto cœlo aberrare, econtra benigniſſimum & innocentiſſimum eſſe, oſtendit Jacob Primeroſius lib. 4. de vulgi in medic. erroribus, cap. 20. Ridiculum inſuper metum iſtum popularem ſalsâ, ſed condigna oratione explodit Clariſſ. Henr. Cellarius cap. 6. art. 3. de putatitiis morb. uterin. Vulgare hoc, in Germania præſertim malum hac quoque in Urbe ſæpius experimur; in qua perneceſſariam quandoque infuſionem iſtam ægerrimè ut plurimum Medentibus impetrare datur; quin & ob perverſam plebis in judicando licentiam, non niſi ſumma cum circumſpectione ſæpe ſuadere licet, ne culpa, ſi mors ob gravitatem morbi opprimat, vel aliud ſymptoma grave urgeat, adhibito priùs enemati per-

verſè

versè imputetur; ſaluberrimumque remedium diffametur. Quam gratiam feliciſſimo Practico, Felici Platero, quidam ab angina jam reconvaleſcens, debilitate verò corporis adhuc laborans reddidit; à quo tamen genuinam cauſam, ſuæque opinionis ſtultitiam edoctus fuerat; quod ipſe lib. 2. obſerv. medic. pag. m. 412. recenſuit. Ratum itaque habeatur Bartholini, magnam laudem Enematis deberi, ſcribentis judicium: quæ nec corpus turbant, nec debilitant, quod Diſſert. 3. de Medic. Danor. domeſt. protulerat, atque averſionem à clyſteribus inter errores Patriæ Diſſert. 9. referendam duxerat.

Ex faucibus aqua Mercuriali inconſultè tactis coecitas.

Honeſta fœmina nondum quadragenaria ex oſculis, & halitu, & accubitu mariti, ex lue Venerea recens convaleſcentis, fauces aſperari ſibi ſenſit, tonſillas erubeſcere, & ulcuſculis hinc inde obſideri. Advocatus imperitus magiſterii tyro, non expurgato priùs corpore, aqua Mercuriali fauces quotidie illevit, & in paucis hebdomadibus ulcera omnia ad maleficam cicatricem perduxit. Verùm enimvero ſtagnans adhuc in glandulis faucium impurus humor, cùm viam ampliùs per clauſas tonſillas non inveniret, infelici metaſtaſi in utrumque ægræ oculum ſeſe violentiùs effudit, & ita paulatim invaluit, ut licet omnia in adverſum moliente Chirurgo ocular io, quem re cognita ſuaſi conſulendum, malum in funeſtam cœcitatem degeneraret, nec vel fontis Helenæ collyrio, nec aliis utcunque generoſis cederet remediis. Tanti eſt methodum in medendo vel ignorare, vel negligere. *D. Olai Borrichii.*

Cæcitas altero Oculo læſo.

Heri vidi Filiam Conſulis cujuſdam in Cimbria, cujus dexter oculus vulnere per cultrum improvide impactum viſu orbatus, Eo vero oculo perſanato, ſed ſine viſu, ſiniſtrum oculum antea ſanum Cataracta incipiens aggreditur: Forte quod ad Oculum læſum humores affluere jam ſunt aſſueti: Aqua Ophthalmica ex chelidonio majori aliiſque videbimus quid poſthac efficere valeamus. *Thomas Bartholinus.*

Cæcitas poſt epilepſiam in parturiente.

Chr. H. Mercatoris primarii uxor, cùm per totum geſtationis tempus ſatis benè & bellè ſe habuiſſet, Anni agonizantis 1668. die 23. Decemb. nihil tale cogitans, frequentibus corripitur convulſionibus epilepticis. Vocor confeſtim à fratre ægre affinitate mihi conjuncto, variaque antepileptica præſcribo. Sed vix diſcuſſo uno Paroxyſmo acceſſit alter, atque ita continuò ferè convulſa, enititur filiolam. Tandem ſuperatis poſt partum convulſionibus, atque lethargo has inſequente, ubi ad ſe rediit ægra, ignorans quid intereà contigerit, infantem recens natum ſibi porrectum primùm quidem ad ſe pertinere negavit, poſtea verò non tantùm perſuaſionibus, ſed ipſa quoque alvi detumeſcentia victa, ſuum quidem eſſe partum cognovit, ſimul tamen viſum ſibi ſublatum eſſe conqueſta eſt. Obtulimus mox & alia objecta, ſed neque umbram illorum oculis, iiſque ut ex inſpectione colligere licuit, nullo modo læſis, comprehendere potuit. Repentina hac cœcitate non tantùm ipſa ægra ejuſque maritus, ſed & amici adſiſtentes maximè percellebantur, quia cunctis in recenti adhuc memoria erat Matrona noſtras, poſt plurimos inſultus epilepticos eodem anno viſu omnimodè privata. Ingenuè fateor, quod & ego, ubi non tantum citatum jam exemplum, ſed & illud, quod refert Fab. Hild. obſerv. Chir. Cent. 5. obſerv. 5. & aliàs cæcitatis è diverſis morbis curatis ortæ, atque ab authoribus annotatæ hiſtorias, probè perpendi, tale in animo meo formaverim Prognoſticon, quale ſimiles ſuppeditavere caſus. Ne tamen conceptum terrorem augerem, bono animo omnes eſſe juſſi, nebulaſque iſtas ſudore largiori diſſipandas eſſe monui. Ægra deſiderio videndi fœtum, per tot menſes in Utero ſuo abſconditum, capta, omni conatu ſudorem provocat, licet nullo, ut tum videbatur, emolumento. Donec tandem veſperi poſt horam octavam primum quidem lumen candelæ accenſæ ſe videre edixit, & ſic dein pedetentim viſus priſtinam recuperarit aciem. Qua adhuc Deo propitiante pollet. *D. Georgii Segeri.*

In cæcitate inopinato Viſus reſtitutus.

Anni proxime ad exitum currentis die Nov. 3. adfui Nobil. Virgini, natæ 25. annos, quæ cœca erat; Palpebris clauſis oculi intorti deorſum ad angulos internos decumbebant, nihil prorſus videntes: Gutta ſerena videbatur ex cerebri narcoſi, vel humiditate ejus partis, unde nervi oculorum motorii & viſorii oriuntur, ut & Paralyſis oculorum: Præter voluntatem ſubinde oculus movebatur, ſed leviter; concuſſum fuit ea parte cerebrum à janua cadente. Ipſum quoque cranium inæquale, ſinum oſtendit circa ſuturam lambdoideam. Antequam hoc oculorum vitio comprehenſa eſt, copioſo ſero ſtillarunt oculi, puſque ex naribus fluxit, ut de cerebri abſceſſu ſuſpicionem dederit. Cum prorſus viſu privetur, metuſque ſit imminentis vel Apoplexiæ vel Epilepſiæ, D. Henricus à Moinichen Regius Medicus, qui curæ ejus præerat, me una cum celeberrimis Viris, D. Simone Paulli & D. Olao Borrichio, ad conſilium vocavit. Communi conſenſu ad evacuandos humores ſeroſos cerebrum inundantes, caputque exſiccandum & roborandum præſcriptæ Pilulæ Cephalicæ, Lucis, Cochiæ, Panchymagogicæ Crollii, cum reſina Julappæ: Emplaſtrum de Betonica raſo bregmati impoſitum, & ſubinde Pilulæ de Succino Cratonis exhibitæ, aliaque hiſce indicationibus inſervientia. Poſt uſum horum medicamentorum commotus aliquando uterus, ad vomitum concitavit ægram, quo concuſſo cerebro, medicamentis præſcriptis roborato, oculi converti ſenſim, exſiccatis ſcilicet liquoribus nervos laxantibus, cœperunt, pupillæ ad rectam lineam erectæ, palpebræ aperiri, & mox obſcurè, tandem clarius objecta diſcernere, magna omnium admiratione, qui perpetuam cœcitatem ipſi ægræ prædixerant. *Thomas Bartholinus.*

Viſus debilitas, cum acri Catarrho in Oculos decumbente, fonticulo ſanata.

Memini me ante annum 1673. duo ſingularia utilitatem fonticulorum probantia in malo Iſchiatico & Scrophularum curatione ad noſtros Curioſos tranſcripſiſſe. Huic materiæ amplius inhæreo. Chiliarcha quidam apud ſuos fortiſſimus, viſus imbecillitate acrique defluxu cum rubedine oculorum laborans, cum adverſus hoc malum omnia præſidia fruſtra experiretur, fontanellam ipſi ſuaſit Medicus, cui conſilio obediens, tam ſingularem ſucceſſum jam experitur, ut & ea, quæ antehac vix oculo perſpicillis armato conſpiceret, nunc acute ſine conſpicillis cernat, & quidem ſenex melius quam ante decennium. *Joh. Laur. Hannemanus.*

Mirum viſus ſymptoma.

Anno 1674. die Octobr. Buxtehudæ quidam faber lignarius annorum 54. conqueſtus mihi eſt de quodam viſus ſymptomate, quod ſubito ipſum invaſit tabacum è fiſtula ſugentem; omnia enim objecta in aëre ſereno & claro ipſi ante viſum duplicantur ac geminata apparent. Suaſi caput purgantia, & pulverem Bartholini naſalem mihi quam maximè familiarem. Quomodo viſus duplicetur, præſertim qui tam cito id factum in allato ægro, mecum multi ſcire deſiderant. Forte ſuctio tabaci humores nimium movit in nervum Opticum, eúmque mediotenus obſtruxit. *Dom. Johan. Ludovic. Hannemanni.*

Rarum circa viſum Symptoma.

Vivit etiamnum Vir Eruditus, Theologus ſummus, qui cum ante duos circiter annos, animum curis & laboribus feſſum, muſica recreaturus fides aptaret, una chordarum diſrupta oculum ipſius dextrum plaga dolorifica afflixit. Proſpicitur ſtatim oculo læſo refrigerantibus ophtalmicis, quibus inflammationi imminenti obviam itur, ita ut nil amplius timendum videatur. Nocte jam adulta, ex ſomno evigilans cuncta clare ac ſi de die eſſet videt. adeo ut & minimos picturarum & tapetum tractus obſervare characteresque ex libro legere poſſet, miratur cauſam, læſumque oculum claudit, hic denſæ ubique tenebræ, ſanum dum claudit ubique lux eſt clara. Inclamat ſervum, jubetque apportari lumen, ſed ſuſtinere non poteſt ob ſplendidos ad moleſtiam uſque apparentes colores. Idem de die fit ſi modo ſol aliquantum ſplendet: unde coactus eſt oculum clauſum ſemper firmare. Hoc Symptoma durabat per aliquot dies inde ſenſim evaneſcebat. *Dn. Albardi Hermanni Cummii.*

Flamma ex Oculis erumpens, & Illuminans literas.

Quæ de Urina noctu lucente ad Ephemerides Naturæ-Curioſas tranſmiſi, ea & aliis cordatioribus, & inprimis clariſſimo Dom. Joh. Tackio Archiatro Haſſo-Darmſtadino atque Med. & Eloqu. Prof. in Academia Gieſſena aperui, & ſub cenſuræ regulam tradidi. Ille ergo in amicitiæ literariæ mutuos complexus armandos, candoriſque ſui certitudidem eloquentiſſime ſequentia reſpondit, Darmſtadio " 30. Decemb. 1675. poſt ſalutem & pauca alia. " Sed ſæpe laſſant conatus noſtros impedimen" ta, & vel unius clypei defectus, quo tuea" mur regiam vitæ noſtræ, ne dicam inania ha" ctenus & ab aliis decantata præſidia, quibus " multoties inhærere cogimur, ne à conſuetu" dine recedere velle videri queamus illorum, " quibus integrum eſt nihil ultra ſapere velle, " niſi quod ipſis viſum eſt, & ne calumniandi " illis ſuppeditemus materiam. A qua ſane " neque tu apud omnes immunis eris, dum de " Urina lucente tam egregias ad me ſcribere " voluiſti meditationes, dum cenſuerint non" nulli te vel ſuperſtitione captum, vel impe" dimentum oculorum paſſum tibi ipſi de in" viſo urinæ lumine gratificari voluiſſe. Sed " valeant ſiniſtræ aves. Mihi, quantum lumi" nis ſit in animalibus, præter ea, quæ Bartho" linus ſcripſit, jam ſatis compertum eſt, dum " vel unius diei recordor, quo inhærens medita" tionibus intenſioribus, pro elaboranda ora" tione funebri in honorem Electoris Saxoniæ " Divæ memoriæ, in Academia Giſſena ingru" ente crepuſculo jam in noctem vergente, vidi " ſubito ex oculis meis erumpere flammam in " ſubjectam albam chartam, quæ adeo illumi" nabatur, ut adhuc illius luminis uſura ſcribe" re poſſem duas integras lineas, antequam " evaneſceret, qua ſane non leviter territus è " Muſæo me cito proripui, haud interea parum " anxius ob exempla Bartholini & rationes ip" ſius nonnullas, ne oculorum aut viſus dam" num inde mihi ſuccederet. At Deo Servatori " meo ſit laus & gloria, qui in hunc uſque diem " me ab illiuſmodi viſus malis ſoſpitem & im" munem eſſe voluit, licet ideò illius apparen" tis flammæ coruſcationibus multoties ex ocu" lis promicantibus infeſter, ut ſæpe ſoli mihi " non eſſe liceat. De Urina vero tua lucente ut " aliquid tuis addam, vix invenio, videris " enim tetigiſſe acumen veritatis, dum Urinam " tuam lucentem cum mari coruſcante & ſcin" tillante comparare voluiſti, Habent & Philo" ſophi ſuum mare: habent & hi ſuum Ocea" num, in quo pingues, ſquamiſque argenteis " micantes generantur piſciculi, quos qui ſub" tili reti involvere & extrahere noverit, piſ" cator peritiſſimus habendus eſt. Vid. arcani " Hermeticæ Philoſophiæ operis §.54. neq; ignotum tibi eſſe arbitror, quod de luce commen" tatus ſum in Chryſogonia mea, ſive Phaſide " ſecundo, & præprimis quod ex inſigni illo " Theologo Arndio, quem Adeptum fuiſſe cre" dunt multi, ex quarto libro de vero Chriſtia" niſmo adduxi, cap. 1. de luce. Denique nec " illud ab hoc loco alienum eſt, benigniſſimum " Opificem lucem puram, pulchram & delecta" bilem omnibus rebus creatis indidiſſe: ut " norunt phyſicarum ſeparationum periti; & qui " omnium rerum puritatem ab impuritate & " tenebris Philoſophicè norunt ſeparare, & ad " naturalem ſuam perfectionem & clarifica-

“tionem corpora perducere. Quæ ipſa pulcherrimus typus & teſtis clarificationis corporum in illa die, quando omnis impuritas à corpore & anima ſeparabitur. Hactenus Arndius: unde haud ſine conſideratione dicit Daniel, cap. 12. Erudientes ſplendebunt quaſi ſplendor expanſi; nempe in reſurrectione, & juſtificantes multos, ut ſtellæ, in ſempiterna ſecula. Et Chriſtus: Juſti effulgebunt, ut Sol in regno patris ſui. Ecce tibi abſconditam in nobis lucem, & veram ſophorum materiam, qua ſine nihil unquam ſolidi præſtiteris.

“ Sed quid hæc ad urinam, non nemo dicet excrementum illud exoſum, putidum, proſcriptum extra regiam microcoſmi? Quid hæc cum illa æterna beatitudine conferri poterit? Sed, quæſo, parcite Viri cordati, etiam in ſterquilinio habitat interdum ſplendor, & ſordido ſæpe pallio involuta tegitur Sapientia. Homo microcoſmus eſt, & quod in cæteris regnis invenitur, id forte in homine ſolo concluſum invenietur univerſum. Admovete quæſo manus veſtras & quærite & invenietis, quod in metallis eſt, & plantis & arboribus, imò in carne, ſanguine, cæteriſque corporis humani partibus, idem non deſiderari in urina. Eſt autem id lux quædam, ſive ſtella lumine ſuo coruſcans, quam aliqui appellant humidum radicale, lumen cœleſte, ſcintillam vitæ, ſalem armoniacum, qualem etiam habent herbæ, prout demonſtravi, quæ interdum è chao ſuo emergit & videtur ſingulari diſpoſitione naturæ vel artificis. Si diu in vitro detinueris urinam, illa prope fornacem colores varios induet & inſtar auri colorabitur in ſuperficie. Sic enim humidum radicale paulatim ad ſuperficiem egreditur (ob menſtrui ſaliſque extraverſi conditionem, ut habet Phaſ. 2. p. 117. Vir ſummus. Cui ſimile quando Phaſ. primi pag. 33. inquit: Et quis neſcit, in urina hominis eſſe virtutem mineralem? Siquidem arenulæ cum ea ſecretæ & aurea ſupernatans urinæ pinguedo, qualis etiam aquis innatare ſolet ſtantibus ſive quieſcentibus, menſe Junio & Julio, teſtimonium ſatis perhibent vitriolicæ in homine naturæ) videmus aquas vitriolatas auri colore tingi ſtantes & ſolari luce irradiatas. Et dicit Walchius, materiam Philoſophorum inſtar flammæ aliquando accendi, forte prævia putrefactione aliqua, & ubi à ſuo corpore liberum ſit humidum radicale. Quo pertinet illud *Baſilii: Wenn du den feurigen, brennenden Wein-Geiſt kanſt gefanden nehmen, ſo haſt du ein Groſſes in der Chymiſchen Feld-Schlacht erhalten.* Fit enim ex ſale, oleo & phlegmate ſpiritus vini, cui analoga eſt urina. Sed quo proripior, Tu jam examina, quæ in Te habes aut inveniſti & conſpexiſti; & vide, unde poſſis oleoſi & vitalis tui luminis cauſam etiam in urina deducere. Hæc ille veri & ſapientiæ cultor, Amicus ſinceriſſimus.

Iterum cum rogarem, an pace ipſius liceret reſponſum hoc pro ſcholio ad obſervationem noſtram Ephemeridibus Naturæ Curioſis adjicere, inter multa alia, quæ genuina illis in Phaſide ſuo triplici ſophico expoſitis nolo huc tranſcribere, reſcripſit 15. Januar. 1676. Rata “verò Deus habet vota tua, vertatque benevolentiam tuam, quam in me exeris, in petram immobilem, ut alius alium levando tandem aſcendamus in ſublimem petræ ſanctæ apicem, in eaque neque convulſi, neque commoti ſtemus, uſque ſuperatis omnis ignorantiæ anguſtiis, hujuſque mundi faucibus exempti invicti inveniamur, nihil ad æternam veritatem caligantes. Eſt enim ea lucis natura, ut in apricum ſemper promoveri amet, &c. Poſt quæ tandem. Magna res eſt veram cognoſcere lucem, quam ſi noveris, humidum radicale noveris, noveris aurum verum & ſophorum, noveris ignem & plura alia, quæ tanto celarunt alii artificio. Separa & ad puritatem omnia cum Paracelſo ducito. Sic tibi vita patet, nec non & mortis imago. Quæ de cætero de meis communicandis ad me perſcribis, ea quidem non invideo Naturæ Curioſis; ſi emolumentum exinde ad illos aliquod ſperandum eſt. Minimus ſum veritatis occultæ indagator, unde ad diſcendum potius, quam ad informandum factum me exiſtimo. Fac ad placitum tuum omnia. Veritas perſtabit ſemper. Huc uſque Chymicus celebratiſſimus. At eheu non ſine omine, quippe qui poſtea ex febre tertiana ſyncopali evaſit quidem feliciter Dei auxiliis, ſed dyſenteria tandem lethali occubuit cum luctu aulæ Principalis, lacrymis familiæ fæcundiſſimæ, dolore eruditorum plurimorum, ſed anhelans ad mundi melioris felicitatem, quibus verbis ipſe finit Phaſidem ſuum ſecundum, ſed relinquens Nobiliſſ. filium Dn. Ludovicum Chriſtianum Med. I. & Prof. Extraordinarium apud Giſſenſes, quem ut non imparem jam videmus paternis virtutibus, ita vovemus, & ſperamus, ut quod credit in eruditiſſima Diſputatione in“augurali de Podagra Ann. 1675. Giſſæ habita Aſæ & Phaleiæ luminibus brevi emerſuris, manifeſtum reddat vera eſſe quæ audivit & vidit de Spiritu illo coagulato, qui eſt Sulphur, Lumen & Centrum rerum omnium. Quæ eum magnus ille Philoſophus invidere noluerit, nec ego invidebo. *Salom. Reiſelii.*

Vnguentum Ophthalmicum efficax.

Vitricus meus Dn. Anton. Schott. Ictus, Comes Palatinus & Conſil. Cæſar. Colmarienſium Syndicus, Liberarumque in Alſatia Civitatum Imperialium (eheu fuimus Troes!) ad S. R. I. Comitia Legatus, cum Baſileæ ſtudiis litaret, tanta corripiebatur ophthalmia atque epiphora, ut luminis impatiens, horrendos inter dolores, in calamitoſa obſcuritate, non paucos menſes tranſigere fuerit coactus. Nihil inexpertum à Medicis relinquebatur, intactum nihil. Sed tanta erat vis morbi, ut nulli auxilio cedere voluerit. Tandem cum lumina, tantum non occœcata, methodicè curari reſpuiſſent, ad empirica tranſitum eſt. Commendatum inter alia hoc etiam unguentum, quod recipit Ung. Nihili & de Tutia ana ℥ij. Margarit. Corall. rubr. oculor. cancr. Tutiæ, omnium præparatorum an. ℈j. Camphoræ gr. vi. fol. aur. & (an. num. iv. M. f. Ung. hora decubitus lentis magnitudine cantho oculi majori indendum, &

inſtra

infra palpebras allinendum. Dici non poteſt, quam cito unguenti hujus uſu violentia morbi laxabatur, adeo ut manu fere abſtergi malum videretur, gaudeatque hodiernum vir laborioſiſſimus ſatis acie oculorum acuta, quæ tamen manifeſtè obtunditur, quoties per biduum aut triduum abſtinet illitione hujus chriſmatis, è veſtigio redux, ubi repetitur. Quo modo prædictos, qui moleſtaverant, affectus ſedaverit, facile aſſequi poſſum, ex moderate quippe quibuſdam refrigerantibus, adſtringentibus & deſiccantibus conflatum, rite jam celebratis univerſalibus omnibus, non potuit non eſſe conducibile. Sed quomodo viſum acuere poſſit ex meris terreſtrioribus, non volatilibus, excepta camphora, conſtans, dùbium ſubit. Fallor ne, Excellentiſſime Dn. Bartholine, ſi dixero tunicarum poros diuturno lippitudinis ardore, & jugi decurſu copioſioris materiæ lachrimalis, aliuſque excrementitiæ, magis dilatatis, quam pro naturæ conſuetudine fuiſſe, ita quidem, ut propter diuturnitatem mali, etiam hoc ceſſante, in priſtinas tamen anguſtias coire & cogi non potuerint, indeque fieri, ut, laboribus literariis intentiſſimi, ſpiritus inter agendum copioſius exhalent, impediri verò hunc tranſitum citiorem, ſi anguſti meatus conſtringantur magis, recreenturque ſpiritus copioſiori volatilitate. Feci experimentum ita, addidi ſacchari ſaturni ℈j. & Camphoræ pondus duplicavi, ſenſique manifeſte affectus promptiorem felicitatem. Quin præmiſſis univerſalibus, prædictum unguentum in Ophthalmia cognatiſque affectibus tempeſtiva adhibitum, uſque adeò raro fefellit ſpem, in Colmariæ, Ratisbonæ, Viennæ &c. quamplurimis in pretio habeatur, feliciſſime illo & frequentiſſime tum ad præſervandum, tum curandum uti ſolitis. Incidit hic memoria reſtitutæ hujus beneficio 1672. Ratisbonæ puellæ triennis, cui quicquid ſeroſorum erat excrementorum ad oculi dextri regionem confluxerat, intumeſcentibus ita circa oculum partibus, ut ne quicquam videri poſſet, ſpectaculum erat, quale deſcripſit Cous noſter l. περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς t. 32. aucto præſertim circa noctem dolore, quod an univerſale? quæritur lib. 7. Ἐπιδημ. t. 30. Conclamata videbatur ſalus oculi, cum tentata per complures dies omnia, nucis ne caſſæ pretium effeciſſent, tandem obſtructio alvi Syrupi roſar. S. S. exhibitione debellata ut l. περὶ τόπ. κατ' ἀνθρώπ. t. 21. docemur, tum illitum chryſma, & majorana recens naribus eo ſucceſſu admota fuit, ut altera ſtatim die detumeſcere oculus & conſpectui ſe dare acceperit, brevi integra ſanitate ſubſequente, materia vero per nares evacuata tam acri, ut etiam labia eroderet, quam quidem viam improbare videtur Dn. Mauritius Hofmannus in Sciagraph. Morb. Contagioſ. Diſput. 34. ſed confiſus oraculo Hippocratico l. περὶ παθ. κατ' ἰητρ. t. 21. Cui exemplum Hegeſiſtrarii l. 5. ἐπιδημ. t. 16. patrocinatur, quo vergere videbatur, commodo eduxi materiam. Vias ab incomparabili Stenonio, præceptore hic Hafniæ meo, egregie didici, ut mirari ſubierit, qua ratione tantus ab oculo in nares canalis oculatis tam diu cœcus fuiſſe potuerit? *Johan. Valent. Willii.*

Aqua Ophthalmica nova.

Illuſtrationi ſpititùum, puritati humorum, eductioni excernendorū, mundiciei tunicarum, haud mediocriter conſultum iri arbitrabar, ſi ex concinna ſimplicium ab omnibus authoribus commendatiſſimorum collectione ſpirituoſiſſima aqua & parata facilis & viribus præſtans eliceretur. Quod an ego feliciter exſecutus fuerim, judicium penes Te & experientiam eſto. Herbas certè, quas in conſtitutionem aquæ cooptavi, qui præ aliis omnibus viſus claritudini dedicatas ignorat, hoſpes ſit in medicina neceſſe eſt. Omnium ſcriptorum loco, ad quos provocare poſſum, eſto Quadripartitum Excellentiſſ. Dn. D. Sim. Paulli.

Colligo ſcilicet, ad ſolis ortum cum jam jam Mnemonis genitrix cœlos purpuravit, menſibus æſtivis Valerianam magnam, chelidonium majus, euphraſiam atque fœniculum, quæ cum floribus caulibus, foliis, radicibus eruo, probeque à ſordibus omnibus repurgata, non tamen lota nec tuſa, æquali portione ſingula in cucurbitam capaciſſimam vitream conjicio, infundo dein aquæ roſar. albar. bis deſtillatæ q. ſ. clauſumque probe vas loco tepido committo, & triduanas inducias pro ſorbendo & imbibendo, quem affudi, liquore roſaceo, plantis concedo. Tum aptato recipiente, leni admodum MB. calore latex limpidus nec uſque adeò remiſſe olens deſtillatur, in quo tamen mephytis valerianæ prævalere videtur. Elicitum ita liquorem recentibus denuo herbis eodem modo collectis & purgatis affundo repetito priori proceſſu; quæ cohobia atque hæc excipientes deſtillationes ubi tertia vice ſucceſſerunt, enituntur ſpirituoſiſſimam aquam colore limpidiſſimo fonti ſimilem, ſapore ſubacri, odore mixto, prævalente tamen valerianæ, tantæ penetrationis, ut ſi vel unicam guttulam tetigeris, integram diem odorem liquoris ſparges, ſolet etiam olei aliquid, fœniculum potiſſimum redolens, innatare. Anceps hæſi extractumne ſalem lixivum, tam ex capitibus mortuis, quam aliis recentibus plantis paratum (ſi enim ad liquoris ℔j. ſalis requiruntur ʒi. vel iij. atque ad ſalis ℥i. Olei ℥ß, ad ʒj. capitum mortuorum ſales minime ſufficere poſſunt,) imprægnarem oleo, liquorique ſic permiſcerem? An verò oleum ſinerem, abſque mixtione cum ſale, innatare liquori? Illud ſuadebat, augmentum virium quod ex mixtione omnium partium plantarum redundaturum eſſet, ſi quidem in omni ſale fixo lixivo, volatile adhuc aliquid latere, vireſque aliquas plantæ peculiares ſuæ obtinere ſalia talia, non ambigebam, confirmorque jam rationibus Excellentiſſ. & experientiſſ. Dom. Olai Borrichii, magni illius Philoſophi, in Hermet. c. 5. num. 8. Accedit deinde, quod oleum, in quo haud exigua & inutilis virtus dominatur, aqueo liquori alio modo uniri nequeat. Verum quia in omni ſalis lixivio mordax latet acrimonia, (qua ſi careat retuſis ſcilicet vehementia ignium angulis ſalinis, ſalis nomine indignus profecto eſt.) cujus aliquoties applicitæ oculi quorum ſenſus exquiſitiſſimus, & dolor pericu

loſus eſt, impatientes ſunt, plus incommodi quam fructus, hanc ſalſuginis copioſioris admiſtionem excepturum videbatur. Noveram equidem alias etiam aquas ophthalmicas longe ſalſiores adhiberi ſolere, v. g. ſapphirea illa Agyrtarum apud Schroeder. l. 2. Pharm. c. 39. ſed neq; uſum harum frequentem neq; ad alia quam craſſiora vitia, v. g. pterigia, ſuffuſiones, ulcera &c. approbare poſſumus. Ne vero aqua ſuo privetur oleo, nonne q. S. ſacchari, ratione abſterſionis ſcopo non adverſantis, eo imbui, aquæque remiſceri poſſet? Quin expertus ſum etiam oleo quam ſtudioſiſſime ablato, tanta tamen virtute liquorem ditaſſe, ut vel guttula, prout modo innui, volæ infuſa & penetret cito, & odorem tota die, non omnibus vero æque gratum, ſpiret, oculo, ſi guttula inditur, brevi mordacitate moleſta eſt, brevique reſiccatur, magno Virium argumento, ſufficientium ad acuendum viſum, & facile per miſcellam ſalis & olei augendarum, ſi uſus & neceſſitas poſtulaverit. Itaq; hanc ego diſtuli, jurene, nec nè, Te arbitrum advoco. Effectum quod attinet, in me ipſo non levem expertus ſum, qui dextri oculi acie plane non ex voto fruor, ſine tamen dolore, quam quotiens veſperi unius & alterius guttulæ inſtillatione in oculum utor, manifeſte acuo adeo, ut ſequenti die liceat eſſe longe oculatiori. Ita ejuſdem liquoris efficaciam laudarunt quotquot eo ſunt uſi, quanquam prima operatione rudior parumque craſſior prodierit. *Joan. Valent. Willii.*

Pinguedo Viperarum Ophthalmica.

Ubi virus ibi virtus: Benefica mater eſt Natura, ubi maxime noxia videtur, obtuliſſe humano generi, ibi ſummum revera offert remedium; quoque excellentiores virtutes ſimplici cuidam è Regno triplici corpore indidit, eo magis id munivit, & quaſi obvelavit, ut arcerentur indigni, contra rimantes ipſius arcana eò magis allicerentur non aliter ac theſauri illic tutiſſime reconduntur, ubi minima illorum præſentia datur ſuſpicio. Exemplo ſint vipera, quarum dotes medicæ olim ignoratæ, noſtro potiſſimum producuntur ſeculo, ut proverbio: Sanguine viperino peius, nullus in rei veritate amplius ſit locus. Taceo illa, quæ jam publice mundo ſunt expoſita, Bezoardicum animale, Spinar. magiſter. ſal volat. ∽um, oleũ, taceo coronam viperinam, alibi recenſendam, & alia. Pinguedo viperarum, ut oculos nitore ſuo & puritate mire delectat, ita præter alios uſus ſingulare conſtituit Ophthalmicum. Meminit hujus tribus verbis Crollius Baſil. Chim. p. m. 314. ſed utendi modum non exponit, multo minus virtutes. Duplex eſt ille uſus; ea enim vel extima oculi veſtis, h. e. palpebra, illinitur, id quod pro viſus confortatione & humorum diſſipatione locum habet, vel, quod melius & præſentius, cum penna ſcriptoria munda, inferius obtusè reſecta, gutta una vel altera in ipſum oculum derivatur. Medicamentum eſt divinum & ſereniſſimum in affectibus oculorum pleriſque, imprimis verò, ubi unguiculus unus vel plures, *ein Seifelin* ſe prodit, idque vel ſimpliciter, uti dictum, adhibitum, vel prius leniter calefactum. Demulcet acrimoniam, lenit, abſtergit, conſolidat, ut nihil ſuprà. Hac ipſa ſæpiſſimè unguiculos & tubercula breviſſimo tempore abegi, rubedinem diſcuſſi, & aliis affectibus opem tuli. Vulneratis oculis præſentaneo eſt auxilio, à variolis reſiduis in oculo maculis, nubeculis & unguibus unice medetur. Hoc autem inprimis peculiare & curioſum eſt, quoties inſtillatur oculo, brevi poſt tempore inſtar butyri albi, puriſve effluit materia, vel, quod humores aceſcentes & acres h. m. quaſi ſalino pinguedinis fermento, præcipitantur, vel, quod eadem omnem amurcam, ſine mordicatione, abſtergit & educit. Poſſem plurima citare experimenta, niſi crederem, tam apricam veritatem luce meridiana emicare clariorem. Uſu mihi commendata eſt, ſæpius jam dictis Unguiculis, in Ophthalmia, tum alibi, tum poſt Dyſenteriam in Ictero exorta, in ſuffuſione ipſa, in ulceribus oculorum, maxime poſt variolas, in vulnere per fuſi accumen, *eine Spindel*, facto, reſtituto humore aqueo, ſed ob nimiam læſionem ſine exacto viſu. Dedi illam inſuper interne binis Phthyſicis, alterutri Studioſos cum ſucceſſu. Cum enim pinguedine canis quidam reſtituti ſint tabidi, cur non balſamica viperarum pinguedo præſtaret idem? Prodeſt in hoc morbo & externe ſpinæ dorſali inuncta laudato eo nomine jam olim Cardano. Conſolidat etiam vulnera alia, ſed cùm experimenta plura hanc in rem, v. g. circa reſtitutionem oculi humorum, circa vulnera nervorum, &c. mediter, hiſce hac vice finio. *G. V. Wedelius.*

Fel Viperarum Ophthalmicum.

Ut fel lucii piſcis cum modico ſacchari mixtum, præmiſſis præmittendis, & veſicatorio ſimul applicato, feliciter Cataractas incipientes abigit, experientia Scul. Arman. in Chir. tab. 33. p. 40. ita longè præſentius id expedit fel viperarũ quo ſimili modo adhibito, incipientem ſuffuſionem in Viro Rever. diſcuſſi. Sæpius quoq; idem miſcui cum eſſentia Sulphuris. cum vino Malvat. facta, deſcripta ab Angel. Sale in ſept. plan. terreſtr. p. 211. Sicq; Ophthalmicum admirandarum virium his viperæ novis virtutibus adauxi, feliciterque eodem in ejuſmodi oculorum affectibus utor.

Aurea Gal. eſt ſententia 4. de comp. Med. ſec. loc. c. 4. ubi ſcribit de pharmacis ad ſuffuſiones compoſitis, promiſſiones horum magnificas eſſe, effectus vero aliquando nullos, aliquando valde exiguos. Id ægri toto die experiuntur, variis fruſtra ab agyrtis divexati. Sin vero ex methodo abſtergẽtia ejuſmodi acriuſcula, innoxia tamen, adhibeantur, non raro voto ſuo damnantur. Pollet fel viperarum ſale volat. diſcutiente, ſic ſalem viperar. ipſum, aq. pura reſolutum, ter de die inſtillatum, facie ſupina aliquandiu detenta commendat Severin. Vid. *Güldenklee* l. 1. c. 23. Saccharũ Canarienſe, de natura ſalina participãs, additum, mucoſitatem aliqualem fellis temperat, & propria abſterſione vires auget. Hoc ſolo fœmina quædam circa Magdeburgum, ante aliquot annos magnum quæſtum fecit, inſufflando pulverem ſubtiliſſimum Sacchari in oculos ſuffuſione laborantes, & continuato remedio ægros plurimos reſtituens. Veneris laudes A. Sala l. c. ſatis ſuperque deprædicat. Præter vero hæc Medica, alia quoq; obſervanda ſunt circa ſuffuſionem, quo de elegantiſſimus extat locus apud Senecam Epiſt. 94. 1. Remedio opus, ſcribit, quo purgetur acies & efficientem ſibi moram effugiat, 2. Oculos ægros non tantum Medicus curat, ſed etiam monet; Non eſt, inquit, quod protinus imbecillam aciem committas improbo homini: à tenebris primo ad umbroſa procede deinde plus aude; &

pau-

paulatim claram lucem pati adſueſce: Non eſt quod, poſt cibum ſtudeas; non eſt quod plenis oculis ac tumentibus imperes: Afflatum & vim frigoris in os incurrentis vita: alia ejuſmodi quæ non minus quam medicamenta proficiunt. *Idem.*

Axungia leporina ad oculorum pannos.

Non eſſe turpe Medico ab agyrtis nonnunquam, vetulis & Veterinariis aliquid addiſcere Medici mecum haud pauci ſtatuunt. Audivi quondam à Veterinariis equos, quorum oculi ſunt pelliculis prorſus obvelati, illita axungia leporina curari: tentavi id in hominibus, & in leucomate, panno; me nunquam feſelliſſe quin profuiſſe ſæpius obteſtor: Temperavi tamen axungiam leporinam melle roſaceo. Hoc addo, unguentum ophthalmicum J. Val. Willii Actis Med. Hafn. inſertum me ſæpius exoptatiſſimo cum ſucceſſu, non in inflammationibus oculorum tantum verum & pannis & aliis multis adfectibus, oculorum, ſed methodicè adhibuiſſe. *Roſ. Lentilius.*

Hepar Bovis Nyctalopes curans.

Pro lectione publica aliquando Dom. Gothofredus Hœbius P. P. Jenenſis hæc verba faciebat: Nyctalopia facilè curatur, ſi Hepar Bovinum coquatur, poſt in tres partes dividatur, & quælibet tertia detur manè jejuno ventriculo Nyctalopi comedenda. Hoc modo famulum meum Nyctalopia curavi. Hæcce do prout é laudati viri ore excepta in chartam conjeci. Pro confirmatione autem hujus experimenti afferre poſſum, quod mihi in praxi obtigit. Paſtorem Eccleſiæ novi, qui ante triennium poſt Solis occaſum quotidie cæcus reddebatur, quod ipſum non tantum permoleſtum, ſed & rei familiari ſummè noxium erat. Curatus tamen fuit hoc, de quo dixi, remedio per ſex dies continuato. Eundem affectum Hepatis anguillæ ſuper Carbones aſſati eſu curatum notavit Panorollus Obſervat. pent. 3. Obſervat. 49. *Dom. Alardi Hermanni Cummeni.*

Remedium Atrophiæ Oculi.

Proprio ſibi modo, ſcitè, inquam, plurimum Plinius pretioſiſſimam partem Corporis vocat oculos. Quod enim Sol macrocoſmo, id microcoſmo oculum eſſe conſtat. Nec ideo quod hic pretioſior pars majoribus exemptum ſe inſidiis gaudet: cum ex pluribus affectibus, qui præter naturam ejus actiones turbant, ſit Atrophia Oculi. Quæ originem ducit vel ex nutritii humoris defectu, vel ab humectatione debita intermiſſa, vel nimia Spirituum jactura. Affectus hic quidem rarus eſt, curatuque difficillimus, cui etiam vix medicamenta ore aſſumpta ſolùm reſiſtere poſſunt, ut enim reſtituendus medicamento planè ſpecifico humectante, foras oculi inſtillato, id quod docuit Juvenis atrophia incipiente correptus. Qui natura alias ſiccus, & à nimia Venere, calidiſque ad venerem languentem confortandam aſſumptis malum ſibi aſciverat.

Ut oculi periodus imminui videretur, ſiccitas adeſſet, & cum dolore levis ardor. Qui cum conſilium ex me peteret, opportune ſe menti infirmat confortativum humectans ſingulare in affectibus oculorum, quod mihi forte fortuna ante aliquot ſeptimanas culter anatomicus detexerat; cum occupatus fueram in anatomia Oculi Urogalli, quem cum nimium preſſiſſem, inciſione profundiori effeceram, ut humor aqueus caſu oculo inſiliret, illumque madefaceret, ex quo aciei viſus conſultum iri percepi, & lenitivum dolori, & ſiccitati quibus tum temporis oculus mihi ex nimia lucubratione vexabatur, ſponte offerri ſentii. Sentii, & conſulenti autor fui, ut ex erutis mactato Urogallo cæteroque gallinaceo generi oculis (in copia quippe tum in Italia habebamus) ſibi inſtillaret hunc liquorem, pro diæta vero ſibi eligeret gallinas coctas cum Endivia. De cætero continentia eo anniteretur, ut abſtineret nimia venere, & uſu medicamentorum nutrimentorumque quæ gradum calidi debitum excedunt. Hiſque effeci, ut paucis eclipſata illius lumina illuſtrarentur, & globos oculorum ad priſtinam rediret figuram.

Scholion Notandum.

1. Non neceſſe erit, ſi quis humorem illum vellet in uſum medicum trahere, ut ſemper ſit ex oculis Urogalli, idem quippe præſtabit meo judicio aliorum animalium, præprimis illorum, quæ præ reliquis acutiori viſu gaudent. Nam quod Ipſe ego tunc temporis humorem elegi gallorum & gallinarum, fuit quod ibi in Italia menſæ noſtræ fere quotidie hoc alitum genere inſtruerentur.

2. Hoc Naturæ compoſitum prævalere multis pretioſiſſimis chymica arte eductis liquoribus exiſtimo. Cùm Artem Naturæ famulam, an ſimiam dicere, certè ambigam.

3. Si cui data occaſione ſuppetat copia colligendi hunc liquorem ex oculis animalium, ſtudeatque modo illum conſervandi, adhibitis aliis, quæ vim ipſius non imminuant, ſed magis augeant, habebit ſanè ſingulare remedium, & poterit aliis ſpecificis miſcere, ut exinde præſtantius redundet auxilium.

4. Dum de oculo & liquore multis oculorum vitiis appropriato ſermo vertitur, placet erecto mentis oculo plus ultra tendere, eoque prælucente arduam ſcrutari materiam. An quoque læſis & exhauſtis oculorum humoribus liquor iſte vim habeat ſubveniendi. Circa humoris aquei reſtitutionem nullus facile dubitabit, illius enim regenerationem vidit Galenus lib. 1. de Sympt. cauſ. cap. 2. Coiter quoque illud obſervavit in Obſerv. Anat. Chirurg. Calculum quoque ſuum addit Benivenius cap. 74. de Abd. quæ exempla nonnullis aliis illuſtravit Schenchius in Obſerv. Medicis. Si Natura jam vel maximè ſponte ſua occupata eſt, ut reſtituatur perditus humor aqueus, magis id præſtabit in iſta actione, cooperante liquore hoc verè appropriato.

Quin inſuper reſtitutioni vitrei quoque

inſerviat nullus ambigo. Magis tamen præſtaret ſi cum vitreo conjunctus quotidie, adhiberetur. Quia alias defectum hujus humoris albumine ovorum ſupplevit olim Duncanus Liddelius Medicus eximius, non abſque ratione, quod ſignatura ipſum edocuit comparationem planè ſimilem humoris vitrei cum albumine ovorum; & quod albumen ovorum vulnerarium eſt, & conſolidatione tunicarum efficere poteſt, ut humor effuſus regeneretur. Sic Henricus ab Heer. Obſ. Spal. 4. ſcribit ſucco Ulmariæ menſe Maio collecto gallo gallinaceo, ut & puellæ cuidam, vitreum & aqueum reddidiſſe humorem. An vero etiam conducat cryſtallino, arduum ſanè erit formare judicium. Videtur enim omnes ferè, qui hactenus in iſta re occupati fuere, unanimiter deſperaſſe in hujus humoris reſtitutione præter paucos, quibus (in hoc ſeculo, alias ferreo, ingeniorum vere politiorum fertili ſegete, plane aureo) de meliore luto judicium finxit Ter Maximus, qui acumine judicii & indefeſſo labore eo pervenere ut deſtructis tribus humoribus, immiſſo ſucco chelidonii effecerunt quod non ſolum ab iſto humores reſtituerentur, ſed & viſus priſtinæ integritati, Experimenti copiam exhibuit ante aliquot annos Caſpar Schottus in Tech. curioſa lib. 11. mirmiſc. c. 2. p. 895, aſſerens præſtitum Pragæ in præſentia D. N. Doctoris Marci, ab Anglo quodam curioſo: Sed quod majus, ante annum Franc. Joſephus Burrhi in Epiſt. ad Exc. Th. Bartholinum, non ſolum hujus experimenti dedit deſcriptionem, ſed & arcani, & quo artificio humores exprimendi, & quo modo reſtituendi exactam exhibuit delineationem, multiſque factis experimentis veritatem hujus inventi vindicavit: Cujus rei teſtis omni exceptione major accuratiſſimus hujus ſæculi obſervator Th. Bartholinus, qui in Lit. pridie cal. Oct. 1669. Haſniæ datis ad Exc. Dn. Phil. Jac. Sachs à Leuvenheim, teſtimonium ſequentibus ſcripſit verbis, De artificio humores oculorum effuſos omnes reſtituendi quæ ad me perſcripſit Illuſtris Burrhus non dubito Te legiſſe: Experimentum tantum in anſere ſucceſſit, quamquam juſto profundius fuerit vulnus oculo inflictum: Cæterum laboratorium ſuum D. N. Burrhus, mole vaſtum, cum trabibus, ferro & camino, ab una verbis regione diſſita ad aliam machinis tractoriis tranſtulit, de quo ipſe luſit.

Limina fixa volant, pariterque volatile figunt,

cui pentametrum addidit Huberus, Medicus & Poëta.

Dædalus alter adeſt, Hermes & alter ovat,

Ex quibus luce meridiana clarius patet poſſibile eſſe arte reſtitui poſſe humorem Cryſtallinum: Aſt poſito humorem illum poſſe reſtitui artificio, ab exercitata manu expreſſum, effuſionem tamen illius caſu factam vix ac ne vix aliquis reſtituet: Caſu quippe vel ictu vulnus inflictum violentia quadam peragitur, qua impoſſibile erit quia nervus opticus non lædatur, vel fibræ profundiores pullulantes à nervo optico, vel tunicæ, quibus læſis, etiam in artificioſa expreſſione nulla reſtitutio ſperanda. *Joachimi Georgi Elſneri.*

Experimentum Opticum, conducens viſui deficienti, communicatum per Virum Honorandum, qui ejus beneficium ipſe eſt expertus.

Communicabo tecum Experimentum, ſi eo potiùs nomine, quàm nugarum dignum eſt: cujus materia omnibus eſt nota, ſed non adhibita (quantum ſciam) in illum uſum cui idonea eſt. Et mihi quidem uſus ejus majoris eſt valoris quàm fortè credideris; & puto eundem juxta proficuum fore pluribus. Et fortè nemo patiens fuerit uſus ejus, niſi qui eodem caſu neceſſitatis & defectus mecum teneretur. Et ſic noſti me ſæpe doluiſſe defectum viſus mei. Profiteor animum effœminatum, quando multas fudi lachrymas in ſtudiis meis, ob eorum defectum: ſed hoc modò minimè viſum poteram recuperare. Neſcio quænam fuerit cauſa hujus defectus oculorum meorum, cùm nondum ſuperarim annos 60. ætatis: an quod ſæpiùs ſteti ante flammam ignis, an quod ſæpe ſcripſi è regione feneſtræ coruſcæ, an quicquam aliud: Sed videbar ipſe mihi circundatus denſa nebula vel nube, & globulos atros obſervare volitantes per aëra circum oculos meos, & quaſi ſubito intraſſem in conclave ex longa ambulatione per profundam nivem. Imò non poteram diſcernere facies familiarium meorum, neque mares à fœminis, in conclavibus lumine non carentibus. Non poteram legere Biblia Eccleſiaſtica typis grandibus & atramento egregie nigro impreſſa, nec poteram ſervare planas, tritaſque ſemitas per campos & paſcua, niſi manu ductus. Nullorum perſpiciliorum ope juvabar, ſed ſimilis eram illis, quorum viſus defectus ex ſenio major eſt ullo remedio perſpiciliorum. Maximè legibiles Impreſſiones mihi apparebant per perſpicilia inſtar cæcarum Impreſſionum, pauco atro remanente.

Hac infirmitate correpto quas nugas putes fuiſſe auxilio, quas æſtimo ſupra magnam vim auri? Certè, nil niſi quod ſequitur. Accepi perſpicilia ampliſſimis circulis; preſsè ad ſemi-circulos partis ſuperius utrinque diſſecui oſſa; deinde, exceptis vitris, circulis vacuis adaptavi nigrum corium Hiſpanicum, inſtar faſciolæ ſpiralis (taper-wiſe:) & circuli iſti ſatis dilatati (una cum aucta amplitudine corii) capiebant totum oculum meum ad extremitatem ampliorem, & ſtatim animadverti beneficium per minorem extremitatem ſpiralem, cùm poſſem legere minutiſſimas impreſſiones, ac ſi fuiſſent majuſculæ & bene diſtinctæ. Curavi corium illud à Chirothecario reſui duplici ſutura, ut egregia rotunditate donaretur, & excluderet omnes radios luminis, Corium tinxi atramento, ut nitorem tollerem. Et hæc eſt ſola moleſtia, quam habui, præter uſum & patientiam in praxi. Tantum, ubi comperi remotiore orificio minore, diſtinctiorem & clariorem minutiſſimam Impreſſionem apparere, & idem orificium magis patens, majus occupare ſpatium, ideoque non requirere tantum motum manus & capitis mei injectione: reſecui unam harum faſciolarum ſpiralium (Tapers) paulo ampliùs brevius altera: & hac ampliore utor ad communes Impreſſiones legendas, longiorem

rem & tenuiorem ad impreſſiones minutiſſimas: has ſine ulla moleſtia, prout commodum vel neceſſarium viſum fuerit, altero. Nonniſi extremitatem digiti mei auricularis capere poteſt orificium brevioris; ſed idem digitus paulo profundius, nec tamen uſque ad primum articulum penetrat in orificium amplioris. Mox hoc, mox illo oculo utor, ſecundum commodum mutationis; nam ſciendum radios viſuales utriuſque oculi non concurrere in lectione in mutuum auxilium, quando tam procul ſunt diviſi per tubos iſtius longitudinis.

Quo lucidior eſt materia, eo minus negotium faceſſit. Semper denigra interiora latera, ne niteant. Tubos etiam convenit ita eſſe mobiles, ut extendere eos & contrahere queas, nec non (ut modo dixi) facere orificium amplius uel anguſtius, prout commodum viſum fuerit ad uſum. Mihi non fuit neceſſe, ſed conveniens arbitror, ut ſericum villoſum, vel corium molle agglutinetur extremitati ampliori prope oculos; quo oculi arceantur ab ambiente lumine.

Jam dixi tibi, me nullam opem inveniſſe in ullis lentibus perſpiciliorum; ſed nondum tentavi, quid lentes his tubis inſertæ præſtarent; cum mihi illis non ſit opus, contentus ſum nudis tubis. Nunc ſummopere gauderem, ſi familiarium meorum quidam adjuvarentur obvia hac inventione (non continente niſi vacuum & tenebras.) Et fortaſſis aptiores ſint tubi illi ſtrabis, quorum oculi ſeorſim eunt, & objecta ita repræſentantur, quaſi linea ſuper lineam ſcribenda eſſet, ubi, ambabus etiam rectiſſimè ſcriptis, neutra facile ſit legibilis. Hic ſtrabi detinebuntur in quiete, & dirigentur modo debito atque ordinato. Profecto inde ſe allevari ſentient, qui non poſſunt ferre lumen, & fortaſſis oculos diutius præſervarent. Si N. N, inde beneficium perceperit, prout ego, gratias tibi agat pro informatione &c.

Excerpta ex alia Epiſtola ejuſdem Viri, confirmante contenta prioris; & addente alias quaſdam Obſervationes circa Viſum.

Plus valoris eſt in ſimplici illa Obſervatione, quam nuperrime tibi miſi, quam quis putet, qui non eodem, quo ego, defectu laborat. Et fortaſſis nemo patiens ſit uſus illis, niſi qui eadem, qua ego, neceſſitate tenetur. Deo gratias pro eo ago, quandoquidem auxilio harum nugarum, (the Taper-tubes) æquè bene video, ac maximè juvenes in familia mea, & per tubos dictos legere poſſum impreſſiones quantumcumque minutas & obſcuras, non ſecus ac unquam potui ab infantia mea, tùm tamen viſus meus penè eſſet abolitus. Et ubi loco Perſpiciliorum his vacuis foraminibus uſus fueram paulò ſupra ſeptimanam, nunc iis utor totam diem ſine moleſtia, & certo perſuaſus ſum, ex hoc brevi uſu eorundem, viſum meum jam multum eſſe correctum. Video enim nunc Virorem horti, & paſcua viridia, cum tamen nuperrimè obſcuri colores, cœruleum & viride, eandem mihi præberent ſpeciem.

Si rogas, qua ratione inciderim in hoc inventum, dicam omne quod novi, Abhinc aliquot annis conformabam Polemoſcopium Hevelianum; Cùm tentarem Tubum, ſine lentibus Dioptricis, percepi quod, licet Tubus parum admodum occuparet, & videretur vix aptus ad momentoſum uſum; tamen objectum mihi appareret diſtinctius & clarius per Tubum, quàm per aërem apertum. Hoc recollegi, & ſuper eo inſtitui tentamen, atque comperi effectum penitus reſpondere deſiderio meo, & maxime aptum eſſe tubum ad Characteres ibi impreſſos. E tunc non parùm arguebam meam ſtupiditatem; quod non citius obſervaſſem indicium, propoſitum in Ingenioſi Doctoris Lovveri Obſervationibus circa Maculam in equorum oculis, impreſſis num. 32. quanquam id nihil pertinet ad meum caſum, in quantum parum video aëre obſcuro, (gloomy) vel nubilo; neque laboro concurſu humorum, vel ſenſibilium defluxionum circa oculos meos.

Et nunc permitte mihi ut addam, quod ſi conſuluiſſem eruditiſſimos & ſapientiſſimos mortalium, non dubito quin ab iis defectus meus omni remedio major judicatus fuiſſet; & forſitan perdidiſſem Crepuſculares (ut ita dicam) reliquias viſus mei per fortuita tentamina circa tam tenerum organum. Quis ſciat, quàm ſæpe ſapientiſſimi mortalium aberrent, remedium obvium contemnendo? Videmus quot ingenioſi & laborioſi artifices, & quamdiu laboraverint in Ellipticis & Hyperbolicis ſectionibus lentium, ſperantes eo ipſo efficere fragile illud corpus Vitri pretioſius pulcherrimis Adamantibus: attamen dubito, quin hæc inventio perducta in ſummum perfectionis faſtigium mihi id præſtaret, quod præſtant hi vacui & obſcuri Tubi. Sed enim nunc ſpero omnes, quibus Virtus & Philoſophia curæ eſt, uſuros tam juſta bilance ad examinandam virtutem rerum, ut ſingula quantumcunque vilia & contemptibilia videantur, æſtiment ſecundùm rationem beneficii & auxilii, quo defectivis ſubveniunt? Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Non ſilentio hic involvendæ ſunt paucæ quædam notæ, quarum quædam referuntur ad Obſervationes Doctoris Lovveri, communicatas in jam memorato Numer. (32.)

1. Equos ferruginei vel ſcutulati coloris eſſe ſolere obnoxios amiſſioni alterutrius, vel utriuſque oculi, ſi juſto citiùs in nimium velocem curſum fuerint impulſi.

2. In hominibus & brutis (minimum in equis) oculum dextrum eſſe infirmiorem, & frequentiùs defectivum.

3. Pupillam oculi ampliorem eſſe in myopibus, quàm qui longiùs vident.

4. Sæpiùs obſervavi myopes, non dicam lippientes, omnia diſcernere, quæ circum ipſos aguntur ferè à tergo ipſorum, perfectius, quam qui optimo gaudent viſu, quandocunque non eſſet conclave nimis amplum pro activitate viſus eorum.

5. Poſſim quoque quaſdam Obſervationum Doctoris Lovveri confirmare mea experientia. In juventute mea anguſta mihi fuit ſalus ab egregio equo, qui tantum pterygio laborabat, (quem mihi defectum poſt caſum narrarunt.) Propoſueram tranſilire ſcrobem, ſed equus nullam videns ſcrobem, me ſecum in ruinam traxit. Prout Equi bijuges & plauſtrarii habent

tegmina ad oculos, quà vergunt ad aures, ita hæc tegmina queant adaptari (& in ſpeciem ornatus) ad obumbrandam ſuperiorem partem oculorum, ut tamen ſatis luminis habeant ad progrediendum. Neſcio an apud vos ſit uſitatum; ſed hic vidi puellam geſtantem tæniolam, inſtar anguſtæ larvæ ante oculos, quæ debitis locis erat perforata ad ducendum oculum. Et hoc ferebatur eſſe præſentaneum remedium puellæ retortis oculis videnti, quod vitium contraxerat quaſi jure hæreditario ex matre.

Ut concludatur, pro tuo tentamine perſpiciliorum tubuloſorum: addam tubulos poſſe conſtare ex charta tantum denigrata, & conglutinata, quæque plicis interioribus extendi queat, ex unius digiti in trium longitudinem; quarum quædam plicæ extrahi queant, ut orificium ſit vel amplius vel anguſtius, pro ratione graduum cujuſcunque defectus. *Act. Philoſ. Jul.* 1668.

Annotatio Concernens ante dictam narrationem de Tubis vacuis utilibus ad viſum deficientem, Ejuſdem Authoris.

Domine rogo Te ut ſignifices me tentaſſe Convexa Perſpicilia quæ ab hinc annis circiter tribus (antequam viſus meus eo uſque deficeret) mihi ſatis utilia erant, & vis vitris impoſitis in meos tubos ſpirales vidiſſe minutiſſimas impreſſiones aliquanto majores, ſed non æque claras, diſtinctas, atque oculo jucundas quam per tubos vacuos; Sic confirmatus ſum in ſententia vacuos hos Tubos præſervare, corroborare, & aliqua ratione reſtaurare viſum: Et commodiſſimi mihi ſunt Tubi coriacei, quibus primo uſus ſum, imo commodiores ſunt non affici circulis perſpiciliorum, Nam ſimplici illo modo pendentes poſſum tactu digitis meis eos elevare, deprimere, dividere & unire in eodem objecto, quod majus eſt quam quod primo dixi, Eoſque applico mihi, & removeo eadem qua quævis perſpicilia velocitate. *Actorum Philoſ.* 1668. *Sept.*

De Vitio in Oculo Equi hactenus non detecto ab ullo Authore; quæ multum utilis eſſe queat curioſis in eligendis equis: per D. Richardum Louverum coram Regia Societate facta, Ianuarii 23, 1668.

Inter varia vitia & defectus oculorum, oculi Equorum afficiuntur ſpeciatim uno, quo nullum alias animal, (quantum obſervavi) neque memini illud vitium ab ullo Authore hactenus fuiſſe obſervatum. Eſt autem illud Spongioſa Excreſcentia (ut plurimum colore fuſco) quæ excreſcit ex acie Tunicæ oculi dictæ Uveæ; quæ ſpongia ſi ampla evadat, vel numero creſcat (prout ſæpe accidit) corrumpit admodum Viſum, vel prorſus intercipit. Sed ut facilius concipias modum, quo id accidit memineris, Uveam eſſe partem muſculoſam, ejuſque uſum præcipuè eſſe contrahere & dilatare ſeipſam ad admiſſionem Objectorum tanto cum lumine, quantum Oculus convenienter ſuſtinere poſſit; ita quo ſplendidius & magis radians eſt lumen, cui Oculus eſt expoſitus, eò magis contrahit ſe membrana illa in circuitum anguſtiorem, & quo locus eſt obſcurior, eò ſe magis dilatat: quemadmodum videre eſt in Oculo Felis promptiùs evenire, quàm in quovis alio animali hactenus à me obſervato. Si itaque ſubſtantia ſpongioſa, quæ excreſcit ex acie Uveæ adeo fuerit ampla, aut numerus earum tantus, ut creſcant in diverſis locis circa Oculi pupillam, ubi ſemet contrahit, pupilla vel viſus plurimum (ſi non totaliter) obſtruitur, & per conſequens Equus parum vel nihil videt, quemadmodum ſæpius obſervavi in equis quibuſdam, qui adducti in locum apricum nihil poterant videre, quin potiùs patiebantur me tangere pupillam Oculi ſui digito meo ſine ullo nictu: at iidem reducti in ſtabulum, Uveæ in loco illo obſcuro ſe dilatante, denuo optime poterant videre, nec patiebantur ut admoverem digitum meum proxime oculis ſuis, ſine frequenti nictu palpebrarum, & capitis quaſſatione. Eoſdem equos percepi ex poſſeſſoribus valdè pronos eſſe ad vacillandum interdiu, tempeſtate ſerena & Sole ſplendente, ſed bene & ſecure ambulare veſperi, & tempeſtate obſcura ac nubila.

Quænam ſit cauſa hujus fungoſæ Excreſcentiæ: vel quare peculiariter Equi illi ſint obnoxii, vel quæ maximè Equorum ſpecies, non conſideravi. Sed non poſſum opinari, illam oriri ex nimio labore in vehendis ponderoſis oneribus, vel nimiis curſibus, aut longis, velocibuſque itineribus, quia vidi amplas admodum Spongias (ut ita vocare liceat) in equorum juvenum anno ætatis 2. quartove oculis, antequam fuiſſent agitati vel exerciti; Spongiæ autem illæ, poſtquam equi ſtabulis fuerant detenti, & nutriti cibo ſicco, multùm decreverant: poſtquàm verò in paſcua Veris tempore redierunt, ad purgandum & refrigerandum corpora ſua, rurſus excreverunt in priſtinam amplitudinem. Verùm utrum id acciderit ex nutrimento humido, vel demiſſione continua capitis ad edendum (quæ inferret majorem defluxum humorum in illum locum) nequeo determinare. Quoniam vero pauci ſunt equi omnino liberi ab hoc vitio, & multi eo ipſo contemptibiles redduntur, recenſebo Caſus maxime obſervandos, quibus Equi plurimùm inutiles & ſuſpecti fiunt.

1. Quò plures & majores Excreſcentiæ illæ ſunt, eò magis pupilla Oculi ſeu Viſus obnoxius eſt totali obſtructioni; quod ulterius examines, vertendo oculum Equi lumen verſus, & obſervando, quantum pupillæ obſtruant.

2. Spongiæ ſuperioris aciei Uveæ ſolent in majorem excreſcere amplitudinem, & viſum magis obſtruunt.

3. Spongia in medio Uveæ creſcens, magis obſtruit Viſum per diſtractionem objecti, quam quæ creſcit in alterutro angulorum.

Quod Curationem concernit, arbitror nullam poſſe exſpectari, niſi ex ſicco genere nutrimenti; quanquam fortaſſis & exteriùs aliquid poſſit inveniri ad obumbrandum oculum, eumque arcendum quo minùs nude Soli exponatur, & per conſequens viſus non tam multum obſtruatur. *Ex Actis Philoſoph. anni* 1668. *m. Februar.*

Vermium

Vermium generatio ſingularis, in oculorum palpebris & aurium cavitatibus.

Narrat mihi vir fide dignus, dum viveret, Caſparus Wendlandt, Pharmacopæus Expertiſſimus, S. R. M. Pol. Miniſter & Civis Elbingenſis, ſe in Polonia puero cuidam ruſtico duorum annorum vermiculum album è palpebra extraxiſſe, cujus cuticula parùm duriuſcula erat, magnitudinis erucæ (Germ. *Raupe*) conſumpſitque vivendo quatuor dies duas amygdalas dulces: circa oculum pueri tumor inſignis cum rubedine apparebat, palpebraque clauſa non ſine inſigni dolore manebat, extracto verò vermiculo neque ſanguis, neque pus è foramine emanarunt, cui vermiculus inhæſerat, puerque ille poſteà optimè valuit. Vermiculus mortuus coloris parùm rubei, ſive ejus, qui eſt corticis amygdal. conſpiciendus erat. Similem fere huic caſum mihi & Dn. D. Segero narravit hoc anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ante aliquot ſeptimanas Chirurgus noſter Antonius Statlender, qui cuidam puero ex aure extraxit vermiculum talem; qualis in nucibus avellanis perforatis latitare ſolet, ſed paulò majorem, coloris albiſſimi: alteri quinque minores ejuſdem generis ſimiliter ex aure: omnes aliquot horas ſupervixerunt, nulloque alio liquore quàm Spiritu vini miſtura ſimplici permiſto enecari potuerunt. Vermiculos adhuc viventes oculis noſtris vidimus.

Scholion.) De Natura Vermium & Lumbricorum optime diſſerit Joh. Bettus, Med. D. Regis Medic. Ordinar. & Collegii Londinenſ. Socius de Ort. & Natur. Sangu. Londin. 1669. edit. qui cum paucorum manibus adhuc teratur, ejus verba excerpere placet. Ita vero ille Cap. 1. ſect. 3. §. 6. p. 25. Lumbrici in inteſtinis ex diutina putreſcentis lactis (ita chylum vocat) mora manant, & in ſolidam quandam coëunt ſubſtantiam. Nam cum corruptione omnia in peius ruant, idcirco alimentum quod ad nobiliorem effectum humanum ſcilic. corpus reſtaurandum, ex naturæ intento datum fuit, idem labaſcens ac in ſordes degenerans, animal quoddam imperfectum ac formæ rudioris generatione æquivoca efficit. Convenit cum ructu acido, diſtans ſaltem putreſcendi gradu & modo: ructus etenim ex ventriculi ore inferiore nimis adſtricto provenit, Lumbricus à lacteis obſtructis, debilibus aut anguſtis, unde halitus acidus & ventris tumor frequens ſignum eorundem. Cauſa materialis illorum inde patet: inveniuntur vermes in fimo & cœno, in carne corrupta, nucibus, fructibus in caſeo Parmenſi vino addito, in caſeo pingui non debitè preſſo; unde conſtat pinguedinem, viſciditatem, humiditatem, calorem & putredinem ad verminationem concurrere; quæ omnes cauſæ in lacte (chylo) intra inteſtina putreſcente ſtercoreque admiſto reperiuntur. Membranaceum eſt animal, quia caſeoſa lactis pars ſufficit ad ejus totum corpus cute veſtiendum. Notandum ea quæ lac minuunt, ut acria, ſalſa, acida, & amara Lumbricos quoque necare: Mercurius vero ad eos exſtirpandos adhibitus reſolvendo & quaſi enervando partium rigorem eos occidit: nam cum alimentum in ſingulas eorum partes motu periſtaltico devehatur, hoc ceſſante vitam quoq; una ceſſare ipſam neceſſe eſt. Generantur Lumbrici in quolibet ſexu & ætate ſi debita materia & obſtructio viguerit: in pueris præcipuè, in juvenibus non raro, in ſenibus aliquando, ſed maximè in mulieribus iis quibus ſubbilioſis materiæ vomitus extra conceptionis tempus contigerit. *Hactenus D. Bettus, Simonis Schulzii.*

Palpebrarum Paralyſis.

Quanta hæc difficultate curetur, conſilia ſaltem apud D. D. Timæum Medicum celebratiſſimum oſtendunt. Obſervationem noſtram in caſu rariori hic adjunximus, ſi forte ſimili circumſtantia conferre poſſet quidpiam. Mater puellæ decennis caput Achoribus cruſtuliſque ſcatens, unguento, neſcio quo, deſiccarat. At ſequente nocte, ceu alibi diſpnoëa, epiphora, epilepſia, ita hic peculiare illud malum ſupervenit, ut Japonenſem, aut à media tartaria quendam in ſolio ſuo quaſi verecundantem videre crederem. Purgantia univerſalia & capitis particularia, interna reſolventia retro aures, externi cum aquis, ac oleis nervinis litus, &c. fruſtranea erant omnia. Tandem incidit vis olei Tatt. nigri, ſæpius in reſolutionib. æquè ac contuſionibus nervoſarum partium comperto; & applicatum eſt palpebris inferioris frontis parti, ad emplaſtri quaſi formam cum ceræ particula redactum; brevi evaneſcente malo, ut obtutu defixa in uno ſatis oculatam ſe teſtaretur. *Danielis Ludovici.*

Morum in palpebræ oculi curatum.

A. H. Chirurgo Noribergenſi, tuberculum in forma, magnitudine, & colore fructus mori in inferiori palpebra oculi dextri excreverat, cujus impatiens, ob deformitatem Vultus, & metum ulterioris augmenti, in tempore præventurus, ſeta ex cauda equina circumligata, & indies arctius contracta, ad radicem uſque ſibi ipſe illud abſcidit, ſine omni ſanguinis profluvio, nec unquam poſtea recrudiut, aut recrevit. *Ex obſerv. propr.*

Scholion Helvvigianum.) Oculorum partes dividuntur. ſecundum Bartholinum lib. 3. Anatom., reform. cap. 8. vel in externas, quæ circa oculum, vel internas, quæ in ipſo oculo exiſtunt. Illæ munimenti ſeu commoditatis cauſa procreatæ, nimirum palpebræ cum ciliis & ſuperciliis, item carunculæ in angulis oculorum; Hæ, quæ ipſum oculum conſtituunt, ſunt adeps, muſculi, vaſa, membranæ & humores. Palpebræ utriuſque oculi ſunt duæ, ſuperior & inferior, utræque oculum tegunt & claudunt, itemque ex aliquorum ſententia tunicam oculi corneam extergunt & depurant, deinde ſimul ſuggrundinatione ſua illuſtriorem retinæ picturam reddunt; & conſtant ex cute, membrana carnoſa, muſculis, tunica, tarſis, & ciliis. Sed cùm membrana carnoſa cuti ferè ubique in corpore connectitur per venas, arterias, nervorum propagines, & fibras membranaceas, atque ex diverſis cauſis ſuas quoque patitur manes, ita etiam hac in parte diverſi affectus oriri queunt, veluti tumor ſeu inflatio palpebrarum, denſitas, aſperitas, calloſitas, ſcabies, tubercula, verrucæ,

hord-o-

hordeolum, grando, nodi & excreſcentiæ, palpebrarum inverſio, horum inter ſe, & cum aliis oculi partibus coaleſcentia, cancer, livor ex percuſſione, inciſio vel vulneratio, pediculi in pilis palpebrarum, pilorum inutilium & oculos pungentium in palpebris, ortus duplex vel multiplex pilorum ordo, pilorum defluvium, denique palpebrarum craſſities cum pilorum defluvio. Huc quoque numerentur oculos aperiendi impotentia; palpebrarum perpetua nictatio. Affectum hic noſtri ſubjecti ad nodorum vel excreſcentiarum genus referimus, quæ non ex humoribus, ſed ex ſolida ſubſtantia ortum habere dicuntur, à variis autem formis diverſam ſortiuntur appellationem. Nominantur enim vel ſeſſiles, quæ ſtabiles, latæ, ac altioribus radicibus fixæ, minuſque ex cute ſeſe exerunt: aliæ dicuntur penſiles, quòd exiguo quaſi pediculo, tanquam de chorda dependeant; hæ ſi non ſunt ejuſdem coloris, ſed morum, ut noſtra, aut thymi florem referunt, atque inæquales & parvæ ſunt, Thymi appellantur; ſi vero majores, à ſimilitudine, quam habent cum ficus fructu, Ficus nominantur. Ortum hæ omnes habent, ut pulchrè ſcribit Sennertus lib. 5. prax. ſect. 1. cap. 37. à materia craſſa, melancholica & pituitoſa, quam cum natura non poteſt diſcutere, ex ea hoc genus nodorum format. Poſteriores ob radicem exiliorem facilè extirpantur, & ſemel exciſæ non renaſcuntur; priores ſubtus radiculam rotundam habent, quæ penitus ad carnem deſcendit, eæque exciſæ, relicta radice, rurſum recreſcunt. Tolluntur autem hæ excreſcentiæ vel nodi aut medicamentis, aut Chirurgi manu: medicamenta externe applicata, ſive qualitate & proprietate occulta hoc præſtant, ſive earum alimentum exſiccant, ut poſtea marceſcant & evaneſcant; per chirurgiam tolluntur ſeu extractione, ſeu exciſione, ſeu aduſtione, veluti multifarie apud Practicos habetur.

Additamentum Schröckii.

Ampla tumorum eſt familia, & tot eis conditi tituli, ut nonnunquam, quo hic vel ille exactius ſit comprehendendus, fere ignoretur. Sexaginta & unum Joh. Philipp. Ingraſſias ex Galeni de tumoribus libro recenſuit, illiſque centum & ſexaginta quinque alios ſuperaddidit. Verùm, quæ ἐπίκρησις eſt Magni Dan. Sennerti lib. 5. Med. pract. part. 1. cap. 1. ſine cauſa hoc modo multiplicantur entia. Inprimis cùm ſub tumoribus iſtis recenſeantur adfectus, qui tumores non ſunt, tumorque unus & idem variis ſub nominibus repetatur. Quin ſi nominum diverſitatem attendere liberet, multo majorem conſtituere numerum, foret facillimum. Quare ad evitandam perplexitatem illam, præſens tuberculum, Mori nomine inſignitum, ad Verrucas, quas vocant, penſiles, Græci verò ἀκροχόρδονας referri aptiſſimè poterit. Generatio ejus à ſanguine, vel potiùs ejuſdem ſero craſſiore dependet, dum is per exigua palpebrarum vaſcula delatus concreſcit, nec in venulas tranſſumptus ad principium univerſale reducitur; ſicque in intermediis ſpatiis ſubſiſtens & novo ſubinde accedente, adcumulatus, in ejuſmodi corpus præternaturale vertitur. Cui exſtirpatione; quæ fit per injectum vinculum, commode ſatis occurritur; ſic enim ſenſim ſenſimque meatus, præter ordinem naturæ generatus, alimenti adductor, in gracili radice anguſtatur atque conſtringitur & conſequenter ulterior nutrimenti adfluxus inhibetur, parteſque iſtæ; ſanguine vitali & ſucco nutritio orbatæ, quaſi emoriuntur. Nec refert, quo id fiat vinculo, ſerico vel equino, vel alio, modò tenui in corpuſculo requiſitam habeat ad validam conſtrictionem firmitatem; neque utile videtur, quod aliquibus placet, ſublimati ſolutione illud priùs imbuere, cùm vicinas partes, oculum præſertim, acria haud impunè ferentem, acri & cauſtica vi ſua facile lædere valeat; ut taceam, cùm ſola hic nutrimenti excluſione opus ſit, æque feliciter prompteque à ſimplici filo, non medicato, negotium ſic expediri. Celeriori modo ille, cujus Galenus 14. Meth. med. cap. 17. meminit, Morum hunc abſtuliſſet, cùm acrochordonas primoribus apprehenſos dentibus abſcindere conſueverit: quia enim anguſto ſatis principio cuti adhærent ut ex ea dependere videantur, auferri facile poſſunt, & quidem abſque regenerationis metu. Acrochordon inquit Celſus lib. 5. de re med. ſi exciſa eſt, nullam radiculam relinquit, ideoque ne renaſcitur quidem. Varia aliàs contra tubercula hæc commendari ſolent remedia, & Circulatorum etiam induſtriam multùm exercent verrucæ; quæ equidem contemni ſemper nequeunt, ſæpe tamen fallere comperiuntur, & plus in oſtentatione quam effectu poſſident: Plurimis etiam eorum illud Galen l. 10. ſimpl. med. fac. adcommodari poteſt, qui, an murium domeſticorum ſanguis acrochordonas decidere faciat, ne quidem experiri voluit, cum aliorum ipſi magna ad hoc pathema copia ſuperfuerit: Imo ſponte quandoque evaneſcere Celſus citatus teſtatur, ſcribens, Nonnunquam ſubito deſinunt, idque è *Braſavola Joh. Schenckius l. 5. obſerv. med. comprobat:*

Strabiſmus ex Epilepſia.

Anno 1670. ſub initium menſis Decembris, F. N. Mercatoris filiola ſexennis, antequam erumperent variolæ ſibi lethales, multoties convulſa, cùm ab ipſo ortu ſuo uſque ad invaſionem morbi Comitialis oculos habuerit bene conſtitutos, poſt illum debellatum omnia objecta viſibilia retortis excepit oculis. Sic quoque memini: quod cùm Anno 1662. menſe Julii Francofurti ad Mœnum ſingularem meum amicum, Dn. G. F. Bibliopolam haud poſtremum inviſerem, atque mihi filiolus illius ac filiola ambo ſtrabones occurrerent: Hos quidem ſalvis ac rectè cernentibus oculis natos fuiſſe, aſt altero poſt nativitatem anno deteſtabili Paroxyſmo epileptico correptos Strabiſmum contraxiſſe, mœſti retulere parentes. *Georgii Segeri.*

Oculi protuberantia cancroſa.

Lectiſſima quædam Virgo noſtras, Ann. ætatis 12. patiebatur variolas maligniores, è quarum puſtula in ſiniſtro oculo elevata enatum eſt ulcus juxta pupillam, quo, debilitata cornea diaphana, facillimum fuit oculi humoribus jam per inflammationem nimiùm exagitatis, tunicam hanc in molem attollere præternaturalem,

caput muſcæ, ac ſenſim uvæ acinum magnitudine ſua referentem. Verùm non hic permitit malum, at in dies incrementa ſumpſit, unde non tantùm ad majoris caſtaneæ magnitudinem prædicta moles aſſurgebat, & dura, livida, ac vaſis varicoſis, conſita apparebat, ſed etiam inde humoris acrimoniæ in dextrum oculum tranſlata, ophthalmia ſic in eum inducebatur, quæ vix remediis cedere valens, ſubinde regrediebatur, viſumque ſenſim minuendo, totalem cæcitatem minitabatur. In caſu itaque tam gravi ſumpto, à pluribus Medicis ac Chirurgis conſilio, non aliud occurrebat præſidium quàm operatio in oculo primùm affecto, à quâ major pars conſultantium non parum abhorrebat; dum ego cum alio Medico & duobus Chirurgis hanc unicam eſſe ſalutis viam dum aſſererem, & ni promptiùs celebraretur operatio, cancrum præ foribus eſſe adderem, animum feci, & ægræ, & parentibus. Poſtquam itaque per remedia generalia corpus præparaſſemus; inciſione longitudinali oculum ab uno cantho in alium aperiebat Chirurgus dexterrimus. Sic effluebat parum liquoris; & quicquid protuberantiam faciebat, vidimus eſſe corpus durum, totum prope oculi cavum occupans, quod intactum hac prima die reliquimus, nec aliis etiam ſubſequentibus illud à ſede ſua per inſtrumenta dimovere licitum fuit; itaque ad præcipitatum album probè elotum, recurrendum erat, quem copioſiùs vulneris fundo inſpergebamus, ſicque ſenſim totum tumorem abſumebamus. Hoc interim non ſine maximis moleſtiis peragebatur interdum enim vix oculum aperire licebat, per palpebrarum tumorem ingentem, prorſus occluſum; interdum eryſipelatoſa inflammatio totam faciem occupabat, puſtulæq; quaſi ab igne excitatæ enaſcebantur, partis gangrænâ minitantes: At hiſce benedicente Deo præcipuè providebamus, poſt palpebrarũ ſcarificationem, per rorem vitrioli; cujus vires, ut & prædicti præcipitati hocce in caſu deprehendimus prorſus mirabiles, Poſtquam materia tumoris abſumta fuit, & faciei ac palpebrarum inflammatio, ſanata, orbita magna ex parte vacua, artificialem oculum facilè admiſit; ſicque non tantùm deformitati, atque cancro adventanti, providebamus, ſed alterius oculi infirmitati, nam ille ab operatione celebrata, ſcilicet à quinque ad minimum annis, omnino ſanus eſt, nec unquam ophthalmia, ſibi antea familiari afflictus fuit.

ODONTALGIA.
Vid.
DENTIUM MORBI

ODORATUS,
Vid.
OLPHACTUS. Seu potius *NARIUM MORBI.*

OEDEMA.

I. Oedema apud Hippocratem, & pleroſque veteres Medicos generaliter denotat omnem tumorem præter naturam. οἴδησις namque, ſeu οἴδημα nihil aliud ſignificat, niſi eminentiam. Sed potius cum Neotericis Oedema nos appellabimus Tumorem ab humore pituitoſo genitum.

II. Sit igitur Oedema Tumor frigidus, pituitoſus, mollis, laxus, doloris & caloris expers, plerumque albidi coloris. Vel dicatur, Tumor præter naturam ab humore ſeroſo aut pituitoſo ortum habens, albus, mollis, indolens prementi digito cedens, per congeſtionem frequentius, quàm per affluxum humorum productus.

III. Atqui diſtinguitur vulgo Oedema in duas ſpecies. Nimirum eſt Tumor hic, vel cum humore collecto cumulatus, certa circumſcriptione, definitus, iſque genuinum & legitimum dici ſolet œdema: vel eſt ſine ulla circumſcriptione, aut humoris in locum unum collectione, ſed per partem diffuſus & expanſus, ac rectè nuncupatur œdematoſus Tumor. Verum legitimumque œdema fit ab humore ſubcruento, crudo, ſeroſo-pituitoſo, ſubacido, à ſanguine in aliquam partem ſecreto ibidemque congeſto, atque mollem, laxum, indolentem, certaque circumſcriptione definitum tumorem excitante. Tumor verò œdematoſus fit ab humore crudo, ſeroſo-pituitoſo, ſubacido, è cruore itidem amandato, vel lymphatico, per totam partem diffuſo diſperſoque; quam ita tumefacit ac diſtendit, ut cùm digito prematur, fovea quædam fiat, quæ remanet, atque ſui veſtigium ſervat, ut in Tabidis, Cachecticis, aut aliter malè habitis in dies obſervatur.

IV. Cauſæ ergo Oedematis ſunt humores crudi, ſeroſo pituitoſi, ſubacidi in ſanguine redundantes, hinc in partem quamdam effuſi, in eaque Tumorem hunc, per congeſtionem potiùs, quàm per fluxionem excitantes. Procatarcticæ verò, ſeu Primitivæ Cauſæ eſſe poſſunt, Caſus, Percuſſio, Aër nimis frigidus. & humidus, Cibi viſcidi ac glutinoſi, Crapula, Somnus longior, Otium nimium, Vita ſedentaria, & ſimilia, quæ ſanguinem crudum, ſeroſum, pituitoſum, ſubacidum producere valent.

V. Signa autem quibus cognoſcitur Oedema, ſunt Albedo, Mollities digitis cedens ut fovea relinquatur, quod maximè proprium eſt Oedematis ſignum. Minor quoque adeſt Dolor minorque Pulſatio.

VI. Solet præſertim Oedema generari hyeme, & frequentiùs ſenibus corporibuſque phlegmaticis accidere. Terminatur verò pluribus modis, vel per Reſolutionem, vel per Suppurationem, vel per Indurationem. Per Reſolutionem, ſeu Inſenſibilem Tranſpirationem ſæpius terminatur, ſæpe etiam Induratur, rarò per Suppurationem ſolvitur; quia ex humore oritur frigidiore ac mitiore qui haud facilè in pus vertitur aliquando tamen hic Tumor Suppuratur ſi in calidioribus fiat partibus. Atqui in Scyrrhum aut Abſceſſum ſi abeat Oedema, difficilioris eſt curationis; Periculoſum item ſi Phthiſis aut hydrops adfuerit.

VII. Oedematis Curatio duplicem ſibi ſcopum proponit: unum, qui antecedenti materiæ ſe opponat: alterum, qui cauſam conjunctam evacuet. Antecedens materies emendabitur recto ac legitimo rerum nonnaturalium uſu, qui ſanguinis, aliorumque humorum dyscraſiam immutare & corrigere queat. Cibus & Potus, ſimiliter ac Aër moderatè calefaciant, exſiccentque. Caro aſſata præſtat elixata. Nocent Fructus Horarii, Caſeus Piſces Marini, Nocet & quantitas Cibi Potuſque nimia

nimia. Conducit Vinum, per ſe uſurpatum, aût aut herbis calefacientibus alteratum. Exercitia proſunt moderata. Obeſt ſomnus longus, item Alvi durities, Quies, Triſtitia, Venus.

VIII. Sed præter convenientem rerum nonnaturalium adminiſtrationem Antecedens Cauſa corrigetur inſuper, ac educetur Remediis Generalibus, quæ crudos, ſeroſo-pituitoſos, ſubacidos humores emendare, ac evacuare ſolent. At quoniam affectus hujus cauſa antecedens in ſanguine non fervido, ſed vappido, ſeroſo, ac aliter vitioſo conſiſtit, hinc Venæſectio nequaquam conducit, atque non niſi rariſſimè in Oedemate curando inſtituitur. Et ſi aliquando ſanguis ſit mittendus, id non ratione morbi, aut cauſæ conjunctæ, ſed ratione alicujus ſymptomatis, aut cauſæ antecedentis fieri ſolet.

IX. Frequentius vero locum habent quæ viſcera roborant, obſtructiones aperiunt, humores ſeroſo-pituitoſos attenuant, eoſque Tranſpiratione aucta Inſenſibili, promotiſque tum Diaphoreſi, tum Diureſi, nec non per Alvum facta Purgatione educunt. v.g.

℞. Raſur. Ligni Guajaci ℥ iii. Saſſaphras ℥ ß. Infund. per noctem calide in aquæ puræ ℥ LXX. Dein S. A. coq. addendo. Rad. Fœniculi, Petroſelini an. ℥ j. Galangæ ʒ ij. Cort. med. Sambuci rec. ℥ ij. Herb. Calamenthæ, Chamæpitheos an. M j. Baccar. Juniperi ℥ i ß. Pulpæ Colocynthidis ʒ i. vel ℈ iv. Glycyrrhyzæ raſæ ʒ iij. F. ex his S. A. Colaturæ ℥ XL.

X. Corpore ſic purgato, utile erit Decoctum Diaphoreticum, ſimulque Diureticum, ex quo mane in lecto adhuc decumbens, & hora à meridie circiter quarta largiorem hauſtum calidè ſumat Æger, atque matutino tempore, quouſque vires concedant, inde ſudores moveat.

℞. Raſur. Ligni Guajaci ℥ IV. Saſſaphras ʒ VI. Rad. Chinæ ℥ I. Infund. ut prius in Aquæ puræ ℥ LXX. Dein coq. add. Rad. Bardanæ rec. ℥ iii. Pataſitidis. Bac. Juniperi an. ℥ i ß. Apii ℥ ß. F. ex his S. A. Decoctio ad ℥ XL

XI. Alter Curationis Scopus eſt, humorem parti affectæ inhærentem evacuare Topicis admotis Medicamentis. Sint autem Ea, Incidentia, Attenuantia, Digerentia, Exſiccantia, Reſolventia. Tumoribus namque a Congeſtione ortis Repellentia nunquam ſunt imponenda. Igitur acre ſumatur Lixivium, prout majore aut minore Reſolutione opus eſt, cui admiſceatur Acetum, Sal Gemmæ, aut Alumen, vel Sal commune, idque cum nova ſpongia imponatur. v. gr.

℞. Ciner. Ligni Quercini. Stipitum Fabarum Sarmentorum Vitis an. p. aq. per os transfundatur Aqua Fabrorum extinctionis Ferri calida, addito Aceti Vini modico, idque toties fiat, donec efficaciam acquiſiverit Lixivium. In cujus ℔ IV. diſſolve Salis Nitri, Aluminis an. ʒ ii ß. Sulphuris vivi ʒ ii. Miſceantur pro Fotu. Lixivii loco uſurpari poteſt Fomentum.

℞. Rad. Ebuli, Bryoniæ an. ℥ i ß. Cucumeris Aſinini ℥ i. Herb. Abſynthy, Abrotani, Salviæ, Calamenthæ an. M j. Flor. Camomillæ M i ß. Roſar. Rubr. M ß. Sem. Cumini ʒ VI. Coq. in S. Q. Cereviſiæ tenuis ad ℔ iij. Barbette Chirurg. part. 2. lib. 1. c. 4. laudat Ceratum.

℞. Sulphuris crudi Ciner Sarmentorum Vitis Salis Gemmæ an. ʒ ii. Farinæ Fabarum ℥ ii. Aceti ℥ i. Olei Nucum ʒ i. Therebinthinæ, & ceræ q. ſ. F. ex his S. A. Unguentum vel Ceratum.

Nonnulli Olea & Unguenta calida inungunt; ſed puto ea poros obſtruendo, adeoque tranſpirationem cohibendo parum prodeſſe.

XII. In ſtatu & Declinatione non male applicatur hoc vel ſimile Cataplaſma.

℞. Rad. Althææ rec. ℥ i ß. Bryoniæ, Cucumer. Aſinini rec. an. ℥ i. Fol. Salviæ, Rutæ Flor. Camomillæ an. M i. Coctis in Cereviſia tenui ad mollitiem, & in mortario minutim contuſis adde Farinæ Fabarum ℥ ii. Ciner. Ligni Quercini, Stercoris Vaccini an. ℥ i. Salis Nitri ʒ ii. Olei Anethini ℥ ii. M. F. S. A. Cataplaſma.

Alii haud abſque ratione imponunt Stercus Vaccinum calidum, quod reſpectu ſalis volatilis ac nitroſi in eo abundantis potenter poros aperit, ac Tumorem Oedematoſum reſolvit, diſcutit. Vel Cataplaſma conficiunt ex Stercore Vaccino, quod una cum Aceto frigunt, ac parum Aluminis & Sulphuris ei admiſcent. ex. gr.

℞. Stercoris Bubuli ℥ iij. Fimi Columbini ℥ ii. Frigantur ſimul in ſartagine cum Axungia, aut Butyro, aut quovis Oleo, vel bulliant in Oxycrato, atque Sulphure & Alumine additis, F. S. A Cataplaſma.

Inſuper Emplaſtra Reſolventia utiliter imponi poſſunt, qualia ſunt, de Meliloto, de Ranis ſine Mercurio, de Spermate Cœti, & ſimilia, quibus pro re nata & alia Attenuantia, & Reſolventia addi poſſunt,

XIII. Scultetus poſt Armamentarium Cheirurgicum obſervat. 72. refert, ſe multos Tumores Oedematoſos diſcuſſiſſe Calcis Aqua per
"aliquot dies uſurpata. Sumitur autem, in-
"quit, fruſtulum Calcis vivæ, ad quantitatem
"Nucis Juglandis, & in Aquam ferventem im-
"mittitur, donec diſſolvatur, quo facto Calx
"cum Aqua agitatur, & poſtea ſponte re-
"ſidere ſinitur, Hinc clarior Aqua, per inclina-
"tionem in aliud vas transfunditur, in qua
"ſpongia nova exprimitur, calideque parti af-
"fectæ ſuperligatur. Notandum verò, quod
"Pars Oleo Amygdalarum dulcium, vel Axun-
"gia Porcina veteri debeat inungi: facile enim
"fieri poteſt, ut portio quædam Calcis, quæ
"eſt acerrima & corroſiva, in Aquam trans-
"fuſam abierit, quæ cum Spongia applicita
"erodere, partemque mordicare poſſet.

Idem Obſerv. 98. in Tumoribus Oedematoſis, ſimulque Eryſipelatoſis curandis admodum extollit hoc Epithema,

℞. Lixivii ex Cineribus ſarmentorum vitis ℔ j. Salis comm. ʒ i. Nitri ʒ i ß. Aceti vini optimi ℥ i. Fiat Mixtura, quæ ſplenio duplici tepide excepta applicetur, faciiſque ſtricte loco affecto ſuperligetur.

XIV. Cæterum pro Crure & Pede Oedematoſo, ſequens aliquoties expertus ſum ſummopere conducere.

℞. Spiritus Vini optimi Aceti Vini an. ℥ VII. in iis diſſolve Salis comm. ʒ iij. aut circiter. Hic liquor cum panno immerſo tepidè applicetur. Deinde pes & tibia univerſa faciâ lineâ longâ digitos tres quatuorve lata, à digitis pedum incipiendo, ſurſumque ad genu uſque procedendo

dendo

dendo, ſtrictè ligetur, ita tamen ne pars affecta nimis comprimatur, & cavendo ne plicis aliqua in crus fiat impreſſio.

Si verò ſpernat hoc remedium Æger, veſperi cubitum iturus per ſemihoram pedibus inſideat Balneo calido, (quod fiat ex Semine Graminis exſiccati, hoc eſt, Fœni, Cineribus Ligni Quercini, & Sale communi, in Aqua pura decoctis) & dein, pedibus mappâ calefactâ probè abſterſis, in lectum ſe conferat, crurибusquè magis ſolito elevatis decumbat: manè autem faſciâ lineâ Pedes, Tibiæque universæ dicto modo ligentur.

Attamen omnibus hiſce ritè administratis Oedematoſus Tumor ſi non diſcutiatur, conſulendum ut Thermas Aquisgranenſes, aliaſve calidas adeat Æger, quæ potenter humores ſeroſo-pituitoſos diſcutere, ſimulque interna viſcera ſuâ caliditate roborare valent.

XV. Sed Suppurationem ſi minetur Oedema, quod raró contingere obſervamus, Cataplaſma imponatur, cui addantur Herbæ Emollientes, Fermentum acre, Fimus Columbinus, Unguentum Baſilicon &c.

♃. Rad. Liliorum albor. recent. Cæparum ſub cineribus aſſat. an. ℥ii. Fol. Malvæ, Althææ, Salviæ, Flor. Camomillæ an. Mi. Caricarum ping. No. x Coctis in Aqua pura ad mollitiem, & in mortario contuſis adde Farinæ Fabarum ℥iiß. Fermenti acris, Fimi Columbini an. ℥iß. Unguenti Baſiliconis ℥ii. M. F. S. A. Cataplaſma. Cataplaſmatis loco Emplaſtrum Diachylum cum Gummi applicatum Suppurationem abundè promovet.

XVI. Quum igitur ſuppuratum, & ad maturitatem perductum ſit Apoſtema, curandum ut id tum loco commodo, tum tempore opportuno aperiatur. Etenim lenta frigidaque materies nos fallit non raró, quod ſua effecta extrinſecus rarius producat, quam intrinſecus, ubi partes interiores paulatim ſine magno dolore corrodit, exeditque. Tutius autem hujuſmodi frigidum Apoſtema Potentiali Cauterio, quam Scalpello aperiri ſolet; quod contrarium in calidis tumoribus obſervamus. Illud namque ad humorem illum frigidum, Viſcidum, Pituitoſum maturandum, atque ulterius coquendum non parum juvat.

Apoſtemate aperto, Ulcus conveniente Digeſtivo mundandum, & dein Sarcotico impoſito Unguento carne replendum.

Sin verò alicujus Morbi Symptoma ſit Oedema, ut Pthiſeos, Hydropis, Cachexiæ, vel ſimilis, Morbus à quo provenit imprimis curandus. *Joh. Munnicks in Chirurgiâ ad praxim hodiernam adornata.*

OLPHACTUS LAESIONES
Vid.
NARIUM MORBI.

OMPHALOCELE
Vid.
HERNIA.

OPHIASIS
Vid.
PILORUM VITIA.

OPHTHALMIA
Vid.
OCULORUM VITIA.

OPISTOTONOS
Vid.
CONVULSIO.

ORIS MORBI.

OS conſtat partibus oſſeis, muſculoſis, glanduloſis, veſicularibus, ac membranoſis; inſervitque cibo & potui recipiendo, illique maſticato, ac ſalivæ, è ſuis glandulis per canaliculos in id fabrefactos depluente, admiſtò, in ventriculum amandando. Nimii eſſemus, ſi ſigillatim horum omnium deſcriptionem Anatomicam exhiberemus, illudque minus neceſſarium credimus, dum apud Autores Anatomicos, ac præcipuè Viros Clariſſimos D. D. Godefridum Bidloo, ac Stephanum Blancardum, hoc penſum abunde confectum cernimus. Morbos verò quod attinet, illorum hiſtoriæ & curationes è capitibus de Dentibus, de Epulide & Parulide, Gingivis, Gurgulione, Gutture, Labiis, Linguâ, Maxillis, Palatò, Parodontide, &c. commodè peti poſſunt. Hic itaque tantùm de Oris Fœtore aliiſque paucis.

De Oris Fœtore.

In fætore oris curationis capita hæc ſunto. Pars unde mali prima labes diligenter repurganda. Toti conſulendum. Gargariſmis os colluendum. Manè præſertim ſialiſmus provocandus iis quæ temperata ſunt. Salvia vinó macerabitur. Aurum, ideſt nummus aureus, ore continebitur. Theriaca aut Mithridatium quotidie manè devorabitur. Pilularum uſus ex rhabarbarô frequentiſſimus. Tabellæ. Pimpinella vinô macerata. Eadem ore contenta. Frequens uſus ſyrup. roſar. pallid. Vini abſinthitis frequens uſus. Carnium uſus paucus. Vitanda allia & quæ odore ingrata ſunt. Granatorum & limonum uſus jucundus. Pomorum aureorum cortex conditur. Uſus coriandri. Maſticatio nucis moſchatæ miró profectu indulgetur. Aqua ciſternæ cum roſâ ad collutionem oris.

♃. Rad. acori & coriandr. ppt. an. ʒj. dictami ʒj. Abſinth. Pontici, Scordii an. p. ß. bugloſſ. pimpinell. piloſ. meliſſ. ſtæchad. an. p. ß. flor. cordial. p. ß. fiat decoctio in quâ infunde rhabarbari ʒiiß. Cinnam. & nucis moſchat. an. ℈ß. expreſſioni adde vini albi cochlear unum, ſyrup. roſar. pallidar. ʒx. fiat potus.

♃. Coriandr. ppt. ℥ij. pulver. panis toſti ʒvi. fœnicul. dulc. conditi ℥j. Glycyrrh. ℥ß. fiat mixtio.

♃. Tabellar. aromatic. roſat. & diarrhodon. abbat. an. ℔. ß. utatur.

♃. Mithridat. ʒiij. Conſerv. roſar. bugloſſ. & violar. an. ℥j. utatur manè & horâ ſomni.

♃. Rhabarbar. ʒij. nucis moſch. gr. 8. pulver. aromat. roſat. gr. 6. agaric. troſchiſc. & Aloës lotæ an. ℈j. cum vinô albô infuſionis zingiberis, & cinnam. fiat maſſa utenda ad 4. pilulas ſæpe ante paſtum.

Aquæ Imperialis uſus convenientiſſimus & vinum abſinthites. *Gulielmus Ballonius Conſiliorum librô 2.*

Annotatio Jacobi Thevartii.

Cùm à toto corpore ſudor graveolens manat, quod ſymptoma ut plurimùm bilioſis, & ruffô capillitiô, cuteque ſubalbidâ præditis contingit, hâc ratione corpus odorum & bene olens redditur, præſertim æſtate, quô tempore cutis ſpiracula & pori patent, propter ambientis aëris caliditatem. Coquunt radicem Cardui benedicti in vinô albô; quotidie manè propinant tres vel quatuor uncias. Statim à potu hujus decoctionis urina craſſa & fætens redditur. Vel, accipitur terebinthina Veneta ad quantitatem olivæ cum pari portione mellis, coquitur modicè, deglutitur, vinumque inſuper bibitur. Alii magnô profectû myrrhæ & ſerpilli pares portiones terunt, & ex iis pilulas formant, quarum duas manè devorandas præbent, inſuperque vinum bibendum exhibent. Hæc præſidia non modò ad totius corporis fætorem, ſed etiam ad oris graveolentiam arcendam valent.

A Recurrente Oris Tortura, & Vertigine Præſervatio.

Illuſtriſſimus Abbas ætatis ſuæ annorum ſexaginta, temperamento verè ſanguineo, habitu corporis pingui, quadrato & Athletico, in quo & calor hepatis magnus, & abundantia humidi pari paſſu procedunt; elapſo jam anno decimo per dimidium quadrantem Vertigine non tenebricoſa correptus fuit, ita ut omnia in gyrum verterentur; à qua immediate ſudor erupit, & voluntas ejiciendi. Sequenti mane expergefactus, tortura oris ſeu ſpaſmo cynico cum capitis gravamine cœpit laborare; & convaluit facta purgatione & ſanguinis copioſa miſſione. A decoctis calidis offenſus, à frigidis & temperatis curatus, bene poſtea ſe habuit, niſi quod dubius, ne iterum fieret convulſus, vel vertiginoſus, medicamenta diverſa à Medicaſtris in dies accepit, ſolo habito reſpectu, quod humorum moles evacuationibus, maſticatoriis, ſternutatoriis, & ſimilibus diminueretur. Omnia tamen medicamenta cum ſine corporis & humorũm præparatione exhiberentur, humores agitabant, & ſæpe febres aliquæ, uti catarrhales, ephemeræ, ſynochæ, & ſimiles emergebant, quæ vel evacuatione integre facta, vel ſanguinis miſſione facillime tollebantur. Modo Illuſtriſſimus Dominus inculpatæ ſaluti proximus eſt, & ſpatio ſeptem horarum perbelle dormit, optime & cum ſenſu comedit, digerit, excernit, ad motum indefeſſus; quia tamen ob hepatis calorem agitatur materia in hypochondriis, ubi ebulliendo vapores elevantur ad caput, & imprimunt in Nobiliſſimo Patiente timorem futuræ infirmitatis, ideo præcautionis gratia frequenter maſticatoriis utitur, ſternutatoris, & neſcio quibus pilulis magiſtralibus, à quibus tamen caput debilitatum, ſæpe coryza offenditur, fluxione ſcil. narium quæ à quovis aëre matutino vel nocturno intempeſtive & frigide recepto adaugetur; raucedine quinetiam ſuperveniente, quæ neceſſario medicamentis debet expugnari Sed quia Illuſtriſſ. Abbas valde dubitat de nova Vertigine & inde de Oris tortura, cum caput aliquando grave, aliquando vanum ſentire ſibi videatur, ideo hæc brevi temporis ſpatio ſcribenda duxi, omnia tamen ſubjiciens Clariſſimo & Doctiſſimo Viro, cujus immortalem Doctrinam addictiſſimus veneror.

Vertigini ſolutæ quinquageſimo ætatis anno in Illuſtriſſimo Abbate ſucceſſiſſe oris torturam, ſive Cynicum ſpaſmum mirandum non eſt, cum Vertigo ipſa proxima ſit comitialibus & apoplecticis affectionibus, non quia ab eadem immediata cauſa Vertiginis mali jam dicti producantur affectus, ſed quoniam Vertigo pravam in cerebro diſpoſitionem reperiri nobis ſignificat, quæ materiam ſive cauſam accerſere valeat dictis affectibus producendis idoneam: Vertigo enim fit ab inordinato motu ſpirituum animalium, cujus cauſa eſt fumoſa materia ſpiritibus immiſta, cujus ratione, irregulari & circulari motu moventur. Convulſio vero ſecuta, ſicut & Apoplexia, à ſolidiori materia quandoque ſanguinea, utplurimum catarrhali & pituitoſa excitari ſolent, dum in caſu noſtro ad nervos tertiæ conjugationis depoſita, eoſdem replendo labiorum contractionem & convulſionem induxit. Materia autem hujuſmodi num à toto venoſo genere ad caput tranſmiſſa fuerit, an potius in eodem genita dubitari poſſet, quamvis tunc temporis ab educto ſanguine è venis elici potuerit. Conjectare tamen nobis licet caput tunc ſuſcepiſſe, non produxiſſe materiam, tum quia non adeo facile medicamentis ceſſiſſet affectus, tum quia ſi idiopathice affectum fuiſſet, decem præteritorum annorum ſpatio recidiva, imo pejora mala ſucceſſiſſent. Verum tamen eſt quod ſicut à plenitudine totius tunc lædi poterat, ita ætatis progreſſu & perſeverante ab inferiis partibus fomite, eſſentialis poteſt evadere capitis læſio. Propterea monebat Galenus de Vertigine ſympathica locutus, quod, Quamvis caput per alterius partis conſenſum laborat, affectio nihilominus ipſi capiti tribuenda ſit: & præſertim in caſu noſtro, dum caput ab injuriis externis facile alteratur & læditur; ut propterea, cum hypochondria in Illuſtriſſ. Abbate æſtuantia & valde evaporantia à Viro Doctiſſimo obſerventur, eorumdem primò ratio ſit quidem habenda, capite tamen nunquam neglecto. Et quoniam ab hepatis & hypochondriorum calore compatitur etiam ventriculus, ita ut juges cruditates producat, à quibus obſtructiones in vaſis meſariacis genitæ fuerint, quæ exiccatæ hypochondriacum affectum conſtituerunt, unde evaporationes ſive exhalationes elevantur in caput; idcirco prius inſtrumentali, ut ita dicam, ablato affectu, mox utriuſque partis, ſed magis jecoris quam ventriculi intemperiebus erit proſpiciendum.

Quare ut Illuſtriſſ. Abbas ab imminentibus malis præſervetur, & à præſenti hypochondriaco affectu perpetuum timorem incutiente vindicetur, regularis Purgatio hoc anni tempore inſtituenda eſt, primò vias primas mundando. Secundò Obſtructiones aperiendo. Tertiò Venoſum genus depurando, & ſuccorum

rum ejuſdem copiam minuendo. Quartò Caput purgando. Quintò Intemperiem hepatis corrigendo; atque tandem ventriculum & ipſum caput roborando.

Quibus intentionibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgico repetita, ſed moderata, eſt depromenda ſanguinis miſſio, ex brachio primò, mox ex ſedalibus venis. Utile quoque fore exiſtimo Cauterium ſiniſtro brachio affixum. Frequentes etiam debent exerceri pedum lotiones aqua calente, ſive mane, ſive veſperi, ſed ſemper ante cibum.

Pro prima intentione lenientia jam propoſita bis repetita ex uſu erunt. Et intermediis quinque diebus, pro Præparante julapium acet. corticib. citri alteratum, & exigua aqua florum citri dilutum, aptiſſimum fuerit.

Pro ſecunda, rhabarbarum opportuniſſimum cenſetur, vel comanſum cum paſſulis ad ſemidrach. quotidie vel drachmis duabus caſſiæ commiſtum & deglutitum: cui poſt horam ſuperbibat cyathum ſeri capr. aut aſin. deſtillati; & in hujus uſu perſeveret decem aut duodecim dies.

Deinde aſſumat ℞. Flor. caſſ. recr. extr. ℥. pilul. de trib. cum rhab. ʒ. j. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. lib. j. ß. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat.

Tertiæ intentioni ſatisfaciendum erit ſuccis depur. & elective purgantibus medicamentis, ſic

℞. Succi depur. cich. borag. agrim. an. ℥. j. decoct. endiu. meliſſæ, pentaph. beton. ℥. iiii. ſalis tart. fixi gr. x. m. pro ſyr. & aliis decem, in quorum intermedio & fine aſſumat.

℞. Elect. len. ʒ. v. de ſucco roſarum ʒ. ii. pilul. de trib. cum rhab. ʒ. j. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri depur. aut aquæ hordeac. lib. j. ß. & tribus horis ab aſſumpto ſero vel aqua prandeat.

Quartæ intentioni ſatisfacere poterunt pilulæ capitales ita parandæ.

℞. Pilul. coch. præpar. aurearum, aggregat. an. ʒ. ß. m. reform. pilulæ, & aur. media nocte à primo ſomno, aut in aurora aſſumendæ. Errhinum quoque parari poterit ita.

℞. Pulv. major. ireos an. ʒ. ii. nigellæ ʒ. j. m. f. pulvis more tabaci mane tantum per nares attrahendus. Pulvis quoque exiccans capiti inſpergi poterit, ita parandus

℞. Pulv. ligni carioſi, oſſium ſepiarum uſtorum, cornu Cervi uſti, majoranæ, roſarum rub. an. ʒ. ii. m. f. pulvis ſubtiliſſimus pro capitis inſperſione ſub ingreſſum lecti facienda.

Quintæ intentioni ſatisfaciendum Conſerva roſarum, xv. aut xx. diebus ſummo mane aſſumenda, cui ſuperbibat cyathum aquæ ſtillat. de ſucco cich. vel aquam jam dictam bibat cum Conſerva de acido citri, roſarum Conſervam omittendo.

Tandem Ventriculo aliquod robur addendum, ſi non aqua Tettuciana tribus aut quatuor diebus in medio præſcriptæ Curationis cum vehiculo dejectorio aſſumenda, ſaltem frequenti uſu abſinthii ſtatim à prandio, ut abſinthii Conſervam comedendo, aut ſal abſinthii ad ℈. j. in exiguo vino diſſolutum hauriendo; aut pilulam devorando, ex uno ſcrup. ſucci abſinth. condenſ. paratam; Sicut non parum Ventriculo proſunt duo aut tria grana maſtiches, ſtatim à cibo integra deglutita. Pro capitis verò roboratione in uſum frequentem ſunt ducendæ Conſervæ capitales, e florib. beton. roris marini, ſalviæ: & æſtivo tempore roſarum veſpere ſub ingreſſum lecti aſſumendæ, quibus immiſceri poſſet medicamentum aliquod à proprietate juvans, ut aliquot guttulæ ol. de camphora, aut olei de buxo, aut de ſuccino, aut quintæ eſſen. roris marini: æſtivo verò tempore tincturæ corall. chymicæ. Quibus etiam ſutura coronalis nonnunquam illiniri poterit.

Et jam dictis omnibus congrua vivendi ratio à Viro Excell. præſcribenda omnino addenda erit. Interim obſervando num capitis læſio eſſentialis progreſſu magis innoteſcat: tunc enim opportuno tempore de Decocto ſudorifico, moderato tamen, & ad hominem præſcribendo, cogitandum eſſet, ut capitis humiditas abſumatur, & ejuſdem intemperies corrigatur. *Raym. Joh. Fortis conſult. & Reſp. Medic. T. 2. Cent. 1.*

Oris tortura & Deſtillatio in alias partes.

Athletarum habitum ſemper damnavit Hipp. ſi ad ſummum bonitatis attigerit: humanæ enim ſortis ea conditio eſt, ut in eodem ſtatu permanere nequeat, & ideo cum homo in tali extremo ſit conſtitutus, & proficere non valeat, reliquum eſt ut in deterius decidat. Hoc evenit Adm. Rev. Patri, qui tali habitu præditus, tum à naturali ſui corporis conſtitutione, tum vero à liberaliori victus ratione, quatuor abhinc annis variis morbis cœpit conflictari, quorum primus fuit pernicioſiſſima Diarrhœa febri acutæ ac dyſenteriæ conjuncta, æſtuans ejus hepar demonſtrans, cum bilioſiſſimis pernicioſiſſimiſque & frequentibus cruentis dejectionibus, qua per multos dies adeo laboravit, ut in maximo vitæ diſcrimine Pater Adm. Rev. verſatus fuerit; à qua remediorum ope tandem convaluit. Sed non mutato vitæ genere ſequenti anno horridiori forſan caſu correptus fuit; incidit enim non ſine præcedenti capitis offenſa in notabilem oris torturam & ſiniſtræ palpebræ reſolutionem; à qua nonniſi operoſa & laborioſa Medicamentorum ac remediorum adminiſtratione fuit ſolutus: non recuperata tamen partis ſiniſtræ figura integre, licet decocto accommodato, etiam cum ſudore per plures dies exhibito, & localibus non neglectis, atque compoſita victus norma ſervata. Nonnullos verò poſt menſes occaſione cauterii ab eodem Patre de ejus purgatione nimium ſolicito exaſperati, in inſignem ſiniſtri brachii tumorem incidit, cum ſumma partis inflammatione & dolore, qui tandem ope artis ſuppuratus, & per multos dies expurgatus fuit, vix tamen ad cicatricem perductus, maximè ſub axilla in qua de fiſtula relicta diu merito dubitatum fuit.

Nec tamen tali morborum facie perterritus Pater exactam, ut debuerat, vitam duxit, præcipue in ciborum & potus uſu, in quo ſolam Diætam conſiſtere credit vulgus, ſed maximè exponendo ſe cuicunque aëri, etiam in montibus magis alpeſtribus, & rigidiori anni tempore, tum ut Divini verbi Orator, tum propriæ

hilaritatis gratia: Unde mirum non fuit ſi permanente naturali partium conſtitutione, & reproducta materia ab externa cauſa exagitata, debilem locum eadem rurſus obſederit, ipſam Oris torturam in eadem parte licet levius renovando, quæ tamen ſolis expurgantibus de more præſcriptis & corroborantibus ſubſtitutis remiſſa adeo eſt, ut Rev. Pater priſtinam recuperaverit ſalutem; qui tamen frequentes has horridorum morborum ac ſymptomatum minas, majorum ut plurimum nuncias jure pertimeſcens, ſub Præſtantiorum facultatis Medicæ Virorum confugit præſidium, ut ſic tutius ſalubrem vitam agere valeat.

Cur Athletarum habitibus non ſolutis majora ac ſæviora ſymptomata ſuccedant, ſi quiſpiam quærat, reſpondendum: quia corruptio optimi peſſima. Et ideo mirum non ſit, ſi Adm. Rev. Patris olim optimo habitu ad ſummum bonitatis perducto, à copia ſuccorum nativo calore ſuffocato, & adſcititio adaucto, ab hoc corruptiones contigerint, & in bilioſam materiam transmutationes, unde bilioſæ Diarrhœæ atque dyſenteriæ ſucceſſerint: ab illo vero cruditates emerſerint, quæ à ſanguine circulante per carotidas ad caput delatæ, in eodemque tanquam parte imbecilliori depoſitæ, & inde per nervoſam & muſculoſam ſubſtantiam ad partes infernas tranſmiſſæ, & ori torturam, & palpebræ reſolutionem induxerint. Quoniam vero non ſatis tota maſſa ſanguinea fuit depurata, hinc factum fuit ut Cauterii exaſperati occaſione non exiguam pravi ſanguinis portionem ad brachium & axillam depoſuerit ipſa natura, ad majorem totius maſſæ ſanguineæ depurationem. Verum quia ejuſdem Rever. Præsb. caput calidam & humidam intemperiem à natura ſortitum fuit, quæ ab erratis in vivendi ratione commiſſis, & præſertim in aëris inclementiis, augmentum, imò exceſſum ſuſcepit; ideo propter illam multiplicata cruda ac pituitoſa materia, & ad muſculoſas potius, quam nervoſas partes rurſus ſecunda vice detruſa, & palpebræ relaxationem, & oris torturam antea remiſſam renovavit, & exaſperavit, tandem medicamentis electivè purgantibus atque Topicis expugnatam. Quibus omnibus conſideratis, de alia recidiva ſive majori imminenti malo non ſine ratione dubitat Adm. Reverend. Pater, cum intemperies calida & magis humida in capite vigens, materiam catarrhalem ſuſcipiendi & reproducendi vim obtineat, eoque magis, cum non adeo exquiſitæ vivendi rationi ſeipſum tradere poſſit: cum enim Studioſus ſit, ab applicationibus abſtinere non poterit, præterquam quod & in reliquis rebus non naturalibus debitam menſuram ſervare eidem non adeo facile fuerit.

Quare ut tutiorem vitam degere poſſit, humidam capitis intemperiem corrigere neceſſarium putamus, capite prius expurgato, & ante caput, toto venoſo genere depurato, primis viis ante omnia mundatis.

Quibus intentionibus ſatisfaciendum repetita ſanguinis miſſione ex utroque brachio, quantitate Viro Excell. Aſſiſtenti commiſſa. Cauterium jam inuſtum cuſtodiendum.

Primæ viæ Lenientibus & congruis Præparantibus ſine diluto expediendæ. Inde ad maſſam ſanguineam defæcandam erit deveniendum, indicatione ab extracto ſanguine deſumpta, quem quoniam cruditatibus abundare facile credi poteſt, ideo oxymel. diluto præmiſſo, jus ſuperbire poterit cichoraceis, agrim. pentaphyllo, meliſſa & fumaria alteratum; & ſi aliqua quoque aduſtio in ſanguine obſervata fuerit, juri alterato ſucci quoque depurati cich. & borag. addi poterunt. Tranſacta hebdomada, expurgatio procuretur, addendo potioni ex manna clarif. in infuſione conſueta rhabarbarum & agaricum: Vel parentur boli ex elect. lenit. diacath. & diaphæn. Quibus tamen omnibus ſuperbibat aquam hordeaceam ſive Nocerianam. Repetenda mox iterum Præparantia, quibus addi poterunt grana 12. aut 15. ſal. Tart. & eadem Purgantia mox iteranda; Ut inde ad capitis expurgationem deveniatur pilulis cochiis, aureis & aggregat. ter quarto quoque die repetendis; & diebus intermediis præbeantur ſucci depurati agrim. beton. & fum. in decoctione cichoraceorum, additis foliis majoranæ, ſalviæ & ſtœchadis; quo eodem tempore, matutinis horis per nares quoque caput idem expurgari poterit errhino ex pulvere majoranæ, ireos, nigella & tabaco parato. Quæ jam dicta omnia in gratiam poſtremæ & magis neceſſariæ intentionis peracta fuerint; huic autem ſatisfaciendum ſudorifico Decocto ex viſco querc. ligno ror. mar. ſalſa, guaiaco, in aq. ſtillat. cichor. & beton. parato, cui progreſſu addi quoque poterit portio, aut lentiſci, aut ſantalorum; ſudor vero in hypocauſto provocandus, ut totum corpus, & caput præſertim abundè ſudare poſſint. Et ut ſudor felicius provocetur, utq; maſſa ſanguinea facilius purificetur, præmittatur pulvis viperinus ad gr. 15. aut 20. & in hujus uſus 40. diebus perſiſtat; decimo verò quoque die potionem ex manna clarif. de more aſſumat, ad humiditates redundantes à potu ſecundæ aquæ excernendas; & ratio victus ſit quidem attenuans, at non adeo tenuis.

Abſoluto ſudore, ſi Viro Prudentiſſ. Adſtanti viſum fuerit, aliqua caloris contemperatione opus eſſe, rurſus aperiri poterit vena brachii, parce ſanguinem educendo; & quindecim diebus uti poterit potione matutina, ex lib. 1. aq. ſtillat. de ſucco cich. addita conſerva de acido citri, aut præmiſſa conſerva roſarum; cujus uſus ſtatim ab aſſumpto cibo & ſub ingreſſum lecti non inutilis fuerit.

Hiſque omnibus congrua vivendi ratio erit addenda, à Peritiſſimo Viro præſcribenda, cui reliqua quoque omnia melius dirigenda, imò & corrigenda remittimus. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Oris Fœtor.

Cauſas fœtentis anhelitus potiſſimum quinq; reperio. Primum quidem vulgatam maximè, ſuperſtitem ſive ex ciborum reliquiis ſeu gingivarum vitio mucilaginem, albam illam & dentium margini, quâ infiguntur, circumlitam, cui adjungas licet, qui in dentium molarium cavis colligitur putreſcens verminanſque propediem ſuccus. Deinde eſt Sanguinis intra gingivarum venas concreſcentis ſtagnantiſque putre-

putredo. Tertiò eſt, qui ex Ventriculi corruptelâ halat nidor, animam cætera puram itineris ſocietate defœdans. Quartò etiam ipſi ſanguinis texturæ immiſta putredo animam quoque redeuntem comitari atque perpetuò infamare ſolet; Tandem etiam, qui naribus redditur anhelitus, ab ulcere, Ozænam vocamus, odorem recipit fœdum planè atque impudicum. Primæ illæ ſpecies in Belgio, imprimis Hollandia, populariter graſſantur, & cum dentium ibi cura ferè nulla ſit, fœtor ille communis eſt & ipſa conſuetudine neglectus. Oris aut Gingivarum olidum ſanguinem ſudantium ibidem quoque, quam alibi, frequentior noxa, & in pueris propemodum malum domeſticum, exſerentibus ſeſe ibi primum hæreditarii Scorbuti rudimentis, Stomacacen jure voces jam olim notum morbum, quique non ante profligari cum fœtore ſymptomatico poteſt, quam exterſo cruore oris integritatem per Balſamica & purificantia, per Myrrhata, Camphorata, Spirituoſa & Alcalina procuraveris. Qui à Ventriculi ſaburrâ aut putredine nidor eſt, mirificus ſæpe & quaſi ſtercoreus, niſi jam antè diu inſedit aut congenitus eſt, Emetico facilè propulſatur, aut alias corrigentibus Antiſcorbuticis lente reſolvitur. Hecticis autem vel tabidis certum inhæreſcit odoris virus, quod Pulmonibus rejectum animam corrumpit, neque niſi cum morbo ſanari poteſt, adeò durat plerunque & commoritur. Quis autem credat in tam manifeſto ſanguinis vitio & odore impudico vivere diu homines poſſe, vivunt tamen & ægra membra in ſeram ætatem trahunt, &, quod mirandum in illâ animarum communione, ſine ullo contagii incommodo; fortè, quòd ſua cuique aura & peculiaris temperies in Antidotum tranſit. Novi olim Matronam hecticam, viro nuptam robuſtiſſimo. Hic Conjugis miſeræ ſanè & malè olentis contubernio delectatus, etiam inter baſia & animarum miſturas, quibus amor declarari ſolet, non tantum incolumis manſit, ſed & octoginta annos natus ex maraſmo ſenili, ne quid à conſuetudine illâ traxiſſe videretur, occubuit. Liberos autem omnes, numero ſex, Hectica intra trigeſimum ætatis annum erumpens abſumſit. Mater ipſa trigeſimo quarto ætatis anno liberorum partu defuncta, tandem & ipſa defecit, quæ quotidie mori viſa erat. *Joh. Nicol. Pechlinus in Obſervationibus Medicis.*

Anhelitus & Excrementorum Odor Moſchatus.

Famigeratum eſt in Hiſtoriis, quo melior eſſet Regum aut Heroum veneratio, ſingularia quædam de iis & humanis votis majora efficta eſſe, nunc nævos quoſdam prodigioſos in corpore latentes, nunc lucem aliquam lambentem, nunc gratum quendam odorem, quo ne ſudores quidem aut excrementa caruiſſe fabulantur. Alexandri adulatores, ut hominis majeſtatem redderent auguſtiorem & propemodum divinam, commenti ſunt εὐωδίαν aliquam, quam corpus ſpiraret; atque utinam ea ſuperſtitio non etiam in noſtri ſeculi homines defluxiſſet, & Docti quoque, ne temere dominatum & faſces eruditionis in aliquem ingenii viribus majorem, cætera ὁμοιοπαθῆ, contuliſſe viderentur, ejuſmodi res aut accidentium luſus pro libidine effinxiſſent; fuiſſe tamen aliquid ſingulare in certis corporibus non negaverim, ſed quod in divinitatis argumentum rapi omninò non debuit, ne reperta in aliis, iisque minorum gentium Dis, prodigia plane eadem conceptam pridem venerationem traducerent. Adeò etiam ad aſſerendam aut augendam divinitatis ſuſpicionem, quæ in Joſepho Scaligero reſediſſe viſa eſt, ineptè allegantur, quæ domeſticorum teſtimonio ſibi conſtitiſſe ait Vir magnus, excrementa nimirum ejus ſudores alvi ſcybala non reliquorum hominum more fœdum quid, at Roſam, at Moſchum, oboluiſſe. Solet hoc Phyſicorum vulgus ab æquabili & harmonico elementorum concurſu & partium aliquâ συμμετρία, unde & animi quædam magnitudo exurgat, deducere, ſed inani & ſpecioſo conatu. Erit ergo, ſi placet, abſolutiſſima quædam tum elementorum tum particularum temperies in Fele Zibethicâ, in Caprâ Moſchiferâ, in Caudâ Vulpinâ, in Sorice & Gliremoſchatis, in Muſcis Piſanis Chimentellii, ut quorum excrementa, jam etiam corpora, nacta ſunt odorem planè acceptiſſimum & ad fucos quæſitum. Quod ſi odor ille argumentum eſt harmonici particularum contextus, major erit in excrementis, quam corporibus, quorum ipſa ſunt partes, perfectio, quod ſanè quam inficetum. Adhæc ipſa illa odoris gratia in exili momento & certo particularum occurſu conſiſtet, quo mutato jam & odor pridem adeò gratus infamis eſt atque inviſus. Nimirum quæ particulæ in molem coactæ unitæque naribus noſtris graves ſunt atque moleſtæ, illæ diviſæ multoque interludente aëre narium ſeſe organo commendant gratiamque ſenſus aucupantur. Equidem Vaccarum excrementa nuper tam grave olentia, ubi certum digeſtionis gradum attigere, vel Moſcho faſtum faciunt, & imbuendis odore linteis alibi ſervire ſolent; & fuit fortè olim illa etiam Stercorum Crocodili gratia, ut quæ in fucum adſcita mangonum quoque ληκύθοις ornavêre; atq; hinc Horatii iſtud; Nec illi jam manet humida creta, colorque ſtercore fucatus Crocodili. Quidquid demum hoc ſit, relativæ ſunt hæ qualitates & ſuo quæque organo æſtimatæ; nam quæ certis hominibus grata accidunt, aliis fœda & δυσώδη, & quæ nos in univerſum narium judicio, velut ingrata, averſamur, pleriſque animalibus non ſunt talia, aliquibus etiam in delicium vocata. Sanè ſcybala humana damnatiſſimi odoris, ſi judicio noſtro credendum, Canum Porcorumque naribus gratiſſima accidunt & odoris indicio in eſcam ſollicitantur. Tantum ergo abeſt, ut concurſum quendam Elementorum ex æquo commonſtrent, ut contra corruptelæ ſpeciem manifeſtò deſignent, neque ante narium gratiam ſectentur quam putredine ſoluta; quæ uſq; eò progrediuntur, ut, cum malè olentia putredinem arguant, jam ipſa illa mutata ſuaviuſque ſpirantia majoris corruptelæ ſint ſignum. Uſus ſum olim familiaritate Sacerdotis pii ac honeſti, cauſarii tamen & à Scorbuto malè affecti, Exhalabat hic ſemper animam fœdam atque impudici odoris, cujus etiam occaſione conſuetudo hominis mihi aliquando moleſta erat. Cum

itaque ſemel gratius quid & Moſchi odorem ſpirare animam offenderem, quâ eram libertate, objurgare hominem cœpi, quòd corruptelam corporis fuco adſcitiſque in ſpeciem odoribus velare non dubitaret: Ubi ille, nolim, inquit, te male habeat odor hic inſuetus; hic enim non infrequenter fœtorem aliàs domeſticum mihi & quotidianum excipere ſolet, & tum maxime, cum morbi mihi gravioris metuenda eſt tempeſtas; adeò ſcito hoc uno prodromo monitore in propinquo eſſe, quem metuo morbum. Et ſane ita erat, protinus enim morbus invaſit eumque lecto affixit, à quo nec ante immunis factus, quàm animę fœtorem, quem pridem cum morbo amiſerat, reciperet, documento inſigni, odorem illum gratum majoris putredinis indicium fuiſſe, quàm δυσωδίαν. Pharmacopœum pridem novi artis ſuæ callentiſſimum, ſed valitudinarium & Tabe laborantem; hic ut in cæterâ animi conſtantiâ ſpiritum trahebat magis quàm ducebat, identidem periculoſius conflictabatur, quod quoties immineret ex urinis colligebat, illæ enim & aliter coloratæ quàm pridem, & Violarum halantes odorem jamjam adfuturum Paroxyſmum ſignificabant; atque cum hiſce invaleſcebat morbus non ante deſiturus, quàm Urinis naturalis ille atque inficetus odor rediiſſet. *Idem ibidem.*

Obſervatio.

Diſtortio Oris percurata.

Superiori anno tres mihi oblati ſunt diſtortione oris laborantes, duæ primariæ fœminæ, & civis Academicus unus. Omnibus ex rictu nimis patulo, tempeſtate frigidiori os in alterum latus reflexum miram vultui deformitatem addebat; quin & cibaria ægrius deglutita, laxato velut in paralyſin nervo, qui maxillam alteram gubernabat. Ut ergo obliquitas illa tolleretur, vocata à me in uſum purgantia cephalica, veſicatoria in occipite, & ad aurem affectam, cucurbitulæ ſcarificatæ, caſtorei extractum & ſpiritus, quibus denique ceſſit pertinax malum, & ora (adjuncta diæta ad ſiccum declinante) juſſo loco quievere. *D. Olai Borrichii.*

De Calculis Oris ſub lingua ſitis & Batracho, quos Epid. 7. memorat Hippocr. Sed quorum ſedem nemo hominum detexit ante hunc annum 1664.

Recentem hiſtoriam mihi retulit Clariſſ. Car. Drelincurtius, lapilloſque mihi oſtendit 5. quos ſibi è 7. conſervat, & quos ipſe unguium apicibus unâ vice è ductu ſalivô inferiori dextrô revulſit, ubi tumorem pepererant enormem atque contumacem. Dum enim Præſes meus remediorum tædiô afficeretur, & exactiùs in tumorem ſub linguâ monſtrificum inquireret, quippiam rugoſum prominulumque deprehendit, idque præcisè juxta frænulum linguæ & à dextris, ubi tumor rebellans aſſurrexerat in molem ſtupendam. Mox conjecit obſtipata eſſe oſtia ſalivoſi ductus ſublingualis dextri, nec eventus conjecturam fefellit, nam unguibus ſummis obturamentum illud tam feliciter corripuit & eduxit, ut ſalivam protinùs plurimam glutinoſamque expuerit ægra, tumore illô horrificô penitus ſubſidente. Re diligentius exploratâ percepit Præſes meus calculum fuiſſe grandiorem unum quem unguibus evocaſſet, qui cæteris minoribus ſex viam interclusiſſet intra ductus illius ſalivoſi decurſum; atque adeò ſalivam exitu prohibitam enormiter inibi fuiſſe coactam, donec reſeratis canalis illius oſtiis pleniſſimè fuerit eructata, unà cum calculis illis adunatione ſuâ inibi ſtipatis & canaliculum enormiter expandentibus; Sic dies diem docet, & veritas pedetentim eruitur è puteô. *E Theſibus Diſcipulorum Præclariſſ. atque Ampliſſ. D. Caroli Drelincurtii. Annô 1670. publicatis.*

De eodem Calculô ſublinguali obſervatio alia.

Non abſimile quid hiſtoriæ è Clariſſ. D. Carolo Drelincurtio mox allatæ mihi etiam anno 1680. obſervare contigit, cujus integram deſcriptionem hic inſerere non pigebit. Vir Honeſtiſſ. D. R. Mercator apud noſtros integerrimus, Plethoricus & valde obeſus, ac ſubinde fluxionibus ad fauces, quaſi ſtrangulatoriis, affectus, anno præmemoratô, poſt omnium, à parte dextrâ, ſalivalium glandularum, ac proinde ejuſdem lateris parotidis, tumefactionem maximam, in eum deducebatur ſuffocationis periculum, ut ſubinde de eô conclamatum meritò crederemus, dum in morbo rebelli, pro liberandis faucibus nihil proficiebat, nec etiam dabatur os ſatis aperire ut quid demùm in eô latitaret malignitatis advertere liceret. Quid fit? Momentô poſt ſputum aliquod purulentum, maxillæ minus clauſæ fuere, unde per eas aliquatenus reſeratas nobis videre licuit, vas ſalivale ſub linguâ interiùs à dextris ſitum, per minimam etiam partium ad baſim oris ſitarum compreſſionem, multum pus fundens, atque ita reſeratum, ut filum argenteum, imò etiam Syphonis tubulos tenuiores, quibus in partis collutionem liquores deterſivi injicerentur, facilè admitteret, ſicque commodum tandem fieret in corpus obſtruens, totiuſque tragædiæ miniſtrum incidere; ſcilicet in corpus durum quod promptam ſui amotionem indicabat. Situm erat in confiniis glandulæ ſublingualis dextræ, quò cùm datum fuiſſet penetrare, non ſine multô labore, per inſtrumentum aptum, extractum illud fuit, nobiſque tophoſum, ſed ſolidius, & magnitudine ſuâ fructum olivæ mediocris referens, viſum eſt. Momentô remiſere ſymptomata, ſcilicet remora humoribus ſalivalibus, ipſiſque ſanguini per eas buccarum partes naturaliter circulanti à corpore extraneô injecta, perque ejuſdem remotionem ſublata, illis curſum dedit liberum, unde quicquid excurſiones in viciniam fecerat, brevi in ſuos revocatum canaliculos, fauces conſtrictas laxavit. Vulnus ab inſtrumentô, pro calculi extractione, inflictum, ſolô melle roſaceô, tincturæque è myrrhâ, ture, aloë, &c. in ſpiritu vini, portione, intra paucos dies curatum eſt; ſicque Vir Egregius ab imminenti periculô evaſit, & per plures annos vitam protraxit; quam hôc ipſô tantùm annô 1695. per ſuffocationem à nimiâ obeſitate, & pravô regimine advenientem, tandem amiſit.

Ana-

Anatomicæ Inſpectiones.

Oris fœtor à Thymo glandula corruptis humoribus infarcta.

Thymum novi, ex quo quondam lue venerea infeſtatorum cadaverum ſectionibus id doctus, tam certò inſtar ſpongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumeſcere, quam ter tria ſunt novem: unde quoque ſonora non ſunt voce, ægre cibum potumque deglutientes, ſæpe per foramina naſi in nares ea excernentes; ægre ſpirantes inſuper, compreſſo à tumore Thymi œſophago, renitente cartilaginoſa aſpera arteria, (hic illico ignarus Anatomes crepabit occultam cauſam morbumque Formæ) Imò ſuſpicor eoſdem ob pravam hanc Thymi conſtitutionem fœtenti eſſe anima, ſalvis adhuc Pulmonibus: (Id enim ſi ita ſe non haberet; aut exulcerati pulmones eſſent, qui quæſo fieri poſſet, ut ſpatio ſex ſeptimanarum lue venerea infectis mederi poſſemus?) non tuſſientes, ſed ſputatores ac ſcreatores; unde quis, ſi non facile halitu, at ſputo contagioſo & oſculo ſpiſſiori interveniente, inquinari perfacile poteſt: Quæ omnia de Thymo hic tradita, quoque lue venerea laborantium medela confirmat, facta per ptyaliſmum artificialem, quem collo circumdatum empl. de ranis Vigonis ſimplo vel duplo mercurii conſtans, promovet & accelerat: Licet vero Thymus in ſanis & ætate provectioribus, ex Warthono, exigui ſit ponderis vel magnitudinis, imbibit tamen plurimum ſeri, ſæpe corrupti, ob ſitum quem habet inter diviſiones arteriarum & venarum ſubclaviarum ſatis inſignium. *S. Pauli Digreſſione de Febr. malignis §. 17.*

Oris Fœtor ab ulcere ventriculi genitus.

Matrona annos 60. nata ex ore ſpiritum fœtentem multis emiſerat annis: E naribus graveolens quoque mucus concretus ſubinde extrahebatur, virens aut omnino varii coloris: Dolor circa ventriculi regionem aſſiduus, non tamen valde moleſtus; ut quem lenire poterat ſacculus in quo herbæ, ſemina & aromata una cum goſſypio conſuta erant: Mens & ſenſus ad extremum conſtiterunt, longo morbo confecta è vita diſceſſit.

Ventriculus hujus exterius ab omni parte, ſuperficie tenus, exulceratus extitit, & quæ ipſum contingebant univerſa, non tamen alia quam qua ventriculo contigua erant parte: Cerebri ſubſtantia integra, ſed copioſo admodum humori velut innatans, qui fomes eſſe potuit muci qui ſæpe in naribus concreverat.

Graveolentia ex ore variis effertur de cauſis; quandoque in ore, faucibus, aut juxta nares, vel in ipſis vitium conſiſtit: ſubinde in pulmone latet, quandoque vero ex ventriculo odor procedit: Tradunt recentiores vitio ventriculi graveolentiam fieri, majoremque eſſe corpore jejuno, minorem vero ab aſſumpto cibo: verum hujus matronæ ex ore fœtor ſemper ſimilis fuit, neque unquam ſive poſt cibum ſive ante cibum remiſſior: Ulcera tamen ventriculi cauſam fuiſſe graveolentiæ ſatis apparuit. *Dodonæus cap. 25. Obſerv. Medic.*

Oris Fœtor à Pulmonibus oriundus.

Cuidam cum aphthoſum os & gurgulio fuiſſet, cum Anhelitus inſuavitate, excretio puris contigit: Aperto corpore totus internus thorax ſyderatus apparuit: Et nos vidimus Dominam cui ſanioſum os eſt & velut purulentum, fœtens: Dubitant Medici an à Pulmonibus à cerebro. *Ballonius Paradigmate* 108.

Interiorum oris partium gangræna & corruptio, ab hydrargyro in cerebro poſt litum relicto.

Vicentius Boniventus, Patritius Clodienſis, à juventute omnibus carnis voluptatibus addictiſſimus, indeque quaſi conſumptus, poſtquam quinquies ligni ſ. ſalſæ parillæ, mechoacæ decoctum aſſumpſiſſet, terque ſed fruſtra inunctus fuiſſet, tandem cuidam meretriculæ ſe curandum tradit, quæ quidem illum tali medica dignum ita tractavit, ut magna inflammatio in palato, oſſe cribroſo, in columella & partibus omnibus illis adjacentibus, à mercurio male extincto, & aliis corroſivis facta, ſubito in gangrænam, & mox in cancrum verum affectus terminaverit, adeo ut quotidie aliquid ex partibus illis corruptis & putrefactis excrearet, & gurgulione partibuſque vicinis primo ejectis, eouſque progreſſum eſt, ut & demum cerebrum ipſum excreatu per os exſpueret maximo cum fœtore: Tandem miſerrime obiit.

Mortui caput ſerra aperui, ſuiſque membranulis liberavi, prout potui, erat enim tantus ibi fœtor, etiam ſub dio, ut nullus aſtare poſſet: Nihilominus magna patientia, ſummoque videndi deſiderio ductus, ſuperiorem cerebri partem cultello ſatis largo amputavi, & confuſis omnibus cerebri ventriculis multum argenti vivi cum cochleari in eis collegi, & illud ipſum chare reſervavi: atque intolerabili fœtore victus & exturbatus, veſpilloni cadaver ſepeliendum reliqui. *Ex Obſervationibus D. Georgii Garneri. D. m.*

Oris fœtor à nimia Pylori laxitate.

Oris fœtidus anhelitus ab inteſtinorum excrementis prodire ſolet, quando ob nimiam laxitatem & dilatationem ventriculi, illiuſque præſertim orificii, Pylori dicti, quo ſe in inteſtina aperit, is nimium patet, vixque exactè amplius conſtringi occludique poteſt, ſicuti naturaliter fieri debet, tunc fœda excrementorum exhalatio ſurſum per inteſtina exſpirans, per apertas haſce & laxas vias in ventriculum, indeque ad os uſque delata, anhelitum fœtore ſuo inficit: Quam nos præcipuam cauſam illius oris fœtoris, qui ſtercoroſum odorem exprimit, eſſe diligenti inquiſitione deprehendimus; Ob id adeo perſeverantem & pertinacem, cùm ab organi vitio procedat, quod ægre reparari poteſt: Cui occaſionem crapula diu continuata præbere ſolet, ex qua tandem ventriculus adeo laxus redditus, vel alia illius imbecillitas ſequitur. *Platerus de funct. læſion. lib. 3. cap. 3.*

Equi, cui os ſubito obriguit ut pabulo frui nequierit, Anatome.

In ſtabulo regio diſſectus fuit à Chirurgis Regiis Philippo Hacquardo, & Henrico Sciver, in præſentia Auguſtiſſimi Regis, Procerum & Medicorum Regiorum Equus generoſus, cujus affectus fuerat, quod ſubito os obriguerit, clauſumque fuerit, ut pabulo veſci nequiverit, unde ſenſim contabuit. In hujus affectus cauſam inquiſituri, ſequentia in ſectione ſtrangulati animalis invenerunt, quæ deinde diligenter annotavit Senior Medicus *D. Simon Paulli.*

1. Statim jugulato equo muſculi colli & dorſi, (qui vivente animali tenſi & duri erant,) flaccidi evaſerunt.

2. In apertione abdominis, inter peritonæum & muſculos abdominis, ichor quidam flaveſcens obſervatus, ad os pubis uſque protenſus.

3. Inter inteſtina & peritonæum multi vermiculi candidi longitudine digiti, craſſitie fili mediocris, partim mortui, partim viventes reperti.

4. Omentum pravi coloris, exile & contractum.

5. Lien colore p. n. in limbis contuſus quaſi, ut fricari potuerit, colore quam reliquum lienis corpus, rubicundiori.

6. Epar valdè magnum, concava parte plumbeo colore, convexa ſanius, ſine veſicula fellis, ſanguine, qui in vaſis erat, nigro & aduſto.

7. In ventriculo ſatis parvo, magna copia vermes ſingulares reptabant, rotundi, craſſi, nigri, criſei. Aliquot cochlearia plena quoque aquoſæ, flavæ & nigreſcentis humiditatis.

8. Pylorus ferè cartilaginoſus.

9. Cor inſolitæ magnitudinis, in ſiniſtro latere durum quidem tactu, ſed ſecari tamen aptum. In ventriculis polypus 1½. quadrantes longus, pollicem craſſus.

10. Pulmones exiles, duri, colore p. n. præditi, nempe pallidiores præter morem aliorum animalium, immiſſo ſiphone immobiles.

11. Muſculis colli digito ſeparatis, utrinque ad latus arteriæ aſperæ, præſertim ad latus ſiniſtrum, pellucida, flaveſcens lympha inter muſculos adhuc membrana ſua Inuolutos reperta.

12. Glandulæ pone aures, & infra maxillam inferiorem, ſolito copioſiores, magnæ pariter & exiguæ, quarum minores digitis facillimè, majores minimé friabiles erant.

13. Caput à vertebra colli prima reſectum nihil inſoliti monſtravit.

14. Separatis muſculis maxillam inferiorem moventibus, Penituſque abſciſſis, & carne oſſis palati reſecta, maxilla tamen immobilis manſit in articulatione cum ſuperiori, ut manibus fortiſſimis ſeparari aut aperiri non potuerit.

15. In cerebro nihil p. n. notatum, licet ſolito fuerit ſiccius. In cranio os ſingulare inter cerebrum & cerebellum obſervatum, quale in canibus ſolet.

Judicium Anatomicum & Medicum de Equi Regii morbo.

Quæſtionem ſibi in Aula propoſitam, quæ Cauſa fuerit quod Equo Nobili ſubito & inſperato maxillæ contractæ fuerint, ut cibum capere nequiverit, & ſpina dorſi obriguerit, eruditè ſolvit Celeberrimus D. Simon Paulli, Regiorum Medicorum Senior, & publico ſcripto lingua Germanica edidit Hafniæ. Neque ea cura infra dignitatem ejus æſtimanda. A Medicina enim, ſi credimus Vegetio Præf. Art. Veter. non adeo in multis diſcrepat Veterinaria. Imò Jo. Phil. Ingraſſias Quæſt. de Veterin. c. 13. Veterinarios Protomedicorum examini ſubiiciendos voluit. Certè Artem Veterinariam & Hippiatricam plures Viri illuſtres & exercuerunt & deſcripſerunt ſine famæ detrimento, quorum catalogum hic texere non vacat. Veriſſimè enim Vegetius idem: Ipſa opera Mulomedicorũ videtur abjectior, notitia autem curationis non ſolum honeſtiſſimis, ſed etiam diſertiſſimis convenit. Per compendium igitur repetam libelli laudati D. Sim. Paulli præcipua momenta, rationes prægnantiores & obſervationes Medicas notatu dignas. Reſpondet igitur Anatomicus expertus.

1. Sanguinem omnem tota ſubſtantia corruptum, unde polypo cordis nata occaſio, quem ante cum Chirurgis in humano corde repentina morte extincto cum veneni oblati ſuſpicione Hafniæ viderat.

2. Notandum inter muſculos abdominis ichorem inſolitum, uti & inter muſculos colli ad latus utrumque arteriæ aſperæ collectum fuiſſe.

3. In Studioſo Chirurgiæ Gallo, cum Hafniæ ex gangræna os humeri reſectum eſſet, ſucceſſiſſe poſt paulo maxillæ inferioris immobilitatem, ut liquida per dentium rimas hauriret, & per eaſdem verba proferret.

4. Eidem Chirurgiæ candidato 24. horis antequam expiraret poſtremum, præter convulſionem colli prædictam, etiam Tetano univerſum corpus, brachia, pedes & dorſum obriguiſſe, ut integro intellectu, neque ipſe neque aliorum auxil io ſe membraque ſua movere potuerit ſed trunci inſtar ad fatalem uſque horam decubuerit.

5. Viduam Paſtoris Primarii poſt choleram morbum ſimili Tetano comprehenſam ex eſu limonii, quod febricitans alias ægra diu manu verſaverat.

6. Ex ſuppreſſo igitur ſudore in his exemplis, & in Equo Regio Tetanum oriri poſſe. In cujus rei confirmationem duo exempla notabiliá recenſet. §. 9. & 10.

Primum de puero 14. annorum, cui ex ſuppreſſo ſudore in paroxyſmo febrili tertio ſpaſmus levis quartum decimum poſt diem ſucceſſit oris, colli & aliarum partium, moxque tetanus earundem partium & nonnullarum paralyſis, ut integris ſenſibus internis non tantum mutus fieret, ſed oculis ſolis nutu animi ſui ſenſum exprimere potuerit. Hæc ſymptomata ſuperveniens febris maligna curavit, qua rurſum ex methodo extincta paronychiæ digitorum ſuccreverunt, partim decocto ſudorifero ex china, partim chirurgi manu ſanatæ.

Alte-

Alterum Nobilis quidam in choreis velata facie larva intus argento foliato obducta ſubminiſtrat, qui cum ſudorem intra larvam collectum abſtergere non poſſet, muſculis oris convulſis, ſpaſmum Cynicum paſſus eſt.

Ex his obſervationibus & hypotheſibus de circulatione & Lymphaticis Vaſis ad Equi Regii morbum devolvitur Author, ſanguinemque, corruptum vellicaſſe muſculos & lympham extra vaſa ſua magis quam ſanguis malignam ſuſpicatus.

Ex intempeſtivis verò habenis nimiſque arctis, circa collum compreſſis glandulis,& curſu exercitiiſve excalefacto,&maturius ad aquæ potum adducto, forſan ſudorem repreſſum, Tetanum aliaque Equorum mala induxiſſe. In ruſticorum equis affectum illum capitis, vulgò Fiebel, provenire partim ex craſſioribus habenis caput conſtringentibus, partim quod in pratis humidis frigidiſque gramen mordicantes, infrigidentur pedes. Magnum autem conſenſum pedum & cordis eſſe, circulationis beneficio, experimentis duobus demonſtrat.

1. Juris quidam Doctor Hafniæ ex ſphæriſterio reverſus in hoſpitium, pedes frigida immergens, poſt paulo in lipothymiam & cordis palpitationes incidit, ut fere obmutuerit pulſu deperdito: Revocavit iſtum ab orci faucibus calido vini ſpiritu quo lavit pedes, & vino Gallico albo, cui calidiſſimo immerſit pedes.

2. Similia paſſam fœminam, menſium tempore inordinate viventem, curavit immiſſo brachio cubitum tenus in amphoram vino Gallico calido repletam. *Thomæ Bartholini.*

OSSIUM MORBI.

OSſium fabricam, varioſque etiam in fœtu progreſſus, qui videre cupierit, conſulat, tum quæ per tranſennam & aliud agens, paucis quidem, ſed accuratiſſimis explicuit verbis Illuſtriſſimus Malpighius, in ſuâ Plantarum Anatome; ut & quæ ex profeſsò hoc in argumento vulgavit Præclariſſimus Kerkringius, ſuô de Oſteogonia Fœtuum verè aureô tractatû. Numerum verò, figuram, appendices, ac colligationes varias quod attinet; illa omnia abundè traduntur apud Syſtematum Anatomicorum Scriptores, & præcipuè apud Veſalium, Spigelium, Bartholinum, Diemerbroëckium, Blancardum, ac præterea inter alios multos apud Doctiſſimum Havers qui non tantùm de oſſibus in genere; ſed etiam in ſpecie de eorum natura, partibus & internâ ſtructurâ; de eorundem accretione & nutritione; de perioſtio; de affectionibus oſſium in rachitide & nodis venereis; de medullâ; de glandulis mucilaginoſis & uſu mucilaginis in juncturis; de cauſis item rheumatiſmi & arthritidis, ac de modô quô hi morbi generantur; ac tandem de cartilaginibus, ſatis fusè egit in tractatu cui titulus, Oſteologia nova, ſive novæ quædam Obſervationes de Oſſibus, & partibus ad illa pertinentibus. Lectorem itaque ad hoſce Autores meritò hic remittimus, ne opus noſtrum jam grandius ex iſtis rurſus accreſcat; quorum ſelectum in novâ noſtræ Bibliothecæ Anatomicæ editione videre dabitur. In morbis itaque in præſentiarum unicè nos continebimus, ac etiam circa eos quandoquidem jam de carie, cum, vel ſine ulcere, de fracturis, de gibboſitate, luxationibus, rachitide, exoſtoſibus in lue venereâ, propriis diſſeruimus capitibus, hic tantùm de Spinâ ventoſâ aliiſque paucis per Curationes, & Obſervationes agendum reſtat, quibus tantùm præmittemus quæ compendiô duabus Obſervationibus complexus eſt Vir eximius ac verè ingenioſus Clariſſ. Johannes Nicolaus Pechlinus, de oſſium, in primis cranii & ſuturarum generatione, item de tendinum, membranarum, cartilaginum & ligamentorum oſſificatione.

Oſſium, imprimis Cranii, & Suturarum generatio.

In generatione nonnullorum Capitis oſſium notavi eam primùm in membranâ fieri, & à principio centrali tenuiſſimo æquali undique conatu in circumferentiam exire Ideam oſſificam; tandem etiam occurrentia ſibi laminarum extrema convexum illud capitis, ſi hiatum exceperis Rhomboidem, coöperire totum. Jam verò eâ parte, quâ prima oſſium ſemina prodiêre, Cranium duriſſimum eſt tuberculiſque velut condylis ſe manifeſtat, qui rotunditatem illam capitis nonnihil depravent. Quod autem in Capitis quoque oſſibus alia citius alia tardius adoleſcant, cauſa eſt Centrorum ſeminalium matura aut lenta eruptio, ut in appendicibus oſſis Occipitis apparet. In Craniis imperfectorum fœtuum Centra illa ſeminalia luculente conſpiciuntur & ſoliditate ſe ſuâ produnt. Verùm & hoc notatu dignum, ab illis centris emiſſitias quaſdam ſtirias ſuper membranam lente excurrere, ut aquarum ſuperficiei incumbere glaciei ramenta ſolent, quæ deinde intervenientibus aliis ſtiriis aut recepto in interſtitia quædam reticulata ſucco oſſeo in planum coëant convexum. Et verò Oſſificationi ineſſe vim quandam Cryſtalliſationis æmulam hoc fortè probaverit, quòd in medio fluido illa concretio eveniat perque acuminatas ſtirias, quæ cum in dentatos exeant limbos, Suturas efficiunt ſerratas, & connexionem, modò ita vocare jus ſit, γιγλυμωδῆ aut cardinatam. Verùm quò texturam hanc & creſcendi modum melius intelligas, libet Malpigii, oculatiſſimi Anatomici, verba adſcribere, quæ libro 1. de Anatomiâ Plantarum protulit. Fœtus oſſa & Cranium præcipuè filamentorum progreſſum exhibent; hæc non omninò ſibi parallela ſunt, & hinc breves appendiculas ligamentoſas promunt, quibus invicem colligata rete efformant parum à libri arborei naturâ diſtans, cujus potiores areæ & tota fibrarum compages exſudante oſſeo ſucco repletur & tumet, ſucceſſivis incrementis nova fibrarum plana ſuperinducuntur, quæ præexiſtenti lamellæ oſſeæ agglutinata ſucco debitam molem & firmitatem excitant. Putent autem ſingula plane reſolutione factâ per longam oſſium macerationem; integræ namque oſſeæ reticulares bracteæ evelluntur; in Abortibus verò in Cranio inchoatum rete evidenter abſconditur. Cui iſtud duntaxat habeo, quod adſcribam, eſſe nempe in fibrarum

rum iſtarum aut filorum interſtitiis, antequam in planum ſolidius coaleſcant, imò etiam, cum jam coaluerunt, porulos quoſdam pervios, qui tamen ipſi fibris arctius contextis aut ſucco oppleti oſſeo cum tempore obliterantur. An quod, cum ſucculentiora ſint omnia νεόφυτα, tranſpirationem requirant copioſiorem; an, quod ille Naturæ ſit defectus omnia tarde complentis, non facilè dixerim. De Centro ſeminali cum antè oſtenſum fuerit illud è medio exſurgere, in uno oſſe frontis contrarium notaſſe videtur Kerkringius; namque ibi fermentum oſſificum primùm oras legere ſuturarum & orbitæ oculi, neque Centrum Cartilagineum niſi ſero in os conſolidari. Quod niſi experientia ille defenderet, facilè aliud perſuaderet Centrorum frontalium natura, poſtquam jam facta ſunt; planè enim eadem tuberculorum illorum facies, quæ eſt vel ſincipitalium vel aliorum; & æque ibi omnes ſtiriæ vel filamenta à centro exire videntur atque in cæteris oſſibus, ut, quamvis ſolidum oſſis in centro tardius erumpat, vim tamen illam aut Ideam oſſificam jam initio ibi latuiſſe neceſſe ſit. In Suturis notabile eſt, ſuperioris ac inferioris laminæ coalitum non eſſe parallelum, qui tamen magis e directo reſpondeat, quâ parte hiatus fuit Rhomboides: Forma autem coitionis hæc eſt, ut inferioris laminæ denticuli non ante laminæ & ſuperiori & obverſæ jungantur, quàm partem ejus craſſiorem attigerint; niſi enim hoc eſſet, nimis profectò tenues commiſſuræ ad leviſſimas injurias fatiſcerent. Itaque hac ratione factum eſt, ut alibi vel ad digiti latitudinem à paralleliſmo diſtarent Sutura & exterior & interior. De Fontanellâ rectè obſervatum à Kerkringio maximam ejus partem oſſibus frontis deberi, cujus oræ etſi ſerò coëant, tamen, cum coëunt, Suturam conſtituunt ἄῤῥαφον vel Suturam non Suturam, eamque non ex lineari aut harmonico ſed denticulato congreſſu, ut curioſo oculo apparet. In Æthiopiſſâ, quam nobis fortuna ante annos quinque obtulerat, cranium offendimus præter Riolani opinionem maximam partem ἄῤῥαφον: Coronalis quidem & Lambdoidalis veſtigia exterius nonnihil manifeſta, intus verò præter Coronalis ductum omnia obſcura, ut necdum intelligam, an, quem uſum vulgò Suturis adſignant, promiſcuus ſit & univerſalis. Habet certè ὁ πάνυ Velſchius in Obſervat. Hecatoſteis exemplum Cranii ſine Suturis ſed & ſine dolore. De Suturarum autem diſceſſione, re penè incredibili, niſi & Hippocratis auctoritas & Virorum Clariſſimorum teſtimonia intervenirent, haud facilè ſubſcriberem. Arnoldus Bootius libro de Affectibus omiſſis de hâc oſſium Cranii diſceſſione, velut de re in Hyberniâ notâ & frequenti, loquitur. Et ne plane ab hiſce terris exſulare hunc morbum credam, experimento uno atque altero adducor. Vetulam Hamburgi novi cum atrociſſimis capitis doloribus per triginta annos conflictatam; hanc nihil magis quàm iſti circa Suturam Coronalem pulſus & Arteriarum palpitationes excruciabant, cui ſi ſubveniretur, jam & doloribus ſubventum erat. Poſt longa demum faſtidia & medelarum experimenta nihil conducibilius repertum manus auxilio. Nempe fronti atque occipiti applicata utraque manus, idque vi maximâ, velut faſcino, & dolorem & pulſum tollebat. Quod ſi horæ unius intervallo tolerari auxilium poterat, aliquot dierum malacia ſperanda erat; ſin intra illud ſpatium abrumpebatur, non penitus adunatæ Suturæ novis facile doloribus januam aperiebant. Ipſa illa muliercula à me rogata non aliunde ſibi hoc malum impendere ajebat, quam à Cranii diviſione, manifeſte enim & vel digitorum documento illam oſſium diſceſſionem à ſe notatam, imò etiam, invaleſcente dolore, Arteriarum palpitationes inſignes valde ibidem deprehenſas eſſe, quod certe ab aliâ causâ, quàm nudo & obvio Membranæ Duræ Cerebrique pulſantis ſenſu, in illo Suturarum hiatu deduci non poteſt. Adeò non dubito, quin infames iſti & internecini tot annorum dolores, qui fœminas ſibi eripiunt formamque non raro dehoneſtant, neglecto pridem Suturarum vitio deberi.

Tendinum, Membranarum, Cartilaginum & Ligamentorum Oſſificatio.

Explanavimus mirificam Oſſium naturam ab exilibus centris in diverſos ſeſe orbes & ſolida ſpargentium. Nunc illud quoque videndum, quam in varia admodum ſubjecta recidat oſſificandi illa vis; neque enim cartilagines ſolum, ſed & membranas & tendines invadit. Obſervat quidem hos Natura gradus, ut membrana in Cartilaginem, Cartilago proximè in Os tranſeat, verum etiam reperias, ubi & tendo & ligamentum ſine difficultate in os convertantur. Tendines ſiccitas in os durat, eſtque experimentum in Gallis obſoletis, maximè Africanis, notiſſimum. Quid quod ego & Cordis tendines aut tendinoſos ſive Valvularum ſeu Columellarum proceſſus in oſſa concreſcere poſſe probabile judicem, cum vis illa oſſifica aliàs quoque Cordis affectet contubernium, & Galenus, quamvis falsò perſuaſus, libro de Adminiſtr. Anatom. omnium Animalium corda oſſe aliquo inſtrui contendat. Totâ Italiâ differtur miraculum de B. Clara de Monte Falcone, quippe in cujus Corde, ut Religioſi Extiſpices ſyngraphâ teſtati ſunt, oſſicula reperta fuerunt tot numero & figurâ, quæ omnia & ſingula Paſſionis Chriſti Inſtrumenta expreſſerint; ubi an aliud quàm Tendinum per Ventriculos errantium Oſſificatio impoſuerit, cenſeant accurati juxta & religioſi Anatomici. Videant autem ſtolidæ ſuperſtitionis vindices, qui tam exactè omnia apparatui illi tormentorum, quibus Servator noſter excruciatus eſt, reſpondiſſe volunt, videant, inquam, quid de Lupi piſcis capite futurum ſit, in quo hodieque meliore ſucceſſu ocioſum vulgus omnia Paſſionis Inſtrumenta oſtendere ad unguem ſolet. At neque membranas ab oſſeâ tranſmutatione liberas eſſe oſtendit præ aliis omnibus Leonardus Botallus Obſervationum Anatomicarum ſecundâ, ubi Oſſiculorum ſemina per ſeptum Cerebri falciforme diffuſa & vidit & miratus eſt, cui deinde duobus exemplis ſuffragatur Celebris Anatomicus Joannes ab Horne, addito etiam in fidem rei ſchemate. De uno autem ſic ait: Aſſervo etiamnum domi meæ falcem è capite Viri Clariſſimi anno 1653. exemptam, in quâ ſpectare eſt utrinque, magis tamen

à

à dextrâ parte, oſſicula plura à latâ baſi in acumem deſinentia, & rupis cujuſdam inſtar aſpera & inæqualia, duriſſima item & valde ſolida, intuſque, quantum oculis aſſequi licuit, quodammodo cavernoſa. Mihi quoque ipſi eadem videre licuit, paſcente oculum novo planè & inſolito ſpectaculo. Semel etiam à me viſa Lienis membrana, quâ parte vaſa brevia admittit, oſſea omnino & ad notabilem craſſitudinem. Cartilagines, etſi aliàs oſſium naturæ affines, minus tamen mutationem illam recipiunt. Oſſea fuit Cartilago ſcutiformis in Fure patibulari apud Cardanum, qui Carnificis operam eludebat. Ego etiam olim in Cane vetulo Cartilaginem Scutiformem jam tum rudimentis oſſeis conſperſam reperi, cujus ſchema, quòd mirum illud ſeminandi artificium curioſè exhiberet, cum amicis communicavi. An verò ligamenta quoque in os degenerent, non ita liquet, magis alienâ eorum naturâ ab oſſium ſoliditate. At ſi Arteriæ ligamenti referunt ingenium, ſalva res eſt; nam eas quoque oſſis induere ſpeciem multis Obſervationibus, aliquibus etiam meis, eſt comprobatum. De oſſibus Cordis Cervi vulgatiſſima res eſt, etſi nondum ſciam, utrum tendinoſæ Baſis an Arteriæ ligamentoſæ illa ſit progenies. Sed tamen Arteriæ baſin variis oſſiculis ſeminatam atque diſtinctam in Cadavere Cardinalis Meltii vidit & in imagine ad Excellent. Bartholinum Româ tranſmiſit Henricus à Mönichen Regum Daniæ Archiatrus meritiſſimus: Ante annos etiam aliquot in Sutore Pariſienſi, commodante manum egregio Chirurgo Gayant, valvulas ſemilunares totas oſſeas deprehendit Carolus Raygerus. Jam etiam antè immortalis ille Harvæus Arteriæ deſcendentis portionem cum duobus cruralibus ramis Spithamæ longitudine in os fiſtuloſum converſam & à ſe exemptam fuiſſe fatetur, ut, quid Riolano, quid Williſio, quid aliis contigerit, prætercam. *Hactenus Præclariſſimus Pechlinus ſequuntur jam.*

Curationes.

Spina ventoſa.

Materia hujus morbi eſt Pituita, locus affectus ſemper articuli, nunquam verò internodia primario; quæ tamen ſi aliquando corrumpantur, id fit ratione ſymphatiæ.

Modus generationis hic eſt; ſi pituita nutritioni articulorum dicata, putreſcat, aut quodammodo fiat acrior, primò oſſa corrumpit, & quidem nullo dolore, quibus poſteà corruptis, perioſtium labefactatur; cujus ſignum, dolor pungitivus, acutus, & lancinans, ita ut patiens referat ſe veluti Spina pungi, unde ſpinæ nomen morbo inductum: dum verò hujuſmodi dolore æger divexatur, atque perioſtium eroditur, nullus adhuc apparet tumor; corruptis verò, & quidem primario oſſe, ſecundario verò perioſtio, materia pituitoſa liberè permeans per loca carnoſa, attollit articulum affectum in tumorem, primò mollem, & laxum, ac doloris expertem: cuti concolorem, qui patefactus durior evadit, confluente eò humorum copia, quorum tenuior pars exhalat, ſuperſtite craſſiori; ex quo inſuper emanat materia ſeroſa, atque ſpecillo, os corruptum, prout dixi, ſe prodit. Ad vigeſimum verò quintum annum circiter ut plurimum obſervavi tum viros, tum fœminas huic morbo obnoxios, non verò provectiori ætate, niſi antea eodem tentati necdum convaluerint.

Signa Pathognomica ſunt, dolores à principio inſtar puncturæ ſpinæ, articuli affecti, adoleſcentia, tumor mollis, laxus, qui hians, ſeroſitatem effundit, cui ſi pus immiſtum fuerit, hujus ex corroſis partibus carnoſis aliqua portio gignitur.

Quoad Prognoſticum; hic morbus ægre ſanabilis, tum propter aſſiduum materiæ confluxum; tum ratione corruptionis oſſis, quæ quo gravior, difficilior evadit ſanatio, incipiens facilius cedit antiquo; nunquam tamen ſanandus, niſi remota fluxione, & ſublato toto oſſe corrupto, vel igne, vel ferro.

Curationem quod attinet, ſtatim ac patiens conqueritur de dolore pungitivo ſpinoſo veluti, in articulis vel manuum, vel pedum, cubitorum, aut genuum, quanquam hoc rarius, ſive malleolorum, ſtatim, nullo licet apparente tumore, ſectio ejuſdem eſt facienda, à qua non tam cito demittendum ſpecillum, quo os corruptum inæquale percipitur, indicio ejuſdem ante ipſum perioſtium corrupti, tunc verò prima elicitur indicatio, nempe ejus cariem abradendi, ſine cujus præſidii ope tum in ulceribus, tum in vulneribus nunquam ad firmam cicatricem deducuntur; oſſe verò ſublato, curanda carnis generatio, cicatrice tandem inducta, methodo recepta.

Quod ſi propter loci profunditatem ferramenta abraſoria inſinuari non poſſint, utendum igne actuali.

Dilatato igitur foramine, ſectione, ſpongia præparata, radice gentianæ, medulla ſambuci, aut ſorgi, in idem demittenda cannula ferrea utrinque perforata; mox candenti ferramento os corruptum, inurendum, quouſque perito artifici ex uſu videatur futurum, ut ſtatim abſcedat; tum verò curationis quod ſupereſt, modo ſuperius propoſito proſequendum.

Quia verò interdum accidit, ut totum internodium, maximè in pueris, digiti manus, vel pedis ſit corruptum, hoc caſu neque ignis, neq; ferramenta juvant; quorum loco utendum trepano tenuiori, quo perforanda media pars ejuſdem, à qua, forficulis affabrè in hunc uſum paratis, partes laterales ſecandæ, atque totum internodium paulatim educendum volſella, cujus vacuus locus progreſſu temporis carne oppletur; quæ quidem in pueris duriori quodammodo facta, & veluti calloſa, oſſis vice fungitur; quanquam ubi totum internodium eſt ablatum, digitus, muſculis ad caput ſuum adductis, & cedente carnis mollitie, decurtatur.

Quod ſi Medicus accedat, facta jam ſoluta unitate ab ipſa materia pituitoſa ex putredine acriori facta, tota curatio dirigitur ad ablationem oſſis corrupti, machinamentis, & induſtria ſuperius propoſitis; quibus aliquando duo, tria, aut plura quinetiam oſſicula evelluntur.

In oſſis verò abraſione, uſtione, aut evulſione, cavendum ne tendines offendantur; metu convulſionis.

Hæc eſt curatio topica hujus morbi; cui totius corporis cura præmittenda, medicamentis pituitam expurgantibus: quinimò ad exſiccandum, exhibito decocto ex China, ſalſa, ligno Guajaco, & hujuſmodi.

Atque

Atque hæc ſatis de curatione ſpinæ Ventoſæ; de qua agere decrevi, utpote à nullo Auctore accuratè, & data opera ſatis explicata. *Petrus de Marchettis Obſervationum Chirurgicarum Sylloge.*

Omnes morbi non æqualiter manifeſti ſunt, & omnibus perſonis indifferenter innoteſcere poſſunt, eò quòd morbi quidam ſint rariores & minùs frequentes, nec cuilibet oculo obvii, quidam magis intricati, impliciti, aliiſque morbis illaqueati; ideoque non tam facile de illis ſtatui poteſt, quia interdum larvam induunt aliorum complicatorum affectuum ſemeiotice ſibi affinium. Scripſere pauciores ut ſupra monitum de tumoribus varia, eâdem haud methodo eâq; obſcura: de Spina Ventoſa præter Excellentem ac Nobiliſſimum Marchettis gymnaſii Patavini patrii Profeſſorem anatomiæ ac Chirurgiæ hactenus quaſi nullus: rem ultimo articulo tangunt inſignis Scultetus & eximius p.m. van Horne ante laudatus Præceptor meus, uterq; prior cauſam in veterum humoribus (non quòd novis ſcateamus) ponens, ſed ne ὕστερον πρότερον immemores etymologiæ ponamus, Græcis affectus hic dictus eſt παιδαρθροκάκη ἀπὸ τοῦ παιδὸς ἄρθρου & κακῆς, id eſt malum puerorum plerumque articulos affligens, vel ut Severinus oſſis circa articulum inflammatio & abſceſſus puerorum proprius: num verò omnis articulus per Græcam vocem ἄρθρος intelligatur, diſquiritur? hunc tumorem articulos infeſtare certò certius eſt, pedis præſertim & brachii circa ἀποφύσεις, & hæc Græca ejus origo, Latinis ſpina ventoſa audit, aliis ſpinæ ventoſitas falsò dicta; ſpina nuncupatur à modo doloris, quem infert, nam ſpinæ inſtar perterebrando quaſi dolorem incutit, ventoſa, ratione tumoris & inflationis, prout Arabibus ventoſitas eſt loco œdematis; aſt num Veteribus hoc morbi genus innotuerit, valdè dubito, niſi forſan etiam cum aliis tumoribus aut abſceſſibus confuſum tractaverint, ut evidenter liquet, quando ſermo fiet de variolis, ex quibus ſuppreſſis vel retroceſſis tumores ſcilicet fiunt, quos ſpinæ ventoſæ nomine male inſigniunt; hîc arbitrum adduco antedictum Severinum, qui fuſius originem pertractando litem dirimit: affinitatem quandam habere cum variolis παιδαρθροκάκην affirmat cum illo Schaefferus Medicus olim Reipublicæ Francofurtenſis in diſputat: ſuis; Spinam Ventoſam porrò Nicolaus Florentinus, Johannes de Vigo, Langius, Manardus, Ballonius, Marchettis, Scultetus, &c. nuncupârunt Arabum ſecuti elogium. Avicennæ tumorem hunc ſpinæ ventoſæ nomine veniſſe lib. 4. ſen. 4. tract. 4. cap. 7. voluit doctiſſimus p. m. van Horne in μικροτέχνῃ ſua. Protinus aliena videtur illa, quam Nobiliſſimus Marchettis in appendice obſervationum Medico-Chirurgicarum enodat, cùm tamen omnes ratione cariei in uno conveniant, quod Spina Ventoſa ſit affectus cum carie infeſtans peculiari tamen modò, quòd caries utplurimum externè oſſa rodat, hæc è contra: (ut poſtea in cauſis indigitabimus:) internè oſſa rodendo perforet, eandem tamen cum teredine Belgis *Beenbretter* dictâ non eſſe putem, cùm rariſſimus hic ſit affectus in Regionibus præprimis ſeptentrionalibus. Oſſa tumorem hunc Spinam Ventoſam ſc. ab interiori parte à medullâ oſſis inchoando roſione infeſtare & perforare, ab αὐτοψίᾳ convictus fui. In noſocomio Patavino divi Franciſci obſervare licuit tumorem Spinam Ventoſam in viri quadragenarii metacarpo manus ſiniſtræ, ubi humor vel potius ichor ille acerrimus non ſola metacarpi oſſicula, verum etiam ulnæ & radii capita ita rodendo infeſtaverat, ut oſſa illa duo à ſe invicem ſeparata muſculos cum integumentis pertunderent, ibique ad tres digitos prominerent, adeò ut manus eſſet pendula, quam Chirurgus ſequenti die ligatura probe inſtituta detruncavit, cauterio actual. multo, hæmorrhagia ſublatâ, convenientibus remediis locum affectum deligavit, patiens nihilominus paucis ab hinc diebus fatis ceſſit, cujus primò metacarpum, poſtea ulnam & radium privatim curioſa ſectione præſentibus Doct. Dominis Sattlero ac *van der Beecke* Medicin. doctoribus indagavimus & examinavimus, quæ omnia quoad interiorem faciem plane eroſa ac corrupta, quoad externam ſuperficiem aliquantulum carioſa deprehendimus, & inſuper, in quantum oſſa carie eroſa conſpicere licuit, in tantum medulla ipſorum oſſium ſphacelata quaſi ac corrupta erat: quod idem in puerulo duorum circiter annorum obſervare licuit, qui, dum lue gallica infectæ nutricis ubera adhucdum ſugeret, deteſtabili ac doloroſa ſpinâ ventoſâ excruciabatur circa metacarpum manus ſiniſtræ ejuſque brachii, ut & dextri cubitum miſerrime puerulum affligente, adeò ut jam plura ex metacarpo ſiniſtræ manus & dextri cubiti oſſicula carie eroſa abſceſſerint, quæ ſtatim examini curioſo ſubjecta eòdem ut ſupra monitum corrupta ac eroſa fuere viſa modo, muſculis & integumentis communibus ex parte longiori temporis tractu exeſis, unde ſatis liquet ſubjectum funeſti tumoris hujus eſſe oſſa, & primariò eorundum articulos, ſc. carpum & metacarpum, tarſum & metatarſum, cubitos, genua, &c. quamvis non negaverim alias etiam corporis partes huic affectui itidem eſſe ſubjectas, uti puellam in utroque carpo, utroque tarſo, & circa vertebras lumbares ſpinâ ventoſâ laborantem cernere licuit: locus itaque affectus ſemper ſunt articuli, nunquam autem internodia primariò, quæ ſi aliquando corrumpantur, id fit ratione ſympathiæ & vicinitatis partium, ut non malè ſæpe laudatus Marchettis in obſervat. Duplici modò oſſa lædi poſſe externè videlicet ac internè ſtrenuè defendunt Marianus & S. Barolitanus in compendio Chirurgico de emendatione oſſis corrupti: ſpina ventoſa internè primò, poſtea externè oſſa infeſtat, utplurimùm circa articulos, quia ibi oſſa ſunt magis poroſa, adeò ut aciditas ibi loci ſtagnans cartilagines quaſi menſtruum aliquod diſſolvere & oſſa perforare queat, quod itidem ob tenellam oſſium & quaſi cartilagineam adhucdum diſpoſitionem frequentius in primâ ætate, infantiâ ac pueritiâ potiùs, quàm adultâ, licet in adultis & jam ipſe obſervârim, accidit. Anatomicus & Chirurgus inſignis Marchettis ad vigeſimum quintum uſque annum utrumque ſexum vidit obnoxium huic morbo, non provectiorem ætatem, niſi eòdem antea tentati nec dum curati fuerint. Dictô nomine, locôque affectô demonſtratô ingenium & ſymptomata ex ipſis cauſis eruenda eſſent, quæ partim ex allegatis ſupra hiſtoriis & obſervatis, partim ex definitione modôque agendi patet, quidam plura conjungunt

ſym

ſymptomata, quæ omnia locum equidem habere poſſunt, rarius attamen obſervantur: oſſa carie infeſtantur ſalvo perioſtio, quod poſtmodum cum muſculoſa carne diſcerpitur ac quaſi perterebratur, hinc tumor apparet cum dolore intenſo, livor quidam adeſt, circa ora ulceris rubedo ac quaſi inflammatio quædam conſpicitur, ulcus poſtea fiſtuloſum apparet pauca ſanie repletum, quippe paucam effundit ſaniem potius ichorem acerrimum, quandoque cum, quandoque ſine febri concomitante, nullam ego obſervavi, quandoquidem talem huic affectui adeſſe poſſe cum Doctiſſimo Medicorum Cicerone non negaverim; notabilis ac evidens cùm humorum præcedat motus & propter contrarietatem eorundem effervescentia, nonnulli tumoribus cauſas adſignantes male fermentationem dicunt, ut paulo inferiùs, antequam epilogum hujus brevibus formemus, Humorum in genere oriundorum generales abuſus propalabimus. Diverſæ & variæ ab authoribus diverſis tumori Spinæ Ventoſæ tribuuntur cauſæ, Senex Marchettis Vir aliàs incomparabilis dexteritatis ac peritiæ, de quo ſanè præter alias; præprimis artis Chyrurgicæ eruditionem ac notitiam effari licebit, quod olim Ariſtoteles ad Platonem reſcripſerat: Nulla ferent talem ſecla futura virum. materiam ac cauſam pituitam immediate accuſat, quæ nutritioni articulorum dicata putreſcens, aut aliquo modo acrior facta oſſa primò corrumpit, aſt nullo adhucdum cum dolore, quibus corruptis & eroſis, perioſtium aggreditur, ubi dolor incipit acutus, pungitivus, rodens, lancinans, adeò ut ſe ſpina pungi credat æger, dolore ſic in dies ingraveſcente & perioſtio quodammodo eroſo ac perforato nullus jam apparet tumor, qui poſtea humore peccante intra muſculos permeante & ibidem ſeſe inſinuante articulum affectum attollente conſpicitur primò mollis & laxus, doloris expers, cuti concolor, poſtea affluente humorum copia, quorum tenuior pars exhalat craſſiori ſuperſtite, durior evadit; materiam, vel ſi mavis, ichorem eructat ſeroſum, acrem, ubi tandem os corruptum prodit. Scultetus ad humorem recurrit occultâ & inſenſâ ſuâ qualitate oſſa primùm citra omnem perioſtii læſionem doloriſque ſenſum corrodentem, unde œdema fieri indolens, partemque exactis aliquot menſibus exulcerari autumat: tumorem ſpinam ſc. ventoſam œdemati haud adſimilem eſſe non negaverim quoad externam faciem, quoad modum autem agendi & cauſas maximè diſſimilem. Acidum jam & auſterum contemplemur utpote immediatam mali hujus cauſam, quod omnes probant effectus itemque ætas &c. Lac, chylum ſanguinem ſuccumque nervoſum materiam peccantem declarabimus; infantes lacte nutricum gallica vel venerea lue infectarum nutriti facillimè in hunc incidunt tumorem, partim quod ipſimet infantes multis jam ſcateant humoribus acidis, quod ex ſcabie, puſtulis &c. in illis affatim & copioſè erumpentibus ſatis patet; partim quod ipſum lac facillimè in corpore aceſcat ſicque effervescentiam pariat, quippe lac in chylum poſt ſanguinem converſum effervescentiam propter aciditatem cum reperto alcali in ſanguine excitans humorem ſeparat acriorem, qui ad articulos ipſamque oſſium medullam cum ſanguine defertur, ubi ſtagans acidiſſimus fit ipſam medullam corrumpens, poſtea roſione oſſa penetrans nexu ac ſitu ſolvit eademque protrudit, muſculos tandem ac cutem perforat & exulcerat, carnem tandem, ubi aciditas prævalet, exedit, ut gangrænetur ac in ſphacelum deſinat: calloſa inducit ulcera & quaſi fiſtuloſa, quatenus ibidem latens alcali cum acriori acido coagulatur, unde calloſitas oboritur, quam itidem in lue Venerea obſervare licet, ubi non leve dominatur acidum quod apprimè Sylvius noſter in tractatu ſuô de lue Venereâ conſcripto exponit dubiam quæſtionem formans, in quò natura contagii venerei conſiſtat, quam primariò humorem acrem acidum, ſecundariò pituitam viſcidam dicit, quod ex ſymptomatibus deducit, conjunctâ gonorrhæa videlicet, puſtulis vel ſcabie ſquammoſa ab acido ita coagulata, tuberculis, nodis, gummatibus (ut Itali vocant) ſub perioſtio oriundis proque diverſitate materiæ magis minuſve dolentibus; maculis rubris, lividis, flavis &c. pro varietate acidi tingentis: bubonibus, ficubus, condylomatibus & ſimilibus omnibus ab acido procreatis, quæ fuſius ſcriptor jam jam laudatus judiciô & gravis & judicioſus deducit. Lac ab acido in acriores ſeroſitates præcipitari, quid manifeſtius? chylum, ſanguinem, ſuccumque nervoſum ab illo itidem affici poſſe, quis negat? a ſemine Parentum ex lue Venerea corrupto acerrimum hoc malum quandoque trans- & implantari proli credibile eſt, adeò ut tunc hæreditarium liceat dicere affectum, quamvis malè, quippe parentes lue gallicâ, laborantes (quorum maſſa ſanguinea infecta ac corrupta, infectum itidem ſemen, ex quo generandus poſtea fœtus, infectum lac ex quo nutritur jam natus infans) non ſtatim nec omnes ſpina ventoſa affliguntur, qua ſi afflicti eſſent, ſicque per traducem malum illud propagaretur in progeniem, tunc vere hæreditarii nomen mereretur, qui longè deterior adventitio, utpote qui profundiſſimam habet maculam. Dubium hîc oritur, oſſa ab interiori parte primò carie infeſtari ac corrodi, imò ipſam medullam oſſibus adhuc integris, corruptam deprehendi, ut mihi ipſi in inveſtigandis cauſis, apertiſque oſſibus conſpicere licuit, an potiùs ſanguis, an verò ſuccus nervoſus in cenſum veniat tanquam immediatum medullæ & oſſium nutrimentum, quod ab acido poſtea p.n. infectum, tumorem Spinam Ventoſam inducat. Plures & quidem veteres, inter quos Hippocrates, Galenuſque ſanguinem nutrimentum corporis univerſale, ſive materiam, ex qua partium ſubſtantia indies deperdita indies etiam redintegratur ac reſtauratur, perfractè defendunt, neſcii forſan ad plures corporis partes ſanguinem non deferri, quæ nihilominus æqué ac aliæ ſuo gaudent nutrimento, ſanguis autem vicina partium illarum loca alluit, ut ſingulæ partes à ſpiritu vitali, quem ſecum fert foveantur; imò ſi ipſa oſſa eorundemque medullam perſpexeris, nullam quaſi cum ipſo ſanguine ſimilitudinem & affinitatem habere deprehendes, adeò ut oſſa à ſanguine tam multis diſcrepare affirmet incomparabilis Charlethon, ut eadem ſanguine conſtare nemini facilè in mentem venerit, multò minùs quòd medulla ex eo reſultet eodemque nutriatur, neceſſe, quippe eſt, ut

ſuccus nutritius prius à ſanguine ſeparetur, quam partibus adteratur apponaturque; Oſſa ab ipſa medulla nutriri contendunt alii, quod Veslingius cum Spigelio negant, & ſanguini nutritionis negotium committunt medullam potius excrementum, ſeu ſecrementum cum inſigni Gliſſonio ſtatuentes; Diverſiſſimæ utpote illius tum ſanguine ſubſtantiæ &c. ſed illam potius lubricationi, humectationi inſervire, quod experimento confirmant iidem, quia plura dantur oſſa medullâ carentia, imò in juniorum oſſibus pauciſſima medullæ quantitas reperitur, quæ non minus indies augentur & quam maxime nutriuntur, ſanguini effectum hunc adſcribentes, quamvis hic non malè per accidens nutrire dici poſſit; plura tamen pro ſucco nutritio per nervos ad partes nutriendas delato pugnant argumenta, quod egregie variis phænomenis iiſque doctis demonſtrat ſupra laudatus Charlethon, primum ab atrophia partium paralyſi affectarum, alterum à glutine ex oſſium fracturis extillante, quod nec arteriæ nec venæ ſuppeditant; ſed quid in his moramur, ubi in ſupra obſervatis ipſam medullam in oſſibus ſpinâ ventoſâ extinctis omnimode corruptam ac putridam quaſi deprehendimus, cauſam ipſi acido p.n. adſignantes; fatetur equidem Mercurialis ſanguinem circa oſſa facillime putreſcêre, quô autem pactô putredo oboriatur, non explicat, in quo Lumen noſtrum Carteſium meliùs ſatisfeciſſe autumo, qui illam fieri cenſet, quando particulæ inter ſe vel motu fermentationis ſolvuntur, adeò, ut particulæ ſpirituoſæ ſolvantur, ſolutæ exſpirent, ita ut ſitus partium naturalis mutetur. Nonnulli ſerum acrius, vel potius acidius, per perioſtium percolari ibique oſſa rodendo ſalvo perioſtio infeſtare credunt, quod in ſpina ventoſa non accidit, ſiquidem oſſa ab interiori parte, in qua medulla recondita eſt primò exeduntur & corroduntur. Veram itaque ex ſupra allegatis & enodatis cauſam Spinæ ventoſæ adſignare poſſumus, quæ ratione corroſionis, doloris, cariei &c. acidiori fixo, corroſivo; ratione tumoris & inflationis, alcali mediæ conſiſtentiæ originem ſuam debet, medullam tali modo afficiens & corroſivam reddens, ut ipſa oſſa etiam perforet, quod clarius porrò ex juvantibus & nocêtibus deduci poterit

Difficulter rarior hic affectus in principio dignoſcitur, quod & ſufficienter inculcat Severinus in πυροτεχνίᾳ χειρουργικῇ l. II. p. I. c. 110. de oſſe corrupto in hæc prorumpens verba; latet interdum os vitiatum ſub carnoſo artuum ulcere, ſic, ut imprudentes facilè fallat, verùm enimvero, qui oculatior eſt multa ſubtiliter diſpicit, primùm loci naturam, ſub quo ſubeſt os, deinde colorem alienum, qui nullo vel etiam præſtanti medicamento permutatur; dein quòd longô tempore vix ſaneſcat; quòd ſi illud accidat, brevi recurrit ulcus, adhæc quòd ſanies perpetuò tenuis ac ichoroſa ſit, itemque copiâ effluat; præterea, quod caro ſemper hebes ac mollis gliſcit, medicamine autem remota, talis rurſus increſcit: poſtremùm ſignum fit exploratione ſpecilli, quod mollitiem oſſis docet, ubi autem perioſtium adhuc integrum oſſe ſubtra corroſo deprehenſum fuerit, ſpecillum fallit, niſi externa viceris & tumoris facies nobis jam cognita ſit ac familiaris. Circa articulos utplurimum obſervare licet ſpinæ inſtar dolorem pungitivum, tumorem laxum, mollem, qui poſt apertus, ichorem & aliquando ſaniem permixtum effundit, adeò ut hinc facili operâ colligere liceat difficilioris affectum hunc eſſe curæ propter profundam cariem, copioſum ichoris confluxum, loci affecti ſitum & naturam, quod itemque ab inveterata ac pertinaciſſimâ cauſa oboriatur, quapropter præter manum Chirurgicam & Medicus requiritur labor, ut vitioſa ac peccans humorum aciditas corrigatur, evacuetur alterantibus, purgantibus, primum autem ſibi vendicant locum ſalia volatilia, Cornu Cervi, ſalis armoniaci, ſuccini, tartari &c. acidum præcipitando, quo lixivioſa referri debent, non neglectis decoctis lignorum, guajaci, Chynæ, ſalſæ, ſaſſafras, buxi, juniperi, quercini, &c. acidū temperantibus perque poros educentibus, quibus diuretica vel radices aperientes addi poterunt ex apio, aſparago, baccis juniperi &c. Salivationē hoc in affectu multam præſtare poſſe operam mihi perſuadeo corrigendo humores acres acidos eoſque per os evacuando. Specialiorem tumor hic poſtulat curationem, adeò ut Celſi monitum locum inveniat, quos medicina non ſanat, ferrum ſanat, quos ferrum non ſanat, ignis ſanat, quos nec hæc duo curant, inſanabilia exiſtunt; heic vulgare illud, ure, ſeca, in ſenſum venit.

Ante omnia itaque, quàm primum patiens de dolore intenſiori ac pungitivo circa articulos conqueratur, è veſtigio, nullô etiam apparente tumore, ſectio loci affecti erit tentanda, os carie infectum quærendum, abradendum; ſin verò propter loci profunditatem raſoria non poſſint immitti, vulnus, aliquando ulcus, quovis modô dilatandum, quia utplurimùm anguſtioris orificii & fiſtuloſum, quod radice gentianæ, ſpongiâ, vel ſambuci medulla peragitur, ſin verò nullum adhuc pateat orificium, arte id eſt ferro, caute attamen parandum, oſſis carioſi ſtatim ratio habenda, quod, aut ferramentò candenti inurendum, vel inſtrumentis abraſoriis radendum, & quandoque os corroſum eximendum: quod ſi contingat totum internodium manus vel pedis corruptum eſſe, trepanum ſubtilius commendat Marchettis, quò mediâ oſſiculi pars perforatâ forticulis hunc in uſum affabre paratis internodii latera ſecanda ſicque ſenſim volſella extrahenda, quò in caſu, ut & inuſtione, abraſione, terebratione, ſectione tendines utrobique vitandi, ne malum in pejus ruat ſicque afflicto major addatur afflictio. Ulcus poſt mundificandum ac cicatrice obducendum & conſolidandum. Scultetus in obſervat: ſuis Chyrurgicis ſpinam ventoſam cum Spigelio malum incurabile exclamat, adeò ut cum illo partis affectæ exſtirpationem ſuadeat. Sex res non naturales tandem in cenſum veniunt, quatenus aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigiliæ itemque animi pathemamata talem poſſunt inducere efferveſcentiam vel gignendo, adaugendo, exaſperando acido, ut faciliùs quiſpiam aut huic affectui obnoxius fiat, vel patiens jam in deterius malum ruere poſſit; quapropter ut & in reliquis affectibus conveniens & exacta obſervanda diæta quæ tanquam cöindicata, *alcalica* videlicet curæ, reſpondeat neceſſe eſt. *Joh. David Porzius in demonſtratione brevi Medico-Chirurgicâ de Tumoribus.*

De ſpinâ ventoſa fuſè ſcripſit Præclariſſimus Marcus Aurelius Severinus, ſub nomine Pedarthrocaces, in ſuô de recondita Abſceſſuum natura Tractatu; Joh. Van Horne in Μικροτέχνῃ; aliique etiam plures. Verùm inſtar omnium ſit

Clariſſ.

Clariſſ. Joſephus Pandolphinus, qui de hoc affectu, tanquam Regioni ſuæ familiari, ſæpiuſque à ſe viſo ac curato librum integrum conſcripſit. Ex eo autem (quia nimis longum foret, & minus è re totum adducere) exſcribemus tantùm capita quæ Indicationes & Curationes ſpectant, qualia ſuis Annotationibus non parum illuſtrata nobis dedit Celeberrimus & Doctiſſimus D. Georgius Abrahamus Merclinus Cum eo itaque ab Indicationibus univerſalioribus orſi, ad alia continuò progrediemur.

De Indicationibus Univerſalioribus.

Morbus (ut è Gal. 13. Meth. 2. colligimus) vel imminet, vel eſt in fieri, vel in facto eſſe. Imminens (1) præcautionem, factus, ſui (2) curationem, in fieri autem exiſtens duplicem ſolicitudinem indicat; præcautionem ſcilicet atque curationem. Unde ſi morbus per fluxionem oriatur, inhibendus, ipſius fluxionis cauſas tollendo, cujus duplex eſt differentia, (3) tranſmiſſio videlicet atque attractio, Galen 13. Meth. 3. Tranſmiſſio à cunctis (4) humoribus, vel quantitate vel qualitate peccantibus (veluti oſtendimus) cauſari poteſt. Si à quantitate tantùm; (5) quantitas diminutione tollitur, quæ diminutio per evacuationem fit; nempe ſanguinis miſſione, (6) frequenti balneo, exercitatione frictionibus, (7) digerentibuſque medicamenti, & præter hæc omnia, inediâ. (8) Cacochymia autem purgatione, quæ (9) cuique ſuperabundanti ſucco ſit accommodata, corrigitur, Galen. 13. Meth. 6. materiâ primò præparatâ, (10) ſi non turgeat, ut inquit Hipp. 1. Aphoriſm. 22. Nimirum ſi fuerit calida, eſt (11) refrigeranda; ſi frigida, calefacienda; ſi acris, vel ſalſa, attemperanda; & ſic de ſingulis tum primis tum ſecundis qualitatibus, quæ quidem ſupra nominatæ evacuationes in ægro febricitante non ſunt adminiſtrandæ, exceptâ inediâ, ſanguiniſque miſſione; (12) Prout autem major vel minor ipſius ſanguinis redundantia, major, quoque & minor ſanguinis copia detrahenda erit; & quidem per contrarias partes, (13) revellendo; per proximas (14) derivando; & ſi non fuerit maligna, nec aliud impedimentum ſuperveniat, (15) intercipiendo, (16) repercutiendo, partemq; affectam, vitioſos ſuccos gignentem, aut colligentem, aut multiplicantem, & per ſolitos ductus non expellentem, (17) roborando, eamque ab obſtructionibus, vitioſiſque ſuccis liberando.

Si autem fluxio per attractionem fiat, cauſa illius pariter (ſi fieri poteſt) ſurripienda, deinde affectus ſanandus, Galen. ut ſupra Cujus attractionis cauſam dolorem eſſe jam diximus, (18) calorem non excludendo. Idem quoque agendum in congeſtione, intemperiem videlicet, aut quodlibet aliud vitium tollendo. Si tandem morbus reconcentrationis cauſâ naſcatur, materiam per afflictam partem (quemadmodum etiam congeſta) & non per aliam viam educenda eſt.

Annotationes ad Indicationes univerſales.

(1) Conſiſtit autem vulgò Præcautio, ſive præſervatio in remotione cauſarum;

(2) Curatio verò in remotione ipſius morbi conſiſtere perhibetur; non tamen fortè neglectis ipſis quoque cauſis, cùm omnis methodica curatio & non ſolùm præſervatio, per cauſæ ablationem fieri debeat.

(3) De tranſmiſſione, & attractione egimus ſupra.

(4) Imò humores non ſolùm quantitate, & qualitate, ſed etiam motu peccant.

(5) Rectè! A quantitate enim, ſive abundantiâ humorum, & plethora diminutio indicatur; non autem, ut nonnulli arbitrantur, præciſè Venæſectio, quippe quæ rectiùs inter auxiliorum materias, quæ nunquam indicantur, non autem inter auxilia ipſa refertur, cùm indicatum ſemper opponi & contrarium eſſe debeat indicanti, abundantiæ autem humorum non contrariè opponatur Venæſectio ſed imminutio, quam Medicus, ſive per Venæſectionem, ſive per cucurbitulas, ſive alia ratione, prout nempe viſum ipſi fuerit, inſtituere poteſt.

(6) Scarificatione ſive cucurbitularum appoſitione, quæ hic inſerenda.

(7) Anne digerentia medicamenta inter evacuantia, vel quantitatem humorum diminuentia medicamenta referuntur? Inſolitum!

(8) De Venæſectione reſpectu humorum abundantiæ, ſive plethoræ quod dictum eſt, idem Recentiores quidam de purgatione reſpectu Cacochymiæ, ſeu corruptionis humorum intelligendum volunt; nimirum nec purgationem propriè à cacochymia, ſed latè humorum vitioſorum correctionem ab illa, ob eandem n. 5. allatam rationem, indicari, ſive illa poſtea humorum correctio purgatione propriè dictâ, ſive alterantibus medicamentis, ſive alio quovis modo celebretur. Sunt enim inter Modernos, quibus tandem non electivè fortiora purgantia omnia omnino ſordent, qui in dubium adhuc vocant, an omnis etiam cacochymia purgationem exigat.

(9) De purgantibus accommodatis, id eſt, de iis, quę appropriatum humorem peccantem evacuare dicuntur, loquitur Author, ut quando rhabarbarum bilem, folia ſennæ melancholiam &c. purgare creditur. Qua de re iterum Moderni dubitant. Sed quales lites noſtras hic facere nolumus, maximè cùm prælum, quod anxiè hæc expectat, abrumpere, breveſque nos eſſe jubeat.

(10) Vid. Cõmentar. Heurnii in alleg. Hipp. Aph.

(11) Materia, ſive etiam intemperies calida ſimplici hac indicatione refrigerationem quidem poſtulat, ſed non ſemper, imò rarò ſolis actu frigefacientibus inſtituendam, quibus quippe v.g. in febribus ardentibus plus ſæpè officeremus, quàm proficeremus. Quin eò potiùs nunquam non reſpiciendum, unde ille p.n. calor contractus fuerit. Jam quia vix frequentiorem cauſam habet, quàm pororum occluſionem, fuliginumque per eos ſubinde abſcedere ſolitarum retentionem, ideo pororum illa appertio, & retentarum fuliginum excretio non ſolum revera indicatur, ſed etiam ſæpe ſæpius maximè proficua reapſe deprehenditur.

(12) Cui addatur & ſcarificatio.

(13) Eſt enim revulſio humoris in partem aliquam fluentis in contrarium averſio.

(14) Derivatio verò humoris parti incumbentis ad vicina averſio, & per ea loca evacuatio eſt.

(15) Interceptio fit, quando humores in via ad partem affectam ſufflaminantur, ut ad eam pertingere nequeant.

(16) Repercuſſio ſive Repulſio fit, quando humores ad partem affectam fluxuri aliò propelluntur, ne ad affectam partem perveniant; vel quando, qui noviter influxerunt, retunduntur;

ſicque pars affecta ab illis humoribus liberatur: quæ in pleriſque affectibus rariùs, & in hoc noſtro fortaſſis rariſſimè locum habet.

(17) Hæc partium roboratio tertiam indicationem, nimirum vitalem, ab Inſtitutioniſtis dictam, reſpicit.

(18) Ob quas rationes ſuprà dolorem propriè attrahere negavimus, ob eaſdem fere negari quoque poteſt, calorem propriè humores attrahere. Solùm hic ſuperaddimus, quòd, ſi calor humores attraheret, ſequeretur, ibi majorem eſſe calorem, ubi major eſt humorum atque ſanguinis copia; quod tamen à verò alienum. Deinde ubi calor intenſior p. n. ibi quidem, quod fatendum, major quoque humorum confluxus, ſed cujus cauſa non attractio, verùm hæc potius eſſe videtur, quia calor partis affectæ poros rarefacit, unde illa humores per arterias ordinario motu continuè affluentes in gremium ſuum liberaliùs admittit, ac promtius ſuſcipit, qui dum ob poros rarefactione ampliores redditos motu ſuo ita turbantur, ut ex arteriis in venas tranſire, & per hac redire non niſi difficulter queant, fit, ut ibi ſubſiſtant, & copioſiùs cumulentur.

De Indicationibus ſpecialioribus.

Quò autem ad ipſam laborantem partem deveniamus, Medicus, ſi à morbi principio accerſitus fuerit, (quo quidem tempore nunquam vocatur) omni uti debet ingenio, ut (1) dolor (ſine quo noſter affectus nunquam creari poteſt, quia corpus nervoſum ratione perioſtei à qualitate ſtatim tangitur, indeque dolor neceſſario excitatur,) tollatur vel ſaltem remittatur, eò quòd dolor ultra attractionem, vires conſumit, indeque morbus inimicum ſe debiliorem habens, potentior evadit, difficillimeque expellitur. Eſt autem dolor hic duplici via tollendus; anodynis videlicet, atque ſanantibus, Galen. 13. Meth. 6. & 5. Simpl. 9. (2) Anodyna alia ſunt ſecundum eſſe; alia ſecundũ dici talia. Anodyna porro calida ſunt, & bipartita. Alia enim noſtro corpori (ut ſuppurantia) ſimillima ſunt; alia verò calida in primo gradu, tenuiumque partium. Prima à calore naturali, & partium temperamento (3) indicantur. Dum enim hæ incolumes ſervantur, virtus etiam earum ſervatur robuſta, ut triſtem ſenſationem illam expellere queant, quo mitior evadat dolor; alia calida in primo gradu, tenuiumque partium eſſe debent, ut evacuent, digerant, rarefaciant, concoquant, ac materiam in parte affecta exiſtentem æquabilem reddant; quæ quidem anodyna à cauſa adjuvante indicantur. (4) Anodyna ſecundum dici intenſè frigida ſunt, & à calido innato quidem indicantur, ſed non faciunt ad aliud roborandum, & conſervandum membrum, veluti anodyna temperata; neque ad dirigendam, evacuandamque materiam peccantem, ſicut calida in primo gradu; ſed illum tantùm uſum habent, ne objectum (v. gr. calida intemperies) ſuâ violentiâ partem nervoſam nimium afficiat. Nam quo pars calidior, (loquendo de partibus nervoſis) eò etiam ſenſum magis exquiſitum habet. Quare cùm hujuſmodi Anodyna ſint valdè frigida, nimirum in quarto gradu & frigidum calido adverſetur, nervoſas partes ſtupefactas, inſenſibileſque relinquunt; unde dolor ceſſat; quo verò calido reverſo, dolor quoque revertitur; quia manente cauſâ realiter non ceſſat effectus.

(5) Sanantia autem à cauſa principali indicantur, doloreſque & ejus cauſam auferunt. Hac enim remotâ realiter ceſſat effectus, nempe dolor: verbi gratia, ſi intemperies aliqua peccaverit, eam alterando; ſi materia, ipſam educendo, & denique materiam in parte exiſtentem evacuando. Cujus evacuationis duplicem à Galen. 13. Meth. 9. habemus ſpeciem; nempe, aut quando ad alias partes humor transfertur, qui in ægra continebatur, dummodò influxerit & non (6) congeſtus, neque reconcentratus, nec malignus fuerit, inque venis (ſaltem minimis) & non in ſpatio contineatur, (quandoquidem aliàs translatio minimè convenit) aut quando prorſus è corpore foras expellitur. Translatio duplici modo fieri poteſt, primò cum pars affecta roborata ad alias abigit humorem, quod quidem rariſſimè contingit, cùm ob partis laborantis maximam debilitatem, tum ob continuum affluxum, qui difficillimè, tardiſſimeque avertitur, præſertim corruptione jam in oſſe contractâ; quod jam corruptum os ſi non auferatur, neque fluxio auferri poteſt: altero verò modo translatio fit, quando illæ partes, quæ ſanæ ſunt, ad ſe trahunt humorem; quod fit, dum attrahens aliquod, ut ligaturæ, frictiones, cucurbitulæ, atque ſimilia uſurpantur, iiſque admoventur. Prorſus forâs è corpore expellitur humor dupliciter, vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter: ſenſibiliter per partem ipſam affectam, eam ſcarificando, ac incidendo; quamquam ſcarificationes in hoc caſu non laudem, quia abſque utilitate ſunt, dum materia in profundo propè os continetur: inciſio verò (cum factum fuerit apoſtema) convenit. Quo facto, ſemper os corruptum à me repertum fuit. Inſenſibilis autem evacuatio fit (7) diſcutientibus, cum quibus (ſi materia fuerit indurata) emollientia ſunt permiſcenda. (8) Os denique corruptum à ſano eſt ſegregandum, foraſque educendum (9)

Annotationes ad Indicationes ſpecialiores.

(1) Aliàs ſymptomata, quale dolor quoque eſt, juxta Methodi medendi leges, curationem non exigunt, quippe quæ ſublato morbo, à quo foventur, ſua ſponte cedunt; non ſecus ac ſublato corpore, tollitur umbra ab illo facta. At ſi urgentia fuerint ſymptomata, id eſt, talia, quibus præſentibus vera morbi ablatio ſine magno periculo & vitæ ſæpè diſcrimine expectari non poteſt, ipſa cauſæ naturam induunt, & ad ſe quoque curationem trahunt, ac ante ipſius morbi, à quo dependent, ablationem, removeri aut ſaltem mitigari deſiderant. Et tale urgens ſymptoma hic quoque Author noſter per dolorem intellexerit.

(2) Anodyna ſive dolorem lenientia latiſſimè ſumpta ſecundum Greg. Horſtium Oper. Med. Tom. 1. p. m. 383. triplicia ſunt. (1) quatenus purgatione, Venæſectione, vel aliter cauſa doloris evacuatur. (2) quatenus membrum ſtupefit. (3) quatenus medicamentum immediatè facit ad correctionem illius, quod in membro dolorem efficit, quod propriè vocatur Anody-

nodynum; eſtque omne illud, quod temperato ſuo calore membrum ſuaviter alterat, laxat, & rarefaciendo emollit.

(3) Anodyna propriè dicta non indicantur niſi a dolore urgente.

(4) Anodyna hæc, ſecundum dici ab Authore dicta, in ſpecie Narcotica propriè nominantur, quæ ſtuporem parti inducunt, ſenſumque, ne id, quod dolorificum eſt, percipiat, hebetant. Id quod præſtant, ex vulgari ſententia, medicamenta in fine tertii, graduque quarto, frigida, calorem partibus inſitum, unaque ſpiritus quaſi profligando; niſi pleriſque occultam proprietatem cum Veteribus aſſignare mavelis.

(5) Hæc ſanantia medicamenta etſi dolorem auferant, tamen anodyna, propriè ſive dolorem lenientia propterea non dicenda, quia propriè dicta anodyna doloris cauſam non tollunt, ſed manente etiam cauſa, ſaltem dolorem ipſum reſpiciunt, eumque leniunt. Conveniunt autem ſanantia hæc medicamenta cum prima illa Horſtii jam alleg. anodynorum impropriè, ac latè accepta ſpecie, ſed quam ipſe à veris anodynis ſtatim removet.

(6) Ita omninò eſt. Neutiquam convenit, humorem per congeſtionem collectum, aut intro repulſum, aut malignum ab hac parte aliò relegare. Quid enim inde levaminis ſentiret ſuccumbens? hanc quidem partem à morbo liberare, eodem autem aliam iterum onerare, huicque non majori cum ægrotantis levamine obtrudere, quod alia à ſe abegit?

(7) Hæc diſcuſſio, ab Inſtitutioniſtis diaphoreſis alio nomine vocata, fit, quando humores in parte aliqua impacti hærentes, & remeare neſcientes in vapores reſoluti diſcutiuntur, ac inſenſibiliter in auras abeunt.

(8) Corrupti oſſis ablatio in affectu noſtro præcipua videtur intentio, agendique ſcopus, adeo quidem, ut Antiquiſſimus Chirurgiæ Scriptor, Petrus ab Argillata l. 5. Tr. 2. c. 2. (ubi primus Spinæ Ventoſitatis ſuccinctam curationem tradit) facta univerſali corporis evacuatione, unicam curationis ſpem in corrupti oſſis remotione ponere videatur. Cui Petr. quoque de Marchettis adſtipulatur, quando l. c. nunquam, inquit, Morbus hic ſanandus eſt, niſi remota fluxione, & ſublato toto oſſe corrupto, vel igne vel ferro. Et ferè ſub finem: quod ſi, ait, Medicus facta jam ſoluta unitate accedat, tota curatio dirigitur ad ablationem oſſis corrupti.

(9) Totam Spinæ Ventoſitati medendi methodum certis fundatam indicationibus atque regulis pauciſſimis eleganter complectitur M. A. Severinus cap. 21. pag. 316. Poſtquam enim dixit, tot ut Pædarthrocaces curatio obtineri poſſit, proponi ſcopos, quot ad unguem in communi cariei, ſeu teredinis vitio ſpectentur; triplici hinc utitur ſcopo: primus eſt, quo prohibeatur, ne humor paulatim colligatur, vel ne influat: ſecundus, quò detrahatur id, quod emortuum eſt: & tertius, quo calus provocetur. Nec ab his multùm diverſas indicationes ſibi præfigit Petr. de Marchettis. Specillo enim explorato, corruptum eſſe os, tunc, ait, prima elicitur indicatio, nempe oſſis cariem abradendi: oſſe verò ſublato, curanda carnis generatio, cicatrixque tandem inducenda, methodo recepta.

De Temporibus.

Affectus noſter (1) quatuor habet tempora, nimirum principium, incrementum, ſtatum, & declinationem; quanquam ſtatus non ſit verè ſtatus. Licet etenim per multos dies ſtare videatur, tamen vel ad (2) declinationem, vel ad mortem uſque doloſe ambulat, quoniam oſſis fit corruptio, & corruptum, ſanum tangendo, hoc quoque corrumpit. Et quamvis propriè locus temporum hic non ſit, & ea (3) in Cap. de Differentiis commemorata ſint, dum dixi, Ventoſitatem Spinæ aliam imminere, aliam eſſe in fieri, & aliam in facto eſſe; tamen hic ea poni abſurdum non eſt; quia Ventoſitas Spinæ per putredinem, atque corruptionem generatur; (4) propterea que in omni tempore cum cæteris medicamentis ea quoque, quæ putredini, corruptionique contraria ſunt, item à tota quæ agunt ſubſtantia, propter aliquam malignitatem in parte affecta, ſive ratione ſui, ſive ratione excrementorum ad eam confluentium, contractam permiſceri ſolent; ut in criſi malignæ febris; in morbo Gallico, & in variolis, ut ſuprà diximus.

Annotationes ad Tempora Spinæ Ventoſæ.

(1) De univerſalibus his temporibus illorum morborum, (non enim omnes morbi quatuor hæc habent tempora) qui à materia pendent, cujus nimirum cruditate, & coctione tempora illa determinantur, Vid. Senner. *Inſtitut. Med. Lib. 2. Part. 1. cap. 12.*

(2) Imò vereor, ne in perfecta ac conſummata Spinæ Ventoſitate frequentiùs deſit declinatio. quam ſtatus; niſi tum declinare Morbum crediderìs, quando in mortem terminat, ipſa certè vita ſæpe optabiliorem.

(3) Non ſolùm Cap. 6. de Differentiis; verùm etiam Cap. 10, de Indicationibus univerſal. affectus noſtri temporum aliqua ab Authore facta eſt mentio,

(4) Hæc, & quæ ſequuntur, in Curatione potius quam hic inculcari debere videntur.

De Curatione, & primò de Chirurgia.

Scopis hiſce tribus inſtrumentis ſatisfaciendum, Chirurgico videlicet, Pharmaceutico, atque diætetico. Si affectio igitur ſanguinea fuerit, aliaque coindicantia adfuerint, nimirum virium robur, ætas, tempus anni &c. licet hæc omnia non ſemper reſpicienda ſint, Galen. 2. ad Glauc. 2. (1) Venæ ſectio competit. At ubi prohibentia non adfuerint, ejus loco, ſcarificatæ cucurbitulæ applicari ſolent. Et quanquam ſanguinis redundantia non appareat, & à cacochymia Malum tantùm fiat, tamen venæ ſectionem non derelinquemus, quare? (2) quia morbus eſt magnus, & ratione ſuæ naturæ, (ex omnibus enim morborum generibus compoſitus eſt) & ratione doloris. Galen. enim 4. Meth. 6. tametſi, inquit, redundantis ſanguinis concurſus non adſit; ad ipſam tamen ſanguinis miſſionem interdum confugiendum, quando, ſi morbus valens eſt cum virium robore, nemo reperitur, qui

ſanguinem non mittat. Eſt autem ſanguinis miſſio (affluente ſanguine) revulſionis ergo facienda, id eſt, quam longiſſimè à parte fluxione tentata, Galen. 13. Meth. debita diſtantia, rectitudineque ſervata, verb. grat. (ait ipſe Galen. 2. ad Glaucon. 2.) ſi fluxio ad genu deferatur, vena inferior, vel media cubiti ſecanda: ſi autem ad brachium dicta feratur fluxio, in brachio alrero, aut in crure ejuſdem lateris vena incidenda, ſive retrahere, ſive derivare velis; & inſuper (3) pro epate aperienda vena baſilica dextri brachii; pro liene, vena manus ſiniſtræ, quæ (4) ſalvatella dicitur; pro utero venæ, quæ in poplitibus, vel talis ſint; (5) pro hæmorrhoidibus, apponendæ hirudines ad venas ipſas hæmorrhoidales; (6) pro naribus tandem hirudinibus ibi utendum; fiantque præterea (ventriculo vacuo) revellendi gratia, mane, & veſperi, frictiones, ligaturæ, balnea calida, hujuſmodique alia; quin &, ſi opportunum videbitur, derivatio non omittatur, quæ propè affectam partem, ubi vaſa communia ſunt, fieri conſuevit: ita enim Galen. 2. ad Glauc. fluentium dicebat, humorum revulſio medela eſt; derivatio autem eorum, qui jam obſederunt membrum: utrumque autem evacuationis genus per communes venas inſtituendum eſt. Si verò fluxio non ceſſet, aut, quæ ceſſavit, revertatur, læſamque ſtimulet partem; tunc (7) cauterium applicetur; & quidem pro capite in occipite; vel fiat loco cauterii ſetaceum, quod magis juvat uno menſe, quàm fonticulus per ſex menſes geſtatus: pro epate, & utero (ſi ad generationem morbi concurrunt, veluti ſæpe concurrunt) in dextro crure parteque domeſtica, vel ſupra, vel infra genu; & denique pro liene in ſiniſtro crure cauterium vel fonticulus ponatur.

Annotationes ad Curationem Chirurgicam.

(1) Quanquam Venæſectionis unus tantum ſit primarius finis, atque uſus, nimirum ſanguinis evacuatio & imminutio; plures tamen quin ſint ſecundarii, nullum eſt dubium, quos inter numerant Practici refrigerationem, revulſionem, derivationem & fortaſſis alios. Crediturque communiter ea in ſola plethora, ſive ſanguinis abundantia locum habere. Aſt Pandolphinus noſter in Spinæ Ventoſitate non ſolùm tum concedit ſanguinis miſſionem, quando dicto cum Malo conflictans ſanguine abundat; ſed etiam quando cocochymicum corpus circumfert, & vitioſis ſcatet humoribus. Cui præ cæteris officioſum calculum adderet Leonhard. Botallus, qui de Curatione per Sanguinis Miſſionem toto cap. 8. id ex profeſſo agit, ut rationibus, propria experientia, ipſiuſque Galeni, Celſi, atque Rhaſis authoritate convincat, in Cacochymia etiam neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem. Cujus veſtigia D. Ammannus quoque legit, quando, ſæpe alleg. Diſputat. c. 4. hujus Botalli ſententiæ experientiam favere videri inquit, qua clarum reddatur, multas impuritates ſanguine ſectione emiſſo ſimul evacuatas fuiſſe, indeque patientes meliùs ſeſe habere cœpiſſe. Nos tametſi hic nolimus cum quoquam contentionis ſerram reciprocare, largientes potius & ipſi, poſſe fortaſſis nonnunquam in cacochymia cum aliquali plethora conjuncta leviorem ſanguinis miſſionem, ſi nihil aliud prohibuerit, non ſine ἰυφορίᾳ celebrari; nihilominus perſuaſiſſimum nobis habemus, in illa Spinæ Ventoſitate, quæ altiores jam egit radices, quæque habituatam cacochymiam conjunctam habet, ut plerunque habet, aut quæ malignitatem matrem agnoſcit, ſine plethoræ manifeſtis notis, plus Venæſectionem obfuturam, quàm profuturam; maximè cùm, quid utilitatis ratione ipſius morbi, & oſſis corruptionis ea afferre poſſit, non videamus. Si itaque unquam locum habebit, habebit certè vel ratione cauſarum, vel ratione accidentium, & ſymptomatum concomitantium, vel ſupervenientium, DD. Mœbii atque Gotſii egregio teſtimonio. Venæſectio, inquiunt, alleg. Diſputat. cap. 5. locum quidem hic non obtinet ratione ipſius morbi, & corroſionis oſſis; commoda tamen eſſe poteſt ratione cauſæ, & accidentium, quæ circa oſſis abſceſſionem contingunt, nec non in corpore plethorico, ſi ejus adſit indicatio, & nihil, vel virium imbecilitas, vel ætas prohibeat. Generoſum enim, pergunt, ſicuti eſt in graviſſimis ulceribus prohibendo inflammationem, revellendo & alterando humores, remedium, ita & hic ſano judicio adhibita ſuas afferre poſſe ſuppetias non dubitamus. Multoties enim inflammationes, potiſſimùm quando os abſcedit, teſte ipſo Galeno, 6. Aph. 45. ſuboriuntur.

(2) Hæc ratio invalida videtur. Graviores ſunt illæ Botalli, loc. cit. Quod ſi enim in omnibus morbis magnis vena ſecanda eſſet; in omnibus malignis morbis, & in omni lipothymia ſecari deberet. Quod tamen abſonum. Ad hæc ſi ideo Venæſectio conveniret in affectu noſtro, quia morbus eſt magnus, id eſt, ut Author explicat, ex triplici morborum genere compoſitus; conveniret certè in omnibus tumoribus p. n. quia omnes ex triplici morborum genere conſtant. Sed quod iterum abſonum.

(3) Fluunt hæc ex venarum delectu, quem Veteres tam religioſè obſervandum præceperunt; quem delectum etſi prorſus repudiare nolim, illum tamen in ejuſdem cubiti venis conſiſtentem, cum pleriſque hodiernis Medicinæ Doctoribus, non immeritò vanum deputo, cùm omnes tres, cephalica nempe, mediana & baſilica ab una radice, trunco nimirum ſubclavio ſive axillari manifeſtè prodeant; adeo ut baſilica non majorem cognationem cum hepate habere videatur, quàm habet cephalica &c. niſi quis credat, nobis occultum, ſolique naturæ cognitum quid hic ſubeſſe. Vid. D. Joh. Theod. Schenckius Decad. Illuſtrium Problem. circa V. S. occurrentium, Problem. 2. ubi hanc controverſiam, an in Venæſectione delectus venarum obſervandus? uberrimè pertractat. Cæterum ex his & paulo poſt ſequentibus verbis apparet, quàm ſtudioſè Author rectitudinem obſervet. Scilicet hepate ſimul laborante in dextro, liene verò laborante, in ſiniſtro latere venam incidi, & fonticulum inuri jubet; Hippocratis fortaſſis nixus præcepto, docentis, dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris magis conſentire.

(4) De hac Salvatella, an nimirum ejus inciſio.

inciſio, eam habeat utilitatem, quæ vulgò jactatur; & in ſpecie, an in affectibus lienis majus præſtet commodum, quàm alterius cujuſcunq; venæ inciſio? Vid. Sennert. *Paralipom. c.23. pag. m.89. ſeqq.*

(5) Id eſt, ſi ab hæmorrhoidum obſtructione ortum duxerit Malum, vel ſaltem earum apertionem ad Mali curationem proficuam fore credatur, tunc ad illas venas hirudines applicandæ, ſpe, fore, ut iis reſeratis, vitioſi ſanguinis pars per eas eliminetur, ſicque natura, quæ corpus noſtrum, velut nauclerus navem, regit, eo, quò velut ſarcina premebatur, exonerata, quod reliquum eſt, facilius ſubigere queat.

(6) Hoc eſt, ſi è naribus ſanguinem detrahere expediet.

(7) Cauterium, ſive fonticulum excitare jubet Author pro capite, id eſt, à capite, ceu præcipua mandante parte ad partem affectam continuè dimanantibus vitioſis humoribus, & quidem in occipite, ubi apud nos rariſſimè fonticuli parantur: vel ſuadet in cervice ſetaceum, ut humores deſtillantes per hoc evacuentur, ſicque intercipiantur, ne ad affectum locum pertingant. Cur autem capiti præ cæteris tam ſolicitè proſpiciat Author, hæc ſubeſſe videtur ratio, quia ipſe ferè omnes hoc affectu noſtro laborantes, primò alio ad ipſum caput attinente morbo correptos fuiſſe obſervavit, indicio, caput haud rarò multum ad Spinæ Ventoſitatis generationem tribuere. Quod ſi ita eſt, uti prorſus dubitare nolumus, ſetaceum utique præſtans erit remedium, humorum ad affectam partem affluxum inhibendi.

De Medicamentis Communibus.

Quoad Pharmaciam, comprehendit ea lenientia, alterantia, præparantia, ſolventia, roborantia, diſcutientia, atque ſimilia, cum univerſalia, tum particularia. Lenientia ad primas ſuperfluitates citra epar exiſtentes diriguntur, quæ vel per viam oris, vel alvi evacuant: illa vomitoria dicuntur; hæc vel per os, vel per alvum exhibentur. Si per os, proprie leniens erit: ſi autem per alvum, clyſter, atque ſuppoſitorium nuncupatur; quæ (1) lenientia ab inclinatione, conſiſtentiaque materiæ indicantur: vel enim ad ſuperiora, vel ad inferiora inclinat; & vel in ventriculo tantum, vel in ipſo ventriculo, atque tenuioribus inteſtinis, vel tantum in craſſioribus, veluti alvi excrementa, exiſtit. Alterantia ad intemperiem diriguntur ſolum: Præparantia ad qualitatem cum materia: (2) Solventia ad materiam dictam, ſed coctam, & non turgentem: roborantia ad partem debilem: Diſcutientia tandem ad materiam alicubi hærentem.

Ventoſitate ergo Spinæ per cacochymiam (ut ſemper vidi) oriente, & humore calido, aut acuto, aut acri exiſtente, & quidem per ſe, & non per putredinem, veluti eſt bilis, quæ ceu amara, (ut jam dictum) cæteris humoribus calidior, & acris eſt effectus, tales perſæpe producit; aut ſanguis fervidior, & tenuiſſimus, ex ſanguine alimentali, dum hic funditur, juſtoque fervidior redditur, talis factus biliſque rubra à Galen. 6. de Morbis Vulgar. Com. 4. nuncupatus; ut caliditas hæcce tollatur, acutieſque illa attemperetur, (3) refrigerandum ac humectandum, deinde vero demum humor purgandus eſt; ante omnia tamen adminiſtratis lenientibus, vel in forma vomitorii, vel potionis, vel clyſteris, vel ſuppoſitorii, pro ut prima ſuperfluitas inclinationem, & ſitum habuerit.

Si ſuperfluitas tenuior, ut bilis, ſeroſitaſque adfuerit, & inclinet ad vomitum, hicque facile moveri poterit, motus iſte per vomitorium aliquod adjuvandus, quod in multa quantitate, nempe ad libram, & ultra, ac tepidum exhibendum, ut per multitudinem aggravata, & per injucunditatem irritata expultrix, ad materiam noxiam expellendam inſurgat; inſurgetque eo magis, ſi præterea in ſummitate gulæ, vel digitis, vel pennis irritata fuerit. Vomitorium aut cum hydroleo, aut cum aqua hordeacea, aut cum jure pulli, & ſyrupo acetoſo permixto, paretur, v.gr. (4)

℞. Decocti hordei unc. decem, ſyrup. acetoſ. unc. duas. Miſc. pro Vomitorio.

In frigidiori verò ventriculo addendum aliquod corrigens, & irritans, ut anethum, vel apium. Quod ſi autem craſſa extiterit materia cum ſupradictis (nempe aqua, vel jure) loco ſyrup. ſumatur oymel & ſuccus apii, vel raphani ad unciam unam.

(5) Leniens pro materia bilioſa, erit ſyrup roſat. ſolutiv. aut manna, aut tamarindorum pulpa; diaprunum item, non ſolut. diaſebeſt. aut caſſia, vel in forma boli, vel potionis, cum decoctione ex cichoraceis facta. Si materia fuerit tenuis, ſed aquoſa, & non biliſa, propinandus ſyrup. roſatus non cum frigidis, ſed cum jure pulli, aliove ſimili. Si ſuperfluitas calida, craſſaque fuerit, excipiendum mel roſat. ſolut. ad unc. quinque cum decoctione refrigerante, veluti endiviæ, vel cum ſero caprino.

Vel ℞. Caſſiæ noviter extractæ drachm duas. Miſc. cum ſaccharo; & Fiat Bolus. In materia craſſa frigida leniens tale præſcribi poteſt.

℞. Mellis roſat. ſolut. unc. quatuor, mannæ elect. unc. un. ſemis. Miſc. & cum jure pulli, vel cum decoct. betonicæ & borragin. quant. ſuffic. Fiat Potio,

Vel ℞. Specier. hieræ drachm. 1. caſſiæ noviter extractæ ℥. 1. Miſc. & cum ſacchari q. ſ. Fiat Bolus.

At ſi humores heterogenei peccaverint, ut ſemper peccant; aut ſupra dicta lenientia ſimplicia invicem permiſceantur; aut electuaria lenientia ad hunc finem parata excipiantur, ut eſt diaprunum non ſolut. electuar. lenitivum, diacatholicum, diaſebeſten, & ſimilia, quæ omnes reſpiciunt ſuperfluitates, licet magis unam, quàm alteram.

Clyſter, ſi materia fuerit calida atque acuta, refrigerans parandus eſt, verb. grat.

℞. Decoct. malvæ. violar. lactuc. libr. 1. olei violat. mellis violat. ana ℥. tres, ovum numer. 1. ſalis parum. Miſc. pro Clyſtere.

Vel loco mellis ſumatur caſſiæ extractæ ℥. 1. ſem. Si verò materia fuerit craſſa, & frigida.

℞. Decoct. betæ, mercurialis, furfur. lib. 1. mellis roſat. olei communis aut chamæmelini an. unc. tres. Miſc. pro Clyſtere. Loco mellis iterum ſumi poſſunt caſſiæ ℥ 1. hieræ ſimpl. drachm. 2.

(6) Præparans bilioſum humorem tale erit.

℞. Syrup. endiviæ, cichorii, violati an. ℥. ſemis, decoct. endiviæ, cichorii, hepaticæ, ana unc. tres. Miſc. Quale medicamentum etiam frigidius parari poteſt, ſi ipſa materia peccans fuerit calidior.

(7) Purgans in forma potionis, prædicto humore præparato, ſic deſcribatur.

℞. Rhabarbar. elect. drachm. 1. ſemis. Infundatur in aq. endiviæ per horas decem; & optima expreſſione facta, adde electuar. è ſucco roſar. drachm. duas. ſyrup roſat. ſolutiv. ℥. 1. Miſc. & Fiat brevis Potio. In forma boli.

℞. Rhabarb. elect. & optime pulveriſat. drachm. 1. electuar è ſucc. roſar. drachm. duas caſſiæ noviter extractæ ℥. 1. Miſc. & cum ſacchari quant. ſuff. Fiat Bolus. Et, ſi pilulas magis deſideret ægrotans, dentur illi pilulæ de rhabarbaro ad ſcrup. quatuor.

Et cùm hepar præcipue hujus humoris acuti, ob calidam ſuam intemperiem, fons ſit, alterandum illud eſt intus cum ſero caprino depurato. eoque vel ſolo, vel cum emulſione ſeminum melonum, vel cum aqua, vel ſucco lactucæ, aut endiviæ parata permixto; quo fini etiam conſerva roſarum, vel cichorii, uſurpari poteſt, ita tamen, ut aqua ſtillatitia actu, & potentia frigida (ſi nihil impediverit) vel aqua fontis ſuperbibatur: (8) extra vero aquæ, vel ſucci herbarum frigidarum, veluti cichorii, endiviæ, lactucæ, & hepaticæ applicentur: imprimis verò ſuccus cichorii depuratus mirificè hic valet, ſummopereque ab excellentioribus Viris laudatur: valde etiam (9) unguentum ſantalinum pro linimento prodeſt.

(10) Præparans pituitam, ventriculum, atque caput reſpiciet, in quibus illa copioſè generatur: & prout per ſe vel frigida, vel craſſa, vel viſcida eſt, præparans quoque vel calefaciens vel attenuans, vel incidens requiritur, verb. grat.

℞. Syrup. betonicæ, mellis roſat. ſaccharini, oxymellis ſimplic. an. ℥. ſemis, decocti betonicæ & calamentæ ℥. tres Miſc.

(11) Purgans conficiatur ita.

℞. Electuar. diaphœnic. drachm. tres, mellis roſat. ſolutiv. ℥. quatuor, cum decoct. betonicæ & calamentæ q. ſ. Miſc.

Vel ℞. Agaric. trochiſcat. drachm. duas. mellis roſat. ſolut. ℥. quatuor, Cum decoctione ſupradicta, Miſc. & exhibeatur diluculo.

Vel (12) ℞. Pilul. hieræ cum agarico, cochiarum an. ſcr. duos Miſc. & cum ſyrup. de betonica Fiant Pilulæ quinque; deaurentur, atque diluculo exhibeantur.

Antequam autem ventriculi, capitiſque alterantia deſcribantur, aliquid de materia in ipſo capite exiſtente dicendum. In capite nempe (13) in cerebro copioſiora generantur excrementa, quam in cæteris corporis partibus; inter quæ excrementa craſſa, (tenuia enim inſenſibiliter evaporando exhalant: aut per ſudorem ſenſibiliter abſcedunt) quotieſcunque in venis conſiſtunt, purgantibus ſupradictis tolli poſſunt, minimè vero, quæ extra venas conſiſtunt; & hac de cauſa illis expurgatoria paravit natura; os nimirum, atque nares; quorum expurgatoriorum, ob aliquam cauſam, via interceptâ, prædicta excrementa per aliam viam à natura ipsâ tranſmittuntur, acciditque ſæpiſſimè, ut per ſuturas, & calvariæ poros ea tranſmittantur, aut intra cranium, & pericranium detineantur, ibique ab ambiente frigido incraſſentur, ac congelentur, tandemque ob moram putreſcant, (14) unde ipſum cranium corrumpitur, Ventoſitaſque Spinæ generatur: veluti in quibuſdam pueris neſcio quo ipſorum infortunio anno contingebat elapſo: quod quidem cranium duplici modo corrumpi ſolet, vel quando dicta excrementa ſupe. ipſum immorantur, & putreſcunt; vel quando ipſius cranii poros tranſeunt, ejus ſubſtantiam emolliunt, ac temperamentum vitiant; quæ poſtrema cranii corruptio inde dignoſcenda; quando videlicet os cadit, (ſi vi non auferatur) non eſt carioſum, neque fœtidum, (veluti in pluribus à me obſervatum fuit) & quidem cranii vitrea ſeu cranium cum meditullio, & prima lamina ad duram matrem uſque cadit: quare ut ea excrementa per conſueta loca excerni impedita, (15) ad conſuetos ductus revertantur, & evacuentur, omni utendum eſt ingenio, quod alicujus (16) irritantis medicamenti ope conſequemur; veluti ad noſtrum propoſitum Medicorum Princeps Galenus nos docet; quod ſcilicet medicamenta dicta debeant eſſe calida, tenuia, acria, detergentia, ſuavis odoris, atque ſaporis. Calida enim attrahuntur, tenuia facilè penetrant, acria expultricem irritant (cum illi non ſit amica) detergentia viſcida, atque mucoſa incidunt, odor, ſaporque bonus oblectat; quæ vel mitiora, vel validiora paranda, prout neceſſitas exegerit, atque ægrotantes tolerabunt: ſimplicia talia eſſe poſſunt, nempe maſtix, thus, origanum, pulegium, beta, manna, mel, oxymel, hyſopus, ſalvia, majorana, naſturtium, eruca, cuminum, calaminta, dictamnus, folia & baccæ lauri, folia, corticeſque citri; piper, zingiber, pyrethrum, ſuccus iridis, ſinapi, rhabarbarum, agaricus, epithymum, ſcammonium, polypodium, colocynthis, euphorbium, elaterium, atque helleborus niger. At quia horum quædam ſunt partim guſtui, partim odoratui ingrata, valde corrigenda ſunt; acribus nimirum dulce aliquod permiſcendum, veluti caricæ, nec non paſſulæ, mel item, & ſaccharum: fœtidis odoriferum aliquod addendum, ut eſt ambra, moſchus, gallia moſchata, & ſtyrax calamita, quæ & in ſolida, & in liquida forma exhiberi poſſunt, & vel per os, vel per nares. Per os exhibenda maſticatoria ſunt, ac gargariſmi, nec non ea, quibus palatum illinitur, quemadmodum in pueris cæteris medicamentis uti neſcientibus fieri ſolet. Per nares exhibenda errhina ſunt, eaque vel in forma ſolida, ut pulveris, vel in forma liquida. (17) Maſticatorium tale parari poteſt.

℞. Maſtichis drachm. duas, ceræ, caricarum, an. drachm. ℥. Miſc. pro Maſticatorio. Aut validius.

℞. Sinapis, piperis albi, ſalis communis, an. drachm. 1. Miſc. & cum mellis quant. ſuff. Fiat Maſticatorium. Aut adhuc validius.

℞. Euphorbii, elaterii, an. ſcrup. 1. moſchi grana tria, ladani, ceræ, an. drachm. 1. ſem. Miſc.

(18) Gargariſmus ſic præſcribendus.

℞. Caricarum, vel paſſularum, ℥. 1. origani, calamentæ, folior. betæ, an. pugill. 1. aquæ communis libr. tres, Fiat decoctio ad con-

conſumptionem tertiæ partis: deinde.

♃. Prædictæ decoctionis libr. ſemis mellis communis vel oxymellis ℥.1. ſemis Miſc.

Aliud validiùs:

♃. Cumini drachm. 1. hyſſopi pugill. duos, piperis, pyrethri, an. ſcrup. 1. Miſc. & decoq. in aq. ſalviæ aut roriſmarini q. ſ. cujus libræ decoctionis adde oxymell. ſcillitic. ℥. duas.

Pro linimento in palato uti poſſumus confectione, cum ſinapi factâ, muſtarda vocatâ. Aut

♃. Succi, betæ lapathi, oxymellis, an. quantumvis. Aut

♃. Staphidiſagriæ ſcammonii an. ſcrup. 1. oxymell. quant ſuff. ad incorporandum.

Et hæc omnia, vel in forma liquida, vel in pulverem redacta, in naſum quoque injici & ſic (19) errhina fieri, ex illiſque pulveribus turundæ hoc pacto parari poſſunt.

♃. Pulveris ſinapis, naſturtii, an. ſcrup. 1. ladani, ceræ an. drachm. 1. Miſc. & Fiat Turunda. Alio modo.

♃. Euphorbii, elaterii an. ſcrupul. 1. moſchi grana quatuor Miſc. & cum ceræ q. ſ. Fiat Turunda. quæ medicamenta omnia modis ſupradictis adminiſtranda, ſi nullum impedimentum adfuerit: ut eſt ulcus, fluxus ſanguinis è naribus, vel ſi æger vertigine, apoplexia, aut ſimili morbo corripi quandoque ſoleat.

(20) Caput roborantia interna, externaque ſunt. Interna ſunt ſyrupi, & conſervæ de betonica, ſalviâ, roremarino, pœoniâ, hyſſopo; item diaciminum, diamoſchum, diacalamentum, Mithridatitiũ, & Theriaca: Externa ſunt lotiones confectæ ex decocto abſinthii, betonicæ, majoranæ, ſalviæ, hyſſopi, calamentæ, lauri, agarici, atque ſimilium; quibus etiam annumeranda aquæ thermales, cæteris dictis utiliores: nec non unctiones, ac ſtillicidia ex oleo chamæmelino, nardino, rutaceo, & laurino; ut & ceratum de betonica ſacrum, & ceratum capitale commune.

Pro ventriculo intrò utimur ſyrupis de corticibus citri, de mentha; aromatico roſato, Theriacâ, & Mithridatio: Extra verò linimento ex oleo abſinthii, nardino menthæ, maſtichino, Magni ducis Hetruriæ & nucis moſchatæ parato, ventriculum inungimus; fomentumque ex abſynthio, calamenta, origano, pulegio, floribus ſquinanti, roſis ſiccis, corticibus cydoniorum, ſeminibus aniſi, fœniculi, & ſpicanardi conſtans eidem admovemus; & præterea cerata, velut eſt ceratum ſtomachale Magiſtrale, de tacamahaca, aut ſequens, applicamus.

♃. Maſtichis ℥. ſemis, macis, nucis moſchatæ, caryophyllorum, menthæ, abſinthii, an. drachm. 1. Miſc. & cum reſinæ atque ceræ q. ſ. Fiat Ceratum. Ex ſupradictis herbis, aromatibuſque ſacculi quoque confici, ac ſuper ventriculum ipſum geſtari poſſunt.

(21) Præparans melancholiam tale ſit.

♃. Syrup. fumariæ, lupuli, è ſucco borragin. an. ℥. ſemis decoct. borragin. lupuli, meliſſæ ℥. quatuor. Miſc. pro Syrupo.

(22) Purgans verò ita conficiatur.

♃. Electuarii lenitivi drachc. ſex, confect. hamech vel diaſenæ drachm. tres, ſyrup. polypodii ℥. duas ſemis. Miſc. & cum decoctione cordiali q. Fiat Potio Aut:

♃. Pilul. de fumaria, Indar. Meſves an. ſcrup. duos Miſc. & cum ſyrup de polypodio q. ſ. Fiant Pilulæ numero quinque. Si autem humores Ventoſitatem Spinæ procreantes fuerint acres, ſalſi, & nitroſi per incaleſcentiam, atque putredinem, & antequam ad laborantem partem confluxerint, tales facti, præparandi illi prius deinde & purgandi ſunt. (23) Præparans igitur biloſum humorem ſic præſcribendum:

♃. Syrup. violati, de pomis, acetoſ. de ſucc. acetoſ. an. ℥. ſemis, decocti hordei, endiviæ, ſonchi hepaticæ ℥. quatuor. M. Præparans pituitam.

♃. Oxymell. ſimpl. ſyrup. betonicæ, cichorii an. ℥. ſemis decoct. hordei, cichorii, betonicæ ℥. tres. Miſ. Præparans melancholiam:

♃. Syrup. borragin. violat. de pomis ſimpl. an. ℥. ſemis. decoct. endiviæ, borraginis, ceterach. ℥. tres. Miſc. Purgans autem humores iſtos nullum melius, inquiunt Auctores, eſſe medicamentum, quam modo dictam Confectionem hamech.

Et tandem, ſi humores prædictum morbum efficientes extiterint aquei, (24) hydragogis illi ſunt evacuandi. Ut:

♃. Succi iridis vel ebuli aut ſecundi corticis ſambuci drachm. tres. mulſæ ℥. duas vel tres. Miſc.

Vel: ♃. Succi iridis condenſati drachm. duas. Formentur inde Pilulæ.

Vel: ♃. Pilul. aloëphangin. drachm. ſemis. euphorbii præparat. grana ſex M. Fiant Pilulæ.

Vel: ♃. (25) Antimonii præparat. gran. ſex (vel etiam plura pauciorave, prout opus fuerit, & vires aliaque accidentia Patientis permittent, vel prohibebunt, ut Medicis omnibus notum) Infundantur per noctem in vino albo aromaticoque, & hoc, manè colaturâ facta, patienti exhibeatur, quod antimonium non tantum ſemel, ſed bis, terque hoc eodem modo uſurpari poteſt. Non enim prima vice totam facultatem purgatoriam amittit. Evacuantur autem præterea aquei humores, & per urinam, & per ſudorem. Quæ evacuant per urinam, ſunt (26) diuretica; veluti eſt radix aſparagi, bruſci, fœniculi, apii, cinnamomum, crocus, baccæ juniperi, & alia ſimplicia ferè innumerabilia: compoſita autem ſunt ſpecies dialaccæ, diacurcumæ, diacalaminthæ, & diaciminі. Quæ evacuant per ſudorem, ſunt (26) diaphoretica ipſa, frictiones, nec non ea omnia, quæ adminiſtrantur in lue Venerea. Præſcripſi autem humores hoſce aqueos purgantia, quia nullam recipiunt coctionem: qua de re Galenus ſcriptum reliquit Libello, quos, & quando purgare oporteat: tenues aquoſoſque ſuccos à principio eſſe evacuandos; à leviorib. tamen ſemper facto initio. Denique notandum quòd, ſi aliqua occulta ſubfuerit qualitas, ut in febre maligna, & peſtilentiali, atque in lue Venerea, (27) alexipharmaca quoque exhibenda: ut theriaca, Mithridatium, lignum Indicum, ſarſaparilla, ſaſſafras, & (28) hydrargyrum.

Annotationes ad Caput de medicamentis communib.

(1) Lenientia hæc quia duplicia, ideo à duplici quoque indicantur indicante.

(2) Solventia hæc nos vocamus Purgantia.

(3) Hæc per refrigerantia & humectantia inſtituenda alteratio antecedentem, ut omnia in hoc capite contenta, reſpicit cauſam,

ſam, ut nimirum ſanguis calidior, fervidior atque acrior eorum ope attemperetur, ſicque, antecedente causâ quadantenus correctâ, proxima quoque cauſa minus ab ea foveatur.

(4) Satis nauſeoſa hæc ſunt Vomitoria, & delicatulis noſtris procul dubio minus placitura. Gratiora eaque æque tuta offerunt Chymici: Talia ſunt Aqua benedicta Rulandi, Syrupus catholicus, emeticus Angel. Salæ, Crocus metallorum, Sal vitrioli, Tartarus emeticus Mynſichti, &c.

(5) His addi poſſunt Sirupus de cichorio cum rhabarbaro, Aqua laxativa D. Mannagettæ, Electuarium Tamarindinatum, & infinita alia.

(6) Hujuſmodi biliosum humorem præparantia quamplurima in Promptuario ſuo Macaſius, & Jacob à Braun, in Syſtem. Mater. Medic. aliique collegerunt. Nos pauciora nominamus. Suntque Syrup. roſar. ſimpl. acetoſitatis citri, granator. de cichorio compoſ. aq. taraxaci, Lactuc. acetoſæ, Cremor. & Cryſtall. Tartari, Tartar. Vitriolat. Arcanum. Tartari &c.

(7) Mitiora hæc purgantia fortioribus illis, quibus nonnulli ſummo ſæpè cum ægrotantium damno hodiè utuntur, longè certè præferrem. Optandumque eſſet, ut delicati noſtri ægri Medicis ſuis adeo morigeros ſe præberent, ut non tam ea, quæ palato ſapiunt, quàm quæ ſanitati redintegrandæ conferrent, appeterent medicamina. Hinc enim fit, ut Medici ægris ſuis paulò longiores, ſed admodum profuturas potiones abhorrentibus, ſæpè præter neceſſitatem ſcammoniata, aliaque fortiora purgantia, ſaltim ut palato ſatis faciant, porrigere cogantur.

(8) Non tam hepar alterandum, quàm ſanguis, quo vaſa illius pleniora ſunt.

(9) Non poſſum, quin huc transferam Gulielm. Rondeletii de, Medicamentis externis nis p. m. 1049. probe notandam, de medicamentis hepar exterius refrigerantibus, cautelam. In refrigerando hepate, inquit, plus eſt periculi, quàm in calefaciendo. Admiſcenda itaque quædam calida, ſumta indicatione à facultate ſanguificandi, quæ calore perficitur. Additque; non leviter ideo peccare, qui Ceratum vel Unguentum Santalinum uſurpant in hiſce cauſis, quia refrigerat & adſtringit non leviter.

(10) Hujuſmodi præparantia pituitam cum ſimplicia, tum compoſita plura vide apud Macaſium. Præter illa ab Authore adducta celebriora ſunt Sirup. de abſynthio, meliſſæ, de ſtœchade, capillorum Veneris, de duabus & quinque radicibus, Aqua hyſſopi, centaurii min. fœniculi, agrimoniæ.

(11) Quando Petrus de Marchettis l. c. Spinæ Ventoſæ topicæ curationi ſemper totius corporis curam præmittendam eſſe admonet, id fieri debere notat medicamentis pituitam expurgantibus. Aſt D. Ammann. loc. cit. cap. 4. §. 6. hoc negans, medicamenta hic non phlegmagoga, ſed potiùs celebratiora purgantia commendat, quibus ſerum vitioſum abſque ulla electione educatur. Abſque ulla electione, non oſcitanter dixiſſe videtur, fortaſſis ut ſimul innueret, ſe non facere cum illis, qui ſingula purgantia peculiarem ſibi humorem, ut rhabarbarum bilem, folia ſennæ melancholiam, & non alium humorem, eligere quaſi atque evacuare, ſtatuunt; ſed credere potius, omnia indifferenter purgantia non certum, ſibique proprium tantum verùm quemcunque in corpore obvium peccantem humorem ſine diſtinctione per inferiorem, ut cum Plauto loquar, gutturem excernere. Cui ſententiæ parum abeſt, quin meum quoque calculum adjiciam.

(12) Pilulæ hæ, propter magnitudinem ſuam hincque eas deglutiendi difficultatem, teneræ præcipuè ætati & ſequiori ſexui minus arridebunt. Vel ergo plures ex iis formandæ: vel hæ aut ſimiles ſubſtituendæ.

♃. Maſſ. Pil. cochiarum ſcrup. un extract. panchymagi Diſp. novi Noriber. grana ſepte n. Miſc. & cum ſufficient. quantitat. aq. betonic. Fiant Pilulæ num. 15. deaurentur.

(13) Copioſiora excrementa Cerebrum generare communiter dicitur, quòd natura ſit frigidius, hincque humores minus concoquere valeat: unde excrementa.

(14) Non inelegans modi deſcriptio, quo Spinæ Ventoſitas fiat in cranio.

(15) Id eſt ad nares & os defluendo. Vid. Conr. Victor Schneider. de oſſe Cribri formi, per integrum quidem Tractatum, præcipuè tamen p. m. 396. & ſeqq. ubi de Coryza agit.

(16) Irritantia hæc medicamenta vel ut Gargariſmus, vel ut Maſticatorium, vel ut Errhinum, exhibenda.

(17) Plura Maſticatoriorum paradigmata imprimis vid. apud. Weckerum Antidotar. General. Lib. 1. cap. 46. & Special. l. 2. Sect. 42. nec non apud Schroder. Pharmacop. Medic. Chymic. Libr. 2. cap. 68. Sequens Fernelii commodiſſimum videtur:

℞. Sacchar. candefacti ℥. 1. Maſtichis ʒ. ſemis. piperis long. pyrethri, ſtaphyſagriæ an. drachm. unam Fiat Pulvis, qui Nodulis parvis comprehendatur, & dentibus comprimatur, atque maſticetur.

(18) Gargariſmorum non ſolùm hujus, ſed & omnis generis exempla ſimiliter apud eundem vid. Weckerum Antidot. Special. L. 2. Sect. 10. cui adjunge Hadr. Mynſicht. Theſaur. Sect. 26. p. m. 400. & ſeqq. Schroder. d. Libr. 2. c. 61. & Sennert. Inſtitut. L. 5. Part. 3. Sect. 3. cap. 27. Pituitam è cerebro egregiè elicit ſic inſcriptum ac deſcriptum Joh. Theodor. Schenckii Syſtemat. Componend. & Præſer. Medicam. Part. Special. Clariſſ. 2. Sect. 2. cap. 5. p. m. 130. quod

♃. Origani, ſalviæ roriſmarin. an. manipul. un. roſar. rubr. pugill. un. pyrethr. zingiberis an. drachm. un. ſemis Coq. in ſufficient. quantit. aq. pur. fontan. Colaturæ libr. uni adde aceti acerrimi unc. unam. Miſc.

(19) Errhina non ſunt uniformia, nec ſolùm turundarum, peſſulorum aut pyramidali formâ, parantur; ſed ſunt adhuc alia, eaque vel liquida, quæ naribus infunduntur, & ab iis attrahuntur, ut aquæ & ſucci; vel mediæ conſiſtentiæ, quæ naribus illinuntur, ut linimenta, & balſama; vel ſicca & arida, quæ forma pulveris nunc ſubtilioris, nunc groſſioris naribus aut flatu immittuntur, aut inſpirando attrahuntur, Ptarmica ſeu Sternutatoria propriè dicta. Ipſas ſingulorum formulas copioſâ farragine

iterum

iterum reperire licet apud Weckerum Antidot. General. Libr. 1. cap. 47. & Special. Lib. 2. Sect. 11. Quercetan. Pharmacop. Reſtitut. cap. 18. Schroder. Libr. 2. cap. 55. Sennert. inſtitut Libr. 5. Part. 3. Sect. 3. cap. 30. alioſque. Pyramidalia errhina, Naſalia cognominata, in Pharmacopœis noſtris uno eodemque modo parata habentur, quorum deſcriptionem ſuppeditat novum noſtrum Diſpenſatorium. Schroderi Extractum naſale pituitam & humores ſalſos à capite per nares educendi peculiari laude dignum hic erit medicamen, ſi ejus parum naribus indatur. Inter pulverum ptarmicorum hodiè uſitatiſſimorum innumerum ferè numerum, ſuum quolibet impenſe jactitante, non poſtremus huc faciens erit ille Mynſichti, quem Species Dia Tabaci vocat, itemque pulvis ſternutatorius Diſpenſatorii novi Norisbergenſ.

(20) Plura caput & ventriculum roborantia qui deſiderat, adeat Promtuaria allegata, quorum ope copioſiſſimas formulas facilè concinnare poterit.

(21) Huc pertinent præterea Sirup. de pomis, de epithymo, de ſcolopendria; Aqua aperitiva polychreſta Rolfinck. Tinct. Martis aperitiv. Mynſichti, Mœbii, tartari. Extract. chalybis ſive magiſter. Martis aperitivum, Vitriolum Martis, oxymel & vinum chalybeatum &c.

(22) Solus Macaſius purgantia melanagoga ſufficienter ſuppeditabit. Laudem imprimis merentur Elect. de Sena cum ambra; Extr. hellebor. nigr. fol. ſenæ, lapis lazuli, Pilulæ tartareæ Quercetan. & Schroderi.

(23) Hæc, & quæ in hoc paragrapho ſequuntur, præter neceſſitatem repeti videntur.

(24) Præter hæc ab Authore enumerata celebriora Hydragoga ſunt Sirup. diaſereos, domeſticus, florum Perſicorum, Extract. diacarthami, gratiolæ, ſoldanellæ, Magiſter. gialappæ, Gummi gotte, Pilulæ Hydropicæ Bontii, aliaque.

(25) Mirum, ni præparatum atque ita exhibitum hoc Antimonium (an Crocus metallorum?) inſolentiores potius vomitus moturum ſit. Unde à violento hoc remedio hic loci prorſus abſtinere ſatius fortaſſis foret.

(26) Diuretica ſimul ac diaphoretica, tum ſimplicia, quàm compoſita, apud hactenus citatos Authores longâ ſerie conſignata reperies, ex quibus omnis generis formulas facili negotio concinnare licebit. Quemadmodum autem in affectus noſtri curatione diuretica hunc præſtant uſum, ut acres atque ſalſos humores peccantes in toto corpore redundantes, & ad partem affectam ſubinde effluentes, ad urinarias vias divertant atque ſic imminuant, ita imprimis diaphoretica eoſdem humores per poros cutis, ſudoris atque vaporis formâ, è corpore eliminant, hacque ratione ab affecta parte quadantenus revellunt. De illis teſtatur Heurn. Commentar. in Aph. Hipp. 45. Sect. 6. ubi ſcribit, in contumacibus ulceribus (qualia in Spinę Ventoſitate ſæpe ſæpius occurrunt) mirum in modum ſolutio eſſe ſolere revellentia ſuccos à parte exulcerata, qualia ſint urinas moventia, quæ ichoroſam materiam, quæ quotidie in partem ulceroſam ferri ſolebat, excludant. Diaphoreticorum verò uſum in his & ſimilibus affectibus nemo facilè vocabit in dubium. Inter alios Platerus, ait ulcera, quæ in lue Venerea prorumpunt (quam hæc autem benè cum noſtris conveniunt?) ſanare unà cum morbo diaphoretica & in aliis diuturnis non minimam curationis partem efficere.

(27) Imò quia ſub verâ Spinæ Ventoſitate plerunque, ſi non ſemper, aliqua latet malignitas, ideoq; non abs re erit, pleriſque hactenus enumeratis medicamentis, quoad poſſibile fuerit, alexipharmaca immiſcere quibus virulentia ſimul infringatur. Id quod imprimis D. Mœbius atque Gonthius loc. allegato ſolerter præcipiunt, qui, poſtquam c. 5. lenientia & præparantia medicamenta recenſuerunt, omnia illa pro ratione morbi, ægri, & cauſarum componenda, & exhibenda, ſemperque aliquid addendum eſſe monent, quod ſpecifica facultate morbi virulentiæ & malignitati reſiſtet; cujuſmodi formulam exhibet Paul. Barbette Chirurg. Anatomic. Part. 3. cap 3. p. m. 20. ſimiliter ſummopere neceſſarium exiſtimans, ut, quòd malum hoc fere ſemper ab intemperie univerſæ maſſæ ſanguineæ dependet, medicamenta quædam præparentur, quibus toti corpori auxilium feratur. eſtque.

℞. Rad. conſolid. maj. oſmund. regalis Chinæ ſalſaparill. an. ℥. 1. cort. ligni Guajac. raſ. ℥. duas rhabarb. opt. drachm. ſex fol. ſennæ mund. drachm. decem caryophyllorum drachm. 1. cinnamom. drachm. duas.

Infuſa hor. viginti quat. in ſuff. quant. aq. hord, tepid. Coq. lento igne. & Expreſſioni libr. quatuor adde ſyrup. de ſymphyt. Fernel. ℥. quatuor. M. Fiat Apozema.

Sumat ejus æger ætatis adultæ uncias tres, quatuor, quinque. Leniter purgabit, curationem promovebit, & à novo morbo præſervabit. Quò etiam inſimul reſpexiſſe videtur Petr. de Marchettis, quando, inter illa medicamenta, topicæ curationi præmittanda decoctum ex China, ſalſaparilla, ligno Guajaco & hujuſmodi ſuadet: Cæterùm ab Authore adductis alexipharmacis addi poſſent tinctura antimonii vera, eſſentia pini, lycopodii, angelicæ, varia Bezoartica imprimis animale, nec non ſal viperarum mirum in modum & ferè unicè ad totius corporis curam viperas, & quæ ex iis parantur, medicamina, laudante Severino cap. 20. quod agit de Præſervatione.

(28) An, per hydragyrum Mercurium dulcem non contemnendum aliàs in Gallica potiſſimùm lue remedium, an verò Mercurialia unguenta, vel denique adhuc aliud ex Mercurio præparatum medicamen intelligat Author, non adeo planum eſt. Intelligat autem ſive hoc, ſive illud, ſive iſtud, utrinque tenenda, illa cautela, quam de aqua divina Fernelii eâ utentibus injunxit Joh. van Horne, Microtechn. Sect. 2. Part. 2. p. m. 236. eam nimirum cum judicio adhibendam eſſe; quæ certè cautela de omnibus Mercurialibus medicamentis ſubſumi & obſervari poteſt. Atque ut ne dubites, accipe, quid de iis moneat Clariſſimus Dom. Mœbius. Quemadmodum omnia, inquit loc. cit. in Praxi Medica cautè & circumſpectè ſunt agenda, ita imprimis in uſu horum Mercuria-

curia-

curialium providentiâ opus eſt, taliaque vix, niſi ab exercitatiſſimo tentanda. Laudat autem Idem ibid. cum Reſpondente ſuo D. Goſio in ſpecie illa Mercurialia, quæ πτυαλισμὸν ſive ſalivationem procurant, quòd hæc acre & acutum in maſſa ſanguinea efferveſcens ſerum, mediante peculiari Mercurii δυνάμει, commodiſſimè ſeparent, ad ductus ſalivales præcipitent, & evacuent, atque hoc modo cauſæ Ventoſitatis Spinæ non leve bellum indicant, quo conflictu ſæpe victoriam atque coronam cum laude deportet imperterritus in Arte verſatus Medicus. Quo ipſo præſidii genere puellam, hoc affectu noſtro detentam, menſibus licet apparentibus, nihil tamen melius inde habentem, per ſalivationem Mercuriali inunctione excitatam, & duodecim dierum ſpatio continuatam, feliciter reſtituit Rolfinkius Diſſertat. Anatomicarum *L.2. cap. 47. p. m. 423. Confer. Sennert. Prax. lib. 6. Part.4. cap. 21.*

De Medicamentis Topicis; & de Chirurgia ad Partem laborantem ſpectante.

Quoad ſpecialem, per topicam, Chirurgicamque curationem; ſi Ventoſitas Spinæ imminet, expurgato à ſuperfluitatibus corpore, veluti demonſtratum eſt, pars affecta roboranda, intemperies per ſua contraria tollenda, parſque ipſa rara, & nimis laxa adſtringenda, dolor auferendus, materiaque peccans evacuanda; ubi ante omnia probè notandum poſſibile à (1) pinguibus, oleaginoſiſque, cum ratione putredinis, (quippe quæ viſa maximè ad putredinem inclinant) tum ratione partis, caveamus, & horum loco (2) exſiccantibus utamur, cùm ipſa oſſium natura, quam reſpicimus, ſicca ſit. Ita enim Galen 7. Meth. 13. Prima, inquit, indicatio à laborantis partis temperie ſumitur, quæ calefaciendi, refrigerandi, ſiccandi, humectandi, vel aliquid horum conjunctè cum alio faciendi, menſuram præſcribit: ſecunda ex eo ſumitur, quod actio partis affectæ omnibus animalis partibus ſit communis, aut quod communem virtutem ſubminiſtret: tertia ab ipſa partis figura; & quarta denique ab ipſius ſitu, cujus portio cum vicinis animalis partibus copulatur, deſumitur. Tùm præter hæc dicta ipſa ſentiendi vel acrimonia, vel hebetudo; & quæ inde ſequuntur conſideranda.

(3) Roborantia tum calida, tum frigida ſunt; verbi gratiâ, inter calida, abſinthium, cupreſſus, ſalvia, roſmarinus, coſtus, juncus odoratus, laudanum, aloë, moſchus, myrrha, lentiſcus, & alumen rochæ. Inter frigida verò, roſa, myrthus, balauſtium, malicorium, galla, & ſimilia numerantur; ex quibus vel vino auſtero, vel aquâ chalybeatâ fomenta confici, & adhiberi poſſunt; quanquam non abſque judicio. Nam ſi raritas partis fuerit ſine intemperie, ex calidis, frigidiſque roborantibus ſimul temperatum medicamentum parandum: Si verò cum intemperie, & quidem frigidâ, conjuncta illa fuerit, calida; ſi cum calida intemperie, frigida roborantia in uſum vocanda. Et ſic raritas, intemperieſque inſimul tolletur: præterea oleum roſatum omphacinum, myrtinum, maſtichinum, & lentiſcinum, unguentum item de lithargyro, de ceruſſa, ſantalinum, & illud Comitiſſæ.

Si autem dolor non ſenſim, ſed cum impetu ſupervenit, & abſque tumore incipit, membrumque frangi ægrotanti videtur, tunc (ut de ſignis in genere diximus) materia aliqua ſub perioſteo continetur, niſi frigida fuerit intemperies; quæ ſi non acuta tenuiſſimaque fuerit, vaporem, ſeu materiam flatulentam doloris illius cauſam eſſe, cenſendum eſt, qui propterea per ablationem cauſæ tollendus; nempe, prædictum vaporem reſolvendo, qui cùm ſub perioſteo contineatur, & propterea medicamentum ad eum non ita facilè perveniat, propter ipſius perioſtei denſitatem, ideo medicamentum diſcutiens & omnium tenuiſſimum hic requiritur; ut eſt aqua ardens, quæ ab Italis dicitur, di tette cotte, vel oleum ſpicæ, Philoſophorum, & petroleum; quæ cum valdè calida ſint, & vaporabilia, cum illis aliquid permiſcendum, quod loco corrigentis atque adjuvantis inſerviat; ut multum, ſapa, ſuccus mali cydonii, vel folia ſonchi, quinquefolii, oleum myrtinum, ceruſſa, lithargyrium, & cera; vel utendum fotu anethi, chamomilli, & ſem. cumini, coriandri, fœniculi, & petroſelini, cum vino diluto parato; quæ omnia etiam pro frigida intemperie ſatis erunt commoda; excepto, ſi perſeveraverit dolor, ubi, ne inflammatio oriatur, recurrendum ad anodyna, & ea quidem in ſpecie, quæ tenuium ſunt partium; quia hæc omnem materiei ſpeciem reſpiciunt, evacuando ſcilicet, dirigendo, rarefaciendo, extenuando, concoquendo, atque æquabile reddendo, ſi qui, in partibus affectis, humores acres, lenti, craſſi, & copioſi, vel vaporoſi, craſſi, aut admodum frigidi ſpiritus exitum commodum non invenientes tenuibus ſpiramentis impacti hæſerint, & cõcluſi fuerint, Galenus 4. Simpl. 19. Nec præterea dicta hæc tenuia anodyna poros obturant, aut materiam includunt, veluti anodyna ſymmetra, ob ſuam viſciditatem, quorum natura ſimillima eſt cum eâ, quâ ſuppurantia prædita ſunt; hoc ſolùm notato, ut cum jam laudatis anodynis ea permiſceantur, quæ (4) os corruptionemque reſpiciunt; quibus utrique ſcopis unum idemque medicamentum, cùm uterque ſiccans expoſtulet, ſatisfacere poteſt; quale antimonium calcinatum eſt, quod ita calcinari ſolet.

℞. Antimonii lib. 1. ſulphuris lib. ſemis, Miſc. pulveriſentur, & indantur ollæ optimè luto ſapientiæ clauſæ, carbonibuſque accenſis circundatæ, donec dictum antimonium calcinatum fuerit, quod trium horarum ſpatio fiet. Vel permiſceatur cum ipſius (5) antimonii oleo, quod ſic paratur: Accipiatur videlicet dictum paratum antimonium, & pro quolibet ipſius libra ſumantur aceti ℥. quatuor.

Bulliant ſimul in olla ad aceti conſumtionem, deinde eximatur antimonium, & ponatur in vas vitreum retortum ad lambicandum, è quo oleum egredi videbitur, quod in hujuſmodi affectu, nec non in ulceribus malignis, ſerpentibus, cancroſis, & inflammatis admodum potens eſt.

Poſſumus etiam cum iis oleum ligni corni permiſcere: nimirum.

℞. Olei anethini, chamæmelin. ligni corni an. ℥. ſemis, pulveris prædicti drachm. 1. & cum ceræ q. ſ. Fiat Linimentum.

Vel

Vel: ♃. Olei de lumbricis, aut vulpini, aut communis antiqui unc. un. ligni corni, aut antimonii drachm. duas, Miſc.

Vel: ♃. Vini dulcis, vel ſapæ libr. un. ſucci graminis, quinque folii ana unc. tres, farinæ fabarum, hordei, milii, ana unc. duas, olei chamæmelin. anthin. de lumbric. ana unc. ſem. Miſc. Fiat Emplaſtrum ad ignem. Aut foveatur pars cum decocto florum chamæmeli, anthi, melilothi, roſarum, myrti, ſem. coriandri, fœniculi, lini, milii, & radic. peucedani cum vino diluto parato. Vinum enim roborat, & exſiccat; aqua verò tepida rarefacit, ac reſolvit. Et, ſi defenſivum applicari poteſt, applicetur.

Dolore autem non ceſſante, & naturâ ab illo irritatâ, licet non adſit plethora, tamen ſanguinem, & ſpiritus affluere: atque tumorem inflammatorium, nempe phlegmonem fieri neceſſe eſt; unde dolor augetur, ultraque fractionem, tenſio quoque, gravitas, & pulſus perſentitur, & hinc dolor tenſivus, gravativus atque pulſativus cauſatur, ita ut ibi ad dolorem & materiam ſimul reſpicere, neceſſarium Medici ſit munus. Ad quem dolorem, materiamque impactam, & parti affixam (6) ſupraposita medicamenta optima judicantur; quibus hoc ſolum addimus, ratione fervoris ſuccum lactucæ, plantaginis, vel ſempervivi, & ſimilium, cum illis permiſcere, operæ utique pretium eſſe: cujus loco & hoc uti poſſumus:

♃. Farinæ hordei, lentium, micæ panis, ana unc. duas plantagin. lactucæ, ana manipul. un. Miſc. & bulliant in aq. ſimpl. q. ſ. deinde contundantur, & addantur olei roſati, violati, chamæmelini, ana unc. un. Fiatque Emplaſtrum dolenti parti applicandum.

Notandumque hic, nunquam, præſente dolore, (7) reprimentibus puris eſſe utendum: ait enim Galenus 2. ad Glauc. 2. expreſſe ſiquidem non admodum partes dolent, talibus (nempe reprimentibus) utendum; magno autem dolore fluxu incidente, nequaquam reprimendum, quoniam reprimentia omnia adverſantur anodynis.

Multo minus in hujus modi caſu diſcutientia vera, ceu calida ſiccaque in tertio gradu, propter nimiam ſuam caliditatem, locum habent: imò dolore maximè urgente (derelictis cæteris omnibus) huic ſoli ſuccurrendum, & quidem non anodynis tantum veris; ſed etiam (8) narcoticis, ſeu ſtupefacientibus, ne vires nimium diſſolvantur, cum morte ipsâ patientis ſubſequente: quæ ſtupefacientia frigida ſunt in quarto gradu; quemadmodum eſt cicuta, mandragora, hyoſciamus, & opium, cum alio quodam medicamine, intenſam jam dictorum frigiditatem corrigente, & eorum penetrationem adjuvante permixta; ut eſt crocus, atque caſtoreum; ex quibus ſimplicibus narcotica fiunt compoſita; quorum aliud per os aſſumitur, aliudque exterius applicatur: quod per os aſſumitur, eſt Requies Nicolai, philonium Romanum, diaſpermaton, & pilulæ de cynogloſſa: quod autem exteriùs admovetur, ita parandum:

♃. Micæ panis in ſufficiente quantitate ſapæ decoct. unc. duas, opii ſcrupul. un. croc. darchm. ſemis, caſtorei grana quinque. Miſc.

Quamvis in complexionibus membriſque admodum debilibus hæc narcotica valdè ſint ſuſpecta, quippe quæ calidum innatum, jam ante debile exiſtens (prout ſunt ei contraria) magis adhuc corrumpunt: calorem enim nativum à frigore corrumpi, Ariſtoteles 3. Probl. 25. his verbis teſtatur, dum: corrumpitur, inquit, calor. aut marcore, aut extinctu; extinctu quidem à contrariis, hoc eſt frigido, atq; humido. At ſi dolor modicus, aut humor non attractus, ſed expulſus fuerit; tunc valentiùs repercutiendum, exſiccandumque, eſt; unde ſpongia in poſca, vel frigida, vel tepida, prout fuerit tempus anni, ægrotantiſque tolerantia, madefacta, atque expreſſa parti dolenti ſæpè admota juvabit: vel; madefiat ſpongia in vino rubro auſtero, in quo roſæ, balauſtia, atque chamæmeli flores bullierint; & applicetur. Uti præterea poſſumus emplaſtro ex farina hordeacea, vel fabacea, aut milii cum poſca, vel decoctione dicta confecto.

Aut ♃. Unguent. lithargyr. de ceruſſ. ſantalin. olei roſati, omphacini, ana unc. ſemis. Miſc. Pro Linimento.

Poſt repercuſſionem materia, quæ repercuſſioni non ceſſit, paulatim reſolvenda, hoc ferè reſolutivo pharmaco quo ad putredinem, partiſque temperiem ſimul reſpicitur:

℞. Cicerum rubr. florum chamomill. anethi, roſar. rubr. ana manipul. un. Miſc. & bulliant in vino tenui cum modico aceti, & decoctio cum ſpongia uſurpetur.

℞. Farinæ fabar. hordei, cicerum ana unc. duas Miſc. & bulliant in aqua mulſa, vel vino mulſo: & Fiat Emplaſtrum.

Vel: ♃. Farinæ orobi, lentium, fabarum, ſemin. lini, fœnigræci ana unc. un. Miſc. & bulliant in oxymelite: & Fiat ut ſupra.

Vel: ♃. Diachyli magni cum gummis unc. duas, antimonii, ſupra dicti calcinati drachm. duas camphoræ drachm. ſemis; Miſc. ac incorporentur. Vel, loco antimonii ſumatur marcheſita, vel ariſtolochia, cum primo tamen cerato cum aceto malaxata. Eritque loco hujus conveniens quoque ceratum è marcheſita, ſacrum, oxycroceum, & illud de tabaco, faciendo ut ſupra. Convenit quin ſpongia in aqua maris, vel in lixivio cum modico aceti madefactâ, & expreſſa.

At ſi materia reſolvi nequit, ſed ſuppuratur, vel corrumpitur, tunc de oſſis corruptione timendum, quâ non obſtante nihilominus ad ſuppurandam materiam dictam natura adjuvanda eſt; licet (9) ſuppuratio poſt corruptionem in caſu noſtro peſſima alias exiſtimanda, quia reſolutione exſiccationeque, & non materiæ retentione, ac humiditate indigemus; deinde quia, humore in pus ſe vertente dolor fit, ut inquit Hippocrates Aphoriſmo 47. Sect. qui à tenſione, & calore procedit, ut Galenus in Commentario ad prædictum Aphoriſmum oſtendit; hincque ipſe primo omnium (veluti ipſe jubet 2. ad Glaucon. 7.) tollendus, vel ſaltem leniendus eſt; quo lenito (cùm maximè adverſetur naturæ) natura ipſa validior fit, materiamque concoquit; quando alias ſi ab extraneo nativus calor ſuperatus eſſet (quorum auxilium in ſuppuratione neceſſarium eſt) non concoctio, ſed corruptio fieret. Lenietur autem dolor iſte ten-

ſionem fervoremque removendo; quibus non ſufficientibus, ad anodyna tandem deveniendum cenſemus, quæ ad omnem intemperiem accommodata erunt, nimirum ad decoctum florum chamæmeli, meliloti, anethi, violarum & paſſularum: aut ad emplaſtrum cum lacte, vel mulierum vel brutorum, & farinâ hordeaceâ, oleo roſato, chamæmelino, atque vitellis ovorum paratum: aut

℞. Olei roſati complet. chamæmelini, an. unc. iii. farin. hordei flor. chamomill. ana unc. tres. Miſc. & cum ſapæ q. ſ. Fiat Emplaſtrum ad ignem, partique applicetur.

Relaxantia, quæ a Galeno, 7. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera chalaſtica nuncupantur, ſunt butyrum, oleum commune, amygdalarum dulcium, adeps ſuillus & gallinaceus; ſed quæ antiqua eſſe debent; recentia enim anodyna ſymmetra ſunt, atque ſuppurantia.

Dolore lenito, parteque laxatâ, ſuppurantia applicare congruum eſt, quorum formulæ antequam tradantur, primò eorum natura tradenda, & prius quam tradatur natura, perpendamus quod Galenus 5. ſimplicium 6. habet, nimirum quot alterationes in corpore animalis ſint, quid ſint, & quomodo fiant? quæ quidem alterationes tres ſunt, quarum prima eſt ſecundum naturam, ſecunda præter naturam; tertia & ultima utraque eſt & mixta. Prima ab ingenito calore in materia animanti familliari fit: ſecunda ab aliena caliditate provenit & ad nihil utile eſt; tertia fit quidem ab ingenito calore, ſed non planè vincente, & in materia peragitur, quæ prorſus benigna non eſt, neque tamen omni ex parte aliena. Sed quemadmodum naturales alterationes, quæ ab innato proveniunt calore, à ſimili extrinſecus juvantur; pari modo & quæ in movendo pure conſpicitur. Nam ventriculum imbecillem habentes, ut adjuvent calorem nativum ejusq; ſubſtantiam, pueros, catellosque ſibi imponunt, quorum quippe calor æquè calidus, & humidus, ac calor noſter temperatus exiſtit: ita ſuppurans familiaritatem nobiſcum habere debet; ita ut neque caliditate, neque humiditate complexionem noſtram exſuperet. At, quia hominum naturæ inter ſe differunt (Galenus ut ſupra) ſuppurantia quoque differre debent. Natura enim calidior calidius expoſtulat pharmacum; frigidior minus calidum. Et non ſolum temperamentum totius reſpiciendum, ſed etiam partes laborantes, veluti Galenus docet libr. de Oculis, dicens: Maturantia neceſſe eſt calorem habeant quantus membro curando neceſſarius eſt, ne imminuant, vel augeant ſuam naturalem humiditatem; ita ut quilibet homo, & qualibet pars ſuo proprio, atque determinato indigeat ſuppurante. Et præterea cum calor vel calidum (nam quando dicitur calor, de qualitate intelligi poteſt: at quando dicitur (10) calidum, de ſubſtantia intelligitur) ſubſtantia ſit tenuis, atque vaporabilis, & facilè exhalare poſſit, prædicta ſuppurantia poros etiam obſtruent, quoniam inquit Galenus 5. ſimplicium, 9. ſi quicquam concoquere conſilium eſt, quamplurimum, meo judicio, ſpiritus ſervari intus oportet Spiritu enim exhalante, debilitatem partis ſequi neceſſe eſt; unde concoctio fieri non poteſt. Denique & materia reſpicienda: quoniam in calidiori materia ſuppurantia frigidiora; in fridiori, calidiora adminiſtranda. Suppurans ergo erit farina hordeacea, aut triticea, aut panis ejus cum hydræleo, unguentum tetrapharmacum, ſeu baſilicum, vel emplaſtrum factum è malvarum & violarum foliis, farina triticea, vel hordeacea, butyro, & croco, quibus addi poſſunt radices althææ, paſſulæ, & caricæ, dummodo non fuerit intenſè calida: vel parandum emplaſtrum cum farina triticea, hydræleo & croco.

Factâ ſuppuratione (quod cognoſcitur ceſſantibus, vel ſaltem remittentibus ſymptomatis, duritie videlicet tenſione, pulſatione, calore, dolore, & tandem febre quæ omnia in puris generatione concurrunt, ut Hippocrates, loco ſupra citato, & Avicenn. Fen. 3. text. 3 cap, 21. itemque lenitate quadam præſente, nec non mollitie, ſub digitis inundatione, aliquâ parte cæteris eminentiori, inque mucronem ſubducta, & tabeſcente) tunc diſcuſſio materiæ non expectanda, veluti in multis caſibus facere conſuevimus, & Galenum facere videmus 13. Meth. 5. qui confecto pure (antequam ad apertionem abſceſſus veniat) materiæ diſcuſſionem tentat, dicens: ſi pus aliquod notabile in ſuppurante parte eſt contentum, non expedit, (quod nonnulli faciunt) protinus incidere, ſed potius exhalationem moliri medicamentis valentibus, quorum uſus experientiâ comprobatus eſt. Non expectanda, inquam, diſcuſſio, quia, ſi tunc os nondum corruptum eſſet, inde demum corrumperetur: humiditate enim extraneâ prope os commorante, os ipſum facile corrumpitur; ſed (11) ſtatim apoſtema per longitudinem aperiendum, & eo quidem loco, ubi editiſſimum eſt; puſque extrahendum.

Quod ſi autem, immiſſo ſpecillo, os perſentitur corruptum, (12) foramen quantum poſſibile dilatandum, ut totum vitiatum pateſiat, id quod, ſi (12) ferro, vel medicamento cauſtico, aut putrefaciente, propter aliquod impedimentum fieri non poteſt, verbi gratiâ propter arterias, nervos, & tendines præſentes (12) ſpongiæ, vel gentianæ turundis dilatatio fiat, tuncque totum vitiatum os (13) vel lima tollatur (14) vel candenti ferro; ſi, ob foraminis anguſtiam abradi non poteſt, & corruptio oſſis vel nimia, vel à materia virulenta & abundante potius humiditate, quam ab acredine orta deprehendatur.

At ſi Chirurgus manu non eſt adeo expeditus, per foramen oleum chalcanthi, vel ſulphuris, vel aquam fortem, qua aurum ab argento dividitur per aliquot vices intromittat, continuòque turundâ in oleo antimonii, aut ligni corni, aut (15.) in melle roſato cum aqua vitæ & pulvere antimonii, plumbi uſti, ireos, & peucedani permixto intinctâ utatur, addendo, ad temperandum aquæ vitæ & aliorum calorem parum aquæ plantaginis, vel graminis & farinæ hordei; quia in morbis iſtis ſemper reperitur aliqua inflammatio: præterea aſſiduè fiet lotio cum vino in quo decoctæ ſint roſæ hordeum, radix ireos, & lupini cum cortice ligni ſancti, ut ulcus à ſanie expurgetur ſimul ac exſiccetur,

tur ſimul ac exſiccetur, proindeque natura valentior ad ſeparandum malum a bono inſurgat: Et ut humiditas ex ulcere jugiter evocetur; aliquod ex ſupra poſitis ceratis applicetur: & tunc vitiato oſſe deſquamato, mitiora ſiccantia valebunt.

Si autem os non conſpiciatur, tunc poteſt eſſe corruptum, & læſum (16) vel minimè læſum: ſi fuerit læſum, tunc tumor, inflammatio quodammodò obſcura, dolor, & utplurimum copioſa, fœtenſque ſanies præſentes erunt; quare videndum, ubi caro magis ſit mollis, inflammata, & violacea: ibi enim os vitiatum eſſe colligitur, niſi ea contigerint ob partem tumoris decliviorem, ad quam natura ſemper majorem materiæ partem transmittere ſolet, quæ ibi putreſcens, quandam acutiem, nitroſitatemque (ut dicebatur) acquirit, & ob quam acutiem, partes erodendo, ad exitum parat ſibi viam, à natura expellente adjuta; atque tunc ſi abſque tendinum, nervorum, venarum, & arteriarum læſione fieri poteſt, aperiendus eſt locus, dilatandus, procedendumque, ut ſupra. Oſſe autem non laborante melius ſe res habebunt, & abſque multo abſceſſus ſanabitur labore, concoquentibus primò abhibitis, quæ conficiuntur è vitellis ovorum cum oleo roſato: vel cum oleo roſato, terebinthin, & cera: aut cum terebinthin. vitellis ovorum & croco, prout materia calidior, dolor, nec non complexio expoſtulaverit: deinde medicamentis à ſordibus quæ detergunt & rhyptica à Græcis nuncupantur, applicatis, Galen. 5. ſimplicium 17. quorum quædam dulcia, quædam amara ſunt tenuiumque partium, ut craſſitiem illam, quam ſordes habent, attenuare valeant; veluti mel, mulſa, mel roſatum, Syrup. roſatus, ſuccus apii, ſaccharum, terebinthina, ſarcocolla, radic. ireos, farina ervi, fabarum, hordei, lupini, & alia ſimilia, quæ in materia calida ſic componi poſſunt.

℞. Terebinthin. claræ unc. un. ſyrup. roſat. unc. ſemis farinæ hordei drachm. un. vitellum unius ovi Miſc. vel loco ſyrupi addatur mel roſatum nec non ſuccus apii, una reſpiciendo ad materiam peccantem, ad naturam ægrotantis, & ad ſenſum partis. Quemadmodum enim materia viſcidior, craſſiorque, naturaque robuſtior & non adeo exquiſitus ſenſus, validius requirunt detergens; ita contra, tenuior materia, natura debilior, ſenſuſque exquiſitus, mitius expoſtulant detergens.

Si in abſceſſu ſinus magnus reperitur, & detergentia craſſa ad os undique pervenire non poſſunt, liquida per ſiphonem intromittenda ſunt, craſſis tamen in orificio adhibitis cum turunda: ut:

℞. Decoct. hordei non expoliati libr. un. mellis roſat. unc. tres Miſc. & utere pro Lotione.

Aut: ℞. Lixivii Barbitonſoris libr. un. mellis roſat. unc. tres ſucci apii unc. quatuor ſarcocollæ unc. ſemis: Miſc.

Deterſione factâ, (quæ ex carnis rubedine cognoſcitur) ulcus carne explendum eſt; ad quam carnis generationem duæ neceſſariò concurrere debent cauſæ. Galen. 3. Meth. cap. 3. materialis una, efficienſque altera: materialis eſt ſanguis; qui quidem ſanguis (ut caro ipſa regeneranda, cum ſubjecta carne ejuſdem ſpeciei) neceſſariò ſine ullo eſſe debet peccato, ut videlicet neque qualitate, neque quantitate, neque ſubſtantia peccet. Cauſa efficiens eſt temperamentum partis, quod, ſi naturale fuerit benè eſt; ſin minus, ad ſtatum ipſum naturalem reducendum, vitium præternaturale removendo. Et ſicut duplex excrementum omnem qualitatis alimenti ſequitur mutationem, ita in novæ carnis generatione duo conſpiciuntur excrementa, unum tenue, alterum verò craſſum, Gal. loco citato: cumque excrementa dicta à natura excerni non poſſint, quemadmodum illa quæ per urinam, alvum, ſudorem, & inſenſibilem tranſpirationem excernuntur, hinc natura ipſa indiget miniſtro, qui medicamentorũ ope tenue (ichor vocatum) exſiccet, & craſſũ (ſordes nuncupatum) detergat: quare tale medicamentum duplicem poſſidebit facultatem, exſiccantem ſcilicet & detergentem, quod, ſarcoticum à Galeno, ut ſupra dictum, vocatur debetque (ut humani corporis temperies incolumis ſervetur) cum modicè exſiccare, tum modicè detergere. Primi ordinis medicamenta vide apud Galenum ibidem & ſic quoad activas qualitates; at ſi aliqua fuerit intemperies contracta, ea primò tollatur, quia alias ulcus nunquam impleretur carne, neque ad cicatricem perduci poſſet. Galen. 3. Meth. 8. Quia verò non uni tantùm medemur naturæ, & ex Celſo ſcriptum habetur, non oportere ignorare quod non omnibus ægris una eademque auxilia conveniant, propterea in ſiccantibus primi gradus non ſemper ſtandum, quin potius gradus iſte primus (cum tres habeat manſiones) perſcrutandus eſt: nam alia natura humidior exiſtit, à qua minor exſiccatio indicatur, & ſiccior alia, quæ validiorem exſiccationem indicat: ſic viciſſim partis laborantis natura (ut jam diximus) conſideranda, nec non forma, qualitas ulceris, & tempus anni: ulcus enim magis profundum magis exſiccandum, quoniam copioſiores ibi generantur humiditates quam in ſuperficiali. Tempore hyemali, calidius, quam æſtivo applicandum medicamen. Simplicia ſarcotica ſunt thus, reſina abietina, laricina, terebinthina, gummi, lithargyrium, minium, plumbum uſtum, & lotum: compoſita ſunt unguentum de minio, de lithargyrio plumbo, iſis: atque hæc in ſiccioribus naturis, in cæteris verò epulotica, nempe cicatriſantia locum habent: habemus præterea unguentum (17) reſinum baſilicum, (18) matriſylvæ, oleum hyperici, ceratum barbarum, & diapalmæ: In caſu noſtro ſummoperè unguentum reſinum cum unguento de minio permixtum valebit, itemque mel roſatum, cum terebinthina, & thure, quibus turunda illinatur; & ſuper ulceris os, ceratum barbarum, aut diapalmæ applicetur.

Si dolor ab acuta vel ſalſa materia procreabitur, ſive is frangitivus, ſive alterius ſpeciei ſit, tunc pro ejus ſedatione ita procedendum eſt, ut cauſa doloris auferatur, velut indigitavimus, reſolvendo nimirum, exſiccando, & partem roborando, quibus ſcopis ſupra poſita medicamenta ſatis facient: quemadmodum etiam ſi à materia ex ipſo oſſe ſcatente dolor oriatur; quibus tamen jam dictis medicamentis ea præterea addere poſſumus, quæ aliquam (19) reconditam reſpiciunt qualitatem, quæ ſæ-

pe numero cum morbo noſtro conjungitur; ut

♃. Hordei, lentium, fabarum ana manipul. un. pomorum granator. acidor. numer. duo ſonchi, plantagin. quinque folii ana manipul. ſemis Miſc. & bulliant in vino rubro quouſque omnia decocta fuerint, hac tamen cautione, ut legumina ſejunctim decoquantur, poſt omnia triturentur, contundantur & cum pauca quantitate olei myrtini, & anethini tantilloque croci, & camphoræ in formam emplaſtri redigantur: aut excipiatur decoctum ſpongiâ, & ſuper partem factâ prius fomentatione expreſſa ligetur: vel

℞. Sonchi, plantagin. quinque folii, flor. chamomill. vel herb. anethi, vel parietariæ ana manipul. un. Miſc. contundantur, fiatque Emplaſtrum parti affectæ applicandum.

Optima etiam erit creta in oleo roſato, myritino, aqua ardente, oleo petroleo, vel ſpicæ cum pauco aceti, diſſoluta, qua membrum affectum illinatur craſſo modo, illitaque per 24. horas permaneat, iterando iſtud remedium quotieſcunque opus fuerit.

Si materia frigida tenuiſque fuerit, ſpongiis, in aqua ſalſa, lixivio, vel aqua ardente madefactis, modo ſupradicto, exſiccabitur: At ſi reſolutionem renuat aut ob multitudinem materiæ aut ob partis imbecillitatem, ſeu aliud vitium; incidatur, & curetur abſceſſus modo jam dicto, concoquendo nimirum, detergendo, incarnando, & agglutinando, ſi cavitas ingens, humiditates prius exſiccatæ, ſordeſque deterſæ, ac expurgatæ fuerint, cùm agglutinantia ceu auſtera, & adſtringentia, (Galen. 3. Meth. cap. 6) alias non conveniant; quæ agglutinantia ſic parari poſſunt.

♃. Roſarum, balauſtiorum, abſinthii, fol. myrti, ana manipul. un. nucum cupreſſ. numero decem, aluminis Rochæ, unc. un. Miſc. & bulliant in vino rubro auſtero, & uſurpetur intus cum ſiphone, & extra cum ſpongia, ſed expreſſa, & faſciis decenter circumligata, ut fluentes humiditates per faſcias exprimantur, & vi ſpongiæ exſiccentur: quo facto os ulceris cute tegendum: ſed quia cutis pars eſt ſeminalis, & pars ſeminalis ſemel deperdita amplius non creſcit juxta Hippocratis ſententiam 6. Aphoriſm. 19. natura adjuvanda eſt, ut aliquid cuti ſimile regeneret, nimirum (20) cicatricem, quæ à carne admodum exſicata oritur: ita enim Galenus 3. Meth 5. materia, inquit, carnis eſt ſanguis, & cutis, cicatricis autem itidem quidem caro eſt, ſed exſiccata admodum: epuloticum ergo non ſolum, ſuperfluum quod affluit, exſiccare; verum etiam humorem, qui in ipſa continetur carne, conſumere debet: & Simplic. cap. 16. idem ait Galenus: in planis ulceribus ad cicatricem ducendis id eſt conſilium, ut caro alteretur fiatque cutis; id quod perficitur per ea, quæ carnem contrahere, conſtringere, conſtipare, denſare, & calli inſtar ſiccare valent; ita ut cutis veluti in callum durata ſit caro: quare epulotica iſta ſicca ſunt in tertio gradu, & admodum adſtringentia, partim, ut ſiccitate ſua humidum abſumant, partim ut conſtrictione præcaveant, ne ſanguis copioſius affluat; quod ipſum inter alia præſtant, aloës cortex, thuris, pini, ligni ſancti, tutia, plumbum uſtum, ſumach, bolus Armena, balauſtium, ſpodium, ceruſſa, & ferè innumerabilia: compoſita ſunt unguentum de minio, de ceruſſa, tutia, plumbo, iis, ceratumque diapalmæ. Advertendum autem, quod in ſiccioribus naturis ſarcotica, in humidioribus verò epulotica, ut ſupra diximus, magis conveniant.

Oriente autem Malo à frigida, craſſa, & viſcida pituita, ut plerunque obſervavi, repercutientibus non utendum, quia materia ipſa reprimentibus non cedit, ſed adhuc craſſior evadit, magiſque parti affigitur, & prorſus incurabilis redditur, verum ipſa materia per affectam partem evacuanda eſt eam emolliendo, incidendo, & reſolvendo ſubſequentibus fere medicamentis, nimirum:

♃. Cerati diachyl magni, œſipi philagrii, ana unc. duas mucilagin. ſemin. althææ, caricar. ſucci ireos, ana unc. un. Miſc. & bulliant uſque ad mucilaginum, & ſucci conſumtionem; deinde addatur terebinthinæ claræ uncia ſemis, ceræ, q. ſ. ad conficiendum ceratum: aliud:

♃. Galbani, ſerupini, opopanacis, ammoniaci, ana unc. ſemis, ſucci ireos, bryoniæ aceti ſcillitici, ana unc. unam Miſc. & bulliant lento igne, quouſque gummata fuerint diſſoluta, & ſucci conſumti; poſt addatur olei liliorum alborum, terebinthinæ, ceræ, ana uncia ſemis, iterum parum bulliant, & in fine addantur pulveris ireos drachmæ duæ: Aliud:

♃. Farinæ ſemin lini, fœnigræci, hordei ana unc. duas pulver. flor. chamæmeli, meliloti, ana unc. unam. Miſc. & bulliant in oxymelite q. ſ. ad conficiendum emplaſtrum; in fine addendo, olei liliorum alborum, pinguedinis anatis, ana drachmas ſex; & Fiat Emplaſtrum: aliud ſummoperè valens.

♃. Flor. chamomill. aneth. melilot. herb. parietariæ, ana manipul. un. rad. althææ, ebuli, ana libr. unam, ſem. lini, fœnigræci, ana unc. duas Miſc. & bulliant in aqua mulſa, quouſque omnia decocta fuerint; quibus adde olei communis libram ſemis, quæ decoctio pro fomento ita inſerviat, ut in illa ſpongia madefacta & expreſſa, ſuper partem laborantem continuè detineatur; hac tamen cautela, ut in fine morbi prædictum fomentum ſine oleis adhibeatur, & vel ſpongia cum aqua ſalina, lixivio, & præſertim cum nitro, & pauco aceti, vel ceratum è marcheſita, vel diachylon magnum cum pulvere ariſtolochiæ, & ireos, adminiſtretur. Soleo autem & parare ſtillatitium oleum hunc in modum.

♃. Terebinthinæ, reſinæ pini, ceræ citrin. maſtichis, ana unc. quatuor, ligni ſancti raſpati unc. duas Miſc. & in vaſe vitreo lutato lento igne deſtilla; quod oleum ad roborandos articulos, & materiam reſolvendam ſummoperè conducit.

Si tandem à materia maligna ſubortus fuerit dolor, illa diſcutienda exſiccandaque eſt: cujus particularia diſcutientia prætereo, quia ſuperiùs poſita hic accommodari poſſunt; modo cum his aliquod alexipharmacum permiſceatur,

ceatur, ut eſt theriaca, bolus Armena, cepæ, & allia ſub prunis decocta, dictamnus, item gentiana, quinquefolium, ruta, ſcordium, terra Lemnia, chamædris, atque Mercurius in morbo Gallico. Et ſi ad ſuppurationem tendit tumor, ſuppuretur, & procedatur eodem, quo ſupradictum, modo. At ſi à deleteria qualitate calor, temperamentumque partis penitus corrumpuntur, ad ferrum ignemque deveniendum, aut ſaltem ad mox dicenda ſequentia medicamenta, ſi ſufficientia videbuntur, etſi his quamvis partem carnoſam cum aliqua oſſis corrupti portione tollere poſſimus, morbum tamen perfectè curare nequeamus, quia à corruptione major pars oſſis obſeſſa eſt; quo in caſu, (12) totum membrum læſum, ſerrâ à ſano reſecandum, (22) pars ſana relicta exurenda, partim ut roboretur, partim ut ſanguinis fluxus tollatur, partim ut, ſi aliquid maligni remanſerit, deſtruatur. Et quia, ubi os corruptum eſt, plura ſolent ulcuſcula cum carne mala ſqualida, & fœtente oriri, ideo caro illa tollenda, vel (23) cathæretico aliquo, quale eſt dyphtiges, flos æris, æs uſtum, alumen Rochæ, hermodactylus, aſphodelus, Mercurius præcipitatus, unguentum Apoſtolorum Ægyptiacum, atque, aqua fortis; qua fini etiam (24) filamenta à Fallopio parantur hoc modo.

℞. Filamentor. unciam unam, Aquæ roſar. plantagin. ſolani, an. unc. quatuor, Opii ſcrupul. unum, medullæ panis unc. duas, Argenti ſublimat. ſcrup. quatuor. Miſc. bulliant ad medietatis conſumption. Deinde extrahe, exprime atque utere.

Quibus jam dictis medicamentis putrefacientia ſubſtitui poſſunt, ut (25) trochiſci de Minio, Johannis de Vigo; aut ſublimatum pluries aquâ roſarum, & plantaginis lotum, iterumque exſiccatum; aut idem jam dictum ſublimatum cum Aquâ roſarum & tragacantho exceptum, inque formam teretem redactum; aut idem ſublimatum infuſum in Aqua roſarum & ſucco apii, inque phiala per quadraginta dies, & quidem ipſos caniculares, retentum ſæpe agitatum, tandemque exſiccatum & uſui ſervatum.

Atque hoc ſublimatum illud eſt medicamentum, quod Scrophularii pro maximo ſecreto, neminique revelando habent, quod tamen nos, qui ejus uſum propria experientiâ & tandem cujuſdam relatione, in ſtrumis, cancris, carbunculis, & cæteris hujus generis morbis, ſæpe feliciter, cum tantillo opii permixtum, experti ſumus, reticere noluimus: quod etiam ad dilatandum ulcus uſque ad os, optimum eſt; deinde verò demum os ipſum, vel inſtrumento raſorio, vel ferro candente (ut jam diximus) tollendum, ſi poteſt; ſin minus, & jam allegatis remediis ob aliquam cauſam tolli nequit, ea applicanda pharmaca, quæ maximam vim exſiccandi habent, ut eſt, oleum de chalcantho, & cætera ſupra enarrata, deſuperque ceratum aliquod è ſupradictis ducendum. Sed ſi materia adeo acris, & acuta fuerit, ut inde ulcera fiant ſerpentia, loco ceratorum dictorum ſubſtituatur Unguentum de ſtercore canis, quod ita paratur.

℞. Stercor. canis oſſa comedentis exſiccati & pulveriſati drachm. ſex, plumbi uſti, Tutiæ præpar. an. unc. ſemis, lithargyrii, Ceruſſæ, an. drachm. duas, lactis caprin. libr. duas, farinæ lentium unc. quatuor. Antequam vero unguentum hoc componatur, ſic omnia ſunt diſponenda: primo multa ferramenta extinguantur in lacte; deinde farina & ſtercus cum lacte miſceantur, & coquantur ad ſpiſſitudinem uſque, poſt adde olei roſati, myrtini ana unciam unam ſemis, ceræ albæ q. ſ. iterum coquantur omnia, donec cera liquefacta fuerit; ultimò mineralia adjiciantur, & ſtatim auferatur ab igne tota maſſa, ac ducatur ſimul, donec unguentum fiat, quod Johannes de Vigo Copiol. Libr. 7. de Natura Simplic. ferè ſub fin. p. m. 624. habet. Fiat etiam lotio cum decocto è roſis hordeo, balauſtiis, & plantagine parato & cum vino diluto.

Si poſt ulcerum ſanationem, & materiæ diſcuſſionem, exſiccationemque aliqua remanſerit durities, veluti quàm ſæpiſſimè accidere ſolet, quia, dum oſſis timemus corruptionem, magis diſcutimus, & exſiccamus, quàm emollimus; eò quòd melius eſt ægrotantem cum aliqua duritie in parte vivere, quàm eum laborare magnis apoſtematibus, fœtoribus, febribus, & tandem mori; emollientibus (ſublato oſſis corruptionis metu) utendum, facto tamen ſemper fomento cum lapide pyrite ignito & in aceto extincto, quod, licet exſiccet, reſpicit tamen ſimul naturam partis, facitque, ut emollientia malactica à Galeno 5. Simplicium & 7. de Compoſitione medicamentorum ſecund. genera cap. 1. appellata, penetrent, hincque ipſam materiam craſſam & viſcidam attenuat ac incidit, & à Galeno 2. ad Glauconem, in duritie ligamentorum, tendinumque laudatur.

Ne verò ea malactica abſque ratione adminiſtremus; cùm durities multiplex ſit, non erit inconveniens, imò neceſſarium, declarare, quid ſit durum, quot modis fiat, nec non quænam differentia inter durum, & tenſum intercedat. Quoad primum; dura dicuntur illa, quibus caro noſtra cedit Galen. 5. ſimpl. 4. & 3. de Pulſibus, ſicque durum, vel per exſiccationem, vel per concretionem, vel ex nimia repletione, vel ex permiſtis cauſis; quamvis durum tertio modo acceptum, impropriè durum dicatur, denſumque potius appellandum ſit. Durum enim propriè dictum illud eſt, cui caro noſtra, ut diximus, cedit; denſitas autem nihil aliud eſt quàm tranſponentis, & tranſpoſiti æqualis actio, verbi gratia, ſi ponitur tranſponens, nempe digitus ſuper denſitatem, digitus denſitatem tranſponit; deinde tranſpoſitum, (denſitas ſcilicet,) tranſponens tranſponit, & ſic ſucceſſivè fit, indicatque laxantia, & emollientia, propterea, cùm non una ſit induratorum natura, neque una eorum debet eſſe medela. Nam quod à ſiccitate induratum eſt, humectari; quod à congelatione, excalefieri; quod à repletione, inaniri; quod autem à permiſtis inter ſe cauſis, hiſce medicamentis permixtis curari debet. Stantibus ergo his, duritiei per congelationem ortæ propriè dicta malactica conveniunt, & quidem malactica calida, ut frigori, ſeu congelationi contrarientur. Ita namque Averroes 5. Collig. quod per congelationem, *inquit*, induratum

eſt, calefactionem requirit. Quicquid enim congelatum eſt frigore, liquatur à calido, ſiquidem liquari poteſt. Et cùm in congelatione dicta, ſeu in eo, quod congelatum eſt, humor ſit, & humor abſumi debeat, quia præter naturam ibi reperitur, idcircò prædicta malactica, ultra caliditatem ſiccitatem quoque poſſident. Et quia potenter calefacientia ſubtiliores partes reſolvunt, cæteraſque in afflicto membro relinquendo, morbum reddunt curatu difficillimum, & vehementer exſiccantia ſuâ naturâ ad ſummam duritiem humorem parti impactum adigunt, ideo illa malactica, neque caliditate, neque ſiccitate excedant; ſed ſufficit, ea in ſecundo, vel tertio calida, & in primo gradu ſicca eſſe. Galen. 5. Simpl. 9. Averroes loco citato, Avicenn. lib. 4. Fen. 3. cap. de Apoſtematibus duris Paulus 4. 38. & alii. Ad duritiem à reſolventibus, vehementerque ſiccantibus ortam, hæc valebit fomentatio (adhibito tamen ſemper prius fomento, vel ex aceto, vel ex mulſo, cum lapide pyrite, ut diximus) quæ talis eſt:

♃. Radic. althææ inciſ. libr. unam, folior. malvæ, manip. duos, flor. chamæmel. melilot an. manip. unum, ſem. lini, fœnigræc. an. unc. quatuor. Miſc. & bulliant in aqua cum capite & pedibus vervecis, quouſque caro optimè cocta fuerit, & adhibeatur embrocando & fomentando duritiem; Cum quâ ipſa aqua decoctâ emplaſtrum etiam ſic formare poſſumus.

♃. Farin. ſem. lini, fœnigræc. an. unc. tres, radic. althææ inciſar. & contuſar. libr. ſemis; Miſc. & cum prædictæ decoctionis, ſ. q. F. Emplaſtrum ad ignem addendo pinguedin. gallin. anatis, medull. vitulin. ol. lilior. albor, an unc. unam: quo facto, ſervetur ad uſum. Luta etiam Patavina ſummopere proſunt, & præ omnibus proficiunt. Facta autem per congelationem duritie, ut in materia calida propter nimia repercutientia adhibita, atque in ſcirrho, tam à pituita craſſa, & lenta, quam à melancholia procreato contingit, utile erit ceratum diachylon magnum cum gummis; vel unguentum de althæa cum iiſdem gummis compoſitum, vel ſequens, quod

♃. Bdellii, Ammoniac. Galban. Mucilagin. ſem. lini, althææ, caricar. an. unc. unam, Miſc. & cum ol. ſem. lini, vel lilior. albor. q. ſ. Fiat Cataplaſma. Vel hoc, quod

♃. Cerati magni prædicti, œſipi Galen. Emplaſtr. melilot. an. unc. duas, cæparum, medull. crur. vitul. pinguedinis gallin. an. unc. unam: Miſc. & cum Ceræ q. ſ. Fiat ad ignem molle Ceratum. Quibus jungantur & quædam eorum medicamentorum, quæ in curatione materiæ pituitoſæ idonea eſſe dicta ſunt. Juvat præterea (pro omni intentione) animalium calor, quia calidum innatum ſuſcitat, atque reſtaurat; hincque jubemus, ut ægrotantes in calidis brutorum ventribus, læſa ſua membra aliquandiu detineant. Habemus præterea in agro Neapolitano Puteolis balnea, quæ omnes durities emolliunt, præſertim (quod miraculi inſtar eſt) callos, in fracturis, malè reſtauratos unius horæ ſpatio, ſi verum eſt, quod mihi à quodam Religioſo relatum eſt, ita emolliunt, ut inde, & calli, & oſſa, plicabilia, ſicut puerorum oſſa, reddantur.

Annotationes ad Caput de Medicamentis Topicis & de Chirurgia ad partem laborantem ſpectante.

(1) Pinguia atque oleoſa oſſibus noxia eſſe, pervulgatum eſt, ſciuntque illi etiam, qui vel è limine ſaltem Chirurgiam ſalutarunt. Id teſtatur Celeberrimus Ambroſ. Paræus, qui lib. 18. cap. 26. pinguia hæc atque oleoſa inter cariei & oſſium putredinis cauſas refert. Oſſium enim, inquit, putredinem iſtam auget nimius oleorum & pinguium medicamentorum uſus. Teſtatur inſuper adhuc clariùs Paul. de Barbette, Exercitatiſſimus Chirurgus. Notandum, (ſic habent ejus verba Chirurg. Anatom. Part. 3. cap. 3. pag. m. 22.) oſſa medicamenta pinguia, oleoſaque perferre non poſſe, niſi vel ſummè exſiccantia ſint, vel ope deſtillationis omnem pinguedinem amiſerint. Teſtantur denique fortaſſis & alii; ſed quos, ne longius abeamus, huc trahere nolumus.

(2) In his, & ſimilibus corruptoriis oſſium abſceſſibus exſiccatione cumprimis opus eſſe, & quidem non ſolùm ratione ulceris, verùm etiam ratione corrupti oſſis eleganti Galeni confirmamus teſtimonio, quando in Commentar. 6. Aph. 45. exſiccari, inquit, omnia ulcera poſtulant, præcipuè verò ea, in quibus os affectum eſt. Finis verò ſiccandi eſſe debet, ſi pars ejus affecta abſceſſerit.

(3) Non poſſum, quin ſequens Joh. Vigonis, quod ipſe Practic. lib. 9. cap. 4. valdè ad affectæ partis roborationem deprædicat, huc tranſcribam:

♃. Hord. mund. lentium, roſarum, fabarum an. Manipul. ſemis, pomorum granatorum cum corticibus numero duo: Bulliant omnia ſimul cum aqua dulci uſque ad hordei crepaturam: deinde piſtentur, & cribrentur, cui cribraturæ addantur olei myrtini roſati, omphacini, anethini, chamæmelini ana unc. duas ceræ albæ unc. duas ſem. & iterum bulliant omnia parum, deinde deponantur ab igne, baculo agitando, donec tepida fuerint, & ultimo loco addatur Croci ſcrupul. un. & utere ſuper loco dolenti more emplaſtri. Mirum in modum (ſunt ejus verba) confortando locum materiam conjunctam deſiccat & reſolvit.

(4) Oſſis corruptioni imprimis convenire exſiccantia medicamenta, adeo ut exſiccante ſuâ virtute corruptas etiam oſſis partes à ſanis ſeparare valeant, præter fidam rerum magiſtram experientiam aliquot eximii quoque Chirurgiæ Scriptores fidem faciunt. Galeni teſtimonium num. 2. adſcripſimus. Epiphan. Ferdinandus Hiſtor. ſeu Caſ. Practic. 42. Sicca, inquit, & arida oſſium humiditatem abſumunt, & ſi arida magis fiunt, ſeparationi ſeu deſquamationi paratiora fiunt. Paræus lib. 18. cap. 26. rationem præterea, modumque addit, quô exſiccantium virtute vitioſum os à ſano abſcedere poſſe credat. Scilicet medicamenta, inquit, inſigniter deſiccando, omnem oſſis humiditatem tum excrementitiam, cariei authorem, tum alimentitiam exhaurit. Unde exangue manet, & nutritionis, adeoque vitæ expers. Quò fit, ut os neceſſario abſcedat, glu-

glutine eô, quo cum ſanis partibus viciniâ & vitæ communione continebatur, deſtitutum; foliorum inſtar, quæ decidunt, exhauſto humido, quo, tanquam glutine, ramis propriis adhærebant. Hunc corrupti oſſis per exſiccantia medicamenta à ſano ſeceſſionis ac ſeparationis modum paulo aliter, ita nempe exponit Sennert. lib. 5. part. 2. cap. 13. Medicamenta, inquit, quæ os corruptum à ſano ſeparant, valde ſiccantia eſſe debent, ut humiditates ſuperfluas in oſſe corrupto abſumant, ipſumque os ſanum ſiccent, ut virtus expultrix ab eo, quod vitioſum eſt, in eo ſeparet, & vis oſſifica os ſeu callum generet, qui os corruptum protrudat. Ipſa autem quod exſiccantia hæc, oſſiſque corruptionem emendantia attinet medicamenta, deſcribit ea Galen. lib. 3. de Comp. Med. ſec. loc. cap. 3. & lib. 10. cap. 2. nec non lib. 5. de Compoſ. Med. ſec. gen. cap. 14. quæ omnia in tres Claſſes redigit Sennert. loc cit. nimirum vel in mitiora, vel in fortiora, vel in fortiſſima. Mitiora ſunt: Rad. peucedani, vitis albæ, (bryoniæ) ireos Florentin. Aloë, Alumen. Fortiora: Rad. Ariſtolochiæ rotund. dracontii, cortex panacis, pini, pumex uſtus, ſcoria æris, Chryſocolla, Spiritus vini. Fortiſſima: Euphorbium, Chalcanthum uſtum, cinis ficulneus, calx, aqua fortis, Oleum Vitrioli & Sulphuris. Præter omnia hæc memorata commendat Petr. ab Argillata Chirurg. Lib. 1. Tract. 6. cap. 9. Rad. gladioli, fructus & folia ficus cum foliis papaveris in forma emplaſtri, betonicam humidam contuſam & ſuperpoſitam, & imprimis cinerem vermium terreſtrium cum melle crudo permixtum atque applicitum. Barbette Chirurg. Anatomic. Part. 2. Lib. 2. cap. 3. addit Lignum guajac. Spiritum Sulphuris, Vitrioli, Salis, Tartari, & oleum Antimonii. Celebris ille Amſtelodamenſium Conſul Nicol. Tulpius Obſervat. Med. Lib. 1. cap. 34. omnibus præfert oleum cinnamomi cum oleo ſublimati. Affirmat enim, ſe hoc remedio in ſegregandis celeriter oſſibus nec vidiſſe, nec legiſſe quicquam convenientius. Oleum aluminis præ cæteris extollit D. Scheffer Diſputat. ſua Inaugurali, adjicitque opopan. ſagapen. & oſtrac. combuſt. cum terebinth. Mercurium dulcem in aqua plantaginis ſolutum & illitum ad cariem ſimul ac nigredinem oſſis probat Johan. Hartmann. Prax. Chymiatric. p. m. 592. ſub. tit. Fiſtul. Capivaccius Libro 5. Meth. Med. cap. 11. in carie ex lue Venerea ad oſſium exſiccationem pulverem tutiæ cum pulvere lithargyri, & corticum ligni guajaci inſpergere, & unguentum de tutia ſuperponere jubet: quoad oſſium verò corruptionem quàm primùm ad fortiora, quæ inter præcipitatum potiſſimùm laudat, veniendum eſſe docet; hac tamen, ut opinamur, lege, ut cauto cum circumſpectu fortioribus illis utamur, ne periculoſas inflammationes excitando, putredinem, oſſiſque corruptionem augeamus magis, quàm imminuamus. Unde Argillata loc. cit. hanc fortaſſis ipſam ob rationem prudenter monet, ut, ſi euphorbium (idem judicium eſto de cæteris pleriſque fortioribus) oſſi ſuperponere velis, præmunienda ſit cato circundans aliquo cerato vel panno lini, ne aduratur illa. Et quod Hildanus obſervation. Chirurg. Centur. 4. obſervat. 81. in ſpecie de carioſis oſſibus mandibularum, & oleo Vitrioli fortique aqua pronunciat, id nobis de aliorum quoque oſſium carie, hiſque ſimilibus fortioribus, vel fortiſſimis medicamentis dictum cenſeamus. Ita autem ſcribit: Oſſibus carioſis mandibularum ut ignis & ferrum, item Oleum Vitrioli & aqua fortis adhibeantur, non ſuadeo, idque propter graviſſimas cauſas. Cæterùm poterunt ex adductis ſimplicibus, prout res feret, variæ compoſitionum formulæ facili negotio concinnari. Sequens Sennerti loc. cit. ex Avicennæ Fen. 4. Lib. 4. Tract. 4. cap. 11. primitus dimanat, unde Argillata quoque hauſit:

℞. Rad. Ariſtol. rotund. ireos, Myrrhæ, Aloës, Cortic. panacis, terræ Erythridis uſt. ſcoriæ æris, cort. pini, partes æquales. Ex his vel pulvis oſſibus inſpergendus, vel; ſi melle roſato, aut unguento Ægyptiaco, prout videbitur, excipiatur, Unguentum fieri poterit. Succincta eſt, laude tamen ſua non minus digna illa Pauli Barbette l. c.

℞. Mumiæ, ſarcocollæ an. drachm. ſem Euphorbii drachm. un. M. F. Pulvis. Item quæ ſequitur.

℞. Succi chelidonii maj. unc. duas, Spirit. vini unc. un. Myrrhæ, Aloës an. drachm. duas, Vitriol. alb. ſcrup. un. M. pro Injectione. Reſtant adhuc duo ſingularia: unum Sennerti eſt loc. all. quod ita deſcribit:

℞. Sulphuris citrini libr. un. Ponatur ad ignem lentum, ut liqueſcat, cui adde Tartar. pulveriſat. libr. ſem. Miſce diligenter, donec frigida evadant. Poſtea pulveriſentur, & ſuper lapide in locum humidum ponantur, donec liqueſcant. Hoc oleo oſſa corroſa inunguntur. Alterum Ceratum divinum Joh. Sculteti eſt, ab ipſo deſcriptum in Armamentar. Chirurg. Obſervat. 6. quod D. Paul. Ammanno cumprimis probatur, potiſſimùm ſi pro majori efficacia oleum de lacertis viridibus admiſceatur, quòd hoc ſolum (cum ipſo loquor) Spinam Ventoſam perfectè curare dicatur. Ex omnibus autem, quotquot jam cum ſimplicia tum compoſita recenſuimus medicamenta, nulli major virtus in corrupti oſſis emendatione ab Authoribus adſcribitur, quàm euphorbio; unde quoque à variis vario elogio ornatur, & quaſi certatim commendatur. Argillata Lib. 1. Tractat. 6. cap. 9. ex Serapione refert, euphorbium oſſi ſuperpoſitum oſſa in una die excoriare & fragmenta ſeparare. Paræus, Aquapendens, & Hildanus vires euphorbii ex Dioſcoride deprædicant. Ita enim Paræus Libr. 18. cap. 26. euphorbium, inquit, oſſium teſtulas, ſquamaſque eâdem die eximit Dioſcoridis ſententiâ. Aquapendens Op. Chirurg. Part. poſterior. Libr. 3. cap. 10. ſcribit, à Dioſcoride laudari euphorbium pulveriſatum. Hildanus Centur. 4. Obſervat. 21. §. ult. aſſerit, euphorbium mirandas habere proprietates, quòd ſuâ caliditate non ſolùm humores in oſſe exſiccet, ſed & occultâ quadam facultate

hic conveniat; additque, quòd etiam à Dioſcoride oſſibus carioſis adhibitum fuerit, nec metuenda ſit ipſius acrimonia, etiamſi linguam & nares mordicet, quodque ulceribus, quantumvis copioſè inſperſum tamen nullum dolorem aut inflammationem excitet. Hoc, porro ait, paradoxum quidem eſſe putabis: Sed ego expertus loquor. Tandem ab horum latere ſtat Fallopius, qui Tractat. de Morb. Gallico cap. 96. ingenuè profitetur, ſe euphorbio nullum præſtantius, & quod citius os corruptum tollat, inveniſſe remedium. Hæc elogia nonne imitabile nobis pariant exemplum?

(5) Hujus hoc Authoris modo præparati Olei Antimonii loco eſſe fortaſsis poſſet vel ipſum oleum ſive butyrum Antimonii cum æquali parte Mercurii ſublimati paratum, & in Diſpenſatorio novo Norimbergenſ. deſcriptum; vel ſaltim oleum Antimonii Sennerti cum ſaccharo cando confectum, & in Diſpenſatorio Auguſtano exhibitum.

(6) Quibus addatur hoc Joh. Vigonis Ceratum, huc, ut videtur, apprimè facturum, quod ipſe Practic. Lib. 5. cap. 2. pag. m. 509. millies cum honore & non parva utilitate ſe eſſe expertum teſtatur, nobiliſque & ſecurioris operationis & magis delectabile, quàm linimenta, inque exulcerationibus & doloribus Gallicis, item ubi tuberoſitates per os ſunt, in removendo illo dolore magnam eſſe medicinam, & unam quamque ejuſmodi ulcerationem breve tempore ſanare ſcribit. Eſt autem tale:

♃. Olei chamæmelin. anethin. de ſpica, de lilio an. unc. duas, de croco unc. un. Pingued. porcin. libr. un. vitul. libr. ſemis, Euphorb. drachm. quinque, Thuris drachm. decem, olei Laurin. unc. duas & ſem. Pinguedin. viperæ unc. duas & ſem. ranarum viventium numero ſex, lumbricorum lotorum cum vino unc. tres & ſem. Succ. rad. ebul. enul. an. unc. duas, ſquinanti, ſtœchados, matricariæ an. manipul. un. Vini odorifer. libr. duas. Bulliant omnia ſimul uſque ad conſummationem vini: deinde colentur, cui Colaturæ addantur lithargyrii aurei libr. un. Terebinthin. claræ unc. duas, & cum cerâ albâ ſufficienti ad ignem fiat Ceratum ad modum Sparadrapi, addendo in fine cocturæ, ſtyracis liquidæ unc. un. ſem. deinde auferatur ab igne, baculo agitando, donec tepidum fiet, poſtmodum addantur Argenti vivi extincti cum ſaliva unc. tres, iterum baculo agitando, donec Argentum vivum optimè incorporetur.

(7) Reprimentium uſum alii admittunt, alii rejiciunt. Admittere videtur Rhaſes, allegante eum Severino cap. 21. p. 317. quando toto ſtudio infrigidandum locum præcipit, quoniam hoc regimine prohibitio fiet, quo non corrumpatur os, ſed remanebit in ipſa diſpoſitione per tempus longum abſque ulceratione. Hunc ſequitur Vigo, qui Libr. 9. cap. 34. quod de Spinæ Ventoſitate inſcripſit, expreſſè ait, quod conſecutâ ventris ſolutione, ad localia reſolventia transeundum ſit cum aliqua repercuſſione miſta. At Severinus, qui omnia repellentia penitus damnat, ad Rhaſis ſententiam reſpondet, quod is non niſi leviter frigidâ cum roborantibus miſta materia, & quidem ſublato etiam prius cacochymiæ fomento, eo conſilio utendum cenſuerit, ut ea à nimio ſuccorum acrium atque effeveſcentium incurſu tueretur obnoxiam magno malo particulam; deinde quod ipſe Rhaſes non perfectam & abſolutam Pædarthrocaces notitiam habuerit. Quòd autem Severinus repellentium uſum improbet, hæ ferè ejus ſunt rationes (1) quod Spinæ Ventoſitatis tumor ſive abſceſſus non calidus, ſed frigidus, appareat, (quæ tamen ratio infirma eſt, cùm nec in calidis abſceſſibus ſemper proficua ſint repellentia) (2) quod tumor noſter per longum congeſtum procreetur, longiſſimus item & contumaciſſimus ſit affectus, oſſique, articulis, perioſteo, & nerveis particulis incumbat, ubi iterum repellentia partim non convenirent, partim etiam non efficerent, quod alias ſolent. (3) quod verendum eſſet, ne oſſium, ceu partium corporis noſtri alioqui debiliſſimarum natura puſilius calor intempeſtivo repellentium uſu prorſus jugularetur: Quæ cauſa tanti fuit apud Gabriel. Fallopium, ut Libr. de Tumoribus generalem hanc normam atque exceptionem poſuerit inter decem leges repulſum interdicentes (4) quod Spinæ Ventoſitas plerunque corrupti habitus homines, id eſt, cacochymicos laceſſat, ipſeque ille humor, qui externas partes ſub hoc noſtro affectu coinquinat, corruptus ut plurimùm ſit. At quo in caſu viciſſim repellentia adhiberi minimè debeant; juxta Heurnii cautelam, qui Commentar. in Aph. Hippocr. 25. Sect. 6. Adeo generalem inde format regulam, ut dicat, quicquid ex viſceribus ad cutem abit, id non debere retrudi. Nos mediâ tutiſſimi ibimus viâ, Pandolphinum noſtrum, ceu ducem ſecuti, qui ſimiliter hìc quidem loci, præſente dolore, puris reprimentibus penitus quidem interdicit, ita tamen, ut aliquo in caſu, quem vide, paulò poſtea viciſſim admittat.

(8) Uti narcotica medicamenta in quibuſvis morbis prudenti cum circumſpectione, & non niſi extremâ doloris urgente neceſſitate in ſubſidium vocanda, quia omnia palliativam tantùm curam præſtant; ita hoc quoque in præſenti noſtro affectu cautè ac deliberatè adhibenda ſunt, quemadmodum hoc ipſum Pandolphinus quoque noſter præcipit, quippe qui hìc quidem loci ea quadantenus probat, aliquot autem interjectis lineis rurſus improbat, ac non immeritò ſuſpecta habet.

(9) Inter illas rationes, propter quas ſuppuratio in Spinæ Ventoſitate peſſima meritò exiſtimanda, poſtrema validiſsima nobis videtur; quia nimirum ſuppurantia oſsis & circumſitarum partium corruptionem, juxta ac putrefactionem magis adhuc accelerarent, quam tamen omni ſtudio ſervandorum hominum Opifer, Medicus, avertere, ac prohibere debet.

(10) Per calidum autem hoc intellige calidum innatum, quod plerique Veterum Scriptorum per ſubſtantiam corpoream calidam, viventibus propriam, & pro ſpecificarum formarum diverſitate diverſam definiunt.

(11) Hujus opinionis è Veteribus Petr. ab Argillata loc. ſæpe alleg. è Recentioribus verò

Petr.

Petr. de Marchettis loc. cit. imprimis eſſe videntur. Argillata poſtquam modum, quo Spinæ Ventoſitas generetur, expoſuit, ſtatim nulloque alio intercedente verbo ſubnectit, illic conſequenter facta inciſione reperitur corruptio in ſubſtantia oſſis tota, vel in parte ejus, uſque ad medullam. Ex quibus colligitur, Peritiſſimum hunc Chirurgo-Medicum inciſionem, ſive apoſtematis apertionem ſine prævia multorum aliorum topicorum adhibitione, antequam eundo Malum altiores egit radices, ſuadere. Quod & quæ mox ſequuntur verba confirmant, quando, cura, inquit, Ventoſitatis Spinæ eſt evacuatio univerſalis; deinde operatio loci, ubi neceſſariò conſequenter debet os corruptum removeri. Marchettis vult, ut, ſtatim ac Patiens conqueritur de dolore pungitivo ſpinoſo veluti, in articulis vel manuum, vel pedum, cubitorum, aut genuum, ſive malleolorum, nullo licet apparente tumore, ſectio ejus fiat. Sed in quem animadverſio, quam habet Dom. Ammann cum Reſpondente ſuo, non ſuſque deque habenda. Nimirum Marchettis conſilium, ait hic, admodum præceps eſt, quando in pungitivo dolore, v. g. cubitorum, genuum, & malleolorum, nullo etiam adhuc apparente tumore, ſectionem ſuadet. Nunquam enim ad amputationem confugimus, niſi factâ jam ſolutâ unitate, hoc eſt, præſente ulcere, quandoquidem Medicus ex relatione ægri certam morbi hujus cognitionem non ſemper habet, nec quilibet dolor ſolùm, quamvis etiam formicans ſit, Spinæ Ventoſæ præſentiam præcisè indicat. Quomodo ergo in tam dubio caſu amputationem, vel ſaltem inciſionem moliri poterit? Quin potiùs exſpectandum ipſum ulcus, & ubi certò per ſigna conſtat, adeſſe Spinam Ventoſam; videndum, utrum, juxta monitum Paræi vel terebellis deſquamatoriis & radulis (veluti faciunt ſtatuarii) teſtæ carioſæ ſubtiliter abradi aut deſquamari, vel utrum terebello, ab eodem Paræo deſcripto, os carioſum locis pluribus perforari poſſit? Verùm de hoc duplici Paræi conſilio iterum monendum, oſſis carioſi abraſionem & deſquamationem in vera Spinæ Ventoſitate ſine magno ægrotantis emolumento inſtitui nobis videri. Spinæ enim Ventoſitas eſt interna oſſis corruptio, id eſt, in qua intima ac interna oſſis ſubſtantia primò corrumpitur, & in qua tota oſſis ſubſtantia ut plurimùm occupatur. Quid ergo proderit, os abradere ac deſquamare, cùm abraſio nonniſi externas corrupti oſſis ſquamas tollat? Conſentientem habemus Optimum Sennertum Prax. lib. 5. Part. 2. cap. 13. dum abraſionem duo exigere inſtrumenta ſcribit, ſcalprum puta, & terebram, quorum illi locus ſit, ubi os non ita altè corruptum eſt. Iccirco abraſio in vulgari quidem, ſive externa oſſis carie conveniet, in noſtra autem & vera Spinæ Ventoſitate non item; niſi in hac quoque ideo abradenda oſſa credamus, ut iteratâ ſaltem abraſione attenuata ac rarefacta oſſa, poſtea vel ſua ſponte, vel congruo medicamentorum uſu præterea adjuta citiùs ac faciliùs tota carioſa abſcedant. Alterum autem conſilium de terebello, terebrâ, vel trepano certis in caſibus non penitus ſpernendum videtur. Terebrâ enim utendum, ſi caries profundiùs penetret, iterum docente Sennerto l. c. ex Celſ. lib. 8. cap. 2. & comprobante eandem Operationem Petro de Marchettis, non quidem indifferenter in omni, ſed hac ſolummodò Spinæ Ventoſæ ſpecie, quando totum internodium, maximè in pueris, digiti manus vel pedis, corruptum eſt. Hoc enim in caſu, inquit, quia neque ignis, neque ferramenta juvant, horum loco trepano tenuiori utendum, quo ejuſdem internodii media pars perforanda, à qua, forficulis affabrè in hunc uſum paratis, partes laterales ſecandæ, atque totum internodium paulatim educendum volſellâ, cujus vacuus locus progreſſu temporis carne oppletur; quæ quidem in pueris durior quodammodo facta, & veluti calloſa oſſis vice fungitur; quanquam ubi totum internodium eſt ablatum, digitus, muſculis ad caput ſuum retractis & cedente carnis mollitie, decurtetur. At ſi totum internodium auferri debet, indeque digitus decurtatur, dubitare adhuc ſubit, utrum curatio trepano jam deſcripto tenuiori, an verò vel communi amputatione, vel volſellis, maximè in cartilaginoſis puerorum oſſibus, feliciori ſucceſſu contingere poſſit. Cæterùm quod modum attinet, quo apoſtema aperiendum ſit, ſequitur in eo Pandolphinus noſter Johann. Vigonem l. c. quando uterque juxta longitudinem incidendum præcipit. Ita enim Vigonis ſonant verba: Factâ maturatione, inquit, quæ pro majori parte ſequitur in membro abſque multa elevatione cutis, & mutatione in colore, locus incidatur juxta membri longitudinem. Quibus ex verbis & hoc inſuper ſimul hariolandum, ipſum quoque Vigonem Spinæ Ventoſitatis tumorem, antequam ipſe exterius rumpat, aperire ac incidere ſuadere; taceo, quod Idem paulò poſt perſpicuè aſſerat, ſe comperiſſe, dolorem in Spinæ Ventoſitate adeo intenſum fuiſſe, ut propter ejus venenoſitatem, & multitudinem materiæ ſæpenumero locum ante maturationem perfectam aperire coactus fuerit. Quæ tamen viciſſim cum grano ſalis intelligenda. Aliàs quoad ipſam inciſionis figuram diſſentit à Vigone & Pandolphino noſtro Severinus, quando cap. 21. pag. 316. ſi cutis integra adhuc eſt, non per longitudinem, ſed ad figuram literæ X. eam incidere, oraſque ita diducere jubet, ut ſpatium pateat, quò ferramenta adhiberi; aliæque Chirurgicæ operationes adminiſtrari queant; utut cæteroquin (ut obiter hoc adjiciamus) quando os jam detectum eſt, idem crebris per terebellum foraminibus pertundendum eſſe & ipſum affirmet.

(12) Aperto apoſtemate, foramen quod vel illa apertione Chirurgi manu vel ſua ſponte factum eſt, non ſolùm apertum deinceps ſervandum, ſed & ulteriùs dilatandum, quo fieri poteſt modo. Fiet autem vel turundis, vel ferro, vel cauſtico aliquo medicamento. Turundæ parantur vel ex ſpongia præparata, vel ex radice gentianæ, vel ex medulla ſambuci aut ſorgi, quæ foramini intruſæ humiditates circumfluentes imbibunt, unde intumeſcunt,

ſicque foramen ampliant. Ferro ulcus ſive foramen dilatare, inuſitatius eſt, niſi vel peculiare dilatariorum inſtrumentum vel ſectionem ſubintelligere velimus, quæ viciſſim non ſemper, ſed tum demum locum habere poteſt, quando de arteriæ, nervi aut tendinis alicujus periculoſâ læſione nihil metuendum. Frequentius autem ferro ipſum apoſtema aperiri ſolet, quod & ipſe fortaſſis Author noſter voluerit. Ita cauſtico quoque medicamento appoſito ulcerum foramina non ſolùm ampliora redduntur, ſed & tumores aperiuntur. Eſt autem cauſticorum ingens varietas, adeo, ut vix Chirurgus ſit, qui non ſecreti aliquid hîc jactitet. Illud communiſſimum cauterium, quod ex ſolo lixivio, è quo ſapo conficitur, parari ſolet, ſexcentis aliis præfert Heurnius Libr. 1. Meth. ad Prax. quod inde peti poteſt. Sequens magiſtrale cauſticum mirabile vocatur, quòd apoſtemata & bubones rumpat, fonticulis excitandis inſerviat, cancroſque, ſcrofulas & malum formicæ, (quo ipſa Spinæ Ventoſitas indigitatur) perſanet. Deſcribitur autem in Italico quodam Libello Libr. 1. pag. 65. Venet. 1670. impreſſo, & Compendium mirabilium Secretorum Dominici Audæ inſcripto; cum nova Appendice ejuſdem Authoris. Et communicavit nobis Amiciſſimus noſter D. Lucas Schröckius Jun. Medicus Auguſtanus. Eſtque Latinè à nobis redditum tale:

℞. Vitrioli uſti unc. duas, Salis Armoniac. unc. un. Calcis viv. Tartari calcinat. an. unc. tres. Coq. in lixivii è ſtipitibus fabarum parati quant. ſuff. ad humiditatis conſumptionem; legeque Artis exſiccata maſſa ſervetur loco ſicco in vitro benè clauſo ad dictum uſum. Sunt autem cauſtica hujuſmodi eâdem cautione apponenda, quâ fortiora illa contra oſſium corruptionem ſuperius num. 4. commendata medicamina apponenda eſſe diximus. Nimirum nunquam non affectæ partis habenda ratio, cavendumque eſt, ne arteriæ, majores venæ, nervi, aut tendines cum gravi ægrotantis damno temere violentur.

(13) De raſione ſive abraſione oſſis, quæ limâ, ſive raſpatoriis, ut vocant, inſtrumentis fit, incidenter aliquid diximus ad num. 11. Cui hîc addendum, quod, ſi ſpes eſt, limatione os corruptum totum tolli poſſe, hæc operatio in noſtro quidem affectu majori cum fructu inſtitui videatur, quàm ſi ſuperficie tenus tantùm abraderetur, ob dictas rationes; ob quas fortaſſis ipſe quoque Vigo l. c. non leviter ſaltem oſſa vitiata deraſit; quin potius, uti ſcriptum reliquit, multoties magnam partem focillis brachiorum & tibiarum raſpatoriis & ferro candenti removit, modò ut ad ſanitatem infirmum perduceret.

(14) Ad ignem, ſive candens ferrum & uſtionem tandem etiam, mitioribus hactenus adductis præſidiis non ſufficientibus, deveniendum, juxta antiquiſſimi Præceptoris, Hippocratis noſtri Aph. 6. Sect. 8. datum conſilium: quæcunque non ſanat medicamenta, ea ferrum ſanat, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia judicare oportet. Miris autem laudibus ignis efficaciam in hoc noſtro quoque affectu imprimis Severinus effert. Id, inquit, cap. 20. pag 315. quod efficaciſſimum proponere ſuper omnia poſſum, eſt ignis actuoſus, quod remedium uſitatum in pleriſque comperi mirabile; confirmatque ejus uſum aliquot exemplorum inductione, quæ mox ibidem ſequuntur. Modum utendi docet Petr. de Marchettis loc. cit. Dilatato, ait, foramine ſectione, ſpongiâ præparatâ, radice gentianæ, medullâ ſambuci aut ſorgi, in idem demittenda cannula ferrea utrinque perforata, mox candenti ferramento os corruptum inurendum, quouſque perito artifici ex uſu videatur futurum, ut ſtatim abſcedat; tum verò curationis quod ſupereſt, modo ſolito proſequendum. Non abſimili huic modo procedit Sennertus l. c. quippe qui ibidem per fiſtulas ferreas, quibus caro defendatur, cauteria applicanda, illarumque plures in promptu habere ſuadet, ut, poſtquam una incaluit, alia frigida adhibeatur; vel, ſi unâ uti libeat, poſtquam incaluit, in aquam frigidam immittatur. Atque hoc utroque modo, prout decet, cavebimus, ne caro vicina, aliæque adhuc ſanæ partes improviſò ſimul adurantur, unde exquiſitiſſimi dolores, periculoſæ inflammationes, aliaque gravia ſymptomata ſuſcitari poſſent. Quod tandem ipſum uſtionis uſum ſpectat, habet ea non ſolum peculiariter iis in locis locum, ubi propter loci profunditatem aut foraminis anguſtiam lima, aliave abraſoria inſtrumenta adhiberi nequeunt; ſed creditur præterea, eam ſingulari virtute contra malignitatem & virulentiam, eam exſorbendo ac exhauriendo, facere, corruptique oſſis ſeparationem juvare, & imprimis ad excrementitias humiditates abſumendas præſtantiſſimum, ut vocat Sennertus l. c. eſſe remedium, qui poſtremò & hoc non prætereundum addit; poſt uſtionem, ad inflammationem prohibendam, & dolorem leniendum primò aquam roſaceam cum albumine ovi applicandam, hinc oleum roſat. cum ovi vitello, poſtea butyrum cum melle roſaceo, ipſi vero oſſi aduſto pulverem ex Rad. peucedani, ariſtolochiæ, euphorbio, aut aliud ex ſupra propoſitis medicamentis imponendum, donec os corruptum ſeparetur & abſcedat. Singulares inuſtionis modos vid. apud Joh. van Horne Microtechn. pag. 196. & ſeqq. nec non Severinum Pyrotechniæ paſſim quidem, præcipuè verò Part. 3. cap. 1. 2. 3.

(15) Huc referri poſſet & illud remedium, quod in ipſa noſtra Spina Ventoſa, ceu ſecretum, ſæpiſſimè proficuum expertum ſe eſſe teſtatur Dominicus Auda, Italico ſuo ſupra allegato Libello, quod

℞. Aquæ vitæ roſarum an. unc. ſex. Mercurii ſublimati unc. tres. Opii unc. ſemis. Primùm coquatur opium minutim diſſectum, & liquefiat, dein addatur Mercurius ſublimatus, & poſt quatuor ebullitiones decoctum hoc ab igne removeatur; quod ſi adhibere cupis, linteum in eo madefactum parti affectæ imponatur, ut eam totam cooperiat, atque ſupra illud aliud majus aqua plantaginis imbutum; ſicque per 12. horas relinquatur.

(16) Os in Spinæ Ventoſitate ſemper eſt læſum, & quidem primariò. Et ſi non eſt læſum,

non eſt Spinæ Ventoſitas, ſed alius quidam tumor, qui huc non pertinet. Unde hæc Authoris differentia nulla eſt.

(17) Eſt autem Unguenti Reſini Sarcotici deſcriptio talis, uti habetur in Antidotar. Bononienſ. pag. m. 407. & 417. item in Pharmacopœa Bergomenſ. p. m. 267.

♃. Reſinæ pini, terebinthinæ, ceræ citrinæ, olei communis an. unc. 3. Diſſoluta cera, reſina cum oleo, ultimò terebinthina, omnia colentur, & in cacabo ad ignem lentum bulliant: deinde permittantur infrigidari.

(18) Unguentum Matriſylvæ, ſeu Periclymeni, ſeu capitale, vel capellum, uti vocatur in Pharmacopœa Bergomenſium p. m. 276. ita deſcribitur:

♃. Ceræ flavæ, Reſinæ terebinthinæ, ſeu communis, Pineæ, olei roſati completi an. lib. 2. abiegni lib. 1. foliorum periclymeni in umbra ſiccatorum, betonicæ, foliorum ſalviæ, gummi elemi an. unc. 6. Radic. ariſtolochiæ rotund. unc. 3. Herbæ fractæ vino albo odorato macerantur per 24. horas: reliqua adduntur, & coquuntur, donec vinum fere evanuerit; expreſſum ope torcularis, & refrigeratum igni redditur, dum vinum ex toto evanuerit; poſtea additur gummi, vino, aut oleo ſolutum, vel in pulverem redactum, agitando dum fiat unio. Aliqui monent ceram & reſinas immiſcendas, poſtquam vinum coquendo evanuerit, & in fine gummi. Sunt qui addant Maſtiches albæ, Thuris optimi an. unc. unam & ſem. aut etiam duplum.

(19) Talem reconditam qualitatem & illud fortaſſis poſſidebit remedium, quod prædictus Dominicus Auda ibid. ſecretum paucis cognitum, planeque miraculoſum, & in Malo formicæ, id eſt, Spina Ventoſa probatiſſimum vocat L. 1. p. 67.

♃. Duos aut tres veſparum nidos unà cùm inibi hærentibus parvulis veſpis, itemque mellis favi cum minutis ſuis apibus pugillum unum. Contundantur ſimul, & cum tantillo mellis fiat inde Emplaſtrum ſupra partem affectam applicandum:

(20) Paul. Barbette ſcribit, Oper. Chirurgic. Anatomic. Part. 2. lib. 2. cap. 7. pag. m. 174. ſe nullum medicamentum cognoviſſe, quod ſuo tempore adhibitum citiùs cicatricem inducat, quam Amalgama Mercurii, cujus hæc ſit præparatio.

♃. Plumbi unc. duas, liquefacto adde Argenti vivi unc. duas effunde ſuper chartam, Exſiccatum, pulveriſatum, Emplaſtro de plumbo aut diapompholygos miſceri poteſt.

(21) Hoc extremum illud eſt remedium, quod extremus hic poſcit Morbus. Et quanquam, ut ſapientem omnia prius conſiliis, quàm armis experiri, decet, ita Medicus medendi initium à mitioribus præſidiis ex diætetico & pharmaceutico fonte hauſtis meritò capere debet, antequam ad efficaciora deveniat; tamen quemadmodum iterum, ſolis conſiliis nihil juvantibus, ipſa arma capeſſere optimum ſæpè eſſe ſolet; pari ratione vulgaribus remediis minus ſufficientibus, extrema hæc, & tantùm non crudelia, in noſtro præcipuè hoc ſævo affectu, ſaluberrima ſæpe comperta ſunt. Hinc Author noſter tali in caſu totum membrum læſum reſecare jubet, ad imitationem Petri ab Argillata loc. cit. qui ſimiliter factâ univerſali evacuatione totum os corruptum removeri debere, ſeque ipſum totum unum focile brachii removiſſe ſcribit: quem Severinus quoque & Petrus de Marchettis ſequuntur. Ille os, quod vitiatum eſt, pag. 316. totum exſcindere ſuadet: Hic verò, quod ſi Medicus, ait, accedat, factâ jam ſoluta unitate ab ipſa materiâ pituitosâ ex putredine acriori factâ, tota curatio dirigitur ad ablationem oſſis corrupti. Quomodo autem & quibus inſtrumentis hæc corrupti oſſis ablatio, ſive amputatio fieri debeat, nemo horum ſpecialiùs explicat. Pandolphinus noſter ſerram commendat, qualem depingit Joh. Scultetus Armamentar. Chirurg. Tabul. 27. Figur. 11. lit. C. Johan. van Horne, qui artuum amputationem propter nullum alium, quàm ſphacelum, ipſumque hunc noſtrum affectum inventam eſſe credit, Microtechnes p. m. 189. inter inſtrumenta ad hanc operationem neceſſaria præter jam nominatam ſerram, cultrum quoque falcatum, cultellum ancipitem, qui Hippocrati μαχαιρὶς σπαθοειδὴς vocatur, interdum etiam, ſed rarius ſcalprum exciſorium, aut exciſoriam forcipem adhiberi poſſe ſcribit. Cultrum ſive ſcalpellum falcatum vide apud Scultetum loc. cit. Tabul. 27. Figur. 11. lit. B. Cultellum ſive ſcalpellum ancipitem, quem Celſus & Paulus Spatham appellant, exhibet Idem Scultetus ibid. Tabul. 2. Figur. 1. Scalprum exciſorium depingit Idem ibidem Tabul. 20. Figur. 4. Item Tabul. 27. Figur. 12. lit. E. Exciſoriæ forcipis figuram habet Idem ibid. Tabul. 20. Figur. 1. & Tabul. 32. Figur. 6. De quibus inſtrumentis notandum, ea non omnia unà requiri; imò ſæpe ſæpius, in minoribus præcipuè articulis, ut digitis manuum ac pedum, unum ſolum, & quidem ſimpliciſſimum ſufficere, quemadmodum Spigelio apud Scultetum Armamentar. Chirurg. Obſervat. 86. vulgaris forceps ſuffecit, quâ Monacho cuidam Bononienſi pollicem ſiniſtræ manus Spinâ Ventosâ correptum feliciter abſcidit. Quid? quod Joh. Jeſſenius à Jeſſen Inſtitut. Chirurgic. Procem. arbitretur, Chirurgica illa inſtrumenta, quorum nullibi plura habeantur, quàm apud Aquapendentem aliquantò magis ad oſtentationem, quàm uſum comparata eſſe. Præterea nec hoc omittendum, ſerram contra pleroſque exercitatiſſimos Chirurgos pro magnorum membrorum amputatione Leonard. Botallum de Vulneribus Sclopetorum cap. 23. vehementer vituperare, & quidem ex his præcipuè rationibus, primò quod ea plerunque muſtas nervoſas partes à novacula relictas miſerè laceret; deinde quòd, dum ſerrâ oſſa ſecantur, ſectæ venæ & arteriæ perpetuò ſanguinem & ſpiritus fundant. Verùm quamvis hæ Botalli rationes non de nihilo ſint, probeque notari poſſint, videtur tamen eum ſerræ uſum potiſſimùm ideo ſaltem rejeciſſe, ut cultros ſuos, quos in illius locum ſubſtituit, quoſque mirum quantum laudat atque commendat, eò faciliùs, eoque felicius introduceret. Cæterùm quoad locum, an os ſive membrum in ſana adhuc parte, an verò in illa Spinæ Ventoſitate obſeſsâ, item an in ipſo articulo, an verò extra illum exſcindendum ſit, non omnibus eadem eſt mens. Aquapendens, & qui

hunc

hunc ſequuntur, in parte læſa & jam emortua (ſi de ſphacelo vulgari ſermo ſit) amputationem fieri ſuadent, his ferè nixi rationibus, cùm quòd hac viâ minorem dolorem ſentirent ægri, tum etiam, quòd non tanta ſequeretur hæmorrhagia. Verùm Clariſſimus Johann. van Horne loc. cit. hoc conſilium non immeritò periculæ aleæ plenum vocat, partim, quia verendum, ne illud corruptum, quod relinquitur, ſe ſit multiplicaturum, partim etiam quia non poſſumus eſſe certi, an non os, quod carni ſubeſt, altiori in loco ſit corruptum. Idcirco in ſana potius parte faciendam eſſe ſectionem judicat, proximè tamen ad ægram, ſpatio unius digiti transverſi. Quod Severino quoque, Neapolitano illi Chironi placuit, quando cap.21. cap.316. seriò monet, ut totum os, quod vitiatum eſt, præcidatur, eò quòd niſi id fieret, hoc eſt, ſi quid corrupti relinqueretur, ulcus recidivam ſentiret. An in ipſo articulo, ſive juncturis, an verò potiùs ſupra aut infra juncturas detruncari debeat os violatum, propter ingentem varietatem locorum, quæ Spinæ Ventoſitas occupare conſuevit, præcisè definiri nequit. In genere ſcire ſufficiat, ſectionem in ipſo articulo admodum ſuſpectam videri, (1) quia ibi plerunque nervi, venæ & arteriæ copioſiùs concurrunt, (2) quia non tam promptè inveniri poteſt locus, ubi duo oſſa conjunguntur. (3) quia difficiliùs quam alibi cicatrix obducitur. Tandem quod ipſum modum amputandi, vel exſcindendi, attinet, breviter omnium optimè ita ferè eum tradit prælaudatus Johan. van Horne loc. alleg. Nimirum ante omnia, (implorato Numinis ſupremi auxilio) oportet ægro cardiacum aliquod præbere, ne in ipſa operatione deficiat; deinde à viro aliquo robuſto cutis & caro ſana, quantum fieri poteſt, ſurſum eſt attrahenda, ut eadem poſtmodum relaxatâ oſſi denudato melius obduci poſſit. Tum (ſi locus concedit) ad latitudinem pollicis ſupra locum, in quo amputatio eſt facienda, valida fiat ligatura vinculo non ita lato, ſed forti; cùm ut æger minus dolorem percipiat, tum ut ob vaſorum conſtrictionem ſanguinis fluxus meliùs compeſci poſſit. Mox ſub ligatura Chirurgus falcato, ſed aliquantùm minùs, incurvo cultro, quàm poteſt feſtinanter totam circumquaque carnem muſculoſam reſecet, & perioſteum abradat ab oſſe, ne à ſera dilaceretur; denique ſerra eſt adhibenda, vel in digitis forceps tantùm. Poſt hanc factam amputationem quid ſit faciendum, mox ſequetur. Atque hic communiſſimus eſt modus. Alium & planè noxum excogitavit Leonard. Botallus loc. cit. quem ipſe impensè laudat, & dictus Joh. van Horne in Annotationibus ad eundem approbat Quem vide ſis.

(22) Factâ, eo, quo diximus, modo, amputatione, alii partem ſanam actuali cauterio inurere cum Pandolphino noſtro ob dictas rationes ſuadent; alii contra diſſuadent. Et diſſuadent quidem metuentes, ne cruſtâ, quæ à ferro candente inducitur, decidente, periculoſus fiat ſanguinis fluxus; cui addit Paræus lib.12. cap.35. quòd hoc modo dolores ingentes & nonnunquam convulſiones inde excitentur. Unde ipſe cap.31. & 33. tenaculâ potius vel volſellâ vaſa apprehendere & acu transfigere jubet: ſed quem modum Gourmelenus Syntagmat. Artis Chirurgic. cumque eo Joh. van Horne l. loc. pag.193. adhuc magis improbat, qui poſtremus pag.194. hanc curationem longè felicius abſolvi ſcribit, ſi fungus ille, quem crepitum lupi, vulgò *Poſiſt* appellant, in uſum ducatur, ita nimirum, ut ejuſdem portiunculæ pulveribus ſanguinem ſiſtentibus plenæ & ovorum albumine madefactæ applicentur; vel etiam ex eodem fungo excavato veluti ſcutella pulvere ſtegnotico repleta conficiatur, tuncque extremitas membri ei immittatur; atque hic apparatus in ſitu ſuo emplaſtri defenſivi & glutinantis beneficio, ſuperinducta veſicâ bubulâ, donec hæmorrhagiæ metus tranſierit, detineatur. Nos admodum hæremus, incerti, cui noſtrum adjiciamus calculum, maximè cùm propter affectæ partis inſignem diverſitatem vix certi quid in noſtra Spinæ Ventoſitate determinare liceat. Si quid tamen ſtatuendum neceſſariò eſſet, mallemus iis in caſibus, ubi inuſtio fieri poteſt, cum noſtro Authore facere, hac tamen annexâ cautelâ, ut durior jam aliquantum facta cruſta emolliente quodam oleo ſive unguento inungatur, quò ſine hæmorrhagia, aut alio praviori malo decidere poſſit; quanquam viciſſim pluribus in caſibus tam vehementi, & tantum non crudelli uſtionis præſidio non opus eſſe, aliudque præſtans ſtegnoticum remedium, quale Johann. Horne deſcribit, abundè ſufficere poſſe credamus. Ad hæc uſus atque exercitatio optima hic eſt magiſtra; ſemperque adhibendum judicium, quod Chirurgum imprimis commendat. Poſtremò in omni amputatione ſedulò obſervandum videtur illud, quod monet Joh. Jeſſenius Inſtit. Chirurg. cap.21. nimirum amputato membro aliquantulum pro virium ratione ſanguinis profluvium permittendum. Reliquum curationis nihil habet peculiare, & quomodo ſit inſtituendum, docent omnes illi, qui de vulgari artuum amputatione agunt; unde peti poteſt.

(23) Ad hunc cathæreticorum cenſum & illud unguentum reduci poſſet, quod Dominicus Auda in allegati Itali Libelli nova Appendice contra Spinam Ventoſam peculiariter directum ſecretum atque rarum vocat. Eſtque quod

♃. Mercurii ſublimati, drachm. duas ſemis, Unguent. popul. drachm. iij. opii grana quinque, Lapid. hæmatit. præp. ſcrup. 1. Miſc. Fiat unguentum & applicetur parti affectæ per 12. horarum ſpatium, poſtea removeatur, atque factâ eſcharâ applicetur axungia rancida non ſalita; nondum verò factâ eſcharâ repetatur dictum unguentum, & ablatâ illâ, medicamenta incarnantia adhibeantur.

(24) His ſimilia ſunt illa Fila Cauſtica quæ olim D. Sigiſmund. Schnizer D. Joachim. J. F. Camerario communicavit, quorumque Zacutus Luſitanus quoque in Prax. ſua meminit.

♃. Filorum carminativ. unc. ij. Mercurii ſublimati correct. drachm. ſeptem, Sal. armoniac. drachm. iij. Aq. roſar. plantagin. an. libr. unam. Bulliant ad remanentiam tertiæ partis, & fila traducta in furno lentè exſiccentur; quæ, ſi fortiora velis, adde ad coctionem arſenici unc. ß.

(25) Sunt autem Troſchiſci de Minio hi: uti Vigo eos deſcribit Practic. lib.8. cap.13.

♃. Me-

℞. Medullæ panis crud. bene fermentati ℥ iv. ſublimati elect. & fortiſſimi ℥ j. minii ℥ ß. Omnia ad invicem piſtentur cum modico aquæ roſatæ: deinde fiant trochiſci ad modum grani pineoli, & aliquantulum longiores: poſtmodum extendantur ſuper tabula, & ponantur in furno non multum calido, & reſerventur in ſcatula, & utere. Mirabilis inquit eorum inventor, ſunt operationis, & ſi vis, ut corroborentur in virtute corroſiva, addatur virtus ſublimati.

De Diæta.

Abſoluto de medicamentis diſcurſu, ad (1) diætam progrediendum. Conſtat autem diæta ſex rebus non-naturalibus; quæ res, vel indicantur à virtute, & erunt alimenta; vel ab aliquo præternaturali, & ſic erunt remedia. Quo ad aerem; ſi morbus à ſanguine oriatur, aër ipſe ad frigiditatem, & ſiccitatem vergere debet. Victus in principio tenuis, poſtea vero quando morbus in longius protrahitur, (quod plerunque fieri ſolet) largior ſit, ut infirmus ægritudinis onus ferre poſſit, ſimulque refrigerans, ſi febris afflixerit; hac vero abſente vinum oligophorum etiam concedendum, præſertim ægrotanti debili; Ipſa autem præſente febre, à vino abſtinendum, & (2) refrigerantibus, humectantibusque utendum. Quies totius corporis (& præſertim laborantis partis) amplectenda. (3) Somnus vigiliæque mediocriter exerceantur. (4) Repletio ſummopere evitetur. (5) Alvus lubrica habeatur. (6) Venus (una cum (7) iracundia) cane peius & angue fugienda.

Ab humore acuto ortum ducente morbo, omnia ad frigidum & humidum tendere debent ſintque vel magis, vel minus talia, prout magis, vel minus acuta fuerit materia: unde ſi aër ſua natura talis non erit, arte reddendus eſt, cubiculi pavimentum gelida perfundendo aqua nec non in eo vitium folia, ſalicum ramulos, roſas, violas, atque hujuſmodi refrigerantia diſpergendo. Abſtineat æger à (8) pinguibus, dulcibus, acribus, ac tandem ab omnibus facile in bilem vertibilibus; utaturque lactuca cucurbita, portulaca, ptiſana hordeacea, atque ſimilibus: potus verò ſit aqua hordeacea, vel ſimplex, vel cum julepo acetoſo, vel cum granatorum acidorum ſucco permixta, aliaque omnia ſupradictis reſpondeant.

(9) Peccante autem pituita, frigida, craſſa, & viſcida; diæta calefaciens ſit, attenuans, & incidens: aërque calidus, ac ſiccus, qui ſi talis per ſe non fuerit, aromatibus, atque aliis calidis talis efficiendus: cibus modicus laudatur: panis bene fermentatus: carneſque laudabiles pauca excrementa generantes, inter quas avicularum ſylveſtrium, nec non pullorum, & quidem aſſæ magis, quàm elixæ commendantur carnes. Utatur inſuper patiens petroſelino, mentha origano ſeminibus fœniculi, aniſi, cumini, cinnamomo, pipere; nec non multis eduliis cum aceto paratis; veluti ſunt cappares, aſparagi, fœnicul:i Vinum concedatur clarum, & præſertim cum aluminoſa, vel ſulphurea aqua modice dilutum: repletiones diſſuadeantur, & exercitationes adhibeantur (11) ſomnus ſit modicus & tantùm nocturnus: (12) Animi paſſiones vitentur, licet ſæpe (13) ira vim curatoriam habeat; egoque propterea biliosum hominem à ſuo naturali ſtatu delapſum ira ſanatum eſſe Viderim: alvus lubrica teneatur: Venus exulet, quippe quæ in univerſi corporis partibus frigidis & præſertim in ventriculo, copioſam generat pituitam.

Si Malum noſtrum ortum duxerit ab humore frigido, & tenui, ſupra poſita omnia opportuna ſunt, modò non attenuent & incidant: potiſſimum vero potus ſit modicus.

At ſi à melancholia, omnia tendant ad quandam calefactionem, humectationem, & attenuationem & propterea evitentur, quæ ab his diverſæ ſunt natura; unde laudatur vinum album, tenue, & aquoſum; panis optimus; ova ſorbilia, carnes omnes laudabiles, ſpinachia, borrago, & cætera.

Procedente tandem peſſima hac ægritudine (14) à virulentia Gallica, vel ab alia prava qualitate, cum victu conveniente alexipharmaca permiſcenda & uſurpanda ſunt.

Annotationes ad Caput de Diæta.

(1) Quomodo Diæta in noſtra Spinæ Ventoſitate inſtituenda ſit, facile intelliget omnis prudens Medicus, ſi ejus antecedentes ac procatarcticas cauſas recte reputaverit. Uti enim hæ cauſæ ſe habent, & prout hæ ipſæ ad affectus noſtri productionem concurrunt, ita diæta quoque habere ſe debet, nimirum ut ipſa peccanti illi cauſæ contrarie opponatur, atque ſic contra cauſam morbificam dirigatur. In nimiam ergo atque inutilem prolixitatem excreſceret hæc noſtra Tractatio ſi contra ſingulas, tamque diverſas Mali noſtri cauſas, tot quoque tamque diverſas diætæ regulas præſcribere vellemus. Quid? quod nec opus eſſe cenſeamus, cùm quivis Medicus, qui cerebrum non prorſus in calcaneo gerit, verique Medici nomen meretur, congruam victus rationem ipſique Spinæ ventoſitatis peccanti privatæ cauſæ rite oppoſitam ægrotanti ſuo facili negotio imperare noverit. Ut adeo nos nihil aut parum habere exiſtimemus, quod his, quæ hoc ipſo Cap. de Diæta à Pandolphino noſtro dicuntur, addamus ulterius.

(2.) Juxta Hippocrat. Aphoriſm. 16. Sect. 1. Victus humidus febricitantibus omnibus confert.

(3) Somnus enim & vigilia, utraque modum excedentia, malum: eſt Aphor. Hippocr. 3. Sect. 2.

(4) Nititur Hippocratis Aphoriſmo 4. Sect. 2. Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod naturæ modum excedat, bonum.

(5) Fluit iterum ex illo generali Hippocratis axiomate Aphoriſm. 69. Sect. 7. Per alvum & veſicam, & quacunque corporis prodeat aliquid, ſi non purgatum reſtiterit, malum.

(6) Venus fugienda, non ſolùm quia hujuſmodi in affectibus vires magis enervat, corpuſque debilitat, ſed & quia Morbus hic noſter vel ipſum Gallicæ luis virus, vel certè non abſimile quid plerunque redolet; qua verò in ſpurciſſima labe Venus peſtis inſtar eſt.

(7) Qui elegantem illum Libellum Johannis

Wieri de Ira, Morbo, percurret, is abundè inveniet, quid immoderatior ira atque excandeſcentia non ſolùm ad multos alios, ſed & in ſpecie ad hunc noſtrum affectum tribuere poſſit.

(8) Pinguia enim & dulcia facilè bileſcere vulgò perhibentur.

(9) Quemadmodum à ſola pituita frigidâ, craſsâ atque viſcidâ per ſe vix ac ne vix quidem Malum noſtrum provenire poſſe jam ſupradiximus, & adhuc credimus; ita contra hanc rariùs diætam dirigi debere exiſtimamus.

(10) Suffulcitur illa vulgari hypotheſi, per ſomnum immoderatum atque nimium excrementa cumulari, pituitamque copioſiùs generari.

(11) De Animi affectibus ceu poſtrema Rerum Non-naturalium claſſe cùm in genere tum in ſpecie è Recentioribus nemo meliùs, nemo accuratiùs, nemoque ad hodierna nov-antiqua principia accommodatiùs egit, quàm Gualter. Charleton, Exercitat. Patholog. 8. quem vide ſis.

]12) Lethalis iræ exempla habet Camerarius Syllog. Memorabil. Cent. 10. Part. 52. Salutaris verò iræ exempla rariora quidem ſunt; dari tamen poſſe, vel inde fit manifeſtum, quia animi paſſiones ad quas ira quoque refertur, quemadmodum omnes aliæ Res Non-naturales, indifferenter & medio modo ſe habent, id eſt, dextrè uſurpatæ ſanitatem juvare, ſiniſtrè verò uſurpatæ eidem incommodare valent. Modica ergo, & ſuo tempore, quæ effunditur ira quin morbi curationem promovere quadantenus poſſit, non eſt, quod dubitemus.

(13) A Gallica lue vel alio ſimili maligno morbo ſi Spinæ Ventoſitas prognata fuerit, ad illum ipſum morbum non ſolùm curatio, ſed & diæta, victuſque ratio cum appropriatorum alexipharmacorum uſu dirigenda, & ex illo ſpeciali morbo petenda eſt.

Totus Tractatus Avicennæ, de Ventoſitate Spinæ, pro Authoris excuſatione.

(1) Ventoſitatis Spinæ cauſa ſunt humores acuti, penetrantes in os, & corrodentes ipſum, & (2) inceſſus Ventoſitatis Spinæ, eſt inceſſus doloris juncturarum. Veruntamen materia in dolore juncturarum eſt in carne, & in Ventoſitate Spinæ eſt in oſſe, & (3) ejus additio corrumpit oſſis partem unam poſt aliam. Dixerunt quidam, quòd Spina eſt ſpaſmus in toto corpore propter ulcus, & non affirmatur.

Hæc ſunt formalia Avicennæ verba circa totum hujus morbi Tractatum, de quo (veluti in principio aſſeruimus) neque Rhaſes, neque Recentiores, his plura ſcripſerunt. Quare ne miretur aliquis, ſi & nos brevem ſermonem fecimus, & fortaſſe in pluribus deficientem: imò excuſatione apud omnes digni ſumus; quia in hoc nullum ducem habuimus, qui obſcuram, perdifficilemque viam nos doceret: ſed quem (Deo favente) aliàs uberiorem facere in animo habemus.

Annotationes ad Tractatum Avicennæ de Ventoſitate Spinæ.

(1) Hic Avicennæ floſculus ex ejus Fen. 4. Libr. 4. Tract. 4. cap. 9. tanquam fœcundâ arbore decerptus eſt. Mirum autem in hunc Avicennæ locum è præcelebribus illis ejus Interpretibus (Gentilem de Fuligine dico, Jacobum de Partibus, Dinum Florentinum, Ugonem Senenſem, Averroem Cordubenſem, Matthæum de Gradibus, Thaddæum Florentinum, & Gentilem Florentinum) nullum ne verbum quidem commentatum fuiſſe. Unde Pandolphinus noſter non ſolùm illam veniam, quam ſibi dari petit, utique merebitur; ſed & laude præterea, quod primus ferè atque ſolus in Spinæ Ventoſitatis fuſiori explicatione glaciem fregerit, digniſſimus erit.

(2) Per inceſſum, teſte Severino de Pedarthrocace p. 308. acceſſus intelligitur.

(3) Id eſt, materiæ additio vel accumulatio, quæ in oſſe contingit, ita illud corrumpit, ut ejus una pars aliam etiam quodam quaſi contagio in conſenſum rapiat, ſimiliterque corrumpat.

Hactenus Clariſſimus Pandolphinus, ejuſque Commentator Doctiſſimus. Jam ſequuntur in variis oſſium affectibus.

Obſervationes.

Oſſa propter cauſſas externas denudata, non ſemper alterari, cariemque contrahere, exemplis demonſtratur.

Oſſis cariem unam ex præcipuis eſſe cauſſis, quæ vulnerum & ulcerum conſolidationem impediunt, etiam mediocriter in Chirurgicis exercitatis notiſſimum eſt. Corrumpuntur autem oſſa aut à cauſſis externis, aut internis. A cauſſa externa, quotieſcunque in vulneribus profundis & magnis os à carne & perioſtio ſuo denudatum eſt: tunc enim ratione aëris ambientis corrumpitur: Si enim calidior quàm pro temperamento oſſis convenit, fuerit, vitalem ſpiritum oſſis, humidumque innatum abſumit, fitque aridum & carioſum. Ita etiam ſi nimis frigidus fuerit aër, emoritur ſuperficies oſſis, propterea quod humidum radicale ratione frigoris veluti gelatum, & ad caloris pabulum ineptum factum ſit. Corrumpitur quoque, ſi oleoſa, putrefacientia, & acria medicamenta applicata fuerint.

Interna cauſſa eſt, cum acris humor circa aliquam partem oſſis collectus fuerit, oſſaque eroſerit: quemadmodum accidere videmus in abſceſſibus putridis, præcipue ex lue venerea, & variolis ortis. Verùm de hac cauſſa alias, nunc de externa ſolum modò agere conſtitui.

Cæterùm nonnullos, & quidem non vulgares vidi Medicos atque Chirurgos, qui in hac fuerunt opinione, oſſibus etiam in recentibus vulneribus denudatis non poſſe adnaſci carnem, niſi ipſorum ſuperficies naturæ & medicamentorum beneficio in ſquamam abierit. Quapropter quamprimum ipſis vulnus cum oſſe denudato occurrebat, illud per dies aliquot ad cruorem uſque

uſque ſcalpris abradebant, aut acria medicamenta, veluti oleum ſulphuris, vitrioli, aquam fortem, & ſimilia applicabant, ac proinde ex ſimplici vulnere non rarò ulcus malignum efficiebant. Oleum enim vitrioli, ſulphuris, & aqua fortis propter ipſorum ingentem calorem, acredinem, ac vim cauſticam, humidum innatum oſſis abſumunt, idque non ſuperficietenus tantùm (mirum in modum enim penetrant ad vicinas partes) verumetiam profundè, quemadmodum videmus in dentibus carioſis. Si enim horum medicamentorum aliquod denti carioſo impoſitum fuerit, remittit quidem dolor ad tempus, interim tamen caries non caſtigatur, ſed dens ad ſui uſque radicem brevi omninò eroditur. Etſi autem aër adverſiſſimus ſit oſſibus denudatis, attamen ut ab ipſo alterentur & corrumpantur, non ſemper ſequitur, præſertim ſi Chirurgus diligentem curam circa vulnus adhibuerit, nec quicquam acre applicuerit, idque etſi multis exemplis demonſtrare poſſem, unum tamen aut alterum, ne nimis tædioſa ſit lectio ſaltem addere conſtitui.

Exemplum I.

Anno 1581. ego adhuc juvenis, cum apud præſtantiſſimum atque excellentiſſimum virum Dom. Coſmam Slotanum, Chirurgiæ ſtudio operam darem, & ab ipſo in pagum Langenberg in Marchia ad ægros quoſdam curandos miſſus eſſem, incidit mihi in manus quinquagenarius quidam, cui cutis ſimul & pericranium ictu baculi lignei a toto fere bregmate ſiniſtro abſtractum, ſeparatumque fuit, abſque ulla tamen concuſſione cerebri, aut fractione cranii.

Curationem ſic inſtitui. Primò albumen ovi, pulveri roſarum mixtum, ad ſanguinis fluxum cohibendum vulneri impoſui, cutemque carnoſam, quæ ad aurem fere uſque dependebat, quantum fieri potuit, in altum reduxi. Alvum quæ adſtricta, eodem die Suppoſitorio ſubduxi & venam in brachio ſiniſtro incidi, Altera die ſequens lenitivum exhibui.

℞. Foliorum & florum betonicæ fol. agrimoniæ, veronicæ ſcabioſæ an. M. ß. fol. ſenæ. ſem. aniſi an. ʒ ii. Coquantur in aqua ut colatura redeat, ad ℥ iii. in quibus diſſolve electuarii de ſucco roſar. Meſ. ℥ ii. ſyrupi roſarum ſolutivi ſimplici ℥ j. Miſce, fiat potio.

Quotieſcunque autem curabam vulnus, ne os ab injuria aëris ambientis læderetur, famulum conſtitui, qui ſartaginem prunis impletam è regione vulneris tenebat. Os detectum diligenter filamentis ſiccis obtegi, labiis verò vulneris, ad decimumquartum fere diem ſequens digeſtivum impoſui.

℞. Ceræ novæ colophoniæ gummi elemi ana ℥ i. terebinth. ℥ vi. ol. roſarum & de vitellis ovorum ad. quantum ſatis Diſſolvantur omnia ſimul & percolentur, admiſceanturque croci ʒß. vitellum ovi numero unum.

Proſpiciendum autem, ne unguentum hoc nimis ſit liquidum, neve ad os perfluat, quapropter filamentis illud parcè, & labiis ſolummodo applicui, quod reliquum erat vulneris, filamentis ſiccis ac mundis implevi, omniaque emplaſtro Baſilicone obtegi, totumque caput oleo roſaceo inunxi. Hoc modo cum per dies aliquot vulnus quotidie curaſſem, tandem undique in ipſo cranio denudato maculæ rubræ, veluti ſi illud ſanguine conſperſum fuiſſet, apparebant. Hæ cum in ſingulas horas accreviſſent, brevi in ſubſtantiam carneam abierunt, quamvis ſpongioſam: quæ intra paucos dies cranium denudatum undique obtegit. Tum ſequentem pulverem inſperſi.

℞. Florum betonicæ ſalviæ roſarum an. ℈ i. ß Rad. iridis florent. cariophylatæ ligni ſaſſafras maſticis thuris ana ℈ ii. croci ℈ i. Miſce, fiat pulvis tenuiſſimus.

Tandem quoque emplaſtrum de betonica applicui. Sic intra menſem curatum fuit ingens hocce vulnus, ſine oſſis deperditione. Filamenta autem, quibus utor in vulneribus capitis, ſequenti modo præparare conſuevi. Accipio telam contritam, & ad filamenta paranda aptam, eamque ſequentibus aquis imbuo, iterum in umbra exſicco, idque ter aut quater repeto, tandemque ex tela illa filamenta conficio.

℞. Aquæ betonicæ ſalviæ lavendulæ roſar. odoriferat. ana ℥ i. cinnamomi ligni ſaſſafras ſtyracis calamitæ benzoini ana ʒ ii. Pulveriſentur, & cum prædictis aquis commiſceantur ad uſum.

Exemplum II.

Anno 1616. Dn. Johan. Rudolphi Huieri, Reipublicæ Bernenſis Conſiliarii, & Tribuni plebis prudentiſſimi filiolus, Nicolaus nomine, trium circiter annorum ætatis, cum ex alto cecidiſſet, & panniculum carnoſum inter ſuturam coronalem, & frontem, verſus ſiniſtram partem à cranio ſeparaſſet, craniumque ad latitudinem palmæ fere denudatum fuiſſet, præcedente methodo vulnus feliciter ſanavi, abſque ulla oſſis deperditione.

Exemplum III.

Anno 1600. puella quædam octodecim menſium ætatis, Lauſannæ in torrentem cum cecidiſſet, & capite in unam & alteram partem contra rupes projecta fuiſſet, tanta ſequuta eſt capitis contuſio, ut propter puris copiam panniculum muſculoſum circa bregma ſiniſtrum tribus in locis incidere coactus eſſem. Inciſa cute, cranium non ſolùm denudatum, verum etiam depreſſum, non tamen confractum reperi. Puerorum enim crania nonnunquam abſque ulla fractura deprimuntur. Sic autem proceſſi præter univerſalia bis in die caput ſequenti linimento inunxi:

℞. Ol. roſac. myrtillorum an. ℥ ii. chamomil. amygdalarum dulcium an. ℥ i. gummi elemi ʒ i.

Miſceantur lentiſſimo igne uſque dum gummi elemi diſſolutum fuerit, tum per linteum colentur, reſerventurque in ampulla vitrea ad uſum. Cranio filamenta ſicca præſcripto modo præparatata, labiis verò vulneris præſcritum digeſtivum, totique capiti ſequens cataplaſma calidè applicui.

℞. Farinæ fabarum hordei an. ℥ iii. pulv. florum & folior. betonicæ ſalviæ roſarum myrtillorum ſtœchad. an. ʒ i. ſapæ ℥ ii. Coquantur in vino rubro ad formam cataplaſmatis, adde

ſub finem pulv. radicum caryophyllatæ, calami aromatici an. ℥ ii. croci ℈ i. vitellos ovorum num. tres, Miſce, fiat cataplaſma: applicetur calide.

Ab initio autem, & quidem ſpacio quindecim dierum, cum pus copioſè efflueret, juſſi, ut mater ſingulis, ut ita dicam, momentis, digitis os nareſque clauderet: idque in hunc finem, ut retentis ſpiritibus cerebrum inflaretur, impreſſionemque cranii in ſitum naturalem reduceret. Elapſo decimo quinto, loco prædicti digeſtivi, ſequens unguentum vulneribus impoſui.

℞. Pulv. radicum angelicæ caryophyllatæ iridis florent. ariſtolochiæ rotundæ an. ℥ i. cinnamomi electi & ligni ſaſſafras an. ℈ ij. extracti betonicæ & ſalviæ an. ℥ ii. croci ℈ i.

Cum melle roſato quantum ſatis, fiat unguentum. Poſt uſum cataplaſmatis emplaſtrum de betonica applicui. Præſcriptis adhibitis remediis, impreſſum cranium non tantùm in naturalem ſitum rediit, verumetiam vulnera brevi coaluerunt, neque ſquamæ ullæ oſſis exciderunt: & in integrum ita reſtituta fuit puella, ut ad annum 1613. (quo anno peſte obiit) vixerit.

Exemplum IV.

Puellæ cuidam Bernenſi, filiæ Dn. Jonæ Weis, ſimile vulnus contuſum cum cranii denudatione, ſimili methodo, ſimilibuſque remediis feliciter curavi, ſine oſſis deperditione.

Exemplum V.

Crura quamvis excrementitios humores ex toto corpore facilè recipiant, idem tamen & circa tibiarum & crurum vulnera obſervavi, uti ſequens hiſtoria fidem facit. Ruſticus quidam Montagni in ditione Reipublicæ Freiburgenſis Helvetiorum, vulnus maximum ex maxima contuſione in ſiniſtram tibiam recepit. Paterniacum cum mihi adductus eſſet, os multùm denudatum inveni. Dolor (vulnus enim ab initio neglexerat) maximus, inflammatio, intumefactio totius cruris aderant. Convenientibus adhibitis remediis, in integrum reſtitutus fuit, abſque ulla oſſis deperditione.

Exemplum VI.

Anno 1615. quidam ex domeſticis Illuſtris Viri Dn. Caſtilionei, Sereniſſimi Regis Galliæ Conſiliarii prudentiſſimi, & apud Helvetios Legati vigilantiſſimi, Bartholomæus nomine, juvenis viginti annorum ætatis & robuſtus, cùm ictu ſecuris vulnus in dextrum crus accepiſſet, focileque majus uſque ad medullam ferè fiſſum, & mihi curandus commiſſus fuiſſet, reſtricto ſanguine, corpus eodem die electuario de ſucco roſarum, nec non ſyrupo roſato ſolutivo, cum aqua cichorei diſſoluto, expurgavi: altero die venam in brachio dextro incidi: in ſuperficie vulneris digeſtivum, quale ante deſcripſi, oſſi verò filamenta ſicca impoſui, totum crus ad coxam uſque oleo roſaceo inunxi, & ſequens cataplaſma applicui.

℞. Farinæ hordei ℥ vi. pulv. roſar. rubear. myrtillorum an. ℥ i. boli albi ℥ ij.

Cum aceto roſaceo & aqua, fiat cataplaſma, ſub finem adde albumen ſimul & vitellum unius ovi: Miſceantur, fiatque cataplaſma. Proceſſum illum ante decimum quartum non mutavi. Deinde quæ cicatricem inducunt applicui. Hiſce remediis in integrum reſtitutus fuit, nullo ſuperveniente ſymptomate. Partem autem illam oſſis, quæ ad medullam uſque ferè ſeparata, & in altum elevata erat, faſciis, laminiſque plumbeis paulatim clementerque depreſſi, ita ut mediante callo iterum annexa fuerit, & ne feſtuca quidem oſſis exciderit. *Gulielmus Fabricius Hildanus Obſerv. Chirurg. Cent.4.*

Oſſa propter cauſſas internas denudata, non ſemper ſquamam abjicere, exemplis demonſtratur.

Ex cauſſis quoque internis oſſa plerumque cariem contrahunt, præcipue ſi humor aliquis acris aut putridus diutius in aliquam partem corporis defluxerit, & abſceſſum procreaverit. Oſſa enim etiamſi omnium partium corporis ſint duriſſima, attamen ſucceſſu temporis ab ejuſmodi humoribus defluentibus corrumpuntur, quemadmodum cadentes guttas pertundere ſaxa videmus. Quapropter recte Hippocrates ſcriptum reliquit: Ulcera quæcunque annua ſunt, quæque per annum integrum durant, aut etiam diuturniora, in iis os abſcedere eſt neceſſarium. Nam cùm hæc ipſa ſint maligna, neceſſe ut non tantum caro ipſa, verumetiam os corrumpatur, & abſcedat. In lue venerea, item in variolis, aliiſque abſceſſibus putridis ſæpiſſime id obſervatur. Quotieſcunque autem oſſa ex hujuſmodi cauſſis denudantur, ut plurimum corrumpuntur, antequam caro & cutis ipſa (uti non rarò mihi obſervare contigit) exulcerantur; nec coaleſcit vulnus, niſi caries oſſis prius ablata fuerit. Id autem commode fiet, ſi labia ulceris ſpongiis præparatis aperta retineantur, & pulvis euphorbii quotidie inſpergatur: vis enim quicquam præſtantius ad cariem oſſis auferendam occurrit euphorbio, quemadmodum obſervatione 92. centuriæ primæ obſervationum mearum fuſiùs declaravimus. Eſt enim calidum uſque in quartum gradum: quapropter humores oſſi imbutos exſiccat, neque ad partes ſanas penetrat, uti faciunt oleum vitrioli & aqua fortis, quemadmodum in præcedente obſervatione annotavimus. Hac methodo aliquando cariem oſſis emendari, ubi nulla excidit ſquama. Euphorbium enim paulatim, cùm inſigniter exſiccando, tum etiam à quadam proprietate occulta, oſſa corrigit, & quicquid carioſi cum pure effluit. Hujus rei exemplum mihi Anno 1600. in puella duorum circiter annorum ætatis, & filia Dn. Petri Sylvii Viviacenſis, ad lacum Lemannum videre contigit. Huic puellæ enim cum poſt variolas abſceſſus ingens circa cubitum ſiniſtrum ſuperveniſſet, Lauſannam mihi adducta fuit. Aperta vomica, os denudatum & carioſum repertum fuit. Ex una porro parte ulceris, ubi profunda erat caries, naturæ atque euphorbii beneficio ſquama decidit: reliquam verò cariem natura ſenſim, & quidem inſenſibiliter correxit, ita ut pleniſſime convaluerit ægra, neque ad hunc uſque annum 1614. quo hæc ſcribo, ullum incommodum hac de re perſenſerit.

anno-

Eodem anno cùm Dom. Joachimi Rohauld, pharmacopolæ Lauſannenſis filia, duorum annorum ætatis ulcus ex variolis contraxiſſet, mihique adducta fuiſſet, os denudatum & carioſum reperi. Præſcriptis adhibitis medicamentis, ulcus abſque ulla manifeſta oſſis ſeparatione ſanatum fuit. Manifeſta, inquam quandoquidem fieri non poteſt, ut os carioſum carne laudabili obtegatur, & ulcus cicatrice obducatur, niſi prius ablata carie. Senſim itaque, naturæ & medicamentorum beneficio, quicquid carioſum, ſeparatur, & veluti pulverulentum quid cum pure effluit. Hæc in gratiam tyronum adſcribere viſum eſt, ne ægros cauteriis actualibus, ſcalpris, aut medicamentis erodentibus facilè excrucient. *Idem ibidem.*

In magnis oſſium comminutionibus atque contritionibus, etiam poſt multos annos fragmenta oſſium prorumpere, exemplo demonſtratur.

Strenuus quidam & generoſo animo præditus miles, Petrus Gautier nomine, cum ante annos 20. in Galliis exercitum duceret, in obſidione & aggreſſu oppidi cujuſdam, ictum ſclopeti recepit. Globulus autem in ipſa regione hepatis, & quidem ad latus muſculi recti, latitudine circiter digitorum ſex ſupra umbilicum intraverat, & trajecto muſculo obliquo, ſimul & tranſverſo abdominis (illæſis tamen viſceribus internis) ſuperficiem oſſis ilei prope os ſacrum perforavit, ibidemque ad ipſam cutem remanſit. Altera tamen die levi à Chirurgo facta inciſione cutis, extractus fuit. Ab initio, etſi graviſſima ſupervenirent ſymptomata nonnulla, vulnus tamen è regione hepatis exiſtens, brevi conſolidatum fuit, neque ab eo tempore ullum incommodum ægro attulit. Alterum verò ulcus in ipſa ſuperficie oſſis ilei, etſi Chirurgus illud ab initio & methodice, & eâ, quâ fieri potuit, diligentiâ curaſſet & oſſicula nonnulla comminuta ex ipſo extraxiſſet, tandemque quoque ad cicatricem perduxiſſet poſt annos tamen circiter duos, cum æger febre, maximiſque rigoribus & bubone in inguine correptus fuiſſet, iterum dolor ingens, inflammatio inſignis, atque intumefactio, in loco prioris vulneris circa ſuperficiem oſſis ilei exorta eſt. Advocatus Chirurgus, illam adhibuit diligentiam, ut tumor ille paulò ad ſuppurationem perveneri: quo rupto, multum puris inde effluxit; oſſicula quoque nonnulla, quæ ſeſe ultro offerebant, à Chirurgo abſque ulla violentia extracta fuere: ac brevi iterum conſolidato vulnere, æger convaluit. Ab eo tempore, etſi aliquoties iiſdem ſymptomatibus corriperetur æger, & diverſorum, & quidem in artis operibus exercitatiſſimorum Medicorum atque Chirurgorum curis ſeſe ſubmitteret, hactenus tamen nullus, ut ferrum & ignis adhiberetur, imò ne Grifonius quidem, excellentiſſimus atque exercitatiſſimus ille Chirurgus ſuaſit. Ante menſem, poſtquam ulcus denuò pluſquàm per annum integrum clauſum fuiſſet, ac eiſdem ſymptomatibus corriperetur æger, tandemque apertum fuiſſet ulcus, nec non multum puris effluxiſſet, Bellicium ſe contulit, meque in conſilium adhibuit. Tum immiſſo ſtylo exploratorio, fragmentum oſſis in imo vulneris ſtatim inveni. Quapropter ſuaſi, ut adhibitis univerſalibus, ulcus clementer & abſque dolore dilataretur, donec oſſa confracta, & quidem illa imprimis, quæ ſtylo inveniebantur, extrahi poſſent. Quid vero facturus ſit, & an conſilio meo in poſterum obtemperaturus, neſcio: ego enim propter feſtinationem, curationem iſto in loco, à familia mea remoto, ſuſcipere non potui. Deinde etiamſi prædicta ſymptomata per intervalla, & ut plurimum de ſecundo in ſecundum annum recurrant, malumque iterum recrudeſcat, & oſſicula ejiciantur, quia tamen non uſque adeò malum hoc ipſi moleſtum eſt, & ulcus iterum facilè coaleſcit, non magnopere hac de re ſolicitus eſt æger. Eſt præterea vir robuſtiſſimus, & optimo corporis habitu præditus morbiſque parum obnoxius. *Idem ibidem.*

De uſu corticum arborum, loco ferularum in fracturis oſſium, & incommodis inde ſubſequutis.

Cortices arborum in fracturis oſſium loco ferularum in uſum quoque receptas eſſe, ſciunt Practici. Ego vero eas, ob cauſſas, quas mox annectam, plane improbo.

Anno 1587. Nobilis quidam Chamveriacenſis, *Claude de Combe* nomine, ex Germania rediens, prope Lauſannam ex ictu equi fracturam tibiæ cum vulnere contraxit. Ego accerſitus fracturam repoſui, ægrumque in lectica ad urbem conduxi: ubi cùm in diverſorio ad crucem albam, per dies aliquot permanſiſſet, ut ipſum Chameriacum in Sabaudiam ad ædes ſuas conducerem, petiit. Porro in via tranſeundo Romiliacum Sabaudiæ oppidum, Empiricus quidam (quem in oſſium fracturis, & dislocationibus reponendis, ad cœlum uſque extollebat vulgus) ægro adductus fuit. Præcedenti autem die propter maximum æſtum, erat enim ſub finem menſis Auguſti, ſuaſu, ne dicam juſſu ægri, loco ferularum cortices recentes ſalicis applicueram. Solutis itaque faſciis præſente Empirico, impreſſio quædam in parte muſculoſa haud longè à poplite conſpecta fuit: qua viſa, arrogans ille Empiricus (me ob juvenilem ætatem in hac parte Chirurgiæ imperitum & inexpertum iudicans) oſſa illa confracta non ſatis accuratè à me repoſita fuiſſe, inde colligit: ac ægro perſuadere cœpit, ut de novo tibia extenderetur, oſſaque confracta, & ſuis locis remota in ſitum naturalem reponerentur. Ego, etiamſi fracturam planiſſimé reſtitutam eſſe, neque in eo loco, in quo Empiricus fracturam ſibi imaginabatur, unquam os malè affectum fuiſſe, ſed impreſſionem illam atque foveam ratione corticum accidiſſe, ſatis ſcirem: attamen quia de honore atque exiſtimatione mea agebatur, ſupra modum fui anxius. Tandem ægrum & adſtantes, ut negotium in ſequentem diem differrent, admonui, hiſce adductus rationibus: primò quia æger defatigatus, deinde quoque, quia operationes nunquam veſpertino tempore, niſi maxi-

ma urgente neceſſitate adminiſtrandæ. Opinioni meæ cum clariſſimus, ac longè doctiſſimus Vir Domin. Claudinus à Veneto, I. V. Doctor, Judex ordinarius Epiſcopatus Mauriacenſis, & Advocatus in ſupremo Senatu Sabaudiæ, ægri Gener (qui eadem die Chamberiaco ſocero ſuo obviam venerat) ſubſcripſiſſet, & ut operatio in ſequentem diem produceretur, æger conſenſiſſet, protinus totum crus, & ipſum femur oleo roſaceo & myrtillorum inunxi: ut autem eò melius penetrarent, atque influxos humores repellerent, oleo guttulam unam aut alteram aceti roſacei adjunxi. Inuncto crure, illud à pede uſque ad genu faſcia, ſequenti decocto madefacta, involvi, mediocriterque conſtrinxi, idque in eum finem, ut humorem influxum, ibidemque veluti congeſtum, exprimerem.

℞. Folior. & radic. plantaginis majoris, ſummitatum rubi roſarum myrtillorum foliorum ſalicis prunorum ſylveſtr. ana M. j. abſinthii roſmarini Salviæ an M. ß.

Coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis: Colaturæ adde parum aceti. Poſtea ferulas meas ſtupis involutas fracturæ iterum circumpoſui, & mediocriter conſtrinxi, tibiamque in capſulam, quâ in via uſus fuerat æger collocavi. Lectum ita ſternere juſſi, ut crus male affectum natibus nonnihil altiùs jaceret, & influxi humores ſurſum refluere poſſent. Illa nocte optime quievit, nec ullus adfuit dolor. Altera die ſolutis faſciis, nulla inæqualitas, nullaque depreſſio, aut fovea reperta, inſcitia nec non arrogantia, aut potius impudentia; hujus empirici detecta fuit. Quapropter deinceps nobilis æger pleniſſimam fiduciam in me habuit. Conduxi ipſum Chamberiacum, ibique per duos menſes apud ipſum moram traxi, curationemque divino favore feliciter abſolvi. Ab eo tempore cortices arborum, imprimis recentes, loco ferularum nunquam applicare volui. Hæc, quia in ſuperioribus obſervationibus de fracturis oſſium egimus, in gratiam tyronum adſcribere volui, eoſque adhortor ut hac in re caute & circumſpecte agant, Cortices enim cùm exſiccantur, circa fracturam contrahuntur, doloreſque excitant, oſſaque nonnunquam ſuo loco iterum removent. *Idem ibidem.*

Uſus emplaſtri oxycrocei in fracturis oſſium non ſemper tutus,

Vulgus Chirurgorum in fracturis abſque diſtinctione, ſtatim ab initio, aut poſt paucos dies, emplaſtrum oxycroceum fracturæ applicare ſolet: idque non ſine ingenti periculo fieri poſſe, multis quidem demonſtrare poſſem exemplis, ſed hoc unicum ſufficiet.

Adoleſcentem viginti quatuor annorum, robuſtum & biliosum cognovi, qui tibiâ fracta, in manus barbitonſoris (cujus nomini parco) incidit. Repoſita fractura, primo apparatu emplaſtrum ex bolo armeno, farina hordei, & albumine ovi applicuit. Tertio poſt die cùm deligaſſet tibiam, & fracturam ſuo loco repoſitam inveniret, emplaſtrum oxycroceum admovit. Eodem die exortus eſt pruritus, qui paulatim tranſit in dolorem vehementem. Poſt dies aliquot ego vocatus, tibiam inflammatam, & puſtulis lividis refertam, & ut paucis dicam, gangrænâ infectam reperi: undique ſcarificata cutis, & remediis, quæ ad gangrænæ curationem faciunt, applicatis, ceſſavit gangræna. Poſtea fracturam ſuis quoque remediis propriis & aptis, divino favore perſanavimus. Hinc perſpicuum fit, uſum hujus emplaſtri periculoſum eſſe in fracturis, præcipuè autem ab initio fracturarum & diſlocationum: eſt & eò periculoſius emplaſtrum iſtud, quantum ſubjectum, hoc eſt, corpus ægri bilioſius, calidius, aut pravis humoribus refertum fuerit. Sunt enim ingredientia hujus emplaſtri fere omnia calida. Hinc partem affectam calefacit, ſanguinemque & humores attrahit, qui, quod circa initia fracturarum ac diſlocationum in motu ſint, & ratione doloris & ſolutionis continuitatis, libentius atque facilius affluunt. Mirum itaque nemini videri debet, Vigonem libro octavo capite vigeſimoſexto. Emplaſtrum hocce Oxycroceum diabolicum appellaſſe. Ego, ut ingenue fatear, rariſſime eo utor, niſi forſan in fine morbi pro corroboratione partis affectæ, aut ad duritiem aliquam diſſolvendam. Uſus autem cerati Vigonis ad fracturas oſſium (cujus deſcriptionem vide libro & capite præallegato) mihi ſummopere probatur. Neque infimum locum hac in parte obtinet emplaſtrum Slotani, Præceptoris mei honorandi, cui ego pulveres aliquos convenientes addere ſolitus ſum, ut

℞. Emplaſtri Slotani ℥ iv. pulveris radicum ſymphyti majoris roſarum rubearum myrtillorum an. ℨ ij. lapidis oſteocollæ præparati ℨ vi.

Miſceantur lentiſſimo igne cum modico olei roſacei, fiatque emplaſtrum. *Idem ibidem.*

De Strepitu Oſſium.

Puella novendecim aut viginti circiter annorum alias boni habitus quotieſcunque ambulabat, aut pedes movebat, ab adſtantibus & vicinis Oſſium circa genua ſtrepitus & fragor, quaſi nuda eorundem capita inter ſe ar tererentur, ſumma cum admiratione ac ſtupore audiebatur: hinc quaſi in proverbium inter domeſticos ac notos abiit, quoties eadem incederet. ecce capra venit, Cæterùm nec ullum dolorem, morbum, aut aliud ſymptoma patiebatur, corpore toto bene conformato, ac ſano; actionibuſque omnibus integris exiſtentibus.

Scholion.) Crepitus Oſſium huic non multum abſimilis in morbo Scorbutico ab aliis (quod ſciam) non obſervati meminit Thom. Willis patholog. Cerebri fol. 318. dum inquit: Novi quoſdam, vix tamen ultra tres aut quatuor, qui Scorbuto dudum laborantes, noxam ejus non tantum in humoribus & partibus carneis, ſed in ipſis demum oſſibus luerunt: quoties

quoties enim membrum quodvis ullo modo flecterent, oſſium capita, quaſi nuda eſſent, inter ſe attrita ſtrepitum ingentem edebant, porro cum lecto decumberent, ibidemque è latere in latus ſe devolverent, à vertebrarum colliſione, tanquam à Sceleto aſperiùs tractato, crepitus ingens, vel ipſos affectos perterrefaciens exaudiebatur. De cauſis verò rarioris hujus Symptomatis ita diſcurrit.

Hujus cauſa conjuncta forſan videatur eſſe, quod molli oſſium interſtitio, ſcilicet adipe, membranis & ligamentis valdè abſumptis ipſorum juncturæ, velut lapides molares prorſus maniti, propter mutuum attritum, reſonarent: at tamen rem ſecus habere conſtat, quia nec ſummè tabidis adeſt oſſium crepitus, neque hoc affectu laborantes ſemper intabeſcunt: quare potiùs dicendum erit, quod Symptomatis hujus cauſa immediata ſit oſſium ariditas, ſive medullæ ita propriè dictæ, quam intrà oſſium cavitates, ac imprimis capita ipſorum, contineri oportuit, defectus: nam ſiquidem oſſa quævis medullam, ſive humorem unctuoſum, aut cavitatibus magnis, aut poris & meatibus exiguis ubique excuſis, includunt, hujus uſum ſtatuimus, tùm ut oſſa eodem irrigata, minùs fragilia evadant, tùm inſuper, ut humor iſte, oſſium nodis exudans, articulos quoſvis velut machinæ commiſſuras pinguedine linitas, lubricet, eorumque adeo motus facilitet; quare oſſium capita, hac medulla deſtituta, crepant, non ſecus ac currus rotæ, rariùs iunctæ.

Quod ſi de morbi hujus cauſa procatarctica inquiratur, quamobrem ſcilicet unctuoſum illud articulorum oblinimentum deficit: hoc equidem vel ſanguinis vitio imputandum erit, quaſi hic, alimentum Sulphuris æque ac Salis, particeps oſſibus haud ritè ſuppeditat; quod equidem minùs veriſimile eſt, quoniam maſſa ſanguinea, etiam in Scorbuticis particulas utriuſque generis prædicti continet; quin & oſſium crepitu laborantes cutim, & muſculos pinguedine ſatis oblitos oſtendunt; vel ſecundo potius videtur, humorem unctuoſum quo articuli lubricentur, ipſorum oſſium culpa deſiderari, quia ſcilicet horum pori & meatus à materia quadam extranea, forſan limoſa, aut tartarea per ſanguinem advecta, in tantum obſtruuntur, propter ea ut balſamum iis deſtinatum non ſatis excipiant, nec pro humectandis ipſorum commiſſuris exudent; non facilè erit [quia res tota in abſtruſo latet) particulares hujus effectus rationes inveſtigare. *Hucuſque Willis.*

Puellam hanc noſtram ſcorbutica paſſione affectam fuiſſe, nulla adſunt indicia, præſertim cum floridi fuerit corporis habitus, de nulloque morbo aut actionum læſione conqueſta: alia itaque ſine dubio hic latuit cauſa quæ ariditatem illam oſſium, mucoſique eorundem oblinimenti abſumptionem, unde oſſium ſtrepitus induxerat. Forſan inde contigit, quod abſumpto uberiùs in reliquarum corporis partium nutritionem alimentari nervorum ſucco, mucoſum hoc defecerit oblinimentum. *Dom. Georg. Sebaſtian. Jungii.*

Strepitus Oſſium.

Stridorem dentium hactenus obſervarunt Medici, de ſtridore vero, ſtrepituque oſſium, ſive articulorum apud neminem, præter ea, quæ Excellentiſſ. Dn. Jungius Ephemer. German. Ann. III. obſervat. 275. pag. 488. & Willis de Scorbuto capite nono p. m. 118. annotarunt, quicquam me legiſſe memini. Ego ſtridorem omnium oſſium obſervavi in quodam Doctore Juris Heidelbergenſe 30. præter propter annorum, temperamenti, ut videbatur, ad melancholiam vergentis, qui ſanitatis ergo decrepita æſtate acidulis Svvalbacenſibus utebatur, in auxilium vocato Medico famigeratiſſimo Domino Geilfuſio, diverſorum Principum Archiatro.

Labitur menſis, quo hîc Neohanoviæ ſutoris viſitabam uxorem hypochondriacam, per dies vitæ ſterilem 30. annorum, temperamenti ſummè melancholici, quæ inter alia de magno cranii crepitu, nec non dolore ſæpiùs obveniente maxime conquerebatur, quem ſtrepitum quoque pauliſper adſtans, auribus meis percepi. Crepat enim non aliter, ac ſi parvam inflatam rumpas veſicam magno cum conatu. Sæpius hunc ſtrepitum noctu ipſi accumbens maritus audiviſſe, mihi juravit. Num oſſa cranii, ubi ſunt ſuturæ, unctuoſo balſamo ex mente Williſii l. c. deſtituta à vaporibus flatibuſque intra cranium collectis (valde enim eſt vertiginoſa) commoveantur, ſicque crepitum excitent? Sive num intra cranium aliquid rumpatur? meretur meditationem. *D. Joh. Dolæi.*

De Abſceſſu Oſſium.

Abſceſſum Oſſium bis vidi, primum ante duos annos in articulo primo pollicis virginis cujuſdam honeſtæ, Soror quæ Diaconi hujus loci erat, oſſe prorſùs reſoluto, in minima fruſtula confracto, & per duodecim particulas abſcedente. Particulæ oſſis eroſæ erant omninò & quaſi calcinatæ, ut ſolo digito in ſubtilem pulverem teri poſſent. Originem ducebat malum ex aciculæ punctura neglecta, & ſi rectè judico à barbitonſore non bene tractata. Alterum abſceſſum vidi in ruſtico, qui ſpinam inter carnem & unguem indicis digiti ſiniſtri manus intulerat: huic prima indicis junctura per minutiſſima fruſtula prodiebat, oſſa itidem erant friabilia: an ſpina ut & acus venenata fuerint, dicere non poſſum. Cæterùm oſſa in Lue venerea carioſa fieri & fragilia rarum non eſt; Legi in Manuſcripto Marquardi Slegelii; raræ curioſitatis & magnæ experientiæ viri, ipſum in Muſeo ſuo ſervare Sceleton cujuſdam nobilis meretricis Venetæ ex lue venerea conſummatæ, epiglottidem quæ exeſam habuerat, atque propterea ex cibo forte fortuna in tracheam aſperam illapſo ſuffocata fuerat. In hac fœtus repertus eſt maſculinus pariter hac labe contaminatus, itidem in Muſæo prælaudati viri qui ſervabatur, ubi Oſſa carioſa ob luem gallicam videre licuit. Ipſemet Pariſiis notavi, quò Nobili cuidam Bur-

gundo ex confirmata & inveterata lue venerea oſſa tam fragilia eſſent, ut ad minimum impulſum frangerentur, Servo etiam & hodie radium dextrum brachii cujuſdam militis, qui ſex vel ſeptem locis exeſus & perforatus exiſtit. hoc me Rotomagi Gallorum donavit Chirurgus quidam Caſtrenſis, qui ipſum ex brachio militis lue venerea mortui in Catalaunia extraxerat. *Alardi Hermanni Cummeni.*

Abſceſſus Oſſis.

In ædibus Philippi Hacquart Chirurgi Regii peritiſſimi, præſentibus Medicis, ſectus fuit pes à milite detruncatus, in quo præter alia notavimus per abſceſſum exeſam & abſumptam fuiſſe tibiæ partem, quæ exinde in pede defuit ad quinque digitorum transverſorum capacitatem. Eodem abſceſſu muſculi pedis ejuſdem, prorſus glanduloſi evaſerant, quam metamorphoſin ſatis admirari non potuimus, in diverſas conjecturas abrepti. *D. Thom. Bartholini.*

Oſſium mollities ceræ inſtar flexilium.

Stupendam, ac ceræ inſtar flexilem omnium oſſium mollitiem in cive quodam Sedanenſi olim obſervavit Peritiſſimus Regis Chriſtianiſſimi Chirurgus Abraham Bauda; qui & ipſius ejuſdem civitatis fuit incola, & ægrotantis ægritudiniſque hujus oculatus teſtis. Perquam rarus quidem hicce eſt morbi caſus, ſed veriſſimus. Nam egomet ipſe cum anno 1665. Sedani commorarer, admirandam hujus rei veritatem non ſolum à quamplurimis iſtius loci incolis enarratam ſed & pro ſingulari, quam poſtmodum cum modo dicto Chirurgo contraxeram amicitia, ab eodem ipſo communicatam accepi, manu ipſius propriæ conſcriptam ſubſignatamque, prout eam nunc hic legendam exhibeo, & quidem ipſiſſimis ſæpe memorati Baudæ verbis, quæ ita habent;

Microcoſmus Mirabilis ſeu Homo in miſerrimum compendium redactus.

" Monſtra in morbis fieri, quis ibit inficias? ſi modo fidem adhibeamus ſcriptis doctiſſimi Fabricii Hildani, quid monſtroſius, quam quod refert Cent. 2. p. 66. & 67. & pag. 244. & ſeq. de mira oſſium fragilitate. Attamen iſta Obſervatio, quæ nobis apparuit Sedani An. 1650. omnem admirationem ſuperat; immo inauditam dicere poſſumus.

" Civis Sedanenſis nomine Petrus Siga, annos natus 32. obiit Sedani, poſt quam per aliquot annos detentus fuiſſet in grabato ſuo. Anno ætatis ſuæ 24. cœpit affici dolore utcunque tolerabili circa talos pedum, ita ut cogeretur uti calceis latioribus & mollioribus ſolito. Duobus circiter menſibus elapſis dolor verſus genua ſeſe extendit, & ſic in numerum Podagricorum nomen ſuum dedit coactuſque fuit uti fulcris. Tandem dolor irrepſit ad ſuperiorem partem femoris, & ſic confirmata fuit opinio illorum qui in catalogum Arthriticorum illum referebant, & pro Podagrico curabant. Anno elapſo de impotentia omnium articulorum cum maximis doloribus conqueri cepit, ita ut ab eo tempore uſque ad extremam vitæ periodum lecto detentus fuerit. Et quamdiu oſſa illius ſuam duritiem & ſoliditatem conſervarunt, dolores continuo eum vexabant. Poſt trimeſtre à detentione illius in lecto, Oſſa ejus inceperunt molliora fieri inſtar ceræ, ita ut ſecundum appoſitionem & ſitum tam crurum quam brachiorum partes illæ ſervarent figuram loci. Imo teſtari poſſum ego, qui hanc hiſtoriam refero, me pluries incurvaſſe illi & crura & brachia, ſine ullo ſenſu doloris, modo ad figuram majuſculæ literæ S. Tandem omnia oſſicula illius adeo mollia evaſerunt, ut muſculi omnes ſeſe contraxerint, ita ut homo ſtaturæ juſtæ & elegantis formæ, in homunculum redactus ſtaturam infantis duorum, ſed non trium annorum vix attingeret. Figura capitis facta eſt rotunda inſtar ſphæræ, crus vix æquabat longitudinem dimidii pedis aut ſex pollicum. Thorax ad formam thoracis gallinæ ſeſe coegerat. Interea temporis utebatur cibo & potu, ſomno & vigilia, prout uti ſolebat in integra ſanitate. Omnes functiones animi & corporis ſatis liberas exercebat excepto motu. Satis hilari fronte excipiebat, omnes advenas, & optimo diſcurſu eos afficiebat, dolores, qui eum diu liberum reliquerant, de novo aggreſſi ſunt miſerum ultimo menſe, quouſque mors & morbo & ægro finem impoſuit. Multi cauſam tam portentoſi morbi inquirentes ſcorbuticam ſaburram accuſarunt; alii alias cauſas rimati ſunt. Ego virus Venereum credo cauſatum eſſe hunc morbum, eò magis, quod certus factus fuerim, ægrum olim ante tredecim annos Gonorrhæa virulenta per aliquot hebdomadas laboraſſe, & procul dubio male curatum fuiſſe. Quæ omnia vera eſſe, atteſtor. Datum Sedani die 12. Octobr. Anno 1665.

Hæc D. Daniel Pruttenius in Miſcellan. Curioſis. *Abraham. Bauda Chir. Regius.*

Oſſium mollities.

Vidi nuper Abſceſſum Oſſis, in articulo medii digiti Uxoris cujuſdam militis, Oſſe prorſus reſoluto & in minima fruſtula confracto, ſicut manifeſtum fuit poſt ſectionem. Scilicet emolleſcunt ſubinde Oſſa, ut officio ſuo fungi non poſſunt. In Brutis hoc efficit Herba Oſſifraga dicta. Non raro internæ cauſæ Oſſa à ſtatu ſolito deturbant. Medullam gallinæ oſſeam obſervavi, in aliis exoſtoſi perpetua deformia oſſa. Dn. Thom. Barthol. Epiſt. Uratiſl. miſſa ad D. Sachſium.

Scholium.) Oſſa à ſolita duritie vel nativa imbecillitate, vel morbo ſuccedente, deflecti jam idem Bartholin. cap. 6. H. 40. pag. 263. notaverat. A nativitate talem obſervavit Foreſtus, lib. 17. obſervat. 15. ubi homo natus cum dextro brachio, à cubito uſque ad humerum, non tantum reſoluto, ſed omnino oſſe

oſſe non coagulato, ut brachium inſtar lori concideret. Sic mulierem Pariſienſem toto corpore flexilem & ſine ſolidis oſſibus memoravit Jacob. Hollerius obſervat. rar. 7. Vidit Excellentiſſ. Wormius apud Bartholinum l. a. pag. 264. puellam cui pedes, crura, & femora flexibilia, cui cartilagines oſſium vices ſupplebant.

A morbis ſit facilius. Teſtatur Fernel. D. Abdit. Rer. Cauſ. l. 2. cap. 9. p. 96. ſe propriis oculis vidiſſe, quod Ruellius litteris mandaverat, in milite quodam ex morbo oſſa crurum, brachiorum & femorum tam mollia & flexibilia evaſiſſe, ut ceræ modo facilè ſequerentur, quocunque torquerentur. Fabric. Hildan. Cent. 2. obſerv. 66. p. 139. in Sexagenario Arthritide pituitoſa laborante obſervavit tantam oſſium fragilitatem, ut dum chirotecam in manum affectæ partis leviſſimo conatu induere vellet, brachii os, & poſtea quoque os circiter cubitum fractum fuerit. Fœminam, quæ recentem ſubuculam induens, oſſa aliquoties fregit Janus de Burgo recenſet apud Fabr. Hildan. 16. centur. 11. obſervat. 68. à latente aliquo veneno cauſam deducens; nec non in Solodurienſi ob continuos Catarrhos oſſa fragilia facta, exponit idem Hildanus Cent. 5. obſervat. 89. D. Samuel Coſterus Amſtelodam. Medicus ſcribit Nic. Fontano Reſponſ. & curat. Med. Hiſt. 2. fol. 10. ob ætatem vetulæ adeo debilia reddita fuiſſe oſſa, ut vix tactum ſuſtineret, quin tactu leviſſimo ipſa membra frangerentur, quod Nic. Fontan. p. 12. ob ſiccitatem factum putat, quia oſſa glutine ſuo & adipe medulloſo privata, non aliter ac oſſa calcinata facilè frangantur. Admirandam quoque Oſſium mollitiem obſervavit Petrus Aſſelinæus medicus Gallus, apud Georg. Hier. Welſch. in obſerv. Medic. Epiſæg. Obſerv. 82. pag. 53. quæ curata fuit ab Empirico balneo frigido ex ſulphure. vitriolo, alumine & ſale gemm. aqua incoctis. Et ſimile balneum ad pedes cereos deſcribit Zacutus l. 3. Pr. Adm. Obſerv. 127. In Elephantiaſi ſæpe ſimile ferè Symptoma accedere ex Prophyrio Tyrio deſcribit Petr. à Caſtro in Obſervat. M. Ss. obſervat. 40. Crateri ſcilicet, Medico eximio, novum inauditumque morbum accidiſſe, nimirum carnes & oſſa ab invicem diſceſſiſſe, nec medicamentis ullis, niſi ſola comeſtione viperinæ carnis curari potuiſſe, tunc enim rurſum carnem oſſibus hærere cæpiſſe ac conglutinatam eſſe. Tandem idem Petrus à Caſtro obſervat. M. SS. 51. de membrorum & oſſium mollificatione ſequentem commemorat hiſtoriam. In vico Hiadaya, (limite Galliæ Aquitanicæ) ad Hiſpanos Cantabros pertinente puer 8. annorum factus eſt impotens ad motum & greſſus, propter nimiam membrorum mollificationem, ita ut perpetuo ſedens maneret, aut bajulatus incederet, neque poſſet ſtare, neque ambulare, cum febricula quaſi habituali, nec tabeſcebat tamen, ſed molli habitu & valde carnoſo. Vocatus morbus iſte Arabibus Alcahad & Alzmena, curatur ab Avicenna oleo de Audachoca, (h. e. Loto ſilveſtri Matthiol.) potando ex eo, inungendo cum ipſo, & paratur hoc oleum, craſſo modo Andachocam coquendo cum ſeminibus: ponitur quoque pellis ovina ſupra ipſum, liniatur lacte vaccino dulci, conducet Balneum ſiccum, ſudor in furno oſ. fovea ignita. *Hæc Caſtro l. a. D. Thom. Bartholini.*

Infans ἀνόστεος.

Briſtoliæ in Anglia monſtratus infans qui oſſibus artuum plane deſtitutus, ut brachia & manus, crura pedeſque ad noſtrum arbitrium chirotecæ inſtar flecti ac circumvolvi poſſent, Puerum ἀνόστεον ſuo tempore vidit Hippocrates. *D. Oligeri Jacobæi.*

Oſſium flexibilitas. Item Excreſcentia.

De Oſſium flexibilitate ac mollitie exempla adducit duo Joh. Rudolph. Camerarius Memorabilium Medicinæ Parte 2. pag. m. 1565. Primum quidem ex Foreſto, infantuli ſine oſſe in brachio dextro nati, ita ut hoc brachium inſtar lori flexile eſſet, quodque defenſivo ex bolo armeno, farina volatil. pulvere myrtillor. oleo roſaceo. & albumine ovi concinnata, ac ſuper impoſitis ferulis ex charta duriore, & ſuperinductis faſciis à cubito ad humorem, intra tres ſeptimanas miraculosè ſanatum eſt. Alterum ex Fernelio, militis in quo crurum femorum & brachiorum oſſa, ex morbo tam mollia evaſere, ut ceræ modo facilè ſequerentur quocunque torqueres: quæque balneorum naturalium, ſc. aluminoſorum, uſu, in priſtinum vigorem ac robur reſtituta ſunt. Atque hæc verbo memoraſſe ſatis.

De Oſſea Excreſcentia hiſtoriam habet apprimè curioſam Clariſſ. Cornelius Stalpartius Obſervation. rarior. Medico Anatomico Chirurgicar. Cent. 1. quæ, aliàs curari non potuit quam totius intumeſcentiæ raſione, ac pulveris catagmatici ſuper inſperſione. Quo etiam pulvere, addit ille, non ſatis proficiente, ad ignem deveniendum. Et in hoc quicquid prædicta obſervatio ad praxim ſpectans habet, continetur; itaque non eſt quod ulteriùs illi immoremur. At equidem magis è re fuerit paulò fuſiùs enarrare quod Clariſſ. D. Gottofredus Schultzius Miſcellaneor. Curioſor. Decembr. 2. Anno 8. adfert de viro juvene, cui oſſa radius & cubitus prope carpum utriuſque manus, mira intumeſcentia affecta fuere, à ſcabie malè curata. Cujus curam ſic aggreſſus eſt. Primis viis evacuatis, ſanguinem, quia venæ, cùm maximè doleret, inſigniter turgebant, miſit: & præſcripta convenienti diæta, exhibuit varia præcipitantia cinnabarinis mixta, tum etiam tartarea & martialia, in forma tam ſiccâ, quàm liquidâ, quæ inter primas facilè erat eſſentia martis tartariſata nigra, ex marte & tartaro mutua in invicem actione in ſyrupi formem offam redactis, conveniente menſtruo extracta: Tum quoque eſſentiam ſummitatum pini antiſcorbuticam; nec non urgentibus doloribus, eſſentiam anodynam cum ſucco pomor. Borſdorff. per fermentation. factam. Externè applicuit decoctum ex nervinis & paregoricis, impoſuitque emplaſtrum ex oxycroc. additis

gumm.

gumm. carann. & tacamahac. Tandem per ſeptimanas tres, decocto ſudorifero ex lign. ſaſſafr. & ſant. citrin. rad. ſarſæpar. & chinæ, herbiſque nervinis antiſcorbuticis quotidie ſudorem in laconico prolicuit. Quibus non ſolùm dolor abactus eſt, ſed & tumor feré omnis diſcuſſus; imò cùm æger poſt aliquot ſeptimanas, iter ſatis longum habuiſſet, omnino vegetus reverſus eſt.

De Oſſe dextri brachii adjutoriô, motu integrô permanente, ablatô.

Non ſine cauſſa magnus Hippocrates ad Theſſalum filium ſcribens, oſſium cognitionem tantifacit, ut etiam difficillimum judicet oſſa luxata, fracta, contorta, aliiſve modis malè conſtituta, à Chirurgo reſtitui curarique poſſe, cui eorundem ſtructura, atque connexio ex debito, non cognita; hanc autem convenientiùs acquiri non poſſe niſi ex legitima conſideratione eorum quæ in ſceleto occurrunt. Similia Galenus variis locis proponit. Neceſſarium adeoque ſummopeté, ea quæ ad conſtructionem oſſium, articulationemque faciunt, intimè cognoſcere, ne ægrotantes, quemadmodum cum multorum infamia multoties contingere notamus, auxilia carnificum, aliorumque illius conditionis hominum implorare cogantur.

Non lubet errores variorum adducere; legi poſſunt quæ hac de re variis locis habet Hildanus. Sufficiat exemplum propoſuiſſe, quod anno 1664. occurrit.

Puellula, per tres annos ſubjecta fuerat curæ circumforaneæ, quòd brachii dextri, inter flexuram cubiti & ſcapulæ, tumore laboraret ex decubitu humorum, cum dolore gravi; luxationem aliquam hic ſubeſſe ſibi perſuadens mulier dicta, variis extenſionibus; flexionibus, in antica, poſtica, ſuperiora, inferiora, illud effecit, ut aucto & dolore, & tumore ab opere deſiſtere coacta fuerit. Haud tamen, omnia bona & ſibi & ægrotanti promittens, Cataplaſmata atque linimenta negligere voluit, quorum etiam uſu effecit, ut, præter intentum, ex materiæ collectæ, ſuppuratæque abundantia, abſceſſus fuerit ruptus. Huc cavernæ variæ pure ſcatentes, toto eo ſpatio quod cubitum humerumque intercedit, ſe exhibuerunt. Quæcunque hoc in ſtatu adhibebat nihil efficiebant, foramine uno clauſo aliud exoriebatur, eò quod pus contentum viam ſibi faceret, & oſſis ſubjecti corruptio adeſſet.

Tandem, poſt mortem utriuſque parentis recepta in domum publicam; qua ſuſtentantur ſuperſtites pauperum liberi, Orphanotrophium vulgo vocatur, per aliquod tempus curæ ſubfuit Chirurgi ordinarii Joannis Swart. obſervans hic majoris momenti affectum eſſe quam qui ab uno Chirurgo tractaretur, ſuperiorum permiſſu me in conſilium advocavit.

Accedens brachium loco ſupra indicato inſolitum in modum tumefactum inveni, imò induratum, ſuppuratumque, cum oſſis ſubjecti carie, rebus omnibus rite conſideratis conſultum viſum fuit, utraque foramina, ad quatuor tranſverſorum digitorum latitudinem à ſe invicem diſtantia quorum unum exterius ad tephyſin oſſis adjutorii, alterum interius magis apparebat, per ſectionem Chirurgicam ope forficis coniungere, apertione facta vulneri impoſuimus plumaceolum, deligationeque convenienti facta ab opere ulteriori abſtinuimus uſque in diem ſequentem.

Hoc tempore forcipe apprehendere placuit os ſubjectum, quod etiam, leviſſimo labore, ejus magnitudinis, cujus addita figura, adeoque fere integrum, extraximus, non ſine admiratione & noſtra & adſtantium, quam ſummopere auxit, quod ſine ulla motus brachii læſione ablatum fuerit.

Sanguinis fluxu ſedato, vulneri ad doloris ſublationem, applicuimus Ung. defenſiv. thereb. cum ovi alb. & Ol. hyperici. ſimiliter ac Emplaſtrum Vigonis. Hinc ſingulis diebus mundificativum & exſiccativum hoc adhibitum.

℞. Sevi Hercin. Bovis an. ℥ ß. Ung. Roſac. ℥ i. Thereb. lotæ ℥ ß Ol. Ceræ ʒ ß. Hipericon q. ſ. Mercur. præcip. ʒ ii ß. F. Mixtura.

Deligatio non niſi faſcia peragebatur in ſpiritu vini madefacta, ad humorum expulſionem, muſculorum verò cutiſve conjunctionem. Et horum medicorum uſu brevi curatio abſoluta.

Ex obſervatione hac cognoſcere licet, nullum artis Chirurgicæ cultorem verum haberi debere, niſi qui in Oſteologia bene verſatus, cum ſine notitia ſtructuræ connexioniſque oſſium impoſſibile ſit ea quæ circa luxationes, fracturas, ſimiliaque vitia alia excurrunt, ritè tractare; Cognitionem hanc ſiquidem habere nequeat ex oculari inſpectione oſſium ipſorum ſceleton conſtituentium, habebit aliquam ex conſideratione eorum quæ figuris ſuis exhibent Anatomici.

Quod ſi in hac Anatomiæ parte excellere magis ſtuderent Chirurgi noſtri, & nomini ſuo plus honoris, arti plus famæ, circumforaneis verò minus detrimenti adferrent.

Alterum hîc conſiderandum naturæ providentiam ſpectat, qua ablatæ partis in locum ea reponere obſervatur, quorum ope actio requiſita exerceri queat. Ita notare nobis licuit in milite quodam anglo femoris os totum abſceſſu conſumptum, & ablatum fuiſſe, & tamen inceſſum neutiquam læſum, eo quod in locum deperditi ſubſtantia alia regenerata. Quale quid obſervaſſe ſe ſcribit Carolus Battus Chirurgiæ ſuæ part. 4. cap. 8.

Ita oſſis femoris partem ſeparatam ab Hyyberto Kok, Chirurgo Woerdenſi extractam narrat obſervat. Chirurg. parte ſecunda Henricus à Roonhuyſen.

Simile huic exemplum, quod modò propoſuimus, quo in orphana dicta adjutorii oſſis magnam partem ablatam vidimus. *Jobus à Meekren in obſervationib. Medico-Chirurgicis.*

De Oſſis cancrô, ſeu Spinâ ventoſâ.

Celeberrimus, & in arte Chirurgica exercitatiſſimus Dom. Marcus Aurelius Severinus ſingulari

ſingulari de abſceſſibus tractatu tumores nodoſos varios, in manibus, pedibus, digitis, pollice occurrentes deſcripſit, qui membrorum ſummam induxerunt deformitatem, eò quod præter modum, ligamentis, carnibus, cute, extenſis, dilatarentur.

Hujus conditionis abſceſſus erat, quem in ruſtico 50. annor. 1642. Patavii vidit magnus Bartholinus, ut habet cent. 2. hiſt. 53. cui ab annis duobus pollex in tantum tumorem excreverat, ut caput hominis exæquaret, & præter unguem nihil digiti conſpiceretur.

Prætermittere nequeo, quin hic exhibeam digitum monſtroſæ figuræ, in ſartore quodam Eduardo Willemſon, ablatum, ponderis viginti unciarum.

Contraxerat hic exiguum in digito medio manus ſiniſtræ circa articulum majorem tumorem, cujus curam ipſe primò, hinc circumforanea quædam, habuerat, varia applicando Emplaſtra & Cataplaſmata, unde ſine dolore & purulentia inſignem in molem intumuit digitus.

Anicula artis Chirurgicæ ignara, experientiæ tamen ſuæ plurimum tribuens, inciſione quadam digitum aperiebat, unde materia aquea incocta, effluebat, cum doloris exacerbatione ſummâ, & curationis inſtantis vanâ perſuaſione. At quæcunque uſurpabantur fruſtranea omnia, adeò ut etiam ab ulteriore aliorum uſu abſtinere coactus æger.

Quicunque in conſilium vocabatur Chirurgorum, nihil omnino levaminis adferebat, imò omnia indies in peius vergere videbantur.

Nos conſideratione habita tumoris, quem ſumma cum moleſtia per annos quinq; circumgeſtaverat, conſtitutioniſq; oſſis ſubjecti, verum hic adeſſe oſſis Cancrum, qui Spina ventoſa aliis dicitur, pronunciavimus; ad hoc verò malum tollendum, ſic ut digiti craſſities imminueretur, tumor auferretur, oſſiſque corruptio ulterior inhiberetur, integro manente digito, nihil remedii ſupereſſe; Interim tamen Chirurgiæ locum aliquem concedi, qua extirpetur digitus, ad tumoris, doloris, fœtoris, moleſtiarumque ablationem, modò oſſicula metacarpi, parteſque vicinæ ſimpliciores in ſtatu ſano exiſterent.

Placebat ægrotanti propoſitum noſtrum, ſimulque primo tempore ad operationem dictam nos accingeremus, obnixé rogabat, ſic fore ſperans ut à dolorifica, ponderoſa, hinc moleſta admodum, ſarcina brevi liberaretur, ad eam adeoque majori cum fructu quo pervenire concederetur, faſciam validè conſtrictam manui ſupra carpum impoſuimus, ad ſanguinis effluxum inhibendum, hinc cultri acutioris ope ſectionem inſtituimus inter digitum læſum & indicem uſque ad medium oſſium metacarpi, mox eodem modo in oppoſito latere inter digitum læſum & annularem, procedere animus erat, quo ſic, utraque parte ſeparatione ſufficienti inſtituta, in parte oſſis metatarſi adhùc ſana extirpatio juſta perficeretur, & ablato digito deformitas omnis quantum poſſibile tolleretur. At intentioni meæ ſe oppoſuit Chirurgus alius non niſi in oſſe ipſius digiti malum radices fixiſſe, nec ullo modo ad oſſa alia ſe extendiſſe, ſibi certo perſuadens.

Quod vanam hanc opinionem ex animo Collegæ mei auferre nulla arte liceret, etiamſi certiorem curationem eam dicerem quæ ad modum à me propoſitum, & jam ex parte peractum inſtitueretur, imò minus deformitatis ſic accedere manui, ſiquidem altiori loco in oſſe metacarpi ſano extirpatio perficeretur, imò dolor ex ligatura gravis ſatis celerem operationem urgeret, nolens volens digitum affectum circa articulum abſtuli.

Ad hæmorrhagiam pulverem uſualem ſtypticum applicabamus, partis diſſectæ labia faſciæ convenientis ope conjungebamus, ligatura carpo injecta ſoluta; & ſecuta fuit quies per diem noctemque.

Uſque in diem vigeſimum omnia proſpere ſuccedebant, quo tempore circa articulum manus carnea quædam excreſcentia acûs majoris caput magnitudine referens ſe exhibuit, varia eidem applicabantur, exſiccandi, conſumendique virtute prædita, aſt nihil effecerunt, quin contra eam in molem augmentum ſumpſit tumor, ut pondus duarum triumve librarum referret.

In re deſperata nullum ſupereſſe medium videbatur præter totius manus ablationem, ad eam devenire nulla præmiſſa conſultatione arduum, placuit adeoque, conſentiente ægrotante, in conſilium adducere Viros Clariſſimos Dom. Joannem van Hartogvelt, Guilelmum Piſonem, Medicos, Dom. Petrum Lupenium, Theologum Georgium van Loon, & Danielem Florianum, Chirurgos. Omnes perſpecto morbi ſtatu, conſideratiſque iis quæ in prægreſsâ operatione peracta, neglectaque, omnimodam manûs extirpationem unicum, ſi aliquod recuperandæ ſanitatis remedium, declararunt.

Operatione peractâ, die decimo, quod & vires valdè vehementia ſymptomatum fractæ, & febris gravis, continuo moleſtaret, interiit æger. In manu amputatâ evidentiſſimè nobiſcum annotabant omnes, in Chirurgiâ exercitati, ſiquidem exſtirpatio prima in parte oſſis ſana fuiſſet peracta, curari potuiſſe malum. Ut adeò conſideratione noſtrâ digna ſint, quæ de Pedarthrocace S. Spina ventoſa habent Paulus Barbette anat. pract. part. 1. cap. 3. & Severin. cap. 24. *Jobus à Meekren in Obſervat. Medico-Chirurgicis.*

Oſſis in Spinâ ventoſâ conſtitutio Anatome demonſtrata.

Illuſtriſſima Dom. Baroniſſa de Merode in caſum incidit de quo varia fuerunt Medicorum judicia. Ego autem eodem conſpecto, protinus judicavi eundem eſſe, quem alias videram Neapoli apud Clariſſ. Severinum, & quem ipſe depinxit p. m. 467. operis de recondita abſceſſuum natura. Quapropter, cùm juxta conſilium Argelatæ, non poſſet os morboſum removeri, neceſſe fuit ad ultimam anchoram, amputationem ſcilicet tibiæ, nos procedere. Qualis autem oſſis ipſius conſtitutio nobis poſtea per Anatomen innotuerit, addere non gravabor.

Remotâ cute, quæ admodum erat, propter extenſionem, attenuata; invenimus tendines muſculorum peroneorum, ut & maximum tendinem, qui calcaneo affixus eſt, & craſſitiem naturaliter inſignem obtinet, inſtar chartæ alicujus, tenuem: ſolum calcis os erat affectum, atque in magnitudinem inſignem adauctum, ut libræ unius cum dimidiâ pondus æquaret: non ſolùm autem poroſum redditum erat; ſed pori illi erant repleti materiâ cartilaginea, qualis quoque cartilago os extrinſecùs ambiebat, & cartilagini calloſa materia deſuper erat adnata. *Joh. Van Horne in Μικροτέχνη.*

Rarior ſpinæ ventoſæ conſtitutio amputatione feliciter curata.

Uratiſlaviæ 15. Januar. anno Chriſti 1688. juſſu inclyti Magiſtratus, inſpectioni meæ & Godofredi Scholtzii, Chirurgorum ſenioris, nec non Samuelis Raſperi, ſenioris pariter & ordinarii Civitatis Chirurgi, committitur Danielis Bugſchii Pannificis filiolus, quatuor annos natus, qui ſine cauſſa manifeſta, ante annum tunc effluxum in medio ſiniſtræ manus digito contraxerat dolorem punctorium inſignem cum tumore laxo & ſpongioſo, ſuccedenteque, ac juxtà dein ſemper, ex ulceratione profunda, ichoroſam materiam, è duobus in exteriore, & uno in interiore digiti facie, foraminibus continue plorante, circa juncturam medii ibidem internodii cum primò verſus metacarpium ſpectante; quæ cuncta ſolis hactenus domeſticis externis à matre paupercula fuerant tractata.

Perluſtrantes ergo locum affectum, præter dicta modò, deprehendimus conſpicuam per iſta foramina, intumefactamque inſigniter ſubſtantiam articuli oſſeo-cartilaginoſam ac ſpongioſam quaſi, nigredine & carie hinc inde manifeſto jam notatam, quæ veram proin exhibebat ſpinam ventoſam, &, aliis fruſtraneis, de die in diem ulteriùs ſerpendo, cum periculo totius inficiendi, verſus metacarpium ſemper magis extendebatur.

Conſilio igitur noſtro, Senatuſque ac matris viduæ conſenſu, præmiſſis præmittendis, ac potiuncula in primis confortante & præſervativa, ea quæ cum externis excitativis ac roborantibus, ſub & poſt operationem repetita; poſt reliquos digitos in volam reclinatos, beneque manui, à miniſtro firmiter retentæ, alligatos, mediante ſcalpro exciſorio acutiſſimô, (quale Arcularii *einen Meiſſel* vocant) in ſuperna parte per malleum fortiter percuſſo adactoque, digitus ille carioſus, baſi cuidam ligneæ impoſitus, prope juncturam cum metacarpio, 20. Januar. per laudatum modò Samuelem Raſper ablatus fuit; ſanguine arcuatim proſiliente, per crepitum lupi, cum pulvere ſtegnotico, pulvillis multiplicibus, & optima ligatura mox inhibito, ſine ulla lypothimia, aut ſymptomate alio periculoſo, ſub, aut poſt operationem eveniente; pueroque paucis dein poſt externis digeſtivo-mundificativis, & conſolidantibus tandem, benedictione Divina clementer annuente, perfectè ſanato. Separatis verò per ſectionem partibus cutaneis à digito abſciſſo, primum & medium ejus internodium oſſeo-cartilagineo-ſpongioſum, circa juncturam mutuam inſigniter intumefactum ac inflatum quaſi, diſtinctim hinc inde perforatum, atreſcens ac carioſum, de reliquo autem maximam partem in fragmentula minutiſſima, cuſpides acicularum triangularium exactè referentia, redactum obſervavimus: indicio ſanè manifeſto, nutrimentum oſſis omnium primò affecti, adeò acre cauſticumque factum fuiſſe, ut illud non ſolummodo conſueto perforare, ſed & in minutiſſima prorſus corrodere ac diffringere valuerit. Hoc adjicio, pariter ac Rachitides, ſic nec Spinas ventoſas hodie adeo raras ampliùs ac olim, apud nos eſſe, cùm ne triennii quidem ſpacio in Noſocomio noſtro ad ſex ferè exempla earum notaverim, potiſſimùm in articulationibus carpi, genuum, malleolorum, & digitorum pedis, cum totali corporis univerſi emaciatione, & funeſto ut plurimum exitu, ni perfectionem articulus talis amputetur, aut cuncta fragmenta carioſa, quod tamen rariſſimè fit, ſpontè ſecedant atque ſeparentur. *D. Maximilian. Preuſſius Miſcellaneor. Curioſor. Dec. 2. Ann. 7.*

De eadem Spinâ ventoſâ rurſus aliquot exempla.

Spinæ Ventoſæ non ita etiam apud nos raræ ſunt, quin ſæpius in praxi occurrant. Nec tantùm eas obſervavimus in infantibus, ſed etiam in adultis, imò ab aliquot annis virum pluſquam trigenarium hoc morbo in genu enatum, extinctum vidimus, nihil proficiente tardiori tibiæ ſupra genu amputatione. In eo autem non tantum caput oſſis tibiæ, oſſi femoris in genu colligatum, carie profunda affectum, ſed etiam paulo infra prædictum genu quaſi terebra perforatum, repertum eſt; medulla vero, tum ipſius, tum oſſis femoris, & colliquata, & quaſi gangrænoſa viſa fuit. Idem nobis etiam apparuit in puellula octenni quæ in talo eodem morbo afflicta fuerat; ſcilicet ſerpſerat malum ad medium uſque crus, nec aliàs removeri potuit quam per tibiæ infra genu extirpationem; adhucdum autem non video quomodo evaſura ſit, quia febris lenta ante ſectionem ita jam adoleverat, ut remota parte, unde originem ſuam primò ſumpſerat, non potuerit tamen in illa tolli quin potiùs in dies increſcens, carnes colliquet, & in extremam tabem miſeram noſtram deducat. Alia rurſus nobis itidem aliquando oblata eſt ægra, in imo capite oſſis tibiæ, calcaneo ſcilicet adjuncto, afflicta quæ ipſa evaſit, & ſana ac vegeta jam vivit, poſtquam prædictum caput ſine membri exciſione, neſcio, quo felici fato, ſeparatum eſt. Natura ſcilicet per grandius ulcus, prædictum caput, profundâ carie non tantùm cavatum, ſed etiam ita emollitum, ut cultro exſecari poſſet, Chirurgi manui ita objecit, ut inſtrumentis avelli potuerit. Verùm quod mirabilius in hoc caſu obſervavi, quodque vix aliàs obſervatum video, eſt, quòd poſt deperditam hanc oſſis partem, non tantùm commodè deambulet hæc juvencula, ſed etiam motum articulationis pedis cum tibia, liberum ſatis habeat, præterquam in exteriora unde os per ulcus ibidem apertum evulſum fuit. De aliis multis nihil addo, quamvis forſan non parum curioſa videri poſſent.

ORTHOPNAEA
Vid.
RESPIRATIONIS VITIA.

OTHALGIA
Vid.
AURIUM MORBI.

OZÆNA.

Ozæna ulcus eſt narium vetuſtum, putridum & graveolens, ſaniem putidam ac fætidiſſimam fundens; cum corruptione cartilaginearum ac oſſearum etiam naſi partium ſerpens. Cauſa eſt humor acris, & interdum, ut in lue venerea, malignus; oritur etiam aliquando à ſuffumigiis à mercurio & cinnabrio incautè adhibitis: dignoſcitur ex effluente ſanie & cruſtis decidentibus; laborans præterea non ſolùm ipſe ſibi graveolet, ſed & aſtantibus tetri ſpiritus contagione moleſtus eſt.

Curationes.

Quod ſi aſini lotium naribus trahere placebit, minime damno; quod arcanam vim contra narium fœtorem habere ſit à pleriſque exiſtimatum. *Hier. Mercurialis. Tomo* I. *conſult.* 69.

Præſtans eſt aqua viridis mihi uſitata, quæ non tantùm in Ozænis, ſed in omnibus ulceribus fœtidis Narium, Palati, Uvulæ, Gingivarum, & Linguæ mirificè valet. Eſtque talis.

♃. Mell. roſat. ℥ij. Sulph. vivi, alum. crudi, ærug. æris, an. ℥j. Albi græci, comar. ſabinæ, an. ʒß. Sambuci ʒj. Fol. hyperici, roriſmar. rutæ, plantag. ſalv. puleg. an. M. ß. Hæc coq. in vini & aq. ℔ij. ad conſumptionem unius digiti tranſverſi (in Aphthis puerorum temperetur aqua tabacci & ſolani, an. ſecus acrior eſt) nota: ærugo æris non ſimul coquatur, ſed in fine addatur, & relinquatur donec refrixerit, poſtea coletur & uſui ſervetur: hujus cochlear calefiat ſupra candelam, poſtea cum penicillo eadem aqua intincto tangatur locus exulceratus: in fœtidis ulceribus palati, faucium, uvulæ, immittatur aqua hæc cum ſtupis: mirabiliter non tantùm mundificat, ſed inſuper etiam conſolidat imprimis ulcera palati & faucium ex lue venerea orta: mirabilis quoque eſt ſcorbuto oris. *Joh. Hartmannus. Pract. chymiatr. pag.* 110.

Ozæna curatur purgatione totius corporis exactâ; maſticatoriis ex maſtiche pituita capitis purgatur, quibus ſi adjungatur ſcammonium, potentiùs trahet & derivabit materiam in proximiorem partem. In principio, ante omnia medicamenta, utiliſſimum erit uti aquâ illa pro polypô deſcriptâ, vel lixiviô paratô ex cineribus caulium & fabarum; item aquâ forti, vel oleô vitrioli, oxymelite dilutis. Detergent hæc omnia, & carnem putrem exedunt, ut & omphacium antiquum paratum ad oculorum affectus, diſſolutum in aquâ calamenti & œnomelite. Poſſet in principiô unguentum Ægyptiacum diſſolutum in aquâ hordei convenire ad ulceris deterſionem; deinde conficienda ſunt unguenta quæ adſtringant & detergant, ac ſummè exſiccent, ut unguentum Pompholigos, additô alumine, chalcitide, & cortice mali granati; vel conficiantur ſic.

♃. Omphac. ℥ß. Cortic. mali gran. & balauſtior. an. ʒiij. Myrrhæ, alumin. ladan. an. ʒij. Chalcyt. Aloës, cortic. thuris an. ʒj. Olei roſar. & myrthin. an. ℥ij. Ceræ rubr. q.ſ. Fiat unguentum, quod applicetur parti narium internæ; vel diſſolv. in vinô, aut aquâ myrtillor. aut peculi roſar. Id frequenter naribus attrahatur, ore aquâ plenô.

Vel. ♃. Rad. dracuncul. ari, vel ſerpentar. maj. harum alterutra piſtetur, ſuccus extrahatur, qui naribus injiciatur. Vel, quod multò commodius eſt, turunda ex pannô lineô concinnata, eôdem ſuccô imbuta; aut denique ejuſdem radicis fruſtum, in id apparatum nari indatur; ulcus contingens illa abſumit. Hujuſmodi ſolida remedia per diem integrum, vel noctem geſtanda, & diebus aliquot iteranda, & brevi mirandus eorum ſuccedet effectus.

Vel. ♃. Granator. dulc. & acidor. an. part. æq. contundantur cum corticibus, ſuccus extrahatur, & decoquatur ad mellis liquidi conſiſtentiam: huic ſucco miſce cortices, grana, & pulpam prædictorum granatorum trita: hæc omnia tamdiu ſimul agitentur donec fiat paſta, ex quâ fiant turundæ nari laboranti immittendæ, ſuccô prædictô priùs illitæ, manè & veſperi.

Vel. ♃. Maſſ. emplaſtr. de mucilagin. ℥ß. Pulver. ſabin. ʒij. Malaxentur & incorporentur ſimul, ex hâc maſsâ fiant cereoli debitæ molis in narem ægram immittendi ut ſuprà, operantur ſine dolore. In iſtis unguentis abſtinendum à fætidis, & miſcenda ſunt aliqua odorata, propter fætidum illum odorem, qui aliàs offendit. Ex ſupradictis confici poteſt pulvis & inſufflari ad ulceris exſiccationem. Fiet ex iiſdem, ex quibus compoſitum eſt ultimum unguentum ex omphaciô. In ulceribus narium poſt aliquam deterſionem, nihil aliud efficacius inveni quàm ſuffumigium, quod partes illas profundas attingit & ſiccat. Parandum autem ex potentiſſimè reſiccantibus, ut auripigmentô rubrô, vel luteô, cinnabari, quibus addenda ſunt aliqua odorata, ex quibus fuligo excitatur, & ulcera ſiccantur, uti myrrha, thus, maſtiche, benioin, &c. Veluti.

♃. Ladani puri, hypociſtid. maſtich. myrrh. an. ʒiij. Styrac. rubr. & calamit. cortic. thuris, ſandarac. auripigment. rubr. an. ʒiij. Excipiantur omnia terebinthinâ, & fiant trochiſci quibus fumigentur ſerò & manè in cubiculô. Optimum eſt etiam illis parare candelas ex cerâ rubrâ; nam fuligo talis candelæ plurimum juvat exſiccationem, maximè ſi contineatur in cubiculô bene clauſô & anguſtô. Quòd autem fuligo recipiatur, idem experimur cùm diutius in muſæô moram trahimus noctu; nam poſtea ſputum & recrementa narium fuligine illâ denigrata redduntur. Hâc ratione nos ulcus curavimus, quod neque ab Italis, neque à Gallis Medicis curari potuerat.

Ulcera alia narium, ut quæ fiunt in alis narium ipſarum, fortiter reſiccantibus citra morſum, & ſarcoticis ſufficienter curantur, quibuſdam adſtringentibus additis. Mineralia dili-

gentiſſimè lota, cum cortice mali granati, & Aloë lotâ, talia ulcera curant; Unguentum paratum ex pompholige cum balauſtiis idem efficit. Item frequenter pars lavetur decoctione ſequenti, vel aqua deſtillata.

℞. Balauſtior. cortic. malor. granator. an. ℔ iij. Plantagin. caudæ equin. piloſell. linguæ paſſerinæ, & herniar. an. M ij. Radic. biſtort. ℔ß. Folior. myrthi, vel ſummit. pyri ſylveſtr. an. M j. Contundant. & ſimul deſtillent. & fiat aqua; de qua ſæpe abluat nares. His adde alumin. quart. j. Vel fiat decoctio ex ſupradictis, & frequenter abluat nares, exſiccando eas poſtea fumigiô præſcriptô ad curationem ozænarum. *Joh. Vigierius Chirurgiæ magnæ lib. 5.*

Ozæna ſæpiſſimè quidem Luis venereæ eſt ſymptoma; aliquando tamen (licèt rariùs) ab humoribus acribus & ſalſis ad nares decurrentibus (iſta lue non venenatis) procedit.

Si à Lue Venerea dependeat, iſtius affectûs curatio generalis inſtituenda eſt; aliàs fruſtra Ozænæ ſanandæ remedia adhibebis.

Undecunque oriatur malum, poſt phlebotomiam, (ſi neceſſaria ſit) purgationem per vomitum & ſedem, derivationem per Veſicator. cucurbit. &c. hujuſmodi medicamentis ejus ſanatio tentetur.

Toto curæ curriculo decoctum ſeq. ab ægro ſumatur.

℞. Sarſæparill. ℥ iij. Rad. arundin. vallator. vel infimæ partis ejuſdem, rad. bardan. an. ℥v. Rad. pœon. mar. ℥ iij. Raſur. lign. Rhodii ʒx. Raſur. buxi, C. C. eboris, oſſium bubulorum maj. raſ. an. ℥iß. Fol. betonic. chamæpit. veronic. mar. bugulæ, ſaniculæ an. m. j. flor. herb. paralyſ. p. 6. flor. hyperic. & ſambuc. an. p. 3. Omnia debitè conciſa infund. per hor. 12. in ℔x. Aq. fontan. vaſe idoneo probè tecto, mox f. lenta coctio & ebullitio, donec poſt colatum & à fæculenta parte apprimè ſeparatum liquorem, reſtent ejus limpidi ℔ iv. pro 8. doſibus bis in die ſumendis, provocando ſudorem poſt doſin matutinam in lecto vel cupa ope caloris externi per horam unam & alteram habita ratione virium. Videndum ut caput bene ſudet, ſine violento exceſſu tamen.

Magmati hujus decocti affundantur ℔ xx. Aq. fontan. addendo paſſularum integrarum ℔ß. F. decoctio ad ℔v. Conſumptionem. Liquor reſtibilis agatur per manicam: Aromatizetur cinamomo vel coriandro pro potu ordinario,

Niſi fluat alvus toto horum uſûs tempore (quod ſit per 2. vel 3. ſeptimanas) ſubducatur liquore quodam cathartico admiſcendo doſi decocti pomeridianæ, quæ citra ſudoris provocationem propinabitur.

Singulis matutinis poſt deterſum ſudorem & corpus refrigeratum, utatur gargariſmate ſeq. ſi ozæna palatum verſus vergat, ut ſæpe accidit.

℞. Fol. caprifol. betonic. aquat. an. m. j. veronic. virg. aur. ſaniculæ, bugulæ an. m. ß. Roſ. rubr. p. ij. raſ. ligni ſancti ℥ß. F. omnium decoctio in oxycrato: In colaturæ ℔j. diſſolv. mell. trachelii ℥j. Alum. rupis ʒj. Adde uſûs tempore vini clareti optimi circiter quartam liquoris partem tunc uſurpandi. Ita colluto ore utatur liquore ſequenti indendo utrique nari calidè è penicillo lineo vel ex ſyndone rara cui inſuta fuerit ſpongia mollis.

℞. Lign. guaiac. ſaſſafr. Rhod. an. ʒij. Rad. peucedani ℥ß. Rad. ariſtoloch. utriuſque & ireos Florent. an. ℥iß. Sol. ſcord. Card. benedict. betonic. aquat. & vulgar. veronic. maris & chamæpit. an. m. ß. Caprifolii m. j. Roſ. rubr. p. iß. F. omnium decoctio in ſ. q. aq. & colatura, de qua cap. ℥viij. vini de Malaga ℥iv. Mellis Ægyptiac. à ſedimento penitus liberat. ℥ß. mſ. ad uſum dictum. Adde huic quantitati liquoris Aloës è veſica, myrrh. elect. an. ʒj. gr. 18. Vel in colatura cum vin. mixt. diſſolv. mell. caprifolii & anthoſati an. ʒvi. Olei myrrhæ præparati per album. ovi indurat. ℥ß. mſ. pro injectione facienda in nares bis in die per ſyphonem, vel attrahatur per nares tepidè ore aquâ pleno.

Horâ dimidiâ poſt narium lotionem utatur fumo ſeq.

℞. Gumm. guaiac. ſuccini an. ʒij. Gumm. animæ, benzoini an. ℥ß. Nuc. moſchat. caryophyll. an. ʒj. Fol. ſicc. ſalv. majoran. roriſmar. tabaci an. ℥iij. Cinnab. ℥j. gr. 45. carbon. ſalicis tantum quantum cinnabaris, f. omnium pulvis primò ſubtiliſſ. qui excipiatur aquâ gummatâ, leviter poſtea ſiccetur in hypocauſto vel ante ignem, & teratur craſſiuſculè: hujus ℈v. Abſumantur pro vice, & ex eô in fictilibus fiſtulis accensô fumus ore hauſtus reddatur per nares, ut fit ex tabacô.

Vel poſt factam injectionem, & optimè deterſum ulcus penicillô è ſpongia molli, tangatur os nudatum aqua aluminoſa Fallopii.

Sumat item doſin Electuar. ſequent.

℞, Farin. ſarſæparill. ℥iv. Rad. ſic. pœoniæ, caryophyllat. tormentill. bardan. an. ℥ 1 ß. Folior. ſiccor. betonic. veronic. mar. virgæ aureæ, chamædr. chamæpyth. an. ℥ iij. Raſur. cranii hum. uſt. & non uſt. C. C. uſti præp. an. ℥ß. Carnis viperin. debitè præp. ℥ 1 ß. Diaphoret. Antimon. fixiſſ. ℥ iij. Omnia in alkool redacta mixtaque excipiantur ſuffic. quant. ſyr. ex vinô Canarinô infuſion. veronic. & betonic. aquatic. apprimè colatæ, ſine coctione præparati. F. electuar. inſtar opiatæ, cujus doſis ſit ℥j. Manè, ut dictum eſt. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medicæ lib. 1.*

Conſultatio.

Medicatie viri, Ozæna laborantis.

Vir 32. annotum, poſtquam antea diu defluxionibus acribus, ad nares & fauces delabentibus, laboraſſet; incidit in narium & palati eroſionem; oſſiculumque quoddam putridum, cum fætido pure & ſanie, poſtea excrevit, aliaque deinde oſſicula illud ſunt ſecuta. Malum hoc paulatim ita incrementum ſumſit, ut jam in naribus, circa earum interſtitium, quod ex parte eſt exeſum, atque etiam in palato, ſolutio continui ſatis magna & profunda appareat; fœtidaque ſanies frequenter inde exſtillet.

Affectum fuit in hoc ægro cerebrum; quod deſtillationes diuturnæ, quas noſter æger eſt paſſus, arguunt. Afficiuntur etiam nares & earum interſtitium, item palatum: quod eorum eroſiones, & exulcerationes ſatis clare demonſtrant.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, eſt Ulcus

narium

narium & palati fœtidum, putridum & ſanioſum, item latum & profundum, quod à Græco verbo ὄζω, id eſt, oleo, ſive fœteo, deductum, vulgo Ozæna dicitur.

Iſque ab acribus humoribus ex toto corpore, ſed præcipuè ex ſuperioribus capitis partibus, tum in nares, tum in palatum decumbentibus, eaſque partes primum acrimoniâ ſuâ erodentibus, ac deinde diuturnitate defluxûs, etiam exulcerantibus & exedentibus, & putredinem iis inducentibus, originem duxit.

Morbus hic perículoſiſſimus eſt, primum ob diuturnas fluxiones, quæ hunc morbum produxerunt; & deinde propter eroſionem, non tantum partium mollium, ſed etiam oſſium, & putredinem eorum.

Curatio in humoris generatione, & illapſu impediendo; & ulceris conſolidatione, conſiſtet.

Primum itaque utatur talibus pilulis:

♃. Aloës roſatæ gr. 12. Scammonii ℈ß. Olei cariophyll. gut. 1. F. Pilulæ num. 4. mane ſumendæ.

Poſtridie venæſectio adhibeatur in brachio dextro, pro ratione virium, ad ℥vi. vel viij.

Deinde per quatriduum utatur ſequenti Apozemate; ſumendo ℥iij. vel iv. pro doſi:

♃. Rad. Cichor. fœnic. Graminis an. ℥i. Polypod. querc. ℥ij. Herb. beton. primul. veris, ſcabioſ. ceterach. veronicæ, agrimoniæ an. m. j. Sem. fœnic. aniſ. an. ʒij. Liquirit. raſ. ℥ß. Paſſular. ℥j. Decoq. in aq. hord. q. ſ. ad. ℔ i ß. addendo. ſub finem decoctionis, fol. ſennæ ℥ i ß. Mechoacan. ʒiij. In Colatura diſſolve ſyrup. de cichor. cum rheo ℥iß. Miſce F. Apozema.

Corpore ita expurgato, ſequenti decocto ſudorifero, prout vires ferent, utetur:

♃. Scobis ligni guajaci ℥vi. Cort. ejuſd. ℥iij. Aq. communis ℔viii. Macerentur in loco calido per 24. horas. Poſtea lento igne decoquantur ad dimidiæ partis conſumptionem. Et colaturæ ℥vi. Dentur mane, corpore bene tecto, ad proliciendos ſudores.

Et ♃. Reſident. prior. decoct. eique adde ſcobis lign. guajaci recent. ℥ ii. & denuo affunde aq. ℔xiii. & F. decoctio ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura uſurpetur pro potu ordinario.

Conſultum etiam erit, non tantum cucurbitas ſine & cum ſcarificatione, collo & humeris: ſed etiam ſetaceum, vel fonticulum cervici, ad humores verſus poſteriora revellendos, adhibere.

Dum hæc fiunt, quotidie bis ulceri narium, cum turundis illitis, adhibeatur tale Unguentum:

♃. Lithargyr. aur. plumb. uſt. lap. calamin. ceruſſæ an. ℥ii. Succor. geranii robertiani, ſempervivi, ſolatri. an. q. ſ. Pulveriſanda pulveriſentur, eaque mixta indantur in mortarium, quibus primò cochleare plenum olei roſacei affunde, & poſtquam aliquantum piſtillo agitaveris, omniaque probe commiſcueris, cochleare plenum ex ſuccis præſcriptis admiſce, quibus itidem agitatis & commixtis, mox iterum affunde olei parum & agita: Idque tam diu alternatim & continuo agitando facito, donec ad ℥iij. Olei roſacei, & tandundem præſcriptorum ſuccorum impenderis. Atque ita fiet Unguentum, ad hujuſmodi maligna ulcera ſananda utiliſſimum.

Ulceri vero palati turundæ, ſequente ſyrupo imbutæ, ſubſequente pulvere conſperſæ, bis in die etiam imponantur:

♃. Rad. ſcrophulariæ majoris ʒij. Fol. & flor. beton. agrimon. veron. ſcabioſ. fumar. pyrolæ, ſanic, alchymil. an. m. ij. Coquantur herbæ & radices in aq. comm. ad tertiæ partis conſumptionem. Colaturæ prælo expreſſæ adde ſucci geranii robertiani, mellis opt. ſacchar. alb. an. ℔ j. Et fiat ſ. a. Syrupus.

♃. Rad. angel. ariſtol. rotund. iridis florent. cariophyllatæ, Ligni guajaci an. ℥ß. Cinnam. ʒij. Hæc mixta contundantur in mortario, ut F. Pulvis ſubtiliſſimus.

Hæc inquam, bis in die reiterari debent; & extractis turundis, antequam recentes imponantur, tota cavitas naſi ſequente liquore, ſiphone injecto, penicillis etiam eo imbutis, erit eluenda.

♃. Succor. plantag. geranii, aq. ranarum, Aquaticar. an. ℥iß. Syrupi ſuperius præſcripti ℥j. Miſce pro injectione.

Ulcus ubi conſolidatum fuerit, ſi ex palato in nares tanta ſit apertura, quæ locutionem commodam impediat, lamella quædam cum anſulâ ſuperiori ejus parti affixâ, cui ſpongiola affigi poterit, erit fabricanda: ea enim ubi cum ſpongiolâ alligatâ palato recte erit adhibita, locutionem ſatis articulatam in hoc viro efficiet.

In victu, vitentur omnia, quæ acres ſuccos gignunt; item exercitia vehementiora, vigiliæ, & vehementes animi affectus. *Henricus Regius Medicationum lib. 1.*

Ozæna graviſſima cum oſſis palati eroſione.

Laurentius Touppinus, civis Staffiacenſis, Vir. 30. circiter annorum ætatis, Catarrhis alias à teneris (prout parentes ejus ſæpius mihi retulerunt) ſatis obnoxius, cum anno 1605. defluxione acri ad fauces correptus fuiſſet, inflammatio inde circa radicem uvulæ cum maximis doloribus, ac tandem etiam exulceratione, exorta fuit.

Profectus Fryburgum, à Chirurgo quodam non imperito curatus eſt. Sequenti vero anno qui fuit ſeptimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quum in vitæ regimine deliquiſſet, & internorum medicamentorum uſum neglexiſſet, Catarrhus denuo ad fauces, ſed inprimis ad nares, decumbere cœpit. Quia tamen dolores nulli adeſſent, affectum floccipendit, nec prius in conſilium me adhibuit, quam fruſtula nonnulla cartilaginum, ex naribus ejus jam excidiſſent. Tandem circa principium menſis Maji, Anno 1607. me conveniens, cum affectum ejus inſpicerem, animadverti, ipſum uvula deſtitutum fuiſſe (ſicuti quoque tibi ipſimet tum obſervare licuit) fuerat enim illa jam antea eroſa, poſtmodum tamen iterum cicatrice obducta: ſermonem nihilominus (quod mirum) adeo articulate proferebat, ac ſi nullus defectus adfuiſſet. Continuo autem à capite ad nares humor quidam acris & mordax, qui os palati, interſtitiumque naſi eroſit, deſtillabat.

Naſus undique tumefactus erat, abſque tamen doloribus, uſque adeo vehementibus.

Ut igitur affluxum humorum ad alias partes diverterem, optima victus ratione inſtituta; ſequentem ipſi potiunculam exhibui.

℞. Herbar. betonicæ, agrimoniæ, veronicæ, cuſcutæ an. M.ſ.ſem.aniſi & foliorum,ſenæ an.ʒij.

Coquantur in aqua,ut colatura redeat ad ℥iv. in quibus diſſolve pulveris laxativi noſtri ʒj. ſyr. roſar. ſolut. compoſ. cum agaric. rhabarb. & ſena ℥j. Miſce, & fiat potiuncula.

Poſtridie venam in dextro brachio incidi: deinde per intervalla ſcapulis cucurbitulas, nunc ut vocant, ſiccas, nunc vero cum ſcarificatione, applicui, naribusque ſequens medicamentum tum ſiphone injeci, tum filamentis in eodem imbutis impoſui.

℞. Sem. cydonior. contuſ. ʒj. Aq. plantag. roſar. & ranar. aquatil. an. ℥ ij.

Maneant in infuſione per horas aliquot, & quidem in loco calido. Expreſſioni mucilaginoſæ adde mellis roſac. ℥j. Pulver. corallor. cornu cervi uſti lapid. calaminar. tutiæ omnium præparatorum nihili an. ʒj. Miſce.

Die ſeptima ejuſdem menſis Maji, pro majori diverſione catarrhi, Setaceum ad tertiam colli vertebram adhibui. Naſo extrinſecus ad humores repellendos, partemq; affectam corroborandam, de ſequenti applicui decocto.

℞. Folior. & florum betonicæ, Roſmarini, Roſarum rubr. Equiſeti, Plantag. Summitat. rubi, Folior. ſalicis an. M.j. Coquantur in vino rubro ad conſumptionem tertiæ partis, Colaturæ addatur modicum aceti. In hoc decocto linteamina aliquoties reduplicata, & madefacta, applicentur, eaque ſæpius reiterentur.

Ab uſu decocti hujus, tumor naſi extrinſecus paulatim ſubſidit.

Ulceri vero palati ſequens linimentum impoſui.

℞. Radicum angelicæ, Ariſtoloch. rotund. Iridis Florent. cariophyllatæ, Ligni guajaci an. ℥ſ. Cinamomi ʒij. Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus, cujus parum in vaſe vitreo miſceatur cum melle roſaceo, & ulceri palati cum penicillo indatur.

Poſtera die à ſetacei applicatione, ei doſin pilularum mearum capitalium exhibui. Ea die oſſiculum per os excrevit.

Die vero decima prædicti menſis, aliud oſſiculum magnum corroſum & fœtidum, per nares emunxit. Dehinc ulcus in palato in dies auctum, interſtitium quin etiam naſi penitus eroſum, ex quo in naſo tanta cavitas relicta fuit, ut aliquando tredecim, imo uſque ad quindecim turundas majores, unam poſt alteram, ſequenti unguento illitas, indere opus eſſet.

℞. Succi geranii, Succi ſolatri, Sempervivi, ana partes æquales. Lithargyrii auri, Plumbi uſti, Lapidis calaminaris, Ceruſſæ an. ʒ ij.

Indantur in mortarium, quibus primo cochleare plenum olei roſac. affunde, & poſtquam aliquantum piſtillo agitaveris, omniaque probe commiſcueris, cochleare plenum ex ſupraſcriptis ſuccis admiſce, quibus iiſdem probe agitatis & commixtis, mox iterum affunde olei parum & agita. Idque tam diu alternatim & continuo agitando facito, donec ad ℥iv. Olei roſac. & tantundem præſcriptorum ſuccorum impenderis. Sic habebis unguentum pretioſum in ejuſmodi ulceribus, quæ aliquid malignitatis ſapiunt, Interſtitium naſi ab apice ejus, uſque ad ſuperius labium, propter maximam, quæ hinc inde ſerpebat, putredinem, paulatim corrodebatur, & quidem non abſque maximo dolore, adeo, ut labium ſuperius exulceratum, cotone, aut filamentis ſuavibus vix abſtergere liceret.

Poſtquam vero per dies aliquot parvis iſtis & doloroſis ulcuſculis pulverem præcipitatum rectificatũ inſperſiſſem, dolor ceſſavit, malignitaſque aliquantum remiſit. Sed & loco mellis roſac. præſcriptos pulveres radicum angelicæ, ariſtol. rotundæ, &c. Syrupo ſequenti permiſcui.

℞. Succi geranii ℔j. Radic. ſcrophular. majoris ℥ij. Folior. & flor. betonicæ, Agrimoniæ, Veronicæ, Scabioſæ, Fumariæ, Pyrolæ, Saniculæ, Alchimillæ an. M. ij. Coquantur herbæ & radices in aqua ad conſumptionem tertiæ partis, colaturæ per prælum expreſſæ, adde ſuccum ſupra ſcriptum, mellis optimi, Sacchari an. ℔j. Fiat ſecundum artem Syrupus.

Ad temperandam quoque malignitatem atq; acrimoniam humoris affluentis, uſum ſeri lactis præſcripſi, quo uti cœpit ultima Maji continuando uſque ad 16. Julii, ſingulis matutinis tribus horis ante prandium bibendo hauſtum unum, ſaccharo dulcoratum.

Cæterùm etſi ab uſu horum remediorum malignitas aliquo modo cohibita eſſe videbatur, quia tamen res adhuc in ancipiti erat, ne ſi curatio minus ex voto ſuccederet, ſicque culpa in me transferretur, ſuaſi, ut Medicum aliquem peritum atque doctum accerſerent. Unde die 11. Julii, vocatus clariſſimus atque doctiſſimus D. Sebaſtianus Meyerus, Reip. Fryburgenſ. Doctor Medicus ordinarius, cum Paterniacum veniſſet, & circumſtantias omnes, morbique eſſentiam mecum, ea qua potuit diligentia inquiſiviſſet, cauſam mali in catarrhum acrem ac erodentem, ex intemperie quadam cerebri procreatum, referebat. Deliberatum itaque inter nos fuit, ut æger (quamvis ſummopere à pharmacis abhorreret) denuo probe expurgaretur, & poſtmodum decocto ligni Guajaci per menſem, vel ſeptimanas ſex, uteretur. Rurſus itaque ʒj. Pulveris noſtri laxativi cum ℥j. Syr. roſati ſolut. compoſ. ei exhibui. Deinde quoq; per dies quatuor de ſequenti Apozemate, ut uteretur, juſſi.

℞. Rad. cichorii, fœniculi, petroſelini, graminis an. ℥j. Polypod. querc. ℥ij. Herbar. & flor. betonicæ, primulæ veris, ſcabioſæ, ceterach, polytrici, cuſcutæ, veronicæ, agrimoniæ an. M. j. Sem. fœniculi, aniſi an. ʒij. Liquiritiæ raſæ & uvarum paſſular. an. ℥j. Coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis, utque colatura redeat ad ℔ ij. De qua melle deſpumato aliquantum dulcorata, & aqua cinamomi aromatizata, tempore matutino exhibeatur ad ℥ vi. In poſtrema doſi infunde, Folior. ſenæ ʒ iij. Rhabarbari ʒj. Agarici ʒj. ſ. Expreſſioni deinde addidi ſyrupi roſar. ſolut. compoſ. cum rhabarb. agar. & ſena ℥j.

Hoc modo corpore expurgato, ſequenti decocto ſudorifero uti cœpit.

℞. Ligni guajaci ℥ vi. Corticum ejuſdem ℥ij. Aquæ claræ ℔ viii. Macerentur in loco calido per horas 24. Poſtea lento igne coquantur ad conſumptionem medietatis, colentur, & in ampulla vitrea uſui reſerventur.

Reſidentiæ ejuſdem ligni denuo affunde aquæ ℔ viii. Bulliant, ut ſupra, ad conſumptionem tertiæ partis. Quo decocto ſecundo utatur pro potu ordinario.

De-

Decoctum primum ſemel tantummodo in die, tempore videlicet matutino ei exhibui, & ut ſudaret, imperavi. Interim rationem victus convenientem præſcripſi. Uſus eſt decocto iſto ſeptem aut octo ſaltem diebus, adeo enim ſibi adverſabatur, viresque ejus proſtrabat, ut diutius uti non auſus eſſet. Decocto tamen ſecundo per ſeptimanas aliquot inter paſtum utebatur.

Et quia interſtitium naſi omnino, os vero palati ex parte tantum eroſum erat, totam naſi cavitatem turundis præſcripto unguento è ſuccis illitis, ut ſupra monui, implevi, quo ſic unguentum non ſolum undique adhæreret, verum etiam naſus, quantum fieri poſſet, erectus reſervaretur. Ulceri verò palati turundas, ſyrupo præſcripto ex radic. ſcrophulariæ, betonicæ &c. cum pulvere radicum angelicæ, ariſtoloch. rotund. &c. illitas, impoſui. Hæcque omnia bis in die reiteravi. Extractis turundis, antequam recentes imponerem, totam cavitatem naſi ſequenti medicamento, ſiphone injecto, penicillis item in eo inebrietatis, adhibui.

♃. Succi plantag. geranii aquæ ranar. an. ℥i. ſ. ſyrupi præſcripti ℥i. Miſce.

His adhibitis remediis, malignitas ceſſavit, ulcera item in cavitate naſi indies cicatrice obducebantur. Verum vigeſima prima Julii, patre ipſius morbo graviſſimo correpto, à me ſumptis ſecum medicamentis, ad ſuos diſcedere, & poſt mortem parentis res domeſticas curare, coactus fuit. Interim ſuperveniente æſtu dierum canicularium, quia ſanguis ita incaluit, ut acrior maligniorque factus ſit, deinde etiam quia medicamenta, quæ ſecum ſumpſerat, minus decenter applicata fuerant, malum recrudeſcere cœpit. Quapropter denuo conſilio meo opus ipſi fuit. Tum de novo putredinem ac malignitatem exortam eſſe, animadverti: fœtor enim magnus aderat, apexque naſi ad pinnas uſque lividus conſpiciebatur. Unde curationem rurſus ſic inſtitui.

Corpore prius probe expurgato, venam incidi, cucurbitulas item (etiamſi ſetacci beneficio continuo multi ſupervacui humores effluerent) ad majorem diverſionem applicui. Ulcera, in die bis undique in cavitate naſi, & circa palatum diligenter medicamento præſcripto, ex ſucco plantag. geranii, & aqua ranar. &c. ablui, turundas, unguento de ſuccis illitas, quemadmodum ſuperius monui, impoſui. Et quia putredo illa, quæ apicem naſi occupabat, vicinas partes quoque invadebat, non tantum apici naſi, verum & ulceri circa palatum nonnihil unguenti noſtri Ægyptiaci, imponere coactus fui. Sic favore divino, putredo & malignitas paulatim remiſit, curatio tamen ad menſem uſque Decemb. protracta fuit, propter copiam oſſiculorum carioſorum, quæ hinc inde tam ex cavitate naſi, quam palato, excidebant. Quorum oſſiculorum ego uſque ad triginta quatuor reſervo. Exciderunt & nonnulli ex dentibus anterioribus cum ſuis alveolis, adeo ut maximum foramen ex ore in ipſam cavitatem naſi penetrans, relictum ſit, per quod ne aër diſpergeretur, ſicque vox & loquela impediretur, inſtrumentum quoddam ex argento, cui ſpongiola adnexa, fabricandum curavi. Quod inſtrumentum adeo commode foramini prædicto palati indi poteſt, ut ſermonem ita articulatè proferat, ac ſi nullus omnino defectus ſubeſſet: cum è contra inſtrumento cum ſua ſpongiola extracto, vix verbum unum aut alterum diſtinctè ac articulatè proferre poſſet.

Inciderunt & nonnullæ aliæ circa hunc affectum difficultates, quæ curationem hanc & longam, & laborioſam effecêre, quas, quia tibi non ignotas eſſe ſciam, brevitatis cauſa hic omitto.

Nunc tamen, laus Deo ægerita convaluit, ut ad hunc uſque annum 1609. optimè valeat, & rem familiarem probe ipſimet adminiſtrare poſſit. Apex tamen naſi, quia corroſus fuerat, ſimus factus eſt. Guilielm. *Fabricius Hildanus Obſerv. Chirurg. Cent. 2.*

Ex ſuffitu Ozæna graviſſima, aliaque ſymptomata.

Quam perículoſa ſint ſuffumigia ex cinabrio aliquando dixi. Etiamſi enim in lue venerea inveterata à viris doctis adhibeantur, neque ea omnino improbem, ita tamen ſemper mihi ſuſpecta fuere, ut ea hactenus non adhibuerim. Nihilominus tamen multos, quantumvis inveterata lue venerea laborantes, Dei ſingulari beneficio ſanitati reſtitui. Sunt autem in deſperata tantummodo lue venerea, & robuſtiſſimis, ac antea diligenter præparatis, nec non ab omnibus excrementis aliquoties expurgatis corporibus adhibenda. Qui ſecus, & Empiricorum atque barbitonſorum noſtrorum more, faciunt, non curant, ſed deſtruunt corpora, & ad ſummam miſeriam perducunt ægros. Hujus rei exemplum non vulgare poſt tuum à nobis abitum, mihi videre contigit, quod tibi communicare non gravabor.

Juvenis robuſtus, & optimo corporis habitu præditus, ante annos quatuor coryza cum maxima narium obſtructione laborans, Empiricum in conſilium adhibuit. Is catarrhum huncce per nares palatumve facilime ſe evacuare poſſe, audacter affirmare, aureoſque montes promittere, auſus fuit. Quibus æger commotus, ſeſe ipſi curandum commiſit. Impuro itaque nec ullo modo præparato corpore, nudum ipſum ſub conopæo in labrum collocavit, ac totum corpus cinabrio in prunas projecto ſuffumigavit, & quidem per dies aliquot. Hinc maxima virium proſtratio ſequuta eſt adeoque pituita ad os & nares confluxit, ut circa oſſa cribroſa ſordidum ac fætidum ulcus ſit generatum. Ego ſuperiori menſe Majo ad ipſum in conſilium vocatus, interſtitium naſi omnino, reliquas vero cartilagines ex parte eroſas reperi, ita ut maxima cavitas ac naſi depreſſio adſit: continuo quoque pus fœtidum è naribus extillat, olfactus plane abolitus eſt. Tanto præterea impetu humores ad faciem defluunt, ut indies nova tubercula hinc inde oriantur. Circa ſiniſtrum canthum minorem ante menſes duos rupta eſt vomica, ex qua relictum eſt ulcus ſordidum: ſupercilium quinetiam, & palpebræ dextræ in tumorem elevatæ ſunt, nova item in partibus iſtis apoſtemata oriuntur. Multa ac varia ipſi præſcripſi medicamenta, tam interna, quam externa, quæ ſi à præſenti Chirurgo recte & cum diligentia adhibita, de recuperanda valetudine ſpes eſt, ſin minus, verendum ne malum indies accreſcat, & in pejus ruat.

Memini me ſuperioribus annis una cum clariſſimo viro D. Sebaſtiano Meyero, Reip. Freyburgenſis Doctore Medico celeberrimo, à duobus nobiliſſimis in conſilium adhibitum fuiſſe, quibus ſimiliter poſt ſuffumigia ulcera ſordida fœtidaque circa oſſa cribroſa remanſerant.

Nudius tertius cuidam nobili Ozæna ex ſuffumigiis contracta, ſetaceum ex conſilio prædicti Dn. D. Meyeri, adhibui. Vides itaque quam periculoſi ſint ſuffitus in lue venerea, & narium affectibus. *Idem ibidem.*

Ozæna curata, in qua os vomer majori ex parte excidebat.

Nobiliſſ. Vir D. D. C. quinquaginta & quinque annos natus, Lue venereâ ita malè affectus, ut per plures curationes tum hic Genevæ, tum Pariſiis, tum etiam in Belgiô, tentatas, ab ea liberatus non fuiſſet. Quin potius morbus in dies increſcens nova ſymptomata ſubinde inducebat, dolores ſcilicet univerſales, nodos in variis partibus, urinas, ac alvi dejectiones cruentas, exſpuitiones purulentas, ac febrem lentam; quibus demùm poſt adhibitum incautiùs, minùs probè præparatum mercurium, adjungebatur palati, faucium, imò totius æſophagi exulceratio, omnem prorſus nutrimenti deglutitionem, præter ſolas emulſiones è ſeminibus frigidis & nucleis piſtac. cum aquâ pullorum gallinaceorum extractas. Sceleton verè dixiſſes, tanta aderat totius macies; nec in hoc totum continebatur malum, ſiquidem ex palato in nares tanta corruptio ſerpſerat, ut eâ ſpiritus infectus longè ſpargeret odorem tam fætidum, ut præ ejus virulentiâ vix liceret ægri cubiculum ingredi. E naribus effluebat multa ſanies, ipſæque etiam carnes ſpongioſæ ad earum radices ſitæ ſubinde excidebant cum variis oſſis particulis. Vix erat quid conſilii ſumerem in tam atroci morbô; ne tamen miſerum prorſus dcſererem, aliquid etiam ultra Artem tentare viſum eſt. Itaque decoctiones validiſſimas ex lignis & radicibus deſiccantibus, additis etiam herbis noſtris traumaticis, in vaſis probe coopertis, ac ſecundùm methodum Clariſſ. D. Pappini confectis, paravi, earumque aliquid, poſt admixtum ſyrupum de Balſamo Copaivæ, & de Mechâ, ſubinde propinavi. Pulveres e jalappâ, mercurio dulci, cinnabari naturali, & paucô Mechæ Balſamô, concinnavi, ac tertia quaque die, exhibui; intercalatis pulveribus, ex eodem balſamo, ac mercurio dulci, & cinnabari, cum aliis etiam abſorbentibus, ac ſpermate ceti, ſed ſine jalappa. Succos præterea è vincâ pervincâ, alchimillâ, veronicâ montanâ, ſaniculâ, ac hæderâ terreſtri, extraxi, quos balſamô prædictô melle roſaceô & pauciſſimo ſpiritu armoniacali aromaticô, impregnatos, cum lacte vaccinô per ſyphonem, in ſuperiores nares, indeque in ipſas fauces, frequentius injeci; & quia paulò glutinoſior erat hæc mixtura, illi per vices aliquid decocti pro potu lacti adjunctum, quô pars commodiùs mundificaretur, ſuccenturiavi; Hunc potum poſt aliquot dies laxantem feci, infuſis in eô foliolis orientalibus, atque etiam hac imbutum vi purgante, non minùs in nares inſtillavi. Per tres ſeptimanas ſic continuata eſt cura; & totô eô tempore, non tantùm potus fuit deſiccans, ſed etiam ex decoctionibus tenuioribus ejuſdem facultatis, confeci aquam pullorum emulſionibus parandis deſtinatam. Hacce methodô, parum admodum ſalivationis motum eſt; cui etiam integræ ſuſtinendæ prorſus impar erat Æger Nobilis; ſed per inferiora, ſedes ſcilicet & urinas, non parum vacuatus eſt; imò per nares ipſas ingens copia purulentiæ ejiciebatur, cui oſſiculorum fragmenta ſubinde erant aſſociata. Sic demùm curatâ faucium ac æſophagi exulceratione, alimentum minùs tenue aſſumere valuit, juſcula ſcilicet carnium quibus incoquebatur aliquid panis. Tunc vires aliquatenus fuere refectæ, indieſque accreſcebant per validius nutrimentum. Continuabantur interim decocta deſiccantia & laxantia, imò ſubinde mercurius dulcis ac cinnabaris nativa balſamô Copaïvæ ſub formâ pilulari adjuncta; injectiones præterea non omittebantur. Quibus omnibus ita tandem proficiebamus, ut ſanus omnino ac vegetus evaſerit intra ſex ſeptimanas, & ſolùm os vomer, nares in ſuperioribus interſtinguens, profunda carie exeſum, deperdiderit.

Finis Lib. XIII.

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ MEDICO-PRACTICÆ LIBER DECIMUSQUARTUS.

De Morbis à Litera P incipientibus.

PÆDANCHONE
Vid.
APHTHAE.

PÆDARTROCACE
Vid.
OSSIUM MORBI.

PALATI MORBI.

De illis jam aliquid in Epulide ac Parulide, ut & in Lue venereâ ac Oris morbis. Hic itaque tantùm Obſervationes aliquas.

Prolapſus palati.

Hactenus quidem, vel omnino præteritus, vel levi ſaltem brachio percurſus fuit à Medicis prolapſus palati. Vitium tamen non minùs gra- ve quàm rarum. Cujus origo eſt à deſtillatione humoris deprimente uſque eò muſculos ſub fi- nem palati ſitos; ut præ pondere prolapſi, præ- cludant viam ſpiritui, cum per os, tum per nares erupturo.

Quæ anguſtia neceſſariò peſſundat hominem, niſi dictum, ac factum ſcalpellô tumorem per- tuderis; evacuatôque humore illic concluſô, aperueris confeſtim viam, accedenti ac rece- denti ſpiritui neceſſariam. Vidi equidem tu- morem hunc in palatô, adeò celeri ac per- nici curſu, aliquando exortum, ut vix licue- rit cogitare de gargariſmate; nedum de aliis auxiliis; præterquam de ſolâ ſcalpelli inciſione: quâ dextrè, & feſtinanter, id temporis, inſti- tutâ, vidimus non modò effluxiſſe inde pluri- mum aquæ: ſed detumeſcente palatô, protinùs ad ſe rediiſſe hominem extinctioni jam proxi- mum. *Nicolaus Tulpius Obſervationum Medicarum lib. 1.*

De inſignis magnitudinis hiatu in palatô.

Quàm inordinatus ſit ſonus in iis, quibus oris palatum inveteratô hiatu laborat, quoties loqui coguntur, omnibus notum qui arti ſe ſe dederunt Chirurgicæ Medicæve. Hujus mali ad correctionem, quò accuratus magis excitetur ſonus, varia omni tempore excogitârunt artis noſtræ cultores media, opercula inprimis, quorum quædam deſcripſit, delinearive curavit Carolus Battus manualis Chirurgic. tract. 2. cap. 13.

Intermittere non poſſumus, quin deſcribamus, delineemuſque obturamentum aliquod extraordinarium, ex foramine incredibilis amplitudinis palati ad fauces prolapſum, præſente Corneliô Kerchem Reipubl. hujus Chirurgô ordinariô, in cadavere mulieris alicujus ex mandatô Ampliſſ. D. Prætoris atque Scabinorum diſſectô, obſervatum.

Subitò hæc extincta, unde venenum aſſumpſiſſe dicebatur. Hoc, quò conſtaret, ope ſpeculi oris, interiora ejus intueri conſultum viſum; occurrebat illico particula corticis illius poroſi quô uti ſolemus ad vitrorum occluſionem (Belgis *Kurk*) obducta plumaceolis, hinc laminâ argenteâ tecta, quæ ex palatô, cujus foramini impoſita fuerat, deciderat ad fauces, ubi laryngis deducta anguſtia, ex quâ ſubita ſuffocatio. Notavimus hæc 27. *Martii* 1654.

Propoſuimus hæc, non quòd foramen, magnum adeò, quod jam occalluerat, curari debuiſſe, aut potuiſſe, velimus; ſed ut moneamus nunquam operimenta talia uſurpari debere, niſi quæ firmiter vicinis undique cohæreant, ne ſuffocationis periculum adſit.

Ulcerum Palati cum carie, ac etiam hiatu quædam exempla,

Non ita pridem curæ meæ ſe committebat Nobilis Matrona Burgunda, quæ ſine ulla Luis ſuſpicione, tantô afficiebatur palati ulcere, vel potius pluribus ulceribus, ut per humoris ex

iiſdem depluentis acrimoniam, os variis in locis non parum alteratum ac exeſum foret. Ægram ſæpius purgavi; venæſectionem bis imperavi; decocta ſudorifera exhibui; & ulceribus; ſuccum primò alliariæ paucô ſpiritu ſalis armoniaci imprægnatum, poſtea ſuccum alchimillæ, ſaniculæ ac pyrolæ, eodem ſpiritu paulò magis ſaturatum, ac tandem tincturam gummi laccæ ſpiritu vini ſale armoniaco volatili imbutô, extractam, admovi. Quibus auxiliis brevi convaluit, & adhucdum ſana vivit. Spiritum autem armoniacalium, & præcipuè tincturæ gummi laccæ per eos extractæ, virtutem non poſſum ſatis commendare in oris interiorum ulceribus, cum & ſine carie: ſiquidem eorum vi, quicquid corrupti ab ulcere pullulat, commodè exeditur, oſque carioſum benignè exfoliatur, ac cicatrix tandem inducitur. Non ita bene ceſſit duobus inter noſtros viris, quorum alter convulſus periit, poſtquam, nihil proficientibus remediis, palatum variis locis perforatum, imò dentium plures alveolos ita cavatos habuit, ut per eorum hiatus minor digitus ad nares uſque promoveri poſſet. Tantus autem inde prodibat fœtor, ut cùm ſemel digitum ipſe induxiſſem, vix per diem integrum mephiti inde contractâ, variis etiam adhibitis lotionibus idoneis, ipſum ſpoliare conceſſum fuerit. Alter verò ex parte ſuffocatus, ſed præcipuè ex alimenti inopiâ, obiit; poſtquam tantus hiatus in ipſius palato factus eſt, ut nullâ arte obturari potuerit, deficiebant ſcilicet omnes dentes, qui nempe præ carie largiſſimè ſerpente deciderant, nec aliquid aliud erat cui obturamentum neceſſarium colligare daretur. Itaque quicquid aſſumere vellet, miſerrimus hominum, ſtatim per nares aſcendebat, nec in ventriculum deduci valebat. In eôdem ægrô, vidimus ex carie partium auris interiorum, oſſicula auditui ex communi ſententiâ, facientia; quibuſque nomina, ſtapetis, incudis, malleoli, ac oſſis orbicularis indita ſunt, cum aliis multis excidentia: Unde ſatis conſtare poteſt quanta demùm fuerit cariei vis in tota ſuperiore maxillâ, partibuſque vicinis. Sed de his jam ſatis.

PALPEBRARUM AFFECTUS.

DE iis jam in Oculorum morbis, ſupereſt itaque tantùm ut hic rurſus aliquas Curationes, Conſultationes & Obſervationes morbos harumce partium paulò ſpecialiùs ſpectantes, adjiciamus.

Scabiei Palpebrarum Curatio.

Præmiſsâ purgatione, & cucurbitulis cum ſcarificatione ſcapulis admotis, juſſi ut aquâ roſaceâ, Aloë exiguâ immixtâ, collyrii inſtar palpebras ſæpius oblinirèt; ſi neque juvaret, ut myrrham cum lacte muliebri miſceret, quô palpebras inungeret. Sed & hôc linimentô ad pruritum palpebrarum, & ruborem commodè ſæpe uſi ſumus.

℞. Cadmiæ lotæ in aq. roſac. ʒß. Sanguin. draconis ʒ ij. Viridis æris ℈j. Aloës hepaticæ ℥iij. Fiat pulvis ut alkool. Adde olei commun. ℥iij. Loridi ſine ſale ℥ij. Incorporentur omnia; poſtea adde camphor. ſubtiliſſ. pulver. ʒj. Fiat unguentum. Amicus quidam noſter, cùm palpebras inferiores rubras & exulceratas haberet, ſequens illi linimentum paravi ex unguentô roſac. paucâ adjectâ tutiâ præparatâ, quo, cum petiis lineis, ad hoc aptatis, appoſitò, unicâ nocte (quod mirabile fuit) ab illâ moleſtiâ liberatus eſt. *Petrus Foreſtus de morbis oculor. & palpebrar.*

De Tumore Palpebrarum Conſultatio.

Lidgardis Cundenreichia, Conjux viri integerrimi D. Joh. Calſouven, tumore quôdam laxô, & quaſi ædematosô, afficiebatur, ſine omni dolore & moleſtiâ, niſi quòd oculos aperire non poſſet.

Reſolutio.

Ἐμφύσημα hoc ab humore aquosô-ſerosô & flatulentô, quô abundare videbatur ægra, natum eſt.

Foveantur palpebræ decoctô flor. Chamæmeli, rutæ, cumini. Inungantur oleô anethi & rutæ. Hæc fruſtrà fuerunt.

Humores itaque ſeroſi evacuentur ſequenti pulviſculô.

℞. Cremoris tart. ℈ij. Magiſter. gutt. gamandr. gr. 6. Reſin. gialapp. gr. 3. M.

Poſtmodum palpebris emplaſtrum applicetur, pro quô

℞. Pulver. ſemin. ſubtiliſſ. ʒiij. Farin. tritic. & fabar. an. ʒiß. Mellis roſarum q. ſ. M. f. emplaſtrum.

Sic intra biduum penitus evanuit tumor, brevi tamen recruduit; impoſui denuò emplaſtrum, iterum ſubſedit. Verùm cùm ſæpius poſtea recurreret & cachexiam ſubeſſe animadverterem, convenientibus remediis eandem expugnavi, ſicque ab omni recidivâ immunem præſtiti. *Baldaſſar Timæus Caſuum Medicinalium lib. I.*

Ex verrucâ in oculi ſiniſtri Palpebrâ male curatâ Cæcitas.

Mechtildis *von Pollem*, uxor D. Georgii Froreichii Quæſtoris in Epiſcopatu Caminenſi Provincialis, myrmeciam, ſive verrucam glabram & ſeſſilem in oculi ſiniſtri palpebrâ jam à multis alebat annis, nullô adhibitô remediô, ſiquidem moleſtiæ & doloris erat expers. Obtulit ſe tandem ultrò Cheirurgus quidam caſtrenſis opem exigua herbula pollicitus; Succô nimirùm ex eſula recenti expreſsô verrucam illmivit, ſimulque linteolum eôdem ſuccô imprægnatum, oculô clauſô ſub veſperam palpebræ impoſuit. Noctu totius oculi tumor & inflammatio ſuborta, tam atroci cum dolore & cruciatu, ut de vita deſperaret Ægra.

Reſolutio.

Acceſſitus ad leniendos immaniſſimos cruciatus, lac muliebre inſtillavi oculo, idemque & palpebræ cum petiis duplicatis tepidè applicui. Fronti autem & temporibus epithema ex repellentibus induxi. Mox ad inflammationem coërcendam, aperta in cubitô vena, ſanguinem ad uncias ſeptem detraxi.

Hinc

Hinc alvum enemate convenienti provocavi, aliaque revulſionum media adhibui. Dolore nihilominus perſeverante, & immane quantum ſæviente, cataplaſma anodynum tepidè impoſui.

℞. Pomor. dulc. num. 3. Coquant. ex aq. roſar. & plantag. q.ſ. ad mollitiem; trajiciantur per cribrum. Pulpæ adde ſacch. albiſſ. ℥ ij. Camphor. gr. xi. Croci gr. v. M. f. cataplaſma.

Hujus uſu ſæpiuſcule repetito immaniſſimi dolores mitigati, poſtmodum ex totò remiſere, quin & ipſe tumor ſenſim diſparuit: Oculus verò à mordaci & erodente thythymali ſuccô inſigniter læſus, in calamitoſam cæcitatem conceſſit.

Galenus 10. de uſibus partium, parte 12. ſcribit in ſomnô ſe accuſatum fuiſſe quòd oculorum munera non ſatis accuratè explicaſſet. Quid de hoc barbitonſore medicaſtrô oculos aliorum temerariô auſu excæcante olim fiet, cùm in die illô decretoriô omnium reddenda erit ratio? *Stultorum adjumenta nocumenta*, ut habet vetus emblema, quô pingitur villicus anſeres per omnem portans, dum cavet ne merganuur, cingulô collo tenus, alligatos, jugulat.

Anſeribus fatuus conſtringit colla per amnem
Dum vadit; hoc ſtulti more juvando nocent.

Idem ibidem.

Palpebræ cum tunica Cornea connexio curata.

Nobili cuidam in Italia enſe inflictum fuerat vulnus, quod partem faciei ab aure ſiniſtra ad oculum uſque, occupaverat. Non ſaltem autem ſuperior palpebra inciſa fuerat; verum etiam ipſa adnata & cornea tunica, ſed ſuperficialiter ſaltem, & nequaquam ad vacuum oculi: humores enim non effluxerant. Sanatum quidem fuerat vulnus in Italia, ſed parùm feliciter. Quia enim oculum faſciâ nimis arctè clauſerat Chirurgus, palpebra ſuperior conjunctivæ & corneæ annexa fuerat, tamque firmiter adhærebat, ut oculum aperire non potuerit, neque à dolore omninò immunis erat æger. Cum enim, ut Anatomicis notum eſt, uno oculo moto, alter quoque moveatur: At hic oculus malè affectus, cum altero liberè moveri non poſſet, & palpebræ propter motum oculi hinc atque illinc dirigerentur, non potuit non conſequi dolor: quapropter intumefactio oculi aderat, & continuò ferè lachrymas profundebat. In Italia Chirurgos in conſilium quidem vocaverat: ſed quia ſeparationem palpebræ ab oculo nonniſi inſtrumento ſcindente fieri poſſe reſponderant, moduſque ille procedendi ægro (etiamſi viſum veluti deperditum eſſe ſciebat) ſuſpectus, curationem in longum tempus diſtulit: Verebatur enim, ne in ſeparatione cornea diſrumperetur, humores effluerent, membranæ conciderent, & deformitas ſubſequeretur. Tandem, cum prædicto anno 1593. Coloniam perveniſſet, & Dom. Johannem Slotanum, Medicinæ Doctorem, mecum in conſilium adhibuiſſet, Divinâ gratiâ ſequentibus præſidiis feliciter ipſum reſtituimus.

Præſcriptâ optimâ victus ratione, purgato item corpore, & inciſâ venâ in brachio, ſtylum, exploratorium incurvatum verſus canthum majorem, ſubter palpebram ſuperiorem inter oculum & palpebram blandè immiſi, donec apex ſaltem ſtyli ex cantho minori promineret. Tum ſtylo exploratorio filum ſericum tenuiſſimum annexui, mox ſtylum eadem viâ, quâ ipſum immiſeram, videlicet per canthum majorem extraxi, & extremitates fili ſub oculo conjunxi, eique fruſtrum plumbi drachmæ circiter ponderis annexui. Plumbum hocce penſile interdiu liberum erat, & hinc atque illinc, prout æger caput in unam vel in alteram partem inclinabat, movebatur. Noctu verò, ne forſan incommodum aliquod, aut dolorem excitaret, plumbum illud ſepoſui, oculumque faſciâ leviter obtexi.

Oculo frequenter collyrium ſequens penicillo ex pennis gallinæ facto, per angulum majorem ter quaterve in die per miniſtros imponere juſſi.

℞. Aquæ roſarum, plantaginis, Euphraſiæ an. ℥ß. Tutiæ præparatæ, Ceruſſæ lotæ, Cornu Cervi uſti & præparati an. ℈ iß.

Miſceantur in mortario, addendo mucilaginis ſpiſſiſſimi ſem. Cydoniorum q. ſ. ut formam linimenti adipiſcatur. Beneficio prædicti fili ſerici & plumbi, quicquid ſub palpebra oculo annexum erat, intra dies octo aut novem abſciſſum fuit. Tum oculum integrum quidem, ſed viſum propter cicatricem pupillæ depravatum invenimus. Palpebras, frontemque per dies aliquot oleo lumbricorum inunxi, & ſacculum ex Betonica, Euphraſia, Iva arthetica, primula veris, chamomilla, roſis, & Roremarino in aqua coctum, calidè applicui, præſertim noctu. Sic motus palpebrarum & oculi penitus reſtitutus fuit, ita, ut nulla remanſerit deformitas, præter exiguam cicatricem in cornea tunica. Eſt quidem laborioſa operatio hæc, ingenioſa tamen, certa, minuſque periculoſa, quàm ea, quæ à Celſo lib. 7. c. 7. Et Hieronymo Fabricio ab Aquapendente lib. de operationibus Chirurgicis, capite de Ancyloblepharo, deſcribitur, fitque ferè ſine dolore.

Gulielm. Fabricius Hildan. Obſerv. Chirurg. Cent. 5.

PALPITATIO CORDIS.

De ea jam fusè in Cordis morbis; non minùs tamen hic rurſus Diſſertationem in eôdem argumentô à Præclariſſimô atque Ampliſſimô Virô D. Carolô Drelincurtio, in Academiâ Lugduno-Batavâ Medicinæ Profeſſore Celeberrimô, &c. confectam, apponemus. Quæ ſic habet.

I. Palpitantis Cordis ideam nemo conſequetur niſi Cordis ſubſtantiam atque ſtructuram vel rudiùs ſaltem noſcat. Utinam ego hocce meorum ſtudiorum in Medicina Tirocinium depoſiturus par eſſem in enarrandis illis de Corde mirabilibus, quæ apud noſtrum Incomparabilem Harvejum atque Clariſsimum Lovverum & quæ hiſce oculis ſæpe ſæpius tam publicè quàm privatim à Præceptore meo nunquam non laudando D. D. Carolo Drelincurtio, in Anatomia nulli ſecundo, percepi. Pro ingenii itaque modulo illa duntaxat referam, in contractam veluti tabellam, quæ ad rem attinent, ut eo luculentiùs conſurgat hocce meum de Palpitante Corde Inaugurale Lemma.

II. Cor igitur noſtrum ex Hippocratis doctrinâ & ex ipſo Naturæ libro, cui fruſtra Galenus

lenus ſeſe opponit, revera muſculus eſt & quidem robuſtiſſimus; conſtat enim fibris carneis numeroſiſſimis texti admodum compacti & filis, ut ita dicam, validè retortis, illiſque à baſi ad apicem in ſpiræ modum eleganter ubique reflexis & in ſeſe veluti retruſis atque regeſtis: Hac itaque fibrarum congerie denſa Cordis exteriora conſtituuntur, aliunde enim iſthæc fibrarum reflexa atque retorta congeries utrinque recedit & ſepto quodam muſculoſo pariter, ſecluſum ſpatium utrinque relinquit, Ventriculi nomine notiſſimum. Illi porro Ventriculi ſex circiter unciarum, in viro verbi gratia, capaces ſunt, uti demonſtrantem vidi Clariſſimum meum Præceptorem, ſed illi Ventriculi nequaquam cavitates habendæ veniunt puræ putæ inanes, nam præterquam ſanguinem in ſe æſtibus veluti reciprocis identidem admittunt, miro, præterea artificio extructæ cernuntur muſculis aliis tendinoſis admodum interiora ventriculorum occupantibus; ut contractione & relaxatione ſua alternis, alternis etiam adjuvent reciprocos illos noſtri Cordis motus quibus ſanguinem & admittit & emittit, ad celebrem illam Circulationem conſtituendam, quam Hervejus Noſter primus omnium in apertam lucem protraxit, poſtquam ſcilicet levem ejus adumbrationem noviſſimo ſeculo ob oculos poſuerant Andreas Cæſalpinus, Realdus Columbus atque Julius Cæſar Arantius, uti nuper ex Doctiſſimi mei Promotoris recitationibus publicis accepi. Harvejus quippe noſter ſua luce doctrinam illam apud alios tenebricoſam adhuc perfudit, experimentis comprobavit atque rationibus fulcivit, & ob illam profectò rem tam egregiè navatam monumentum ſibi exegit Londinenſi marmore noſtro (ipſi erecto) perennius. Sed è diverticulo ad rem.

III. Muſculus itaque fortiſſimus eſt Cor & quidem arteriis, venis & nervis non unicè inſtructũ, ſed & intrinſecus muſculis aliis robuſtis etiam, (exiguis licet) apprimè munitum, quo ſcilicet facilius in motibus ſuis indefeſſis perennet. Conſequens eſt ergo ut illæ præter naturam affectiones, quæ in muſculos incurrunt, (quatenus ſunt organa motus) eædem (ſuo quoque modo) in noſtrum Cor pariter invadant, & illius motus vel imminuant, vel depravent, vel aboleant.

IV. Prioris atque poſterioris Symptomatis ſpeculatio alterius diſquiſitionis eſt, quam hodiernæ meæ. Uni ergo medio Symptomati in præſens inſiſtam & pro virili motum iſtum Cordis deſcripturus ſum, quem depravatum voci tant ſub nomine vel Palpitationis, vel Tremoris, vel Formidinis, vel Formicationis, vel Saliſſationis demùm, uti Marcello Empirico placet.

V. Unum novi Johannem Baptiſtam Silvaticum, qui mordicùs contendat Tremore Cor affici non poſſe, utpote quia ex ejus falſiſſimis hypotheſibus nec muſculus exiſtat, nec nervis donetur ullis ad ſenſum & motum. At Clariſſimus meus Præceptor ei penitus adverſatur, muſculum enim Cor agnoſcit & demonſtrat rationibus & experientia. Cor ſiquidem patefacit carneis fibris, arteriis, venis atque nervis largiter eſſe donatum: exinde eſt ut hancce Scriptorum Palpitationem non modò Tremorem eſſe, cum quibuſdam profiteatur, ſed & Cordis doceat eſſe convulſivum motum ac genuinam inſuper Epilepſiam; & meritò quidem, judicio meo. Nam primum quod attinet, ſicut in Tremore pars involuntariè ac etiam continuè modò attollitur, modò deprimitur, ita perſeverante Cordis Palpitatione Cor ipſum (præter ſuum omninò morem placidum atque tranquillum) modo aſſurgit, modo autem relabitur, idque prorſus inordinatè atque violenter. Sicuti deinde Tremor non omnis momentaneus atque fugax eſt) inſtar illius, quem Terror ſuſcitat) ſed quidam permanens atque rebellans ad vitæ fata ſuprema, ita certè non omnis Palpitatio Cordis (illius more quam Timor excitat) evanida atque momentaria eſt, ſed quædam ægros pertinaciter irretit & implicat, quædam verò ipſos etiam in tumulum omnino trudit. Pervicacis unius unicum Eruditiſſimus meus Promotor mihi ceſſit exemplum in Reverendo Viro, qui Cordis decimeſtri Palpitatione jactatus, (ſed interpolata) in bimeſtrem demum incidit, illamque continuam, ac interdiu noctuque moleſtam, ſed quam Reverendus ille Vir, Dei tandem beneficio, eluctatus eſt. Perennis autem alterius atque lethiferæ prorſus exemplar mihi Schenkius præ oculis poſuit de Sacerdote quodam, cui carnea moles unciarum fermè duarum ad Cordis baſin increverat, inter Aortæ Caudicem & Pulmonis Arteriam, atq; adeò Palpitationẽ ipſi pervicaciſſimã ac irrequietam à Cunis ad Feretrũ intulerat.

VI. Epilepſiam quod ſpectat, ſicut in illa partium eſt inordinata concuſſio, ita certè in Palpitante Corde totius Cordis irregularis eſt commotio & quidem tanta, ut pectus vehementer feriat, ac etiam ſono ſeſe quandoque prodat adſtantibus. Rurſum ſicut Epilepticus inſultus vel Periodicus vel Erraticus, ita Cordis noſtri hæc exagitatio Symptomatica vel Periodos ſervat, vel Periodos neſcit. Tertiò demum ſicut Epileptica ſuccuſſatio fortis ſubſequentem à tergo ducit muſculoſi generis quendam languorem effœtum atque dolorificum, ita certè hæc Cordis valida vibratio inſequentem habet gravantem quendam pectoris laborem, quo, vegetum alias Viſcus illud, elanguet, & veluti ſub pondere gemit.

VII. Jam verò ſicut motus Epilepſiæ pendent à Spiritibus Animalibus efferatis atque petulcis, ita certè reputandum eſt Cordis motiones illas efferas eſſe atque petulcas propter Spiritus tumultuariè commotos atque petulantes. Animalium ergo Spirituum motus inordinatus atque tumultuarius in Corde cauſa mihi Palpitationis eſt immediata atque conjuncta.

VIII. Hæc autem turbulenta Spirituum agitatio & efferatio vel ab ipſa mente primùm & immediatè procedit, uti liquet in animi Pathematis Terrore atque Mærore, quibus motus ille Cordis inconditus derepente ſuſcitatur; vel ab ipſis eſt Spiritibus Animalibus, jam quidẽ Cordi addictis atque peculiaribus, ſed una cum Viſceris illius Vitalibus aliis efferatis omnino, atque adeò ſeditionem in illo viſcere talem concitantibus ut exinde tota enormiter Machina Cordis concutiatur. Id autem dupliciter obtingit. Primò quidem vitio Sanguinis atque Spirituum primariò, ſicuti patet in Cachecticis atque Scorbuticis per mediam ſomni quietem vehementi Cordis ſuccuſſatione cõturbatis & exagitatis. In illos quippe ſuccuſſus ille Cordis non prius invadit quam pugnantes inter ſeſe ſanguinis portiunculæ, indole variæ, concurſu atque pugna ſua Cordis fibrillas irritent, atque adeò Spirituum Animalium

& Vi-

& Vitalium ejus quietem prius altam conturbent & è malacia in tempeſtatem traducant. Id ipſum rurſus accidit vitio ſanguiuis ejuſdem ac Spirituum etiam, ſed ſecundariò, uti conſtat ex illis quibus alienigenum quid Cordi vel externo vel interno præſentiâ ſuâ ejus vel exteriora vel interiora fila uſque adeò vellicat ut Viſcus illud in furibundos veluti ſaltus impellat.

IX. Sed, licet iſthæc humanæ vitæ Rota identidem ita ſubſultet, ut exilire ac exorbitare putetur, nihiloſecius impetum ejus talem ac tantum nunquam agnoſcimus, ut vicinas coſtas de ſuis ſedibus depellat aut etiam diffringat. Cum bona itaq; id aſſerentis Fernelii venia dixerim omnino partis molliuſcalæ, aquis circundatæ, pericardio concluſæ, pulmonibus obſitæ, nullum unquam in coſtas inſultum fieri poſſe talem ac tantum ut in ipſas præduras ac oſſa vera, nec non quovis ſagittarum faſciculo fortius invicem colligata, cladem tam enormem inferre queat. Iſtud itaque Fernelianum Dogma apud plebeculam audiat avidum genus auricularum, ſed mihi cuncta ad rationis & experientiæ libellam exigenti alienum prorſus eſt & à ratione & ab experientia.

X. Jam verò Palpitationis Cordis cauſas etſi minutatim excuterem, nihil interim ab illa mea mente de coſtis adverſus omnem Cordis ſuccuſſationem immotis & infractis me dimoveret. Quid enim in coſtas impetu tanto arietare queat nulla ratione conſequor? An verbi gratia, Bilis illa retorrida foret in Arterias effuſa inibique in tophi nigri ſpeciem concreta, quam Fernelius idem in uno & altero cadavere deprehendit? Minimè Gentium, nam quadruplex noſter Aries, Theſeos Nonæ, adverſus Fernelianum illum in coſtas Arietem fortius arietat. Quid ergo? An Holleriani abſceſſus atque calculi in Corde duo convulſifici atque lethales? An Galeni atque Rolfinkii Hydatides atque tubercula cruda Pericardio adnata? An Hildani ſanies eodem in Pericardio purulenta? An Caroli Piſonis atq; Tulpii ſeroſa colluvies acris, reclamante licet Clariſſimo Diemerbroeckio? An Ballonii craſſus atque melancholicus humor in Cordis ventriculo ſiniſtro detectus? An Williſii ſanguis grumoſus & ater, quo ventriculus Cordis dexter & ejus Auricula atq; Pulmones erant infarti? An Foreſti Abſceſſus in Archidiaconi Corde? An Thomæ Eraſti concretio in Corde nigra atque tartarea? An Terni illi atque cinerei Zacuti Luſitani calculi, ciceris mole, è Latronis fumante adhuc atque Palpitante Corde revulſi? Wieri Tres alii, ſed piſorum magnitudine, rubiginei lapilli è Corde Maximiliani ſecundi eruti? An Veſalii atque Riverii in ſiniſtro Cordis ventriculo deprehenſæ carunculæ? An Bauhini atque Diemerbroeckii fruſta quædam adipoſa ex ipſius Cordis ventriculis exempta? An Smetii pituitoſa concrecretio medullæ cruris bubuli intra Cordis ventriculum dextrum ſimillima? An Otthonis Heurnii calculi tres, arenacei, villis ſepti Cordis infixi, piſorum circiter rotunditate? An Gulielmi Ballonii pericardium Cordi agglutinatum, in duobus Hydropicis? An Rondeletii capſula Cordis inflammatione tentata? An Dodonæi callus arterioſus Cordi proximus? An Aurelii Severini vermiculus in Corde cujuſdam Angli? An Williſii demum aorta ſenis ebrioſi ſaxea. Nequaquam profectò: Id enim Saxi adhæſit aortæ, atque adeò nulla vibratione nullove jactu valuit impetere coſtas. Cùm autem reliquarum omnium cauſarum impetus in illas coſtas, longè ſit languidior hac ipſa cauſâ, Saxea quidem, ſed imbelli tamen ac prorſus impari ad tantam coſtis ruinā inferendam; Sequitur omnino ut nulla è reliquis cauſis potis ſit tot, quot dixi, Theſi nonâ, perrumpere obices, ut coſtas vel luxet, vel effringat.

XI. Hæc interim affectio (coſtas etſi nec disjiciat nec confringat) in vitæ noſtræ Regem tam aperto Marte graſſatur, ut lethalia Symptomata, Lipothymiam nimirum atque Syncopen invehat. Illis igitur occupandis nos totos inſudare oportet, atque ita ſedulo nobis eſt cauſæ primariæ habenda ratio, ut illam vel amoliamur, vel retundamus. Nequaquam interim negligendæ ſunt vel abſtruſiſſimæ cauſæ ſecundariæ, ſed ſcrutinio ſagaci ſuis illæ in latibulis detegendæ veniunt, ut illæ ipſæ maturè ſuffodiantur, antequam vitæ noſtræ Monarcham in munitiſſima ſua pectoris arce ſuffoderint ac everterint:

XII. Viriliter ergo Cordis commotionem illam quâ ſe ſe impenſius exagitat, & vehementi diaſtole atque ſyſtole ad extrema ſe fatigat, oppugnemus. In eos uſus nullæ potiores machinæ nobis ſuppetunt, quam quæ ſuis Spirituum velut exploſionibus cauſam omnem hoſtilem ex intimioribus ipſis vitæ penetralibus extrudere aptæ natæ ſunt, tales, verbi gratia exiſtunt Cardiaca quævis, mon modò Spiritibus vivificis turgida, ſed etiam opiata virtute pollentia, ut lenitate ſua Spiritus ferinos deliniant, atque ſic ſacram illam vitæ noſtræ Rotam exorbitantem in priſtinam orbitam reducant, & in præſcriptos à natura gyros impellant, quo felicius atque lætius ægri noſtri præſtituta ſibi ab Arbitro Vitæ ſtadia conficiant.

XIII. Cùm autem ſecundariæ cauſæ multiplices & abſtruſæ conſiſtant, captum profecto meum ſuperant omnès tam in Diagnoſi, quàm in Therapeia. Satius eſt igitur ut illis è ſuis tenebris eruendis & demetendis alteri lampada cum falce tradam & me unicè reſtringam ad cauſam meam Palpitationis immediatam è directo meis Cardiacis Opiatis oppugnandam. Cùm iſthæc ita ſint, totus ero in Spiritibus Cordi ſuggerendis, vivacibus quidem, ſed indolis quietæ, quales nobis ſuppeditantur à Spiritu Vini vel vulgari, vel Camphorato; A Spiritu Theriacali vel Simplici vel Compoſito; Ab Aquâ Vitæ Matthioli vel ab Ant-epileptica; Vel ab Aquâ Cinamomi cum Theriaces vel Diaſcordii momento; Ab Aqua Naphæ cum modica confectione vel de Hyacintho, vel de Granis Tinctoriis; Ab Aqua Meliſſæ cum Spiritu Volatili vel Succini, vel Cochleariæ, vel quovis Aromatico; Ab Aquâ Salviæ vel Lavendulæ cum Spiritu vel Salis Armoniaci, vel Succini, & Syrupo vel Cardui Benedicti, vel Stæchados; Ab Aquâ vel Betonicæ, vel Juniperi cum Tinctura vel Opii, vel Caſtoris, vel Croci; Ab Aqua demum, Corticis Arantiorum cum Syrupo Granorum Kermes, & Sale aliquo Volatili, vel Viperarum vel Eboris, vel Cornu Cervi, é quibus variè mixtis & interpolatis innumeræ mixturæ præſcribendæ venient, pro re nata. His itaque pauculis huic Themati meo Inaugurali Coronidem imponam.

Hactenus Vir Præclariſſimus.

PANDICULATIO.

PAndiculatio inter morbos referri non debet, niſi eo exceſſus venerit, ut inter affectus ſpaſmodicos recenſeri queat. Eſt enim motus ille membrorum ſolidorum tenſivus oſcitationem ut plurimum concomitans, hominibus pigris ac ignavis ſatis familiaris. Credunt illam oriri à materiâ flatulentâ in fibras & nervoſas partes delatâ: At nobis commodiùs videtur eam immediatè à ſpiritibus pro tempore in corporis immobilitate coërcitis, & tandem elaſticè cum quodam impetu ſeſe expandentibus, deducere. In tædiô evenit idem motus; quia ſcilicet ſpiritus non ita contineri poſſunt in conſideratione minùs grata, quin ſubinde in fibras excurſiones faciendo, eas violentiùs diſtendant. In hôc itaque argumentô, quaſi ad praxim medicam non faciente, immorari non opus eſt. De Pandiculatione quidem capitis, ſeu ejuſdem titubatione, ac motu tremulo, ſenibus ſæpius adveniente, Obſervationem habet Clariſſ. Benedictus Sylvaticus Conſultationum Centuriâ primâ; ſed quam hic inſerere neceſſarium prorſus non eſt, quia alibi hic affectus explicatur; ſcilicet capite de Tremore.

PANNVS
Vid.
OCVLORVM MORBI.

PAPILLARVM MORBI
Vid.
MAMMARVM MORBI.

PARALYSIS.

I. PAralyſis eſt motus, aut ſenſus, vel utriuſque ſimul in una, vel pluribus corporis partibus privatio. Hic autem non eam intelligimus privationem, quæ à toto cerebro affecto progreditur, quæque Apoplexiæ ſuprà jam deſcriptæ, nomine venit.

II. Pars affecta non alia eſt quam ipſi nervi, fibræque nerveæ, ad quas per obſtructionem, aut compreſſionem, aut continui ſolutionem, impeditur ſpirituum animalium influxus.

III. Variæ autem ſunt Paraliſeos differentiæ; ſi enim omnes corporis partes infra caput ſitæ afficientur, Paralegia; ſi verò reſolutio à dextris tantum aut ſiniſtris fiat, Hemiplegia; ſi in parte aliqua in ſpecie, v.g. brachio, lingua, tibia, crure, &c. ſedeat, Paralyſis particularis dicitur. Rurſus aliæ petuntur differentiæ à ratione cauſarum magis aut minùs gravium; alia nempè eſt perfecta, in qua motus & ſenſus; alia imperfecta in qua alteruter tantùm perit, vel imminuitur.

IV. Cauſa remota, eſt victus inordinatus, rerumque frigidarum & humidiorum, ut & earum quæ vi narcotica, aut alia peculiari ratione ſpiritibus & nervis infenſæ ſunt, nimius uſus: proxima verò eſt illud omne per quod ſpirituum animalium motui & ſenſui perficiendis dicatorum, influxus ad partes impeditur; ſive illud fuerit materia pituitoſa, ſalino tartarea, & fixior, obſtructioni pariendæ idonea; ſive alia ſtipticitate ſua nervorum porulos quaſi conſtringens & coarctans; ſive alia ſpiritus irretiens & fixans, quales ſunt plumbi, mercurii, narcoticorumque propè omnium particulæ, aut extus per nervulorum extrema ſe ſe inſinuantes, aut intus cum ſanguine circuitus ſuos peragente, ad cerebrum delatæ; ſive quidquam comprimens, v.g. vel tumor, vel luxatio; qualis in vertebris cujuſcunque regionis, vel ligatura; ſive exciſio illius nervi, unde ramuli ad partes aut partem aliquam diſtribuuntur; ſive ejuſdem nervi præſertim tenerioris contorſio, contuſio, atque etiam concuſſio vehementior, unde continuitas canaliculorum ſpiritibus devehendis deſtinatorum interrumpitur, quod videmus aliquando in contorſione & concuſſione medullæ ſpinalis paralyſes in partibus ſubjectis faciente.

V. Diagnoſis hujus morbi per ſe ſatis ſuperque patet, ex impotentia ſc. ad motum & ſenſum, aut alterutrum tantùm, vel in toto corporis trunco, vel in dimidia ejuſdem parte, vel in quopiam ex artubus, aut muſculis in ſpecie. Circa locum affectum difficilior eſt cognitio, & ad eam requiritur perfectior Anatomica ſcientia, de origine nervorum eorundem plexibus variis, diſtributionibus & ramificationibus, revera ſi cauſa aliqua evidens præceſſerit; luxatio ſc. fractura, compreſſio aut fortior ligatura, ex hac locus affectus innoteſcit; ſin minùs illa ex Anatomica, ut diximus, ſcientia petenda, per eam autem in hemiplegia mediam ſpinæ dorſalis partem, in paraplegia integram ſpinalem medullam, in reſolutione crurum, nervos ex oſſe ſacro exeuntes, in illa brachiorum, nervos per ultimas colli vertebras, primaſque thoracis prodeuntes, infarctu, obſtructione, aut aliis ſuperiùs enarratis de cauſis laborare, intelligendum venit.

VI. Omnis paralyſis ſive univerſalis, ſive particularis, ſive ſubitò, ſive ſenſim facta, morbus eſt longus, & curatu difficilis; ſi tamen ætas fuerit juvenilis, cum corporis robore, & ſenſus una cum motu omnino non perierit, magna ſanitatis recuperandæ ſpes eluceſcit. Quæ verò hominibus provectæ ætatis, cacochymis, aut intemperatis accidit, vix ac ne vix curatur. Tremor paralyſi ſuperveniens bonus, atrophia verò aut frigiditas peſſimi eſt ominis. Paralyſis à cauſa evidenti illata, ſi brevi tempore medicamentis non corrigatur, aut cedat, plerumque inſanabilis perſtat. Paralyſis à concuſſione ac ſuccuſſione corporis eveniens, irreparabilis ac lethalis eſt; item quæ cum mictu ſine ſenſu & voluntate. Quæ cum atrophiâ, ut & quæ cum frigore, periculoſæ. Quæ à Scirrhô procedit, ut plurimum eſt inſanabilis, quia ſcirrhus ejus cauſa remedii eſt incapax.

VII. Ad curationem ſtudendum primò, ut ſi quæ adſint cauſæ evidentes, illæ tollantur; ſin minus, ſecundò, materia nervos obſtruens, conſtringens aut ſpiritus irretiens, attenuetur, excutiatur, diſſipetur, aut alia ratione corrigatur. Tertiò novorum humorum affluxus præpediatur. Quartò cerebrum totumque genus nervoſum unà cum ipſa parte affecta corroboretur.

VIII. In ipſa curatione, ſi plethora multa adſit, proderit primò venæſectio; ſed præcipuè purgatio per pilulas cochias, extractum panchyma-

chymagogum cum admiſto mercurio dulci & pauco mercurio vitæ, decoctum ſudorificum, ſuffumigium ex aqua vitæ variis aromaticis & nervalibus impregnata, proderunt & varia remedia cephalica ſuperiùs deſcripta, ut & frictiones, cucurbitulæ, thermæ. Interim quàm maxime advertendum unde illa ortum habeat, quiſque ſit locus propriè affectus, ut topica ibidem adhibita, aut impedimenta ablata, ſpirituum influxum remediis intus exhibitis provocatum, ulterius accelerent, liberioremque faciant. Hiſce ut tolletur cauſa evidens, materia præterea nervos obſtruens, &c. ſi poſſibile, corrigetur & diſſipabitur, novorum humorum affluxus præpedietur, cerebrumque cum toto nervoſo genere corroborabitur, ſicque variis indicationibus mox enarratis abundè ſatisfiet. Paralyſis quæ nervi præciſione eſt, curam non admittit.

Medicamenta antiparalytica.

Folia meliſſæ, roriſmarini, ſalviæ. Flores tiliæ, liliorum convallium, ſpicæ, ſtœchados. Radices chinæ, coſti, imperatoriæ, pyrethri. Baccæ juniperi, lauri. Gummi animæ, ſagapen. Balſam. tolutanum, judaicum. Caſtoris axungia, teſticuli & pellis. Oleum ſanguinis humani, viperarum, lumbricorum. Formicarum acerv. Aqu. anhaltin imperial. correct. lavendulæ compoſ. Salviæ, compoſ. Balſam. varii apoplectici, nervini & antiparalytici in pharmacopæis deſcripti; item ſpiritus varii antepileptici, antiapoplectici, tartari, formicarum, ut & tincturæ, Antidotus ζωόφιλος Quercet. Oleum tartari, gagatis, ebeni, elem.

Formulæ Medicamentorum Purgantium.

♃. Maſſæ pilularum cochiar. ʒß. Extracti catolic. ℈ß. Cum pauxillo Syr. de ſtœchade, vel aq. alicujus apoplecticæ & granis viii. ſal. volat. cranii humani, vel ſanguinis humani, cornu cervi, aut viperarum f. pilulæ N. vii.

Vel ℞. Extracti panchymagogi. ℈j. Trochiſcor. alhand. gr. v. Mercurii dulcis, per repetitas lotiones, atque ſpiritus vini deflagrationes ab omni acrimonia probe liberati. gr. xii. Mercurii vitæ gr. iii. vel iv. Cum elixyre proprietatis volatili formentur pilulæ N. ix.

Vel ♃, Rad. jalapp. pulver. Myrrhæ rubræ. Florum ſalis armon. è lapide hæmatite elevatorum an. ℈i. Diaphoretici martialis, Scammonii puri an. gr. x. Cinnabaris nativæ gr. vii. Olei lavendulæ ſtillat. gutt. iv. Cum rob. juniperi, & Syr. ſtœchad. Arabicæ an. ſ. q. fiant boli quos ſumat ex nebulis.

Vel ♃. Folior. ſenn. mundator. ℥iii. Rhei electi ʒi. Fibrar. ellebori nigr. ʒß. Summitat. ſtœchados p. j. Salis cardui benedicti gr. xv. Infundantur & leviter bulliant in ſ. q. decocti tenuis rad. chinæ, ſalſæparillæ & ligni ſaſſafr. ad colat. ℥v. aut ℥vi. Diſſolve Syr. pomorum Regis Sabor & magiſtralis Argenterii an. ℥i. Jalapp. pulv. aut ſpecierum benedict. laxat. grana aliquot. M.

Formulæ medicamentorum nervos deobſtruentium, eoſdemque, una cum cerebro, corroborantium.

℞. Rad. chinæ, acori, petaſitid. ſanicul. an. ℥vi. Iridis Florent. ʒiii. Fol. major. roriſmar. lavend. thymi an. M. j. Flor. ſtœchad. ſalviæ an. M. ß. Sem. aniſi, carvi an. ʒiß. Cardamomi min. ʒi. Coquantur ex a. in aq. & vini an. ſ. q. ad colat. ℔iii. Diſſolve ſyr. ſtœchados Arabicæ & flor. betonic. an. ℥iii. M. pro octo doſibus, ſumat manè & veſperi longè à paſtu, cum particula conditi ſubſequentis.

♃. Diaphoretic. martial. albiſſ. ʒii. Specierum diambræ ʒiii. Butyri perlarum ʒiß. Cinnabar. antimonii, vel potius nativæ ℈ii. Conſervæ anthos, lilior. convall. nucis moſchatæ cond. an. ℥vi. Cum ſyr. ſtœchados & cinnam. an. ſ. q. fiat conditum.

Formulæ ſuffumigiorum, fomentationum, atque topicorum variorum. Et I. Formula ſuffumigii vaporoſi.

♃. Folior. lauri, lavendul. origani an. M. ii. Flor. roriſmar. Salv. Sambuci, ſtœchad. an. M. i. Conos abietum ſucco prægnantes. N. xii. Bacc. juniper. M. v. Coque in vini & aceti vini an. ſ. q. ut ex hoc decocto ſuper lateres ignitos affuſo elevetur vapor quem excipiat æger per horam circiter integram, ſemel aut bis de die, aſſumpta prius conditi ſuperiùs præſcripti doſi cum admiſtis guttis aliquot ſpir. tartari. aut alterius cujuſpiam ſc. viperarum, cranii hum. C. C. &c.

Topicum ſequens laudat Cnoeffelius.

♃. Spir. vin. camph. ℥iii. Formicar. compoſ. Lumbricor. Aquæ apoplecticæ an. ℥ii. Eſſentiæ trium piper. ℥i. ʒii. Sem. erucæ ʒß. Alum. plumoſi, euphorbii an. ℈i. Miſceantur in vitro bene clauſo, & poſt peractam ſufficientem digeſtionem filtrentur per chartam. Partes affectæ pannis calentibus quotidie fricentur, ſed leniter, poſtea illinantur præſcripta tinctura. Uſus ſaltem ad extra eſt.

Spiritus formicarum compoſ. hac eſt compoſitio.

♃. Formicar. acidum redolent. in olla terrea melle intus inuncta captarum M. vi. Spir. vin. anthoſati ℔iv. Lilior. convall. ſimp. ℔i. Mixta vaſe priùs bene perlutato, ſtent per dies octo in acervo magno formicarum poſtea diſtillentur per MB. Hoc facto.

♃. Spir. hujus deſtillat. & à phlegmate ſeparat. ℔iii. Confection. anacardin. ℔ß. Specier. cephalic. ℥iii. Et poſt peractam & reiteratam digeſtionem 7. dierum denuò deſtillentur in MB. priùs leni igne, in fine verò fortiori. Aqua ſpirituoſa abſtracta adhuc aromatiſetur, olei cinnam. coriandr. an. gutt. xv. & eſſentiæ ambræ q. v. M. Cerebrum & ejus functiones omnes mirè corroborat, & ab aliis frigidis morbis capitis præſervat, inſuper in venerem armat, & articulis ex Paralyſi debilitatis ſubvenit. Doſ. cochlear. i. ad ii.

Oleum tartari, ut & viperarum volatile, atque præterea gummi ammoniaci & tacamahacæ cum calce deſtillatum, membris reſolutis inunctum ſummè vidi proficuum. Commendat Hartmannus eſſentiam foliorum tabaci viridium factum per ſolam infuſionem in vino malvatico, præſertim ſi præmiſſis ſudoribus membra paralytica hac eſſentia diutiùs fricentur.

Topicum ad membra reſoluta & demortua ex communicatione Clariſſ Kepleri pro uxore Clar. Cnoëffelii Paralyſi tacta.

♃. Marcaſſ. ſulphur. pulver. ℔ß. Indatur alembic. ſuperaffundantur vini optim. ℔xii. ſtent in digeſtione per dies 30. Tandem vino colato adde Rad. cardopatiæ ℔iii.

De novo circulentur, poſt exprimantur fortiter, & deſtillentur per retortam, vel, quod melius, filtrentur per chartam ſolum. Hoc peracto deſtilla relictam marcaſſitam cum leontopodio per retortam. Deſtillatum miſce cum ſuperiori filtrata infuſione, & denuò ad dimidium uſque inſtituatur deſtillatio. Ex fæcibus priùs optimè calcinatis extrahe ſalem cum vino deſtillato, hoc conjunge etiam deſtillato, ubi adhuc tandem admiſcebis.

Sevi cervini, ſeu medull. crurum boum ℥vi. Axungi. urſi ℥ii. viperar. ℥ii.

Miſceantur ſupra ignem. Cum hac mixtura inungantur membra reſoluta ad dies 30. & quidem bis in die calidè. Confert omnibus membris demortuis, obſtructis, & induratis, & nervis reſolutis.

Interea non omittetur uſus Decocti ſiccantis ex lignis & radicibus pro potu ordinario, ut & ſalium volatilium, & potui & medicamenti frequenter admiſcendorum, ac præterea. Salis armoniac. è colchotare loto pluries elevati, & & ad grana aliquot bis aut ter de die alimento adjuncti, &c.

Curationes.

In Paralyſi curanda etiam ea, quæ in Apoplexia enumerata ſunt, locum tenere poſſunt. Hic igitur mercurius vitæ, Enemata, aliaque purgantia, genus nervoſum reſpicientia, utilia ſunt.

In loquela reſtituenda maximè ſatisfacit aqua Apoplectica, etiam cum ſanguine Turturis calente an. imprægnata. Sic oleum aniſi guttatim linguæ Paralytici adſperſum, loquelam reſtituit & reducit. Talis eſt ap. fl. lil. convallium cum vino facta. Item, Eſſentia caſtorei per ſp. vini extracta, ſal perlarum, Coral. It. ſuccini mirificè juvant.

Ad ſudores in primis eliciendos ubi, quæ ab initio erant neceſſaria, omnia præſtita ſunt, præter hactenus enumerata, ſingularis eſt virtutis in Paralyſi pulvis ſeu magiſt. ex cinnab. antimon. & magiſterio perlarum & corall. de quo ſupra de ſudoriferis & Epilepſia. Doſ. à gr. viii. ad xii. vel xvi. Sudores autem meliùs imò optime in Laconico, eliciuntur.

Inter externa maximè laudabilis eſt Eſſentia foliorum Tabaci viridium cum Malvatico facta, (ſolâ infuſione ſine deſtillatione) ſi præſertim à præmiſſis ſudoribus membra paralytica hac Eſſentia diutius fricentur. Reſoluta nimirum membra facile reſtituuntur & redeunt. Laudatur ſequens linimentum.

♃. Ung. Martiati, ℥i. ol. de lateribus. petræ. Sapon. venet. an. ʒi. ol. laurin. ʒii. Alum. plumoſ. ʒi. M. F. linimentum. Paralyſeos curandæ ratio plerumque à venæ ſectione inchoatur, præmiſſo clyſtere acriore, ſi ſcilicet ætas & habitus corporis conſenſerint. Hinc ad materiæ concoctionem & eductionem accedimus, ubi ſemper admiſceri debent aq. deſtillatæ primulæ veris, ſalv. aut meliſſæ, aut Extr. ipſorum, & vel purgantia illis infundi, vel extrahi poſſunt adjectis gut. ii. vel iv. ol. tartari per deliquium. Statimque inungatur ſpina oleo Chamomillæ ſolô. Quod ſi citius & rectiùs & curam abſolvere volueris, modo ſeq. progredere.

♃. Extr. ſcammonii gr. iv. florum aut vitri antimon. gr. ii. tenuiſſime pulveriſata miſce cum ʒii. aut iii. conſervæ bugloſæ, capiat mane cum cuſtodia. Si ad vomitum irritatur, detur juſculum ad eum promovendum, purgabitur hoc modo æger per ſuperiora & inferiora: diebus duobus ſequentibus utatur apozemate aliquo vel ſyrupo capitali & aperiente cum gut. aliquot ſp. tartari, aut in defectu ejus tartari vitriolat. ℈i. Hinc iterum dictô medicamentô purgetur, à quo ſi fortè propter vomitum abhorreat æger, F. infuſio ex agarico cum radice ellebori nigri pulveriſati & Jalapi cum aq. fl. primulæ veris & meliſſæ, aut capiat Extr. Panchymagogi doſin: iterumque per 2. dies utatur apozemate dicto vel ſyrupo aliquo magiſtrali appropriato. Eadem medicamenta repetantur ad 10. diem. Interim inungatur ſpina oleo Chamomillæ, cui parum petrolei ſit admiſtum. Hinc ingrediatur ſtupham, excipiatque vaporem ſeq. decocti ſuper ignitos lapides affuſi, & quàm optimè ſudet.

♃. Flor. ſalviæ, ſambuci, lauri, roris marini, Chamomillæ, meliſſæ, ſtœchados Arabicæ, decoque in aceto vini, æger commoretur in ſtupha ad horam j. aut quantum vires permittent: antequam egrediatur, aſſumat Mithridatii ʒß. cum gut. iii. aut v. ſpir. tartari, aut ſolum aſſumat Mithridatium, poſtquam egreſſus fuerit linteis calidis ſudor omnis exſiccetur, & in lecto quieſcat per horam ſemis, ſpina verò inungatur Galbaneto Peracelſi, quod fit modo ſeq.

♃. Galbani ℔ß. inde in cucurbitam ſatis amplam, & ei affunde ſpiritus Terebinthinæ ℔i. digerantur in loco calido per 8. dies, poſtea per Alembicum ex cucurbita non nimis alta deſtillentur ad ſiccitatem, quòd ſi odoratius & præſtantius deſideres, rectifica ab aromatib. nuce moſchata & Canella. Eodem balſamo omnia membra paralytica inungi debent: factâ inunctione imponatur radix ſymphyti majoris in aqua communi ad pulticulam cocta inſtar cataplaſmatis. Cataplaſmatis applicatio & inunctio repetatur veſperi, præmiſsâ partium affectarum cum panno aſperiore frictione, & adſperſo poſt frictionem ſpiritu tartari, aut fricentur membra intinctô linteô in ſpiritu tartari, poſt inungantur, & applicetur cataplaſma. Interim in quotidiano uſu habeat æger conſervam anthos & fl. ſalviæ, ſtœchados Arabicæ cum Mithridatio, extr. aut pulvere caſtorei, confectione Anacardina, cum paucula ſolutione perlar. & auro potabili. Continuetur balneum per 14. dies ſingulô mane, aut ad minimùm de biduo in biduum. Interim utatur dieta tenui & bibat decoctum Guajaci & Hydromel locô potus.

Si Medico proponatur Reſolutus, qui membrum unum tantum habeat reſolutum, illud reſtituat modò ſequenti.

♃. Summ. origani, fol. querc. bacc. juniperi an. M.iv. Conorum abietis Nu. ix. cum aq. communi coque ad craſſitiem. Cum his herbis membrum fove, donec frigeſcant. Hinc linteô calido diligenter abterſa aqua inungatur ſeq. mixtura.

♃. Spir. Salis, Vitrioli, & terebinthinæ an. M. diligenter, guttatim infundendo ſp. Terebinthinæ. Repetatur eadem inunctio bis in die & reſtituetur membrum, ſæpius quoque in die rotulas ſeq. aſſumere debet.

♃. Aq. Lilii convallium, flor. lavendulæ an ℥iv. ſacch. alb. ℥v. Coque ad perfectionem. Inde remotis ab igne adde. ol. ſuccini rectificati ℈i. Extr. ſalviæ ʒii. aut ol. ipſius ʒß. agitentur piſtillo & fiant ſ. a. rotulæ.

Præſtat quoque in initio Paralyſeos facere Embrochationem cum ol. copioſo. It. balneum ex lacte & oleo ſolo, vel ex lacte cum aqua mixto vel hydreleo.

Utile quoque eſt in omni Paralyſi ad excitandum ſudorem in balneo vel in lecto aſſumere ſeq. pulverem.

♃. Cinnab. antimon. in deſtillat. butiri antimonii in collo retortæ collecti q. v. pulveriſa atque in cucurbita vitrea ſublima. Hinc.

♃. Cinnabaris hujus ter per ſe ſublimati part. i. Magiſterii Corallorum, perlarum an. part. ß. Oſſium human. uſtor. part. ii. M. Doſis ʒß. in aq. Senecionis vel Cardui bened. repetitis vicibus exhibeatur.

Oleum Mirabile Lini.

Perticam chalybis ignitam extingue, in oleo lini, reiterato, donec nullum amplius edat ſtrepitum; nota quod ſtatim vas exactè cooperiendum operculo, ne oleum accendatur, huic oleo commiſce calcis vivæ pulveriſatæ, q. ſ. ut inde fiat maſſa, confringe & deſtilla per alembicum, meliùs per retortam juncturis undique lutatis, deſtilla primò lentô, poſt fortiori igne, uſque dum nihil ampliùs egrediatur, repete diſtillationem ſexies cohobando, tandem putrefac per 14. dies & deſtilla per ſe, fiet oleum purum, & ſplendidum, ſummeque ſine detrimento penetrabile, quod paralyſi reſoluta membra reſtaurat, præſertim ſi addendo Caſtoreum & Rad. pyrethri roboretur, & cum viſ. ſi per aliquot dies in infuſione ſteterit, de novo deſtilletur.

Paralyſis ex Colica.

Hujus curationem vide in Theſibus meis Medico-Chymicis diſput. 1. pag. 19. Cujus hæc ſumma: Non diu hic cunctandum, morbus enim temporis ſucceſſu fit incurabilis, qui cæteroquin præceps eſt.

Purgantia vehementia, quæ nimirum ægrum convellunt prorſus evitanda ſunt: materia tamen ſubduci poteſt Extr. Eſulæ ſenioris nigræ in juſta doſ. Materia ſubducta quotidie, (donec ſucceſſus reſpondeat) jejuno ventriculo detur ſpir. tart. gr. 20. vel 25. Hinc tertiô quovis die ſudores provocentur.

Decoctum ſaſſafras multùm hic prodeſt. Juvat nimirũ ventriculũ & inteſtina, unde mali initia.

Dentur quoque quotidie rotulæ confortantes: membra affecta primùm linteô aſperiore fricentur deinde ſp. tartari aſpergantur, tandem Balſamo Galbani Terebinthinato inungantur quotidie ter, ab inunctione qualibet rad. ſymphyt. major. in aq. fontan. decoctæ, linteoque forma cataplaſmatis ſuperinducta membris inunctis calide applicentur, reliqua naturæ committendo *Joh. Hartmannus in Praxi Chymiatr.*

Paralyſeos ſicut Typi multiplices, & cauſæ diverſimodæ exiſtunt ita Curatio ejus non uno ſemper modo, ſed per methodũ variam, unicuiq; ſcilicet, iſtius morbi ſpeciei appropriatam inſtituenda eſt. Ut plurimùm illius hæc tria erunt genera, ſeu potiùs tres erunt medendi rationes, quarum modo hæc, modo illa, vel altera, circa morbi hujus therapeiam iniri debet Nimirum quatenus reſolutio (qualiſcunque, & quocunque in loco fuerit) vel 1. ab externo accidenti, ſcilicet plaga, caſu ab alto, vulnere, frigoris exceſſu, aut ſimilibus ſubito infertur. Vel 2. affectui cuidam alteri, ſcil. Apoplexiæ, Caro, Colicæ aut febri diuturnæ ſuccedit. Vel 3. illa primarius & per ſe morbus à procartaxi, ſive apparatu prævio dependens, ſenſim excitatur. Super his ſingulis ſpeciatim dicemus.

1. Cum itaque Paralyſis propter quoddam accidens, cum læſione vehementi infertur, non erunt plures medẽdi intentiones; quin ſolummodo ut pars læſa conformationem ſuam priſtinam recuperet. Et primo ne ad eam, utpote affectam, & debilem, ſanguis aliique humores affluentes, & ibidem cõmorantes, noxam augeant, Phlebotomia ſæpiſſime in hoc caſu requiſita ſtatim celebretur; dein alvo enematum uſu lubricatâ, & victu tenui, ſi res exigit, aut eupepto inſtituto, hydroticis moderatis præcipuè inſiſtendum erit nempe ut, dum laborans lecto commiſſus in leni diaphoreſi ſervatur, ſuperfluitates quæcunque à parte læſa avocatæ copioſe exhalent, atque intra illius poros, & meatus ita per effluvia calida reſeratos, ſpiri tus blande agitati tractus & veſtigia priora repetant.

In hunc finem pulvis ad caſum in Pharmacopæa Auguſtana deſcriptus, vel uti apud noſtrates in vulgari uſu eſt, Tegulæ Hybernicæ ad quantitatem unius circiter drachmæ, in hauſtu vini albi calidi, aut liquoris poſſetici ex eo parati, exhibeatur; & intervallis 6. aut 8. horarum repetatur. Inſuper decoctum Traumaticum, ſi præſto fuerit, vel ex radicibus Rubiæ tinctorum, aut Petaſitidos, aut florum hyperici, in liquore poſſetico crebrâ vice propinetur.

Porrò interim locus affectus ſedulò inquiritur, qui partim à noxa inflictâ, partimque à membris reſolutis facilè innoteſcet. In eo ſi quidquam diſlocetur, danda erit opera, ut quamprimum reponi poſſit; ſi tumor, contuſio aut vulnus excitentur, iis per Balſama, linimenta, fotus, aut cataplaſmata ſuccurratur: Sin nihil præternaturale extrà, apparebit. Emplaſtro ex Oxycroceo, & de minio an. q. ſ. parti læſæ impoſito, laborans in quiete, & calore moderato detineatur per tres aut quatuor dies. Si reſolutio obfirmata perſtabit, & novæ materies affluxus non timetur, remedia plus reſolventia & diſcutientia, circa loca affecta adhibeantur; quare fotus & linimenta calidiora, quinimo Thermæ naturales, ſi opportunum erit, aut ſaltem artificiales uſurpentur. Interdum expedit membra affecta, fimo equino, aut granis ordeaceis poſt cereviſiam confectam reſiduis, calide immergi, & ibidem aliquamdiu teneri; ac denique horum uſui enemata, & blanda

cathartica ſubinde intercalari. Quod ſi nullum has adminiſtrationes levamen ſequetur, affectus hic longâ deinceps methodo, ſimili nimirum, & cum iiſdem remediis, quibus & paralyſis habitualis, aut alia quævis morbis aliis ſuperveniens, & confirmata, tractari debet. Quæ Therapeias ratio, ſiquidem paralyſi cuicunque altius radicatæ communis inferius ſubdetur.

2. Quando Paralyſis febri, Apoplexiæ, Caro aliiſve affectibus cephalicis, aut cōvulſivis ſuperveniens, magna eſt, ac ſubito excitatur, imprimis ad tollendam cauſam ejus conjunctam, quæ fere ſemper in medulla oblongata, aut ſpinali ſedem habet, medicam operam navare oportet. Quare à morbi initio phlebotomia, & catharſis (ſi nihil contra indicat) enemata, veſicatoria, cucurbitulæ, ſternutatoria, linimenta aliæque adminiſtrationes in morbis cephalicis uſitatæ, quæ ſcil. materiam νωτιαίῳ caudici medullari, aut nervorum ex eo prodeuntium capitellis affixam, quoque modo excutiant, aut avellant, adhibeantur. Quod ſi primus medicinæ, impetus intra 15. aut 20. dies nihil effecerit affectus deinceps ſiquidem firmiter radicata, & habitualis facta, longâ methodo, & per indicationes præſervatorias æque ac curatorias expugnanda erit, de quibus mox dicemus.

3. Paralyſis habitualis à procatarxi dependens, aut in fieri, ſive in diatheſi aut in facto, ſive in [illegible] eſt utraq; peculiarē medendi rationem exigit.

Prioris duo ſunt præcipui caſus, in quibus utriuſque methodus therapeutica cauſas tantum procatarcticas reſpiciens, ſimili ritu deſignatur, nempe ſive quiſquam in Paralyſeos ingruentis diſcrimine, ſive ab illâ convaleſcens, in recidivæ periculo verſatur, iiſdem fere remediis inſiſtendum erit.

Itaque medendi intentiones erunt. Primo, ut chyloſeos, & hæmatoſeos muneribus rite peractis, materies pro ſpirituum animalium geneſi, tum laudabilis, tum ſatis copioſè τῷ ἐγκεφάλῳ ſuppeditetur; dein Secundo ut cerebrum uſque firmum, & bene confirmatum, partibus heterogeneis excluſis, idoneas quaſque admittat, ac in ſpiritus animales rite exaltet. Propter hos fines methodum ſequentem (quæ juxta varias laborantium conſtitutiones variari debet) proponere viſum eſt.

Vere, ac Autumno, ſolennes medicinæ curſus ineantur, immo toto præterea anno quædam remedia conſtanti in uſu ſint. Phlebotomia non paſſim omnibus convenit. Etſi hanc vetamus, non ob eandem cum Veteribus rationem, ſupponendo paralyſin eſſe morbum frigidum, ſed quoniam ſpiritus animales, tum è ſanguine procreantur, tum intra fibras motrices ob copulam ſanguineam elaſtici evadunt, idcirco hujus copia ſi minuitur nimis, illi deficient, & flacceſcēt. Quod quidem in multis obſervavi, & plerunque in brachio, è quo ſanguis detractus fuit, langores, & tremores incepiſſe. Veruntamen nonnullis ſanguine acri, & calido, inque nimias efferveſcentias apto præditis, in paralyſin licet diſpoſitis phlebotomia parca, & moderata interdum convenit.

Circa æquinoctia catharſis inſtitui, & ex debitis intervallis ter, quaterve iterari debet. Imprimis autem vomitorium, ſi nihil repugnet, ex ſale vitrioli, ſulphure Antimonii, aut infuſione croci metallorum, vel mercurii vitæ exhibeatur; deinde pilulæ de ſuccin, vel Aloephanginæ, per ſe, aut cum reſina Ialap. ſeptima vel octava quaque die ſumantur. Aliis temporibus remedia cephalica, cujuſmodi ad affectus ſoporoſos præſcripſimus, ſcilicet electuaria, pulveres, ſpiritus, & ſales volatiles, Tincturæ, Elixires, cum aquis deſtillatis aut Apozematis, ſcilicet, modò hæc, modò iſta, vel alia, crebro ſint in uſu. Fontanellæ brachio aut cruri, imò in obeſis, & cachecticis, ſimul in utriſque, aut juxta humoplatas inurantur, Cerviſia medicata ex ſalviâ, Betonica, Stæchade ligno ſaſſaphras, corticibus Wint. &c. toto anno bibatur. Vinum, & Venus vel interdici, aut modicè tantùm concedi debent.

Quod ſi Paralyſis poſt diatheſin præviam in toto, aut in uno latere, vel in quibuſdam membris, planè excitatur, & non obſtante primo pharmaciæ ariete, demum invaluit; ad curationem ejus methodus longa & complicata ſemper requiſita ſæpe numero non ſufficit; quippe non tantum morbus, aut cauſa ejus conjuncta, aut procatarctica ſingulatim, verum omnes ſimul oppugnari debent: in quos fines, phlebotomia plerunque interdicta catharſis tantùm lenis, & rara convenit. Præterea, & quidem præcipuè, contra morbi procatarxin medicaměta cephalica, & Antiſcorbutica juvare ſolent. Hujuſmodi autem non omnia conveniunt omnibus, quin prout in ſcorbuto obſervavimus, juxta varias laborantium conſtitutiones, etiam remedia diverſi erunt generis, & virtutis. Nam paralyticis bilioſis, nempe quorum ſanguini acri, & calido multum ſalis & ſulphuris, ſerique perexiguum ineſt, pharmaca calidiora, & particulis valde activis præditis, minùs congruunt immò, ſæpe officiunt; quæ tamen pituitoſis, quorum ſanguis frigidior, plurimum ſeri, paucioraque elementa activa continet, maxime proſunt. Quapropter pro duplici hoc ægrotantium ſtatu, ex re fore videtur geminam hic curationis methodum, & binas medicamentorum claſſes, quorum hæc paralyticis frigidis, ac iſta calidis exhiberi poſſit, inſtituere.

In priori caſu, ad tollendam cauſam procatarcticam, poſt vomitum & purgationem rite inſtitutam, juxta formulas ſequentes præſcribendum conſulo.

♃. Conſer. folior. cochleariæ hortenſis, Erucæ, cum qua parte ſacchari fact. an. ℥iii. Zinziberis in Indiâ conditi ℥ß. flavedinis Aurantii, & Lim. cōdit. an. ʒvj. pul. è chelis, & ocul. cancr. an. ℈iv. ſpecier. Diambræ ʒij. Cort. uvinterani ʒiß. rad. Zedoariæ, Galangæ minoris, cubeb. ſem. naſturtii, erucæ an. ʒj. ſpir. cochleariæ, lavendulæ an. ʒij. ſyrupi condit. Zinzib. q. ſ. f. Electuar. Capiat q. nucis Iuglandis mane hora octava, & quinta pom. ſuperbibendo. aut decocti ſequentis calidi lib. j. vel tinct. Coffee, cum foliis ſalviæ incoctis ℥vi. aut vini viperini ℥iij.

℞. Raſuræ ligni ſancti ℥vi. ſarſaparillæ, ſaſſaphras an. ℥iv. ſant. alb. citrini. raſ. Eboris, C. C. an. ʒß. ſ. a. infunde, & coque in aqua font. lib. xvj. ad medietatem addendo Antinionii crudi pul. & in nodulo ligati ℥iv. rad. calami Aromat. Galang. minoris an. ℥ß. Iridis florent. ℥j. Cardamomi ʒvj. ſem. Coriand. ℥ß. Dactylorum num. vi. decoct. utatur etiam pro potu ordinario.

Hora ſomni, & primo mane, ſumatur doſis, aut ſpir. fuliginis, aut C. C. ſuccini ſpiritus, Armoniacalis, ſanguinis &c. cum aq. deſtill. ſequent. ℥iii.

℞. Foliorum, aut rad. Ari lib. i. foliorum cochl. hortenſis, Erucæ majoris, roriſmarini, ſalviæ, ſa-

ture-

tureiæ, Thymi m. iv. flor. Lavend. m. iii. corticum extern. 10. Aurant. & 6. Limm. Cort. Winterani ℥ij. rad. Galang. minoris, Calam. Aromat. Iridis florent. an. ℥ij. Cubeb. Cariophyll. nucis Moſch. an. ℥j. Inciſis omnibus, & contuſis affunde vini albi, & cereviſiæ Brunſvvicenſis, an. lib. iv. deſtill. organis commun. & liquor totus miſceatur.

Interdum loco Electuarii, per 15. aut viginti dies ſumatur doſis tinct. ſulphuris terebinth. aut tinctura Antimonii, vel ſuccini; quandoq; item elixir Proprietatis aut Pœoniæ, capiantur in cochleari aquæ deſtill. ſuperbibendo ejuſdem ℥ iij. nonnunquam etiam pulveres, aut Tabulæ ſequentes in curſu medico vices ſuas habeant.

℞. Pul. carnis viperinæ Monſpelii, præp. j. Cordium & Jecorum eorundem ℥ ß. Specier. diamb. ʒij. F. pulv. ſumatur ʒj. bis in die cum aq. deſtill. ℥iij. vel cum vino viperino, cum decoct. fol. ſalviæ, rad. & ſem. Bardanæ, & rad. Eringii condit. in aq. font. q. ſ. ad medietatem facto ℥vi. vel 8. calide, mane expectando ſudorem.

℞. Bezoart. mineralis ſolaris ℥ß. Cariophyll. pul. ʒij. Miſce f. pul. dividend. in 12. partes ſumatur pars 1. bis in die eodem modo; hujuſmodi remediorum uſui cathartica lenia paulò frequentius intercalentur.

℞. Pul. ſelect. rad Zedoariæ, Galag. minoris, an. ʒiß. ſpecier. Diambræ ʒj. Pul. ſem. ſinap. erucæ, cochlear. naſturtii aq. an. ʒß. F. omnium pul. ſubtilis; adde olei ſuccini puriſſ. ʒß. F. cum ſacchari albi diſſol. in aq. Pœoniæ compoſ. & ad tabulat. cocti ℥vi. ſ. a. f. Tabulæ ponderis ʒß. comedat iij. vel iv. bis in die, ſuperbibendo doſin cujuslibet è liquoribus modò citatis.

℞. Pul. Rad. ſerpentariæ virginianæ ʒij. Galangæ minoris ʒi. Extracti gummoſi è reſidentia deſtillationis elixir. vitæ Quercitani ʒij. flor. ſalis Armoniaci, (vel ſalis volatilis fuliginis aut C. C. puriſſimi) ʒi. Balſami Peruviani ℈i. Balſami Capivi q. ſ. f. maſſa, formetur in pilulas exiguas, involvend. ſpeciebus Diambræ, Doſis ʒß. veſperi, & mane.

Vel ℞. Reſinæ vel gummi Guiaci ʒiij. Specier Diambræ ʒi. Olei Guiaci chymici optimè rectificat. ʒiß. Liquidæ ambræ q. ſ. f. maſſa, formetur in pil. ſumendas eodem modo.

Quod ſi paralyſis temperamento bilioſo, vel ætati juvenili incidens, medicamenta tantum mitiora admittat, à calidioribus quibuſque, & elaſticis exacerbari ſolita, formulæ ſequentes ad tollendam procatarxin ejus ex uſu erunt.

℞. Conſer. fl. Betonicæ, fumariæ, florum primulæ veris an. ℥ij. Specierum Diambræ ʒi. Eboris, oculor. Canc. è chelis cancri an. ℈iv. Pul. flor. Pœoniæ ʒij. Ligni Aloës, ſant. citrini an. ʒi. Salis abſinthii ʒiß. cum ſ. q. ſyrupi è floribus Pœoniæ f. electuar. Doſis ʒij. bis in die ſuperbibendo aut aq. ſimpl. folior. Ari, vel ſequentis compoſit. ℥iij. aut decocti ſalviẹ cum foliis Teæ infuſis ℥iv. vel 6.

℞. Rad. Ari, Pœoniæ maris, Angelicæ, Imperatoriæ, an. lib. ß. folior. ſalviæ, Roriſmarini, majoran. Becabungæ, naſturtii aq. an. m. iv. flor. Primulæ veris, Paralyſeos, calendulæ, an. m. iij. flaved. 6. Aurant. & 4. Limon. conciſis omnibus, & contuſis affunde lactis recentis lib. vi. vini Malagani lib. ij. deſtillent. organis commun. liquor totus miſceatur.

Loco Electuarii quandoque per 14. vel 15. dies intercaletur uſus Syrupi de chalybe, cujus cochlear. i. ſumatur, in aq. deſtil. ℥iij. Conficiatur ad hunc modum.

℞. Sacchari albiſſ. ſolut. in aq. ceraſor. nigror. & ad tabulat. cocti ℥viii. addend. chalybis noſt. pul. ℥ij. ſimul agitentur ſup. ignem, & dein ſenſim infunde aq. Roriſmarini calfact ℥xii. Leniter efferveſiant per horæ quadrantem deſpumando, & calide effund. per colum ſetaceum.

Poſſunt etiam Tabulæ chalybeatæ ad hunc modum confici, nempe ſaccharo cum chalybe ſatis cocto adde olei ſuccini, vel Roriſmarini chymici ʒß. & ſtatim effundatur ut diffluat in conſiſtentiam tabul. doſis ʒij. bis in die ſuperbibendo aq. deſtill. vel Apozematis ſequentis ℥vi.

℞. Rad. Chinæ ℥i. Raſ. eboris, C. C. an. ℥ß. Santal albi, Citrini, ligni lentiſcini an. ℥ß. infundantur calide & clauſe per noctem in aqua font. lib. vi. mane adde radicum cher foliis, Cariophyllatæ, ruſci, petroſelini an. ℥iß. Foliorum ſiccat. hederæ terreſtris, ſalviæ, chamedryos, Beton. an. m j. ſem. coriandr. ʒiv. Coquantur ad medietatem, deinde adde vini albi lib. ß. & coletur in lagenam ſuper folior. naſturtii aq. contuſ. m. ij. fiat infuſio calida & clauſa per duas horas, iterum cola, & ſerva in vaſe occluſo.

In paralyſi ſcorbuticâ herbarum ſucci, & expreſſiones opem non raro egregiam præſtant.

℞. Folior. Becabungæ, naſturtii aq. plantag. recent. an. m iv. ſimul contuſis affunde aq. deſtillatæ modò deſcript. ℥viii. f. expreſſio fortis, ſervetur in vitro, & exhibeatur ℥iij. vel iv. bis vel ter in die.

Horis medicis extremis, ſc. veſperi & primo mane ſumantur pilul. ſequentes.

℞. Millepedum pr. ʒiiß. Margar. ʒiß. Rad. dictam. Cret. ʒi. Terebinth. ven. q. ſ. f. maſſa, formetur in pilul. exiguas doſis ʒß. ſuperbibend. hauſtulum aq. deſtillatæ.

Pro potu ordinario aut Bochetum ex ſarſa, china, ſantalo citrino, &c. vel Allæ tenuis cum foliis ſiccatis hederæ terreſtris incoctis, & ſalviæ cum ligno ſaſſaphras, infuſ. præſcribatur.

2. Dum hæc aguntur pro tollendâ morbi procatarxi, haud minus opera curatoria propter cauſam ejus conjunctam requiritur; nempe ut loca quævis obſtructa denuò reſerata, ſpiritus animales narcoſi immunes admittant, & liberè trajiciant.

Quæ in hos fines conducunt, duo ſunt præcipua remediorum genera, videlicet unum particulare & privatum, locis affectis adhibendum; nempe ut per fotus, linimenta, emplaſtra, aliaſq; applicationes externas, ſpiritus ſopiti exuſcitari, eorumque ductus aperiri poſſint: aliud univerſale; nempe ut ſanguis & ſpiritus, aliique humores (& particulæ activæ in toto corpore ſcatentes) plurimùm agitati, inque motum rapidiorem conciti, velut torrente facto, aggeres, ſive obices ubivis impactos, à quibus ſpiritus obſtruuntur, dejiciant & amoveant.

Adminiſtrationes partibus affectis uſurpandæ, adeò paſſim, & vulgo notæ ſunt, ut ſuperfluum eſſet iis hic fuſius deſcribendis inſiſtere. Primo Linimenta ex oleis, unguentis, & balſamis, pro ratione temperamenti ægrotantis plus aut minus calidis, cum frictionibus bis in die applicentur; his interdum præmittantur fotus ex decocto herbarum Cephalicarum, ac aromatum in aq. fontanâ, adjiciendo interdum aquas arden-

tes, vinum, aut cerviſiam, vel eorum fæces. Porrò circa loca affecta veſicatoria, cucurbitulas, picationem, aut urticationem, non raro adhiberi convenit. Sacculi & emplaſtra ſæpe juvant. Inſuper ſi res admittat, membra reſoluta granis hordeacis, poſt cerviſiam ſubductam, aut vinaceis poſt uvas expreſſas immitti, vel intra ventrem vel thoracem Beſtiæ recens mactatæ recondi, aut etiam balneo artificiali, aut thermis naturalibus immergi, & diutius in quibuslibet horum detineri expedit.

Quod ſi hæc minus proderint, ad remedia univerſalia, ſive magna provenieudum erit; cujuſmodi imprimis ſunt Diaphoretica, Mercurialia ſalivationem concitantia, & vomitoria fortiora de quibus breviter dicemus.

In Curatione Paralyſeos Diaphoretica interdum valde juvare, & quandoque plurimum obeſſe nullus è plebe eſt, quin paſſim advertat: Quare multum intereſt effectus adeò diſparis rationes explicari; propterea ut circa illorum uſus, aut rejectiones, indicationes deſumantur.

Itaque ſudatio copioſa ob duas potiſſimum rationes Paralyticis interdum emolumento eſſe ſolet; nempe quòd ſanguinis, & ſucci nervei impuritates, ad exhalandum aptas uberrimè exterminet; proinde ut materies morbifica ampliùs ad cerebrum, & partes affectas non fluat; quæque jamjam effluxit, ex parte foras convehatur. Dein 2. quòd caloris effluvia, à ſanguine æſtuante decidua, ductus nerveos priùs obſtrictos, dum inter evaporandum eo trajiciunt, valde aperiunt, & pro ſpiritibus vias patefaciunt. Quamobrem hæc adminiſtratio, iis præſertim, & ferè tantum convenit, quibus ſanguis ſale & ſulphure fixioribus minus refertus, ſero limpido, & inſulſo diluitur. Nam è contra Paralytici quorum ſanguini, & humoribus ſalium & ſulphurum enormium particulæ efferæ, & exoticæ, fixioreſq; & ad exhalandum inhabiles copioſè inſunt à diaphoreſi violente proritata læſionem ſæpe inſignem capiunt. Cujuſmodi affectus duas haſce cauſas aſſignamus; nempe quòd particulæ morbificæ propter agitationem nimium exaltatæ, efferatiores evadunt; dein 2. quod illæ in cerebrum, & nervoſum genus copioſius adactæ, obſtructiones veteres ſæpe adaugent, & non rarò novas producunt.

Ut Diaphoreſis copioſa, & facilis proritetur, tum medicamenta interna, tum adminiſtratione externæ adhiberi ſolent. Priora aut ſanguinem aut ſerum in efferveſcentias concitant, aut cor in motus celeriores ſtimulant; proindeque (ſive alterum, ſive utrumque peragitur) cum liquor ſanguineus per cor, & vaſa rapide circulatus, in turgeſcentiam ſpumoſam agatur, neceſſe habet plurima effluvia, quæ ſudoris materies ſunt, à ſe dimittere. In hunc finem pharmaca varii generis paralyticis commendantur, è quibus præcipuæ notæ ſunt, decoctum Guiaci, ſarſap. &c. ſpiritus, & oleum Guiaci, Mixtura ſimplex, flores, & ſpiritus ſalis Armoniaci, Aurum diaphoreticum, Viperarum ſal, pulvis, & vinum. Bezoarticum minerale ſolare, tinctura Antimonii, &c.

Adminiſtrationes externæ ſudationem promovent, quatenus moderatum calorem in toto ambitu corporis accient, & continent; & proinde ſanguis excalfactus, celerius moveri, & plus evaporare cogitur, ſimulque pori cutis reſerati particulas quaſque exhalare aptas promptius emittunt. In hunc uſum præter lecti ſtragula (quæ tantum caloris effluvia è corpore emiſſa in ambitu ejus continent) inſuper Craticula cum carbonibus, aut ſpiritu vini accenſis, Laconicum, & balnea varii generis, & formæ, ac Thermæ naturales adhiberi ſolent. Inſtar omnium vero ſunt Thermæ noſtræ Bathonienſes, quibus (ſi temperamento ægrotantis aptè congruant) nullum præſtantius remedium excogitari poteſt: quod ſatis indicant plurium a membris reſolutis curatorum Grallæ quaſi totidem de morbo hoc devicto trophæa ſuſpenſæ.

At verò quemadmodum pharmaca generoſa ſi non in Alexiteria, ſæpe tranſeunt in venena; ita Thermarum uſus cum paralyticos quoſdam non ſanavit, eos multo deteriores reddidit; proinde ut, cum membra plura, atque prius affecta gravius reſolverentur, ægrotantibus grallas illic relinquendi nulla alia ſubeſſet occaſio, niſi quod impotentiores facti iis amplius uti non potuerint. Hujus cauſam ſupra innuimus; nempe quod balneatio ſanguinem & humores omnes exagitans, particulas quaſque morbificas & heterogeneas magis exaltet, eaſque efferatiores factas, è viſceribus in maſſam ſanguineam adigat; unde (cum non facilè evaporent) cerebrum, & nervoſum genus ſubeuntes, affectionem paralyticam intendunt, eique convulſivam non raro inducunt. Propter hanc rationem balneatio diatheſin nephriticam, & Arthriticam quandoque primùm actuat, porro multis, ubi diſpoſitio non fuit, hæmoptoſin, Aſthma, aut Tabem acceſſit. Quapropter Thermæ non ſine conſilio Medico tentari, dein ſi tentatæ minus congruæ videntur, cito relinqui debent.

Paralyticos quoſdam ſalivatione per Mercurium excitatâ ſanari, & propriâ, & quorundam aliorum Medicorum experientia ſatis comprobatum habeo. Attamen hoc remedii genus Paralyſi tantum habituali, quæ ſc. procatarxin in ſanguine, & cerebro ſatis mobilem, atque cauſam conjunctam in appendice nervoſo, haud valde fixam habet, adhibendum cenſeo. Cum vero iſte affectus à læſione externa, & magna infertur, vel Caro, Apoplexiæ, aut convulſionibus ſuccedit, ſputatio ferè ſemper fruſtra, & quandoque non ſine noxâ inſigni tentatur. Quicunque autem cerebro debili, aut nimis laxo præditi, vertigini, torpori, & motibus convulſivis crebro obnoxii fiunt, mercurialibus non temere utantur. Quandoque tamen ſalivatio in paralyſi habituali, & non admodum fixâ, ſumme prodeſt, quatenus ſanguinis impuritates tollendo morbi fomitem omnem præſcindit, quatenus item particulæ quædam mercuriales, dum cerebro trajecto ductos nerveos ſubeunt; materiam morbificam iis impactam dividunt, ejuſque partes ab invicem diſtrahentes, alias prorſum aliaſque retrorſum variè diſpeſcunt; cum aliorum ſæpe medicamentorum culpa eſt, quod ſæpe aggerem ſpirituum vias obſtruentem ſolummodo prorſum urgent, proindeque ſi in partes eum non divellant, in loca obſtructa firmius adigunt.

Propter hanc etiam aliquatenus rationem eſt, quod vomitoria in curanda paralyſi opem non raro egregiam præſtant; nempe quod cauſæ conjunctæ fomitem ſubſtrahunt, quin & materiam nervis impactam non ſemper prorſum adigunt, ſed revellunt, maximè ſuccutiunt, & non raro in minutias frangunt; proinde ut cum aggeris continuitas ſolvitur, ipſi ſpiritus animales, materiæ morbificæ particulas ab invicem ſolutas facile diſſipent. Aliam de emeticorum in morbis ſoporoſis juvamine, rationem ſupra innuimus, quæ etiam in Paralyſi quodammodo locum habet.

Paralyticorum inſtantiæ & exempla ita plurima quotidie, & paſſim obveniunt, ut illorum varii Typi, & hiſtoriæ (ſi deſcriberentur) volumen ingens implerent. Quapropter hic tantum paucas quaſdam rariores, ſcil. unam, aut alteram, quibus præcipua quæque iſtius morbi ſpecies illuſtretur, ſubjiciam. Cumque parum, aut minimè ex re foret, membrorum reſolutiones propter accidens externum, uti caſum ab alto, vulnus, aut plagam excitatas enarrare, iſtis ſolummodo caſibus, ubi paralyſis aut per ſe, poſt diſpoſitionem præviam, exoritur, aut alteri cuidam morbo ſupervenit, deſcribendis inſiſtam.

Olim Generoſus quidam, robuſtus, εὔσαρκος, & ſupra decimum ætatis luſtrum, ferè ſemper ſanus, tandem vitæ ſedentariæ, atque otio deditus, & deinde ſolito hebetior factus, exercitium quodvis, & duriorem corporis motum renuebat; inſuper melancholicus, & triſtis, à levi quavis occaſione, imò interdum ſine ullâ cauſâ manifeſtâ in fletum, & lachrymas erumpere ſolebat. Hic brevi poſtea (quod etiam de multis aliis obſervavi) membrorum omnium imbecillitate, & tremore, & deinde partium inferiorum reſolutione afficiebatur; cui morbo (cum melancholicus; & medicinæ cito pertæſus eſſet) ſe victum trahens, & ſenſim languidior factus, intra ſex menſes interibat.

Me-

Memini plures alios, præcipuè autem duos curæ noſtræ commiſſos, quoad priorem vitæ partem ſummè ingenioſos, & probè literatos, qui poſtea declinante ætate, partim ob corporis cacochymiam, partimque ob mentis perturbationem hebetes & oblivioſi, deinde (remediorum uſu morbi initiis non obſtante) paralytici evaſerunt.

In hujuſmodi caſibus imprimis cerebrum ipſum quoad craſin, & conformationem ita labefactari videtur, proinde ut ſpiritus incolæ, & torpidi, & tractibus ſuis devii, memoriæ & imaginationis actus non ritè perficiant; deinde propter illorum in primo fonte deliquia, & inordinationes (quæ ſemper non ſatis advertuntur, priuſquam incurabiles fiunt) neceſſe erit in appendice nervoſo facultatis motivæ impotentiam aut eclipſin ſuccedere. Atqui affectuum horum, quoties à tali προφάσει excitantur, curatio ſemper difficillima exiſtit, quoniam cauſa antecedens ægre aut vix omnino tollitur.

Villicus cujuſdam nobilis quadraginta circiter annos natus, ſanguine acri, & temperamento bilioſo præditus, & vertigini dudum obnoxius, dum ruri per vicum quendam equitaret, ſcotomia ſubito correptus, præceps in humum decidit, ubi ſtatim ab incolis ſublatus, & lecto commiſſus, per plures horas inſenſilis, & quaſi exanimis jacuit. Poſtea verò in paralyſin univerſalem expergefactus ſentit omnia utriuſque lateris membra reſoluta. Hunc poſtridie inviſens illico ſanguinis 12. circiter uncias detraxi, aliaque potenus remedia; tum quoad adminiſtrationes externas, tum medicamenta interna ſedulo adhibenda, & quidem bono cum ſucceſſu præſcripſi, nam poſt quinque vel ſex dies manus, & pedes extendere, aut flectere, imò huc illuc, pigre licet loco movere cœpit; dein conſtanti remediorum uſu intra duos menſes ſe erigere pedibus ſtare, & grallis ſuffultus parum incedere potuit; tunc balneo artificiali temperato aliquandiu domi uſus, indies in membrorum motu, ac robore profecit; tandem, quamprimum idonea fuit anni tempeſtas, Bathoniam adiens, Thermarum uſu intra ſeſquimenſem integre convaleſcens, grallis ibi relictis ſanus rediit.

In hoc caſu materies apoplectica è cerebri meditullio decidens, ſiquidem diviſa & latius diffuſa corpus utrumque ſtriatum ſubierat, paralyſin univerſalem intulit: in quantum vero magis expanſa eadem poris medullaribus minus denſè impacta fuit, ideo mobilior, & diſcuti aptior, curationem ita facilem, & citam admiſit. Huic remedia calidiora minimè congruebant, ita ut phlebotomiam aliquoties iterare, & medicamenta temperata ſolum adhibere cogerer. Paralyſin non modo affectibus cephalicis, ſed etiam colicæ & ſcorbuto (prout ſupra innuimus) interdum ſuccedere, hiſtoria ſequens (cujus alibi quoad rationem ejus ſcorbuticam mentionem fecimus) manifeſto declarabit.

Mulier formoſa & juvenis poſt puerperium in febrem tertianam incidit, hæc deinceps quotidiana facta, & dein protracta colicam valde atrocem & diuturnam intulit. Dolores primo tantum in abdomine, cum vomitu & cruciatibus acerrimis ſæviebant. His dudum vexata, & fere attrita, tandem ſtupore, & punctionis ſenſu, qualis in membris incubatis oritur, moleſtari cœpit. Nec mora dein longa quin paralyſis (quam altera iſthæc affectio ſæpiſſime præcurrit) in toto corpore inſequuta ſit. In hoc ſtatu Oxonium advecta curæ noſtræ (Medico inſuper alio inſigniſſ. *D. D. Lydall.* in ſubſidium vocato) committitur. Ægrotanti huic non tantùm membra omnia majora ſc. brachia & crura, ſed & cujuſque artûs minora adeo penitus reſoluta erant, ut ne manum, vel pedem, ut alterutrius manus digitum quemvis loco movere potuerit. Porrò atrophia in tantum afficiebatur, ut carne prorſus evanidâ oſſa vix cuti cohærerent; uſque tamen (è quibus ſolis quidquam ſpei affulſit) pulſu bono, & aſpectu vivido pollebat:

Poſtquam huic per plures ſeptimanas pharmaca ſelectiſſima, tum antiparalytica, tum antiſcorbutica cujuſque ferè generis, & juxta varias methodos ſine ullo ſucceſſu adhibueramus, tandem ipſi & amicis ejus ſalivationem, uti remedium quibuſque aliis potentius, ſed & periculoſum proponimus; haud diu ſuper hoc deliberantes, medicinam potiùs dubiam quam nullam, ſeu quod idem eſt prorſus inefficacem, experiri ſtatuunt. Itaque divinis auſpiciis freti præcipitatum ex Mercurio cum ſole in parvâ doſi exhibemus, & poſtridie repetimus: Die tertio ſalivatio facilis, & modica incipiens, per hebdomadam abſque maligno quovis ſymptomate blandè ſucceſſit; tunc autem ægrotans de cephalalgiâ gravi & vertigine conqueſta motibus convulſivis afflictari cœpit, proinde ut neceſſe incumberet ſalivationem mox deprimere, & curſum hunc, quamprimum fieri potuit, abrumpere, ſeroſi laticis fluxione à capite versùs alias partes devocata; quod quidem crebra enemata, emplaſtra epiſpaſtica, & revulſiva variis in locis applicata, una cum cardiacis & opiatis intus adhibitis brevi effecerunt; & exinde ſtatim D. illuſtris paulo melius habens, manuum & pedum articulos extendere, flectere, & membra interdum hæc, aut illa loco movere cœpit. Sputo ceſſante leniter purgata cepit per plures dies decoctum ex China, ſarſa, ſantalis, ebore, &c. cum additione foliorum ſiccat. Salviæ, Betonicæ, Veronicæ, &c. quocum intercolari ſolebat, ſp. C. C. aut fuliginis, confectionis cephalicæ, & Cardiacæ, necnon pulveris, & Julapii appropriatorum uſus. Intra menſis ſpatium à miniſtris ſuſtentata pedibus ſtare, & in cubiculo paululum ambulare potuit; porrò & ſomnum & victum mediocriter capeſſenti indies carnium tum moles tum robur accrevit, & demum Bathoniæ thermis temperatis uſa convaluit.

Prædicti caſus Ætiologia ad hunc modum habere videtur. Imprimis ſanguis vitioſus febrem intermittentem contraxerat, dein propter longiorem iſtius febris moram, idem vitioſior factus etiam cerebro, & nervoſo generi labem ſuam impertiebat; materia illis à ſanguine unà cum ſucco nerveo ſuffuſa, primò fere tantùm ſpaſmodica, atque nervos intercoſtales maximè ſubiens; colicam excitavit, deinde verò ea latiùs in nervos ſpinalis medullæ diffuſa, contractiones dolorificas in toto ferè corporis habitu fibris nerveis intulit; cumque ab aſſiduo & uberi materiæ ſpaſmodicæ incurſu cerebri & nervorum meatus plurimùm reſerati valde patefierent, demum particulæ craſſiores, & vitriolicæ unà ſubeuntes, affectionem paralyticam per totum corpus diſſeminabant. Circa Therapeiam ejus remedia uſitata ante ſalivationem minus profecerunt, quoniam illa materiam morbificam, uſque prorſum eam urgentia, in ductus nerveos altiùs, & denſiùs compingebant; particulæ autem mercuriales, quatenus materiam ita compactam diſſolverent, curationis viam primò aperiebant, quæ deinceps per medicamenta cephalica multùm indies provecta, demum à Thermarum uſu conſummabatur.

At verò Thermas paralyticis non omnibus prodeſſe, imò (quod ſupra innuimus) quibuſdam valde obeſſe, ſequens hiſtoria, cujus cataſtrophe funeſta dum hæc ſcriberem accidit, manifeſto declarabit. Mercator Londinenſis poſt pedis luxationem deinceps in eâ parte claudus fiebat, cætera verò ſatis ſanus, & robuſtus; cum remedia topica varii generis aliquandiu tentata mi-

nus efficerent, demum ex Medici conſilio Bathoniam adiens Thermas temperatas experiri cœpit, quarum uſu (ſtatim deterior factus paralyſi mox in aliis membris incipiente) ulteriori abſtinuerat, niſi quòd Medicus tunc præſens, eum poſtea melius habiturum ſpondens, ad perſiſtendum hortaretur; quare per triginta circiter dies Thermas iterum ingreſſus eſt, donec membra omnia inferiora, nempe ab oſſe ſacro uſque ad pedes, prorſus reſoluta emarceſcerent, inſuper in Thorace dyſpnœa inſignis, & quaſi aſthmatica excitaretur. Quippe muſculis reſpirationi dicatis (uti videbatur etiam paralyſi affectis) pectus pro ſpiritu altum ſatis introducendo dilatari nequibat; quare anhelus ſemper ſub continuis iſtarum partium nixibus, & totius Thoracis agitatione laborabat. In hôc ſtatu Bathoniâ diſcedens, jubetur à medicô ſuô per integrum menſem remediis quibuſcunque à pharmaciâ petitis abſtinere; quod cùm religiosè, quaſi ſub reſurrectionis ſpe obſervaſſet, tempore illô elapsô, jam ſera fuit omnis de medicamentorum uſu deliberatio; nam præter membra paralytica & emarcida, venter intumeſcebat, reſpiratio adhuc magis difficilis & impedita, ut æger ſpiritui hauriendo vix par foret, pulſus debilior admodum, cum crebris deliquiis, & leipothymiis ad corporis motum quemvis excitatis: hinc ut locô vix ullatenus catharticis relictô, remediis tantùm cardiacis & antiparalyticis inſiſtendum eſſet, quorum uſu non obſtante, intra ſeſquimenſem ægrotans, ſub maximâ dyſpnæâ per plures horas laborans, demùm animam exſpirabat. Cujus obitus cauſam immediatam ſanguinis in corde concretiones polypodes fuiſſe ſuſpicor; cùm enim à longô tempore præcordiorum motus valde inhiberetur, nihil probabilius videtur quàm ejuſmodi fruſta velut carnea intra cordis ventriculos concreviſſe. *Thomas Williſius de morcis ad animam corpoream.*

Cum Paralyſis ſæpiſſimè fiat à pituita nervos obſtruente, influxumque ſpirituum animalium impediente, quid faciendum facilè liquet, viz. obſtructio illa tollenda ut ſpiritibus dictis in partes ſingulas libera per nervos pateat via.

Hoc ut fiat, purgetur Patiens primò pil. ſeq.

♃. Maſſ. pilular. aggregativ. gr. 25. ſine quibus & de agarico an. gr. 10. Ol. ſuccini gutt. j. mſ. formentur, pil. n. 5. deauratæ, quas deglutiat ſummo manè, ſuperhauſto alæ maciatæ tenuis momento, dilato ad 4. horas juſculo.

Vel loco pil. aggregat. pil. Macri adhibeantur.

Pilulæ Chamæpityos. ♃. Chamæpit. betonic. ſtœchad. fl. roriſmar. an. ʒj. Turpeti ʒiſſ. Agarici ʒij. Colocynt. ʒſſ. Zinzib. ſal. foſſil. an. gr. 10. Rhab. ʒiſſ. ſpic. ind. gr. 7. pulv. hier. ſimpl. ℥ſſ. Diagrid. ʒj. Excipiantur omnia in Chamæpityos ſucco in mortario, & in maſſam redigito. Doſis ʒſſ. ſummo manè.

Pil. iſtiuſmodi ſæpiùs ſunt repetendæ.

Vel purg. decocto ſeq. ♃. Sarſæparill. ℥ij. raſ. ligni ſancti ℥j. Rad. pœon. mar. ʒvi. Rad. enul. & Cariophyll. an. ℥ſſ. Fol. betonic. Chamæpit. an. m. iſſ. Scabioſ. pulmon. ling. cervin. an. m. j. flor. herb. paralyſ. p. 8. flor. anth cum ſummitat. an. p. iſſ. ſem. pœon. ʒiij. ſem. nigell. Roman. ʒij. Mac. ʒj. F. omnium decoctio in ſ. q. aq. font. in qua præmaceratæ fuerint per hor. 5. fol. ſenn. mundator. ℥ij. Turbith. gummoſ. ℥ſſ. Tartari albi ℥j. F. colatura quæ clara redigatur levi exhalatione ad ℥xx. addend. ſub finem decoctionis glycyrrhiz. Hiſpa. rec. raſ. ʒiij. Aromatiz. ʒij. Cinamomi pro 4. doſ. ſumend. mane diebus conſequentibus cum regimine.

Victus ſit tenuis & ſiccans: veſcatur carnibus aſſatis, transfixis ſalviâ & roremarino.

♃. Conſ. flor. ſalviæ & roriſmar. an. ℥j. Conſ. flor. herb. paralyſ. & flor. Veronic. rub. an. ʒx. Conſ. flor. pœon. mar. ʒvi. Pulv. ſubtiliſſim. rad. Valerianæ utriuſque, cyperi, calami aromatici, ſummit. major. an. ʒiij. Pulv. Chamæpityos ℥ſſ. flaved. citr. & arant. ſicc. baccar. juniper. an. ʒiſſ. Macis ʒj. Conf. Alkerm. ℥ſſ. mſ. & cum ſyr. flor. pœon. & ceraſ. nigr. cum ſpir. vitrioli acidulo, f. Elect. inſtar Opiatæ, de quo capiat. ℥ſſ. quotidie, ſuperhauſto cereviſ. ſalviat. momento horis 4. ante prandium.

♃. Sarſæparil. alb. & medulloſ. ℥iv. Rad. chin. raſur. ligni roriſmarini & juniperi noſtratis an. ℥ij. Sem. pœon. mar. ℥j. Flor. betonic. & Anth. an. p. 3. Flor. herbæ paralyſ. p 8. Infunde per hor. 4. ſuper cineribus calidis in ℔viii. Aquæ fontanæ puriſſimæ: mox f. decoctio ad medietatis conſumptionem, addendo ſub fin. coctionis ſemin. Coriandri ℥j. Colatura dividatur in octo partes æquales reponend. in totidem ampullis probè obturatis pro totidem doſibus ſumendis mane horâ 6. provocando ſudorem in lecto ſuperpoſitis ſtragulis & circumpoſitis lagenis aquâ calidâ plenis. Hoc f. per octiduum.

N. B. Sudor in hoc caſu optimus eſt.

♃. Rad. Cyperi, Valerianæ utriuſque, Angelicæ an. ℥j. Cort. Winteran. ℥ſſ. Cinam. cariophyll. an. ʒiiiß. Cubebar. granor. paradiſ. zedoar. galang. cardamom. an. ʒij. Flor. lavend. m. j. ſalv. majoran. roriſmar. lauri ſicc. an. m. ſs. ſem. nigell. Roman. fragrantis ʒvi. Hiſce omnibus conciſis & leviter contuſis affundatur ea quantitas aq. vitæ opt. quæ ſupernatet 6. digitis, ſtentque per hor. 24. Dein add. caſtor. conciſ. ℥ß. F. diſtillatio in arena, liquor ſervetur ad uſum. Doſis gutt. x. vel circiter in hauſtu potûs ſeq.

Potus ordinarius ſit cereviſia ex herbâ paralyſ. chamæpit. betonica, meliſſa, radice & ſem. pœon. junipero, ſarſapar. guajaco, &c.

Vel ♃. Sarſæparil, ℥vi. Rad. chinæ per taleolas ſect. ℥iv. Lign. ſaſſafr. ℥ij. Paſſul. integr. jujub. rec. an. ℥iij. Infund. & decoq. in ℔xxx. Aq. font. Colatura calid. mittatur per manicam ſuper ℥ij. Sem. coriand. contuſ. & ſacchar. ad libitum. Recondatur lagenis lapid. in cell. ſub terra ad uſum.

De remediis internis hactenus: ſequuntur externa.

Poſt purgationem applicetur Veſicatorium amplum poſteriori collo, à quo excitæ Veſicæ teneantur diu apertæ ſuperpoſitis braſſicæ foliis ad ignem tabefactis, butyro illitis.

Inungantur nucha & ſpina, præcipuè origo nervorum ad partem paralyticam tendentium, veſperi in ingreſſu lecti, balſamo ſeq. multum diuque manu calefactâ fricando, addito ſpir. Vini rectificatiſſimi tantillo.

♃. Medull. crurum bovis & cervi an. ℥iij. ſebi damæ ℥iv. vermium terreſtrium vino albo lotorũ ℔ſs. ladani, ſtyrec. calam. benzoin. an. ℥i. bacc. juniper. cortic. exter. citri & arantiorum. florum lavend. an. ℥ſſ. Includantur omnia ventre anſeris pin-

pinguiſſimi, qui denuo conſutus, veruque tranſfixus, torreatur; excipiatur ſtillans pinguedo, de qua cape ℥iv. gumm. tacamahac. ℥i. olei expreſſi nuc. moſchat. & laurin. an. ℥ſſ. mſ. f. balſamum.

Vel ♃. Fol. ſalv. majoran. roriſmar. laur. calaminth. origan. thym. ſerpyl. an. m. j. abrot. utriuſq; agerati an. m. iſſ. fl. ſtœchad. an. lauand. p. vi. ℥. nuc. moſchat. caryophyl. an. ℥ſſ. cort. Winteran. caſſ. lign. an. ʒvi. cort. citr. & arant. an. ʒx. Incidantur omnia, iiſque affunde Vini Canarini generoſiſſimi quart. unam; adde axung. ſuillæ recent. ℔iii. vini rubri pint. unam, coq. ad vini conſumptionem & herbarum putrilaginem; f. pinguedinis expreſſio, cujus refrigeratæ pars purior ſeparetur à craſſamento impuro: hujus ſubſtantiæ purioris accipe ℔j. butyri arantiorum, olei palmei an. ℥ii. ol. ſtillatit. roriſmar. juniper. an. ʒii. mſ. f. linimentum, quo inungatur tota ſpina & membra paralitica, diu multùmque fricando donec partes medicamentum imbiberint, paulo ante ingreſſum lecti.

♃. Empl. de beton. ℥xvi. gum. caran. tacamahac. an. ℥iii. gum. elem. anim. ſuccin. præp. cran. human. ad ſumm. albed. calcinat. (vel ejus defectu equini) an. ℥ii. ladan. puriſſ. ℥jſſ. ſtyrac. calamit. benzoin. an. ℥j. roſ. rubr. ℥ſſ. caryophyl. ʒiii. mac. ʒii. Terantur terenda ut alkool. omniaque mixta excip. ſ. q. mixturæ compoſit. ex tereb. Cypr. part. j. balſ. Peruv. part. ii. ſtyrac. liquid. part. ⁂ f. maſſa empl. pro cucupha aplicand. toti cap. raſo capillitio; itidem toti ſpinæ: geſtetur continuò, decimo quoque die idem renovando.

♃. Fol. ſicc. majoran. ſalv. roriſmar. an. ʒii. cortic. piſtach. ʒvi. nuc. moſchat. ʒi. f. pulvis, cujus fumus excipiatur per fiſtulam inſtar tabaci, inſtillando uſûs tempore gut. unam & alteram ol. ſeq.

♃. Ol. ſtillatit. ſalv. & roriſmar. an. ʒi. ol. ſuccin. ʒii. mſ. *Theodor. de Mayerne Praxeos Medicæ lib.* 1.

Ad Paralyſim quam medicabilem exiſtimant, hæc remedia adhibent. Primùm autem, qui omnem Paralyſim ab obſtruentibus craſſis & pituitoſis ſuccis oriri putant, evacuantibus potiſſimùm utuntur, & quidem fortioribus, tùm emeticis, tùm catharticis ſubducentibus, præcipuè ex colocynthide, agarico, hermodactylis, turbith, gummi guttæ, hiera, pilulis cochiis, fœtidis, aggregativis, & ex tribus Galeni; deinde ad particulares capitis, per ſpinæ evacuationes procedunt per errhina, apoplegmatiſmos, & cauteria. His adjiciunt unctiones, & fotus per univerſam ſpinam cum oleo laur. chamæmel. rut. coſt. & de ſpica; itemque decocta capitalia ex ſarſa-parilla, ligno guajaco, ſaſſafras, china; atque ineunte æſtate ad ſudatoria Puteolana noſtrates Medici ægrotantes amandant, indictâ interim diætâ ad calidum, & ſiccum vergente.

Helmontius eadem hic adhibet, quæ in Apoplexia; ſpeciatim verò cõmendat lac Unionum.

Cùm Sylvius Leboë plerumque ortam putet Paralyſim ab humore pituitoſo, vel aqueo ſpinalem medullam ita irrigante, ut liber per ipſam ſpiritibus animalibus tranſitus denegetur, curationem propterea dirigit ad hunc humorem ab affecta parte tollendum præcavendo etiam alterius affluxum, & malam diſpoſitionem in ſpina inductam emendando. In quam rem catharticis, & caputpurgiis utitur ex colocinthide, hermodactylis, turbith gummoſo, unà cum mercurio dulci, quem optimum in hoc affectu eſſe dicit, & in cæteris morbis à craſſa pituita oriundis. Mox vero adhibet ea, quæ è cerebro per nares, & palatum humores educunt; atq; etiam cervici cauſtica medicamenta admovet: Phlebotomiæ tamen parcit, niſi minus commodè ſanguis circuire videatur, ſumptâ cõjecturâ ex pulſu minùs pleno, & oppreſſo, ſed molli, atque ex anhelitu frequentiori. Ad emendandos inſuper, ſimulque educendos pituitoſos humores, conferre ait, ſudorifera, ex ligno guajaco, juniperino, ſaſſafras, & ſimilibus, additis quoque radicibus chinæ, iridis, enulæ campanæ, acori, ſarſæparillæ, galangæ, curcumæ, ut & foliis chamæpityos, ſalviæ, ſampſuchi, roriſmarini, betonicæ, thymi, polii, floribus primulæ veris, ſtæchados, anthos; ſeminibus carvi, fœniculi, ſileris Montani, erucæ, rutæ, baccis lauri, & juniperi. Ex his conficit quoque fotus, & balnea calidè applicanda parti affectæ: approbatque balnea naturalia, præſertim ſulphurea, vel artificialia ex plantis prædictis cum ſulphure, & ſale lixivio compoſita; aut hypocauſta cum vini ſpiritu accenſo. Partibus affectis roborandis prodeſſe ſubdit olea baccarum juniperi, lumbricorum, caſtorei, ſuccini, roriſmarini, ceræ, galbani: unguentum nervinum, Martiatum, Agrippæ; vel emplaſtrum betonicæ, meliloti, oxycroceum cum quibus permiſcendum ſuadet Alumen ſciſſile, tùm crudum, tùm præparatum.

Ab aliis cauſis inductam paralyſim curandam adſtruit remediis in Apoplexia memoratis.

Latiorem Paralyſeos curationem inſtituit Thomas Williſius pro cauſarum ſibi propoſitarum varietate. Tres verò potiſſimũ generales medendi rationes exhibet à triplici cauſarum genere deſumptas. Primò ſi ab externo accidenti, putà plagâ, caſu ab alto, vulnere, frigoris exceſſu, & ſimilibus: Secundò ſi alteri affectui, ſcilicet Apoplexiæ, caro, colicæ, aut febri diuturnæ ſuccedat. Demum, ſi per ſe, & nullo præcedente morbo, invadat, prævio ſolùm malo corporis apparatu.

Ad primum, curandum, inquit, ut pars læſa conformationem priſtinam recuperet: Ne verò ad ipſam utpote affectam, & debilem ſanguis affluat, phlebotomiam commendat, victum tenuem inſtituit, hydroticis moderatis inſiſtit, & pulverem ad caſum in Pharmacopœa Auguſtana deſcriptum, atque inſuper decoctum traumaticum radicum rubræ tinctorum, petaſitidos, aut florum hyperici, ſæpiùs aſſumendam conſulit. Interim loco affecto topica adhibet ex balſamis, lituris, fotibus, cataplaſmatis, emplaſtris, prout tumor, vulnus, contuſio, aliudve ſimile in partem inflictum expoſtulaverit.

Ad ſecundum, ut cauſa conjuncta removeatur, phlebotomiis, catharticis, enematibus, ſinapiſmis, cucurbitulis, ſternutamentum moventibus, aliiſque in ſimilibus morbis capitis applicari ſolitis, incumbit.

Ad ultimum, ne Paralyſis accedat, vel repetat, ſpiritus animales promovere & cerebrum roborare adnititur; cumulata verò recrementa per catharſim, & vomitum moventia circa utrumq; æquinoctium repurganda monet; cæteris autem temporibus cephalica remedia utiliſſima cenſet. Ad jam inductam verò, præter cathartica leviora, cephalica, & antiſcorbutica conducibilia exiſtimat. Verùm pro duplici ægrotantium ſtatu geminam curationis Methodum proponit: alteram pro Paralyticis frigidis, alteram pro calidis; pro frigidis quidem, poſt

vomitum

vomitum & purgationem præſcribit electuaria, decocta, aquas ſtillatitias, tincturas, pulveres, tabellas, pilulas ex cephalicis, & antiſcorbuticis ſimplicibus amaris, & acutis aromatibus. Pro calidis verò, ab acribus abſtinet, & mitiora ſolùm conſulit ſub iiſdem tamen formulis exhibita. Per idem tempus denique partes affectas fovendas, & liniendas eſſe præcipit, congruentibus oleis, ceratis, & balſamis, pro ratione temperiei ægrotantium; atque inſuper diaphoreticis, ptyaliſmum provocantibus, & vomitum, utendum, ut ductus obſtructi reſerantur, & cauſa conjuncta penitùs adimatur.

Hermeticis, & Paracelſiſtis eadem ſunt hic in uſu, quæ in Apoplexia, præcipuè verò emetica: commendantur poſtmodùm ſal margaritarum & coralliorum, oleum, magiſterium, & ſal ſuccini, cinnabaris antimonii, eſſentia caſtorei: & ad partes fovendas, aqua formicarum, ſalviæ, & nicotianæ, vel vinum auſterum, in quo prædictæ herbæ ebullierint, adhibito deinceps Galbaneto Paracelſi, vel cataplaſmate ex radice ſymphyti majoris in aqua communi ad pulticulam decocta. Petrus Jo. Faber laudat etiam ſudorificum ſtamni à ſeipſo deſcriptum, ad plures dies aſſumptum; pariterque balſamum ex eſſentia roriſmarini, & ſalviæ, quo affectas partes illitas mirificè recreari ſcribit.

Oportebit autem tùm in his, tùm in cæteris medicamentis ritè adhibendis diligenter advertere à quanam ex prænarratis cauſis potuerit Paralyſis oriri, atque illi potiſſimùm occurrere: in hoc enim maximè elucet Medici ſagacitas, & peritia. Unde eſt ut remedia, quæ uni, ferè momento temporis, profuerunt, alteri noceant, licet eadem videatur eſſe morbi ſpecies; quia fortaſsè diverſa cauſa viguit. Cauſarum namque inquiſitio ſpeciatim in morborum curationibus neceſſaria eſt; & qui illas ſcrutari ſciverit, procul dubio Curationem aſſequetur, niſi cætera aliundè obſtiterint.

Denique Antiparalytica ſpecialiora recenſentur, intrinſecùs quidem ſal ſuccini volatile, eſſentia Caſtorei cum ſpiritu vini extracta, ſpiritus, aut oleum lavendulæ, ſalviæ, anthos, primulæ veris, ſtœchados. Ad loquelam impeditam unice prodeſſe ſolet oleum aniſorum, & cinnamoni guttatim linguæ inditum; itemque ſpiritus ceraſorum nigrorum aqua liliorum convallium ex vino ſtillatitia, & Aqua Apopleptica apud Hartmannum, cum ſanguine Turturis calente commiſta. Foreſtus egregium ſudorificum in paralyſi ſcribit eſſe decoctum radicis bardanæ; Et Crato decoctum milii cum aliqua portione vini græci, quod ſyrupus S. Ambroſii dicitur. Rulandus infuſo florum lavendulæ in vino, pluries exhibito, fœminam ſexagenariam à paralyſi linguæ liberatam fatetur. Summe etiam conferre fertur Theriaca vetus cum pulvere ſinapis ſi ſub lingua detineatur ex Horſtio.

Extrinſecus verò, eſſentia foliorum nicotianæ viridium cum vino Cretenſi elicita, ſola infuſione, ſi membra paralytica ea diutiùs fricentur, ex Hartmanno. Efficaciſſimum quoque creditur Galbanetum Paracelſi penes eundem. Ab aliis prædicatur ſpiritus lumbricorum terreſtrium, & Formicarum. Magni fit etiam unguentum Nervinum Auguſtanum, Balſamum Peruvianum, Balſamum paralyticum Mynſichti, & Tacamahaca emollita & ſubacta cum oleo nervino Auguſtano. Epiphanius Ferdinandus ſingulare remedium inquit eſſe, poſt optimam corporis purgationem, viridibus urticis reſolutum corpus cædere; Deumque teſtatur, ſe hoc remedii genere plurimos ſanaſſe, & nunquam votis non potitum: Cujus inventi authorem refert Celſum lib.3. c.27. Hunc eundem uſum approbant Riverius, & Rolfinckius.

Balnea parata ex decoctis herbis Paralyſi, chamæpity, betonica, lavendula, roremarino, ſampſucho, chamædrio, primula veris, ſalvia, baccis juniperi, & lauri, addito ſulphure, & nitro, mirè etiam aliquandò contulerunt.

Ad Paralyſim verò, ſeu corporis immobilitatem, ut mavult Sylvius, quæ colicam affectionem ſequitur, atque ex Tartaro in inteſtinis collecto, & pontica vi prædito oriri putatur Paracelſo, cùm acutus dolor illam comitetur, ſpeciatim commendantur ſpiritus Tartari, & oleum, ſeu liquor ex optimo chalcantho philoſophicè deſtillatus, ad guttas aliquot; extrinſecus verò ſuffitus, & inunctiones ex balſamis diſcriptis ab eodem Tr. 2. de membris contractis. Affertur etiam oleum quoddam mirabile adverſus contractiones à Cardilucio, apud quem legi poterit. Hartmannus verò multùm juvare ſcribit decoctum ſaſſafras, præter unctiones ex Balſamo Galbani terebinthinato, cum cataplaſmate radicis ſymphyti majoris in aqua decoctæ. Riverius etiam Galbanetum paracelſi magnoperè conferre, ait, ſi partibus affectis & umbilico admoveatur. Cæterùm de modo, quo Paralyſis ex colica oriri poſſit, conſulendus præcipuè Williſius *in ſua Pathologia cap. de Colica paſſione. &c. Clariſſ. Lucas Tozzi Medicin. Practic. lib.1.*

Corporibus pituitoſis & plethoricis ex gr. ſcorbuticis, hydropicis, quibuſque multi crudi humores in primis viis hærent, vomitus prodeſt; quæ verò ſpirituum vitalium defectu laborant, his obeſt vomitus.

Formulæ verò vomitoriorum ſint tales.

℞. Sulphur. antimon. gr. vi. cremor. tar. ℈ß. ſyr. cinnam. ʒii. aq. roriſmar. ℥i. M. f. vomitor.

℞. Sapæ vomitor. gutt. viii. ſyr. cochlear. ℥ß. aq. cinnam ℥i. M. f. vomitor.

Si purgatio requiritur. ℞. Reſin. jalapp. & ſcammon. an. gr. vi. cremor. tartar. ℈ß. ſal. ſuccin. gr. iv. magiſter. ſuccin. gr. v. olei cinnamomi. gutt. ii. conſervæ roriſmar. ʒii. M. f. bolus.

Seu ℞. Pilular. aloëphanginar. ʒß. reſin. agaric. gr. xii. olei ligni guajaci rectific. gutt. iij. olei lavendul. gutt. ii. M. f. pilulæ n°. 7.

Cum clyſteribus opus eſt.

℞. Herbar. origan. rutæ an. mi. ſalviæ, menthæ roriſmar. folior. lauri an. mß. baccar. juniperi & lauri an. ℥ß. Coque &.

℞. Colaturæ ℔i. adde olei rutæ ℥ii. pulpæ caſſiæ ℥i. ſal. gemmæ ʒi. M. f. enema.

In India. ℞. Herbar. conyzæ, calaminth. an. mß. folior. cinnam. mi. ſemin. cumin. ʒii. coque & colat. ℔. i. adde pulpæ caſſiæ ℥i. ſal. comm. ʒii. M. f. enema.

℞. Her-

℞. Sal. eſſential. cinnam. ʒß. C.C. ℈j. conſerv. meliſſ. roſmar. an. ℥i. M.f. bolus. Doſ. mane & veſper ʒi. aut ʒii.

Vel ℞. Eſſentiæ cinnam. ʒß. ſuccin. roriſmar. an. ʒi. aqua lavend. major. an. ℥ß. ſyr. cinnam. ℥ß. M. Doſis cochlear. 1. bis in die.

℞. Tinctura cinnam. ſuccini. caſtor. an. ʒß. elixyr. vitæ Matthiol. proprietatis an. ʒi. M Doſ. mane & veſperi gutt. xv. aut xx. in vehiculo appropriatò.

℞. Spir. tartar. ſaſſafrati ʒß. ſal. armoniac. ſuccin. C.C. an. gutt. xv. decocti. ligni guajaci ℥ii. M. f. ſudoriferum.

℞. Spir. fuligin. ſuccin. lign. guajaci an. ℈i. bezoartic. C.C. ʒi. rob. juniperi ʒi. decocti ligni ſaſſafras ℥ii. M. f. ſudoriferum.

In India ℞. Spir. ligni ebeni, colubrin. an. ʒß. C. C. ℈i. bezoartic. cornu Rhinocerotis ʒi. aq. roriſmar. camphoræ an. ℥i. M. f. ſudoriferum.

Non paucos in Juſulâ Ceylon numeravi, quos poſt paſſionem colicam, deplorata membrorum rigiditas corruperat. Eorum aliquot per debitum diætæ ordinem, (interdicens ſcil. omne illud quod corroſivam corpori effervescentiam ingerit: ut eſt cereviſia ſaccharina, vinum palmaticum & fructus; atque obſtringens eos ad egregiè nutrientem cibum & potum) & ſequentem methodum reſtauravi. quorum alvus erat obſtructa, leniter, quâvis ſeptimanâ, ſic purgavi.

℞. Pulpæ caſſ. ℥i. extr. carnin. ʒi. reſinæ turbith. gr. x. tinct. cinnamomi gtt. xii. M. f. conditum.

Manè & veſperi ſequens ſumpſerunt elixier.

℞. Elixier. propr. ʒi. eſſent. cinnam. ℈i. tinctur. ſuccin. ʒß. M. Doſ. ℈i.

Membris rigidis ſequens applicatum eſt linimentum.

℞. Olei terræ de Pegu. ℥v. cocti folior. cinnam ℥iii. ſtillatitii camphor. ex radic. cinnam. ℥i. ſtill. folior. cinnam. ʒß. ex oſſib. elephant. ʒii. M. f. linimentum.

Interdum ſudarunt annexô ſudoriferô.

℞. Spir. fuligin. cinnam. lign. colubr. an. ʒß C. C. ℈i. bezoardic. viperin. ʒß. aq. camphor. & menth. an. ℥i. m. f. ſudoriferum. Paralyſin ex Scorbuto, tam in Europa, quam in navali ad Indiam orientalem itinere, feliciter eradicavi, ut ſequentes obſervationes demonſtrant.

Concionator quidam, pituitoſô robuſtoque corpore, ſub ſcorbuto miſerè gemebat & utriſque rigebat pedibus: hunc primò ita exorneravi

℞. Reſin. jalapp. & ſcammo. & cinnam. an. gr. vii. tart. vitriol. noſtr. ℈ß. conſerv. cochlear. ʒii. olei. ſtill. cochlear. & cinnam. an. gtt. i. M. f. bolus.

Poſtea diverſis vicibus ſudorem expulit proximum conditum.

℞. Sp. ſal. tart. & C. C. an. gtt. xx. antimon. diaphor. ℈i. ocul. cancr. ʒß. ſucc. cochleariæ ℥i. decocti lign. ſaſſafr. ℥ii. M. f. ſudoriferum.

℞. Conſerv. cochlea. ℥ii. zinziber. cond. ℥i. extract. abſint. ʒi. caſtor. ʒß. tinct. ſuccin. & cinnam. an. ʒi. ſal. ſuccin. volat. ℈i. tart. vitr. noſtr. ʒii. M. f. conditum. Doſ. ʒii. manè & veſperi.

Pedes rigidos, etiam tunc quotidie cum ſpiritu urinæ madefieri, ſequentique linimento inungi juſſi. ℞. Axung. taxi & vulpis an. ℥ii. olei lubricor. laurin. an. ℥i. picæ ʒß. olei oſſ. human. & C. C. an. ʒi. M. f. linimentum.

Superioris ſortis fœmina, hiemali tempore ſcorbuto laborabat; dextrique pedis rigore, atque dolore quam maxime tentabatur: ſimulque tantus aderat humorum acrium affluxus, ut morboſus pes plane emortuô ſimilis, pendendo, hinc inde vacillaret. Huic ægrotæ ter aut quater hoc exhibui.

℞. Sp. tart. ſaſſafr. & C. C. an. ℈i. antim. diaph. gr. xv. rob. juniperi & ſambucc. an. ʒß. aq. antiſcorbutic. ℥iii. M. f. ſudoriferum.

Pedis juncturam compreſſis linteis aliquoties involvi, quæ madefacta fuerant miſturâ tali.

℞. Sp. vin. theriac. camph. ℥ii. tart. ℥ß. urinæ (ſcil. ſpiritus) ʒi. aq. apoplectic. ℥iv. M.

Sic dolor evanuit, & ſequenti tandem emplaſtro pes iſte perfectè reſtitutus eſt.

℞. Emplaſtr. oxycroc. & ſtiptic. Paracell. an. ℥ii. olei terebinth. ʒii. ſpicæ ʒß. ſucc. fætid. ʒii. C. C. & tart. fætid. an. ʒi. M. f. emplaſtrum.

Durante meô ad Indiam itinere, maxima in navi noſtrâ degentium pars ſcorbutô affligebatur: quibus membra deformibus tumoribus repleta, rigebant. Taliter affectis, alterô quoque die, aliquoties exhibui ſequens.

℞. Spir. ſal. ammon. & tart. an. ʒß. rob. ſambuc. ʒii. antimon. diaphor. ℈i. ocul. cancr. ℈i. aq. antiſcorbut. ℥ii. M. f. ſudoriferum.

Dura alvi excrementa lenibus laxativis emollivi. Pedibus quotidie impoſui mixturam, ex lixiviô, urinâ, zythoque vetuſtô confectam; ac denique hoc perungi ipſos mandavi.

℞. Ungu. alth. ℔ß. olei laurini ℥ii. lumbricor. ℥ii. balſam. ſuph. camphor. ℥i. M. f. linimentum.

Hæc deſperatis ferme hominibus adeò ex votô proficua fuerunt, ut quinta plerumque dies priſtinâ ſanitate eos exhilaraverit. *Hertmann. Nicol. Grimm. Compendii Medico-Chymici lib. 1.*

Conſultationes.

Pro Perilluſtri & Nobiliſſimo Equite Corrigienſi Bernerio, Paralyſi fere totius corporis, nec non pruritu plantarum pedum laborante.

Senex qui pluribus, & his ipſis gravibus morbis laborat, à quibus graviores, atque lethales (uti Apoplexia, ac ſimiles) imminent, ſecundum qua omnia membra principalia, & proinde ſecundum totum corpus malè habet, nulli dubium eſt quod à Medico tractari non debet, ut ſanitati reſtituatur; (quando hanc reſtituere ſit negotiū impoſſibile) ſed bene ut præſervetur hinc Medicus deſperatis etiam aliquando Medicationem præſtat ut ſcilicet quantum fieri poteſt, illorum vitam producat, imò verò etiam, ut miſeros interdum patientes conſoletur; Quæ & ipſe in caſu perilluſtri & nobiliſſimi Equitis animo volvens, paucula quædam ad cognitionem curandorum, & cognitionem cognitorum ſpectantia in ſui gratiam in medium adducam.

Certum igitur eſt ipſum laborare primum impedita loquela, ita ut inter loquendum quandam patiatur interceptionem. Secūdò, liquida præcipuè cum difficultate deglutit, exiſtimo enim ego ſolida pondere, & conſiſtentia ſibimet ipſis viam parare. Tertiò, involuntariè feces reddit, & urinam emittit. Quartò, plantæ pedum illi inſigniter pruriunt. Poſtremò crura ſtupent, ita ut motus valdè ſit imminutus, non enim incedere, ſed crura tantum elevare poteſt, ut ſit ſtupor impropriè dictus, & paralyſis imperfecta, nam in vera ſimul etiam ſenſus aufertur, qui tamen hic remanet.

Cùm itaque tot ſint vitia in hoc nobiliſſimo ſene, arbitrabor, me ſatis feciſſe, ubi cauſam paralyſis, & pruritus adinuenero, nam ab una paralyſi, omnia alia vitia, uno excepto pruritu pendere exiſtimo, ita ut meo judicio, nulla pars in perilluſtri viro reperiatur, quæ paralyſi nonlaboret, ut non ſit miru, ſi loquela impediatur, deglutitio difficulter, celebretur feceſq; & urina involuntariè exeant, atque crura ſtupeant, quoniam Muſculi, inquam linguæ, æſophagi, cervicis, veſicæ, ani, & crurum paralyſi detinentur: Cujus duplex eſt cauſa alia proxima, alia remota; proxima, eſt fruſtratio facultatis motricis; remota adhuc duplex interna, & externa; interna eſt id, propter quod muſculus per nervum facultate animali deſtituitur, quod nulla alia ratione contingit, niſi quia facultas, vel nō ſuſcipitur, vel non influit.

Non ſuſcipitur à muſculo, quia ob intemperiem frigidam inductam à cauſis externis, uti ab aëre, medicamentis, ac aliis hujuſmodi muſculus, veluti denſatus facultatē animalem non admittit. Non influit bifariam; aut quia tranſitus ejus impeditur, aut quia non tranſmittitur; prohibetur quidem ob morbum nervi, vel ſpinæ, nervi exiſtentis vel extra muſculum, quo in caſu per nervum intelligo nervum magnum, vel nervi in muſculo exiſtentis, atque tunc ſermo eſt mihi de nervo parvo, imo de fibris, ob morbum & ſpinæ, qui quidem morbus eſt anguſtia. Non tranſmittitur facultas in vitiis cerebri, ut in Apoplexia, in Caro, non tranſmittitur etiam in inflammatione muſculorum temporalium, nam pars ſana paralyſi afficitur, quoniam vis animalis confluit ad partem inflammatione detentam.

Cauſa autem remota externa refertur in errata in ſex rebus non naturalibus; ſtante igitur iſta enumeratione cauſarum, puto ego muſculos in perilluſtri Equite privari facultate animali, quia prohibetur tranſitus ejuſdem propter morbum nervorum, & ſpinæ; ob morbum quidem nervorum, præcipuè in muſculis exitentium, in muſculis primùm crurum quoniam crura ſunt valdè emaciata, & motus haud eſt ex toto ablatus; ob morbum etiam ſpinæ nempè ſemi anguſtiam aliquo modo puto tranſitum facultatis animalis impediri, quia nimirum materia frigida craſſa, & lenta in ſpina denſationem quandam pororum, & craſſefactionem efficit, quam puto fieri & in nervis muſculorum. Materiæ huic atteſtantur ſenectus, morbi longitudo, atque excreta: Materia autem hæc in cerebro genita partim ad locos affectos tranſmittitur, partim etiam ob imbecillitatem caloris nativi in locis illis congeritur.

Nec mirum alicui videri debet, quod materia imbibita in partibus nervoſis aliquando paralyſim, & non convulſionem, aliquando convulſionem, & non paralyſim inducat, nam ſi ſit in ſubſtantia medullari nervorum, facit paralyſim, ſi in partibus externis, convulſionem.

Utcumque ſit, errata externa ferè infinita in uſu aeris, cibi, & potus, quæ perpetravit nobiliſſi. Eques, hiſce malis inſignē dederuntoccaſionē.

Tandem animadvertens pruritum, dico ipſum fieri ab ichore acri, & ſalſo, qui à jecore per venas propagatus, ubi ad plantas pedum pervenerit, pruritum infert, genitus autem eſt ichor prædictus in jecore perilluſtri viri fervidiſſimo, quod pituitam pluſquam par ſit, excoquendo, ipſi ſalſedinem impertitur, proinde ac videmus Carnibus accidere, ubi longius elixantur.

Si igitur vir nobiliſſimus eſt præſervandus, toti prius eſt conſulendum, & materia fluens eſt retrahenda, illiuſque generatio cohibenda per alterationem cerebri ad calidum, & ſiccum, jecoris ad frigidum temperatè, deinde materia fluxa eſt diſcutienda, attemperanda, ac proportio nervorum habenda.

Quibus autem materiis hæc efficere liceat exorſus à chirurgicis ita decerno, ſetaceum, vel ſaltem cauterium in occipite eſt neceſſarium, ſic enim commodius caput evacuatur, & occaſio admovendi medicamenta ſyncipiti non adimitur, imò verò ad caudam, ſeu ad os ſacrum cauterium excitatum non diſpliceret, cucurbitulæ etiam cum Avicenna ad locum affectum in cruribus præcipue probantur, ſicuti & frictiones factæ cum manibus oleo ex ſalvia chymico intinctis, in cujus olei defectu ſubſtituatur oleum vulpinum, & coſtinum.

Medicamenta totius, ſi ſint lenientia, mihi probantur pilulæ de hiera ſimplici, vel de aloe non lota, excepta cum ſyrupo de betonica; ſi ſint præparantia, quoniam liquida Eques nobiliſſimus non aſſumit exhibeantur conſervæ capitales, & florum cicorii, denſatæ cum pulvere quatuor florum capitalium: in hunc uſum etiam probaretur confectio Dianthos vocata. Si verò medicamenta totius ſint purgantia ſenſibiliter, ſeligantur pilulæ de Opoponace, fœtidæ, & cochiæ cum maſticinis, vel alephanginis caſtigatæ, vel tanquam mitiores, quæ de hiera cum Agarico dicuntur, quibus ſicuti, & illis, quas Aſſajaret dicunt, ſæpius per intervalla quædam perilluſtris patiens uti debet; huc hiera Pachii referenda, quæ tutiſſima eſt, ut citra noxam aliquam fere ſemper operetur.

Verum & in præſenti, quæ inſenſibiliter evacuant haud contemnenda, idcirco, & extractum guajaci, ac ſaſſafras, & trociſci ex viperis, ſalque theriacalis, & confectio Anacardina & utraque antidotus magna antiqua, mihi videntur opportuna.

Medicamenta autem partium affectarum hoc in loco ſunt proponenda. Ratione igitur capitis etiam, atque etiam laudo, ut capite evacuato per herrina parata ex mulſa, & ſucco ſampſuci, deveniatur ad fotum ejuſdem cum aqua Ardenti, vel elixire vitæ, itemque ad lotionem factam cum lixivio ex cinere ligni viſci quercini parato, ad ceratum etiam de betonica, tandemque ad Cucufam ex ſimplicibus capitalibus, Caſtoreo, & aliis paratam.

Pro oris collutione probo aquam Tettuccianam, aquam Ivæ, in qua nux miriſtica fuerit macerata, probo pariter nucem ipſam myriſticam maſticatam, confectiones Anacardinam, & Mithridaticam illitas

Pro cruribus fiat inunctio cum unguento ex Bdelio, vel cum oleo terebintinæ deſtillato ſuper data pelle vulpina ſuffumigata cum pulvere nucis muſcatæ, ſuffumigium quoque convenit, ſi lapis pirites, vel molaris igniatur, & aceto decoctionis ſimplicium calorificorum aſpergatur, fumumque ad crura benè cooperta adſcendere permittatur. Balneum ex oleo decoctionis canis rubei, ſeu vulpis cum betonica, ſtecade, ſalvia, ſampſuco, iva, & hujuſmodi eſt miri uſus

huc

huc quoque referenda luta emollientia, & reſolventia, atque vinacei, quidam verò habent pro ſecreto illinire crura pinguedine, quæ decidit, ab anſere maſculo antiquo in veru cocto, in cujus ventre prius Bdellium, Galbanum, Opoponax, Ammoniacus, & caro vulpis fuerint conſuta. Quinimmo ego Sinapiſmis aliquando fœlici cum ſucceſſu uſus fui.

Poſtremo ſunt medicamenta proprietatis, in quorum ſerie maximè probo, quod ex cerebro leporis aſſo, Caſtoreo, & Pineis cum melle Anacardino exceptis paratur.

Sed remedia chirurgica, & pharmaceutica varia propoſui, non ut omnia ad uſum perducantur, ſed ut muneri mihi impoſito ſatisfeciſſe viderer, quando & ipſe in ea ſim ſententia, ut exiſtimem paucis remediis injungendam eſſe undequaque accommodatiſſimam vivendi rationem quæ erit, ut nobiliſſimus patiens moretur in aëre temperato, utatur victu modicè extenuante, & proinde carnibus potius aſſis, quam elixis, quâ pene ratione cocti piſces ſaxatiles illi concedi quandoque poterunt; ætati autem aliquid concedendum, & proinde ova, carneſque elixæ non erunt denegandæ, comedat patiens panem cum ſale, & aniſis, ex optima farina confectum, fructus coctos parum deguſtet, Amygdalæ, pineæ, fiſtici, uvæ paſſæ, ſemina aniſorum, & coriandrorum ſaccharo conditæ ſint illi in uſu, quemadmodum & ſalvia, fœniculus, petroſelinum, ſerpillum, borago, atque cichorium, intinctuſque etiam ſinapi refertos, & conſervam perſicorum opportuna exiſtimo: bibat vinum cum rore marino, ſalvia, guajaco medicatum & aliquando mulſam ſalviatam potet: faxit autem Deus, ut hæc omnia ipſi ſint utiliora.

Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicis.

De Paralyſi, & motu convulſivo infernarum partium. Pro Nobili D. Benedicto Reguli Bononienſi.

Quemadmodum generoſus noſter patiens 14. abhinc menſibus derepente incidit in veram & perfectam infernarum partium paralyſim, cum impotentia retinendi fæces, & urinam: ita accidit, ut tranſactis paucis hebdomadibus, dum Mediolano in patriam curru veheretur, ipſi ſupervenerit motus quidam depravatus eorundem inferiorum artuum, ob quem dextrum crus aliquando ita rigidum permanet, ut nullo ingenio flecti poſſit, donec ſenſim & ſenſim ſponte in priſtinum ſtatum redigatur; imò aliquando utrumque crus ita concitatè, violenter, & involuntariè ſurſum & deorſum movetur, ut ab aſſidentibus contineri non poſſit, tunc præſertim, quando applicantur calida remedia, vel quando noctu in ſomno incaleſcunt. Propterea de agendis conſulit.

Quod ut ex methodo fiat, prædictorum affectuum eſſentia, & cauſæ ſunt in medium adducendæ. Quare ſi primò de paralyſi infernarum partium ſermo fiat, procul dubio hæc in principio erat abſoluta privatio ſenſus & motus infernarum partium, adeò gravis, ut neque caro coxæ detecta occaſione ulceris in ipſa antea geniti ab urinæ acrimonia, ſale, & aceto quo ſæpius lota fuit, ſenſum aliquem ſeu moleſtiam perſenſerit; tractu tamen temporis, & præſertim æſtate præterita tale juvamentum percepit, ut nunc ſenſum recuperaverit, motumque longè expeditiorem habeat, & urinam, quam antea involuntariè effundebat, aliquando retineat; quam tamen cum difficultate excernit.

Hujus affectus cauſa fuit potiſſimum procatarctica, longa ſcilicet equitatio, cujus ratione Scythæ Hippocratis tempore iſchiadici fiebant; necnon & compotationes vini valde generoſi, aliique errores in victus ratione commiſſi, quorum ratione repletum eſt caput multis vaporibus, liquatique ſunt humores, & repente fluxerunt ad nervos coxendicis, & os coccygis, hincque facta nervorum obſtructione, impedita eſt ſpiritus animalis irradiatio ad inferiores partes, atque ita ſubſecuta eſt paralyſis tractu temporis, aliqua ex parte ſublata per inſenſibilem prædictæ materiæ tenuioris reſolutionem: unde factum eſt ut quoad paralyſim longè melius habeat. Dubium ſolummodo eſſe poteſt, cur dum retinere poteſt urinam, cujus antea laborabat incontinentia, adſit nihilominus difficultas aliqua in eadem reddenda. Solvitur tamen dubium hac ratione: quod ad excernendam urinam duo concurrunt, muſculus ſcilicet ſphincter, cujus ratione mictio eſt actio animalis, & fibræ tranſverſæ corporis veſicæ, à quarum conſtitutione juvatur ejuſdem urinæ expulſio. Modo in caſu præſenti ſublata quidem eſt obſtructio nervoſæ ſubſtantiæ, atque ideo muſculus conſtringi poteſt, nondum tamen exſiccata eſt fibroſa ſubſtantia, quæ propterea ſui conſtrictione juvare non poteſt expulſionem, ideo difficulter excernitur. Secundus affectus nunc ſubortus, eſt motus depravatus ipſorum crurum, & in crure dextro aliquando permanens, ita ut flecti non poſſit, ut plurimum tamen non permanens, ſed compoſitus ex motu ſurſum & deorſum: quem affectum alium non eſſe cenſeo, quàm convulſionem, illam quidem permanentem, hanc vero non permanentem: ut propterea illa dicenda ſit vera convulſio. Vera enim convulſio eſt contractio permanens, & hæc eſt emproſthotonos, neque opiſthotonos, ſed tetanos dicta, facta à ſola cauſa morbifica, non concurrente facultate: cauſamque hanc aliam non eſſe autumo, quam vaporem cum impetu ſubeuntem tendinoſam & muſculoſam ſubſtantiam cruris dextri. Hæc etenim replendo convulſionem infert, tunc primum ceſſantem, quum vaporoſa illa materia digeritur ſola copia peccans. Quod ſi prædicta materia acrimoniam aliquam acquirat à calore cùm interno corporis, tum externo applicatorum remediorum, tunc vellicans membranoſam ſubſtantiam muſculorum, & tendines irritat expultricem ad ſui expulſionem, atque ita efficit convulſionem non veram, ſeu motum convulſivum in prædictis partibus, non diſſimilem illi; qui in epilepſia obſervatur, propter irritatam facultatem ab aura illa venefica. Et hæc de eſſentia, & cauſis prædictorum affectuum.

Ex quibus non eſt difficile colligere, quid ſperandum, & quid ſit agendum. Prognoſticum etenim quod attinet, ſperanda quidem eſſet perfecta ſanitas, cum adeò evidens juvamentum ſuſceperit ab ambientis calore æſtate præterita: veruntamen ab eo tempore ad ver uſque præſens, vix ullam mutationem obſervavit, quanquam variis Medicis præſidiis ſumma cum ratione

præſcriptis uſus fuerit: ſperamus nihilominus depravatos illos motus ceſſaturos eſſe, ipſumq; melius ambulaturum, quotieſcumque Medicis præſidiis ambientis caliditas ſuppetias attulerit.

Agendum igitur, & materia fluens divertenda per evacuationem totius, & capitis; fluxa ſenſibiliter, & inſenſibiliter evacuanda; diſcutiendi ſunt flatus; jecoriſque fervor contemperandus, ac nervoſarum partium calor fovendus, & roborandus.

Quare pro diverſione materiæ fluentis, tentanda eſt per repetitas vices totius corporis expiatio, cùm per ſectionem jecorariæ, aut ſalvatellæ ſiniſtræ manus; tùm per medicamenta electivè ducentia; inter quæ principem locum obtinebit extractum hellebori nigri, quod à Chymicis dulce fit, ita ut in potu ſumi facillimè poſſit. Antimonium quoq; diligentiſſime præparatum: extractum trochiſcorum Alhandal; vel vinum infuſum per noctem in colocynthide extractis ſeminibus, & medulla: vel quid tale ex uſu erit, præmiſſa ſemper humorum preparatione biduum ante purgationem, cum cephalicis; & præ cæteris oxymelite ſimp. & ſcillitico, & caſtoreo. Evacuabitur quoque materia fluxa internis, & externis. Inter interna valebit drach. j. caſtorei, diſſoluta in aqua flor. roriſmarini, vel herbæ paralyſis. Proderit ſpiritus terebinthinæ cum prædictis aquis: vel ſal ex theriaca, caſtoreo, radicibus pœoniæ, & flor. lilii convallium exſiccatis, chymicè extractum: vel omnia hæc, cum decocto ex radice chinæ, & ligno buxi, erunt accommodatiſſima. Inter externa autem ſummopere conferent cucurbitulæ ſcarificatæ, & non ſcarificatæ, frictiones aſperæ, rubificantia, ſeu ſinapiſmi, veſicantia, vel etiam uſtiones infernis partibus factæ, & præſertim circa os ſacrum, ita tamen ut ulcera aliquandiu aperta ſerventur. Sicuti enim ulcus in coxa dextra caſu ab urinæ acrimonia excitatum juvit, ita ut pars illa ſemper minus læſa fuerit: ita longè major affulget ſpes, fore ut ulcera in variis partibus excitata opem ſint allatura. Quod ſi veſicantia ex cantharidibus præparata fuerint ſuſpecta, propter urinæ vitium, fiant ex flammula Jovis, vel ranunculo. Accedant deinde, quæ contemperent acrimoniam humorum, & conſervent calidum innatum partium affectarum. Ideo fiat aliquando balneum Aquæ dulcis, in qua ebullierint ros marinus, calendula, ſcordium, dictamnus Creticus, & flor. chamæmeli: illinantur continuò partes affectæ oleo vulpino, de caſtoreo, chamæmelino lumbricato; vel pinguedine anatis, anſeris, & ſimilibus, geſtando caligas imbutas lana ſuccida, vel panno purpureo.

Victuſque his omnibus proportione reſpondeat. Hæcque præſcripta fuerunt poſt uſum lutorum foveæ, & aquarum thermalium fruſtrà adhibitorum. *Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſponſ. Medic. Cent. I.*

De Semiparalyſi poſt detentam Saniem exeuntem è podice. Pro Nobili patiente.

Nobilis patiens annos natus ſexaginta, temperamenti calidi & humidi, præteritis annis ulcus ſordidum perpeſſus in podice, poſt illius ſanationem incidit in imbecillitatem motus progreſſivi ſenſim & ſenſim ita adauctam, ut ſemiparalyſi nunc detineatur: à qua tantum abeſt ut liberari unquam potuerit, quanquam plurimis remediis divertentibus, digerentibus, roborantibus diverſis temporibus fuerit uſus, inuſto fonticulo femori minùs affecto, aquis thermalibus præſcriptis, lutis & vinaceis ante biennium applicitis, quin potiùs in graviores inciderit affectus. Quandoquidem elapſis menſibus ephemeram paſſus cum comatoſa affectione, levique mentis alienatione, viſus hebetudinem nunc adeò gravem patitur, ut objecta diſcernere non valeat, neque à perſpicillis juvamentum recipiat, nullo tamen vitio in oculis apparente. Propterea de agendis conſulitur; & præſertim utrum expediat ſanguinem mittere; veſicantia retrò aures, & occipiti applicare, aliaque præſcribere, quæ exſiccatoria facultate polleant, ſintque ophthalmicis permixta; necnon, an & alia prædictis ſint adjungenda.

Quare prædictis quæſitis ſatisfacturi pro indubitato habendum, cohibitam illam antiquam ſanioſæ materiæ evacuationem occaſionem præbere potuiſſe omnibus affectibus propoſitis. Corpus enim calidum & humidum non poteſt non abundare colluvie excrementorum, quorum magna portio expurgabatur per ulcus illud ſordidum & fluxioni oportunum. Unde factum eſt, quòd ceſſante illa fluxione, natura ſibi paraverit viam ad loca declivia, & ſic facta ſemiobſtructione nervorum, ſupervenerit primò imbecillitas motus, mox & ſemiparalyſis, atque perſeverante plethorica diſpoſitione, & humorum copiâ, ephemera ſucceſſerit, vel potiùs ſynochus non putrida, cum comatoſa paſſione, ob continuas evaporationes à toto in caput ipſum; à quibus deinde liquata materia pituitoſa in capite naturaliter redundans ad nervos opticos confluxit: in quibus ſemiobſtructione facta, ἀμβλυωπίαν invexit, ad amauroſin ſeu guttam ſerenam tendentem.

Affectus hi curatu ſunt perquam difficiles, ne dicam incurabiles. In hac enim ætate, temperamento, & anni tempore materias morbificas digerere, & evacuare difficillimum cenſeo. Non tamen ob id omittenda ſunt Medica præſidia, cùm ad imminuendos præſentes affectus, tùm ad arcendos graviores imminentes.

Quod fiet, totum, & caput evacuantibus; fluentem materiam divertentibus; quæque fluxit digerentibus.

Pro univerſali itaque evacuatione, ſanguinis miſſionem apprimè neceſſariam cenſeo cùm ex ſalvatella, tùm ex hæmorrhoidibus. Neq; negotium faceſſit affectus præteritus in podice. Quinimò conſultiſſimum foret, me judice, ulcus illud renovare. Longè enim tutius trahitur materia à locis majoris momenti, ad ea, quæ minoris: hancque ob cauſam veſicantia retrò aures, & in occipite utcunque ſuſpecta mihi videntur, præſertim cùm nullæ præceſſerint de capite malè affecto querelæ. Interim fonticulos duos brachiis inurendos ſumma cum ratione propoſitos quàm maximè laudo; cùm pro derivatione à capite, tum pro revulſione ab infernis partibus, ne tota humorum colluvies confluat ad partem affectam His peractis, perſeverante affectu, ſetaceum occipiti cum minori periculo fluxionis novæ materiæ inuri poterit; vel etiam veſicantia retrò aures propoſita applicari.

Pergat in uſu familiari pilularum aliàs præſcriptarum. Maſticatoria, & errhina non valde acria ophthalmicis mixta non omittantur; ac deinde decoctum aliquod exſiccans calefaciens erit opportunum, ex ſantalis, viſco quercino, & modico ſaſſafras, cum verbena, euphragia, herba paralyſis, & cichoraceis, præmiſſo bolo ex terebinthina Cypria lota aqua euphragiæ; mixta cum ſale viperino. Electuarium quoque ex viperis conſtans; & vinum medicatum ſummopere laudo, quod tamen ſit lymphatum. Et hæc ſunt, quæ in dictorum confirmationem annotanda duxi. *Idem ibidem.*

De Torpore infernarum partium, & affectione hypochondriaca.

Compertiſſimum eſt, perilluſtrem Patientem noſtrum de duobus præcipuè conqueri, torpore ſcilicet ſiniſtri cruris, genitalium, & veſicæ, inceſſum, congreſſum, & urinæ detentionem imminuente, & de incipiente melancholia hypochondriaca, cujus evidentia ſymptomata ſunt rugitus, frequens expuitio, alvi ſtipticitas, tremor ventriculi, vel potiùs pulſatio inſignis magnæ arteriæ ſupra regionem ejus, oris amaritudo, vigiliæ, & importuna quædam anxietas ac ſollicitudo curandis illis affectibus, quibus annos jam duodecim affligitur.

Prædictorum affectuum cauſæ ſunt etiam majori ex parte conſpicuæ. Si enim loquimur de torpore, qui & imperfecta Paralyſis dici poteſt, cui dubium, aliunde non dependere, quàm ab impedito libero influxu ſpiritus animalis ad nervos illos lumbales, & ab oſſe ſacro emanantes, qui ſe ſe inſinuant in muſculos ſiniſtri cruris, penis, & veſicæ, & inſerviunt voluntario motui prædictarum partium; atque impedimenti hujus cauſam eſſe denſationem medullaris ſubſtantiæ, alioquin raræ, & ſpongioſæ, factam à pituitoſa, & melancholica materia illuc ſenſim & ſenſim delapſa, pituitoſa quidem à cerebro intemperie calida & ſicca donato, cum exceſſu humiditatis excrementitiæ, ob continuas vigilias, cogitationes, ſtudia, venerem, & juges evaporationes; melancholica verò à jecore, & toto corpore calido & ſicco ſuppeditata. Quod ſi de incipiente hypochondriaca ſermo fiat, hanc quidem originem aliquam habuiſſe mihi perſuadeo ab inæquali ventriculi, & jecoris intemperie, à Galeno propoſita tertio de Loc. Aff. Anſam tamen maximam dediſſe ſuſpicor frequentem decoctorum, & calorificorum medicamentorum uſum: quæ licet rectè præſcripta fuerint pro debellanda ſemiparalyſi, & aliis malis præteritis; attamen non omninò culpa vacarunt in juvene temperamenti calidi & ſicci. Hinc enim forſitan bilis atræ & aduſtæ congeſtio circa pancreas, & truncum arteriæ deſcendentis: unde morboſa illa pulſatio, præſertim à cibo, quo tempore ventriculus cibo onuſtus gravat ſubjectas partes, ipſarumque liberam ventilationem impedit. Dubium ſolummodo eſt, an latitet in perilluſtri Patiente adhuc virulentia Gallica, necne? Validæ enim hinc inde rationes in medium allatæ fuere à Viris Præclariſſimis, & in arte verſatiſſimis, qui de præſenti caſu doctiſſimè ſcripſerunt: quas denuò repetere ſupervacuum cenſeo, actum enim agerem. Propterea omnibus diligenter penſitatis, in eam ſententiam manibus pedibuſque devenio, quod nondum debellata penitus ſit illa lues. Moveorque ad hoc credendum à ſymptomatibus Gallicis cùm continuatis, tum denuò pullulantibus ab anno 1616. quo tempore infectionem contraxit, pulſationibus videlicet illis, & puncturis, quas ſæpius perſentit in tibiis, oris ulcere ſuborto poſt uſum primi decocti diu ſumpti, recurrente gonorrhœa aliquandiu durante, tinnitu remiſſo quidem, non tamen prorſus ſublato, dolore ſcapulæ ſe prodente poſt duos annos, ab incipiente torpore, & poſt octo, à carie, maculis, puſtulis, & tinnitu: eoque magis in hanc feror ſententiam, cùm hoc tempore caſum prorſus ſimilem viderim in nobili quodam non diſſimilis temperaturæ, cui anno 1624. poſt duo ulcuſcula in glande ex congreſſu orta, ſupervenerunt maculæ, & puſtulæ in capite, & toto corpore, auriumque tinnitus, dolores in tibiis, radiiſque utriuſque manus, cum vigiliis quadrimeſtri ſpatio valde moleſtis; cæteriſque omnibus deliteſcentibus, contigit ante annum ſtupor, & torpor artuum inferiorum, cum impotentia coeundi, urinam retinendi, & egerendi fæces, perſeverantibus etiamnum levibus quibuſdam puncturis in utraque tibia, nonnulliſque puſtulis in capite erumpentibus. Quanquam enim raro virulentiæ Gallicæ paralyſis ſupervenire ſoleat: non tamen eſt impoſſibile, ſi præſertim immodica fuerit venus: hinc enim partes lumbales imbecilliores, & calidiores redditæ, materiam in congreſſu attenuatam, & à partibus robuſtioribus aliò demandatam facilè ſuſcipiunt. Quod & alteri nobili contigiſſe vidi, ita paralytico reddito, ut in ſedili geſtari deberet, manibuſque non niſi cum difficultate oblata poſſet apprehendere. Neque faceſſit negotium decoctum ſæpius repetitum. In melancholicis enim omnium maximè refractarius eſt affectus: neque quod juvamentum aliquod ex Thermis receperit: omnia enim calorifica & digerentia opem aliquam afferre poſſunt: ex ſolo ſiquidem ſtillicidio aquarum Thermalium D. Helenæ, cum amplo tubulo plures dies adminiſtrato ſupra ſuturam coronalem, vidi ſanatum dolorem capitis ex omnium conſenſu Gallicum, & cuilibet decocto reluctantem. Quod verò uxorem non infecerit, ideo factum, quia quando nulla adeſt externa putrilago, affectus contagioſus eſſe non ſolet, ut cuilibet in arte verſato ſæpius experientia compertum eſſe poteſt: neque gummata, & alii graviores morbi ſupervenerunt; continuata namque medicatio facilè prohibere potuit novorum morborum generationem, repreſſa ſaltem, ſi non prorſus ſublata, Gallica infectione.

Utrum autem à præſentibus affectibus liberari poſſit valdè dubito, duplicem ob cauſam. Primò, quia ſemiparalyſis hæc dependet à craſſiore, & magis terreſtri materia, tenui videlicet reſoluta, craſſa verò ac terreſtri relicta in parte natura ſua valdè frigida, & à fonte caloris valdè remota, atque in penitioribus partibus repoſita, à qua propterea vix ac ne vix quidem attenuari poteſt. Secundò, quia remedia illa, quæ alioquin poſſent eſſe opportuna pro debellando torpore, officere quàm maximè poterunt melancholiæ hypochondriacæ, non ſolum ipſam augendo,

ſed etiam univerſalem, vel etiam eſſentialem facili negotio producendo affectum, me judice, præſenti torpore longè graviorem.

Hanc ob cauſam longè magis ego de Myrachiali debellanda eſſem ſollicitus, quàm de morbo inveterato: cui propterea tempore verno proſpiciendum cenſeo, non omiſſis tamen hoc tempore priùs levioribus quibuſdam remediis cùm capiti, tum partibus torpore affectis proſpicientibus: ipſaque ſuperata, & adventante autumno, infectioni Gallicæ, ſi adhuc præſens, validioribus remediis obſiſterem. Quare pro debellanda melancholia hypochondriaca, ſi quæ ſint obſtructiones, attenuantibus, incidentibus, & evacuantibus tollendæ erunt, diſcutiendi flatus; refrigerantibus, & humectantibus contemperandi humores aduſti, & intemperies jecoris; moderatè calorificis, & ſubadſtringentibus roborandus ventriculus, præmiſſa totius evacuatione. Caput deinde eſt peculiariter expiandum, ac attenuantibus, detergentibus, & moderatè digerentibus reſolvenda materia nervoſis partibus impacta, eædemque roborandæ.

Ex materiis remediorum, inter Chirurgica duo nullam difficultatem admiſſura mihi perſuadeo, magnam ſcilicet cucurbitulam cum multa flamma alternis diebus appoſitam infra ſiniſtrum lumbum, biſq; vel ter repetitam poſt univerſalem evacuationem, & picationem eo modo factam eidem parti, prout laudatur à Gal. 7. Meth. in intemperie frigida & ſicca ventriculi, nempe uſq; ad ruborem, & aliquam levem elevationem cutis. Ita enim allicient cum ſanguine calorem, & ſpiritum ad nervos affectos, cujus beneficio attenuari, & digeri poterit materia impacta. Sinapiſmos, veſicantia, & uſtiones aliqua ex parte ſuſpecta cenſeo, utpote quæ digerant violentius quàm conveniat in affectu ſex annorum, in quo neceſſariò debet eſſe impacta materia morbifica; niſi tamen ſuperveniret nova fluxio: in hoc enim caſu, ad evacuandam materiam ſummopere facerent. Circa ſanguinis miſſionem dicam liberè quod ſentio, non abhorrerem ab aliqua detractione ſanguinis. Siquidem jecur eſſe præcalidum, & caput calidum video, ſuſpicorque ſanguinem in venoſo genere contentum craſſum, & melancholicum redditum eſſe, ex uſu tot medicamentorum calidorum in juvene temperamenti calidi, & ſicci, ac propterea paratiſſimum eſſe ad vigilias valde contumaces. Neque illa ſemiparalyſis mihi negotium faceſſeret, cum aliqua ex parte dependeat ab humore melancholico. Si enim Galen. venam ſecuit in tremore Lib. de Cur. per ſanguinis miſſionem, cur nos ipſam non ſecabimus in jecore præcalido, vigiliis, & incipiente hypochondriaca, præſente licet ſemiparalyſi? Placeretque magis ſectio jecorariæ, ante hæmorrhoidum apertionem, ne trahatur materia ad partem affectam: ac deinde poſt aliquot dies, venarum ſedalium apertionem quàm maximè laudarem: inde tamen paucam ſanguinis copiam demerem, ne partes circumpoſitæ refrigerarentur magis quàm conveniat. Fonticulos ſumma cum ratione inuſtos geſtandos cenſeo. *Idem ibidem.*

De Semiparalyſi poſt convulſionem. Pro Illuſtriſſ. Patiente.

Affectus Illuſtriſſ. hujus patientis fons atque origo, cùm caput ſine controverſia ſit, ejus nobis ante omnia determinanda diſpoſitio eſt, quò ea, quæ finem noſtrum leviore tandem negotio conſequamur. Calidum igitur nos id atque humidum conſtituimus. Calidum eſſe argumento ſunt, & capillorum nigredo, & ad operationes promptitudo: humiditatem indicant excrementa, ſomni prolixi, errores externi, ac vel maximè, quod tempore non exiguo perquàm humido loco habitaverit: adeo ut ſenſim humidior longè quam calidior contracta ſit intemperies. Capite interim vi caloris attractioni, humiditatis verò, fluxioni cuilibet quam maximè opportuno reddito, eò elevati à corpore univerſo fuere ſuperflui humores, à ventriculo potiſſimùm, ut qui multis de cauſis imbecillimus, haud exiguam excrementorum pituitoſorum ſuppeditarit copiam, quos diuturnæ illius febris, dolorumque colicorum, quibus multis abhinc menſibus Illuſtriſſimus patiens detinebatur, cauſam fuiſſe ſufficientiſſimam meritò cenſemus. Eam quoque capitis imbecillitatem, & diuturnitate febrium, & medicamentorum purgantium frequenti uſu, & ſanguinis intra dies paucos ad libras quinque evacuatione, quammaximè fuiſſe adauctam exiſtimandum eſt. Quæ verò adeo gravibus febribus, tantæ ſanguinis evacuationi, tot purgantibus medicamentis ſucceſſit convulſio, tametſi nervoſarum partium, à purgantibus medicamentis contracta, ſiccitati adſcribenda eſſe videatur, veriſimile tamen eſt eandem humiditati ſuperfluæ acceptam eſſe referendam. Etenim cum in ſemiparalyſim memorata deſierit convulſio, aliunde id certè non accidit, niſi quod, quæ priùs convulſionem effecerat materia, eadem mutato loco ſemiparalyſis cauſa facta ſit. Atqui ejus cauſa eſt humida. Humida igitur erat & dictæ convulſionis. Convulſionem autem etſi affectum eſſe nervorum determinatum communiter ſit: pro confeſſo tamen habendum, eam muſculorum ad originem ſuam retractionem à tendinibus immediatè prodire: adeò ut affectos nervos non niſi eatenus ſequatur convulſio, quatenus ipſos tendines conſentire contigerit: unde & rationi conſentaneum eſt, ſolis affectis tendinibus, convelli quempiam poſſe, tametſi ab omni penitus materia morbifica nervi ipſi fuerint immunes: quod & in noſtro patiente Illuſtriſſimo credimus eveniſſe, in eo videlicet haud ab alia cauſa, quàm humida manuum tendines fuiſſe convulſos: neque enim niſi in manibus apparuit convulſio; quæ ſi læſioni nervorum adſcribatur, facilè & ipſis brachiis communis potuit eſſe. Deſiit convulſio hæc multis abhinc menſibus in ſemiparalyſin, motum nimirum voluntarium in manibus, ambabus indice præſertim utriuſque, ac medio digito, ſenſu penitus illæſo, imminutum.

Procedere hanc à cauſa communi non eſt à recta ratione alienum. Quod ſi fiat, in ipſa origine obſtructionem arguimus. Neque etſi motum brachiorum integrum eſſe novimus, à ſententia dimovemur. Non enim exilis adeò eſt nervorum in brachiis diviſio, quin ii, qui ad manus,

nus, aut certos feruntur digitos, obſtrui illæſis aliis poſſint. Sunt tamen & multa indicia, non communem nervorum originem, ſed principium nervorum manuum, certorumque digitorum eſſe obſtructum. Etenim cùm torpor hic convulſioni ſucceſſerit; materia nimirum à tendinibus ad nervos tranſmiſſa, quemadmodum convulſionis tempore particularibus manuum tendinibus hæc inhærebat; ita cenſendum eſt & tempore torporis hujus, nervis manuum digitorumque particularibus eandem impactam eſſe: idque eò credendum magis, quod, etſi in ipſa origine diviſi ſint nervi, adeò tamen obſcura ſit eorum diviſio, ut nonniſi ab anatomes peritiſſimo diſcerni poſſint. Quocirca tametſi partis alicujus determinatæ nervi, cæteris ejuſdem partis nihil noxæ patientibus, obſtrui valeant: in ipſa tamen nervorum origine idem evenire vix, aut ne vix quidem poſſe veriſimillimum eſt. Quinimò & originem nervorum obſtructione carere, vel ex eo colligere licet, quod neque capitis ipſius, neque è ſenſibus cujuſpiam vel leviſſima deprehendatur offenſa. Neque obſtat, quod nonnullos ſui temporis medicos reprehenderit Galenus, quod contracta ob lapſum è curru in parte determinata paralyſi, non origini nervorum, ſed membro paralytico Medica adhiberent præſidia. Longè enim diſpari in caſu verſamur. Dependebat enim ea paralyſis à cervice læſa, ideoque ſumma cum ratione ipſi nervorum origini medicamenta Galenus applicari volebat. Nos certè dubia in re tutiſſima progrediemur via, ſi idonea utrobique adminiſtraverimus præſidia.

Prognoſticum quod attinet, Illuſtriſſimum Virum bene ſperare jubeo. Etenim neque perfecta paralyſis eſt affectus hic, ſeu torpor ſolummodo; neque niſi memorata obſidet loca. Sed & Viri hujus Illuſtriſſimi natura ſi graviores longè, difficilioreſque affectus, convulſiones puta, ac nephritides ſuperare potuit, quidni credere liceat ejuſdem vigore reſolutum tandem iri & illam materiam, à qua torpor hic dependet. Præſertim cum alteri affectui ſucceſſerit; experientia autem ipſa compertum ſit, non ſemiparalyſin duntaxat, verùm & paralyſin ipſam malis aliis ſupervenientem haudquaquam ægrè perſanari. Accedit, quod ab aliquo jam tempore, dum convaleſcere ſenſim vires advertimus, affectum quoque hunc nonnihil imminui videamus. Bene igitur ſperandum: quanquam ſemiparalyſin hanc efficientis materiæ craſſities, lentor, atque viſciditas curationis ſpem omninò certam eſſe non ſinant.

Inſtituenda igitur univerſalis primùm totius; particularis dein capitis, ceu malorum fontis expiatio. Totum itidem corpus, caput, ventriculus corroboranda, exſiccanda; necnon & cervici, manibuſque noxia materia reſolvenda, revellenda.

A ſanguinis miſſione abſtinendum, quod & eo non parcè priùs educto redditum imbecillum ſit corpus, & materia peccans ſit à materia ſanguinis aliena. Fonticulum quoque in dextro femore, licet ad revellendum non inutilem fore cenſeamus, ſuperſedere tamen & eo poterit Illuſtriſſimus patiens: futurum enim ſperamus, ut & abſque hac moleſtia incolumis fiat. Si tamen præter ſpem affectus ſeſe exhiberet contumacem, ac generoſis aliis remediis non cederet, fonticulus utique non brachiis, ne ad partem affectam trahatur materia, ſed dextro femori inurendus. Proderunt & è fonte Chirurgico, pannis aſperis factæ frictiones, partium primùm inferiorum pro revulſione, cervicis dein pro reſolutione.

E fonte pharmaceutico, placet levis, breviſque purgatio: levis, inquam, quod patiens Illuſtriſſimus ea paulò antea haud levi uſus fuerit; brevis verò, quod inter topica, mox à purgatione præſcribenda ſint & luta, quorum adminiſtratio ob impendentes pluvias, cunctationem neutiquam patitur. Leniatur itaque die primo alvus manna, melle roſato ſolutivo, cum decocto idoneo, ac ſeminibus citri. Si pilulas maluerit, ſumat maſtichinas, cum pilulis de agarico, de hiera cum agarico, aut cum ſalis tartari momento. Neque abs re fuerit ſumere ipſum tartarum, quantitate ſufficienti, cum cinnamomo, nuce moſchata, & agarici trochiſcati pauxillo: futurum enim hoc eſt neque grave, neque nimis medicamentoſum medicamentum. Diebus tribus ſubſequentibus ſumantur ſyrupi de ſtœchade, de mentha, de abſinthio, de iva, aliiſque id genus: ac modico interim decocto ex roremarino, ſalvia, iva, ſampſucho, chamædri, aliiſque ejuſmodi ventriculo, capitique conſulatur. Quarto tandem die pilulis de hermodactylis majoribus, ac ſale tartari, aut certe pilulis maſtichinis, alephanginis, de hiera cum agarico, juncto Cochiarum modico, levis hæc abſolvatur totius expiatio. A qua, capiti ipſi cùm maſticatoriis, tum errhinis occurrendum; educent enim hæc, atque revellent. Errhinis præferenda maſticatoria, quod per vias magis patentes evacuent. Parari hæc poterunt ex maſtiche cera, thure cum corticibus aurantiorum, limonum, &c. Errhina verò è betonica, majorana, origano, aliiſque hujuſmodi in pulverem redactis. Nicotiana utendum cautè: ejus enim uſus ſæpenumero noxa non vacat: non igitur niſi modica ſumenda ejus quantitas, eaque cum alio medicamento commiſcenda. Recipe exempli gratia Nicotianæ ſcrupulum unum, ceræ unciam unam, fiat maſticatorium. Ut verò & materia reſolvi facilius, & cum capite ventriculus corroborari validius poſſint, interiora duo, eaque efficaciſſima propono remedia: Terebinthinam nimirum, & decoctum idoneum. Terebinthinæ uſum poterit, ſi lubet, decocto præmittere, aut certè, ſi viſum fuerit, ab hac totius purgatione ſumere decoctum, uſu terebinthinæ in hyberna tempora dilato. Eſt autem Terebinthina non ad ventriculi ſolummodo, capitiſque robur, atque exſiccationem, perutilis, verùm & ipſis renibus apprimè ſalutaris. Stomachum verò roborabit haud paulò validius, ſi quintam eidem, aut ſextam maſtiches portionem immiſceas. Parabitur decoctum è ligno Sancto, viſco quercino, ac lentiſco, betonica iva, ſimilibuſque adjunctis. Ab uſu hujus decocti, ut & ſudare congruenter valeat, hunc modum judico longè eſſe commodiſſimum. Thermas adeat Aponitanas Illuſtriſſimus patiens. Decoctum illic bibat manè quotidie, quieſcat ab eo ſumpto in lecto horam unam, ac tum balneo utatur. Supponat cervicem veſpertino tempore ad quintam uſque vertebram ſtillicidio, quòd ſcilicet qui ad affectas manuum partes feruntur

nervi, à tertia, quarta, quinta vertebris proveniunt: manus quoque ſtillicidii hujus tempore iiſdem thermalibus aquis detineat immerſas. Perutile erit iiſdem diebus, & Divi Petri lutum, (Divæ Helenæ emollit, non reſolvit,) cui quatuor, aut quinque horas in diem, aut mora, ſi lubuerit, longiore, imò qua diei hora placuerit, manus ambas ſupponet. Adhibendum idem lutum & vertebris ſpinæ ad quintam coſtam: quin & anteriori brachiorum regioni, quà nimirum nervis ad affectas partes via eſt, applicitum, cenſeo non modicè profuturum. Sed & præſidiorum horum vis quò altiùs penetrare valeat, opportuna futura eſt, me judice, prævia quædam ipſius cervicis, manuumque diſpoſitio. Ungantur hæ prius, fricenturque aqua vitæ; foveantur decocto ſalviæ, roriſmarini, betonica, cui & quintæ eſſentiæ florum roriſmarini aliquantulum ſit immiſtum. A cervicis ſtillicidio, ac manuum balneo, inungantur partes eædem oleo coſtivo, de caſtoreo, vulpino, cum ſale tartari, aut pauco ſpiritu tartari penetrationis gratia: aut oleo de nuce moſchata, de majorana, de corticibus citri, &c. Apponendum poſt hæc cervici ad quintam uſque vertebram ceratum citrinum ab Aquapendente, cum aqua vitæ, caſtoreo, & ſale theriacali; Capiti verò ceratum de betonica magiſtrale. Hiſce præſtitis, ſi res poſtularit, poterit vel ad uſum vinaceorum menſes duos deveniri, hac lege, ut vino generoſiore effervescente ea prius humectentur, ac collo demum, manibus, quin & toti brachii inferioris juncturæ applicentur. Præſidiis aliis, ſi fuerit opus, ſuccedat Terebinthina, Theriaca, Mithridatium, idoneæ conſervæ de betonica, puta, de iva, aliaque ejuſmodi, ſal theriacale, cortices citri conditi, ceteraque id genus.

Ærem humidum fugiat, degat in locis ſiccis, aërem Benzoino, ac Thure alteret. Piſcibus, lacte, herbis, lactuca potiſſimum, omnibuſque cibis humidis, necnon & leguminibus abſtineat. Aſſa veſcatur potius, quàm elixa: cibiqueſalvia, roremarino, &c. condiantur. Potus ſit vinum nigrum, mediocre, ſubauſterum, conducetque vel maximè ſi betonica, roremarino, iva, ac ſimilibus fuerit alteratum. Neque enim illa ventriculi imbecillitas, & ad choleram morbum diſpoſitio Illuſtriſſimo huic patienti abſtinentiam à vino permittunt. De Venere ne cogitandum quidem. *Idem ibidem.*

De Semiparalyſi, & dolore in carpo. Pro Nob. Adoleſcente.

Duo ſunt affectus præcipui moleſtantes Nobiliſſimum adoleſcentem vigeſimum ætatis annum agentem, temperamenti humidioris capitis, calidioris jecoris, in reliquis parum excedentis à naturali. Primus affectus eſt ſemiparalyſis muſculorum linguæ, & totius partis dextræ corporis, cujus ratione impeditam habet locutionem, necnon & motum progreſſivum, cum aliqua tarditate functionum principum: qui affectus à multis annis eſt ipſi modò magis, modò minus moleſtus. Alter eſt dolor in carpo, cum aliquibus furunculis ex corpore anno præſenti erumpentibus.

Prioris affectus, necnon doloris carpi cauſa alia non eſt, quam fluxio materiæ pituitoſæ à capite ad ſubjectas partes decumbentis. Hæc etenim ſicuti antehac præcipitata ad pectus tuſſis fuit cauſa, ita ad nervos tranſmiſſa, ipſos obſtruendo, prohibita libera facultatis irradiatione, ſemiparalyſin efficit: ad carpum verò à naturæ primordiis ex hæreditaria affectione debilem, cum aliis articulis, chiragræ principium inferre videtur. Erumpuntque furunculi, ob copiam ſanguinis à prædominio pituitoſi. Ingraveſcunt verò affectus propoſiti in auſtrinis, & humidis conſtitutionibus: quoniam tunc magis caput repletur. Auſtri enim ſunt caliginoſi, caput gravantes, &c. ex Hipp. Aph. 5. lib. 3.

Affectus prædicti erunt curatu difficiles; quoniam antiqui, & hæreditariam imbecillitatem ſubſequentes, nervoſaſque partes debili calore donatas afficientes, qui nec ceſſerunt, neque remiſerunt uſu generoſorum remediorum, hactenus ſumma cum ratione præſcriptorum.

Non ob id tamen deſiſtendum cenſeo à medicis præſidiis, quæ eò dirigi debent, ut attenuent, digerant, & evacuent humores peccantes, exſiccent caput; roborent nervos, & jecori moleſtiam non inferant.

Ad quæ præſtanda ſanguis neceſſariò erit detrahendus ex jecoraria ſiniſtri brachii, & ſaphena dextri pedis. Quibus partibus inurendi ſunt duo fonticuli: præter quos placet etiam inuſtio fonticuli propè ſuturam coronalem, pervadente ferro candente ad meditullium, quò ſcil. ſublato oſſe, ulcus apertum conſervetur. Hirudines retrò aures proderunt; ut & magna cucurbitula cum multa flamma, occipiti ſæpius applicita; imò & inuſtio ipſius occipitis, pro majori exſiccatione nervoſarum partium.

Pharmaceutica præſidia ſint univerſalia, & particularia. Inter univerſalia præſcribantur lenientia, præparantia, & purgantia, cùm ſimplicia, tum compoſita, Viris præclariſſimis quàm notiſſima. Particularia ſint caput purgia per nares, & per os; inter quæ non erit contemnendus uſus tabaci Indici pulverizati intra nares attracti. Hiſque peractis, inter interna remedia duo peropportuna cenſeo, decoctum ſcilicet ex ligno Indico, ligno buxi, viſco quercino, & ſantalis, cum herbis appropriatis, & terebinthina Cypria, vel Veneta; & potum aquarum Thermalium ſulphurearum, & nitroſarum, quarum uſum decocto prætulerim; quoniam ipſarum halitus facilius ſeſe inſinuabunt in nervoſas partes, magis digerent, & roborabunt partes affectas. Extrinſecus quinetiam exſiccandum erit caput ſtillicidio ex iiſdem aquis, ſupra ſuturam coronalem amplo tubulo labentibus, antequam fiat fonticulus: deinde & ſupra primam colli vertebram, & occiput ita ut decurrant per totam ſpinam. Imò cogitabunt Viri ſapientiſſimi, utrum foret ex uſu ſtillicidium in occipite ex vino aliquo generoſo, alterato ſalvia, roremarino, iva, arthetica, herba paralyſis, calendula, lavendula, & ſimilibus. Liniatur palatum confectione Anacardinæ. Fiat gargariſmus cum vino prædicto, alterato iiſdem herbis, addito aceto ſcillitico. Liniatur occiput caſtoreo, oleo de buxo, de ſuccino, & ſimilibus. Sal theriacale, ſal viperinum, corallorum, & alia exſiccantia non impensè calefacientia erunt peropportuna: ſicuti & ſudor univerſalis cum iiſdem aquis thermalibus, &

luta digerentia occipiti, dorſo, & carpo applicita erunt valde accommodata, cum inunctione totius ſpinæ oleis præſcriptis. Hiſque peractis, ad compeſcendum jecoris calorem placerent aquæ thermales frigidæ, cùm Villenſes in agro Lucenſi, tum Ficoncellæ in agro Senenſi, tum & noſtræ Patavinæ B. Virginis.

Et his addatur congrua vivendi ratio, fruſtrà præſcribenda Viris ſapientiſſimis, quos audio hactenus etiam uſurpaſſe remedia propoſita cum nulla, aut levi utilitate. Nihilominus tamen repetenda cenſeo: quoniam, omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedant ſecundum rationem, non eſt ad alia transeundum, ſtante eo quod à principio viſum eſt, Hippocratis oraculo. *Idem ibidem.*

De Semiparalyſi Linguæ, & totius partis dextræ, vertigine, & ptyaliſmo. Pro Equite Salodienſi.

De tribus affectibus præter naturam conqueritur perilluſtris Eques, annum agens ſexageſimum ſeptimum; de ſemiparalyſi ſcil. linguæ, & totius ſiniſtræ partis corporis, quæ levi apoplexiæ ſupervenit ante tres annos, propter quam loquitur, & movetur cum difficultate. De vertiginoſa paſſione, cum objecta ſibi videantur circumvolvi, tunc præſertim, quando diutius in altum ſuſpexerit; & frequenti expuitione, ptyaliſmo dicta, adeo inveterata, ut ſibi connaturalis eſſe videatur, licet minus moleſta fuerit, quando Romæ agebat, quàm in pæſentia.

Horum omnium affectuum cauſa eſt exuberans pituita, diverſas partes occupans, atque varias producens affectiones. Dum enim confluit ad principium ſpinalis medullæ, imbibitur à medullari ſubſtantia nervorum ſeptimæ conjugationis, & ſic ſemiobſtructionem faciens in illis nervorum propaginibus, quæ perveniunt ad linguam, & ad ſiniſtram corporis partem, motus imminutionem efficit, unà cum impedita locutione, abſq; ulla tamen ſenſus læſione: quoniam non afficit illos nervos, qui cutaneas partes perfundentes ſpiritu animali, dicuntur eſſe ſenſui deſtinati, non autem motui. Dum autem formâ vaporis ſubit nervos opticos ead em pituita, perturbat ſpiritus viſorios, & ſic vertiginem infert: ac tandem continuò irrigans glandulas illas, quæ ſunt ad radicem linguæ ptyaliſmum producit; frequentiorem tamen, quàm fuerit Romæ, quoniam cœlum illud capitis affectibus magis ſalutare eſſe obſervatur. Ideo verò abundat pituitoſa materia in perilluſtri patiente; quoniam ventriculus eſt illi valdè humidus, cum aliqua frigiditate, quod ex inappetentia, cruditate, & facili læſione à cibis crudis facile colligitur; caputque humidiſſimum habet, cum aliquo caliditatis exceſſu à naturæ primordiis, quod propterea ſcatet pituitoſa materia, cùm genita propter humidam intemperiem quam produnt furfuracea excrementa; hæc enim obruendo calidum innatum, prohibet perfectam concoctionem; tùm à ventriculo attracta, ob intemperiem, calidam, propter quam furfures fuerunt ſicci, potius quam humidi, capilli ad nigrum vergentes, & animales actiones admodum vegetæ; quanquam in hac ſenili ætate nativa cerebri caliditas (ut cenſeo) adeo langueat, ut potius ad frigiditatem vergat, quàm ad caliditatem, concurrente quinetiam refrigeratione continuò facta à pituitoſa materia in capite hærente. Nec mirum, tanta pituitæ colluvie caput, & Ventriculum patientis nobiliſſimi redundare, quandoquidem in jecore, & corde nullus obſervatur exceſſus contrarius, qui horum viſcerum intemperiem obtundere valeat.

Quam ob cauſam difficillimam fore ſanationem prædictorum affectuum ſuſpicandum eſt; cùm quia ſunt antiqui, tum quia nervoſas partes occupant, & à cauſa frigida proveniunt, quæ per ætatis decurſum in dies conualeſcet. Non ideò tamen à medicis præſidiis deſiſtere debet patiens perilluſtris. Niſi enim prompta, & accurata medicatione ſibi ipſi conſuluerit, periculum imminet novæ, & gravioris apoplexiæ; aduentante præſertim hyberno tempore deſtillationibus, & catarrhis infenſiſſimo. Quod ſi quamprimum medicis præſidiis ſe ſubiecerit, procul omni dubio præſervabitur ab imminentibus gravioribus malis, & forte liberabitur ab impedita locutione, faciliuſque ab imbecillitate motus.

Ea verò accurata, & tuta medicatio dicenda eſt, quæ his ſcopis ſatiſfaciat, ut ſcilicet materia fluxa ad partes affectas ſenſibiliter, vel inſenſibiliter evacuetur; fluens divertatur; & novæ materiæ prohibeatur generatio, per alterationem intemperiei ventriculi, & capitis, generoſis exſiccantibus, & moderatè calefacientibus; præmiſſa univerſali corporis evacuatione. Hæc præſtabuntur præſidiorum materiis deſumptis ex Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

Chirurgiam quod attinet, ſi de ſanguinis miſſione ſit ſermo, cum ſit in principio ultimi ſenii, in qua ætate vires ſunt parum vegetæ, neque adeſt redundantia ſanguinis, venæ ſectionem omittens laudo venarum ſedalium reſerationem, miſſo ſanguine ad ſex uncias. Omnium tamen maximè laudo duos fonticulos, alterum in coxa dextra, ratione ventriculi, alium verò in brachio dextro, cùm ſiniſtræ partes ſint affectæ. Quod ſi horum beneficio, & remediorum proponendorum non remitterent affectus propoſiti, laudarem tunc temporis etiam ſetaceum in occipite.

Ex Pharmaceuticis præſidiis eligantur lenientia, præparantia, & purgantia, pituitam præcipue; & inter lenientia probatur ſummopere hiera picra Galeni; purgantia blandiora erunt, ſpecies eleſcoph; generoſiora, pilulæ de hiera cum agarico, aut aggregativis. Præparantia verò ſint primò ſine dilutis, ratione ventriculi; deinde exhibeantur ſyrupi compoſiti, de betonica, de ſtœchade, oxymel compoſitum, cum decocto betonicæ, verbenæ, herbæ paralyſis, menthæ, & ſtœchadis; & facta purgatione, exhibeatur aqua Tetutiana, quatuor dies, ad libras quatuor, cum melle roſato in primo cyatho. A qua laudarem decoctum aliquod paratum ex ſalſa, & ligno, addita portiuncula ſaſſafras, cum herbis capitalibus, ſtomachicis, & partes præcipue affectas ſpectantibus, cujus uſus erit viginti dies circiter bis in die, ſi vires tolerabunt, excitando ſudorem ſemel tantum in die, horis ſcil. matutinis, immerſione corporis in aquis noſtris thermalib. facta hora poſt aſſumptum decoctum: vel in laconico, li-

cet magis probentur aquæ thermales: & horis veſpertinis ab aſſumpto decocto adhibebitur ſtillicidium ſupra ſuturam coronalem, cum aqua magni balni D. Petri, per aliquot dies; occipiti poſtmodum aqua Aponitana, permittendo ut tranſcurrat per totam ſpinam; purgato tamen primò, ut fit, capite per naſalia medicamenta. Quod ſi remediis his naturalibus uti non poterit, horum loco erunt lotiones capitis lixivio parato ex ſalſa, agarico, ſtœchade, baccara, ſalvia, calendula, & herba paralyſis. Inſpergentur pulveres capitales ex iiſdem herbis fient inunctiones primis vertebris cum oleo vulpino, chamæmelino lumbricato, & de caſtoreo, addita portione Theriacæ, & aceti; immo quandoque progredi licebit ad rubificans aliquod ex ſinapi, euphorbio & ficubus pinguibus, ad attrahendam ex alto materiam nervis impactam. Ventriculo quinetiam conſulendum erit eſtillicidio ex aqua Aponitana, vel oleo de mentha, de abſinthio, maſtichino, nardino, & ſpicato, cum vino albo parato, appoſito cerato maſtichino. Quod ſi tempore decocti bolum aſſumpſerit, paratum ex terebinthina Cypria cum portiuncula caſtorei, ſummopere conferet; ſicuti & gargariſmi, primò quidem abſtergentes, & evacuantes, deinde etiam quadantenus adſtringentes, & roborantes.

Victus ſit attenuans, & tempore decocti ſit etiam tenuis, bibendo mulſam loco vini, & alvum lubricam continuò ſervando pilulis maſtichinis, vel de tribus cum rhabarbaro. Horum enim remediorum beneficio meliorem ſtatum ſperare poterit. Quod ſi hoc tempore ſibi paraverit vinum medicatum cum ſalſa, ligno, aliiſque; ex quibus componitur decoctum, quo utatur toto hyberno tempore, & tunc temporis ſumpſerit ſemel in hebdomada drachmam unam Theriacæ, cum portiuncula caſtorei, habueritque in familiari uſu conſervam anthos, betonicæ, & abſinthii Pontici, non parvam inde utilitatem conſequetur. *Idem ibidem.*

De Semiparalyſi. Pro Nobili quodam milite Raguſeo.

Semiparalyſis, quæ nobiliſſimum hunc militem corripuit poſt dolores colicos valde contumaces, eſt morbus Germaniæ admodum familiaris, ubi non ſolum brachia, & manus invadit, ut in caſu præſenti, ſed & crura, & pedes frequentius, & quidem criſis inſtar cujuſdam à colicis doloribus, aut facta metaſtaſi materiæ ab inteſtinis ad ſpinalem medullam, per occultos nobis meatus, naturæ tamen patentes; cum totum corpus noſtrum permeabile ſit Hipp. teſtimonio; aut quia humores qui primum à capite per ventriculum ad inteſtina confluebant, nova parata ſibi via, per cervicem ad partes nervoſas, & tendinoſas illabuntur. Utcunque tamen ſit, certum eſt, quod à principio poſt febrem ardentem, & dolores colicos quatuor menſium ſpatio perſeverantes, conqueri cœpit de manuum læſione, ſiniſtræ primùm, deinde dextræ, ita ut ipſo non obſervante complicarentur, explicarentur verò ſtatim, quotieſcunque animum adverteret: eadem poſtmodum affectio humeris communicata fuit, cum ſumma harum partium debilitate. Verum certò affirmari non poteſt, hujus morboſæ affectionis vitium fuiſſe convulſionem prædictarum partum. Quia convulſio eſt firma quædam contractio partium, ita ut ad arbitrium patientis non poſſint expandi, cùm tamen nobilis hic miles facillime ſemper tunc manus explicaret, quando obſervabat eas eſſe complicatas. Nec vocanda eſt motus convulſivus, quoniam hic eſt motus contractionis, & diſtentionis involuntariæ, qui fit in partibus contractis: quod non obſervatum fuit in caſu præſenti. Fuit igitur ſemper quædam ſemiparalyſis, primum univerſalis magis, nunc verò ſolùm manuum.

Certum tamen eſt, hanc dependere à materia pituitoſa prædominante, partim à capite delabente, partim à ventriculo ſubminiſtrata male temperato, & valde debilitato, ob maximam ſanguinis copiam evacuatam, & uſum copioſum medicamentorum generoſorum.

Affectus hic ſuapte natura ægrè admodum expugnatur: non tamen omninò incurabilis futurus eſt; cum præſertim aliquod levamen obſervetur circa humeros, & brachia: quanquam nonniſi longo temporis ſpatio id ſperare liceat.

Ut itaque omni conatu omninò liberetur ab hac affectione, opus ut ego quoque cenſeo totius univerſalem expiationem diligenter inſtituere, & deinde particularem capitis, ſumma cum ratione Viris præclariſſimis præſcriptam, qui de hoc affectu ſuam protulere ſententiam; omiſſa tamen & meo conſilio, inuſtione fonticuli.

Inter præſidia autem interna placet ſummopere terebinthinæ uſus, cum ligni Indici & lentiſcini, viſci quercini decocto, addita iva, arthetica herba paralyſis, betonica, ſtœchade, & cichoraceis; cum utrumque horum medicamentorum internorum commode in uſu eſſe poſſit. In horum autem internorum adminiſtratione, externa non erunt prætermittenda, puta, ſtillicidium, luta, balnea, ſimul cum aliis localibus, hoc ordine. Summo mane ſumet decoctum una cum Terebinthina: à quo ſomno ſeſe tradere poterit horæ unius ſpatio: deinde in balneum deſcendet, Aponitanum, aut D. Petri, quod magis temperatum, & opportunum erit pro uſu lutorum, atque in balneo dimidiæ horæ ſpatio manebit, à quo egreſſus, quieſcet in lecto dimidiam horam. Applicandum poſtea erit partibus affectis lutum D. Petri, quod vi reſoluendi pollet, licet eadem facultate reſoluente deſtituta non ſint luta D. Helenæ ante ædes, quanquam minus illis D. Petri, quæ ſunt trans foveam Nobilis Patavini de Oddis: hæc enim magis reſolvere & ego lubens concedo: quam ob cauſam luta D. Petri huic affectui magis opportuna erunt. Utrique verò manui erunt applicanda ad cubitum uſque, & horæ unius ſpatio in luto manus erunt detinendæ. Quo tempore etiam ſpinali medullæ applicata juvare poſſunt, niſi metus eſſet, ne ab aliis caput plus ſatis incaleſceret, quod calidum maximè eſt, & cujus maxima habenda eſt ratio, propter debilitatem etiam viſus. Poſt lutorum uſum, manibus, & carpo ceratum barbarum, ut pote quocumque alio magis corroborans, tutò applicabitur, ſicuti & aliquando prædictas partes aqua vitæ madefacere, prout à Viris quoque præclariſſimis præſcriptum fuit, aut oleo petroleo, & viperino,

cum

cum ſale etiam viperino, ex uſu erit. Veſpere deinde ſeptem horis à cibo, ſtillicidium cervici parari poterit ex eadem aqua magni balnei D. Petri. Quo tempore uſui erit ſuffitus manibus exceptus ex decocto ligni Indici, ſalſæ, radicis bryoniæ, cucumeris agreſtis, cyclaminis, & hederæ, facta ebullitione in vino albo generoſo cum aceto, aut in vino veteri aceſcente, vel jam acido lapidib. molarib. ignitis affuſo. Maximè enim conferet, ratione penetrationis: à quo ceratum barbarum, erit apponendum noctu diuq; geſtandum ſupra carpum, & metacarpum ad majorem corroborationem, & exſiccationem. Utile quoque erit aliquando lavare manus aqua montis Ægrotorum, & in ipſa eas aliquandiu detinere cum non ſolum vi exſiccandi, ſed & ſubaſtringendi prædita ſit. Interim alvus lubrica ſervanda, aut pilulis de hiera cum agarico, aut maſtichinis.

Quoad victus rationem, exſiccans eſſe debebit, & pauco vino, eoque veteri, non verò recenti utendum; quod propterea minime acidum ſit, ratione ventriculi, & colici doloris ante hac moleſti. Quibus addendum cenſeo, quod, ut facilior ac tutior ſuccedat purgatio, maximè ex uſu eſſet aquæ Tetutianæ potus tribus aut quatuor diebus, cùm Vir hic Illuſtriſſ. maximam utilitatem ab acidulis aquis in Germania ſuſceperit. Vinacea denique quod attinet à Viris Excellent. propoſita, nullam admittunt difficultatem, imò quam maximè utilia fore cenſeo. Quæ omnia propoſuiſſe volui, quo mandatis Viri nobiliſſimi ſatisfacerem. *Idem ibidem.*

De Semiparalyſi.

Affectus de quo à nobis conſilium expetitur, alius ſane non eſt, quàm Torpor ſeu ſemiparalyſis, in qua læſus eſt motus, illæſo, vel parum ſaltem, ſenſu, atque hoc potius depravato, ratione doloris; cùm quia cauſa morbifica afficit potius inſtrumenta motus, quam partes cutaneas, tum etiam, quoniam major requiritur virtus ad motum, quam ad ſenſum. Pars autem affecta eſt nervoſa ſubſtantia, magis quam tendinoſa, aut muſculoſa; quandoquidem brevi tempore ſupervenit affectus, primò in brachio dextro, mox in ſiniſtro, ac deinde in infernis partibus; originemque habuit à læſione occipitis, & principii ſpinalis medullæ. Atque affectio non mollificatio, ſed potius obſtructio ſtatui poteſt nervoſæ ſubſtantiæ: non quod fieri non poſſit paralyſis ex mollificatione nervoſarum parium, vel potius tendinoſarum; ſed quia paralyſis hinc proveniens incipit à torpore, ac deſinit in veram paralyſin; hæc verò incepit à vera paralyſi, & mutata eſt in ſemiparalyſin. Accedit, quod hic affectus remiſſionem ſuſcepit in hyeme, quo tempore relaxantur magis nervoſæ partes à materia pituitoſa, & molliores redduntur. Obſtructio autem hæc numquid facta ſit à materia pituitoſa, an à bilioſa, non immeritò dubitatum fuit. Si quis enim expendat calidam jecoris intemperiem, tempus anni calidum, morbum calidum, nempe febrem duplicem tertianam continuam tunc temporis inuadentem, proculdubio ſtatuendum erit, affectionem hanc à materia calida provenire, à qua non rarò ſuccedunt paralyſes dolori colico, ex Alexandri, & Pauli ſententia; qui propterea dixerunt, in conſtitutione quadam peſtilenti, illos tantum evaſiſſe, qui à temerario quodam Italo refrigerantibus remediis curati fuerunt. Quibus ſubſcribit Eraſtus, atque hinc frequentes paralyſes in Germania. Ex alia verò parte morbi à materia calida producti rarò inter chronicos ſunt referendi: cùm dixerit Hippocr. in Cranone dolores antiquos frigidos, novos eſſe calidos. Accedit, quod patiens eſt deſtillationibus obnoxius, quod veneri indulſit immodicè, & quod ventriculum habet frigidum, & humidum.

Quare crediderim & ego utramque cauſam concurrere, immediatamque nunc obſtruentem eſſe materiam pituitoſam impactam principio ſpinalis medullæ; antecedentem verò fuiſſe evaporationem calidam cum bilioſa materia à venoſo genere ad caput tranſmiſſa, pituitoſa materia redundante; à qua propterea dolor gravativus, quo laboravit. Imò ſum hujus opinionis, etiam paralyſes ab Alexandro, & Paulo propoſitas factas fuiſſe à materia pituitoſa, tanquam à cauſa conjuncta, fomitem tamen & incrementum ſuſcepiſſe ab intemperie cum materia calida, ac propterea juvamentum ſuſcepiſſe à refrigerantium uſu.

His ſic ſe habentibus, non deſperandum cenſeo, quin noſter patiens priſtinam ſanitatem ſit adepturus, licet cum aliqua difficultate, ob naturalem nervoſarum partium imbecillitatem.

Quod ut fiat, intentionibus à Viro præclariſſimo propoſitis ſatisfaciendum erit. Ac propterea primò totum corpus diligentiſſimè purgandum erit medicamentis præſcriptis à Viro doctiſſimo, bilem & pituitam evacuantibus, cum aliquo ſubdominio melancholiæ, ratione temperiei jecoris, & ætatis; ſanguiſque procul dubio educi debebit in mediocri quantitate ex venis ſedalibus, cùm artus omnes ſint affecti. Licet enim morbus hic non dependeat immediate à ſanguine, gerit tamen vices cauſæ adjuvantis, dum fluere poteſt ad partes affectas, & copia peccat in corpore. Nec deſunt alia Chirurgica topica infra proponenda poſt univerſalem purgationem. Pecularia quinetiam caputpurgia, cùm errhina, tum apophtegmatiſmi erunt peropportuna; moderata tamen, & diù adminiſtrata. Inter cætera maſtiche erit accommodata, etiam ratione ventriculi, vel fruſtulum citri attritum. Hiſque peractis, topica quod attinet, video propoſitum decoctum ex ligno Indico, ſalſa, & china, atque aquas thermales, nec non etiam Terebinthinam cum ſucco cichorii. In quorum uſu ego quam maximè feror in ſententiam Pauli, & Alexandri, quòd ſcilicet interna non ſint calefacientia. Propterea libenter abſtinerem à decocto cum ſudore. Metuerem enim nimiam humorum liquationem, ac proinde majorem fluxionem. Inter interna itaque laudo primò aquas Tetutianas cum vehiculo, triduum aut quatriduum, mox duorum alterum, vel ſcilicet decoctionem ſantalorum, cum cichoraceis, & tinctura roſarum extracta in eodem decocto, cum ſpiritu vitrioli, vel aquas Thermales frigidas, cujuſmodi eſt aqua Villenſis vel noſtra B. Virginis cum vehiculo partim dejectorio, partim diuretico, videlicet cum cremore tartari, ſpiritu ſalis, & terebinthinæ, quò facilius permeent: quanquam in aliquibus etiam de-

decumbentibus ſoleant feliciter evacuari per urinam; non omiſſo cichorio, cum ſaccharo roſato, ut & modica portione caſtorei. Extrinſecus autem calefacientia, quæ materiam impactam digerant, neceſſaria ſunt. In quem uſum utilia erunt, ſtillicidium ſupra nucham, immerſio corporis in aquis thermalibus, necnon & luta D. Helenæ. Proderit quandoque magna cucurbitula cum flamma occipiti applicata: conferent picationes eidem parti; immo etiam ſinapiſmi, vel etiam veſicantia ad ſcapulas; non omiſſis inunctionibus cum oleo de caſtoreo, reſolutivo Galeni, viperino, & petroleo cum modico aceto, & theriaca. Tandemque ſi neceſſitas id exigat, ſetaceum erit opportuniſſimum, quà trahendo ad exteriora, quà verò expurgando materiam impactam. Spero tamen fore ut ſuperſedere poterit hoc remedio magis moleſto.

Victus ſit refrigerans, exſiccans, & facilis digeſtionis; alvus continuò lubrica ſervetur. Et hæc eſt mea ſententia, in confirmationem propoſitorum à Viro doctiſſimo. Faxit Deus ut cedant in emolumentum patientis noſtri. *Idem ibidem.*

De Semiparalyſi poſt puerperium. Pro Illuſtriſſima Marchione Malateſta, Ravennam.

Proponitur Nobiliſſima Matrona, anno ætatis 22. temperamenti calidi & humidi, cum humiditatis prædominio, proceræ ſtaturæ, roſei coloris, quæ ſeptem abhinc menſibus à partu femellæ feliciter purgata, à puerperio è lecto ſurgens, conqueri cœpit de dolore gravativo ventris, ad lumbos uſque, cum inceſſus difficultate, in dies ita adaucta, ut duobus ab hinc menſibus non ſolum progredi, ſed neque ſtare poſſit, abſque fulcimento; accedente quinetiam manuum torpore, ob quem nec pondus elevare, nec ipſas libere flectere, & explicare poteſt, ſenſu minimè læſo; licet ſedens, vel decembens crura moveat, quamquam non ſine aliqua difficultate. His accedit per vices, modò motus convulſivus, modò rigiditas, ac inflexibilitas infernarum partium, ventriſque inferioris arcta conſtrictio lumbis communicata. Alvus ſponte non reſpondet, raròque & difficulter, præter conſuetudinem meit. Menſes ſtatutis quidem menſibus, ſed imminutè fluunt: ſomnos habet longos, quatuor ab hinc annis ferè continuò conquerebatur de gravativo capitis dolore. Hypochondria ſunt mollia. Nulla febris, non ſitit, mediocriter appetit. De agendis conſulit.

Cui ſatisfacturi, ſtatuere debemus primò, partem affectam eſſe nervoſam ſubſtantiam, à vertebris dorſi, & oſſe ſacro ad artus, & ventrem inferiorem propagines diffundentem, & harum beneficio muſculis ipſis motricem facultatem impertientem, atque hinc ſuperveniſſe ſemiparalyſin prædictarum partium, ob denſitatem nervoſæ ſubſtantiæ, unde impedita libera irraditione facultatis animalis ad muſculos motui inſervientes, accidit, quod lædatur motus, illæſo ſenſu, cum major virtus requiratur ad agendum, quam ad patiendum. Neque aliam cauſam agnoſcit ſtipticitas ventris, meiendique difficultas, ac ventris inferioris conſtrictio, quam quod muſculi ventris inferioris, qui vertebras attingunt, coafficiuntur. Minus verò difficulter moventur crura decumbendo, & ſedendo, quoniam tunc minor ſpirituum & facultatis influxus eſt neceſſarius.

Cauſa morbifica, me judice, alia non eſt, quam pituitoſa materia à capite naturaliter humido, humidiore quinetiam reddito hyeme, & vere præteritis, ac proinde in multa copia congeſta, atque occaſione continui decubitus ob partum præteritum ad prædictas partes confluxa, quæ ſicuti ſalſedinem aliquam contrahens vellicando, ita in flatus converſa replendo, muſculoſam ſubſtantiam, modò concuſſivum motum, modò rigiditatem, & inflexibilitatem infert, atque ita omnium ſymptomatum cauſa eſſe poteſt.

Affectus ſanè curatu difficillimus, cùm dependeat ab humoribus frigidis, confluxis ad partes natura frigidas, atque in dies incrementum ſuſcipiat à perenni fluxione, non tamen ſolo prognoſtico relinquenda nobiliſſ. Matrona, cum plurimum habeat calidi innati, ſitque ea ætate, & eo virium robore prædita, quæ generoſa remedia ferre valeant.

Agendum igitur, & primò divertenda eſt fluxio; mox fluxa materia ſenſibiliter, & inſenſibiliter digerenda; caputque exſiccandum, & roborandæ ſunt partes affectæ, virium interim ratione habita.

Quare inſiſtendo decocto à Viro præclariſſ. ex methodo propoſito, poſt univerſalem totius expiationem, non abs re futurum cenſerem, ſi caput peculiariter expurgetur errhinis, & maſticatoriis, etiam validioribus ſingulis diebus præſcriptis. Inter quæ ſuccus betæ, majoranæ, cyclaminis, necnon & pulvis tabaci in nares attractus conferent, dummodo ipſum naturaliter non averſetur. Mulſa cum aceto ſcyllitico, vel ſyrup. de praſſio, pro gargariſmate; maſtiche; cum pyrethro, & ſtaphiſagria pro maſticatorio, aliaque Viro doctiſſimo per quam notiſſima erunt pærſcribenda.

Viſicantia retrò aures aliquamdiu aperta detineri poterunt. Nec omittenda rubificantia ſupra ſuturam coronalem, ex thapſia, & ſimo columbino, cum caſtoreo, & cera, deraſis capillis ad magnitudinem ſcutati argentei. Pulvis quinetiam exſiccans capillis inſpergendus, paratus ex oſſibus ſepiarum, corticibus oſtreorum uſtis, lapide pumice, agarico, & cornu cervi uſto. Setaceum ſuſpectum eſſe poſſet, ob imminens periculum majoris fluxionis ad vertebras, & partem affectam.

Pergat in decocto præſcripto, quod forſan validius reddetur, præmiſſo bolo confecto ex caſtoreo, terebinthina Cypria, & modica confectione Anacardina. Sudor in laconico magis exſiccabit, vel excitari poterit, appoſito pane furfuraceo recens è furno extracto linteolis involuto: magis enim digeret, quo tempore frictiones vertebrarum, picationes & inunctiones ex petroleo, oleo de caſtoreo, laurino, cum aceto ſcyllitico materiam impactam digerere poterunt, abſque periculo novæ fluxionis; proderuntque fomenta facta cum vino generoſo, in quo ebullierint roſmarinus, ſtœchas, radix ebuli, ſambuci, & centaurii; ſicuti tempore verno juvamento erunt luta, ſtillicidia, immer-

immerſioneſque corporis in aquis Thermalib. Victus ſit ſemper exſiccans, & alvus lubrica ſervetur cum clyſteribus quinetiam acribus, paratis ex colocynthide. el. diaphœnico, & de ſucco roſarum. Hæc verò attingenda duxi ſubſcribens omnibus à Viro peritiſſimo præſcriptis. *Idem ibidem.*

De eodem affectu. Pro eadem Illuſtriſſima Matrona.

Ex litteris quas à præſcripta conſultatione accepi, intellexi Illuſtriſſ. Dominam perſeveraſſe in decocto à Viro præclariſſ. antea præſcripto, parato ex ligno Indico, ſalſa parilla, & ligno viſci quercini, 40. dies continuos, cum levi tamen ſudore, ob aeris inclementiam, & gravem dolorem artuum ex accenſo calore: ac propterea miſſo ſudore, perſtitiſſe in decocto, dejectorio reddito cum ſenna, epithymo, & polypodio; à cujus uſu ſemel, & iterum excreverit materiam viſcidam copioſam, abſque ulla moleſtia, licet abſque ullo levamine: quinimò ab ultima pugatione artuum dolores invaluiſſe, rigidioreſque illos adeo redditos fuiſſe, ut vix flecti, extendive potuerint genua, cum tanta corporis conſtrictione, ut veluti faſcia quadam comprimi venter ſibi videretur, cum cordis compreſſione, ut ſuſpicati fuerint familiares, ipſa annuente, præſentes affectus uterinos eſſe: quorum ratione accommodata expetunt remedia.

Nos verò inhærentes jam à nobis ſtatutis, exiſtimamus affectum præſentem provenire à materia pituitoſa à capite ad prædictas partes confluxa; de qua certius nobis conſtat, ex copioſa ſimili materia per alvum dejecta. Neque exiſtimo affectum hunc ab uteri vitio dependere, cùm quia ex partu perfectè fuit expurgata, tum & magis, quoniam licet mictio & dejectio poſt affectum præſentem difficilior ſit reddita, menſtruæ nihilominus purgationes fluunt ex lege naturæ: quæ tamen mutationem aliquam ſuſcepiſſent, ſi ab utero dependeret affectus. Negandum quidem non eſt, uteri ligamenta ſuperiora ad varias ferri partes: non tamen alligantur ſpinæ dorſi, ac proinde utcunque repleantur humoribus vitioſis, numquam tamen rigiditatem artuum, inflexibilitatemque inferent, dummodo per ligamenta non intelligamus nervoſas propagines, in quo caſu dicere poſſemus affectus præſentes quodammodo uterinos dici poſſe. Cæterum utero nullatenus in propriis functionibus læſo, capiteque à multis annis malè affecto, non inconſultò ſtatuendum cenſemus, affectum præſentem hyſtericum non eſſe dicendum.

Utcumque tamen ſit, medicamenta præſcripta nondum in uſum revocata, & præſertim caſtoreum, erit accommodatiſſimum, addique poterit Triphera ſine opio bolis præſcriptis, quibus ſuperbibet juſculum paratum, ex gallo juniore, alteratum roremarino, calendula, herba paralyſis, betonica, matricaria, addita, ſi lubet, portiuncula ligni ſaſſafras; perſiſtendo in alvi ſubductione modò cum præſcripta infuſione ſennæ, epithymi, & polypodii, à Viro Excellentiſſimo feliciter aſſumpta, modò cum clyſteribus acribus, paratis ex decoctione pulpæ colocynthidis, centaurii, betæ, mercurialis, additis ſpeciebus hieræ picræ Gal. el. Indo, melle roſato ſolutivo, & oleo rutaceo. Hujus enim clyſteris beneficio facilè educentur non ſolùm humores viſcidi in inteſtinis contenti, ſed etiam à remotioribus partibus attracti. In hunc pariter uſum conferet quam maximè aqua Tetutiana aliquot diebus ſumpta. Interim tamen caput peculiariter, diligenterque purgandum per Errhina, & Maſticatoria alias præſcripta; cautè procedendo in externorum applicatione vertebris dorſi, non præmiſſa diverſione catarrhi facilè ad partes affectas fluentis: moderatè tamen calida tutò applicabuntur, & præcipuè panis furfuraceus è furno recens extractus, & vertebris moderatè calidus appoſitus, linteolo involutus; non omiſſa crurum, & femorum inunctione oleo de caſtoreo, vulpino & rutaceo, quò rigiditati occurramus. Quod ſi dolores intenſiores fiunt ex medicamentorum uſu (ut ſcribitur) non propter ea ipſis ſuperſedendum cenſeo: quinimò exiſtimo certiorem affulgere inde nobis ſpem ſalutis, quod ſcilicet humorum attenuatio hinc argui poſſit, faciliorque eorum motus, ac proinde evacuatio promptior. Et hæc pro viribus ingenii addenda cenſui in caſu hoc graviſſimo, curatuque difficillimo, committens cæteroquin omnia prudentiſſimo judicio Viri Excellentiſſimi exigente uſu. Faxit Deus Optimus Maximus, ut cedant ad vota patientis Illuſtriſſimæ. *Idem ibidem.*

Paralyſis ſine prægreſſa Apoplexia.

Ex relationibus adductis colligitur Antiſtitem Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. annum agentem quadrageſimum quintum, temperamenti totius, & capitis, calidi & humidi, habitus carnoſi, & potiùs plethorici quam obeſi, ad iram facilè propenſum, & ideo cordis calidioris; maximè ſtudiis addictum, & potibus ſuavioribus, & forſan meracioribus indulgentem; menſe Novembris proximè præterito, ſtatim à prandio inſigni iracundia accenſum fuiſſe, indeque ſtatim ſtudiis ſive applicationibus ſeipſum tradidiſſe, & extemporaneo atque prorſus repentino, dexteræ partis, brachii nimirum, femoris & cruris, motus defectu corruptum fuiſſe, ſine ulla vel exigua principum actionum nec ſenſuum prægreſſa læſione. Accepti quoque, à valido Purgante exhibito, à ſanguine educto, & ab aliis adminiſtratis medicis præſidiis, breve tantùm levamen ſuſcepiſſe, ut & ambobus pedibus ſtare, & ſine ſuſtentaculo deambulare, & brachium movere, & manu ipſa affecta ſcribere potuerit, quamvis poſtea ob anni temporis inclementiam, & alium facile in victus ratione commiſſum errorem, mox in paulò deteriorem ſtatum rurſus illapſus fuerit Vir Illuſtriſſ. ſuperſtite tamen motu, licet imbecilliori & imminuto in tota affecta parte. Ut igitur ad priſtinum ſtatum atque integrum robur redigeretur Antiſtes Illuſtriſſ. ſalutis cupidus, & Cremonæ, & Mediolani Præclariſſimos & Præſtantiſſimos Viros qui in Arte conſenuerint, adivit & conſuluit: quibus honoris gratia debile quoque judicium meum addere voluit.

Quare & ego cum Viris iſtis Præclariſſimis cenſeo, motus abolitionem ab initio, tum brachii,

chii, tum femoris & cruris, Paralyſin propriè dicendam fuiſſe, ſicut in facie oris torturam, & mollitiei, & Paralyſis nomen meruiſſe: quam tamen Apoplexiæ ſucceſſiſſe aſſerere nequeo, cum operationum principum nulla, nec vel temporis momento, vel minima læſio obſervata fuerit, illæſa ſemper manente reſpiratione. Et quamvis rarò Paralyſis ſine præcedente Apoplexia contingat, contingit tamen aliquando, ut ego in praxi animadverti: nam ſicut ſolutæ Apoplexiæ neceſſario ſuccedere ſolet Paralyſis, non tamen contra neceſſe eſt quod ſemper Paralyſis Apoplexiæ ſuccedat, quod evenit in caſu præſenti: cùm enim totum venoſum genus ſuccis refertum, caputque calidum, & humidum, & cor ipſum fervidum habeat Illuſtriſſ. Pat. facilis fuit copioſi & effervefacti ſanguinis ex ira & vino poſt prandium in caput delatio. dum circulando ſanguis ipſe per venam cavam ad cor, inde per Carotidas ad cerebrum defertur: quem, ut dixi, copioſiorem & fervidiorem exiſtentem arteriæ in capite evomuerunt quidem, verum à venis jugularibus internis totus reſumptus non fuit, ſicque in ſpatiis cerebri manens, catarrhali materiæ junctus, ſtatim nulla ſecuta nec arteriarum, nec ventriculorum obſtructione, à facultate expultrice, ad partem poſteriorem majori à craſſiori ſui parte detruſus fuit, & in ſpinalis medullæ vertebras intruſus, per parietem dexterum internum juxta nervoſum corpus, non ſolum uſque ad quintam, ſextam & ſptimam vertebram, ex quibus nervi prodeunt brachio motum tribuens, verùm & uſque ad infernas lumbales deſcendens, femori quoque, & cruri motum abſtulit. Portio verò minor in capite relicta, & ad labiorum elevatorem muſculum, necnon ad buccinatorum detruſa eoſdem laxavit, & oris torturam induxit. Sicut autem Apoplexia non præceſſit, quia nulla facta fuit à jam dictis tenuioribus humoribus miſtis obſtructio, nec in arteriis, nec in ventriculis cerebri, ita nec obſtructionem in nervis ſecutam fuiſſe ego cenſeo, cùm materiam ipſam eoſdem ingreſſam fuiſſe minimè putem, ſed per compreſſionem, non per obſtructionem nervis brachiorum, & crurum motui inſervientibus, irradiationem aut ſpiritibus tranſitum impediviſſe & intercepiſſe exiſtimem. Etenim morbum & cauſam morbi oſtendit ſanatio, dicebat Hipp. non enim adeò facile ceſſiſſet Paralyſis ab obſtructione facta, medicamentis ſtatim adhibitis, & extracto ſanguini, nec adeò derepente & in inſtanti motus ejuſdem partis defeciſſet, ut in praxi obſervamus, poſt Apoplexias paulatim deperdi & auferri motum primò brachii, paulo poſt cruris & pedis, quoniam tunc humor ſubſtantiam nervorum ingreditur atque penetrat, ita ut ſicut humor peccans non adeò facile & in inſtanti nervoſum genus ingredi poteſt, ita difficillimè & nonniſi longo tempore ab eodem extrahi, nec facilè inſenſibiliter degeritur. In noſtro igitur caſu repentina fuit facta Paralyſis, & quam citiſſimè fere ex toto ſublata, quoniam à compreſſione nervorum potius quam ab obſtructione facta fuit: & ſi aliqua concedi poſſit obſtructio à materia vaporifera à vino ad cerebrum ſublimata, non ab humoroſa factam fuiſſe credendum; ut propterea Paraplegias quandoque à vino factas aſſeruerit ipſe Gal. ſicut & eaſdem à nervorum compreſſione ſine obſtructione idem obſervavit. Portionem tamen ejuſdem catarrhalis & miſtæ materiæ, etiam per ſpatia ad muſculos ipſos delatam, & iiſdem exceptam fuiſſe facile crediderim, quæ eoſdem laxos & ad motum utcumque ineptos modo reddat, quod confirmare videtur tumor in manu ſuccedens, iterum atque iterum evaneſcens atque recurrens: ſicut mihi vidiſſe contigit multos repentinos hydropum ſtatus, de quibus Hipp. quoque mentionem fecit, ex pituita in carnes à capite defluente, imò & oris torturam non aliunde quam à muſculorum laxitate ſine ulla nervorum læſione provenire credo.

Status tamen Illuſtriſſ. Pat. parvifaciendus non eſt, non quidem ob præſentem motum imminutum, quem modo magis Torporem, quam Paralyſin appellarem ego, ſed potius propter imminentes deteriores recidivas: à præſenti enim omnimo vindicari poſſe non dubito; ſed oculatus Medicus etiam futura, præſertim pejora proſpicere & præcavere tenetur. Quod utrumque aſſequi poterit, intentionibus medicis à Viris Præclariſſimis propoſitis ſatisfaciens; Primas vias expiando. Totum venoſum genus ab excrementis depurando, imò & bonorum ſuccorum copiam minuendo. Tertiò Caput purgando. Quartò Humiditates, tum muſculis impactas, tum nervis inhærentes abſumendo, & caput ipſum præhumidum exiccando. Quintò Caput idem cum partibus ipſis læſis roborando; Atque tandem jecur ipſum refrigerando.

Pro quibus explendis intentionibus à fonte Chirurgico iterum ſanguinis miſſio ex illæſo bracio deſumenda, & ſecunda vice ex hæmorrhoidibus. Cauterium quod geſtat in brachio cuſtodiendum, & ab altero abſtinendum. Reliqua Chirurgica auxilia executivo ordine erunt proponenda.

Interim primæ intentioni ſatisfacere poterunt duo lenientia, ex man. clarif. & ſyr. roſ. ſolut. vel ex elect. lenit. cum tart. Intermediis autem quinque diebus, Præparans erit Julapium acet. aquâ florum citri diſſolutum, aut ſuave oxymel, melle hiſpan. paratum.

Pro ſecunda intentione explenda, ſuccos potius herbarum depuratos, quam ſyrupos ſaccharatos magis conferre poſſe exiſtimo, ut ſuccus depur. cich. agrim. atque beton. ad ℥ iij. in decoct. Cichorac. additis foliis meliſſæ, pentaph. lupulorum, & ſonchi, in qua diſſolvantur gr. xii. ſalis tart. fixi. Tranſacta hebdomada, Purgans erit præbendum ex man. clarif. infuſioni conſuetæ addendo agar. trochiſc. ʒ ij. aut iij. & rhab. opt. ʒ. j. cui, poſt horas, ſuperbibat aquam hordeac. aut Nocerianam. Repetat deindè ſuccos ſupra propoſitos, in decoct. meliſſæ, pentaph. lupulorum, ivæ, ſtœchad. & herbæ paralyſis, ut tranſacta hebdomada, repetatur Purgans quod eſſe poterit pulvis hermodactylatæ præparatæ; à qua pariter propinari poterit bibenda aqua, vel ſerum depur. quod cum vehiculo dejectorio, capiti ſuſpectum eſſe non poteſt. Hoc autem Purgans bis ſaltem repetatur.

Et ſemel ſaltem pilulæ capitales exhibeantur pro tertia intentione adimplenda; quæ eſſe poterunt cochiæ helleboratæ, aureæ, & de her-

mo-

modactylis; vel pilulæ Paracelſi à Rudio uſurpatæ, quæ conſtant ex tribus Extractis, colocynth. hellebori nigri & diagrydii, à ſemidrach. ad ℈. ii. tantummodo exhibendæ; quibus pariter aliqua aquæ potio refrigerans & humectans ſuperbibenda concedatur. Imò & per nares ſuave aliquod Errhinum exerceri poterit, ex pulvere majoranæ, & ireos Florent. cum exigua nigella paratum.

Inde ad quartam intentionem explendam erit deveniendum, pro qua nullum præſtantius, neque tutius in Arte remedium excogitare poſſum, ſudorifico Decocto, quod unicum nominare mihi liceat: Decoctum enim quodlibet, quanto magis humores liquabit, ſine ſubſecuto ſudore, tanto magis caput implebit, & liquati humores, tum in capite, tum in ipſis infernis partibus affectis manebunt. Paretur itaque hunc in modum.

♃. Viſci querc. veri, ſalſæ parillæ electæ an. ℥. j. ligni ſaſſafras inciſi ℥. ij. aq. ſtillat. cich. lib. ii. beton. lib. j. m. f. inf. per hor. 24. deinde bull. ad conſumpt. ultra dimidium, & fiat colatura pro duabus vicibus, matutino tempore hora una ante hypocauſti ingreſſum exhibenda. Et ut facilius ſudor provocetur, totumque corpus exiccetur, una cum Decocto præſcribatur quoque pulvis viperinus ad gr. xx. de quo Gal. dicebat, quod valdè exiccat ac digerit, & ad cutem properat; Nec anni tempus calidum obſtare poterit: Viperam enim inter animantia frigida enumerat ipſe Gal. Nec ſudorem in hypocauſto vereri oportet: toto namque menſe Junio, ſemper facile à Patientibus toleratur. Sudet igitur Vir Illuſtriſſ. ſaltem ad triginta dies in hypocauſto, ut caput cum toto corpore ſudare poſſit, & partem affectam in hypocauſto ipſo igni, ſcil. aquæ ebullienti exponat. Primis diebus in hypocauſto maneat ſolum per horæ quadrantem: progreſſu vero ad ſummum uſque ad horæ dimidium, mox perficiatur ſudor in lecto. Decimo quoque die aſſumat potionem ex manna clarificata. Nec victus adeò tenuis præcipiatur, tum quia adverſus Gallicum pugnandum non eſt, tum quia conſuetudini aliquid condonandum; Quare tertiò quoque die portio carnis aſſæ, aut pulli junioris, aut palumbæ turricolæ concedi poterit, ultra panem biſcoctum, nucleos pineos, & amygdalas ſaccharo incruſtatas, & paſſulas ad libitum. Potio autem conſueta ſit aqua ſecunda, ſuavis, ita paranda.

♃. Reſiduum lignorum Decocti, aquæ com. opt. lib. xv. m. bull. ad conſumpt. tertiæ, & in fine ebullitionis adde cinnam. integri ℥ iij. bulliant parum, & in colatura facta & adhuc ferventi, diſſolve ſacchari albi, ad libitum Patientis, & adde fruſtula citri rec. ut diu agitando, fiat aqua vulgo dicta Cedrata. Verum dimidio ſudoris tempore tranſacto, lignum ſaſſafras, à Decocto detrahi poterit, & addi ligni lentiſci è Chio ſemiuncia.

Abſoluto ſudore, pro capitis roboratione, ſub ingreſſum lecti Conſervæ capitales erunt in uſum ducendæ, ex floribus, modo betonicæ, modo roſarum, modo roris marini: imò & noctu dormiens in ore detineat rotulam ex confect. quintæ eſſentiæ roris mar. cum ſaccharo parata; Etrinſecus vero, partes affectæ illinian-tur oleo Juniper. quinta eſſen. roris mar. & oleo ſuccini, ſimul commiſtis; quibus etiam tota ſpina fricanda, ne in errorem incidamus, à Gal. in Pauſania notatum; imò ſi opus fuerit, luta quoque thermalia à Viris Excellentiſſ. propoſita, multis diebus partibus affectis apponi poterunt, iiſdem aquis ſulphureis partes ipſas abluendo & à luto detergendo.

Tandem ut poſtremæ intentioni ſatisfaciamus, puto aquas vitriolatas omitti poſſe, utpotè Articulis & Carnibus non valdè amicas: docuit enim experientia multos qui ad aquas S. Mauritij, aut in Valle Solis aſſumendas acceſſerunt, inde cum doloribus in Articulis diſceſſiſſe, aut paulo poſt eoſdem paſſos fuiſſe; Sed præterea harum aquarum uſum non adeo neceſſarium video, cum alia ſubſtitui poſſint auxilia, quæ prodeſſe & nullo modo obeſſe poterunt. Sufficiat igitur talis Emulſio.

℞. Semin. melon. mundat. ℥. j. ſemin. anguriæ, & cucurb. mundat. an. ℥. ß. aquæ ſtillat. de ſucco cich. ℥. viij. contund. ſemina, & cum aqua extrahatur, Emulſio, cui addatur ſyr. de ſucco limon. ℥. j. & m. fiat potio manè tribus aut quatuor horis ante cibum xv. diebus aſſumenda. Vel jam dictæ Emulſionis loco aſſumat eodem modo & ordine cyathum aquæ ſtillat. de ſucco cich. cum Conſerva de acido citri, aut de ſucco limonum, præmiſſa Conſerva roſarum quotidie ad ℥. i.

His autem omnibus congrua victus ratio erit addenda, & præſertim integro anno à Purgatione peracta; quæ in omnibus ſex rebus non naturalibus à Viro Excellentiſſ. Adſtanti erit præſcribenda; præſertim tamen ab ira, & intenſis applicationibus, ac ſtudiis, totis viribus abſtinere debet: hæc enim humores accendit atque fermentat: illæ vero caput debilitant, & ad recipiendum facile reddunt, præſertim ſi vini meracioris potus conſuetus fuerit: utrumque enim malum jam dictum præſtare valet, imo & pejora inducere; cum moneat Gal. quod, Vinum ubi plus bibitur, quam vinci poſſit, tantum abeſt, ut calefaciat, ut potius frigida vitia gignat; ſic & crapulas, recidivas facile inducere aſſeruit Aretæus. Quæ tamen jam dicta Illuſtriſſimo Antiſtiti familiaria non eſſe ſuppono, ſed ut in hiſtoria relata prohibentur, ad hoc ut priſtinam ſanitatem recuperare non ſolum, ſed conſervare valeat. Quam eidem à Summo Deo enixè precor.

Raymund. Joh. Fortis Conſultation. & Reſponſ. Medico T. 2. Cent. 1.

Semiparalyſis.

Quidam Muſicus ætate quadragenarius, acris ingenio, moribus hilaris, habitu gracilis, capillo niger, potationibus ac lucubrationibus, ſtatim etiam à cibo deditus, cum pluries aëri, aquæ, nebulæ, humidoque cubili ſe inconſulte expoſuiſſet, motum utcunque in artubus diminutum perſenſit. Sed anno elapſo ſub finem Januarii, inſignem motricis virtutis impotentiam ex crure dextro cognovit, & illico idem accidit in brachio manuque læva. Quare Majo menſe conſuetæ ſe Purgationi ſubjecit, ac ſtatim melius habuit. Sumpſit deinde Decoctum guajaci per viginti ſeptem dies, ſudavitque decies in lecto ſub arculo, & confeſtim pejus ha-

buit; frigebant poſtea membra hyeme, & vix calore extrinſeco irritata operandi potentiam re umebant. Cauterium interno femori dextro inuſſit, quod ſatis evacuat ſine levamine. Nunc ambulare, vel ſtare pedibus abſque adjutorio nequit omnino: vix etiam aliquantulum crura pedeſque movet; manus ferè ſunt impotentes; digiti enim quandam contractionem patiuntur: caro univerſi corporis hic & illic crebro & validè ſubſultat, atque formicæ intus adeſſe videntur: raro dolet & leviſſimè. In reliquis optime ſe habet, edit, potat, dormit, & omnia ſanitatis munia ſedens exercet. Medici noſtrates morbum vocant ſemiparalyſim, læſi motus, & humores frigidos accuſant in nervis & muſculis. Alii ad Rheumatiſmi ſpeciem redigunt, cùm Patiens hepate ſit calidiori, & mero indulgens, ac ſanguinem exuſtum atque ſeroſum reddiderit, qui inter muſculos protruſus, ſubitos illos ſaltus modo in hac, modo in illa parte producat. Phlebotomiam hi proponunt, ſed nondum tentatam. Nonnulli cæcam intemperiem vocant, contractam à cauſis extrinſecis ſupra narratis, ex qua Epneumatoſis fiat circa muſculorum intercapedines, & non abſimilia referuntur exempla ex Gal. Hildano, Platero, Horſtio & aliis Obſervatoribus. Non deſunt qui morbùm eſſe hypochondriacum putent, atque tropologicas quaſdam rationes in medium afferunt. Iſtæ controverſiæ miſellum Patientem alias ludibundum affligunt; ideo judicium & curationem Sapientiſſimi Viri efflagitat.

Paralyſis eſt illa in qua prorſus motus abolетur, ſenſu illæſo quoque manente; quòd ſi motus valde imminutus fuerit & imbecillis, ſemiparalyſis appellari ſolet, ut in Admod. Rev. Patre, quæ ab initio nervorum mollities dici poterat.

Hujus affectus cauſa immediata eſt ſpirituum animalium interceptio: mediata autem eſt materia nervoſam ſubſtantiam ingreſſa, non unica tamen, catarrhalis nimirum à capite ad ſubjectas partes tranſmiſſa, ſed multo magis ſeroſa & melancholica à jecore ſuper excalefacto producta, foventibus erroribus in vivendi ratione commiſſis, in liberaliori potu, magiſque in ſtudiis & diuturnis applicationibus; quæ multiplicata per venas ad cor, indeque per arterias ad caput, & à capite una cum cruditatibus ad genus nervoſum delapſa eſt; ſicque ab initio torporem quendam, progreſſu vero ſemiparalyſim excitavit. Verùm ſicut unica non eſt materia peccans, ita nec unicus locus: etenim non ſolum nervoſum genus, ſed muſculoſum quoque, eadem materia, & tenui & craſſa imbutum eſt, quo fit ut læſiones in muſculoſa carne & ſentiantur, & videantur: caro ſcil. in aliqua parte extuberans, mox evaneſcens: & ſenſus quidam ſubcutaneus mobilitatis; quorum effectuum cauſa conjuncta eſt quidem humida, humoralis & flatuoſa materia, ſicut procatarctica, cauſæ omnes externæ in relatione enarratæ, quæ humiditatem inducere potuerunt. Et quoniam aliqua materiæ portio in muſculis manus inſinuata, ut à fonte caloris remota craſſeſit, ſicque motus difficultatem adauget; ita ſi calefiat manus, attenuatur quoque materia, & motus facilior redditur, quod idem in pedibus quoque eveniret; Quare concludendum materiam hunc affectum facientem multo magis à toto venoſo genere, quam a capite derivari, cum majori ex parte tenuis atque ſeroſa ſit, à calore colliquante, non à frigiditate congelante producta: non excluſa tamen materia catarrhali atque cruda non ſolum in capite genita, verum & in ventriculo, mox cum ſanguine ad caput delata.

Quibus ita ſe habentibus, ſalutis ſpes vix ulla concipi poteſt: tunc enim Paralyſis curabilis eſt, quando ſpiritus animalis intercipitur ab obſtructionibus, in principio nervorum exiſtentibus, quod evenit, quando pituitoſa & viſcida ſit ipſa materia obſtruens; ſed quando tenuior ad medullarem nervorum ſubſtantiam ſeſe inſinuaverit; quod paulatim longo tempore fieri ſolet, difficillimè à nervis ipſis extrahi & educi poteſt, cùm nervorum tunicæ duriſſimæ ſint.

Nihilominus ſi aliqua ſpes haberi poſſit, in majoribus & validioribus remediis eſt reponenda; & idcirco præmiſſa primarum viarum expiatione, & totius venoſi generis electiva expurgatione, purgantibus demum capitalibus exhibitis, ad Decoctum ſudorificum rurſus deveniendum erit, ex ſalſa, viſco quercino & china paratum: addendo quoque in progreſſu portionem ſaſſafras; cui præmittatur quotidie pulvis viperinus ad ℈.i. ſed ſudor provocandus erit in foveis ſulphureis: ſulplurei namque halitus ad penitiores corporis partes penetrare, & forſan nervorum tunicas pervadere poſſent. At quoniam materia tenuiori in muſculis exiſtente, in foveis ſenſibiliter & inſenſibiliter educta, craſſior remanebit educenda; idcirco poſt decem dies ſudoris in foveis procurati, quatuor aut quinque diebus ſudandum erit in balneo ſulphureo, & rurſus ad foveas redeundum: hoc eodem ordine perſeverando ad quadraginta, imò quinquaginta dies. Quo ſudore abſoluto, ad uſum Terebinthi Veneti, cum decoctione Chamædryos, Chamæpityos, betonicæ, & card. ſancti ducendus erit Admodum Rev. Pater, & vinum medicatum ſuprascripris lignis erit pro potu inſtituendum, totaque ſpinalis medulla oleo juniperino, quinta eſſentia roris mar. & modico ol. ſuccini erit quotidie illinienda.

Quibus omnibus congrua victus ratio erit addenda, à Viro Excellentiſſimo Adſtanti præſcribenda. *Idem ibidem.*

Stupor, & Torpor Linguæ, & Manuum, in Hypochondriaco.

Illuſtriſſimus Comes quadrageſimum annum agens, temperamenti totius, ad calidum & ſiccum vergentis, hepatis calidioris, & humidi capitis, mediocris habitus, negotiis Publicis atque privatis multis abhinc annis ſummopere implicitus; à nativitate uſque ad pubertatem, valetudinariam vitam duxit: frequenter enim principes operationes una cum ſenſu & motu lædebantur, & ad abolitionem ducebantur, ſine motibus tamen convulſivis. In Adoleſcentia verò acceſſit quædam reſpirandi difficultas, quæ tamen nec aſthmatica, minuſque orthopnoica à Medicis judicata fuit: nullus

nullus enim obſervabatur ſtertor in pectore, nec decumbendi difficultas, ſed oppreſſione potius reſpirationi libertatem adimebat. Huic poſt aliquot annos cordis quoque palpitationes acceſſerunt: Dolores poſtea huc & illuc per totum corpus vagantes, per aliquot horas perdurantes, imo ſæpe cito evaneſcentes. Hoc eodem tempore rugitus in hypochondriis copioſi ſemper fuerunt; & à Medico obſtructiones tum in meſenterio, tum verſus lævam hypochondrii partem, ac profundiores ſub ventriculo obſervatæ ſunt. Præterea caput ſibimet frequenter obtuſum reddi & obfuſcari percipiebat & percipit, ut ideo citra ullam cauſam manifeſtam mœſtus manere cogatur; in quo ſtatu tamen diu non perſeverat, ſed eadem die à mœrore & taciturnitate ad lætitiam & loquacitatem, & contra, non ſemel convertitur. Tandem quod majus Illuſtriſſimo Comiti negotium faceſſit, eſt ſtupor quidam & torpor in lingua, & multo magis in ſummis digitis manuum, quo præſertim à ſomno ſeſe moleſtari aſſerit, pejora quinetiam mala inpoſterum perhorreſcens. Ideo te Virum Præclariſſimum cui in Arte nihil jam abſconditum eſſe ſcimus, pro Curatione & Præſervatione Nobiliſſ. Patientis conſulimus.

Hypochondriaca affectione jam diu detineri Comitem Illuſtriſſ. ſat ſuperque teſtari poſſunt copioſi flatus cum rugitibus abdomen frequenter diſtendentes, ſeptum non raro comprimentes, & reſpirandi difficultatem quandam inducentes, ſive potius moleſtam reddentes reſpirationem: ut propterea affectionem hanc hypochondriacam, flatuoſam appellaverit ipſe Galenus. An vero Vir Illuſtriſſ. non ſolum hypochondriacus, ſed melancholicus quoque ſit dicendus, in dubium revocare videtur ejuſdem loquacitas & hilaritas, cum ab Hippocr. habeamus, quòd Multum loqui, Phreniticorum ſit, tacere vero Melancholicorum. Vir tamen Illuſtriſſ. non loquax, ſed propſius eloquens, nec lingua, minuſque ingenio tardus, ſed valde promptus atque expeditus obſervatur. Nihilominus melancholica paſſione quoque multo abhinc tempore correptum fuiſſe, & in præſens moleſtari, non deſunt alia plurima ſigna: Neque obſtat doctrina Hippocratica jam adducta, quæ explicatur & illuſtratur ab eodem alibi docente, quod Si quis loquax taciturnus fiat, tale ſit Melancholiæ indicium; quod Viro Illuſtr. frequenter contingit, dum aliqua objecta triſtia ipſius phantaſiæ repræſentantur, aut levis aliqua occaſio futuri mali falſo timorem incutit, tunc enim loquacitas in taciturnitatem convertitur, niſi ſuppleat prudentia, Melancholicis ut plurimum connaturalis, ut obſervavit Ariſtot. quæ dum timorem atque mœrorem celare conatur, Memorem ipſum reddit diſertum. Melancholiæ autem ſigna non deeſſe dictum fuit, non ſolum quia timor & mœror ſine vera & manifeſta cauſa longo tempore ipſum apprehenderint, verum etiam quoniam frequentiſſime aliqua pars corporis ſtupore elanguat, & nonnunquam lingua incontinens fiat: melancholicæ namque paſſionis certiſſima ſunt indicia, ut conſiderabat Hippocrates, & cum ipſo Galenus. Sed præterea à naturæ primordiis ad hunc affectum diſpoſitionem contraxit, dum inſultibus Epilepticis, quamvis non abſolutè legitimis, obnoxius fuit: Epilepticos vero facili negotio Melancholicos fieri, & contra aſſeruit Galenus, & ante ipſum Hippocrates. Quare ſicut de Morbi idea non eſt amplius quòd dubitemus, ita cauſam in hypochondriis quærendam eſſe cenſeo, cùm caput procul dubio eſſentialiter non afficiatur, ſed per conſenſum. Neque conſenſum à toto venoſo genere prorſus pendere exiſtimo, ſed magis & principaliter ab hypochondriis, quorum partes fere omnes obſtructionibus occupatæ, tactu percipiuntur: non tamen tumoribus, quoniam humores exuſti adhuc in vaſis retinentur, nondum ad parenchymata & partium ſubſtantiam transfuſi; Quarum obſtructionum materia ab initio quidem cruda fuit in ventriculo genita, in præſens vero à jecoris calida intemperie arefacta, & melancholica reddita. Sed præterea ſanguis quoque craſſus & fæculentus ſtagnat in vaſis ſplenicis, & aliqua ex parte etiam pancreaticis. Et ſicut à prioribus obſtructionibus flatus craſſi & terrei, exhalationes dicti elevantur, qui abdomen inflant, ſeptum comprimunt: & per venam cavam ad cor pervenientes, & ventriculos replentes, palpitationem ſive ſaltum in corde producunt, ita tetris vaporibus à minera ſanguinea emergentibus immiſti, caput petentes, & ſua nigredine atque craſſitie animæ rationali tenebras offundentes, timorem & mœrorem, etiam ſine manifeſta cauſa incutiunt, ſicut ab externis tenebris, ut exemplificat Galenus, facilè fieri videmus. Quibus vaporibus reſolutis, aut alio tranſmiſſis, reſipiſcit anima ipſa antea decepta: & ideo ſumma cum ratione dicebat Hipp. quod probus ſanguis ſecundum magnam partem conferat ad prudentiam; quod poſtea confirmavit Ariſtoteles, dicens quod Prudentia in probo ſanguine conſiſtit, ita ut imaginatio depravari non poſſit, non præexiſtente in ſanguine vitio. Verum quoniam exhalationes jam dictæ non ſemper ob propriam fuliginoſam craſſitiem diſſolui poſſunt, hinc fit ut ad infernas partes deponantur; vel juxta ſeptimam nervorum conjugationem, & ita linguæ motus, aut imminutus, aut depravatus, ſicque tardus & incontinens fiat: vel juxta quintam uſque ad octavam ſpinalis medullæ vertebram, & ita ſtupidi evadant digiti manus, aut per muſculorum interſtitia huc & illuc per alias corporis partes diſpergantur, & ſtupores vel torpores cito evaneſcentes inducant. Dolores autem diutius in aliqua corporis parte perdurantes, facile à ſucco ſeroſo & acido à tota maſſa ſanguinea in partem illam effuſo, provenire credendum. Materiam vero jam dictam flatuoſam, exiſtimo ego ſubſtantiam nervorum non ingredi, ſed ſuo adhæſu potius nervos comprimere, & exigui temporis ſtuporem inducere: Si enim in nervorum ſubſtantiam intruderetur, diutius ſtupor & torpor perſeverarent, & à vaporum aciditate frequentiſſimè convulſivi motus, ſi non convulſiones, excitarentur: ut propterea de Paralyſi ſuperventura, minuſque de Apoplexia dubitandum non ſit, ſicut de Epilepſia potius dubitandum fuiſſet ſuperioribus annis, ſi vapores ipſi melancholici & acidi cerebri ventriculos repleviſſent: & piam

trem eoſdem inveſtientium, ſive (cum aliis) nervorum principia irritantes, motus irregulares & inordinatos, & in infernis partibus etiam convulſivos excitaſſent: ut ideo Hippocrates pronunciaverit, quod Melancholici facile fiunt Epileptici, & contra; Galenus vero habet, quod ſi flatuoſa & fuliginoſa illa materia in mentem ruat, melancholici Patientes fiunt: ſi vero in cerebri corpus, Epileptici evadunt. Quod cum hucuſque non contigerit, dum ætas Puerilis, Adoleſcentiæ, & Juventutis ad Epilepſiam prona magis erat, minus in Virili, & nunquam in ſenili ætate contingere poſſe credendum. Neque à ſolo ſtatu apoplecticus Morbus expectandus.

Quod ſi ſtatus Comitis Illuſtriſſ. ita ſe habeat, omnia agenda ut ab hujuſmodi moleſtiis vindicetur, alioquin cum ſit Studiis & Negotiis addictus, quotidie magis magiſque non ſolum confirmabitur, ſed augebitur affectus: & qui in præſens ab hypochondriis conſenſum habet, toti corpori communicari, maſſam ſanguineam inquinare, & ita caput gravius infeſtare poſſet. Quare ut proximo menſe Majo Purgationem ineat, omnino conſulo, qua ſi non ex toto tolli, ſaltem maxime ex parte minui poſſe utrumque affectum, hypochondriacum ſcil. & melancholicum ipſe polliceor.

In quem finem primæ viæ ſunt expiandæ. Secundò per partem poſt partem paulatim abdominis obſtructiones ſunt aperiendæ atque demendæ. Tertiò Maſſa ſanguinea, forſan aliquo exiguo ſucco melancholico infecta, eſt depuranda. Quartò Calida jecoris & hypochondriorum intemperies erit corrigenda, ſanguiſque edulcorandus; Atque tandem partes affectæ roborandæ: dum interim toto anno aliquod cardiacum familiare remedium paratum eſſe debet, opportunè in uſum ducendum, quod flatus quoque diſcutere valeat.

Pro prima igitur intenſione, leniens primum eſſe poterit.

♃. Syr. roſ. ſolut. cremore tartari clarif. ℥vi. aq. florum citri parum, m.f. potio quatuor horis ante prandium propinanda; Vel boli ita parentur.

♃. Flor. caſſ. rec. extr. elect. len. an. ℥ß. crem. tart. ʒ.ii. m.f. boli hora una ante prandium aſſumendi. Sex ſequentibus diebus Præparans erit hujuſmodi.

♃. Julap. acet. ſyr. de pom. aq. florum citri an. ℥.j. m. ſyr. & ſic pro aliis quatuor horis ante prandium aſſumendis. Sex jam dictis tranſactis diebus, repetatur leniens ſupraſcriptum.

Pro ſecunda intentione omnium primò Meſenterii obſtructiones ſunt reſerandæ humectantibus, quoniam ſiccæ: emollientibus, quoniam duræ: & incidentibus, ut quodammodo frangi poſſint.

Quare ♃. Succi depur. cich. borag. an. ℥.j. ſalis prunellæ gr. x. decoct. in jure pullæ, aut vitulli paratæ, endiviæ, malvarum, violarum, meliſſæ ℥.v. m. pro ſyr. & ſic pro aliis quatuor horis ante prandium aſſumendis. Sequenti vero die ſummo mane duos bolos devoret, ita parandos.

♃. Flor. caſſ. rec. extr. ʒii. ſalis prunellæ gr. x. m. i. bolli, quibus poſt horam ſuperbibat jus pullæ, malva, & violis alteratum; In quorum uſu quindecim diebus perſeverandum, alternatim aſſumendo ſuccos necnon bolos præſcriptos; Et toto Purgationis tempore abdomen totum oleo amygdal. abunde illiniendum. Inde ad ulteriora Aperientia deveniendum, iiſdem intentionibus deſtinata: nunquam enim calefacientibus & exiccantibus utendum, niſi cautè correctis, parentur autem hunc in modum.

℞. Succi depur. cich. borag. pom. dulc. an. ℥i. ſalis tart. fixi gr. x. decoct. in jure tenui paratæ, eridiviæ, ſonchi, malvarum, lupulorum, aſparag. ℥. iv. m. pro ſyr. & ſic pro aliis.

Sequenti verò die ♃. Floris caſſ. rec. extr. ʒii. Rhabarb. maturi ʒß. m. f. boli ſummo mane aſſumendi, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri Aſin. depur. libram, & tribus horis ab aſſumpto ſero prandeat; Ita & in horum uſu totidem xv. diebus inſiſtendum, alternatim aſſumendo, ſuccos & bolos. Interim ſecunda ſuccorum die aperiatur Jecoraria dextera ſanguinem educendo ad ℥. vii. & paulo plus, ſi niger appareat. Tranſactis his xv. diebus, aſſumat hujuſmodi bolos.

♃. Flor. caſſ. rec. extr. ʒ. vii. Extracti rhabar. Extracti ſenæ an. ʒß. m. f. boli, quibus poſt horam ſuperbibat ſeri aſin. depur. lib. ij. & tribus horis ob epoto ſero prandeat.

His peractis, ſi ſanguis jam ex brachio extractus niger appariuſſet, potio ſequens ſex ſaltem vicibus tertio quoque die aſſumenda conveniens eſſet.

♃. Rhabarb. maturi ʒ. i. radic. polypodii ℥ß. cinnam. integri ʒß. aq. ſtillat. cich. ℥. viii. ſucci limon. ℥i. m. f. inf. per hor. 12. deinde colatura præbeatur quatuor horis ante prandium; Intermediis autem diebus aſſumat.

♃. Sem. melonum mundat. ℥. i. ſem. cucurbitæ, anguriæ mundat. an. ℥. ß. m. contund. & cum aqua ſtillat. malvarum ad ℥. vii. extrahatur Emulſio, cui poſtea adde ſyrupi de pomis ℥. i. m. pro potu, Et ſic duodecim diebus perſeverandum, alternatim ſumendo Infuſum & Emulſionem. At ſi ſanguis eductus, nec niger nec craſſus obſervatus fuerit, omittendum erit jam dictum Infuſum, & ſtatim ad lactis Aſinini uſum erit deveniendum, de more xv. aut 20. diebus cum ſaccharo hauriendi, repetita tamen antea opportunè ſanguinis miſſione ex pede ſiniſtro, ſi cor aut caput ab evaporationibus infeſtetur. Et poſt lactis uſum, levi prius aſſumpto medicamento ſyrupi roſ. ſol. aut mannæ clarif. ad aquas acidulas epotandas ſe conferat, primis tribus diebus cum vehiculo dejectorio, quod eſſe poterit potio ex manna, cremore tartari clarificata, cæteris verò xv. diebus cum vehiculo diuretico, quod erit ſpiritus tart. ter rectificatus, ad ſemidrach. in primis cyathis, addito ſyrupo de ſucco limonum. Terminato autem aquarum uſu, repetatur manna clarificata, ut portio aliqua aquarum forſan in corpore retenta educatur.

Et tandem rurſus lactis Aſinini uſus ſaltem per menſem aut quadraginta dies erit iterandus; & veſpertinis horis, ſi calor ambiens anni tempori reſpondeat, convenientiſſimum erit Balneum aquæ dulcis toti corpori adminiſtrandum, cujus tamen aqua erit alteranda foliis malvarum, violarum, nenupharis, & ſalicis, ſitque vix tepidum, nullo modo calidum nec

om-

omnino frigidum: in quo permaneat integram horam, aut paulo minus.

Quòd ſi ventriculo robur aliquod addere placeat (non enim poſitivè & eſſentialiter, ſed privative & per conſenſum ab hypochondriis patitur) aliquando uti poterit ſale abſinthii ad gr.20. pro una quaque vice in exiguo vino diſſolvendo, & ſtatim à prandio aſſumendo. Pro flatibus verò diſcutiendis & corde exhilarando, in próptu ſint Cardiaca diſcutientia hunc in modum paranda:

♃. Aquæ totius citri ℥ij. Aq. ſtillat. cinnam. ℥j. m.

Item ♃. Aq. flor. citri ij. Julapii gemmati M. D. gutt. 15. m.

Item ♃. Aquæ cord. Saxoniæ, ſcorzoneræ an. ℥iß. Olei legitimi cinnam. gutt. x. m. quorum omnium cochlear aliquod, quando opus fuerit, per intervalla aſſumatur. Extrinſecus etiam regio cordis, urgente neceſſitate, ſummo manus digito intincto illiniri poterit:

♃. Olei de ſcorp. Matth. ſucci citri an. ℥ß. Troch. de gallia moſch. ℈j. m. reformetur. Ita omnibus intentionibus jam propoſitis ſatisfactum fuerit.

Reſtat autem ut congrua addatur vivendi ratio. Primò exceſſus externi caloris & frigoris, quantum fieri poteſt, fugiendo. Secundo Repletiones, ſuperingeſtiones, compotationes evitando; & à nonnullis alimentis omnino noxiis abſtinendo, ut à carne ſuilla, bubula leporina, volatilium aquatilium; à piſcibus paluſtribus, lutoſis, glutinoſis, conchyliis & oſtreaceis; A leguminibus, hordeo & oriza exceptis; Ab Edulibus ex paſta paratis, exceptis delicatioribus quibuſdam, ut ſunt vermiculi Apulienſes, &c. Ab uſu caſei, præſertim antiqui; A fructibus acidis, ſicut & à nimis dulcibus; Ab uſu fœniculi, ſelini, cardui, fungorum & terræ tuberum; A Condimentis laridi ſuilli; à nimis ſalitis; ab aromatibus, excepto cinnamomo & pipere ruditer contuſo; à ſuccis nimis acidis, ut limonum, citri, arantiorum & agreſtæ. Potus autem ſit vinum, non generoſum, non dulce, ſed maturum & ſubdulce: & ſi aqua diluatur, ſit communis deſtillata, aut Noceriana. Tertiò Somnus ſit diuturnus, at non pomeridianus, niſi fuerit conſuetus, & tunc brevis, & ſedendo, non decumbendo. Quartò Exercitium moderatum, ſed jejuno ventriculo, utile ſemper erit. Quintò Venus ad tempus ſaltem eſt ableganda; & alvus, niſi ſponte quotidie reſpondeat, ſolicitanda, in uſum ducendo quotidie toto anni tempore juſculum foliis boraginis alteratum, prima Menſa bibendum, cui quandoque præmitti poterunt aliquot pruna, aut Damaſcena, aut Hungarica exſiccata, & in vino dulci ebullita, moxque ſaccharo aſperſa. Tandem alacriter vivendum, & geniales converſationes quærendæ, quæ tamen in vivendi ratione errandi occaſionem non præbeant. Quæ omnia, ut Summus Deus Viro Illuſtriſſimo ſalutaria reddat, enixe precor. *Idem ibidem.*

Torpor Siniſtræ partis, atque Memoriæ, ab Inſultu Epileptico & Apoplectico ſimul relictus.

Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Senator quadrageſimum circiter annum agens, temperamenti ſecundum totum, calidi & humidi, boni habitus carnoſi, humidioris vero capitis, liberaliorem vitam ducens, Publicis negotiis & genialibus ſtudiis addictus; tribus jam menſibus elapſis, nimirum circa finem Martii proxime præteriti, ex tempore ſenſum & motum amiſit, cum principum actionum omnimoda abolitione, concomitantibus motibus totius corporis convulſivis, & circa os ſpuma ſupervemente; quæ acceſſio iterum eadem die repetiit, cui imminuta memoria ſucceſſit, cum ſtoliditate quadam, totius corporis ad motum ignavia, & totius ſiniſtræ partis imbecillitate atque torpore ad motum. Accerſiti Medici varia præſtiterunt Medica auxilia, quorum & temporis beneficio, paulatim ad meliorem ſtatum redactus fuit, adeo ut in præſens facilius incedat, ad operationes omnes ſit promptior, lævæ tamen partis imbecillitate permanente, ſuperſtite quoque aliqua memoriæ læſione, quæ dignoſcitur, dum ægre & torpide diſcurſum aggreditur: timet enim ſibi verba defectura ob defectum memoriæ, non autem loquelæ, cum nulla læſio in nervis aut muſculis locutioni inſervientibus reperiatur: & præter jam dicta, non levis obſervatur ad ſomnum propenſio. Modo de agendis nos pro ſalute conſulit.

Epilepticos fuiſſe inſultus, quibus bis unica die correptus fuit Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Senator, non eſt qui dubitare poſſit, conſideratis extemporaneo caſu, motibus convulſivis, ſenſus & motus omniumque principum actionum deperditione, quos confirmavit ſpuma circa os quæ licet non ſemper ſuccedat, ſuccedens tamen hujuſmodi affectus certiſſimus teſtis eſt. Nihilominus affectionem jam dictam in dubium revocare videtur, ſiniſtræ partis ſubſecuta ſemiparalyſis ſive Torpor, necnon Torpedo, ſaltem memoriæ, ſi non cum reliquarum principum actionum læſione: cum Gal. de epileptico affectu locutus dixerit, quod Inter ſoporem & Apoplexiam Comitialis eſt medius, convulſionem afferens univerſo corpori, qui tamen in Paralyſin non finitur. Hoc autem ſpeculandi nobis anſam præbet & aſſerendi, acceſſiones illas ſimpliciter & mere epilepticas non fuiſſe, ſed apoplexiæ quoque naturam redoluiſſe, adeo ut non à ſolo irritamento, ut plerumque fieri ſolet epilepſia, verum & à copia pituitoſæ & ſeroſæ materiæ ab humida capitis intemperie & ab ejuſdem imbecillitate, ab erroribus in vivendi ratione commiſſis, contracta, excitata fuerit acceſſio illa, quæ cum inſenſibiliter in halitus digeri & reſolvi minime potuerit, expultrix facultas eandem à cerebro in medullæ ſpinalis lævam partem depoſuit, qua nervis imbutis, & mollioribus atque laxioribus redditis, torporem & ad motum difficultatem introduxit. Et quoniam tota materiæ portio ad inferiores partes expelli non potuit, ſed in poſtica parte cerebri remanſit, hinc factum eſt ut pars eadem poſterior in qua celebratur memoria, mollior & humidior reddita fuerit, & ſpiritibus animalibus partim à præſentia materiæ nimis refrigeratis, partim pro libera motione impeditis, memoria quoque ipſa torpide, & forſan reliquæ etiam principes actiones non adeo expedite exerceri poſſint. Hujus vero humidæ materiæ in cerebro præſentiam ſignificat quoque nobis ſomnus profondus & nimia in ſomnum delatio.

Quibus habitis & conſideratis, cum in caſu præſenti magis materiæ quantitas quam qualitas negotium faceſſat, ideo non minus, imò multo magis de apoplectica, quam de epileptica futura recidiva dubitandum foret, niſi exactiſſima cuſtodia Excell. Senator arceat imminentia hujuſmodi mala, donec propriis & efficacioribus remediis cauſa ex toto deleatur: quod ut aſſequatur, ineunte proximo Autumno, præmiſſa congrua totius & capitis expurgatione, neceſſarium erit decoctum ſudorificum quadraginta ſaltem diebus adminiſtrandum: moxque de Vinaceorum vel muſti extrinſeca adminiſtratione, necnon de ſtillicidio pro capitis roboratione cogitandum.

Interim præſentem affectionem nonnihil imminuere, & imminentia mala præcavere, omni induſtria curandum.

Pro prima intentione, fortaſſe Medicorum quiſpiam poſſet foveas ſulphureas, luta & Balnea ſulphurea pariter proponere & approbare, quæ tamen omnia reprobantur à nobis, ante totius & capitis convenientem evacuationem & neceſſariam exſiccationem: Thermæ namque ſulphureæ, cum caput magnopere repleant, in hiſce caſibus nonniſi caute à Baccio, de Thermis egregie ſcribente, admittuntur; & idcircò partibus læſis à ventis & ambiente frigiditate, veſtibus diu, operimentis vero noctu cuſtoditis, quotidiana inunctione toti medullæ ſpinali, ex oleo viperino & quinta eſſentia roris marini, hoc anni tempore contenti erimus. Quoniam vero ſudor ſpontaneus facile continuo à natura excitatur; ideo tanto magis totum corpus veſtibus eſt muniendum, quinimo ſi paulatim deficeret ſudor ipſe, eſſet adjuvandus: Quo enim natura vergit per loca conferentia, eo ducere convenit. Quare in hoc caſu pulvis viperinus ad gr. 20. in jure pullæ, aut in aqua de ſucco acetoſæ eſſet ſummo mane præbendus ad viginti vel triginta dies: de hoc enim dicebat Gal. quod Extenuantis eſt facultatis, valde exſiccat, ac digerit, & ad cutem properat. Proderit præterea aliqua Conſerva ſub ingreſſum lecti aſſumenda, ut è floribus. beton. quandoque è florib. roris mar. è florib. pœoniæ, vel liliorum convallium; à cibo vero ſtatim conferunt baccæ ſalviæ, ſaccharo, aut melle conditæ. At pro præſervatione uſque ad opportunum tempus pro cauſa extirpanda, nil conducibilius, nilque magis neceſſarium, quam congruus vivendi modus qui conſiſtit in uſu recto ſex rerum non naturalium.

Et primò quoad aërem, cavendus eſt nocturnus, & creſpucula tum matutina, tum veſpertina; vitandus quoque ventoſus, nebuloſus, caliginoſus; & totum corpus calorem potius externum excedentem pati debet, quam frigore delectari. Cubiculum vero ſit ad Orientem, vel ad Meridiem.

Secundò quoad alimenta: Inter carnes, abſtineat à ſuilla, à bubula, ab extremitatibus animalium, à Volucribus aquatilibus. Inter piſces, pauci valde, & raro concedi poſſunt, ut parvus Varolus, Aurata, Strillia. Lacticinia omnia damnantur, ſicut omnia edulia ex paſta parata, exceptis nonnunquam vermiculis Apulienſibus in jure carnium coctis. Prohibentur quoque fructus omnes. Concedi poterit nonnunquam Perſicum aſſum, vel Cydonium, in fine menſæ; quandoque etiam, at raro Piſtacia ſaccharo ſine moſcho & ambra incruſtata. Inter olera, Borago pro acetario quandoque concedi poteſt; vel Cichorum decoctum cum paſſulis in aceto; reliquæ omnes herbæ, radices & tubera prohibentur, partim ut frigida, partim ut vaporoſa. Inter legumina, oriza tantum & hordeum locum habent. Inter condimenta, conveniunt ſalvia, ros marinum, pulegium, ſerpyllum. Inter aromata, cinnamomum tantum & piper craſſo modo contuſum; acetum quoque non nimis acre & modicum permittitur. Damnantur penitus condimenta ex larido ſuillo, ex alliis, & cæpis: neque laudatur frequens uſus ſucci citri, limonum & aurantiorum. In conſtanti abſtinentia vini maneat Excellentiſſ. Senator, uſque ad cauſæ ablationem, & utatur conſueta aqua Lentiſcina, ſaccharo & citro condita: cujus tamen potio inter prandium & cœnam nocere poterit, Cœna ſit ſemper parca, & novem ſaltem horas diſtet à prandio.

Tertiò conſideratur ſomnus & vigilia: Utraque enim, ſi modum exceſſerint, malum, dicebat Hipp. cui nos addimus nimium ſomnum eſſe malum, & ut cauſa, & ut ſignum in caſu noſtro: ut cauſa, quia magis replet repletum caput: ut ſignum, quia humidorum humorum in cerebro redundantiam ſignificat, ſpiritus animales cum ipſo cerebro refrigerantium & motum eorundem remorantium. Sit itaque ſomnus paulo conſueto diuturnior, ſed nocturnus, octo horarum ſpatium non excedens: neque ſomno ſe tradat, niſi duabus, aut paulo minus, tranſactis horis à cœna; diurnus vitetur: quod ſi conſuetus fuerit, aliquid conſuetudini condonandum, per horæ quadrantem, vel dimidium ad ſummum ſomnum permittendo, ſedendo tamen, non decumbendo.

Quartò exercitium magnopere confert, ſed jejuno ventriculo: Labores enim ante cibum præcipiebat Hippocr. quia materiam impactam attenuare ac diſſolvere, nec coctionibus officere poſſint.

Quintò circa evacuationes, illud ante omnia memoria tenendum, quod Venus extreme lædit: coïtus enim ex Hippocr. eſt lenis quædam Epilepſia. Alvus vero, niſi quotidie bene reſpondeat, erit ſolicitanda paſſulis vel prunis in jure coctis cum ſaccharo prima menſa aſſumendis; & bis in menſe aliquod leve & familiare medicamentum in uſum erit ducendum, quale eſſe poterit electuarii lenit. ſemiunc. addita ſemidrach. pilularum maſtic. necnon magiſt. Mechoac. gr. 10. omnia miſcendo, & duabus horis ante cibum aſſumendo.

Tandem animi pathemata veniunt conſideranda & corrigenda. Intenſas animi applicationes evitando; nec legendum, nec ſcribendum pleno ventriculo, nimirum à cibo. Cæteri quoq; animi motus vehementes ſunt arcendi, ut ira, mœrores, animi perturbationes; & hilari ac confidenti animo vivat Senator Excellent. & geniales converſationes citra ſanitatis præjudicium procuret, ut jam dictis obſervatis, apto & idoneo tempore morborum cauſæ penitus expugnentur, ſicque priſtino robori ac ſanitati reſtituatur, quam nos eidem à Deo Opt. Max. enixe precamur. *Idem ibidem.*

De

De Paralyſi, & Tremore.

Virgo 25. annorum, temperamento pituitoſo prædita, poſtquam longo tempore lactucis, cucumeribus, & fructibus horariis copioſiùs uſa, ac poſtea de capitis doloribus gravativis ſæpe conqueſta fuiſſet, tandem ſubitò in terram concidit apoplectica, ſenſu motuque, excepta reſpiratione, privata. Vocatus ſtatim Medicus convenientibus remediis rem eò deduxit, ut poſt ſex horas oculos rurſus aperiret, & poſt 20. horas planè mentis compos fieret, & denuò loqueretur: ſed totum ſiniſtrum corporis latus infra caput omnino immobile remanſit, cum ſenſu valde obtuſo. Menſes ipſi ſtatis quidem periodis, ſed non admodum copioſi fluere conſueverunt.

I. Affectio quæ huic ægræ poſt ſolutam debilem apoplexiam relinquitur, Paralyſis nominatur, quæ eſt motus voluntarii, aut ſenſus, vel utriuſque, in una vel pluribus corporis partibus abolitio.

II. Pars affecta eſt ſpinæ medulla, maximè circa ſuum principium; in quo dimidia ejus pars ab humore pituitoſo, è cerebro excuſſo, obſtructa vel compreſſa, nervorum omnium ex illo latere prodeuntium, & per conſequens muſculorum etiam uſum lædit.

III. Cauſa remota eſt victus inordinatus, & rerum frigidarum nimius uſus, unde multi pituitoſi humores in corpore pituitoſo generati, & nimiâ copiâ in capite cumulati, capitis dolorem gravativum induxerunt, & hujus mali cauſam antecedentem dederunt. Deinde verò principium totius medullæ cerebri intra cranium obſtruentes primò apoplexiæ, ac poſtea inde ad dimidiam ejus partem excuſſi, & eandem in principio ſuo obſtruentes, hujus Paralyſis cauſam continentem conſtituerunt.

IV. Aboletur hac de cauſa motus ſiniſtri lateris, quia propter dictam dimidiæ medullæ obſtructionem, denegatur ſpirituum animalium in illam dimidiam medullam, omneſque inde prodeuntes nervos influxus, unde mox omnino concidit actio inſtrumentorum motus voluntarii, ſcilicet muſculorum, quæ à copioſo iſtorum ſpirituum in nervos influxu procedit, atque ita totius dicti lateris omnia membra prorſus immobilia manent. Senſus verò non quidem in totum aboletur, ſed valde obtuſus relinquitur, quia licet per medullæ anguſtatos poros tam multi ſpiritus non transfluant, qui ad motum ſufficere poſſunt, pauci tamen tranſeuntes partibus ſentientibus ſenſum tribuunt, eumque ſtupidum, propter nimiam paucitatem.

V. Malum hoc erit longum & curatu difficile, propter frigidi, viſcoſi & pertinacis humoris in parte frigida detentionem, qui tam ratione propriæ naturæ, quàm ratione partis eam detinentis difficulter diſcutietur. Ætas tamen juvenilis, robur corporis, & quòd unà cum motu etiam ſenſus in affecto latere omnino non perierit, magnam recuperandæ ſanitatis ſpem promittunt, ſi modò convenientia remedia quamprimùm adhibeantur.

VI. In curatione ſtudendum 1. Ut humor pituitoſus medullam obſtruens, vel è loco illo excutiatur, vel attenuetur & diſſipetur, ſicque obſtructi pori rurſus aperiantur. 2. Ut præcaveatur ne novi humores ad locum illum affluant. 3. Ut cauſa antecedens tollatur, novaque talis humoris generatio impediatur. 4. Ut cerebrum & ſpinæ medulla cum nervis, totumque latus paralyticum corroborentur.

VII. Ad humoris pituitoſi è toto corpore evacuationem, exhibeantur hæ pilulæ:

℞. Maſſæ pil. cochiarum drachm. ſ. Extracti catholici ſcrup. ſ. Cum pauxillo ſyrupi de ſtœchade, fiant pil. 7. Harum loco etiam dari poteſt pulveris diaturbith aut diacarthami drach. j. vel hauſtus ex infuſione foliorum ſenæ, rad. jalappæ, agarici, &c. Hæc purgantia per intervalla ſunt repetenda, quibus ſi ægra uti nequeat, clyſteribus alvus ſubducenda erit.

VIII. Venæſectio in hoc caſu non convenit.

IX. Ad cerebri totiuſque nervoſi generis corroborationem, frigidæ intemperiei, ac generationis pituitoſorum humorum ſublationem, præſcribatur hoc apozema:

℞. Rad. acori, fœniculi, an. drach. 6. Iridis florent. drach. 3. Herb. betonicæ, ivæ arthriticæ, majoranæ, roſmarini, calamenthæ, thymi, an. m. j. flor. ſtœchados m. ſ. Sem. fœniculi, carvi, ameos, an. drach. i. ſ. Aquæ & vini, an. part. æq. Coquantur ſ. art. ad lib. j. ſ. Colaturæ admiſce, ſyrupi de ſtœchade unc. 3. fit apozema.

De quo utatur ægra ter quaterve de die unc. 4. cum particula hujus conditi:

℞. Specier. diambræ, diamoſchi dulcis, an. ſcrup. 4. Conſervæ florum ſalviæ, anthos, Rad. acori condit. an. drachm. 5. Syrupi de ſtœchade q. ſ. Miſce, fiat conditum.

X. Conveniens hîc etiam erit uſus aquarum paralyticarum & apoplecticarum, quæ calefaciunt & corroborant cerebrum, omneſque nervoſas partes, quarum multæ exiſtunt apud Medicos deſcriptiones.

XI. Si his non cedat malum, utatur ægra ſingulis matutinis temporibus unc. 5. ſequentis decocti, & pro ratione virium in lecto ſudet.

℞. Ligni guajaci unc. 4. Saſſefras, ſalſæparillæ, an. unc. 2. Aquæ lib. 7. Fiat maceratio horis viginti, poſtea coquantur ſ. art. addendo ſub finem, Rad. acori, valerianæ, petaſitidis, fœniculi, an. drach. 6. Galangæ, glycyrrizæ raſæ, an. drach. 1. Herb. betonicæ m. 3. Ivæ arthriticæ m. 2. Thymi, majoranæ, roſmarini, florum ſtœchados, an. m. j. Salviæ m. ſ. bac. juniperi unc. 1. Fiat decoctum ad lib. 3.

XII. Ad cerebri corroborationem hæc quoque cucupha capiti imponatur.

℞. Fol. roſmarini, majoranæ, thymi, flor. lavendulæ, meliloti, an. p. j. Cariophyllorum, nucis moſchatæ, an. ſcrup. 2. Fiat pulvis groſſus pro cucupha.

XIII. Interea dum hæc fiunt, ſpina dorſi, imprimis in cervice prope caput, linteis calidis fortiter fricetur, & deinde foveatur cum fomento ex cephalicis calidis in vino coctis præparato; ac deinde calidè inungatur hoc linimento:

℞. Olei vulpini, ſpicæ, rutacei, axungiæ anſeris, cati, an. drach. 6. Olei terebinthinæ, unc. ſ. Olei petræ, roſmarini, ſuccini, an. ſcrup. 2. Pulveris caſtorei ſcrup. 4. Miſceantur pro linimento. Poſt hujus inunctionem & affricationem imponatur hoc emplaſtrum:

♃. Pul. caſtorei drach. 2. Benzoini drach. 1. Gummi galbani, opoponacis, ſpiritu vini diſſolutor. Emplaſtri de betonica, de baccis, lauri, de meliloto, an. drach. 6. ex his ſ. art. mixtis fiat emplaſtrum.

XIV. In diæta ſit aër calidus, ſiccus & purus. Cibi ſint euchymi & eupepti, calefaciendi & attenuandi vim habentes, conditi cum aromatibus, ſeminibus carminativis, foliis lauri, betonica, majorana, aliiſque cephalicis calidis. Potus ſit hydromel, aut vinum, alteratum cum roſmarino, majorana, betonica, cardamomo, &c. Conveniet etiam ſubinde hauſtus vini hippocratici; aut cochleare ſpiritus vini juniperini, vel anthoſati, vel aquæ vitæ Matthioli. In omni cibo & potu repletio maximè fugienda eſt. Somnus brevior ſit. Excretiones naturales bene procedant, & vehementiora animi pathemata fugiantur. *Isbrand. de Dieverboëk in Medicationibus.*

Pareſis ex colica cum Macie totius corporis, & Febri lenta. Pro Viro Nobili, & Pictore Celeberrimo.

Ex variis Medicorum ad nos tranſmiſſis conſiliis apparet, quod prænobilis Vir Patiens, ætatis plus quam ſexagenarius, bilioſo-melancholici temperamenti, poſt multos exantlatos labores, ſolicitudines, itinera, aliaque incommoda plura, incurrerit tandem ante aliquot annos notabilem diſpoſitionem affectus hypochondriaci: viſcera interna, hepar præcipue, extraneo calore ſquallebant: ſuccreſcebat plurimus, bilioſus, ſalſus, & nitroſus ſanguis, & exin copioſi, acres, perpetuò ſuſcitabantur flatus. Inde factum eſt, ut elapſo anno totum fere nobilis Viri corpus, herpete quaſi univerſali, defœdaretur; malo, non ſine inſigni acrimonia & moleſtia, hinc inde per corpus vagante. Præter diverſa topica, etiam cura ſudorifera inſtituta eſt; nihil tamen æque prodeſſe tunc temporis videbatur, quam illinitio ab Empirico perſuaſa, facta cum Unguento ex Pice communi, & flore Lactis; qua herpes illa tam moleſta ex toto evanuit.

Verùm paulò poſt oriebantur, in inferiori ventre, murmura, tenſiones, dolores; præcipuè circa umbilicum infeſti, & brevi adeò invaleſcentes, ut ad dorſum, humeros, quin ad ipſa ambo brachia, non ſine inſomniis, incaleſcentia, & corporis emaciatione (arthritidis ſpeciem præſeferente malo) moleſtiſſimè pertingerent. Durabat hic affectus aliquot ſeptimanis; donec ambo brachia, atrophia, & denique declinantibus doloribus, omnimoda pareſis occuparet; ſenſus quidem aderat, ſed motus adeò abolitus; ut nobilis Patiens nec digitos, qui in principio quaſi omnes contrahebantur, ſine adſiſtentium auxilio extendere, movere poſſet. Manus tumidiores calore præternaturali vexabantur: pedes & ipſi pigriores ab initio facti, nunc tamen officio ſuo rectè funguntur. Maxima apud omnes ſollicitudo fuit, ne febris, lenta, Ferneliana, hectica, radices ageret; & in corpore à natura ſqualido, nec non ob vigilias, dolores admodum emaciato, invaleſceret: pulſu præſertim celeri, inæquali, urina tincta, & linguâ exiſtente ſiccâ: atque demum nobili Patiente ad veſperas plerumque magis incaleſcente.

Quibus ita conſtitutis, nobilis Vir Monachium ad nos, menſe Septembri, delatus, curæ noſtræ ſeſe ſubjecit; ubi poſtquam omnia illa, prius incaſſum adhibita, intelleximus, atque ulterius adhibenda diligentiſſime meditati ſumus; diebus aliquot quieti datis, curam, Deo auſpice, ita incepimus. Pridie leni clyſmate N. 1. injecto, altero mox die potiunculam laxantem N. 2. pro aliquali primarum viarum expurgatione propinavimus.

N. 1. ♃. Brodii Carnis cum decoct. Carvi ℥viij. Butyri clyſmatici, Sacchari rubri an. ℥ß. Ol. Chamomelini, Mellis roſat. ſolut. an. ℥i. Vitelli Ovi N. j. Miſce; fiat Clyſma.

N. 2. ♃. Syr. Roſat. Aurei ſolut. ℥ii. De Cichorio cum Rhab. ℥j. Cum Aqua flor. Borag. percolando, & aromatizando cum Cort. Citri, Fiat Potio.

Utrumque medicamentum optimè profuit, doloreſque circa umbilicum adhuc infeſti, egregiè demulcebantur. Quandoquidem verò febricula illa lenta (quæ partim ab intemperie viſcerum calida ſicca, partim ab eorundem obſtructione dependere videbatur) præcipuam curam & ſollicitudinem ad ſe trahebat; mox per aliquot dies, manè exhibuimus juſculum N. 3. contemperans, aperiens, ac ſimul nutriens,

N. 3. ♃. Chinæ electæ ℥j. Raſuræ Eboris ʒii. Repleatur pullus bene ſaginatus unius anni; decoquatur in ſ. q. aq. ſub finem decoct. adde Herb. Endiu. Acetoſellæ, Agrimoniæ, Epat. nob. Hordei ana Pi. Flor. Violar. Beton. Bugloſſ. an. ℈ii. Rad. Scorzoneræ, Cichorii, Sem. Melon. ana ʒii. De colatura ſumat manè ℥vi. aromatizetur cum modico Macis, addaturq; cochleare unum alterumve è conſumato caponis.

Veſperi porrò ante cœnam Hordeatum N. 4. refocillans humectans porreximus.

N. 4. ♃. Hordei mundati ℔i. Facta ablutione, decoquatur in ſ. q. aq. donec reducatur ad formam pultis, deinde ex ipſo pulte, ſeu cremore,

♃. ℥vi. Sem. Melon excort. Amygd. dulc. ana ℥i. Nucleorum Pini ℥ß. Contundendo ſimul, fiat Hordeatum; ſumat ad veſperas in principio menſæ, ſolvendo in jure gallinæ, vel caponis, cochlearibus tribus ex conſumato caponis, & aromatizando cum modico Cinnamomi, vel Mace.

Juſculo alteranti ſuperius deſcripto n. 3. brevi poſtea ſequens decoctum, admodum temperatum & gratum N. 5. ſubſtituimus, diu deinde continuatum.

N. 5. ♃. Chinæ electæ ℥j. Raſuræ Eboris ʒij. Repleatur pullus bene ſanginatus hujus anni decoq. in ℔vi. aq. ad debitam cocturam, lento igne; inde percolando,

♃. Hujus colaturæ ℥vi. Sem. Melonum recentium Amygd. dulcium ana ℥ß. Nucleor: Pini recent. ʒii. Fiat Emulſio, Aromatizando cum modico Macis.

Ita paratam & factam Emulſionem ſumat calidè, & quia facilè aceſcit; alternis, vel tribus diebus, paretur recens.

Interea hypochondrium dextrum, quotidie ad contemperationem hepatis, inunctum eſt tali Linimento N. 6.

N. 6.

♃. N. 6. Olei Amygd. dul. ℥ij. Roſ. completi, Succi Cichorii an. ℥j. Apii ℥ß. Aceti Roſar. ʒij. Decoq. ad conſumpt. ſuccorum, adde Ung. infr. Gal. Santalini ana ʒß. Trochiſci de Camphora ℈j. Specier: Diatrion Santalor. ℈ii. M. f. Ung.

Brachia ſimiliter ungebantur, prægreſsâ leni eorundem, cum linteis calidis, frictione.

N. 7. ♃. Olei Amygd. dul. ℥iv. Vini Malvatici ℥iij. Ol. Lumbricati ℥ij. Florum Lavendulæ Pij. Decoque ad conſumpt. Vini, exprimantur.

Ad noctem nobilis Vir aliquando Saccharo Roſaceo, aliquando maſticatione pomi Limoniorum, os humectabat. Subinde Confectione Alkermes, additis paucis granis Bezoar, animalia ac vitalia corroborabantur. Atque ita ſucceſſive factum eſt, ut diligenti continuatione prædictorum remediorum, ſimul ac Diæta obſervatâ convenientiſſimâ, febricula paulatim extingueretur; oris ſiccitas emendaretur; veſpertinæ ac nocturnæ incaleſcentiæ evaneſcerent; pulſus æqualior pacatior fieret; urinæ etiam fermè naturales, una cum ſignis coctionis, demum apparerent.

Poſthæc, atrophiæ ac pareſi brachiorum liberius, & ſecurius medicam manum porreximus: ac proinde purgato adhuc ſemel corpore Potiunculâ ſequenti N. 8.

N. 8. ♃. Tamarind. ʒvi. Paſſularum Pj. Flor. Violar. ʒi. Fol. Senæ elect. ʒii. Sem. Aniſi ℈ß. Coq. in ſ. q. aq. fontis, col. R. ℥viii. Infunde per noctem Fol. Senæ elect. Radic. Mechoacæ ana ʒii. Cinnam. inciſi ʒß. Filtrando, ſumat ℥iv. ſubfrigide, aromatizentur cum Cort. Citri,

Nobilem deinde Virum in thermas, ſed domi ſuæ deduximus. Erat tunc temporis autumnus utcunque temperatus & commodus. Aqua thermarum ſulphure, alumins, nitro &c. imprægnata à fonte ſalutis, vulgò *Hailbrunn*, in vaſis ſat amplis, & bene clauſis, per Iſeram fluvium devehebatur Monachium. Ibi calefiebat, bulliebat, ac diligenter deſpumabat eum in finem, ut nimia ſulphurea pars evaneſceret ſufficiente interim ac neceſſariâ aliquâ bituminoſâ pinguedine remanente. His thermis temperatiſſimè calidis inſidebat nobilis Vir, per horam circiter, ſingulis diebus, ante prandium; corpus immergebatur, in vaſe ad id parato, ad ſtomachum uſque; humeri, brachia, quæ extra thermas emergebant, ſpongiis magnis; eâdem aquâ calente madidis, perpetuò fomentabantur. Et hæc inſeſſio repetebatur duodecies, diebus ferè continuis, niſi quòd ſemel iterumque, intermiſſo balneo, clyſma N. 9. pro leni evacuatione, eo die interponeretur.

N. 9. ♃. Brodii Carnis ℥viii. Mellis Roſat. ſolut. ℥ii. Sacchari rubri ℥i. Butyri clyſmatici, Olei Chamomelini ana ℥ß. Vitelli Ovi N. 1. M. f. Clyſter.

Peracto balneo, in lectulum ponebatur æger; linteis calidis & perfumatis bene deterſus. Species pro fumo tales erant.

N. 10. ♃. Maſtich. ʒii. Gummi Juniperi, Tacamahac. Carannæ ana ℥j. Succini ℥ß. Benzoin. Styracis. Roſ. rub. Flor. Lavend. an. ʒii. Craſsè incidantur, fiat Pulvis pro ſuffitu.

Inde ad hepar, linimento refrigerante, aperiente, ſuperius notato N. 6. applicato; brachia, ac dorſum, ſeu ſpinalis medulla, inungebantur unguento corroborante reſolvente N. 11. alio verò & refrigerante unguento temperabantur renes N. 12.

N. 12. ♃. Herb. Salviæ, Roriſmarin. Paralyſeos cum flore ana Mi. Flor. Lavend. Chamomill. Roſar. ana. Pi. Inciſa immergantur in Ol. Lumbricorum, Chamomelin. ana ℥iiß. Vulpini ℥i. Axung. human. ℥ß. Vini albi optimi. ℥iv. Macerentur aliquamdiu, tandem coquantur ad conſumptionem Vini, poſtea fiat fortis expreſſio, & colatura; in hac dein diſſolve, Maſtich. optim. ʒii. Terebinth. ʒvi. Olei Nucis moſch. ʒiii. Ping. Viperarum vel Serpentum ℥ß. Benzoi in ſpiritu Vini diſſoluti. ʒiii. Ceræ q. ſ. M. f. unguentum.

N. 12. ♃. Unguent. infrig. Galen. Olei Violacei an. ℥iß. Miſce pro Unguento.

Inter hæc non defuit appetitus; ſomnus erat ſufficiens, membra paralytica videbantur corroborari, digiti ſine impedimento movebantur; brachia manus ad pectus uſque, ſine omni dolore, quod ante nullo modo poterat nobilis æger, erigebantur; diſparebat manuum fervor & tumor; dolores colici non ſentiebantur amplius; pedes & crura firmabantur. in ſumma totum corpus fiebat robuſtius, adeò ut nobilis Vir pondus viginti quinque librarum, manibus paulò antè adeò debilibus, prehenderet, ac commodè deportaret. Cæterùm non omittebantur alia ſuperius deſcripta: nam Emulſio cum Decocto Chinæ N. 5. ſingulis diebus, pro contemperatione, manè; uti & ad veſperas refrigerans, humectans Hordeatum, N. 4. optimo cum effectum, aſſumebatur.

Quæ verò, imminente nunc hyeme, ut proximo dein vere, agenda ſint? ulteriùs nobilis Vir inquirit, ad quæ reſpondemus: Curam eò dirigendam eſſe, ut omnis ulterior emaciatio prohibeatur, corpus humectetur, renutriatur; ac tandem, membra adhuc aliqualiter reſoluta, & debilia, ex toto corroborentur. In hunc finem balneum ſuademus, per aliquot tempus, prout neceſſitas urgebit, continuandum; fiet illud ex aqua dulci, in quo ſequentia fuerint incocta.

N. 13. ♃. Althææ cum toto, Malvæ cum toto, Meliloti, Chamomillæ, Brancæ urſinæ an. faſciculos duos. Rad. Ireos noſtrat. ℔ß. Roriſmarini, Sum. Lavendulæ. an. Mj. Miſce, inciſa groſſo modo, de quibus ſumantur pro una vice, quantùm ſatis pro balneo, & coquantur una cum Capite & Pedibus Vituli unius.

Uſus erit per ſeptimanam ſemel vel bis, eodem planè modo, quo ſuperius thermas inſtituimus. Finito balneo, corpus abſtergatur linteis ſuffumigio N. 10. exſiccatis: brachia & ſpina dorſi inungantur, vel unguento corroborante reſolvente N. 11. ſupra notato, vel ſequenti humectante nutritivo; atque hæc inunctio ſingulis diebus, etiam iis, quibus balneum non adhibetur, continuanda.

N. 14. ♃. Catulos lactantes, 5. vel 6. dierum, N. II. Pedum Vituli N. iii. Lumbricorum terreſtrium in Vino malvatico bene ablutor. ℥vi. Olei olivarum dulc. ℔iv. Decoque ſimul ad putrilaginem, inde exprime, & de pinguedine R. ℥x. Adde Ung. reſumpt. recent. diſpenſ. De Althæa recent. ana ℥ii. Ping. human. Serpentis ana. ℥i. Olei Nucis moſchat. expreſſ. ʒiij. Balſami Peruviani. ʒiß. Ol. Chamomel. an. ʒiij.

Ce-

Ceræ q. ſ. fiat. Unguent. ad formam linimenti.

Cæterùm neceſſarium porrò erit, ut manè, Decoctum Chinæ cum Emulſione N. 5. veſperi verò Hordeatum N. 4. Item Linimentum hepaticum contemperans N. 6. Saccharumque Roſaceum ad noctem quotidie continuet. Porrò illis diebus, quibus balneum intermittit, cochleare accipiat ex confortanti hoc Electuario, ſuperbibendo juſculum caponis cum conſumati momento: vel Decoct. Chinæ ordinarium.

N. 15. ℞. Conſervæ Roſar. ℥ iv. Cichorii, Borrag. E toto Citro an. ℥ij. Cort. Citri condit. inciſ. ℥ß. Confect. Alkermes, Specier. Elect. Reſumpt. Diamargarit. frig. an. ʒ ij. Cum Syr. è Cort. Citri q. ſ. Fiat Elect.

Alia medicamenta confortantia interna (bezoartica, antimelancholica, ſcorbutica) plerumque calidiora intermittantur, quantùm fieri poteſt. Confectio è toto Citro Alkermata omnibus præſtat. Corpus frequenter purgare periculoſum eſt; attamen Electuarium Paſſulatum ſimile Num. 16. ſubinde ſumptum, non poſſumus non ſuadere. Nam non ſolùm alvum emollit, humores pravos evacuat, ſed ſimul viſcerum temperat intemperiem caloremque internum imminuit. Doſis cochleare unum plus minùs, horâ unâ ante prandium, vel cœnam.

N. 16. ℞. Fol. Senæ ℥j. Rad. Polypodii, Mechoacannæ an. ℥ß. Rhabarb. elect. Cinnamomi inciſi an. ʒij. Fiat infuſio in aquis Cichorii, & Borrag. & tertia parte Vini Neccarici, per diem & noctem; inde cum prædicta decoctione, expreſſione extrahantur, Pulpæ Paſſularum ℥ iv. addendo Pulpæ Tamarind. Flor. Caſſiæ recent. extract. an. ℥j. Conſervæ Violarum ℥j. Corticum Citri inciſi. ℥ß. Pulv. Mechoacæ ʒ ij. Cinnamomi pulv. ʒj. Cum Syrup. è Floribus Perſicorum. F. Electuarium molle paſſulatum.

Cibus & potus, quoad quantitatem, difficulter determinari poteſt; quoad qualitatem, eligendi erunt cibi euchymi: utpote caro vitulina, agnina, hœdina, pullorum, caponum, avicularum nemoralium; ex quibus varia fercula parari poſſunt, familiaria tamen & utilia magis erunt elixa, quàm aſſa. Aromata, ſaccharata, bellaria, paſtilia, farinacea, nullo modo ſint frequentia. Herbacea, hoc tempore, præter cichorium interdicuntur; cùm facilè corrumpantur, & bileſcant. Pyra, poma cocta aliquando proſunt. Piſces carne friabiles ſelecti, ut ſunt funduli, truttæ, thymali, percæ, lucii minores, concedi ſubinde poſſunt. Prandium & cœna modico Diacidoniato, vel fœniculo, pauco ſaccharo obducto, claudatur. Potus ſit vinum Neccaricum, maturum, non admodùm generoſum; Moſellanum, Auſtriacum, aut Tyrolenſe ſuſpecta; aliquando tamen, ſed raró, hauſtus ex vino Moſellano, vel Tyrolenſi, pro ſtomachi corroboratione, permittitur.

Cæterùm quid proximè imminente Vere agendum ſit? an ſerum lactis caprini pro contemperatione & mundificatione viſcerum, vel etiam lac ipſum caprinum pro majori nutritione; vel an ſufficienter interea nutrito corpore, ſelectæ aliquæ thermæ (quandoquidem ab iis intra paucos dies tam optatos effectus experti ſumus) pro totali reſtauratione, membrorum debilium, neceſſariæ futuræ ſint? omnia à tempore docebimur, monſtrabitque hyems nunc imminens, quid, illo exacto, ulterius neceſſarium videbitur. *Monachi 25 Octobr. 1667. Joban. Jacobus de Maphæis. Franc. Ignatius Thiermair. in Collectione à prænominatô Clariſſ. Thiermairô, confectâ. Scholia. Thiermairii in præcedentem Conſultationem.*

De Ligni Guajaci, Chinæ, & Galli veteris decocto. Item de Thermis, qua ratione proſint? & quomodo ſubinde artificioſè adhiberi debeant?

Fuit nobilis iſte Patiens gracilis, proceræ ſtaturæ; temperamento ſicco; natus in Belgio, Patre tabe mortuo; Vir admodum prudens, & pictor ſuâ ætate celeberrimus. Suſtinuerat, annum ante, periculoſam hæmorrhagiam narium; inde herpes cutaneus moleſtiſſimus, puſtuloſus, contumacior in brachiis, corpus pervagabatur; humorum, uti ſuſpicor, ſale reſoluto, atque adeò ſanguine magis fluxili reddito, neſcio qua fermentatione concitata, aut quo orgaſmo; primò ad nares unde hæmorrhagia; dein ad ambitum corporis, brachia præcipuè (forſan à perpetuis laboribus magis debilia) ferebatur, ſuaque ſalina & nitroſa acredine cutim hinc inde erodens, in herpetem (de quo ſingularem tractatum Marcus Antonius Montagnana conſcripſit) inſigni moleſtia conjunctum abiit: ſcatebat ſcilicet hac humorum colluvie Vir ſqualidus, hypochondriacus, atque non ſine ſuſpicione ad ſcorbutum, Belgis & Patriotis ſuis endemium, diſpoſitus.

Decoctum Ligni, quo nobilis Vir, pro herpete expugnando, utebatur, ad malignitatem quidem non ſolùm luis Venereæ, ſed ſcabiei etiam fœdioris pravitatem, quin & ſcorbuti labem plurimum facere, equidem non dubito: cum in affectibus his prædictis, contagioſa ſingulorum corruptio, non diſſimile adeò inter ſe diffundat myaſma. Sanè ex leproſi Equitis Galli & meretricis Valentianæ concubitu, natum eſſe morbum Gallicum in Hiſpania; ac dein per contagium Neapolim delatum, narrat Joannes Wierus Lib. 2. Obſerv. de Morbo Gallico. Plurimos porrò ex lue Gallica neglecta, aut potius celata, in ſcabiem fœdam Elephantiaſin cecidiſſe, vidit Valeriola obſerv. 7. Lib. obſerv. 5. idem atteſtatur Primeroſius de Vulgi erroribus Lib. 1. Cap. 16. Scorbuti demum aliqua ſymptomata, cum ſcabiei fœditate; item cum luis Venereæ accidentibus quibuſdam, eſſe communia; quotidiana nos docet experientia. Ac propterea non immeritò decoctum Ligni Guaiaci & Salſæ Parillæ, refert inter remedia, etiam ad ſcorbutum facientia, Daniel Sennertus Lib. de Scorbuto Cap. 7. Itaque licet, inquam, decoctum Ligni Guaiaci ſerviat ad ſuperandas malignitates modò enarratas, in aduſtis tamen, & ad tabem diſpoſitis ægris, cautè, & non niſi additis temperantibus, uti doctiſſimus Mercatus monet Lib. 1. de Recto Præſidiorum uſu, Cap. 12. Num. 134. adhibebitur. Et hæc cauſa fuit, cur in præſenti noſtra cura decoctum Chinæ ſubſtituerimus; & illud etiam cum emulſione ſeminum Melonum, optimo ſanè cum effectu, temperaverimus. Macies, inquit Julius Cæſar Claudinus, in Appendice ad Tractatum ſuum, de Ingreſſu ad infirmos, Sectione 3. prohibet

non

non tantum Salſam, ſed Guaiacum etiam, & Saſſafras, & cætera omnia, excepta una China; quæ in Macie, atrophia, & cachexia, ſingularis eſt: quia, præterquam quòd in caliditate temperata eſt, adſtringendi etiam vim habet, qua fluxiones valet ſiſtere. Præterea decocto huic Chinæ addidimus emulſionem ex ſeminibus Melonum, ut diureticum ſimul fieret; magni Hippocratis ſententiæ memores: qui in Coacis Prænotionibus, monente Ludovico Septalio Lib. 5. Animadverſ. Num. 74. docuit: Paralyſin urinis repente multis, & abunde proruptis, ſolvi; ſudoribus autem confertim manantibus, in deterius ruere.

Porrò periculosè, topicis, Empiricus ille rem aggreſſus eſt. Remedium, quod ex flore lactis & communi pice conſtabat, non improbo; ſed illud intempeſtivè fuiſſe applicatum, peſſimus eventus docuit. Quis enim dubitaverit, ſalſum illud morboſum, & corrodens ſerum, oblinita extrinſecus ad partes herpete ulceratas pice, ad interiora & fontem ſuum receſſiſſe? ac paulò poſt intolerabiles cruciatus, in inferiori ventre, dorſo, humeris, brachiis, excitaſſe? ipſamque demum pareſin induxiſſe? Non deſunt nobis, quæ hoc ipſum confirment, exempla. Vidi ego ex intempeſtiva ſcabiei repercuſſione, in divite cive Ingolſtadienſi, tormina ventris excitata eſſe, vix non lethalia; ac materiam ægerrimè per theriacalia ad ambitum corporis repulſam. Chiffletius Obſervatione Medicâ 59. dolores articulorum ex eadem cauſa ſucceſſiſſe, notavit. Hieronymus Velſchius Obſerv. Med. Epiſagmate 85. paralyſin deſcripſit ex inconſiderata ſcabiei cura, in Viro Eccleſiaſte, ſubſecutam.

Doloribus colicis, & quaſi arthriticis, per aliquot ſeptimanas, dorſum, humeros, brachia infeſtantibus, adhibebat nobilis Patiens Decoctum Galli veteris, ſimplicibus multifariis tum alterantibus, tum deobſtruentibus, tum purgantibus, tum appropriatis refertum; ſed incaſſum. Prudentiſſimi Veteres experientiâ & judicio firmi, quàm exquiſito ſtudio medicamenta compoſuerint? & etiamnum componenda ſint? Galenus Lib. ad Piſonem de Theriaca, Victor Trincavellius Libris Tribus de Compoſitione Medicamentorum, item Joannes Prævotius, Tractatu Poſthumo omnium diligentiſſimè complexi ſunt. Sed neglectis tantorum Virorum monitis curioſitas ægrorum multa, & varia, à Medicis quotidie extorquet remedia, plerumque multifaria, rarò proficua. Equidem non dubito, veriſſimum illud eſſe, quod doctiſſimus Matthæus de Gradibus Cap. 1. de Cephalæa, ex mente Avicennæ, & Gentilis, monet: multoties ex ſimplicibus variis & multis non ſolutivis, compoſitionem fieri ſolutivam; & è contra evidenti ſanè argumento, quam ſæpe ex inconcinna ſimplicium confuſione, factaque medicamenti fermentatione, nova reſultet hujuſmodi compoſitionis forma; Medicorum intentioni, & quod pejus, ægrorum ſaluti, ex toto contraria.

Doloribus proinde non cedentibus res perſcripta eſt Monachium. Ampliſſimus Dominus de Maphæis, Vir elimato judicio, ac multiplici experientiâ Clariſſimus, Decoctum Galli, tum ad reſerandas obſtructiones, humores contemperandos, flatuſque diſcutiendos, non improbavit; ſed ne virtus nitroſa deterſoria in Gallo vigens plurium commixtione alteretur, deperdatur, ſimpliciſſimum propoſuit; purgato prius blandioribus medicamentis corpore, hunc in modum concinnatum Galli juſculum, præſcriptum eſt.

♃. Gallum trimulum vel quadrimulum, Paretur, & coquatur, in ſ. q. aquæ, juxta artem, addendo ſub finem decoctionis, Cremoris Tartari ℥iii. Sem. Aniſi, Fœniculi an. ℈i. Dentur mane ℥v. calidæ, addendo ſemper Cochlearia duo ex conſummato Caponis.

Et ut intentioni reſerandi, temperandi, ac ſcorbuto, ſi quæ foret ipſius firma ſuſpicio, reſiſtendi plenè ſatisfieret: juſculo Galli præmitti jubebat, ſingulis vicibus, cochlearia duo, tria, ex Julapio ſequenti.

R. Syrupi Scelotyrbici ℥iii. De Corticibus citri, De Pomis ſimpl. an. ℥ii. Aquæ Scorzoneræ q. ſ. Clarificando aromatizetur cum Aqua Cinnamomi, & Corticibus Citri.

Si purgatione nobilis Æger indigeret; deſcribebatur talis, in Decocto Galli infundendus, nodulus.

♃. Fol. ſenæ, Rad. Polypodii an. ℥ii. Paſſularum, Cinnamomi ana modicum M. pro nodulo.

Proponebantur præterea intrinſeca & extrinſeca aliqua paregorica, utpote balnea aquæ dulcis, ex decocto Chamomillæ, vel ex lacte; ita tamen temperata, ne corpus exin incaleſceret, & macies incrementum ſumeret. Verùm dum hæc Monachii, me quoque in Conſilium adhibito, conſultantur; utrumque nobilis Viri brachium, atrophia, & tandem omnimoda Pareſis occupavit; evaneſcentibus paulatim, maxima ex parte, doloribus ventris. Unde, ſine mora, æger Monachium delatus, ita, prout pluribus deſcripſi, à nobis per aliquot ſeptimanas tractatus eſt; donec, remittentibus pleriſque affectibus, multùm ſublevatus, domum redierit.

Fuit ſanè hæc cura, in ægro penè deſperato, ita inſtituta, ut quid ars & judicium poſſit, palam innoteſceret; tempore præſertim, ad hyemem vergente, atque adeò hiſce affectibus non admodum amico. Thermis quidem Hailbrunenſibus (quas ante hac peculiari, & erudito libello, deſcripſit Clariſſ. Collega noſter, D. Malachias Geigerus) primæ debentur laudes; quæ tamen, non ſine periculo, adhibitæ fuiſſent; niſi emaciatum & ſqualidum corpus, emulſionibus cum decocto Chinæ, hordeatis, aliiſque tum extrinſecis etiam contemperantibus eſſet ſtudioſiſſimè præmunitum; quin & ipſæ ſulphureæ Thermæ, ita à nobis fuerunt attemperatæ; ut ſulphuris pars tenuior, fœtida, acris, ignea, per longam cocturam exhalarit; remanente ſolummodò, cum aquea humiditate plurima, bituminoſa, & ad intentionem noſtram opportuna, ſulphurea pinguedine: quibus ex partibus conſtare ſulphur, vulgo notum eſt; & præter alios plures, qui de mineralibus ſcripſêre, eleganti tractatu docuit, Matthias Unzerus, Hallæ-Saxonum Phyſicus eximius.

Verùm quomodo Thermæ ſimilibus affectibus proſint? altiori indagine videtur res indigere. Neque enim ſolâ humorum exſiccatione, partiumque corroboratione negotium abſolvitur, ut vulgò creditur; ſed putaverim potius

tiùs, aduſtas, ſalſas, nitroſas, tartareas humorum vaporumque in homine impuritates, nervorum virtutem obſidentes labefactantelque, à Thermarum humiditate penitus ſolvi, ſolutaſque peculiari ac minerali analogiâ, quam Thermarum qualitates cum humorum in homine diverſis ſuccis habent, ad ambitum corporis extrahi; atq; adeò, ab inſidente nervoſum genus hoſte, corpora noſtra, non ſine corroboratione quidem, liberari. Demonſtrat hanc veritatem, efflorescentia cutis, plerumque Thermis utentibus, etiam aliquando cum moleſta ſcabie ſuperveniens: quam ſanè efflorescentiam vix aliter, quam per ſolutionem, & extractionem ſalium in corpore latentium, facilè explicaveris. Neque tamen negaverim, balnei caliditatem eximiam, ſubinde pro revulſione materiæ ad extra, aliquid conferre: memini enim me vidiſſe, virum è ſocietate Jeſu Juvenem, qui cum Aſthmatico paroxiſmo periculoſiſſimè affectus eſſet, poſitis in cereviſiam nigram admodum calentem pedibus, factaque humorum metaſtaſi ad artus & pedes, de repente quaſi arthriticum factum eſſe, aſthmatico affectu planè evaneſcente.

Quomodo verò, & quâ viâ, in Pareſin, dolores colici abeant? in ſequentibus Scholiis pluribus examinare animus eſt. Sufficiat in præſenti vidiſſe, quam dextrè brachiorum pareſis, magna ſaltem ex parte ablata; quam ſobriè renutritum corpus; & quam leniter deleti fuerint dolores illi, colon inteſtinum craſſum obſidentes. Cujus valvulam à Natura affabre ibi poſitam, ut omnis excrementorum in tenuia relapſus prohiberetur, elegantiſſimè depinxit, deſcripſitque Tulpius Lib. 3. Obſerv. Cap. 21. quam valvulam dum loc. cit. pluribus deſcribit, eleganter ſimul ac prudenter idem Tulpius exclamat: O fortunatos Aulicos, ſi tali, contra relapſum, cuſtodiâ, firmaretur fluxa ipſorum potentia. Non deciderent certè tam facilè à ſummis ad ima. Neque momentanea intervalla attollerent, deijcerentque, tam frequenter idem, lubricæ dignitatis, faſtigium: fiduciamque alienâ vi innixam.

Conſultatio alia Pro eodem. Vbi de agendis imposterum agitur.

Nobilis Vir, poſtquam ſequentem totam hyemem transegiſſet ſat commodè; imminente Vere, nobis, per litteras, ſequentia communicavit: Dolores ſe nunquam ſenſiſſe colicos, nec arthriticos: appetitum, ſomnum, urinam, naturalia eſſe: brachiorum & manuum Pareſin ceſſiſſe quidem, ſed debilia adhuc eſſe, præſertim digitos: manus non eſſe amplius tumidas: corpus paulatim renutriri. Cæterùm diætam ſe obſervâſſe exactiſſimè: potum fuiſſe vinum Neccaricum oligophorum, præter cereviſiam albam: fonticulum in brachio dextro, quandoquidem pars illa non nutriebatur, ex noſtro conſilio, ſe conſolidâſſe: brachia, manus, dorſum, unguento ſupra in priori Conſilio N. 11. notato, renes verò, lumbos, & hepatis regionem, unguentis ſuperius quoque determinatis, diligenter foviſſe: Decoctum Chinæ cum emulſione, uti & hordeatum rarò omiſiſſe: balneum tamen aquæ dulcis, cum ſpeciebus deſignatis, non adhibuiſſe admodùm frequenter: febriculam cur ampliùs ſuſpicetur, ſe non habere, etſi enim pulſus ſit aliquo modo adhuc celer; oſque ad veſperas & manè ſiccitatem præſeferat; attamen celeritatem illam in pulſu, adhuc aliqualiter reſtitantem, ſibi quaſi connaturalem credere; uti & oris ſiccitatem, quam, à triginta jam annis, ſibi conſuetam eſſe, ſenſerit. Hæc ad nos, per litteras 7. Martii datas, nobilis Patiens, una rogans, quid ulterius agendum? & de thermis Weiſſenhornianis, à Medico ordinario propoſitis, cenſendum?

Reſponſio.

Præmiſſa vernali purgatione blandiori, & ex conſilio Domini Medici ordinarii, menſe Majo, omiſſis aliis thermis, nobilis Æger ad uſum alterius balnei deveniat; atque primis quatuor ſingulis diebus, pro corporis externa lavatione, ac molli deterſione, aquam dulcem adhibeat, in qua extremitates vituli, vel vervecis, additis herbis ſupra N. 13. deſcriptis, incoctæ fuerint. Inde balneum olei olivarum dulce, ad duodecim ferè dies, ſubſtituat. Inſidebit, prima vice, horâ 7. manè, per horam unam, ad veſperas circa horam 4. vel 5. per dimidiam; augendo deinde tempora balneationis, pro virium tolerantia. manè tamen horam unam & dimidiam, ad veſperas tres quadrantes, vel horam integram, nunquam excedendo. Hunc in finem vas paretur commodum, grande ſatis; ut oleo nobilis Patiens, collo tenus, inſidere poſſit. Vel ſi quantitas olei, tali modo neceſſaria, videretur nimia; ſemicupium ſubſtituatur; brachiis interim, humeris, per ſpongias latiores oleo imbutas, uti ſupra in thermis fecimus, bene & perpetuò fomentatis. Prior modus, quo totum corpus oleo immergitur, nobis arrideret magis; niſi forſan, quod ignoramus, pectoris etiam immerſionem, Patiens ſuſtinere non poſſet: id quod Medico ordinario dijudicandum relinquimus. Parabitur autem balneum ex oleo tali modo. Accipiatur tota quantitas olei, pro uno balneo ſufficiens; hujus major pars infundatur vaſi, in quo balneandus eſt æger; minor verò quantitas, in alio vaſe congruo, calefiat; atque hæc calefacta pars, affundatur reliquo oleo, in vaſe pro balneo jam exiſtenti; & ſic paulatim confuſo utroque oleo, totum balneum moderate calefiat; cavendo ſedulò, ne nimium calidum fit: retinet enim oleum calorem ſemel impreſſum, diu & pertinaciter. Neque opus eſt, ut, ſingulis vicibus, renovetur oleum; ſufficit, ut bis, toto balneationis tempore, recens paretur, poteritque tandem tale uſurpatum oleum, pro uſu externo, ad nutriendum lumen in lampadibus, commodiſſimè applicari.

Antequam æger ingrediatur balneum, neceſſarium eſt, ut linteis calidis frictiones fiant molliores, præſertim ad brachia, coxas, donec aliquo modo cutis rubeſcat. Finito verò balneo, æger linteis calidis detergatur, & mox inungantur brachia, unguento alias denotato, vel ſi placet, ſequenti.

℞. Olei Lumbricati ℥iv. Liliacei, Amygd. dulc. an. ℥ii. Vini Malvat. ℥iv. Florum Chamomillæ Rom. Verbaſci, Lavendulæ, Sum. Ivæ artheticæ, Florum Roriſmarini an. Mj. Decoq.

ad

ad conſumptionem Vini, exprimendo, adde Pingu. humanæ, Serpent. Ping. catuli junioris lactantis an. ℥ii. Ung. reſumptivi recentis ℥iii. Olei Nucis moſcat. ʒvi. Balſami Peruviani ℥iß. Pulveris florum Chamomillæ Romanæ, Lumbricorum terreſtrium lotor. priùs in Vino generoſo an. ʒiii. Ceræ q.ſ. Fiat. Unguentum.

Tandem, ubi totum corpus benè deferbuit; inunctoque priùs ſtomacho cum Oleo Nucis Moſchatæ, vel magni Ducis; emulſio ſumatur ordinaria, vel cremor ptiſanæ cum conſummato capitali: enim modo corpus temperabitur, humectabitur, ac debitâ reſtaurabitur nutritione.

Cæterum, pro majori partium debilium corroboratione, non inconſultum credimus; ſi ultimis balneationum diebus, quater vel quinquies, oleo incoquerentur ſequentes herbæ, & flores, addita in decoctione, vino generoſo, ad conſumptionem debitam.

℞. Hyperici, Ivæ artheticæ, Herbæ Paralyſeos, Salviæ, Roriſmarini, Meliloti, Chamomillæ Romanæ, Origani, Florum Verbaſci, Lavendulæ. an. q.ſ. Miſce inciſa.

Quibus omnibus ritè inſtitutis, non dubitamus, nobilem Virum, priſtinam ſalutem, facilè, ex toto, conſecuturum eſſe; dummodo interea, uti apprimè novit, debitâ victus ratione uſus fuerit, ſeduloque caverit; ut alvus ſive temperatè lenientibus ſuprà dictis, ſive clyſteriolis domeſticis, ſemper maneat aperta. De uſu lactis, finita balneatione, inſtituendo; ut & de aliis fortè adhuc neceſſariis, nihil addimus, promptiſſimos tamen nos offerimus, ad quamcunque ulteriorem ſucceſſus informationem, conſilia noſtra communicare. Monachii 26. *Martii* 1668. *Joan. Jacobus De Maphæis, Franc. Ignatius Thiermair.*

Scholia Thiermairii. De univerſis Balneorum differentiis, ac præcipuè Balneo Brodii. Item Frictionibus & Purgationibus in Paralyticis. Ac tandem quâ ratione Colicis doloribus ſuccedat Pareſis?

Balneum, ſeu totius corporis univerſalis fotus, tum ſanitatis tuendæ gratia, tum etiam pro morbis perſanandis, remedium eſt maximè neceſſarium. vocatur ab aliquibus therapia magna, non quòd vires exhauriat, aut repentè Naturam alteret; ſed quia magnos morbos, paulatim ac tutò, curat. Hujus differentiæ plures ſunt, potiſſimùm tamen duæ; vel enim eſt balneum naturale, vel artificioſum. Naturale vocamus thermas, de quibus ferè univerſis luculenter ſcripſit Andreas Baccius, Medicus & civis Romanus. Artificioſum iterum multifarium: Aliud enim fit, ex aqua ſimplici: de quo, præcipuè Veterum, doctè admodùm Hieronymus Mercurialis in Arte Gymnaſtica. Aliud ex hydrelæo aliud ex oleo: de quorum facultatibus, Galenus Lib. 2. & ex illo Aëtius De Simplicium Medicamentorum Viribus, Sermone Primo fuſius egere. Aliud ex lacte hecticis, & ad cutis extenſionem perutile: tale fuit uxoris Neronis, Poppœæ, quingentas aſinas fœtas ſecum circumducentis, ut author eſt Plinius Lib. 11. Hiſtor. Cap. 41. Aliud ſanguinis: de quo idem Plinius Lib. 26. Cap. 1. ita ait: Ægypti peculiare malum elephantiaſis, & cùm in Reges incidiſſet, populis funebre: quippe in balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad Medicinam. Aliud vini: Et aliud ex illius vinaceis: de his doctiſſimum tractatum edidit Donatus Antonius ab alto Mari: de vino certum eſt, quod quantùm intemperanter ebibitum, nocet cerebro, nervis, ac juncturis; tantùm vel ampliùs, extrinſecùs adhibitum, earum partium vitiis medetur. Aliud aceti, cujus inſeſſum, erumpentem undecunque ſanguinem, ſiſtere docuit Dioſcorides Cap. 17. Lib. 5. Aliud denique eſt balneum aquæ compoſitum, in quo plures ſpecies, pro diverſa Medicorum intentione, incoctæ ſunt. Atque huc pertinet balneum brodii (ita vocare lubet) ex diverſis ſpeciebus, juſculentis, capite pedibuſque vituli &c. conſtans; à nobis ſuperius in primo Conſilio N. 13. & in ſecundo Conſilio, denuo propoſitum; Et ita quidem à nobis temperatum; ut viſcoſitas illa capitis, pedumque vituli, nullatenus impedimento eſſe potuerit; quo minùs balnei humiditas, ingredientium ſimplicium qualitas, altiùs intra corpus penetraverint; quatenus in ſimilibus balneis juſculentis timuêre Andreas Baccius Lib. 7. Cap. 13. & ex illo Julius Cæſar Claudinus, *in Appendice de Ingreſſu ad infirmos, Sectione* 10.

Verùm miraberis forſan, cur Ægro jam convaleſcenti ac robuſtiori facto Thermas Hailbrunnenſes, adeò jam ſemel proficuas, vel harum loco temperatas alias, quales Weiſſenburgenſes credidit ordinarius, & olim integro libello Joannes Roſa, concurrentibus Joachimo Camerario, & Alberto Menzelio, Medicis deſcripſêre, non ſuaſerimus? ſed potiùs balneum brodii, & olei inſeſſum, ad aliquot multos dies, propoſuerimus? Reſpondeo: uti, in Autumno, Pareſi & materiâ objectivâ læſa membra, efficaci reſolvente medio cauſæ præſentis, item corroboratione artuum inſigni, atque adeo Thermis reſolventibus corroborantibus indigebant; ita nunc præſente Vere, membra pareſi libera, ac non niſi remanens aliqua corporis macies, ſiccitas, brachiorum digitorumque imbecillitas & laſſitudo, malo præſertim, per Hyemem elapſum, multùm miteſcente, nihil ſanè aliud indicabant, quàm modicè calefacientia, humectantia, renutrientia, corroborantia remedia. Galenus Lib. 2. de Medicamentorum Facultatibus, oleum agnoſcit humectatorium, & moderatè calidum; quin etiam laſſitudines illud ſanare, emaciatiſque prodeſſe, eodem in loco affirmat; & cum præterea oleum pingue ſit haud quaquam digerens, & exſiccans, corpora ſolummodò humectans, molliens, ut idem Galenus loc. cit. fatetur; nihil ſanè conducibilius videri poterat, quàm olei, & brodii, uti ſuprà vocabamus, balneum.

Profectò hoc balneum brodii tam extra, quam intra corpus adhibitum, in colicis, arthritide tabidis utile eſſe, ipſa ratio, & experientia convincit. Scio doctiſſimos olim Medicos Bavaricos, Grembſium, Sagittarium, & Sattlerum, hectico & arthritico nobili, Thermas quidem optimo conſilio ſuaſiſſe, ſed in quibus priùs ebullierint herbæ refrigerantes; &

animalium extrema. Scimus, & quotidie experimur; quantùm ſimilia enemeta & balnea, brodii interna poſſint, in hypochondriacis, flatuoſis, ventre dolentibus. Præſtantiſſimus Mermannus Archiater Bavaricus tali eſt uſus formulâ, ſibi admodum conſuetâ, & in ſimilibus doloribus, flatuoſis, hypochondriacis, experta.

℞. Caput unum Caſtrati ſeu Vervecis, Sem. Carvi ℥ß. Coq. in aquæ ℔iii. ad 3. partis conſumptionem, deinde adde Florum Chamomillæ, Melilot. Anethi an. Pj. Rurſus coque ad mediam horam, poſtea.

℞. Colaturæ ℔j. & in hac diſſolve Sacchari rubri ℥ii. Elect. Hieræ ſimpl. ʒiii. Olei Chamomelini, Chyerini an. ℥jß. Salis ʒii. M. f. clyſma.

Itaque nobilis noſter Patiens, ſicuti poſtea per litteras moniti ſumus, cum balneum hoc brodii, (Balneo ex oleo parato, neſcio ob quas cauſas, omiſſo) una cum reliquis, à nobis, in Conſilio præſcriptis, aliquandiu diligenter uſus eſſet, integrè, Laus Deo, convaluit, ita ut paulò poſt Ampliſſimo Viro Domino de Maphæis, mihique pulcherrimas imagines, propria manu noviter pictas, gratus tranſmitteret.

Ante ingreſſum balnei, frictiones molliores imperavimus; neque id ſine juſtiſſima cauſa. Nam cùm frictiones, rectâ methodo factæ, cutim emolliant, laxent; dubium non eſt, quin balnei ſuccedentis qualitas, longè facilius, in corporis poros, per frictionem, modeſtè aperto, ſeſe inſinuârit; noſtriſque intentionibus plenius ſatisfecerit. Molliores autem & mediocres eſſe debebant frictiones, ad cutis aliquam rubedinem: quandoquidem tantùm abeſt, ut fortiores ac duriores frictiones, in ſimilibus debilioribus paralyticis, calorem membro concilient; ut potiùs membrum reſolutum frigeſcere magis faciant; debili ſcilicet membri calore, per duriorem frictionem nimiùm attracto, ac per poros violentius adapertos, ex toto ferè evaneſcente, tantùm poteſt in rebus omnibus mediocritas. De frictionum differentiis, commoditatibus, uſu, præter Hypocratem, Galenus fusè diſſeruit *Lib. 2. de Tuenda Sanitate Cap. 2. & ſequentibus.*

Porrò & illud maximè obſervandum eſſe, moneo: cautè ſcilicet in principio Paraliticos eſſe purgandos, ex uno enim latere reſolutos, materiam cùm quis acri medicamento conatus eſſet educere, etiam ex altera parte paralyſi correptos, vel omnimodâ apoplexiâ concidiſſe, vidimus nos, & vidit aliquoties Reinerus Solenander, Sect. 2. Conſil. 20. quin ſimilia calida attenuantia pharmaca, intempeſtivè & ſine methodo adhibita, etiam in paralyſin præcipitâſſe fæminas quaſdam, quæ nullâ prius nervorum imbecillitate affectæ, ſed ex multa ſolummodò pituitoſâ cruditate, menſium retentione, & pallido colore laborabant, recenſet Rondelentius Lib. 1. cap. 31. Methodi curandi morbos. Supereſt modò, ut quæſtioni in prioribus Scholiis propoſitæ ſatisfaciam: nempe, quomodo; & per quas vias, Pareſis artuum ſuccedat; doloribus in ventre, & in inteſtino colon exiſtentibus.

Plurimi in ea ſunt ſententia; eam ipſam materiam, quæ doloris colici cauſa eſt, ab inteſtinis ad membra exteriora non tranſmitti; ſed aliam materiam aliunde ad membra exteriora fluere. ita Caſparus Hoffmannus in conſil. à Laur. Scholzio editis, conſil. 173. aſſerens: Tum demum hanc Paralyſin fieri; ubi jam maxima pars materiæ pituitoſæ, in inteſtina effuſa, per alvum excreta, ac per paroxiſmos abſumpta eſt; ut jam quodammodo miteſcere, & rariùs invadere colica videatur, tum enim reliquos humores pituitoſos, & præſertim eos, qui ſunt in capite, propter dolores, inediam, vigilias, calidorum & incidentium medicamentorum uſum attenuatos, relicta priore conſuetâ via, ad propiorem viam declinare; ac ita ſecundùm nervos ad muſculos, & ſic ad manus, & pedes, contendere, unde artus laxentur. Atque hinc non in omni Colica reſolvi artus; ſed tantùm in ea, quæ magna ex parte pendet ex delapſu pituitoſi humoris, ex capite, per venas, in inteſtina. Quam opinionem, uti aliquando, & in certis caſibus non improbabilem credo; concedendum tamen non eſt: caput ſemper affici; & ex eo materiam paralyſeos cauſam, in articulos deſcendere. Nam plerique Medici, inter quos, & Sennertus Lib. 2. Inſtit. Part. 3. Sect. 2. cap. 5. & ipſa experientia teſtantur: in hac paralyſi ſeu pareſi ferè principium nervorum non lædi, & caput ab omni dolore alioque affectu eſſe vacuum quod certè accidere non poſſet; ſi materia ſimilis ei, quæ tantos in inteſtinis dolores excitat, in capite quoque hæreret. Ut taceam, Pareſin ex colica factam, multò facilius & citiùs curari poſſe, quam veram paralyſin, ea ſcilicet, ut opinor, de cauſa: quandoquidem in vera Paralyſi, caput & principales nervorum fontes affecti ſunt; in Pareſi verò ex colica, artuum ſolummodò muſculoſæ ac nervoſæ partes; in quas ſcilicet totalis materiæ metaſtaſis facta eſt; capite & nervorum fontibus interim illæſis.

Multi proinde, ex Pauli Æginettæ ſententia Lib. 3. Cap. 43. materiam ex inteſtinis, tanquam criſi, in habitum corporis diſpergi, exiſtimant; quemadmodum abſceſſus in corpore noſtro fieri ſolent, vel morborum permutationes, de via quidem, non adeò ſunt ſolliciti: cùm omne corpus inviventibus tranſpirabile, & transfluxibile ſit. Andreas tamen Laurentius Lib. 4. Hiſtoriæ Anatomicæ cap. 20. Quæſt. 8. metaſtaſin à nervis in venas, & inteſtina, & à venis in nervos facilè fieri poſſe, aſſerit, divini Senis noſtri utique ductus autoritate. Nam convulſio, inquit, in Coacis Prænotionibus, febris finem adfert &c. & 2. Aphoriſm. 26. Præſtat, ait, convulſioni febrem advenire &c. Unde cum febrilis materia in vaſis locum habeat; convulſio verò nervorum affectus ſit; conſequens eſt, ſi febrem convulſio ſedat, materiam è venis in genus nervoſum transferri; & è contra, dum febris convulſionem ſanat; etiam ex nervis, in genus venoſum metaſtaſin fieri.

Hæc Laurentii ſententia, tum ex authoritate plurimorum Medicorum, tum ratione ipſa improbabilis non eſt; liceat tamen & mihi meam qualemcunque profere opinionem.

Cre-

Credo equidem non omnem Colicam à flatulento ſpiritu, aut ab acri humore, inteſtinorum tunicas dolorificè vel diſtendente, vel lancinante, provenire: ſed credo, tanti doloris ſæpius cauſam eſſe, nervorum in inteſtinis, & probabiliter etiam aliquando muſculorum abdominis, convulſionem, factam ab acri humore vel ſpiritu nervos muſculoſque prædictos lancinante. Audi, quid hac de re, pari eruditione & experientiâ Clariſſimus Tulpius Lib. 3. Obſervationum Cap. 22. diſſerat: Rarò contrahuntur, inquit, homini abdominis nervi, attamen frequentius, quam animadvertant Medici nonnulli: confiſi, neſcio quâ imprudentia, quemcunque ventris dolorem, vel fieri à bile acri, vel ob ſpiritum intendentem inteſtinum colon. Verum inæqualis ventris diſtentio, & adſtricta, rigidorum muſculorum, contractio, arguunt ſatis perſpicue, nervos magis, quam inteſtina pati, Alias non contraheretur venter tam inæqualiter: neque latera apparerent tam obliqua vel muſculi recti adeò recta introrſum incurvati; uti luce clarius videre eſt, in hac, de qua hic loquimur, convulſione. hæc Tulpius. Ita etiam prudenter opinatur Clariſſimus Wepferus Obſerv. 39. Ephemeridibus Germanicis Anno 1671. inſerta; nec immeritò ibidem addit: unice me angit, qua ratione conſtrictio hæc ſpecifico aliquo antiepileptico maturè ſolvi poſſit? Quòd ſi igitur nervorum affectus ſit aliquando colicus dolor: atque porro nervi tum abdominis, tum inteſtinorum craſſorum aliqui tum pedum & manuum, ſurculi ſint ex eadem ſtirpe, ſpinæ medullâ, pronati: quid obſtat? quin materia peccans, qualis eſt partim humor tenuis, ichoroſus, vaporoſus, ac forſan particulari pravitate nervis inimicus, ab inteſtini coli & abdominis dolentibus membranis, nerviſque, in nervoſas tum pedum tum manuum partes, eo, quo dictum eſt modo continuas, propellatur? atque criſi, ſed imperfecta, ad extremas corporis artus ab interioribus evacuetur?

Dixi, qualis eſt partium humor tenuis ichoroſus, vaporoſus. Etſi enim nullo modo negem, adeſſe in colicis, plerumque humorem pituitoſum, crudum, inteſtinorum tunicis inhærentem; attamen nemo facilè dixerit, abeſſe humorem tenuem, bilioſum, ichoroſum, acrem ſimul mixtum, iſte enim eſt, qui humoris cruditatem in colo deliteſcentem, fermentando, flatus doloreſque exinde ſuſcitat: iſte oris ſiccitatem & ſitim creat: iſte, tempore paroxiſmi colici & ebullitionis, urinam multo ſulphure tingit: iſte demum, quia tenuis eſt & vaporoſus, facillimè ad artus per ſacram dorſi fiſtulam propulſus penetrat. Hinc Pareſis, de qua loquimur, non eſt ſemper & neceſſariò (meo quidem judicio) nervorum obſtructio vel mollificatio, ut in Paralyſi vera plerumque contingit; ſed ſubinde aliqua alia, qualiſcunque demum particularis artuum enervatio: dependens ab humore, vel vapore, nervorum robori, peculiariter infeſto, &c.

Linguæ, labiorum & maxillæ torpor.

Locus affectus videntur nervi ſeptimi paris vulgò ſic dicti, qui motum impertiunt linguæ: quia dentes ſtringuntur inter loquendum; unde loquela minus intelligibilis efficitur; procul dubio etiam nervi, qui ad maxillæ inferioris muſculos pertinent, ut & ad labiorum muſculos deſinentes nervi læſi ſunt. Nam & dentes & labia obſequioſo & prompto motu ad conſonantium imprimis formationem ſymbolum conferunt; quod apud Reverendiſſimum Dominum non fit, conſtrictione impediente, quæ juvatur, ſi aliquid dentibus interponatur. Affectus linguæ aliquid paralytici ſapit, & dentium conſtrictio quoque paralyſi incipienti potiùs, quàm motui convulſivo maxillæ inferioris muſculorum tribuenda videtur; in qua maxillæ inferioris muſculi deorſum trahentes invalidiores ſunt ſurſum trahentibus, & os claudentibus: nam ſi motus convulſivus adeſſet, non tam facilè os aperiri poſſet. Fragor circa articulum maxillæ inferioris indicio eſt, & articulum illum præter naturam ſe habere, ac muco impletum. Cauſa proxima, hujus ſemiparalyſis linguæ & muſculorum aperientium os, eſt ſerum, quo nimiùm, quàm decet, nervi illorum irrigati ſunt; quod prægreſſi catarrhi, & lingua admodum madida & crebra ſputatio ulteriùs confirmant. Cauſæ antecedentes ſerum, illud cumulantes in capite, ad nervos concitantes, ac his nervis impingentes, variæ eſſe poſſunt; ſcilicet omnia, quæ cerebrum humoribus implent: ut ſunt diætæ errores, ſtudia aſſidua, & intenſæ meditationes, &c. quæ ſerum fundunt, ut itidem labores cerebri, itinera cœlo vel nimis fervido, vel nimis algido, potus vini generoſi ſulphurei, &c. impingunt nervis, imprimis frigus intenſum, cervicem feriens, aut madefactio colli, non probè contra frigus & imbres muniti.

Hujuſmodi Semiparalyſes in ſenibus, qui cerebri conſtitutionem multis erroribus debilitârunt, & in ſomniculoſis prodromi ſunt gravioris mali; quia verò Reverendiſſimus Dominus adhuc juvenis eſt, nunquam ægrotavit, non ſomniculoſus eſt, & cætera ſanus, hanc ſemiparalyſin nonniſi particularem exiſtimo, ſalvo cerebro, nervis his ſolùm cauſæ externæ culpâ læſis, collo non bene contra injurias aëris munito, & in tot ac tantis itineribus diu continuatis, pluribus læſionibus, expoſito. Ideo affectum minùs periculoſum judico, quamvis paulò difficilior curatu ſit; cùm medicamenta ægrè ad locum affectum pertingant, & ad curationem & remotionem cauſæ proximæ, quies & fuga adverſi aëris requiratur, quibus Reverendiſſimus Dominus vix, officii ratione, ſatis vacare poteſt.

Indicationes & ſcopi in curatione præcipui obſervandi ſunt. Primò ſerum in tota maſſa ſanguinea imminuendum, evacuandum, & ſimul à cerebro avertendum. Secundò, quod altiùs ſe nervis inſinuavit, circum circa collum, & in faucibus, diſcutiendum, & unâ operâ nervi roborandi ſunt. Tertiò, proventus ulterior ſeri, & nervorum iteratæ læſiones ſtu-

dioſè caveantur. His ſcopis ſatis fit auxiliis ex Diæta, Pharmacia, & Chirurgia petitis. in Diæta imprimis collum muniendum impoſterum contra frigus, quod collaribus pelliceis ex collo cygni, marte, &c. præſtatur. In cibis fugiendi illi, qui caput replent, ut ſunt cæpæ, allia, raphani, &c. qui ſerum augent, ut fructus crudi, lactuca, lacticinia, braſſica muriâ condita, piſces plerique, carnes adultorum animalium: difficilis coctionis, pravi ſucci, utpote carnes ſuillæ, ovillæ, ſalitæ, fumo induratæ, &c. Nocet ſomnus pomeridianus, nimium otium, alvi pertinax occluſio.

Ex Pharmacia, Reverendiſſimus Dominus ſemel in ſeptimana duabus horis à parca cœna ſumat de pilulis ℈j. aut ampliùs. De cætero utatur etiam morſellis, mixturâ corroborante, Saccharo Roſaceo cum Theriaca ad noctem, linimento, balſamo cephalico, ac denique gargariſmate, & radice Pyrethri, pro maſticatorio. quæ omnia ſic ſe habent.

℞. Extract. Cochiarum, Aurearum an. ℈ii. Ellebori nigri gr. x. Caſtorei gr. iii. Ligni Aloës extracti gr. iv. Mag. Jalapp. gra. vi. Olei Succini gutt. ij. Formentur cum Spiritu Ceraſorum Pilulæ N. LI. inaurentur, aſpergantur pulvere Santal. Citr.

℞. Specier. Diambr. Diamoſch. dulc. an. ʒß. Contra Apoplexiam, Diarhod. Abbatis an. ℈ii. Succini albi ppt. ʒß. Extr. Ligni Aloës gr. iv. Confect. Alkermes completæ ℈iv. Olei nuciſt. expreſſ. gran. vi. Conſervæ florum Anthos ℥ß. Ambræ griſeæ in Spirit. Ceraſ. ſolut. gran. iv. Sacchari in aq. Beton. ſol. ℥vi. Fiant liberâ arte Morſelli ſeu Tabellæ.

℞. Aquæ Betonicæ, Bugloſſi, Paralyſeos, Verbenæ. an. ℥iß. Eſſentiæ Ambræ ℈i. Olei Roriſmarini, Majoranæ an. gutt. i. Confect. Manus Chriſti perlat. ʒß. Miſce; fiatque Mixtura Cephalica.

℞. Conſervæ Roſar. rubr. recent. ℥iv. Majoranæ, Anthos. an. ℥j. Theriacæ Andromachi antiq. ʒij. Miſce.

℞. Ung. nervini ℥j. Olei Lumbricor. terreſtr. ʒiij. Balſ. Mynſichtii ʒj. Axungiæ hominis, Caſtorei, Vulpis an. ʒiß. Olei Nuciſtæ expreſſ. ʒi. Miſce pro Linimento.

℞. Olei Nuciſtæ expreſſ. ʒi. Lavend. gutt. ij. Succini, Majoranæ, Anthos, Rutæ, an. gutt. iij. Balſ. Apoplectici gr. x. Miſce pro Balſamo Cephalico.

℞. Ligni Sancti ℥j. Rad. Pyrethri ʒ ij. Cariophyllor. ʒiij. Fol. Salviæ, Roriſmar. Majoran. an. Mj. Flor. Beton. Roſar. Salviæ an. Pj. Cubebarum, Cariophyll. an. ʒß. Maſtichis ʒiij. Inciſa & contuſa coq. in lib. iiiß. Aq fontanæ, ad menſ. j. conſumptionem, colaturæ adde Mellis Roſat. colati, Anthoſati an. ʒvi. M. pro Gargariſmate.

℞. Rad. Pyrethri mund. ʒß. Detur ad chartam.

Ex Chirurgia, ſi malum pertinax foret, prodeſſet in altero brachio fonticulus; niſi vita negotioſa obſtaret, conduceret ſetaceum: verùm ineptiſſimum eſt & valde oneroſum inter facientibus. Venæſectio quidem ſanguinis copiam imminueret, ſed fortè non tantum beneficium conferret, quantum fortè ſperabitur. Scarificatio triduo ante novilunium, tribus cucurbitulis dorſo, & utrique cubito una affixis, plus prodeſſet. Veſicatoria poſt aures applicita, egregiè à nervis læſis, ſerum avellunt; verùm nondum ad illa deveniendum arbitror. & hæc hac vice ſufficiunt. 14. *Octob.* 1668. *Anonymus in Collectione Conſultationum à Franc. Ignatiô Thiermairiô editâ.*

Clariſſ. Thiermairii. Recenſentur rariores aliquot, Vocis Ablatæ, hiſtoriæ, earundemq; cauſæ.

Multa profectò vocis uſum, & linguæ motum impedire nata ſunt: taceo communes cauſas, partim à Clariſſimo Conſulente Anonymo prudenter allatas; partim in noſtro Conſilio mox ſubſequenti enarrandas: exoticas nunc affero, & animadverſione dignas. Lactationem infantis, nutricem reddidiſſe mutam, narrat Diomedes Cornarius cap. 7. Obſervat. Med. Præmedit. Dum ſcilicet, deficiente lacte, violenter nihilominus mater infantem mammis applicaret; atque adeò ex violentiori ſuctione, nervi recurrentes, ramus ſexti paris (illæſo interim ſeptimo pari, quia lingua & moveri & exeri poterat) à præhumida nutricis temperie ad fauces illico affluente afficerentur, eò uſque, donec variis induſtriis; humiditate illâ præternaturali exſiccatâ, nervis rediret robur, ac matri loquela.

Vocis defectum non à lingua vel ejus partibus, ſed ab auditu impedito ſeu ſurditate aliquando dependere, exiſtimabat idem Cornarius in Conſiliis ſuis Conſil. 10. Litteræ enim omnes, *inquit*, atque artes auditu apprehenduntur, cùm ſoni cujuſcunque idæam mente concipiamus, atque imitando æmulari, ſimilemque ſonum exprimere adnitamur. Quia verò idæa nulla per auditum ad ſenſum communem defertur, nec imitatio ullius fieri poteſt ab organis vocalibus; quæ tandem non agendo nihil agere ſubinde magis aſſueſcunt, ſicut in omnibus ſurdis natis evidentiſſimum eſt.

Loquelam impediri ob diſtorſionem muſculorum in tortura, notabili exemplo nos admonet Fabricius Hildanus Chirurgus ſuo tempore famoſiſſimus: juvat ipſius Authoris verba adferre, ne in arguendo alios videar ego nimis liberalis. Politicos, inquit prædictus author in Præfatione ſui Operis Chirurgici, quoſdam cognovi, qui captivos in tortura clauſis oculis, ac ſi dormirent, obmuteſcentes, omnium ſceleratiſſimos eſſe, etiam coram me aſſerebant; cùm tamen id naturaliter fieri Anatomia nos edoceat. Muſculi enim brachia pectori adducentes, apud Veſalium tabulâ primâ muſculorum L. notati, & oſſi pectoris in eadem tabula M. notati adhærentes, quia brachiis inter ſcapulam & cubitum tenaciter inſeruntur, ut ex tabula quarta muſculorum (in qua inſertio illa in dextro brachio Q. & T. in ſiniſtro verò h. notata eſt) videre licet, ſi brachio retrorſum & in altum, crura verò deorſum trahuntur, pectus adeò conſtringitur & coarctatur, ut reſpiratio impediatur. Muſculi item Laryngis, & nervi recurrentes per conſenſum ita afficiuntur, ut mirum non ſit, hominem in maximis iſtis & crudeliſſimis tormentis obmuteſcere, ac vix ſpirare poſſe. Et quia ex violenta illa corporis extenſione ſecundum par nervorum colli quoque afficitur, ideo palpebræ quoque concidunt, clauduntur que. Somnus itaque ille miſerum

ſerum captivum neque reum eſſe ſignificat: habet enim cauſas ſuas naturales jamjam commemoratas; interim tamen in hac ſomnolentia torturæ, nonnullos de toto obdormiviſſe, exemplis, ſi opus eſſet, demonſtrare poſſem. Anno 1624. Ampliſſimo Magiſtratui meo Bernenſi, pro Bibliotheca ſua, ſceleton virile obtuli, in quo homoplatæ in tortura adeò confractæ fuerunt, ut eas filo æneo connectere neceſſe mihi fuerit. Habeo & aliud in muſæo meo, in quo ſimili modo diſruptas, & à me connexas homoplatas fuiſſe ocularis inſpectio fidem facit. Hæc in gratiam eorum, quibus captivos examinare à magiſtratu demandatum eſt, adſcribere volui, eoque admonitos cupio, ne in examinandis captivis nimis ſint ſeveri; vel, ut ita dicam, crudeles. hactenus Fabricius.

Ex contuſione loquelam totaliter ablatam fuiſſe, memini ego, dum Waſſerburgi Bavariæ oppido Parens meus cum Electoralibus Principibus anno 1646. moraretur. Venit, inquam, tunc temporis homo ruſticus ad Parentem meum conſilii cauſá, & cùm nec unicum verbum formare, nec ſonum quidem edere poſſet, omnia ſua incommoda tabulæ ligneæ, cretâ, quam ſecum ferebat, diſtinctè adſcripſit; & pluribus ſignificavit, quatenus ante menſes ſex cum aliis rixatus de verbis ad verbera pervenerit, ac pugnis plurimis exceptus, demum etiam humi pedibus inſultantium circa collum peſſimè tractatus, vocem ex toto amiſerit, atque ita mutus hucuſque permanſerit. Nullus apparebat ampliùs exteriùs tumor: non magna, ſi rectè memini, in deglutiendo difficultas; proinde dubitabat Parens meus, ne vocis organa ex tot contuſionibus ita fuiſſent læſa, ut deſperata eſſet omnis medela. Interim cùm nollet hominem ſine ſolatio dimittere, & ut ſaltem aliquid feciſſe videretur, potionem purgantem Patienti præſcripſit calidè aſſumendam. quid fit? Redit ille poſt biduum, ac voce penitus reſtitutá Parenti meo ob præſcriptum medicamentum, quod unicè ſibi contuliſſe ajebat, ingentes egit gratias. Credo, quòd purgatio illa vocale nervoſum & muſculoſum genus, ab humore aliquo etiamnum illud præter naturam obſidente humectanteque, illicò liberârit, & debitè exſiccârit.

E contrariò mutum à nativitate, loqui didiciſſe ab accepta contuſione oſſis occipitalis, miro exemplo prodit apud Lazarum Riverium D. Deſgrandſpres Obſerv. 2. Quidam mendicus Ponſenarium prope Muram noctu appellens, à magnæ illius domûs conductore hoſpitaliter exceptus eſt. Ubi per aliquot dies commoratus propter puerum mutum & ſurdum ſecum adductum, qui febre continuâ eadem nocte correptus fuerat; tandem impatientiâ percitus, & de illius ſalute deſperans, clam diſceſſit, ægrumque ibi deſeruit, quem ad priſtinam valetudinem revocatum, conductor primùm agnorum, poſtmodùm ovium & vervecum cuſtodiæ præfecit, quo munere fungebatur egregiè. Contigit autem poſt aliquot annos, ut aleâ ludens craſſiori baculo percuſſus fuerit, quo ictu graviſſimo os occipitale in multas particulas confractum eſt. A quo tamen vulnere valde periculoſo, periti Chirurgi induſtriâ, curatus eſt. Dum autem convaleſceret, ſenſus auditus illi ſuccreſcebat, & verbula quædam balbutire incipiebat, donec tandem integram audiendi & loquendi facultatem adeptus eſt.

Vocem amiſſam ex linguæ per putredinem amiſſione, vocemque iterum ex noviter renaſcente lingua renatam, Horſtius Tom. 3. mihi pag. 115. recenſet. Filius Secretarii laborabat variolis; Pater Chirurgi operâ utitur, præſertim cùm puer de dolore faucium conquereretur. Chirurgus ratus variolas nimis copioſè putreſcere in lingua, gargariſmo utitur, & ſubinde magna fruſta ex ore aufert. Puer tandem obmuteſcit, &c. Tertia die Pater & Chirurgus redeunt, linguamque putredine totaliter abſumptam pronunciant, atque tunc puerum ſeptem circiter annorum prorſus mutum, & juſculum aliquod ſorbentem invenio: paulò poſt os apertum intueor, linguam planè abſumptam uſque ad radicem video, atque in radice magnam putrefactionem ſanie conſperſam deprehendo. Gargariſmos, quibus ſatis commodè Chirurgi utebantur, continuare juſſi, & ſuaſi, ut unicum remedium adderent, ſcilicet linimentum noſtrum, quod

℞. Pulveris florum Malvæ arboreſc. ℥ß. Balauſt. ʒij. Aluminis ʒß. Cum Melle deſpumato q. ſ. Miſce; fiat Linimentum molle.

Planè enim mihi perſuadebam, hoc exulcerationem exſiccari, & carnem aliquo modo à natura in puerili corpore reſtitui poſſe. Semeſtri poſt in aulam reverſus, & ſollicitus de hoc puero, patris ædes acceſſi, illum iterum ſatis expeditè loquentem, ore aperto linguam integram, quæ de novo creverat, ſed paulò minorem invenio; quæ hodie annis circiter tribus ad juſtam magnitudinem perveniſſe dicitur.

Linguam recreſcere rarum ſanè; in puero tamen (prout narravit hîc Horſtius) naturaliter contigiſſe, haud dubium. Supra naturam videtur eſſe, dum Hilbrando Thiermairio Viro adulto, Patruo Avi mei Hildebrandi, Epiſcopo Eyſtadiano Conſiliarii ac loco Cancellarii, lingua, quoad prendi potuit, truncata, ita innocenti recrevit, ut non ſine miraculi opinione rurſum loqueretur. Vide, ſi lubet, totius rei hiſtoriam apud R. P. Matthæum Raderum Soc. Jeſu in Bavaria Sancta Volum. 3. fol. 180. retinenturque penes me acta plurima, hanc rem bona fide concernentia.

Vocem ablatam fuiſſe ab aſſumpto Opio, dum id auribus ob dolorem erat impoſitum, Galenus adnotavit 3. de Compoſ. Med. Ab eodem Opio per clyſma infuſo, balbutiem ſecutam, Platerus Obſerv. Lib. 1. vidit. Nephritico ſeni, inquit, cùm inter alia remedia, quæ dolorem, quo interdum vehementiſſimo laborabat, ſedarent, clyſterem injiciendum curâſſem, cui portionem aliquam Opii diſſoluti miſcueram, poſt ſomnum qui ſupervenit, dolore mitigato, excitatus à ſomno, balbutire cœpit; ex quo nervos linguæ ſtuporem quoque concepiſſe, indeque balbutiem hanc prodiiſſe, uti eandem in ebriis, eodem modo à vino contingere obſervamus, conjicere potui. Verùm uti in ebriis remittente narcoſi vini, loquelam

ruſus integram redire videmus, ita & in illo, poſtquam opii vis diſcuſſa fuit, balbuties ceſſavit. Ita nimirum ea etiam, quæ inferiùs injiciuntur, vi ſuâ narcoticâ, ſuperiora domicilia facilè petunt: quemadmodum à vino per clyſma inteſtinis injecto, Petrus Borellus Obſerv. 56. Cent. 1. mulierem cæteroquin abſtemiam, inebriatam fuiſſe obſervavit.

Hieremias Schvveikard Medicus Græcenſis Thomæ Mermanno olim ſcripſit, quòd nobilis quædam Virgo N. nuptiis proximè deſtinata in febrem incideret, quâ percuratâ, integro ferè anno muta remanſerit; tandem feſtis Saturnalibus, tentatis priùs in caſſum multis remediis, loqui denuo ut antea cœperit, & nuptiæ celebratæ ſint. Rarus caſus! niſi, quod ſuſpicor, fuerit ſimulatio, huic ſexui non admodùm rara. Quidquid ſit; equidem ſæpe miratus fui, qui mares longè frequentiùs muti & linguæ vitiis obnoxii reperiantur, quam fœminæ? an quia fœminis omne robur in lingua? Certè mulieres linguæ difficultate rarò vel nunquam tentari, jam dum Plautus obſervavit, dum canit:

Nam meritò loquaces habentur omnes
Nec mutam profectò repertam ullam eſſe
Hodie dicunt mulierem ullo illo in ſæculo.

Eadem Paralyſis Linguæ, Partiumque adjacentium.

Affectum, quo Reverendiſſimus Dominus ab aliquo tempore detinetur, reduci poſſe exiſtimamus ad paralyſin, non nervos tantummodò, qui motum inſtrumentis loquelæ impertiunt, ſed etiam linguam, illiuſque & partium vicinarum muſculoſas partes afficientem. Lingua ſanè cum ex ſubſtantia carneo-ſpongioſa conſtet, facilè humidiores ſuccos, undecunque etiam copioſiùs ingruentes, imbibit, retinet, atque vicinis partibus liberaliter ſubminiſtrat, non ſine magno vocis & ſermonis impedimento. Unde Galenus Lib. 7. de Compoſ. Med. cap. 5. Vocis organa, inquit, cùm ab humiditate vehementius, & ut ægrè ſolvi poſſint, fuerint madefacta, vox intercipitur: quando verò moderatiùs ſunt humectata, raucedo oboritur.

Ac licet in Reverendiſſimo Viro dentium conſtrictio aliquando, eorumque colliſio cum aliquo ſtridore ſuſpicionem nobis injiciat, motûs alicujus convulſivi; credimus tamen, & judicio doctiſſimi Medici Anonymi conſulentis aſſentimur, inferioris maxillæ muſculos deorſum trahentes invalidiores eſſe, quam de facto ſint muſculi ejuſdem maxillæ ſurſum trahentes, & os claudentes. atque adeò opinamur, inferioris maxillæ muſculos deorſum trahentes, magis à cauſa morbifica irrigatos, & exin robore ſuo deſtitutos, laxitate imbecilliores eſſe.

Præterea cùm videamus, maxillam inferiorem magis trahi ad latus dextrum, non dubitamus, muſculos maxillæ illius in parte dextra ſitos, univerſim, nondum adeò à cauſa morbifica affici, ſed naturali temperie adhuc firmiores, ſubjectam ſibi maxillam attrahere violenter: muſculis, ex adverſo, in parte ſiniſtra poſitis, & ob nimiam laxitatem languidis, imperium neceſſariò ſequentibus. Ita namque à natura comparati ſunt muſculi omnes, ut niſi illorum proprium robur, à ſemetipſis ſibi pari virtute à natura ubique oppoſitis, temperetur: mox ſuis inſitâ virtute ſe contrahentibus fibris, annexa ſibi quæque, pro viribus, etiam contra voluntariam animalis directionem ad ſe pelliciant.

Verum quòd inferioris maxillæ muſculos in parte dextra collocatos, à convulſione abſolvamus, & locum affectum, ipſiuſque morbi eſſentiam, in mollitie potiùs & humidiori laxitate inſtrumentorum vocis, præcipuè verò ex parte ſiniſtra ſitorum reponamus, cauſam addimus, tum quòd ſi motus convulſivus adeſſet (ſicuti Medicus conſulens Anonymus rectè iterum ſentit) non tam facilè os aperiri poſſet: tum quòd tinnitus ac totalis ferè ſurditas auris ſiniſtræ, ab aliquot ſeptimanis continuus, nobis perſuadeat, majorem in illo latere humiditatum acervari colluviem.

Cauſa itaque eſt colluvies ſeroſa, non ſine muco pituitoſo commixta; quam, probabile eſt, tum à toto, tum verò potiſſimùm ex capite in hæc vocis inſtrumenta propè adſita decubuiſſe. Neque hoc mirum videbitur illi, qui Reverendiſſimi Viri temperamentum, conditionem, incommoda, commiſſos in victus ratione errores, probè examinaverit. Omnia enim in id conſpirant, ut Reverendiſſimus Vir à puero litteris deditus, communi litteratis ferè omnibus malo (quod acidulis jam bis adhibitis mitigare ſine dubio tentaverat) vexari videatur: illo nempe, in quo hypochondria ob latentium viſcerem fervorem æſtuant, ob ventriculi viſcerumque naturalium laborioſam coctionem, inquietudines & æſtus nocturni turbant, urinæ aliquando tinctiores apparent, cruditates & ſeroſa colluvies aggregatur, flatus copioſi ſuſcitantur, aures tinniunt, caput humiditatibus & vaporibus repletum, defluxionibus perpetuò fons opportunus evadit.

Caput profectò, quod in hoc, Viri Reverendiſſimi, temperamento calidum humidum ſuſpicamur, & ob frequentes graviſſimoſque animi labores (ut in victûs ratione errores taceamus) vehementius exæſtuans, tanquam ſpongioſa aut glanduloſa ſubſtantia; vel, ut Hippocrates loquitur, magnæ inſtar cucurbitæ ventri impoſita, vapidos crudioreſque humores à ſubjectis viſceribus partim attrahit, partim recipit, partim denique ipſummet per congeſtionem cumulat: per venas deinde, venarum vomitum Hippocrates vocat, in ſubjectas partes effundendos.

Quòd verò caput in Reverendiſſimo Viro ad linguam potius nervos & muſculos inibi ſitos ſeſe exonerârit, haud facilè dixerimus: facit quidem aliquid partium harum capiti ſubjectarum vicinitas: poteſt ſine dubio multum culpa illa à Clariſſimo Medico Anonymo ſuprà conſulente allata, quod collum non bene contra injurias aëris, in tot ac tam continuatis itineribus, munitum fuerit: attamen ſi vinis gene-

generoſioribus ſulphureis, multo viſcoſo tartaro impregnatis, capiti ac nervoſo generi admodum inimicis, cauſam ex parte tribuerimus, forſan non multùm aberrabimus: penetrat illud nervoſas partes, in easque, excrementa ſanguinis ſecum vehendo, deponit. Hinc credibile eſt, non ſerum ſolummodò, uti ſupra monuimus, ſed ſanguinem quoque crudiorem, pituitamque lentam nervoſas has & muſculoſas partes altiùs inſediſſe.

Cæterùm ad alia ſymptomata, in litteris deſcripta, & hactenus à nobis nondum explicata, quod attinet, paucis reſpondemus. Primò. Fragor, quem Reverendiſſimus Vir in utroque latere mandibulæ inter loquendum percipit, mucoſæ humiditati adſcribendus eſt, ipſam articulationis cavitatem occupanti, ligamentaque laxanti. Secundò. Frontis dolor, poſt ſermonem diutius protractum, moleſtans, non malè à Reverendiſſimo Patiente, linguæ inſolito labori dentiumque præcipue adſtrictioni tribuendus eſſe putatur, muſculis nerviſque haud difficulter conſentientibus. Tertiò. Quòd Reverendiſſimus Vir nuper, incipiente hoc affectu, Germanicas voces faciliùs quam Latinas; augeſcente verò morbo utrumque idioma ægre pronunciare potuerit, ſine dubio poſterius hoc linguæ, magis ſemper magiſque præter naturam humectatæ, & ad loquelam ineptæ, adſcribendum eſt: prius verò nativæ organizationi dandum; certum enim eſt, cujuſque nationis homines vocum inſtrumenta ita habere diſpoſita, ut nativas voces promptiùs, exteras verò difficulter, imò aliquas nullatenus pronunciare & exprimere poſſint. quid igitur mirum, ſi in Reverendiſſimo Viro Germano ſermonis inſtrumenta labefactata, Latina vocabula ægrius, quam nativa & Germana proferre potuerint?

Porrò quòd manè Reverendiſſimus Vir commodè, etſi tardè, interdiu verò nullum verbum clarè ut intelligatur, pronunciare poſſit, præcipuè ſi nihil in ore teneat dentibus interpoſitum, reſpondemus, certum eſſe, de humiditate aliquid, in parte læſa, per quietem de noctu, conſumi, unde liberior tempore matutino locutio: lingua verò interdiu motu & loquendi conatu incaleſcens, facilè iterum attrahit imbibitque abundans ſeroſum phlegma, quod à capite aliiſque partibus copioſè affluit, moleſtiſſimæ ſubſequentis ſalivationis materia.

Interim cùm nondum altè ſit defixa malorum radix; Reverendiſſimus Patiens Juvenis virium robore valeat, actiones internas Principes peragat omnes ſine noxa, remedia generoſiora & experta nondum adhibuerit, & demum molliſicatio potiùs & incipiens paralyſis, quàm totalis linguæ annexarumque partium facta ſit reſolutio: firmam, favente Numine, ſperamus ſanitatem, atque tantò minùs dubiam, cùm non dubitemus Reverendiſſimum Virum eam habiturum à Clariſſimis Medicis adſiſtentiam, qualem hæc diuturna & aliquando contumacia mala requirunt. Poſſunt quidem abſenti ægro conſignari in ſcriptis plurima, quæ à præſente tamen Medico; longo uſu & firmo judicio commendando, pro varietate circumſtantiarum vel immutantur, vel rectiùs quàm ab abſentibus adminiſtrantur.

Noſtra itaque opinio eſt, ut Reverendiſſimo Viro duplex quodammodo medicatio adhibeatur; una, quæ hoc tempore hyemali, altera, quæ proximo imminente Veris tempore peragatur. Præſervatio modò inſtituenda primò abſolvitur per Diætam, ſeu ſex res nonnaturales à Medicis appellatas, ſunt autem aër ambiens, cibus & potus, ſomnus & vigilia, excreta & retenta, motus & quies, animi affectus: quæ niſi perquam exactè obſerventur, irrita ſunt reliqua omnia, quæ adhibentur remedia, malo ut plurimùm altiùs agente & propagante radices.

Aër temperatus ſit ad caliditatem parum & ſiccitatem declinans: calidus in hypocauſtis, igne vehementer ſuccenſo, caput onerat, atque humiditates reſolvendo deſtillationes auget. fugiendus eſt humidus, ventis vel nebulis turbidus, frigidus aër: nam ut Aquilonius flatus adſtrictione & expreſſione, inſtar manùs ſpongiam aquâ plenam exprimentis, deſtillationes concitat, ita & è contrario fundendo ac liquando Auſtrinus movet capitis excrementa. Vitanda itaque, vel quantum fieri poteſt, corrigenda eſt aëris inclementia, partim tegumentis, partim ſuffumigiis, ex Tacamahaca, Benzoin, Succino, Maſtiche, Roſis, Caryophyllis, &c. paratis; eâ tamen cautione, ut à juvantibus & lædentibus deſumantur argumenta; odoratiora enim ad humores in cerebro fundendos apta (inter quæ & Balſama apoplectica, præcipuè, ſi Moſchus & Zibethum prævaleant) non ſemper tuta eſſe judicamus. quare ſequenti formâ paratum laudamus Balſamum, naribus, ſuturæ, nucchæ, per vices inungendum.

♃. Olei Nucis Moſchat. ʒij. Balſ. Succini, Majoranæ, an. ʒj. Ol. ſtillat. Roſarum, Rad. Rhod. Caryophyllorum an. gutt. vi. Succini gutt. iij. Miſce.

Cibus & potus frugalis eſto, cœnaque prandio frugalior. quanti alimentorum parcitas ad morbos complures perſanandos ſit momenti, docet experientia, & Reverendiſſimus Vir pro ſua prudentia ſufficienter novit. Inter cibos deliget carnem vitulinam, pullorum, caponum, gallinarum, avium nemoralium, melioris ſpeciei, quales ſunt attagenes, phaſiani, perdices, alaudæ, turdi, columbi ſylveſtres &c. cerebra gallinarum, leporum, tanquam ſpecifica, in his affectibus commendantur ab Arabibus. cavebit verò ſibi à carnibus bovinis, porcinis, cervinis, cæteriſque ſalitis, ac fumo ſiccatis, ab anſerinis, item & anatinis, ſicut & reliquarum avium, quæ in aquis degunt. Piſcibus non veſcatur, vel certè rariſſimè, iiſque ſaxatilibus tantùm. Omittet ova ad duritiem cocta, acetaria cruda, legumina, aromatum copioſiorem uſum, cæpas, allia, ſinapi, raphanos, lacticinia, paſtilia, caſeum, fructus fugaces, exceptis paucis ficubus, pauciſque uvis bene maturis, in prima menſa ſuo tempore concedendis. horum loco conveniunt pruna Ungarica cum ſaccharo, vino, & aqua cocta, nec non interdum pomum dulce coctum, aniſo conſperſum. Olerum uſus parcior eſto; ſin alvus adſtricta, ſpinachia conducet: aliis temporibus ſummitates fœniculi recentes teneræ, petroſelini folia cum radicibus, ſalvia, roſmarinus, pimpinella, aceto-

ſa, majorana, chærefolium, borago, cichorium, carnibus rectè incoquentur: eligendo ſemper in hyeme calidiora; temperata magis in æſtate. Cæterùm aſſa potius quam elixa conveniunt, niſi alvi ſiccitas obſtet, vel (quod ob mandibulæ laxatam aliquatenus articulationem ſuſpicamur) maſticandi & deglutiendi difficultas impediant: hac enim præſente, minimè improbamus liquida, cùm a nimia & laborioſa maſticatione, ſeroſam colluviem ad partes, antè multa humiditate laxas, attrahi non immeritò ſuſpicemur. Menſa tandem claudatur dimidio cochleari ſeminis fœniculi, ſaccharo non multo incruſtati, cui tertia pars ſeminis coriandri præparati, & ſaccharo cooperti, ſit admixta. Vinum generoſum & meracum, ſulphureum tartareum, caput replet, nervoſque ferit vehementer: eligatur igitur oligophorum, vel, ſi generoſius ſit, aquâ diluatur, cui panis infuſus, aut momentum maſtichis incoctum ſit. Proderit, ſi primus hauſtus fiet aliquando ex aqua fontana, cum floribus & ſummitatibus roriſmarini in B. M. deſtillata. Ita etiam admittitur ſubinde hauſtus ex vino ſalviato vel roriſmarini factus. Quod ſi Reverendiſſimus Vir Vinum Medicatum, particulari à nobis experientiâ comprobatum, ſibi pararet, ſaluberrimum illud futurum non dubitamus, in prima ſemper menſa, ad quartam partem menſuræ noſtratis (quarum una treslibras medicinales capit) admiſſum. vinum ita conficitur.

℞. Ligni Lentiſcini ℥xii. Viſci querni, Rad. Rhod. Santali citrin. Salſæ Parigl. an. ℥iij.

Inciſa imponantur in ſacculum lineum amplum, & in menſuris aquæ xv. ad conſumptionem quartæ partis decoquantur, addendo ſub finem, donec intumeſcant, Paſſularum major. rejectis purgaminibus ℔iv.

Omnia dein actu calida projiciantur in dolium capax unius urnæ, ſeu menſurarum noſtratium 72. ſuſpendendo nodulum, conſtantem ex Mii. florum Anthos. mox impleatur totum vas vino Tyrolenſi, ſeu albo, ſeu rubello bono, & fermentationi relinquantur, quâ ſufficienter factâ, vas optime ad xx. dies obturetur, ac tandem uſui reſervetur.

Somnum interdiu fugiat: pomeridianus capiti nocet, nec unquam admittendus de die, niſi forſan Reverendiſſimus Vir noctem habuiſſet inſomnem: attamen nec prandium nec cænam ſomnus immediatè excipiat; ſed cænâ peractâ, lento gradu in conclavi obambulet, & poſt duas horas quieti ſe tradat; vigiliis in hoc affectu magis, quàm multo ſomno neceſſariis.

Alvum laxam eſſe oportet, quæ ſi non reſpondeat, cibis laxantibus, ſuppoſitoriis, clyſteribus in caſu præſenti utiliſſimis, tum domeſticis, tum etiam acrioribus, vel tandem pilulis ſollicitanda erit ut caput à vaporibus ſubvolantibus non oneretur, aliaque periculoſa accidentia præcaveantur; in quem finem probarentur nobis pilulæ ſequentes, ſemel in ſeptimana ad ʒß. poſt cænam frugalem, circa mediam noctis ſumendæ, ſuperbibendo manè ſequenti juſculum cum ʒiß. Cremoris Tartari.

♃. Aloës Soccotrinæ ℥j. Succi Roſarum vel Mucchari Roſar. ℥x. Salviæ, Cichorii an. ℥ij. Evaporent calore hypocauſti vel in B. M. ad Mellis conſiſtentiam, adde Agarici trochiſc. Rhab. elect. Diagrydii Roſat. an. ʒij. Speer. Diamb. ʒj. Olei ſtillat. Caryophyll. Rad. Rhod. Macis. an. gutt. vi. Succini albi præparati ʒß. Cum Melle Anthoſato, fiat maſſa, & formentur Pil.

Corporis exercitium manè, jejuno ventre, & poſt prandium, abſoluta ſtomachi coctione, inſtituatur; ſiquidem pleno ventre exercitium, non tantùm non prodeſt, ſed quàm maximè nocet, quod ipſum quoque obſervandum eſt in uſu balnei, quod nunquam repleto ſtomacho, ſine magnæ noxæ periculo, adhibetur. lectioni, ſcriptioni, ac meditationi plurimùm vacare, & præſertim mox ab epulis, planè eſt inconſultum.

Ira omniſque vehemens animi contentio ac perturbatio, cerebrum mirè lædit, præbetque diſtillationibus occaſionem; contrà mentis tranquillitas, ac hilaritas, conferre non parùm creduntur. magnam enim vim habet ad pellendos morbos animus quietus, non irâ aut mœſtitiâ turbatus; ut rectè dixerit Menander: Morbum ferre multò ſatius eſſe, quàm triſtitiam; quin imò, ut Aurelianus loquitur, Animorum curæ, motibus corporis turbationem ſæpiùs vehementer addiderunt.

Cæterùm hoc tempore hyemali, conſulimus, ut Reverendiſſimus Vir ſemel in menſe, ante novilunium expurgetur pilulis mox deſcribendis, quinque horis ante cibum, atque poſt horas duas juſculum epotet, unà cum Cremoris Tartari ʒiß.

♃. Pil. Cochiarum, De Bryonia an. ʒß. Cum Melle Anthoſ. fiant Pil. num. 20.

Si forma Electuarii magis arridet, talis parari poterit, omiſſis Pilulis.

♃. Elect. Diaphœnicon. Indi majoris an. ʒij. Conſervæ Roſar. ʒiß. Cort. Citri condit. inciſ. ʒß. Magiſt. Jalappæ gr. vii. Fiant Boli cum Saccharo.

Factâ ſemel tali purgatione, Pulverem Viperinum proponimus ad ℈iß. addendo grana duo Specierum Diambræ pro una doſi, ad dies quadraginta continuatum, ac cum modico juſculo calido, vel cum vino Salviato, manè jejunè ſumptum: ſanguinem egregiè mundificat, movet à centro ad circumferentiam, humiditates reſolvit, particulari vi balſamicâ, viſcera roborat, præſtans in omnibus affectibus chronicis remedium.

Ad evacuationem particularem, faciunt gargariſmata & maſticatoria. illa ex vino parabuntur cum infuſione Salviæ, addendo quartam partem aquæ Salviæ, & Ceraſorum nigrorum: vel ex Aqua Salviæ, Primulæ Veris, Betonicæ, Tiliæ, cum Melle Anthoſato percolando, & bis in die, manè & ſerò, os tepidè colluendo. eâ ſemper cautelâ adhibitâ, ne uſus frequentior attractione noceat. hæc verò ſeu maſticatoria fient ex trochiſcis ſequentibus.

♃. Mithridatii, Acori condit. Nucis Moſchat. condit. Cort. Citri condit. Conſerv. flor. Primul. Veris an. ʒij. Cum Succo Salviæ fiant Trochiſci.

Semel

Semel vel bis in die adhibendi, non negligendo cautelam, de qua paulò antè monuimus.

Pro confortatione ac exſiccatione laudamus primò tum conſervam Roſarum, Anthos, Tiliæ, Primulæ Veris; tum Mirobalanos conditos horâ ſomni ſumendos, tum, quæ longè meliùs præſtat conſervam Salviæ bacciferæ, Venetiis allatam; aqua ex Caryophyllis recentibus viridibus deſtillata, quæ ex Indiis deportatur, mirè conducit; aut illius loco, aquæ Carbunculi cochlear unum, horâ ſomni, deguſtatum, globuli è Succino facti, & ad collum geſtati, caput exſiccant roborantque; idem efficit pulvis craſſus ex Caryophyllis aquâ Roſarum aliquoties irrigatus, & iterum exſiccatus, addendo pulverem florum Anthos, Roſarum, Rad. Rhod. ſuturis, & capiti inſperſus.

Tempore Veris proximo expurgandum cenſemus corpus epicraticè, Brodio laxativo, Syrupo Regio Aureo, Melle Roſato Saccharino, Potione Ducali, Electuario Paſſulato, Electuario Diacatholiconis, Lenitivo, Indo majore, Pilulis ſi opus, Cochiis, Aggregativis, ſine quibus, præcipuè è Bryonia, quæ admodum ſunt correctæ. Alterantia deobſtruentia non negligenda, Viris in arte Medica præſtantiſſimis pernota. Acidularum uſus in ſubjecto ad hypochondriacam proclivi conduceret quidem, ſed abſtinendum modò, &, magis urgenti incumbendum eſſe, conſulimus. Itaque poſt univerſalia adhibita, laudamus Decoctum Columbæ ſylveſtris cum China, Santalis, Salſa, Viſco querno, ad viginti dies potum, præmiſſo ſemper alternis diebus Unicornu minerali, ſumpto ad ℈j. cum aqua Cardui benedicti & Speciebus Diambræ, pro eliciendo, in lecto, ſudore. Denique embrocationes, ſtillicidia, thermas naturales ſulphureas aluminoſas, etiam ad gargariſmata uſurpatas, item debito tempore venæſectionem in brachio, ſub lingua, venarum ſedalium apertionem, inuſtionem ad nucham, ſetaceum & quæ ſunt alia tam ex Pharmaceutico, quàm Chirurgico fonte deſumpta, hic pluribus non enarramus; ſed ſubmittimus unà cum cæteris judicio Clariſſimi Medici ordinarii, qui tanquam præſens, prout immutantur, vel nova emergunt ſymptomata, mutare etiam remedia noverit. Deus optimus maximus vota Medicorum ſecundet. Monachii 23. *Decemb.* 1668. *Joannes Jacobus de Maphæis. Franciſcus Ignatius Thiermair.*

Scholia Thiermairii. Vlterior quaſi Conſultatio de hoc caſu inſtituitur. Item de vocis origine, rarioribus Linguæ affectibus & uſibus.

Doctiſſimum Anonymi Conſilium primô locô ſuperiùs allatum, licet ſine ſubſcriptione Authoris nobis fuerit tranſmiſſum, ob quaſdam tamen conjecturas videtur eruditionem & experientiam ſapere Clariſſimi Viri Joannis Jacobi Wepferi, Medici Schafhuſienſis, ſæpius à me laudati. In cujus confirmationem noſtrum quoque reſponſum, ſecundo loco poſitum, ita rogati attexuimus; quod reſponſum cùm ſatis fusè & dilucidè, ni fallor, deduxexerim, Scholia hæc mea paucis abſolvenda eſſe cenſui; id unum interim monens, quòd Reverendiſſimus Patiens paulò poſt febri fuerit prehenſus, atque adeò noſtrâ præſcriptâ curâ uti non potuerit. Verùm, imminente Vere, iterum de aliquibus à Reverendiſſimo Patiente interrogati, ſequentem fere in modum reſpondimus: Peragendam eſſe curationem, cujus methodum in nupero noſtro Conſilio tranſmiſimus, niſi nova accidentia illam juxta Medici præſentis judicium immutent. Venæſectionem, dummodo corpus ex præcedenti febri non nimis debilitatum aut emaciatum fuerit, pro viribus inſtituendam: thermas ſi calidæ ſunt in ortu & virtute, contemperari; vel etiam poſt eas adhiberi intrinſecè cichoreacea, acidulas; extrinſecè inunctiones ad regionem hepatis refrigerantes fieri poſſe: curam ſudoriferam, ſi quæ opus videbitur, futuram moderatam, præſertim ſi advertatur phlogoſis aliqua hypochondriaca, à qua non videtur immunis Reverendiſſimus Patiens, prout pluribus in noſtro Conſilio deduximus. Inter præcipua remedia, aliis non conferentibus, fore ſetaceum, remedium, quo fluxiones evocantur, ad exteriora derivantur, humiditates abſumuntur, partes corroborantur, atque adeò ſæpius affectus, cæteroquin incurabiles, reſolvuntur.

Cæterùm vocem à nervis recurrentibus impertiri aſperæ arteriæ, in ſuperioribus Scholiis ſuppoſui ex Galeni doctrina: cujus rei veritatem Marcellus Donatus cap. 2. lib. 3. de Hiſt. Med. Mirab. ex Realdo Columbo ita explicat. Hi reverſivi ſeu recurrentes vocalesve nervi, ſurſum revertuntur aſperæ arteriæ adhærentes, atque in laryngem immittuntur: recurrentem nervum ita facilè agnoſces, tum quia albicat, tum quia inſtar fili videtur eſſe; hunc elevato: nam ſi illum digitis compreſſeris, dictum ac factum miſero cani vox imminuitur; ſi manum detrahas, ita ut animalibus ſpiritibus aditus pateat, vox denuo revertetur, ſin dextrum nervum abſcindas, prorſus amittitur. Nunc de ſiniſtro reverſivo nervo dicamus. Adminiſtratio eodem modo fiat, quo in dextro dictum eſt, ſi nervum vinculo excipias, & coarctes, ſtatim mutus efficietur, ſi diſſolvas, ſemilatrabit, ob dexteri nervi abſciſſionem, ſi tranſverſim diſſecueris, mutus in æternum fiet; ſupervivere tamen poſſet, ſi dimitteretur cum tanto vulnere, niſi alia afflictio adderetur. profectò pulchrum eſt ſpectare, conſideratuque pulcherrimum, quo pacto duo nervuli adeò parvuli tam bellam edant actionem, qualis eſt vocis ipſius efformatio, nemo eſt, qui non obmuteſcat. Hanc rem non poterat ſatis admirari doctus atque inſignis Philoſophus Hieronymus Pontanus, & Excellentiſſimus Medicus Pontificius, Paulus Manilius, nec non Excellens Joannes Valverdius anatomicæ artis valde ſtudioſus, meique amantiſſimus, cùm præſertim ſciret Ariſtotelem ſentire, vocem à corde proficiſci. Quòd ſi quis Ariſtotelis ſententiam obſtinatè tueri velit, inquiens, arteriis carotidibus vocem amitti, is ſciat, niſi unà nervus recurrens vinciatur, quod ſæpe uſu venit, id nullo pacto factum iri; veriſimileque eſt, eos, qui Ariſtoteli impoſuerunt de vocis origine, quòd à corde oriebatur, eâ conjectura nervum reverſivum unà cum arteria carotide vinculis excepiſſe.

Porrò,

Porrò, de linguæ vitiis variis & communibus, paſſim Practici. Rariora ſcripsêre & quidem de lingua duplici & bifida in puero Borellus Cent. 2. Obſerv. 63. De linguæ ardore & ſiccitate extra febres Bootius de Aff. omiſſ. cap. 8. cujus exemplum ego nuper in Viro religioſo vidi & curavi. De portentoſo linguæ tumore, hirudinum ſuctu curato Zacut. Luſit. de Principum Med. Hiſtor. Obſerv. 47. De linguæ incontinentia Mercurialis Tom. 2. conſil. 104. De vocis admirandis interceptionibus Marcellus Donatus cap. 2. lib. 3. de Medica Hiſtoria Mirabili. De Muliere, quæ brachiis deſtituta, horum opera linguâ perficiebat Tulp. lib. 3. cent. 54. De miro Linguæ in variolis uſu Thom. Bartholinus Hiſtor. cent. 1. Hiſtor. 29. cujus verba lubet apponere. Linguæ humanæ, *inquit*, & ſalivæ inſolitum uſum non ita pridem muliercula propalavit. occupaverant variolæ epidemicæ univerſam faciem tenelli filii N. & minitabantur exitium. fruſtra aliis tentatis, nutrix dolore infantis commota & commiſeratione, linguâ propriâ oculos pueri lingebat, ſicque reſeratis oculis, abſterſaque ſanie convaluit infans, morti antea relictus. Ita ſcilicet pars illa corporis, quæ toties lucem alienæ famæ loquendo obſcurat; alienis oculis lumen conſervare ac reſtituere lingendo valet.

Obſervationes.

Adoleſcens, cui manus reſoluta erat, brachium ſibi frangens, reſtituitur.

Helvetius quidam Adoleſcens..... Lauſannæ ſtudiis dans operam, ex arbore cadens, brachium ſibi ad carpum frangit. Ego in conſilium adhibitus, fracturam feliciter ſanitati reſtitui.

Ante annos autem aliquot, contuſionem talem circa carpum ejuſdem brachii ex caſu quoque contraxerat, ut eo tempore manus veluti reſoluta & impotens permanſerit: poſtrema autem curatio tam feliciter ſucceſſit, ut manus penitus in integrum reſtituta fuerit. Cauſam hujus ſanationis hanc eſſe, mihi videtur: Primus affectus ſive contuſio carpi, cùm ab imperito male curata eſſet, & imprimis plurima medicamenta refrigerantia applicata fuiſſent, materia quadam viſcida inter oſſa carpi remanſerat, quæ cùm poſt fractum brachium ab humore affluente veluti irrorata, emollita & excalefacta eſſet, poſtea medicamentorum emollientium & reſolventium, à me ſummâ quâ potuit fieri diligentiâ, adhibitorum beneficio, reſoluta & diſſipata fuit. Quæ exitioſa nobis videntur, frequenter commodum maximum adferunt. *Gulielmus Fabricius Hildan. Obſerv. Chirurg. Cent.* 5.

Pro Paralyſi.

Famulo Zythepſæ alioqui ſeni ex debili apoplexia paralytico hæc ſequentia adhibuimus remedia: imprimis cum ſanguinis copia cum multa pituita commiſcetur, & facies rubicunda eſſet, viribus utcunque conſtantibus, ex brachio dextro ſano (nam ſiniſtrum & crus paralyſi affectum erat) minutionem ſanguinis moderatam fieri juſſimus, ne corpus calore deſtitueretur. Nullum enim aptius eſt remedium circa principium teſte Ætio, ſi nihil ſit quod prohibeat, quam venæſectio a partibus ſanioribus; ſed moderata, ut idem conſulit, ne refrigerentur ægri: ubi verò paralyſis ſenſim genita eſt, & jam dudum facta, venæſectio non ita convenit: deinde clyſtere immiſſo, humorem infeſtum decocto ſequenti concoximus.

℞. Fol. hyſſopi ſalviæ majoran. herbæ paralyſis, ivæ artheticæ fol. lauri: an. M. i. F. omnium decoctio, in colat. ℔j. adde ſyr. de praſſio, hyſſopi, è ſtœchade an ℥j. M. pro tribus doſibus matutinis. Interea juſſi, ut hoc melicrato uteretur ad aliquot dies loco cereviſiæ pro potu.

℞. Hyſſop. M. iv. ſalv. roriſmar. an. M. ij. coq. in aq. pro ℔ i ß. addatur mellis q. ſ. F. melicratum pro potu: mox exundantiam materiæ minuebam his pilulis.

℞. Pilul. hier. alephang. agar. troch. an. ℈j. cum aq. ſalviæ, F. pilulæ 5. Hic autem & caſſiam & mannam, ſerum lactis, & ſyr. ex infuſ. roſ. utpote minus efficacia fugere oportet, quamvis non debeamus ſtatim uti validis admodum purgantibus medicamentis in principio. Poſtea has pilulas præſcripſi.

℞. Pil. fœtid. coch. an. ℈j. Turbith. el. & caſtor. an. ℈ſs. Troch. alhand. gr. 2. cum aq. ſalv. F. pil 7. Sumantur ſub ingreſſum lecti. Corpore prius ſatis repurgato, deinde iis quæ à capite proprie materiam deducunt, uſus ſum, ſic.

℞. Nuc. moſch. pyrethr. pip. alb. an. ʒj. Hyſſopi ʒß. Uvar. paſſ. ʒj. cum melle adjecta maſtiche. F. paſtilli manſiles, ſeu maſticatorium: & ſuccis betæ, majoran. rutæ, braſſicæ; cum melle deſpumato naribus attractis, fiebant errhina. Poſtea utebar conditis ex rad. acori, pœon. conſerv. anth. ſalviæ, mithridatio, theriaca, diamoſcho, & diacaſtoreo valde exiguo, adjectis. Sumat etiam in diluculo theriac. ʒj. cum vino ad ſudorem eliciendum. Ultimò ad topica veniendo, nucham & membra paralytica, prius confricata panno aſpero unguento aregon. martiat. oleo coſtino, nardino, & felino inungere mandavimus. Ita conficitur oleum felinum.

℞. Præpinguem felem in culina ſaginatum, quem detracta pelle exenterato, & projectis interaneis, capiteque truncato, totam noctem in aq. vitæ merſum finito, manè totam cavitatem foliis laurinis, ſalv. ruta, lavendula, roremarino, infarcito: in ipſam præterea carnem lardum defigito, inſertis quoque affatim cariophyllis; in veru lento igne torreto, quod deſtillat pro commodiſſimo linimento uſurpamus; & membrum affectum deinde diligenter pellibus vulpinis aut felinis involvimus, hiſce remediis tum hic, tum alii multi convaluere; etiam in quibuſdam paralyticis commodè utentes decocto guajaci, adjectis herbis nervos roborantibus, ut eſt herba paralyſis, iva arthetica, betonica, lavendula, roſmarinus: nonnullis jubentes, ubi alia remedia non ſatis conferunt, ut thermas ſulphureas, aut aluminoſas accederent. Auguſtus (atteſtante Suetonio) quoties nervorum cauſa marinis, Albuliſque calidis utendum eſſet, contentus hoc erat, ut inſidens ligneo ſolio, manus ac pedes alternatim jactaret. Solium adornetur ex decocto vulpis vivæ, ſulph. ſalis, ſalviæ, ebuli, menthæ, artemiſiæ, lauri, & ſimilibus. Vulpes viva aut mortua in oleo decocta, diſcutiendi vim oleo conciliat,

liat, adeo ut humores alte fixos in cutem extrahat. Nos caniculos vivos in oleo aliquando in partes diſciſſos decoximus; & ad paralyticum, poſt univerſalia remedia utiliter uſi ſumus. *Petrus Foreſtus. obſerv.*82. *lib.*10. *De Cerebri Morbis.*

Præmiſſis univerſalibus, ad ſudoris provocationem utatur decocto rad. bardanæ: ſudorem enim egregiè movet. Bettus, cum agerem Bononiæ in Italia, hac ſequenti inunctione in paralyticis commode utebatur.

℞. Lumbric. terreſtr. lotor. in aqua (melius in aq. vitæ) & in furno exſiccator, & pulverizat. ℔j. Pulv. zinzib. galang. an. ℥ß. confice cum oleo lil. vel coſtino. Eſt mirabile per eundem expertum. *Petrus Foreſtus. obſerv.*83. *lib.*10.

Poſt univerſalia remedia alienum non erit membra affecta inungere cum pinguedine ex catellis ruſis ad oſſium ſeparationem coctis in aqua, collecta poſt refrigerationem: ea enim pinguedine fœliciſſime uſus ſum in Prætore Leidano, qui ex colico dolore inciderat in reſolutionem pedum. Valet etiam decoctum ligni & ſalſæparillæ, quo nos etiam fœliciter uſi ſumus in Mercatore. *Idem. Schol. obſerv.*85. *lib.*10.

℞. Pulv. pyrethr. ℥j. Bulliat cum ℔j. Olei oliv. ad tertiæ partis conſumptionem. Cum iſto oleo calido læſa membra quater aut ſaltem ter in die ungantur: magnificè confert.

℞. Rad. pœon. hermodactyl. artanitæ, rutæ, an. ℈j. Coq. in duabus ſitulis aq. marinæ ad conſumptionem tertiæ partis: ut fiat fotus, quo benè calido cum ſpongia foveantur partes ſtupidæ ante unctionem. *Bartholomæus Montagnana, conſ.* 48.

Frequens illinitio facta ſuper membrum affectum cum theriaca diateſſaron eſt de meis expertis. *Barthol. Montagnana, conſ.*244.

Pro paralyſi trium digitorum manus fiant inunctiones in cervice ex oleo terebinth. bis in die manè & ſerò, & iiſdem utatur ad digitos læſos. *Rodericus à Fonſeca. Tomo* 1. *conſult.* 82.

Inungantur partes affectæ per menſem unguento de bdellio, quo nullum præſtantius aliud pro hac complenda operatione comperitur, ita fit.

℞. Bdell. ʒvi. euphorb. ℥ß. Caſtor. ʒiij. Sagapeni ʒß. ceræ ʒxv. Ol. ſambuc. ʒx. Bdellium & ſagapenum diſſolvantur in aq. rutæ agreſt. deinde addantur cætera, & fiat unguentum S.A. *Amatus Luſitanus. Curat.*22. *cent.*4.

Sacrificus quidam ſeptuagenarius ſenex optimi habitus & magnatum virium, ſed vino generoſo nimium ſe implere ſolitus, derepente ſub noctis medium cum oris tortura in dextræ partis reſolutionem incidit, cruræ dextro; ac itidem brachio reſolutis, ad hunc vocatus, ſtatim hunc clyſterem injiciendum curavi.

℞. Fol. malv. biſmalv. viol. bliti mercurial. branc. urſin. an. Mj. fol. hyſſop. cent. min. & ſalv. an. M.ß. agar. in petia rara ligati ʒiij. Sem. aniſ. aneth. carvi, rutæ, an. ʒij. polipod. q. conquaſſ. ℥j. flor. ſtœchad. & anthos, an. p.j. furfur. macri, p.ij. F. omnium decoctio in colat. ℔j. diſſolv. catholic. ℥j. Elect. Indi maj. ʒß. Ol. rutæ & aneth. an. ℥ij. Mell. anthos ℥j. Salis gemm. ℈ij. M. F. clyſter: quo injecto, mira aquoſæ & ſpumoſæ pituitæ copia educta eſt: tum vero ipſo die, poſt duas ab accepto clyſtere horas è media ſiniſtri brachii vena ſanguinem ad revulſionem detraho, idque moderatè ad ℥vi. tantum: (erat enim licet ſenex, ſanguine plenus) miſſo ſanguine, & uno die ægro quieſcere juſſo, altero poſt die pilulas has leves devorandas propino.

℞. Pilul. aſajeret & cocciar. an. ʒß. Agar. troch. ℈j. Maſtich. diagrid. an. gr.ij. M. & cum aq. ſalv. F. pilul. 7. Capiat tribus hor. poſt levem cœnam. Poſtea ſequens apozema nervos calefaciens & pituitam attenuans ſumere juſſi, octo totis continuatis diebus, & mox à ſyrupo elect. diamoſchi tabellam devorandam dabam.

℞. Rad. pœon. maris ℥j. Rad. acori veri. galang. enulæ camp. an. ʒß. Summitat. hyſſop. ſalv. majoran. prim. veris, chamædr. chamæpit. an. M. ß. cubeb. & ſeſel. an. ʒij. Bacc. Juniperii ʒiij. Liquirit. raſ. & contuſ. ℥ß. Raſ. lign. ſanct. ℥iv. Infund. rad. & lignum in aq. & vino albo & ſenſim lento igne decoq. Poſtea additis herbis & ſeminibus F. decoctio, addendo in fine flor. ſalv. ſtœchad. anthos & bugl. an. p.j. colat. add. ſyr. capill. veneris. mell. roſat. mell. anthos, an. ℥iv. Sacch. q.ſ. ut fiat ſyrupus clarificatus & aromatizatus cum cinnam. el. ʒiij. Nuc. moſch. ʒjß. pro quatuor aut ſex matutinis. Syrupus hic ſudorem movebat, quem ego naturæ motum adjuvans, ſtragulis bene cooperto ægro promovebam. Finito ſyrupo, & coctione jam in lotio apparente, pillulas ſequentes dedi.

℞. Pil. coch. & fœtid. an. ℈ij. Troch. alhand. & maſtich. an. gr.ij. cum aq. ſalviæ, F. pil. 9. in craſtinum pilul. quæ fœliciter operatæ ſunt conſervam anthos cum mithridatio in aurora dedi, quinque poſt horis ægro abſtinere juſſo. Poſtea opiatam talem confeci, qua alternis diebus utebatur ad quantitatem caſtaneæ magnæ, aqua ſalviæ deſuper epota.

℞. Conſerv. anth. & ſtœchad. an. ℥jß. conſerv. acori, ℥j. conſ. ſalviæ ℥ß. Zinzib. conquaſſ. ʒiij. Pulv. diamoſch. d. ʒj. Mithrid. el. ʒij. Pulv. nuc. moſch. ʒj. Sem. pœon. & gran. Juniperi, an. ℈ij. Cerebri lepor. aſſati ʒj. M. & cum oxym. ſcillit. F. in modum opiatæ capiat ut dictum. Mirifice ſe ab hac juvari æger teſtabatur, quòd, ut affirmabat, calorem infundi membris jucundum ab hoc medicamento ſentiebat, à quo maximè juvabatur. Ad topica deinde me converti, ubi prius errhinis uti ægrum juſſi ex decocto ſampſuchi & betæ nigræ cum agarico, & momento gingiberis; addita in colatura ſucci anagallidis flore purpureo ℥j. primùm loca affecta & nervorum radices circa dorſi ſpinam inungi juſſi ſequentibus oleis, ut à levioribus inchoarem, ut fieri ſanè debet.

℞. Ol. chamæm. lil. albor. an. ℥ij. Ol. cheirini & laurini, an. ℥j. M. inungatur iis calidè tota dorſi ſpina. Deinde hac efficaciore uſus ſum unctione, cujus uſu plenè fuit hic vir Dei adjutorio liberatus.

℞. Salv. majoranæ, lauri, beton. roriſmar. primul. veris. an. M.j. Rad. acori veri, ireos rec. an. ℥iij. Ol. vulpin. de nuce indica, & rutac. an. ℔j. Ol. terebinth. ℔ß. Vini potentiſſimi ℔j. Aq. vitæ ℔ß. Coq. ſimul ad vini conſumptionem & colentur; colat adde ſagapeni, opoponac. bdell. an. ʒij. Caſtor. ℥ß. Macis, nuc. moſch. ſtyr. calam. benjoin. an. ʒiij. Pip. long. pyrethr. an. ʒj. Axung. cati pinguioris, axung. ſerpentis, anſer. an. ℥j. Propol. ceræ ℥ij. Medull. cruris vaccæ ℥ij. Succor. ebuli, ſalv. & meliſſ. an. ℥iv. M. & cum cera q.ſ.

in

in præfatis oleis liquata reducantur omnia ad formam unguenti mediocris conſiſtentiæ, quo univerſam dorſi ſpinam inungi calidè jubebam; deſuper admotis lanis mollibus fumigatis ſequenti ſuffitu ad exſiccandum.

♃. Thur. maſtich. gummi juniperi, an. ℥ i ß. Gummi hederæ & nigellæ torrefactor. an. ℥j. Benjoin. ſtyrac. cal. an. ℥ß. Coriandr. macis, nuc. moſch. an. ʒj. flor. anth. ſtœchad. an. p. j. ſuffimigium, omnibus groſſo modo contuſis, quo lanæ plurimùm ſuffiantur, & calidè ſpinæ admoveantur poſt unctionem: ab hac unctione motum brachio & cruri affectis reſtitutum fuiſſe inducta ſanitas fidem indubiam fecit. Mox enim ubi dies totos viginti unctione uſus fuiſſet, aſſumptis interea uſualibus pilulis, & confectione ſupraſcripta, optimaque victus ratione ſervata, integræ valetudini, recuperato ſenſu, & motu reſtitutus eſt; quod ego profectò pro miraculo habeo, cum ſit ægritudo ipſa ſuaptè natura fermè incurabilis, & fuerit æger ſeptuagenarius: quod ergo in tanta ætate convaluerit à tanto morbo æger hic, id Dei immenſæ potentiæ adſcribendum; qui ſit benedictus in ſecula. *Franciſcus Valeriola. obſerv. 4. lib. 4.*

Præmiſſis præmittendis, cervix & articuli brachiorum quotidie calidè inungantur ſequen. unguento.

♃. Unguenti martiati aregon an. ℥j. Ol. vulpin. de piper. de euphorb. an. ℥ß. Pingued. leporis ℥j. Vini malvatici ℥ij. M. coque ad vini conſumptionem, ac fiat unguentum. *Abraham Seilerus.* conſil. 6. conſil. *Cratonis* & aliorum à *Scholtzio* editorum.

Recens quidam ſcriptor vehementem iracundiam paralytico ſalutem aliquando attuliſſe ſcribit; quod de *Tito Veſpaſiani* filio memoriæ proditum eſt. Valde nocet gravis & attenta cogitatio, animique triſtitia. Utilis eſt vomitus, qui hoc modo provocetur, perforetur raphanus, in cujus foraminibus inſerantur fruſtella hellebori albi; ac ſic ſub terra defoſſus, lateat dies aliquot, deinde abjiciatur helleborus, lavetur, contundatur, ac de ſucco ſumat ægrotus. Unus è practicis poſt evacuationes, ſtufas ſiccas adhibendas ſuadet, poſt quas theriacam dari jubet, idque compluribus diebus. Alius quod mihi quidem maximè ad rem facere videtur, conſulit, ut à ſtufa exeunti collum fricetur, necnon ſpinalis medulla, vel iridis radice recenti atque inciſa, vel cæpa lilii, donec pars ea fricando rubeſcat, deinde verò longa ſpongia foveatur. Spongia autem in decoctum ſequens infundatur.

♃. Flor. chamæm. ivæ, ſalv. ſtœchad. majoran. herb. paralyſ. calament. an. M. j. vini alb. ℔ iv. aceti acerrimi ℔i. bulliant, hæc fomentatio bis in die fieri poteſt pro ægrotantis viribus; poſt ſpinæ fomentationem inungatur eadem ſpina ſequenti unguento.

♃. Ol. euphorb. de piper. vulpini, an. ℥i. Maſtich. ſabin. nuc. cupreſſ. an. ʒi. Ceræ, q. ſ. quo etiam unguento læſæ partes inungi poſſunt; etſi enim Gal. cæterique Medici ſcribunt remedia læſis partibus non eſſe admovenda; ſed eo unde oriuntur nervi; mihi tamen videtur ſic illud accipiendum ut præcipuè adhibeantur remedia nervorum origini; Sed iidem non negant, nonnullius eſſe utilitatis, ſi læſis etiam membris applicentur, preſertim cum peccantes humores latè ſeſe fuderunt, atque in concava nervorum influxerunt: itaque eos reſolvere oportet. Aliis probatur unctio viperæ, qua ego quidem plurimùm fido, ſi tamen fiat ſequenti modo. Viperæ caput & cauda ſimul amputentur; quæ mox in ollam variè pertuſam mittatur, olla verò ipſa in aliam ollam integram inſeratur, quæ luto circumquaque obducta, ita accuratè contegatur, ut nihil inde exhalet, moxque in vas æneum aqua plenum indatur, deinde tribus horis bulliat. Unguentum quod inde integram ollam ſtillat, ad ſanandam Paralyſin valet, ſi eo & ſpina & relaxatæ partes inungantur. Sudoris provocatio hic magno eſſe uſui videtur: excitetur ſyrupo S. Ambroſii qui nervos & univerſum corpus magna vi, largoque ſudore, peccantibus levat humoribus. Hunc ego multis ſæpè exhibui, ubi videlicet nec ſarſaparilla, nec China, neque lignum ſanctum ſudorem ullo modo provocare potuerunt: hoc verò uno remedio tam largè ſudarunt planè, ut convaluerint. quod mihi quidem accidit, qui Prælato cuidam curiæ Romanæ, viginti quinque dies bis in die ſalſamparillam cum exhibuiſſem, nec alio quovis modo ſudorem elicere poſſem, hoc demum ſyrupo tantum ſudoris emanavit, malum ut omne evanuerit. Sumatur igitur milium, quod probè purgatum ac decorticatum, primo videlicet involucro depoſito, deinde in olla cum aq. ſ. q. bulliat, quoad coquendo tumeſcat & crepet. Poſtea ℥vii. vel ℥iij. hujus decocti ſumantur, & cum ℥iij. vel iv. vin. græc. miſceantur ut fiat potio: quam calidam totam ſumat ægrotus in aurora, mox probè undique tegatur, ac ſudorem expectet, idque octo decemve aut amplius etiam diebus, ſi res poſtulabit frequentetur. *Joh. Craton. conſil. 50. lib. 6. p. 204.*

Pro Paralyſi leviori.

Victus ita inſtituatur, ut calefaciat mediocriter, ſiccet, leviter incidat, attenuet & detergeat: itaque abſtinendum ab herbis & omnibus cibis humidis, flatulentis, fructuum raparumque eſu: item à cibis lentis & viſcidis, ut ſunt excrementa animalium, lactes, inteſtina, capita. Utilis eſt caro vervecina mediocriter ſalita, aſſa potius quam elixa. Carnes aſſando configantur cariophyllis, cinnam. cortic. arant. roremarino, ſalvia, hyſſopo, majorana, ruta, & ſimilibus; quibus etiam elixæ condiri poſſunt: Columbas & maximè ſylveſtres in id genus affectibus prodeſſe ſingulari experimento compererunt Medici. Piſcium uſus ſit rarior, ut & vini, nam in hoc affectu ſuſpectum eſt. Potus ſit hydromel hoc modo paratum.

♃. Aq. puriſſ. menſ. 26. mellis puri menſ. iß. Coq. lento igne & deſpuma continuò, ubi deſpumata fuerit, & reducta coctione ad menſ. circiter xx. tum adde rad. ireos, flor. vel enulæ ℥ij. Lupul. M. ij. ubi colata ferè refrixerit, addendum & immiſcendum fæcis cereviſ. aliquid, ita defæcabitur fermentata, & fæce cereviſiæ, ſed gratum ſaporem repræſentabit. Veſperi inſpergatur tantillum pulviſculi cariophyll. ſincipiti inter capillos ad ſuturam coronalem. Si timeatur cariophyll. caliditas, contuſi prius craſsè mergantur in aq. roſac. & deinde exſiccati pulverizentur, atque iſtius pulveris ſit uſus, manè exerceatur caput pectine eburneo, vel quod me-

melius eſt, ex guajaci ligno facto, atque inde linteis ſiccis quidem non admodum calentibus fricetur & tergeatur caput. Conducet etiam, ut ſingulis ſeptimanis, aut ſaltem diebus quatuordecim, paucis diebus ante plenilunium & novilunium deglutiantur poſt primum ſomnum xj. pilulæ ex hac ſubſcribenda pilular maſſa, quæ ℈iv. bene ponderent. Sunt iſtæ in hoc affectu aptiſſimæ,& ſine incommodo aſſumi poterunt.

℞. Pilulæ. de hiera, ʒiii. pil. ſine quibus agar. rec. troch. an. caſtor. gr. ix. cum melle ʒi. roſac. F. maſſa mollis, & ex qualibet ʒ. pilulæ numero ix.

Utantur hoc pulvere ad ʒi. quantitatem in vini vel juſculi modico, vel aq. card. ben vel intingatur; morſellus panis aſſus vino, atque inſperſo illo pulvere edatur manè.

℞. Sem. pœon coriandr. præp. nuc. moſch. viſci q. an. ℥ß. galang. cubeb rad. tormentill. an. ʒiß. piper. long. ſem. erucæ, zinzib. alb. an. ʒi. ſummitat. roriſmar. ʒii. ſacch. albiſſ. ʒiiiß. F. pulvis ſubtiliſſ. Poteſt aliquando ſumi veſperi à cœna quantum tribus digitis continere poteterit æger; ubi hujus pulveris faſtidium obrepit; utatur hoc electuario ſingulis matutinis ad quantitatem nucis juglandis, quod & gratius eſt, & minus calidum & ſiccans.

℞. Conſerv. fl. anthos ℥iß. conſ. bugl. ℥i. cortic. citri vel arantior. condit. rad. ering. condit. zinzib. in India condit an. ℥i. rad. cichor. condit. ʒx. ſem. eruc. piper. long. an. ʒß. ſpec. diambr. ʒiß. cum ſyr. conſervatarum nucum myriſticarum M.. F. Electuarium. *Reinerus Solenander. conſil. 13. ſect. 2.*

Primo loco veniat uſus pilul. à Matthiolo conſignatarum, quas ego in hoc affectu & in ipſa vera Paralyſi, ſi modò longus & continuus earum ſit uſus, in multis ægris magno juvamento ſum expertus. Compoſitio autem hæc eſt.

℞. Chamæpit. fl. beton. fl. ſtœchad. rec. fl. primul veris, ʒi agar. rec. troch. ʒii. turbith. gummoſ. ʒiß rhei opt. aq. cinnam irrorandi ʒi. troch. alhand. ʒß. diagrid. zinzib. alb. ſal. gemm. an. gr. viii. ſpic. indic. gr. vi. pulv. hier. ſimpl. ℥ß. cum ſucco chamæpit. F. paſta pilul. mollis, & ex qualibet dragma pilulæ ix. ex iſtis quotidie veſperi, quando decumbendum erit à parca cæna, deglutiendæ pilulæ ii. vel iii. quod ſi hoc ſingulis diebus fieri nequit, danda opera ut fiat plurimum. Nam iſtarum uſu excrementorum in corpore proventus prohibetur, & qui à capite aliunde excrementius humor ad partem affectam & debiliorem continuò affluere conſuevit, avertitur. Si verò quandoque corpus evacuatione ex profeſſo opus habere judicabis, tum poſt iſtas tres veſperi aſſumptas pilulas, deglutiendæ ſummo mane inſequenti aliæ octo vel novem, & differendus cibus in horas quatuor vel quinque. Non minus quam præſcriptarum pilul. velim frequentem imò quotidianum uſum eſſe hujus electuarii.

℞. Galang. zinzib. nuc. moſch. an. ʒiß. caſſ. lign. vel cinnam. ʒii. cubeb. rad. pœon. an. ℈v. herb. paralyſ. (id eſt, primul, veris) ſem. abrotan. rad. acor. vulg. an. ℥iiiß. majoran. fl. anth. ſalv. an. ʒii. beton. ʒiß. piper. long. & alb. croci an. ℈iß. fl. ſtœch. ʒi. mell. anthos. & roſat. an. ℥ix. ſyr. conſerv. zinzib. & nuc. myriſtic. an. ℔ß. aqu. chamæpit. vel aqu. card. ben. ℥iii. coq. ſimul lento igne ad conſiſtentiam, tum adde cætera per ſe quælibet pulverizata prius mixta; F. electuar. S. A. hujus elect. uſus matutinus, ita ut quotidie poſt elutum os, expurgatiſque cæteris ſenſoriis, eius ʒii. plus minus ſumantur, horis tribus vel quatuor ante cibum, vel per ſe ſolidum è cultello deglutiendo, vel ſolutum in aq. chamæpit. vel roriſmar. vel betonicæ. vel card. ben. vel in tantillo vini ex præſcriptarum aliqua medicati; Quod ad externa attinet, author tibi ſum, ut ſubſcribendo oleo calente, poſtremam lumborum partem circa & paulo ſupra os ſacrum, & deinde extrema moderatis frictionibus jam calefacta diligenter illinas, & ubi illeveris partes iſtas pellibus vulpinis, vel pannis, ab aëris, humidioris & frigidioris injuria defendas. Oleum hoc eſto.

℞. Ol. amygdal. amar. ℔ß. aq. roriſmar. ℥i. vini malvatic. ℥i. pyrethr. tuſi ʒvi. croci ʒiii. ſandar. arab. bacc. lauri, an. ʒi. coq. in duplici vaſe, ad liquoris caſum; oleo percolato adde ol. caſton. ℥iß. M. utere ut præſcriptum eſt. *Reinerus Solenander. conſil. 16. ſect. 2.*

Pro Paralyſi linguæ.

Sub lingua teneatur caſtoreum vel ſalviæ ſuccus, vel ipſum caſtoreum cum pæoniæ ſucco; prodeſt etiam caſtoreum, caryophyllus & nux moſch. cum vino hauſta; utilis eſt etiam linguæ frictio, ac palati, adhibitis theriaca & mithridatio; narratur quendam fœminæ, quæ uſum loquendi amiſiſſet, gr. xxx. pæoniæ, depoſitis corticibus exhibuiſſe, moxque illam loqui cœpiſſe; prodeſt etiam ſanguinis miſſio è venis ſub lingua, quæ fricetur poſtea naſturtio & caſtoreo: emplaſtrum quod è canino ſtercore & adhibito aceto fit, occipiti impoſitum uſum loquendi reſtituit. *Ioan. Grato. conſil. 50. libro 6. p. 229.*

Poſt apoplexiam Mercator quidam ſenex reſolutus aliquandiu permanſit in uno latere, & paralyſin linguæ paſſus eſt: curatus poſtea aliquomodo, ut ambulare denuo potuerit, remanente tamen linguæ reſolutione, loqui ut intelligeretur, quid vellet, minimè potuit, eratque jam inveteratum malum: à me conſilium efflagitans, has pilulas præſcripſi.

℞. Pil. coch. fœtid. an. ℈i. cum melle ſcillit. F. pilulæ; poſtea ut ſequentibus per vices uteretur juſſi ter quaterve in menſe ʒi. ſumendo.

℞. Agar. troch. ʒii. turbith. gummoſi in hydromel. infuſ. ʒß. myrrh. ſarcocoll. in ſucco roſar. nutritæ, an. ℈ii. caſtor ℈ß. maſtich. ſal. gem. an. ℈i. aloes ℥ß. cum melle ſcillit. F. maſſa. maſticatione ſequenti manè utatur ſæpè.

℞. Cubeb. nuc. moſch. ſem. ſinapi, an. ʒi. caryophyll. galang. piper. long. an. ʒß. ſalis communis ℥i. excipiantur cera F. formulæ: abluat poſtea os aqua ſalſa; nares intrinſecus unguento hoc ad eo divertendam materiam illinere juſſi.

℞. Troc alhand diagrid. an. ʒi. rad. hellebori, alb. ʒi. caſtor. ℈ß. mell. ſcillit. q. ſ. F. unguentum, ungatur pars poſterior capitis raſa & cervicis nuda hoc modo.

♃. Ol. de piper. de euphor. an. ℥iß. ceræ rubr. q.ſ.f. linimentum; poſtquam his aliquandiu uſus fuiſſet, juſſi poſtea frequenter laborare elect. ex melle ſcillit. & anthos, invicem mixtis; colluere deinde hoc decocto os, atque aliquandiu in eo retinere.

℞. Nuc. moſch. ℥i. rad. galang. coſti an. ℥ß. zinzib. ʒii. ſem. ſinapi, ℥iii. decoq. in vino & melle pro oris collutione; victus rationem idoneam præſcripſi, & ut interdum jejunus in balneo ſudaret, niteretúrque loqui; hac ratione etſi non perfectè verba proferre poſſet, tamen ut intelligeretur, balbutiendo loquebatur. *Felix Platerus obſ. lib. 1. pag. 133.*

Balbuties, lingua ſtupore affecta, quendam moleſtavit, quod clyſterem ſumpſerit, in quo fuerit parum opii diſſolutum; verùm ut in ebriis remittente narcoſi vini, loquelam rurſus integram redire videmus, ita in hoc ægro, poſtquam opii vis diſcuſſa fuit, balbuties ceſſavit. *Felix Platerus obſ. lib. 1. pag. 136.*

Mulier quædam octo ſupra ſezaginta annos nata linguæ paraliſi laborans, meo conſilio infundebat per noctem flores lavendulæ in vino aduſto vel ſublimato; poſtea per aliquot dies manè, & ante introitum lecti aſſumebat unciam: unde ſtatim loqui indies rectius cepit. *Martinus Rulandus. curat. 55. cent. 4.*

Viro cuidam paralyſi linguæ cum inquietudine totius corporis tentato talia exhibeo auxilia.

♃. Aq. fontis ℥vi. ol. vitrioli q.ſ. ad aciditatem aquæ conciliandam: ex hac aqua ſingulis horis lentè abſorbeat cochlear unum: & quia inde articulatè loqui cunctaretur, ad mineram mali exhauriendam potionem hanc catharticam præſcripſi.

♃. Extract. colocynthid. magnitud. nucis avellanæ; ſeri lactis ℥ii. M. & calidè bibat, inſecuta eſt copioſa per alvum evacuatio, permanente nihilominus linguæ impedimento; quare altero, à purgatione prima, die evacuationem corporis cacochymici iterum repeto ſic.

♃. Spiritus vitæ aurei ℈i. ſyr. liquir. ʒi. M. hoc mira aquoſæ & ſuperfluitatis copia educta eſt, ſermone in integrum reſtituto: ante tamen purgationem hanc, ut & in ipſa operatione, linguam paralyticam guttatim perlino oleo noſtro heraclii, cum fœlici ſanitatis ſucceſſu. *Martinus Rulandus. curat. 53. cent. 7.*

Pro Paralyſi.

Remedium ſingulare atque inſigne exercendum in hoc languente curabamus, quod erat, optimè purgato corpore, admovere pungentes urticas, ſeu corpus lacerare urticis, maximè totum corpus, quod non eſt noſtrum inventum, ſed à Celſo proponitur. lib. 3. cap. 27. teſtor Deum me hoc genere remedii pluribus eſſe uſum, & ſemper maxima cum fœlicitate, & nunquam votis ſum deceptus. *Epiphanius, Ferdinandus hiſtor* 47.

Vulgare hoc eſt quod multis profuit.

♃. Aq. vitæ ſin pl. in ea macera aliquandiu flores calendulæ, macim, caſtoreum, cum momento croci; ejus exhibent cochl. i. eodem liquore reſoluta membra perfricare juvat: accipiunt alii fol. ſalviæ aliquot M. incoq. diligenter vino, donec dimidium ejus, aut ex tribus partibus duæ abſumptæ ſint, hujus colati vini exhibent manè ℥i. aut ℥ii. diſſoluto in eo caſtor ℈i. aut ℈ii. ſpina dorſi ad partem affectam, cum frictione incaluerit, inungatur manè oleo coſtino benè præparato, cui adderem aliquantulum ol. ſtillat. nuc. moſch. caryophyll. conveniet etiam oleum laterinum, petroleum & terebinthinæ & juniperinum. *Reinerus Solenander. conſil. 20. ſect. 2.*

Fiat frequens inunctio partium affectarum cum oleo vulpino facto per decoctionem vulpis in aqua colligendo ipſum cum ſupernatat, & hoc eſt ſingulare remedium. *Bartholomæus Montagnana. conſil. 244.*

Comes quidam poſt natationem ab aqua exiens, in pedibus & manibus ſine ſenſu & motu remanſit: vocatus ego, pro tanto malo, poſt plurima incaſſum adhibita præſidia, unguentum paro præſtantiſſimum, cujus efficacia plures reſolutione univerſali & particulari vexatos ad ſanitatem (Deo duce) perduxi hoc applicito per menſem à paralyſi liber, perfectam conſecutus eſt ſanitatem, hujus remedii deſcriptionem ſic accipe.

℞. Salv. major. laur. beton. roriſmar. origan. calamenth. ſerpill. an. Mß. rad. acor. veri, ireos rec. an. ℥iß. bacc. lauri, pyrethr. cubeb. nuc. moſch. trion. piper. an. ʒß. carnis ſcillæ ℥i. rad. cucum. agreſt. ʒii. chamæpit. chamædr. an. p. i. ſulph. vivi pulver. ℥ß. ol. caſtor. ℔ß. ol. lauri rutac. an. ℥ii. aq. vitæ ℔ß. aq. fl. arant. ℥iii. vini potentiſſ. ℔ii. coq. omnia ad vini conſumptionem colat. adde ſagapen. opopon. bdell. an. ʒii. caſtor. ʒii. mac. nuc. moſch. ſtyrac. calam. caryophyll. agallochi, an. ʒii. piper. longi pyrethr. an. ʒß. balſami ℥ii. ol. de liquidambet. ℥i, unguenti martiat. aregon. aggripp. an. ℥i. ol. de lateribus terebinth. an. ℥ii. ol. macis, de ligno guaiac. an. ℥i. ol. de piper. roriſmar. aniſ. ſalis, angelicæ, ſulpur. de thymo, an. ℥i. ol. de euphorbio ℥iß. axung. cati ſylveſtr. axung. anſer. an. ℥ii. pingued. taxi ʒiii. pingued. viper. ʒi. ol. vulpin. ℥i. medull. crur. vaccæ ʒii. ſucc. ebuli, ſalviæ, meliſſ. an. ℥ii. M. omnia, & cum cera q. ſ. in præfatis oleis liquata reducantur ad formam unguenti mediocris conſiſtentiæ. *Zacutus Luſitanus. obſerv. 37. lib. 1. prax. medic admirand.*

Viro cuidam paralytico ſequentia præſcripſi, quibus etiam convaluit: ſingulis diebus bis, ter, quaterve aſſumpſit ſequentis decocti, ℥iv.

♃. Raſ. lign. guaiac. ℥iij. cortic. ejuſdem. ℥j. lign. junip. ℥ij. aq. font. ℔vii. coq. ſ. a. per horas tres, tum adde bacc. junip. ℥i. rad. angel. ℥ß. fol. major. ſalv. anthos, an. Mß. ſen. mund. ℥i. hermodactyl. ʒvi. coq. ulterius, vaſe optimè clauſo ad colat. ℔iv. quibus adde aq. antiparalyt. theriac. an. ℥iß. ſpirit. ſal. armoniac. ʒi. M. ſervetur in cantharo lapideo optimè clauſo: ſingulis ferè ſeptimanis ſequentes aſſumpſit pilulas.

♃. Maſſ. pil. fœtid. maj. ʒß. reſin. jalap. troch. alhand. an. gr. iv. ol. roriſmar. gt. iii. M. F. pilulæ vii. bis etiam de die calidè inungi ſequenti linimento curavi nucham, cervicē, ſpinamque dorſi.

♃. Unguenti martiat. ℥ß ol. fl. chamæm. hyperic. an. ʒi. bacc. junip. caſtor. & laurin. an. ʒii. ſucc. expreſſ. cochlear. ʒii. alumin. plum. ʒi. ſpir. ſal. armoniac. ʒii. aq. vitæ Matthiol. ℥ß. M. F. linimentum hiſce omnibus per duos circiter menſes uſur-

uſurpatis, linimento parum aliquando mutato, additis nimirum ol. ſpic. ʒii. ſucci urtic. urent. min. ℥ß. ſeq. præſcripſi vinum medicatum.

♃. Fol. chamædr. chamæpit. an. M. i. fol. prim. veris Mß. roriſmar. fl. ſal. an. p. ii. rad. imperator. angelic. ireos fl. helleb. nigr. ſem. cartham. an. ʒiii. hermodact. ℥j. (omnium nervoſarum partium anima vocatur ut crocus pulmonum) agar. albiſſ. ʒiij. cardam. cubeb. an. ʒii. ſal. tartar. ʒiß. conciſa & craſsè contuſa inſuantur ſacculo, cum vini gallici pint. vi. F. vinum medicatum; cujus, poſt juſtam infuſionem tepidam ter quotidie aſſumpſit ℥iii. quibus ſemper inſtillavit. ſpir. ſal. armoniac. gt. viii. quibus omnibus quarto menſe curatus. *Fredericus Deckers. obſerv. ad cap. 3. lib. 1. prax. Barbettiana.*

Paralyticus mutus ex Apoplexia cum febre maligna.

Generoſus quidam Dominus febre maligna laborans, ſtuporem in dextro ſentiebat brachio, poſt biduum ſupervenit ſenſuum omnium ſtupor, qui tamen mox retroceſſit, at ſtupor non tantùm occupavit brachium, ſed dimidiam partem malæ, ut oris tortura quodammodo appareret, &, quod miſerum, lingua dimidia ſimul paralytica, unde ut verbum quidem proferre ad mortem uſque, quæ triduo vel quatriduo poſt ſequebatur, potuit; ſenſus tamen compos & mentis.

Scholion.) Materiam pituitoſam hæſiſſe in cerebro vel circa illud, quæ liquata à calore febrili ſenſim principio nervorum influxit, & ipſius obſtructionem cauſavit, poſſet quis inferre cum Horſtio Obſerv. 16. de febr. Cum verò hic ſaltem ſtupor fuerit, à principio retrocedens & non permanens, quod materiæ proprium, exiſtimo ſaltem vaporem narcoticum malignum huic malo cauſam præbuiſſe; Ægrotum verò potiùs vi febris malignæ, quàm apoplexiæ ad plures detruſum eſſe. *D. m. Dan. Wincleri.*

Paralyſis Univerſalis poſt variolas.

Duodecim annorum puella civis hujus loci honeſti filia, poſt variolas ex animi mœrore & ſubita quadam conſternatione A. 1672. m. Jul. in novam incidit febrim acutam, qua licet curata remanſit tamen ſine omni motu membrorum, ut nec pedes, nec manus ſuo officio fungi valuerint, ita, quod vel maximè notandum, reſolutis colli & dorſi vertebris, ut nec ſedere, nec erecta cervice bibere potuerit, ſed opus habuerit, ſemper manu ſuſtineri alterius. Sic per 24. ſeptimanas jacuit miſera ſibi relicta, quia jam de ejus reſtitutione deſperabant parentes. Hoc anno circa initium veris denuò febri corripitur maligna cum petechiis, tùm in manus devenit meas, quam etiam, Deo ſit laus, feliciter reſtitui, finitoque hoc morbo Paralyſi quoque mederi cœpi & intra tres ſeptimanas factis inunctionibus, & appoſitis Emplaſtris ad nucham membrorumque articulationes eò deduxi, ut erecta ſedere, manuſque movere potuerit. Ex thermis autem Mandersdorffenſibus planè convaluit, jamque adhuc erecta & ſine labore incedit.

Notandum, in hac petechiis laborante, die undecimo in ſiniſtro latere intra coſtas veſiculam erupiſſe, medii imperialis magnitudine non aliter ac ſi veſicatorium ea in parte appoſitum fuiſſet. Terr a ma er p o carbunculo habuit, ego verò pro puſtula ex ſeroſo & acri humore (qui tales quandoque etiam minores inſtar variolarum cum petechiis hoc anno ſæpiùs obſervavi) aperui; impoſito folio braſſicæ cum butyro recenti, tanquam puſtulam ex veſicatorio tractavi; qua percurata & morbus ſolutus. Cæterùm à quanam cauſa iſta Paralyſis & reſolutio membrorum orta meritò dubitatur, an à malignitate quadam variolarum reſidua, per Diaphoretica non ſatis diſcuſſa, ſed nova ebullitione in genus nervoſum diffuſa? An verò à terrore & magna conſternatione? quæ quantum valeat, non multis attinet aliunde probare. Retulit mihi hujus ægrotæ noverca, aviam ſuam ex nuncio, quod duo in inſidiis laterent, quo maritum per plateam euntem interficerent, ita conſternatam fuiſſe, ut ſubitò paralytica facta ad mortem uſque permanſerit. *D. Caroli Rayger.*

Paralyſis Univerſalis.

Alius Juvenis 16. annor. filius militis & civis h. l. cùm priùs ulceribus fœdis in naſo laboraſſet, cum tumore ad os uſque propendente, ab iis curatus, poſt dimidium annum cum nauſea, inappetentia, dormiendi perpetuo ardore, cum dolore item cervicis, quem tumor levis poſtmodùm accedens auxit, febre tandem continua ſimul & ſemel in Paralyſin Univerſalem incidit, qua per integrum, amplius, annum, ab 1666. ad 1667. immobilis ferè decubuit. Manum ſiniſtram leviſſime ſolùm, uno vel altero digito ſalvo, movere poterat, cetera planè non. Si pes adigeretur verſus ſuperiora, quod vi ſemper moliendum erat. (alias enim rigidi utrique exiſtebant,) circa genu in modum convulſionis ἄνω tendebatur. Senſus tamen partium levior, & calor aderat, cum appetitu optimo. Injuſſa ſæpè prodibant excrementa ob reſolutionem ſphincteris ani; cum atrophia partium ſumma, ſudoribus perfluebat corpus.

Cum curandus offerretur hic æger κεκρατημένος, reputans illud Avicennæ, ſæpè monſtra fieri in medicina, & prognoſtico munitus eadem jam dicta methodo aggreſſus ſum. Miſerrimum erat ſpectaculum, non erigere caput, nec erectum ſuſtinere, multò minùs ſedere poterat, nec vivere, nec mori. Teſtes hujus *Dn. D. Kiſnerus Francofurtenſis*, & *Dn. D. Witte Suſatinus*, Practici celeberrimi, qui ſæpiùs mecum illum viſitarunt. Initio dedi Elixir Cephalicum cum ſpir. Vitrioli cephal. paratum, ſpiritum magnanim. compoſ. Laurembergii, infuſum nervinum ſuprà citatum, urticationes, inunctiones ſpinalis medullæ, & præſertim tumoris illius circa cervicem. Sudorifera & purgantia ſtudioſè vitavi, denique ſpiritus *ci & urinæ utramque abſolverunt paginam. Externè præter balneum formicarum cataplaſma ex ſymphyto apoſitum ſæpius fuit. His benedicente Deo

O. M. intra aliquot menſium ſpatium convaluit, ſingulis nova ſpe erectus æger, ob novum partis alicujus reſtitutum motum, ſemper præcedente dolore & tremore. *D. Georgi Wolfgang. Wedelii.*

Paralypſis à Gibbere.

Aſſertum aliàs commune eſt, ſolùm à ſubitanea vertebrarum dorſi dislocatione oriri Paralyſin, non item à lenta & pedetentim facta, ubi ſcil. ſenſim quoque cedit medulla, nec contorquetur. Vid. Sennert. lib. 1. prax. p. 2. c. 27. p. 518. Exemplum verò tale vidi in infante coriarii duorum cum dimidio annorum Hic 1668. à vertebra ſpinali ante aliquot menſes per caſum læſa gibberis initium ſenſit. Cùm verò Parentes conſuluiſſent carnificem, prima protuberantia novæ alius circa tertiam & quartam vertebram accesſione, Menſe Novembri, aucta fuit, & hinc compreſſis nervis in utroque pede Paralyſis ſucceſſit, præcedente per aliquot dies febrili continuò calore. Notandum verò nil planè adhibitum eſſe à carnifice, quàm linimentum quoddam ex pinguedinibus conſtans. Conſultus 1669. d. 21. Maii, continuato medicamentorum uſu, quantum infantilis permiſit renitentia, id Dei gratia effeci, ut menſe Jan. 1670. attrahere iterùm pedes, hinc menſe Februar. movere eoſdem, & Martio ſequente liberrimè ambulare denuò didicerit, dolentibus ſemper ante reſtitutionem motus partibus.

Medicamenta, cum aliis variè ſæpè maritata, quaſi in compendio h. l. memoranda, fuerunt internè 1. ſpir. *ci & Tartari volatilis. 2. purgans ex pulv. laxat. veget. 3. infuſum ex Nervinis, Pæon. Chamædr. Chamæp. Stæch. arab. Anthos, Saſſafras, &c. 4. Cinnabarina. Externè 1. Ol. Laurinum ſolum, & gibbo & nervis debitum. 2. Liniment. ex ungu. nervin, pingued. Caſtor. Ol. Laurin. Spic. Laterri. Lumbric. &c. 3. Balneum ex formicis & nervinis, Chamædr. Salv. Siderit. Serpill. 4. Urticationes etiam ſedulò adhibitæ. Hinc reſtitutus plenariè, jam præter gibbum leviorem optimè degit. *D. Georgii Wolfgang. Wedelii.*

Paralyſis ex frigore nocturnô.

Studioſus quidam pauper Ratisbonæ in hoſpitio ſuo, tempore hyberno, non occluſa cubiculi feneſtra, aliquoties noctu decumbens dormiverat, indè ob impetuoſos ventorum tranſeuntium flatus ac gelu intenſum, linguæ paralyſi affligebatur, & ſtupore ſeu immobilitate muſculoram cervicis & colli moleſtabatur, cum gurgulionis ſimul, vel uvulæ lapſu ex fluxione catarrhoſa, uſus tamen, ex mea præſcriptione, oris collutionibus ac gargariſmis calidis, itemque fomentis & linimentis externis, in paucis diebus feliciter curatus, ad conſueta ſua ſtudia rediit. *Helvvigius.*

Scholion Schrökii.) Frigus externum reſolutionem partium corporis humani inducendi vi pollere, in confeſſo eſt, plurimiſque exemplis probari poſſet; quod non tantùm poros conſtipando, ſicque vaporibus per illos meatus alias naturaliter exterminandis, viam præcludendo, & hinc illos condenſando, ad fluxioneſque morboſas diſponendo efficit, ſed & in ipſos intimiores corporis receſſus penetrat, particulis ſuis frigorificis calori noſtro infeſtis, ſpiritus peſſundans, ſanguinis motum retardans, ſerum incraſſans, ideòque partes debilitans, & ad reſiſtendum copioſioris lymphæ incurſui ineptas reddens; unde nervorum, præſertim ob exiguum à ſanguinis affluentis paucitate calorem, aliarum partium reſpectu frigidiorum & natura debilium, facilè tonum laxari, nemo non videt. Hinc frigus nervis inimicum ipſe Magnus Cous ſect. 5. aphor. 18. edixerat. Hanc frigoris tyrannidem, vi canonis, contraria contrariis curari docentis, excitata ab adhibitis medicamentis internis & externis acrioribus & calidioribus, tollere poſſe febris videtur, cujus nempe excedente calore humor craſſus diſſolveretur, exſiccaretur & abſumeretur. Non quidem repono hic cum Seneca lib. 2. de ira, cap. 2. abominandum remedii genus eſſe, ſanitatem debere morbo: Hoc tamen notare neceſſe eſt, quod, cùm calor iſte præternaturalis non craſſiores tantùm in humores agat, ſed ipſum nativum calorem invadat atque depauperet; ac violenta illa caloris concitatio variorum incommodorum cauſa exſiſtere queat, minus conducere videtur medela iſta. Unde Dan. Sennertus lib. 1. Medic. pract. part. 2. cap. 27. relicto præſidio hoc minùs tuto, alia tutiora eligenda, bene judicat, cùm accendere febrem facilius ſit quàm accenſam extinguere. Favere tamen credi poſſet Hippocrates 6. aphor. 51. de apoplexia, congenere adfectu, ſcribens: Qui valentes capitis repente doloribus corripiuntur, & protinus muti fiunt & ſtertunt, intra ſeptem dies intereunt, niſi febris eos prehenderit. Id quod calefaciendo, extenuando, atque ſpiritum flatuoſum & pituitoſos humores reſolvendo febrem præſtare, Galenus commentatur. Aſt rectè Heurnius febrem hanc apoplexiæ analogam eſſe debere notat, non validam, quæ corpus nativo calore exuat, vireſque ſolvat: nec tenuiſſimam, cùm materia morbifica ſit contumax. Quis autem Medicus convenientem gradum illum arte ſua ſe impetraturum ſpondere ſibi poteſt? Nec duo cùm faciunt idem, ſemper eſt idem. Sanguinem ad efferveſcentiam febrilem diſpoſitum Natura in orgaſmum facilius, & blandiori imperio ſuſcitat, atque hinc major etiam ſalutis ſpes adfulget: Medicus vi quadam id peragens Naturam cogit, cujus tamen miniſter tantum ipſe eſſe debebat; hinc violenta ſanguinis exagitatio & inflammatio vix in ſalutem ægri vergere poterit.

Paralyſis gutturis ex potu frigidô.

A. G. Pharmacopœus, temperamenti calidi & humidi, corporis obeſi, cùm A. 1671. tempore æſtivo, hauſtum cereviſiæ triticeæ, gelidæ ex hypogæo, ſeu cella ſubterranea modo allatæ, avidus bibiſſet, ſtatim raucedine moleſtatus, vocis languore infeſtatus, gutturis anguſtiam, & deglutitionis impotentiam ſentiit. ut vix unum & alterum cochleare liquoris aut juſculi aſſumere potuerit, adhibitis quidem multis & variis remediis, internis & externis,

per novem fere ſeptimanas, ſed omnibus in caſſum, ſuperveniente demum catarrho ſuffocativo, in paucis horis naturæ debitum reddidit. *Helvvigius.*

Scholion Schröckii.) Quamvis reſolutionem aliquam ſive Paralyſin hic adfuiſſe, minime negare velim, ſimplex tamen illa haud fuit, ſed cum angina copulata, talis nempe quæ latiori ſignificatu omnem faucium adfectionem denotat, quæ deglutitionem impediat, Videlicet largior ille gelidæ cerviſiæ hauſtus, corpori æſtuanti infuſus, non tantum in adapertos calore poros facile admiſſus, atque ab æſtuantibus membris avide ſuſceptus, frigiditate ſua ſanguinis, & præſertim obvii primo gutturis calorem obtundere, ac conſequenter robur partium proſternere, lympham item incraſſare, vaſa ejuſdem exilia obſtruere, ſicque adfluentis ſubinde ſeri ſtagnationem efficere, ſive, juxta Hippocratis aphoriſmum 24. ſect. 5. catarrhum producere; ſed & nervorum tonum reſolvere potuit, eorum κρᾶσιν debilitando, ſpiritus jam antea à calore æſtivo attritos ſuffocando, contentum ſuccum inſpiſſando, & hinc aliis à cerebro tranſmiſſis ſpiritibus aditum præcludendo. Periculoſum ſane in corpore æſtuante potum frigidæ conſiderans Dioſcorides, ipſis eum venenis accenſet in fine præfat. lib. 6. ubi varia, quæ exitioſa ſunt, enumerans, è liquoribus domeſticis, vinum abunde poſt Balnea potum, & Paſſum, Aquam frigidam nominat. Et Celſus lib. 1. cap. 3. Illud quoque, ait, noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio pernitioſiſſima eſt. Veram alias gulæ paralyſin deſcripſit Nicol. Tulpius lib. 1. obſerv. med. cap. 42. muſculis deglutioni dicatis tam pertinaciter reſolutis, ut gula flacceſcente, ægra ne guttulam potuerit tranſmittere, licet nec dolor nec tumor, nedum ulla ipſam urgeret anguſtia. Talem quoque paralyſin, qua omnis deglutiendi & ſentiendi vis, nullo alio infeſtante aut præſente morbo, amittitur, in praxi vidit Petr. Salius Diverſus, Adnotat. in Avicenn. lib. 3. fen. 13. tract. 1. cap. 1. quam ipſi œſophago adſcribit, ortam ab obſtructione villorum nervoſorum, à ſexto pari in œſophagi carnoſum corpus implantatorum; prout etiam hanc carnoſæ, ſive muſculoſæ iſtius tunicæ paralyſin cum magna deglutitionis difficultate, quinimo ob fibras penitus reſolutas, cum fame exitioſa obſervavit Thom. Willis, part. 1. pharmaceut. rational. ſect. 1. cap. 2.

Paralyſis lateris dextri ex caſu.

Sutoris cujuſdam Ratisbonenſis ſervus cum ex compotatione temulentus, lectum petiturus ſuperioris contignationis ſcalam ſcanderet, retro & in latus dextrum ceciderat, ac ſtatim linguæ, brachii, femoris, imò totius lateris dextri motu atque uſu deſtitutus, nec ſine contuſione quadam occipitis, & profundè attrita cute corporis in latere dextro, ſicque tanquam hemiplexia tactus, immotus jacuit: Balneator quidē initiò vocatus, exhibito priùs uno alterove cochleari aquæ analepticæ, extemplo oblinivit humerum & membra læſa unguentis anodynis & emplaſticis, ac impoſitis emplaſtris catagmaticis, metuens ex caſu oſſium fracturas vel contuſionem, ſicque curam ultra octiduum continuavit, ſed ſemper permanente loquelæ defectu, & membrorum lateris dextri immobilitate. Hinc in conſilium accerſitus ego, præſcripto prius clyſmate, ac datis prophylacticis internis, deraſis capillis, juſſi occipitium, cervicem, collum, ac totum latus dextrum cum membris, oleis nervinis & arthriticis calidè inungi, atque occipiti, cervici, & collo emplaſtrum nervinum Vigonis imponi. Triduo abinde incepit æger balbutire, ac corpus & membra rurſus movere. Sed cùm ob paupertatem, & calamitoſum corporis ſtatum, victum & impenſas lucrari nequiverit, non expectata cura plena, balbus, ac cum ſuffulcro claudicans, brevi poſt ad lares patrios abivit. *Helvvigius.*

Scholion Schröckii) Miſera eorum utplurimum eſt conditio, quos caſus ex alto prehendit, & omnium pene morborum expoſiti ſunt periculo. Nervoſum inprimis qui genus infeſtant, crebrò accidere conſtat, apoplexias, epilepſias, convulſiones, vertigines, cœcitates, obmuteſcentias, ſtultitiam &c. Frequentes præſertim ſunt paralyſes. Cùm enim hæ motus voluntarii impotentiæ à ſpirituum animalium prohibito influxu dependeant, infauſtos autem ejuſmodi caſus, corpore natura gravi alteri duriori impingente, ejuſdem contuſio, & quæcunque alia evidens læſio inſequatur, facile unà nervi adfici poſſunt. In præſenti Auctoris noſtri Caſu compreſſionem principii ſpinalis medullæ in latere dextro, à ſanguine extravaſato in cauſa fuiſſe, veroſimile videtur; unde inprimis Emplaſtrum nervinum Vigonis occipiti adplicitum, conferentibus tamen aliis ſimul medicamentis ſymbolum ſuum, ſalutarem opem attulit; cum emolliendi, digerendi, & reſolvendi virtute polleant. Mirum autem videri alicui poſſet, quòd dum læſio capitis in dextra parte extitit, paralyſis in eodem latere ſubſecuta fuerit; cùm alias in oppoſito eandem contingere à multis credatur. Id quod inprimis Aretæus docuit lib. 1. de cauſ. diuturn. cap. 7. cauſamque addidit. Neque enim dextri nervi in dextras partes ſecundum rectum uſque ad extremum progrediuntur: ſed ab initio enati protinus ad oppoſitas tranſeunt, ſe invicem in figuram hujus literæ x. quam Græci Chiaſmon vocant, permutantes. Quam tamen nervorum decuſſationem cum ocularis fides non admittat, eo ipſo etiam illa paralyſeos in parte læſæ oppoſitæ productio ſponte enervatur, ita ut ſi contingere quandoque hanc daretur, longe alia cauſa inveſtigenda fuerit.

Paralyſis brachii dextri vicennalis curatio.

Anno Chr. 1656. Rev. P. I. H. cum ultra viginti annos depravato motu brachii dextri laboraverat, ut quando ſcribebat, aut quicquid aliud agebat, manus cum brachio ſemper extrorſum ac deorſum vergeret, nec ſurſum liberè levaretur, præmiſſis univerſalibus, poſt legitimum thermarum Abacenſium in vicinia uſum, è conſilio meo, in tantum reſtitutus fuit ut nervis & tendinibus brachii & manus roboratis, omnia munia in ſcribendo & agendo iterum dextrè & aptè ſatis, ſine adjumento extraneo perageret. Quinquennio verò poſt, dum recidivam metuebat, neſcio cujus è conſilio, ad thermas Piperinas profectus, ex eorum uſu omnia in pejus verſa, atque in veterem brachii affectionem denuo recidit. *Helvvigius.*

Scholion Schröckii) Thermas Curienſes ſive Pipermas paralyticis non poſſe inutiles eſſe, vel inde conſtat, quòd, experientia ſuffragante, ad cerebri & nervorum obſtructiones reſerandas paſſim ab Auctoribus commendentur. Sunt autem, notante Gulelmo Fabricio Hildano in Epiſtola de illis ſcripta, temperatè calidæ, ſuamque virtutem ſpirituoſa quadam ſubſtantia, quam meritò thermarum animam vocat, exſerunt. Quo ipſo ſanè torpentes & à viſcidiori vel craſſiori nervoſo ſucco in libera actione ſua impeditos animales ſpiritus refocillare, ac emendato peccante humore, ſui iterum jure facere utique poterunt. Qua dubio procul virtute Piſcina quoque illa probatica Judæorum fuit prædita; unde Paralyticus, cujus apud S. Joannem cap. 5. mentio fit, medelam ſibi ab Aquis iſtis medicatis pollicitus fuerat; quas nempe pro naturalibus Thermis habendas eruditè demonſtrare conatur incomparabilis Bartholinus in hiſt. de paralyticis Novi Teſtamenti. Quàm egregiam cæteroquin ritè in uſum ductæ Aquæ iſtæ minerales præſtant operam, tam malè viciſſim cedunt, ſi quid in earum adminiſtratione delinquatur; quod cum non uno modo obtingere, & difficulter abſque Medici præſentia, cuncta exactius perpendentis præcaveri queat, ſiniſtri eventus cauſam in præſenti Caſu determinare difficile eſſet. Sacræ ſane olim Thermæ appellatæ; prophana mente & inconſideratè adhiberi idcirco neutiquam debent. Res enim ſacræ ſacris hominibus communicantur, prophanis id fas non eſt, priùs quàm ſcientiæ orgiis initientur, ut illud Hippocratis in Lege, de Medicina in genere dictum, hic applicare liceat.

Paralyſis inferiorum ſaltem corporis partium.

Pater quidam Capucinus Anno 1668. eadem diei veſpera, quo mane purgans autumnale, pro conſueto more, ſumpſerat, abſque omni moleſtatione & incommodo, ſub cœlo nebuloſo, in horto Conventus udo deambularat, brevi poſt hora inferioris ventris & membrorum paralyſin ſenſit, ut nec ſponte incedere, nec pedes tollere aut ſcalas aſcendere ſeu deſcendere potis fuerit, neque urinam nec excrementa libere reddere, (quo affectu etiam bis vel ter antea in alio Conventu per multos annos laboravit) igitur laxantibus, tunc me dirigente, per epicraſin, nec non roborantibus, fomentis, & inunctionibus uſurpatis, intra bimeſtre ferè liberè rurſum incedere quivit, & veſica & anus officiis ſuis facilè functi ſunt, nec bonus Pater in poſterum ullam recidivam paſſus, optime ſe habuit. *Helvvigius.*

Scholion Schröckii.) Quanta & qualis in nervos ſit frigoris energia, in Scholio Obſerv. 48. dictum fuit; hìc potentiores exſerere potuit vires in reſolvendis, è lumbaribus vertebris ac oſſe ſacro ad pedes, & reliquas in Hiſtoria memoratas partes abeuntibus nervis; cùm cœlum nebuloſum, & & hortus udus impreſſiones ſuas humidas pedibus, ex vitæ genere nudis, una communicaverit; acceſſit etiam, quòd à purgante adſumpto non potuerit non ſuccorum in corpore latentium exagitatio, ſive, ut alii vocant, fermentatio aliqua oriri, deſiderata eorum, imprimis ſeroſorum ſeparatione, & partim è corpore ſegregatione ſubſequente; unde etiam facilior eorum in partes nerveas impetus ſubſequi dein potuit. Nec ipſa temporis autumnalis conditio ſymbolum conferre prætermiſit, quo pauciſſimum ſanguinem in homine gigni, Hippocrates lib. de nat. homin. monet; adeoque natura hominis, cujus præcipuum robur & virtus in ſanguine conſiſtit, frigidior tunc & debilior exſiſtit. Hinc ſanguinem in autumno à prægreſſæ ætatis calore, ejuſque vi atque affectibus ad pauperiem redactum, ac ſpiritus magis decoctos atque conſumptos in cauſa eſſe judicat Thom. Sydenham meth. curand. febb. ſect. 1. quòd evacuationes tunc temporis damnoſæ exſiſtant, vel non, uti verno, adeo prodeſſe ſoleant. Haud multùm diſſimilem cæteroquin paralyſeos hiſtoriam exhibuit Nobiliſſim. Dom. Alard. Hermann. Cummius Anno 1. Ephem. Germ. Curioſ. obſervat. 48. duorum ſcilicet, qui adulto jam autumno puteum exhauſturi, diutius in frigido morarant, inferiorum partium omnium paralyſi tentati. Galenus lib. 1. de loc. adfect. cap. 6. frigoris potentiam diverſis exemplis declarat, vocem vitiatam atque penè ablatam memorans, infrigiditatis vehementer in collo per hiemem nervis recurrentibus; Nec non puerum veſica & alvo reſolutum, cùm in fluvio piſces venaretur, nonnullis etiam in frigida natantibus idem accidiſſe teſtatus; non minùs lib. 4. cap. 4. piſcatoris mentionem facit, cui nominata illa duo corporis emunctoria adeo reſoluta fuerant à nimia refrigeratione, ut ipſo invito, excrementa ſua emitterent.

Paralyſis totius corporis ex hypercatharſi.

Anno Chriſti 1657. Monachus quidam Franciſcanus conſilium meum expetiit, quod medicinam quandam purgantem vere præterito, ex Medici præſcripto ſumpſerit, tantæ vehementiæ, ut indè hypercatharſin per triduum paſſus, brevi poſt in paralyſin totius corporis inciderit, ut nullo modo manus & pedes, nec totum corpus munia ſua obirent. E. conſilio igitur meo, aſſumpto primo laxativo, ad thermas Abacenſes delatus, obſervata ſedulo regula balneandi & diætandi, intra tres quatuorve ſeptimanas feliciter reſtitutus, ut ſolus iterum deambularet, miſſam celebraret, & liberum motum corporis, manuum ac pedum haberet, ſicque lætus ad Conventum ſuum rediit *Helvvigius.*

Scholion Schröckii. Si ullo Hygeiæ remedio, in purgantium ſanè exhibitione magna opus eſt cautela & prudentia, quibus nempe in actum deducti, non leves in corpore turbæ cientur. Et qui non eſſet res hæc magnæ molis? [ut Clariſſimus Bernar. Svvalvii verba ex diſquiſit. therapeut. general. ſect. 2. mutuem] ipſa pharmaci eſſentia alienus in corpore eſt hoſpes: humor vitioſus ſibi redditus nullibi queſcit. cor ſtimulum & acrimoniæ moleſtiam à pertranſeuntibus perſentiſcit: Regiâ corporis invaditur: ipſa Majeſtas læditur. Quas turbas ſi circumſpecte propinatum pharmacum

cum excitet, quantas vehementiori vi, quam decebat, præditum concitabit; Dolendum itaque tam frequenter & impune ubique Circumforaneorum temeritate, & quorumvis aliorum, Medicas quibus habere manus libido eſt, inſcitia, arduum adeo negotium tractari & exerceri. Hinc tot lacrymæ; hinc Urbes civibus ſpoliantur; hinc ſubditorum vires enervantur; hinc ſaluberrima auxilia infamantur. Utinam, quæ Divinæ illas auræ particulas exſecrandis poculis, pilulis, pulviſculis, &c. exturbare ex adamato corpore nefarie audet, Suprema tandem Auctoritate, Orbe expurgaretur Medicaſtrorum colluvies. Exempla nolo congerere, cum frequentiſſima ubique locorum plus ſatis occurrant. Si ullum unquam, illud certe Heſlingianum Azoth. obſervationem meretur. Ut enim, quid in noſtra Civitate (ad quam ut Panacearum hujuſmodi pene omnium fit, confluxus, ita & hæc benedicta (ſcil.) Hermetis avicula olim (advolaverat,) præſtiterit, taceam, quam periculoſas, doloroſas & lethales hypercatharſes δεξιπικὸν hoc medicamentum induxerit, Exc. D. Valent. Andr. Möllenbrocius Anno 1. Miſtell. Germ. Cur. obſerv. 54. recenſuit; cujus etiam examen tract. de Varis cap. 13. dederat; & Nobil. D. Dom. Laurent. Strauſſius pag. 204. Reſolut. Caſ. Muſſipont. tale ipſi erexit Epitaphium, Multi ante biennium plenos buccis extulerunt Heſlingianum Azot, nunc ab eo penis laſſi & ſatis debiles. Quorum infauſtorum magni auxilii effectuum ſi attentius & ipſi medentium nonnulli recordarentur, cautiores in catharticorum exhibitione fierent; ſiquidem & ipſos hac in quandoque errare diffiteri nemo poteſt; & in præſenti Caſu Monachus ſuo id damno expertus fuerat, hypercatharſin, naturam vehementis medicamenti acrimonia ſtimulante & nimiam humorum fuſionem excitante, perpeſſus. Qui turbulentus corporis ſtatus, humoribus liquatis & turgeſcentibus in debilitatos nervos decumbentibus, paralyſin progignere facile potuit. Hinc eſt quòd paralyticis fortiora purgantia neuticquam convenire ſtatuantur; ne iſta humorum commotione major in partem adfectam decubitus excitetur, obſtructioque adaugeatur. Quare Cl. Welſchius noſter in not. ad obſerv. 30. Hier. Martii, de paralyſi ex apoplexia agens, fortioribus purgantibus plerunque aut parum promoveri, aut exagitatis humoribus ſpinæ impactis, novos ac periculoſos paroxiſmos cieri animadvertit; atque Ill. Thiermairius lib. 2. Conſil. medic. cap. 4. paralyticos ex uno latere reſolutos, tentata per acre medicamentum materiæ eductione, ex altera etiam parte paralyſi correptos, vel omnimoda apoplexia concidiſſe ſua & Solenandri experientia teſtatur.

Paralyſis totius corporis flatulenta.

Capucinus quidam, frater laicus, A. 1671. in paralyſin corporis totius flatulentam ex cruditate & frigore incidens, peregre Ratisbonam ad Ordinis ſui Conventum, ſub magna cœli inclementia, & frigore udo deportatus, ſub mea cura, lenientibus, ſudoriferis, & decenti diæta, intra ſex ſeptimanas ſublevatus ad muni a ſua rurſus peregre pedes diſceſſit. *Helvvigius.*

Scholion Schrökii.) Flatulentas hujuſmodi paralyſes Hippocratem etiam agnoviſſe, ejuſdem de flatibus libellus monſtrat: At verò & apoplexiæ (quo ſub nomine ipſi morbum attonitum ſaltem ſive apoplexiam noſtro jam tempore ita vocatam, ſed paralyſin ſæpius venire, ex ipſo textu patet, atque ab aliis jam demonſtratum fuit,) ex flatibus oriuntur, nimirum quando flatus frigidi & copioſi carnes ſubjerint & inflarint. Hæ enim corporis partes ſtupidæ redduntur, Etſiquidem multi flatus totum corpus permeant, totus homo apoplectica redditur, ſi verò partem aliquam, pars illa. Atque ubi quidem flatus illi diſceſſerint, morbus ceſſat. Diſcedunt autem, non neglectis, ubi opus eſt, univerſalioribus, uſu carminativorum; quorum uti magna cum diaphoreticis & ſudoriferis eſt convenientia, quod egregie docuit Excell. noſter Wedelius lib. 2. de Medicam. facult. ſect. 2. cap. 3. ita hoc ipſo ſudorifera in paralyſi non eſſe prorſus rejicienda, eluceſcit. Nec tantùm in flatuoſo ejuſmodi morbo, ſed & ab alia cauſa ſi foveatur, prodeſſe poſſunt, ſive lympha craſſior, aut etiam juſto copioſior nervoſa corpora inundet, relaxet & obſtruat, ſive una quædam grumeſcentis ſanguinis particulæ, quas accuſat Corthummius libr. de morbo atton. cap. 56. §. 19. in ſpinalem medullam deſcendant; utrobique diaphoretica, ſi nihi aliud obſtet, locum inveniunt, cùm non tantùm ſerum craſſum & viſcidum, tum ipſis nervis impactum, reliquis è corporis partibus adventurum, incidendi, rarefaciendi, & per cutaneos poros expellendi, ſedat ſanguinis grumos diſſolvendi poteſtate polleant. Hinc non immerito Septalio libr. 6. animadverſ. med. num. 74. in ſudorifera juſto iniquiori, multi Medicorum ſeſe oppoſuerunt: qui tamen Hippocratis auctoritate ſeſe munire laboraverat, cum in Coac. prænotionibus morbum hunc urinis repente multis, & abunde prorumpentibus ſolvi, ſudoribus autem confertim manantibus in deterius ruere, ſcribatur. Nec diffitendum, Hippoc. Coac. prænot §. 359. Cod. Foëſ. ἀναυδίαν, i. e. loquendi impotentiam (quam multum perſeverantem, malam; parum autem durantem, linguæ, brachii &c. paralyſin denunciare adſtruit,) magna urinæ excretione ſolvi adſerere; & ſeq. §. 360. ſudores ἀθρόως effuſos noxios appellare: Aſt ſi illud Hipp. effatū, quod de anaudia in convulſionibus ſpicua agit, ad reliquas etiam paralyſeos ſpecies trahere liceat, Ipſe ſane de immoderata ſaltem ſudoris evacuatione ibidem tractat, ac quòd noceat, edicit; Et rectè, nam, ut ſect. 2. aph. 51. habet, plurimùm & repente vacuare, periculoſum; omne ſiquidem nimium naturæ inimicum. Hinc tantùm abeſt, ut magnus ille Medicinæ princeps omnes indiſcriminatim ſudores rejiciciat, quin eodem §. 360. ſenſim prodeuntem juvare, expreſſe moneat. Uti Medicus in omni curatione virium ſedulo habere rationem tenetur: ita & in ſudore proli-

ciendo cavere ſemper ſtudioſè debet ne jacturam earum promoveat. Sed partem tantum humoris peccantis tenuiorem exhalare, Septalius infert, craſſiore relicta, quæ ſic magis condenſetur, obſtruat, & curam difficiliorem reddat: Aſt metum hunc eſſe fruſtraneum Sennertus lib. 1. Medic. pract. part. 2. cap. 27. qu. 3. innuere voluit, dum illa ipſa ſudorifera vim habere attenuandi admonet. Quamvis itaque ſudorifera non æque omnibus promiſcue prodeſſe ſoleant paralyticis, nunquam tamen convenire, neutiquam eſt dicendum. Ut enim de externo hidroticorum uſu nihil dicam, cùm ſalutarem Thermarum & Laconicorum opem, creberrima experientia confirmatam, nemo negare valeat; internum etiam uſum ſæpe ſanitatem reſtituiſſe conſtat. Quo intuitu inprimis Sirupum è ſemine milii, S. Ambroſii dictum, Laurent. Scholzius Conſil. medic. 50. & Auguſtin. Thomerus append. epiſt. med. 14. commendant; & paralyticum 40. annor. Decocto ligni ſancti curatum, ex Nicol. Benzoni Sched. Pract. in Volumine 4. Actor. Med. Hafniens. obſ. 24. productis conſtat.

Senſus & motus poſt male adminiſtratam venæ ſectionem Abolitorum felix reſtitutio.

Nobiliſſima & Doctiſſima Virgo, Conſtantia Sibylla à Ludingshauſen Wolffia, Venerabilis prioriſſa Monaſterii Ordinis S. Benedicti, quod Culmæ magnificè extructum latè patet, Anno Milleſimo Sexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo 11. Octobris Thorunium venit, & de ſtupore ac immobilitate totius brachii & manus dextri lateris conqueſta eſt, ex occaſione malè adminiſtratæ Venæ Sectionis, quam jam ante ſex Menſes Barbitonſor quidam imperitus Culmæ peregerat, à quo tempore illa hucuſque (ſine dubio ex læſione nervi) brachii illius & manus officio fungi haud potuit, tumore quidem brachii (qui initio magnus erat) jam diſcutientibus quibuſdam domeſticis remediis ſublato, ſed Atrophia ſubſecuta. Nos præmiſſo uno atque altero Medicamento purgante, ſequentes ſpecies in aqua coquendas pro fomẽtatione brachii & manus ordinavimus.

♃. Rad. bryon. acori veri an. ℥ii. Herb. Betonic. Majoran. Salviæ, Calaminth. Serpilli Marrubii, Urticæ, Verbenæ an. Mi. Fl. Chamæm. Meliloti an. Mii. Baccar. Lauri Juniperi an. ℥vi. Tartari vivi ℥ß. Inciſa craſſiuſculè D. Dein iſtud Linimentum ad inungendam partem affectam.

♃. Ungu. Nervini ℥iß. Ol. Vulpini, Lumbric. terreſtr. an. ʒvi. Sampſuch. ʒß. Ol. deſt. Lil. Convall. lavend. Succini an. ℈ß. Spirit. Vini ʒii. m. f. l. art. Liminent. D. Tum ad irrigationem nuchæ & ſpinæ dorſi Aquam iſtam corroborantem.

♃. Aqu. lavend. cum vino, lil. convall. cum vino, an. ℥ii. Epilept. Lang. ℥i. M. D. Tandem præſcripſimus eidem Decoctum Sudoriferum tale.

♃. Lign. Guajac. Rad. Chinæ pond. an. ʒvi. Salſæ paril. Lign. Saſſaf. an. ℥ß. affunde aqu. font. tepid. ℔iß. Stent in l. cal. per Hor. 15. Deinde coqu. ad remanent. ℔i vaſe clauſo in MB. addendo ſub finem coctionis Herb. Cardui bened. Agrimon. Betonic. Chamædr. Chamæpyth. Fl. Lavend. Salviæ, anthos an. Mß. Cinamomi el. ʒiii. Cardam. Sem Aniſi an. ʒiß. liquirit raſ. ℥ß. Decoctum expr. & opt. colatum atque per reſident. depuratum ſerva pro uſu. De quo pro doſi aſſumebat ℥iiß. cum Syr. Cardui bened. ℥ß. Sambucini ʒii. ſal. Vitrioli C. C. gr. iv. Succini, Cardui bened. an. gr. iij. m. Ad extremum Corroborantia ſequentia data ſunt. Interne Morſuli.

♃. Spec. pro Morſul. Imperat. ʒiii. Diarrhod. Abb. Diamoſch. d. Ebor. præparat. an. ʒi. Cort. & Carn. citri cond. aurant. cond. nuc. Moſch. cond. omn. minut. inciſorum an. ʒii. Sacchar. canat. alb. in ſ. q. aqu. cinamomi cord. diſſol. ℥xii. f. l. a. Morſuli. Externè ſpecies pro Cucupha.

℞. Maſtich. el. Succin. alb. Thuris maſc. Storac. Calamit. Benzoes. Lign. aloes, cinamomi el. an. ʒi. macis. nuc. moſchat. an. ʒi. ſem. nigell. præparat. ʒß. Fl. roſar. r. roriſmar. ſalviæ, betonic. lavend. verbaſc. an. p. i. Inciſa & contuſa craſſiuſcule D. ad Chartam. Quibus ita uſurpatis, quatuor hebdomadarum ſpatio, divina annuente Gratia, venerabilis illa virgo optime reſtituta, brachii manuſque officio ad quævis munia libere in hunc uſque diem fruitur. *D. Simon. Schultzii.*

Paralyſis ex lapſu lethalis.

Anno 1666. 24. Auguſt. Obæratus quidam, deſperatus, temulentus tempore nocturno è lecto ſurgit, lotii reddendi cauſa; inde revertens, loco lecti feneſtram anguſtiſſimam petit, exqua ſe præcipitat in viam publicam, ac graviter in dorſum delabitur, quo ſenſus & motus partium inferiorum, membris ſuperioribus ſanis & illæſis, periit: certe ob læſionem medullæ Spinalis, è qua omnes nervi facultatem animalem deferentes oriuntur. Vocatus, Clyſtere præmiſſo, remediis internis Antiparalyticis, curam aggredior, vix tertius dies apparet, ubi Stercus & Urina non urgente, nec ſentiente ægro prodeunt; tunc illi mihi in mentem venit Hippocrat. aureus textus, veriſſimumque effatum è libr. 2. Prorrhet. quod circa exitum 4. diei Patiens meus obitu ſuo confirmavit: Cujus verba: Medulla Spinæ ſi quis laborarit ex lapſu, ſeu alia de cauſa, homo & cruribus impotens fit, ut neque ſi tangatur percipiat, & venter ac veſica, ut primis temporibus, neque Stercus, Urinam excernat, niſi coacte: inveterato morbo, non urgente homine, ſtercus & urina prodeunt, moritur poſtea non multo interpoſito tempore. *D. Gothofredi Schubarti.*

Hemiplexia ex Iſchuria.

Quanta mala generet, quantaque ſymptomata excitet ſola urinæ ad breve tempus ſuppreſſio, non opus erit aliunde exempla acceſſere, quam ſubjungam ſufficienter probabit Hiſtoria. Illuſtriſſimæ cujuſdam Perſonæ filiolus duorum circiter annorum, ſine prævia aliqua cauſa in dyſuriam, mox in iſchuriam, tandem in epilepſiam, hemiplexia terminatam, incidit ſequenti modo. Ad lectum veſperi poſitus bene uſque poſt mediam noctem quievit, manè 8. Junii anni præterlapſi hora ſecunda expergefactus exclamavit aliquoties, mox epilepſia correptus toto corpore

pore

pore ultra duas horas convellebatur. Remittente priore in novum paroxyſmum incidit uſque ad mediam nonam continuè durantem. Interea venter mirum in modum intumuit, inprimis in hypogaſtrio tumore adeo diſtincto, ut quaſi manu prehendi potuerit, adſtanteſque crediderint vel abceſſum vel rupturam, vel aliquid aliud eſſe. Ego autem poſtquam intellexi parum antecedenti die, tota autem nocte nihil, minxiſſe, flatus eſſe, & urinariam veſicam ita diſtendentes non vanè conjeci, Curavi applicari Clyſteres, ſed ex compreſſione forte inteſtini recti à veſica ita diſtenſa reiterati etiam non admittebantur, ſed ſine effectu effluebant. Tandem poſt nonam matutinam remiſit vehementia affectus, ſolumque lateris ſiniſtri manus & pes inceſſanter convellebantur, dextra parte immobili jacente, os apperiebat, & quæcunque propinata accipiebat, ſic externa & interna in uſum vocata. Dedi ſæpius Balſ. Sulph. terebinthinatum in Aq. Petroſel. & Syr. de Alt. Fern. cum Spirit. Salis aliquot guttulis, & effeci ut circa meridiem urina fluxerit ſat copioſe; ſtatim ad ſe rediit parvulus, & dextram manum cum pede movit, Siniſtrum autem latus, quod ita agitabatur in paroxyſmo, manſit immobile. Convenientibus tractatus evaſit & jam de facto iterum benè incedit, ſed manum nonniſi difficulter movet. Cauſam vero hujus iſchuriæ nunquam inveſtigare potui. Nam neque ante vel poſt quidquam vel de calculo vel arena, vel grumoſo ſanguine apparuit, & ab illo tempore ſemper recte ſine ulla moleſtia aut incommoditate vivit.
D. Caroli Raygeri.

Paralyſis lethalis Hydropi ſuperveniens.

Simon Seidel, civis & lanio Thorunenſis, vir robuſtus & plethoricus, annorum 59. cum jam à pluribus annis de magna ventriculi & abdominis flatulentia conquereretur, ea quotidie magis ingraveſcens, tandem in hydropem tympanitico-aſciten erupit: cui ego, Anno 1674. 23. Januari in conſilium vocatus, ſequentem potionem purgantem exhibui:

♃. Spec. decoct. aperit. maj. miß. fl. chamæm. mß. rad. fœnic. ʒvi. Decoque l. art. in ſ. qu. aqu. Chamæm. Colaturæ fort. expr. ℥iiß. adde elect. laxat. extr. fol. ſenn. noſtr. ℥ß. reſ. ſcammon. gialapp. an. gr. iii. crem. tartari. ℈i. aq. cinam. cord. ʒ. ii. M. F. Hauſtus. A cujus uſu, poſt dejectiones copioſas cum euphoria ſolutus benè habuit, & nuptiis filiæ, die 30. Januarii celebratis interfuit. Sed prima Februarii rurſum malè habens me ad ſe vocavit, ubi tum ab obſtructione alvina & diſtenſione ventris à flatibus valde angebatur. Urina erat tincta, pulſus parvus, ſitis maxima. Præſcripſi ei iſta die ſequens laxativum.

♃. Aqu. laxat. noſtr. ʒ. ii. ß. pulv. laxat. ʒß. Julepi roſat. qu. ſ. ad grat. dulced. M. pro una doſi, indeque blandas habuit dejectiones. Cum verò conſtipatio alvi ipſi admodum moleſta eſſet, ordinavi ipſi ſequens electuarium alternis diebus ſumendum quantitate nucis moſchatæ vel juglandis.

♃. Elect. laxat. extr. fol. ſenn. noſtr. ℥ii. admiſcendo reſ. ſcammon. gallapp. an. gr. iii. crem. tartari ℈iß. miſce exactiſſimè. Hoc fere quotidie non ſine optimo ſucceſſu utebatur. Diebus ab electuario liberis, nonnunquam etiam circa veſperam iſtas rotulas aſſumebat.

℞. Spec. diarrh. Abb. aromat. roſat. an ʒiß. ebor. præpar. ʒi. ol. deſt. fœnic. carvi an. g. v. ſacchar. Canar. alb. in ſ. qu. aq. cinam. cord. diſſol. ℥iv. F. l. a. Rotulæ, ſumantur 13. vel 15. una vice. Sed reſpiratio in dies difficilior reddebatur, vires autem debiliores: quare 3. Februar. hunc pulverem ordinavimus.

℞. Ol. deſt. carvi, cymini, aniſi, fœniculi an. g. ii. ſacchar. Canar. alb. ℈iv. M. F. Pulvis. Poſt cujus uſum etiam melius habuit. Dein iſtud linimentum pro inunctione totius abdominis.

♃. Ungu. de arthanita, deoppilat. an. ℥ß. ol. rutac. ʒvi. Ol. deſt. carvi. fœnic. cymini, aniſi. an. ℈ß. M. Sed die 4. Februar. virium roborandarum gratia talem Julepum exhibuimus.

♃. Conſerv. fl. anthos, borag. bugloſſ. violar. an. ʒii. cum aqu. hyſſopi, capill. Veneris an. ℥ivß. Ebulliant in diplom. clauſo. Colaturæ fort. expr. admiſc. aqu. roſar. fragr. ʒx. aqu. cinam. cord. ʒvi. M. Cum intereà lotium non niſi difficillime & in pauca quantitate redderet, aſſumpta ſequenti miſtura, illud copioſius effluebat, quæ talis fuit.

♃. Elix. proprietatis Paracelſi, eſſent. abſinth. an. ʒi. ſpir. ſalis dulc. ol. deſt. carvi, cymini, aniſi, fœnic. an. g. v. M. Dos. gutt. 9. 11. aut 15. Die 9. Febr. mane adhuc omnia in optimo ſtatu perſiſtebant, quà etiam à meridie paracenteſin circa umbilicum ad aquam educendam inſtituere volebamus; ſed hora tertia pomeridiana, paralyſi totius lateris ſiniſtri tactus eſt, motu & ſenſu tam brachii quàm pedis ablatis, ſed loquela & ſenſibus internis uſque ad mortem integris permanentibus, & quamvis naturam in depellendo affectu iſto juvaremus, ut-

♃. Conſerv. fl. anthos, ſalviæ, lavend. betonic. lil. convall. an. ʒii. cum aqu. betonic. lil. convall. an. ʒii. cum aqu. betonic. ceraſ. nigr. fl. tiliæ, pæon. cardui ben an. ʒii. Ebulliant in diplom. clauſ. Colaturæ fort. expr. adde aqu. cinam. cord. ʒx. apoplect. Lang. ʒii. M. pro julapio cochleatim ſæpius ſumendo.

Item ♃. Pulv. Marchion. ʒß. ſpec. dianth. diamoſch. d. an. ℈ß. M. F. Pulvis pro una doſi.

Item ♃. Mell. ad denſit. coct. q. ſ. ſpec. de hiera cum agar. ʒi. troch. alhand. ℈ß. ſalis gemmæ. ℈i. F. l. art. ſuppoſitorium: fruſtrà tamen omnia adhibita ſunt, nam die 12. Febr. hora undecima nocturna placide in Chiſto obdormivit.

Cadavere poſt mortem aperto, humor paucus, ſed flatus in magna copia reperiebatur: quid mirum? cum ſtatim poſt uſum miſturæ ſuperius deſcriptæ cum urina ſerum dies nocteſque flueret, Atque hæc eſt vera epigeneſis, cujus diverſa genera deſcribentem vide Steph. Rod. Caſtrenſem in Opuſculo. Quæ ex quibus l. l. c. 11. uſq; ad 17. Præſertim confer cum præſenti caſu cap. 13. de epigeneſi in morbum toto genere diverſum. Adde etiam cap. 25. ejuſdem de hydropis epigenomenis, Quibus majoris elucidationis gratia operæ pretium videtur ſubjungere dignam Caroli Piſonis obſervationem quæ libr. ſing. ſelect. Obſerv. & Conſil. de morb. à ſero in præfat. Operis Edition. in quarto p. 33. edit. autem in Octavo ſect. 1. Theor. 3. pag. 45.

pag. 45. reperitur, hiſce verbis: Fluxiones omnis generis & affectus p. n. quorum cauſa materialis eſt ſerum, invadunt affliguntque præſertim ſiniſtras partes: ex quo quia natura in his rectitudinem pro more ſervat cum viſcere, quod eſt fons ſeroſi humoris, hunc eſſe lienem, quippe ſiniſtrum hypochondrium occupantem, arguere eſt. *D. Simon. Schultzii.*

Paralyſis pueri.

Singularem curam pueri paralytici mihi amice tranſmiſit D. Simon Paulli ſenio & rerum uſu Venerandus, hic inſerendam, quam ipſis Magni Viri verbis Lectorum oculis ſiſtam.

Cum hujus anni 1672. tertio Septemb. ad N. N. patria Hiſpani, civis Antvverpienſis filium, necdum bimulum dentientem, ac de improviſo paralyſi totius dextri lateris artuum, ſenſu tactus integro, correptum, vocatus eſſem; ſolicitus, ut par erat, ſingularis hujus affectus cauſas ego indagare, ac interrogare parentes, anne antidhac, vel dum dentire occepiſſet primulum, filiolus Epilepſia fuiſſet correptus; parentibus id conſtanter negantibus, ſed ultro fatentibus, ingnite iracundum tale quid pati: Cum verò ſponte ſua erupiſſet par dentium inſiciſoriorum inferioris maxillæ, gingiva autem ſuperioris, eo loco oppidò tumeret, quo gelaſinorum par, una cum caninis, erupturum eſſet, utique juſſi, ut accerſitus Chirurgus Johannes nomine, quam profundè poſſet, ſcalpello myrtiformi gingivam proſcinderet; quod conſilium quoque ex ſententia ſucceſſit: larga quippe inſequenti hæmorrhagia, vagitu omni moroſiſſimus puſio, dictum factum abſtinuit, ſenſibus omnibus omninò integris. Cui interim poſt uſum clyſteris ex lacte, floribus camomillæ tantillo carvi ſeminis, & ſacchari Thomæi parati, præ formidine inſequuturi Epileptici paroxyſmi hunc pulverem una cum appropriata aqua præſcripſi, quibus, aut potius ſimilibus, Deo benedicente quam plurimos puerulos, vel à graviſſimis inſultibus Epilepticis vindicavi, quorum hæc eſt deſcriptio:

♃. C. C. Philoſoph. præp. ℨß. Ungul. Alc. phil. præp. Fæcul. Pœon. an. ℈i. Cranii human. Philoſ. Præp. ℈ß. Salis volatil. ejuſdem gr. vii. Manuum Chriſti perlatar. quartam partem ad pondus omnium, fiat l. a. pulvis, cujuſque quilibet ſcrupulus detur ſeorſum in charta. Miſce.

♃. Aquæ lilior. Convall. Tiliæ ſine vino an. ℥iii. Hirund. compoſit. Spiritus Ceraſ. an. ℨii. Miſce.

Quin ob paralyſin totius dextri lateris pueruli, raro exemplo, ſubſequutam, ſive dentitionem, ſive iracundiam, ejuſdem, conducibile ratus ſum præſcribere illi hoc infuſum, quod.

♃. Aquæ lilior. convall. Salviæ cum vino an. ℔ß. Caſtorei præping. in taleolas minutulas cociſi ℥i.

Stent in digeſtione in cineribus calidis per ſex horas, poſtea detur infuſum fortiter expreſſum, pro uſu.

Qua juſſi non perfunctoriè nec levi brachio; linteo aſperiori imbuto, perfricarent ſpinam dorſi & artus; poſtdein eam & artus foverent linteis gummi Animæ probè fumigatis, & Dei gratia ac benedictione intervenientibus à 3. Sept. in 12. quidem hujus anni, atque adeo ſpatio decem dierum integræ valetudini reſtitutus hic infans eſt. *Simon Paulli Senior.*

Paralyſis Colli.

Bregæ fœmina Nobilis eſt quæ ſiniſtram capitis partem non directè poteſt detinere, ſed ſemper caſum verſus ſiniſtrum brachium minatur eo inclinando, quo & ipſa ſemper id fulcire cogitur: Senſit quandoque dolorem in capite, quandoque etiam ſtuporem circa partem affectam: ad dextrum latus non poteſt caput flectere, niſi parum.

Scholion.) Thonerus l. 5. conſ. 8. exemplum refert de cervicis motu tremulo: hæc vero virgo Nobilis (memini enim me puerum illam ſatis annoſam adhuc vidiſſe) caput non potuit detinere erectum quin caderet in ſiniſtrum latus: incedebat ad mortem uſque manu collum fulciendo; Fuit itaque Paralyſis colli nervorum, unde caput ſuſtentantium muſculorum relaxatio. *D. Chriſtoph. Roesleri.*

Paralyſis Brachii.

Domino ab *Anligen* in *Briten* affectum eſt brachium dextrum ſubito quaſi Paralyſi, & manus reddebatur nigra. Eodem die ſecunda vice malum rediit. Nunc manum quidem movere poteſt, ſed tamen cum imbecillitate. Brachium etiam aliqua ex parte attollere poteſt. Senſus eſt integer, ſed in carpo nullus ſentitur pulſus. In altero Brachio Pulſus eſt naturalis. Dicit ſe præteritis diebus planè nullum percipere potuiſſe Pulſum. Alias bene valet. Sed vino ſæpius indulſit. Brachium etiam dolet, & interdum ſpaſmo affectum fuit. Dedi Purgans.

♃. Mann. ℥iiß. aq. Lil. Conv. ℥iii. Crem. Tart. ℈i. M. Deinde corroborantia.

♃. Sp. Dianth. ℨi. Diamoſch. d. pliriſ. arc diambr. an. ℈i. Imper. ℈ii. Sach. opt. ℥iv Aqu. Lil. Convall. c. v. q. ſ. Cinamomi ℨß. Ol. nuc. moſch. deſtil. g. i. aniſ. aneth. Carv. an. g. i. M. F. Morſ.

♃. Aq. antapopl. ℥iß. Carb. ℨß. M.

♃. Aq. lavend. cum Ceraſ. deſt. ℥ix. D.

♃. Ol. de laterib. caſt. rutac. an. ℨi. m. pro illinitione. Etiam vena ſecta in Brachio; his uſurpatis poteſt uti ut antea, etiam manu, ſed hæc ſolet ſubinde maxime frigeſieri, præſertim ad attactum rerum frigidarum; Pulſum dicit ſe hactenus ſenſiſſe, ſed languidum in affecto brachio. Ego cum tangerem, nondum deprehendere potui. Præſcripſi ſeq.

♃. Mithrid. ℨii. Conf. Anacard. ℈ß. ol. Carbunc. g. ii. m.

♃. Pil. aloëph. de aloë lota, maſtich. an. ℈i. Diagryd. gr. iii. cum ſyr. de beton. F. Pil.

♃. Diacydon. ℥ß. Conf. Anacard. ℨii. Conſ. Anth. ℥ß. fl. lil. conv. ℨiii. ſalv. lavend. an. ℨii. roſ. Vitriol. ℥ß. Myrobal. chebul. cond. Zingib. cond. an. ℨii. Nuc. Indic. cond. ℨß. Spec. Dianth.

Dianth. ℈i. Diamoſch. d. pl. iriſ. arc. Diarrh. an. ℈ß. Eſſ. calam. arom. gr. iij. ol. carvi. aniſ. roriſm. major. an. g. i. Cum melle roſ. col. F. Elect. Brachium inungatur Vino ſublimato, in quo ſalvia & lavendula macerata.

Scholium.) Paralyſin hanc ſcorbuticam fuiſſe puto, & quidem à vapore ſcorbutico narcoti imbuto ortam, de quo videatur Dravvitz. 143. Signa enim ab illo annotata ſi perluſtres pleraque invenies in hiſtoria recenſita. Aſphyxian verò adfuiſſe non mirum, vapor enim narcoticus etiam circulationem ſanguinis inhibuit, frigiditate ſua ſanguinem quaſi congelavit, & ad motum ineptum fecit. Memini me aliquando in Ægroto, febre continua adjuncto ſcorbuto laborante, planè nullum pulſum in utroque carpo ſentire potuiſſe, qui tamen evaſit & adhuc in vivis eſt. Interdum quidem propter luſum naturæ fallimur, ſicut Tulpius l. 3. Obſ. 45. de celebri Medico refert; cum ſcil. arteria ſitum debitum non tenet, ſed abſcondita jacet. In iis enim pulſus tangendus vel inter pollicem & indicem, ut Tulpius cit. loc. fecit, vel in tarſo, id eſt, in pede ad ſecundum digitum poſt maximum, ut Galenus vult & Amatus Luſitanus c. 1. Obſ. 96.

Paraplegia Brachii à Tumore.

Puello elegantiſſimo 10. Decemb. ann. 1672. honeſtiſſimis parentibus recens nato dextrum brachium ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος in extremos uſque digitos dependebat paraplecticum. Sive enim id totum, ſive digitorum unum aut alterum elevares mox in priſtinum labebatur ſtatum,

Mater puerpera multis lacrumis meam petiit opem. Jubeo obſtetricem faſcias & involucra pueili ſolvere; explorando alia omnia optimè conformata invenio, præterquam in anteriore humeri oſſe prope cubiti flexuram, ubi frequenti contrectatione tumorem ad pollicis longitudinem craſſitiemque durum & renitentem ipſi oſſi incumbere. Ratione ſubducta colligo vaſa ſpiritus in muſculos deferentia à tumore iſto comprimi. Parentibus ergo bono animo eſſe juſſis, curo emolliens emplaſtrum apponi & biduum relinqui, quibus elapſis iterum tango tumorem & aliqualem ſentiens mollitiem, pollice eum fortiter comprimo & hinc inde moveo, ſi forte vaſa complicata poſſem ſejungere. Res ex voto ſucceſſit, & impoſito viciſſim eodem emplaſtro tumor intra paucos dies prorſus evanuit. Brachio vero cervicibuſque aqua paraplectica optima & oleis convenientiſſimis inunctis, redire indies tam digitis quam toto brachio ſenſus & motus, quo puellus jam, Deo ſit laus, æque ut ſiniſtro utitur, ex naturæ inſtituto convenientiſſimè.

Decebit obſervatio hæc novellos Doctores praxin auſpicaturos, periculo non vacare, non intellecta morbi eſſentia, remedia decernere; ſi enim ψυχαγωγικοῖς ab initio ſtatim militaſſes, ut non-nemo hodiè docere videtur, è ſequaci & motigero tumore, in iſta ætatula, levi negotio rebellem ſcirrhum feciſſes, atque curabilem paraplegiam in incurabilem convertiſſes. *D. Juſti Cortnummii.*

Paralyſis Pedum ex longiore in frigido mora.

Obſervavi anno 1667. jam adulto Autumno, duos qui diutius puteum exhauſturi, in frigido morarant, inferiorum partium omnium correptos fuiſſe Paralyſi: Occurrit hic mihi quod tum ſæpius tum legerim tum audiverim illius qui licet æſtate diutius morati fuerant in aqua, tandem gravitate & ſpaſmo correptos fuiſſe, ut exiſtimarent ſe à ſpectro ad fundum trahi. *Aibardi Hermanni Cummii.*

Paralyſis pedis fluentibus menſibus ſubitanea.

Anno 1668. fœmina, antehac paſſionibus capitis, & nonnunquam epilepticis tentata, derepentè, tempore menſtrui fluxus, ſiniſtri pedis Paralyſi, id eſt, ἀναισθησίᾳ, ἀκινησίᾳ καὶ ψυχρότητι corripiebatur, & concidebat. Eo ipſo momento vocatus volatilem CC. ſpiritum internè cum pulvere cephalico & aliis dedi, externè verò aq. apopl. mul. cum ſpirit. ſalis remixtam illinere juſſi, non omiſſis urticationibus, quo effectum, ut altero ſtatim die pedem movere, tertiò ambulare iterum potuerit.

Ne excreſcat nimis hæc tractatio, paucis ſolùm id annotare lubet, (relictis hac vice, quæ dici hanc in rem poſſint aliis) 1. infuſa nervina ejuſmodi & volatilia, poros nervorum deobſtruentia & penetrantia, quàm optimè dari in Paralyſi. 2. Sudorifera & purgantia, quibus addi poſſunt clyſteres, non æque promiſcuè prodeſſe Paralyticis. 3. Conſideratione dignum eſt, quod plerumque hanc reſolutionem nervorum, inprimis majorem, præcedat febris, quod videtur contrarium aſſerto Hippocratico, febrim Apoplexiæ vel Paralyſi ſupervenientem, illam ſolvere. Exemplum parallelum, febris apoplexiam acceſſione ſua non terminantis, ſed lethiferæ vid. apud Holler. Obſ. 29. 4. Ineunte vere, ut alios morbos chronicos, ita hunc affectum melius & citius debellari poſſe. *D. Georg. Wolfgang. Wedeli.*

Mirifica ægritudinum quarundam hæreditariarum natura, ubi de Paralyſi hæreditaria.

Henricus, Magiſter organi pneumatici ad templum D. Petri in hac urbe, Roſcius in arte ſua, & loqui digitis, promptiſſimus trigeſimo ſexto ætatis anno uſum digitorum in utraque manu (prçterquam pollicis & indicis) paulatim amiſit; ſiderati enim ad juſſa munia fruſtra ſollicitabantur, unde infelix officio abſtinere juſſus quod modulantem poſceret Eccleſia, non quiritantem. Rogatus à me trienno poſt, eccur in pharmacis & unguentis uſurpandis hebeſceret; non eſt, inquit, humanæ opis labem illam hæreditariam tollere: parens meus eodem ætatis anno, quo ego, ſimili infortunio afflictus nihil non præſidiorum tentavit, ſed invita Hygieja; unde cùm me veſtigia ejus terreant, malo ſuper vacuas pecunias meas in œnopolio, quàm pharmacopolio abligurire. Non diſſimilis fortuna fuit primariæ apud nos fœminæ quæ naſcentem in dextro oculo catarrhactam ſexageſimo ſeptimo ætatis anno conſpicata, de eadem deponenda ſollicitam ſe non oſtendit, apertè faſſa Parenti ſuo idem malum eodem ætatis anno accidiſſe, nec inventum, quicquid etiam conaretur, niſi in morte remedium. *D. Olai Borrichii.*

De Paralyſi ex Colico dolore.

§. 1. Colicam ſæpe terminari in paralyſin jam olim ex P. Aeggin. Ebniſna, Haly Abb. Andernaco, jacotio Coitero, Graton & Hofman. aq. L. Scholz propriaque experientia obſervavit Henning. Arniſæus obſ. 2. §. 3. p. m. 245. Willis de anima Brutor. part. poſter. c. 9. p. m. 300. & c. 15. p. m. 531. Noſque ante hos 18. annos in diſp. de Colica c. 16. p. m. 28. probatum dedimus ex Rolfinc. Croll. Schroder, Bruel. A. Laurent Joh. Lang. Fonſeca, Solenandr. Mœbio, Coſtero, J. T. Schenk. River. C. Piſone, Zacuto, Pareo, Gr. Horſt. atque Colladone. Hactenuſque in praxi multoties vidimus, maxime ex ipſorummet ægrorum pertinacia; maxime bilioſorum & pituitoſorum; ut & eorum, qui inconſultius juſto balnea admittunt, nondum rite evacuato corpore; ut & è nimio intempeſtivoque narcoticorum uſu, vel rectius abuſu; itemque vini, maxime meraci, ingurgitatione in ipſo paroxyſmo, aut paullo poſt.

§. 2. Cauſas rei, viaſque per quas materia vitioſa feratur; hactenus diverſimode indagaverunt auctores; hicque hanc, alius aliam comminiſcitur. Foreſt. l. 10. in ſchol. ad obſ. 82. f. m. 423. b. in fine ait pituitæ partem morbum efficientis ex capite deſtillantem in nervos divertere, vel potentem in ipſas vertebras propellere, ut opinatur Hippocr. etſi etiam illi ſucci craſſiores exſiſtant, & per anguſta foramina debeant effugere &c. Et paullo poſt ita concludit: Ego interim exiſtimo ex Colico dolore vehementi ob inteſtina nervoſa paralyſin ſuccedere poſſe, quamvis prior ratio ex Hippocr. magis amplectanda ſit. Tremor tamen ſuperveniens, paralyſin tollere dicitur. Conf. qq. Spigel: Jonſton: Colladon: J. T. Echenk. & Coſter: quos ſuper hac re allegavimus l. ſupra §. 1. allegato.

§. 3. Sed hæc admodum obſcura ſunt adhuc; opuſque eſt majori dilucidatione. Arniſæus l. a. p. m. 247. putat colicæ materiam per habitum diſſipari atque ferri, eumque impingi, & impotentiam motus inducere, maxime quando ipſos ſubeat nervos. Ad hoc vero aliis viis non opus eſſe, præter venas, quæ materiam morbificam adtenuatam, ut in reliquum corporis habitum, ita & in cerebrum & ſpinalem medullam evomant, adeoque paralyſin &c. procreent. Verum venas hoc munere non fungi poſt doctiſſimi Viri tempora doctrina de ſanguinis περικυκλώσει evincit; adeoque reſponſio hæc nondum ſufficit.

§. 4. Spigelius hoc per materiæ per arterias meſentericas translationem fieri voluit. Quaſi materia in inteſtinis doloré faciens in tenuiſſima arteriarum Meſentericarum ora ſe inſinuaret, atque in arteriæ Magnæ truncum regreſſa, ad lumbares haſce perveniret, quæ turgeſcentes vicinos compreſſerint nervos, è quibus crurum paralyſis. Verum materiæ hic refluxus per arterias, motu quodam ſanguinis curſui in illis contrario, omnino impoſſibilis videtur: Nathan. Highmoro in Anacephaleos, ſtotius Circulat. ſanguinis in ſing. part. f. m. 254. Quomodo enim (ait) humores ſponte contra impetum ſanguinis violento cordis impulſu tranſmiſſi, contraniti poſſint, rationi conſentaneum non eſt, Nihil n. illos fortiori impetu adtrahit, cum naturæ prorſus ſint inimici. Nec impellit, dum motus illorum per inteſtina, & per ſedem evacuatio non minus levaminis naturæ adtulerit, quam translatio hæc inordinata & non naturalis.

§. 5. Ipſe vero Highmorus ibidem ſuam ſententiam his addit verbis: Commutationem itaque hanc affectuum, humorum Metaſtaſi fieri arbitramur. Non vero illorum, qui jam in inteſtinis, illorum membranas laceſſerunt, ſed qui per arteriam meſentericam inferiorem Tab. 17. 10. ad Colici doloris continuationem in inteſtinis fluxuri erant, in arterias haſce lumbares, (quarum origo priori quam proxima eſt,) cum ſanguine ad ſpinam tradente, impellantur. Quæ vero craſſo hoc humore turgeſcente, nervos ex ſpina prodeuntes comprimunt: unde ſpiritus libere ad partes inferiores tranſmitti nequeunt, atque inde earum paralyſis. Inde enim commune foramen utriſque, arteriarum ſc. ingreſſui & exitui nervorum inſervit. Si itaque unus vel alter p. n. diſtendatur, alterius compreſſio neceſſario inſequitur.

§. 6. Sed, quod pace Viri Eximii dicam; illa in nervis per arterias turgeſcentes humore craſſo facta compreſſio vix locum obtinebit (1) cum materia iſta vitioſa tantæ craſſitiei non ſit, ac vulgò ſibi quidam imaginantur, ut poſſit tam notabilem facere compreſſionem, (2) poſito, ſed non conceſſo, ſtatim illa craſſa materia ob perennitatem pulſus cedit, & compreſſionem illam tollit, adeoque (ſi vera eſſet iſta ratio) paralyſis iſta eſſet ſaltim momentanea. (3) Fieret ejuſmodi compreſſio multoties in obeſis, valde phlegmaticis, immo in febrientibus aliiſque: ubi maſſa ſanguinea nimium fermentatione peregrina dilatatur; aut pulſatio valde irritatur; tuncque commune iſtud foramen, quod nervorum exitui & arteriarum ingreſſui inſervit, ſemper anguſtius redditur, & paralyſis ante fores eſt (4) Unde materiæ iſti colicæ vitioſæque privilegium ut è corde ad aortam propulſa, tantum ad arteriam meſentericam inferiorem ejuſque ramos lumbares pergat, & non ad alias? Siquidem (5) non tantum è colica fiunt paralytici in cruribus; ſed & in artubus ſuperioribus: per quas igitur vias tunc feretur materia pecans?

§. 7. Nobis non adeo diſplicet opinio Williſii de Anima brutorum part. poſter. c. 9. p. m. 388. ita inquientis: Hujuſmodi effectus cauſſa, tū à morbi ſede, tum à materia morbifica immutatis procedit: Hoc nim. quæ perexigua ſed acris, & irritativa, nervos tantū ſplanchnicoo incurrebat, proindeque ob viſcerum fibras vellicatas, in iis ſpaſmos & dolores ciebat; poſtea copioſior, ſimulque hebetur & narcotica evadens, per ſpinalem medullam depluit, aque nervos, his aut illis membris, aut muſculis deſtinatos ſubiens, in partibus reſpectivis reſolutiones pareit. *D. Georgii Franci.*

Pareſis ex Colica.

Domina à *Kotfirck* incidit in Pareſin ex Colica; Fovit loca affecta aqua pluvia, & cucurbitulas, brachiis applicari curavit, Ita indies ſenſit correctionem aliquam donec curata eſt.

Scho-

giam ex παρὰ & ὀδοὺς ὀδόντος? quâ apprimè denotatur affectus juxta dentes; quem nullô aſſignato nomine propriò, ſic deſcribit & curat Hieronymus Fabricius ab Aquapendente Operationum Chirurgicarum librô, ubi de Gingivarum Chirurgiâ. Quòd ſi præter Gingivarum tumorem (inquit ille) accedat retro magis ad molares dentes, caro craſſa & putrida, maximè extuberans, eô caſu, ferramenta adurentia difficulter imponuntur; tum quia, propter carnis craſſitiem, & denſitatem, vel multâ morâ, non ſatis comburunt; tum propter loci anguſtiam & partes circumſtantes, quæ non ſuſtinent candentia ferramenta; ideoque neceſſarium eſt priùs, quantum fieri poteſt, excidere ferramentis excidentibus, ſcalpris ſimilibus, ſed longè majoribus; poſtea reliquias inurere, & os quoque maxillæ, quod labem contraxit. Quòd ſi ſcalpra ſanguinis profluvium moveant, iiſdem, aut certè aliis, eadem formâ præditis, ſed candentibus utendum eſt; ut his, qui cætera recti, in extremô recurvati ſunt, prout uſus & locus requirit. Poſtremò ad reliquias putridæ carnis, & os ſubjectum, quod ex contactu putridæ, glanduloſæque, & pinguis carnis vitium contraxit, candentia commoda alia ferramenta per cannulam immittuntur, obice ſecundùm eorum longitudinem ſanatum partium contactum prohibente; quæ ſanè putridæ & intumeſcentes carnes, & ſi ab aliis non proponuntur, mihi tamen ſunt perſpectæ, & experientiâ comprobatæ, quibuſdam ferramentis ad id fabrefactis. Parodontidis etiam nomen in Lexicô Medicô Caſtello-Brunonianô legitur, additurque non videri quid obſtet quô minùs hoc retineri, & in uſum revocari queat, quantumvis opponant aliqui à nullô Græcorum uſurpatum obſervari. Interim tamen Accuratiſſimo Viro Marco Aurelio Severino magis arriſit Parontidis vocabulum per abbreviationem alterius efformatum, nec eſt quod in hôc litem ipſi moveamus; quin potius quæ in aureô ſuô tractatu de reconditâ abſceſſuum naturâ, doctè, pro more, de hoc affectu ſcripſit, continuo hic adjungimus. Sic itaque ille.

Proditum eſt à Bartholomæô Euſtachiô l. de dentibus; ad horum præſepiola ſæpe, tam multum affluere gypſeæ pituitæ, ut ſinubus ipſorum repletis dentes à vinculis exſolvantur, foraſque ſenſim propellantur. Mea verò eſt obſervatio, ex eâdem eluvie pituitæ concrementum enaſci carneum, ſubrubrum, durum, progerminum, quod interdum galli coronam, interdum oſtracodermi carnem purpuream refert. Hoc genus Epulidem noſtrates Medici nominant, verùm quàm rectè viderint. Etſi enim epulis excreſcentia quædam eſt carnis: hæc tamen ſuccedit ad malè purgatam, & minimè reſiccatam parulidem, quæ Paulô, & Ætiô teſtibus, inflammatio quædam eſt particulæ cujuſpiam gingivarum. Utraque autem expullulatio quædam eſt ſanguinis, & calida ἀποσημασία: quæ Pauli eſt doctrina, partim in lib. 3. partim in lib. 6. deſcripta. At verò, quod nos proponimus, germen eſt carnis, nullâ unquam prægreſsâ phlegmone, ſed ſolâ humoris viſcidi craſſique ſcatebrâ profectum: quod genus σαρκοειδὴς βλάστημα Galen. vocavit, libr. de tumor. præter nat. cap. 21. παρόντιδας verò, latinô non inventô nomine, dixit Cornel. Celſus lib. 6. rei Medic. cap. 13. Non difficile autem eſt, ut germen latiuſculum intellexerit carnis; quandoquidem ait; ſi major is tumor eſt, commodiùs totus exciditur ſic, ut ex utraque parte dens liberetur. Quòd ſi minor interdum etiam hic tumor à Celsô deſcribitur: id propterea non facit, quò minùs & major hôc genere comprehendatur.

Quòd ego germen, tum ex ſubſtantiâ, tum ex duritie, ſchroſarcoma vocandum judico: quale ferme deſcripſit Balduinus in hiſtor. Medic. Miſcellan. 7. aut quale narravit Felix Platerus in obſerv. Sed & quæcunque nos hujus generis curavimus, omnia citra phlegmonen evenere. Quæ, ſi placet, experimenta de plurimis ſelecta narremus.

Perſiæ Peregrinæ conjugi Michaëlis Angeli Pinti, trigeſimum annum natæ, ad ante penultimum molarem oblique nata caruncula, principiô lentis magnitudine, mox dimidiæ fabæ modô. Quod concrementum à Medicis & Chirurgis leniter tractatum, & per medicamenta plurima non repreſſum, intus, extraque ſepta dentium excrevit ſic, ut molarem alterâ parte revulſerit, & contorſerit, quô tempore inſrenabilia profluvia ſanguinis extiterunt: atque eô magis verenda, quòd cumulatiſſime prægnantem offenderunt, à qua jam ſarcinâ diu levata; ſed incremento latiore ſarcomatis, & putore ſaniei, quam grypi duxerant, afflicta & pertæſa: jam me ferramenta liquidò adhibiturum acceſſit. Quibus ego, tum frigidis, & reſcindentibus, tum igne retorridis varie, atque aptè adminiſtratis, viraginem alioqui fœminam, ab annuâ, & amplivaga noxa liberavi; collega ad eam rem Joh. Dominicô Malliochô efficacis medicinæ cumprimis amicô. Quô ipsô item præſente, & Joh. Baptiſtæ filio, Andreæ Piſcicelli, octavum annum nato, ſcirrhoſam iſtiuſmodi carunculam, mole quidem aliquantò minorem, ſed pro immedicabili ab aliis ſummis Chirurgis relictam, ſemilígneô diſcindente ſcalprô curavi. Poſt hos erit tertia filia Tonſoris, Anton. Fuſci. Sed aliis nominibus admiranda fuerit narratio de Victoriâ, Antonii Conradi Sartoris filiâ, quæ ad hunc ſe modum habuit. Maxilla inferior dextri lateris mirum in modum turgida vitium alebat, quâ molaris ſecundus eſt. Hic ſi ferrô pluſculum attrectaretur, audiri tum fragor, & reſonitus vaginulæ veluti quaſſæ. Ita ſcil. minus amicus erat dentium complexus; quamobrem de excutiendô ſaltem unô molari, alioquin infirmiore, ſignificatum à me eſt: qui ſic quidem hærebat laxè, ut matris manu per filum fuerit exemptus. Sic carnis inutile glomer, quod radicibus extracti dentis exultaverat, tractare commodius fuit: adeoque reſectum primò per ſcalprum, mox ignitô aurô repreſſum eſt: quæ cùm ſemel opera exhauriendo vitio non ſatisfeciſſet; rurſus, ac tertiò repetita eſt. Mirumque fuit, ut extumeſcens diu facies, atque etiam maxillæ turgor reſidere brevi ſunt viſæ; quanquam ad exteriorem malæ faciem, & medicatæ cinnabaris fumô ſpongiolæ, & diapyri-

ti emplaſtra, & ex plumbô hydrargyrôque conflatæ lamellæ, nonnihil adjumenti dedere. Quas meas omnes adminiſtrationes, & curationes confidenter admittendas, atque exequendas, parentibus ſuaſerat excellens in arte Medicâ vir Horatius Theſaurerius Collegii Salernitani Doctor. Ad hæc exempla poſſem & de carunculâ ſpongiformi dicere, quam Illuſtri fœminæ Victoriæ Pyrrhoniæ de primô molari dente ſubduxi. Quibus jam omnibus expoſitis experimentis, ſatis perdiſcere potuiſtis, initiis, materiâ, ſubſtantiâ, magnitudine, more, atque aliis accidentibus propriis, & privatis, ſcliroſarcoma eſſe. Tantùm abeſt ut de parulidis genere ſit, quod firmatum aliorum opinione fuerat.

Atque hactenus Doctiſſim. Severinus; Hiſce jam proprias ſubjungemus obſervationes duas, oppidò raras; quarum prior communicata fuit Viro Præclariſſimo Dom. Joh. Jacob Wepffero; ac ea propter ejuſdem reſponſum, ipſius hiſtoriæ annexum videbitur.

Parodontis in Virô plus quam quadragenariô, lethalis poſtquam maxilla inferior, à parte dextrâ, ab ejus malignitate profundiùs corroſa, ſeu potiùs perfracta fuiſſet.

Vir plus quàm quadragenarius, temperamenti pituito-melancholici, fluxionibus in dentes ſubinde obnoxius, tandem patitur tumorem circa ſecundum dentem molarem à parte dextrâ, in inferiore maxillâ; qui ſenſim incrementa ſumens, cum aliquô dolore, dentem proximum de ſede ſua non parum dimovit, unde facile fuit Chirurgo expertiſſimo, primùm accerſito illum digitis apprehenſum, ſine ulteriori apparatu avellere. Verùm non ſic eradicatum eſt malum: nam carnes glanduloſæ ac pingues, quæ jam in ejuſdem dentis alveolô radices poſuerant, commodiorem quaſi vegetationem per ablatum obicem nactæ, non parum excrevere; nec licitum fuit Chirurgo eas per ſpiritus acriores, aut nitri aut vitrioli cohibere; quin potius in dies vegetiores factæ, eò magnitudinis pervenerunt ut caput infantile æquarent, partemque concavi oris, non tantùm occuparent; Sed etiam inter maxillam & malam ac buccas exteriùs monſtroſè protenſæ, immensùm à parte afflicta genam inflarent. Tumor grandiorem referebat uvam cujus pedunculus in ipsô dentis evulſi alveolô, ac gingiva utrinque ipſum circumcingente, poſitus, truncum ac ramos varios de ſe promebat, quibus appenſa erant corpora glanduloſa innumera, coloris, partim ſubalbidi, partim lividi; ſed admodum fœtentia. Quod primùm non ceſſerat remediis, vulnerariis, balſamicis, & variè deſiccantibus, tum intùs, tum extùs, magnâ diligentiâ adhibitis; ferrò, tandem & igne etiam renuente ægrô & affinibus aggreſſi ſumus, nec tamen datum eſt illud eradicatum facere; imò ſic vidimus cariem in ſubjectam maxillam non parum ſerpſiſſe, illamque jam propè diſcidiſſe, ita ut igne profundiores ipſius cuniculos attingere non liceret. Propterea à tam malè affectô fundô continuò pullulabat ea carnium glanduloſarum quantitas, quæ reſarciendis intra minus quàm viginti quatuor horarum ſpatium carnibus magnô labore exſectis, & combuſtis, ſatis eſſet. Affectionem tam horrendam concomitata eſt poſtmodum febris hectica, eaque ſatis vehemens, quâ corpus in extremam maciem deductum, per crura ac tibias leucophlegmaticè tumuit. Perſtat tamen appetentia, ac ea virium tolerantia quæ quibuſvis operationibus hactenus par fuit. Parodontidem credimus hic adeſſe ab Aurelio Cornelio Celsô deſcriptam; & à Marco Aureliô Severinô per ferrum & ignem ſæpius ſanatam: Sed peſſimi prorſus moris, quæque nullis auxiliis auſcultare ſit parata. Nobis præterea omnia pertimeſcenda veniunt ab accenſâ febre, & leucophlegmatiâ enaſcente, imò & jam adoleſcente; quapropter lubentes conſilia ſuper caſu tam difficili excipiemus.

Conſilium Medicum Præclariſſimi D. Joh. Jacob. Wepfferi ſuper caſu propoſitô.

Caro ex gingiva pullulans nondum cancroſa eſſe videtur, licèt glanduloſa dicatur; (mallem illam fungoſam appellare) quia manifeſtè os carioſum tangitur, & quidem inſignis ejus portio in maxilla inferiore; deinde quia jam aliquoties ſuâ membranâ ſublatâ nondum ad vicina ſerpſit: quod aliàs fieri ſolet, & in hoc locô factum fuiſſe memini; ſcilicet non pepercíſſet vicinæ malæ, gulæ & linguæ. Uſtionem ferrô candente cum Excellentiſſim. Dom. Medicis & Chirurgis ſummopere probo, illamque ſtrenuè continuandam exiſtimo; quoniam præ aliis fungum radicitùs extirpat; Si malignitas ſubſit, illam corrigit, quin etiam illius ſcaturiginem ſcilicet cariem tollit. Hæc longè tutior eſt ſpiritibus corroſivis, etiam aqu. viridi Plateri, butyro antimon. &c. Vix enim caveri poteſt quin hæc fluida ad partes vicinas dimanarent, illaſque periculoſè exulcerarent; quin etiam, quia ad omnimodam ſublationem, frequenter & diu inſtillarentur, tandem totam maſſam ſanguineam acri humore imbuerent. Sic talem fungum cancroſum in parte internâ femoris, butyri antimonii quidem uſu ſublatum novi, ægram tamen poſt annum phthiſi mortuam fuiſſe. Tinctura laccæ, quæ adhibita eſt, ad coërcendam carnem luxuriantem efficax eſt; & quoniam gingivæ quoque tumidiores ſunt, talis ſyrupus cum pulvillis ex filamentis paratis, inter gingivam & malam dexteram interponi poſſet.

♃. Succi naſturtii ℥ij. Folior. raphan. ruſtican. ℥j. Mellis roſac. ℥iij. Myrrh. electæ ʒij. Coque ad conſiſtent. Syrup. craſſioris. Ulcus in maxillâ inferiore amplius reddendum eſt, ut caries plenè detegatur, & ſcalpi, aut radi, quinetiam trepanô, quale Aquapendentis eſt, in unô alterôque locô perfodi poſſet. Sic enim os carioſum faciliùs à ſanô ſeparatur. Pulvis catagmaticus tardiùs ſuum officium faceret. Dilatatum ulcus, omiſſis balſamis, & tincturis, ſolis filamentis implendum, & emplaſtr. diapalm. tegi poſſet. Si ulcus foris ſordeſceret,

aut

deſceret, aut tinctura myrrhæ, aut aquâ phagædenicâ, caro eluenda erit, parcendo quantum poſſibile oſſi.

Quoniam D. Æger eſt temperamenti frigidi & humidi, decoctum ſiccans neceſſarium erit, quod procuidubio feret, cùm, febre præſente, purgantia aliquoties data, toleraverit. Certè ab his decoctis, ſecundùm Nicolaum Maſſam, pinguiores fiunt; cui adſtipulantur experientia & Freitagius, qui illa in quâdam phthiſi cum fructu ſuadet. Omiſsô itaque antimoniô crudô & mercuriô vivô, tale paretur.

♃. Lign. ſanct. ℥iij. Saſſafr. ℥j. Radic. ſarſæpar. ℥vi. Paſſul. maj. exacinat. ℥iij. Sem. fœnic. ʒiij. Inciſ. & contuſ. infund. hor. 12. in aq. font. ℔ viii. Poſtea coque in vaſe vitreatô bene clauſô in B.M. horis duabus ſponte frigefactum, coletur ſine forti expreſſione. Hujus decocti manè, horâ quintâ, bibat ℥iv. vel ℥v. calidè. Poſt horam incumbat ſcamno ſudorifero, cujus confectionem & adaptandi modum nuper deſcripſi; videri quoque poteſt apud Tenzelium in Trinô Bezoardicô, & Marc. Aurel. Severinum de Chirurgiâ efficaci. Super ſcamnô primâ vice non ultra horæ dimidium moretur. Dum ſcamno incumbit, ſubinde refocilletur tali, aut ſimili miſturâ, cujus, qualibet vice, unum alterumve cochlear detur.

♃. Aq. Card. benedict. fumar. an. ℥ii ß. Antim. diaphor. cum triplô nitri deton. ℈j. C. C. pphicè præparati ʒß. Syrup. de rubô idæô ʒvi. M. Poſt horam dimidiam, lectum repetat, ſed calfactum. Veſperi, circa quartam, rurſus bibat decocti ℥iij. Elapsâ dimidiâ hora, ſcamno rurſus incumbat, ibique ut manè mixturâ reficiatur. In progreſſu, manè & veſperi, etiam ad horam cum dimidiâ ſuper ſcamno permaneat, quod ſine ullâ virium proſtratione fiet, ſi modò miſturâ diligenter reficiatur. Ad minimum hæc ultra tres ſeptimanas continuanda, quotidie bis ſudando, ſed nunquam ultra bonam tolerantiam. Sudoris provocationem ſuper ſcamno tutiorem puto quàm in ſtuphâ, aut ciſtâ ad id accommodatâ, quoniam inde caput non multum incaleſcit; & efficaciorem quàm in lectô. Sudor elicitur commodiùs calore prunarum, quàm ſpiritu vini accenſô. Si affectus protrahatur, naturæ per dies 14. induciæ concedendæ; poſtea ſudatio rurſus per alios 14. repetenda. Victus ſit paulò plenior quàm in lue venereâ conceditur, &, quia maſticatio difficilis eſt, præter juſcula carnis, concederem carnes elixas minutim conciſas, item ova ſorbilia, fructus dulces coctos. Potus ſit decoctum ſaſſafr. aut lign. viſc. quern. aut rad. chinæ.

Deus T. O. M. Domino Ægro hæc ſalutaria eſſe jubeat. Scaphuſii, die 18. *Decembr.* Ann. 1689.

Hactenus Clariſſ. D. Wepfferus; jam ſequitur continuatio hiſtoriæ ad mortem uſque D. Patientis.

Acceptô Clariſſ. D. Wepfferi conſiliô, non tantùm ferrô & igne, ac medicamentis deſiccantibus, vulnerariis & balſamicis, intus & extus adhibitis morbum debellare adnitebamur; intus ſcilicet decoctis traumaticis variis, ac etiam ex radicibus & lignis, purgantibus ſubinde cum mercuriô dulci intercalatis; extùs verò, iiſdem decoctis & ſuccis, ac etiam tincturâ gummi laccæ cum ſpiritu vini armoniacatô extractâ. Sed præterea ad ſudores ipſos devenimus, quos igne in lectô, quia alium ſitum ferre non poterat commodè æger, provocavimus, nullumque inde enatum febris augmentum, quin potius ſic aliquatenus illa remittere viſa. Verùm non interim coërcebatur malum in maxillâ, quin in dies profundiores agens radices, illam tandem prorſus diſcidit, ita ut ad anteriora pendula foret, nec aliàs os claudere poſſet Dom. Patiens quàm per adhibitam faſciationem aptam, impoſitamque ferri tenuiorem laminam ad formam ſoleæ ferreæ quâ equorum armantur pedes exſectam. Carnes è carie pullulantes quæ primùm quaſi glanduloſæ fuere, tum propè cartilagineæ factæ ſunt, atque ex primô ſuô fundô ad maxillæ uſque juncturam radices ſuas promoverunt. Tot victus malis Æger noſter tandemque funeſtâ colica dilaniatus, inter frequentes lipothymias, die 28. Januarii anni 1690. animam efflavit. Emortui cùm maxillam ipſiuſque tumorem ad examen revocaſſemus, vidimus illius cariem, ultra pollicis cum dimidio ad ſummum ſe non extendiſſe, ſed inde ita os corruptum fuiſſe, ut prorſus friabile foret. Tumor ex parte carneus, ex parte glanduloſus, ſeu, ut Clariſſ. Wepffero lubet, fungoſus, ex parte cartilagineus, ac quaſi corneus, repertus eſt, totamque maxillam à parte dextrâ latè circumcingebat, ac ad ejuſdem juncturam aſcendens, ipſius ligamenta ita laxaverat, ut luxatio ibidem perfecta ſic efficeretur. Plura in cadavere non ſumus rimati.

Parodontis in Puellâ, brevi ſanata.

Annô 1690. menſe Septembri cùm Neocomum Helvetiorum iter habuiſſem, mihi oblata eſt puella quinquennis, in cujus maxillâ inferiore, parte ſiniſtrâ, mediô inter mentum ac juncturam maxillæ propè locô, enatus erat tumor glanduloſus, quô proximus dens de ſede ſuâ pulſus, ſimplici forcipe à Chirurgô extractus fuerat. Verùm non ita facile erat tumori in dies incrementa ſumenti, ac cariem in ſubjectum os propaganti, mederi. Suadebam ego extirpationem tumoris, atque identidem ignis admotionem pro oſſis correctione: at renuebant parentes, & propterea autor fui ut ſubinde imponerentur loco affecto plumaceoli, elixyre volatili, è ſpir. ſal. armon. variis balſamicis ſaturatô, imbuti. Adjungebam ptiſanam deſiccantem, purgantiaque per intervalla mitiora. Sicque, nullô aliô adhibitô auxiliô ſanata eſt Ægra.

PARONICHIA.

I. INter Tumores haud immeritò à Cheirurgis refertur Reduvia ſeu Paronychia, quippe quæ in vicinia ſeu lateribus Unguium in Digitis generari conſuevit: Latinis Panaritium nuncupatur, Noſtratibus *De Viit*, Germanis *der Wurm*

oder das Ungenade. Vulgus enim in ea eſt ſententia, Vermem in illo Tumore latere, qui rodendo tantos excitat dolores, eumque nominatum exaſperari, ideoque nominandum non eſſe.

II. Eſt autem Panaritium ſeu Paronychia Tumor in Digiti extremo, admodum dolens, ex acido-acri atque ferino humore, tendines, nervulos, perioſteum, imò os ipſum rodente, ortus. Eſtque duplex hic Affectus: Alter enim ad Unguis radicem naſcitur, ac plerumque in ſuperficie duntaxat, cum nonnullo dolore. Alter verò profundior eſt, ad ipſum uſque perioſteum, cum acerbiſſimo & acutiſſimo doloris ſenſu; iſque ſymptomata graviſſima, febrem puta, ſyncopen, convulſionem, ulcus malignum, cariem, interdum & totius partis corruptionem infert.

III. Igitur ortum habet hic Tumor ab humore acido-acri, & acri ſalino, ſimulque volatili, Aquæ Stygiæ haud abſimili, præterquam quod hic multo volatilior ſit; qui cum ſanguine per arteriolas ad Digiti extremum, & quidem ipſum in perioſteum delatus, immanem roſionem, hinc acerbiſſimum dolorem, ſimulque ex continuò affluente ſanguine Inflammationem excitat.

IV. Signa verò quibus dignoſcitur hic Affectus, ſunt Tumor, Rubor, Dolor circa Unguem intolerabilis, qui continuò Ægrum affligit, atque non raro ob conſenſum partium nervoſarum per totum brachium extenditur, & comitem habet febrem continuam, ac lypothymiam, &c. Cæterum quo peccans humor magis vel minus acris, ita malum hoc mitius vel deterius eſt. Quandoque os, digitus, tota manus corrumpitur, imò aliquando ex dolore mortuus fuit Ægrotans.

V. Sed quemadmodum de Cauſa hujus Affectus ſuperſtitioſas opiniones (viz. Vermem in hoc Tumore latere, qui rodendo tantos excitat dolores, &c.) Vulgus habet; ita & de Curatione: putat nimirum, ſi quis Tempore Verno Spermate Ranarum manus madefecerit, ac ſpontè ſiccari ſiverit, & poſtmodum Digitum hac inflammatione laborantem comprehendat, inflammationem ſedari. Alii Talpam vivam ſingulis annis manu comprehendunt, & pronunciatis conceptis quibuſdam verbis Talpam comprimendo occidunt, atque hinc per totum annum Vermes iſtiuſmodi ſe occidere poſſe jactitant. Verum ut nugas haſce omittamus, genuinam Panaritii conſideremus Curationem.

VI. In qua, Generalibus, Venæſectione ſcilicet, & Univerſali Purgatione haud neglectis, Affectus Digitus aliquandiu foveri poteſt hoc vel ſimili Decocto,

♃. Florum Camomillæ, Meliloti, Sambuci an. Mj. Seminis Lini, Fœnigræci an. ℥ß. Coquantur S.A. in Lacte Vaccino.

Vel applicetur Cataplaſma,

♃. Fol. Hyoſciami Flor. Anethi, Sambuci an. Mj. Sem. Lini, Papaveris an. ʒiij. Farinæ Althææ ℥iß. Coq. in Lacte Vaccino, & fiat ex his S. A. Cataplaſma.

♃. Farinæ Hordei, Lini an. ʒvi. Butyri recentis, Mucilag. Sem. Pſyllii an. ℥j. Vitellum unius Ovi, Pulv. Croci ℈j. Miſceantur S. A.

Nonnulli laudant Ea, quæ ſequuntur,

♃. Farinæ Avenaceæ, vulgò *Havergozt*, Coq. S. A. in Aceto Vini in formam Cataplaſmatis, quod calidè applicetur, & identidem renovetur.

♃. Herb. Senecionis, Sedi Majoris an. part. æq. Ex his contuſis fiat Cataplaſma. Scribit Aquapendens, quaſdam mulieres hunc Affectum in initio (viz. cum Digitus incipit dolere, hoc eſt, in primo doloris impetu, neque adhuc in Digito ullus Tumor Ruborvè apparet) ſtatim Curare, Digiti extremum in Ebullientem Aquam aliquoties immittendo, ita tamen ut vix digitus aquam attingat: eſt enim remedium, quod materiam exiguam fluxam ſtatim diſſipando evacuat. Probat quoque hanc immiſſionem in Aquam Ferventem Severinus in Pyrotechnia.

Alii volunt, ut aliquandiu in Ovo Putrido teneatur Digitus; idque ſæpius hunc Affectum Curaſſe affirmant.

Riverius peculiari Medio hunc Affectum Curat, de quo Cent. 4. Obſervat. 63. hæc habet: „Virgo quædam Paronychiam patiebatur in „indice manus ſiniſtræ, quæ ipſam vehementer „afflixerat per quatuor dies; juſſi ut Digitum „immitteret in Aurem Felis, & intra duas ho„ras doloris expers fuit: ſentiebat per inter„valla attractionem digiti in auris cavitatem, „ac ſubindè dolor totum brachium invade„bat, uſque ad humerum: eo denique tem„pore Felis vociferabatur, ut credibile ſit, eum „dolore affici à veneno attracto; tota manus „intumuit, ac poſtea detumuit, excepto di„gito, qui tumefactus remanſit, ſed doloris „expers: ſublato dolore digitus extractus eſt, „& ſuppuratus apparuit, ac deinceps ſolo Em„plaſtro Diapalmâ curatus.

VII. Saltem in Principio Curationis dolorem lenientia, & acrimoniam humorum mitigantia, ſuppurationemque adjuvantia Digito Affecto admoveantur. Itaque Ægrotans aliquandiu Digitum detineat in hujuſmodi ſpiritu fervefacto.

♃. Spiritus Vini ℥iij. Theriaces, Camphoræ an. ʒj. Opii ℈ß. Miſceantur.

Deindè imponatur Cataplaſma,

♃. Herb. Rutæ, Salviæ an. Mß. Flor. Camomillæ, Sambuci, Meliloti an. Mj. Sem. Cumini ℥j. Coctis in Aqua & Vino ad mollitiem, & in mortario contuſis adde Farinæ Lini, Hordei an. ℥j. Pulv. Sabinæ ʒiij. Croci ʒß. Butyri recentis ℥iß. & M. F. S. A. Cataplaſma.

Sed quandoquidem hujuſmodi Tumor valdè contumax & ſuppuratu difficilis eſt, & is maximè qui os attingit; ſi adhibitis remediis Suppuratio tardè promoveatur, ille profectò, etiam ante perfectam maturitatem aperiendus erit. Id quod tutum ac unicum remedium eſt, & ad ſedandum dolorem, & ad ſupradicta ſymptomata impedienda commodiſſimum. At enim Tumor hic alia ratione Secandus eſt, quam cæteri abſceſſus, propterea quod non ſemper facile eſt de loco, ubi pus reſideat, judicare; quippe quod quantitate exiguum, profundum adeò, & oſſi proximum. Igitur Sectio facienda eſt in medio Digiti in interiore parte, non longè à Digiti extremo, ad os uſque; deindè Ulcus curandum.

Quod ſi negligentiâ Ægrotantis aut Cheirurgi Sideratus Digitus fuerit, extirpetur, niſi totum negotium naturæ committere placeat, quæ ſæpius oſſiculum corruptum ſeparat, ejicitque.

Sin Caruncula luxurians, ſeu Carnea Excreſcentia in orificio excreverit, Ea vel Ferro, vel Medicamentis Exſiccantibus aut Exedentibus tollenda.

Quum verò tardius accerſitus Cheirurgus magnam humorum collectionem reperiat, Diſſipantia & Suppurantia applicentur. Hinc rupto vel aliter aperto Tumore, ſumma habeatur Cura, ne tendines corrumpantur; atqui corrupti qui ſunt, ſeparentur ſive medicamentis, ſive inſtrumento ſecante.

VIII. Fabritius Hildanus, uti refert Cent. 1. Obſerv. 97. Inflammationem aut notabilem Tumefactionem, & Suppurationem non expectat; ſed in Muliere, quæ dolore acerbiſſimo in extremitate digiti, cum febre, lypothymia, nauſea, aliiſque ſymptomatibus laboravit, Curationem ſic inſtituit. Primò Digitum Lacte Vaccino, cui Flores Camomillæ, Meliloti, Semen Fœnigræci & Cydoniorum incoxerat, aliquandiu fomentavit. Deinde cutis ſuperficiem paulatim diſſecuit. Cute abraſâ Maculæ quædam rubicundæ apparuere; quibus acie cultelli inciſis, guttulam unam aut alteram Aquæ Rufæ ſub cute invenit. Illâ evacuatâ linteum madefactum Spiritu Vini, in quo diſſoluta Theriaca, applicuit; quibus mox ſedatus eſt dolor; atque unico hoc remedio ſanatus fuit digitus altero die.

In alia quoque Matrona, quæ per triduum ob vehementem ex Paronychia dolorem dormire nequiverat, abraſâ cute maculam in apice digiti ſub cute invenit, in qua vix una guttula ichoris contenta fuit. Maculâ inciſâ, applicatoque Digito Goſſypio Spiritu Vini cum Theriaca imbuto, Manui verò & Carpo Linteo reduplicato ac Poſcâ madefacto, ſtatim ceſſavit dolor; ità ut poſtero die omnino ſanatus fuerit digitus. Equidem addit Hildanus, ſtatim ab initio inciſionem hanc fieri debere, aliàs ex concurſu humorum inflammationem & tumorem excitari, atque ſubjectos tendines, imò etiam oſſa erodi. *Joh. Munnicks in Chirurgiâ ad Praxim hodiernam adornatâ.*

Curatio ex Gordonii Speciali de Paronychiâ tractatu.

Corpore purgato per venæ ſectionem & purgationem ad topica deveniendum eſt. Nec ſolum hic, ſecundum Hipp. 1. Aphor. 1. præſtare oportet oportuna ſe ipſum facientem, ſed & ægrum, & aſſidentes & exteriora.

Joann. de Vico iis præmiſſis ſtypticis medicaminibus utendum cenſet, quorum prima forma talis.

♃. Duo poma granatorum integrorum decoctorum in decocto hordei, roſarum, balauſtiarum. deinde omnibus piſtatis & cribellatis cum farina lentium, ordei & fabarum, parumque decoctionis prædictæ cum hujuſmodi cribratura ad ignem fiat emplaſtrum ſolidum. add. ol. roſat. omphac. myrtin. an. ℥jß. Croci ℈i. Ultimam facies ſic.

♃. Farin. lentium. Hordei. Fabarum. an ℥j. Myrobal. citrin. ʒj. Gallar. tinctor. ʒß. Bull. omnia cum vino granat. & pau. acet. roſat. uſque ad ſpiſſitudinem ſolidam, add. ol. roſat. omphac. ℥ii.

Et nota, quòd ſi iſta auxilia viderentur conferre huic morbo, ita quòd præſtent ſedationem doloris, tunc cum eis tranſeundum eſt. hæc ille.

Guidonis de Cauliaco cura non variatur à cura communi, niſi in majori infrigidatione & refrenatione circa principium, & majori ſedatione doloris. facta igitur phlebothomia, evacuatione & diverſione, & diætatione calidarum, juvetur in principio cum aceto puro, aut cum ſemine pſyllii mucilaginato, aut cum gallis & corticibus granatorum miſto. unde Halyabbas dicit, quòd ſapiens Hipp. in 4. Epid. cum galla viridi & aceto dolorem curabat. Camphora etiam ab Avicenna in hoc affectu multum laudatur in augmento & ſtatu acetum cum farina hordei aut cum furfure apponatur, & in fine competit oleum cum thure & nigella ad reſolvendum.

Paracelſus, *der Heylung ſeyn dreyerley* characteriſtica, ſuperſtitionalis, & naturalis. Gloſſa. Character eſt Abraculaus, quod nomen ſcribunt in papyro, & circumligant digito, & per tres horas ſinunt durare, poſtea curatus eſt: ſic utuntur campiſatores. Superſtitionalis, id eſt, benedictionalis, *mit ſegenen*. ſicut ſerpentes adjurantur. Aqua benedicta ſumitur, & miſcetur cum ſale benedicto, & mixtum rurſus benedicitur, & poſtea digitus baptizatur in nomine P. F. & S. S. & tamdiu habetur in mixtura, donec vermis moritur. Alius ruſticus eſt, qui ſpuit tribus vicibus ſuper digitum languentam, & ſemper dicit, Pona. Tales ſuperſtitiones apud Paracelſum & alios aliquando invenies. Sed religionis rectæ lex tum in veteri, tum in N. Teſtamento hujus modi impias nugas, in quibus ſacroſanctum Dei nomen per diabolicas impoſturas contemeratur, vitare jubet.

Nam hoc eſt tentare Deum, humana curioſitate fictis ritibus Dei operationem alligare velle. Neque enim ipſi viſum eſt agere per alia media, quàm quæ in natura & verbo ſuo ordinavit. Naturalis cura eſt per anodyna, ſpermaranarum, narcotica, mandragoram, & per putrefacientia, ſtercus porcinum, &c.

Gordonius. corpore igitur mundificato, à principio fiat emplaſtrum cum mucilagine pſyllii facta in aqua roſarum, & opio, & camphora, & farina hordei, & aceto, in augmento autem illinatur locus ſorditie auris, & in ſtatu cum mucilagine pſyllii, facta cum lacte, & in fine ſtatus perforetur cum acu, & in declinatione mediceetur cum farina lupinorum & melle, &, ſi ibi eſſet ulcus, curetur cum aloë, thure & arſenico.

Valeſcus de Taranta laborans paronychia in principio ſeipſum hoc modo curavit, cum maximè inquietus eſſet, appoſuit lenticulam aquatritam, & incorporatam cum aceto, & albumine ovi, ſtatim à dolore fuit liberatus; & cùm vidiſſet aliquid ſaniei ſub cute, in latere unguis aperuit cum acu, & emiſit duas trés ve guttas ſaniei, & curatus fuit.

Pigræus: In paronychiæ initio refrigerantibus utendum pharmacis, & iis, quæ cenſentur eſſe magis anodyna, doloriſque ſedandi vim habentia. Cataplaſmata oxalidis coctæ & recenti butyro aut axungiæ porci admixta, optima ſunt & appoſitiſſima. Quod ſi inflammatio magna fuerit, utiliter addentur hyoſquiami folia, aut malum granatum in cineribus coctum, una cum axungia, ut dictum eſt, mucilagines pſyllii, ſe-

minis lini, fœnigræci & althææ ad id etiam valdè conferunt. unguentum populeum cum melle æquali portione mixtum, & croci aliquantulum efficax eſt remedium.

Ægineta. cum parva adhuc eſt reduvia, & prima habet rudimenta galla cum melle eam reprimit, vel Muſæ paſtillus, vel Neræ ex aqua.

Platerus nobili puellæ applicavit ab initio emplaſtrum ex melle cum farina ſubactum, addito pauco ſalis, unde dolor mitigatus eſt.

Chalmeteus, in topicis initio repellentia cum anodynis miſcenda aſſerit, hancque formulam præſcribit.

♃. Succi portulac. Solani. Plantagin. Aut craſſul. & umb. ven. an ℥ii. Muccag. ſemin. pſylli cum ſuccis extract. ℥ii. Boli Armen. ʒii Gallar. ʒß. Camphor. ℈j. Ol. roſat. ℥iii. Miſceantur & frequenter applic. Dein inquit idem, Ego expertus ſum ovi albumen cum oleo violato magis dolorem arcere, quàm narcoticum.

Rhaſis: In panariciis confert, ut igniatur oleum, ne aduratur taliter, & imprimatur in ipſo. Si ergo ſedatur pulſatio, & ſanatur, tunc illud ſufficit. Quandoque confert ei in principio, ut liniatur cum ærugine ferri & aceto, & ponatur in nive, uſquequo obſtupeſcat.

Stoc kerus: A principio fiat repercuſſio cum ſucco ſolatri, aut vermicularis, aut ejus aqua. Ponatur etiam digitus primò in acetum calidum cum furfure & farina hordei, confert albumen ovi, mucilago pſyllii, pulvis gallarum.

Paræus, ad doloris ſedationem eadem remedia parti laboranti imponenda ſunt, quæ carbunculis imponi ſolent ut folia oxalidis, hyoſcyami, cicutæ, mandragoræ, ſub cineribus calidis cocta, & cum unguento populeo recenti, vel oleo roſaceo, butyrove recenti & ſalis experti in mortario contrita &c.

Guilhelmus Fabricius Hildanus, chirurgus per univerſam Germaniam famatiſſimus obſervat. & curat. chirurg. centur. 1. obſerv. 97. hæc habet: Curationem ſic inſtitui, primò quidem digitum lacte vaccino, in quo flores chamæmel. melilot. ſemen fœnigræc. & cydonior incocta erant, aliquantulum fomentavi: Deinde ſuperficiem cutis paulatim abſecui, abraſa cute maculæ quædam rubicundæ apparebant. quibus acie cultelli inciſis, guttulam unam aut alteram aquæ rufæ ſub cute inveni. Illâ evacuatâ, linteum madefactum aqua vitæ ubi non nihil theriacæ diſſoluta erat, applicui. His ſtatim ſedatus eſt dolor: atque hoc unico remedio altero die ſanatus fuit digitus. Reliqua quoque ſymptomata, purgato leviter corpore, ſopita fuerunt.

Ego, præmiſſa phlebotomia, corporeque convenienter expurgato, ſtatim, ſi modò conſenſus ſit patientis, ad ſectionem confugio, præſertim ubi animadverto, repellentibus me nihil præſtare poſſe. Hocque affirmo audacter, me ex omnibus, quos hucuſque ſub cura habui, nullum ſolis repercuſſivis ex toto curaſſe, leviora verò ex illorum uſu oborta ſymptomata. Ubi itaque mihi denegatur ſectio, nec repellentia ſatis faciunt, cauſtica fugiendo ac evitando, (ut pote meo judicio inconvenientia) ad ſuppurationem curationis ſcopum & quidem dirigo feliciter meum, ut ex obſervat. latiùs patebit.

Quod ſi materia, quæ affluxit, & in parte contenta eſt, repellentibus profligari nequit, ſecundùm Joannem De Vigo, ſi dolor indies augeri videtur, tunc ſtatim ad maturativum de malvis & violis farinaque hordei, omnibus ſecundùm artem in hujuſmodi decoctione decoctis cum butyro & vitello ovorum emplaſtrum faciendo, recurrendum eſt, quod per duos dies ſuper loco applicetur. Deinde nulla medicina melior eſt, quam protinus candenti ferro locum aperire ſecundùm longitudinem, in ſummitate digiti, iſta enim cauteriſatio, licèt non ſit ſequuta loci completa maturatio, plerumque digitum conſervat, ne fiat corruptio in nervo & oſſe, & cum hoc dolorem ſedat, &, quod aliquando ſunt nonnulli, qui hujuſmodi cauteriſationem repudiant, & ipſam pati nolunt, ideo in iſtis neceſſarium eſt, utique ad ulteriorem maturationem procedere. Quare, maturatione celebrata, locus ferro bene incidenti, aut ruptorio de capitello materia exiſtente ad ſummitatem cutis, aperiendus eſt.

Guido de Cauliaco: ſi verò materia reſolvi nequit, verùm collectionem facit, juvetur ad maturandum cum mucilagine pſyllii cum aqua adipe mixta, aut cum illo emplaſtro, & eſt Guilhelmi.

♃. Vitell. 3. aut 4. ovor. coct. Farin. fœnigræc. Semin. lini. Mucilag. malva viſc. an. ℥j. Butyri recent. quartm. ſ. Incorporentur omnia ſimul, & fiat emplaſt. &, cùm eſt maturatum, perforetur perforatione ſubtili & parva, & evacuetur, quod in ipſo eſt.

Ægineta. Suppuratas autem reduvias acu adacta humorem emittere, ſpongiamque aqua imbutam imponere oportet, vel lenticulam applicare ex aqua tritam, aut palmularum cum vino, vel roſas virides, vel ſiccas, aqua maceratas, tritaſque vel polentam cum aqua, efficax eſt reduviis etiam lupinorum farina, melle vel mulſo macerata.

Rhaſis. ſi verò non ſedatur pulſatio, tunc ponatur ſuper ipſum, quod ſaniei faciat collectionem cùm ergo colligitur ſanies, & maturatur, perforetur foramine parvo, & exprimatur.

Pigræus. ſi verò his omnibus adhibitis remediis, malum tardè ſuppurat, quippe ejuſmodi tumor valde contumax & ſuppuratu difficilis eſt, & is maximè, qui os attingit, ille profectò etiam ante perfectam maturationem aperiendus erit. Illud verò tutum unicumque remedium eſt, & ad ſedandum dolorem, & ad ſupradicta ſymptomata impedienda commodiſſimum. ut verò facienda ſectio, ejuſdem authoris cap. 21. de tumorib. præternat. lib. 2. conſule.

Paracelſus. *demnach ſo es gebohren iſt, ſo muſz das* ventiel *eroͤffnet vverden, das machet er ihm ſelbſt, auſz urſachen der thieriſchen Art, er fuedt und nehret ſich in ſeiner ſtatt, &c.* Hic loquitur de panaricio ut verme. Poſtquam igitur, inquit, natus eſt, oportet, aperiri ventile, quod ipſe ſibi facit, ex cauſa naturæ animalis, alit, & nutrit ſe in loco ſuo.

Fabricius Hildanus, obſerv. 97. ſed neceſſe eſt, ſtatim ut ab initio fiat inciſio hæc. alioquin ex doloris vehementia cito concurrunt humores, qui inflammationem ac tumorem excitant, atque ſubjectam carnem, imò etiam oſſa erodunt. eſt enim cutis admodum ea in parte denſa,

ſa, ita ut materia paronychiæ (quæ per ſe maligna eſt) cum nullo modo exhalari poſſit, majorem acrimoniam & venenoſitatem acquirat: digitus quoque, imò tota manus, propter doloris vehementiam inflatur, parumque prodeſt inciſio hæc, niſi priùs materia cocta, & in pus converſa fuerit. Contrarium ſentit Vigo & Pigræus, qui etiam ante perfectam maturationem ſectionem adminiſtrant.

Ego, ſi materia non ſit nimis profunda, vix ſuppurantibus, per duos utor dies, ſtatimque ipſis etiam patientibus inſciis novaculâ ſuperiorem illam partem amputo. Si verò profundè ſita ſit materia, & ſectio negetur, dum ſuppurantia adhibeo, indies aliquid cutis novaculâ aufero, ac quinto vel ſexto ad ſummum (quod rarum) ſeptimo, inciſionem non exiguam, ſed magnam ſatis & profundam, per rectum (quæ tamen Hildano valdè periculoſa eſt, quoniam nervos lædit & tendines: unde dolor acerbiſſimus inflammatio, febris aliaque graviſſima ſymptomata oriuntur) ſine ullo incommodo, ſecundùm Gal. lib. art. parvæ, cap. 92. molior, quo eſchara (*peddig*) quæ tendinibus, muſculis & membranis ſolet adhærere faciliùs poſſit evacuari, materiaque melius penetrare. Obcœcato namque cutis vulnere, cùm nihil exſpirat, ſæpe oritur convulſio. Hinc Petrus Foreſtus lib. 5. obſerv. chirurgicarum obſerv. 16. ſtatim ad ſectionem confugit. Semper autem mihi antiquorum ſubtilis perforatio fuit & eſt ſuſpecta. Leviſſimo enim negotio foramen illud exiguum occluditur, puſque ſubtus collectum, ac quodammodo incarceratum irritatumque pejoratur: ſique ſectio hæc adminiſtratur antè perfectam maturationem, hanc promovet.

Sectione adminiſtrata mundificetur locus unguento Ægyptiaco ſecundum Vigonem miſto cum unguento apoſtolorum, aut cum pulvere ſuo corroſivo, vel cum trochiſco de minio, ſi opus eſt, ultimò purificetur locus poſt adminiſtrationem corrodentium cum melle roſato vel locum abſterſivo de apio; incarnetur deinde locus ſeu ulcus pulvere incarnativo, demum ſigilletur pulvere ſigillativo cum lotione aquæ aluminoſæ & unguento de minio.

Guido: Facta ſectione evacuetur, quod in ipſo eſt, & mundificetur cum melle & farina lentium, & lupinorum, & aloë eſt de melioribus rebus ad incarnandum. Omnia autem auxilia ſuavi panno & indoloroſè apponantur: quia hoc accidens ſuperat cauſam ſuam. intelligit lenem, non aſperum pannum, & vult molliter imponi.

Platerus metuens, ne tendines circa radices unguium putreſcant, ubi profundum videbatur ulcus, unguentum deterſivum, emplaſtrumque ex laricea ſubacta cum vitello ovi & melle addito ſucco plantaginis apponere juſſit.

Foreſtus, ait: Chirurgus, apparente foramine, cum materia virulenta non exiret, amota pelle pulverem præcipitatum impoſuit, & demum amota eſchara & cruſta impoſitum eſt digeſtivum, quod habebat paratum ex una parte mellis, dimidia verò terebinthinæ, cui vitellum ovi, & pauca farina hordei, tum myrrhæ adjecta erant, exteriorem partem unguento nutrito inunxit, brachium verò ad axillas uſque oleo liliaceo & lumbricorum terreſtrium. poſtea adhibuit unguentum apii, ſeu hyperici. Philippi Harmanni, quod convenit, ut ipſe ait, panaritio, ulceribus malignis & inveteratis, &c.

Paræus, vulnere inflicto, id eſt, facta ſectione, ſanguis multus effluere debet, mox immergendus digitus in forti & calenti aceto, in quo diſſoluta theriaca venenoſitatem attrahat.

Chalmeteus, cum aperta erit vomica, detergendum melle, terebinthina & hordei farina, & unguento apoſtolorum, aut pulvere mercurii, ſi opus fuerit poſtea ſarcoticum proderit Vigonis.

Ego, facta ſectione copioſoque effluxo ſanguine à medicamentis planè abſtineo acrioribus, ne dolorem inflammatio ſequatur inſignior, ſuſpectaque mihi ſunt corrodentia, ob nervoſas necnon tendinoſas partes, utor a. Anodynis mundificantibus benignis, necnon virulentiæ & venenatæ materiæ qualitati rebellantibus, ut eſt balſamum meum hyperici, quo cum & breviſſimo temporis ſpatio vulnus carnoſum ſine deperditione ſubſtantiæ necnon ulcera cancroſa non rarò curo curavique. Hoc namque materiam impactam concoquit, mundificat, dolores lenit, abſtergit incarnatque. Et, ut non diſſimulem, quod me experientia docuit, obſervavi, me nunquam facta ſectione uſum pyroticis cum ſucceſſu. Supervenerunt namque ac inſequuti ſunt ex horum uſu, etiamſi dexterrimè impoſita, defenſivaque adhibita excellentiſſima, ingentes & novæ inflammationes: ſed tutò, leniter, etſi tardiùs, aliquando cum felici ſucceſſu medicamento ſuperiori affectum hunc debellavi. Ubi verò ob ulceris naturam rebellem pyroticis uti ſumma me coëgit neceſſitas, cautè, blandioribuſque remediis quoad fieri potuit, idipſum aggreſſus aqua divina, qualis eſt Fernelii; rarò etiam mundificantibus, abſtergentibuſque cathæretica niſi vi impulſus maxima, in pauca tamen, imò pauciſſima quantitate immiſcui, hæcque potius ubi nervoſæ partes tectæ nec non tendinoſæ, adhibui.

Incarnativum Vigonis.

♃. Aloës epatic. ʒiij. Myrrhæ. Thuris. Sarcocoll. an. ʒi. Miſce. Etſi adderentur terebintinæ claræ. ℥v. mellis roſat. colat. ʒij. utiliſſimum erit.

Throchiſci ex Minio Vigonis c. 13. lib. 8. antid.

♃. Sublimat. bene triturat. ʒiij. Medull. panis crud. & benè Ferment. ℥iv. Minii. ʒij.

Omnia piſtentur in mortario, & incorporentur cum aqua roſata, deinde formentur trochiſci ad inſtar punctarum clavorum, & ſuper tegula ponantur in furno ad coquendum, ut coquitur panis, & utere. Quod ad interficiendum fiſtulas ſolemnis & mira eſt medicina, & inſuper ad exſtirpandas tuberoſitates morbi Gallici radiconatas, inter cæteras medicinas principatum obtinet medela iſta.

Pulvis ſigillativus ejuſdem lib. 8. Antid. c. 11.

♃. Alumin. Rocch. comb. Corall. albi. Rub. an. ℥ß. Terræ ſigill. Boli Armen. an. ʒij. Balauſt. Myrobal. citrin. an. ʒ iiſ. Tutiæ ʒj. Miſce, & utere, quod in cicatriſatione magna eſt medicina.

Alius ſigillativus pulvis ejuſdem.

♃. Calcis lotæ. Alumin. rocch. comb. an. ʒij. Myrobal. citrin. Terræ ſigill. an. ʒj. Miſce & fiat pulvis, & utere in vulneribus & ulceribus, quod mirabiliter cicatriſationem procurat.

Trochiſci aſſodillorum ejuſdem.

℞. Sublimat. fortiſſ. & elect. ℥ß. Argent. pulv. ʒiß. Ceruſſ. Amyd. an. ʒiiiß. Succi aſſodill. ℥10. Aceti ℥v. Bull. omnia ſimul uſque ad conſumt. ſucc. & acet. dein piſtent. ſubſſ. & incorp. cum ℥ij. Medull. panis crudi adde Auripigment. calcin. ℥ß. ʒß. & de omnibus cum modico aquæ fiant troſchiſci in furno.

Pulvis Corroſivus ejuſdem.

Pulvis nobiliſſimæ operationis ex inventione Joannis de Vigo deſcriptus lib. 8. Antid. cap. 13. Corroſivus, remotivus malignitatem ulcerum, & carnis malæ ſuperfluæ abſque dolore.

℞. Aquam, cum qua aurum ab argento dividitur, quæ ſic fit.

℞. Vitrioli Romani, Alumni. roch. an. ℔ij. Salis nitri ℔. 1ſ. & in vaſe vitreo elambicetur, &, quantò fortior, tantò melior ℔. 1ſ. Argenti vivi ℔. 1ſ. ponatur aqua in buccia vitrea bene inlutata, deinde ponatur ad furnellum, cum capello & recipienti omnibus ſimul inlutatis, ne aër valeat exire, & elambicetur, imprimis lento igne, deinde cum incipit elambicare, ignis fortificetur uſque ad rubedinem recipientis bocciæ, deinde ſucceſſivè ignis aliquantulum augmentetur, donec aqua in totum ſit elambicata, poſtmodum frange bocciam, & extrahe argentum vivum calcinatum, quod apud alchymiſtam præcipitatum nuncupatur, & trituretur ſuper lapide marmoreo, deinde iterum ponatur in boccia, modò, quo ſupradictum fuit, inlutata, & iterum cum ſuo recipiente, ut dictum, elambicetur, donec tota aqua ſit elambicata: quo facto frange bocciam iterum & extrahe, quod intus eſt, & ſuper lapide marmoreo cum alio lapide pulveriſetur: quo facto ponatur pulvis in cacciola ænea ad ignem ſatis fortem, ſemper baculo agitando per horam cum dimidia, quia iſto modo melioratur pulvis, & ad perfectionem reducitur, & ſignum perfectionis eſt, quando cognoveris ipſum colorem minii aut aliquantulum clariorem acquiſiviſſe, &c.

Unguentum apii ſeu Hyperici Philippi Harmanni.

℞. Succor. Hypericon. Apii an. lib. 11. Senet. ſeu cruciat. Succi mille fol. Abſynthii. an. lib. 1. Succi chelidon. Perſicar. an. lib. ſ. Mellis deſpumat. lib. v. ol. hypericon. lib. 11. Terebinth. lib. 1. Farin. triticeæ q. ſ. Alumin. uſti. ʒiß.

Succi coquantur ſecundùm artem, & reliqua addantur, & coquantur, ut a. e. ad ſpiſſitudinem linimenti ſeu unguenti mollioris, & uſui reſervetur.

Affectum hunc non raro oſſis caries, corruptio, corroſio, exulceratioque inſequitur. Putreſit os, vel corroditur, putrefactio ipſi non ſecus ac ligno humiditati continuæ incumbente ſubſtantiamque penetrante nec non vaſtante accidit. At ubi hæc acris erodens ſalſa, imprimis verò nitroſa redditur, corroſio ac caries oſſis ligni inſtar, quod à xylophagis corroditur & exeditur, oboritur: putridum os nigrum, corroſum verò à colore naturali parum variat, ac inſtar ſpongiæ durioris exiſtit. ſed major, at brevior oſſis corroſionem minor putrefactionem, at diuturnior comitatur dolor, hæc vi ac violentia quadam; illa tempore ſuccedit. Benedictus Bologninus lib. 2. cap. 7. de cura ulcerum, ſequentes oſſium corruptionum ſtatuit differentias. Vel corruptio eſt de proximo futura, aut jam facta eſt, & eſt in oſſe magis & minus profunda, aut magis & minùs ſuperficialis: alia præterea eſt vel in capite, dorſo, coxendicibus, juncturis & conſimilibus, &c. Petrus Pavv in comment. ſuis in lib. 8. de re medica Cornelii Celſi, cariei duas ſtatuit cauſas, vel obſcuram, vel apertam. Ego in panaritio agnoſco vel internam, humorem ſcilicet malignum, venenatum, acrem, copioſum ac in parte ultra debitum permanentem occluſum; vel externam, ut aërem, oleum ſeu pinguedinem, quæ ſua dyſpatheia oſſis ſubſtantiam humectando, nativum ipſius humorem extinguunt, nigredinem nec non cariem inducunt. Accidere verò poteſt caries oſſibus, non ſecus, ut ferrugo ferro. Quemadmodum autem à ferrugine Mars conſervatur oleo, ſic è contra, os ejus admotione ferruginem ſeu cariem contrahit, oleoginoſis ferrum, ſiccis os delectatur, &, quatenus os eſt ſicciſſimæ naturæ, eatenus & conveniunt ſicciſſima medicamenta, nec non calida, quæ humorem affluentem abſumendo, abſorbendoque oſſis ſubſtantiam in eodem ſymmetro conſervant.

Oſſibus denudatis & carioſis ſimplicia convenientia. Agaricus, Aloë, Anthos, Centaur. min. Cortex panacis, pini, thuris. Euphorium, Hypericon, Ireos, Lumbrici terreſt. Opopanax, Pes columbinus, Peucedanum. Radix Ariſtol. rot. Arundinis, Aſphodillorum, Dragonteæ, Symphyti, Viticis. Roſæ rubræ, Sublimatum, Sulphur Tartarum, Vitriolum Romanum, &c.

Ulcus in panaricio ubi fit chironium, eſthiomenum, præſupponit non cariem modò & corroſionem oſſis verum & putrefactionem. Os autem corruptum carieque infectum eſſe, deſignat doloris pungitivi perſeverantia & contumacia, hyperſarcoſis ſeu carnis excreſcentia cernitur nunc fungoſa, mollis, ſpongioſa, rara, laxa, mydoſa, interdum dolens ac ſanguinem effundens, nunc oſtracata, non rarò pus cum ſanguinis effuſione fœtidum, aquoſum, tenue, inſtar ſaniei iſtius, quæ inepto vocabulo à tonſoribus *Gliedvvaſſer* (quaſi aqua artuum: id autem eſt humor ex nervoſis articulorum partibus læſis emanans) vocatur, punctiones ac ſinus modò magni modò exigui, pro diverſo partium reſpectu & magnitudine, ulceraque difficillimè ad cicatriſationem, niſi evacuato oſſe carioſo, perducuntur. In caſu verò, (inquit Guido) in quo eſt corruptum os, diſcooperiatur, & os cum ferro calido cauteriſetur. cauterium enim in hoc eſt juvamentum valde. Quod ſi contingat os carne obductum, auferenda, portioque carioſa removenda. remotio autem illa fit dupliciter ſecundum Fallopium tract. de ulcerib. cap. 22. altera fit manu, altera fit à natura, quæ expellit id, quod noxium eſt. Hoc in affectu ſcalpris aliiſque inſtrumentis haud datur locus, ob fragilitatem, oſſis mollitiem, ac inſignem dolorem, tutiuſque eſt naturæ opus illud committere, eique auxiliari medicamentis valde ſiccis & tenuium partium. illa namque os ſiccant, partem integram ſiccam conſervant, & calefaciunt, aut ſaltem calorem cuſtodiunt, vocanturque talia medicamenta à Fallop. ſquamas auferentia.

Si verò adſit ulcus, ſecundum Guid. Cum troſchiſcis aſſodillorum, aut calidico, ſeu arſenico

nico deſiccetur. ſi etiam eſthiomenatur, ſcarificetur, & cura illius procuretur, &, ſi ambularet corruptio ad digitum, ita quòd de ipſo timeatur, incidatur & cauteriſetur.

Exulceratis reduviis ex ſententia Pauli opitulatur hoc medicamentum.

℞. Æruginis. Argenti ſpumæ, ſing. ℥iv. Sarcocollæ tantundem, ſuper linamentum ex vino & ſpongia imponitur.

Gordon. Et, ſi ibi eſſet ulcus, curetur cum Aloë, thure, & arſenico.

Fallop. Hoc utitur in carie oſſium medicamento.

℞. Pulv. rad. peuced. Iridis an. ℥j. Euphorb. ℈i. Tere opt. & miſce deinde excipe cum medulla molli panis frumenti, & fac emplaſtrum durum; cujus portio ponatur ſupra os, ſtipata priùs carne. Vel (*inquit idem*) ceroto utemini tantùm ſupra pulv. peuced. ariſtot. rot. Opopanac. Euphorb. an. ʒß. Terebinthi. ʒiß. Ceræ ℥ß. Aceti ʒj. Miſce & coque ad cerati durioris conſiſtentiam. Euphorbii vero in oſſium carie quanta ſit præſtantia, his verbis apertè declarat Chirurgus ille præſtantiſſimus Guilhelmus Fabricius Hildan. lib. de gangræna & ſphacelo c. 19. Euphorbium (etſi, ut veriſimile eſt, genuino & legitimo Dioſcoridis caremus) ſeparat & deturbat oſſium carioſorum fragmenta. quemadmodum obſerv. 92. cent. 2. fuſiſſimè demonſtravimus. Ac idem author dubitat, num Dioſcorid. & Avicennæ euphorbium, cujus beneficio oſſis caries una die abſcedere ſolet, ad nos apportetur: quod Dioſcorid. lib. 3. c. 94. & Avicenn. lib. 2. tract. 2. c. 136. deſcribit, cùm hoc noſtrum vix ſpatio quadraginta dierum idipſum præſtet.

Præterea commendatur in hoc affectu, carie ſcilicet oſſium, à Benedicto Bolognino unguentum ex agarico, cujus hæc fertur eſſe deſcriptio.

℞. Salis, Agarici, Tartari ana p. æ. fiat pulvis, & cum melle unguentum. Si his medicamentis os non poſſit deſquamari, carieſque tolli, calculus à linea movendus, ferrùmque candens (quod quamvis ipſa bile amarius videtur medicamentum, ipſo tamen ſanguine dulcius commodum, quod inſequitur, exiſtit) ſine cunctatione adhibendum. Extremis namque morbis extrema ſecundum Hipp. 1. Aphor. 6. appropriata conveniunt remedia. Quod ſi accidat carunculam quandam luxuriantem ipſi ulceri innaſci, ea ſecundùm Pigræum validis remediis deterenda abſumendaque non erit, ſed detergentibus lenibus ac benignis, ne quid irritetur ac acerbetur, cùm præſertim per ſeipſa corrigatur, ubi primùm materia evacuata fuerit. Contrarium ſentire videtur Paræus, ubi inquit: ſed & in hoc affectu præter naturam ſæpe putredinoſi caloris aduſtione eſchara fit, & caro ſuperflua ſenſu exquiſitiſſimo prædita, ſuccreſcit, quæ pariter volſellis reſcindenda eſt, ut à ſanguinis copioſo effluxu, dolori ſedatio, parti veniat ſolatium.

Ego hac in parte Pigræo potiùs quam Paræo, ſi modò ille cum eſchara velit & reſcindere carnis excreſcentias, aſtipulor, ac idipſum expertus loquor. Non paucis namque carneam eam excreſcentiam ſeu carunculam reſcindens, plus incommodi quam commodi, plus detrimenti, quam emolumenti præſtiti, ita ut ab eo tempore carnem hanc donec os abſceſſurum, eſſet evacuatum & deſquamatum, ſemper reliquerim, & detergentibus lenibus ac benignis eo uſque, dum res in vado erat, tractarim.

Interea, ubi inſignis carnis illius fuerit moles, vel ſcarificationes, quò ſanguis effluat, vel emplaſtrum diapompholygos, cui permiſta pauca aluminis uſti quantitas, ad paulatinam abſumptionem, adhibeo.

Notandum, quò fortiora ac potentiora adhibentur medicamenta, carnem, quæ poſſint, abſumere, eò magis magiſque ipſam accreſcere, doloremque ſupervenire vehementiorem.

Contuſio in carne non rarò & in oſſe, ſolutio ſeu continui eſt divortium, a re gravi & obtuſa ortum, cujus gratia carnes vel oſſa contunduntur & conquaſſantur. eaque contuſio fit cum vel abſque vulnere. Inſequitur autem morbum hunc ſymptoma, quod ſugillatum, Pelioſin & Melaſma, Nauſioſin, alii Ecchymoſin ſeu ſanguinis ſub cute effuſionem, quæ fit vel per anaſtomoſin, vel diapedeſin, vel anabroſin, nominant.

Ego ubi panaritium ex contuſione ortum, ſtatim, an adſit inſignis contuſio ſeu ecchymoſis, & an ſit vel cum vel abſque vulnere, perpendo. Dein venam ſecari curo, ſupra partem affectam aſtringentia & intercipientia, ne major fiat ſanguinis affluxio & ſparſio adhibeo, &, ſi materiam diſcutientibus reſolvere nequeo, ad malectica & ſuppurantia, quæ hoc in caſu iis tutiora, nec non ſcarificationes, præſertim ubi contuſio eſt abſque vulnere, ſi verò cum illo, digeſtiva ſtatim, quibus & permiſta habentia facultatem carnem contuſam & ſanguinem thromboſum in pus vertendi, adminiſtro, digeſta verò putrefactaque materia, mundificantia, abſtergentia, incarnantia, ultimò cicatricem inducentia impono.

Quò citiùs autem contuſæ, carnes ſuppurationi redduntur obedientes, eò minus periclitatur pars affecta. nec ultra debitum pus generatum, retinendum, ne ſua maligna qualitate & acrimonia, quam ex putrefactione nanciſcitur, partes magis lædat afficiatque vicinas. Suppurantium verò uſus nimius ulcus inducit phlegmonoſum, ſordidum, fœtidum, ſed & ante perfectam maturationem ſecandum. Si verò notabilis oboriatur dolor, qui comes contuſioni nervoſarum partium exiſtit, huic anodynis ſuccurrendum, diligenſque ratio habenda, ne ad gangrænam, quæ ut plurimùm iis partibus læſis accidit, tendat. Ad doloris autem mitigationem Guilhelmus hoc præſcribit unguentum: in quo & Halyabbas conſentit.

℞. Olei roſat. ℥i. Apii. Juſquiami an. ℥ß. Sem. apii ℥ß. Aceti ʒii. Piſtando fiat unguentum.

De variis variorum authorum, nec non à vulgo uſitatis remediis.

Avicenna ſummopere laudat camphoram; acetum cum farina hordei, aut cum furfure appoſitum, aut oleum cum thure & nigella.

Ægineta. Galla cum melle paronychiam reprimit, vel Muſæ paſtillus, vel Neræ ex aqua

Crollius in ſua Baſilica chymica pag. 276. de ſperniola. Si panaritio per duas imponatur horas, necat illum, vel imponatur digitale è corio multoties prius intus madefacto & exſiccato.

Chal-

Chalmeteus inquit : Ego expertus ſum, ovi albumen cum oleo violato magis dolorem arcere, quam narcoticum.

Dioſcorides lib. 1. cap. 70. Thus paronychiis cum melle medetur.

Idem. lib. 4. cap. 176. Bryoniæ radix in oleo decocta, uſque dum liqueſcat, reduvias committit.

Idem. lib. 5. cap. 53. Rubigo ferri perquam utilis eſt ad reduvias.

Idem eboris quoque ſcobem in paronychia probat.

Foreſtus lib. 5. obſervat. chirurg. 16. ait, poſt phlebothomiam & univerſalia remedia ponendus digitus per longum tempus in ovo putrido.

Idem. Alii eum in muſculis putribus tenuere optimo cum ſucceſſu, & magna cum laude, ut audio.

Fioravanti in ſua phyſica lib. 1. cap. 108. ſubſtantiam ſulphuris in hoc affectu his verbis extollit. *Biſogna adunque ſolfaro pigliare, & la ſoſtanza d'eſſo cavare, & con eſſo il dito lavare, & poi infaſciare, & con pezza bagnata del medeſimo liquore ſopra la piaga biſogna laſciar*, &c. id eſt. Oportet itaque accipere ſulphur, ex eo ſubſtantiam elicere, digitumque eo lavare, deinde faſciis involvere; ac linteum in liquore madefactum vulneri adhibere, &c.

Guido commendat acetum purum, aut cum ſemine pſyllii mucilaginato, aut cum gallis & corticibus granatorum miſtum.

Hippocrates in 4. Epidem. cum galla viridi & aceto dolorem curat.

Johannes Cuba ait : Fel taurinum, *Rinds gall*, ſeu aqua ejus ſtillatitia panaritio admota, medetur. conſentit *Wirſung*.

Idem. Multipes ſeu oniſcus, *Eſel*, vivus impoſitus, interficit.

Idem. Gladioli purpurei radix, *Schvvertel*, cocta cum vino albo & olibano, digito in quo vermis eſt, admota, dolorem aufert, eumque ſine noxa extrahit. confirmat. Lonic. cap. 378. de gladiolo.

Idem. Pulegium, *Poley*, contuſum croco permiſtum depellit ulcera corporis, præſertim circa radices unguium, vermem puta. Aſtipulatur Lonicer. cap. 103.

Idem. Raſura eboris permiſta oleo roſato, & unguento populeonis, addita pauca quantitate ceræ, quò inde maſſa emplaſtica efformari poſſit, ſanat apoſtema circa, ſive in radice unguis, ſive manus, ſive pedis, vocatum vermis

Idem. Buphthalmum, *Rindſaug*, contuſum & appoſitum excellens eſt remedium.

Idem. Vinca pervinca, *Magdepalm*, contuſa, panaritio appoſita, ſecretum eſt.

Idem. Aqua ſtillatitia Barbæ Jovis, ſeu ſempervivi, *Hauſsvvurtz*, ſive *Wunderbahr*, paronychiæ adhibita, ipſum vermem necat, ac dolores ſopit.

Lonicerus cap. 66. de ſambuco, *Holder*, & ebulo, *Heyland*, folia contuſa, apoſtemati calido, quod digitis accidere ſolet, vermiſque nominatur, appoſita, è veſtigio curat. id ipſum confirmat Tabern. fol. 733.

Idem. cap. 97. de urtica. Urtica fœtida ſeu labeo, *Neſſel*, quæ galiopſis dicitur, quæque retro ſepes, hortoſque provenit antiquos, ac à Germanis *oder glaſs* vocatur, contuſa, emplaſtrique vice vermi digitorum appoſita, ipſum enecat, cui aſtipulatur Brunfels.

Idem cap. 377. de lilio, *Lilie*, laborans apoſtemate ſive ulcere calido, ut *Miette*, aut perinde vocetur affectus, contundat hanc radicem cum Mentha Romana acuminata, *Balſamkraut*, & farina hordei, indeque conficiat emplaſtrum.

Matthiolus compag. pag. 748. Herba Paris, *Wolfsbær*, recenter tuſa, & illita paronychiis medetur.

Idem. compag. pag. 704. de paronychia. illita paronychiis atque favis remedio eſt.

Plinius lib. 21. cap. 20. de radice Ireos, *Violvvurtz*. Iris ruſa melior, quam candida, ad paronychias farina ejus utuntur, cum vino ad clavos & verrucas, triduoque non ſolvitur.

Idem lib. 22. cap. 25. de medicamentis ex frugibus. Avenacea farina illinitur & paronychiis & callo pedum in aceto.

Idem lib. 23. in procemio. Cinis ex vite alba ad collyria & ad ulcera purganda & paronychia & pterygia probatur.

Idem lib. eodem cap. 4. de foliis oleaſtri, imponuntur folia & paronychiis & carbunculis, & contra omnem collectionem cum vino, iis verò quæ purganda ſunt, cum melle.

Idem lib. eodem c. 9. de myrto folia ſiccantur in farinam, quæ inſpergitur hulceribus aut hæmorrhagiæ. Purgant & lentigines, pterygia, & paronychia, & epinyctidas, condylomata, teſtes, tetra hulcera, item ambuſta cum cerato.

Idem lib. 24. cap. 4. de Galla : paronychiis ex melle & unguibus ſcabris, pterygiis, hulceribus manantibus, condylomatis, vulneribus, quæ phagedænica vocantur.

Idem lib. eodem, cap. 19. de gramine altero, quod aeizoo ſimile : Ad paronychia & pterygia unguium, & cum caro unguibus increvit, utuntur cum axungia : ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur.

Idem lib. 28. cap. 8. Ramentis eboris cum melle Attico (ut ajunt) nubeculæ in facie, & ſcobe paronychia tolluntur.

Idem lib. 29. cap. 2. de medicinis lanarum; Succida lana reduvias ſanat ex aqua frigida.

Paracelſus. Sumatur corium, quod ſæpe humectetur in ſpermate ranarum, & exſiccetur, ex quo poſtea efformetur digitale, digito applicetur, & morietur.

Platerus. In paronychia etiam immerſionem digiti in principio ſtatim in aquam frigidam aliqui laudant.

Idem, balneum digito in decocto pentaphylli, abſinthii, agrimoniæ, fragariæ, myrti granorum facto in vino, in paronychia privatim convenit.

Idem, in paronychia hoc eſt peculiare. Panis mica cocta in lacte cum ovi albumine & terebinthinæ pauco miſcetur, quod dolorem compeſcit, maximè ſi mucago pſillii addatur : quæ mucago in eodem affectu & cum aliis farinis, ut hordei, apponi poteſt, quibus urgente dolore apium permiſcetur, & camphora, poſtea ad ſanationem pulvis gallarum.

Idem. Paronychia herba, quæ inflammationibus circa radices unguium genitis, quas paronychias vocant, medetur, nomen inde accepit. Cui malo etiam pentaphyllum adhibitum, & dentis leonis herbæ caulis lacteus inverſus, digitoque obvolutus, uti & membrana ovi teſtam

ſuccingens ſingularia ſunt remedia. Idem præſtat ſuccus cicutæ in panno applicatus, nec non cancri crudi contuſi.

Galenus lib. 8. ſimpl. med. Paronychia ab effectu nominata eſt. ſanat enim paronychias &, ut refert, Dioſcorid. favos quoque.

Paronychia herba qua ego in panaritio utor Tabern. lib. 2. ſect. 11. 11. cap. 16. fol. 382. lit. F. quinta eſt ſpecies Alſines, *kleinſte Vogelkraut*. Matt de Lobel. fol. 249. obſerv. ſtirp. eſt paronychia alſines folio. Brunfels vocitat *Genſblum*, quia anſeres ea delectantur herba, aſſeritque qu ale nomen, qualeſque virtutes apud Dioſcorid. habuerit, ſe ignorare. C. Bauhinus in lib. 3. ſui prodromi cap. 13. mentionem facit cujuſdam herbæ, quam & deſcribit, quæ meæ paronychiæ, ſeu burſæ paſtoris loculis oblongis haud diſſimilis, quæque ab eodem burſa paſtoris Alpina hirſuta dicitur, Tabernæm. lib. 2. ſect. 11. cap. 78. lit. F. tres habet paronychiæ ſpecies, Matthiol. compag. pag. 704. 705. duas. Johann. Cuba aliam habet paronychiæ ſpeciem, quam & vocat Lunariam Italicam, *Nagelkraut*, ſive *Welſch Mœhnkraut*, quia de nocte folia ejus ſplendent: hæc tuſa & impoſita dura, ut ait, digitorum curat apoſtemata. Hanc deſcribit Lonicer. part. 2. cap. 297.

Ego aliis authoribus ſuam relinquo paronychiam, hanc Lobelii meam & eſſe volo, quoniam in hoc affectu feliciter ea uſus fui, cujus iconem pagina præfationis declarabit ultima.

Paronychiæ Authoris deſcriptio.

Paronychia ex radice tenui, fibroſa, capillari ac alba, foliola quam plurima pallidè virentia, in orbem humi ſtrata, incana, lenticulæ magnitudine, nunc unam, nunc duas utrinque crenas habentia, nunc integra profert, quorum foliorum medio enaſcuntur cauliculi tenuiſſimi, non nihil hirſuti, ſubrufi, floribus quatuor foliis ſtipatis, ac corculi inſtar inciſis, in circumferentia albicantibus, circa ungues verò ſubviridibus, habentibus in centro filamenta albida, quorum apicibus lutei quiddam adhæret. Flos ubi evanuit, ejus loco loculi oboriuntur primò ſubvirides, qui deinde flaveſcunt, in quibus ſemen exiguum continetur. Apud nos Paronychia hæc in agris ac locis incultis humidioribusque ad Junium uſque copioſiſſimè viget ac floret: imò & in Septembre ac octobre cœlo clementiori, repullulaſcit. Hæc de paronychia herba.

Rhaſis: ponatur digitus in principio in nive, uſquequo obſtupeſcat. Tabernæ montanus l. 2. ſect. 7. cap. 1. fol. 724. lit. D.

℞. Farinæ ſiliginis ℥iß. Vitrioli Romani ʒvi. Albuminus unius ovi, Aquæ roſar. q. ſ. miſceantur invicem, & redigantur in formam emplaſtri, diſtendatur deinde ſuper lintea, & affectui apponatur.

Idem. eodem loco. Membranam interiorem ovi admove digito dolenti; deinde.

℞. Farinam ſiliginis, tempera cum ſpiritu vini, conficeque emplaſtrum, extende ſuper linteo, ac ſuperimpone membranulæ, quò una cum affecta parte tegatur. vermem trium horarum ſpatio enecat.

Idem. lib. 1. ſect. 4. cap. 31. fol. 498. lit. F. Ruta contuſa theriaca permiſta, & ſaliva jejuna vice emplaſtri appoſita curat hunc affectum.

Idem. lib. eodem. ſect. 4. cap. 41. fol. 713. lit. G. Saccharum Canarium ſive Maderienſe in pollinem redactum curat ulcera à paronychia orta, ſecundò de die inſperſum.

Idem. lib. eodem ſect. 7. cap. 2. fol. 732. lit. A. medulla panis ſiliginei permiſta aqua & oleo roſato, emplaſtri vice digito dolenti appoſita à paronychia ſeu verme ipſum liberat.

Idem. eundem effectum habet panis ſiligineus maſticatus, jejuno ore.

Idem. lib. 1. ſect. 7. cap. 3. fol. 741. lit. H.

℞. Partes duas farinæ triticeæ, Vitri Veneti ſubtiliſſimè pulveriſati partem unam, lactis muliebris puellam lactantis q. ſ. fiat emplaſtrum, quod curat paronychiam.

Valeſcus ſeipum curavit lenticula aqua trita, & incorporata cum aceto & albumine ovi.

Wirſung. part. 4. ſui operis cap. 1. paragrapho 12. Digitus affectus pani triticeo immittatur calido: & dolor mitigabatur.

Idem. Sunt quidam in ea opinione in fructu Cynosbati Theophraſti, ſive oxyacanthæ Dioſcoridis vermem latere, fructumque hunc digito apponendum, quod ſi contingat, vermem in digito contentum mori, & latitantem neceſſariò emori.

Idem. Stercus hominis ſani appoſitum, eundem præſtat uſum.

Idem: Indatur digitus laborans manui hominis ſani, & morietur vermis.

Idem: Lavetur primò manus ovis ranarum (*Forſchleich*) deinde apprehendatur digitus: & ſtatim necabitur.

Idem. Pannum ſume cæruleum, immerge ovis ranarum, ut eorum humiditate madefiat, ſiccetur deinde in umbra, appone digito: & ſanabitur.

Marcellus lib. de med. Ad paronychiam digito parietem continges, & rurſum digitum ducens, dices ter Pu, Pu, Pu. Nunquam ego te Videam Per Parietem Repere.

Quod ſi medicamento illo affectus hic debellatur, reor non ratione verborum contingere, ſed frigiditatem parietis in cauſa eſſe, repellendo materiam affluxam. in initio namq; ſtatim repellentia competunt. Sed intereſt pietatis, has ſuperſtitiones aniles & improbas minuere, adeoque tollere, & in remediis, quæ in natura à Deo opifice condita, fundantur, acquieſcere.

Sic medicaſtrices nonnullæ [*ut vocant ineptas inepto vocabulo*] ſtercora vaccina aut alia inter duarum viduarum ædes colligunt, & parti affectæ adhibent, aliaque aliis in locis collecta haud opitulari perhibent.

Vetularum alia cohors, anſeres nunc huc, nunc illuc pellit, tandem quod excernunt, digito laboranti paronychia calidiſſimè apponunt. Quicquid & hic ſuperſtitionem olet, cum cæteris antè dictis ex uſu & opinione hominum eſt pellendum.

Ego verò omnis generis ſtercora, vaccina, caprina, ovina &c. ubique locorum, modò nihil à ſubſtantia ſit ablatum, congeſta laudo. Sic non rarò feliciſſimo cum ſucceſſu ſtercore vaccino vel fimo equino calido uſus ſum. ſtercus etenim ob putredinem, quatenus calidum, attrahit, dolores mitigat, ſuppurationemque accelerat.

Non-

Nonnulli lumbricos terreſtres recentes contundunt, ſuccum exprimunt, ac ad hauriendum propinant. Cujus ſuccis præſtantiam Guilh. Fabric. Hildan. tract. method. de grangræn. & ſphacel. cap. 13. his verbis extollit. ſuccus lumbricorum propiâ & peculiari vi penetrat illico, permeatque ad nervos, & nervoſa omnia, ipſaſque adeo venas & arterias, quarum tunicæ nervosâ conſtant ſubſtantia, & eas quidem partes ſuccus ille roborat & calefacit mediocriter, tollendo, quæ in iis ſunt obſtructiones &c. Joann. Wejerus in tract. de ſcorbuto, lumbricos cœmeteriorum, utpote pinguiores cæteris, aliis præfert. Alii lumbricos in pulverem redigunt, & applicant. Alii eoſdem recentes contundunt, & parti affectæ apponunt.

De curatione pterygii, Paronychiam conſequenti.

Pterygion itaque & paronychia, ut ſupra dictum, cùm plurimum invicem diſtent, curationis própterea alios & habent ſcopos.

Quum verò nil aliud ſit Paulo æginetæ lib. 3. cap. 81. pterygion, quam Hyperſarcoſis, ſeu excreſcentia quædam carnis unguis aliquam partem operiens, ex reduvia aut alia hujuſmodi cauſa proveniens: & ut idem lib. 6. cap. 85. addit. fit autem in pedis manuſque potiſſimùm pollicibus. in pedibus quidem ex offenſione plerumque, in manibus autem ex neglecta reduvia, inflammata & in pus mutata, &c. eò ſecundùm eundem dirigenda eſt curatio, quo caro ſuperflua per medicamenta rodentia auferatur, in quo caſu idem laudat auripigmentum & mannam pari pondere inſperſam, ſuper autem linamentum ex vino & ſpongia imponitur. Aliud. Chalcitidis ſquamæ malicorii an. p. æ. excipiuntur fico toſta, & melle, parte affecta ſpiſſamentorum decocto prius dilibuta: quod autem ſiccum eſt in ungue, circumcidito. Ad digitorum pterygia putrida, item ad pudendorum ulcera.

♃. Lachrimæ thuris, ſquamæ æris an. ʒj. Ærugin. raſ. ʒ iv. Mellis cyathus, terantur in ſole, donec ſubflaveſcant, & loco vino priùs irrorato per ſplenium inducuntur. Sequens pterygia ſubitò exſiccat perſanatque. Soreos combuſtos ʒij. Thuris tantundem, æruginis raſa ʒj. cum melle contrita ipſi pterygio inducuntur. *Aliud* ſquamæ æris palmularum carne excepta aut ficorum utitor. *Aliud*. Columbæ ſtercus cum polentæ polline ex paſſo coctum pertritumque imponitur. Item æris ſquama per ſe inſperſa, pterygia deſiccat. Oportet autem crebrò angulum unguis pungentem, ne increſcat, ſcalpello ſuperimmiſſo adimere. Contuſi, ſcabri & cruenti ungues, ut abſcedant, vide Paul. locis citatis.

Ego aliis unguentum Ægyptiacum, aliis alumen uſtum pulveriſatum adhibeo, aliis præcipitatum inſpergo, vel ſequens compoſitum.

♃. Unguenti populei ʒ i ß. Aluminis uſti pulveriſati ℈iis. Miſce vel.

♃. Empl. diapomphol. ʒ ij. Aluminis uſti ʒj. Miſce vel.

♃. Unguenti roſat. ʒij. Præcipitat. ℈ij. Ol. tartari. g. 7. M.

Hactenus *Matthias Glandorpius* de *Curatione Paronychiæ*. Sequitur jam decas *Obſervationum* ex eôdem, quibus alias item adjicimus e variis petitas Auctoribus.

Paronychia quatuordecim dierum ſpatio curatur.

Honeſtæ cuidam matronæ, triduo antequam advocarer, dolores pungentes, ingentes, atrociſſimique circa radicem unguis oborti ſunt cum inflammatione fere ad cubitum uſque tendente. præſcribo, ut apponat ſtatim ſtercus vaccinum calidum, metacarpium necnon carpum unguento albo camphorato inungo, adhibitis & linteolis in vino rubro Francico, in quo cortices granatorum & roſæ rubræ coctæ erant, madefactis. Repercutientia, quoniam materia jam ad ſuppurationem vergebat, adhibere nolui, interim ſequens præparari jubeo cataplaſma.

♃. Paronychiæ recent. ℞iij. Flor. verbaſci. Unguium roſ. rub. an. ℞j. Farin. rad. altheæ, Conſol. maj. an. ʒiij. Sem. lini ʒij. Farin. tritic. ℥j. Bull. in ſ. q. aq. comm. ad catap. conſiſt. in fine add. Vitell. ov. num. 1. Croci g. 7. Camphoræ g. 8. Ol. roſati lumbricat. Lilior. albor. an. ʒvi. Miſce.

Circa veſperam cùm dolores parum aut nihil remitterent, hoc circumcirca pollicem adhibeo tepidè cataplaſma, & ut de nocte reiteraret, præſcribo, manè, cùm viderem cutem attenuatam, materiamque ſubtus collectam, ſectionem ſuperficialem molior, ac exitum puri præbeo, digeſtivo ſequenti tepido illita filamenta impono.

♃. Terebinth. lotæ in aqua Ivæ arthet. ℥ i ß. Mellis roſat. col. ʒvi. Vitell. ov. num. 1. Myrrhæ, Cortic. thuris, Maſtic. an. ℈iß. Pulv. lumbricor. terreſt. ℈ iv. Ol. roſat. lumbricat. ℥ß. Balſami mei hyperic. ʒ vi. Croci g. 8. Camphoræ. ℈ß. Miſce pro digeſt. quod uſui ſervetur.

Occludo emplaſtro Baſilic. tecto ſuperiori cataplaſmate, meridie & veſperi, necnon ſimili modo per triduum procedo; dolores mitigantur, pus optimum evacuatur, quòd unguis vicinas comprimeret partes, animadverto. Quare, ne oboriretur pterygion à compreſſione, ſcalpello unguis eam partem aufero, pro exſiccatione cornu cervi uſti & præparati, necnon aluminis uſti pulveriſati ana partes æquales permiſtas, inſpergo. Cùm jam pus eſſet ſatis concoctum, ulcus mundificatum, doloreſque mitigati, quo vomica carne repleretur, linimento per duos dies meo ſarcotico filamenta carpta inungo, emplaſtrumque Diapalm. appono, ubi carne infarctum, epuloticum meum pulverem, adhibito emplaſtro diapompholygos inſpergo, cicatricemque ſine unguis deperditione induco.

Verùm, quia pollex aliqualiter ad movendum redditus erat ineptus, balneum ex floribus chamomillæ & foliis violarum coctis in cereviſia, necnon oleum chamomillæ & amygdalarum dulcium permiſtum, præſcribo: taliterque quatuordecim dierum ſpatio matrona hæc feliciter, cum divino auxilio, ab affectu illo ſæviſſimo liberata eſt & curata.

Scholion.) Aqua pluvia à quibuſdam cæteris aquis propter levitatem & tenuitatem præfertur, verum, ut Sennertus l.3. p.1. c.4. Initit. innuit, cum vapores è terra aſcendentes pluviis materiam ſuppeditent, tanta puritate non gaudent: Puto itaque calorem aquæ, & attractionem per cucurbitulas rem perfeciſſe, & reſtitutionem citius ſecuturam fuiſſe ſi herbæ nervis appropriatæ aquæ incoctæ fuiſſent, vel Thermis ~~ula eſſet~~. *D. Chriſtoph. Rooſleri.*

Pareſis poſt Colicam ex Vino.

Ægri Colica Bilioſa affecti ſubſequente nonnunquam Pareſi mihi plurimum negotii ab aliquot annis faceſſerunt: foris tamen potius quam domi. Noſtrates enim plerumque vinum rubrum bene maturum ſpirituoſumque bibunt, quod inter vina Helvetica præſtantius quoque celebratur: ſi qui forte in agro Schaf-huſano colica excruciantur, nullus tamen quod equidem ſciam Pareticus fit, nec id à centum annis factum fuiſſe unquam ex Annalibus Medicis colligere potui. Rari etiam apud nos Scaphuſanos ſunt Podagrici & Calculoſi, nec convulſivi motus frequentes ſunt. Potiſſimum id vino rubello ſalubri hactenus adſcripſi. E contra ubi vina alba bibuntur, quæ, ut conſerventur, imbuenda ſunt ſulphure, nec aperto vaſe, ut rubella, deferveſcunt, ſed in doliis oſculo vix palmæ amplitudine patulo, unde Tartari vini narcoticum exhalare nequit, ac cum vino permixtum permanet, Colica hæc frequentiſſima eſt, ſcilicet in Alſatia, ad Lacum Acronium, in Ducatu Würtenbergico, ut alia loca magis à nobis diſſita taceam: frequentiores quoque obſervantur Podagrici & Nephritici, plures quoque utriuſque ſexus maximè ſequioris tenioris convulſionibus exagitatos vidi. Non ita pridem aliqui Monachi Dominicani potu vini Alſatici Colica affecti, ſupervenientibus convulſionibus enecti fuerunt, quibus ob negotia adeſſe nequiveram. Vinum nimium Tartaro imbutum aiebant, ego id ſulphurata tænia, quam dulcem vocant, & ſem. aniſ. Coriandr. Cinnam. Biſmutho aliiſque conſpergitur, præſtitum ſuſpicabar. Biſmuthum Th. Jordan. in phænom. peſt. jam olim damnavit hujuſque morbi patarium, ni fallor in Moravia exiſtimavit; quid enim plumbum in pollinem redactum atque intra corpus admixtum valeat ex Fernel. & Palmario conſtat. Inſuper monaſterium nobis vicinum eſt, ubi Patres vinum album auſterum bibunt, vix ullus inter eos eſt, qui hanc peſtem effugiat. Superſtitioſè maleficio cuidam occulto morbum ſignis ſuis notiſſimum adſcribunt. Colicam hanc ab aliquot annis jam credidi oriri nullo modo ab obſtructione quadam, ſed conſtrictione & convulſione quadam fibrarum inteſtinorum, ob quam arctiſſime alicubi occludantur, ac flatibus aſcenſum & deſcenſum denegant, unde ſævities dolorum. Hujus conſtrictionis cauſam exiſtimo humorem tenuem, acrem, nervorum ductum ſequentem, ac in plexu aliquo nervoſo meſenterii ſtagnantem, unde his lumbi impenſè dolent & abdomen inſtar carinæ quaſi excavatur umbilicuſque introrſum trahitur. Humor ob doloris ſævitiem & vigilias continuas accumulatus Pareſin gignere videtur: quamvis obſervarim brachiorum pareſin aliquando Colicam præceſſiſſe, ſcilicet humore circa cervicem hæſitante & nervos, antequam plexus nervoſos meſenterii aſſequatur, emolliente. In curatione notavi Purgantia dolores exaſperare Pareſin, imò mortem accelerare: plus beneficii contulerunt juſcula refrigerantibus alterata & acidulor: clyſteres refrig. & & emollientes, item inunctiones & epithemata E, G. è ſucco lactuc. ſenicionis &c. Hæc morbum breviorem effecerunt, & plerique Pareſin effugerunt. Venæſectio, quam Chiffletius commendat, aliquibus Pareſin acceſſivit. Cl. Spigelius de Hemitrit. Meſenterii inflammationem in cadaveribus reperiit, quam à præpoſtera ſæpe curandi methodo excitari nullus dubito. Cadaver cujuſdam Colica enecti ante 20. annos ſecui, totum abdomen pure impletum erat, toto meſenterio abſceſſu quaſi exiſtente: culpam mali adſcripſi fomentis emollientibus & calefacientibus, purgantibuſque fortioribus. Clariora omnia evaderent, ſi per ſuperſtitionem cadavera ſecare crebrius liceret. Unice me angit, qua ratione conſtrictio hæc ſpecifico aliquo antepileptico mature ſolvi poſſit: hactenus morbum refrigerantibus, humectantibus & anodynis expugnavi. *D. Johan. Jacobi Weſperi.*

Paralyſis frigidis Curata.

Illuſtriſſima quædam Domina cum poſt applicationem hirudinum ſupra aquam calidam ſediſſet, tota intumuit, & ſenſibus privata eſt, cum vocatus hoc ſymptoma à ſanguinis & humorum rarefactione animadverterem, imperato Aquæ frigidæ largo hauſtu; & tumor illico ſubſedit, & ſymptomata remiſerunt. *D. Pauli de Sorbait.*

Scholion.) Joh. Bettus in de Nat. Sanguin. cap.2. ſect. an. §. 3. p. 182. monet à morbis ex fumo ortis non ſemper convenire calida, ſed talia quæ tenues mordaceſque humores incraſſent & mediocriter refrigerent. Meminit Colicæ cujuſdam Epidemicæ per plurimas regiones graſſantis unde non pauci in morbum comitialem (ex quibus maxima pars interiit) alii in Paralyſin incolumi ſenſu (qui ut plurimum evaſerunt incolumes) nonnulli in utrumque delapſi ſunt. Morbo his correptis Medicus Italus opem tulit, ut calori, fumorum cauſæ, frigida adminiſtrando obvium iret: præſcripſit lactucarum crudarum & refrigeratarum, intybique eſum vel ultra ſaturitatem; juſſit manducare uvas, mala, durioris carnis piſces, cruſtacea cujuſcunque generis fuerint, pedes bubulos, bulbos, aliaque non tam facultate quam tactu frigida; vinum non admittebat niſi aqua gelida dilutum, & frigidam vel poſcam propinabat, unde plures hoc methodo jam in Epilepſiam aut Nervorum reſolutionem prolabentes præter omnium opinionem ſervavit. Idem Bettus l. a. §. 9. ſeq. p. 186. diſtinguit ſi fumorum vel flatuum modica ſit quantitas procul dubio calida ad diſcutiendum eſſe adhibenda, facile enim attenuari poteſt ut diſſipetur & per poros evolet, (niſi tamen pororum alvique obſtructio impediat. Inde alvi ſolutio magis tentanda) ſed ſi magna ipſorum copia, & temperamen-

tum calidum, infrigidantia & incraſſantia interna & externa adhibenda, quæ vapores iſtos denſando compeſcant, in arctiorem redigant locum per urinam poſtmodum ſeceſſumve expellendos, tum ut calor nativus accenſu facilis moderetur. Hæc Bettus. Sic dolorem Colicum ſæviſſimum Nive circumpoſita curatum recenſet Zacut. l. 2. Pr. obſerv. 23. & Excellentiſſ. Bartholin. de Nive cap. 24. eundem aqua frigida & nive debellatum Septalius lib. 7. Animadv. §. 81. Crato conſ. 171. Benedict. Sylvaticus Cent. 1. conſ. 69. & Sanctorius ad cap. 88. Art. Med. Galen. Colicam à flatibus in habitu carnoſo frigidæ affuſione propulſam meminit. *D. Phil. Jac. Sachs.*

De uſu formicarum inſigni in Paralyſi.

Quantum balneum ex decoctione formicarum in Paralyſi profit, expertus ſum nuper in honeſta matrona Hedvvigi Klipelia, annos 47. nata, ingenioſi Caſpari *Scheffers*, civis & automatarii Thorunenſis conjuge, quæ prima die Maii, anni 1675. paralyſi dextri lateris tacta, nec manus nec pedis officio fungi potuit, atque balbutiente lingua verba ægre proferebat: ubi primum adhibitis idoneis medicamentis ei pedetentim loquela reſtituebatur, præſertim poſt iſtius mixturæ uſum.

℞. Mithridat. Dam. ʒiij. extracti caſtor. ℈j. aqu. apoplect. ʒij. ol. deſt. lil. convall. roriſmar. an. g. v. ſyr. de ſtœchade, ſ. ℥ j. M. qua frequenter lingua & fauces inungebantur. Sed ſenſus motuſque brachii & pedis tardius rediere, quamvis variæ inunctiones tam ſpinæ dorſi ad principia nervorum, quàm artuum cum frictionibus ſæpiùs inſtitutæ fuerint; donec tandem fomentationes quotidianæ ex formicis & earum myrmecio cum aqua fontana decoctis, benedicente Deo, præſentaneam opem, & firmum conſtanſque partibus affectis robur attulerunt. *D. Simonis Schultzii.*

Vtriuſque Pedis impotentia cum atrophia miroculosè curata.

Circumfertur hic omnium ſermone curatio quædam miraculoſa Amſtelodami in fœmina peracta, quæ quinque annorum ſpatio utriuſque pedis impotentiam paſſa à genubus uſque ad extremum pedem, ſenſu partium illarum prorſus ſublato, quæ ligni inſtar exſiccatæ erant. Primis quinque annis Medicorum & Chirurgorum curæ ſubjecta fuit irrito ſucceſſu, videnſque omnibus remediis incaſſum adhibitis membrorum ſtatum eundem permanere, abdicavit Medicos & Chirurgos, & ſine ullo medicamentorum uſu decem annos tranſegit. Genubus incedebat per ædes, & templum viſitatura vehebatur rheda aperta quatuor rotis à bajulo protruſa, ſed quindecim ab hinc diebus ambulat uſumque pedum habet aliorum more, cujus teſtes ſunt omnes vicini, univerſa quoque Eccleſia, quæ illam pro honeſta ſemper & pia fœmina æſtimavit. Sunt Paſtores & Medici qui illam viderunt ante & poſt recuperatam ſanitatem, non fidem tamen adhibent Medici illis quæ de miraculoſa ſanatione refert. Narrat verò illa rem ita geſtam. Cum nocte quadam marito in lecto accumberet, ſenſit quendam qui pedem ad ſe traheret. Interroganti, quis eſſet, vox quædam reſpondit, a Deo miſſum ſe eſſe, ut annunciaret brevi illam ſanam futuram, prohibere verò ſe ne ulli id revelaret antequam eventus ſequeretur. Exclamavit illa, O bone Deus, utinam lumen haberem! quibus regeſſit vox, ſtatim eam habituram lumen.

Dictum factum, repente ingenti luce cubiculum illuſtre viſebatur, comparuitque juvenis prope lectum flavis crinibus & criſpis. Nihil horum marito aperuit. Poſt triduum ſentit illa mane magnum in pedibus pruritum, quaſi rem aliquam quæ detraheret venas, nervos, cutem, & carnem à genubus ad extremos digitos pedis. Hic motus per integrum diem perſeveravit. Circa veſperam reverſus maritus domum cum piſcibus à ſe emptis, juſſit eam lebetem foco imponere ut piſces coquerentur, dum ille extra culinam exenteratos purgaret. Genubus innixa prope focum, ut lebetem calefaceret, vox quædam dixit, ſurge & ambula. Fecit illa quod juſſa fuit, abiitque ad maritum, qui viſa illa expedite ambulante adeò obſtupuit ut animo linqueretur, perſuadens ſibi phantaſma ante oculos obverſare. Medicorum de hac curatione eſt judicium, quod prima apparitio fuerit ſomnium, alteram verò ex imaginatione productam, plena quippe idearum de futura convaleſcentia, quæ ipſi perſuaſerant adfuiſſe quendam qui eam ſurgere & ambulare juberet.

Hactenus Dn. Paulli fida relatio. Cui fidem adhibere convenit, cum innumeris aliis teſtimoniis inde confirmetur, etiam illorum qui tardiores eſſe ſolent in credendis miraculis. Imaginationi eſſe locus vix poteſt, cum reapſe convaluerit ægra. Igitur cauſa ſupra naturalis admittenda eaque à Dei miniſtro Angelo procurata, non à Diabolo cujus poteſtas eo ſe non extendit ut vel claudum pediculum reſtituat. Et pia fœminæ vita Deum fecit miſericordem neutiquam diabolum. Ut firmius credam actæ rei veritatem convulſus ille Anconitanus Salomon Medoro perſuadet, quem quatuor & decem annis miſeram vitam Patavii egiſſe narrat Jo. Rhodius noſtras Cent. 1. Obſerv. Med. 53. & poſtea viſo per quietem ſene veſte candida ſalutemque pollicito, modo divino fideret auxilio, ex ſuprema ædium contignatione, ſcipionibus abjectis, ſine ullius adminiculo ſanum ad ſuos deſcendiſſe, quem animo & corpore validum in illum diem, quo Anno Chriſti 1657. hæc conſignavit, Patavii ſarcinatorem conſpexit laudatus Rhodius, non temere credulus. Sanavit hunc & illam, neque herba neque malagma, ſed Domini ſermo, qui ſanat omnia, Eccl. 16. Certe plures hujuſmodi curationes occurrunt quotidie cùm non raro, Medicis deſperantibus, convaleſcant ægri inter incurabiles numerati. Effectum videmus, cauſam ignoramus. Inquirant qui velint. Pauci invenient. Præſtat tamen Galeni monitu lib. 5. de Loc. Aff. cap. 3. quæ fiunt, quomodo fiant, quærere, quam, quod fiant, negare. *Dom. Thomæ Bartholini.*

Paralyſis mirabilis à Tertiana diuturna, curata.

M. Martinus Schmidius, Haſſus, nunc, niſi fallor, Diaconus Eccleſiæ Teutonicæ Mitavienſis, quæ eſt Curlandiæ Metropolis & ſedes Ducalis tunc autem, Maximè Reverendi & Excellentiſſimi Domini, Henrici Adolphi Ducatuum Curlandiæ & Semgalliæ Superintendentis, Fautoris mei ſummi, Filiorum Informator, Vir eruditionis profundæ, quam inſignis humanitas, & candor ſinceriſſimus, raræ virtutes in una domo, comitantur, & Amicus, in extremo Germaniæ angulo, mihi intimus. Hic, inquam, Epidemiæ Anno 1679. per totam Curlandiam Tertiana intermittente corripitur. Archiater Ducalis D. Harderus, medicamentis obviam ire anticipanti fere ſemper paroxyſmo, conatur, ſed fruſtra. Cùm enim per ferè tres menſes cum morbo conflictatus fuiſſet, à fermentatione humorum miaſma ſcorbuticum jam in corpore latitans (uti ſcorbutus malum eſt illi regioni endemium) fuit excitatum: hinc artuum vagi dolores, poſt ventris ſcorbutici adhibitis antiſcorbuticis & clyſterib. mitigati quidem, ſed non ſublati. Acceſſere pedum tumores, & femoris dextri ſtupor. Denique ſpem omnem atque expectationem præter, cùm nemo quidquam ſuſpicaretur, quaſi epileptico paroxyſmo correptus ſubito, licet non niſi ſemel corruit, & omnia in deterius vergentia minabantur paralyſin ſcorbuticam. Reverendus frater ejus, Paſtor Eccleſiæ Vindavienſis in Curlandia, urbe maritima 22. milliaribus Mitavia diſtante, Fratris meliorem ſe poſſe curam in ædibus ſuis habere, aëriſque mutationem, quod fieri ſæpe aſſolet, poſſe quadamtenus malo mederi, confiſus, elapſis à morbi prima invaſione octodecim ſeptimanis, vix reſpirantem inde Vindaviam abduxit, & minimum ſanè abfuit, quin ſuis cadaver aſportaret. Cum itaque Vindaviam appuliſſent, varia medicamina, a variis, uti ſolet, ordinata, rem denique ad reſtim redegerunt. Tantam enim eſt miſer artuum reſolutionem paſſus, ut per integrum ſemeſtre minimum minimi digiti articulum ne movere quidem potis eſſet, immo nec ipſum caput. Quoties autem videretur, miniſtrantibus quinque hominibus lecto fuit efferendus; quorum unus caput, ſuo gravatum pondere quolibet ruiturum tenebat, reliqua artus. Et, quod impensè mireris, voce, cùm ante maſcula ſatis uteretur, tunc exili, puſionis ad inſtar, & vix intelligibili, animi ſenſa proferebat. Datæ tunc ad me litteræ malum expoſuerunt, ordinavi, quæ pro re nata judicarem proficua antiparalytica interna & externa, decocta, ſpiritus, in laconico ſudores, unguina, purgantia, omnia nullo cum ſucceſſu. Denique, cùm pro deſperato haberem, anceps in ſalivatione mercuriali auxilium quæſivi; ſed cùm ob loci diſtantiam huic ipſe præſens eſſe non poſſem æger equidem, quidvis potius, quàm morbi atrociam, paſſurus, annuit, adſtantes noluerunt. Legi denique alicubi in Deckeri notis ad Barbettianam praxin ſequens decoctum in ejuſmodi caſibus cum fructu exhibitum, quod penſitatis ad amuſſim omnibus, eidem ſum ordinate auſus.

℞. Raſ. lign. ſanct. ℥vi. ſaſſafr. ſarſapar. ana ℥iv. ſantal. alb. citrin. raſ. C. C. ebor. an. ℥ß. Conc. cont. ſ. a. Coq. in aqua font. ℔xxi. ad conſumpt. mediet. in fine adde antimonii crudi pulveris, & in pet. lig. ℥iv. rad. calam. arom. galang. min. an. ℥ß. irid. Flor. bardan. an. ℥j. cardam. ʒvi. ſem. coriandr. ℥ß. dactyl. ʒvi. F. l. a. decoctum. Hujus decocti bis ſingulis diebus ℥iij. calide propinari volui, inſtillatis prius ſingulis hauſtibus mixturæ ſeq. gut. xx.

℞. Elix. m. polychreſt. ʒß. ſpirit. CC. ℥j. ol. ſuccin. ℈j. M. Unguento ſequenti efficaciſſimo bis de die artus inuncti.

℞. Ung. martiat. ℥ß. ol. flor. chamom. hyper. an. ℥j. bacc. junip. caſtor. laur. an. ʒii ß. aqua magnanim. vit. Matth. an. ℥ß. M. Cùm per ſex dies decoctum bibiſſet, juſſi ſequentibus pilulis uteretur.

℞. Maſſ. pil. fœtid. maj. ʒß. reſin. gial. troch. alhand. an. gr. iv. ol. roſmar. gut. 3. M. F. pil. num. 7. pro una doſi. Juſſi poſtea continuari decoctum, & elapſis ſex diebus rurſum purgationem inſtitui. His ad præſcriptam methodum uſurpatis, & ad ſecundam uſque purgationem continuatis, mirum dictu, æger & collum, & brachia & pedes rurſum movere cœpit, eorumque ſucceſſivè uſum recepit, ut, cùm circa Johannis Bapt. Feſtum Anno 1680. in Germaniam, ut functionem publicam Phyſicatus Crailshemenſis, ad quem è Curlandia, mandato Sereniſſimi ac Celſiſſimi Marchionis Brandenburgici Onoldini, Domini mei Clementiſſimi, vocatus eram, capeſſerem, rediturus, Vindaviam venirem, jam poſſet ſcipione nixus vir optimus, templum viſitare, quanquam greſſu lentiſſimo, & maximè defatigatus, Nunc vivit athleticè.

Scholion.] Mirum fortaſſe alicui videri poſſet, febrem tertianam tantas ludere tragœdias poſſe! Sed, ſi rem penitius conſideremus, facile eſt captu, quo id pacto fiat. Magnus quidem Cous, febrem, quacunque ratione intermiſerit, vacare periculo adſerit, & rectè quidem: Sunt enim febres intermittentes ſanguinis totiuſque corporis, quod alibi in inaugurali mea diſputatione, Anno 1680. Altdorfii de febre tertiana intermittente epidemia Curlandiam infeſtante, habita §. 18. docui, ubi & hujus caſus fit mentio, mundificativum inſigne, ſinguliſque paroxyſmis haud ſecus expurgatur corpus, atque incenſa fuligine fumaria, *als wenn man einen Schlot ausbrennt*, aut ex amianto contextæ veſtes in ignem conjectæ ſordes deponunt. Verum enim verò, ubi febres tertianæ diutius quàm par eſt, affligunt, non quidem, quod antiqui voluere, in alium ſemper typum degenerant, ſed evadunt periculoſæ, morborumque chronicorum, ſcorbuti puta, hydropis & paralyſeos productrices. Per tot enim paroxyſmorum fervores, ſanguis balſamico ſuo ſulphure prorſus depauperatur, & exaltatis interea particulis ejus ſalinis, ab igne indomabilibus, quin ad majorem potius acrimoniam evectis, ad inſtar vini penduli ſanguis vappeſcit, indolemque ſcorbuticam adſciſcit. Dum poſtea Sal ille ſanguinis arterioſi in naturam lixivioſam fixiorem magis magiſque ſemper evehitur, ita ſpiritus animalis quoque pro ratione ſuæ materiæ ſpiritu ſuo volatili

orbus & expers gignitur, nec eſt, niſi iners lympha. Hinç motus impotentia & nervorum reſolutio, non quidem ab horum obſtructione exorta, ſed hoc in caſu ſpiritus animalis non ſecus ſe habet, atque dum in ſclopeto illud, quod pennam vocamus, debilius eſt, quàm, ut ſit potis, ad ignem è chalybe cum impetu eliciendum, vel quando defluentis aquæ ſuper molarem totam impetus ad eam circum agendam non ſufficit; uti enim nervi à ſpiritu animali efferato tacti in motus convulſivos membra cient; ita ab eodem fatuo membra moveri non queunt. Reſtituendus igitur erat ſanguini balſamus, deprimendæ particulæ ſalinæ, ſulphureæ evehendæ, ut ex hoc correcto ſpiritus animalis vegetior gigneretur. Id optime & feliciter ſuperiore decocto effectum, cui primæ in affectus curatione debebantur, præcipuè autem antimonio crudo illud ingredienti. Multi, fateor, ſunt admirati, me auſum fuiſſe, antimonium crudum tanto pondere, viribus adeo lapſis, ordinare, mirari deſiſtent, ſi chimiæ gnari fuiſſent. Eſt namque firmior antimonii compages, quàm ut virus ſuum, in ſale fixo corroſivo conſiſtens, ſimplici decoctioni communicet; eſt ſanè ad hoc obtinendum clave fortiori opus. Huc, quas deſideravi, particulas ſulphureus ſubtiliores depoſuit, relicta in reſiduo corpore, ſalina acrimonia. Sum firmiter perſuaſus, per decocta analoga poſſe fortean morbos herculeos plures, vix aliis medicamentis coërcibiles, domari & fugari. *D. Reſini Lentilii.*

De Paralyſi gulæ lethali,

Piſtor quidam & civis Buxtehudanus in morbum febrilem incidit, quem actutum muſculorum pharyngis & ſphincteris vel œſophagi tam vehemens paralyſis comitabatur, ut nihil quicquam, ſive liquidum eſſet, deglutire poſſet; & hoc morbo fuit exſtinctus. Triſte ſane ſpectaculum præbet talis paralyſis; cui alias cataplaſmata ex aromatibus & herbis aromaticis, quas cephalicas vocamus, atque inunctiones ex oleis aromatum cum caſtorei pinguedine proſunt, ut & emplaſtra, quæ recipiunt oleum ſuccini & caſtorei axungiam vel oleum. *D. Joh. Ludovici Hannemanni.*

De Paralyſi utriuſque brachii poſt colicam bilioſam.

Juvenis viginti quatuor annorum, magnus amicus acidorum, laborabat colica vehemente cum cruciatu intolerabili, alvo pertinaciter aſtricta ac febri fervida cæteriſque ſymptomatibus febrim comitantibus ſæpius æger bilem viridem evomebat.

Dicitur hæc colica bilioſa, ſed acida potius dici mereretur, nam bilis non peccat hic loci ob abundantiam ſuam, ſed propter acidum, quod illi admixtum eſt, ſicut hoc manifeſtum evadit ex colore viridi, qui felli accedit ab acidis admixtis.

Sequente, quem præſcripſimus, clyſtere alvus aliquoties laxabatur.

♃. Decoct. emoll. ℥x. vin. emetici turbidi ℥iv. ſal. gemmæ ℈iv. M. F. Clyſter.

Ac febris poſt aliquot dies fugabatur mixtura, quæ ſequitur.

♃. Aq. fœniculi. menthæ an. ℥ii ß. Syr. papav. alb. ʒiii. Antimon. diaphor. ʒi. Oculor. cancr. ℈iv. Sal. abſinthi ʒß. Tinct. croci gut. xxv. Sal. volat. oleoſ. gut. xxx. Laud. opiat. gut. iv. F. mixtura.

cujus duo cochlearia quater vel quinquies ſingulis diebus aſſumebat, ſed poſt colicæ fugam febriſque, remanſit dolor ingens & ineptitudo ad motum utriuſque brachii.

Acidum ſcilicet haud diſſimile illi, quod in ventriculo vomitum bilis æruginoſæ ac in inteſtinis ſummum colicæ cruciatum excitaverat, in brachio acredine ſua dolorem, ac humorum coagulatione obſtructiones adeo pertinaces produxit, ut ſuccus nerveus in muſculos non ſatis patulâ viâ poſſet profluere ad motum requiſitum efficiendum.

Æger igitur ſpiritum antiſcorbuticum internè uſurpavit, eum in finem, ut acidum in ventriculo, inteſtinis ac maſſa ſanguinea contentum temperaretur, ac ita cauſa prima tolleretur.

Deinde ſingulis diebus utrumque brachium flagellari curavit urtica viridi, ac inungi ſequenti linimento.

♃. Ol. tartari fæt. ʒij. Lumbric. ℥ß. Laurini ʒiij. Lavendulæ ʒj. M. F. Linimentum.

Atque hoc modo æger convaluit.

Urtica dolorem, ruborem ac puſtulas per totum brachium excitavit aculeis ſuis pungentibus & humorem acrem in cavitate ſua per microſcopium viſibili continentibus, unde fibrillæ brachiorum uſque adeò agitatæ ſunt, ut humores obſtruentes ex latibulis ſuis excuſſerint; linimentum autem humores viſcidos attenuavit magis, & diſſolvit ita, ut libere iterum circulationem ſuam cum ſanguine perficere valerent.

Novi adhuc duos, quos ante annum unum alterumve talis colica, bilioſa vulgo nominata, & paralyſis manuum ſubſequens è medio viventium lento gradu ſuſtulit; alias morbus hic rarius in noſtris regionibus occurrere conſuevit.

Ægritudo hæc etiam nonnunquam reverti ſolet, quare vinum emeticum bis aut ter in anno propinandum cenſeo, quod experientia teſte valde proficuum eſt in hoc caſu, atque ratio etiam aſtipulatur, quandoquidem in his ægrotis per vomitum haud parum bilis æruginoſæ cum levamine evacuatur. *Joh. Muyſ. Obſervationum Praxeos Chirurgic. rationalis Decade vi.*

Paralyſis diſcrucians.

Magdalena de Poſſac, vidua, ſeptuagenaria, reverenda ſocrus, ἔνσαρκ☉, vegeta & acris animi; tuſſiculâ ſiccâ & inani moleſtata, vertigine repentinâ, verùm ſimplici, ſtatimque evaneſcente, ſæpiſſime tentabatur. Cùm ſecundâ Januari die, ann. 1691. matutinis horis Deum precaretur, dubio & cæco pavore ſubito circumfuſa, vociferabatur, verſaque mentis & oris facie, titubante lingua, efferataque voce, deliramenta loquebatur. Deliræ loquacitati gravis ſopor finem attulit, ſoporque diſcuſſus in hemiplagiam verſus eſt. Verùm adhuc mente alienata, ululantes inexplanata lingua voces effun-

effundebat. Cùm autem medicamentis paululum allevata, revocatis ſpiritibus, pulſiſque animi nubilis, articulatiùs loqueretur, membra reſoluta ſentiferos motus ediderunt, Alvi fluxus adveniens actutùm opem tulit, ſed cruentus & dyſentericus evadens, ægritudinis cruciamenra inchoavit. Evicta dyſenteria, tuſſicula recrudeſcens, deteriore in pulmonem metaſtaſi, incuſſit peripneumoniam, quæ omnibus ſtipata ſymptomatis, tempora ſua percucurrit. Recreatam é peripneumonia ægrotantem febris intermittens invaſit; qua tribus paroxyſmis abſoluta, reverſus eſt alvi fluxus, doloreſque & convulſivi motus, infirmos artus, ipſamque linguam, contrahentes, & fatigantes, orti ſunt. Ingraveſcentes dolores, motuſque convulſivi, ſomnos ægrotantis divellebant, infirmatamque illius mentem commovebant: noċteſque dieſque vigil, & irrequieta, plangens & ejulans planctus cauſam, aut doloris ſedem aperire non valebat. Brevium aliquando requiei intervallorum potita, dolore univerſum corpus agitante torqueri ſe querebatur, & animo tranquilliorem habitum induente, ſenſumque reducente, crus brachiumque reſoluta, atrociter cruciari, linguamque & ora ignitis aculeis pungi ciebat. Redivivus alvi fluxus, cruentus iterum factus eſt, & peripneumonia recurrens, pulmones jam diu ſaucios labefacit. Artus invalidos, doloribus, motibuſque convulſivis fractos, & aqua intercute tubulos, lethiferum frigus aſtringebat. Muſcentes, lethiferum frigus aſtringebat. Mumeſcentes, lethiferum frigus aſtringebat.

Ex communicatione amica Præclariſſimi Viri D. Rivalier Medici Nemanvenſis Celeberr.

Anatomicæ Inſpectiones.

Paralyſis gravis ortum ducit à diſſolutione Corporum ſtriatorum Cerebri,

Corpora ſtriata τῶν πρώτως αἰσθητικῶν munera exequi, præter illorum fabricam & uſus analogiam, qui, præter illorum fabricam & uſus analogiam, exinde colligendum, ex obſervationibus quibuſdam circa ea, quo titu in morbis Paralyticis afficiuntur adhuc certius conſtare videtur: Cum enim aliquoties cadavera quorundam à longa Paralyſi & graviſſima nervorum reſolutione defunctorum aperuerim, deprehendi ſemper hæc corpora præ aliis in cerebro minus firma, inſtar amurcæ diſcolorata, & ſtriis multum obliteratis: Porrò in catulis recens natis, qui uſu carent, aliaſque motus aut ſenſus facultates ægre perficiunt, hæ ſtriæ vix integre formatæ, tantummodo rudes apparent. *Willis cerebri Anatom. cap. 13.*

Paralyſis ab excremento cerebri aqueo in ſpinam decumbente excitatur eo quod Dorſalis medulla inde Intumeſcat, non obſtructione Nervorum,

A Pituita ſeu excremento cerebri aqueo, ſeroſo, frigido, humido, cerebrum irrigante, vel Nervorum omnium principium premente, uti Apoplexiam, quæ totius corporis eſt, Reſolutio, generari, ſic ſi hoc in nervis accidat Paralyſim fieri cenſemus: Talis enim humor à cerebro in Apoplexia, quam prius procrearat, excuſſus, vel ſine ea defluens, non per Dorſalis medullæ aut nervorum ſubſtantiam, ſed vel per cavitatem Dorſi vertebrarum, dorſalem medullam continentem deſcendens, illicque vel circa principium aut progreſſum illius ſubſiſtens, vel ulterius per ductus, quos nervorum paria à dorſali medulla progreſſa, citra omnem connexum undique in corpore permeant, delabens, aut etiam à capite nervorum conjugationum ſimiles ductus ſequens, alicubique circa nervos hærens, quocunque loco, ſive hoc circa dorſalem medullam, ſive nervorum paria aut conjugationes accidat, ea comprimendo, vel irrigando, vel ſi hoc in cerebro fiat, Apoplexiam, ſic ſi hoc in jam dictis locis accidat, Paralyſin plurium pauciorumve partium, prout generalis particulariſve nervus afficitur procreat, cum ſi copioſus humor eo affluat, anguſtis, illis in locis pondere ſuo nervos comprimendo ſpiritui animali viam intercipere poſſit: eoque diutius ſi craſſior & mucoſus longiore mora detentus evadat Præcipue vero quod humiditate ſua nervorum ſubſtantiam continuo irrigans & adimplens refrigeranſque, eo in loco propriam ipſorum temperiem deſtruat, & quo minus ſpiritu animali impleri eoque perfrui poſſint, impediat: unde & propter inutilem hanc interpoſitam nervi affecti portionem, reliquo qui ad partes deducitur nervi ductu ad functionem edendam ſimul inepto facto, reſolutionem perfectam, ſi magna ſit læſio, partium quibus hi communicantur ſequi neceſſe eſt, eamque eo diuturniorem & pertinaciorem quo major Nervi offenſa exiſtit: Quam veram Paralyſeos pituitoſæ cauſam eſſe, tumeſcente ex aqueo humore dorſali medulla; ſectione deprehendimus: Ut non opus ſit obſtructionem quandam in nervis, hic, qui ſolidi ſunt, aut ex filamentis conſiti, nec cavitatem ullam, quæ humorem illum craſſum, uti quidam ſcribunt, admittere poſſit, excogitare: vel ſi nervorum hanc humectationem quidem concedant, id tamen hac ratione, quod nervi longiores laxioreſque facti, ad motum edendum inepti fiant, cum Nervi partem minime attrahant, fieri aſſerere. *Platerus Pract. lib. 1. cao. 2. part. 2.*

Paralyſis colicos dolores ſequuta, à Sero cerebrum & ſpinaleus medullam inundante ortum ducens.

In Germania, & præcipuè in Franconia ac in Norinbergico tractu frequentiſſimum hoc malum eſt. Quo verò modo & quibus de cauſis hæc contingat, ex ſubſequenti hiſtoria intelliges: Secui juvenem mulierem, quæ primo ex epatis & veſicæ bilis obſtructione in Tertianam notham, deinde in colicam paſſionem incidit, paulo poſt Paralytica reddita integrum annum vixit: quæ tamen uſu thermarum aliqua ex parte ſublevata, ad extremum delirio ac Epilepſia correpta occubuit: Paralyſis à principio occupavit brachiorum ſuperiores par-

tes, ſenſim ad extremitates manuum, ultimo ad crura deſcendit: ægra atrophia contabeſcebat, de ventriculi ardore, Siti, appetitus edendi proſtratione, alvi difficultate, & dolore llii ſiniſtri tenſivo gravique (ſentire enim ſeſe inquiebat in illo loco pondus aliquod grave, tanquam plumbi maſſam) conquerebatur.

Hanc mulierem aperui, & reperi jecur pro corporis ratione nimis magnum obſtructioneque minimé vacans: Veſicam bilis bile craſſa ac nigra turgidam: Ventriculum humore plenum viridi, atque extenſum: Ulterius deſcendens, inveni Colon male atque p. n. conformatum, Si quidem ubi ſacculus, ſive monoculus ſitus eſt, & ubi colon ventriculo annexum eſt, colon fuit valde laxum, flatibuſque expanſum, reliquis in locis, ad craſſum inteſtinum uſque anguſtum, fæcibus craſſis duriſque in globulos concretis infarctum: Eodem modo conformatum vidi Colon in multis fœminis: Reliqua viſcera, tam naturalia quàm ſpiritualia, erant illæſa ac integra. Ex cerebri ſubſtantia inter diſſecandum effluxit aqua tenuis & colore ſubrubicundo, quod venarum arteriarumque inciſioni adſcribendum eſt: nam aqua, qua omnes ventriculi ſcatebant, fuit tum tenuiſſima, tum limpidiſſima ac pura, nihil vero pituitæ in ventriculis cerebri vidi: Totum ſpatium, quod in ſacra fiſtula, inter tenuem ac duram membranam eſt, & ubi nervorum funiculi nervos conſtricturi à ſpinali medulla recedunt, ſimili aqua plenum extitit. *V. Coiter lib. obſervat. Anatom. & Chirurg.*

Paralyſis ab aqua limpida in cerebri ventriculis & ſacra fiſtula contenta.

Si ocularis inſpectio hac in parte ſcriptorum authoritati eſt præponenda, noſtra ſententia magis ad Rondeletii quàm ad Fernelii opinionem inclinabit: Pluries enim invenimus in cerebri ventriculis, ſacraque fiſtula, aquam limpidam tenuem & puram, quam flavam vel bili ſuo colore ſimilem, vel etiam alium humorem: Majori itaque ex parte, ſi non ſemper, Paral. excitat tenuis limpidaque hæc aqua, in cerebri ventriculis atque in ſpina dorſi collecta, quæ ſenſim à ſuperiore parte nervos irrigat, quoad pervenerit ad eorum extremitatem. *Coiter libello Obſerv. Anat. & Chirurg.*

Paralyſis, aliaque animalis facultatis ſymptomata, ob anteriorem cerebri cavitatem ſanguine & ſero plenam, corpus unum ſtriatum comprimentibus.

Juvenis temperamenti ſanguinei, ingenuus & plerumque ſatis ſanus, poſt lautiorem cœnam & vini potum immoderatiorem in cathedra, ſedens, ſtupiditate in manu dextra ita afficiebatur, ut cheirotheca, quam forte manu tenebat, involuntarie exciderit; deinde ſe erigens & ambulare niſus, in femore & crure ejuſdem lateris reſolutionem ſentit: ſine apoplexia tamen, incidens, nam animo ſemper conſtabat, interrogatis ſatis apte, tarde licet ac impedite reſpondens, & quæ juſſa erant faciens, Medico peritiſſimo ſtatim acceſſito, phlebotomia, vomitio, purgatio, ordine celebrata fuere: cucurbitulæ, ſcarificatio, linimenta, frictiones, aliæque adminiſtrationes idoneæ ſedulo adhibebantur: nihilominus Paralyſis accrevit, ut præter motum membris dextri lateris fere ademptum. etiam iſtius oculi viſum amitteret, uſque tamen, etiamſi torpidus & ſomnolentus, mentis compos amicos dignoſcebat, & infirmitatis ſuæ conſcius, & pro ſanitate recuperanda ſollicitus, remedia quæque oblata ſumebat: verum his non obſtantibus, functiones animales magiſque in dies, eorumque conſenſu demum vitalis fatiſcebat, ita ut circa diem 7. aut 8. modo in convulſiones, aliaſque ſpirituum animalium diſtractiones ſubinde incidens, tandem viribus exolutis, morti ſuccumberet.

Capite aperto, anterior cerebri cavitas ſanguine partim ichoroſo, partim concreto & grumoſo, cum ſeri copia implebatur.

Hinc ut facile eſſet concipere ab illuvie iſta corpus unum ſtriatum comprimente, ejuſque poros & meatus conſtringente, ſpirituum affluxus in appendicem iſtius lateris nervoſam impediri, & propterea in membris reſpectivis reſolutionem excitatam: Atque ob thalamum opticum, ubi corpori ſtriato inſeritur, etiam compreſſum, iſtius lateris oculum viſu privatum fuiſſe; Porro quatenus corpus calloſum, iſtud antrum concamerans, à materia aggeſta nonnihil premeretur, inde functionum Animæ principum hebetudo & torpor, ſine ulla tamen earum ſubverſione aut inordinatione excitabantur: cujuſmodi illarum affectiones propter noxam ſubſtantiæ cerebrali, ejuſque ſpiritibus incolis affixam, ac minime à ventriculorum impletione procedere ſatis liquere videtur.

Obſervavi in pluribus, quod cum cerebro primum indiſpoſito, mentis hebetudine & oblivione, & deinde ſtupiditate & μωρωσει afficerentur, poſtea in paralyſin incidebant; ſcil. materia morbifica ſenſim delapſa, & demum alicubi intra caudicem medullarem (ubi tractus medullares pluſquam in corpore ſtriato arctantur) ad plenitudinem oppilativam aggeſta: propterea enim, prout loca obſtructa magis aut minus ampla fuerunt, aut paralyſis univerſalis, aut hemiplegia, aut membrorum reſolutiones quædam partiales accidebant. *Thom. Willis, de affectibus ad animam corpoream pertinentibus.*

Paralyſis à cerebri ventriculis ſanguine concreto repletis, ex rupto plexu choroide.

Anno 1644. apertum cadaver mulieris ex apoplexia, ibique ſuccedente paralyſi tandem defunctæ &c. omnes cerebri ventriculi concreto ſanguine turgebant, ut ne guttulam amplius exciperent: Sanguis iſte ex rupto plexus choroidis vaſe expreſſus concreruſque liberum ſpirituum animalium commeatum impediendo, apoplexiam excitavit, quam deinde paralyſis ſiniſtri lateris pertinax inſequuta eſt. *Bartholinus cent. 2. hiſt. 60.*

Paralyſis à bile ad Spinæ nervos detruſa.

Vir quidam ætate florente, epulans liberaliter, quotidianæ vomitioniylioſæ jam dudum fuerat

fuerat obnoxius: hac repente ſuppreſſæ ventriculi vehemens dolor prehendit cum nauſea & tuſſi inani: Huic mox cœpit corpus citra febrem vehementi rigore, tanquam invadente exquiſita tertiana, ex intervallis quotidie ſupra vicies concuti: Exactis diebus circiter xv. putreſcente jam bile, tertiana febre corripitur; qua multis poſt diebus ſoluta, Reſolutio inſequitur omnium partium quæ ſunt ſub capite, nec multo poſt interitus.

Corpore diſſecto, tam multorum affectuum cauſam deprehendimus bilem ſinceram, eamque praſinam, circum jecoris cava, libræ pondo membranis coërcitam, Et cujus jam portio in ſpinæ nervos obrepſerat. *Fernelius de Febribus lib. 4. cap. 10.*

Paralyſis lateris ſiniſtri ex apoſtemate nata cerebri, turgentibus venis tenuis meningis.

Melancholicus juvenis laborabat Paralyſi lateris ſiniſtri & convulſione lateris dextri violenta, cum febre inſigni: Paroxyſmi erant admodum frequentes, ita ut multoties quaterentur: mente conſtabat extra paroxyſmum Epilepſiæ.

Eo mortuo aperuimus cadaver: in latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis, multo ſanguine nigro & concreto: Ea pars nigricabat, & apoſtema continebat in proxima cerebri parte. *Schenickius ex commun. Johannis Bauhini.*

Paralyſis ſequuta cerebri ſuppurationem & Effracturam oſſis Frontis.

Puero octo annorum ob effractum frontis os, procul à ſutura coronali, adeo depreſſa fuit ſubjecta cerebri medulla, ut adempta libertate, deſtitueretur quaſi omni motu, qui tamen paulò poſt iterum rediit, adaperta per exemptum fragmentum via, per quam exitum ubi invenit lacerum cerebrum, extulit ſeipſum longè lateque ſupra os fractum extimamque calvariæ ſuperficiem, incremento tam uberi, ut neceſſe fuerit tantùm huic parti nobiliſſimæ demere quantùm recipiendo fuiſſet vacua ovi gallinacei teſta. Ex qua præciſi cerebri dilaceratione protinus expullulare ingens fungus, primùm quidem mollis ac albus, at mox durior e callo, ac cinerea cruſta obductus: quo luxuriante tumore in dies, magis magiſque increſcente, ac in majorem molem elevato, reſolvebantur tandem die xi. nervi lateris oppoſiti: manente adhuc firmo ac illibato tam animi quàm corporis robore, licet biduo poſt vivendi finem fecerit, ſub ſudore frigido ac crebris nervorum diſtenſionibus, converſa jam tum in pus maxima laceri parte: cujus corruptio eò majorem admirationem excitavit in Medicis quò minorem viderant virium jacturam biduo ante mortem; quæ morbo procul dubio diutius reluctabantur, tum ob uberem humidi radicalis copiam, tum ob ſolida increſcentis corporis fundamenta. *Tulpius lib. 4. Obſerv. 1.*

Paralyſis à pure inter cranium & duram meningem.

Adoleſcens annorum 13. fuſte lignea è ſalice, levi quidem illa, ſed ex alto demiſſa, accepto contemptibili, ut videbatur, vulnere in capite, abſque cranii fiſſura fracturave, oborta 6. die inflammatione in vulnere, ſequente Convulſione & Paralyſi in crure dextro & brachio ſiniſtro, cum febre & delirio xi. die tandem moritur.

Detecta & abſciſſa primùm capitis cute, pericranioque amoto, vulneris ſedem penitius perſpeximus: vidimus qua parte telum impactum fuerat, os livens, contuſio utique à ligno pericranio atque etiam ipſo cranio: Diſſecto rurſus cranio, è regione partis vulneratæ, inter cranium & duram meningem, pus inventum eſt, quod mox diſſecto oſſe effluere cœpit, non copioſum tamen, ſed lividum & fœtens: membrana ipſa leviter intenta inventa fuit, non tamen colore demutata, &c. *Franc. Valleriola Obſerv. 1. lib. 3.*

Paralyſis ob abſceſſu Cerebri, & aqua limpida in ſiniſtro ejus ventriculo.

Miles 27. annor. temperamenti calidi & ſicci die 9. Auguſt. 1638. acinace ſauciatus fuit in poſteriore capitis parte, cum læſione oſſis occipitis: Hoc vulnus ab initio tractatum quaſi ſimplex, uſque in diem 31. Januar. 1639. quo æger fuit receptus in noſodochium, ubi Balneator vulnus, partim cicatrice & partim excreſcentia carnis obductum, ſpecillo obtuſo & tenui exploraturus, illud ad tertiam longitudinis partem, recto tramite, non tantùm in fiſſuram cranii & ambas cerebri membranas, verum etiam in ipſiſſimam cerebri ſubſtantiam (ex qua multùm puris effluxit) immiſit: Die 1. & 2. Februar. patiens de oculorum gravitate conqueſtus; die 3. vocatus, inſpecto vulnere & conſideratis circumſtantiis, ob profundam imprimis ſpecilli intromiſſionem, anguem in herba latitare ſuſpicatus ſum: unde cutim & pericranium ſcalpello ſtatim incidi, &c. Die 4. inſpecto vulnere rimam cranii longam & ſatis latam inveni, &c. Die 6. æger conqueſtus eſt de vertigine & dextri oculi dolore; iterumque die 8. &c. Die 15. fungi majores viſi, &c. die 19. magna puris copia per fungorum interſtitium effluxit, &c. Die 20. dextrum latus omnino fuit Paralyticum, &c. Die 6. patiens loquelam amiſit, cerebrum Caro fuit correptum, & brachium dextrum motibus convulſivis agitatum, &c. Die 23. obiit.

Aperto per ſerram cranio, interna oſſis fiſſi ſuperficies in tantùm fuit corrupta, ut totum occipitis os uſque ad ſuturam lambdoidam tenuius eſſet quàm os petroſum: Mox ſpecillo obtuſo intra fungos poſito, abſceſſum deprehendi magnum, qui in ſiniſtro cerebri latere latitavit, proprio folliculo circumſeptum: Remotis proximis cerebri integumentis, cerebrum ipſum cum abſceſſu tunicato monſtravi, Et proceſſum duræ matris falcatum elevavi, ut ſpatium quod eſt inter dextram & ſiniſtram cerebri partem, cum ſuis vaſis & ſpiris inſpic

poſſet; Cerebro tranſverſim inciſo, & magna ejus portione, citra læſionem ventriculi ſiniſtri ablata, abſceſſus in conſpectum venit, ex quo pus fœtidum magna qnantitate effluxit: deterſo per goſſypium abſceſſu, in circumferentia apparuit cauſa aliqua membrana quæ materiam purulentam continuit: In vicinis autem partibus nullum adfuit vel inflammationis vel corruptionis ſignum: his conſideratis, ventriculum cerebri ſiniſtrum aliquantulum compreſſum, dextrum verò minimè depreſſum, ſed aqua limpida diſtentum oſtendi: In ſiniſtro plexus choroides pallidus, in dextro rubicundiſſimus apparuit: Ex dictis cauſam Paralyſeos dextri lateris, vertiginis, doloris dextri oculi & heſternæ convulſionis dextri brachii habemus: Ideoque ubi læſum & fiſſum cranium, & fungoſa caro ſubcreſcit, ibi certiſſimum ſignum eſt, ſi non ſubſtantiam, ſaltem cerebri membranas vel contuſas vel laceratas eſſe. *Scultetus Obſervat. Chirnrgic.* 19.

Pueri Paralytici, poſt cerebri vulnus, repertum eſt cerebrum ex parte exhauſtum.

Puero ſexenni ex alto baculus in ſiniſtram capitis partem perpendiculariter decidebat; unde fractum ad menſuram craſſitudinis baculi cranium: E parvo tamen primum oſſis ſincipitis foramine, cerebrum paulatim prodiit inſtar fungi, donec tandem ſponte decideret: Statim ab illato vulnere convulſus eſt in oppoſito latere, mox in eodem, quo læſus, Reſolutus, deinde iterum convulſus, donec vitam 15. à vulneris accepti die cum morte commutaret, exhauſto uſque ad corpus calloſum cerebro. *Joh. Reverovicius Epiſt. ad Thom. Bartholinum, in hujus Epiſt. cent.* 1. *Ep.* 93.

Paralytici, lue venerea inquinati, membranæ cerebri cranio carioſo tenaciſſime adhærebant.

In cranio Juvenis qui Paralyſi extinctus, undique tempora verſus, à lue venerea caries, utraque membrana ei tenaciſſime adhærente.

Debilitato nempe calore naturali credibile eſt nervos ita fuiſſe relaxatos, ut graviſſimus inde ſubortus fuerit affectus. Nec enim in ichorem à carie exudantem cauſa rejicienda; quod hinc potius ſpaſmi & epilepſia oriri debuiſſent, vellicatis ab ejus acrimonia nervis. *Rhodius Obſerv.* 34. *cent.* 1.

Paralyſis corporis inferioris ob contuſam Spinalem medullam à globo ſclopeti.

Puella nubilis è pago vicino anno 1611. Baſileam revertens, & à tergo cuidam in equo aſſidens, exploſo ſclopeto à quodam, ſtatim reſoluta, inferiore corporis parte à media lumborum ſede, penitus facta eſt, adeo ut nec pedes nec illorum digitos ullo pacto movere poſſet, nec ſenſum ullum perciperet, ſicque domum devecta eſt: Chirurgus vulnus in dorſi media fere ſede deprehendit, cui curam adhibuit, quod à caſu ab equo factum putabant: Verum cùm in ſuperioribus partibus nullum alium ſentiret defectum, atque inferiores omnino reſolutæ & ſtupidæ manerent, hiſce curandis & Chirurgus & mulierculæ conſilia varia dantes, inter cætera ſtuphas pedibus adhibuerunt; à quibus vapor adeo fervens ſuſcitabatur, ut cùm ob ſtuporem ardorem non ſentiret, pedes ab imo ad coxam uſque, ac ſi ab aqua fervidiſſima combuſta eſſet cutis, aduſti nigricanteſque apparerent admodumque tumerent: Vocatus ad eam cùm de principio & cauſa hujus caſus rogarem, narravit mihi ſe cùm bombum bombardæ, quàm comes itineris equitans diſploſerat, audiiſſet, eodem momento ac ſi tergum ſuum tactum eſſet, dolorem ſenſiſſe, ſubitoque animo defeciſſe, nec an ceciderit, an à comitibus retenta fuerit & ab equo relevata, ſe ſcire donec recepto animo ſe vulneratam & reſolutam ſenſerit: Cùm vulnus inſpicerem, erat illud in latere dextro dorſi, juxta 8. vel 9. illius vertebram, & ad ſpinam vertebrarum illius oblique intrinſecus declinabat: Erat autem vulnus exactè in cute rotundum, in ſinum profundum deſinens, & cùm in ambitu contuſionis nullum ſignum appareret, ex ictu glandis accidiſſe ſuſpicans, juſſi veſtes afferri, quæ ſimiliter rotundo foramine, uti & indulium perforata, meam ſententiam globulo ſclopeti hoc vulnus factum & ſpinalem medullam læſam fuiſſe confirmabant, uti & Chirurgi alii, poſtea vocati, idem judicabant, & præſertim cum ſtylo immiſſo vertebræ portionem abruptam deprehenderent: Quia verò jam exactis à læſione decem diebus, quibus de ſuperiorum partium affectu aliquo non admodum conquerebatur, tunc vero peius habere inciperet, vomituque gravari, & de ardore ſuperioris partis ſpinæ, capitis dolore ac ſpaſmo circa cervicem conqueri, hiſce emendandis remedia, uti & vulneri fuere præſcripta, prognoſtico interim præmiſſo incurabilem hunc fore affectum, uti mox apparuit, nam xx. poſt eum quo hoc accidit, die expiravit.

Et cum adhuc dubium apud authorem facti, uti alios aliquos eſſet, à ſclopeto vel caſu ab equo hoc eveniſſet, licet conſtaret eam non ab equo cecidiſſe, ſed poſt ſclopetum exploſum, animoque mox deficientem, ne ab equo caderet, ab eo cui à tergo aſſidebat, retentam fuiſſe, ut globus adhuc in corpore detineretur, ſi ab ictu illius factum fuit, cum nullus alius pateret ipſius exitus, neceſſe erat: Itaque cùm in vulnere per ſectionem poſt mortem dilatato nihil inveniretur, illudque vertebram ſubiret, exempta ſpinæ dorſi aliqua portione, eaque juxta vulneris ingreſſum diſſecta, globus plumbeus ſpinalem medullam diſrupiſſe, atque in corpore vertebræ ſubſtitiſſe tandem deprehendimus: globus is appendicem habebat, cui chartam, quæ pulverem tormentarium recipit, alligare ſolent, eratque globus ex parte illa, qua os tetigerat nonnihil dilatatus, uti ſæpe hoc, ſi globus os in corpore tangat, nec illud penetret, accidere obſervavi. *F. Platerus.*

De Paralyſibus à Vulneribus Capitis enatis vide in ſequentibus ubi de Vulneribus.

Paralyſis

Paralyſis à Sero totum cerebrum inundante &c.

Parvulus paulo ſupra tres annos natus cerebri humidi, prout ex ophtalmiis gravioribus, & faciei exanthematis aquoſis, (quibus interdum fuit obnoxius) conſtat, ineunte Autumno male habens, cum febre lenta, & appetitu dejecto torpidus admodum, & ſomnolentus evaſit, ut dies & noctes fere continuo dormiret; exporrectus verò adſtantes novit, & interrogatis apte reſpondit. Huic idonea remedia, ſcil. enemata, veſicatoria, cathartica, item Julapia, ſpiritus C.C. pulveres, cum multis aliis in hoc caſu uſitatis, ſtatim & ſedulo adhibita in tantùm profecerunt, ut intra 6 & 7 dies Ægrotans febre immunis, ſatis evigilans, & alimenta poſcens, convaleſcere, & cura medica vix amplius opus habere videretur: Brevi tamen poſtea (incertum ob quam occaſionem) recidivam paſſus, & denuo ſoporoſus, torpore ſtatim graviori afficiebatur, adeò ut ægrè expergiſcibilis vix quidquam noverit, aut ſcienter fecerit; poſtridie plane ſtupidus, etiamſi acrius vellicatus oculos aperiret, eosq; huc, illuc obvolveret, nihil videbat; atq; intra diem unam, vel alteram totius dextri lateris paralyſis inſequuta eſt. Huic remedia priora repetita, inſuper ſternutatoria, Apophlegmatiſmi, ſanguinis detractio, cataplaſmata pedibus, & epiſpaſtica toti capiti raſo applicanda, cum aliis medicamentis, & adminiſtrationum modis ordine præſcripta, nihil profuerunt, quin ægrotans poſtquam ita per 4 & 5 dies inſenſilis jacuiſſet, reſpiratione & pulſu tandem fatiſcentibus, interibat.

Cadavere aperto, in imo, & medio ventre fere omnia ſatis ſana reperimus, niſi quod in dextro rene humor ichoroſus albicans, quaſi ſanies tenuis, congeri cœperat, qui ex renis diſſecti & compreſſi partibus quibuſdam copioſe effluebat: hoc abſceſſus futuri initium, ſive rudimentum quoddam fuiſſe videbatur, & forſan ob ſerum haud ſatis ubertim hic ſecretum, copia ejus major ad cerebrum affluxerat.

Nam Calvariæ olla exempta, anterior τ͂ ἐγκεφάλε regio fere uſque ad ſinus quarti, inſertionem, aqua limpida per membranas tranſlucente obtecta, intumeſcebat, quæ meningibus diſſectis ſtatim diffluebat: porro illic loci, cerebri aſſulatim abſciſſi portiones nimis madidæ, & fere ſive punctis rubentib., ſive ſanguineis apparebant: in poſteriori autem cerebri limbo vaſa cruore rubeſcant, & ſubſtantia corticalis ſine tumore, aut aquæ diluvio, depreſſior, & firmior apparebat: ex his (prout ſupra ſtatuimus) Leithargi cauſam à cerebri exterioris illuvie aquoſa, & velut Anaſarco pendere manifeſta liquebat.

Cerebro aſſulatim abſciſſo, & foramine in cavitatem anteriorem à lympha diſtentam facto, aqua limpida quaſi prius intra ſpatium anguſtius coactata exiliit, cujus ingens copia ventriculos omnes ad ſummum impleverat (ac uti videtur) Thalamos opticos comprimendo (prout in altero caſu ſuperius deſcripto,) cæcitatem, atque corpus unum ſtriatum, aut poros ejus ſubeundo, aut comprimendo paralyſin intulerat.

Plexus choroeides tanquam ſemicoctus, ſubalbicans, & fere exanguis apparebat. Probabile eſt ex his Vaſis lympham, quo ventriculi cerebri inundabantur; omnem, aut quod maximam ejus partem, exundaſſe; quanquam in hoc caſu ſi (prout nonnulli exiſtimant) latex aquoſus è cerebri cortice inferius ſubſidens; demum cerebro penitus trajecto, in hos ſinus depluere poterit, non incommode inde ratio petatur, quare Lethargus primo ſanari viſus, mox immanior, cum cæcitate & paralyſi adſcitis redierit: nimirum quatenus primo materiæ ſoporiferæ penus, è cerebri cortice in cavitatem ejus prolapſus eſt, functio animalis paululum inclaruit; poſtea vero cum nova materies in cerebri cortice pullularet, & hæc in ſinus prolapſa, ad plenitudinem aggeretur; ideo morbi prioris recidiva, cum iſtis cæcitatis, & paralyſeos auctariis contigit.

Quanquam autem cerebri interioris hydrops, ſeu ventriculorum ejus inundatio, aut corpora ſtriata, vel Thalamos opticos comprimendo, Paralyſin, vel cæcitatem, aut nervorum origines vellicando, affectiones ſpaſmodeis cieat attamen lethargum non à tali cauſa, ſed tantum à cerebro exteriori inundato; aut compreſſo exoriri, obſervatione nupera Anatomica evidentiſſime conſtabat.

Generoſus quidam diu valetudinarius, poſtquam per quinque fere menſes Colica, ſeu potius Arthritide vaga ſcorbutica atrociſſima, (in qua non tantum viſcera ac lumbi torminibus magnis, ſed inſuper totius corporis membranæ, ac muſculi omnes cruciatibus fere continuis afficerentur,) laboraſſet; atque demum in membris modo ſpaſmos horrendos, modo reſolutiones ac in capite modo Phreneſin, modo inſultus quaſi Apoplecticos, aut viſus obfuſcationem pateretur, tandem viribus attritis, atque ſpirituum copiis penitus exhauſtis interibat. Per ſeptem (excepto tantum penultimo) ante obitum dies, quoad ſenſum & intellectum vegetior, fere perpetim inſomnis degebat, quin & opiatis aut blandis, aut fortioribus ſubinde exhibitis, vix omnino dormitare potuit. Paulò ante hoc pervigilium, à veſicatorio cervici applicato aquæ quantitas immenſa affluxit; & deinceps uſque ad mortem quotidie effluebat, hinc ut ſuſpicarer eum inſomnem ideo fuiſſe propter humorem aqueum à cerebro copioſe nimis ſubductum.

Defuncti capite aperto, cerebri cavitates interiores, ſive ventriculi omnes aqua limpida ad ſummum impleti, & quaſi diſtenti apparebant, imò circa ſpinæ ſummitatem ipſe, funis medullaris, aquis ibidem aggeſtis circumdari, & quaſi immergi videbatur. Proculdubio ob hanc rationem, in lumbis, & membris, ac totò corporis habitu dolores & ſpaſmi adeò atroces infeſtabant; atque propter diluvium in ventriculis, crebris viſus obfuſcationibus, & artuum reſolutionibus, obnoxius fiebat; attamen nullus hinc lethargus, quin propter aquas à cerebri ambitu per veſicatoria nimis derivatas, Pervigilium inducebatur. Huic, ob pulmones multùm vitiatos, etiam hydrops pectoris accreverat. Hepar mole ingens, maculis ubiq; albis interſperſum, & pene exangue apparebat: proinde ut viſcerum his culpis ſanguinis & ſucci nervei initia quodammodò adſcribi debuerint. *Thom. Willis de morbis ad animam corpoream.*

Para-

Paralyticus in quô Cerebri meninges adnatæ. Ichor ſeroſus & cruentus, circa cerebellum & baſin cerebri copioſè ſtagnans. Pulmones coſtis utrinque pertinaciter adnati &c.

Johannes Meyer, Adoleſcens 20. annorum, â multo tempore cachecticus, & à pluribus retrò annis paralyſi lateris ſiniſtri laborans, operæ quotidianæ in orphanotrophio nihilominus pro virili vacavit: ſeptimanis aliquot ante obitum conqueſtus eſt de tuſſi moleſtâ & qualicunque reſpirandi difficultate, noctu imprimis infeſtantibus, ſputo item ſeroſo nunc tenui, nunc ſubviſcido: appetitus & vires qualitercunque conſtabant, ſitis verò per vices crebriùs vexabat. Ut malo imminenti, ſi non confirmato, repagulum poneremus, ſimulque ſalium acrimoniæ in totâ maſsâ proſpiceremus, d. 10. Jan. 1682. pilulas ſuaſimus ex diaphor. Jovial. fl. benz. reſin. ſtyrac. & myrrh. cum ſyr. fl. bellid. paratas, quarum x. ſingul. manè in juſculo florib. bellid. min. alterato ſumſit, juxta quoque demulcentia & pectoralia alia in uſum fuere vocata, lac inprimis, quod phthiſicorum ſacra anchora audit; aſt eluſit medicamentorum ſalubritatem, morbi enormitas & profunda radicatio, ægrumque ſeptem circiter ſeptimanarum ſpatio peremit.

Cadaveris interanea vel ideò ſtudioſius luſtravimus, quòd & brumæ ſævitia & loci commoditas, ad præcipuorum etiam muſculorum ſitum detegendum, nos invitaſſe videbantur, inde præſentibus Vir. Clariſſ. & Præſtantiſſ. D. D. Eman. Konig, jam Acad. Curioſ. D. M. Speckero, D. M. Rudino Medic. Licent. D. Kohlio Curienſ. Rhæto aliiſque φιλιάτροις, operi per biduum nos accinximus: Remotis integumentis communibus & muſculis abdominis cum peritoneo ſubtenſo, ventris hujus viſcera naturaliter ſatis habebant, niſi quòd ſupernatans epiploon, labem qualemcunque contraxerat: Hepar, lien, pancreas, meſenterium, vaſis gaudebant ſatis conſpicuis, & portæ ramificationes, ſuperiora & inferiora verſus uti & cavæ deſcendentis evidentes erant: in illis nullum κακοθεσίας gravioris indicium apparuit, minus adhuc in ventriculo, inteſtinis vel renibus: inprimis lepidum fuit veſicularum ſeminalium examen, cui eo avidius vacavimus, quo omnem dubitandi anſam circa illarum inſertionem, vehementiùs contendimus eripi: Erant illæ proſtatis proximæ, & cum vaſis ejaculatoriis arctè ſatis connectebantur, inde etiam aëre per hæc injecto, illæ viciſſim implebantur & veſica urodocha; ſeparari quoque poterant, licet communi inſertione in urethram donari, primùm ſimularint: Vaſis quoque elegantibus ad latera colli veſicæ pendentia hæc corpora inſtructa fuerunt, atq; inteſtinula avium optime retulerunt, ceu adſtantes viderunt: Vaſa ejaculatoria, ferè circa ſui terminationem, vaſis ſanguiferis identidem perreptari notavimus, intuſque multi jugâ fibrarum ſerie gaudere. Venter medius ſeparatis muſculis pectori incumbentibus & cartilaginibus coſtarum diſciſſis, ſternoque elevato, pulmones oſtendit purulentos, qui diaphragmati inferiùs, ſuperius ſterno, & ad latera coſtis vehementer erant adnati, ut abſque vi ſeparari non potuerint: In pericardio ichor ſtagnabat modicus, ſubflavus: ſupremus venter meninges oſtendit denſas cranio validè adnatas, quibus abruptis ichor copioſus profluxit; ſuperius ἐγκεφάλου hemiſphærium, flaccidum erat & ex ſero pellucidum: Vaſa quibus ornabatur perquam eleganter ſanguine ſeroſo palleſcente turguerunt: verſus ventriculos & glandulam pinealem cùm pergeremus, ſerum copioſum identidem occurrit, inprimis prope baſin cerebri & cerebellum, quo loci etiam polypum oblongiuſculum extraximus, Glandula pinealis præ flacciditate tota corruerat.

Siquidem miſer hic ab aliquot retrò annis, ſi non â primâ pueritiâ, paralyſi lateris ſiniſtri laboravit, â ſero non ſaltem flacciditatem cerebro, fibriſque medulloſis inducente, ſed præcipue ſui in ventriculis copia & exundatione deinceps, medullam oblongatam hujuſque funes, ex iſta parte magis magiſque comprimente, veriſimile non eſt tuſſim, quæ ultimo infeſtavit, machinam ipſius unice deſtruxiſſe, enimvero accurate omnia perpendentibus, patebit cerebro in prima fere ætate labem inductam fuiſſe, ſanguinemque partium balſamicarum aut volatilium legitimâ copiâ utcunque defraudatum, ſero acri multum ſcatuiſſe, ceu id præter ichoris copiam vaſa cerebri ſanguine tenui ſeroſo turgida commonſtrant, eamque hinc liquori lymphico διάθεσιν non ſuggeſſiſſe, quam ni rodere debeat ſalſitate aut aciditate ſua, vel utroque juncto ſpiſſeſcere, naturaliter deſiderat: pullularunt certè hinc multa ſymptomata, noxa pulmonibus & cerebro præ aliis illata, (quam iſtud, ſi à primo ſtatim ortu laboravit, impedita ſpiritus animalis legitima ſecretione ac generatione, non parum augere potuit) læſa enim inde ipſorum ſtructura, oſculiſque vaſorum, cum veſiculis pneumonicis ab acri paulatim eroſis, reſpiratio difficilis à materiæ extravaſantis aggeſtione & ſuppuratione, aëris libera eaq; neceſſaria expanſione infracta, cum febri lenta, qua corpus emarcuit, confeſtim ſucceſſit, brumæ ſævitia, ultimam, ſi ita loqui fas ſit, manum imponente, fibrillas glandularum ſtringente, ſerique lymphici motum, imò neceſſariam διαφόρησιν magis præpediente, quod dein ſive tenuius acre acidum exudans, ſive viſcidum magis glandularum poros opplens, ſaltem utroque modo fibrillas laryngis bronchiorumque irritans, tuſſi ac diſpnœæ graviori anſam dedit; in meningibus vero, maxime ubi lamellæ cranii coire incipiunt ac pleura, contiguaque pulmonum membrana, copioſa ſui tranſudatione ac exudatione, & ut verbo expediamus, viſciditate ac lenteſcentia, eam denſitatem peperit, & adnaſcentiam, ut difficulter ſeparari potuerint, mirumque eſt, hepar, lienem, decantata ſanguificationis à Vett. organa, pancreas item & meſenterium, huic ſeri κακοθεσίᾳ non potuiſſe mederi, vel proventum ejus impedire, aut ſaltem ab eodem labem non contraxiſſe: Fatemur equidem, ſi diæta fuerit minùs laudabilis, ceu fuiſſe, nobis facile perſuademus, vitium primæ concoctionis in ſecunda emendari commodum non potuiſſe, præcipué verò confirmari inde arbitramur, Recentiorum aſſertum, ſanguinem ipſum ſanguificare, imò pulmones, pabuli ætherei legitima ſecretione, hujuſve cum ſanguine miſcela &c.

(de quibus infrà) actioni iſti haud parum adjumenti præſtare: An polypus circa cerebellum deliteſcens oblongus, compreſſioni fibrarum cerebelli fomentum præbuerit itidem, multùm heic non litigabimus: impedimento ſunt majores, & vaſis præcipuè ſanguiferis incluſi, ſanguinis motui regulari maximopere incommodant: cœterum natalia ſua debet hic ipſe, particulis ſanguinis ramoſis ac viſcidis lenteſcentibus, reliquo cruore ſeroſo tenui per vaſcula venoſa utcunque remeante, ceu Diſſertat. de ſtructur. viſc. par. 8. innuimus. De veſicularum quoque ſeminariarum ſtructura quædam heic addere operæ pretium erit, vel ideò potiſſimum, quod in adultis nondum licuerat illas exactiùs ſub examen revocare, quum Prodr. Phyſiolog. conſcriberemus: diximus autem cit. libr. veſiculas haſce liquorem ſui generis conficere, nobiſque dubium eſſe maximopere, an ab ejaculatoriis quidquam recipiant, nec aſſerti pœnitet experientia, jam in adultioris quoque ætatis hominibus inſtructis, ceu præſens hiſtoria docet, aliorumve quos ab aliquo tempore ſecuimus, præprimis autem Juvenis 30. annorum, cujus veſiculas ſeminarias ab aliis cum quibus connectitur corporibus ſeparatas & præparatas etiamnum in ſp. vin. ſervamus: Qui nobis hoc in negotio contrarius eſt Clar. Regnerus de Graef ac qui hodie ipſum ſequuntur, l. de Virorum organ. ſeq. fatur, ad quæ ſingulatim reſpondere, conſultum fore ducimus, ne cauſa noſtra cadere videamur, vel quid incautiùs contra Viri hujus manes, quos reverenter habemus, ſtatuiſſe: Uſus, inquit, veſicularum ſeminariarum eſt ſemen recipere, & pro futuro coitu ſervare, talis enim modo ſitæ ſunt, ut cùm via in urethram non pateat, neceſſario ſemen à Teſtibus affluens, earum cavitatem ſubire teneatur. E quibus verbis evidens ſatis eſt, ceu etiam paulo ſuperiùs meminit, peculiaria foramina per quæ ejaculatoria ſeſe exonerent in urethram, ipſum negare, viamque aliam quam in dictas veſiculas ipſum non admittere: Miror profecto, ait, Viros egregios in re tam perſpicua adhuc falli poſſe, ſi verbis meis non credant, veniant quæſo ad ædes noſtras, & illis omni tempore luce meridiana clariùs demonſtrabimus, vaſa deferentia cum veſiculis ſeminariis maximum habere commercium, idque non in brutorum modo ſed in virorum diverſorum organis: & paulò inferiùs: Hæc omnia ut clare atq; diſtincte conſpiciantur, aperire debetis anteriorem veſicæ partem cum ipſa urethra, & immittere tubulum in vaſa ſemen deferentia utrinque unum, & videbitis ſtatim, ac in dextri lateris vas ſemen deferens liquorem propellitis, ejuſdem lateris veſiculam diſtendi: Veritatem horum noſmet ipſi confirmare neceſſe habemus, in eo autem diſſentimus adhuc, vaſa ejaculatoria in veſiculas terminari: ſanè cùm in homine peculiari ductu iſtæ non gaudeant, ſed in urethram ſuis orificiis prorſus terminentur, ceu proſtatæ faciunt in quibuſdam animantibus ponè ipſorummet vaſorum deferentium inſertionem, fit facilè, ut aër flatu pulſus illa ſubintret, ac viciſſim impleat, pariter ut veſicam urinariam expanſione ſui identidem impleviſſe diximus: Eam vero communionem partium harum invicem, qua illa ſe in has immediate exonerent nunquam deprehendimus: obſtant quoque rationes ſatis urgentes, glanduloſa viz. veſicularum ſtructura, quam in cervis, (quorum interanea ſuperius ruſpavimus) ceu in plures lobulos diviſa eſſet, & ante triennium circiter in apro majore, beneficentia Generoſiſſimi Dni à Gemmingen, præter meritum affecti, præſentibus D. D. Schoͤkopff & D. D. Lehenherr, eleganter tortuoſam, cum ductibus excretoriis peculiaribus, aliis una demonſtravimus, ut de vaſorum ſanguiferorum nerveorumque multiplici ſerie, & diverſitate liquoris, quem exhibere ſolent, nihil dicamus; Equidem laudatus D. de Graef dubia hæc ſingula adimere ſtudet, ſimulque rationes, pro ſententia ſtabilienda aliquot affert, quæ quid ponderis habeant, tantiſper diſpiciemus: Prima ipſarum eſt petita è tali veſicularum diſpoſitione, ut ſemen per vaſa defluentia affluens, & viam in urethram per carunculam clauſam inveniens, neceſſario debeat redire in earum cavitatem, ibique aſſervari, donec opportuno tempore & loco excernatur: At qui caruncula iſta ſeminis in motu exiſtentis, effluxum impedire poſſit, nondum videmus, nec etiam qui D. de Graëf ſibi omnino ſimilis ſit, ſiquidem hinc concludimus, ipſum infitiari non potuiſſe, vaſa ejaculatoria in urethram terminari, cum carunculæ clauſæ in hac meminerit, quæ ſemen in veſiculas regurgitare faciat: aut num iſtam veſiculis aditare, eque his ſeminis effluxum impedire opinatur? Nos certè negotium iſtud ita concipimus, Vaſa deferentia circa finem ſui eam nacta eſſe ſtructuram, qua ſeminis elaborati portionem idoneam recipere ac ſervare poſſint; ampliantur enim manifeſte, & eleganti fibrarum intus ſerie, (quarum interſtitia an glandulæ viciſſim occupent, Medullam glanduloſam Clar. Warthoni conſtituentes, aliis dijudicandum linquimus) vaſorumq; nitida cohorte extus inſtruuntur, ceu in pluribus animadvertimus, cum multa ſeminis copia, ut hinc morari ſemen valeant, idemq; ſtimulans, re ſic hortante, fibrarum robuſtarum ope expellere, ceu idem faciunt fibrillæ veſiculares liquoris copia, vicinarumque partium pruritu illas vellicante, ut inde carunculas, ſi ubivis adſint, eundem uſum præſtare partibus hiſce autumemus, quem proſtatarum canibus, viz. ne ſemen vel liquor veſicularum præter voluntatem effluat: 2da ſubſtantiam membranearum veſicularum, nullis glandulis viſibilibus, ductibus aut aliis inſtrumentis ſeminis generationi idoneis inſtructam pro fundamento habet: Verùm ſepoſitis jam quæ cùm Prodr. Phyſiol. ex Celeberr. Weſperi noſtraque autopſia, tum heic rurſum de veſiculis cervinis maxime, & aprillis candide diximus, id modo ex laudatiſſimi hujus Viri, cui vitam longævam animitus cupiiſſemus, Aſſeclis ſcire deſideramus, ecqui Vaſorum lymphicorum ramificationes, per membranam ipſarum excurrere ſtatuere potuerit: cùm lympham iſta revehant ab ipſis ſecretam: qui autem iſto officio functæ ſunt veſiculæ glandulis viſibilibus deſtitutæ? ut prorſus nobiſcum ſentire debeant, glandularum ita viſibilem, ut vulgo contendunt, cohortem pro ſécernendo qualicunque liquore non requiri, maleque argumentari eos, nec partium membranearum ſtructuram æque bene concipere, qui ubi illas non confeſtim datur conſpicere, negant partem ſtructuræ, configurationiſque pororum ope ſecretionis vacare poſſe, ipſis glandulis

aliter

aliter ferè munere ſuo non fungentibus: Ad liquorum diverſitatem in vaſis ejaculatoriis & veſiculis contentorum, quam ceu præcipuam urgemus, inquit nihil hinc concludi poſſe, cùm facile fiat, ut in illa mora color vel conſiſtentia ſeminis parum immutentur; At non levis eſt iſta immutatio, ſi conſiſtentiam, cæteraque accidentia conſideramus, vid. ſis cit. Prodr. Phyſiol. cap. de ſem. mar. foretque mora iſta ex hoc ratiocinio ſemini nociva magis quàm utilis, utpote ad cujus elaborationem & confectionem tam induſtriâ vaſorum partiumve ſtructurâ natura ideo prius ſe compoſuit, ut nihil omnino deeſſet ejus, quod ad fœcunditatem ipſi conciliandam deeſſet: Dubium etiam eſt quam maximè, an ſola mora liquorem craſſiuſculum albidum, in ſuis cavernulis naturaliter contentum in ſeroſum, tenuem &c. pervertere poſſit? quæ utique ſingula anſam nobis non immeritò dederunt, inprimis verò ductus veſicularum peculiares in animantibus brutis, ſecus quam laudat. Vir contendit, ut ab ejus ſententia receſſerimus, olim, ac etiamnum recedamus heic, Veritatem ἀυτοψίᾳ ulteriùs pro viribus perſcrutari. *Joh. Jacob. Harderus in obſervationib. Anatomico-Practicis.*

Paralyſis à Bile degenere undique aggeſtâ.

Vir ſexaginta annorum, temperaturæ calidæ ac ſiccæ, in quâ bilioſus ſuccus primas tenebat; vini potandi deliciis non parum indulgebat, imo in pudendam debacchationem nunquam non pronus, ſolidæ alimoniæ faſtidioſè parcebat, ſicque in tabem in dies magis ac magis inclinabat; cùm ſubitò corporis univerſus habitus citrino colore defædatus, terruit familiares, ac identidem vires jam fractæ, prorſus titubarunt, ſomnus deſideratus eſt fruſtra, ad vomitum irrita invaluit propenſio, ac colicus, dolor non atrox quidem, ſed continuus, prehendit. Hiſce omnibus adjectus eſt manuum & brachiorum tremor, ac tandem totalis impotentia, quæ ad pedes & tibias etiam devoluta eſt. Pauca adhibita fuere remedia in caſu deſperatiſſimo. Mortui verò cadaver apertum eſt, in cujus imi ventris viſceribus nulla alia labes, quàm quod pancreas univerſali ac obfirmato induruerat ſcirrho. Bilis autem non tantùm degener, ſed etiam prorſus devia viſa eſt: nam ipſe etiam qui in pericardio reperitur humor, naturaliter ſubflavus, ſaturatiori bilis tinctura infectus fuit. Ventriculi corpus ſuis plicis intus quidem naturale, inteſtino colo vix erat majus, ſeu magis quoad circumferentiam expanſum, ac à cardiâ ad pylorum ſibi ubique ferè idem. In plicis hærebat implicata bilis, lenta, ſpiſſa, vitellina, eaque omnino ſolitaria, citra cibi, potus, aut chyli reliquias ullas ejuſdem ſucci ferax erat cyſtis fellea: bilis etenim atra, ſpiſſa, viſcida, eam replebat. Ex quibus omnibus facile colligere eſt, juxta ſententiam Clariſſ. De le Boë Sylvii, bilem, fermentatione per liquores vinoſos inductâ, ita evectam fuiſſe, ut in totum corpus & viſcera effuſa in ipſum tandem cerebrum irreperit, an à nervis inbibita. torporem in ſpiritus induxerit; qua ratione videmus, particulas opii, non multùm à bilis degeneris particulis diſpares, ſpiritus animales veluti colligare, unde ſopor enaſcitur; imò aliquando cùm earum doſis largior fuerit, (ſpiritibus, colligatione ſua, ac ad malum pro tempore impotentia, tandem irritatis, & è compedibus ſuis magna vi exilientibus) maximæ in motibus perturbationes, imò convulſiones lethales, ſæpius oriuntur.

PARAPHRENITIS
Vid.
PHRENITIS

PARAPHYMOSIS
Vid.
PENIS MORBI.

PARAPLEGIA
Vid.
PARALYSIS.

PARACYNANCHE
Vid.
ANGINA.

PARODONTIS.

SOlent interdum juxta dentes (inquit Aurel. Cornel. Celſus de Re Medicâ lib. 6. cap. 13.) in gingivis tubercula quædam, oriri dolentia, παροδοντίδας Græci appellant. Hæc initio leniter ſale contrito perfricare oportet, aut inter ſe mixtis, ſale foſſili, combuſto cupreſſo, nepeta; deinde eluere os cremore lenticulæ, & inter hæc hiare, donec pituitæ ſatis profluat. In majore verò inflammatione iiſdem medicamentis utendum eſt quæ ad ulcera oris ſuprà poſita ſunt: & mollis linamenti paulum involvendum aliqua compoſitione ex iis quas antheras vocari dixi, demittendumque id inter dentem & gingivam. Quòd ſi durior erit, & id prohibebit extrinſecus admovendus erit ſpongiæ vapor calidus, imponendumque ceratum: ſi ſuppuratio ſe oſtendit, diutiùs eo vapore utendum erit, & continendum ore calidum mulſum, in quo ficus decocta ſit: itemque ſubcrudum incidendum, ne ſi diutius ibi pus permanſerit, os lædat. Quòd ſi major hic tumor eſt, commodiùs totus exciditur, ſic ut ex utraque parte dens liberetur. Pure exempto, ſi levis plaga eſt, ſatis eſt ore calidam aquam continere, & extrinſecùs fovere eodem vapore: ſi major eſt, lenticulæ cremore: uti iiſdem medicamentis quibus cætera oris ulcera curantur. Ex his patet apud Celſum morbum hunc Parodontidis nomine venire, nam idem habent editiones hujus Autoris accuratiores, Oporiniana videlicet Baſileæ Ann. 1552. confecta: ut & alia ab Henrico Stephano Ann. 1567. evulgata Miror autem quid cauſæ fuerit cur Gulielmus Pontinus, in Notis ad Operinianam editionem ſcripſit, legendum ex Ægineta παρυλίδας, quia nullum eſt vitium quod græcè παροδοντὶς appelletur: ſiquidem præterquam quòd ſic legere potuit Celſus in Codicibus græcis qui ſuo tempore exſtabant, quique in prædicti Pantini manus non venere; quis non videt legitimam eſſe vocis ethymologiam

Paronychia ſpuria in tertio medii digiti articulo conſiſtens, ipſius rigiditatem, quæ tamen curatur, inducit.

Matrona quædam, quæ ante aliquot menſes nupſerat viro, incidit in dolores tertii articuli medii ipſius digiti intenſiſſimos intolerabileſque. advocatus chirurgus, emplaſtrum ſtatim, neſcio quale, nigrum adhibuit, hinc malum exacerbatum, majorque accita inflammatio, accerſitus ego, paronychiam, & quidem ſpuriam, quæ *cëck* a noſtratibus dicitur, ex ſignis eſſe collegi, emplaſtrumque abjeci: repellentia apponere, quoniam materiæ perſentiebatur pulſatio, haud tutum eſſe judicavi. Decoctum malvarum cum paronychia herba pro fomentatione, uſquequo cataplaſma, quale obſervatione 1. præſcriptum, confectum, quod digito applico, manumque unguento albo duplicata camphora inungo, ac ſupra carpum acetum roſatum ſucco ſedi majoris permiſtum linteis madefactis appono: alia die dolores intenſiores redduntur, in adhibitione eorum tamen remediorum perſiſto, quoniam intentioni, ſuppurationi quippe, ſatisfaciebant: quarta, ut ante meum adventum, manum prædicto decocto, cui additi flores chamomill. fomentet præcipio, ſectionemque eadem die ipſa conſentiente adminiſtro. Phlebotomiam, purgationemque ob ingravidationis metum imperare, quamvis utiliſſima fuiſſent medicamenta, nolui. effluit pus ſatis bene concoctum. quare ab ulteriori uſu cataplaſmatis abſtineo, digeſtivum obſervat. 1. præſcriptum cum emplaſtro diachyla appono. Interim metacarpium ob materiæ copioſam affluxionem non modò intumeſcit, verùm & inſigniter inflammatur. admoveo medullam panis ſpongioſi in aqua roſarum maceratam, inflammatio ceſſavit, copioſum evacuatur pus, & quidem non abſque dolore ad decimum uſque diem, ubi, adhibitis mundificantibus, abſtergentibus, incarnantibus, epuloticiſque prædictis, viginti dierum ſpatio curatur. Verùm digitus permanſit rigidus. ea propter ſequentia præſcribo.

♃. Radic. Altheæ ℥ß. Conſol. major ʒvi. Semin. lini Fœnigræc. an. ʒiii. Herbar. Marvæ Althææ an. M. i. flor. chamom. Melilot. an. M. ſ. Incis. & contus. bull. in ſ. q. cerev. præmiſſo balneo ſequenti utebatur linimento.

♃. Unguent. dialth. Aragon. Martiat. an. ʒiß. Ol. Reodini. Lumbricor. an. ʒiß. Axung. human. ʒi. Miſce pro linim. quibus adhibitis intra menſem à paronychia curata eſt & à rigiditate liberata.

Ancilla reſpuens in paronychia ſectionem miſere affligitur.

Ancilla quædam circa extremitatem medii digiti paronychia vexata, ipſum aquæ ebullienti impoſuit, unde inflammatio, attractio, inſigniorque dolor inſequutus deinde vetulam quandam medicaſtricem, quæ acu tumorem perforat, medicamentumque ex aqua & pane triticeo applicare jubet, conſulit: dolores nihilominus augentur, inquietudines vigiliæque continuæ, nec non totius brachii oboirtur inflammatio. me tandem accedit, meamque operam expetit. Ego invitus illam curandam ſuſcipio, qualiſque metuendus eſſet eventus, patefacio, ſuadeoque, pauca quoniam puris quantitas per exiguam illam puncturam effluebat, ut digito fimum vaccinum applicet. repercutientia adminiſtrare, quoniam ex punctura facta materia tendebat ad ſuppurationem, nolui, ac à carpo ad cubitum uſque lintea vino tepido imbuta, apponere jubeo, unguentoque nutrito totam manum inungo. Dolores ſecundùm mentem ejus nihil remittebant. quare cum importunitate (præ doloribus tamen) me circa veſperam compellat, ut ſæviſſimos illos cruciatus è veſtigio auferrem, poſtulat: Ego in mea haud eſſe poteſtate tam brevi tempore affectum illum contumaciſſimum curare, doloreſque atrociſſimos ſopire, affirmo, ac ut craſtinum expectaret diem, in quo vena ſecanda, peto, ſequentiaque applicanda ordino.

♃. Flor. chamomill. Melilot. an. Pii. Summit. hyperic. Ivæ arthet. an. M. ſ. Violar. Hyoſquiam. an. m. i. Incis. bull. in ſ. q. cerevis.

♃. Pulv. radic. althææ. Conſol. major. an. ℥iiß. Farin. Semin. lini. Fœnigræci an. ʒiii. Herbar. Malvæ. Hyoſquiam. an. m. i. Florum Chamom. Melilot. Ivæ arthet. an. p. ii. Paronychiæ m. i. Farin. triticeæ ℥iß. Hordei. ℥i. Incis. & cont. bull. in ſ. q. aq. comm. ad catapl. conſiſt. in fine add. Boli Armenæ ʒiii. Ol. roſat. lumbricat. ℥iß. Lilior. albor. ʒvi. Vitell. ov. n. i. Miſce pro cataplas. dolor his adhibitis nihilominus augetur ob collectionem affluxionemque materiæ, quæ jam in pus vertebatur. Dum pus enim fit, ſecundùm Hipp. 2. Aphor. 47. dolores fiunt ac febres magis confecto. Manè me accedens, ſe totam noctem inſomnem duxiſſe cum maximis aſſerebat cruciatibus. inſtanterque, ut dolorem abigerem, petebat. Propono itaque phlebotomiam, quam reſpuebat, offero ſectionem, ejuſque commodum extollo, nullo modo ſe illam admiſſuram conſtanter affirmabat. Quid agendum eſſet, haud videbam: ad narcotica confugere, non fuit mihi ob periculum, animus. interea mulierem quandam auxilium præſtantiſſimum ad affectus tales curandos habere, referebat. Lætus ego, ut illius ope uteretur, meaque auxilia intentata relinqueret, ſuadeo, mihique excellentius remedium nullum præter ſectionem eſſe, affirmo, quam tamen (quamvis panacea unicumque aſylum chirurgorum in hoc eſt affectu, amara namque bilis amaris eſt pharmacis proluenda) præ mollitie plerumque noſtri, noſtri inquam Germani, ut & uſtiones rejiciunt, ſicque propriæ ſalutis deſertores exiſtunt, dum ſcilicet in principio omnem medendi procraſtinant occaſionem, nec, priuſquam morbus in medullam obriguerit, ſuccurrunt, unde ex parva ſæpe ſcintilla neglecta, magnum non rarò imò maximum accerſunt incendium. Tali modo ego patiente illa liberatus, illa verò intenſiſſimis affecta per multas ſeptimanas cruciatibus. quarto namque menſe digitum infaſciatum geſtare eam vidi, nec remedium antea prædicatum præſtantiſſimum, tunc temporis quicquam præſtare potuit.

Sic & inveniuntur non pauci, qui medicamenta ſaluberrima, & ut verius dicam, divina, à clariſſimis celeberrimiſque tum medicis tum chirurgis uſu, exercitatione & experientia longa comprobata, & in magno ac vaſto medendi pelago à Galeno, Hippocrate, aliiſque promulgata contemnunt, ſua autem è contrario, ſi quæ habeant medicamenta, tanquam fœtum admirandum, in tantum evehunt, extollunt, prædicant, ac neſcio quo nominis adornant titulo, vulgoque mendaciis ſuis ſplendidis egregieque comptis, & adornatis imponunt. qualia autem illorum ſint remedia, eventus non rarò in eheu converſus patefacit.

Ancilla in paronychia ſectionem admittens, breviter & feliciter curatur.

Ancilla quædam in extremitate annularis per aliquot dies de doloribus lamentata intolerabilibus, me acceſſit, paronychiam eſſe, meque nullum excellentius, præter ſectionem, ſcire remedium prædixi. Ancillas namque paronychia affectas ſuſcipere omnium in chirurgia curationum ferè eſt difficillima, periculoſiſſimaque, quoniam à dominis ad labores inſtigantur, quos ſi perficere nequeunt, torvo vultu ab iis aſpiciuntur, &, quamvis chirurgus omnem ſuam operam impendit, in fine tamen ingratitudo vituperiumque pro honorario perſolvitur. Aſſenſum præter exſpectationem præbet: quare ſectionem ad os uſque ſecundùm longitudinem molior, ſanguineque effluxo copioſo digeſtivum obſervat. I. traditum cum emplaſtro diachylo ad decem uſque dies adhibeo, totamque manum & carpum unguento populeonis & infrigidantis Gall. permiſto bolo inungo, tum mundificantia, deinde ſarcotica, ultimoque epulotica impono. Nam, ubi ſectio adhibetur, ipſius cura vix à vulneris, niſi in majori digeſtione, mundificatione abſterſioneque conſiſtit. Carnem verò illam, quæ excreverat, partemque unguis occuparat, alumine uſto pulveriſato inſperſo, emplaſtroque diapompholygos admoto eradicavi. Atque taliter ancilla hæc, in omnibus morem gerens, breviter abſque oſſis deperditione digitique rigiditate convaluit.

Paronychiam exorciſta morte curat.

Ruſticus obeſo cacochymicoque corpore, cum paronychia in medii digiti apice afficeretur, exorciſtam adiit: Hic conjurare incipit, chartamq; cui ſequentia inſcripta erant, vinculo firmiter circumligat. † *ut* † *Credis* † *ita* † *Tibi* † *Eueniat* † ac trium dierum ſpatio, ne diſligaret, præcipit, vermemque tum ſub charta conſpicuum futurum aſſerit. Ruſticus quamvis maximis obruitur interea doloribus, vigiliis continuis, inquietudinibuſque, non tamen ſchedulam auſert, verum ea, qua poteſt animi conſtantia perfert, tertia die faſciis ſepoſitis, apex digiti nigricans omni privatus ſenſu conſpicitur, nec non digitus ex toto inflammatus cum dolore ad axillas uſque protenſo, ad vicinam tandem confugit civitatem, chirurgumque conſulit, qui gangrænam animadvertens inflammationemque inſignem, appropriatiſſima quidem, ſed fruſtra, adhibet remedia, circa veſperã totam manum gangræna invaſerat, quæ alterius diei manè ad cubitum uſque extendebatur; quarta die ſub noctem, ſupervenientibus convulſionibus, exſtinguitur.

Ex paronychia, indicis articulum medium occupante, ſæviſſima ſymptomata.

Anus quædam lotrix, cum circa medium indicis articulum dolores rodentes ac quodammodo repentes perſentiret, vermem ineſſe vivum opinabatur. Vetularum more varia tentavit remedia, ad ſignaturas tandem & benectiones (*ſegnen* ut vocant) devenit. Hæc cùm non prodeſſent, ab aliis, quoniam paupercula erat, doloreſque indies majores, vigiliæ continuæ necnon febris deliquiaque evadebant vehementiora, ut curam ejus ſuſciperem, rogatus, miſericordia commotus, ſequens prognoſtico præmiſſo rigoroſo, cataplaſma ipſi digito, extremitate excepta, adhibeo.

♃. Galiopſis, quæ & urtica mortua & fœtida, ab aliis lamium appellatur. M. i. Paronychiæ recent. Fol. ſambuc. recent. an. M. i. Rutæ. M. S. Radic. lil. alb. recent. ℥iß. Bryoniæ ℥i. Flor. violar. Verbaſci. an. P. ii. Farin. ſemin. lini. ℥ß. Tritic. ℥i. Incis & cont. bull. in ſ. q. aq. comm. ad catapl. conſiſt. add. Ol. chamomill. Lilior. alb. an. ℥i. Roſat, cum ſucco ſolan. ʒvi. Vitell. ov. N. i. Miſce.

Manum totam, ad cubitum ferè uſque ſequenti linimento ob inſignem affluxum materiæ inflammationemque inungo.

♃. Unguent. Populei. Infrigid. gal. an. ʒiii. Succi ſedi major. ℥ß. Boli Armen. ʒii. Acet. roſat. ʒii. Miſce. apici verò appono repercuſſivum ex aceto roſato ſucco hypociſt. permiſto dolor non mitigatur, tumor augetur, necdum ſectionem admittit, duodecima die erumpit vomica, pus fœtidiſſimum excernitur, ulcuſque evadit eſthiomenum, ſequens adhibeo.

♃. Terebint. lotæ. ʒii. Mellis. roſat. Syr ex roſis ſuc. an. ʒii. Ungut. Ægyptiac. ʒi. Camphor. g. iv. Succi Scordii. ʒiß. Vel ejus loco pulv. ℈iß. Miſce.

Hoc medicamento ulceris malignitatem domui, dolores in profundo nihilominus permanſerunt, inſigniſque carnis excreſcentia oborta, doloroſa, ſpongioſa, ac laxa cum ſanie graveolenta & aquoſa; hinc conjeci, oſſis infectam ſubſtantiam, quare totus, quò leniter hyperſarcoſis iſta, caroq; os tegens, ne novum inducerem dolorem, inflamationemque, admiretur. in id incubui, oſſiculoque nigricante conſpicuo hunc pulverem admovi.

♃. Radic. Peucedan. Jreos. an. ℈iß. Pulv. lumbricor. terr. ℈i. Cortic thuris ℈ß. Euphorbii. g. v. i. Miſce fiat pulv. ſubtilis.

Ulcus nullo modo ad cicatriſationem, antequam os deſquamatum, perducere potui. Septuageſimo tandem die natura oſſis portiunculam protruſit, qua emiſſa digitus intumefactus, inflammatus, doloreſque denuo à ſecundo articulo, anteriore digiti intentato relicto, carpum verſus & ultra in interiori duntaxat oboriuntur parte, filamentum quoddam craſ-

ſum

ſum ipſi ulceri nigricans ineſſe conſpicio, volſella arripio, tendinis que exſiccati & quaſi in fumo areſecti ſeptem digitorum tranſverſorum latitudine extraho partem. Ipſa ea re viſa, vermem illum tot dolorum foutem fuiſſe, exclamat. His excretis ſigillatur ulcus, motus verò ob tendonem deperditum flexivus toti digito adimitur, nihilominus tamen, adducebatur, abducebatur & extendebatur, ſive elevabatur. ac, quamvis varia poſt curationem pro recuperatione motus flexivi adhibuerit medicamenta, fruſtra fuit. De privatione enim ad habitum (ut loquuntur Phyſici) non datur regreſſus.

Adoleſcens à paronychia decem dierum ſpatio liberatur.

Adoleſcens corporis habitu ſanguineo de doloribus auricularis digiti circa ejus extremitatem conquerebatur, prima invaſionis die manè, ubi titillationem & levem quendam pruritum perſentit, me accedit. paronychiæ principium animadverti, ſtatim venæ ſectionem, & quidem in oppoſito latere baſilicæ præſcripſi, ſequenſque repercuſſivum digito, ac ſupra cubitum intercipiens adhibui.

♃. Succi Portulac. Sedi major. an. ℥iii. Lactuc. Solani. an. ℥ii. Succi acaciæ inſpiſſat. & in ſ. q. acet. roſat. diſſol. ℈iv. Sperniol. Croll. ℈ß. Opii g. v. i. Farin. hordei q. ſ. ad cataplaſm. conſiſt.

♃. Boli Armenæ. ℥ii. Pulv. fol. myrti. Malicorii. Balauſt. an. ℈iv. Farin. molend. ℥iv. Acet. roſat. ℥iii. Alb. ov. conq. ℥ß. vel. q. ſ. ad catapl. conſiſt.

Secunda die eadem appoſui, purganſque propinavi, dolores paulatim remiſerunt, attamen ſub cute exiguum quoddam tuberculum, quod quinta inciſum, obortum, convenientia deinde adhibendo, abſque ullo incommodo decima die priſtinam ſanitatem eſt adeptus.

Paronychiam in principio neglectam inſequitur oſſis caries, necnon deſquamatio.

Matrona quædam honeſtiſſima in manus tam dextræ, quàm ſiniſtræ pollicis extremitate, cruciatus perſentit, dexter tendit ad ſuppurationem, facillimeque curatur, in ſiniſtro verò pollice fixiores validioreſque excitantur dolores. quapropter medicaſtricem quantum conſulit: hæc acu perforat, unde crudam conſulit ... hæc acu perforat, unde crudam exacerbantur, deliquia, vigiliæ obociatus exacerbantur, deliquia, vigiliæ oboriuntur continuæ. per tres namque ſeptimanas ſingulas ferme noctes traduxerat inſomnes, tandem ego acceſſitus, paronychiam eſſe, doloreſque ob neglectum principium indies evaſuros intenſiores, aſſerui, exiguum verò illud ulcus acu factum, aliquid emittebat ſaniei, inſuper caruncula excreverat, ſectionem foraminiſque amplificationem ſummè neceſſariam, & ad minimum vel os, vel unà cum ipſo extremitatem ſeu extremam articulationem periculum minari, pronunciavi, & ut, ſi tale quid contingeret, id mea culpa haud evenire agnoſcerent, ea die ſectionem admittere noluit. quare ſequens præſcribo.

♃. Terebinth. Venet. lotæ in aqua malv. ℥vi. Vitell. ov. numero 1. Ol. roſat. lumb. ℥ß. Pulv. ſemin. lini. ℥iiiß. Myrrhæ. Thuris an. ℈iß. Boli armen. ℥iß. Redigant. & incorp. ſimul, fiatque unguentum. quod linteis illitis toti pollici, quò materia redderetur ſuppurationi obedientior, adhibeo, interea & aliquid foramini inſtillo, altera die ſectionem, quam ad os uſque ſcalpello inſtituo, admittit, deinde balſamo meo hyperici tepido, quo quamplurimos ab eo feliciter curavi tempore, filamenta inungo, effluxo prius ſanguine & pure emplaſtrum ex curcuma appono, totamque manum unguento nutrito inungo, linteoliſque vino madefactis carpum cubito tenus tego. dolores nunc remittunt, nunc augentur, interea annularis apex ſæviſſimis cruciatibus afficitur, illum ovo putrido ut immittat, ſuadeo, & depellitur. Eſchara vulneri aut potius ulceri inhæret tenaciſſima, quare unguentum dialthææ impono, quam decimo octavo aufero. ablata illa, fovea cavitaſque conſpicitur inſignis, è qua pus fœtidum evacuabatur: conjecturavi, os affectum, balſamum denuo Hyperici cum emplaſtro diapalmæ adhibeo, pollicemque ſpleniis albo cocto emplaſtro illitis infaſcio, manumque unguento albo camphorato illino, ac, ut à frigore perquam bene ipſum muniat, hortor. Frigidum namque ſecundùm Hipp. 5. Aphot. 20. ulceribus &c. inimicum dolores de die in diem aliquantulum mitigantur, cavitas carne, attamen non ſuperflua, impletur, ſanies nihilominus ichoroſa, tenuis, aquoſa à carie oſſis profecta effluit, nil præter emplaſtrum diapompholygos adhibeo, fomentationem ex malva & floribus camomillæ ordino, trigeſima die circa unguis partem ſinus quidam, quo compreſſo, materia manabat, percipitur, metui ibidem oſſiculi portionem latere, ſectionem, at fruſtra, urgebam tandem trigeſima ſeptimana die oſſis pars excreta, ulcuſque adhibito emplaſtro albo cocto abſque pterygio & abſceſſu unguis conſolidatum. Rigiditas relicta balneo ex ſalvia, roſmarino, amaraco, malva, floribus chamomillæ & meliloti facto. & inunctione balſami Hyperici curata, ſtrictiſſimiſque nec non arctiſſimis faſciis anterior pollicis articulus alioquin tumidus, ſatis ſuperque coarctatus.

Paronychia in medii digiti apice feliciter curata.

Frater meus Guilhelmus Glandorp, cum Galliam peragraret, chirurgumque apud Mons. du champlain Capitaneum Pariſien ageret, famulum ipſius anno 1620. 26. Julii paronychia laborantem ſub cura habuit. Hic ubi fortè cum ſuo domino ſilvas turtures & columbas capiendi gratia ingreſſus, domum poſtea reverſus, dolor ſtatim in extremo digiti, quæ ab eo neglectus obortus, ſequenti intenſior redditus eſt. Frater tum temporis ejus loci chirurgus, curationem ſequenti modo inſtituit. Primo quidem ſecundùm methodum clariſſ. Fabric. Hildani obſerv. cent. 1. obſ. 37. digitum lacte vaccino, in quo flores meliloti, chamomeli, ſemen lini, fœnigræci & cydoniorum cum radicibus althææ incocti erant, aliquoties fomentavit, deinde ſuperficiem cutis paulatim diſſecuit, qua ablata, rubicundæ nonnullæ conſpectæ maculæ, quibus inciſis una aut altera guttula aquæ emanavit citrinæ: cùm verò materia copio-

ſior profundiùs & altiùs poſita, ad os uſque cultello vulnus incidit, maximaque copia puris altera die bene cocti effluxit, ſtatim linteum in aqua vitæ theriaca permiſta, madefactum applicuit, deinde folia braſſicæ (quæ Galli vocant de chous) ſequenti decocto imbuta, & ex illis tentas factas vulneri immiſit, ſuperimpoſuit.

℞. Rad. apii. ℥ß. Mellis optim. ℥i Vini alb. generoſ. ℔ß. Coquantur ſimul, donec mel ſit deſpumatum, ac tertia pars conſumta poſtea ſumantur folia braſſicæ, ac carbonibus ſuperimponantur, ſtatimque ne comburantur, amoveantur. inde enim molliores & humidiores quodammodo, & quò decocto facilius & commodiùs immergi poſſint, redduntur: Hocque medicamentum (ut frater refert) chirurgorum in Galliis primariorum ſecretorum omnium eſt ſecretiſſimum. Manui verò & carpo defenſivum ex oleo roſato, bolo Armena, & albumine ovi, cum ſtupa cannabina appoſuit, digitumque affectum oleo roſato indies inunxit, paulatim vulnus, adhibitis ſarcoticis, incarnari cœpit: ad inducendam cicatricem, unguentum aureum impoſuit, & diaponpholygos applicuit: atque ita, divina favente gratia, quam breviſſimè feliciterque curam abſolvit.

Alium, cùm in Americæ regionibus chirurgiam exerceret, paronychia affectum ſub cura habuit, quem eodem modo, quo Hildanus loco ſupra citato, nobiliſſimam dominam de monte, matronam honeſtiſſimam curavit, ad dolorum verò ſedationem ſequens adhibuit.

℞. Fol. Hyos quiam. Cicutæ. Mandrag. ſub cinerib. cal. coct. an. Mi. Ol. roſat. Butyr. recent. & ſal. expert. an. q. ſ. Ex his omnibus contritis fiat linimentum. atque tali modo ſeptem dierum ſpatio curæ finem impoſuit.

Paronychiam furca aliaque ſæviſſima tubercula & ſymptomata inſequuntur.

Adoleſcens corporis habitu cacochymico 25. annorum circiter dolore circa apicem pollicis vexabatur acutiſſimo, per aliquot dies, neſcio quibus uſus medicamentis, medicaſtricem tandem accedit, quæ novacula calloſam cutis aufert partem, & interim ut applicet micam panis triticeam in aqua fluviali maceratam & lacte deinde coctam ad pulticulæ conſiſtentiam, ſuadet: at fruſtra, meæ tandem ſe curæ ſubjicit, verùm quamvis illubenter illum ob affectus hujus atrocitatem periculumque, principium quoniam neglectum, ſuſcipiebam, tamen ob familiaritatem, quæ mihi cum ipſius erat domino, intermittere haud potui. præſcribo itaque ſequens cataplaſma, quia inflammatio inſignis, dolores & inquietudines aderant intolerabiles, ita ut nec noctu nec diu ſomnium caperet.

℞. Paronychiæ recent. M i. Pulveris radic. althææ. Conſol. major. an. ʒiii. Semin. lini. Fœnigræc. an. ʒii. Flor. chamomill. Unguium roſar. rub. an. p. i. Solani. Sedi majoris an. p. iii. Farin. triti. ℥iß. Bull. ſimul. l. a. in. ſ. q. aq. comm. ad catap. conſiſt. in fine add. Ol. roſat. lumbricat. ℥i. Lilior. albor. Unguen. dialth. an. ℥ß. Vitell. ov. N. 1. Camphoræ ℈ß. Miſce.

Hoc idipſum tepide toti pollici applico, & per biduum tertio, quoniam inſignis, quæ comitabatur inflammatio, dieſque caniculares, cataplaſma exſiccabat, renovo. Die tertio, materiam ſub cute pulſantem percipio. quare ipſo haud animadvertente & ex improviſo ſectionem ad os uſque quoniam materia profunda, inſtituo: ſanguinis aliquot guttulæ cum puris exigua quantitate evacuantur, filamentis digeſtivum obſerv. 1. præſcriptum, cum emplaſtro ex curcucuma in ſpeculo meo chirurgorum obſervat. 19. propoſitum, impono, ac ſupra carpum ad cubitum uſque, quod ſequitur adhibeo defenſivum.

℞. Boli Armenæ ʒii. Succi plantag. Sedi major. an. ℥ß Pulv. Balauſt. ʒiß Gallarum. ℈iii. Roſar. ℈ii. Farin. volatil. ʒvi. Pulveris. rad. ireos. Sandal. rub. an. ℈ii. Acet. roſat. opt. ℥. ſ. Album. ov. conq. q. ſ. fiat maſſa.

Tumor fit auctior, materiæque ob inſignem cacochymiam major affluxio, intra pollicem & indicem furca oboritur, idem admoveo cataplaſma. Illam ei quinto die aperio, dolor indies augmentum capit, totaque manus ad cubitum fere uſque liveſcit, gangrænamque minatur. E veſtigio itaque ſequens pro corroboratione, partiumq; confortatione, cataplaſma ordino.

℞. Unguium roſar. rub. Paronych. recent. an. M. i. Pollin. flor. chamomill. Melilot. Summ. hyperic. an. P. ii. Salviæ. Menthæ. Abſinth. Abroton. an. P. i. Scordii. noſt. Ivæ arthet. an. P. ii. Alliariæ. Plantag. ſicc. an. M. ſ. Pulveris. radic. ireos. ʒii. Farin. amygd. dul. non ranc. ℥ii. Lupinor. Lolii an. ʒvi. Inciſ. contus. & cribell. quam ſubtil. bull. l. a. in ſ. q. aq. comm. ad catap. conſiſt. in fine add. Ol. roſati lumbricat. ℥iß. Amygd. dulc. ℥i. Vitell. ov. N. ii. Miſce pro catapl. quid circa veſperam diei ſextæ admoveo, ſeptima quoniam lipothymiæ oboriebantur frequentes rigoreſque, in principio venæ ſectio neglecta, ſudoriferum, quo venenoſa materia à centro ad circumferentiam corporis depelleretur, propino.

℞. Diaſcord. Fracaſt. abſque Galban. ʒi. Syr. ex Galega compoſiti ʒiii. Extract. ligni. ſanct. g. xv. Spiritus vini ex infuſ. ligni ſancti ʒii. Aq. Card. bened. ℥iß. Spiritus Vitriol. g. iv. Miſce.

Sudor evocatus copioſiſſimus, octava eiſdem topicis utor medicamentis, nona in parte pollicis muſculoſa tuberculum enatum, quo ſecto, pus evacuatum copioſum fœtidiſſimum, nec non decima in metacarpii ſuperiori parte circa os, quod medio digito ſubſternitur, ſimilis oboritur tumor, quo aperto, & copioſiſſima ſimiliter purulenta evacuatur materia. Sectio verò adminiſtrata in pollicis apice perquam bene ſeſe gerebat, optimeque mundificabatur plaga illa. cùm verò materiam maligniorem contumacioremque, quàm in aliis ineſſe tumoribus animadverterem, ipſi mundificativum digeſtivumque hoc tentis illitis impono.

℞. Terebin. lot. in aqua ſcord. ʒvi. Syr. ex ſucco Nicotian. Ex apio an. ʒiij. Pulv. ſcordii ʒi. Unguent. dialth. ʒiii. Ægyptiac. ʒi. Balſami mei Hyperic. ʒii. Croci. g. vi. Miſce. Duodecima purgans exhibeo.

℞. Ex-

℞. Extract. Diacarth. ℈iii. Pulv. Mechoac. Cremor. tartari an ℈j. Syr. roſat. ſol. ℥ß. Spiritus vitriol. g. iij. Aquæ veronic. ℥iß Miſce.

Ex cujus uſu ſepties alvum depoſuit, ac manui à carpo ad cubitum uſque vino rubro Gallico, in quo flores chamomill. mell. melilot. & roſæ rubræ coctæ, lintea imbuta applico. Interea nunc mitiores, nunc graviores exiſtunt dolores, ac in ipſo carpo decima ſexta die tria alia exſurgunt tubercula, quæ & ſectione per longum, ne tendones læderentur, facta, aperio, tentamque ſupraſcripto digeſtivo, cum emplaſtro ex curcuma, pollicis vero apici quoniam mundificata plaga incarnativum cum emplaſtro diapalmæ adhibeo. Magna interea ex tribus illis in carpo & uno ex metacarpio ulcere effluit materiæ purulentæ copia quotidie, præſcriptis ad vigeſimum quartum uſque diem inſiſto medicinis, faſciamque circa cubitum incipientem, ad raſcetta vergentem, quò melius materia poſſet evacuari, adminiſtro. vigeſima quinta brachium è cubito ad brachiale uſque intumeſcit indureſcitque, ac quam plurimis in locis ſuppurationem die in diem notabiliorem minatur. ſuccurro, ſequenſque emplaſtrum appono.

℞. Empl. Diachyl. cum gumm. vigo. De melilot. an. ℥j. Gummi ammon. diſſol. ℥ij. Cum ſ. q. ceræ & ol. lilior. alb. exig. q. fiat maſſa.

Vigeſima octava ſectionem prope cubitum ferè molior, ubi ſupra modum tumor erat auctus, incredibilis materiæ purulentæ ſtatim & per viginti dies continuos evacuatur, non modò ex illo, verùm & circa carpum exiſtentibus apoſtematibus copia: quæ aliis eadem & huic appono interim & duæ aliæ in metacarpii externa parte oriuntur eminentiæ, quæ & inciſæ. In ſumma incredibile eſt dictu, quanta materiæ effluxerit copia.

Spes hæc ſola, ſoluſque metus hic erat: aut totum brachium, aut carpum ſolum, aut pollicem immobilem permanſurum, aut ad minimum extremi pollicis articuli os, aut articulum ipſum abſceſſurum. Ubi jam materia evacuata, mundificantia, dein detergentia ultimò incarnantia, tandem & epulotica adhibeo, cicatricemque induco. Curatis & conſolidatis apoſtematibus, cubitus immobilis, carpuſque cum pollice inflexibilis, perſtitit, ſequens propterea ad id balneum, methodùmque, quoniam peregrè mihi erat abeundum, utendi præſcribo.

℞. Radic. Althææ. Conſolid. maj. an. ℥vi Bryoniæ ℥ß. Herbar. Malvæ. Althææ. Violar. Mercurial. rec. an. Mi. Summit. Hyperici. Ivæ arthet. an. M. ſ. Sabinæ. Pii. Flor. chamomill. Melilot. an. M. j. Semin. lini. Fœnigræc. an. ℥vi. Bull. incis. & contus. in. ſ. q. aq. comm.

Brachio priùs evaporationem excipiat, ubi refrixerit ferè in totum, brachium unà cum manu imponat: hocque per hebdomadam continuet, vel prout neceſſitas exigit, ſemelque inſtituatur de die, deinde ſequenti inungat linimento.

℞. Unguent. Aragon. Martiat. an. ℥ii. Axungiæ gallin. ℥ii. ſ. Gumm. ammon. diſſol. ℈iv. Unguent. dialth. Ol. roſat. lumbricat. an. ℥iii. Ceræ q. ſ. fiat linim.

Inunctione facta, adhibeat emplaſtrum ex ſuperiori maſſa confectum, & ſuper aluta diſtentum, poſt decem circiter dies domum reverſus ipſum fere omnia ſua obire poſſe cum admiratione ſumma conſpexi, &, quamvis magnus aderat metus, ne ad minimum os, vel extremus abſcederet articulus, tamen nec os, nec articulum imò nec unguem quidem ille ſuum perdidit.

Pro tua verò, Triune Deus, omnium rerum fabrefactor unicè admirande, ineffabili clementia, quæ mihi non modò in his, verùm & in aliis meis curis omnibus in hunc uſque diem adfuiſti, proque eo, quòd ex terra ad hominum utilitatem creaviſti medicinam, qua ſanitas ob peccata noſtra deperdita reſtituatur, eamque quamplurimis revelaviſti, laus tua ſemper erit in ore meo, & lingua mea favorem tuum ſingularem, quo me in & extra uterum maternum proſequutus es, quamdiu vixero, deprædicabo.

Hactenus Decas Obſervatienum Matt. Blandorp.

Panaricii ſive paroncychiæ incidendæ modus tutiſſimus, & compendioſa curatio.

Quam dolorifica, & longæ curationis ſit paronychia, neminem practicorum latet. Si tamen ſtatim ab initio pars affecta, eo modo, quem mox expediam, incidatur, cedit dolor, citoque curantur ægri: prout hactenus in pleriſque expertus ſum. Quod ſequentibus exemplis illuſtrare viſum eſt.

Ante annos aliquot Coloniæ Agrippinæ ad piam & honeſtam matronam, uxorem D. D. Joan. Burgois, divini verbi miniſtri fideliſſ. & amici mihi multum obſervandi, laborantem dolore acerbiſſimo in extremitate digiti, cum febre, lipothymia, nauſea, aliiſque gravioribus ſymptomatis, vocatus fui. Digitus tamen nondum inflammatus aut tumefectus erat, ſiquidem morbus tantum incipiebat. Ideoque curationem ſic inſtitui. Primò quidem digitum lacte vaccino, in quo flores chamomeli, meliloti, ſemen fænigræ & cydoniorum incocti erant, aliquantulum fomentavi. Deinde ſuperficiem cutis paulatim diſſecui. Abraſa cute maculæ quædam rubicuudæ apparebant: Quibus acie cultelli inciſis, guttutulam unam aut alteram aquæ rufæ ſub cute inveni. Illa vacuata, linteum madefactum aqua vitæ, ubi nonnihil theriacæ diſſolutæ erat, applicui. His ſtatim ſedatus eſt dolor: atque hoc unico remedio altero die ſanatus fuit digitus. Reliqua quoque ſymptomata, purgato leviter corpore, ſopita fuerunt.

Hoc anno 1604. vocatus fui ad nobiliſſimam Dominam de Monte, Bernenſem, matronam honeſtiſſimam quæ triduo propter paronychiæ doloris vehementiam dormire non potuit. Abraſa cute maculam hujus magnitudinis O in capite digiti ſub cute invenimus, in qua vix guttula una ichoris continebatur. Inciſa macula, applicatoque ipſi digito goſſipio, intincto, aqua vitæ, in qua diſſoluta erat theriaca, manui vero & carpo linteo reduplicato, ac imbuto poſca, ſtatim ceſſavit dolor: ita ut poſtero die pleniſſime ſanatus ſit digitus.

Hujus curationis cum anno 1593. primum periculum in uxore mea feciſſem, & ex voto ſucceſſiſſet, poſtea in ſupradictis matronis, ac multis aliis maxima cum utilitate ægrorum, adminiſtravi. Et ſemper ad ungulam ſub cute nonhil icho-

ris inveni. Sed neceſſe eſt, ſtatim ut ab initio fiat inciſio hæc: alioquin ex doloris vehementia cito concurrunt humores, qui inflammationem ac tumorem excitant, atque ſubjectam carnem, imo etiam oſſa erodunt. Eſt enim cutis ea in parte admodum denſa, ita ut materia paronychiæ (quæ per ſe maligna eſt) quum nullo modo exhalari poſſit, majorem acrimoniam & venenoſitatem acquirat: digitus quoque, imo tota manus, propter doloris vehementiam inflatur, parumque prodeſt inciſio hæc; niſi prius materia cocta, & in pus converſa fuerit.

Vacat autem eo modo facta inciſio omni periculo, nec eſt dolorifica, neque nervos aut tendones offendit, quum ſit ſuperficialis. Alius verò modus apud practicos paſſim uſurpatus, inciſio nimirum quæ fit à ſuperficie ad centrum, & verſus os valde periculoſa eſt. Lædit enim nervos & tendones: unde dolor acerbiſſimus, inflammatio, febris, aliaque graviora ſymptomata oboriuntur. *Gulhielmus Fabricius Hildanus Obſervat. Chirurgic. Cent.* 1.

Pro Paronychia.

In principio poſt phlebotomiam & univerſalia remedia, ponatur digitus per longum tempus in ovo putrido, id enim plurimos curaſſe experientia conſtat: alii eum in muſculis putribus tenuere optimo cum ſucceſſu & magna cum laude, ut audio, cum apoſtema jam perfectum eſſet, & inciſionem admittere nollet, quod optimum eſt remedium, adhibui unguentum apii ſeu hyperici Philippi Hermanni, quod propriè educit materiam viſcoſam ex oſſibus, & panaritium per ſe curat, & eſt nobile experimentum non ſolùm ad panaritium, ſed & contra vulnera: cujus hæc eſt deſcriptio.

♃. Succi hyperic. & apii. an. ℔ij. ſucci ſenecion. vulgò cuciatæ dictæ, millefolii, abſynth. an. ℔j. ſucc. chelidon. perſiccar. an. ℔ß. mell. deſpumat. ℔v. ol. hyper. ℔ii. terebinth ℔j. farin. tritici, q. ſ. alumin. uſti ℥iß. ſucci coq. ſ. a. & reliqua addantur, & coq. ut artis eſt, ad conſiſtentiam unguenti mollioris, & uſui reſervetur, arcanum eſt contra paronychiam, quo ſolo aromatarius quidam ab hoc morbo curatus eſt. *Petrus Foreſtus. obſ.* 16. *lib.* 5. *obſ. Chirurg.*

Puerulus quidam angebatur à duabus paronychiis duos affligentibus digitos cum acerbo cruciatu; pro his ſanandis talis per me curatio eſt adhibita; manè & veſperi inungebam hos abſceſſus oleo ſulphur. & deſuper applicabam emplaſtr. diaſulphuris: per quæ citiſſimè maturati, ruptique ſunt ac iiſdem remediis iterum conſolidati ac ſanati in paucis diebus: *Martinus Rulandus. curat.* 87. *cent.* 3.

Vidi cui paronychia digitus obſeſſus erat, diſtinctus fortè ad brachii amplitudinem, perque noctes aliquot inſomnes torſerat miſerè: huic cruor & recens pellis talpæ circumdata, manè craſtino die digitum cum nocturna quiete reſtituerant. *Joh. Helmontius. tractat. cui titul. Butler.*

Virgo quædam paronychiam patiebatur in indice manus ſiniſtræ, quæ ipſum vehementer afflixerat per quatuor dies; juſſi ut digitum immitteret in aurem felis, & intra duas horas doloris expers fuit; ſentiebat per intervalla attractionem digiti in cavitatem auris, ac ſubinde dolor totum brachium invadebat uſque ad humerum; eo denique tempore felis vociferabatur, ut credibile ſit, eum dolore affici à veneno attracto; tota manus intumuit, ac poſtmodum detumuit, excepto digito, qui tumefactus remanſit, ſed doloris expers: ſublato dolore digitus extractus eſt, & ſuppuratus apparuit, ac deinceps ſolo empl. diapalma curatus *Lazarus Riverius. obſ.* 65. *cent.* 4.

Mulier alia eodem remedio à panaritio curata eſt, hinc colligere licet in capite felis eſſe vim quandam magneticam panaritii qualitatibus familiarem, cujus beneficio venenum in tumore illo latens ad ſe trahat. *Idem. obſ.* 19. *cent.* 4.

Vocatus fui ad mulierem quandam quæ jam duodecim noctes cum clamoribus duxerat inſomnes occaſione paronychiæ in pollice manus prope ungue lateraliter, nullo tumore, nullaque digiti inflatione exiſtente, quidam chirurgus curam hujus paſſionis penitus ignorans, bis fecerat quaſdam ſuperficiales inciſiones, in quibus caro excreverat, rogavit me inſtantiſſimè, ut ejus curam ſuſciperem, craſtino die feci inciſionem cum raſorio lateraliter ab ungue uſque ad os, à ſummitate digiti ad juncturam excluſivè: deinde applicavi album ovi cum vitello agitatum intus & extra vulnus, ſtatim cum receſſi, cœpit dormire: & dormivit toto die uſque ad noctem: ceſſavit omnis dolor, neque unquam poſtea doluit ea cauſa, ſed brevi temporis ſpatio, Deo favente, fuit ſanitati reſtituta, abſque digiti deformitate, vera igitur curatio hujus ægritudinis eſt, facere inciſionem ſecundum modum dictum, uſque ad os incluſivè: quia ſtatim ceſſat omnis dolor, neque eſt aliud remedium, quin os & junctura perdatur. *Petrus Bayrus. practic. lib.* 20. *cap.* 9.

Conſultatio.

De Paronychia ſive Panaritiô.

Illuſtris Dom. Ferdinandus de Capua, &c. conſtitutionis melancholicæ, in extremitate digiti annularis manus ſiniſtræ circa unguem, tumore exiguô afficiebatur, tantô cum cruciatu ut dies noctesque inſomnes duceret, aliquando & in lipothymiam incideret, dolore per totum ferè brachium diffuſô.

Reſolutio.

Paronychiam ſive panaritium à ſanguine aduſtô & atrabilariô ad extremitatem digiti à naturâ detruſô, ibidemque inflammationem excitante productum cenſeo.

Dolor adeò vehemens eſt & atrox, cùm ob materiæ acrimoniam & fervorem, tum ob nervoſas partes, quæ exquiſitiſſimô ſenſu præditæ ſunt, affectas.

Per totum brachium diffunditur dolor, ob nervorum conſenſum.

Lipothymiam doloris vehementia, ſpiritus diſſipans, excitat.

Curationem per phlebotomiam & purgationem auſpicatus ſum; mox dolorem lenientia, & fervorem humorum mitigantia, ſuppurationemque promoventia parti affectæ applicui.

℞. Mucilag. ſem. pſyll. cum aq. ſolan. extr. ℥ß. Farin. ſem. lini, fœnugr. an. ʒiij. Vitell. ov. num. 1. Butyri rec. pingued. gallin. an. q. ſ. M. fiat unguentum.

Pure genitô, abſceſſum aperui, & pro deterſione unguentum ex melle, terebinthinâ & farinâ hordei præſcripſi, poſtea impoſitô ſarcoticô Chalmetæi ulcus ad ſanationem produxi.

℞. Sarcocollæ, thur. myrrh. an. ʒj. Aloës ʒiij. Terebinth. ʒv. Mell. colat. roſat. ℥ij. M. f. linimentum.

Contra animi deliquium præter externa quædam, pulverem bezoardicum ex ſequenti aquarum cordialium miſturâ ſæpius & per intervalla exhibui.

℞. Pulver. cordial. Dorncreilii ℥ ij. Bezoartic. Sennert. ʒj. Magiſter. perlarum, coralior. oculor. cancr. an. ℈j. M. detur ad ſcatulam.

℞. Aq. noſtr. bezoartic. ℥ iij. Cordial. frig. ℥ij. Borrag. bugloſ. ſcabioſ. ex ſuccô acetoſ. an. ℥j. Spir. roſar. rub. idæi, citr. an. gtt. 7. rotular, manus Chriſt. perlat. ʒiij. M. *Baldaſſar Timæus in Caſibus Medicinalibus.*

PAROTIS.

Vid.

AURIUM MORBI.

PARTUS.

QUid ſit *Partus* ſatis eſt notum. Quomodo Abortus, ſeu præmaturus partus ſit præcavendus, capite de Abortu dictum. Quomodo præterea in ipſô partionis tempore, naturæ languidiùs procedenti, calcar ſit addendum; aut eidem inordinatiùs, ac ſymptomatis variis defatigatæ, progredienti, ſit accurrendum, præſenti dicemus capite; ut & de partu Cæſareô qui omnino eſt contra naturam. At hiſce omnibus præmittemus ſuper variô partus terminô, diſſertatiunculas duas Præclariſſimorum Fratrum Caroli ac Antonii Drelincurtii, ſuper quæſtione, *An partus octimeſtris vitalis?* Quorum hic negativam, ille affirmativam, doctiſſimè ſanè tuetur. Veniat jam itaque primus in ſcenam, Clariſſ. Antonius Drelincurtius Reipublicæ Bernenſis Medicus Extraordinarius, qui ſcilicet primus pro negativâ ſcripſit Ann. 1664.

Quæſtio Phyſiologica, è ſelectioribus autorum monimentis compaginata; An Partus Octimeſtris vitalis?

Quærentibus & Medicis & Philoſophis illuſtribus, πόσος ὁ τῆς τῶν ἀνθρώπων κυήσεως χρόνος, multam opinionem eſſe, inquit Gellius, eamque jam pro vero receptam, poſtquam mulieris uterus conceperit ſemen, gigni hominem ſeptimo rarenter, nunquam octavo, meminitque, Romæ accuratè hoc atque ſolicitè quæſitum, negotio non rei tunc parvæ poſtulante, an octavo menſe infans ex utero vivus editus, & ſtatim mortuus, jus trium liberorum ſuppleviſſet, cum abortio quibuſdam, non partus, videtur menſis octavi intempeſtivitas. Quibus ex Varrone ſubdit, antiquos Romanos non recepiſſe hujuſcemodi quaſi monſtruoſas raritates; ſed nonum ac decimum menſem partioni mulieris ſecundùm naturam unicè aſcripſiſſe, juxta etymon Parcarum à pariendo, quarum Nona & Decima, à partus tempeſtivi tempore nuncupantur; Morta verò, ob eorum mortem, qui nati ante nonum vel decimum, aut mortui prodeunt in lucem, aut paulò poſt moriuntur. Hujuſque de menſe octavo diſſentionis cauſam repetit idem Gellius, ex Hippocr. libro περὶ τροφῆς, ex quo libro verba hæc refert, ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις; quæ Sabinus Medicus, qui Hippocratem commodiſſimè commentatus eſt, his verbis enarravit, Ἔστι μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν. Οὐκ ἔστι δὲ, ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔστιν οὖν, φαντασίᾳ μὲν παραυτίκα ὄντα, δυνάμει δὲ οὐκ ἔστιν.

Innumera Veterum Neotericorumve ſuffragia, huic expoſitioni aſtipulantur, validiſſimæque rationes id ipſum evincunt, ac demum, fide omni major experientia firmat. Sed quoniam Hippocr. monimenta, mox, obiter quaſi, refricabamus, ejuſdem ſummi Medicinæ parentis, penitiora adyta ſubeamus, quò pleniùs ac certiùs, mens tanti viri, hâc de re nobis innoteſcat. Verba eruamus quæſo, libri περὶ ὀκταμήνου, ubi dubio omni procul, aſſeverat οὐ περιγίνεσθαι τὰ ὀκτάμηνα, ſuique effati rationem ſubnectit, quoniam συγκυρεῖ αὐτοῖς ἐφεξῆς κακοπαθεῖν, τήν τε ἐν τῇ μήτρῃ κακοπάθειαν, καὶ τὴν ὅταν ὁ τόκος γένηται. καὶ διὰ τοῦτο, inquit, τῶν ὀκταμήνων οὐδὲν περιγίνεται. Hoc ipſum docet præciſè magis, libro περὶ ἑπταμήνου, ubi ſeverè confirmat, impoſſibile eſſe Octimeſtrem ſervari, ἀδύνατον περιγίνεσθαι παιδίον, ἐν ὀγδόῳ τῷ μηνὶ νενοσευμένον, καὶ τότε ἐς τὸ ἐμφανὲς ἐλθόν; Dictique rationem affert, διὰ τὰς πάθας ἅς φησιν αὐτὸς ὀκταμήνους ἀποκτείνειν, ibidemque menſem octavum ἀναμφισβήτητον vocat, καθ' ὃν γίνεται ὥστε δυσκελίτως ἔχειν. Menſibus item, eadem aſcribit ac diebus, at octavus dies, criticus non eſt, Ergo nec octavus menſis, fœturæ prodituræ in lucem, dicatus erit; partus quippe analogiâ quâdam veluti criſis eſt, ταῖς γὰρ γυναιξὶν αἱ συλλήψιες τῶν ἐμβρύων, καὶ οἱ τρωσμοί τε καὶ οἱ τόκοι ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κρίνονται, ἐν ᾧπερ αἵ τε νοῦσοι, καὶ αἱ ὑγίειαι, καὶ οἱ θάνατοι τοῖς σύμπασιν ἀνθρώποις. Sic paulò ante dixerat ibidem, Mulierculis de partubus non eſt deroganda fides, dicunt enim omnia & ſemper dicunt & ſemper proferunt; quæ verò judicio præditæ ſunt & victoriam hac de ſententia pronuntiant, ſemper dicunt ac teſtantur, naſci ſeptimeſtres, & octimeſtres, & novimeſtres, & decimeſtres, & undecimeſtres, & ex his, Octimeſtres non ſuperſtites manêre. Hujuſque à ſemetipſo ſtabilitæ doctrinæ memor, menſes enumerans Epid. 2. nutritionis fœtus, ſeptimum, nonum & decimum, profert in medium, relicto octavo. Demum animo præſens eodem, nec uſpiam à ſe diſſentiens, Epid. 6. Quicquid in ſeptuaginta movetur, in triplicitate perficitur, hoc eſt, ducentis decem diebus, quæ ſeptimeſtrium eſt ratio, & quicquid in nonaginta movetur, in triplicitate perficitur, ſive ducentis & ſeptuaginta diebus, qui novimeſtres conficiunt, nullo inibi habito Octimeſtrium reſpectu, utpote non vitalium. Græcam ſeriem apponere non gravabor, ὅ, τι ἐν ἑπτὰ κινέεται, ἐν τριπλασίῃ τελευτᾶται, καὶ ὅ, τι ἐν ἐννέα κινεῖται, ἐν τριπλασίῃ τελευτᾶται. Eodem jure, libro 1. περὶ διαίτης, loquens de fœtibus γονίμοις, eorum alios naſci ſtatuit perfectos ſeptimo menſe, alios nono perfectè etiam, ubi judicio pari, menſem octa-

vum alto ſilentio involvit: At ne quis litigator, in pravum ſenſum Hippocr. verba nos detorſiſſe autumet, conſulat velim, lib. περὶ ἀρχῶν ubi definitè expreſſeque Octimeſtres enecat, hoc irrevocabili decreto, Παιδίον ὀκταμηνον γενομενον, οὐδεν βιοῖ πώποτε. Nullus ſanè autor Hippocrate probatior, nullave ejus autoritas luculentior, Octimeſtres peſſundant.

Galenus haud ulli Veterum rimandis naturæ myſteriis ſecundus, vix voluit vixque debuit, doctrinæ de Octimeſtrium vitâ, jampridem ab Hippocrate, ſuo non ſuppare ſed compare dicam, funditùs everſæ atque dirutæ, rudera denuò movêre, præſertim cùm nihil majoris ponderis in pectore reconderet, quo infelices Octimeſtres, novis ruinis opprimeret. Levia quippe in fuſiſſimis ejus operibus, ſuper hâc re extant veſtigia; ſed ea ſanè quanquam levia, liquidò tamen commonſtrant, huncce naturæ Genium alterum, infenſis ore & digitis, Octimeſtribus ſuccenſuiſſe. Supponens namque eorum infortunium ab Hippocrate ſatis ſuperque & obſervatum & probatum, tantæ eorum calamitatis cauſas inveſtigat ſub finem Τῶν ἰατρικῶν ἀπορ. Ipſiſſima verba appingam nullo adulterata fuco. Διὰ ποίαν, rogat, αἰτίαν, τῶν ἑπταμήνων γονίμων ὄντων, τὰ ὀκτάμηνα ἄγονά ἐστι? Reſpondet, λέγεταί τινες, ὅτι ὁ ὀκτὼ ἀριθμὸς ἄρτιός ἐστι καὶ συνεζυγμένος, μὴ κρίσιμος ὤν, ὁ δὲ ἑπτὰ ἀριθμὸς περιττὸς, καὶ οὐδὲ συνεζυγμένος, καὶ διὰ τοῦτο κρίσιμος.

Oratores, Philoſophi, Juriſperiti & Medici quique clariſſimi, huic veritati litarunt: Hinc Ciceroni Diana, quæ noctu quaſi diem efficit, quæque Lucina & Luna à lucendo dicitur, adhibetur ad partus, quod ii matureſcunt, aut ſeptem nonnunquam, aut plerunque novem Lunæ curſibus unde liquet, menſem octavum, in cæterorum album nuſquam digeri.

Cenſorinus, de ſententiâ Epicharmi pronuntiat, fermè omnes negaſſe, menſe naſci vivaces octavo.

Plutarchus, ex Mathematicorum mente aſſerit, τὰ ὀκτάμηνα διὰ τὸ ἀσύνδετον τοῦ κόσμου φθείρεσθαι.

Ei ſuum calculum adjicit Philo Judæus, cùm numerum ſeptem pleniſſimè dilaudans, γίνεται, inquit, τὰ ἑπτάμηνα γόνιμα, τῶν ὀκταμηνιαίων, ὡς ἐπίπαν, ζωογονεῖσθαι μὴ δυναμένων.

Tiraquellus, & Baldus, luculentiſſimi Jureconſulti, menſe natos octavo repudiant, quia intempeſtivè atque immaturè nati ſunt, ac ſic nati, quaſi non nati; veriuſque videtur ipſis, fœminas hos partus ejeciſſe abegiſſeque, quàm peperiſſe.

Alexander Aphrodiſeus, ἑπταμηνιαῖα βρέφη, ζώσιμα vocat, τὰ δὲ ὀκταμηνιαῖα ἀβίωτα.

Avicennæ, natus octavo, eſt qui plurimùm moritur de natis & parùm vivit. Quòd ſi aliquis vivat de natis in octo menſibus, tunc illud eſt parùm valdè, &c.

Albertus Magnus, declarans horam partus & qualitatem natorum in horis illis, natus ait, octavo, in multis regionibus, omninò non evadit unquam; ille enim proculdubio debilis eſt principiis ſuæ creationis, aut ſi fortis ſit in eis, ſupervenit ei occaſio debilitans ipſum, quoniam ſi fortitudo permanſiſſet, in ſeptimo fuiſſet motus ad exeundum: hoc autem retardatur poſt ſeptimum, propter debilitatem, neque poteſt ad ipſum venire virtus, niſi in ſpatio menſis, & ſi ante hoc movetur, eſt motus impatiens, ſicut movetur anguſtiatus, & ideo etiamſi convertitur & exit, non eſt ſpes vitæ in ipſo.

H. Mercurialis, ſingulare Italiæ ornamentum, Octimeſtrem partum, illegitimum cenſet, quia ex centum qui ita naſcuntur, vix unus aut alter, ſuperſtes vivit, præſertim noſtris in regionibus.

H. Capivaccio, tria ſunt quadragenaria, in quibus vitæ periculum ſubit fœtus, primum eſt primo menſe, unde tunc facilè fit abortus, alterum octavo menſe, tertium poſt partum. Cùm igitur in octavo menſe ſit ſecundum quadragenarium, & proinde ſit tempus quod diſcrimen fœtui afferre poteſt, & eo tempore fœtus laboret, ſi tunc fœtus egrediatur, vitalis eſſe non poteſt, quia non poteſt pati periculum ſecundi quadragenarii & etiam tertii.

H. Fracaſtorius ait in genere tritici eſſe quoddam, quod tribus menſibus generat, unde trimeſtre, aliis ſetanium dicitur, quoddam verò, quod menſibus novem; ſic in genere humani ſeminis, quoddam eſt quod ſeptem menſibus parit, quoddam quod novem; Partus igitur, qui editur octavo menſe, eſſe quidem non poteſt ex eo ſemine quod ſeptem menſibus gignit: quare ex eo erit, quod novem menſibus ſolet maturum producere: Igitur cùm ante nonum menſem editus ſit, indicat immaturum eſſe & vi aliquâ ejectum: talis autem, utpote immaturus & præcox moriturus ex...tus eſt.

Sennerto inter mille infantes, qui in lucem eduntur, vix unus aut alter ſeptimo vel octavo naſcitur, ſicque ipſi non videntur partus 7i. & 8i. menſis pro planè legitimis habendi, nam quòd tam maturè eduntur, id ob cauſam aliquam præter naturalem fit, quam ſi ob naturæ robur infans editus vincat, vitalis erit per accidens, etſi plerunque tales ſint νοσεροὶ vel brevis vitæ.

Valleſius ſplendidum Hiſpaniæ decus, vir acuti ingenii & ſummè Philoſophus, indubitatum eſſe ſtatuit, Octimeſtres vitales non edi, id namque, longo experimento compertum eſſe profitetur, ſicque ſupponens, τὸ ὅτι, diſputationem movet duntaxat περὶ τοῦ διότι. Triplicem quæſiti diſſolutionem profert, primam ex dierum judicantium ratione, ſecundam ex proportione temporis figurationis ad motum & partum, tertiam ex conſtitutis ad ortum naturæ terminis, ultra citra quos, vitalitas nulla eſt. Tandemque vir ille oculatiſſimus, in hâc ſcrutandâ veritate quaſi caligans aut cæcutiens, in hæc verba erumpit, rem eſſe difficilem, ſolo notam experimento, cujus rationem novit evidenter ſolus ipſe Deus.

Petrus Aponenſis, Conciliator dictus, & Gentilis, primi fermè omnium, apertiſſimo ore, de octimeſtrium morte judicium tulêre. Conciliator imprimis, totus eſt in exacuendo ad ingenii ſui cotem, gladio ſuo, quo miſellos Octimeſtres per pectus transfigat, tandem partum in octavo innaturalem vocat & extraneum penitùs, in quo, non modò parientes periclitantur, ſed multò magis & parti, nam his illæ fortiores exiſtunt. Mitto Gentilem, Braſſavolam, Gorræum, Laurentium, cæteroſque millenos judices æquiſſimos, qui eandem in ſententiam ultrò pedibus ivêre. Operoſum enim & tædioſum

dioſum foret, de tot ac tantis limpidiſſimis eorum fontibus eadem ſæpiùs haurire.

Sed quid, tot viros graviſſimos rerumque callentiſſimos impulit, ut uno quaſi ore, infelici ſidere natos, Octimeſtres aſſeverent? Alii aliud cauſati ſunt: At omnium calculus, in Octimeſtrium ſcandalum & infortunium revolvitur.

Pythagorici, numerorum rhythmos & concentus argutantur. Natura enim, Dea eſt, certo numerorum modulamine gaudens. Provida namque ac uniformis ſuis in rebus, terminos ſibi ad partum injunxit, quos citra, nequit conſiſtere rectum. Statuti autem limites, ſunt ſeptimus & nonus menſis, interdum decimus ac undecimus. Qui citius animantur, citius perficiuntur & ſeptimo exeunt ac vivunt, hi ſi ſexto prodeunt, vivere nequeunt, quia imperfecti: Qui tardius vivificantur, tardius complentur, nono, ſcilicet, decimo aut undecimo menſe, tuncque ſi octavo pellantur in lucem, indubio fato abripiuntur, utpote præ maturitate ſuâ, ab utero depulſi. Certa enim & definita exigitur proportio agentis ad patiens, ut patet ex arbuſtis aliiſque eſſe quibus definita ſunt ſui ortus ſpatia, atque hæc perpetuò eadem. Quòd ſi varient, non variant ſub climate eodem, ſed ſub diverſis pro ſoli cœlique benignitate: ſic pariter natalibus noſtris, ſui conſtituti gradus, ſeptimus, nonus, decimus undecimuſque menſis, ultra quos, victuri non orimur. Ad hoc, numerum octo, utpote parem atque conjunctum, pro imperfecto & à naturâ abhorrente minimeque decretorio habent, numerum verò ſeptem, pro impari, pleno ac perfecto & naturæ grato atque fœcundo extollunt, eundemque ex Macrobio, cæterorum cubum & arbitrum, ſive ut cum Tullio dicam, rerum omnium nodum appellant; Ipſum denique, in naturæ deliciis & arcanis motibus præcellenti dignitate conſtituunt.

Numeris autem ineſſe ἄῤῥητόν ἰδιότητά τινα, ſeptemque, novem, decem & undecim perfectos eſſe, ſex verò, octo & duodecim, imperfectos, pluribus evincit Conciliator. Jure itaque periclitantur Octimenſes, reliquis incolumibus, ſi enim ex numerorum natura, octavus imperfectus eſt, Ergo fœtus octimeſtris imperfectus etiam minimeque vitalis. Sicut enim in acutis, motum Lunæ & dierum periodos inſequentibus, octonarius neque judex eſt, neque decretorius, niſi fortè ad malum decernat, κατὰ τοῦτον γὰρ γίνεται ὥστε δυσκρίτως ἔχειν, ſic in ratione partus, quem morbum eſſe longum & motum ſolis menſiumque circuitus ſubſequi volunt, octavus non decernet, hoc eſt, octavo editus, temerario naturæ motu, nonum prævertente & ſeptimum retardante, natus eſt, proindeque vitæ minimè compos; multùm quippe recedit ab eo, quod naturæ maximè eſt affine & tritum, prodire ſcilicet ſeptimo vel nono, adeo ut omnis Octimeſtris, dicendus ſit, aut ſeptimeſtris ſerotinus, aut novimeſtris præcox, ac conſequenter partus præter naturam. Etenim quod plerunque fit, illud eſt ſecundùm naturam: Quod præter id, quod plurimùm fit, evenit, id præter naturam eſt. At Octimeſtris, præter id, quod plurimùm fit, evenit, Ergo Octimeſtris præter naturam eſt. Aliter dixerim, Quod magis naturale eſt, id frequentiùs contingit, quod verò, minùs naturale eſt, rariùs ac minùs frequenter: Spatium igitur Octomeſtre, minùs naturale eſt parituræ tempus, utpote rarius. Hinc Philoſopho ipſi acerrimo licet Octimeſtrium propugnatori, Octimeſtres aliquid monſtroſi habent. At quod rarum eſt & monſtroſum, præter naturam eſt. Octimeſtris rarus eſt & monſtroſus Ergo præter naturam: ſi præter naturam, Ergo non vitalis.

Alii aliud culpant, rerum momentis eodem ferè revolutis, quòd nempe dierum quadragenariæ non ſint perfectæ in octavo, ſed in ſeptimo & nono. Qui enim natus eſt octavo, ſextum quadragenarium ambit, qui fœtui eſt infeliciſſimus: nam qui in eo naſcuntur, mox diem ſuum obituri ſunt, illis quippe tunc ægrotare contingit. Quadragenariorum autem vim maximam eſſe, non ratione ſolùm, ſed & experimento notum eſt: primis enim 40. diebus, plurimæ fiunt abortiones, ſi verò hos effugerint, raro abortiunt. Recens natus ſi titilletur, vix ridebit ante 40. dies exactos, niſi fortè natus decimo. Sic Galenus diem ſeptimum notat, maximam habere vim in judicando, ſextum infeliciſſimum eſſe.

Sed ſextus quadragenarius, totum octavum menſem includit, quare in eo nihil felix; de ſexto namque quadragenario idem judicium ferunt, ac de die ſexto, quem ceu omninò perfidum & omnium maiorum patratorem infamant, ac velut tyrannum reformidant. Idem enim evenit in partu, ac in morbis, in his quippe criticum motum ſi natura vel anticipat vel retardat, tunc nihil promovet & moritur æger; ſic Octimeſtris omnis, vel maturiùs editur quàm tempus ſuæ conformationis & perfectionis expoſtulat, vel ſeriùs, utro modo res eveniat, vivere non debet. Si enim ocyùs, cùm nihil ante ſuæ perfectionis tempus ortum, vivere queat, jurè labitur in interitum. Si verò tardiùs, quoniam id magnæ imbecillitatis eſt argumentum, meritò etiam vitâ non potitur. Pereunt igitur Octimeſtres; quòd ſint per abortionem ejecti, vel ante vel poſt ſuæ maturitatis tempora, cùm ſint naturâ ſuâ vel ſeptimeſtres vel novimeſtres.

Mathematici, iiſdem numerorum virtutibus, multo uſu ſibi compertiſſimis mordicùs inhærent.

Chaldæi, partus ideo vitales eſſe autumant, quòd Sol mutuum habeat conſpectum cum conceptionis tempore, namque oppoſitum cum ſeptimo menſe, trigonum cum nono tetragonum cum decimo, ἑπτάμηνοι γὰρ κατὰ διάμετρον, ἐννεάμηνοι autem κατὰ τρίγωνον. δεκάμηνοι vero κατὰ τετράγωνον. Sexto autem menſe, ſicut nec octavo, vitales eſſe nequeunt, quia tunc, conceptionis particulam, aut invalido lumine, imbecilloque conſpectu Sol videat, aut etiam non conſpiciat.

Aſtrologi ſeminibus parentum commiſtis atque vivificatis, Planetas præficiunt, quibus Embryo ſemel conceptus, aut benignè aut maleficè regitur, juxta ſideris ſibi dominantis, aut clementiam, aut inclementiam: Singuli autem Errones, ordine quique ſuo, ſingulis ita præſunt menſibus, ut Saturnus, rerum immutabili ſerie, in primum à conceptione menſem, imperium teneat, in ſecundum Jupiter, atque hoc gradatim deorſum verſùs, Mars ſcilicet in tertium, Sol in quartum quo tempore Embryo fit animal rationale, Venus ſubinde, menſis quinti moderatur curſum, Sexti, dominium ſibi

Mer-

Mercurius arrogat, Septimo tandem Luna ſedet, validis moderatrix habenis, quæ cùm ſit benefica atque prolifica, fœtum ſub ejus moderamine natum fovet atque tuetur & vitalitate beat.

His ſeptem menſibus decurſis, curſus Erronum completus eſt, & ſingulorum dominia exacta: Sed mox regnandi vices alternæ rediture ſunt, ordine priori prorſus eodem. Si itaque fœtus ſeptimum menſem tranſcendens, octavum contingat ac in eo naſcatur, ſub infelici Saturni regno naſcitur, ad Saturnum quippe, dominium recurrit; At cùm ſit frigidus ſiccuſque Planeta, ſuis iſtis manifeſtis, necnon & occultis aliis maleficis ac veneficis qualitatibus, vitæ noſtræ omni pacto adverſantibus, fœtum Octimeſtrem aut enecat & perimit, aut infeliciſſimum reddit. Sic miſellum inſontem, talia fata trahunt.

Phyſiologi, rerum pondere accuratiùs perpenſo, hoc ipſum è reconditiſſimis Philoſophiæ & Medicinæ penetralibus eruunt, luculentiſſimè probantes, fœtum omnem, ſeptimo menſe incondite moveri, exitumque omni ſtudio affectare. Quòd ſi commotio non ſit tanta, ut eum tunc excutere poſſit, utpote qui nequeat, nec præ imbecillitate tum maternâ, tum propriâ, nec ob nexum firmiorem, vinculis eximi, debet ultra manêre quietus in utero, donec ad nonum pervenerit, modò nihil ſiniſtri obtingat, quod nonimeſtre tempus prævertat, puta abortio in octavo. Fœtum autem omnem, ſeptimo moveri ad exitum, quem Medicorum latet? tunc enim membra ejus ſunt completa, ac partium numerus & compages abſolutiſſima, unde fit, ut major quàm antea, ſanguinis ubertas in ejus alimoniam exhauriatur, majorive refectione egeat, majori item & aëris inſpiratu, ad refrigerium calidi ſui innati tunc uberrimi. At utriuſque cùm ſanguinis, tùm aëris egeſtate premitur; Sanguis quippe, nihilò copioſior ab origine ſalit, & qui paucus emanat, confluus eſt ad mammas, quæ ceu lactei montes aſſurgunt, unde cùm natura eò versùs ſanguinem trudat, non videtur diſſonum, venas circa uterum, aliquatenus depleri, ſicque fœtui aliquid de ſuo demenſo ſubripi: Aſt plenius nunc exigitur, ob majorem exhauſtum a voraciori calido. Pari eventu, umbilici pulſantia organa, augeſcentem in dies fœtus calorem, haud queunt æque libere ac antea ventilare & à fuliginibus emungere, unde conſequitur, ut fœtus grandeſcens, ac alimoniæ plenioris egeſtate preſſus, liberiorisve cupidus auræ, calcitratu vario & converſione multâ ſeſe horſum vorſum volutet atque convolvat. Cùm autem grandior ſit in horas atque nervoſior ejus ὁλομελεία, validiores identidem motus edit, donec novum in locum ſeſe traducat atque commigret in ſedem ſui quaſi ergaſtuli inferiorem. Tunc cernere eſt, uteri molem ac tumorem tota deſcendentia ad locos inferos, jam enim pateſcit, dehiſcit ſaltem, uterinum oſculum ante hac arctè conſtrictum.

Abſtruſioris naturæ myſteria nondum penitus calles, amnios quippe membrana tenerrima, quæ fœtum obvolvebat & complectebatur amicè & univerſim, laxatur & tenditur, imò & diffringitur. Fœtus ideo caſtra mutat, atque in chorion, ſibi diſſonum devolvitur, ſuoque hocce prolapſu umbilicum ſuo pondere trahit atque convellit (nihil obſtante ejus longitudine ſemiſſem ulnam æquante, contorquetur quippe circa ſuum caudicem, ſeu corpus fœtus) hinc chorion ipſum ac vincula cuncta, quæ matrici, amiciſſimâ priùs, nec citra nefas ſolvendâ copulâ, cohærebant, validè tenduntur, proindeque matri & fœtui ipſi, dolor, inquietudo, febris, aliave damna inferuntur, quæ divinus ſenex, unico nomine laborum Octimeſtrium complexus eſt.

Ex hoc autem motu incondito atque caſſo. phlegmonem quaſi patitur umbilicus tractus & tenſus, febremque veluti concipit, quæ nonniſi 40. diebus pleniſſimè compeſcitur. Fœtus ideo, totâ illâ quadragenariâ, ſuum morbum circunfert, quo toto illis 40. diebus, ceu acuto ex decidentiâ conflictatur. Per id autem ſpatii, oneroſus eſt matri, tanquam antiquo & corſociali vinculo vitæ exolutus, ac incommodè degit.

His ita ſtabilitis, fœtum ſcilicet omnem, menſe ſeptimo movêri ad egreſſum, quiſque autem colluctatur pro virium modulo, alterum è duobus aſtruimus, aut fœtum in conamine illo ſatis roboris nactum, ſua clauſtra perrumpere, foras proditurum vitalem, aut eundem debilem, paucas ſuas vires hocce molimine irrito atterere, ægrotationemque præfatam contrahere, quâ non fungitur, niſi quadragenario integrè exacto. Totius itaque quadragenarii decurſu eget, ut morbum hunc ſuum eluctetur, vireſque ſuas profuſas reſarciat, proinde partum, vel nonum in menſem, vel in decimi initium protolli neceſſe eſt, alioqui ſi citiùs & octavo fiat, fœtus enecatur, quia labores partus nequit ſuſtinêre. Is quippe tenellulus, binis hiſce inſultibus oblæſus, à duplice ſibi invicem ſubſequente tentamento ad exitum, tum eo qui factus eſt ſeptimo, tum eo qui tunc fit octavo, mortem pedibus calcat, ſeſeque lucis orbat uſurâ, antequam ejus dulcedine ſit potitus, adeo enim præceps eſt ejus exitium, ut priùs tumulatum dixeris quàm natum; Imò διταφία jure nuncupes, nam è vivente matris alentis ſinu, qui ſæpè ipſi pro tumulo eſt, in viſcera terræ, matris depaſcentis & voracis ceu novum in tumulum, iter properat. Quòd ſi permulti vivi naſcantur, quid ipſos juvat ſuperſtites eſſe, cùm ævi vel ærumnoſi vel curti ſecum ſtamina trahant? nam juxta naturæ legem irrevocabilem, vel morboſi victuri ſunt, vel paucas ætatum ſcalas ſcanſuri. Sed hujus luctuoſi eventus cauſas intimiùs penetremus.

Ratum jam habemus, fœtum octavo prodeuntem, priſtinis ſuis calamitatibus ferè exolutum eſſe, tunc enim viribus propriis nondum refectis, veſtigia ſervat tantorum impreſſa laborum, quos ſeptimo menſe exantlavit. At ipſi ſic enervo, ingruunt graviora damna, quibus eum occumbere par eſt. Quis enim grandis natu, ſtricta hâcce temporis intercapedine, tot damnis preſſus, diem ſuum non clauſerit extremum? Quanto potiori jure, ſeu quanto iniquiori injuriâ, infantilis tenellula ætas, concidat neceſſe eſt, tot ruinis gravata. Ecce Octimeſtrem naſciturum, en ipſum debilem, invalidè uteri coronamento ſeſe obvertentem, diuque inibi morantem, exitum ægerrimè ſibi parantem, de-

debileſque ſuas vires, efficeto ſuo & diutino illo conatu profundentem. En inſuper mox editum, novæ excipiunt procellæ, quibus ceu decumanis fluctibus jactatur inſons, aviti peccati pœnas ut luat; Aſpice novum hunc orbis incolam, tot ſubitaneis & ineluctabilibus mutationum vicibus mancipatum. Utero, ceu molli & tepidiuſculo nido blandè fovebatur, amico partium adjacentium calore circunfuſus, innatans undoſo ſubſterniculo, ab ilii, iſchii, pubis & ſacri duritie, undique tutus, in placentâ ceu pulvinari delicatiſſimo conglobatus conſidens, adeò ut quicquid ſtragulæ, aut culcitræ ipſi vicem gereret, id omne, aut carnoſum, aut membranoſum, aut aqueum, aut ſanguineum foret, omnia tepidè & molliter ipſum excipientia. Natum aſperiora lintea, aut malè tepida, aut nimis calentia, tenerrimam ejus cutem, vixdum cuticulâ obductam oblædunt: Et quaſi non ſatis eſſet, ab hiſce, damni multum inferri, en inſuper, reum quaſi, vincula ſtringunt, ac cereos flexileſve artus, in alium à naturâ ſitum ſæpè diſtorquent.

Uterus, ceu tenebricoſus carcer, hunc lucis oſorem coërcens, à ſplendore & reliquis nocivis tutabatur: mox nato, lux adventitia, ſeu nocturna ſeu diurna, tenerrimis oculis infenſa, noxam nocet; genas enim quamvis arctè committat, ut lumen refugiat, nihiloſecus, præ earum teneritudine & tenuitate, lux quoquoverſum permeans, ipſas pervadit, organa viſus, præſertim ſi lucidior ſit, læſura. Soni, inauditi priùs, ſaltem eâ vehementiâ, delicatiſſimas haſce aures obtundunt, etſi, ob cerebri mollitiem, vix ullius fiat ſenſatio ſenſus.

Aër peregrinus, aut calens nimis, aut frigens nimis, conſocialis nuſquam, mox prodeuntem, adhucque ex utero pendentem, in ploratum pellit, noxâ ſcilicet, cuti poroſiſſimæ ubique hianti, & à cuticulâ malè occluſæ, derepente & confertim illatâ. Nec minori damno, idem inſuetus & extraneus aër, præfatis qualitatibus ſtipatus, os nariumque ſemitas ſubiens, vvulamve exquiſitiſſimi ſenſus percutiens, ac tracheæ arteriæ pneumaticos tubos ſenſibili membranâ obductos intimè pervadens, & delicatulam laxamque pulmonum ſubſtantiam penitiſſimè penetrans, tot partes, quas perflat & ventilat, afficit.

Idem uterinus hoſpes, ad vivacem & affluentem umbilicalem truncum alligatur, ut plantæ ritu, quæ in ſui alimoniam & incrementum, è terræ gremio, ſuccum cœleſti madore perfuſum, per caudicem prolectat, materno ſucco defæcatiori rigetur & aleſcat. Editus in lucem, lacte per os veſcitur, hoc eſt ſanguine in mammis crudato, quo interdum coloſtratus evadit, & quod deterrimum, alieno non proprio ſucco paſcitur, matrum mollitie & ignaviâ. Ventriculus tenerrimus & anguſtiſſimus, coctionis neſcius & impatiens, ſuctum è papillâ pabulum, haud complectitur totum, ſed id partim vomitu eructat, reliquum vix coquit, præ tenerâ & exili ſubſtantiâ ac debili calore, in minori enim quanto, minus eſt quale.

His tandem mutationibus tot & variis, ſi quaſi pro ſuperpondio, morbi νεογνοῖς ſueti acceſſerint, tormina, umbilici inflammationes, &c. Quid mirum, tenerrimam infantilem naturam, tot in utero prægreſſis ærumnis fermè caſſam, hiſce tandem opprimi. Omnes quippe mutationes, omni ætati ſi laborioſæ & turbulentæ, quantò ægriùs, mollis ac delicatulus Octimeſtris, iis perpetiendis compar erit, præcipuè cùm ſit jam penè confectus à laboribus, quos ſuſtinuit in utero, necdum redintegratis viribus prodeat in lucem, ob aliquid ſiniſtri, quod vel ſeptimeſtrem partum remoratum eſt, vel nonimeſtrem acceleravit. In univerſum itaque, iis vivere non datur; Quòd ſi alicubi vivant, ut in Ægypto, id fœtiferæ potu Nili aquæ partim tribuendum, partim & cœli temperaturæ, quæ bonitate ſuâ eorum immaturitatem emendat: Regionis enim illius calor amicus & conſocialis eſt uteri tepori priſtino, quo fovebatur fœtus, adde miram in illo tractu pariendi facilitatem, à quâ fœtus minùs enecantur, utpote qui minùs morentur in tranſitu, ac vires ſuas in enixu minùs profundant.

Si quis verò, noſtris in regionibus vixerit menſe natus, ex opinione, octavo, id potiùs ſit, de Mercati ſententiâ, Octimeſtrium inimiciſſimo hoſte, quòd matrem deceperit computandi principium, quàm quòd verum ſit. Arbitrandum enim eum non eſſe Octimeſtrem; ſed mulierem ſui conceptus initium latuiſſe, nam experientiâ probatiſſimum eſt, Octimeſtres omnes perimi.

Negativa igitur, opinio, ſectanda, quia plurimis & illuſtriſſimis in arte Atlantibus, idem unanimiter aſſerentibus, fides detrahenda non eſt, iis atteſtante potiſſimùm experientiâ omni teſte locupletiori, rerumque ſupremâ Magiſtrâ, ſolidis inſuper rationibus hoc ipſum convincentibus; Meritò itaque de veridicâ, tot inculpatorum Judicum, litis decretoriâ ſententiâ, Octimeſtres morti addicendi, quare intrepidè & audacter concludam, Ergo

Partus Octimeſtris non eſt Vitalis.

Hactenus Clariſſ. Antonius Drelincurtius pro Negativa. Sequetur jam Affirmativa in eâdem quæſtione, Ampliſſimi Viri D. Caroli Drelincurtii Profeſſoris Leydenſis longe Celeberrimi, &c. Quæ ſic ſe habet

Præfatio.

Morti norunt addictos Octimeſtres eſſe, qui Hippocratis funeſta de ipſis legêre * Decreta, τῶν Ὀκταμήνων, δηλονότι, ἀδύνατον ἐδὲν περιγίνεσθαι, Octimeſtrium ſcilicet, fieri nequit conſervetur ut ullus; & rurſum, ac præciſe magis † παιδίον Ὀκτάμηνον ἐδὲν βιοῖ πώποτε, Fœtus Octimeſtris nunquam ſuperſtes eſt.

In tantî profectò Magiſtrî verba jurarunt Medici non ſolùm, ſed & Rhetores, atque Philoſophi, ac etiam Jure-Conſulti, Sabinus v. g. Tullius, Philo Judæus, Agellius, Aphrodiſeus, Cenſorinus, Avicennas, Albertus Magnus, Conciliator, Gentilis atque Baldus. Noviſſimô præterea ſeculô Fracaſtorius, Capivaccius, Valleſius, Tiraquellus, Mercurialis, Mercatus, Gorræus atque Laurentius. Tantis etenim Viris illis,

* Libris περὶ Ὀκταμ. & Ἑπταμ.
† Lib. περὶ Ἀρχῶν.

lis, Octimeſtres Dîs nati ſunt iratis, genioque ſiniſtrô, ac ita nati, quaſi non nati, & reapſe ἄγονοι.

Cùm itaque nuperi Partûs Octimeſtrîs celeberrimî, ac vivaciſſimi causâ, Octimeſtres alios in omnes, eôdem Hippocrateô ductu, litem capitis intuliſſent ἀρχίατροι, litem ipſe judicandam digeſſi. Quò plus autem litigioſum illud excuſſi thema, & Hippocr. conſiliô * vulgarem illam de Octimeſtrium calamitatê doctrinam ad veritatis repurgavi lucem, eò firmior (meos adverſus ἀρχιάτρους) Octimeſtrium ſteti Patronus.

Hôc igitur eluceat Patrociniô meô iniquiſſimum eſſe inſontes, & quidem indictâ causâ, capitê damnaſſe. Iſtud namque Judicium capitale, uti capitalem prodit injuſtitiam, ita capitalem & inſcitiam arguit, quâ capitalior datur nulla.

Hâc inſuper Meâ conſtet Tutelâ funeſtam Apollineô de Tripodê vaticinationem, minùs exitii portendere, quàm peremptoria, rigidô de Tribunali dicta ſententia. *Et en éfet, & ſelon nôtre Proverbe, il vaut mieux être condanné des Médecins, que des Juges,*

* Lib. περὶ τῆς Εὐσχημοσύνης, ubi Medicis auctor eſt, doctrinam ut ſuam demonſtrationibus ſtabiliant, atque ſic illam omnem ab ignorantiæ tenebris vindicent.

Quæſtio Phyſiologica, An Partus Octimeſtris vitalis? Pars prima. Quâ vitalitas Partûs Octimeſtrîs auctoritatê probatur, experientiâ ſtabilitur, & rationê evincitur.

Appoſitè Divus Ambroſius, Omnes animantes præſcripta habent partûs tempora, homo ſolus indiſcreta atque confuſa. Haud minùs facundè, lepideque, ſuis in monimentis, id ipſum Plinius exaravit: Cæteris, *inquit*, animantibus, ſtatum & pariendi & partus gerendi tempus eſt, homo totô annô & incertô gignitur ſpatio. Ambobus teſtis locupletior alter, ἀνωμάλους τοὺς τῆς κυήσεως χρόνους, varia & incerta partûs tempora unico tribuit homini, τοῖς μὲν ἄλλοις, εἷς ἐστιν ὁ χρόνος, τοῖς δὲ ἀνθρώποις, πλείους. Brutis etenim animantibus unicum eſt pariendi tempus, homini verò multiplex ineſt. Hoc ipſum ſolidiùs ſtabilivit aſſerens, τὰ ἄλλα ζῶα μοναχῶς ποιεῖται τὴν τῶν τόκων τελείωσιν. εἷς γὰρ ὥρισται τοῦ τόκου χρόνος πᾶσιν, ἀνθρώπῳ δὲ πολλοὶ μόνῳ τῶν ζώων. Animalia reliqua fœtus ſuos perficiendi tempus unicum habêre; quòd ipſis unicus ſtatuatur pariendi terminus; homini verò, inter animalia ſoli, varii ſunt & complementi & partûs limites. Idem demum paſſim inculcat, ſed decretorie magis, ubi hominem ſancit μόνον τῶν ζώων, πολλοὺς ἔχειν χρόνους τῆς γενέσεως, τοῖς δὲ ἄλλοις ἕνα τὸν χρόνον τῆς πληρώσεως γίγνεσθαι. Solum ex animalibus varios atque varios ſortiri ſuæ generationis ſoles; aliis verò unicum ſuæ perfectionis eſſe finem. Ita etiam ſagaciſſimè docet Hippocrates humanæ fabricæ divum opus Solibus variare, οὐκ ἐν ἴσῳ χρόνῳ πάντα διακοσμεῖται, ἀλλὰ τὰ μὲν θᾶσσον, τὰ δὲ βραδύτερον, ὅκως ἂν καὶ τοῦ πυρὸς ἑκάστα τύχῃ καὶ τῆς τροφῆς. Eandem inter temporis intercapedinem partes delineari nequaquam; ſed alias quidem citiùs, aliàs vero ſeriùs, prôut hæ, vel illæ ſuum & ignem & alimentum variè atque variè nanciſcuntur. At partibus illis ſolê variô diſpoſitis ac ordinatis, variabit & partus, ex proportione mirâ trium inter ſe mutationum inſignium, quas fœtus ſubit in uterô Tempus quippe motionis, ut duplô figurationis tempus æquat; ſic terminus partûs, triplò ſuperat terminum motus. Quæ ſententia ad Arabes & ad nos uſque tranavit; ſi igitur figurationis periodus eſt minimè una, quidni & multivagus motionis & parituræ curſus? Qui diebus triginta figurabitur, in ſexaginta movebitur, & centeſimo octogeſimo vitalis prodibit. Qui in quadraginta effingetur, in octoginta trepidabit, & intra ducentos quadraginta vitæ compos orietur, Octimeſtris nomine inſigniendus. Hippocraticos namque menſes triginta dies explêre, liquidò conſtat: At octies triginta numerum complent ducentorum quadraginta dierum, ſeu octo menſium ſolarium integrè ferè exactorum, juxta quos partitudinis putanda ratio, ἄνθρωπος γὰρ καὶ ἥλιος ἄνθρωπον γεννᾷ, Sol & homo generant hominem. Octimeſtres igitur vita beandi, ſupinuſque eorum error redarguendus, qui balantum ritu, (quarum ruente præceps unâ, cæteræ ruunt,) iverunt quà itur, non quà eundum, tritamque credulitatis & fallaciæ plenam de Octimeſtrium infortunio ſemitam calcarunt. Ii quippe Medicorum, quos primùm legêre, ſententia deluſi, mentem præconceptam pugnaciter tutari, & ei procaciter patrocinari malunt, quàm omni pervicaciâ depoſitâ, quæ conſtanter eveniunt expendere. Sed doctrinam illi ſuam, adulterinam licet, ſinu foveânt: dignemur Nos rem minimè præjudicatam excutere, & ad unius veritatis leges exigere. Nihil moremur aliter opinantium turbam, ſanabimur enim, ac à veteri falſi dogmatis fermentô regurgabimur, ſi ſeparemur à cœtû, ſelectoſque bellipotentes, qui Nobis inimicos gerere vultus, fictâ ſpeciê, cernuntur, partes in noſtras vî nullâ pelliciamus. Non autem auctoritas ſola, quæ per ſe ignava eſt ac iners, prorſuſque manca, ſed & graviſſima rationum momenta, atque conſtans firmataque ſummorum Atlantum experientia, pro Nobis militabunt; ſicque trinis hiſce triplicis æris ſcutis obtecti, adverſus tela in Nos ab adverſariis contorquenda, invictiſſimi ſtabimus. Ita mihi, ubiubi amica veritas, ut nullus amicior unquam, volentem, alienas ad partes aut trahat, aut alliciat. Eam ubivis tueri ut glorioſum, ſic inprimis utile: pro eâ igitur, ceu pro aris & focis, dimicare eſt, prout Philoſophum decet, alienigenis officiis minimè prævaricantem. Eô olim pactô, in pleriſq; Hygeæ momentis, adverſus Hippocratem Galenus, adverſus Platonem Præceptorem, univerſumque veteratoriè philoſophantium cœtum Ariſtoteles, & adverſus Medicos Gnidios ipſemet Hippocrates, iiſdem Nobiſcum armis pro veritatê tutandâ feliciter conflixerunt. Sed heu heu! quantæ molis erit, multis hinc retroactis ſeculis, de Octimeſtrium necê anticipatam opinionem de tot & tantis pectoribus revellere. Adeò hæc ſupinitas animos ſopivit, ut plerique omnes huic cauſæ in dormierint ſecuri, non caventes, fœdiſſimam hanc eſſe Medicinæ labem aſperſam, inque dies ſingulos latiùs ſerpentem, nullô nunc ſmecticô eluendam. καὶ γὰρ διὰ τὴν ὑπόληψιν, κἂν σωθῇ τι ὀκτάμηνον, νομίζουσιν οὐκ ὀκτάμηνον εἶναι τὸ γεγενημένον, ἀλλὰ λαθεῖν ἑαυτάς, αἱ γυναῖκες συλλαβοῦσαι πρότερον, & anticipatæ mentis illius ergò, ſi quis ſalvus ſit Octimeſtris, Octimeſtrem illum nequaquam reputant; ſed conceptionis tempus præceſſiſſe latenter, ac ipſis latuiſſe Matribus. Si autem de tantâ judicii anticipatione conqueſtus eſt Philoſophus, quid nunc Literarum ſortem non defle-

deflebimus? Nam unà cum ſeculis ætateq; hominum, iſthæc opinio uſque adeò inveteravit, ut qui eam ex animis revellere ſtudet, is, ceu veſanus, Anticyram relegetur. Sed haud inconſulti procelloſo huic pelago Noſmet commiſimus: en actuariam navem noſtram ſcientes & experti regunt Argonautæ. Auſcultent & perpendant, fidem Nobis abrogantes, ſagacis Stagiritæ placita, quibus definitè, diſtincteque deſignat, καὶ ἑπτάμηνα καὶ δεκάμηνα γίνεσθαι, καὶ κατὰ τοὺς μεταξὺ χρόνους, hoc eſt, naſci ſeptimô non ſolùm & decimô, ſed & octavô & nonô menſibus. At ne quis ſcrupuloſus vitilitigator autumet ſeſe Noſtrô commentô ludificari, ad ſequelam orationis ſedulus attendat, καὶ γὰρ, addit Philoſophus, τὰ ὀκτάμηνα ζῇ μὲν, ἧττον δέ. Hoc ipſum tantî naturæ rimatoris verbîs & aliis ſuffulciam, καὶ ἑπτάμηνα καὶ ὀκτάμηνα καὶ ἐννεάμηνα γίνονται καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. Fœtus naſcuntur & 7. & 8. & 9. & ut plurimùm decimô menſê. Subdam & expreſſiora Edicta, quibus Octimeſtres vitæ compotes ſancivit, τὰ δὲ ὀκτάμηνα περὶ μὲν Αἴγυπτον καὶ ἐν ἐνίοις τόποις ὅπου εὐέκφοροι αἱ γυναῖκες καὶ φέρουσί τε πολλὰ ῥαδίως καὶ τίκτουσι, καὶ γινόμενα δύναται ζῆν κἂν τερατώδη γίνηται, qui autem menſê naſcuntur Octavô, vivere, ac adoleſcere in terrâ Ægyptô poſſunt, & quibuſdam aliis in locis, ubi mulieres fertiliores ſunt, multoſque ſimul facilè ferunt, & pariunt, etiamſi monſtroſi ſint. Ubi notes velim, de mentê Philoſophi Octimeſtres vitâ donandos eſſe ubivis gentium, ſi ſub conditionibus & cauſîs, quæ eoſdem in terrâ Ægyptô vitales reddunt, nati ſint. At noſtris in tractibus, cœlî benignitatê lætis, quotquot eæ ſint conditiones & cauſæ, vigent eæ omnes: vigebunt igitur & Octimeſtres. Major patet his verbîs, καὶ ἐν ἐνίοις τόποις, quibus docemur; anguſtîs Ægypti limitibus Octimeſtrium vitam non circumſcribi, quaſi inibi locorum, prærogativâ nulli cedendâ, illis eſſet unicè vita conceſſa. Ibi etenim vivunt in vim cauſarum mox prolatarum: at eædem valentiſſimæ ſunt noſtris in climatibus, quorum temperatura fertilis, parentumq; robur ac temperies proba, ſucculentuſque habitus vegetus, fœcundî energicî principii ubertatem ſubminiſtrando, communî in vitalitatem niſû conſpirât. Cui præter hæc, in mediô aut propatulô non eſt, Noſtrates mulieres εὐεκφόρους οὔσας, ad exactos menſes uterum commodè perferre, cùm multas cernere ſit, quæ nihil damnoſi in totâ geſtionê paſſæ, fœtus ſuos auſpicatò promant in lucem: αὗται δὲ φέρουσί τε πολλὰ ῥαδίως καὶ τίκτουσι, κἂν τερατώδη, plures negotiô nullô & geſtant & excludunt partû unicô, monſtrificè quaſi, ſeu τερατωδῶς: mulier namque, nuſquam non μονοτοκεῖ, nec πολύγονος, ἀλλὰ μονοτόκος τὴν φύσιν ἐστί, multipara, ſed unipara ſecundum naturam eſt. Octimeſtribus autem vitæ uſuram ſpeciatim impertiri, ubivis terrarum oriantur præfatîs conditionibus affecti fidem faciunt textui prolato annexa verba, quibus haud ſimpliciter dicitur Philoſophus; ἐνταῦθα μὲν οὖν ζῆν τὰ ὀκτάμηνα, ſed ſubjungit καὶ ἐκτρέφεσθαι, quaſi hæc fatus eſſet: In iſtis plagis, Octimeſtres fœtus, vitales non duntaxat eduntur, ſed enutriuntur & adoleſcunt, ac, quantùm ad menſem Octavum attinet, viriles annos conſequuntur. Hinc legere eſt apud Plutarchum, multos Octimeſtres evaſiſſe Viros; Πολλοὺς ὀκταμηνιαίους γεγονέναι ἄνδρας; & apud Plinium, translatitium in Ægyptô eſſe & octavô gigni, atque in Italiâ tales partus eſſe vitales, contra Priſcorum opiniones. Si in Italiâ, quidni & in Galliis, omnique cœlô clementî, nec algidô, nec æſtuoſô? Sic Orientales illæ Dionyſiacæ, aut Stronigylinæ mulieres, Aſclepiadê teſtê, fauſtos Octimeſtres enituntur. Nolim ego fidum illum & luculentum eventum fabuloſitatê elevaſſe: munus aiunt Naxiis datum à materterâ Bacchî, natî octavô, Lucinâ Junonê ſcilicet, cui dicata Naxos.

Non defuêre plures alii penitiorîs Naturæ venerandi Myſtæ, qui, ævô ad omni, eidem veritati fecerint ſacra. Injurius es quippe Tuos in Majores, ſi Tecum reputas, unô illos orê, Mortem Octimeſtribus irrogaſſe. Comprobatur enim, Cæcilium, vetuſtiſſimum Comœdiographum, humanarum rerum vel callentiſſimum, haud inſulsè, inconſiderateq; menſem octavum, à Menandrô ComicôPoëta præteritum, non prætermiſiſſe, ſed genitalem agnoviſſe: Nec eum temerè à multorum opinionibus deſciviſſe, Marcus Varro uti credamus facit; nam menſè nonnunquam octavo editum eſſe partum, ſcriptum reliquit. Ipſiſſimaq; Gellii minùs vetuſtâ ætatê, quibuſdam duntaxat, non omnibus, Romæ degentibus, abortio viſa eſt, menſis octavi intempeſtivitas. Octimeſtris ergo, jam olim ἀμφήριστος, ambiguus, litigioſus, ac in contentionê poſitus, ancipitem Doctis litem intulit, ſed ſuis tutoribus acerrimis minimè caruit. Sic Cenſorinus Euriphontem Gnidium ponit in mediô cauſam Octimeſtrium contra Epicharmum acriter agentem. Plinius ipſe, diſſidium conciliaturus, inſtanter, pugnaciterque ſtat à partibus Octimeſtrium; ac ubi litem judicandam digeſſit, memoratiſſimô exemplô, litigantes judiciô abſolvit, Cæſoniam proferens, Caii Principiis conſortem tori, quam Veſtilia genitrix octavô proſperè enixa eſt. Ita famoſum ferunt Vincentium Pinellum, eruditionis omnigenæ Virum, unà cum Corneliâ ſororê gemellâ, perruptis octavô ſuis circundantibus aquis, ad mundi primas oras feliciter appuliſſe, eorum matrê cum Latonâ de epithetô Διδυμοτόκου, meritò contendentê. Noviſſimô pariter ævo, dum Urbini ingens ſuum de Octimeſtribus conderet Bonaventura volumen, tres octavô natos ſuperſtites vidit. Pari inſtantiâ notarunt, Cardinalem Sfondratum, amboſque filios ejus Octimeſtres, vitæ ſuæ ſtadia plenè emenſos eſſe. Graviſſimi quique haud ſubleſtæ fidei Scriptores innumera Octimeſtria exempla adamantinô ſcalprô poſteris animis inſculpsêre. Sed faſtidioſâ forem prolixitatê tædioſus, illis ſi undique corraſîs mea intumeret Diatriba. Experientiâ enim Nobis ducê, & normæ vicê, omniſve demonſtrationis initiô, iſthæc è millenis pauca inconcuſsè ſtabilient ſecuram Octimeſtres vivere vitam. Imò, hâc vitalitatê beatos eoſdem, ſuſceptam provinciam abundanter impleturi, de mentê Dictatoris ſummî mox pronuntiabimus confidenter, frendeant licèt alii, hunc ubi luculentum Auctorem, cùm Majores ſuos, tum coævos, de fœtuum excluſionê in quadruplicem phalangem directos commonſtrantem adducemus. Prius autem, quò Sparta & completior, & ornatior ſit, ex intimioribus Philoſophiæ penetralibus variantis humani partûs palmaris eruenda cauſa, adverſaque doctrinæ, quam tuemur, argumenta ventilanda, ut Galenicos demum, coronidem impoſituri, hâc de litê ſciſcitemur Manes.

Tempora humanæ partionis eſſe varia, ſuprà quidem è Priſcorum monumentis probavimus; ſed tantæ eorum varietatis genuinam cauſam

haud rimati ſumus. Lubet nunc rem tentare; & multâ curâ, multaque cogitatione eruere; forſan enim perſcrutando comperiemus, & velut ex abditiſſimis latebris in lucem proferemus. Cur ergo brutarum animantium præfinita eſt regularisque pariendi periodus, quæ nec decurtatur, niſi morboſe, vel illatâ vi, nec protollitur? At mulierum partus variant à principiô intrinſecô, nec morbidô nec violentô. An dicemus, bruta periodicis, anniverſariisq; amorum incentivis & igniculis concitari & incendi, adeoque pactis legibus parere; hominem verò, nec præfinitô nec annuatim, ſed indefinite, totiusq; anni decursû laſciviæ ſtimulatum œſtrô, diſſolutam & intempeſtivam Venerem exercêre, illoque ſuô concubitû intempeſtô & inopportunô naſcituræ ſibi prolis, alioquin præſtitutas, ſtataſque, periodos accelerare, infantemque præmature evocare, ceu fructum ex arbore ante plenam, conſummatamque maturitatem decerperet?

Verùm enim verò, uti fatemur fœtis brutarum animantium fœminis venereos ignes extingui, ſolamque mulierem, gravidatam licet, maris non modò patientem, ſed & ſæpiùs appetentem eſſe: ſic & inficiamur maritos eſſe plures adeò ſalaces, ut Venerê nimis petulcâ, proli ſuæ officiant; negamus pariter, prægnantes omnes propudioſas & libidinoſas eſſe: adeoque petulans iſta Venus & procax, paucorum duntaxat, non verò omniû, partuum terminos interturbare potis erit; nam quoties Venus plùs juſtò non laſcivit, pleniorem alimoniam uterinas ad partes allicit & fœtum uberiùs nutrit, imò & recreat, nedum ipſi officit. Sed demus, Venerem laſcivam, atque protervam partionis tempora permutare; an illico, ea perinde remorabitur atque accelerabit? Minimè gentium: nam ubi coïtû effræni & immodeſtô ſummâ uterus dulcedinê delinitur, partio exinde quidem antevertitur, ſed eam ideo retardari planè implicat. Quô enim pactô, quæſierim, partus ille, qui ſeptimô, vel octavô, vel nonô menſê, carceris ſui fores perrupturus eſſet, jam ob virilem, in ſinum pudoris jactatam haſtam, ulteriori cuſtodia coërceretur, quaſi hoc intruſô veretrô magis ac magis compelleretur atque compingeretur? Quin imò, mutonê petulcô ſuis de ſedibus dimovebitur, eripieturque. Nimiô ſiquidem partium genitalium titillatû, multaque ſeminis ſpiritibus turgidi effuſione, utero gravidato & conniventi vis infertur, blanda licèt ea ſit atque voluptuoſa; ſpiritus enim ſpermatici maximè ſunt igneæ naturæ conſortes, adeoq; & petulci, ac impetum quoquoverſum facientes, ut per intimiores uteri receſſus liberè commeent atque remeent; proindeq; uteri orificium internum, arctè priùs conſtrictum, recludunt, totamq; molem uterinam agitant & quatiunt; ac conſequenter fœtum ipſi innatum, ceu terræ plantam innutritam, commovent & concutiunt, & à ſolô ſuô natali revellunt, eradicantq;, ac in hominum lucem evocant. At taliter obtingens partio, omninò anticipata & violenta cenſenda, nec ullatenus naturalis reputanda: Vis enim fœtui illata eſt, licèt fœta ipſa mirâ voluptatê fuerit affecta. Tanto autem damno quadantenus obviam ituri Arabum Medicorum Antiſtites, reſcriptis ſuis gravidam à coïtû ſummovebant. Sed quorſum tales ſanxêre leges? nam ut matrimonium caſtum nec frænô, nec regulâ eget; ſic ubi petulans eſt libidinis intemperies & effrænata luxuria, nec patitur legem, nec habenas audit.

Si mulieribus etenim, quæ Veneris calcitratû inſtigantur, impelluntur que, præcipitur ut abſtinenter caſteq; cum maritis concubent, eæ venereis aculeis compunctæ, & calcaribus quaſi ſtimulatæ, ceu furiis agitatæ & compulſæ, ardentiùs feruntur in vetitum, concitatiuſque in Venerem totæ ruunt. Sed rurſus, quorſum iſta ſanctio? nihil ſiquidem ad eas attinet, quæ mox à conceptu, aut viduæ fiunt, aut maritos habent, chronicam in ægritudinem delapſos, proindeque effœtos & invalidos, luctæq; venereæ prorſus impares. Iſthæc ergo ſinamus Turcis duntaxat mulieribus, quæ totô graviditatis decurſu, à coïtû abſterrentur, nec ideo tamen, noſtratibus mulieribus, (quæ morem iſtum Turcicum, ceu nefaſtum diris devovent) ſeriùs pariunt. Modicus enim coitus, ut notavimus, nec fœtui, nec fœtæ ullum detrimentum affert; quin è-diverſo, pleniùs illum alit & roborat; hanc verò mœrentem recreat, moroſamque demulcet.

An ergo varia dixeris humani partûs tempora, ob ingluviem & inſatiabilitatem mulierum? Sed, amabo, quota quæque eſt perinde omnivora ac omnivola, quæ dapes quærat, quibus aut expletum, aut faſtiditum ſtomachum vel laceſſat, vel erigat? Quin imò, picantes pleræque cibos vel optimos, primoribus labris vix attingunt. Sed demus aliquampiam omnigenûm eduliorum inexaturabilem gurgitem eſſe; an continuo, iſthæc ejus voracitas ad geſtationem in decimum, vel undecimum menſem protogandam, quidpiā conferet? Quin potiùs eam accelerabit; haud ſecus ac enim oleô nimiô lucerna, aut nimiâ lignorum ſtruê ignis, ſuffocantur, ſic fœtus, ingeſtorum nimietatê vel in ipſô ſuô promptuariô obruitur, opprimiturque.

Iſtis itaque valêre juſſis, rem totam altiori indagine ſcrutemur, & abſtruſioris naturæ receſſus rimemur, ut rem ipſam ſi non aſſequamur, odoremur ſaltem, & aliis detegamus. En è triticô, quod fœneratò terræ gremio creditur, aliud citiùs creſcit, aliud ſeriùs adoleſcit: aliud enim eſt trimeſtre, aliud verò hybernum. Sic humanum genitale ſperma aut temporiùs provenit, aut tardiùs ſoboleſcit, unde alios menſê ſeptimô, alios octavô, & uſque ad initia decimi, undecimique gigni notat Plinius, memoratæ Veſtiliæ uſus exemplô, Herditii ac poſteà Pompopinii atque Orfiti, conjugis, quæ ſeptimô primùm peperit, ſubinde undecimô, rurſus ſeptimô, tandem octavo, partus auſpicatos, qui in viros adolevêre. Ratum autem Nobis eſt Sole incerto hominem naſci, ratione variæ atque variæ temperiei, quam à cujuſq; individui temperamento peculiari talem vel talem ſortitur ſemen; prodit namque multifariè ſic affectum atque determinatum ut ſeriùs, aut citiùs in prolem vitalem matureſcat. Hæc autem in homine, quàm in brutis, magis anceps eſt, ob enormem & exlegem vitæ modum, & immoderatum omnigenûm dapûm edulium, alia atque alia cælatura ſperma ſignantem, pro cujus vario charactere varium Natura facit, & tenore diſſonô abſtruſum ſuum formationis exequitur opus. Hinc embryonum alii, citò finguntur, citò moventur, citò pariuntur, dum alii, languidiùs figurantur, ignavius ſeſe volutant, ſeriuſq; erumpunt in lucem. Igitur maturitas fundamentalis eſt cauſa partus naturalis & vitalis: At partus Octimeſtris maturus eſt: Ergo partus Octimeſtris natu-

naturalis & vitalis. Major, præter allata, ex ipſa definitione partus evincenda; perfecti quippe eſt & maturi fœtûs editio; ſive, fœtûs eſt in utero geniti, atque jam abſoluti, ſeu maturi, à matrice emiſſio. Minor ex allatis de ſeminis natura varia, ſatis ſuperque pateſcit, moxque conſpectiùs eluceſcet. Perfectio ſiquidem in partû & maturitas, vitam neceſſariò inferunt; imò unicū complementum ſummus Hygeæ Parens cauſam aſſerit eſſe vitalitatis, quâ beatur Septimeſtris, ὅτι, inquit, μετέχει πάντων, ὧνπερ καὶ τὰ τελεώτατα μετέχει, καὶ μάλιστα διαγινόμενα: Quòd omnia ſit ille conſecutus, quæ fœtibus inſunt vel perfectiſſimis, ac maximè vitalibus. Quocirca rerum inter ſe pugnantium eſt conflictio, ſtatuere Nobiſcum, menſis octavi fœturam perfectam eſſe atque maturam, ſed abortivam ac minimè vitalem; partui enim perinde adverſatur abortus, ac mors vitæ, omniſq; imperfectio, aut immaturitas æque necis cauſæ putandæ, atque iis oppoſita vitæ fontes cenſendi; ſiquidem partus, ut partus, idcircò tantùm à naturâ formatur, fovetur, & completur, ut completus & perfectus, quantùm in ſe eſt, modò extrinſeci nihil prohibeat, oriatur ad vitam, & actû vivat & adoleſcat, vivere ſaltem & adoleſcere queat. Perfecti enim, editiq; fœtûs propria actio, eſt ipſum vivere. At fœtus, octavô completus excluditur, ὁ σεσαρκωμένος καὶ ὁ πάχος ἔχων εὐτραφέως, ἄνοσος διατετελεκώς, ὁλομελής τε καὶ πανοπλίῃ ἑαυτοῦ διαθείς, carnoſus, atque ſuam craſſitudinem habens opimam atque ſalubrem, omnibuſque ſuis præditus membris, & omni velut armatura ſua inſtructiſſimus; ſuamque σύγκλεισιν ſeu τελεσφορίαν, quam τελειότητα, πάχος, παχύτητα καὶ τελείωσιν vocitant, plenè nactus. Corpore enim ſolidô eſt, plenô, ſucculentô, abſolutô, ſymmetroque, imò πληρεστάτῳ καὶ ἰσχυροτάτῳ, perfectiſſimô atque robuſtiſſimô, ut dixit divinus Senex. Quidni igitur vitalis? Natura quippe, nihil fruſtra facit: ſi itaque hominem ſeptimo & octavô perficere valeat, cur illius editionem in longiores diſtrahet moras; curve conceptum ſuum, jampridem ſuis numeris abſolutum, non egeret octavô, ſed tenebricoſô carcerê inſontem anguſte coërcebit lorô revinctum? Quin æquiùs ille, διὰ τὴν τελείωσιν ἐξέρχεται καὶ μεταβάλλει τὴν γένησιν ὡς ἔχων τὰ ἑαυτοῦ, καὶ λύεται ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ, propter ſuum complementum, ac ſuam perfectionem abſolutiſſimam ex uterinis demigrat locellis, & ſeſe latebris illis & cuſtodia ſubducit, atque ſic

Colla jugo erumpit, abruptaq; lora relinquit:

Fœta inter hæc, ſuas partes tenens, ipſum, ceu gravans nunc onus, excutere geſtit; amboq; luminaria majora, ſuis viribus maturatum eum accelerant octavô, evocantque vita donatum. Sic, Gratiis hiſce tribus, votis iiſdem concorditer aſpirantibus, felix enaſcitur, atque oras in luminis exit. Nequaquam igitur excluſio iſthæc octavô aberratio eſt, aut hallucinatio naturæ malè moratæ, ſed laudabiliter ſtatoq; momentô agentis opus; ubi namque fœtû pleniori atque maturo, ceu graviori ſarcinâ matrix oneratur ſuum laxat orificium internum, antea quàm arctiſſimè concluſum, totiſque nervis inſurgit ad expulſionem hoſpitantis puelli; nec uterus modò, ſed & membranæ, pleniſſimâ calcitroſi fœtûs maturitatê diſtentæ, hiant, crepantque, ſiliquarum ritû maturiori ſemine ingenito dehiſcentium. Fœtus imprimis, qui in dies invaleſcit, maturaturque, pelliculas iſtas, quibus involvitur, calcitratû dirumpit, & in uterinam cervicem ſeſe devolvit. Hinc, & fœtu trudente, & appellentium aquarum alluvione, expleta quaſi & nauſeabunda vulva pateſcit, fœtumque octavo explodit, inoffenſo prorſus regularis Naturæ ductû. Quem etenim, amico prius complexû, fœtum continebat uterus, eundem nunc, ceu moleſtum hoſpitem, ejicit, partim quoniam pleniùs diſtendi recuſat, partim quia pondus ſupra vires continentis eſſe cœpit; partim denique ob morſus & incentiva tum calcitratu validô, tum aquis, diutinâ morâ acriuſculis, mordacibuſque.

Illo negotio confecto, peroremus tandem, Octimeſtri æque recte ac Septimeſtri & Nonimeſtri, ſua eſſe præfixa, conſtitutaque tempora; nec ineptè inferamus eum excludi, vel ante diem Nonimeſtris, vel à die Septimeſtris; ſed præſtituta die, limitataque periodo prodire; præſertim, cùm ſit conſummatior, atq; nervoſior ipſo Septimeſtri, utpote altero menſe provectior; Nam quandiu moratur in utero, in eodem tamdiu nervos contrahit, iſthæcque ejus mora ſatis ſuperque determinata eſt ut ei robur conſtet. At Octimeſtris ducentorum quadraginta dierum diutiùs inhæſit in natali ſolo, diutiuſque nutritioni fuit addictus, (quatuor enim ſeptimanis, binis cum diebus, ternas Septimeſtris hebdomadum decurias tranſcendit:) Majus igitur, conſummatiuſque robur nactus eſt, validior ergò, ac potiori vita donatus. Nam, juxta Logicorum Maximas, ſi quod minùs videtur eſſe, eſt, id quod magis videtur eſſe, erit. At Septimeſtris minùs videtur eſſe poſſe vitalis, attamen vitalis eſt. Ergo Octimeſtris vitalis erit, idque ob rationem ſuperam, Dictatoris reſcripto fulciendam, ne, ſine lege loquentes erubeſcamus; παιδίον ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἐὸν, ἐγκρατὲς μᾶλλον γίνεται, puellus magis ac magis roboratur, quandiu indulatur & aleſcit in utero. Qui enim aliter fieret, cùm inibi, tepido in nido degat, nutritioni totus incumbens; at à pleniori nutricatione majus ſano robur. Octimeſtris igitur vegetior eſt, toroſiorque ipſo Septimeſtri; ſolidioribus enim, compactioribus, ac ulteriùs formatis eſt artubus, caloremve natura ſua intenſiorem & extenſiorem habet. Minoribus tandem, à perfectiore & magis ordinaria pariendi periodo, nono ſcilicet menſe, paraſangis diſtat. Medius denique, Septimeſtrem inter & Nonimeſtrem, alioſve provectioris ævi, longè conſummatos atque vivaces, conſtituitur. Eorum igitur cùm perfectionis, tum vitæ pleniſſimè conſors; Natura enim, non tranſit, citra grande offendiculum, de extremo ad extremum, abſq; medio eorum participe, ἐπεὶ γὰρ ὡς ἔσχατον καὶ μέσον ἀμφοτέρων. τὸ μεταξὺ, quod enim intermedium eſt, utriuſque particeps eſt extremi. Quæſierim lubens, à quo principio, quæ ſeptimeſtri innata eſt vitalitas, ceſſet octavo, quæ nono redintegretur atque reſurgat? Quid pacatæ iſtius vitæ curſum abrumpat, ac tantam necis cauſam irrevocabilem interponat? An ex-improviſo, inauſpicatoque, ipſis incautis, ſuique nimiùm ſecuris, vitæ filum reſciſſura, invidioſè ingruit Atropos? Hoc incongruo minimè dato, non eſt, quòd elumbem, effœtumque, ab incondito; irritoque, egreſſum quæritando, ſeptimi motu, eum obtrudant. Tria enim, quæ minimè fatemur, ſupponunt. Primò, fœtum omnem ſeptimo inordinatius ſeſe exagitare: Secundò, moveri tunc ad exitum ſibi pa-

randum: Tertiò denique, commotione tanta debilitari in tantùm, ut ſeminex & morti citimus, eam reapſe incurrat.

Pars altera. Quæ ſenis ar:iculis concluditur.

1. Triplicem modo prolatam adverſariorum hypotheſin, ceu directam in Octimeſtres aciem, rationibus invictiſſimis debellat; triplicemque mantiſſam adnexam habet, quæ, copiarum adinſtar auxiliarium, ſuperſtites, ſed palantes, hoſtes veritatis imperio etiamnum ſubjugat.

2. Pythagoricos numeros calculat, & eos nullô locô, numeroque habendos eſſe docet.

3. Aſtrologica argumenta diluit, ſuoque de ſoliô chimæricô Saturnum deturbat, atque in exilium æternum relegat.

4. Priſcos Medicinæ Proceres, quadruplicem in ſententiam de terminis formationis, motûs, & partûs fœtuum diſtractos, catervatim digerit; ſimulque Hippocratis famoſiſſimam illam τὴν Ἔκπλωσιν, à tot malè Græcis Auctoribus infamatam, genuino ſuo ſenſui reſtituit; Duplex præterea, Sabini, pervetuſti Medici, ſuper eâ Sophiſma diſſolvit.

5. Hippocratem, 1. duplici ratione, in eô ipſô excuſare tentat, in quô & illum accuſat, quòd ſcilicet à partibus Octimeſtrium, quorum tutorem amantiſſimum ſe geſſiſſe debuiſſet, deflexerit. 2. Galenum, de Octimeſtribus licèt per tranſennam locutum, noſtras in partes pellicit.

6. Tandem, Octimeſtres fœtus vitales eſſe acriter quidem propugnat, verùm, nonimeſtribus prærogativam cedit: ac demùm, Octimeſtres dirimit in eos, qui nutû ſuô ex uterî latebris in apertam lucem erumpunt; & eos, qui causâ quâpiam, vim ipſis inferentê naſcuntur. Priores felices & fauſtos autumat; alios verò, infortunatos & inauſpicatos reputat; illineque tandem perorat: Omnem martê ſuô naſcentem Octimeſtrem eſſe vitalem.

Articulus primus. Rectè Sennertus gravidarum teſtimonium inclamat, certior ut fiat, Embryonicô de motû; nulla enim potiori diſquiſitione id aſſequi datur. Ipſæ igitur utero gerentes, rerum, quæ & in ſuis geruntur præcordiis, & acrem oculorum obtutum effugiunt, fidiſſimæ Nobis ſint internuntiæ. Percunctemur omnes ad unam, fidejubebit nulla fœtum ſuum incompoſitiùs motitari ſeptimo, quàm reliqua, à media geſtatione, temporis intercapedine. Sed ſi is motus tantus eſt, fœtum ut enecet, qui obtingit, matres ipſas ut lateat, Nobiſque ſtantes ex adverſo, id ſecreti norint unici? Annon Chimæricis Nos illudere ſtudent? Nam ſemel ac fœtus compagem ſuam completam tertio, vel quarto menſe valentiorem adeptus eſt, movetur & calcitrat, juxta robur quod nanciſcitur. Hinc prout placide, aut irrequiete ſuis in clauſtris degit, ſic hac & illac ſeſe provolvit, atque volutat, membra quoquoverſum impellens, corpus contorquens, ſeſe inflectens, gyrans atque regyrans, undoſo ſuo ſubſterniculo innatans, umbilicalem ad funem alligatus, quo, ceu loro aut habenis, ductus, in equorum quaſi domitûs palæſtra, ſubſilit frequens, ſuique aliàs crebrioris, aliàs inſolentioris; aliàs remiſſioris, aliàs vehementioris; ſigna dat calcitroſus. Aliquem itaqne motum ſeptimo fieri ultro cedimus, ſed eum ſeptimo addictum & peculiare conamen eſſe ad egreſſum conſtanter inficiamur. Cur etenim, qui natura vel Octimeſtris, vel Nonimeſtris eſt, definitum ſibi tempus præverteret, ſponteq; ſua, & nutu ſuo, exitum ſeptimo tentaret, in idque valentiſſimè colluctaretur? Suo namque ſi excidit conatu, magnis excidit auſis, & fruſtraneam egreſſionem aggreſſus eſt, ejuſque rectrix Natura, quæ conſilio quaſi ducitur, laboravit incaſſum. Si verò prodit in lucem, moriturus illicò prodit, utpote infra maturitatem ortus. Ejus igitur ab utero ſeceſſio, à naturæ tramite deviaret, ac conſequenter, Natura præter Naturam ageret, quod contradictum evidens involvit. Dixerim aliter, ſi ſeptimo movetur, aut maturus aut immaturus movetur; ſi maturus, indubiè exit ſeptimeſtris & vitalis: fruſtra ſiquidem, imò noxie, maturatum eum, exitû interdiceret Natura, auſpicatum ejus, nonum in menſem protollens adventum. Si immaturus, cur, denuò inſtem, natura movet, curve eum ejicere nititur, quem ſemel admiſſum, ſinû debet diuturniori fovere. Iniqua foret noverca ſi cum fœtibus ſuis præmaturè, & præpoſterè ſic ageret. Annon inſuper rari ſunt Septimeſtres? Septimo igitur, rarenter exitum tentant; abhorret enim moderatrix Natura ſine fruſtrari toties. Si rari exitum tentant, pauci ergo periturii ſunt Octimeſtres, cùm pauci hanc ſecum necis ſuæ cauſam circumferant effœtas ſcilicet vires atq; profuſas, in conamine illo caſſo, quod fingunt. Conficiamus ergo, ſeptimi motum, minimè deflectere ab alterius temporis intermedii motu, totiùs enim geſtationis decurſu, uti retuli, ſuis motibus infans jactatur in horas, modò pleniùs atque tumidiùs; modo compreſſiùs atque ſummiſſius. At tantùm abeſt, ut eô enervetur motû, qui converſio levis eſt, & libratio quaſi fœtus ab umbilicô pendentis, ut econtrariò, puellum omnem, jam valentem, atque vividum, pleneque formatum viribus augeat & confirmet, nam operatio potentiæ perfectiva eſt. Igitur, ubi primùm fœtui motus aliqualis conceſſus eſt, ſingulis non modò menſibus, ſed & hebdomadis, atq; diebus, & horis, movetur fœtus; atque adeò motu ſuo, quam nactus eſt motivam perficit potentiam, eandemque iteratis actibus roborat, & habitum inde vegetiorem contrahit, ad ulteriorem, nervoſioremque motum, ἡ γὰρ κίνησις κρατύνει, motus quippe roborat, ut penitiſſimus crypticæ Naturæ ſcrutator Galenus, Platone doctus, Dictatorio placito ſancivit. Sed, prærogativa nonniſi de Juris redundantia cedenda, demus fœtum omnem motû ſeptimi in aliqualem incurrere calamitatem, & tempore egere ut recreetur, an idcircò hæc noxa, uſque adeò infeſta & damnoſa erit, ut omnes ex æquo perimat? Nonne quiſpiam vivacior cæteris iſthæc impendentia ſibi damna declinaturus eſt, vireſque citiùs reſumpturus, atque octavo menſe vividiore, ac ſpontaneo niſu, viam ſibi hanc in aſpectabilem hominum lucem ſtraturus eſt? Inſuper his, motus etſi quietem expoſcat, an continuò quadraginta dies exiguntur ad vires refocillandas? Undenam, quæſo, hunc præcisè numerum expiſcati ſunt? An ex abyſſis myſticæ Naturæ reverſi, tantas in moras, libamine nullo decurtandas, cum ea pacti ſunt? An piaculum erit fœtui, nonniſi morte piandum, hos quadraginta dies morboſos non explere, ſed morbo illo ſuo, ceu perperacuto, ceu peracuto, ceu ſimpliciter, acuto, confeſtim defungi, ac, vel ineunte vel medio, vel exeunte octavo, vitalitate ac robore plenum ſeſe pellere in lucem? Nonne ex ipſomet Hippocrate; de hoc numero dierum morbidorum ambigitur, οἱ μὲν γὰρ μᾶλλον, οἱ δὲ ἧττον πονοῦσι, alii enim magis, alii verò minùs laborant, atque ſic alii ſeriùs, alii autem citiùs reficiuntur. Rurſus, quadragenario ſi egent integro vires collapſas ut reſtituant, vel eos penitùs feriari neceſſum eſt, & tandiu quieſcere, ac immotos eſſe, quandiu hæc

Dulcia ſollicitæ, geſtabunt pignora matres, quod experientiæ diſſonum eſt; aut ſi moveantur denuò, cùm in dies ſingulos validioribus cieantur motibus, conſequens erit, ut vel hiſce identidem ingruentibus damnis obruti ſuccumbant, vel novos æternùm quadraginta dies ad ſui redintegrationem exigant.

His auctarium adjiciam, omnes Septimeſtres debere perimi, quia ipſis attritis ac ſeminecibus, ut aiunt, novus acceſſit labor, partus nempe, cui ferendo impares occumbent: Priori enim ſua calamitate ægerrimè depulſa, graviori hac inſurgente, nullo negotio delendi venirent. Aliàs falſo ſupponunt motum menſe ſeptimo, uſque adeò fœtum enervare, ut toto egeat quadragenario ſole, ſuas vires ut reſumat, ſibiq; ipſe robur conflet aliquod, quò partûs labores ſuſtinere valeat.

Aliud eſt & tantæ molis ſuprapondium, fœminis mares citiùs moveri, citiuſque formari; Κινέεται πρῶτον τὸ ἄρσεν; καὶ πρῶτον πήγνυται, vel cum Philoſopho, κινητικώτατα ἐστι κυόμενα τὰ ἄρρενα τῶν θηλέων, ἐν μὲν γὰρ πλέονι χρόνῳ διακρίνεται τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος. Mobiliſſimi ſunt maſculi foetus præ foemineis, ſegnior eſt quippe delineatio, atqueſecretio, conformatioq; fœminea, quàm maſcula. At fœmellæ complures, initio noni, vitales pariuntur; multi igitur mares, exeunte octavo, vel nono appetente orientes, vita potientur. Nam, cùm ex adducto loco, motus foeminæ tardior ſit maris motû, dies circiter ſex, & ſi tempus partûs, ſit triplum temporis motûs, & foemina naſcatur vel ineunte, vel medio nono vitæ longævæ, quidni pariter & mas longævus octavo naſciturus eſt?

Adverte tandem, ſummum Hippocr. omnes ab illo ſeptimi motû malè affici minimè cenſuiſſe; nam, quicunque ægrotat, *inquit*, κατὰ τὴν ἰσχὺν ἑωυτοῦ νοσέει, pro virium ægrotat modulo. Ergo, qui neutiquam ægrotarunt ſeptimo, victuri ſunt Octimeſtres. Victurus eſt & qui ægrotavit, ἢν μὴ σφόδρα νοσήσῃ, ſi graviter non ægrotavit; ſic namque morbo ſuo confeſtim depulſo, integra virtute, ſibi radicali, vivaciſſimus prodibit octavo.

Labefactatis, dirutiſque ſingularibus fundamentis illis, reliqua, ex ſe jam ruinoſa, collabi neceſſum eſt. Pythagoricorum quippe & Aſtronomorum rationes, ab ipſiſmet iniquioribus in Octimeſtres Judicibus exploſæ ſunt, nec eſt quòd in iis ſugillandis fuſi ſimus.

Articulus ſecundus. Res ſanè permira, foetum numeris ita addictum eſſe, ut fatis concedat naſcens die Octavi ultima, ita ut inverſo Seneca, non primus dies, ſed ultimus det extremum, noni autem primâ, victurus egrediatur: Perbellè enim inquiunt, at non probant, menſem incipientem, aut etiam περιπλόμενον, necdum confectum, ſed affectum, cenſeri completum. At dicant fide optimâ, quid tantula morula beneficii fœtui contulerit? Egregia ſanè diecula, albô notanda capillô, quæ ſic vitam impertiat! Si numerorum rationem ſubducere lubet, imparem unicè numerum in deliciis à Naturâ haberi, intrepidâ fronte reluctabimur: nam ludente natura par impar, ἀρτιαζούσης τῆς φύσεως, hocque ἀρτιασμῷ gaudente, omni die, æque pari ac impari, felices obtingunt & criſes & partus. Id fidus rerum eventus iis luculenter commonſtrat, qui nec fabulis, nec dictis aliorum circumveniuntur. Quem Pythagoreorum fugit, ſexto, qui tyrannus eſt, multos judicans vel ad ſalutem, vel ad mortem, haud inſolentes eſſe criſes? Quem rurſus latet, decimeſtres partus longè ſuetos eſſe? Pro ſuperpondio namque, ſi numerorum vim ullam expendamus, numerus decem, præcellenti nobilitate cæteris excellit, hunc quoniam numerando ſemel adeptis, non datur plus ultrà, niſi ad monadem denuò referamur, quæ monas duplicata, triplicatave per dena, vagatur in immenſum. Verùm, ne vel latum unguem à numero recedamus octo, nonne is quatenus eſt quantitas diſcreta, prorſus otiatur, vi penitùs orbus; aut ſi quâ energiâ pollet, eâ pollet ob perfectionem, quam intra ſe includit, utpote conſtans unitate, & numero ſeptem, proindeque Pythagoricis ad Juſtitiam dicitur: Primus enim omnium, ſolvitur in numeros pariter pares, hoc eſt, in bina quaterna, ſingulique quaterniones rurſus bipartitò ſcinduntur in bis bina. Binis igitur quadratis cubis, inconcuſsâ ſtabilitatê ſtantibus, ſolidè conſtat; quatuorque ſimpliciſſimis numeris combinatur, quater ſcilicet duobus, qui duplum quaternarium conficientes, numerum pariunt octo, Naturæ gratum atque tritum. An non tandem, Octoni menſes ſolares, numerum ſeptem, quater ac trigeſies, binis cum diebus, includunt, ac binos anni terminos explent? Quæ dichotomia eburneo ſtylo notanda eſt.

Articulus tertius. Explodendi, exibilandique & inſulſi Aſtronomi, cum ſui Saturni imperio, Octimeſtribus imprimis, malè omninoſo. Demus gratuiti, regnante Saturno, nullum prorſus malevolum ejus aſpectum eluctari. Igitur, ubi alius Erro, & conceptui & nativitati dominabitur, nulli in vim ſideris venefici atque ἰοβόλου, Octimeſtres licèt, iſtud fatale dominium ſubituri ſunt. At alii ſex Errones ſuis ſicut ordinibus regunt, ſic & beant ſub ſe natos; Octimeſtres ergo, qui ſub iis naſcentur, vitæ delicias carpent ſecuri. Præterea, cùm ii ſint ſex, omnes παιδογόνοι genitores, præ uno Saturno παιδοκτόνῳ infanticidâ, neceſſariò deducitur, ſexies plures Octimeſtres, fato functis ſuperſtites fore, quàm qui fato concedant. Imò, longè plures, quàm ſexies, tuti ſupererunt, nam reliqui Planetæ cùm ſint magis benefici, magiſque prolifici ipſo Saturno, inde contingit ut plurimi & concipiantur, & pariantur Octimeſtres, ſub ipſis ſingulis genitalibus, quàm ſub uno trucidatore Saturno. Sed rurſus, nonne abſurdum aſtruunt Saturni dominium in omnes conceptus, inque natos omnes octavo? Suppono Hippiam concipi hodiernâ hâc aurorâ ſub Saturno; Calliam pariter aurorâ concipi craſtinâ, dominatum eodem tenente Saturno; an qui deinceps centeni, & in infinitum milleni, menſibus proximis concipientur, fatali ſubjacebunt Saturno? Quandonam igitur alii Planetæ tenebunt imperium? Quaſi verò, præ Luminaribus magnis, mereretur ille ſceleſtus, ſummo imperio potiri, cæterique Errones, omnes ad unum, de cœlo quaſi deducti, nihil aliud quàm Saturni ſolium ſuſpiciant, ac ſupremum veluti Numen adorent? An qui formantur puncto temporis eodem, eodem propterea temporis excluduntur momento? An non ubi ſexcenti univerſo terrarum in orbe, temporis hoc minuto pariuntur, ex ipſis alii ſunt Septimeſtres, alii Octimeſtres, alii Nonimeſtres, alii Decimeſtres, alii demum Undecimeſtres? Qui fit ergo, ut nefandus ille Planeta, nec Septimeſtres, nec alios

enecet, ſed Octimeſtres unos, qui temporis ipſiſſimô punctô cum aliis orti ſunt, quos ſpirare ſinit? Si qualitatibus maleficis ſeſe à fœtibus abalienat, & inimicatur, omnes ex æquo, non verò Octimeſtres cum delectu, de mediô, ſublaturus eſt. Rebus deinde hoſtiliſſimi ſideris conſultius foret, teuelluli ac minutuli embryonis primordiis obfuiſſe, quam provectiorem atque vegetiorem, jamque natum, orbare lucis uſura conceſſæ. Sed æquale crimen eſt, impedire hominem naſci, ac natum interficere. Pariter itaque foret homicida Saturnus, primum Noſtri germen ſi ſuffocaret, ac pullulans illud ſi perureret.

Rem expeditius exequar, ſi profiteor, qualitates ejus deleterias è Sapientiorum Scholis ſibilo, cachinnoque exceptas, jampridem exulaſſe: quin imò, ejus beneficæ, Poëticis encomiis, aureo ſeculo altum intonuêre. Superſunt igitur, idem in exilium ejiciendæ, Saturni frigiditas atque ſiccitas, quibus, vitæ adverſis, naſcentes, ac vixdum natos Octimeſtres extinguit. Etenim, nonne permulti validis vitæ principiis dotati, hoc eſt, valentiſſimis calorê nativo, & humore radicali perfuſi, repugnantes illas Saturni vires reprimeat atque domabunt? Quod ſi uſque adeò laudabilia vitæ principia minimè nacti ſint, nonne qui ex ipſis, æſtatê, & urentê Siriô naſcentur, calorê tantô cœlitus adjuti, inimicas illas Saturni qualitates ita repreſſuri ſunt, ut Octimeſtris æſtivus vivacior ſit futurus Nonimeſtri brumali? Denique, an non temperatioribus noſtris in Climatis, calidior & humentior aëris conſtitutio Octimeſtribus favet, eoſque tutatur funeſtibus ab illis Sideris peremptorii viribus? Nati itaque ſub Saturnô, non omnes primum ſimul cum extremo diem ſuum clauſuri ſunt, ſed debiliſſimi quique, rigentiſſimaque hyeme ſati. Verum, generalius liquet quam abſonum ſit, cuilibet Octimeſtri, nondum formato, ſed bullanti adhuc, vixdumque ſalienti, veneficum præeſſe Saturnum, Octavo rurſus menſe, ubi fœtus idem, carceris ſui fores perrumpens, prodibit in lucem, lethifero potiturum Imperio. Vita deinde, medio ſtat plurium in cauſarum concurſu, nec uni infido atque truci Saturno creditur.

Vident ergo, contrariæ ſententiæ fautores, nec ſui eſſe diſpenſare dominia cœleſtium globorum, in hæc infima, nec cœleſtes Orbes, litem inter ſe movêre, aut de moderandis regni habenis, aut de illis, vel Saturno committendis, vel eidem ſubducendis; ſuis quippe luminibus, inoffenſo, nec uſpiam interrupto curſu, hanc viciſſim fermentant, fœcundantque terrarum molem.

Articulus quartus. Jam itaque, lucidiora Aſtrologorum dogmata altiſſimâ noctê videor involviſſe: meâ nunc intereſt, ſtando promiſſis, liberare fidem, & quadruplices Hippocrateos, ſuper partûs periodis, proferre Majores, qui meæ de Octimeſtrium vitâ ſententiæ facem præferunt lucidiſſimam. Aliis igitur, inquit Hippocrates,

Ἐς τύπωσιν λεʹ, ἢ ἔλιξιν, ſive dies 35.
Ἐς κίνησιν οʹ, ſive dies 70.
Ἐς τελειότητα σιʹ, ſeu dies 210. hoc eſt, tres hebdomadum decades, ſeu ſeptem menſes tricenarii: Solares enim, aliquot minutis, dies triginta ſuperant, quod notes velim, ne quis argutulus, ἀκριβολογῶν, dictis te ſubducat.

Aliis, ἐς μορφὴν μεʹ, ſeu 45. dies.
Ἐς κίνησιν οϛʹ, ſeu 76. dies.
Ἐς ἔξοδον σιʹ, ſeu dies 210.
Aliis, ἐς ἰδέην νʹ, ſeu dies 50.
Ἐς πρῶτον ἅλμα ρʹ, ſeu 100. dies.
Ἐς τελειότητα τʹ, ſeu 300. dies, hoc eſt, menſes 10. exacti.
Aliis demum, ἐς διάκρισιν μʹ, ſeu 40. dies.
Ἐς μετάβασιν πʹ, ſeu dies 80.
Ἐς ἔκπλωσιν σμʹ, ſive dies 240. qui terminus Octimeſtrium eſt, octies enim triginta dies, numerum explent ducentorum quadraginta dierum vitalium, ut hæc Veterum ſententia luculentiſſimam fidem facit.

Conſilii totius rationem exponam. Subolebat mihi ab ipſo limine, enorme hoc naſcendi tempus, cujus cauſas, ſpartam ornaturus ſedulo; quantum in me fuit, perveſtigavi: Nunc meminiſſe juvabit ſupremum Legum noſtrarum Sancitorem exigere Medicum πρὸς λόγους ἀνυτόν, verborum copiâ, & leporibus atque gratiis affluentem: Sanctionis ipſe tantæ memorabile exemplar, orationis & varietate & venuſtate, ſeſe præbet, dum variis hîc terminis, ſignificatû pollentibus eôdem, delectatus eſt. Res tota, in opimam hanc ſegetem demetendam mox immiſſa falce, magis perſpicuè pateſcet. En nimirum Hippocrates quater loquuturus de figuratione, conformatione, delineatione, ac diſcrimine, partium embryonis, quatuor ſignificantiſſima verba, quæ eodem coincidunt, uſurpavit. Τύπωσις quippe, quam aliàs τὴν πρώτην πῆξιν nuncupat, in eandem nominis ſignificantiam cum μορφῇ, ἰδέῃ ἢ διακρίσει revolvitur. Sic, quater expreſſurus motum, ſive ſaltum, vel trajectionem, & ſedium mutationem, ac migrationem quaſi fœtûs ab unâ uteri partê in aliam, bis uſurpavit τὴν κίνησιν, cui ejuſdem ſignificationis bina alia ſubjunxit, τὸ πρῶτον, δηλονότι, ἅλμα καὶ τὴν μετάβασιν. Tandem, exitum & egreſſum infantis ab uterô, ſeu partum naturalem, & à matrê ſeceſſum, quater quoque expreſſurus, bis revocavit in uſum, τὴν τοῦ ἐμβρύου τελειότητα, perfectionem fœtûs, quia partum illam neceſſum eſt conſequi, uti pleniùs mox innoteſcet. Illi porrò fœtûs perfectioni τὴν ἔξοδον combinavit univocè, exitus enim infantis ab uterô naturæ ſymmetræ periodicis ſanctionibus gaudet, proportionantis triplò tempus partûs ad tempus motûs. Binis autem illis τῇ τελειότητι καὶ τῇ ἐξόδῳ tertertiam ſynonymam ſubdidit τὴν ἔκπλωσιν ſcilicet, oſcitantium interpretum ſcandalum & offendiculum. Miſſis multorum quiſquiliis, quibus hanc illô ſuper verbô litem inſtructam conſpurcant, τὴν ἔκπλωσιν ritè & concinnè ab Hippocrate, ſagaciſſimô ſuæ mentis acuminê rei naturam penitiſſimè contuente, exaratam profitemur. Nam, haud ſecùs ac fructus ab arbore pendens, maturitatê plenus atque diſtentus, extremô ſuô retinaculô, ſeu pediculô, à ramô, cujus nunc pars fuit, prolapſurus humi, ſeſe ſuâ gravitatê ſejungit atque liberat; ſic fœtus, maturitatem octavo, ſeu terminum aſſecutus, ab utero, cui, ceu caudici adhæſit, laxatur undique, ſponteque labitur, vel, ut cum Hippocr. dicam, ἐκπίπτει, cadit, decidit, idque naturâ nequaquam violatâ; ipſa namque naturalem illum caſum, ſive partum, promovet ac etiam accelerat: Quem etenim, ut indigenam & conſanguinalem, ſecum modò connutriebat,

eundem nunc, ceu alienigenam atque hoſpitem ablactat, ſemovetque; Imò, ceu gravans & inutile pondus excutit. Ἔκπλωσις itaque, ſive caſus atque prolapſio, idem hic ſonat ac τελείωσις, & ἔξοδος perfectio, & exitus, quæ naturali tantùm & maturo, vividoque fœtui verè quadrant. Hanc veritatem illuſtro Galeni contextu, ubi loquens de partu naturali, τὴν ἔκπλωσιν uſurpat, lapſum ſcilicet, ſive lapſionem. Meridiana luce clarius igitur eſt vocem illam apud Græcos optime audiviſſe ad partum merè naturalem deſignandum.

Quid itaque ſuô ſuſurrô malè eruditô, Nobis obganniunt, Hippocratem ibi loci Octimeſtribus inimicari, cùm econtrariò, nuſquam amicior, vitales eos nuſquam expreſſiùs ſanciat; his namque quatuor in recenſendis modò prolatis ſententiis, totus eſt in naturali, tritaque naturæ periodô, ſive totus eſt in illis enarrandis, quæ naturâ benè moratâ contingunt. Ἔκπλωσις ergo, nequaquam abortus audiat, ut perperam vertunt. Nec ſuum Nobis inargutè Sabinum, Jalemô frigidiorem, textum Hipp. illum lævam in partem (ſupinum ut ſuum errorem, à tanti Judicis ore & criminatione tuteatur) detorquentem obtrudant. Nuſpiam etenim Sabini verba, in Hippocraticis aut excuſſis, aut MSS. Codicibus, legere eſt. Sed ea qualia leguntur, aureô licèt exarata ſtylô, ſupinè ac oſcitanter à Sabinô, ejuſque ſequacibus, lecta ſunt. Et illinc profectò mirari minimè ſubit, tot Viros etiam graves, ſpecie recti deluſos, ab illô Sabinô, ceu ab igne fatuô, in avia quæque deductos, ac in illud erroris barathrum miſere devolutos, combinando nimirum ſejungenda; & ſejungendo combinanda; nam quod ſubtexuit Hippocrates, οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, non eſt, & eſt, indoctè copulant cum præcedenti clauſulâ ſummâ, quaſi legeretur ὀκτάμηνος γίνεται οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι; Octimeſtris proles non eſt, & eſt. Eſt quidem, quia modò nata; non eſt verò, quia jamjam peritura. Unde eliciunt, perinde eſſe naſci Octimeſtrem, ac non naſci; quid juvat, terris tantùm oſtendi, vel lucis uſurâ frui tam conciſâ. Nobis verò, quos ſuper hâc rê, Mercurius benignior afflat, verba iſthæc, οὐκ ἔστι, καὶ ἔστι, integrum complent ſenſum; quòd ſi aliis conjungenda forent, ſequentibus, non verò præcedentibus copulanda venirent. Illis etenim optimô inſtitutô docet Hippocrates quamlibet de quatuor opinionibus à ſe prolatis ineſſe, & non eſſe, ſeu interdum veram eſſe, interdum verò falſam, quòd noſtra naſcendi tempora ſint enormia. Circumciſiori verborum brevitate, dialecticè dixerim, quatuor illas propoſitiones non eſſe Neceſſarias, ſed Contingentes, aliaſqua ita contingere, aliàs autem non ita. Hâc anſâ porrò capiendum venire Hippocratem evincimus ſequelâ, quâ monemur illos Naturæ terminos multifarios eſſe, ac pro multimodis ſui partibus, figuratione, motû atque partû, vel protolli, vel decurtari. Quoquô autem modô id eveniat, inquit Hippocr. nec multùm haſce Natura periodos prætergreditur, nec multùm infra ſubſiſtit, ſed tota hiſce veluti carceribus limitata, & coërcita metis, ſtadia ſua tanquam in decurſoriô emetitur. γίνεται δὲ ἐν τούτοισι καὶ πλέω καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλον καὶ κατὰ μέρος, οὐ πολλὸν δὲ πλείω, καὶ ἐλάσσω. Iſthæc autem, (figuratio nempe, motus & partus) intra tempora contingunt vel longiora, vel breviora, & ex totô & ex parte, non multùm autem vel ſeriora, vel citiora. Sic alibi verba faciens de primâ embryonis configuratione, quæ aut quadraginta duobus, aut triginta diebus fit, ὡς γὰρ, ſubdit, ἐπιπολὺ ξυμβαίνει, ἐν τουτέῳ τῷ χρόνῳ, ἢ ὀλίγῳ μείονι, ἢ ὀλίγῳ πλέονι ταῦτα διαρθροῦται. Obtingit quippe vulgò partes intra tempus illud vel paulò brevius, vel paulò prolixius delineari. Idemque loquens de formatione & motû, eundem inculcat multivagum naturæ curſum, ὡς δὲ γὰρ, habet, ἐπιτοπλεῖστον ξυμβαίνει, id enim, eô modô ut plurimùm accidit.

Articulus quintus. Ne, quæſierim, operoſâ manû Hippocratem verſato, ut ipſum ab hâc, quam Nobis edicit, Priſcorum ſententiâ diſſentientem exprobres: ſi namque Octimeſtribus fuit infenſus, id circumſpectè, ac prudenter egit, ſcenæ ut inſerviret. Genium enim noverat Græcarum mulierum, quas de Octimeſtrium morte conteſtatur, quæ οὔτ᾽ ἔργῳ, οὔτε λόγῳ πείθονται, nec rerum eventibus ullis, nec rationum ullô pondere ab adamata mente dimoventur, ſed à ſe notata venditant & obſtinatè tuentur. Hinc, quoniam penitiſſimis earum medullis præconcepta iſthæc de Octimeſtrium calamitate jam olim inſederat opinio, ut ſuperſtitem omnem Octimeſtrem, matre inſciâ conceptum dejerarent, noluit Vir prudens & cautus, adverſis cùm maris fluxû, tum ventô, explicare vela, ſeque æſtuoſo, ac procelloſo permittere mari. Tantæ interim experientiæ, tantæque auctoritatis, ac tantæ fortitudinis Virum decuiſſet, ſuâ fretum μεγαλοψυχίᾳ καὶ τῇ ὑπεροχῇ θείᾳ, magnanimitate, ac præſtantiâ quâdam divinâ protritæ illi, atque commentitiæ, quæ vagabatur opinioni, ex adverſô conſtitui. Sed cùm in Græciâ plurimos cerneret Libitinâ deciduos, dum in Ægyptô triviales obambularent, præcocis illius exitii cauſas ſedulus indagat, & binas illas eſſe putat κακοπαθείας, à Nobis elevatas, quas identidem perpeti haud ſuſtinent tenelluli Fœtus.

Aliud etiam rei momentum Hippocratem impulit, ut eò loci Octimeſtribus minùs faveret, numerum quippe ſeptem impenſe laudaturus, evincere aggreditur, ἀνθρώπου αἰῶνα ἑπτήμερον εἶναι, καὶ ἔνεστι ἐν αὐτῷ, ἐν ἑπτὰ διοικεῖσθαι, hominis vitam dierum numero ſeptem circumſcribi, & omnia in Nobis per ſeptenas periodos diſpenſari. Grave idcircò pondus dictis acceſſiſſe ſecum reputat, ſi Octonarium extenuet, natoſque octavo repudiet. Verùm, ubi rem ex profeſsô divulgat, Mulieres in geſtatione putandâ univerſe falli, ad ravim uſque proclamat: Cur itaque, eas tantùm deceptas, ſuſpicioſe & criminoſe dicunt, quæ vitales octavo fœtus ſeſe enixas eſſe jurejurant, illas verò minimè deluſas, quæ hôc ipsô menſê præſentaneam Parcarum prædam excluſiſſe rentur. Dicam ego, vicem rependens, totâ eas errare viâ, quæ nonô putant parturiiſſe vitales, quos octavo peperere. Equidem ſancit Medendi Conditor Artis, illicitum eſſe ἀπιστεῖν γυναιξὶ περὶ τῶν τόκων, fidem circa partus mulierculis detrahere; ſed Edicti ſui veritatem labefactat, & propudioſis materculis fidem derogat omnem aſſerentibus ſeſe viduas Undecimeſtres enixas eſſe. Quidni igitur fidem tot puerperis non detraheremus, quæ præjudiciis occæcatæ, Octi-

meſtres ſibi putant ereptos, præſertim cùm eæ ſint, confeſſore Hippocrate, ἄπειροι τούτων τῶν λόγων, καὶ τῶν πρηγμάτων, ratione rudes, & rubes inexpertæ. Ne itaque eaſdem in anſas, cum Bonaventurâ veniamus, neve ipſis φιλιπποκρατείοις Hippocratis amantibus fucum faciamus, largiamur quod res eſt, Dictatorem nempe Octimeſtribus malè ominoſum fuiſſe. Sed ejus Manes, quanquam infra vota noſtra, februabunt Galenici Genii, legere quippe eſt, τοῖς τιτθοῖς ἐπιγίνεσθαι τὸ γάλα, ὅταν μάλιστα τέλεον ἤδη τὸ κύημά ἐστιν. ac rurſus, τελεωθέντων τῶν ἐμβρύων καὶ τοῦ τῆς γονῆς ὥραν ἀποβαλόντων, συνεξαιρεῖσθαι τὰς τιτθὰς ταῖς ὑστέραις. Rurſus tandem, μαζῶν ἀναίμων τε καὶ λευκῶν ὄντων, τὸν οἰκεῖον χυμὸν πλεῖον ποιοῦσιν, ὅταν ἐπιρρέῃ τροφὴ πλείων ἐν αὐτοῖς; πλείων δὲ ἐπιρρεῖ κατὰ τὸν ὄγδοον μῆνα τῆς κυήσεως. Achilleum exindè argumentum formato, Lac gignitur in mammis, ubi fœtus perfectus eſt, pariendique tempus inſtat. Atqui lac gignitur octavo menſe: Menſe igitur octavô fœtus perfectus eſt, pariendiq; tempus inſtat. Præmiſſarum utraque ex fœcundiſſimô pectore Galenicô deprompta eſt: Igitur & conclusio ex illis elicienda. Jam ſi fœtus perfectus eſt octavô, inſtatq; ejus partûs hora, maturum illum, ac vitalem, prodire, nemo ſanæ mentis, niſi contumelioſus & pervicax, infitias iturus eſt, ἅμα γὰρ τότε παιδία χρήσιμα, καὶ τὸ γάλα χρήσιμον, tunc enim infans natalis fit, cum lac utile incipit eſſe.

Articulus ſextus. Quòd ſi inſtes, vitales quidem Octimeſtres eſſe, ſed Nonimeſtribus ipſis minùs vivaces, tuam in ſentetiam, ſuperô Philoſophi ductû, cui τὰ ὀκτάμηνα ζῇ, ἧττον δὲ, lubens ſum iturus. Evicimus enim, longè alacriùs ætatum ſtadia eos decurrere, qui ſuis in uterinis præſepibus nutricatui & robori intenti, diutiùs ſtabulati ſunt. Huic ex ipſiſſimô puteô erutæ veritati ſymphoniaci Polybus atque Diocles, rerum haud inſipidi delibatores, τὸν ὄγδοον μῆνα ἴσασι γόνιμον, ἀσθενέστερον δέ πως. Menſem octavum genitalem agnoſcunt, ſed quadantenus debiliorem. Sic Philoſophus ipſe, acerrimus Octimeſtrium vindex, prolatorum in hujus Diatribæ veſtibulô ritè ſciens, πονοῦσιν, ait, αἱ γυναῖκες μάλιστα τὸν μῆνα τὸν ὄγδοον, καὶ ἐὰν διαφθείρωσιν ὀγδόῳ τῷ μηνὶ, τὰ ὀκτάμηνα οὐ ζῇ. Menſe præſertim octovô mulieres ægrotant, atque adeò fœtus ſuos octavô ſi excludunt, Octimeſtres illi nuſquam vivunt. Ejus circũciſus interpres Plinius, Gravidis, *inquit*, octavô menſe maximus labor, lethaleſq; in illis abortus. Quibus mehercle, ambo hi primæ meæ aciei Primipili, necem Octimeſtribus inferri volunt. At ſoſpites illos priùs tutabantur. An unâ ipſi frontê tutelarii, alterâ verò ſicarii benevoli? Apage tam perfidos homicidas, qui ſic doloſè ſuas movent tragœdias, & hoſce poſt ſiparia trucidant, quibus propalam, & tam clare, modò plauſerant. Hinc memet ut expediam, nec in cô quod expeditum eſt, ceu in ſcripô, nodum quæram, totam ego litem componam, ac ſecum ad ſpeciem diſſidentes, in gratiam reducam, duplices (colophonem additurus) Octimeſtreis ſub oculis ponendo, Eſſentiales alios, ſeu Spontaneos & Per Se, qui nempe, ſeminê quod ſpontê ſuâ, (modò nihil obtigerit inauſpicati) Octavo menſe matureſcit, ſati ſunt: Accidentales alios, ſeu Symptomaticos, & ex Eventû, ſeu à Caſû, qui nimirum propter vim externam interturbatæ naturæ offendicula ſunt, atque ſcandala. Tales etenim fœtus immaturi ſunt, & ante tempus à naturâ præſcriptum, impulſorê malè proſperô, præmaturè depulſi. Fidê igitur indubitatâ, partus omnis, à ſanis vegetiſq; parentibus prognatus, ſeſe octavô, unius naturæ inſtigatione pellens in lucem, ſalvus & incolumis reputetur, quantùm ſcilicet ſpectat ad vim Vitalitatis à partione ſoboleſcentem; nam aliundè quid vetat ipſum concedere fatis, parî infortuniô ac vel ſeptimeſtres, vel etiam nonimeſtres. De his ſpontaneis Octimeſtribus priora, feliciaque & fauſta, atque vitalia Scriptorum Placita leguntor. At ubi contrariâ vicê, criminoſoque eventû, regularis, ſtataque partio diſturbatur, quid mirum, interruptæ ac violatæ naturæ foetum, octavô intercidere? Intercidit & univerſè, nec uſpiam ſoſpitatur vî ejectus. De his ergo poſteriora, damnoſaque & peremptoria, in miſellos Octimeſtres, à mortê redimendos, Decreta, quotquot ea ſint primitùs expedita, promulgantor. Qui itaque, ut reſumam ſimul & perorem, ex ſeſe, & cauſis internis, nonô naſciturus eſt; aliundè & extrinſecùs, octavô ſi paritur, inauſpicatò & ominoſè paritur. At quilibet octavô naſcens, à principiô ſibi interiori, omnibus externis, (quæ malis avibus advolant perſæpe) procul ſemotis, fauſtiſſimô ac auſpicatiſſimô partû, ſanitatê ſartâ, tectaque excluditur. Hanc frugiferam ſegetem ex Hippocrateis arvis lætus demeſſui, ὅσῃσιν, inquit, οὐδὲν ἔσω τοῦ τεταγμένου χρόνου ἑκάστησι τὰ τικτόμενα ἀπόγονα γίνεται. Quibus, partionis intra limitatum tempus ſiniſtri nihil accidit, Vitales ſingulis illis Partus contingunt. Summis igitur cautionibus ſibi proſpiciant gravidæ, nocivis ne ſuis, pueruli maturitatem prævertant. Maximæ quippe molis eſt fœtum, frivolâ ſatum originê, propitiô enixû in lucem promi. Is enim, ludicræ fortunæ & alumnus & partus, ventris alveô concluſus, ſexcentis in horas caſibus, veluti fluctibus, obvius eſt. Uſque eò deplorata ſunt ejus primordia, ut inconſtans illa ludibundæ unius arbitrium materculæ, ad omnia præceps, repentinâ ruinâ ſubvertat.

Amotâ igitur omni opinione præjudicatâ, compertum fiat animis temperatis haud inſolentes eſſe longævos Octimeſtres. Experimentis gravia ſuffragantur rationum momenta, quæ non modò hoc ipſum dogma ſtabiliunt inconcuſſum, ſed ei in ſpeciem adverſa, funditùs evertunt. Auctoritatibus tandem, ſi lis dirimenda, aut jurejurandô controverſia diſtrahenda, an non Juridicê Hippocratis Majores & Coætaneos, ejuſque Nepotes inſuper plurimos, Ariſtotelem, Cæcilium, Aſclepiadem, Plinium, Plutarchum, & Galenum, cæteroſque complures, optimis auſpiciis, veridicos fatorum augures, fidoſque Nobis Octimeſtrium vitæ & ſponſores & fidejuſſores, toti tumultuariæ in Octimeſtres furentum turbæ fortiter oppoſuerimus. Huic igitur Experientiæ, Rationis, & Auctoritatis, veluti ſacratiſſimo Tripodi fatidicæ ſuperpoſitæ Phœbades, genuina φωτὶ βίῳ, veriſſimè vaticinabuntur,

Omnem ſponte naſciturum Octimeſtrem fore vitalem.

Hactenus Præclariſſim. Dom. Carolus Drelincurtius. *Jam antequam materiam plenius ſubingrediamur, lubet Obſervationes quaſdam generales partionem, eique etiam inſervientes Obſtetrices, ſpectantes, præmittere.*

artus

Partus incerta conditio.

Vulgatum eſt laborioſius primiparas parere, nec fallunt cogitantem rationes; experientia autem etiam hoc docuit ex iis eſſe, quæ ὡς ἐπὶ πολὺ, non ſemper, eveniunt: credo ego plurimum in graviditate ſitum eſſe, & ut illa eſt, ſic ſæpe partum quoque facilem aut difficilem eſſe. Si enim illa vires non attrivit, probabile eſt partui magis idoneum fore corpus atque integrum: verùm uti in magnitudine figurâ & ſitu poſt converſionem potiſſimum conſiſtit partus momentum, ita non ſemper ratio illa reſpondet, graviditaſque facilis duro & laborioſo partu expiatur. Ex hiſce autem imprimis fluere video, non omnem Primiparárum partum neceſſariò aliis quibuſque graviorem eſſe, cùm primi infantes ſæpe minores meliuſque figurati & ad partum compoſiti, quam vel ſecundi aut ultimi. Quod autem de Naturalium dicunt anguſtiis primo partu explicandis, id certè nihil eſt; mox enim, ſaltem niſi aliud interveniat, nono poſt partum die ad priſtinam redeunt omnia anguſtiam, eodem labore vel etiam majore poſtea iterum dilatandam. Jam ſi anguſtia eſt illarum partium in Primiparis major, facilè eam & naturali mollicie, quæ juvenculis eſt conceſſa, & copia lymphæ uterinæ, quæ & ipſa copioſius adfluit, quam in adultis, emendari poſſe probabile eſt: quantum autem humor iſte ſive uterinus ſeu vaginalis partum promoveat, illæ ſicci habitus adultæque virgines plerumque ſemper laborioſius parientes exemplo ſuo oſtenderint. Et verò experientia didicimus, plurium liberorum matres, præſertim ſi virium & humiditatis jacturam provecta ætate fecerint, de ultimis mediiſque partubus magis quam de primis queri. Quemadmodum autem non ſemper primus partus magnitudine reliquos antecedit, ita etiam ab hac parte minus eſt periculi. De figura autem & poſitu æque omnia incerta, quod & illa in primum partum non magis quam medium aut ultimum cadant. Cur autem aliquando Primiparis partus ſint difficiles, non una eſt cauſa; primum enim, ut inſuetis omnia ſunt duriora, ita illis quoque futuri cogitatio præſentiſque rei experimentum animos facile dejiciunt, doloriſque ſenſum exaggerant. Deinde corporis illa curatura, quam virgines olim nimium affectabant pompæ & gratiæ ſervientes, multum quoque partus moleſtias auget, quippedum Hypochondria ventriſque inania, quorum expanſione plurimum fœtus expulſio juvatur, faſciis tæniiſque conſtringuntur, & plenæ reſpirationis uſu intercepto tonum amittunt, deſuetæ pridem fibræ etiam tum, cum virneceſſe eſt, officium facere nequeunt matremque in ipſo opere deſtituunt; ut intelligant jam gines, quam difficile ſit in tam tenui junceoque habitu matres fieri, Accedit, quod nec ætatis nec ſtaturæ in utroque ſexu habeatur ratio, atque hinc diſpar proportio partus quoque augeat incommoda. Tenerrimis ſæpe puſilliſque virginibus viri collocantur & robuſti & πλατύστερνοι, quod ipſum poſt capitis vaſtitatem præcipuè notandum: atque hinc ſæpe capite Naturalibus immiſſo reliqui corporis exitum humerorum moratur latitudo inque majorem angulum finiens proceſſus. Hæc tamen ita facilè ſæpe corriguntur Naturalium mollicie atque humiditate, ut non ſatis mirari Lucinæ vires poſſimus. Id autem in univerſum conſtat, feminas, quæ viros nactæ ſunt capite, humeris, oſſiumque mole conſpicuos, dum ipſæ delicati ſunt habitus, plerunque laborioſius eniti. Verùm quo magis incerta partuum ratio conſtet, ſingulare eſt, quod quæ doloribus ſæpe faſtidiiſque ſunt confectæ matres, faciliorem experiantur Lucinam, quam quæ uterum animosè & ſine ullo incommodo geſſere. Imò reperias, quibus à morbo eoque graviſſimo deprehenſis partus ſuperveniat & æquius ſolvatur, quam alias, cum immunes degant ab omni morbo. Ut hinc appareat, non matris tantum has eſſe vires, quæ partum ſecundent ſed & fœtum hic aliquid poſſe, & validum ſuoque genio in cætera partium harmonia fruentem. Nimirum evenit ſubinde, ut principium vitale fœtus matris vitia non moretur, & vis elaſticæ robore imminens contagium à ſphæra nutritionis ſuæ vel avertat, aut fermento proprio in melius immutet, atque hinc matribus ab ægritudine conſumtis partus procedant rotunduli & nitida cute pingues. Dici non poteſt, quam graviter ſæpe laborent partui proximæ, deſperantibus etiam mulierculis, & tamen, poſt exhauſtum corpus, quando Nixiæ ſunt partes, adſint vires tanquam de cœlo miſſæ, collectæque etiam ſine magno labore partum ſolvunt; ut ſciatur, quanti referat, hominem ſervari. Sed ecce hic anodyni partus exemplum. *Joh. Nicol. Pechlinus in Obſervat. Phyſico-Medicis.*

Partus & ſubiti & ſine dolore.

Impoſitæ ob primævum vitium mulieri diræ hanc quoque traxere neceſſitatem, ut durius & cum dolore pareret, fortè ut conceptæ initio rerum labis ſenſus aut naſcenti aut gignenti imprimeretur, quod adeò verum experimur, ut vix unam reperias matrem, cui non partus magno conſtet, etſi non æquo omnibus labore. Barbaris equidem hominibus & ad mundi fines rejectis magis propitiam eſſe Lucinam, quam noſtris, commentaria docent peregrinantium. An quod, cum ſacrorum religione peccatique originalis conſcientia minus tangantur, ſecuriore niſu pariant? An, quod diætæ magis æqualis ac innoxiæ uſu aëris adhoc majore conſtantia fruantur, quam noſtri orbis hoſpites? Illud autem ſatis conſtat, ſi ratio ineatur molis iſtius & oſtioli, quo ſe erumpere debet ſuo & alieno infans, non poſſe non laborioſum eſſe & lumbifragum partum, etiam in quam ſanis quadratiſque feminis. Quò magis mirari oporteat, quod paulò ante attigi, matribus nonnullis à morbo jam attritis atque emaciatis jamque extrema ſpirantibus partum oboriri facilem, imò ante parere, quam peperiſſe ſe intelligant. Adeo tenellæ matres cum febre conflictatæ calida ipſas quatuor ſex & octo ſeptimanas ante partum, quin & ſub ipſo partu, quæ Prognoſtico relictæ videbantur, tam propitiam expertæ ſunt Lucinam, ut unde vires ſuppeterent in tanto animi corporiſque deliquio, nemo conjicere poſſet; pariebant tamen, & facilius quam ipſæ illæ ſanæ, & niſi credere piaculum eſt, ſine dolore. Nempe Naturâ, id verò eſt, inviſibilis Dei digito operam omnem præſtante, quam vel mater ſana aut ipſe Puer præſtare debuerant, facilis eſt in incredilibus labor.

Quando

Quando itaque in conclamatâ aut afflictâ matre partus ſuccedit, probabile eſt ſoli fœtui tantum eſſe virium, quibus ipſe ſe expediat Naturæ clauſtris jam ante quoque mucilagine copioſâ, quam fortè morbus eò derivat, reſeratis. Unum autem exemplum partus anodyni non poſſum quin memorem. Mulier erat ſutoria, ſextum nunc etiam menſem gravida, aliquot antè liberorum mater, quæ febre ardente epidemiâ miſere afflicta jam aliquot ſeptimanas ſævitiem morbi ſuſtinuerat eò redacta ut extrema ſpiraret. Actum videbatur de matre & fœtu, cum mulier nullius admodum conſcia doloris matulam poſcit, quâ excipere urinam, quod illa rebatur, poſſet. Tum illa, ubi aquam mittere ſe putat, infantem excludit nitidum atque vegetum, ſed qui ſeptimum nondum attigerat menſem, adeoque ultra tres ſeptimanas non ſuperſtitem. Illa quid actum eſſet neſciens, etſi molem ſibi excidiſſe quereretur, præſentes advocat mulierculas, utque rem explorent monet. Ibi illæ non ſine horrore infantem reperiunt vinculis adhuc ſuis alligatum, quem non procul habitans Obſtetrix auxilium vocata ritè liberabat, toto etiam puerperio, extinctâ febre, feliciter cedente. Et verò in parturientibus hoc quoque notatu dignum, non omnes eodem modo eniti, & quamvis plurimis in ſtrato jacere commodum ſit, novi tamen, quæ & ambulando provocent partum & ſtando dejiciant, quod ipſum Gallicanæ feminæ Viri τὸ πάλιν in more fuiſſe intelligo. Alias exemplo didici temerariæ matri ſuique fidenti jamque partum vicinum auguranti, dum ſe ſpeculo ſiſteret; & ut nonnullis feminis familiare eſt, vultum ornaret componeretque ad decretorium laborem, vix dum conſciæ excidiſſe offam albam, abrupto etiam vinculo umbilicali; inde quidem puerum mortuum, matrem verò exantlatâ magna hæmorrhagia evaſiſſe. De meretricibus autem vulgo increbuit, utrum certò rumore, neſcio, eas ferè omnes facilius parere: credo quòd, dum profano concubitu omnem decoxerunt pudorem, nihil penſi habeant, quid eventurum ſit, modo ab impudico onere liberentur. Ita notæ ſunt, quæ inter choreas luſuſque ventrem excuſſerint, ad conſuetos labores ſubito reverſæ. Hoc verò etiam novum, quod in vicina pridem urbe meretriculæ paulò ante nuptias, ut fieri ſolet, ſacram Euchariſtiam in Eccleſia ambienti, tantum non, dum ad altare properat, partus dolores ſupervenerint, quæ, ut erat in propinquam domum delata, ilico infantem enixa eſt ſanum atque integrum. Novum autem non eſt plurimas feminas ſedendo parere, nec antè ſolvi, quam poſt varios habitus jectigationeſque in ſellam procubuerint, compoſito ſic melius ad excluſionem corpore. *Idem ibidem.*

Fortuita excuſſio Partus fœtentis jam & ſemilaceri.

Natura uti obſtetricios labores ferè ſola abſolvit, ita Fortunæ etiam aliquæ hic ſunt partes; ſæpe enim, ubi fœtus uterique & virium conditio minus nobis perſpecta, mirificis illa luſibus ſe oſtentat. Ubi anceps quandoque eventus, & quod ſupereſt exiguæ ſpei prudenti conſilio regere volumus, ipſa ſe interponit Natura; & improviſo ſæpe etiam in ſpeciem periculo caſu ſaluti proſpicit laborantium. Femina quadragenaria primipara, viro πλατυστέρνῳ juncta, ex partu novem dierum periclitabatur erantque jam omnia deplorata, quippe à triduo mortuus infans & manu una pedeque, nunc etiam evolutis inteſtinis, ab Obſtetrice truncatus, in eam figuram redigi non potuit, quæ cætero corpori extrahendo vel truncando eſſet idonea. Ergo parturientis vires deficiebant, & ob crudeliſſimam manus operam, quam adferre Obſtetrix & ſagaciſſima & exercitatiſſima neceſſe habebat, omnem amplius ſui curam detrectabat, & jam jam ſemifurioſa mori decreverat; nec parum abfuit, cum parturiendi dolores pridem defecti in illo corporis frigore immenſoque fœtore, qui matronas adſtantes repellebat, denuo ſubrepunt, & illa paulum ſibi reddita operam implorat Obſtetricis, quæ cum vix crederet veros eſſe dolores, à parturiente importunius rogatur, manum ipſa commodaret, ſed ad frigus fætoremque pudendorum manum ſubitò retraxit, quam dum rurſum inſinuat habitum ſuperſtitis trunci exploratura, omnia adhuc dum arcta & ad expulſionem imparata reperit. Illa tamen urget ὠδῖνας, quas pridem ſenſerat, poſtliminio redeuntes. Ne ergo volentem conantemque deſerere videretur, jubet ut ſine ſtrepitu è lecto tolleretur, quod cum parturiens audiret, non exſpectato auxilio contra monitum ipſa ſe lecto velut furibunda præcipitat, ſentitque rupto vinculo molem aliquam Naturalibus dejici. Ad quæ converſa Obſtetrix increpare primù parturientis temeritatem, mox mirari fortunæ caſum, quippe ſaltu illo, quo ſe lecto præcipitaverat, maxima pars fœtus effuſa tractandam ſe extrahendamque Lucinæ præbebat. Verum in illo corporis materni fœtore atque invaleſcentis febris deliræ periculo vix aliud quam mors exſpectabatur, quam tamen, ſuppreſſa poſt quatuor ſeptimanas Urinæ incontinentia, quam vis intulerat, effugit priſtinæ ſanitati reſtituta, poſt illa etiam facilius pariens. Certum autem eſt, poſſe aliquandiu in ventre latere incorruptum onus, aut ſi corrumpatur, non protinus matri quoque mortem adferre. Memini feminam cum mortuo infante jam inde à novem diebus, cum fœtore autem manifeſto à tribus diebus conflictatam, fruſtillatim reddidiſſe infantem ipſa ægre evadente. Sed obſervatione dignius, quod Venerando Socero meo B. M. Langelotto videre contigit, & ipſe cum diligentiſſimis Naturæ cuſtodibus, Germaniæ Curioſis, Collegis meis honorandis, mecum ipſo olim communicavit, nimirum mulier quintum menſem gravida cadaveris conſpectu territa ilico neſcio quid mutationis & nauſeæ oboriri ſibi queritur: laſſitudo inde membrorum & omnium rerum ἀνορεξία, objecti cadaveris ſpecies turbare perpetuo conſtantem alias mentem videbatur, non tamen ullum in corpore frigus nec adeò etiam in ventre inſoliti ponderis ſenſus; ex illo autem uterus non magis intumuit, dubitare ergo de conceptu incepit, & cum decimo menſe partus non ſequeretur, etiam undecimum menſem & duodecimum opperiens, tandem colluviem quandam eſſe obſtructorum menſium plane ſibi perſuadet. Conſulit ergo D. D. Langelottum & rogat in illa corporis ſui Uterique fallaci qualitate menagoga propinaret.

Ille

Ille autem, ne quid in re ancipiti noceret, Pilulas exhibet de Sagapeno Martis Vitriolato ſale elegantiore permiſtas. Sumit has illa manè & ecce poſt meridiem graviſſimos & parturientium æmulos dolores, dum illa autem nihil aliud quam menſes exſpectat, incumbens Naturalibus moles Obſtetricem poſcit, quæ ut venit, ſtatim ex doloribus partum, quamvis molæ, auguratur: præterierant aliquot horarum tædia, cum omni opinione citius infans excluditur, abſolutus quidem ille & quinquemeſtri fœtui ſimilis, ſed niger, obſcurus, exſuccus, ſtrigoſus, & carnis inſtar fumo duratæ retorridus. Sanè ex omnibus indiciis colligere licet, jam tum ad terrorem habituſque cadaveroſi ſpectaculum lentè interiiſſe hunc fœtum, & raro Naturæ conatu in liquore illo ſuo, velut Balſamo, merſum perduraſſe, averſo jam etiam per tam vehementem animi paſſionem à nutritione ejus ſanguine materno, conſtrictis, quod metus terroriſque proprium eſt, venis. *Idem ibidem.*

Aquæ diu ante Partum.

Lympha illa Uterina, quæ & antecedere & comitari Partum euntem ſolet, ſi maturius juſto tota excutiatur, ſiccatis tum morâ Naturalibus, neceſſe eſt Partum fieri laborioſum, ut qui maximè lævore illo mucilaginoſo in tantâ viarum anguſtiâ rugoſâque contractione adjuvetur. Itaque Obſtetriculæ, cum aquæ ſubitò prorumpunt & copioſe, non ſtatim in fœtum quoque exeunte nitu, male metuere parturientibus ſolent, neque injuria; eo enim majus periculum, quò intenſe ſtivior ille & ſine dolore fluxus. Accidit feminis nonnullis, ut duos treſve dies ante partum fluat Lympha illa Embryonis pridem balneum, ſed nec ſubitò neque confertim, adeò etiam reliquum eſt, quod imminente jamjam partu vias deliniat: atque illis tamen paulò laborioſior eſt partus, quam quibus una cum fœtus parturitione aquæ profluunt. Sed & illa juſto ſubitius fieri inque periculum adducere & fœtum & matrem poſſunt, quò intelligas modum aliquem eſſe debere & ſatius eſſe, ſi aquas præeuntes ponè ſequatur infans & invicem ſe excipiant. Aliquibus tamen etiam longo intervallo ante partum, imò, quod ex probatæ Obſtetricis ore habeo, novem diebus citius (cujus rei exempla anno 1680. in unâ Kilonio quatuor contigiſſe memini, quaſi cœli quidam influxus eò ſpectaret) aquæ iſtæ prorupere; atque ejuſmodi matres, niſi antè aliquot partubus fuere exercitæ, omnium laborioſiſſimè pariunt. Stillat ſæpe hæc aqua multò antè, neque hoc adeò partui officit, ſæpe fluit aut funditur, & hoc cum periculo eſt conjunctum, quamvis favente Lucinâ etiam majori diſcrimini eripi parturientes poſſint, quo ſcias Naturam optimam ſui eſſe ac curioſiſſimam cuſtodem. Vidi feminam ſeptem menſes gravidam, quæ cum Viro ſociata veſperi obambularet plateas, à ſtudioſis graſſantibus conjugemque invadentibus territa incredibiles ſtatim ſenſit ac veluti partus dolores. Acceſſita Obſtetrix cum aquas lentè ſtillare videret, partum initio ominabatur immaturum: verum cum dolores non intenderentur, ipſa tamen uſque & uſque malè haberet & cum animi deliquiis conflictaretur, aquæ autem non niſi ſtillatim profluerent, non quidem tam citò, ſed ægrè & cum mortis diſcrimine parituram rebatur. Verum, ut arcanos rerum inopinarum exitus Naturæ relictos ſcias, opinione ſua decepta fuit Obſtetrix. Namque aquarum illarum ſtillicidium quotidianis animi deliquiis comitatum ipſas ſeptem hebdomadas continuaverat, cum partus invaleſcunt dolores & fœtum enititur non ſine magno labore & periculo, vivum quidem, ſed orbitate alimenti macrum atque exilem. Obſtetrix à me ſollicite rogata de aquis ſanctè teſtabatur toto illo tempore, quo fluxerant, fuiſſe verſicolores, albas, lacteas, flaves, virides, nigras, peſſimo ſemper fœtore comitante. Ajebat quoque ſe ſæpius ante partum Amnii rupturam & caput infantis jam converſi oſculoque uteri expoſitis, ut eſt nudum, digitis deprehendiſſe, quod cum ego errore aliquo factum eſſe contenderem, religiosè illa obſtitit, & ad manuum experientiam, quatuor mille liberorum partu exercitatam, provocavit. Quidquid demum ſit, aut res portentis adnumeranda, aut digitorum error eo excuſandus, quod, cum in illa fermentatione ſpirituum & aquarum putredinali, ut fœtor teſtabatur, pars Chorii deceſſiſſet, aquæ eò quoque ex interiore Amnio exſudaverint ſtillatimque collectæ profluxerint, prohibente fœtus immaturi conditione & Naturalium anguſtiâ, ne & Amnio rupto aquæ totæ effunderentur comitante fœtu. *Idem ibidem.*

Parturiens ſuffocatione Uteri convulſiva extinguitur.

Quam facilè alium quemque morbum in virginibus feminiſque pro Suffocatione Uterinâ accipiunt Matronæ, tam præfractè eam, etiam cum adeſt, in gravidis, magis quoque parturientibus, negant: nam cum morbum hunc omnem à feminis Viro maturi corruptelâ oriri ſat impudicè ſibi imaginantur, ſolâ graviditate, matrimonii fructu, velut Antidoto, arceri morbum hunc poſſe fidenter credunt. Sed oppido falli mulierculas manifeſtum eſt, cum non tantum omnis generis & conditionis feminis, verùm etiam aliquando viris, ſi non morbus, certè eadem morbi Symptomata eveniant. Sanè ut ab Utero ſæpe in feminis μίασμα illud ſurgit reſpirationi gulæque infeſtum, ita in Viris à ventoſâ Hypochondriorum ſentinâ eadem in corpus redundat ſymptomatum facies, quod ne temerè dixiſſe videar, ſequentis exempli argumento rem defendam; nunc tamen parturientis feminæ hoc morbo extinctæ hiſtoriam deducam. Mulier erat annorum duorum & viginti, quadrato & obeſo corpore, hæc ſe, ut eſt Gravidarum appetitus ad noxia propenſus, crudis auſteriſque fructibus oppleverat ſobriam diætam ſemper exoſa: accidit autem, ut proximè antè partum cum marito contentione maximâ altercaretur, tandemque importuno litigio neſcio quas minas extorqueret. Vix hæc erant acta, cum partus dolores cumque iis occulta dudum vitioſorum humorum ſaburra erumpere cœperunt. Duraverant aliquandiu dolores, ſed ſine effectu, intercipiente reſpirationem flatuum copiâ, quam nec Clyſteres neque alia diminuere poterant. Mox animo linquitur, omniſque in anguſto labor eſt; inde paulum ad ſe rediens Uterinis, Caſtorio & ſuc-

ſucco Nepethæ, quæ Obſtetrix jam & ipſa morbi conſcia imperaverat, reficitur. Prodierunt quidem ructus nonnulli, ſed poſt iterum oppreſsâ voce gulaque, quod digito ſignificabat, vinculo injecto obdormiſcit; jamque hanc perpetuam noctem fore omnes credebant, cum interea miſſis ſubinde ſuſpiriis motibuſque convulſivis aut vitam, aut vitæ reliquias teſtaretur. Adſunt proinde, quæ me auxilii causâ ſollicitent; nec mora, cum me in pedes conjicio, ſed quia in ultimâ urbis regione habitabat, tardius acceſſi. Ægræ propinquans genas reperio roſeo colore perfuſas cætero corpore liventе, reſpirationem vel nullam aut poſt longas pauſas ſuſpiriis interruptam, pulſum adhæc inſenſilem, verbo, omnia conclamata. Una interim ex præſentibus opiferiſque feminis refert, in illâ mortis imagine infantem ſuis ſe viribus clam inter ſtragula eduxiſſe, matre duntaxat gemitibus aliquot motibuſque convulſivis mutationem prodente, quæ cum indicia mortis eſſe putarent, accidit ut partus ea fuiſſe ex ejulatu conſtaret. Poſt omnia quietiora, niſi quod trium horarum agônem ſuſpiria motuſque convulſivi interpolarent, tandem etiam finirent. Ventris tumor etiam poſt partum major, quam antè, ſive quòd flatuum viſcoſorum copia tympani inſtar eum inflaſſet, ſeu quòd tenſæ Uteri fibræ in illo agone convulſivo ad Syſtolen reduci nequiverint. Jam cum Hyſtericæ aliàs ex facili revocari poſſint Salium volatilium nidore, hic neq; illa, neq; Spiritus Salis Ammoniaci, qui cum Lapide Calaminari expellitur fortiſſimus, quidquam profuere. Infans ſatis erat vegetus, oſtendebatque nihil ſibi cum tumultu illô fuiſſe commercii. Et verò ſuffocationem fuiſſe quæ fœminam jugulârit, ſymptomata adeò omnia indicabant, namque obſtetrix crediderat, niſi inſolitum rei portentum, & fœminarum contumacia eam circumegiſſent. *Idem ibidem.*

Infelix Obſtetricis manus.

Ut ſitus, figura, robur infantis plurimum adjuvent partus felicitatem, tamen & obſtetriciæ manus aliqua eſt in hoc negotio opera. Noſcat illa oportet, vel initiò bene conjiciat parturientis ingenium, noſcat idque accuratè, num, qui inſultant dolores, veri ſint, an ſimulati, num in partum uterumve, an inteſtina vicinaſque partes erumpat ille impetus; hoc enim neglecto accidit perſæpe, ut fruſtra vires ſuas impendat mater & juſto tempore deſtituta veris doloribus adeſſe non poſſit. Adeò momentum illud, quo uterque & mater & fœtus operam dant, ſollicitè diſtinguendum à doctâ Obſtetrice, ne alter alterius conatus intempeſtivè deſerat. Contigit ſæpe, ut illud ſit Infantis robur & tam ſubiti impetus, ut, ſi velit, coërcere nativitatem ruentis non poſſit, &, & ut poſſit, non debeat. Hic malè eruditæ Obſtetrices, cum credant ſtatim initiò nullos dolores eſſe veros, monent, urgent matres, contineant, quantum poſſunt, ſpiritum, ultimiſque caſibus reſervent, infelici certè conſilio, cum ſemel elapſa temporis illius oportunitate contabeſcat lentè partus & omnis deinde opera in ſolam Matrem redundet, adeoque vel non procedat partus, aut laborius finiatur. Itaque diſcant diſtinguere tempora & motus infantis provocantis matris Labores. Quod ſi illud ſit Matris Infantiſque robur vegetuſque calor, ut uno impetu & aquas & ſe protrudere poſſint, haud facile Obſtetrix vehementiam illam cohibeat, & prodeuntis caſum moretur; præſtat autem ibi ſequi Naturæ impetus & cadentem excipere, quam non profuturis monitionibus parturientis conatus infringere. Fateor, uſu hoc venit in juvenculis feminis, & malè ſibi metuentibus, jam etiam ad minimos dolores commotis, ut à fruſtraneis illis conatibus, quibus ſæpe ſe ante horam macerant, abſtineantur, & veris tantùm conjuratiſque partus doloribus, quod judicium eſſe debet Obſtetricum, ſeſe impendant. At cum tam ſubiti ſunt atque improviſi partus labores, id agendum cumprimis Obſtetricibus, ut Naturæ ſubveniatur & feſtinationis vitia manus dexteritate corrigantur. Conjugi meæ primus partus fuit laborioſior, idque quod abſente Obſtetrice à mulierculis monita dolores & vehementes datâ operâ retinere cogeretur, elapſis jam dudum aquis viiſque mora illâ exſiccatis. Et verò vetula Obſtetrix tandem adreptans, cum ingenium ejus nondum edidiciſſet, lecto illam uſque detinet, dum interim parturiens ſolvi ſe poſſe negat, niſi ſellam reponatur, quod cum nollet Obſtetrix, aliquot horæ fruſtratis laboribus extrahuntur: inſtat tandem violentis precibus motuque corporis laborioſa conjux; nec mora, cum in ſellam tranſlata novi & veri dolores cumque iis partus inſurgeret feliciterque ſiccis ſeſe viis expediret. Secundus partus illi tam facilis fuit, ut ſine feminis, me abſente, in vulgari ſellâ partum una cum aquis effunderet; & cum clamoribus impleta domus vicinam forte feminam præterambulantem ultrò invitaret, oportunè accidit, ut illa jamjam pavimento illapſurum puerum ſupparo prona exciperet, & me quoque ab urbe reducem arcique Principali ob præſtandas ibi operas vicinum vegeti rotundulique infantis nuncio bearet. Tertius autem partus infanti ob celeritatem improviſam & Obſtetrici minus curatam fatalis fuit. Nam cum forte fortunâ inviſeret eam Obſtetrix nihil aliud cogitantem, commodum incidere partus dolores, ſed cum partum tardius imminere illa opinatur, & crepundiis veſtimentiſque venturo infanti neceſſariis incumbit, parturire incipit conjux mea; igitur præventa & conturbata hac feſtinatione muneris partes negligentius obit, ſellamque & alia minus rectò diſponit; jam verò & feminarum opiferarum defectus in illa longinquitate ædium diſſitarum parturienti Matri valdè moleſtus erat, neque enim erant, quæ pedibus divaricandis, neceſſario admodum operi, ſufficerent. Effudit ergo ſe ſubito cum aquis infantis caput, qui, quod obelus eſſet & πλατύπτερος, circa collum hærere incipit: magna ergo Obſtetricis, magna præſentium feminarum ſollicitudo. Dum interim mole ſe ſuâ urget Infans Matriſque provocat conatus, horæ ſic effluunt duæ, fruſtraneiſque laboribus fracta Mater tumido lividoque ob ſuffuſum ſanguinem vultu dubium præbebât ſui ſpectaculum, & jam infans quoque deſerere matris operas videbatur, cum Utriſque ſubventura Obſtetrix humeros componere viaſque manibus dilatare negotioſè ſtudet; operam ergo, quam poteſt, præſtat, ſed in illâ feſtinatione caſuque ancipiti mollicula manus oblita ſiniſtrum humerum à ſcapula divellit: prorumpit tandem

tandem ad hæc vexatus infans, tamque ſubito latebris ſeſe effert, ut niſi pede dextro ruentis impetum ſuſtinuiſſet, ſolido alliſus periiſſet; ſed in illa conſternatione vix ita regi manus potuit, ut non & ipſa incondito tractu crus dextrum luxaret, fatalique omine in utriuſque partis tandem & corporis ruinam graſſaretur. Nitida erat & vegeta puella, cum prodiret, ſed ad lucis ſtatim uſuram & toto illo tempore, quo membra fingebantur triſti ejulatu aures noſtras offendebat; ſed verò nulla nec poſt lactis uſum nec octidui ſpatium requies, ſemper enim & uſque fletus intendebat. Quorum cauſam cum identidem quærerem & tandem propè humerum ſiniſtrum cruſque dextrum ingentem deprehenderem tumorem, facile conjeci in illa imprimis membri utriuſq; ἀκινησίᾳ luxationem eſſe, & hinc coëuntes in tuberculum humores diriſſimis doloribus ſcenam inſtruxiſſe: & ſanè ita erat; nam ex violenta articulorum luxatione ruptis vaſis ſanguineis lymphaticiſque omnis in tumorem ſe collegerat humor, intra viginti dierum ſpatium planè purulentus; nihil enim ad diſcuſſionem viſcoſioris Lymphæ vel Emplaſtrum de Galbano, Diaphoreticum Mynſichti, aut Diachylon cum Gummi, vel illud de Ranis cum Mercurio, profuere. Igitur inſtituto cum aliis, tum maximè Affine meo, conſilio, tumorem primum humeri novacula aperuimus; dici autem vix poteſt, quanta ſtatim puris vis profluxerit, quam, ne ſimul & ſemel vires proſterneret infantis, coërcere fas fuit: & ex illo quidem ulcus coire amplius noluit, ſed ſemper & uſque humidum quotidianum puris demenſum reddebat. Jam verò & alter ille cruris tumor durus & magnus ad maturitatem ſpectabat, novaculamque poſcebat, itaque & ille incredibilem ſtillavit puris copiam, quæ ad extremum uſque perduravit; juraſſes ſanè toto corpore emunctos humores nutricios in una hæc loca coiiſſe, de ſertoque infantis habitu hac exitum quærere, adeò, quod reliquum erat corporis, in quotidianis iſtis deliquiis à nupera obeſitate deficiebat umbræ ſimilis; & verò diſturbata ſemel partium illarum adhuc dum cartilaginoſarum ſtructura, ne coaleſcere amplius oſſium contigua, neque humorum adfluxus quantumvis excogitatiſſimis remediis impediri potuere, imò cum ſemel cruris illud ulcus ſicciſſimis adſtringentibuſque emplaſtris ad conſolidationem perduxiſſemus, ſueti excurrere eò humores vel circa eundem illum locum aut in ventris panniculum, immenſis & ſcirroſis tumoribus, ſeſe collegerunt, adeò ut fontem illum iterum aperire neceſſe haberemus, quo facto remiſere ventris illi tumores omniſque ad veterem locum revocata eſt ſanies,: verùm, cum in illo temporis tædio & diuturnitate vulneris coitum tentaſſemus, in ventrem inque ipſo umbilico reſedit tumor, qui & ipſe tandem ſe aperuit. Itaque tribus illis foraminibus inexhauſto fonte intra viginti & tres ſeptimanas totum miſellæ & in dolores tantum ejulatuſque natæ puellæ corpus exaruit, animamque, quam, pridem acceperat, ad Deum, illum omnium auctorem, remiſit. Cogitent hic piæ animæ, quam me caſus ille hominem alienis ſemper miſeriis indolentem affecerit. Machinam condiderat Deus venuſtulam, omnibuſque numeris & legibus pneumaticis hydrauliciſque abſolutam, tum maxime animæ domicilio ſuperbam: hanc inconſiderata manus, quæ opem ferre debuerat & in melius fingere, deformat atque deſtruit, divulſiſque membrorum articulis fibrarumque & venarum conjugio planè mutilat; unde intolerandi ſtatim in ipſo ortu dolores tot humorum affluxu fontiumque ſanioſorum ſtillicidio perennaturi. Prona initio fuerat, in illa saniei putreſcentis mora oſſiumque molliculorum luxata compage, tum ad Fonticulos tum Spinam ventoſam diſpoſitio, ſed dilligens Defenſivorum applicatio & Chirurgicæ manus opera, quam ipſe commodabat Affinis meus, D. D. Langelottus, facile hoc prohibuit. Satis autem fuit, nihil commeritam puellam, parentum duntaxat avorumque noxis infelicem, ideo in hoc theatrum veniſſe, ut ne quidem libato tota vita ſomno miſeriarum duntaxat dolorumque teſtis eſſet atque arbitra. *Idem ibidem.*

Obſtetricis examen.

Semel iterumque examen inſtitui Obſtetricum juxta cum aliis Medicis, ubi mirari licuit principiorum varietatem, quibus niterentur; namque & à ſeſe & ab obſtetriciæ artis regulis vulgatis diſcedebant. Cum autem in naturali beneque figurato partu nulla ſit mora, iſque ipſe, niſi corporis prohibeat vaſtitas, ſua ſe ſponte excludat, præcipuæ circa partum vitioſum quæſtiones oriri ſolent. Itaque Juvenis Obſtetrix, Matre & Avia obſtetricibus prognata, Sereniſſimi Principis juſſu à nobis examinata hoc dedit reſponſi. Rogata, annon in hoc potiſſima Obſtetricis opera conſiſteret, quod male ſitum infantem molli tractu manuū formæ & poſitioni debitæ reſtitueret? Reſpōdit, non temere variandum eſſe ſitum, niſi planè à Natura abhorreat, & verò plerunque omnem manuum molitionem fruſtraneam eſſe, ſæpe & noxiam; quandoquidem ea ſit Naturalium anguſtia, occupante imprimis omnia fœtu, ut luſum dextræ, etiam digitorum, ægrè admittat: adeò quoque, ſi præpoſterè exire conetur infans, eum ſibi relinquendum & ea figura, qua ſeſe objicit, extrahendum, idque ſe non tantum ſuis, ſed & Matris & Aviæ experimentis didiciſſe. Inſtabam, quod ſi venter pronus oſculo Uteri incumberet, annon ita refingendus eſſet ſitus? Imo verò, ait, ſi poſſit, nihil prius nec potius eſſe debere, modò Lucina, quod rarum eſt, faveat; & verò, ſi promoveri venter poteſt manibuſque cedit, ſatius eſſe pedes quam manus captare, quod plus periculi ſit in harum compoſitione quam pedum. Quod ſi nates Uteri oſculo ſe admoveant, non facile ſic vexandum corporis habitum, imprimis ſi uni alterique conatui cedere detrectet; adeò vel flexum duplicatumque provocandum eſſe, non abnuente operam Nixia: dicebat exemplis ſibi conſtare converſione fruſtra tentata felicem fuiſſe fœtus ſic malè ſiti eductionem, & non ita pridem ab importuna Obſtetrice vellicatum illum corporis habitum ſcroto, quod primum jamque per tres dies propendebat, Gangrænam Partuiq; interitum adtuliſſe. Rogata ulterius, num, ſi pes unus ſe oſtenderet, is quoque, ut in manibus fieri ſolet, reponendus eſſet in Naturalia? Reſpondit, minimè hoc faciendum, ſed in eo operam locandam eſſe, ut & alter prodeat adeoque Agrippæ partum æmuletur. Monita ex dictatis ſcribentium, ſic tamen ante manus componendas eſſe, quam excluſio tentetur, dixit, nec ſibi nec ſuis fuiſſe in more laborioſa manuum compoſitione tempus fallere, & verò notaſſe, manuum illam

configurationem non eſſe ſine periculo, quando & ſuis & Aviæ, exercitatiſſimæ ſane feminæ, mihi quoque & notæ & probatæ, exemplis didiciſſet, poſt compoſitas & directas in Agrippæ partu ad femora manus, oſculum uteri, elapſis jam humeris, circa infantis collum jam minus tutum coiviſſe, puerumque vel jugulaſſe aut violenter protractum capite truncaſſe: cui etſi aliæ Obſtetrices reponant, digitis, ſeſe tamdiu & uſque diſtinere uteri oſculum, donec caput prætereat, ſcio tamen, ubi difficillimè id impetrari potuit. Quid quod, cum ante aliquot annos Flensburgi in Cimbria eſſem, præcipua mihi Matrona narraverit, Obſtetrici diu nimis nimiſque laborioſe manuum compoſitionem quærenti tandemque indeptæ adeo malè hoc negotium ceſſiſſe, ut caput in utero avulſum manſerit, & non niſi mirifico Naturæ luſu poſt prodierit. Objiciebatur deinde huic noſtræ, non tamen ſic quoque periculi immunem eſſe partum, quando & brachia ſic ſurſum acta luxationem in iſtâ viarum anguſtiâ facilè incurrerent: Huic diſcrimini manus digitoſque opponere ſe ajebat, inde & poſt partum poſitu atque linimento ſubvenire, ſubinde etiam, ubi neceſſitas id flagitaret, id operam dare, ut una manus deflectatur. In Gemellis adfirmabat ſe, etiamſi unius ſexus eſſent, placentas tamen obſervaſſe duas diſtinctas, ſemel quoque unam in gemino ſexu, ſed obiter diſcriminatam: etiam Gemellos ſuis ſingulos membranis & aquis incluſos, quorum unus etiam adhuc dum Amnio involutus prodierit, jam verò & vidiſſe ſe duplices aquas & Amnii & Chorii illas, & eſſe has, quæ tam diu ſæpe ante partum fluant, dum interim Amnii illæ ultimæ neceſſitati reſerventur & unà cum infante profundantur. De Fune Umbilicali hoc quoque notaverat, non in partu primum collo eum aut aliis partibus circumvolvi, ſed jam inde à primis fœtus rudimentis flexum illum figuratum eſſe, monſtrantibus id ad oculum abortivis trium quatuorve menſium fœtibus. Sed & hæc non vulgaris erat Obſtetricis Obſervatio, quod Meconium viderit prolabi ex utero, multò ante quam fœtus in lucem exiret. De Secundinis id quoque monebat, cum illæ parturiuntur, videri nonnullis ob dolorum affinitatem alterum eſſe fœtum; adeò hoc evellendum eſſe laborantis animo, ne ad novos dolores nunciumque obortus mœror vias contrahat, & quæ in excluſione fœtus fortunata erat mater, ex Secundinis periclitetur: in quam rem adferebat exemplum feminæ, cujus & ipſe teſtis ſum, quæ, cum duos jam genuiſſet infantes idque laborioſè, ad improviſum tertii infantis nuncium ſubitò & in ſellâ exanimata periit. *Idem ibidem.*

Placentæ extractio à peculiari funiculi in eandem incertionis modô reditur difficilis.

Obſtetrices non rarò cum anxiâ ſolicitudine in placentis, poſt fœtum in lucem editum, extrahendis occupari, mirum videtur negotii iſtius ignaris: aſt verò ſi res penitius inveſtigaretur, nemini admirationi foret; ſæpius enim in earum poteſtate non eſt, placentam ex votô arreptam educere. Ecquid verò in cauſa Sit, hactenus à nemine ſatis perſpectum reperi. Nonnulli autumant placentam nimis arctè utero adherere, propter firmiorem coalitionem vaſorum uteri cum vaſis placentæ, in quò tamen eos falli crediderim. Alii in placentæ putrefactione, & ſubſtantiæ ejus laxitate imò & in ore uteri nimis ſtrictè occluſo cauſam difficilis iſtiùs extractionis conſiſtere ſtatuunt. Nemo vero, quod ſciam, mentionem facit ejus, quod omnium maximi hic eſt momenti, nimirum centralis inſertio in placentam; ſcilicet quando præciſe in centrum placentæ idem inſeritur, ut plurimum difficillimè abſcedit; non rarò enim coguntur obſtetrices placentas ita conſtitutas digitô indice lædere ut abſedant. Si verò in hoc vel illud latus implantetur, facili negotiô, & quidem ſuâ ſponte, ſequitur fætum in lucem prodeuntem: Eadem hujus eſt ratio quæ corii in orbem ſciſſi cum adhærente in ſui centrô funiculô; hôc namque corio madefactô, & lapidi etiam ponderoſo applicitô, idem levi operâ è terrâ evelli poteſt: ſi verò lateraliter affigatur funiculus, irritum erit opus. *Fridericus Rhuyſchius Obſervationum Anatomico Chirurgicarum Centuria.*

Hactenus Obſervationes promiſſæ. Sequuntur jam in Partu difficili Curationes quædam ac identidem de Partu Cæſareô, pauca, quibus ſubjungemus in eadem materiâ Conſultationes Obſervationes *&* Anatomicas inſpectiones.

Curationes.

In partu difficili, item ſecundinarum eductione, inter reliqua præſtat ſpecificum ex ſecundinis; (pro quô.

♃. Secundinam recentem & ſegregatâ venâ umbilicali, cuticulam exteriorem exſicca in clybanô, ut poſſit pulverari. Doſ. à ʒi. ad ʒiß.) Item oculi leporis in Martio capti, (valet etiam molâ, modo de eâ conſtet) qui ſtudioſè eximendi, ne comprimantur nimis, cumque pipere in orbe exſiccandi. Horum unus vertici cum pipere ita alligetur, ut vertex à pupillâ tangatur, & fœtum, ſive mortuum, ſive vivum educet. Quô factô mox amoveatur, ne uterum planè propellat. Sic oleum ſuccini & carvi an. gutt. iii. iv. v. vi. vii. in vinô exhibitæ partum accelerant. Apud pauperes vidi partum ſæpe difficilem ſolvi hauſtu urinæ mariti. Sic ſtercus equinum in vinô expreſſum & percolatum ſubitò fœtum & ſecundinam expellit. *Joh. Hartmannus in praxi Chimiatricâ.*

In partu difficili ♃. Tinctur. ſuccin. ℈i. eſſent cinnam. gutt. vi. aq. ſecundin. ℥i. M. pro duabus doſibus.

♃. Extract. fellis & jecoris anguill. ℈ß. aq. antihyſter. ℥i. M. pro duobus hauſtibus.

♃. Pulveris fellis & jecoris anguillæ ʒi. borac. venet. ℈i. olei cinnam. gtt. ii. M. f. pulvis.

Vel ♃. Specier. diajovis ʒi. aq. cinnam. ℥ii. M. Prædictis medicamentis, & parvis uncis cum catenis à Scultetô demonſtratis, duas mulieres à fœtu mortuô facillimè liberavi. Quarum una Horſeniæ in daniâ, & alia in Indicô regno Coromandel vitam egit.

In Secundina retenta. ♃. Spirit. ex ebore, ſal. ammon. ſuccin. an. gtt. x. tinctur. ſuccin. ℈i. eſſentiæ cinnam. gtt. v. aq. antihyſter. ℥ii. M. pro duabus aut tribus doſibus.

♃. Spirit.

Vel ℞. Eſſent. cinnam. gtt. v. ſuccin. gtt. x. tinctur. caſtor. gtt. xv. extracti ſabin. ℈ß. aq. puleg. & matricar. an. ℥i. M. detur cochleatim.

Vel ℞. Specier. diajovis ʒi. aq. ſecundin. ℥i. M.

In Torminibus à Partu. ℞. Elixyr. vitæ Matth. ʒii. tinct. ſuccin. ʒi. aq. carminat. ℥ii. ſyr. cinnam. ℥ß. M. detur cochleatim.

Vel ℞. Spir. carminat. ʒii. Eſſent. ſuccin. ℈ß. tinct. caſtor. ℈i. aq. matricar. & artemiſiæ an. ℥ß. ſyr. artemiſ. ℥i. M detur cochleatim.

Vel ℞. Specier. diajovis ʒi. tinct. ſuccin. ℈ß. eſſent. roriſmar. gtt. xv. aq. ad artemiſ. ℥ii. M. pro duabus doſibus. Tinctura præterea ſuccini ad ʒi. in aq. cinnam. cum vino deſtill. ℥iv. ac ſyr. cinnam. ſ.q. miſta, vera & unica puerperarum aqua vitæ indubiè exiſtimari poteſt. *Hermann. Nicol. grimm. Compendii Medico-Chimici l. 4.*

Si medicamenta, laboreſque & matris & obſtetricis, nihil effecerint, chirurgiæ negotium committendum, niſi gravida valdè debilis, vel fœtus jam per aliquot dies demortuus fuerit, quo in caſu & operam & famam perderes.

Diligenter adeoque primò diſcernendum quænam cauſarum partum impediat. Major ſi ſit fœtus, & via anguſtior, dilatatio hujus fiat; hanc obſtetrices nonnullæ inſtrumentis commodis perficiunt, ſicque vivum fœtum extrahunt, quibus deficientibus obſtetrix manum in pugnum arctiſſimè contractum, in ipſam vulvam uſque ad uteri orificium inſerat; & deinde digitos ſucceſſive, per orificium, in uteri interiora, quo in ſtatu conſtitutus fœtus explorandi gratia, intromittat. Hic quod ſi brachium aut pedem illegitime collocatum reperiat, leniter ſurſum adigat, caput verò deorſum, quod ubi orificio proximum, alteram quoque manum, ſi poſſibile, per pudendum in uterum immittat, quò ſic utraque fœtum amplecti & extrahere queat. Hoc ſi impoſſibile ſit, hamo, ori, oculo, aut auri fœtus firmiter (cavendum enim ne recedat, & uteri interiora lædat) inſerto, fœtum leniter educat. Et ſic ſequi ſi recuſet fœtus hamò aliò exterius lævi, intus acuto, ventrem, thoracem, aut caput fœtus diſſecet: brachium vero, aut pedem, ſi ad exteriora diducere liceat, exſtirpet ſicque tandem membris variis ablatis, reliquum extrahat, & operationem ad optatum finem perducat. Verum ſi neque hoc modò liberetur gravida, cultello forti atque acuto membra ordine amputentur, ſicque per partes fœtus educatur, neceſſe eſt; ſed hoc efficere nullius eſt, niſi Anatomici expertiſſimi.

Secundina fœtum illicò ſequatur, nullius enim illò excluſo, uſus eſt; imò mox à partu arcte admodum os uteri clauditur, ut non niſi ſummô cum labore ni eum inſerere manum liceat. Obſtetricis adeoque eſt primò ſtatim tempore eam extrahere, digitiſq;, ſi utero arctiùs adhæſerit, leniter ſeparare, nam vi ſi eam avulſerit, patiens ſine dubio peribit. Et quamvis ſcriptorum varii, obſtetriceſque communioris ſortis, parvi æſtiment ſecundinam utero adhærentem non ſtatim poſt partum prodire; fundamento tamen valido me inſiſtere cenſeo, ſi inter ſymptomata puerperii ex graviſſimis eam habuere. *Paulus Barbette Chirurgiæ, part. 1.*

Annotationes quædam in methodum extrahendi fœtum à Clariſſ. Paulo Barbette mox propoſitam.

Non ita commodum eſt caput infantis partui vicini, & in malo ſitu collocati, deorſum adigere ut utraque poſtea manu extrahatur; præſtatitaq; remotis partibus ſuperioribus, pedes exquirere, per eoſque extractionem moliri, nam ſic liberior manibus operatoris aperitur via. Aliquando revera ille ſitus ita moleſtus eſt, ut quæcunque demum adhibeatur vis, inverſio ad pedes ſit prorſus impoſſibilis; cujus caſum ſatis rarum nuper nobis videre contigit in muliere Neocomenſi quæ partus doloribus diu vexata, opem meam imploravit. Accerſito Domino Jona Anton. Purry Chirurgo experientiſſimo, ille omni niſu caput ad os pubis per mentum alliſdens, atque quaſi impactum, & brachia foris pendula ad ſuperiora rejicere, aut alia ratione parturienti auxilio eſſe per plures horas, quamvis ſumma cum dexteritate, in caſſum tentavit; hancq; tandem pro deplorata relinquentes de ea prorſus conclamatum credidimus; ſed aliàs ſe res habuit, nam natura, efficacia ſalis cujuſdam volatilis amari & aromatici meæ compoſitionis, quem ægræ ad guttas aliquot vino admiſtum aliquoties propinavi, maximis conatibus fœtum per pectus duplicatum tanto cum impetu excuſſit, ut coſtæ extra ſitum diſſilirent, & os ſacrū præ compreſſione quam ab occipite patiebatur intus non parum adigeretur, & propè difrumperetur. Vixit tamen poſtea mulier ſine ulla vel colli uteri, vel pudendorum laceratione, atque integræ ſanitati reſtituta, hodie laboribus ſibi ordinariis non minùs quam antea inſudat.

Secundinas autem quod ſpectat, perquam accuratè adnotat Franciſcus Mauriceau in ſuo elaboratiſſimo tractatu gallico de morbis mulierum prægnantium & parturientium, multò ſatius eſſe manu eas extrahere, quam remediis intus adhibitis pellere: Nam quandoquidem ea omnia quæ in id aſſumuntur ſunt intenſioris caloris, febri excitandæ non parum faciunt, & ſæpiſſime enormes hæmorrhagias, alvi fluxus, uteri inflammationes, aut relaxationes, aut prolapſus, producunt; unde multò plus imminet periculi quam à Chirurgici dexterè operantis manu. De Molarum extractione vide quæ proprio capite. De Partu verò Cæſareo jam paucis.

Partus Cæſarus

De Partu Cæſareo in præſentiarum acturi, dicemus primò ſic deſignari eam operationem, qua vivens fœtus è matre ſub partionis conamine agoniſante, mox mortuâ, aut jamjam moriturâ per uteri ac ſuperpoſitorum abdominis muſculorum, tegumentorum communium, & peritonei longam inciſionem extrahitur. Sic olim Scipio Africanus & alii multi dicuntur in lucem produci; Sic proximè præteritô ſæculô Eduard. VI. Henrici octavi Angliæ Regis filius, per Janæ matris, ut multi narrāt, latus apertū lucitradius eſt.

Illa autem ſectio fit, ut mox innuimus, vel antequam mater mortua eſt, ſed cum agone confligatur; vel poſtquam jam ultimum eadem traxit ſpiritum, & tum debet Medicus morituræ mulieri diligentiùs aſſidere, ut ipſo quo animam efflat momentô, fœtum exſectione educat; brevi enim aliàs ſuffocaretur nec alicujus fructus foret operatio. Hic de illâ præcipuè loquimur, quâ matre adhuc vivâ, & fœtu itidem vivô, illius abdomen & uterus cultrô aperitur, ut per foramen hic vivus educatur; Ad eum ſcilicet finem, & fœtus & mater non pereant, & ſupervivere poſſint.

Contra hanc operationem non parum declamatoriam ſuam exercet Paratus dum ſcribit, ſe etiam mirari, quod inveniantur homines qui dicant id factum eſſe quandoquidem, *addit*, fætus per ventrem extrahi nequit niſi muſculi epigaſtrii maximô vulnere ſecentur, & ſimul etiam ipſũ uteri corpus, unde magna ſequetur hæmorrhagia, parturienti neceſſariò lethalis. Noviſſime præterea.

Franciſcus Mauriceau in Rouſſetum acriùs inſurgit, qui tractatu peculiari de hac operatione, agit, atque minime impoſſibile eſſe ut mulier ex ea evadat per experientiam ſtatuit. Verùm Antonius Mizaldus aſſerit pluribus mulieribus fætum per ventrem ſic fuiſſe extractum, quæ multis poſtea annis ſupervixerint, conceperint, & pepererint. Caſparus Bauchius narrat hiſtoriam de quadam Eliſabetha in Turgois quæ ſic ſecta fuit & convaluit, & poſtea adhuc gemellos, & poſt illos adhuc quatuor alios pueros peperit. Matthias Cornax ſcribit quod quædam Margareta Karlinger Viennæ fætum mortuum, pluſquam quatuor annis in utero geſtaverit, & poſtea venter ei fuerit apertus, & fætus per foramen extractus, & ipſa curata, quodque poſtea ſecundò adhuc conceperit, ſed propter neglectam tum iterum ſectionem mortua ſit. Sic & ego ipſe Genevæ vidi mulierem quampiam ex vicinia, quæ poſtquam fætum mortuum per aliquot annos in utero geſſiſſet, exortô in latere dextro tumore ex eô apertô extracta fuere fætus oſſa adeò corrupta, ut, mephitim intolerabilem longè ſpargerent; ſanata eſt tamen illa, & nec à corruptione quam intus tamdiu geſſit, nec à tumore, ſubſequutaque ſectione, occiſa, per plures annos ſupervixit. Sennertus Inſtitut. lib. 2. part. 1. cap. 9. habet hiſtoriam herniæ, in quam cum uterus contentuſque fætus devolutus fuiſſet, mulier affecta à doloribus tempore partus ſupervenientibus aliter expediri non potuit, quàm ſectis ad latus & muſculis & utero, unde fætus per annos novem vivax, eductus eſt, mater verò poſtquam à 21. die Aprilis, qui fuit operationis dies, ad 16. Maii, vitam ſuam prorogaſſet, tamdem lypothimia correpta, atque præ paupertate non bene tractata, vitam cum morte commutavit; in ejus autem utero aperto omnia ſalva inveniebantur. Sic & aliam adfert Doringius Epiſtola ad Guil. Fabr. Hildanum, de paupercula Nieſſæ Sileſiorum vivente, cui itidem ob herniam ſub geſtationis finem ad genua uſque propendentem, & fætum cum utero ad maturitatem uſque concludentem, latus fuit exſectum, ex eoque poſt multos labores & ſolicitudines, fætus ſatis vegetus extractus, qui ſeſquiannum ſuperſtes vixerit, dum mater tertio à ſectione die, poſt multos dolores & cruciatus piè in Deo obdormiverit. Rodericus à Caſtro, in ſuo de morbis mulierum tractatu, operationem cæſaream omnino poſſibilem ſupponit, nec aliàs ſentit, Clar. Isbrand. de Diemerbroëck, dum ſcribit Anatom. lib. 1. cap. 35. pag. m. 232. in partu quocunque demum tempore fiat, fætus aut per viam naturalem excluditur, aut per alienam, ſc. per ſectionem in abdomine & utero factam, quæ vulgo partus cæſarius appellatur, de qua chirurgia egregium tractatum conſcripſit Franciſcus Rouſſetus. Addit præterea, rariſſimè autem viſum eſt ipſam naturam ſua ſponte per vias alienas fætus excluſionem moliri, cujus tamen caſus memorandam habet hiſtoriam Bartholin. lib. de inſolitis partus viis, de muliere quæ primo ex umbilico tumido ac diſſecto, deinde ex apoſtemate infra umbilicum aperto, ac tandem ex ulcere in illo ſiniſtro ſuborto, plurima fœtus humani oſſicula, non ſimul & ſemel, ſed diverſis vicibus, imo diverſis, multumque inter ſe diſtantibus annis, excrevit, eaque tam multa, ut pro gemellorum oſſibus ſufficere potuerint. Thomas Fienus lib. de præcip. art. chirurg. controverſ. tract. 8. ſectionem hanc pluribus rationibus, iiſque magni ponderis, abundè ut mihi videtur confirmat; nam ut ipſe ait periculum tunc, vel à læſionue muſculorum abdominis, vel ipſius uteri, verùm primò abdominis, vulnera etſi majuſcula, non tamen propterea ſunt lethalia, ut ipſa experientia ſatis comprobavit. Peritonæum in modo herniam curandi antiquorum, cum ſubſtantiæ deperditione exſcindebatur, & hodie in eadem cura magna ſectione perforatur, ſine ullo mortis metu. Uterum quod attinet illius vulnus non eſt adeo periculoſum, nam etſi eo tempore quo eſt diſtentus uterus, debeat fieri valde magnum, tamen fœtu exempto, quia contrahitur, exiguum fit, & propterea in parte carnoſa, nativo calore abundante, & à circunſitis partibus probè munita, poteſt facile à natura conſolidari. Legimus magna uteri apoſtemata, vulnera & ulcera ſæpe fuiſſe curata, ipſum uterum ſine vitæ detrimento fuiſſe exſectum, (de quo ſupra in ejuſdem prolapſi) & aliquando excidiſſe; (ut illud ſatis teſtatur hiſtoria à Clariſſim. Domino Nozet Archiatro Friburgenſi amiciſſime nobis communicata quam alibi legere licet.) Hic addo, etiamſi vaſa uteri ſint multa, & maximè dilatata graviditatis & partus tempore, non propterea tamen tam enormem hæmorrhagiam pertimeſcendam, nam præterquam quod non ſunt undique æque magna & poteſt à Chirurgo perito locus ſectioni aptior ſeligi, vaſa quæ maximè varicoſa fuerint, exciſa profundent quidem ſanguinem contentum, & poſtquam extrema ab utraque ſectionis parte ſe contraxerint, neceſſaria diligentia adhibita ſatis facilè occludentur, ut in aliis vaſorum ſectionibus evenit, adnotandum inſuper quod depleto utero, à fœtu contento, illius corpus non parum concidat, ſicque vaſa ſecum corrugata ſanguinis effuſioni minus habilia faciat. De ipſa jam operatione ſic habet præcitatus Fienus.

Poſita hactenus authoritatibus, experimentis & rationibus partus cæſarei poſſibilitate, reſtat ut de ejuſdem perficiendi methodo verba faciamus. Mulier ſupra lecti margines conſtituatur, & in dorſum incumbat, ſic, ut tibiæ è lecto nonnihil propendeant. Pedes ejus conjuncti à robuſtis brachiis blandè retineantur. Si mediocriter adhuc robuſta ſit, non jaceat ſed elevatior adhuc in dorſũ tantum inclinet: ſin debilis ſit, ferè decumbat; decubitu enim in dorſum magis ſyncope vitatur. Tum cogitandum in quo latere ſectio facienda, quod operatori anatomię perito cõmittitur; advertandũ tantùm quod ſi hernia laboret, debet fieri ſectio in eodem latere, in quo hernia eſt: ne, ſi à ſectione hernia fortè altera remaneat, ab utroque latere ſit hernioſa. Deinde quia in partẽ hernioſam magis incũbit uterus, & ma-

gis tumet, prout in hiſtoriis ex Sennerto & Dorinring io ſupra citatis manifeſtum fit. Notetur atramento locus incidendus, linea ad illum modum & longitudinem ducta, quibus ſectio fieri debet. Locus eſt inter umbilicum & inguen verſus pecten, quinque digitis ab inguine. Notandum tamen, quod præſtat paulò altiùs aſcendere, propterea quòd quò propius ad uteri fundum devenitur, eò minùs frequentiora & grandiora vaſa reperiantur, & conſequenter hæmorrhagia ſic meliùs vitetur. Linea ergo ducatur recta, ſecundùm longitudinem abdominis, & ſecundum fibras muſculorum rectorum, longa dimidium circiter pedem. Super illam lineam, in quatuor aut quinque diſtantibus locis, ducantur quatuor aut quinque parvæ lineæ tranſverſæ, quibus poſtquam ſectio facta erit, denotetur locus, per quem acus porrecta pro facienda ſutura tranſmittatur. Tum fiat ſectio ſuper lineam longitudinalē cum acuta novacula, quæ ad pinguedinem uſque adigatur. Poſtea eodem ſectionis tramite, profundiùs muſculi epigaſtrii incidantur: ſed cautè, quia immediate uterus ſubjacet. Tum uterus ipſe incidatur ea dexteritate, ne fœtus, membranis ſuis exolutus, ſubtus vulneretur, & loca teſticulorum & præcipuorum vaſorum rami caveantur. Dein fœtus & ſecundina extrahantur. His ita peractis linteis carptis multiplicatis locus foveatur, quò ſanguis ex parte ſiſtatur, & ſanies abſtergatur. Decoctum erit ex vino rubro, cui ſalvia, roſa, meliſſa, betonica, alchimilla, ſanicula, artemiſia, flores chamomillæ, radices cyperi, nuces cupreſſi, incoctæ fuerint. Iis factis uterus leniter in locum retrudatur, ſine ulla alia adhibita cura; utero enim à contentis evacuato, labia vulneris per ſe facilè concidunt, & arctè conjunguntur, & conſolidatio ſoli naturæ eſt relinquenda. Verùm vulnus quod in abdomine factum eſt, debet conſui, (alioquin uterus aëri expoſitus protinus alterationem aliquam & putredinem contraheret) ſed paucis & diſtantibus ſuturis, ut inter eas ſit ſufficiens exitus ſanguini & ſordibus ex utero & ventre adhuc exeuntibus. Sutura debet fieri decuſſatim in illis punctis, ſibi mutuo oppoſitis, ante ſectionem atramento notatis. Debet autem ſutura comprehendere cutem abdominis, & ex parte peritonæum, ad præcavendum ſi fieri poteſt herniam. Inter ſuendum videndum ne inteſtina foramini occurrant, & ipſa acu tangantur vel comprehendantur, aut inter labra vulneris conſueta includantur, quapropter ſi occurrant à miniſtris diligenter ſunt removenda. Iis factis, vulnus abdominis curandum, prout vulnera reliqua curari ſolent, ſuperpoſitis emplaſtris deſiccativis & conſtrictivis. Interim uti per interna habenda eſt ratio, tum medicamentis per os datis conſolidantibus & utero confortando appropriatis, tum aliis ſubtus adhibitis, ut peſſariis, clyſteribus uterinis, aliſque quæ primum fieri debent ex anodynis, dolorem ſedantibus: inde verò conſolidativis uterinis & mediocriter detergentibus.

Conſultationes.

De partu legitimô, ejuſque terminô &c.

De partu qui ducenteſimô ſecundô nuptiarum die in lucem editus eſt, cùm is integrè conformatus, ac bene vividus exiſteret, dubitatum, quæſitumque eſt, Num fortè ante nuptias conceptus eſſet, & nonum jam menſem compleviſſet? Deinde, an hoc dierum numerô natus, ſeptimeſtris, ac bonæ ætatis habendus ſit?

Ad prius ſic reſponſum. Recens editi partus ætatem nullis indiciis certò definiri poſſe, & immaturos fœtus alias videri integrè conformatos atque perfectos, alias ſine pilis, unguibus, labris, aut palpebris, vel auriculis vix dum diſjunctis. quemadmodum & abortum obſervavimus nonnunquam, die quadrageſimô dimidii digiti magnitudine membris omnibus diſtinctum, interdum tertiô menſe rudem adhuc & malè digeſtam molem repreſentare. Id autem efficit ſeminis varietas, & facultatis, quæ in eô eſt, conformantis robur, aut infirmitas.

Ad poſterius itidem ſic reſponſum. Partum editum die ducenteſimô ſecundô ſeptimeſtrem cenſendum. Etenim Hippocrati, vetuſtioribuſque græcis, tum Philoſophis, tum Medicis, qui in hanc contemplationem accuratiùs incubuerunt, incomperti erant Romanorum menſes hiſque, quemadmodum & Hebræis, lunæ curſu demenſi ſunt; conſtatque menſis diebus viginti novem cum ſemiſſe, quod tempus ferè à quovis lunæ congreſſu ad proximum intercedit. Hac anni ſupputandi ratione, (quæ in fœtus geſtatione, in morborum decretoriis diebus, in omni denique Medicorum obſervatione in primis & ad unguem tenenda) partus hic, de quo queritur, prodiit in lucem die vigeſimo quintô completo ſeptimi menſis. Neque tamen. (ut verè ſeptimeſtris cenſeatur) neceſſe eſt ſeptimum menſem prorſus impleviſſe: ſatis que fuerit, ad hunc terminum, aut ultrà, aut infra dies ſeptem accedere. Ita enim ſiderum nos gubernantium vires non in momento conſiſtere, ſed his limitibus contineri atque vigere, Ptolomæus, aliique Aſtrologi celeberrimi literis prodiderunt Septimeſtrem quoque partum bene vitalem eſſe, præterquam quòd Hippocratis & omnium Medicorum autoritate celebratum eſt, atque receptum; nos etiam longa experientiâ notavimus. Cujus rei ab Aſtrologis petenda ratio, qui primum conceptus menſem in Saturni dominiô, ſeptimum in lunæ poteſtate collocant, quæ viventibus omnibus vitam atque vires impertit. *Joannes Fernelius in Conſiliis Medicis.*

De Partus Vitalis tempore.

Si quid obſcurum in re medica ſolis conjecturis nititur, hoc potiſſimum eſt tempus vitalis partus; qui non ſolum novimeſtris eſt, ſed & octimeſtris, licet rariſſimè, frequentius verò ſeptimeſtris; ex Hipp. Lib. de Septimeſtri Partu; Ariſt. 3. de Hiſt. Animalium 4. Gal. Plinio, & aliis Autoribus. Quinimo cenſet Horatius Augenius etiam 6. menſe edi fœtum vitalem, Opuſculo, quòd homini certum non ſit pariendi tempus: atque proſtant hiſtoriæ eorum, qui quinto menſe nati ſuperſtites fuerunt; in quibus recenſetur à Montuo Pincernæ cujuſdam Galliarum Regis Henrici, nati quinto menſe; qui illius ævo ætatis fuit conſiſtentis; à Cardano item Tract. 3. Lib. 1. Contradict. 8. Comitis de Trivultiis quæ ſub

id tempus juvencula apud Comitem S. Secundi degebat, quinto menſe editæ. Ut propterea fœtu nato quinto menſe, 27. Januarii proxime elapſo pro comperto nihil ſtatui poſſit; cùm non conſtet ex hiſtoria de tempore conceptionnis, ſed de partu tantum qui perfecti ſane fœtus fuit; quia magnus, & vitalis, cùm vagiret alta voce, atque, lac ex mammis exſugeret. Totus itaque rei cardo in eo vertitur, utrum partus hic ſit novimeſtris, vel potuerit eſſe quinquemeſtris, vel immaturioris ætatis. Qui de re licet certi quicquam pronunciare non auſim; dixerim tamen, quod ſi fuerit quinquemeſtris omnibus nihilominus partus vitalis dotibus, ut ita dicam, potuit eſſe inſtructus; non ſecus quam ſeptimeſtris partus, qui omnium Autorum conſenſu vitalis eſt, & perfectus. Cum autem menſes ſint vel ſolares; vel lunares, & peragrationis: ſolares 30. dierum, lunares 29. & peragrationis 23. atque menſes medici plurimùm ſint peragrationis, vel ſaltem lunares, obſtetricum etiam teſtimonio, quòd ſcil. cùm partus attigit novem lunas ſi fœtus hic conceptus eſt 25. præteriti Auguſti, partus 7. lunas abſoluerit, ſcil. comprehenſa Julii Luna; cujus terminus fuit 26. Auguſti, ad 24. uſque Januarii: atque ita ſeptẽ lunas impleverit; & potuerit eſſe vitalis. Cauſam verò immaturi adeò vitalis partus, duplicem Hippocr. aſſignat Lib. de Alim. primò quidem robur infantis bene nutriti; qui propterea ſi utero anguſtiori coerceatur; calcitrat, & expultrice irritata, ex eo eluctatur; alia verò eſt alimenti inopia. Ut ex his ſtatuendum cenſeam potuiſſe eſſe vitalem, licet conceptum 25. Auguſti, & editum 27. Januarii. *Benedictus Silvaticus Conſilior. & Reſponſior. Medic. Cent. IV.*

Qui plura hoc in argumento, ſcilicet ſuper partus vario termino voluerit; conſulat Reſponſa ſane permulta, è pluribus Medicis, ac etiam Academiis à Baldaſſ. Timæò in Reſponſ. ſuarum Medicarum pag. quæ mihi 1107. ac ſequentibus bene multis, ſuper caſu fœminæ die. 173. matrimonii parientis, allata; item quæ habèt Paulus Zacchias in Quæſtionibus ſuis Medicò Legalibus.

De Fœtu incolumi, dubia Matris morte.

Ex enarratis conſtet Nobilem Matronam ſeptimeſtri partu appetente epilepſia extinctam fuiſſe ſexto Januarii anni vertentis; ex cujus ventre 24. poſt horis rugitus, & murmur quoddam ab adſtantibus cadaveri excubantibus exaudita fuerunt; eodem paulo poſt attolente ſe, & ſubſidente, cum ſonitu quodam, & vagitu veluti naſcentis infantis; quem exaudientes iterum biduo poſt adſtantes, hora octava matutina; atque humorem quendam electo interram extillantem conſpicati, detecto mulieris corpore ſub horam undecimam matutinam infans inconſpectum venit, inter matris femora prolapſus, mortuus, tepens adhuc flexilis, cum roſeis labellis; qui tamen mox refrixit, & obriguit.

In qua hiſtoria duo potiſſimùm quæruntur; primò quidem, utrum hic infans edi potuerit tot horis ab obitu matris, ſi tamen tunc extincta jam fuerit. Aliud eſt, utrum infans ſecundum naturæ leges editus ſuperſtes eſſe potuerit; atque extinctus ſit ſuffocatus à materno ſanguine. Graves ſane difficultates. Quibus enucleandis, meam libere proferam ſententiam, maturiori judicio committendam. Primò itaque quod infans à matris obitu in lucem erumpere potuerit, novum certè, & inſolens videtur. Cùm enim ad partum, matris, & fœtus conſpiret robur, ex Gal. Comm. in 5. Aph. 55. atque tunc dehiſcat uteri os, tranſmittendo integro fœtui quod prægnationis tempore connivebat adeò, ut ne quidem ſpecilli mucronem admitteret, Gal. teſtimonio 16. de Uſu Part. Cap. 7. ubi quò pacto id fiat mirari nos quidem poſſe fatetur, intelligere verò non poſſe, qua ratione fœtus matris mortuæ utero concluſus, viribus omnino collapſis, ſibi ipſi adeò facilè, abſque ulla obſtetricis ope egreſſum moliri potuit. Quanquam enim fœtus jam maturus uberiori alimento, & ſpiritu egens, imminente partu in utero calcitret, membranaſque ipſum involuentes diſrumpat; cujus indicium fuit elevatio illa ventris in Nobiliſſima Matrona conſpicua: atque conſtet ſub id tempus naturam tranſmittere ad internũ os uteri copiam muſcoſæ, materię qua madens abſque diſruptionis periculo erumpenti fœtui cedat; quod tunc contingere potuiſſe mihi perſuadeo, cùm Nobilis Matrona ante validum inſultum epilepticum infantis motum quendam percepiſſe ſibi viſa eſt; præter hæc tamen accedere debuit aliqua ipſius matris opera, excludendo fœtui facultis uteri ope; luculentiſſimo ipſius Gal. teſtimonio 3. de Natural. Facult. 12. Cùm autem inſtante partu vel laxata pubis oſſa ſejungantur, vel Ilium à Sacro divellantur: ut cenſent Arabes, & Latinorum plerique vel ſaltem, os coccygis retrorſum cedat, quæ vulgaris eſt opinio, quò uteri cervici amplior pateat locus; horum nihil contingere potuit in cadavere. Ut propterea in eam concedere cogar ſententiam, infantem ex corpore extinctæ matris ſibi egreſſum moliri non potuiſſe nullis potiſſimum ante matris obitum conſpicuis partus indiciis. Minus autem verò conſentaneum cenſeo, hoc eveniſſe triginta ſeptem poſt horis à matris interitu, (quod temporis intervallum intercedit à matris obitu uſque ad tempus partus) tamdiu ſiquidem infans in cadavere concluſus ſuperſtes eſſe non potuiſſet. Cùm enim fœtus in utero matris per tranſpirationem, & aërem à matre inſpiratum vitam ducat, omnium rectè philoſophantium conſenſu, illa ſublata per matris mortem, eum perire neceſſe fuit quòd vita tranſpiratione carere non poſſit, quæ ſine reſpirationis uſu ſuperſtes aliquamdiu eſſe poteſt, frequenti exemplo; hyſtericarum præfocationum. Quæ cauſa eſt partus Cæſarei, cum extinctis prægnantibus illico ſecatur uterus, quò fœtus ab interitu vindicetur; exemplo Scipionis Africani, & Julii Cæſaris, atque aliorum quamplurium à Plinio, aliiſque autoribus memoratorum, qui hac arte in lucem eruperunt. Statuendum itaque infantem nondum mortua editum fuiſſe. Quam quidem cenſeo epilepſia, vel apoplexia derepente correptam, vel uterina potius præfocatione; cum potiſſimum raró admodum epilepſia mortem inferat; imò nec apoplexia, etiam fortiſſima. Qua de cauſa cum motus, & ſenſus expers prorſus fuerit, ſublata reſpiratione,

tione, & ſola tranſpiratione ſuperſtite ad vitæ uſum, aliquo ſaltem temporis ſpatio exiſtimatum fuit ab adſtantibus, eam extinctam eſſe hora nona veſpertina. Falsò tamen, hoc potiſſimum indicio, quòd poſtridie ſtillavit ex ipſius ore veluti ſaliva, agitata ſcil. materia aquoſa ab aëre intercluſo, ob læſam reſpirationem, calente eadem die ejus corpore, ventre potiſſimum, dorſo, & renibus, quanquam hoc ſolum vitæ ſignum non ſufficiat, cum à fœtus utero concluſi calore proxima membra fovente partes hæ incaleſcere potuerint. Cum autem appetente partu omnibus viribus natura conniteretur fœtum excludere, diſſipatis ſpiritibus extincta eſt. Utrum verò naturæ legibus editus infans ſuperſtes eſſe debuerit, atque à ſtragulis ſuffocatus fuerit; vel à ſanguine ex utero emanante; ſtatuendum cenſeo, omninò quidem vivere potuiſſe; primò, quia perfectus erat, & maturus; tum ratione temporis, cum ſeptimeſtres fœtus ſint ferè ſemper vitales; tum etiam ratione diſruptionis membranarum, quæ nonniſi partu maturo contingit; tum & quia vegetus adeò fuit, ut accedente leviſſima matris ope, egreſſum ex utero ſibi moliri potuerit; quidem facili partu, qui utriuſque vires exigit, ex Gal. Quod ſi ſuperſtes fuit fœtus ille partu cæſareo excluſus à Carolo Stephano de Diſſectione Partium Corporis Lib. 3. Cap. 1. memoratus; qui tamen præ imbecillitate ex labore partus nullum præbuit vitæ indicium, præter ſolam pulſationem arteriæ umbilicalis motus alioquin expers; nulla reſpiratione, aut carotidum arteriarum pulſu conſpicuis; potiori longè ratione hic infans ſuperſtes eſſe debuit, qui moveri in utero, & extra eum vagire obſervatus eſt. Quem tamen alimenti penuria potius periiſſe gravis apud me eſt ſuſpicio, quàm ſuffocatum. Cum enim tunc editus ſit, cum primum vagitus ille exauditus eſt, die ſcil. ſeptima, eum multas horas, & fortè integrum diem alimento caruiſſe neceſſe eſt; ut ſpirituum parte aliqua diſſipata, eruptione illa ex moribundæ utero; nec ejuſdem calore aliquo temporis ſpatio ſatis refrigerato in corpore hyſtericæ matris, ac proinde languente facili negotio perire potuerit; non ipſi potiſſimum ſtatim ſuppetente accommodato alimento. Accedit, quod ſuffocato facies fortè livere deprehenſa fuiſſet, ut ſuffocatis contingit, qui tumere, & rubere, ac tandem liveſcere obſervantur. Ex hiſtoria inſuper conſtat, infantem inter femora mortuæ delituiſſe, quorum craſſities ipſum facilè à tegumentorum compreſſione præſtare potuit incolumem neque de aliquo ſanguinis profluvio, livore, aut intumeſcentia, aliiſve ſignis ſuffocationis, quicquam memoretur. De qua tamen re nil certi pronunciare auſim ſola contentus ſagaci conjectura. *Benedict. Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. Cent. IV.*

Pro Illuſtriſſima, ac Nobiliſſima Matrona in eam partus difficultatem incidente, ſub qua longiori tempore, quam deceret, cum maximiſque doloribus, atque cruciatibus fœtus expellitur.

Quamquam difficilis partus ſit expulſio fœtus maturi cum difficultate, nihilominus affectus eſt etiam, qui unam, & eandem rationem habet, quoniam ſub eo (ubi jam advenerit pariendi tempus opportunum) fœtus tum ex parte modi, tum ex parte temporis non eliditur, prout deceret; ex parte modi, quoniam inter parturiendum cruciatus, ac dolores inſoliti accedunt, ex parte verò temporis, quia tametſi tempus ac ceſſerit ipſius partus conſtitutum, fœtus tamen non expellitur, aut ſi ſic, longiori tempore quàm conveniret. Cum itaque illuſtriſſima & nobiliſſima Matrona triginta annos nata temperamenti ſanguinei cum ſubdominio pituitæ plures liberos conceperit, atque cum difficultate peperit, certum eſt ex relatis, ipſam in eam partus difficultatem incidiſſe, ſub qua tempore longiori, quam ſit couveniens, & cum doloribus, atque cruciatibus inconſuetis partus fieri ſolet.

Laborandum igitur mihi eſt circa cauſarum inquiſitionem; Cum ergo vitium quod communiter partus difficultas dicitur, nil aliud ſit, niſi expulſio fœtus maturi difficilis, pendens ab expultrice uteri fuſtrata, ſatius, quinimmò neceſſarium erit vitium hoc definire per motum, qui expulſio vocatur, in motu autem hujuſmodi, ex Ariſtotele ſeptimo Phyſicorum conſiderantur, movens expellens, mobile expulſum, atque ſpatium, ſeu via per quam expellitur; Movens interim expellens, ut unicuique ſatis conſtat, facultas eſt expultrix uteri, quod expellitur eſt fœtus, ſpatium autem os, atque collum ejuſdem uteri exiſtit: quare cauſæ difficilis partus neceſſariò ex altero horum trium petendæ.

Profectò quantum attinet ad ipſam facultatem, certum eſt hanc nulla alia ratione concurrere, niſi quà inſtrumento accommodato, ſpiritu inquam, & calore innato neceſſariis ex Galeno quinto Aphoriſmo, 53. deſtituitur, nam fœmina ex eodem Galeno loco citato Aphoriſmo, 55. in partu valde robuſta eſſe debet, ut propterea non ſit mirum, ſi ſpiritibus deficienbus, aut etiam aliò evocatis ob metum & puſillanimitatem, mulier languidat, & proindè pariat difficulter.

Ex parte verò mobilis, fœtus inquam, quinque aut etiam ſex exiſtunt, quæ partum difficilem reddunt, numerus inquam, magnitudo, robur, figura, & ſexus infantis, quibus & craſſities, denſitaſque membranarum eſt addenda, propter quæ partum difficilem reddi poſſe ita unicuique perſpectum eſſe confido, ut nullo pacto in huius rei comprobatione ſit immorandum: Atqui viæ etiam, ut dictum fuit, partum difficilem reddunt quatenus nimis, quam deceat, ſunt anguſtæ; poſſunt autem eſſe tales vel ex propria natura, qua ſic à primo ſemine genitæ fuerunt, vel ex accidenti ob conſtipationem, coaleſcentiam, ſubſidentiam, & compreſſionem, ob oſſa pubis firmiora ſecundum compagem, & ita compreſſa, ut intrò ſint veluti gibba, ac proximè ad ſacrum os accedant verum & ad vias partus, ſi cum difficultate fiat ſiccitas eorundem, atque paricer ulcus ex Avicenna referuntur.

Quibus ita ſe habentibus duas (quantum ego colligere potui) ex his cauſis in caſu noſtro locum habere exiſtimo, quarum alteram ex parte moventis, alteram ex

parte ſpatii deſumo. Prior ex eo dependet, quod ob metum, & puſillanimitatem conceptam, occaſione primi partus difficilis, ſpiritus, (ut de ſe patet) in aliam partem avocantur, ac proinde facultas uteri expellens illis deſtituta, langueſcit adeò, ut coacta ſit in expellendo fruſtari, quod ſæpius evenire experientia quotidiana demonſtrat.

Altera modò cauſa, quæ in ſpatium refertur, eſt quædam illius anguſtia pendens à ſiccitate partium, quas ad infantis exitum natura deſtinavit, nam ubi os, columque uteri, ac pudendum ipſum tempore partus humiditate carent aquea, quæ ad tempus illud ſervari ſolet, ut partes alioqui propria conditione anguſtæ ab humiditate illa irrigatæ, & madefactæ relaxantur, faciliuſque partus exitum admittant, fit ut eædem anguſtiores potius redditæ, partum difficilem reddant, decimoquarto de uſu partium quinto; ſolet autem calamitas hæc fœminis accidere, quia mēbranæ, quibus inuoluitur infans nimis tenues molles, multo ante tempus debitum ipſius partus diſrumpuntur, quibus diſruptis humiditas illa ſeroſa, & quæ urinam infantis redolet, excernitur: Membranæ verò illæ tales ex ſemine vitioſo, tenui inquam, aquoſo, & frigido fieri conſueverunt, ſed utrum ſemen vitioſum ſit ex parte viri, vel mulieris, in præſenti merito dubitari poteſt, quoniam tamen mulier eſt temperamenti ſubpituitoſi & vir (ut audio) eſt cacochimi valdè habitus, idcircò in ea ſum ſententia, ut ex parte utriuſque, ut magis ex parte viri, ſemen culpatum exiſtat.

Ut igitur nobiliſſima hæc fœmina ab hujuſmodi miſeria, ſi in eam rurſus inciderit, vindicetur, & ab ea etiam imminente præſervetur agendum eſt ut ſuaſionibus animetur, & conſtantior animo inter parturiendum fiat, parteſque nimis exiccatæ humectentur, relaxenturque, ac facultas expultrix ſegnis reddita promoveatur, ac irritetur; & quoniam malum hoc accedit ob languorem, imbecillitatemque membranarum ipſius fœtus, ſtudendum eſt ne de novo membranæ imbecilles, ſed firmæ, ac denſæ generentur, cum autem languidæ, molles, tenueſque ex ſemine vitioſo gignantur, in id potiſſimum incumbendum, ut ſeminis vitium corrigatur.

Quæ an conſequi poſſit Medicus, non ita certum exiſtimo, illud tamen ſcio, vitium propoſitum haud carere periculo, ſæpiuſque ſub eo fœminas, ac infantes periclitari, in aliudque vitium incurrere, & eo magis, ubi illud contraxerit habitum ac à primis ſeminariis ortum duxerit, quod in caſu noſtro ſuſpicandum; ut propterea non ſit mirum, ſi Avicenna nullam ferè fœminam in partu ad quatuor dies laborantem edere fœtum ſuperſtitem affirmarit; ac alii ſemper aliquid mali vel matri, vel infanti contingere dixerint, ſi mulier difficulter pariens fuerit puſillanimis, ſecundum vires rectrices debilis extiterit, praveque reſpiraverit, ſed ut dictum fuit, ruinæ quoque, quas pro poſuit Galenus 1. ac 3. Epid. Magnus Avenzoar, necnon Albertus Magnus graviores imminent, & quoniam malum hoc originem habet à partium genitalium anguſtia, periculum ſine dubio magis ex parte fœtus, quam parientis impendet; Utcumque tamen danda eſt opera, quantum fieri poteſt, ut hæc omnia avertantur, quod aliqua ex parte nobiliſſima Matrona aſſequetur, ubi cum obſequentia, animi conſtantiam conjunxerit, quod ſpero futurum, ſpeque hujuſmodi concepta ad materias remediorum me confero.

Et primum de chirurgica ſtatuo ex Hippoc. primo de morbis, mulieribus venam infernam eſſe ſecandam, quia patiens eſt juvenis; & ſanguine repleta, quod remedii genus eo tempore eſt adminiſtrandum, quo fœmina nobiliſſima doloribus angitur; Partes item internæ jugiter ſunt fricandæ, & deligandæ, ac inter cœtera curandum, ut doloribus incipientibus obſervet obſtetrix, an os uteri ſit apertum, nec ne, quia ſi ſic, atque fœtus ad os uteri pateat, mulier, in ſubſellio locanda, ac ab obſtetrice ea facienda dicendaque ſunt quæ propria peritia cognoverit neceſſaria. At ſi partes uteri anguſtæ maneant, & ſponte non dilatantur, obſtetrix manibus inunctis oleo amygdalino dulci, ſeu liliaceo eas aperire, ac ſenſim dilatare tentabit. Cœterum ad præſervationem, ut corpus ab humiditatibus excrementitiis immune ſervetur, & vitioſi ſeminis generatio cohibeatur, cauteria in femoribus inuſta mihi magnopere placent.

Pharmaca alia ſunt curatoria, alia præſervatoria, curatoria vel facultatem ſopitam excitant vel impedimenta removent, communiter autem partum facilitantia, & dolores concitantia dicuntur: Quæ facultatem irritant, ſi intus aſſumantur, plura eſſe poſſunt, inter cœtera verò hæc mihi probantur. Primum paratur ex pulvere boracis mineralis, corticum caſſiæ fiſtularis, cinnamomi, & croci cum aqua Artemiſiæ dato; Alterum ex theriaca Diateſſeron, fructibus ſabinæ pulveratis, cum ſyrupo de Artemiſia in bolum exceptis, quibus addo trociſcos de mirra cum pulvere cinnamomi, & croci in lixivio dulci exhibitos, & ſi ab his medicamentis dolores non promoveantur laudo potum aquæ tepidæ cum melle crudo. Exterius in hunc finem convenit cataplaſma ex Artemiſia, & ſatureia in vino Cretico coctis, ac imò ventri adhibitis, adjecta pulpa colocyntidis, linimentum quoque pro pectine, dorſo, & locis interfœmineis videtur maxime conveniens, paratur autem ex ſucco colocyntidis, rutæ, felle thauri, ac oleo cheirino, peſſus pariter ex lana molli efformatus, ac therebintina illitus adjecto pulvere Artemiſiæ, rutæ ſilveſtris, & Dauci, necnon opoponace, ac mirræ ſolet eſſe plurimum efficax, ſicuti & ſuffitus ex reſina pini, aut cortice pini. Huc etiam referenda ſunt aliqua, quæ à proprietate indita operantur, inter quæ ſeligo corrigiam ex pelle cervi Illuſtriſſimæ patienti cinctam, lapidem Aetitem à brachio ad femur tempore pariendi translatum, lapidem pyritem ſiniſtra manu geſtatum; ſed & cinis quoque vngulæ aſini, vel equi partibus infernis illitus ad idem valet, in quem uſum aſſumitur, & pulvis caſtraturæ, ſcrophæ, vel teſticulorum equi ſiccatorum ex aqua matricariæ.

Ad impedimentorum remotionem faciunt quæ anguſtiæ, ac ſiccitati viarum partus proſpiciunt, quæ tum interna, ſunt tum externa atque omnia hæc tempore partus uſurpanda; In genere internorum probo ego oleum amygdalinum dulce recens, cum decocto cicerum rubeorum, vel faſeolorum, adjecto nonnihil amygdalini amari, gratia deterſionis; ita valet fotus

fotus pudendi, oſſis ſacri, & ventris inferioris ex ſpongia madefacta in aqua ranarum, vel decocto malvarum, alteæ, meliloti, fœnugræci, ſem. lini, foliorum lauri, lavendulæ, & calamintæ, à quò illiniendæ ſunt partes oleo communi, vel amygdalino, aut liliaceo mixto cum pinguedine gallinæ, & mucilagine alteæ.

Poſtremò medicamenta occurrunt præſervatoria antè, & poſt conceptum, quæ ante conceptum in id referuntur omnia, ut ſemen coctum, & craſſum gignatur. Ideò habita totius providentia cum viro, & fœmina illuſtriſſimis, per ea quæ ſuccum pituitoſum detrahunt, ſtudendum ut calor vigoretur, & ſemen optimum, copioſumque gignatur: Pro calore vigorando præter utramque magnam Antidotum, thermas calidas, jus columbi turrialis cum ligno ſaſſafras medicatum, laudo quoque ut in uterum injiciatur oleum de cherna, vel expreſſum nucis myriſticæ in vino Cretico diſſolutum, atque eadem abdomini lumbiſque adhibeantur, quibus partibus in viro Illuſtriſſimo necnon etiam teſtibus illa ſunt admovenda; ſed & inſeſſus ex iiſdem thermis maximè conveniens, utriuſque reputatur: Poſt hæc uſum confectionis Diaſatirionis, atque vini Cretici cum ſucco a pineis expreſſo non tantum aſſumptorum, verum & admotorum probo.

At medicamenta, quæ tempore conceptus per viginti quinque dies ante partum conveniunt, ſunt, quorum uſus intus, & extra eſt oportunus; Intus expertam habeo aquam florum ſambuci ad uncias octo cum ſaccharo datam, ſicuti oleum amygd. dulce ex jure aſſumptum, conſervamque florum malvæ; Extra convenit balneum, inſeſſus, & fotus ex aqua dulci decoctionis ſimplicium emollientium, lavendulæ, & foliorum lauri, à quo os ſacrum, pecten, locaque muliebria unguento ex mucilaginibus alteæ, ſem. lini, ex pinguedinibus, oleo amygd. dulci, & liliaceo cum cera exceptis inungenda.

Ipſius victus quoque maxima eſt habenda ratio. idcirco ante partum omnino curandum, ut mulier nobiliſſima in aere paulo calidiori, vel ſaltem temperatiori vivat, ut cibis laxantibus, minimè autem adſtringentibus veſcatur; Carnes ideo pingues, jura pinguia, butyrum, oleum, paſſulæ, caricæ, malva, lapatum, beta, ac hujuſmodi ſubſunt opifera; vinum bibat moderatum, & ſubdulce, ſomnus vigiliam excedat, & alvus mollis aſſervetur, clyſteribus potiſſimum emollientibus vel juribus pinguibus, tum per ſe, tum maximè cum oleo amygdalino dulci recenti ante prandium aſſumptis. Coitus etſi aliquando conducere videatur, quoniam tamen fœtui noxius eſt, idcirco dimittendus; Corpus ambulationibus, at præſertim aſcendendo, deſcendendoque factis exercendum; atque imprimis, & ante omnia curandum ut maxima animi fœmina illuſtriſſima fruatur quiete, præcipuè verò ab ira, timore, ac mœſtia caveat.

Verum enimvero prædictus aer tempore etiam partus videtur oportunus, quod ſi vires patientis nimium exoluat, permutandus eſt ad frigidum, cibuſque hoc eodem tempore debet eſſe mucchimus, facilis concoctu, quantitateque modicus; quocirca panis coctus in jure pingui ferè conſumpto, ova ſorbilia, ſuccus carnis, diſtillatum, carneſque avium quam maximè conveniunt Et ſi vires ob aerum calidiorem dejiciantur prædicta ſucco mali punici, cydonii, & arancii condiri poterunt, quo in caſu panis bucella vino, cui aliquid ſucci prædicti ſit immixtum, imbuta, eſt offerenda; Potus vini ſit odorati, & eo tempore, quo Matrix hiare incipit, ab omni potu eſt abſtinendum, ſomnus haud eſt concedendus niſi vires collabantur, Ac antequam os uteri aperietur, doloribus affligentibus, mulier nobiliſſima deambulando modo adſcendere, modo deſcendere debet, dein ſtare, poſt aſſurgere, ac denuo quieſcere, & ita viciſſim modò quieti, modò motui ſeſe tradere, ut ligamenta diſrumpantur, infanti facilior exitus præparetur, & ubi os uteri hiat, ſicuti in ſella locanda, & non amplius movenda eſt, ita vociferare, ſingultire, eructare, & cum labore vomitum edere, ſternutareque ex quinto Aphoriſmo, 35. debet; propterea in his ipſis eam juvare licebit, atque etiam hortari, ut ſpiritum cohibendo inferius uterum, ac fœtum impellat; ad hæc ubi mulier nobiliſſima timido, ac puſillo animo fuerit, Medicus, & obſtetrix ſuaſionibus ſpem, ac animum ipſi addere, ipſamque conſolari tenentur, quocircâ Medicum prudentiſſimum obſtetricemque ſedulam eſſe oportet, ut ea etiam in hujuſmodi caſibus deſideretur, quæ ſæpius ipſa pepererit.

Cœterum ſi victus ratio ad virum nobiliſſimum referatur, non eſt difficilè ex dictis intelligere, totam eo dirigendam, ut boni ſucci in corpore gignantur, ac omnis occaſio cruditatis auferatur; his enim omnibus, D.O.M. auxiliante, ſpero futurum illuſtriſſimam, ac nobiliſſimam fœminam in ſimilem, de qua nunc conqueritur calamitatem, in poſterum aut non caſuram, aut certè minori longè cum moleſtia. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultation. Medic.*

Partus Cæſareus.

Nobiliſſima Juvenis, annum 20. agens, temperamenti calidi & humidi, capitis pariter humidioris, orchopnoicis acceſſionibus, potiſſimum circa temporum mutationes, obnoxia, anno elapſo viro juncta, ita ipſius perſuedente Medico, concepit, & tertio uteri geſtationis menſe ortphopnœa correpta fuit, quæ tribus integris perduravit diebus de more, ſolito tamen intenſior, adeò ut vix à ſuffocatione liberari potuerit. Modò, ineunte autumnali tempore, nonus à conceptione agitur menſis, cum heſterna die acceſſio eadem violentiſſima recruduit; quæ, nihil proficientibus medicamentis laxantibus, revellentibus, divertentibus, miſeram juvenem propè ad ſuffocationem duxit; quod periculum cùm à nobis in procinctu & imminens videretur, narium enim pinnas movet, & pulſus, qui inæqualis & inordinatus, mox tardus & deficiens, tandem creber & languidus factus eſt, accedentibus ſtertore & impedita prorſus deglutitione; quæritur à parentibus quid, Puero adhucnum vitali exiſtente, agendum ſit.

Non deſunt Medicorum plerique, qui omnes, virginibus nubilibus affectus contingentes, utero imputent, & hyſtericos exiſtiment; cùm tamen aliqui à coitu: alii, & ab eodem, & à ventris tumore in gravidis augmentum non leve ſuſcipiant; ut præſenti noſtræ Nobil. Patienti contigiſſe pro certo habendum eſt. Etenim difficultas

tas ſpirandi à catarrhali materia, ab humidiori capite ad bronchia pulmonum delabente, & anguſtiam inducente, proveniens, incrementum ſuſcepit ex compreſſione ſepti à ventre tumido; & ideo acceſſio tertio gravidationis menſe ingruens, ſolito vehementior fuit; ſicuti, quæ demũ præſenti autumno repetiit, nono mẽſe, prætumido vẽtre, vehemẽtiſſima & exitialis exiſtimatur; cùm remediis nullo modo cedat, ſolis tribus aliquin diebus durans, præſentibus imminentis ſuffocationis ſignis. Primò enim pinnas narium movet, quod in ſublimi ſpiritu contingere ſolet; ſed præterea inæqualis & inordinatus fuit pulſus, acutæ primò orthopnœæ: tardus item & deficiens, ejuſdem acutiſſimæ indicio; qui modò creber & languidus mortem præ foribus prænunciat, cum arteriam attollere non poſſit facultas. Juremerito ergo concludendum, quod puero ſervando omnia ſint agenda. In quo caſu partus Cæſareus dubio procul in uſum revocandus.

Qui in tribus caſibus adminiſtrari ſolet. Primus, cum fœtus mortuus eſt & mater vivit. Secundus, cum mater mortua eſt & fœtus vivit. Tertius cum fœtus & mater vivunt. Duo poſteriores Cæſarei dicuntur, ab utero cæſo; in primo verò ſectio raro inſtituitur, ſed vel medicamentis, vel manu extrahitur fœtus, vel naturæ opus relinquitur. De ſectione in ſecundo caſu feliciter ſecuta, variæ extant hiſtoriæ. Sic enim ab utero extractus fuit Scipio Africanus prior. Ita primus Cæſar à cæſo matris utero dictus fuit. Manlius item, Carthaginem cum exercitu ingreſſus. Sic Sanctius Rex Navarræ. Sic Villica quædam, cum ob ulcus uteri parere non potuiſſet, viginti ſine cibo & potu perſtitit, & ex eadem mortua extractus fuit fœtus ad Sacrum Fontem, Fortunatus vocatus. De ſectione in tertio, licet periculoſiſſima, plurimas hiſtorias refert Franciſcus Rouſſetus quatuor ab aliis relatas, ſex à ſe ipſo obſervatas, in quibus ſuperſtites ambo fuerunt, Mater ſcil. & fœtus. Noſter autẽ Partus Cæſareus ſecundus eſt, in quo ſectio hoc ordine eſt inſtiuenda.

Matre extremum ſpiritum trahente, virgula, aut aliquid inter dentes intrudatur, & obſtetrix nunquam ab oſculo vulvæ manum moveat, ne fœtus in utero ſuffocetur; gaudet enim infans anima propria, & perfectus ſine Matris beneficio vivere poteſt, quidquid dicat Rodericus à Caſtro, quod ſcilicet motu & vita puerperæ ceſſante ceſſet etiam vita infantis. Hinc diducta conſervet Mulieris femora, & ultimo exhalante ſpiritu confeſtim ad lateris partem, per ſiniſtrum Mulieris hypochondrium, circa uteri eminentiam, linea cultro raſorio leviter ducenda, non tamen uſque adeo profunda, ſed ad Peritonæum ſolum; inde admovenda novacula, & ſumma tantùm cuſpide incidendum, ad digitos ſiniſtræ manus intromittendos, quibus aliquantulum ſurſum peritonæum attollitur, ut dextera manu inſinuetur novacula, ad ejuſdem quod elevatum eſt incidendum, ſecundum vulneris longitudineem, atque ut tota manus intrò devolvi poſſit, uſque ad uterum; tunc verò inteſtina paulatim ſurſum attollenda, ita ut non delabantur eademque manu, vulnus ſuperius diducendum & ampliandum, ut uteri prominentia omninò in conſpectum veniat mox ſiniſtra manu intus relicta, ut vulnus apertum conſervet: dextera, novacula utero admota, hic ſecandus, prima quidem vice ad digiti craſſitiem, paulatim poſtea pervadendo, ut integrè pertundatur, & aperiatur quouſque ad ſecundinam vetum ſit, quæ dignoſci poterit ex venarum confuſa multitudine. Hæc pariter novaculæ cuſpide aperienda, & digitis intromiſſis laceranda, ac aquoſa excrementa; excernenda mox dextera manus in profundũ ſenſim demittenda & demergenda atque extenſis digitis integer fœtus comprehendẽdus, ſiniſtra manu labiis matricis diductis & elevatis, ne concidant. Fœtus autem ipſe ſenſim ac leviter ita abducendus, ut ejus ſpina toti volæ manus extenſæ incumbat: non ſine magno quippe periculo ejuſdem caput, thorax, venter, pes, aut manus apprehendi poſſent. Quod ſi caput infra devolutum eſſet, extenſis digitis paulò ulterius, digiti ipſi ad humeros nonnihil incurventur, ut facilius apprehendi poſſit. At ſi caput ſurſum vergat, extremi digiti ſub natibus, & oſſe ſacro commodè firmentur; inde ſurſum, paulatim ſublata cum fœtu manu dextera, ſiniſtra quoque in auxilium exporrigatur, ut fœtus ipſe ſupinus educatur, atque ſe exerat. *Raymund. Job. Fortis tractatu de Morbis Mulierum primo Conſiliorum Medicorum Tomo adjunctô.*

De Extractione fœtus mortui, Exempl. ſingulare.

Quòd odioſi & ingrati ſint Medici parturientibus, & puerperis noſtris, niſi ſumma adfuerit neceſſitas, fit ut multæ miſerrimè pereant, quæ tamen ſervari poſſent, ſi artis peritos in conſilium adhiberent, facit id obſtetricum ignorantia, & ruſticitas, dum prægnantibus perſuadent, Medico ignota eſſe, quæ circa parturientes & puerperas occurrunt. Inde fit, ut Medici operationem hanc, omnium præſtantiſſimam, & neceſſariam, extractionem videlicet fœtus mortui, negligant. Non ſolum autem de noſtris loquor, per totam enim Germaniam, proh dolor, pauciſſimi reperiunrur Medici, qui hanc operationem exercent. Multi verò qui ipſam contemnunt, quaſi contra decorem ac honeſtatem eſſet, Medicum, qui partium genitalium totiuſque negotii (quæ omnia obſtetricem latent) cognitionem habet, tractare muliebra, & afflictiſſimas parturientes ex tantis anguſtiis, imò & ex ipſis faucibus Orci liberare. De hujus operationis præſtantiâ addo hic exẽplum, recentiſſimum. Matrona quædã nobilis, & uxor cujuſdam ex primariis hujus urbis, cum nonò eſſet gravida, & conſtitutum tempus geſtationis abſolviſſet, parturientium doloribus correpta fuit. Vocatur obſtetrix, quæ quidem illam, quam potuit, adhibuit, diligentiam, ſed fruſtra. Supramodum adauctis doloribus & conatibus ad parturiendum, uxor mea quoque acccerſita fuit, antea enim, Divinâ adſpirante gratiâ, ipſam ab oſtetricibus veluti derelictã, bis à fœtu mortuo liberaverat uxor mea, ſed manu tantùm, & ſine inſtrumentis, quod hac vice fieri non potuit. Porrò, cum fœtum mirando quodam modo in globum involutum eſſe, & caput oſſe ilei ſiniſtri incumbere animadverteret, aſtantibus ſignificavit, partum præter modum difficilem fore, neque infantem vivum eniti poſſe, prædixit.

Quapropter juſſit ut cordialia exhiberentur, Epithemata carpis applicarentur, venter, genitalia, & adjacentes partes oleis emollientibus, & relaxantibus, inungerẽtur, & ſacculus emolliens ventri applicaretur, quæ quidem adminiſtrata fuerunt, ſed fruſtrà. Dolores enim & conatus

ma-

magiſque augebantur, ita ut vaſa umbilicalia extra uterum propellerentur, & fœtus extinctus fuerit. Tum & ego advocatus fui. Vix credibile eſt, in quantis doloribus & cruciatibus ipſam invenerim, & ita quidem, ut junctis elevatiſque manibus, ſine intermiſſione me rogaret exclamando, ut Cæſareâ ſectione ipſam ex tantis anguſtiis & doloribus liberare vellem, & ſunt hæc ipſius verba, *Mein lieber Herr Fabrici, ſchneidet mir den Bauch auff, damit ich dieſes Schmertzens mœge erlœſst vverden.* Taceo, & quid maritus, & adſtantes matronæ, quibus conſilia Medicorum apud parturientes & puerperas, odioſa eſſe conſueverunt, dicturæ ſint, expecto: Obmuteſcunt omnes: illa verò magis magiſque exclamat: ſeca, ſeca, mi Dn. Fabrici, & ocyus me ex tantis anguſtiis libera. Quum verò ſectionem illam, ut periculoſam, neque in hoc ſubjecto neceſſariam, rejicerem, & methodum meam extrahendi fœtum mortuum proponerem, ſtatim & ipſa ægra, maritus, & adſtantes omnes exclamant, adhibe, quæ adhibenda, & tenta, quæ tentanda, ut hujus miſeriæ finem videre poſſimus. Uxor itaque mea, ut quæ operationem hanc, Lauſannæ, Paterniaci & alibi multoties adminiſtraverat, me adſtante, operationem aggreditur, iterumque prædictas partes inungit, ſacculumque callidum applicat: Poſtea ea qua fieri potuit diligentiâ, attracto capite, oſtium uteri verſus: hamulum vertici adaptat: quibus omnibus Deus ita benedixit, ut intra dimidiæ horæ ſpatium à fœtu, ſimul & à ſecundina, maximâ cum adſtantium admiratione, qui nunquam de hac operatione audiverant, feliciter liberata fuerit, Vigeſimâ videlicet nonâ Aprilis hujus anni. Poſt operationem omnia tam bene ad votum ſucceſſerunt, ut brevi in integrum reſtituta, & perfectè ſanata fuerit. Laus ſit Deo Opt. Max. in ſecula ſeculorum.

Fœtus in globum adeò contortus & intricatus fuit, ut ejus ſitum deſcribere non poſſim. Totum præterea corpus, imò & facies ipſa (quod in aliis nunquam obſervavi) limoquodam glutinoſo ac ſpiſſo, cineritii coloris, coopertum erat. *Gulielmus Fabricius Hildanus Obſervation. Chirurgicar. Cent.* 4.

De mirandô quodam ſitu fœtus in utero, unde difficillimus partus.

Honeſta quædam matrona Bernenſis, *Eliſabet Wagner* nomine, uxor Jacobi Schmid, cum ſecundo eſſet gravida, & ſuperiori Autumno propter fœtum mortuum, maturum tamen, in octavum diem, doloribus parturientum ſupramodum excruciata, tandemque ab oſtetricibus pro deplorata derelicta fuiſſet, ut uxor mea in conſilium & auxilium vocaretur, adſtantes rogavit; Illa cum circa quartam pomeridianam ad ægram veniſſet, præter modum ipſam debilem invenit. Conatus ad partum perexigui ad erant; Febri torquebatur ardentiſſima: idque propter doloris vehementiam, ac diuturnitatem, vigiliaſque, & quod potiunculas aliquas ad expellendum fœtum, ex rebus calidis confectas ſumpſerat, vinoque generoſo, ut hic moris eſt, uſa fuerat; aqua, quæ fœtum comitari ſolet. ab initio effluxerat, quapropter genitalia adeò erant arida, ſicca & clauſa, ut vix ingreſſum duorum digitorum admitterent.

Negotium autem hoc modo aggreſſa eſt: Loco vini lac amygdalarum exibuit, & quidem in copia, Alvum, quæ contricta erat, Enemate ſubduxit; Ad vires refocillandas, ex aquis cordialibus, & confectione Alkermes propinat: carpiſque epithemata applicuit, totum ventrem, coxas, lumbos, os ſacrum, & genitalia, oleis & pinguedinibus anodynis, emollientibus & relaxantibus, inunxit, ſacculumque triangularem emollientem, & relaxantem, ejus magnitudinis, ut infimum ventrē & interfeminium cooperiret, calidè applicuit. His per horas aliquot adhibitis remediis, cum inunctâ manu ſitum fœtus explorare vellet, vix apices digitorum in uteri oſtium intrudere potuit; Adeò clauſum erat, adeoque fœtus, propter præcedentes conatus, verſus os pubis & genitalia depreſſus fuit. Tandem cum ſummo cum labore & induſtria, genitalia aliquantum dilatata fuiſſent, digitoſque ulterius immiſiſſet, lumbos, manumque dextram fœtus ſeſe ante oſtium offerre reperit, ut itaque inverſum ac monſtroſum ſitum illum fœtus corrigere, & caput, aut pedes oſtium verſus adducere poſſet, omnem quidem adhibuit diligentiam, ſed fruſtra, tam anguſta & contracta erant genitalia. Ab incepto tamen opere cum deſiſtere nollet, ſed operando, & auxilium opemque divinam implorando ſtrenue progrederetur, & parturientem quotieſcunque conſultum ac neceſſe videbatur, ad labores reduceret, tandem & quidem ante duodecimam noctis, ſingulari miſericordiâ ac clementiâ Dei maximâ cum admiratione adſtantium, feliciter ac miraculoſè liberata. fuit. Miraculoſe inquam, fœtus enim, ut poſt partum apparuit, mirando quodam modo, hunc in modum involutus erat: caput & collum ſub brachio dextro verſus coxam dextram ita reflexum fuit, ut facies inter nates collocata eſſet: adeò dorſum collumque erat prolongatum, manus dextra regioni renis ſiniſtri, ſiniſtra verò manus, genu ejuſdem lateris incumbebat; Tibia dextra ſiniſtræ decuſſatim in formam X incumbebat, & ambæ verſus pectus reflexæ erant. *Idem ibidem.*

De Matrona quadam Burgunda, cui Anno milleſimo ſexcenteſimo nono, fœtus putridus per umbilicum exciſus fuit, opera & diligentia Johannis Marchandeti. Chirurgi Salinenſis.

Si verum eſt, candide Lector, quod Cicero libro 1. officiorum ex Platone prodidit, his verbis: Non ſolum nobis nati ſumus, ortuſq; noſtri partem Patria vendicat, partem parentes, partem amici, atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe genitos, ut ipſi inter ſe aliis aliis prodeſſe poſſent. Hæc, inquam ſi vera ſunt, profectò, ut unuſquiſque noſtrum, quæcunque rara & obſervatione digna in arte Medica occurrunt, conſcribat, & poſteritati relinquat, rationi conſentaneum eſſe mihi videtur.

Quum igitur perpenderem divini Hippocratis dictum, Aphoriſmo primo, libri primi: Vitam videlicet hominis eſſe brevem, artem vero longam, item ea, quæ à Plinio in Procemio libri 7. traduntur: nimirum Hominem nihil ſcire, ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci, brevi

breviter non aliud natura ſponte quàm flere. Non abs re fore mihi viſum eſt, ſi ea, quæ in curatione cujuſdam ruſticæ mulieris obſervavi rara & annotatione digna, publici juris facerem: Idq; eam præcipuè ob cauſam, quod per hujuſmodi rara, & admiranda, ad laudandum Deum conditorem omnium rerum, ejuſque nomen celebrandum; opera verò naturæ (quæ ut ſe conſervet, ſemper eſt ſolicita) ſtupenda invitamur.

Natura porrò, quantumvis cum ratione non operetur: neque in ſuis affectibus, & actionibus utatur judicio, nihilominus tamen urgente neceſſitate, & quidem in maximis, & præſentiſſimis periculis, media occulta, & nobis incognitas vias. (quarum Medicus, quantumvis eruditus, rationem reddere non poteſt) ut ſeſe conſervet, excogitat, invenitque. Per quos quæſo ductus, & vias manifeſtas, pituita illa inter ventriculum & diaphragma incluſa atque contenta, necnon dolores acerbiſſimos excitans, fluit? nihilominus tamen Hippocratem illam notaſſe, atque obſervaſſe, certum eſt, ſic enim ſcribit l. 7. Aphoriſmo 54. Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſverſum pituita repoſita eſt, & dolorem adfert, non habens exitum neque ad alterum ventrem: his per venas ad veſicam pituita verſa ſolvitur morbus. Addo inſuper providentiam naturæ in magnis & periculoſis affectibus, tam magnam eſſe ut ne oſſa quidem, quantumvis duriſſima, denſa & ſpiſſa, excludat. Legimus enim apud Hipp. duobus in locis nimirum epidemiorum lib. 2. & lib. 6. abſceſſus etiam fieri in ipſis oſſibus: hinc naturam optimum eſſe Medicum, Hippocrates ſectione quinta libri ſexti Epidemiorum ingenuè faſſus eſt. Hujus quoque ſententiæ fuiſſe Galenum ex libro 6. de locis affectis & alibi apud ipſum videre licet. Naturam itaque in ſuis operationibus admirandam eſſe, amplius in controverſiam vocari non poteſt; quotidiana enim exempla fidem faciunt. Albucaſis inter Arabes Medicus & Chirurgus excellens, lib. 2. cap. 76. hiſtoriam ab illa, quam mox ſubjungemus, non multum diſſimilem recitat, his verbis.

Vidi ego mulierem, in cujus ventre mortuus erat fœtus, & nihilominus impregnata, poſtea mortuus fœtus etiam ſecundò conceptus. Accidit ergo ei poſt tempus longum, apoſtema in umbilico ſuo, & inflatum eſt, donec apertum cœpit emittere pus; vocatus ſum ego ad curationem ejus & medicatus ſum ei tempore longo: & non conſolidatum eſt vulnus. Poſui ergo ſuper ipſum ex quibuſdam Emplaſtris fortis attractionis, & exivit ex loco os: deinde poſt dies aliquot exivit & aliud os, miratus ſum ergo, cum in ventre non ſit os. Cauſam diligenter expendens, & mecum per omnia putans, deprehendi, quod erant ex oſſibus fœtus mortui. Cauſa itaque morbi certò cognita, medendique rationem hinc conſecutus, extraxi oſſa multa, muliere exiſtente in melioribus diſpoſitionibus & diu poſtea vixit mulier illa: ex ulcere autem ſemper puris nonnihil fluxit. Hactenus Albucaſis.

Alexander Benedictus, Veronenſis Medicus & Philoſophus multis nominibus clariſſimus, lib. 25. cap. 33. ſimilem hiſtoriam raram & admirandam recitat, hunc in modum. Mirum obiter naturæ exemplum referam, cujuſdam Venetæ matronæ quæ cum partum legitimum excluſiſſet, alter incluſus intra ventrem manſit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus, fluore quodam profluit, ex naturalibus oris; demum ortis in ventre tribus fiſtulis, ex una quæ omnium maxima erat, integra infantis calvaria extracta eſt, cunctis mirantibus: deinde ſingulis diebus reliqua oſſa deſumpta ſunt. Unde mirabili naturæ ope ſanitati reſtituta eſt. Hactenus Alexander Benedictus.

Portò ſequens hiſtoria præcedentibus non minus rara, quam admiratione digna eſt. Caſum enim graviſſimum de quadam matrona, Johanna Barbet nomine, 45. circiter annorum ætatis, & Anatoilii Boutonis in vico Pagnoz dicto, habitantis uxore, continet. Eſt autem matrona illa corpore robuſta, optimè temperata, hilaris, ſed inprimis in omnibus ſuis actionibus operoſiſſima, actuoſiſſimaque. Ex hac autem hiſtoria ſymptoma, cujus poſtea fiet mentio, etiam abſque ſuperfœtatione, & gemellis, accidere poſſe, ſatis ſuperque apparet. Hæc autem quum 11. utero geſtaſſet, conſtituto quin etiam tempore ſemper feliciter peperiſſet, & jam 12. partus excludendus eſſet, res multo aliter ſucceſſit. Cum enim ad ſtatutum tempus perveniſſet, & felicem partum exſpectaret, dolores infinitos maximoſque & conatus ad parturiendum irritos ſuſtinuit. Fœtus enim ad partum paratus, in utero veluti intricatus & ita incluſus, remanſit, ut amplius ſeſe non moveret, neque ſe vivere, ſignum ullum ederet. Id ad infinita ſymptomata atque incommoda excitanda ſufficiens erat. Si enim ex ſola retentione ſecundinæ febris ardens & continua, ſpaſmus, ſyncope, aliaque graviſſima ſymptomata, tandemque mors ipſa ſequuntur, nonne multo magis ex fœtu mortuo & in utere retento, illa omnia provenire potuiſſent? Verum aliis hanc rem dijudicandam relinquo, & quæ præterea acciderunt paucis ſignificabo.

Ab ipſa itaque decima quinta Junii Anni 1608. qua die primò partus doloribus correpta fuit, uſque ad ultimam Octobris Anni 1609. (menſes circiter ſedecim cum dimidio faciunt) quum continuis, maximiſque atque inauditis doloribus, conatu & tormentis defatigaretur, tumor ingens è regione umbilici paulatim exortus eſt. Ego prima Novembri ejuſdem anni ad curationem accerſitus, jam cutem aliquomodo naturæ beneficio contaminatam, & ratione oſſis ſcapulæ (quod ſibi exitum parabat) exulceratam eſſe, reperi. Quum verò naturæ opem ferre neceſſe eſſet, cutem ex ſiniſtra parte umbilici, ad longitudinem quatuor digitorum in tranſverſum poſitorum incidi, donec fœtum adeò corruptum, putridumque invenirem, ut aliquibus in locis nihil præter oſſa eaque carne denudata ſupereſſet; Quæ potius ſceleton, quam quicquam aliud repræſentabat. Inde ſatis perſpicuum eſt, partes molles item inteſtina, omniaque viſcera interna, paulatim in pus converſa, per pudenda effluxiſſe. Quandoquidem nihil carnis repertum fuit, præterquam quod manus, brachia, pedes & crura, muſculis nonnullis, ſed lividis, ſemiputridis, fœtidiſſimiſque inveſtita eſſent. Inciſione, uti dictum, facta os ſcapulæ, quod primò ſeſe obtulerat, carne denudatum, ſiccum & ab ipſo humero ſeparatum, extraxi. Poſtea de die in diem, ut reliqua oſſa, unum poſt alterum extraherem, omnem diligentiam adhibui. Intra Octiduum itaque truncum fœtus, qui nondum membranis,

quan-

quantumvis putridis, omnino deſtitutus erat, extraxi. Quum vero ulterius progrederer, cranium, pericranio denudatum reperi; Quod cum extrahere vellem in partes quinque aut ſex disjunctum erat. Vertebræ omnes tam colli, quam metaphreni & lumborum, carne & ligamentis denudatæ, omneſque ſeparatæ confusè inveniebantur, uti quoque coſtæ & ſternum. Demum neque brachia, neque tibiæ hujus putredinis expertes erant. In iſtis tamen partibus nondum ad oſſa penetraverat corruptio illa; ita ut adhuc carne, quamvis ſemiputrida, inveſtitæ eſſent, & trunco corporis adhærerent. Quapropter cum aliter illas extrahere non poſſem, minutatio illas ut inciderem, neceſſe fuit; Sicque extractioni fœtus finem impoſui.

Poſt extractionem, quum ex oſſibus, quæ extraxeram, nihil amplius præternaturale reſpectu oſſium, in corpore ſupereſſe, cognoviſſem, partibus à fœtu mirum in modum dilaceratis, veluti matrici, peritonæo, muſculis epigaſtrii, proſpiciendum eſſe duxi. Primò itaque ulcus illud profundum, ut convenientibus remediis, veluti injectionibus abſtergentibus, deſiccantibus & putredini reſiſtentibus ablueretur, neceſſe eſſe, mihi videbatur. Ab initio itaque, quamdiu putredinem adeſſe ſentiebam, prædictis medicamentis maximo cum fructu uſus ſum. Eorum porrò beneficio ablata putredine, ad ſarotica perveni; Tandemque cicatricem induxi: Idque intra paucos dies tam feliciter factum fuit, ut ægra, per ſingularem miſericordiam atque clementiam Dei integram valetudinem recuperaverit, optimeque hucuſque valeat.

Hinc, Lector candide, quam diligens ſit natura ad individui conſervationem, perſpicuum fit. Et quamvis nunquam ab artifice edocta fuerit, nihilominus tamen, oblata occaſione, maximo utitur artificio: media quinetiam infinita, qaibus ex maximis & graviſſimis periculis ſeſe extricare poſſit, excogitat atque invenit. Præcipuè autem ſi aliquo modo artificio Medici (qui miniſter eſt naturæ, illamque imitari debet) refocillata atque conſervata fuerit. Et quanto perioculoſior, qui ipſam infeſtat morbus, ſeſe exhibet, tanto magis quoque inſurgit, operationes quinetiam curationeſque admirandas facit.

Præcedentis Curationis & ſanationis teſtimonii, à Magiſtratu conceſſi ſumma.

Nos, major Capitaneus, Beulenta, Senatuſque civitatis Salinenſis, omnibus notum facimus, ſupplicem coram nobis comparuiſſe, honorabilem virum, Johannem Marchandetum, unum ex noſtris Chirurgis, exponentem, ſe ante paucos dies mulierem gravidam, ex vico Pagnoz dicto, prope Salinam civitatem, ad duo miliaria tractaſſe; Quæ cum ſtatuto tempore infantem non pareret, ſpacio viginti quinque menſium cum dimidio ipſum in utero geſtaſſe. Tandem verò (quum per viam naturalem ipſum excludere non poſſet) ad umbilicum mulieris inciſionem ſe feciſſe, & per eam membra, oſſiculaque infantis extraxiſſe.

Idque tali cum ſucceſſu, ut in præſentia, per ſingularem Dei miſericordiam, eo uſque ſanitati reſtituta ſit fœmina illa, ut partim hic Salinæ, partim etiam alibi eo, quo antequam prædicto morbo laboraret, modo cum omnibus denuò converſari poſſit.

Nos itaque ut hujus rei veritatem exploraremus, Virum Nobilem Danielem Romanet J.U. Doctorem, & hujus civitatis Beuleutam, Honorabilem item Dn. Philippum Pernet, Syndicum conſtituimus, quibus hoc negotium committeremus, idque in eum finem, ut in omnia, quæ in prædicto ſcripto continentur ſollicitè ſtudioſeque inquireretur, nobiſque rei veritatem referrent, exponerentque. Facto itaque debito examine, ea omnia quæ acciderant, nobis fideliter retulerunt, uti & clariſſimi atque doctiſſimi Viri Dn. Quanteal, & Dom. Mathon, Medicinæ Doctores, & hujus civitatis Senatores, hujus rei locupletiſſimi teſtes eſſe poſſunt, quibus ſupplicatio prædicti Marchandeti, ut & copia examinis exhibita fuit: Teſtamur itaque quæ in præcedenti ſcripto recenſentur, vera eſſe omnia. In teſtimonium rei veriſſimæ, hoc noſtrum teſtimonium ut à Secretario noſtro ſubſignaretur, & ſigillum noſtrum apponeretur, conſtituimus. Actum quarta die menſe Novembris. Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo.

Reviderunt

PERNET Syndicus

D. ROMANET

ſubſcripſit GRENIER Secretarius.

Hæc ex eòdem Gulielmo Fabricio Hildanò. Reſponſione ſcilicet ad Michaelem Doringium.

Rara profectò; imò & verè admiranda præcedens eſt hiſtoria; & meo quidem judicio, verè digna, quæ etiam poſteris innoteſcat. Addam & ejuſdem argumenti duas, ex Diomedis Cornarii, Sereniſſimi Principis Maximiliani Archiducis Auſtriæ, &c. olim Medici, multis nominibus clariſſimi, obſervationibus Medicis, idque in eum finem, ut hujuſmodi exemplis & operationibus rariſſimis admonerem Chirurgos, ne ab ejuſmodi operationibus, quantumvis graviſſimis, manus penitus abſtrahant; ſed invocato ſemper ante omnia nomine Domini, potius aliquid cum periculo tentent, quā ægrum in evidentiſſimo mortis periculo relinquant. Sic autem habet hiſtoria prima, quæ apud Cornarium VI. eſt in ordine, Marcellus Donatus lib. 4. c. 22. eandem uti & alias ejuſdem argumenti habet hiſtorias.

Anno Chriſti 1545. quædam concivis Viennenſis, nomine Margareta, filia Wolfgangi Karlinger civis Viennenſis, uxor verò Georgii Volczer, hoſpitis eo tempore ad ædes rubri cancri appellatas Viennæ, poſtquam antea quoque enixa eſſet aliquot liberos, concepit anno ætatis ſuæ vigeſimo quinto, omnia denique habuit ſigna felicis impregnationis, fœtum inſuper temporis progreſſu ſenſit. Ante feſtum D. Bartholomæi eodem anno valentem, & ſtrenuè ſeſe moventem, uſque ad feſtum D. Luciæ ſacrum. Quo ſanè illi tempore ſupervenerunt partus dolores, adeò vehementes, ut antea experta jam ſæpius ipſa jamjam ſe crederet enixuram. Statim igitur advocari juſſit matrem, & unam ex ſuis ſororibus, acciri etiam obſtetricem confeſtim præcipit. Quæ cum adveniſſet, ſtatim re animadverſa, juſſit omnia ad manus eſſe parturienti neceſſaria; hæc verba adjiciens: ſtatim,

Deo volente, puellum habebimus, & quemadmodum poſtea eventus comprobavit, vera vates extitit. Interea prægnans in ſede parturientium conſedit, & quum conſtanter admodum à circumſtantibus admoneretur, urgeretur etiam ab obſtetrice, omnibus niſibus elaboravit ad parturiendum, in quibus heu nimium vehementibus conatibus fragor quidam increpuit ſatis ſonorus: quique non temere argueret magnam vim, vel fœtui, vel matri illatam fuiſſe, vel certè conquaſſatum infantis caput in partes diſceſſiſſe. Ab eo fragore vivacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit.

Gravida inde majorem in modum cœpit ægrotare, ac propterea in lectulum ſuum reducta & repoſita eſt. Interim lac accurrens, quod parturientibus uſu venit, ubertim ubera replevit, adeò ut ſtillatim etiam à pupillis gliſcentibus coloſtra deflueret ſpectantibus multis & iis honeſtis ac prudentibus mulieribus: quæ dies noctesque aſſiſtentes præſtolabantur felicem partum.

Dum verò res ita protraheretur, ſemperque major difficultas, minor verò ſpes eluceſceret, deliberatum eſt ab omnibus, quæ tum præſto erant, & itum in eam ſententiam, ut plures obſtetrices accerſerentur in rem præſentem, aliquod ferè ſalubrius allaturæ conſilium.

Sed ex harum etiam adventu nil miſeræ adminiculi acceſſit; neque quiſquam ab his in medium dici potuit, vel conſuli ſalutare, præterquam quod una ex iis judicatum habebat, (& fortaſſe non male) rem nimis feſtinatam fuiſſe, os ſacrum nondum ſatis hiaſſe. Nihil itaque etiam tum affectum & datum eſt, geſtansque uterum mulier tandem per multas ſeptimanas graviſſimè decubuit, ventris tumore, duritie fluxu, qui ſupervenerant, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia continuæ denique corporis graves afflictiones, animi percuſſiones ad ſummam deſperationem miſeram videbantur compellere; Effeceruntque, ut ad tentanda omnia, omnium conſilia animum adverteret, ad uſurpandas omnium medelas, doctorum, & indoctorum, Chriſtianorum & Judæorum, quæ tamen ne quicquam adhibitæ, auxilii nihil, plurimum mœroris & deſperationis (cum res difficilis ad impoſſibilitatem videretur vergere) attulere. Hiſce periculorum & ærumnarum acervis circumventa, atroci inſuper ventris ac inevitabili onere ſummè implicita mulier, per quadriennium, uſque ad annum Domini 1549. ſemiviva perduravit. Sed quod prætereundem hoc loco non eſt, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates, miſella inſuper adflicta eſt defluxu continue putrilaginoſo, qui per locum muliebrem perrumpens, totum hoc quadrienne tempus duravit, ita tamen ut aliquando parcius, aliquando copioſius profluens, diſpari ratione mulierem affligeret, ceſſaret tamen nunquam.

Cruciatibus igitur hiſce ac gravedinibus diu perſtantibus, tandem natura (quæ ſemper individuum conſervare contendit) acore, & copia putridi humoris non evicta ſed compulſa (utpote cui inferna humoris ſubductio non ſufficeret) ad umbilicum matricem ipſam totum denique abdomen multis alioquin partibus munitum perfodit. Foramen igitur factum eſt primo Anno Domini 1548. in loco prædicto; Ex quo multum ſanioſi fœtidique mucoris proruit. Succeſſu deinde temporis poſt aliquot menſes, adhibitis externis emplaſtrorum adminiculis apertio coaluit, poſteaquam (ut videtur) colluvies humorum nocivarum abunde excreta eſſet; vel aliquantiſper pro neceſſitate evacuationis diminuta. Sed quod efflictim obſervandum eſt, paulo poſt Anno Domini 1549. Menſe Junio, quum ſcilicet multa putrida ſuperfluitas omni conatu mox per naturam expellenda iterum collecta eſſet, natura denuò eodem conſilio & via, proximo in loco non ita procul à priore apertione diſtante, per ventrem iterum perrupit, & affatim eduxit neceſſario evacuandam purulentiam.

In hoc foraminulo exhibebatur omnium conſpectui & tactui os quoddam, quod eventus poſtea (reſecta alvo & matrice) comprobavit, infantis fibulam ſiniſtri brachii fuiſſe. Duravit iterum hæc apertio, eodem ſtatu & effluxu, cum magna fœminæ in utero habentis virium proſtratione, ad menſes aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum, fœtoriſque intolerantia indies magis ac magis ingraveſcerent, viderentque omnia ad interitum ſpectare, ipſaque miſerrima quæ cruciatibus immenſis, animi crebris deliquiis jamjam crederet ſibi exitum imminere; denuo init conſilium aſciſcendi Medicos, ſi fortaſſe ex ſingulari Dei miſericordia, felix horula ſalubris conſilii eluceſceret, ſi denique forte fortuna Deo ita diſponente, in hora contingeret, quod non contigiſſet in annis. Vocati igitur ſunt Chirurgi tres; Aulæ Regiæ Chirurgus, Sixtus Wirt, Paulus Dirlevvang, urbis Viennenſis ordinarius Chirurgus, & Petrus Winckler: qui cum adveniſſent, rem omnem intuiti, atrox periculum præ oculis eſſe animadvertunt, ſimulque moderate omnes unanimes reſponderunt, majus eſſe negotium hoc, quam ut ipſi quicquam certi in hoc caſu ſtatuere, vel debeant, vel poſſint; accerſendos eſſe Medicinæ aliquot Doctores, quorum conſilia meritò accedere debeant, & ſi quid in re tam ardua faciendum ſupereſſet, ſibi conſultum videri; ut id ex eorum matura deliberatione proficiſcatur. Acciti igitur ſunt Doctores duo Johannes Enzianer & Matthias Cornax, alter vir ſenex, & revera miles (quod dicitur) emeritus, hic publicus Medicinæ in Viennenſi Gymnaſio ordinarius Profeſſor. Qui cum veniſſent aliquoties poſt crebram inſpectionem ægræ, virium explorationem, circumſtantiarum diligentem inquiſitionem, nihil aliud videbant ſupereſſe conſilii, quam ut ad ſententiam Hippocratis Extremis morbis, extrema adhiberentur remedia quantumvis periculoſa. Decretum itaque ab iis eſt, de alvo aperienda. A Chirurgis etiam in eandem itum ſententiam. Quod cum certo conſtitutum eſſet, etiam fœminæ ejuſque marito, & propinquis Medicorum conſultum indicatum eſt, à quibus omnibus aſſenſum. Statuta tandem dies eſt decima menſis Novembris, Anni 1549. hora duodecima pomeridiana; Chriſti igitur Domini Auſpiciis, cum tempus ſtatutum adveniſſet, rebus ritè auxiliaribus, denique paratis & diſpoſitis præſidiis, ſi quid fortè gravius contingeret, præſentibus Doctoribus nominatis,

tis, & Chirurgis ſectio cum ſumma diligentia peracta eſt.

Linea autem ſectionis ex mea deſignatione ducta eſt, ab apertione ea inchoata (quæ paulo ſupra umbilicum à natura, ut diximus, facta erat in latere dextro) rectè deorſum per tractum muſculi recti, abdomini incumbentis, longitudine plus minus octo unciarum, hoc eſt ſemipedis antiqui, & duorum pollicum, qua facta inciſione, propter neceſſitatem & intolerabilem fœtorem ſubito contentum in utero à Chirurgis undique liberatum eſt, & exemptus fruſtratim fœtus, jamdudum emortuus & ſemiputridus. Secutus eſt hanc extractionem fœtor incredibilis, adeo enim putredo invaluerat, ut bona pars membrorum pueri conſumpta appareret, Caput vero totum confractum, & oſſa cranii diſperſa extraherentur, cerebri vero videretur nihil, nimirum quod totum putredine diuturna conſumptum eſſet. Abſoluta hac ſectione ex ſumma Dei Opt. Max. miſericordia feliciter mulier debita ratione, infarctis laceris & rugoſis uteri cavitatibus ligata & curata eſt; Illique de rebus neceſſariis quàm optime proſpectum à Medico & Chirurgis. In omni autem iſta adminiſtratione, miſella quæ reſecabatur, nullum paſſa animi deliquium, ſed forti & ſedato animo omnia pertulit adeo ut Deus & natura ipſa in conſervanda hoc inopi & ignobili fœmina, contendiſſe videantur. Succeſſu deinde temporis cum omnia ex ſingulari nutu Dei feliciter procederent ſine ulla ſutura, rugis (detumeſcente ventre ob exinanitum uterum) coëuntibus, poſtliminio venter ab onere putrido liberatus, peroptime coaluit: & fœmina præter omnem exſpectationem curata eſt; Et uterus ipſe una cum abdomine, & ejus partibus planê conſolidatus, quinetiam ita matrice probè reſtituta menſes bono ordine & modo rediere, ut ſpem aliquam conceperimus, membro quantumvis ſenſibili & ſpermatico ita perſanato mulierem denuo concepturam & fortaſſe fœtus edituram. Quod tamen poſtremum, ut valde & multis rationibus eſt ambiguum, ita incertum, divinæ omnipotentiæ relinquimus determinandum.

In hunc modum ſe habet hæc rara quidem & admiratu digna, ſed vera hiſtoria, quam ideo in literas referendam non dubitavi, ut omnes homines animadverterent, ſummam Dei erga gravidas fœminas benignitatem, atque hæc hiſtoria eſſet conſolationi omnibus prægnantibus foeminis, quum videant Deo ſe adeo curæ eſſe, ſuamque imbecillitatem tanta perferre poſſe. Poſtremo ut hæc noſtra ſcriptione admonerem Chirurgos, ne ab eiuſmodi graviſſimis aggrediendis potius impigre, & alacriter, quam expaveſcendis caſibus manus ſuas abſtraherent. Longe enim præſtantius ac laudabilius eſt, aliquid cum periculo aggredi, quam cum certa pernicie ceſſare? Et decentius eſt aliquid lethale etiam committere, modo ſpes aliqua ſalutis prorogandæ ſuperſit, quam omnino certæ & præſenti ſe committere, morti, quæ proculdubio huic gravidæ mulieri jamjam imminebat, niſi relatis à nobis præſidiis ex Dei ſingulari voluntate evaſiſſet. Quare laus ſit Deo ſummo, qui fecit, facitque mirabilia, qui ſit benedictus & ſuperexaltatus, in ſecula ſeculorum, Amen. *Ex eodem, & ibidem.*

Quod eadem fœmina denuo conceperit, & geſtaverit fœtum vivum, perfectum, maſculum, ad legitimum pariendi tempus, quodque ex poſthabita ſectione, mater una cum puella interierit.

Poſteaquam ſuperne à nobis deſcripta Margaretha, ex ſanctiſſimi opificis Dei voluntate convaluiſſet, convixiſſetque denique ſana marito annum plus minus integrum, ſatis frugaliter, denuo concepit & geſtavit puerum bene valentem & ritè ſuccreſcentem, uſque ad ſecundum diem menſis Junii Anno Domini 1551. quod erat legitimum tempus pariendi. Ea dies cum mane eluxiſſet, & belle ſe haberent omnia, infans robuſtus ſtrenue palpitavit, & elaboravit ad egreſſum uteri, mater moeſta omnibus nervis ad expellendum foetum incubuit præſentibus multis mulieribus, ſed in caſſum omnes conatus ceſſere. Quapropter vocatus eſt Paulus Dirlevvang Chirurgus Viennenſis, qui antea illam ſecaverat, ut in medium conſuleret. Ille vero præ oculis cernens grave diſcrimen, conſuluit, me etiam eſſe vocandum. Adveniens itaque & ego cum perluſtraſſem ventrem enitentis, vidiſſemque foetum validum, mater autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, deſtitutam; cicatricem præterea veterem, quaſi per rimam longam hiſcere, omninoque impoſſibile eſſe, ut conatus foeminæ tam lacero utero inciſis per longum muſculis & abdomine, tanti eſſe poſſent qui in utero contentum quantum is viribus præſtans & ſeſe adjutans, per os ſacrum poſſent repellere, ſuaſi è veſtigio, utendum ferro, ut prius reſecandum eſſe. Firmavit meam opinionem & hoc, quod rimula ſectionis priſtinæ laxata pellucens madebat, & per ſe diſceſſionem parietum cicatricis minitabatur. Hiſce perurgentibus rationibus, nos compulſi, & commemoratione prioris felicis eventus animati, ſectionem iterum inſtituendam cenſuimus, acquieſcebat conſiliis noſtris alioquin moritura puerpera. Verum enimvero mater ejus, & reliquæ aliquot præſentes foeminæ aſſentiri nullo pacto voluerunt. Interim ego ordinatis quibuſdam præſidiis confortantibus, conſolatus afflictam diſceſſi, & paulo poſt reverſus, acriter inſtiti, iterum peragendæ Cæſareæ. Sed perperam tum obtinuit matris affectis, quæ cum cæteris foeminis in ea perſeveraverat ſententia, ut Deo omnia committerentur, relicta periculoſa ſectione, quæ tum etiam ſatis tempeſtive adhiberi poſſet, cum extremum anhelitum mater ſpiraret. Exſpectatum igitur uſque ad horam decimam noctis, quo tempore infelix, cum fruſtra diu & ſtrenue luctata eſſet, viribus omnibus exhauſtis, cruciatibus oppreſſa animam exhalavit. Quod cum factum eſſet, ſubito Chirurgus prædictus vocatus eſt, & citiſſime ventrem aperuit, ſtatimque infantem perfectum, maſculum, omnibus numeris perfectum, exemit. Ibi videre erat (ſuperveram enim & ego) certamen adnitentium puello vitam, quæ paulo ante abierat, revocare, & ſufflando omnia tentare ſpiracula, ſed perperam & fruſtra omnia fiebant. In promptu cauſa eſt eruditis, & anatomiæ peritis, ſiquidem in

confeſſo eſt, vitam & motum cordis in infante, à duabus arteriis vitalibus matris per umbilicum fœtui ceu per inſitionem inſertis dependere, quæ vaſa natura pro cordis refrigeratione fabricavit. Quare cum arteriarum motus in matre ceſſet, earundem etiam motum è veſtigio in infante ceſſare neceſſum eſt, ſiquidem fieri minime poteſt, ut puer ante præciſionem umbilici, in ipſo denique utero involutus tunicis ſpiritum per os attrahat.

Præterea eſto, quod continuatio umbilici foetus à matrice ſit libera, ruptis cotyledonibus partus tempore, tamen nihilominus umbilicus ſecundinæ adhæret, neceſſario ab obſtetrice præcidendus; vel etiamſi à ſecundina, in utero exiſtente puello umbilicus ſolutus eſſet, tamen reſpirare per os non poſſet infans, panniculis involutus; uteri præterea parietibus incluſus, mucoribus denique, & aquoſitatibus circumfuſus, quæ certè res ſæpe ſolutos infantes hærentes tamen diutius in anguſtis faucibus oſſis ſacri, enecat ſuffocando. Cum ex prædictis itaque neceſſarium ſit, vita & motu puerperarum ceſſante, ceſſare etiam infantis in utero contenti vitam & motum impoſſibile eſt, tam immediate excindi infantem poſſe, in eo ictu temporis quo anima ex matre migrat, quæ ſi ſemel evolaverit, certe revocari humanis præſidiis nullo modo poteſt. Si autem forte fortuna exemptio infantis contigerit, in agone puerperæ, aut in animi deliquiis, præſentibus adhuc ſpiritibus vitalibus, tum cenſemus omnino, ſupervivere infantem poſſe, quemadmodum ſine dubio de Julio Cæſare contigit.

Ex his igitur omnibus à nobis enumeratis, luce meridiana clarius liquet: Primò ut ſupra deſcripſimus, hanc Margaretam per quadriennium foetum mortuum in utero geſtaſſe, eundem exſectum eſſe membratim per abdomen: & quod ipſe prognoſticatus ſum dubitative, hoc Deum præſtitiſſe re ipſa, ut quod fœmina ita lacero, ſed reſtituto utcunque utero, progreſſu temporis tandem concipere poſſet, & noſtram hanc denuo concepiſſe & geſtaſſe uſque ad legitimum tempus partus, bene formatum & perfectum infantem, qui ſi etiam exſectus fuiſſet tempeſtive, ſine dubio ſupervixiſſet: cum tam robuſtus, tam bene habitus, tam abſolutus (ut ipſe diligenter coram intuitus ſum) fuerit, ita ut plane nihil in eo deſideraretur, præter vitam. Cujus rei teſtes multæ perſonæ utriuſque ſexus eſſe poſſunt, quæ frequens eo confluebant, hoc miraculum conſpecturi. Quare nemo deinceps dubitare debet, hanc hiſtoriam veriſſimam eſſe, ſiquidem Apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum, cui ſit laus & gloria & benedictio in ſecula, Amen. *Ex eodem, & ibidem.*

De muliere, quæ annis tredecim in utero geſtavit ſceletum fœtus mortui, quod tactu cum ab ipſa matre, tum ab omnibus illi præſentibus percipitur, hujus rei hiſtoria ſcripta eſt ad Matthiam Cornacem ab Ægidio Hertogio Medico. in Enchiridio Medicinæ conſultationis Matthiæ Cornacis, fol. 214.

Catharina qeædam uxor Michaelis de Mene, viri rutalis & pauperis, annis duodecim utero gerit fœtum mortuum, vel potius ſceletum fœtus mortui, res penitus monſtroſa ac miraculo digna dici poteſt: ita tamen res habet, ſicut ipſo tactu unicuique fuerit manifeſtiſſima. Mulieris enim ventrem inferiorem propriis manibus attrectavi, non bis terve, ſed pluries. Idem quoque egere cum viri, tum mulieres illuſtriſſimæ, non ſine omnium admiratione maxima, quos omnes honoris gratia prætérimus. At vel unius viri hac in re teſtimonium oculare ſufficere poterit, puta Excellentiſſimi Dn. Henrici Cornelii Matthiſii, qui quondam Carolo ejus nomine Quinto Auguſto, Medicus fuit domeſticus. Hic inquam cum ſtantem, & ſupinè decumbentem dictam mulierem crebrius attrectaſſet, omniaque oſſa fœtus mortui ipſo tactu optime deprehendiſſet, præ ſtupore nimio, tum admiratione ſumma dicebat.

Deo & naturæ nihil impoſſibile.

Anno igitur Domini 1549. eadem Catharina, poſteaquam antea enixa eſſet duos liberos, concepit menſe Martio, omnia ſigna habens felicis imprægnationis, fœtum inſuper temporis progreſſu, à quarto menſe conceptus ſenſit valentem, & ſtrenuè ſe moventem, uſque ad feſtum Divo Andreæ ſacrum, eodem anno quo ſanè illi ſupervenere dolores partus adeo vehementes, ut jamjam crederet ſe enixuram. Uterus quoque mirum in modum prominebat, uberaque lacte copioſiſſimo turgebant, idq; magis inſtante jam partu quam multis diebus antea. At cum ad parturiendum nulla amplius mora exſpectaretur, accidit ut vetula quædam malefica & præſtigiatrix ventrem huic utero gerenti attigerit, in aures ſuſurrarit & in faciem ſufflarit, aliaque peregerit: quæ quoniam parum ad rem noſtram facere exiſtimo, pluribus non perſequor: illius tamen meminiſſe placuit, nam in vetulam mulier culpam omnem rejicere videtur, quod illi res tam infeliciter ſucceſſerit. Ut autem parturientium dolores, cum in ventre inferiore, tum in lumbis ſenſit, ſtatim acciri obſtetricem, & mulieres vicinas jubet, quæ dies noctesque aliquot partum præſtolabantur: nullum tamen partus brevi futuri ſignum obſervat obſtetrix: præter illos dolores qui toto biduo increſcebant. Quare diſcedit, reverſura, ſi ita res poſtulaverit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, ſed diebus totis quadraginta, & die, & nocte illam ſæviſſime affligere non deſinunt ut totum id temporis miſella iſta inſomnis egerit. Ab utero quippiam interea fluxiſſe, nunquam animadverſum fuit. Fœtus vehementiſſime ſemper movebatur, ac calcitrabat, ita ut manifeſtè illius motus ab adſtantibus obſervari poſſet, toto iſto dolorum tempore ſudoribus quoque copioſiſſimis madebat. Lac præterea è mammillis uberius fluebat: quod quia acrius, tum plus juſto bilioſum erat, omnes fere partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabantur. Quadrageſimo demum ſecundo, & quarto dolorum die fœtus tam validè amplius moveri deſtitit. Dictu profecto mirum, quod tanto tempore ſubſiſtere potuerit incolumis, tandem conatu vehementiſſimo ita fœtus movebatur, ut inde tranſverſim in utero revolutum mater narraret

Dolores ab illo impetu fœtus multo mitiores evaſere, & paulo poſt plane receſſerunt. Poſt vero dies quatuor vel ſex, cruenta quædam ac nigra per alvum dejicere cœpit, illis ſimilia (ut illa inquit) excrementis, quæ pueruli jam in lucem editi, primum excernere ſolent, cujuſmodi excrementa egerebat diebus ad ſex libras. Cumque antea nullus in utero colliſionis oſſium ſenſus voluntarius perciperetur, hic tandem putans miſella, ſe ab omnibus ærumnis liberam, unicuique tangenti uterum, ſeſe prodere cœpit, ut etiam illam non lateat oſſium fœtus mortui ſitus, quippe cum digito monſtret: hic caput, illic coſtas, hic humeros, illic fœmora contineri. Quod ego & alii complures, me monitore deprehenderunt.

Cadaver iſtud ſeu ſceletum in utero matris jacet tranſverſim, capite & cruribus introrſum, dorſo vero extrorſum prominente. Sub ilio dextro caput reconditur, quod cum profundius quam matris ſpinam dorſi reſpiciat, non ſine ratione tactus noſtri judicium refugit, ibi tamen oſſis humeri, caput ſuperius contineri manifeſto conſtat. Sub ilio ſiniſtro ſunt crura & pedes, ſed introrſum reflexi, ut attingi minime poſſint: conjectura tamen artificiali & anatomica, ita eſſe, judicare non eſt difficile, tum ex ſitu reliquo corporis, tum quia ibi os fœmoris apertiſſime deprehenditur. In medio ventre dorſum evidentiſſime cognoſcitur vertebræque omnes facilime diſtinguuntur, Coſtæ quoque majori ex parte, tam ſuperiores quam inferiores, dinumerantur, turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum deſinit, elevat totam iſtam molem ſurſum, eademque pro animi arbitrio deprimit, non ſine adſtantium ſumma admiratione. Oſſa vero ſic ſatis induruiſſe ſentiuntur: ita ut validiori compreſſioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attractatur, nullo dolore angitur, ni id plus, quam par eſt, fiat diutius. Valet ſic ſatis iſta mulier, omniaque ſua munia, tam domi, quam in agris una cum marito ſuo optime peragit: hilaris eſt, prudens materfamilias, & utcunque faceta, annum nunc temporis ætatis ſuæ agens quadrageſimum quintum, corpore gracilis, nec habitu illaudabili. Menſes cum annis quatuor eſſent detenti, potiunculis nonnullis illos promoventibus uſa, rurſus manare cœperunt, in hunc uſque diem; at menſibus ſingulis, dum eorum terminus inſtat, venter inferius intumeſcit, illamque dolores invadunt vehementiſſimi, haud aliter quam ſi nunc nunc eſſet enixura, nec antea ceſſant, ni menſes omnino eruperint. Quod ſi mulierem morbo aliquo laborare contingat, iiſdem plane doloribus ad integrum morbi terminum corripitur. Aliud præterea notatu dignum refert, quintum nunc eſſe annum, ex quo natura quodammodo iſtius ſceleti expulſionem tentarit. Uteri enim oſculum hiaſſe, & inde aliquot oſſicula fuiſſe egreſſa, qua de cauſa è veſtigio acceſſitur obſtetrix; at cum ſatis imperita, vel potius rei novitate percuſſa nullum remedium ferre ſe poſſe indicaret, omni ope humana hanc multis modis longè infeliciſſimam deſtituens, receſſit, Ipſa verò interim nihilominus intrepido fortique animo, oſſicula illa, ut in proprium locum retro cederent, propriis manibus allaboravit, ſi ut in priſtinum redierint. Ab iſto vero tempore, uti nec antea, hujuſmodi quid ſiniſtri illi accidit. Mirum denique quantopere ruſtica illa flagitet, ſummiſque precibus contendat, ut abdomen ei manu medica aperiatur, ſceletumque ab utero eximatur, ſic enim ſeipſam ſanitari priſtinæ reſtitui poſſe confidit. At quo minus id tentatum hactenus ſit, adhuc ſub judice lis eſt. *Ex eodem & ibidem.*

Pro Partu difficili.

Mulieri cuidam circa tres dies in partu difficili hærenti, hic pulvis ad provocandum partum per tres vices exhibitus eſt.

℞. Cinnam. el. ʒiß. oſſium dactyl. ʒß. ſem. viol. ℈ ii. rad. dictamn. alb. ℈ß. F. pulvis ſubtiliſſ. in partes tres diviſus, quo ter cum vino aſſumpto, & admotis linimentis & ſacculis appropriatis, fœliciter tandem peperit. Alia cum octo diebus in difficili partu valde angeretur à Tiengio Medico curata fuit, ubi nono die accepiſſet ℥ i. pilul. de aſſa fœtid. (de quibus ſupra lib. 11. ſect. 18. ſubſect. 2. Pro Mola) cum cyatho uno decoctionis ſabinæ, idque ter, poſt prandium, hora quarta, & ſub noctem hora octava, quibus eadem nocte, Dei nutu peperit filiam & ſalva manſit, eodem modo & aliam ægrè parientem liberavit, & alteri etiam cùm iiſdem ſecundinam eduxit, ſingulis tribus horis ad ʒß. exhibendo. *Petrus Foreſtus obſ. 73. lib. 28. De Mulierum Morbis.*

Mulier quædam cum filiam peperiſſet, & ſecundam prolem parere non poſſet, his infraſcriptis remediis per me, nutu Dei, aliam fœmellam peperit.

℞. Cinnam. pulv. ʒ i. caſſ. lign. doronic. roman. an. ℈ß. nucleum unum dactyl. ſabinæ ℈ i. perlar. finiſſimar. ℈ ß. pulvis partiatur in duas partes. Detur cum vino malvatico.

℞. Ol. amygd. d. lil. alb. ſeſamin. butyr. recpingued. gallin. anatis, an. ℥ ß. M. inungatur venter inferior. Sumpto pulvere, & prius una doſi, & hora poſt altera, poſt horas quinque peperit. *Idem obſ. 76. lib. 20.*

Cuidam pro partu facilitando, partu inſtanti, conſilium, dedi, ut quinque aut ſex grana juniperi cum ficubus ſumeret, quibus cum quinquies, aut pluries uſa eſſet, mox conamina partus apparuere, adeo (quod & dictu mirabile eſt) ut illa ipſa cum maxima facilitate gemellos pepererit. *Petrus Foreſtus. ſchol. obſ 69. lib. 28.*

Mulier quædam cum toto biduo parere non poterat, & ob tantam difficultatem & anguſtiam, fœtus ſtercus emitteret; Ego in conſilium adhibitus, exhibui olei ſuccini gut. xxx. cum vini ℥ ß. umbilico ſimul ol. lign. heracl. calentis gut. xx. impoſui, hoc facto, intra mediam horam, alacri & erecto animo facile per Dei præſens auxilium peperit infantem integrum & incolumem. *Martinus Rulandus. Curat. 66. cent. 2.*

Nuper cum mulierculæ quædam parere non poterant, in ipſa parturigine juſſi plurimis mollem clyſterem injici inteſtinis, ac ilico pepererent: ita ut jam apud nos id agere incipiant mulieres Nobiliſſimæ Clyſter. fit ex decocto herb. emollient. ut malv. alth. parietar. thapſi barbati, chamæm. artemiſ colat. adde ſacch.

oleum amygd. d. & ʒ i. ſalis *Joan. Heurnius ad aphor.* 34. *ſect.* 5.

Ubi parturigo non ſuccedit ex ſententia, ſalutaris eſt ſternutatio, etenim ad inferna valide propellit diaphragma, compreſſo epigaſtrio: hinc ad inferna pellitur valido niſu uterus. Nos parum piper. & galang. naribus ut ſorbeat jubemus: miſcemus interdum parum hellebori albi, maximeque quid euphorbii. Sed antea propinamus hoc remedium, quo ſummi Dei beneficio plurimas liberavi.

℞. Cinnam. el. ℥ iiß. myrrh. opt. ℈ ii. ſuccini albi ʒ i ß. rubiæ tinct. caſtor. an. ℈ i. boracis ℈ ß. croci gr. v. M. F. pulvis ſubtiliſſ. capiat ʒ i. cum vino albo & ſaccharo, eliſo fœtu, cum ſecundinæ retinentur, hoc pulvere propinato, ilico redduntur, nam tunc hæmorrhagiæ metu, non fovemus. *Jo. Heurnius ad aphor.* 35. *lib.* 5.

Uxori gregarii militis difficili partu pene enectæ, dedi pulverem teſtium equi, in aqua lilior. alb. cum croco, pudendo ſaponem nigrum applicandum curavi, dimidio quadrante citius puerum croceo colore tinctiſſimum enixa eſt. *Henricus ab Heers obſ.* 14. *lib.* 1.

Non prætereo auxilium præſtantiſſimum, cujus ope plures in agone poſitæ, fœtus vivos vel mortuos fœliciter excluſerunt laborioſo partu oppreſſæ. Hoc conſtat ex boracis officin. ʒ i. tenuiſſimè pulverizata; quam ſi cum ℥ iii. aq. artemiſ. aut ſabin. aut generoſi vini bibas, miram invenies utilitatem, debilibus ſufficit ʒ ß. aut ℈ i. *Zacutus Luſitanus obſerv.* 158. *lit.* 2, *prax. admir.*

Sæpius compertum eſt, quod olei oliv. potu ante partum facilitatur mirè partus, nec tormina ulla patiuntur puerperæ, vias enim lubricas & molles reddit oleum debet etiam topicè extra idem oleum admoveri. *Petrus Borellus obſ.* 25. *cent.* 2.

Novi remedium, quo fœtus alioqui per diem & horas in partu ſtaret, eoque potu ſumpto, mox infra horæ quadrantem mulier parturit, hoc autem remedium in jecore & felle anguillæ ſiccatis & pulveratis conſiſtere ſcripſi alibi. Jo. Helmontius tract. cui titul. Aſtra neceſſitant non inclinant, nec ſignificant de vita, corpore vel fortunis nati.

Mulieres obſervavi in partu difficili aliquot dies periculoſo, oblato poculo, mox ad ſummum ante ſemihoræ ſpatium enixas, idque ducenties & amplius probatum. Pharmaco nimirum adhuc in ſtomacho exiſtente apertum eſt os pubis, & valve oſſis ſacri in lumbis, fœtuſque ſtatim propulſus. Notavi ſcilicet ſtomachum claves uteri gerere. Hoc medicamentum lubens in bonum proximi evulgavi, ne deinceps parturiens periculum vitæ ſubeat. Eſt autem jecur ſimul cum felle anguillæ ſiccatum pulveratumque in vino potum, magnitudine avellanæ, donum Dei in hoc ſimplici, ut cum mulier jam parere debuerit, in dolore propter ſerpenti invidiam; Deus anguillæ aquæ ſerpentis viſceribus pacare voluit illius maledicti rigorem, idem forte atque melius hepar ſerpentum efficeret, ſed in anguillæ experimento nunquam fefellit eventus. *Jo. Helmontius tract. cui tit. Jus Duumviratus.*

Nos remedium optimum dabimus experimento pluries comprobatum dono receptum à Sereniſſimo Duce Guiſano, videlicet anguillæ jecur in furno panis exſiccatum, ut in pulverem redigi poſſit, doſis ipſius eſt medietas ponderis unius aurei, detur in liquore convenienti prout medico libuerit, mirifice partum facilem reddit: *Dominicus Panarolus obſ.* 1. *pentecoſte.* 3.

Jecur anguillæ ad partum facilitandum ab Helmontio & Panarolo valde commendatur. Novi famoſum Empiricum qui hoc ſolo ferè ſecreto magnam ſibi famam acquiſivit, illud exhibui medici cujuſdam uxori ægrè parienti, & à marito & obſtetricibus pro deplorata habita, unaquæque doſis plurimum auxit conatus parturiendi antea fere conſopitos; ita ut tandem feliciter peperit. Coactus ſui ad duplum doſis Helmontii pervenire, nimirum ad magnitudinem nucis juglandis in vino rhenano. *D. Robertus Boyle lib.* 2. *De Utilitate Philoſoph. Experimentalis cap.* 18. *ſect.* 5.

Partus tempore ſumat ℈ ii. boracis ex aqua matricariæ *Horatius Augerius. tom.* 2. *lib.* 8. *Epiſt.* 3.

Nobilis mulier pleuritica prægnans, habuit aliquid commemorabile, doluit latus, febris continua erat. Uterum ferebat jam octo menſes cum dimidio, dubitabamus, an partus accelerandus foret; alii e malleolo tundendam venam putabant, tamen ex brachio ſanguinem detraximus, plane corruptus erat, tandem pariendi ſeſe occaſio obtulit, vires erant infirmæ, dolores ſuos & tormina (ut politico verbo utar) devoraverat. Dedimus decoctum fol. ſenæ, folia erant pauca quantitate, ut non tam alvum ſubduceremus, quam cum leni alvi ſubductione tormina excitaremus, excitatis ita torminibus feliciter peperit. Folia ſenæ exhibere ſolemus.

℞. Matricar. artemiſ. nepetæ an. p. i. hyſſop. p. i ß. mercuriali. p. i. ſem. citri, pœon. an. ʒ ß. cinam. ʒ i. F. decoctio in qua bulliant fol. ſen. ʒ ii. F. fortis expreſſio, adde vini albi parum, tormina excitat. *Guil. Ballonius conſ.* 20. *l.* 2.

Si partus tardior eſt, fel gallinæ ſumatur, maxime nigræ & umbilicus ungatur, item in vino detur conſolida regalis, ne ſint in eo loco, ubi paritura eſt, pyra, impediunt enim partum. Artemiſia cocta in vino, dextro femori prope mulebria applicetur, magni fit & lapis aquilæ, ſi ſiniſtro cruri applicetur, ſed ſtatim à partu removendus eſt. Idem ſcribitur de matriſylva & polipodio, ſi pedibus alligentur, vehementia vero ut eſt borax non probo; niſi vel fœtus mortuus ſit, vel mola adfuerit. Si fœtus ſit mortuus, ſume oleum lini cum pinguedine aliqua iu qua caſtor. coctum ſit, & unge ventrem. *Joan. Crato conſil.* 40. *lib.* 5.

Hoc expulſivum præſcripſi, quo alias fœliciter uſus ſum.

℞. Troch. de myrrha, rad. dictamn. alb. ſuccin. an. ℈ i. borac. ſem. viol. an. ℈ i. magiſt. perl. ℈ ß. M. F. pulvis tenuiſſ. in tres partes dividendus: aſſumatur cum aq. artemiſ. & puleg. an. ℥ ii. *Jo. Petrus Lotichius. obſ.* 18. *cap.* 1. *lib.* 5.

Cingat ſe nudam mulier ſpolio ſerpentis, & pariet facillime. Raſura oſſium dactilorum cum vino pota, mirabiliter liberat parturientes. Dare parturienti lac alterius mulieris facilitat partum, corallus coxe appenſus idem facit. *Petrus Bayrus pract. l.* 15. *cap.* 9.

Fœtus fruſtulatim per alvum excretus,

Margareta Cornelia nupta viro, & octo plus

minus

minus annis ſterilis, nulliuſque prægnationis ſibi conſcia, ubi prolapſa fuit in febrem, doluit acerbe in imo ventre, cum tumore circa ſiniſtra inguina, foris quidem duro, at intus pulſatili; quem vir experientiſſimus Franciſcus Vicquius (cui poſteritas exemplum acceptum feret) ratus cum utero communicare, partim potionibus, partim cataplaſmate, eò produxit maturitatis, ante diem ſextum decimum, ut per ſe adapertus pus ſuum effuderit, parciùs quidem ab utero, verùm ab alvo deinde uberius. Unde dolor uſque eò remiſit, ut affulſerit non exigua ſanitatis ſpes; modò ritè detergeretur immunda ulceris proluvies.

At paucis diebus poſt, invaluere iterum dolor ac febris, quorum impetus, quò infringeretur, datum fuit medicamentum alvum ſtimulans, cujus beneficio, cùm excernerentur plurima membranoſa, putridis vermibus ſimilia. Decretum fuit eandem viam inſiſtere, reliquamq; illius ſaburræ colluviem exigere, cùm per decoctum detergens ac catharticum, tum per pulverem oculorum cancri, hieræ picræ, ac radicis contrayervæ, ſive drahemæ Caroli Cluſii. Quorum medicamentorum ope, erupere per alvum pedes embryonis demortui, membraneo involucro incluſi; quos manu ſuâ educturus Chirurgus, extraxit ſimul inde, quâ fuit diligentia, femora, nates, ventrem, imò quicquid fuit infra lumbos, cum cute, carne, umbilico, ac evidente ſexus fœminei diſcrimine.

Sequentibus deinde tribus coſtis, ac poſtridie, à medicamento purgante, præter plurima purulenta, omnibus manus officulis, cum cute ac ligamentis adnexis, duabuſq; coſtis haud diu poſt, ſimiliter excretis: Subſiſtente interim reliquo corpore, non quidem procul ab ano, attamen remotius, ac intricatiùs, quàm ut digitorum adminiculo inde extraheretur. Quocirca itum fuit ad clyſteres detergentes, & decocta alvum moventia. Quæ tertia qualibet hora exhibita, plurimas quidem putridas membranas, ſed nihil expulere ſolidi. Increſcentibus interim denuo imi ventris doloribus, & abdomine intra triduum uſq; eo iterum elevato, potiſſimùm circa pubem, ac inguina dextra; ut non levis moveretur ſuſpicio ægram parituram, uterumque excreturum quod à vitiato embryone ibidem etiamnum reſideret: Quem naturæ conatum cùm quotidie juvarent cum decocta, tum cataplaſmata, ac injectiones in uterum, ac alvum, uti & pulveres concinnati ex oculis cancri, ac radice contrayerva, excrevit tandem, præter plurima purulenta, coſtæ, brachii, ſcapularum, ſpinæ dorſi, occipitis, frontis, ac verticis oſſa; quorum excretione finita, ac jam ceſſantibus, quibus aliquandiu excarnificata fuerat torminibus, deſiere non modo febris, ac dolor, verum etiam quicquid ipſi moleſtũ fuiſſet. Injecto ſubinde nihilominus in uterũ, ad conciliandum ipſi robur, decocto concinnato ex roſis, abſinthio, cypreſſo, balauſtiis, plantagine, maſtice, ac olibano; donec defuncta ex toto periculis, ac ærumnis, quibus per tres menſes fuerat afflicta, priſtinam recuperaverit ſanitatem. Quæ certè quàm grata fuerit ipſi, tam ratum erit Medicis hiſtoriam hanc lecturis. *Nicolaus Tulpius Obſervationum Medicarum lib. 4.*

Partus inteſtinum lacerans.

Partus difficilis ut inducit deformem claudicationem, ob ſolutam vel oſſium pubis inter ſe vel ilei cum ſacro commiſſuram: ſic dilacerat non rarò: ſive ſinum pudoris, ſive anum, aut inteſtinum rectum, cùm propter perverſum infantis exitum, tum ob nimiam ejuſdem molem, aut culpam aliquam obſtetricis.

Quod poſtremum vitium ſicuti ægrè curatur, ita degenerat quoque facillimè in calloſum, ac manans ulcus, ob perennem, in locum declivem, ſordidorum excrementorum decurſum. Cujus tamen infortunii quò evites calamitatem, videſis, maturè infundas, antequam inveteraverit ulcus, per anum, ac naturalia, frequentes adſtringentes, ac detergentes clyſteres; quorum aſſiduo uſu, equidem aliquando vidi deformia hæc mala ex tota ſanata. Quæ tamen ubi pedem ſemel fixere in lubricis, ac rugoſis harum partium membranis, laterem lavabis, quiſquis illis manum admoveris. *Idem ibidem.*

Secundæ poſt partum retentæ.

Secundæ, ſive ὕστερα Hippocr. lib. 1. morbor. mulier. ſunt involucra membranea, quæ in vulva fuere velamentum infantis. Has expedit è veſtigio ſequi præeuntem fœtum: tardius enim procedentes, arguunt aliquid monſtri ali. Pereuntibus inde quidem pluribus prægnantibus, at non omnibus, uti hactenus perperam creditum obſtetricum nonnullis.

Uxor Joh. Lonii, quantumvis partum feliciter ederet, plurimum tamen moleſtiarum ſemper perpeſſa fuit à ſecundis ſuppreſſis; ſive quòd firmiùs adhærerent utero; ſive ob nimis teretem, gracilemve infantis umbilicum: quò tamen aliquando ſatis validò, ſubſtitere nihilominus, licet ſatis validè traherentur à tribus obſtetricibus, quas inveni in eodem cum puerperâ cubili; præſagientes ipſi certam vitæ deſperationem, quum vix quæpiam evaſerit, cui, præter naturæ legem, hæc excretio fuerit impedita. Quâ inconſideratâ improvidarum muliercularum prædictione, uſque eò perculſus fuit pavidus puerperæ animus, ut non ſecùs ſudoribus difflueret, ac ſi mors fuiſſet in procinctu.

Quem perplexum terrorem quò ereptum irem; monui rem quidem eſſe in difficili, & aleæ admodum ancipitis, nihilominus tamen aliquibus bene ceſſiſſe, iterumque fieri poſſe quæ ſemel facta fuere; modò erigeret animum labantem, admitteretque requiſita remedia: Quorum beneficiò etiam priſtinam ſanitatem feliciſſimè fuit adepta. Conſtabat autem hæc medicandi ratio, præter clyſteres, ac detractionem ſanguinis ex venâ tali, cùm ex pulvere ſequente, tum ex decoctô hic præſcriptô.

♃. Boracis Venet. ſuccin. alb. ſingulorum ſcrup. croci, caſſiæ ligneæ, caſtorei, ſingulor. gr. x. M f. pulvis.

♃. Radic. gramin. pœonie, cichor. ſcorſoner. ſingular. ℥j. Herbar. acetoſæ, endiviæ, boragin. meliſſ. ſingular. mj. artemiſ. Cardui bened. ſingulor. mß. Boracis Venet. ʒiij. Coque ex aquâ hordei ad ℔ij. Adde ſyrup. artemiſ. ac limonum an. ℥ij. F. potio. Quibus medicamentis, non modò ægram hanc, verùm etiam & alias puerperas vidimus excreviſſe plurima laceræ membranæ fruſta, ſanie ac ſordibus undique infecta, iiſque ritè exoneratis, recuperaſſe amiſſam ſanitatem, ſine vel minimâ, aut virium, aut valetudinis, jacturâ. *Idem ibidem.*

Secundinæ portio quarto à partu menſe incorrupta & innoxia editur.

Homo homini Deus dicitur: & homo homini lupus. Paſſim hæc frontibus adverſis pugnantia jactantur; pueri audiunt & ſenes, & verum audiunt: audi tu, mi Lector, quare. Infirmum, debile, inconſultum, rerum omnium ignarum editur in lucem animal illud, quod hominem vocamus, ideoque ſtatim alterius eget ope: qui opitulatur, Deus illi eſt ea metaphora, qua utitur proverbium. Perverſum, ad mala pronum, lucri ſui cupidum, & per animi paſſiones ſeductum à vero, idem illud animal eſt, maxime ubi adolevit, & ſe videt ad corporis ſui commoditates propter communem malitiam aſpirare non poſſe, niſi per fraudes & mendacia, & niſi comminiſcatur, quomodo alteri detrahat, quod ſibi cupit accedere; ideo dum alter in alterius damnum invigilat, & ubi poteſt, proximo nocet, homo homini fit lupus. Non opus eſt ut illud per omnes humanæ vitæ profeſſiones diſcurrendo oſtendam & in lucem proferam, quos ſub pelle ovina ſingulæ, tegunt lupos; tegunt, inquam, omnes, quæ ſe prodeſſe profitentur, (alias publice non tolerandæ) hac ovili pelle ſuam nocendi cupidinem. Mitto Theologos, qui nos diſtrahunt per tot eccleſias, & ſinguli ſuam eſſe, quæ nos ad ſalutem deducat, certatim clamitant, ut multitudinem ad ſe pertrahant, & ita plurimis nocent. Juriſconſultos non tango, multo minus Medicos: quos utroſque ſcimus iniquiſſimam ſæpe malè locatæ operæ mercedem exigere, dum ob ignorantiam, ne dicam malitiam, nocent, aut prodeſſe differunt, ubi promittebant promptum auxilium. Quod hîc deploro, eſt femellarum, quæ veluti harpyiæ quædam poſitæ primo in limine vitæ noſtræ; ſtatim in pueros matreſque incurſant; & vel illos occidunt, vel utroſque ita malè tractant per inſcitiam, ut longo tempore poſt miſeras trahant animas: ſed ut iis, quæ per inſcitiam contingunt, omnia condonemus, ea certè, quæ per malitiam quotidie fere perpetrant, ferri nulla ratione deberent. Dum iis, quibus adfuerunt parturientibus, jam puerperis perſuadent, & mentiuntur ſecundinas cum puero integras prodiiſſe, cùm magna earum pars adhuc in corpore hæſerit, & ſecuras reddunt mulieres, quæ forte aliis remediis ſe liberarent his, quæ poſtea ſequuntur, miſeriis. Plurimæ mihi, quæ hanc obſtetricum malitiam, aut morte, aut maximis luerunt doloribus, ſunt oblatæ: nec eſſe, puto, Medicum, qui praxin feliciter cum bona hominum fama aliquamdiu exercuit, cui non triſtis ille caſus occurrerit; ideoque non iſtud eſt, quod tanquam rarum hoc capite obſervo: ſed illud potius; quod una ex iis, quæ ita, decipiuntur ab obſtetricibus, quarto poſt partum menſe, cùm nullum aut exiguum ſenſiſſet incommodum, fluxu vehementi laborare cœperit, & una bonam placentæ partem nulla corruptionis oſtentantem indicia ejecerit, optimeque evacuata, nihil inde ſenſerit incommodi.

Tanta eſt ſæpe naturæ non ſolùm in therapeuticis potentia, ſed etiam in prophylacticis induſtria. Sed ſatius eſſet huic obſtetricum inſcitiæ remedium, & malitiæ quærere ſupplicium, quàm ſemper fidere huic naturæ bonitati, quæ non niſi obſervatione digna rariſſima raritate tale ſolet edere miraculum. *Theod. Kerckringius in Spicilegio Anatomico.*

Dyſtocia ex integumentis cranium fœtus involventibus, ſanguine extravaſato anterius refertis &c.

Suavis eſt ruſtica vita, ſuique commendationem ab Eruditis abunde retulit, utpote tranquilla, tuta & à tot invidiæ & æmulationum procellis libr.

Libera ſimplicibus curis ſua contenta requie
Et quam non vario traxit fortuna tumultu.

Quin concludere liceat cum Claudiano:

Erret & extremos alia ſcrutetur Iberos
Plus habet hæc vitæ, plus habet illa viæ.

Eſt tamen & ſuis obnoxia incommodis, quæ ejus amatores, eo æquiori ferunt animo, quo voluptates tranſitorias minus curant, vel ignorant, ſua potiſſimùm manu ἀναγκάζεσθαι ἀγωνίζεσθαι περὶ τοῦ βίου καθ' ἑκάστην τὴν ἡμέραν, de quotidiano victu parando, ſolliciti eſſe edocti: optimè hunc monuit vetus ille

Ἐν τοῖς πολεμίοις ὑπερέχειν τὸν ἄνδρα δεῖ
Τὸ γὰρ γεωργεῖν ἔργον ἐστὶ οἰκέτου.
Πῶς ἔχεις, ὡς ἰσχανὸς εἶ; ἀπόλλυμαι
Τρέφω γὰρ ἐν ἀγρῷ χωρίον.

In bellis præſtare aliis laus magna Virorum,
Servilis multum ruſtica vita ſed eſt.
Anne vales? macilentus ades? mens diſperit eheu
Quotidie Domini prædia namque colo.

Veritatem horum ex aliqua parte experta eſt fœmina ruſtica 38. annorum, quæ cùm per biennium marito uſa eſſet, læta tandem concepit, & propediem enixura erat: Paucis ante terminum ſeptimanis, τοῦ βέλτιον ζῆν ἕνεκα, hæc ipſa, Maritum qui Vulcani filius erat in opere audacter adjutura, ſeu uti Apoll. Rhodius loqui amat. l. 4. Argonaut.

- - - - - - - αὐτὰρ ἔπειτα
Ἐλθεῖν εἰς ἀκτάς, ὅθι τ' ἄκμονες Ἡφαίστοιο
Χάλκειοι στιβαρῇσιν ἀράσσονται τυπίδεσσιν.
- - - - - - *rurſus aditura*
Littora, ubi reſonant percuſſæ pondere vaſto
Vulcani incudes, fumique exæſtuat unda.

Hypogaſtrium maximopere protuberans, incaute malleo feriit, atque iſtud, quod minus periculi portendere credebat, omnibus reticuit, & quidem d. 5. Maii 1681. exacto geſtationis tempore, dolores partus ingruere ceperunt, aquæ d. 6. ſub veſp. profluxerunt, & mater omni vi eniti conabatur, aſt irrito planè ſucceſſu, licet medicamenta ab obſtetricibus ad hæc munia deſtinatis, varia fuerint propinata: D. 8. ſub veſp. vocamur, & hactenus actorum ſeriem poſtulamus, quam adſtantes fideliter enarrarunt, inprimis tum de enitendi neceſſitate deficiente, orificiiq; uterini exactiſſima conſtrictione conqueſtæ: Nos qui fœtum jam a multis horis emortuum ſuſpicabamur, cùm ex diutina, quæ præceſſerat mora, tum ex dolorum omnimoda ceſſatione &c. matri viribus adhuc pollenti mixtur. ex aq. puleg. ment. borac. Venet. croc. eſſent. ſuccin. cum ſyr. de artemiſ. ſuaſimus, injecto juxta clyſmate ſtimulante, hinc ad enitendum matrem incitavimus & manuum opera extrinſeca, quantum licuit juvimus, propinando ſubinde cochl. aq. cardiac. Sed incaſſum fuit hæc noſtra opera, nullis ſubſecuturi partus, quamvis ſuis cum adſtantibus partib. ſtrenue mater fungeretur apparentib. veſtigiis, quin ingeminaret obſtetrix ſæpius, ſe

ſe ne gry quidem de fœtu percipere, in quo tamen hallucinata fuit graviter, & forte aliæ cum ipſa, artis obſtetricandi minus peritæ: Rogati proin ab adſtantibus, præprimis Reverend. illius loci D. Paſtore, ut matri admodum periclitanti ſuccurreremus, manum operi applicuimus, qua potuimus induſtria & dexteritate: mox autem uteri orificium adapertum deprehendimus, foetumque capite exitum quodammodo molitum eſſe deprehendimus. Quod vero obſtetricem decepit, fuerunt cranii integumenta, ob ſanguinem extravaſatum, inſtar veſicæ aqua refertæ propendentia, unde leviori attactu, non corpus aliquod duriuſculum, quale foetus caput eſt, ſed molleculum miſella percepit: quum itaque digitis orificium uteri circumſpecte dilatari, atque de foetus ſitu & ſtatu evidentiora indicia capeſſere ſtuderemus, prædiximus facile, omnes ad quos matrem fatigatam, adhucdum inſtigare volebant conatus ſi impenderentur, incaſſum fore, corpore illo propendente vias ita præcludente, ut quoties eniti miſera volebat, hoc orificium uteri totum unice replerit: ægram inde debite collocatam quiete decumbere, ſubindeque juſcula confort. cum aq. card. exhibere juſſimus: Accepto interim forfice corpus præfatum incidimus, ſanguinique viam aperuimus, qui etiam copioſe omnium cum ſtupore prorupit: hinc cum à dehiſcentibus cranii oſſibus doloroſæ ſæpius mater læderetur, eadem cum cerebro (facta prius decenti inciſione) maxima ex parte liberavimus & exemimus, digitiſque ſub oſſe jugali immiſſis, fœtum prægrandem citra graviorem parturientis moleſtiam, integrum ξϑ. extraximus: placentam quin etiam, quæ paulo adnata erat, funiculo umbilicali reſecto, digitorum ope abſcedere fecimus. Puerperæ lecto reſtitutæ roborantibus, aliiſque quæ genitalia concernunt, medicamentis proſpeximus, imperata diæta exactiſſima. Altero mane bene habuit utcunque, lochiis fluentibus, nec multo circa partes uterinas dolore vexante: Pulſus tamen concitatior & frequentior, ob cauſas prægreſſas ſatis evidentes, & ſitis quæ ingraveſcere cepit, ſui rationem aliquam haberi voluerunt, unde uſum commendavimus mixt. bland. diaphor. & cordial. Die 11. cum lochiis non rite fluentibus, febris aliquomodo ingraveſceret & hypogaſtrium intumeſceret, teneſmi vero vel urinandi difficultatis aut ardoris, vel etiam foetoris nulla adeſſent indicia, ad fluidi attemperationem, ſordium eluitionem & humorum acrimoniam in viis uterinis demulcendam Emulſion. cum injection. uterinis commendavimus, addito decoct. ordin. lapide prunell. Die 18. ejuſd. cum ipſam accederemus bene habuit, venter detumuit, appetitus vigebat, neque ſitis urgebat amplius: προφυλάξεως ergo juſſimus iiſdem inſiſtere, addendo pulv. ex diaph. Jovial. oc. canc. ebor. corall. parat. Atque his rite ita uſurpatis Deo annuente priſtinam ſanitatem recuperavit, inque hunc uſque diem vegeta, aura hac vitali fruitur, ante annum & quod excurrit, filiolo feliciter beata. *Joh. Jacob. Harderus in Obſervationibus Anatomico-Practicis.*

Fœtus ſemiputridi ſecundinis 9. diebus ante excretis, ex utero extractio.

Fœmina 40. An. ex ditione Solodur. aliquot liberorum mater, A. 1683. poſt quam menſes ordinarios feliciter emenſa eſſet, doloribus partus, die 18. Jul. obruitur, aquæ erumpunt cum Sonitu, & poſtridie ſecundinæ ſequuntur, citra autem foetus, quem anxie præſtolabantur, egreſſuri ulla indicia: Variarum mulierculatum medicamenta experiuntur ſed non advotum: die 20. foetus emori incipit, quod mater ex pondere, & omni calcitratione deficiente cognovit. Miſeri adſtantes quid facto opus ignorant: Partum ſingulis quidem diebus avidi expectant, ſed in nonum uſque diem, (qui erat 28. Julii) voto ſuo fruſtrantur: Accedit hinc ad nos maritus, conſilium poſtulat & operam: Redarguimus moram intempeſtivam, & periculum à putredine matri imminens ſignificavimus, præſcriptis nihilominus convenientibus remediis uterinis & cordialibus: Aliquot horis poſt parturientem cum Clar. D. Doct. Scherbio Epiſcopicell. inviſimus, remque omnem, uti Maritus enarravit, deprehendimus: hypogaſtrium ſupra modum erat diſtentum, ſitis vehemens, pulſus paulo frequentior, nec dolores enitendi ampliùs invadebant: Dum nobiſcum mater ſe accingit excluſioni, foetor inſignis nares ferit ilico, putredinis in inferioribus uti evidens τεκμήελον, ita operationis accelerandæ calcar: Poſtquam oriſicii interni, quod fere occluſum erat penitus, aperturam ac dilatationem digitis blande impetravimus, fæces fluidæ olentiſſimæ proruperunt, quibus cùm viam dediſſemus, foetus in internis uteri latebris etiamnum hærentis ſitum commodius exploravimus obtulit ſe hinc capitis integumentum illico, propendens mirum in modum cum cranii oſſibus ab invicem plane ſolutis ac dehiſcentibus: brachia pedeſq; miſere erant intorta. Foetù pro viribus liberato & anteriora verſus tracto, forfice cranii integumenta incidimus, vulnuſq; digito deinceps dilatavimùs, è quo ichor purulentus graviſſimi foetoris mox erupit, quem ſequebatur cerebrum flaccidum & putrilaginoſum: exemptis hinc cranii lamellis aliquot, fœtum ipſum è cavernis ſuis tandem eduximus, qui tamen ob inverſum artuum ſitum intra ipſa oſtia conſtitutus; valde renitebatur, donec, ibidem liberatus, totus extractus fuit: Educti trunci facies livida fuit & omnimodæ corruptelæ proxima: Puerperam jam omnes ſalutarunt hilares, noſque exacta diæta præſcripta, injection. uterinarum ad modum Mauricæi uſum ſumme neceſſarium inculcavimus, præſcripto juxta pulv. blande diaphoret. Undecimo à partu die conveniens nos maritus uxorem bene ſe habere nunciavit, parum ab illo tempore ſitiiſſe, appetere & ſine ulla difficultate obambulare: nullum percipi fœtorem vel dolorem, ab injectione primis vicibus adhibita plurimam ſanguinis grumoſi & putreſcentis copiam excreviſſe cum fruſtis ſanguinolentis duos pugnos magnitudine æquantibus, nunc lochia legitime citra incommodum profluere, & pro opera præſtita magnas gratias exolvit.

Scholium.) Foetus domicilium, commodumque habitaculum uterum eſſe, alibi diximus

Com-

Commoratur ſanè in hoc, uſque dum decreta curricula compleantur, ipſeque maturitatem legitimam adeptus, non alieno ampliùs ſed proprio ore ſpirare deſideret: Inde aliqui fœtum fructui matureſcenti uterum verò arbori comparaverunt, inſtarque ejus de petiolo ſponte decidentis deciduum fieri exiſtimarunt, in quo equidem difficultas haud levis obſtat, de ſucci nutritii affluxu ceſſante, uteroque parilem cum petiolo ariditatem contrahente: aſt largiamur diſſimilitudinem iſtam, propterea tamen comparatio iſta prorſus rejicienda non eſt, locumq; ſibi vendicat præprimis in abortibus à cauſa vehementi, ſaltu, curſu aliove graviore exercitio oriundis, à quibus, uti pomum immaturum à vento impetuoſiore, fœtus de ponte ſuo dejicitur: Aliàs ſolenne pariendi ſtatumque tempus novem menſibus abſolvitur, quibus exactis uteri latebras ille relinquere, liberioremque auram haurire deſiderat: De cauſis partus Authores variè ſenſerunt, quorum aliqui alimenti penuriam, fœtus aquarumque molem alii, alii denique harum acrimoniam ſtimulantem accuſant: Neutri tamen cauſam genuinam uſque indagarunt: Enimvero ſucci nutritii jugem præſentiam & abundantiam contra Aquapendentem, autopſia probat, ipſius verò acrimonia adeò ſuffulta nondum eſt, ut fœtum inde irritari, adque calcitrationes quibus involucra ſua diſrumpat inſtigari, certò conſtare poſſit, accedit, quòd dicta involucrorum laceratio ſæpenumero à conatibus matris, uterique motricibus fibris ad excernendum ſe componentibus deducenda, utpote à quibus humores cum membranis involventibus in anguſtum coguntur, fundoque uteri ſeſe coarctante, cum impetu propulſi exitum quærunt, de quo ſonitus non raro perceptibilis, ſufficienter teſtatur: fœtus vero moli reſpondet Excell. Harveus ex autopſia, qua edoctus fuit, fœtum novimeſtrem octimeſtri aliquando minorem eſſe, mirumque eſt, ſi pondus fœtus tantum valet, fœmina gemellos geſtante, partum non accelerari: alia hinc invenienda eſt ratio excluſionis ſtato tempore fieri ſolitæ, quam fœtus mole ceu ſtimulante non prorſus rejecta, in reſpirationis neceſſitate quærendam eſſe ab initio innuimus, qua in parte præeuntem nobis habemus Aquapendentem, apertè autem conſentientem Celeberr. Bohnium Progymnaſm. 3. de partu: non equidem quaſi per appetitum elicitum, (verba ſunt ipſius) ſqualoris uterini novimeſtris pertæſus, fœtus auram liberiorem expoſcat ac anhelet, ſed quod fluidum ejus intrinſecum ſine motore externo machinæ magis grandeſcenti impar evadat: Equidem in uteri clauſtro quamdiu occultatur, unà cum ſanguine materno illud haurit, quod pulmonum miniſterio in adultis in ſanguinem ſecernitur, pabulum æthereum intelligimus, ſanguinis inteſtinum motum, ſuſcitans ſupervenientibus materiæ ſubtilis, à quo ipſummet jugiter actuatur, ut non abs re Hippocrates l. ſ. citat. fœtum τὸ πνεῦμα ἔσω ἕλκειν aſſeruerit: cùm vero grandeſcente corpore auctaque humorum copia eorundem motus, qui lentior primùm ſufficiebat, intendi neceſſariò debeat, particulæ elaſticæ à matre ſuppeditatæ ſine ſuperſidiariis aliis ſufficere impoſſibile poſſunt, undè plenioris acceſſum exigens, abſoluta hac ſolenni mora, partu excluditur, eodemque quo editur momento, reſpirare incipit: Naturaliſſimus ille eſt, ubi capite edi incipit, humeris ad latus utrumque inclinatis, in quo ipſo tamen obſtacula graviſſima accidunt, quandoque enim fœtu grandiore exiſtente, viiſque anguſtioribus, maximè in primiparis, aut viribus jam attritis, lamellæ cranii teneræ adhuc, ſatiſque laxè invicem unitæ, comprimi, elongari, aliterque vitiari in ſitu aſſolent, ut nonniſi ſummo cum labore fœmina enitatur, ſæpius verò ex vehementi niſu moraque quam circa orificium internum fœtus nectit, inter integumenta capitis ſanguis ſtagnat & in veſiculam quaſi colligitur, qua deinceps propulſa & ab orificii dicti fibris coarctata, parturitio difficillima ſubſequitur, ceu prior hiſtoria docet, cui ſimiles aliquot jungere poſſemus: ſunt tandem perverſæ fœtus ſituationes aliæ complurimæ, matri fœtuique exitium non rarò accerſentes, ni peritæ obſtetricis, Chirurgi & aliquando Medici manualis induſtria acceſſerit. de quibus videſis elegantem Mauricæi laudati de art. obſtetric. librum, Medicorum ſanè in iſthoc negotio opem, uti neceſſariam laudamus, ita talem eſſe cupimus, ne quid contra dignitatem gravitatemque moliatur ſæpius, quod Miniſtris prudenter præcepiſſe ſatiùs foret: Id magè mirum, potuiſſe fœtum in uteri latebris hærere putreſcentiam uſque, abſque gravioribus incommodis ſymptomatibuſve matris illatis, quæ ſanè haud dubie citius ſubſecuta fuiſſent, ni ſecundinæ primùm excluſæ eſſent, in Ruſtica altera, quam præter hominum ſpem atque expectationem ab onere ſuo per Dei gratiam liberavimus: ubique certe Medici Chirurgive prudentia requiritur, ut adhibita manuali opera, inflammationi uteri periculoſæ ſubveniatur, ſanguiſque vel in vaſis tantiſper ſubſiſtens, vel uteri cavo collectus ſolvatur, in motum ſuſcitetur, eque latebris eliciatur educaturve, cui operi præſtando injectiones neceſſariæ maximique uſus ſunt, non neglectis internis humorum blando motui, viriumque conſervationi inſervientibus: Genitalium quoque habenda ratio, ceu partium teneriorum, & in difficili partu multum labis ſuſtinentium, de quibus cum in hiſtor. diximus tum Authorum monumenta amplius videri poterunt. *Idem ibidem.*

Partus mirabilis, in quo inſolita viarum clauſura, arte tamen reſerata.

Mulierem poſſe concipere, aut gravidam fieri utero ipſo à corpore ex parte propendente, non abſolutè negandum eſt, quia illud ſemel (ut poſthac referam) in matrona quadam obſervavi; rarum tamen eſt, & à paucis (ſi ab ullo) antehac viſum. Nam minùs rarum eſſe cenſeo, mulierem imprægnari, ſalva manente membrana hymena, idque ad tempus partus. Aſt rariſſimum, vaginam uteri, tempore partus; membrana præternaturali pone hymenem eſſe clauſam, ſicut jam recenſebimus.

In foſſa Principis, è regione foſſæ, vulgò dictæ *de Angeliers groſt*, tabacum vendebat eô tempore *Jan. Pietersz.* Nomen & locum præter morem (ſolent enim plerumque id ægrè ferre ad quos pertinet) appoſui, quia omnium admirationem excitabit hęc hiſtoria. Hujus uxor in partu verſans fœtum in lucem edere non potuit quantumvis conatus & labores partus eſſent adeo

adeò vehementes, ut clamoribus ejus tranſeuntes in dictâ foſsâ detinerentur: Tandem me vocari juſſerunt huic operi admotæ duæ obſtetrices, (nempe *Annetie Moer in de Blauvve Pot op de Keyſers graft*, *en Stiintie Moer in de Huyde Straat*) jamjam enim videbatur moritura miſera illa patiens. Exploratâ difficultatis partus cauſâ, inveni membranam hymenem eſſe integram, valdè craſſam, & à fœtus capite, exitum quærente, forâs extenſam. Hoc viſo, incidendam eſſe hanc membranam judicavi. Vocantur itaque, Andreas Boekelmannus, & Petrus Adriani filius Chirurgi expertiſſimi, quorum ultimus primò accedens, me cum hanc ſuaſit operationem; quæ ſtatim à nobis inſtituta eſt forfice & ſtylo excavato, ne fœtus caput læderetur. Hâc factâ inciſione, fruſtrà fœtus excluſionem expectavimus, propter alteram præternaturalem membranam, craſſam, vulvam profundiùs claudentem, fœtuſque exitum impedientem. Hac obſervatâ membrana, ſpem in anguſto eſſe judicavimus: ne tamen ſimul cum fœtu periret mater, hujus inciſioenm quoque moliti ſumus. Quid fit? Illicò operatione peractâ, in lucem editur fœtus vivus, ejulatibus vires ſatis robuſtus prodens, & in hanc uſque diem ſalubriter vivens. Hiſce omnibus non ſine ſummo levamine peractis, quæ jam jam videbatur cum fœtu moritura mater, eluctabatur Dei T.O.M. favore. Sequentibus diebus ſolicita facta ægra, ob urinæ incontinentiam, quam perſentit, non ob inciſiones ſuprà dictas, ſed extenſionem immanem, & diuturnam vulvæ, ſphincteriſque veſicæ, quod eventus quoque confirmavit: Nam poſt aliquot ſeptimanas optimè convaluit, & adhuc pancraticè vivit, ſimul cum fœtu admirandi partus.

In hoc partu 1. Conſiderandum eſt, hymenem membranam in coitu fuiſſe illæſam, (cujus rei variæ reperiuntur in oculatiſſimi Bartholini Anatomiâ hiſtoriæ) ſive à nimiâ craſſitie, vel aliâ cauſâ hic reticendâ, ne verecundiæ limites tranſeam. 2. Profundiùs & ponè dictam hymenem, vaginam fuiſſe occluſam à membrana quadam præternaturali, quæ, dubio procul, ortum duxit poſt impragnationem ab excoriatione quadam vulvæ, ab humore acriori oriunda: Videmus enim aliquoties vulvam excoriatam (cujus latera extra coitum ad ſe invicem concidunt) non ſolùm claudi, verùm etiam membranoſum quid producere. 3. Urinæ incontinentiam ortum duxiſſe non ab operatione, aut inciſionibus, ſed à nimia vulvæ extenſione. Nonnulli imperiti exiſtimant omnem urinæ incontinentiam obſtetricibus, aut magiſtris qui fœtum mortuum extraxere, imputandam eſſe, aſt inconſultò: Multoties enim provenit ab extenſione nimia vaginæ, unde ſphincter veſicæ, qui vaginæ arctè cohæret, ita extenditur, ut urinam per aliquot dies, imò ſeptimanas, retinere non valeant puerperæ. Hanc ſphyncteris atocniam ſæpiſſime curavi: rarò verò curantur, ſi urinam non retineant à gangræna, quam parturientes ſæpius contrahunt poſt vulvæ intenſionem diutinam & immanem, aut digitorum attritum immodicum. *Fridericus Rhuyſch. in Obſervationum Anatomico-Chirurgicar. Centuria.*

Partus quinque puerorum.

De tali partu mentionem facit Aul. Gellius lib. 10, cap. 2. noct. Attic. Et ſacerdos elapſis diebus jurato edixit, ſe Imolæ vidiſſe fœminam quandam, annorum 35. uxorem cujuſdam barbitonſoris, quæ ann, 1688. quinque filios peperit, qui pauco temporis intervallo obierunt, quos eodem facto paulò poſt mater inſequta fuerat. Et ego quondam Comaclenſem mulierem, atque aliam Ferrarienſem vidi, quæ tres gnatos uno partu peperere. *D. Joſ. Lanzonus in Miſcellaneor. Curioſor. Decur*, 2. *A.* 9.

Fœcunditas mira.

Circa annum Chriſti nati milleſimum, quadringenteſimum, octuageſimum octavum, habitarunt in oppidolo *Bonningkhaim* in Zabergovia territorii Wurtenbergici conjuges, Adamus *Stretzmann*, & *Barbara Schmotzerin*, qui ſucceſſive ex uno conjugio parentes fuerant liberorum quinquaginta trium, triginta quinque vicibus prognatorum in tali ſerie & tempore: Per vices octodecim unicum ſaltem infantem in lucem protulerat mulier; per quinque vices dein ſemper duos; quaterna vice tres. Poſtea iterum ſex ſimul infantibus prægnans, quarto menſe eorum primò tres, in puerperio adhuc cubans die nono quartum, poſthinc hebdomade undecima quintum, atque iterum elapſis ſeptem ſeptimanis ſextum enixa eſt. Denuo & ultimo poſt nuperrimum puerperium ſeptem ſimul infantibus gravida, geſtationis hebdomade vigeſima, eorum tres, abhinc ſeptimanis tribus & dimidia rurſum quatuor edidit; ultimus horum matri parturienti ingentes dolores & angores cauſaverat, quippe hæc per triduum in partu laboraverat, & deſperabunda præ debilitate vix quenquam videbat & agnoſcabat, ſed Deo mirè adjuvante, periculum evaſit: infans etenim erat longitudine ulnæ unius ac tranſverſorum digitorum trium, cum capite ſpithama virili grandiori. Puellorum fuere generatim triginta octo; puellarum quindecim, omnes lavacro ſacro tincti, præter octo præmaturè demortuos, & cæterorum quidem nullus novennium ſupervixerat. Parentes in conjugio annos prope quinquaginta traducentes, uxor Anno Chriſti milleſimo quingenteſimo tertio mortua eſt, quam maritus brevi poſt ſequebatur.

Hiſtoriam hanc, quam multi fabulam meram æſtimant, ſed veriſſimam atteſtabantur quondam pictura & ſcriptura rei geſtæ in templo parochiali oppiduli *Bonninskhaim*, nec non delineatio ejuſdem ibidem in Curia, itemque manuſcriptum parentum proprium illic adſervatum; uti & Cæſar Ferdinandus Primus, multique Bohemiæ Proceres atteſtationem manuſcriptam avide petierunt. Quam ego tam mirandæ fertilitatis conjugalis hiſtoriam, quum hactenus ejus alii Scriptores nullibi mentionem fecerint, ob raritatem: Manuſcripto Bibliothecæ D. Gregorii Queccii, adfinis mei, quodam vetuſto, ac fide omni digno excerpſi, & hic inſerere volui. *D. Joh. Helvvigii.*

Additamentum Schroeckii.) Hanc etiam Hiſtoriam exhibet Exc. D. Georg. Hier. Welſchius Epiſagm.

non

Epiſagm.obſerv. medic. 75. multum tamen ab Auctoris noſtri relatione differentem, cum qua magis convenit illa Clar. D. Joan. Chriſtoph. Eiſenmengeri in Nob. D. Laurent. Strauſſii Reſolut. caſus de fœtu Muſſipont. propoſita.

Partus numeroſus.

Cum in Decade 1. Ephem. Nat. cur. Anni 9. Obſerv. 161. & 162. raras gemellorum hiſtorias recenſuerim, aliam nunc inconſuetam numeroſi partus dare libet obſervationem, qui anni proximi 1683. die 30. Novembris hic Auguſtæ contigit, dum murarii Jacobi Thomas, uxor, 29. annorum, parvæ ſtaturæ & tenuis fortunæ fœminæ, quatuor jam liberorum, diverſo tempore editorum, mater, in fine menſis octavi poſt ingravidationem, (gravi hac ſarcina abdomen ita extendente, ut propè ad genua uſque propenderet) circa horam matutinam tertiam, difficili partu puellam, pedibus ſcilicet primo prodeuntibus, enixa eſt; quam, doloribus, qui ab excluſione hac ceſſaverant, hora nona redeuntibus, alius hora ſecunda pomeridiana, & paulo poſt filiolæ totidem ſucceſſive, omnes in ſitu naturali, ſine magno parturientis niſu, imo ultimi partus ob virium delaſſationem quaſi inſciæ exceperunt. Ipſi infantes, ſinguli ſpithamas duas longi, omnibuſque corporis partibus ritè ac bellè conformati, (quorum hic iconem ſiſto) eodem die ſacra Baptiſmatis unda fuerunt luſtrati, primo Andreæ, ſecundo Nicolai, Barbaræ & Mariannæ nomine fœmellis impoſito; è quibus tamen filiola, ultimo é materno clauſtro emiſſa, eodem adhuc die fuit denata, quam paulò poſt altera itidem excepit, filiolo natu minori inſequente demum die primum, ac denique primogenito pariter vivere deſinentibus, ſicque vitam ordine in nativitate obſervato, inverſo deponentibus. Placenta uterina, quæ horum ſuſtentationi in utero matris inſerviit, & mox poſt partum ultimum facile prodiit, fuit unica, quadratæ figuræ, ſpithamas duas in longitudine; & in latitudine unam cum ſemiſſe, in craſſitie verò digitos tres tranſverſos æquans; cæterum à ſulcis decuſſatim per eam excurrentibus in quatuor quaſi partes diviſa, totidem nempe funiculis umbilicalibus recipiendis dicatas, ita ut cujuslibet fœtus umbilicalia vaſa in ſeparatum & ſibi proprium placentæ angulum implantata fuerint; prout non minus unumquemque fœtum propriæ membranæ involverant, & quemlibet partum aquæ ſolitæ effluxus præceſſerat; quo tamen non obſtante, magnam ejus portionem, quam novus aliunde factus affluxus fortè adauxerat, in uteri cavitate reſtitaſſe indicium fuit, quod ſeptimo demum die copioſæ aliæ affatim effluxerint, cum prius ſubinde conqueſta fuiſſet puerpera de moleſto ventris pondere, in latus alterutrum, ſi quando ab uno in alterum ſe verteret, decumbente, & de quinto inſuper fœtu latente ipſi ſuſpicionem idcirco aliquam movente. Utrum hic contigerit aliqua ſuperfœtatio? decernere ſatis eſt difficile, ſi non impoſſibile. In negativam enim deſcendere ſi cui libuerit, is fortè non erraverit, partim quod omnes hi fœtus eadem magnitudine fuerint prædití, partim etiam unica eoſdem placenta ſuſtinuerit. Attamen, ut & hoc fatear, cùm generatio hominis ex ovo, è muliebri teſticulo in uterum depoſito, noſtra hac ætate tot experimentis Virorum Celeberrimorum ſatis ſit demonſtrata, atque hinc quam metuebant, ſeminum diverſo tempore, tam à mare quam fœmina excretorum commiſtio vel confuſio, & hanc inſequens deſtructio, ſponte corruat, cur à coitu e. gr. una nocte inſtituto ovulum tale fœcundari & ita conceptio fieri, inſequente vero altera vel tertia nocte, à reiterato illo aliud dein ovulum itidem fœcundum reddi, ſicque nova conceptio, vel ſuperfœtatio contingere nequeat, nulla cauſa ſubeſt, ſiquidem hac ratione fœtus iſti quatuor notabilem in magnitudine differentiam neutiquam præ ſe ferre, placentæ autem uterinæ facile tum concreſcere in initio potuerunt, hanc ipſam earum concretionem ſulcis illis, in quatuor partes placentam qui diſtinxerant, quodammodo innuentibus. Ipſa vero puerpera, quinta à partu die, non tam à reiteratis toties nixus doloribus, quam varii, illuſtris etiam & nobilis, ordinis ac conditionis turbæ, ut inſolitum bigemellorum partum ſpectaret, & anguſtum conclave, in quo una cum infantulis decumbebat, ſtrepitu tota die replentis, aëremque frigidum, tum temporis ſatis vehementem, aperta toties janua importune admittentis confluxu, deſatigata ægrotare incipit. Quam in valetudinem imprudens ſororis, clinicæ officio fungentis, curioſitas adauxerat, dum hypocauſtuli frigefacti, appropinquante nocte, pavimentum à ſordibus purgaret atque elueret, media inſuper nocte juſculum è vino cum vitello ovi paratum puerperæ, de virium imbecillitate conquerenti, exhiberet, ſiti etiam cerviſia liberaliter porrecta ſuccurrere tentaret, ſicque gliſcentem jam internum calorem febrilem adaugeret. Circa diluculum pejus ſe habenti ut opitularer, à marito vocatus, deprehendi cordis anxietatibus, lipothymiis, ventris doloribus & inſigni tumore, lochiorum ſuppreſſione, æſtuque vehementi interno conflictantem, Unde mox, vitale robur quæ reſtaurarent, calorem internum præternaturalem compeſcerent, nec non naturæ motum ad lochia expellenda promoverent, idonea medicamenta præſcripſi, ſalutari cum effectu: Deliquia quippe animi ex uſurpatione Cardiacorum remediorum ceſſarunt, & propinato 5. die Decembr. leni pharmaco, ut alvum retardantem officii admonerem, lochiorumque moram tollerem, utraque repagula feliciter fuerunt reſerata, ſubductis nempe leniter fecibus, ſubſequente vero die ſero inſtar loturæ carnium tincto copioſiſſime profluente; ex quo & venter detumuit, & ejus cruciatus ceſſavit. Hoc onere levata natura, die ſeptimo à partu, maſſam ſanguineam, eryſipelate ad ambitum corporis univerſi protruſo, per motum criticum deputavit; quod poſtmodum in puſtulas inſtar cryſtalli lucidas, certum venenatæ aut malignæ qualitatis ſignum, elevatum, dubii eventus indicium præbuit, viribus præſertim vim haud exiguam patientibus; quod tamen periculum uſu alexipharmacorum, cordialium ac ſimul hyſtericorum, (utero nempe à ſua immunditie nondum penitus libero exiſtente,) habito ſemper anguſtæ rei œconomicæ reſpectu, præſcriptorum, feliciter evaſerat, gravibus iſtis ſymptomatibus

non tantùm remittentibus, ſed & puſtulis ſenſim evaneſcentibus, relictis in pectore, (quod ſæpius, præſertim dormienti ſudore madebat) & circa utrumque carpum ulcuſculis, applicatione tamen Unguenti exſiccantis brevi quoque diſſipatis, & ſic ad integram valetudinem ægra reſtituta. *D. Lucæ Schrockii ſenioris.*

Partus numeroſi.

Anno Chriſti 1538. femina perparvæ ſtaturæ, textoris uxor in pago *Kleinreuth*, prope Noribergam, uno partus nixu duos filiolos, & duas filiolas ediderat, omneſque baptiſmate ſacro lavati. *Ex Chronico MSto Noriberg.*

Anno 1628. Noribergæ piſtoris cujuſdam filia ab Italo quodam conſtuprata, tres filiolos uno partu enixa erat, hoc percipiens ipſa latè exclamavit, ſe quoque ab inſultatore ſuo, mercedis loco, thalerum tribus iconibus maſculinis inſignitum accepiſſe.

Anno 1644. die 14. Januar. Matrona perhoneſta Noribergæ, cùm in conjugio frequenter, & quidem ſemper unicum ſaltem fœtum protuliſſet, demum tres filiolos vivos unico partu in lucem edidit, qui omnes ſacro fonte tincti fuerunt; matre verò interea ob virium lapſum è tanto pariendi labore, penè agonizante, ſed analepticis maturè adhibitis reſtituta.

Anno 1648. die 21. Octobr. Noribergæ lanii cujuſdam uxor uno partu unicum filiolum & duas filiolas in lucem protulerat, qui omnes quoque baptiſmate tincti fuere.

Anno 1670. 25. Aprilis ſartoris cujuſdam uxor ibidem tres unico quoque partu filiolos ediderat, qui omnes vivi fonte ſacro lavabantur. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii. Exempla numeroſi partus plura occurrunt, quorum multa collegerunt Marcell. Donatus lib. 4. de Medic. hiſtor. mirab. cap. 24. Johann. Schenckius lib. 4. obſerv. Medic. Henr. Salmuth. comment. in lib. 2. Pancirolli tit. 10. Ludov. Bonaciolus de fœtus format cap. 6. & 9. Thom. Bartholinus de inſolit. part. viis cap. 19. & Welſchius noſter obſerv. Medic. epiſagm. 75. nec non in addend. ad h. l. Monſtra inter natos Rodericus à Caſtro lib. 3. de natura mulier. cap. 11. cùm maxima ex parte mulieres unum duoſve tantùm fœtus, juxta mammillarum numerum pariant; Quod tamen nimis liberè atque juſto durius ſcriptum videtur, qui non monſtra inter, ſed rariora naturæ contingentia referre debuiſſet. Nec mammillarum numerus huc quidquam facit; quia communiſſimè unius tantum fœtus generationi in qualibet femina favet Natura, nec tamen unica tantùm mamma tales inſtruit; alias ſanè ex hoc fundamento, unius fœtus generatio monſtroſa eadem facilitate dicenda foret. Cæterum ſeminis abundantiæ & diſtinctioni, vel uteri diverſis loculis tam multiplicis fœtus productionem eſſe adſcribendam, ſunt qui ſtatuant; quæ tamen rectius per noſtri ævi experimenta anatomica, vel in multa ex uno pluribuſve iteratis brevi congreſſibus venereis fœcundata ova muliebria, vel aliquot uno in ovulo ex Naturæ luſu occurrentes cicatriculas, referri poſſet.

Difficilem partum facilitare.

Inter complures ſterilitatis cauſas nulla erit potior, aut ſævior, quam dum generoſa in ſuos ortus ſemina exurgere, inque lucem prodire publicam nituntur, languentis interea naturæ vitio vanum ſui deſiderium relinquunt in mentibus parentum, ſuffocata vitalique aura orbata. Primiparæ huic potiſſimum periculo objiciuntur, dum vagis partus doloribus deceptæ, ad conatus pariendi præmaturo ſæpè auſu ſatis maſculè ſe accingunt, contra licet ſtrepente viarum anguſtia, nondum ad enitendum fœtum ſatis matura. Multæ nationes gravidas ſuas balneis aquæ dulcis, antequam partus initat, immergunt, ut membra prius molleſiant, & facilius relaxata diducantur, inunctis inſuper cum unguento altheæ, oleoque il. alb. talibuſque, ipſis naturalibus. Pleræque verò foeminæ ob inſignem ventris molem cupas ingredi commodè nequeunt, quibus humiliori in ſedili locatis ſacculus herbis emollientibus, aut floribus foeni farctus, & per calidam tractus aquam, ſubjicitur bis in die, ſubſequente partium illarum inunctione.

His aliiſque compluribus ad facilitandum foetus exitum, in vanum ſæpius admiſſis, quid mihi ea de re olim cogitanti acciderit, in ſexus hujus debilioris gratiam patefacere non gravabor. Fructum balſaminæ rotundifoliæ repentis, ſive maris, Bauhini primæ, Momordicæ vulgi, jam maturum, coccineo præditum colore, & ſpinis quaſi aſperum, diu multumque contemplatus, cum in manus volâ arctè tenerem, ille ſua ſponte diſſilit, ſeminaque ſua foras protruſit, ut aperta, rurſus manu illa ſeorſum projecta elaberentur. Haud inanem huic fructui ineſſe ſignaturam ſubinde ſuſpicari cœpi, quæ utero materno ad pariendum jam proclivi, ob quaſdam tamen injurias ſufflaminato divinæ inſtar virgulæ contingeret. Oleo proinde olivarum carnem fructus illius Momordicæ immiſi, ſolique id expoſitum, virtuteque ejus ſatis impregnatum, clyſteriis ad unius unciæ pondus admiſcui, non vano inde ſubſequente ſucceſſu.

Id præcipuè commodi mecum exinde puerpera ſenſit, ut inanibus iſtis, vel etiam colicis doloribus diſcuſſis, legitimum partus tempus attingeret, aut verò ſi terminus pariendi inſtaret, illa fortiore niſu ad excludendum aptè fœtum feliciore infantem exitu bearit, ſeque à tam laborioſo expeditam conatu immunem aſſeruerit à majoribus periculis. Fructus momordicæ pulpam cum butyro benè miſtam obſtetrices aliis pinguedinibus huic fini inſervientibus commodè applicabunt. Quid fructus cucumeris aſinini, quid perſicariæ ſiliquoſæ, noli me tangere dictæ, levi attactu diſſilientes &c. in his difficultatibus, vel etiam promovendis ſecundinis poſſint, curioſo naturæ ſcrutatori cenſendum & penſitandum relinquo. *D. Joh. Georgii Volikameri.*

Partus facilis redditus eſu Cancrorum.

Soror mea Suſanna cum in partu laboravit, non potuit ulla ratione fœtum initi, niſi prius ediſſet Cancros, hos enim maxime appetebat, & cum vix unum comediſſet, ſtatim enixa eſt filium.

Vi imaginationis partum hunc factum luce meridiana clarius, quantum enim valeat imaginatio in prægnantibus videatur Thom. Fienus de Viribus. Imagin. peculiari & egregio Tractatu. Puto quod ab humoribus in partu commotis pica excitata ſit, ita ut ſpiritus diſtracti cogitationibus, vim expultricem deſeruerint & in opere retardarint; Pica vero ſedata & Archæo inquieto pacificato, eo majori vi ac conatu rem cœptam perfecerunt. *D. G. C. Wincleri.*

Partum difficilem juvat uſus Tigridis pellis.

Principiſſa Naſſov. Hadamatenſis, pro arcano in partu difficili ſibi ſervat fruſtum cutis Tigridis, femori ſiniſtro alligandum, quod ipſemet aliquando tentans certum expertus. *D. Joh. Dolæi.*

Mater & fœtus debiles partum impediunt, & urgent.

Maria B. è pago Tallvvyi oriunda, quadragenaria, prægnans, die vigeſimo nono Decemb. Ann. 1681. queritur, ſe inde à quatriduo per intervalla pariendi dolores pati, cum rigore. Infans parum movebatur, & lac in mammis exacruit. Exibui aquam lil. alb. ſerpil. meliſſ. cinnamom. & matricalem noſtram cum borace & tabulis alkermes: item ſpiritum ſalis armoniaci in juſculis: juſſi bibere vinum decocto agrimoniæ temperatum, & edere juſcula è ciceribus rubris parata, nec multo poſt feliciter peperit, & ſana evaſit.

Scholion.) Evenit multoties, ut matris & infantis utero concluſi debilitas partum urgeat, non tantùm propter vitam calamitoſam, quæ lætos ſpiritus vitales obtundit, ſed etiam propter labores graves, & alimenti penuriam: maxima enim pars morborum, quibus affliguntur pauperes, à mala diæta dependet, hoc eſt, primũ à prava ſubſtantia & qualitate alimentorum, quibus utuntur, deinde à victu planè inordinato; nam aliquando cibis abundant, & famem iis nimium ſaturant, mox in penuria priſtina vivunt, & diu eſuriunt. Tertio à labore, & injuriis aëris, namque æſtate expoſiti ſunt ſolis ardori, hyeme ventis & frigori, à quibus ſe defendere nequeunt; cum veſtimentis bonis careant. Naſcuntur ergo inde cruditates, tot malorum cauſæ, quot morbi premunt inopes.

Ægram noſtram pauperculam ſolus caloris & alimenti defectus ad pariendum ante tempus adegit. Rigoris cauſa eſt nervoſarum partium irritatio. Infans parum movebatur, quia debilis fuit, debilitata ſimul & mater erat; tam arcta enim inter utrumque eſt conjunctio, ut eodem ſanguine nutriantur, iiſque gaudeant ſpiritibus.

Lac in mammis exaruit, quoniam impendebatur chylus, ſpirituoſa lympha turgidus conficiendo ſanguini, & reſtaurandis viribus, quibus mater valde opus habebat.

Quamobrem deficiente apta materia, lactis fons in mammis exarvit.

Quomodo autem lac generetur, dixi in Clav. Med. Exercit 1. pag. 13. aliis quoque de cauſis lac in mammis abſumi poteſt: ob nimium videlicet calorem, vel ſanguinis craſſitiem & frigiditatem.

Quia verò ægræ noſtræ lac defecit ob defectum alimenti & debilitatem virium, exhibui aquam cordialem fœtum pellentem ſupra notatam. Lac quoque vaccinum vel caprillum, cum ſacchari roſati ſ. q. ſumptum, alimentum eſt excellens; ſi quando verò calor immodicus lac aufert, veneſectio & uſus ſeri lactis tunc prodeſt. Si craſſities, & frigiditas ſanguinis, juſculum carnium cum ſeminis fœniculi contuſi ℥i. exhibemus; vel etiam decoctum fol. fœnic. cum ℨß ſem. urtic. Fomentationes quoque mammarum fiunt ex decocto foliorum fœniculi, naſturtii, erucæ, in vino albo.

Lactis defectus in mammis ſæpè mortem & matri, & infanti præſagit, imprimis ſi præter rigorem alia ſigna mala ad fuerint, id quod accidiſſe memini Ludguni Gallorum prægnanti mulieri, quæ octavo graviditatis Menſe exſpiravit. In ea ſectionem cæſaream Menſe Januario 1671. adminiſtrari juſſit *N. Falconettus*, *Andreæ Filius*: Renuebant parentes, Tandem cultro in uterum immiſſo, extractus fuit fœtus omnibus partibus abſolutus, immobilis tamen & exanimis. Cranium ejus & dexter humerus livore ſuffulus erat.

Matrem antiquus mœror ex odio confecerat cum ſyncope, cujus cadaver colluſtrantes invenimus glandulas mammarum aridas & exſuccas, corvietum, flaccidum & pallidum, ſine humore pericardii, pulmones nigris tactos vibicibus & atra ſpuma turgentes, thymum eroſum, cæteraſque glandulas abſumptas; in fundo ſtomachi inflammationis non lævia indicia. Inteſtina tenuia contracta erant, hepar tamen & lien incolumis. Cur verò gravidis & puerperis mammæ turgeſcant lacte, hic commode diſquiri poteſt?

Veteres putarunt, Naturam mammis cum utero per infinitas penè vaſorum anaſtomoſes conſenſum indidiſſe, ut ab utero ad mammas ſanguis commearet, & viciſſim à mammis ad uterum, atque ſapienter ordinaſſe, ut toto graviditatis tempore ſanguis verſus uterum deferretur, quo fœtus inde formetur, & nutriatur: at partu edito, ſanguis ab utero ad mammas tenderet, ut ibi in lac mutatus infanti in alimoniam cedat.

De qua ſententia, quid ſtatuendum ſit, in Clavi Med. Exerc. 1. p. 17. expoſui; Gravidis humidioribus ſanis ferme turgeſcunt omnes glandulæ, utero ampliato & grandeſcente, maxime autem glandulæ mammarum, ceu conſenſum ſingularem per nervos cum utero ſortitæ.

Turgeſcit quoque Thymus, & glandulæ alarum, colli, inguinum; dum enim fœtus perfectus eſt, & minus de ſanguine materno quam antea in ſe recipit, neceſſario lympha ſuperabundans glandulis copioſa advehitur, & imprimis

mis etiam ſpirituoſior mammis, quæ lac exinde conficiunt, & per glandularum poros apte fabricatos percolant. *D. Joh. de Muralto.*

Aquæ ante Puerperium quindecim diebus innoxie effuſæ.

Illuſtriſſ. Comitiſſa de Starenberg, quindecim diebus ante partum Aquam Puerperii ſemper rejicit abſque gravi damno, ubi maſculam prolem paritura eſt, non vero ubi fœmellam, An quia fœtus maſculinus plus attrahit quam fœmellus? An quia fortior maſculus motu vehementiori vias aperit? An præcox ille fluxus ſit hydropis uteri prodromus. *Dom. Pauli de Sorbait.*

Trifolii Fibrini vires in promovendo Partu.

Biduum Partus doloribus non procedente fœtu inſumſerat mulier ruſtica primipara 24. annorum, cum conſilium rogarer, dedi ſtatim in aqua trifolii fibrini frigida ſumendum pulviſculum:

♃. Cinam. trifol. fibr. an. ℈j. Sal. C. C. volat. ℈ß. Miſc. f. pulv. Uſa hoc eſt, ſed ſine effectu, adeo ut & noctem miſera miſerrimam tranſegerit ſine partu. Mane, rogatus, repeto pulverem aliquot granis Salis. C. C. auctum, quandoquidem hanc δυστοκίαν debilitati Matris fœtuſque, cujus motus ſenſim minor fiebat, juſto citius ab obſtetrice ad partum ſollicitatorum, unicè aſcripſerim, jubeo deinde Ol. trifol. fibrin. deſtill. umbilicali regioni inungi. Quid fit? Paucis ab inunctione minutis, manifeſtè fœtus exitum molitur, & paucis inde horulis prodit filia ſat elegans & vegeta, ſuccedentibus ſtatim omnibus quibus opus erat. Vidi poſt aliquot hebdomades matrem filiamque vigentes optimè. Brevi poſt tempore alia mulier ruſtica ſimilibus doloribus per integram diem fruſtra fatigata, auxilium petiit, nulla re uſa quam inunctione olei hujus ad umbilicum etiam brevi poſt filiam enixa eſt. Alia mulier Draliensis, poſt duriſſimos difficillimi partus dolores, circa pectinis regionem verſus ſuperiora dextri oſſis Ilium & lumbos horrendos per intervalla recurrentes dolores ſenſit, primis à partu diebus minimos, at nono ſummum exaſperatos. Non tumor exterius viſebatur, nec rubor. Credidi gravius quid ligamenta hujus partis perpeſſa. Leniendum dolorem, partem roborandam, materiam forte vellicantem diſſipandam ratus, juſſi locum affectum inungi:

♃. Ol. Verbaſc. veteris ℥ß. Miſc. cum aqua verò trifolii dedi Ol. trifol. fibr. gt. 3. Sal. volat. C. C. gr. 6. Miſc. Statim ab inunctione habuit melius, noctu ſudavit plurimum, unde quidem laſſata, ſed & malo aliquantulum levata fuit, donec continuatione inunctionis paucis poſt diebus dolore hoc liberata ſit. *D. Johan. Jacob. Willii.*

Parturiens ſine Aquis.

Anno Chriſti 1664. Diſputationis meæ Inauguralis cap. 18. inſerui Caſum fœminæ, quæ in lucem edidit fœtum ſanum firmæque valetudinis, nullis prodeuntibus aquis & pauco ſanguine, ab Excellentiſſimo Viro Domino Guernero Rofinckio P. P. apud Jenenſes Celeberrimo, Præceptore meo colendo communicatum. Nunc ipſemet quid obſervavi, referam. Civis cujuſdam Luchovienſis, uxor primipara, ſub medium hujus anni poſt Chriſtum natum 1671. juſto tempore parturiendi conatus experitur, adeſt Obſtetrix, fiunt omnia ordine & decenter, infans etiam in recto ſitu & bene coronatus deprehenditur, nihilominus parturiens eniti non valet, locelli manent ſicci, & licet membranæ diſruptæ, ne guttula quidem aquæ prodit. Durant parturiendi conatus per biduum, incaſſum tamen laboratur. Meum cum auxilium imploraretur locellorum ante omnia ſiccitatem, pinguium & emollientium inunctione emendandam cenſeo, Galenum ſecutus, qui hoc tali in caſu faciendum eſſe monet, lib. 15. de uſu partium cap. 5. ubi addit, ſuo tempore obſtetrices humores quoſdam habuiſſe, quibus tali in caſu matricis Collum perfundebant. Unguentum autem, quod præſcribebam, tale erat:

♃. Unguent. de althea compoſiti ℥iij. Ol. Cheirini ℥ß. Pingued. gallinæ, Taxi an. ʒvi. Ol. Chamomill. cocti ℥j. Miſce f. unguentum.

Hoc Oleo Obſtetrix matricis Collum ſæpius & ſedulo inungebat. Interim pro matre & foetu roborando ſequentem miſturam, qua ſæpiſſime maximo cum ſucceſſu uſus ſum, præſcribo, cochleatim aſſumendam.

♃. Aq. pulegii, Fœniculi an. ℥ij. Vitæ mulier. ʒvi. Tinctur. caſtor. Croci an. ʒß. Syrup. de arthemiſia ℥j. Miſce.

Ab hiſce medicamentis, mirum, intra bihorium enititur prægnans filiam ſanam firmæque valetudinis, debilem tamen à prægreſſis partus doloribus. Mirum poſtmodum nullam vel omninò exiguam & vix ſenſibilem lochiorum ſecutam purgationem. Intra hujus curationis tempus, ut & poſtmodum diligenter inquiſivi, an aliquot ante parturitionis tempus diebus, ſeptimanis, vel menſibus, quodpiam uteri ſenſiſſet diluvium: etenim licet ordinarium ſit, quod aquis emergentibus, dolores partus intra trium horarum ſpatium ſequantur, nihilominus & haud rarum eſt; imò quotidianum, partum aquis jam progreſſis retardari ad ſex, decem, imò etiam viginti horas: quin & Amſtelodami ante aliquot annos notavi trium ſeptimanarum & trium dierum ante partum ſpatium accidiſſe ſymptomaticum hoc diluvium ſalvo manente fœtu & juſto egrediente tempore. Sed contrarium ſemper aſſerebatur. Eſt autem hæc fœmina pauci ſanguinis, adeo ut vix ſemel intra trimeſtre utero, ut ipſamet mihi retulit, purgetur: Hinc & uteri pondus ſine moleſtia, & ferme ſine ullo impedimento tulit toto prægnationis tempore. *D. A lardi Hermanni Cummeni.*

De Partu Difficili & Pudendis à gangrænoſo Fœtu Infectis.

Circa idem tempus, 10. nempe Februar. noctu hora 10. vocabar ad piſtoris cujuſdam uxorem juvenculam, juſtum geſtationis terminum quidem emenſam, ſed difficulter admodum parientem, prominente nempe jam extra partes genitales fœtus maſculi manu dextra, bra-

chioloque ſenſim ſequente, aſt reliquo corpuſculo intra uterum ſubſiſtente, nihil vel parum in tertium uſque diem proficientibus puerperæ & naturæ conatibus, quos adjuvare idoneis remediorum auxiliis contendebam: ſed incaſſum omnia. Verum, cum parum ſpei de ſalute ſupereſſet, ob deficientes puerperæ vires, & obortum putidum è brachioli propendentis gangræna jam infecti fœtorem, divinum ſubveniebat auxilium, dum ſtimulum ad urinæ excretionem ex improviſo ſentiret, & ſimul novum parturientis doloris niſum: quare à præſente tum obſtetrice inſtanter ſollicitata, ut quantum virium corporis adhuc reſtaret, eas intenderet ad omnimodam fœtus excluſionem, id quod animosè ac ſtrenuè fecit, cum felici adeo ſucceſſu, ut integrum pueruli emortui corpuſculum exin fuerit excluſum; quod mox ſequebatur ſecundina, fluxuſque lochiorum moderatus. Superata autem hac calamitate, alia excipiebat non minus periculoſa, dum brachii gangræna jam humerotenus ſerpens, per contagium genitales partes inficiendo, ac inſuper veſicæ cervicem lædendo, involuntarium urinæ profluxum irritaret, necnon ſævum iſtis partibus dolorem induceret. Hæc malorum turma oppugnari utique mox debuiſſet congruis à perito artifice remediis, muliebris tamen prævalebat prudentia, inſipientia potius nuncupanda, cujus inepto labore, per fotus, ſuffumigia, linimenta, & neſcio quæ alia adhibita fanatica & exitioſa deliramenta, morbus adeo exaſperatus fuit, ut exigua reſtitutionis ſpes amplius ſupereſſe videretur. Cum itaque deſperatam jam rem fœminarum cœtus ille cerneret, & mors quaſi præforibus præſtolaretur, poſtliminio ego rurſus vocatus, dum accederem, totum conclave, in quo patiens recumbebat, fœtore adeo inquinatum deprehendi, ut ſpiritum libere ducere vix potuerim. Nihilominus, etſi ſummis in anguſtiis verſaretur, perſuaderi tamen ægrè fuit paſſa, explorationem loci affecti vel à me, vel à Chirurgo ut admitteret. Tandem doloris atrocitate coacta inſpectionem nobis concedente, comperimus attoniti horrendam partium iſtarum faciem, ſimilem ferè ei,) quoad pudenda gangræna infecta) cujus Vir magni judicii, & indefeſſæ induſtriæ Theophil. Bonetus Anatom. Pract. lib. 3. ſect. 21. obſervat. 55. §. 14. Ex mea communicatione, benevole meminit. Labia enim iſtius partis obſcœnæ, ut & perygomata, nec non vagina ipſa, ad internum uſque uteri oſculum, quantum ex ardore & dolore ſummo, in interioribus pudendi perpeſſo, ut & fœtore mephitico, ex partibus in profundo reconditis læſis exhalante, ac abſcedente per particulas, convenientium remediorum uſu, membranoſa cervicem uteri inveſtiente ſubſtantia conſtabat, gangræna mirum in modum corruperat. Verumtamen poſt alia atque alia ſolerter & indeſinenter uſurpata tam internè, quàm externè remedia, miniſtrante providi, & longo rerum uſu probè exercitati Chirurgi manu, ſubinde cutis mortuæ pars plurima abſcedebat, vivæ verò carnis particulæ in conſpectum veniebant, mitigato inſuper dolore atroci, & fœtore ſenſim evaneſcente, ita ut fiducia reconvaleſcentiæ haud mediocris conciperetur: quæ etiam Nos non fefellit, perducta nempe ad exoptatum finem (niſi quod urina quandoque involuntariè, ſed indies remiſſius, ſtillatim flueret, imò utplurimum voluntatis arbitrio ſecederet,) feliciter, unius menſis, curæ laborioſæ tela. Quamvis hoc jam tempore, quo talia ſcribo, ab iſto quoque ſtillicidio immunis plane fœmina vitam pancratice tranſigat; ut adeo de bufonis aſti pulvere, tantoperè ab Henr. ab Heer obſervat. ſuarum 14. commendato, cujus nempe virtutem experiri animus erat, cogitare amplius nulla ſit neceſſitas. Cæterùm obſervationi præfatæ non abſimilem aliam invenio apud Magnificum Dom. Thom. Bartholinum Cent. 2. Hiſtor. Anatom. 6. totum uteri collum ſphacelo deſperato infectum, feliciter tamen curatum exhibentem; prout etiam gangrænam in uteri oſtio graviſſimam foetidiſſimamque in Nobili Matrona ſanatam *Joh. Wierus lib. 1. obſerv. pag. 943.* recenſuit. *D. Lucæ Schrœckii.*

Uterus loco fœtus incaute extractus.

Anno 1681. Junii 20. Dominus Daniel *Richter* Medicinæ Doctor, me præſente, aperiebat Cadaver Juvenculæ, Uxoris Andreæ *Thielens* Scriniarii, cui primiparæ alioqui robuſtæ obſtetrix incauta, ſub perſuaſione fœtus reſtitantis alterius veſana, uterum inverſum planè, ut inſtar marſupii verſi propenderet, atque cum hoc, ipſam vitam violentiſſimè extraxerat. *Dom. Chriſtophori Seligeri.*

Scholium.) Cùm vel alias uteri prolapſum fœminas à parte difficiliore incurrere novum non ſit, eò facilius, ſi obſtetricis imperitæ temeraria violentia acceſſerit, idem continget; quo nempe tempore uteri ſubſtantia adhuc cùm ligamentis ſuis laxiori textura prædita violentæ tractioni promptiùs cedere cogitur. Quale etiam exemplum Petr. Marchettis obſervat. Chirurg. 61. recenſuit, ubi obſtetrix ſecundinas à partu non ſtatim prodeuntes extractura, & uterum nonnihil laxatum deprehendens, magna vi manibus eundem extra pudendum, letali ſubſequente effectu, dejecerat, exemplo, uti verba Autoris habent, obſtetricibus, quæ omnium peritiam profitentur, quanquam imperitiſſimæ, ut ſecundinas ſponte potius prolabi permittant, non violentis manibus eas ſollicitent, aut earum loco uterum ipſum extrahant, quamplurimis mortis auctores. Confer. *D. Nicol. de Blegny Zodiaci Med. Gall. Ann. 3. Menſ. Auguſt. obſerv. 8. & D. Franc. Mauriceau de morb. mulier. lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 6.* (*L. Schrock. L.F.*)

Partus faciles.

Meo tempore matrona quædam Nobilis & perhoneſta fuit Noribergæ, Conſiliarii uxor, quæ quotieſcumque pariendi hora inſtaret, ſemper ſtando, cum dorſo menſæ innixa, ad partum laboravit, Et ſub labore, pro mitigandis partus doloribus, micas panis ex hydromelite continuo manducavit, facile ſic feliciter ſemperque levata fuit.

Itemque mulieres quaſdam villicanas vidi, quæ Noribergæ in horto meo ſuburbano, tempore

pore belli Suedici hoſpitabantur; eæ poſt levem partus nixum, ſtatim è lecto ſurrexerunt, ipſæque è partu recentes, vitulum, vel juvencam, vel neſrendem propriis manibus ſuis mactarunt, cubiculum mundaverunt & lavarunt, pro epulo ſolemni, ruſumque tunc ſe lecto committentes, ſtrenuè cum comparte & cæteris invitatis compotarunt ac comederunt, ſine omni fatigatione atque ſanitatis noxa. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Licet Divinum illud decretum de partus doloribus, in pœnam inobedientiæ, muliebri ſexui impoſitis, omnes gravidas in fœtus excluſione ſubire, nemo dubitare queat, minoreſve, tamen illos, pro variarum circumſtantiarum ratione, eſſe ſimul notum eſt; ut ita ipſe etiam partus, qui facillimè abſolvitur, dolorificus exſiſtat, atque illos maximè falli, aliosque decipere, crediderim, qui de Americanis; aliiſve quibuſdam remotarum terrarum mulieribus perſuadere conantur, eaſdem abſque ulla moleſtia vel dolore fœtus ſuos excludere; quam ſanè fabulam ex gentium iſtarum conſuetudine ſibi finxerunt, poſt editum nempe in lucem infantem ſe mox lavare eas, adque labores conſuetos ut plurimum ſeſe conferre obſervantes; id quod robuſtæ feminarum illarum naturæ, & partium genitalium naturali amplitudini, ac laxitati, ipſiſque etiam infantibus firmiorem corporis conſtitutionem nactis adſcribendum eſſe, hariolari licet: quin & mulieres illæ adſuetæ cum ſint laboribus, ob idipſum, judicio Ariſtotelis lib. 4. de generat. animal. cap. 7. partum faciliorem experiri dicemus. Quæ ſanè cauſa, aut quæ plures poſſunt eſſe aliæ, in villicanis quoque iſtis, ab Auctore noſtro memoratis, locum habent. Quod ſi quandoque inſciæ mulieres pariant, laboreſque in enitendo haud perſentiant, eaſdem eo ipſo tempore aliis doloribus majoribus, alteros illos quaſi minores obfuſcantibus, vel morboſa quadam inſenſibilitate laborare credibile eſt; qualia exempla apud Actores occurrunt, mulieris præcipuè prægnantis in Nicol. Tulpii lib. 1. obſerv. medic. cap. 10. tam acerbis nervorum contractionibus adflictæ, ut pepererit, ignara tamen partum illum à ſe editum.

Partus difficiles.

Perſæpe obſervavi partus difficiles fieri non ſine matris & fœtus vitæ diſcrimine, cum funiculus umbilicalis infantis collo, vel cruri ſimul & alteri, vel utriſque obvolutus invenitur aut ſentitur, & niſi in tempore ab obſtetrice evolvatur ſub enixu, infans facilè ſtrangulatur. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii. In naturali & genuino partu duo requiruntur, quæ ſibi invicem operas mutuas præſtent; nempe parturiens mater, & pariendus fœtus. Qui ambo niſi ad hoc negotium parati fuerint, vix felix ſuccedit partus: verba ſunt Magni Guil. Harvei in Exercit. de partu. Quæ omnia prolixius deducere; cum difficilioris partus cauſæ paſſim doceantur, haud opus eſt; ex fœtus ſaltem parte quæ contingit difficultas, ob funiculi umbilicalis collo circumvolutionem, paucis hic conſideranda. Iſta enim vaſorum umbilicalium congeries ex uterina placenta prodens, ſupra frontem embryonis naturaliter ut plurimum fertur, atque reflexa per occipitium decurrens, ad umbilicum dein ſolet deſcendere, ſi itaque anteriori etiam parte delabatur, collumque circumdet, quia hac ratione brevior evadit, fœtum retrahendo, vel ſimul ſecundinam cum fœtu ad exitum rapiendo, partum reddere difficile, imò in ipſo egrediendi conatu embryonis fauces laquei inſtar conſtringere, eumque ſtrangulare poteſt. Sic. Ill. Thom. Bartholinus collo aliquoties circumductum vidiſſe ſeſe, lib. 1. Anatom. reform. cap. 27. teſtatur, unde ad horas pluſculas dilatus fuerit partus, prodienſque infans vix ſpiritum traxerit. Cujus etiam exemplum in nepote ſuo recenſet Stephanus Rodericus Caſtrenſis Exercit. medic. 21. qui cum ex materno clauſtro egredi tentaret, laqueus ille collo circumvolutus, cum ſuffocationis metu, conſtringebatur, unde infans ab exeundi impetu aliquoties retrahebatur, donec tandem obſtetricia manu aliquantulum eo relaxato, lividus omnino & penè ſuffocatus hic in lucem prodierit. Et Clar. Joh. Bauhinus apud Joh. Schenckium lib. 4. obſ. med. ſimilem periculoſam circumvolutionem, bis terve collum ambientem obſervaverat. Nec minori multum diſcrimine caret, ſi idem funiculus ipſum corporis truncum circumdet; cujus ſpecimen matri ac fœtui lethale exhibet Guil. Fabricius Hildanus cent. 4. obſ. chir. 57. ubi vaſa umbilicalia non tantum bis ita circumducta fuerant, ſed & brachium ſiniſtrum cum crure dextro eidem colligaverant.

De Partu difficili à fœtus ſitu inconvenienti.

Multi extant modi, per quos in hanc lucem eduntur fœtus, me tamen ſimilem modum quem jam referam, & ab Obſtetrice noſtra ordinaria accepi, legiſſe non recordor:

Civis cujuſdam uxor devenit ad partum difficillimum & p. n. fœtus porrexit unum pedem, altero pede ad caput prorſus reflexo, ſicque fœtus dulplicatus quaſi, ac ſemper pes exitum moliens, licet ab obſtetrice reponeretur ſæpius, tandem tamen annuente gratia divina, fœtus ad ſitum naturalem & convenientem pro partu reductus, inque lucem poſt longum laborem editus. Ita ut hunc partum magis demirer, quam eum apud Curioſos noſtros Anni 1. Obſerv. 49. p. 145. ab Exc. D. Friderico Ferdinando Illmer à Wartenberg unco extractum communicatum. Magis hic fœtus ſtupendus, & omnium difficillimum conatum pariendi fecit; Hæc quoque obſtetrix referebat fideliter ſe non ſemel vidiſſe quod fœminæ pepererint ſine aquis; ac harum aquarum receptaculum prorſus ſiccum inventum, verum partum tum ſemper eſſe difficilem: Etſi eveniret quod hæc ordinaria eluvies efflueret juſto citius, tum partum remorari ad vi. xii. xxiv. horas, vel etiam ad tres dies, longiorem moram nondum experta eſt; De Infantibus hæc referebat, quod interdum cum tumore in lucem edantur, qui tumor ſi rubet, vel alterius eſt coloris, nil mali metuendum, Dum

autem pallet, infauſtum ſignum eſt, ac mortem denotat; illud ſeſe jam in tribus infantibus, quibus tumor palluit, verum deprehendiſſe, Omnes tres enim non multo poſt extincti ſunt: Tumorem hunc mulierculæ noſtræ vino calido butyrato fovent. *D. Joh. Ludov. Hannemanni.*

Partus difficilis, cum vitalis fœtus & duplicis Molæ excluſione.

Ad militis cujuſpiam uxorem, difficultate pariendi graviſſime laborantem, nec ullum à biduo calcitrantis antea fœtus motam amplius ſentientem accerſitus, fœtuſque hoc & aliis extinctionem ſtatim auguratus ſignis, ejuſdem quamprimum excluſionem, exitii materni metu, ſum molitus Præcipitata itaque auxiliis adhibitis mediocri Mola, major altera ſubſequuta eſt, verum ita fracto parturientis animo ut conclamatum de miſera putarem, cum illa novas, tribus horis poſt, recolligens vires, gracilem quidem & mortuum, at partibus omnibus abſolutum fœtum edidit, ac tandem evaſit. *D. Franciſc. Bouchard.*

Directio & Extractio fœtus vivi ſincipite ad purbem compulſi, manumque ſiniſtram exſerentis.

Conjunx Ar. perdilecta die 22. menſis Septembris anni 1683. poſt aquarum copioſarum haud dolorifico effluxu, rurſus pariendi per aliquot horas atrociſſimos abſque fœtus promotione ſuſtinuit: Situm infantis vitioſum eſſe maſcule aſſervi, neque fœminam ulterius urgeri permiſi, digito, ut decet, rem examinans, adſtantium precibus commotus, ad operandum me accinxi, & manum Infantis ſiniſtram juxta oſculum uteri repertam molliter repoſui, ne ſubſequentibus conatibus foras potruderetur, faciem ſurſum ſpectantem, & frontem cum ſincipite pubi adſtantem non attigi, ſed occiput Inteſtino recto incumbens prehendi, & vel tantillum loco dimovi, quo facto frons lubricatus, & puer ſalvus feliciſſimè in lucem editus eſt.

Partum hunc dolores lancinantes in ventre uſque ad tertium diem, ſive lactis ad mammas trajectum, ſubſequebantur.

Scholion.) Quamdiu puer utero materno concluſus, funiculo umbilicali vinctus, hæret, & fovetur materno calore, tam diu vivit quoque vegetus, quanquam integro octiduo juxta oſculum uteri capite provolutus ſubſtiterit, neque arcta uteri clauſtra dilatare niſibus quoque vehementiſſimis potuerit. At, ſi puer ſitum depravatum habuerit, & laboribus nimiis in vaginam uſque promotus ſit, niſuſque eundem oppreſſerint, vel ſi colliquamentum amnii deficiat in integrum; funiculus frigefactus fuerit, conatus ſuperiora petant, vita hæc ſat diu duratura extinguetur, & puerpera in ſtatum periculoſum redigetur: Hæ autem difficultates ſuperabuntur ſi, ſtatim atque animadvertatur, niſus neutiquam pertranſeuntes, & deorſum ad uterum vergentes veros, (ſignis cæteris ad partum requiſitis præſentibus) urgere, ſed gravidam ad murum velut, & in vanum omnes ſuas vires & conatus impendere, non expectetur, uſque dum manui operatrici via præcluſa fuerit, ſed intellecto infantis ſitu, manus operi admoveatur, & infans malè ſitus in naturalem ſitum, quantum poſſibile, reducatur, id quod abſque omni periculo fieri poteſt, ſi cum prudentia & Dei auxilio res perficiatur, ut id ex præſente Operatione & Obſervatione innoteſcit.

Cauſa Vitæ tamdiu durantis in infantibus dependet à Spiritu aſtrali, ſub forma flammæ vitalis, ope matris per venam umbilicalem ad puerum deducto: atque eſſentia idem ſpiritus eſt, quem Obſerv. 1 de muſca aquatica Tigurina deſcripſi: Hujus flammæ vitalis parva quædam initia, ſ. ſcintillæ ab ipſo conceptu in amplexu venereo excutiuntur, & in ſemine conſervantur, à materno, blandoque ovi calore ſuſcitantur, parum gliſcunt, micant, inſtar titionis cinere obvoluti leviter tantum ardent, donec embryo partu tempeſtivo in lucem egreſſus ſpirare incipit, quo tempore flamma vitalis pabulum nitroſum illico ex aëre accipiens latiſſime ſeſe ex pandit ac per totam maſſam ſanguineam efferveſcit. Vide Clav. Med. de Sang. pag. 127.

Pabulum hoc nitroſum, ſ. occultum vitæ cibum in aëre contineri ſublimiorum Naturæ ſcrutatorum communis fert ſententia, idque ratione ſalis ſui mirabilis, quæcunque penetrantis, reſolventis & volatiliſantis, atque univerſalis quaſi ſolventis. Unde tanta reſpirationis ad vitam emergit neceſſitas, ut quæcunque animalia, ſimulatque ex ovis ſemel eruperint, aëris perneceſſario victu neutiquam carere poſſint, ipſis etiam Inſectis, ut ſupra citavi, eodem indigentibus, non ſecus ac piſces, aquarum licet incolæ. Vide Doctiſſimi Ettmulleri Valetudinarium.

Cavendum proinde ſummopere, ne flamma hæc extinguatur in utero; frigus fugiendum: effuſo amnii liquore matri quieſcendum aliquantiſper, ne ſitum depravatum acquirat puſio; neutiquam cunctandum ob alimenti penuriam, & loci anguſtias, dum enim apud noſtram uterus quaſi exaruit, & ſolito ſiccior redditus fuit, infans loco ſe dimovere non potuit: adhæc poſt liquorem amnii effuſum, aut ſubito ingruunt niſus vehementiores; aut ante effuſionem niſus præſentes in momento quaſi pereunt; illud ſi fiat, antequam urgeatur puerpera, ſitus eſt examinandus: hoc verò facto, in lecto quieſcendum, uſque dum Natura ſeſe recollegerit, & fibras nimium extenſas, aliquo uſque contraxerit.

Naturam Colliquamenti explicavi Clav. Med. pag. 23. & 158. item Ephemerid. Decur. annor. ſecundæ tom. 1. Obſ. C. p. 233.

Aquarum autem copia, quæ ex abundante in ſanguine ſero judicanda eſt, ad amnium derivabatur ob tractum ſuctumque fortiorem, & concitatam ſanguinis circulationem, qua ſecretiones quoque copioſiores evadunt. Dolorum vero atrocitas non aliam agnoſcit cauſam, quam contuſionem & extenſionem fibrarum, tendinumque uteri lateralium juxta pelvis oſſa conſtitutarum, qua triſtis hæc ſenſatio diviſionis continui oborta fuit: Conſtitit nempe infans ſincipite ad pubis os firmiſſimè, facie ſurſum porrecta, manuque ſini-

ſiniſtra oſculo protenſa; qui ſitus rarus eſt admodum, & à paucis obſervatur: Manus primo reponi debuit, ne niſu ulteriore foras in vaginam protruderetur, & capui ſupra pubis os pelleretur, ſicque periculoſior partus evaderet, repoſita manu, caput non verſus anum depuli, tum ob faciem teneram, tum ob repoſitam manum, ne iterum procidat, ſed ſaltem circa caput olea inungendo, occiput loco dimovi, & uteri orificium quantum poſſibile dilatavi. Situs alii vulgares ſunt, quamvis periculoſi quoque, nempe dum Infans ad partum venit præmiſſis pedibus, manibuſque ad femora deductis: dum in pedes partus procidit, manibus ſupra caput protenſis: dum uno tantum pede infans prodit, brachiis circa latera demiſſis, retroverſo pede altero: dum per tranſverſum jacet infans, & in latus procidit: dum diſtotis pedibus atque brachiis ad partum properat infans: dum utroque genu in partum infans procidit, manibus circa femora demiſſis; aut, manu tantum alterutra ad partum accedit, altero brachio circa latera deducto, pedibuſque ad uteri fundum ritè porrectis: dum utrumque brachium juxta caput protenſum ad partum veni, pedibus in uterum porrectis, & facie ſurſum reclinata, quæ figura proxime ad noſtram accedit, & admodum periculoſa eſt: aliquando natibus infans ad partum primò procidit, aut inflexa cervice, pronis ad partum humeris, retroverſo autem capite, ſurrectiſque pedibus ac manibus, ſubinde manibus & pedibus ſimul ad partum inclinat, interdum autem fit, ut pectore primum prodeat retro manibus, pedibuſque conjectis & averſis: Contingit præterea forma naturali partum comparere geminum, præmiſſis ad exitum capitibus, vel obverſis ori matricis utriuſque infantis pedibus; vel alterero infante in Caput; altero in pedes demiſſo: perſæpe quoque umbilicus utero propendet, remanente fœtu vegeto, vel mortuo: horum autem ſituum præternaturalium cura ſucceſſivè in his obſervationibus nacta occaſione tradetur, & quo pacto convenientem ſitum facere deceat, vel etiam dirigere, propellendo, adducendo, flectendo, in rectum agendo, fuſius demonſtrabitur: nunc id tantum obſervari velim, præmiſſam manum haud extrahere oportuiſſe, ne magis affirmaretur, luxaretur, vel etiam abrumperetur, verùm digitis humero infantis affixis repllere, & inconvenientem ordinem reſtituere. Dein ſi vel duplicatus, vel tranſverſus, vel pronus feratur infans, ſurſum prius ipſum ab uteri ore ſublimem blande impellere, dein prehendere rurſus, ad os vulvæ ſenſim in caput erigere, & tandem in gemellis ſumma prudentia procedere.

Partum hunc ſubſequebantur dolores lancinantes in ventre, qui oborti ſunt à collectione & retractione fibrarum extenſarum & contuſarum, quæ contractio ad ſua principia ſimul heterogenea quæque dolorifica è ſpatiolis ſuis expulit, qualia ſunt aër derepente poſt partum ſubingreſſus, utero inimiciſſimus: flatus inteſtinorum uterum moleſtantes, lochia impura, chymi refluxus per maſſam ſanguineam, cotyledonum, quibus inhærebat placenta, conſtrictio; excoriationes & ulcera, vel vulnera & inflammationes idem præſtare queunt.

Vulgatum in lacinationibus poſt partum remedium præbet Oleum Amygdalarum dulcium cum Syrupo capillorum veneris, alias vix obtundendi & ſopiendi ſunt hi dolores, quia ſemper quid lochiorum & impuritatum ſecum ab utero evehunt.

Duratio horum torminum uſque ad lactis in mammas trajectum, ſeu tertium à puerperio diem perſevarabat, hoc enim tempore lac ab utero in mammas uberius & cum impetu quodam fertur, ut citò eas ad tenſionem uſque impleat, & aggravare incipiat, cum febricula quadam, lactea dicta, aliiſque ſymptomatibus, quibus lactatione reſiſti commode poteſt, ne videlicet in grumos abeat lac, vel mammæ inflammentur, vel repulſione facta per topica repelentia, cum lochiis ſub ſpecie humoris purulenti albicantis ex utero effluat.

Lac autem quid ſit, Anno 1. Ephemerid. Decur. ſecundæ, & in Clave mea medica explicui, nempe chylus lympha temperatus, ſpirituoſus, cum ſanguine in corpore circumfluo ad uteros & mammas delatus, & ibidem in apertos poros ſecretus: non eſt chylus crudior, qualis in vaſis chyliferis reperitur, quanquam & hic lympha varia, tum juxta hepatis cava, tum juxta collum, tum circa inguina & lumbos diluatur, ſed ſpiritoſus admodum, magiſque exaltatus, (de quo videſis Exercit. 9. Pœonis & Pythag. pag. 46. &c.) ut vel in ventre aut ſinu materno geſtato fœtui alimoniam ſuppeditet; vel ingravidationis tempore, portione quadam ad uterum derivetur, & ultimis menſibus aliquantulum; ubertimè poſt puerperium in mammis (ſtantibus circulationis legibus) deponatur. *D. Joh. de Muralto.*

Extractio fœtus mortui, pedibus uſque ad axillas, ex utero pendentis.

Fœminæ Q. R. quadraginta duos annos natæ, aquarum vix quicquam effluxit, hinc violentis niſibus, pedibus ad partum properabat maſculus, cubito utroque cum capite intra uterum ad mortem uſque recluſo: vocatus, cubitum dextrum ad anum poſitum deinde integrum corpuſculum molliter attrahere tentabam, ſed os pubis brachio, quod continebat, impedimento fuerat: ne autem veſica urinaria, vel partes adjacentes aliæ læderantur, ſenſim integrum corpus æqualiter inverti, ut, circumducto collo, & caput moveretur, abſque omni attractione, ſic cubitus ſiniſter verſus anum depulſus, ſecurè inflexus & exemptus, atque puerpera liberata eſt: Infans cruſta caſeoſa obductus, ac tanquam glutine illitus erat.

Scholium.) Aquarum Amnii defectus æquè periculoſus eſt, atque abundantia earum; illud Infantis ad partum nondum benè compoſiti præcipitationem, & ſitum perverſum; hoc autem motum infantis juſto tardiorem, & provolutionis ad partum ineptiam;

parienti dolores atq; moleſtias vanas, ventriſque lancinationes & tormina cauſatur: hinc urgentibus conatibus, eò tempore, dum in ipſo ad partum acceſſu ſive provolutione puer deſudat, quacunque poſitura & ſitu præternaturali infra oſculum compulſus jacet & inſtar trunci immobilis hæret, ut in hac obſervatione conſpicitur. Debet enim fœtus illis humoribus, tanquam molli culcitræ innatare, illoſque pro munimento & promontorio quaſi agnoſcere. Dum igitur humores emanant, fluxu ſuo & inundatione vias lubricant, ac niſi partus ſtatim ſubſequatur, & ad tempus vel dies aliquot moram nectat, alimentum fœtui decedit, partuſque fit difficilior, fætus imbecillior, & conſequenter neceſſario moritur.

Colliquamentum hoc, ſ. liquor ſeroſus, naturaliter magna copia colligitur in Amnio, imò prius quam quippiam fœtus ferè conſtituatur, aut veſtigium ejus ullum extet, & quam primùm fœtus jam conſpicitur, & adhuc totus mucilaginoſus, ac perexiguus eſt, quamvis maxima tunc copia aquæ hujus conſpicitur, ut in illa natare Embrio, licet exigua corporis adhuc dum mole præditus, videatur. Vide pag. 23. Clav. med. Nihilominus tamen calore hepatis & uteri, vel alia cauſa ſiccari liquorem huncce benignum, certum eſt, & in gluten ſ. caſeoſam materiam abire, ut infantum corpora cruſta hac & lanugine viſcida, cutis extimæ regioni adhærente, obducantur.

Pedibus ad partum properabat maſculus ad axillas, perpetuiſque niſibus tandem enectus, ita pendulus, uſque dum ſuppetias ferrem, permanſit. Horrendum eſt obſtetrices ſine ratione nimium audaces eſſe, & in tali quoque caſu, ubi viventi puero pedibus utero egreſſo manus & brachia juxta caput ſurſum porrecta reſtarit ibidem, miſeras parientes vi impellere, & ad enitendum urgere, haud percepta ob loci anguſtiam & ſitus pravitatem, impoſſibilitate, ſic enim factum, ut puſio frigefactus, & flamma vitalis per venam umbilicalem infanti advecta, fuerit extincta, veſica & alvus matris compreſſa, membra ſuperiora luxata ſint, denique mors adventarit. Multò autem conſultius egiſſent, ſi puerperam in lectum deduxiſſent, infantemque pendulum commodè ibidem locaſſent, & lacte tepido foviſſent, uſque ad meam præſentiam, tunc enim ego cubitos ad pectus, manu axillis blandè admota, duxiſſem, cæteraque ex arte peregiſſem, & cum Deo infantem ſervaſſem: Spero tamen, inpoſterum Obſtetrices ſuum officium melius obſervaturas eſſe, ne negligentiæ accuſentur, & conſcientiæ maculam ſibi inurant: Nam infans ſuperſtes modo, quem in obſervatione retuli, excipiendus non eſt, niſi admodum parvus & gracilis ſit, & didutum admodum matricis extiterit orificium, ut facilis exitus ſine matris & infantis nocumento omninò ſperandus ſit: nec tamen eum prius excipiet Medicus, quin ante uterum & infantem diligenter perungat: multò autem conſultius &, quod repeto, utrique ſaluta rius, partum vivum pedibus ad orificium ſtantem in uterum repellere, & ad legitimam formam convertere, in hunc modum: Ægra ſe ſupina in lecto reclinabit, capite retro demiſſo, ſublimioribus natibus: quo facto, operator Medicus ventrem ipſius, præcordia verſus, mediocriter ſtringet, ut in uterum infantem ipſum repellat, & alia forma prodeundi occaſionem miniſtret. Ante omnia autem curabit, ut faciem infantis tergo matris obvertat, deinde infantis nates & crura, umbilicum matris verſus elevet, ut ad legitimum partum acceleret.

Similem ferè obſervationem notavi in uxore B. L. è pago Urdorfenſi, 30. annorum, quæ infantem pedibus prodeuntem ad pectus uſque peperit, reliquum corporis, etſi dolores perſeverarent, edi nequiverat, ſed moriebatur puellus: vocatus, utrumque brachium reflexum ulnis coxendicis oſſibus, ſ. pelvi adſtitiſſe comperi, & reduxi, ſicque ægram liberavi.

Fœmina hæc vinum novum & auſterum, poſt tres à partu ſeptimanas affatim hauſit, inde urinam retinere nequivit, ſpiritu tamen ſalis armoniaci, & thermis Badenſibus noſtris reſtituta eſt: nam auſteritas vini non tantùm conſtrictionem maſſæ ſanguineæ, & hinc ſeri expreſſionem per veſicam, ſed etiam uteri inflationem, & veſicæ fibroſæ compreſſionem excitavit, hinc fibræ hæ enervatæ per partum, frigore & aciditate ſtupefactæ ſeſe contrahere nequiverunt, quare & remedia dicta fibris vigorem conciliando profuerunt. Vinum hornum, à fæcibus nondum probe depuratum, fermentando in ſtomacho facillimè aceſcit, & urinæ ardorem atque incontinentiam puerperis cauſatur, infantibuſque, ut & acetum ſummopere nocet: Acidum enim morborum infantilium, lactantium, & puerperarum, tormina & lancinationes excitando, frequentiſſimus author exiſtit: bibant ergò tales mulieres vinum tenue, rubellum antiquum, quod eas roboret & lac augeat, vinum tamen vinoſum forte vitetur, ſed ſi urgeat ſitis, calor, dolor papillarum & capitis, alvus adſtrictior, utentur emulſione amygdalata cum decocto hordei parata, addito oculorum Cancri tantillo. *D. Joh. de Muralto.*

Extractio fœtus in utero putreſcentis, & manum dextram exerentis.

Bibliopegi M. uxor, 30. circiter annorum, die octavo Auguſti Anni 1682. Bada Tagurum me vocari voluit thermis ut manus auxiliatrices in promovendo partu adhiberem, fœtumque extraherem: Infans capite prono oſſi pubis firmiter adſtans, manumque dextram, relictis intra uterum partibus reliquis, exſeruit, id quod ante triduum exactum, ob lochiorum effluxum copioſum ei accidit: Præſens cum Excellentiſſimo Domino D. Joh. Henrico Lavatero, noſtrate, & Celeberrimo D. Artheaudio, Chirurgo Lauſanenſe, vidi infantem mortuum, fœminamque extremè debilem, motibus convulſivis vexatam eſſe, adeoque ob fœtorem cadaveroſum intolerabilem, ſi Naturæ negotium committeretur, ægram de vita periclitari: Senſim brachium, quod ſphacelatum erat, neque intrudi ullo modo potuerat, intorſi, ut in articulo humeri ſepa-

pararetur, ſicque manui meæ nihil impedimenti adferat: ſed per infortunium humerus fractus eſt, ut nil aggredi potuerim, antequam proſtantia oſſa acuta forcipe ſemota fuerint & lævigata, ne vulva vel veſica læderetur, tum alterum infantis brachium prehendi, ſed ob craſſitiem corpuſculi, & magnitudinem capitis infantem putidum loco dimovere nequivi: vires ſufficientes mihi haud reſtabant, ut in pedes inquirerem; rogavi comitem meum, Chirurgum prælaudatum, ut & ipſe ad opus ſe accingeret, quod fauſto omine factum, nam & alterum brachium ſeparare, & pertuſo pectore lateraliter viſcera eximere debuit, ut via pateret ad pedes uſque in utero reconditos, arripuit cautè dextrum pedem, & ita illam molem reliqui corporis invertit, magnaque opera fœtum mutilum eduxit: funiculus diſruptus & placenta utero inhæſit, quam ego demum cadaveroſam conquirere & eximere debueram; ſanguis poſt partum effluxit copioſior impurus, ſupervenere convulſiones, frigidi ſudores, & morti vicina ab omnibus credita fuit: Ego tamen, cui ante biennium in partu quoque adſtabam, meliora ſperavi, dummodo adſtantes juſſa mea non neglexerint, nempe ei pulverem marchionis in Aq. plantag. & fol. quercus cum ſacch. roſ. tabell. exhibuerint; Epithemata adſtringentia lumbis applicarint, Lactis ſerum cum roſis propinarint, vulvam in quavis hora; & dorſum bis de die oleis conſuetis perunxerint, juſcula hordeata, paſſulata, &c. cum ſale volatili oleoſo Sylvii exhibuerint: Tribus poſt ſeptimanis bono cum Deo ſalutem recuperavit; & hocce momento partui vicina iterum opem meam imploravit.

Scholion.) Lochia ſunt ſanguis intra poros & vaſa uteri contentus, qui poſtquam placenta decedit, effluit: hic ſanguis ſingulis menſibus in utero augetur, & habitaculum Pueri calefacit, atq; à variis injuriis tutius reddit, craſſiuſve: ſolo tempore & quantitate à menſibus differt: nam menſtrua ante partum, lochia poſt partum dicuntur. Horum autem lochiorum fluxus p. n. multum variat, & vel quantitate vel qualitate peccat: aliquando fluunt ante partum, aliquando non fluunt ſine incommodo, plurimùm autem incommodi Puerperæ patiuntur quibus p. n. retinentur, ob ſanguinis per novem menſes detenti à calore inductam craſſitiem, & abundantiam, vel frigus in puerperio ſubtus pudendis admiſſum, quòd orificia vaſorum conſtrinxerit, graviſſima oriuntur ſymptomata, & quandoque mors ipſa obrepit: adeſt tumor ventris, lumborum dolor, febris, debilitas, difficilis reſpiratio, ſanguinis ſputum, vomitus, mania, melancholia, vigiliæ, delirium, quæ omnia perículoſiſſima ſunt. Immoderatus verò poſtpartum fluxus ægram debilitat, acciditque à ſanguinis nimio fervore, copia, tenuitate, viarum laxitate, & dilaceratione vaſorum: pulſus redditur frequens, debilis, cibi faſtidium ingraveſcit, viſus imminutio, aurium tinnitus, grumi ſanguinis utero eliduntur: Dolor lumborum & hypochondrii adeſt, cum torſione ventris & magna febre. Quòd ſi ante partum hic effluxerit ſanguis, ut in Obſerv. præſente, eadem ſymptomata excitantur, ſitus infantis invertitur, & mater & fœtus maximè debilitantur, & in vitæ periculum cadunt. Motus convulſivi ferè nunquam abſunt, hinc meritò quæritur, Cur exhauſto ſanguine motus convulſivi puerperas invadant? Putarim, quia per inanitionem lympha, & ſpiritus inde generati, quos blando, dulcique chyloſo humore cum ſanguine circulante enutriri & refici convenit, acrimoniam contraxerunt, ut irritatione & vellicatione in nervis oborta, verſus ſua principia contracti fuerint, ſeſe corrugarint, atque hos motus p. n. inſtituerint: Nervorum enim motui dicatorum, & partium valdè nervoſarum proprium eſt, ut vel ad impetum voluntatis, vel neceſſitate ſuadente, in illarum partium motu, quæ voluntatis imperio non ſubſunt (cujuſmodi ſunt motus ventriculi, inteſtinorum, cordis, aliarumque partium) continuò corrugentur, breviores fiant, ac ſe contrahant: ſi itaque à re peregrina ſollicitentur & ſtimulentur, idem, ſed validiùs facient: ſic ventriculus ex. gr. angue & lignorum ſegmentis latentibus, helleboro, vel chelidonio majore propinato, imò cicuta aquatica deglutita, irritatus: ſic, inteſtina clyſtere acri ſtimulata, protinùs inſurgent, verè omnes nervos, quibus abundant, intendent, ut hoſtem expellant, idque revera nonniſi illorum nervorum beneficio qui utrique ſenſum & motum largiuntur: Ut Clariſſimus D. D. Wepferus aliquando certior fieret, hos motus violentos ab irritatione fieri, in ranis vivis nervos crurales denudavit (& acu pupugit, protinus tunc motibus convulſivis pedes concutiebantur, nunc rigidi perſiſtebant, prout vel ictus iteravit, vel acum pertinacius nervo affixam inſigni tenuit. Id poſtmodum ſæpius quoque in Canum vivorum ſectione eodem ſpectaculo tentavit: non ſemel corda Canum, Lupi adulti, Gallorum gallinaceorum apice cultri anatomici irritavit, ut vim ejus in motu peragendo oculis uſurparet: in Gallis & Lupo imprimis citò in validiſſimos motus proruit, & vel extra pectus erupturum Cor videbatur, imò jam ferè emortuum, denuò titillatum, motus rurſus exordiebatur. Adeò ut nullus dubitem, nervos ipſos, vel partes nervis præditas, ſtimulatas, validiſſimos motus inſtituere: quod amplius venena, acria purgantia, vomitoria, maximè antimoniata & mercurialia, ſternatutoria, nervi punctim læſi, & ſexcenta alia abundè confirmant. Quoniam verò pluribus convulſio, & convulſivi motus obtingunt, cira puncturam nervorum ab acu aut alio inſtrumento pungente, citra venenum propinatum, citra Helleborum, Antimonium, Mercurium, & alia hujus generis aſſumpta, neceſſum eſt ut analogum quippiam in corpore humano generetur, quod nervos, nervoſaſque partes ad motum contractivum proclives, irritare, ſtimulare & ſolicitare valeat, ut hujuſmodi motus vel præter juſſa voluntatis involuntarios, vel ſolito violentiores peragant. Hoc analogum procul dubio humor acris, mordax, nervoſo generi inimicus erit, de quo plura legere eſt in Doctiſſimi mei diſcipuli Caſpari Sibelii à Goor, M. Doct. & Practici apud Amſtelodamenſes feliciſſimi Diſputatione Inaugurali Leydæ Anno 1678. habita, pag. 7. 8. &c.

Inter

Inter operandum humeri os fractum eſt, ſiquidem ob ſphacelum adeò ſpongioſa & flaccida membra reddita ſint, ut os humeri citiùs fractum, quod verò in articulo ſolutum fuerit: hanc fracturam ſubſequebatur periculum proſtantium ſegmentorum pungentium, ne vel uterus vel veſica, partes præter modum turgentes & calefactæ læderentur, & inflammatio excitaretur, quæ vel mortem cauſari, vel miſeram per totam vitam reddere potuiſſet puerperam; coactus ergò fui proſtantia oſſa & ſegmenta inæqualia ſcabraque forcipe prehendere, circumducere, & in articulo avellere; idem factum eſt cum altero brachio, dum fœmina convulſa quaſi & ſopita jacuit, præterea & inciſio in pectore facta fuit, interanea viſcera exempta, ut ita corpuſculum ſenſim, ſenſimque concideret, & pedes invenirentur, atque ita truncatus fruſtillatim fœtus extraheretur.

Vires mihi non reſtabant ſufficientes invertendi fœtum, nam quia omnis aqua diffluxit, niſus omnes evanuerunt, fœtus mortuus, fœtor intolerabilis, tantum non ego animo defeci, & lipothymia dejectus procubui; tàm verum eſt, quod in Clave mea pag. 430. de officio Obſtetricum, Operationes has laborioſas & difficiles eſſe, notavi.

Operationem hanc varia ſymptomata exceperunt, auctæ ſunt convulſiones, & ſudor frigidus obortus eſt, &c. Idque ab extinctione caloris nativi propemodum totalis, & ſanguinis infectione à miaſmatibus cadaveroſis per glandulas cutaneas eliminandis; item naturæ tantùm non oppreſſæ pugna cum violenta morte, ac ultimo quaſi vitæ conatu. At quietem & obſcuritatem imperavi, uſumque præſcriptorum medicamentorum: pulvis enim Marchionis inſignes vires habet in præcipitanda acrimonia ſpirituum, lymphæ, ſanguinis & chyli, in genere nervoſo roborando, heterogenea à centro ad circumferentiam promovendo: Epithemata adſtringentia putredini adverſabantur, ſiſtebantque fluxum: inunctiones confortabant partes læſas, eaſque in vigorem priſtinum reducebant, ſpirituſque animales in ſpinali medulla contentos, motus enormes ſpaſticos excitantes, ſopiebant. *Dom. Johann. de Muralto.*

Puerperæ niſus negligentis, & filiam tandem vegetam parientis, hæmorrhagia & mors.

Fœmina, (cujus Obſerv. præced. memini) die 20. menſis Octobris hujus 83. anni, triduo exacto, poſt aquarum fluxum, circa veſperam niſus denuò perſenſit, quas illa lancinationes perperam reputans, negavit, ſed tremebant genua, æſtuabat ſanguis, conatus per vices ſe invicem excipiebant, infans probè obverſô ori uterino vertice, collocatus fuerat. Pariens obſtinata admodùm laborare nolebat, nec blandè concitata, nec minis ad enitendum adacta, donec in abſentia mea advocarint Matronam, cujus imperium juſſu meo fideliter exequendum, ne infantis in anguſtiis hærentis vita periclitaretur, ut tandem intra trihorii ſpatium, puella ſalva in lucem edita fuerit, remanente in utero derepentè præcluſo placenta, ſanguine & lochiis tam copioſè manantibus, ut, obortis animi deliquiis debiliſſima evaſerit. Bis itaque, ſed tardiùs, vocatus exiſtimabam hanc hæmorrhagiam fieri adeò copioſam ob placentæ retentionem, quam rogatus feliciter quidem extraxi, ſupra os pubis in utero reconditam, nihilominus multi ſanguinis grumi ſequebantur, & fluxio ſiſti nequibat, ſed urgebat continuò, varia medicamenta fruſtrà tentata ſunt, tandem ægra placidè defuncta eſt.

Scholion.) Quantum lucis ad morborum notitiam adferat Sanguinis Circulatio, præter infinita exempla id comprobat Obſervatio præſentis Puerperæ, cujus niſus ſuppreſſi per Circulationem in toto corpore circumacti, miras turbas crearunt, & ægra fortè reſtituta eſſet, ſi præſens ſtatim poſt partum ſanguinis tantillum è brachio, ejuſdem Circulationis lege, vena ſecta, eduxiſſem. Proh! quàm miſerè agitur in Republica, dum Medicorum illi, quos ob ſingularem medendi peritiam & ſenium veneramur, hocce Inventum credere nolunt, & Circulationem ſanguinis, motum à ſedato Corde peractum, nugas eſſe dictitant, cùm Creatoris Opt. Max. & ſapientiſſimi opus ſit, quod cum veneratione potiùs ſuſpiciendum eſt, quàm ob præconceptam opinionem, aut turpe in veritatem inquirendi faſtidium exſibilandum. Inventum hoc maximi æſtimat Helvet. medic. Coryphæus, Wepferus, his verbis: Huic Invento præclaro addictus ſum, cùm non ſemel hanc ſententiam publicis ſcriptis aſſeruerim, non ſolùm in tractatu de Apoplexia, ſed jam ante triginta annos in diſputatione mea Inaugurali de Palpitatione Cordis, & non ita pridem in hiſtoria Puellæ ſine cerebro natæ, quæ inſerta fuit Anno 3. Collegii Curioſorum. Certè me tæderet Medicinam unquam addidiciſſe, vel illam profiteri, ſi hanc ignorarem. Neminem ita propria putatitia ſcientia tantoperè faſcinatum eſſe, aut ita ab invidia, aut ſuperbia vel neſcio quo ſupercilio excœcatum credam fore, cui non volupe ſit, vel tantillum operæ huic ſtudio impendere, ne ſe toti mundo ridiculum præbeat. Novi Æmilium Pariſanum egregiè hoc nomine à Riolano vapulaſſe, quamvis ipſemet non plenè huic ſententiæ aſſenſerit, quamobrem meritò à Slegelio caſtigatus fuit. Cui ſordent Harvæus, Walæus, aliique hujus generis viri optimè, perlegat Conringium, veteribus, ſi quis alius, addictiſſimum, certè, niſi omninò veritatem ejuravit, tandem manus victas præbebit. Inclyta Univerſitas Lug duno-Batava, tale judicium de hac materia ad me præſcripſit: Miramur eſſe hoc ſeculo, qui Circulationem ſanguinis negent, aut etiam ſpernant, eique hæreſes multas in cauſis morborum tradendis adſcribant: ſed hoc quidem veritati Ordinarium, ut non habeat inimicum niſi ignorantem, &c.

Puerpera hæc miſera, & cachectica, tandem partum ſuum laborioſum morte finivit, propria, ut reor, culpa, quia niſus urgentes in ſeſe redire paſſa, nullos ad expulſionem infantis impendit, & ad uterum direxit, unde ſanguis ſeroſus aliàs & acris, tantoperè excalefactus, & attenuatus, membra verò ita enervata ſunt, ut poſt partum ille ſiſti nequiverit, etſi medicamenta præſtantiſſima quæque exhibita

bita fuerint. At cauſa, cur niſus retenti, ſanguini & artubus incuſſi, Puerperam in tale periculum præcipitem agant, manifeſta redditur, ſi natura niſuum ſ. conatuum, ſanguinis item & membrorum alteratio per eoſdem examinetur.

Niſus ſunt perfecti infantis motus & impetus, quo exitum ſibi ipſi procurat, ut uterus, hoſpitem importunum exturbaturus, ſuas & corporis univerſi vires ad pugnam ſolicitare & impendere cogatur, idque per violentam diſtractionem oris uteri, & tendinum atque fibrarum divulſionem, ut videte eſt Obſerv. 102. Ephemerid. Natur. Curioſ. Decad. 2. Tom. 1. Dum verò ſeſe natura parientis ad certamen ſubeundum ita præparavit, & metus dolorum, vel aliud quid voluntatem à conatu tali neceſſario, & virium ſpirituumque impenſione arcet, regurgitant iidem, vel avolant: ubi regurgitarint, impuri facti ab humoribus per uterum è toto corpore eliminandis, ſanguinem intemperatum reddunt, & fervorem ibi concitant, ejus dulcedinem nativam in bilioſam vertunt, & attenuant: Ubi verò avolarint, Pariens, ut conſervetur infans, exhauſto viribus corpore ad enitendum urgeri, & ita delicti proprii pœnas dare debet, ſiquidem membra fermè paralytica redduntur, ſi tremores ſpaſtici à niſibus recurrentibus iis incutiantur, & neque nervi, neque muſculi ampliùs officio ſuo ritè, ſat longo poſt puerpurium tempore, funguntur.

Sæpe etiam fit, ob retentam placentam ſanguinem ſiſti non poſſe, nam irritatio adeſt perpetua à re peregrina. Vide Ephemerid. Decur. 2. Tom. 1. Obſervat. 116. & relicta Placenta tanquam ſpongia allicit ſanguinem, imprimis ſi per difficilem partum uterus debilitatus, & vaſa adaperta fuerint. Non quidem negandum, intempeſtivam Placentæ avulſionem tale periculum afferre, ut multis exemplis teſtari poſſem, ſed cùm in ægra noſtra loco ſuo dimota, propè pubem hæſerit eadem, ſine periculo eximi debuit. Imprudentiæ obſtetricis exemplum circa hanc rem expertus Chirurgus Mauriceau Pariſinus, olim magiſter meus honorandus narrat lib. 3. *Des maladies des femmes groſſes & accouchées* pag. m. 390. Imò prudentem ſeſe præſtare debet Medicus & conſiderare, an juſtum partus tempus, verique conatus adfuerint, quanquam infans perfectè & feliciter editus ſit, antequam placenta utero eximatur, quia dum immatura eſt placenta, tenaciter vaſis hypogaſtricis & ſpermaticis ad uterum porrectis inhæret, & ſæpiùs aliis de cauſis fœtus ante menſem nonum ad partum properare poteſt, nempe ſi puer aquarum evacuationem repentinam, & inſperatam ſequatur, dum amnion vel ſolo deſidendi conatu dilacerari poſſit, vel ſi puer tenui pallescente funiculo nexus nutrimento in utero deſtituatur, & marcore laboret, vel à lapſu, caſu, alliſione, contuſione, commotionibus animi, morbis, &c. quibus in caſibus magis tempus à Deo conſtitutum, ſcil. finis noni & principium decimi menſis attendendum eſt. Cæterùm non retardanda eſt nimiùm exemptio ſecundinarum poſt partum, uſque dum ſanguis omnis effluxerit, & vitæ vix quicquam reſtarit, ſed ſtatim atque puer in lucem editus eſt, tollatur; venæ enim tunc omnes adhuc patent, & fœminæ inde nec dolent, nec periclitantur: ſedulò cavendum interea, ne matricis partes, aut latera vel parietes, niſu antrorſum compulſi placentæ loco trahantur, vel comprimantur. Summa, quò citiùs, eò tutiùs res cedet, quò tardius, eò periculoſius & laborioſius opus erit. Periculum magnum eſt, ſi putreſcat placenta, & umbilicalis funiculus perdatur, vel laceretur, tum enim interiores uteri ſpongioſi partes facilè inflammantur, & utplurimum incurabiles redduntur (quamvis nuper Fœminæ *von Fluenten*, uterum putreſcentem ſub umbilico abſceſſu formato extraxerim ope medicamentorum, & benedicente Deo intra menſem reſtituerim) labor verò ſummus eſt penetrandi inter muliebria, quia per moram diuturnam uterus arctè præcluditur. Non quidem ad Puerperas hocce malo decumbentes ultrà ſeptimum vocor diem, ſed plurimùm ante eundem: Inter tales miſeras quædam præ cæteris innumeris laboris & moleſtiæ multum mihi crearunt: Uxor H. E. cujus placenta die ſexto, tam vieta & flaccida, non dicam putrida fuit, ut quamvis omni ſtudio eam ab utero integram ſeparare voluerim, nihilominus in plures partes ſub prehendente manu divulſa, & particulatim exempta fuerit, ſalva interim ægra extra periculum denuò infantes pepererit. Deinde Medici filiæ hernia umbilici laboranti, quarto demùm die, matrice præcluſa, ſecundinas cum ſudore contra meam voluntatem auferre coactus fui, quæ decimo poſt operationem die, ſuperveniente hæmorrhagia ad fata feſtinavit, cùm priùs ſat vegeta vixerit, huic uteri vaſa ſiniſtro medicamentorum uſu adſtricta erant adeò, ut putreſcens & virulentus ſanguis excerni nequiverit (inde poſt operationem ego in brachio dextro anthracem ſat dolorificum nactu ſum) ſed inflammationem & gangrænam in utero concitarit. Adhæc Senatoris filiæ moribundæ tertiò die à partu placentam nullo præſente funiculo, ingenti opera extraxi, & feliciter reſtitui; Vid *Exercit. Anatom. & Med. Pœnis & Pythag. pag.* 62. & 64. Tandem die ſeptimo laceram & vietam placentam à Pictoris fœmina quadragenaria majore, ſemimortua, & in hyſtericis ſuffocationibus jacente feliciter exemi, & oleo ſuccini, ſpiritu ſalis armoniaci, Confectione Alkermes camphora, atque caſtoreo reſtitui.

Si poſt partum cum impetu effluat ſanguis, & vires auferat, id quod in præſenti caſu, me abſente, factum eſt, cave ne ſubitò adſtringas, verùm parùm ſanguinis è brachio mittas, ut fluxio divertatur: Cucurbitam magnam, vel panem calentem Vini ſpiritu irroratum mammis applica, & ligaturis ſenſibilibus digitos ſtringe: exhibe Puerperæ ſequentem potiunculam:

♃. Succi plantag. ℥j. Decocti rad. tormentill. & flor. roſar. ſiccar. ℥vi. Syrup. flor. bellid. ℥ij. Miſce & per cochlearia trade. Potus ſit decoctum ſem. plantag. & radic. tormentill. cum tantillo vini rubelli. Peſſi fiant è mucilag. ſem. Cydon. cum aqua plantag. extracta, addita terra ſigillata: urgente periculo mortis,

mortis, albumina ovi cum bolo & aceto linteo aut cannabe excepta lumbis applicentur, non neglectis internè corallis & hyacinthorum confectione. Ichthyocolla cum carne elixari, & ejus juſculum ægræ exhiberi poteſt: Pillulæ etiam ſequentes proderunt ſi ad ſe redierit ægra:

℞. Diaph. Mart. ℨii. Corall. rubr. ℨi. ſang. Dracon. ℨß. cum ſucco foliorum tenerrimorum quercus inſpiſſato q.ſ. fiat. Maſſa; ex ℨi. pill 40. doſ. 6. mane & veſp. in aq. plantag. Pila interim hyſterica naribus admoveatur:

℞. Caſtor. aſæ fœt. an. ℈i. ſem. angelic. rut. an. ℈ß. cum terebinth. q. ſ. f. Pila, quæ illinatur guttis aliquot Olei ſuccini. *D. Joh. de Muralto.*

Fœtus vivus ob arctum uteri oſculum, effluxis aquis, per quinque dies retardatus, & feliciter à me exceptus.

E. B. 30. annorum, primipara à 5. diebus partus dolores ingentes ſuſtinuit, capite infantis ad oſculum uſque provoluto, quod tamen nullo molimine edi potuerat: vocatus, matricis tendinoſum cingulum, ſeu oſculum, vertici infantis aptè & arcte adplicatum, perunctis locis, pollice circumcirca dilatavi, & ſenſim diduxi, medicamenta fœtum pellentia matri porrexi, alacriter fœminam ad labores inſtigavi, quo tandem puer natus eſt debilis, quem in balneum immiſi, epithematibus ex decocto Salviæ in vino paratis, caput, pectus & genitalia fovi & refocillavi: Puerperam ſanam in lectum deduxi, & linteis probè muniri feci.

Scholion.) Juvenculas ad pariendum eſſe feliciores, quam ſeneſcere incipientes mulieres Ephemerid. Tom. priore, Obſerv. 101 retuli, idem quoque teſtatur præſens Hiſtoria: nuper Præceptoris Th. uxori triginta quinque annorum adſtiti, quæ quatriduo ante conſtitutum partus tempus ad labores ab Obſtetrice imperita, quæ lancinationes à veris niſibus diſtinguere non valebat, incitata, circa muliebria tantoperè intumuit, ut Nymphæ utrimque duos pugnos æquarint, vixque ei poſſibile fuerit præter rupturam partium edere prolem; ſacculum matricalem lacti incoctum vocatus applicare. Venæ ſectionem celebrare & ægram quieſcere juſſi: tranſacto triduo veri demum dolores ingraveſcebant, quos ſenſim ita impendit, ut rupto amnio aquæ effluxerint copioſæ: ſed ob ætatem provectiorem primiparæ infans non ſtatim ſubſequebatur, vires enim defecerunt, & ſiccitas partium cum tumore partum retardarunt. Caput infantis digito contactum, nullum pulſum, aut vitæ ſignum edebat, horrendos itaque niſus impendere coacta fuit, ego verò pollice dextræ uteri oſculum parum dilatatum vel ſummo molimine quoque extendere debui: exhibitis tandem emmenagogis medicamentis enixa eſt fœtum mortuum, & puerpera ſenſim reſtituta eſt: Meritò itaque Primi paræ, adultiores, & ſicciores fœminæ, ultimis geſtationis menſibus aliquot diebus, in balneo ſedeant emolliente matricemque roborante, haud neglectis Unguentis vel Oleis & ſalis armoniaci ſpiritu: formula Balnei hæc ſit:

℞. Herb. malv. meliſſ. artemiſ. an. m. iii. flor. chamomil. meliot. hyperic. verbaſc. an. pug. v. hord. integri ℥vi. ſem. lin. ℥ii. Coq. in ſ. q. aq. ſtuv. &c. A balneo deterſa calens inungatur Matrix ol. lil. elb. verbaſc. & chamomillæ.

Cæterùm non negari poteſt, & juvenculis quandoque arctum reddi uterum, ob tumores, contracturas, ſcirrhos, cicatrices &c. ut ad manualem operationem devenire neceſſum ſit; dantur Obſervationes præcluſarum matricum in gravidis, quæ infanti viam negarunt & ventrem potius dilaceraverunt, factoque abſceſſu putridum fœtum ſub umbilico excreverunt: E. K. Sangallenſis fœmina, quæ ſpatio octo annorum novem infantes feliciter peperit, dum decimum utero geſtaſſet, tempuſque jam pariendi inſtaret, obambulans in horto, ſalviæ folia incurvato corpore decerpens, momento citius aliquid ad uteri orificium internum prolabi magno dolore percipit, de loco ſurgere nequivit, à marito advocato in lectum deducta, pariendi conatus aliquos ſentit, Obſtetrix incitavit puerperam ad pariendum per biduum integrum, ſed fruſtra, tertio quippe die niſus omnes evanuerunt; durante hoc tempore nec lochia, nec aquæ manarunt, ut dubitarint adſtantes de fœminæ graviditate: Quinta hinc hebdomada putreſcens placenta ex utero per partes ejecta eſt: potiones emmenagogæ exhibitæ ſunt, quæ magnam ventris inflationem & dolorem intolerabilem excitarunt, nec quicquam ex utero deduxerunt, ut tandem ſub umbilico rupturam natura in ventre ſponte ſua effecerit, & per vulnus putreſcentis pueri oſſa cadaveroſa aliaſque partes ſenſim & diuturno tempore, octodecim videlicet menſibus protruderit: vulnus coaluit, & fœmina menſium fluxum per muliebria ordinatè tenuit: Poſt abſceſſum hunc curatum, anno quarto iterum imprægnata eſt hæc mulier, probeque geſtavit infantem per ſex menſes: Septimò verò menſe cutis ventris juxta cicatricem iterum ſpontè rupta eſt, propendente infantis brachio per quinque dies, quod à Patre cultro abſciſſum erat, ſequebantur & aliæ partes, quas omnes abſcidit. Caput verò cum Pectore tamdiu in ventre reliquerunt, dum putredine conſumpta ſpontè, longoque temporis intervallo ſecreta fuerint: quænam nunc ſit determinanda hujus occluſionis matricis cauſa, ignoro: credibile tamen eſt primitus tendinoſo oſculo interius ſuperinductam & agglutinatam fuiſſe craſſiorem tunicam, vel ipſum oſculum ſcirrhoſum evaſiſſe. Similem ferè hiſtoriam obſervaſſe nuper memini Virum Excellentiſſimum Dn. D. Chriſtophorum Harderum Scaphuſanum Patrem, Practicum Celeberrimum &c. in fœmina Lottſtettenſi, quam huc referre ſuperſedeo. *D. Joh. de Muralto.*

Extractio fœtus mortui, decenter in Vtero poſiti.

Uxor R. L. xl. annor. 1. die Febr. anni 1682. parturiens dolores magnos pertulit, quibus tandem infans vivus decente figura uſque ad oſculum uteri internum depulſus eſt. At primipara tantos dolores ferre recuſans, viribus cohibitis, Naturæ conatum obſtinate ſuppreſſit, donec die undecimo Obſtetrix auxilium meum im-

imploraret. Igitur opem allaturus, increpavi gravidam, & hortatus ſum una cum adſtantibus ad ſuſtinendos, ſi urgeant, labores & conatus, ne periret proles. Aſt, quæ miſeria! viribus fractis, & conatibus jam evaneſcentibus nulla pariendi vis ſuperat, & infans ſpatium inter veſicam & alvum ita occuparat inhærens anguſtiis, ut nec excrementa, nec urina emitti poſſet. Quare liberationem rogatus meditans, indice caput infantis in vagina exploravi, cunque vulvam admodum arctam deprehendiſſem, hanc Oleo Chamomillæ, Lil. alborum & carminativis ac emollientibus aliis tepide perunxi, ſuppoſitorio alvum ſolicitans, qua depoſita, in Balſamo Embryonum præterea liliorum alborum ſemen cum Caſtorei tantillo exhibui. Fœmina tandem ad labores vel vi adacta caput infantis emortuum exitum moliri cœpit, quod cùm aptè ſub mento comprehendiſſem, hiatuique calvariæ digitos deſuper inſerviſſem, fœtum maſculinum integrum ſenſim eduxi. Placenta mox ſpontè ſequuta eſt. Urina & lochia manarunt copioſè, ægraque convulſiones per horam paſſa eſt, quæ medicamentis congruis diſcuſſæ fuerunt. Remanſit tamen urinæ incontinentia per tres hebdomadas, qua demum curata, fluor albus puerperam invaſit, quem, ſpes eſt, convenientibus remediis & exacto victus regimine, inſtauratis viribus, brevi tempore ſanatum iri.

Scholium.) Magna Parturientium felicitas ſita eſt in ætate juvenili, antequam membranæ omnes cutis & muſculi corrugati inareſcant, ita ut imminente partu viæ ægre ampliùs diſtendi aut amplificari ſe patiantur. Vetulis enim & ſeneſcere incipientibus, quanquam ritè omnia eveniant, optimeque poſitus ſit Embryo, accidit tamen ob vehementem oris uteri tendioſi expanſionem, & oſſis ſacri pertinaciam (dum epiphyſes inapophyſes per ætatem degenerant) ut pariendi niſus ex voto non ſuccedant, vel etiam ſi fortes fuerint, non bene impendantur, ſed ſupprimantur, imprimis ſi matres à liberorum educatione abhorreant, vel ineptæ & truculentæ ſint, aut delicatæ nimis. Hæ tamen omnes, quòd labori parcant in ſubſtinendis doloribus id ſæpe & fœtus & matres graviter luunt, interdum etiam cum vita. Imprimis autem accidit, quando conatus non ad uterum dirigitur, ſed raptim ad collum & caput, veloci expiratione. Niſus hic alioſum ab utero deductus & depulſus foetum ſuffocat, membra Puerperæ debilitat, collum inflat, ita ut quandoque Bronchocele oriatur. Quapropter completo jam geſtationis tempore, inſtanteque partu, ubi dolores veri ingruunt, Obſteretrix parturientem verbis conſoletur, & ad obedientiam impellat alacriter. Aſſideat prona, & manibus oleo delibutis uterum perungat, quo arctiores viæ & os matricis pateſcat, maximè in iis quæ primùm pariunt. Has quippe multùm lubricaſſe expedit. Deinde prægnantem cohortari incipiat, ut omnes conatus ad enitendum deorſum adigat, atque diligenter impendat. Iſti enim tales ſunt, ut facilè avertantur, idque vel in alterutrum femur, vel dorſum, vel brachia, vel collum, denique caput. Hinc etiam Puerperarum paralyſes, herniæ aſthmata, & complura alia mala naſcuntur: ad quæ præcavenda, & ne eveniant, Obſtetrix porrò manum operi comiter admoveat, digitiſque inquirat in infantis ſitum; quod ſi qua conſterit infans, aut impeditus fuerit, digitis eum deducat, & facilem partum promoveat: nam ſi diutius in anguſtiis hæret infans, de vita periclitabitur. Sed & matri reſpiratio indè præcluditur, & conatus annihilantur, tum quia uteri fibræ nimis diſtenduntur, tum quia vires evanidæ corpus quaſi immobile relinquunt, Siſtitur quoque alvus, cohibetur urina, & matrix infantis collum adeò arctè comprimit, ut ſpiritu præcluſo ſuffocet. Puerpera poſtmodum pro tam enormi peccato luens in graviſſimos affectus & ipſa præcipitatur, Urinæ nempe & alvi incontinentiam, dum muſculi horum viſcerum conſtrictores, onere gravati reſolvuntur: hoc ne eveniat, ſuppoſitoriis vel globulis moſchatis ano inditis cavendum eſt; Parienti inſuper os comprimendum, detinendus ſpirendus ſpiritus, provocanda quoque ſternutatio, ut ſpiritus deorſum compulſus infantem ad exitum detrudat. Profuit etiam ſemen liliorum alborum in balſamo embryonum cum tinctura Caſtorei. Tandem, foetum eſſe mortuum certò cognoſcerem, manu operi admota, externum uteri orificium, quantum fieri poterat, dilatavi, & cultro vertici infantis immiſſo, digitis ſiniſtræ manus meæ arreptum illius caput hinc inde commovi, dextra circumcirca perungens, donec foetus totus eximeretur. Urina & lochia poſt partum copioſè manarunt; multum enim colluviei longo tempore in utero ſtagnavit. Convulſiones ortæ ſunt, partim ab evacuatione ſubitanea, partim ab alteratione nervorum, membranarum, & reliquarum uteri partium, ob frigus admiſſum. Convulſiones iſtæ nunc manifeſtæ, nunc occultæ & nocentiores fuerunt. Frænum autem iis injecit pulvis Marchionis, ſpiritus C. C. Sp. Arm. Sal volatille oleoſ. Fr. Sylvii, Oleum ſuccini &c. Aqua item valerianæ, jaceæ, anagallidis, pæoniæ, meliſſæ. Notari autem velim, convulſiones in Puerperis ſæpè ſæpius à conſtricta alvo, retentiſque flatiſbus diſtendentibus excitari; proinde alvus iis ſemper ſervetur libera. Noſtra ægra per tres hebdomadas Urinæ incontinentiam ſuſtinuit uſque dum fibræ veſicæ urinariæ iterum in ſeſe redirent, & vigorem priſtinum adeptæ eſſent, atque genitalia quoque antiquum obtinerent. Intentioni huic inſerviebat exacta diæta, & olei roſati, atque Carminativi noſtri illitus: Cauſa verò Incontinentiæ urinæ erat afflictio muſculoſarum veſicæ partium, & ſphincteris reſolutio. Imperita plebs fermè manum Obſtetricantem accuſat, ſed malè & plerumque ex invidia, cùm fieri vix poſſit, ut manus veſicæ reconditæ & obvallatæ vim inferat. Imò ſi quis ſecundinarum loco ipſum extraheret uterum, veſica nihilominus urinam contineret. Tunc ergò demum id mali metuendum eſt, quando fortia emmenagoga foetumque pellentia indiſcriminatim propinantur matribus humidioribus & crebrò micturientibus, quando item æquo diutius hæſit infans in vagina uteri, partuſque difficilis & perverſus fuit. In extractione foetus mortui nonnunquam franguntur coſtæ,

aut alia membra, quæ lædunt, & compungunt adeò, ut etiam inflammationes, vulnera & ulcera oriantur: Quo in caſu potionibus vulnerariis certandum, linteaque Oleo roſato imbuta parti ad ponenda. Denique ægram noſtram ab incontinentia urinæ immunem fluor albus oppreſſit, cauſa eſt ſanguis crudior, qui per uteri vias effluit. In curatione talia requiruntur, quæ & roborant, & incraſſant: roborat Betonica, Plantago, Corallium, Biſtorta, Tormentilla: Incraſſant Gelatinæ, Crocus Mart. Symphytum, &c. *D. Joh. de Muralto.*

Directio & Extractio fœtus motui præternaturam in utero poſiti.

Suſanna K. è pago Mediken oriunda, & triginta annos nata, die tertio Decembris anni 1681. Partus dolores per biduum ſenſit. Cùm brachium infantis dextrum illi jam ex utero prominere nunciaretur, juſſi id lacte tepido foverent, ut poſtea retruderetur. Sed fruſtra hoc tentatum eſt, nam ægra tandem in ſedili omnes naturæ conatus ad enitendum partum die noctuque impendit, uſque dum vitæ nullum ſignum in infante amplius perciperetur. Vocatus ad illum pagum, ut ægrè parturienti opem præſens ferrem, dedi aquam lilio alborum, meliſſæ, cum confectione Alkermes & borace per cochlearia hauriendam; brachium verò infantis mortuum & ſphacelo tactum in articulo abſcidi: mox in pedes ejus inquirens, unum poſt alterum ex utero foras eduxi, denique corporis reliquum penitus inverti, quod parturiens paulo poſt enixa eſt. Vulva exinde multum intumuit: & vomitus ſupervenit, quo ſedato, ægra denuo convaluit.

Scholion.) Multoties accidit prægnantibus, quando geſtationis tempora non probè obſervant, vel pariendi conatus veros à nothis haut benè diſtinguunt, ut ab Obſtetricibus, antequam legitimum partus tempus inſtat, ad ſellam deducantur, & ad enitendum laborioſè inſtigentur, priuſquam infans ritè ſituatus eſt. Hinc evenit, ut difficili partu nunc manus vel pes alteruter, nunc dorſum aut nates, jam venter & latera, jam humerus, mox inflexum genu, denique umbilici funiculus primùm exitum moliatur.

Quod ad juſtum pariendi tempus attinet, inſtante Menſe ſeptimo, cùm partium nutritioni dicatarum apparatum ſolers natura formavit, atque perfecit, fœtus in utero per os amnii liquore nutritus ſubinde pedibus calcitrare, varieque moveri incipit: tandem, abſoluto Menſe nono ex tenebroſis uteri carceribus in lucem egredi conatur. Nam fœtui grandeſcenti nec alimentum ibidem amplius ſufficit, nec loci anguſtia retinendo par eſt. Quare, ruptis membranis exitum infans ſibi ipſe quærit. Quod dum fit, dolores parientem corripiunt. Uterus verò importunum hoſpitem exturbaturus ſuas & corporis univerſi vires ad pugnam ſolicitat. Parturientium conatum inſuper mirè adjuvat ſpiritus cohibitus, quò diaphragma deprimitur, & abdominis muſculi irritantur. Adeoque parturientium dolores reipſa nihil aliud eſſe intelliguntur, quàm perfecti infantis motus & impetus, quo exitum ipſe ſibi procurat. Ruptis verò ex impetu membranis, & recluſa matrice, humores diffluere incipiunt, infans aërem haurire cupit, cujus aviditate verſus matricis oſtium provolvitur, capiteque obverſo foribus imminet. Dolores parturientium veri incipiunt in regione lumborum & circa coxendicem, nec continui ſunt, ſed augentur per vices, & protrahuntur uſque ad partum, variis ſtipati ſymptomatibus. Initio quidem pluribus abeſt vomitus, capitis dolor, ſitis, urinæ incontinentia, poſtmodum augetur vomitus, ſolvitur alvus, dolor capitis ingraveſcit, pituitoſa & cruenta ex utero profluunt, venter infra umbilicum intumeſcit, & ſuprà eum detumeſcit; tandem magna oritur debilitas, & ſymptomata prædicta intenduntur, cum anxietate tanta, ut parturiens ſellæ inſidere vel cathedræ accumbere, & divaricatis genubus partum eniti teneatur.

Paſſiones verò & dolores matricis, licet quodammodo ſimiles ſint parturientium doloribus, quippe qui in eodem utero excitantur, tamen non ita deorſum vergunt, nec ex tum quærunt, ſed magis lancinant, & cùm fermè ſint intolerabiles, reſpirationem impediunt, & fœtus exitum per ſe non molitur. Quòd ſi nihilominus prægnans tunc ad labores pariendi inſtigatur, res infeliciter ſuccedit, ſicuti accidit mulieri, cujus hiſtoriam deſcripſimus.

Partus figura & ſitus præterea depravatur quandoque ab infantis debilitate, uteri amplitudine, & inquietudine matris, dum hæc inter parturiendum ſæviente cruciatu, nullibi quieſcens, nec obtemperans, ſeſe hinc inde jactitat. Fœtus enim tunc non conſiſtit, ſed huc illuc adigitur.

Itaque ægræ noſtræ ad pariendum vi deductæ infans brachium dextrum ex utero primùm exſeruit. Et hic ſanè ſitus valdè periculoſus fuit: quoniam caput ad coxendicis oſſa firmiter appulſum hæſit, & inde dimoveri vix potuit. Juſſi ergò per internuncium gravidam in lectum deduci, ut ventre elevato & capite demiſſo recumberet: vel denique partem manu lacte calente fota introrſum per pudenda repelli.

At, cùm ita ex voto res ſtatim non ſuccederet, pariens in ſedili ad labores ab adſtantibus coacta eſt per diem & noctem continuam iniquiſſimè.

Quod ſi præſens adfuiſſem tempore, cùm fœtus adhuc viveret, manu utero inſerta protinus infantis humeros reprimere, prominenſque brachium ad latus inclinare, adeoque partum naturalem procurare ſategiſſem.

Verùm labore præpoſterè ac præter omnem rationem inſtituto, infans jam enecatus fuit, antequam accederem: neque enim ille ſe movebat amplius, & mater in hypogaſtrio ſenſit pondus cum frigore, brachiumque infantis prominens frigidum & lividum erat, ſine motu & pulſu, etiamſi variis liquoribus foveretur, dolor præterea matri circa umbilicum adfuit cum frequenti deſidendi & mingendi ſtimulo, ac extenuatione mammarum.

Igitur ægrè parienti exhibui fœtum pellentia, ex borace, trochiſcis de myrrha, caſtoreo, & croco, cum ſyrupo de artemiſia. Quibus nihil proficientibus ad operationem accedendum fuit, ut ſervaretur mater.

Quamobrem brachium emortuum, & ſphacelo

celo corruptum, primò abſcidi in articulo, ne operantis manui ampliùs impedimento eſſet; deinde reliquam corporis molem in utero inverti, & membra omnia ad exitum compoſui: in operatione hac in miſericordia nulla eſt, nulla audacia; præcipitandum tamen non eſt, ſed cum prudentia agendum. Cultello, quem indici digito, ne cerneretur, alligaveram, humerum incidi, mox brachium prominens intorſi multoties, uſquedum tendines planè divellerentur, & ita membrum abſtuli.

Quod ſi ab hac brachii ſeparatione infantis corpus vertere nequiviſſem, ſub ſcapula, inter coſtas vel claviculam digitis, aut ſcalpello foramen feciſſem, & per id vel inſtrumentum peculiare, vel funem, re hortante, trajeciſſem, ſicque fœtum eduxiſſem, vel integrum, vel in partes conciſum.

Aſt, amputato brachio, dextra mea infantis pedes quæſivi, quibus apprehenſis inverſum fœtum facillimè protraxi. Labia vulvæ tumebant, quoniam ſanguis per venas ab infante hærente compreſſus promptè reduci nequibat. Hac quoque de cauſa prægnantibus pedes quandoque intumeſcunt, ſed ſtatim liberantur, atque lochia poſt partum fluxerunt. Hujuſmodi vulvæ tumorem ſanat & diſcutit oleum verbaſci & chamomillæ. Vomitus adſcribendus eſt conſenſui ſtomachi cum utero per ramos nervorum à pari octavo ortos: quamprimum enim fœtus utero exemptus fuit, aër ingrediens ſaucias uteri membranas & fibras alteravit, quare ſpiritus animales in ventriculo ſimul irritati, impetu facto, fibras inferiores inde à pyloro ſurſum conſtrinxerunt. *D. Joh. de Muralto.*

Conatus Naturæ in expulſione fœtus mortui.

Anno 1. Decuriæ 1. Ephemeridum N. C. Obſerv. 49. Exccellentiſſimus D. D. Illmerus habet egregiam enchiriſin extrahendi fœtum mortuum cum uncis, id quod mihi ſubſequentem obſervationem conſignare anſam dedit. Vidua Grünbergenſis 40. annorum ſat vegeta, in conſortium matrimonii iterum adſciſcit juvenem lanionem, imprægnatur, & die 26. Novembris St. N. 1683. legitimum partus tempus accedit, omnia accerſunturque in hoc paſſu ſunt neceſſaria, & ecce fœtus brachium foras erumpit. Obſtetrix reponit ſæpius, aſt in vanum per diem & noctem, cum magna puerperæ debilitate. Altero die me conſulunt, ibi periculum indico, & quòd non citius conſilium expopoſcerint, exprobro: ordinabam autem quæ proficua judicabam, & ſatis inſtruebam, quomodo tractare debebant patientem. Verùm omnia erant fruſtrà, & quia fœtus, ut dicebant, ſtatim initio partus eſſet mortuus, & ſummum aderat pro matre periculum, mentionem faciebam diſſectionis & extractionis fœtus mortui, & hoc unicum indicabam præſidium pro vita matris. Nolebant autem audire de hacce operatione, & ni Deus fuiſſet mediator, ut referam, fœminam morti tradidiſſent. Dum expectant ultimam exhalationem, paululùm ſe recolligit parturiens, & quærit anxiè cum lachrymis opem: ideo iterum me ſalutant, & ſi quid haberem conſilii, præter extractionem Chirurgicam, maximoperè petebant ne denegarem. Ordino itaque Clyſterem ſequentem:

♃. Radic. bryon. ℥ij. Fol. meliſſ. Mercurialis, Artemiſ. rubr. Puleg. Matricar. an. Mß. Sabin. flor. Chamæmel. Baccar. lauri. an. Mj. Agaric. in petia ℥ß. Sem. aniſ. fœnic. an. ʒij. Coqu. in aqu. ſ. Colatur. ℥iv. Add. Elect. de bacc. laur. ʒvi. Ol. rutac. Chamæm. an. ℥iß. Sal. gemm. ℈ij. M. f. Clyſter.

A quo natura irritata excluſit brachium à corpore ſeparatum, quod multoties immittendo & tractando avulſioni aptum reddiderat obſtetricis manus, & dein uno fermè momento fœtum ſat putridum cum matris reſtitutione & ſalute. Fœtus antea fuerat mortuus, non ut falsò retulerant fœminæ, & in invaſione partus. Ex his videmus conatum naturæ in partu, & vulgi obſtinatam mentem in caſibus Medicis deſperatis. Vide ſi placet Anni 1. Dec. 1. Obſ. 52. Item Anni 1. Decad. 2. Obſerv. 101. Videatur porrò Henricus ab Heer, in Obſerv. 14. in medio. *D. Samuelis Ledelii.*

De Fœtu mortuo feliciter educto.

Fœmina quædam honeſta 35. annos nata, jam trium liberorum mater, quartum utero concepit & ad quintum geſtationis menſem benè ſe habuit, quando more apud nos recepto ad vicinam mulierem mortuam, capulo inferendam invitata acceſſit, & ad horribilem cadaveris vultum adeò exterrita fuit, ut illicò magnum ſenſerit corpore horrorem, ex quo inclinans ad deteriorem ſtatum, nec tamen vel cum febri, aut aliis gravibus ſymptomatis conflictata, quæ fœtum mortuum comitari ſolent, firmiter credidit, quem perceperit ante horrorem imaginarium fuiſſe, & nauſeam corporiſque gravitatem à ſolo menſium defectu orta eſſe. Itaque cum menſes ferè duodecim eſſent elapſi, petiit à me medicamentum emmenagogum, quod ultrò, cùm me adſtipulantem haberet, obtinuit. Erant verò familiares mihi pilulæ de ſagapeno, ſale Martis duplicato & ſale ſuccini permiſtæ, quo remedio nihil unquam potentius ad reſerandas uteri obſtructiones comperi. Iſtis aſſumptis cum εὐφορίᾳ eſt purgata, ſed circa quartam pomeridianam ægrotare cœpit, idque graviſſimè & cum animi deliquio. Miſi abſque mora aquam meam meliſſæ compoſ. cum ſpir. cornu cervi ſuccinato, ex cujus uſu conſecuti ſunt uteri motus, verique parturientium niſus. Sollicitata obſtetrix officium fecit, & paulò poſt fœtum eduxit, omnibus quidem numeris abſolutum & maſculum, ſed exuccum & carnis inſtar fumatæ duratum. Mirum ſanè id mihi notatuque dignum viſum, cum fœminam ſemper ad humidum temperamentum, cachexiamque ſcorbuticam propendere judicarem. Deinde cum nulla adhuc apparerent lochia, ſed tamen vires ſe recipere putaret, poſt menſem à partu conſilio meo pilularum uſum repetiit, idque cum longè optatiſſimo effectu, ſtatim enim menſes ſunt ſecuti. Firmata deinceps valetudine bis etiam utero geſſit & feliciter peperit. *D. Joëlis Langelotti.*

Fœtus mortui in difficili partu feliciſſima extractio.

Viri cujuſdam literati in Urbe Viennenſi caſtiſſima Conjux, Mulier virtutum ſatelitio ſtipata, fortis & generoſa, devenit ad partum difficillimum & p. n. fœtus quaſi duplicatus, reclinato capite ſurſum, foras porrexit brachium, quod licet ab Obſtetrice reponeretur ſæpius, tamen uſque redibat: omnes denique modi adhibiti, quibus fœtus ad ſitum naturalem debitum & convenientem pro partu poſſet reduci, ſed fruſtra omnia; ſuffocatus tandem eſt in utero, cum diu in hoc ſitu vivere ſit impoſſibile. Prævidendo ergo periculum, jubebam ut baptizaretur, antequam moreretur, ſecundum brachium more noſtro. Interim ante extinctionem vitalis auræ mater urgebatur enormibus doloribus, qui ſine ulla ceſſatione incrementum ſumendo, poſt mortem fœtus miſeram & afflictam adeo tormentarunt, ut clamor ejus per longa ſpatia exaudiretur, tandem caligabant oculi, vox rauca & clamoſa per intervalla, lamentationes & ejulationes innnitæ audiebantur, quæ ſi non pectus humanum, certè ſaxum commovere poterant. Ego in hac perturbatione (quia fœtus partim magnitudine ſua, partim tumefactione omnium membrorum ob conceptam ebullitionem humorum in fœtu, uteri latera inſtar alicujus robuſtiſſimi pali infixi ampliſſime diſtenderat) quid facerem aliud non ſciebam, quam ut ſuaderem extractionem fœtus per manus artificis & inſtrumenta, hic enim omne genus medicamentorum, & modi fœtum pellendi cogniti incaſſum adhibebantur. Erat apud nos inauditum aliquid à ſeculo, licet in Gallia nulla mulier horreat hoc remedii genus. Maximè reſiſtebant foeminæ Verum annuente mihi viro Nobili & Magnifico D. Paulo de Sorbait Profeſſore Primario in Univerſitate Viennenſi, & aſſiſtente Chirurgo Wenceslao, viro probo & in Arte ſua periſſimo, ipſaque parturiente conſenſum ſubito præbente, applicui fœtui uncos. Brachio propendente, me alias in operatione impedituro, prius per novaculam reſecto, fœtum in tres partes diſrupi, & ita ſine ulla læſione uteri ac matris eum maſculum, una cum ſecundinis extraxi, Matremque ab inſtantiſſima morte ſic, auxiliante Deo liberavi. Quo peracto gaudia & jubila in Domo, admiratio vero in Urbe & vicinia. Eadem mulier ſequenti anno impregnata, ad idem infortunium redacta, eodem modo adjuta, extracto foetu foemello, tertio anno rurſus uterum gerens feliciter & citò filiolum generoſum viventem adhuc & vivaciſſimum enixa eſt. Cauſa tam infelicis partus videbatur eſſe ingens copia humorum in & circa uterum ex lautiori victu, & optima viſcerum conſtitutione collectorum, propter quos foetus debito modo ſeſe vertere non poterat, ſicque ſuffocari debebat. Unde cum geſtaret ultimo filiolum in toto hoc tempore, etſi contra Hippocrat. oracula aphoriſtica videretur agi, quater exhibui dragm. ſem. pulv. jalap. cum cremor. tartar. & ecce extracta eſt cacochymia ſeroſa in copia, ſicque illam ad partum felicem diſpoſui. Notandum quod unci debeant eſſe obtuſi, ne lædant uterum caſu quo inter operandum in ejus latera irruant; hinc unci catenati, quos in ſuo Armamentario Chirurgico depingit Scultetus, uti & Pareus f. 683. quia nimis acuti ſunt nobis diſplicent. Hoc exemplo excitatæ & animatæ mulieres in hac tota Urbe hoc remedii genus non amplius horrent. Juvi ego poſtea plurimas in hac miſeria conſtitutas, tametſi non ſemper eodem modo: aliquas enim inverti, aliquas exhibitis pulveribus appropriatis, aliquas imponendo in Balneum althæatum, exhibendo pulveres cephalicos, analogos illi quem Langius deſcribit in Miſcell. Curioſis §. 32.

Quam Langii doctrinam eo loci reperi in his caſibus eſſe veriſſimā, & meis experimentis continuo reſpondentem, aliquas etiam ſine Unco intrudendo manum ad uterum & apprehendendo infantis manus, vel pedes, vel caput, ligulam iis imponendo ſicque extrahendo, adeò quidem feliciter, ut nunc aliquot Chirurgi a me hic ſint inſtructi, qui dexterrimè cum plurimarum ſalute, cum & ſine uncis hæc Lucinæ ſacra peragant. Heroina ergo dicenda hæc mulier, quæ pudore ruſtico depoſito, genuinum pudorem non exuit, ſed exemplo ſuo plurimis occaſio fuit, ut Hygiiæ efficaciam, Medicinæ Excellentiam, Neceſſitatem, Jucunditatem, Gloriam & Admirationem ſuis in corporibus experirentur, vitæque integritate fruerentur. Virtus nunquam ſola eſt, ſed adeo fœcunda, ut plures etiam diverſæ ſpeciei ſoboles procreet. Hæc in foemina hac ſemper talis apparuit, quæ non una virtute munita, verum plurimarum ſatellitio condecorata, omnibus eſt in admiratione & commendatione. *D. Friderici Ferdinandi Illmer à Wartenberc.*

Fœtus in Utero putrefactus, & per partes uſu Vini medicati excluſus.

Fœmina 37. annorum quæ in priori conjugio 4. vel 5. pepererat liberos, alteri marito nuptæ incipit ſenſim abdomen intumeſcere: quia verò nihilominùs ſanguis ſtatis menſiū periodis fluebat, (quanquam multò, quàm antea parciùs) an uterum gereret ipſamet anceps hærebat; niſi quod poſteà evidens foetus in utero motus, quem ſatis validum ſentiebat, ipſi ſcrupulum hunc eximeret. Sanguinis tamen fluxu etiam poſt motum perſeverante, meum ſuper hac re conſilium coram expetiit. Ego verò tam propria quam celeberrimorum Medicorum Obſervationibus (quas Joh. Schenckius Obſerv. Medic. lib. 4. Obſerv. 20. collegit) edoctus, nonnunquam foeminas, præſertim plethoricas etiam toto uteri geſtationis tempore, idque citra offenſam matris & foetus, menſtruum fluxum pati ediſſerebam, ſimulque autor eram, quia magna eam ſanguinis mole premi videbam, ut venæſectionem in brachio inſtitueret ad revellendum ab utero ſanguinem, ne foetus nimia ejus quantitate ſuffocaretur, & ſedulò, quod ipſi præſcribam, ex modicè adſtringentibus & foetum roborantibus compoſitum medicamentum in uſum vocaret: imò ſi neque ſic ſanguis ſiſteretur, ut V. S. in brachio iteraret. Verùm cùm ſanguis

guis compeſci non poſſet, quin per uterum ſeſe exoneraret, & motus inſuper foetus planè evaneſceret, tempuſque pariendi juxta ipſius calculum elapſum jam eſſet, fœtum jam mortuum eſſe ſuſpicabatur. Quam ipſius opinionem cum manifeſtiſſima putredo, per corpus ipſius ſeſe diffundens, tetrumque ſpirans odorem, & præcipuè in anima præter modum & ſolitum fœtente ſeſe exſerens, & pondus uteri, quò plumbi inſtar ſeſe gravari querebatur, non obſcurè confirmarent: propinabam ei, quia vires integræ id ferebant, vinum medicatum ex pellentibus, artemiſia præſertim rubra, ſabina, myrrha, caſtoreo, croco & purgantibus conſtans, quod cum per aliquot dies biberet mulier, oſſa fœtus mutilata (quæ inter cranii fruſtula, os humeri & femoris dignoſci poterant) parteſque carneæ planè putridæ ex utero fuere rejectæ, quibus ego viſis, præſertim cum vires paterentur, uſum vini continuandum ſuaſi, & tantum obtinui ut excluſo tandem per partes fœtu, uterus & abdomen ad priſtinam redierint parvitatem, mulierque ſanitati ſit reſtituta. *Dom. Cæſonis Grammii.*

Partus poſt mortem.

Domina de *Anneberg* fuit gravida, inſtante menſe ultimo cæpit ſe malè habere, dimidia vix hora elapſa moritur. In ſuperiore parte ventris ſtriæ nigræ poſt mortem erant conſpicuæ. Tertio demùm die Fœtus mortuus ab ea egreſſus eſt.

Scholium.) Ad partum requiritur robur tam matris quàm embryonis & viarum aptitudo ſive laxitas. Si quid horum deſit, partus difficultas, ſi omnia, partus nullus. Poſt mortem matris, ſi Embryo ſuperſtes & robuſtus, partus impoſſibilis; Exempla vide in Literis reſponſoriis Fabr. Hildani ad Mich. Döringium. Putarem itaque Fœtum hunc non mortuum, ſed vivum & debilem ſibi ipſi viam quæſiviſſe, inveniſſe, & defectu adjutorii demùm mortuum; niſi uſque in tertium diem partus ſit dilatus, non enim poſſibile videtur, fœtum tam diu matri mortuæ ſupervivere poſſe, alimento ſcil. ipſi denegato per umbilicum; etſi per os adhuc alimentum aſſumat, quod etiam diu durare non poteſt, nam cum placenta ſit mamma Embryonis, ſecundum Harvæum de Gen. anim. pag. 543. ipſa verò ex utero mortuo nihil amplius accipiat, etiam Embryoni nihil reddere poteſt, & ſic ex penuria alimenti mors Embryonis neceſſariò tanto temporis intervallo ſequitur. Dubitaret fortè quis de Obſervationis fide, ſed confirmabo illam alio Exemplo, quod Olaviæ 24. Martii Anno 1665. amitæ meæ, viri cujuſdam conditionis honoratioris uxori accidit. Illa inſtante Partu epileptica mortua, cum corpus mundaretur, ecce infans jam altero die mortuus obſervatus ex improviſo egrediens decidit ab illa. Cùm itaque hoc certo certius ſit, mea ſententia, ſi partus inſteterit, & Embryo in procinctu fuerit ad egrediendum, etſi mortuus, tamen laxatis poſt mortem omnibus membris, & ſimul ligamentis uteri, gravitate deſcendere, & ſic partus poſt mortem tam Matris quàm Fœtus ſubſequi poteſt. *D. G. C. Wincleri.*

Fœtus poſt biduum mortuæ Matris natus.

In vicino pago Trönninge, mulier Ruſtici filia, Johannis Jacobi Villici Præbendæ Theologi Hafnienſis, ex partus difficultate menſe Novembri anni currentis 1673. miſere obiit, cum fœtum eniti non poſſet, fruſtra conantibus Obſtetricibus tribus, quas ex vicinia in auxilium convocaverat. Biduo fere elapſo præter omnium exſpectationem ſua ſponte foetus cum impetu erupit; ſed mortuus, ſine dubio in partu, conſumptis viribus quæ ſuperfuerant à morte Matris. Supervixiſſe enim interea dubitandum non eſt, quanquam aſtantes non adverterint, nihil tale cogitantes. Vitam vero, ut ante, propriam vixit, & alimento antea per os in ventriculum congeſto, quaſi cochleæ ſuo ſucco victitant. Spiritum non difficilem traxit ex apertis uteri locis, qui matre defuncta patentes manſerant: Ipſe enim altera manu viam prius ſibi paraverat, quam amputaverant, cum reliquum corpus eluctari ex anguſtiis vivæ Matris non valeret. Nec inſolens talis partus eſt. Unde in more poſitum habent mulieres, quando gravidarum funera curant, in loculo ferali acus, forfices, filumque addere, ſuperſtitione accedente, quaſi Manes iſtis inſtrumentis indigerent in reſecando ligandoque umbilico prodituri fœtus ex cadavere Matris. Obſervatum etenim in loculis defunctarum prægnantium nonnunquam fœtus ex utero prodiiſſe. Ne via præcludatur, divaricatis cruribus reponuntur Matres mortuæ. Robur ſuperſtitis infantis ex puerpera denata promovere poſſe nativitatem exemplis demonſtrat Hildanus in literis reſponſoriis ad Döringium. Liberius foetui nutrimentum ſuppeditatur, quando mater fatis cedit antequam rumpantur membranæ, colliquamentum illud Harvejanum ſeu liquorem nutritium, quem ore ſugit infans, includentes, ſed difficilior tum erit partus ille poſthumus, cum & lacerandis membranis & locis aperiendis, niſi per ſe longo Matris labore pateant, nimium delaſſetur. Promptior ad exitum erit ſi arctè adhærentes una prodeant. Id non rarò contigit, vidique puellum membranis ſuis ita involutum fuiſſe poſt partum, ut quid eſſet ignoraretur antequam diſſecarentur illæ, & velut ex marſupio eximeretur foetus. Quod ſi tam arctè adnatæ ſint infanti, ut ſine læſione tenelli corpuſculi ſeparari non poſſint, certa pernicies manet. Plures effluxerunt anni cum de ſimili partu orta eſſet controverſia in Italia. In territorio quippe Bergomenſi foetus abortivus, quum ſecundinis arctè adeo involueretur ut eximi non poſſet, & tamen motu vivus agnoſceretur, Parochus ipſum ita conſtitutum baptiſabat, cum vero mox expiraret, alter Parochus mortuo ſepulturam denegabat, negans verè baptizatum propter impeditum Phyſicum aquæ contactum. Hinc diſputatio inter Theologos, Philoſophos ac Medicos orta, num aqua ſecundinas penetrare poſſet, & num hæ partem foetus conſtituant? Re ad Medicos Patavinos, tum fama celebres delata, reſpondit Pompeius Caimus, Philoſophus major quam Anatomicus, ſecundinas ex Ariſtotelis ſenten-

tia non eſſe partem foetus, niſi excrementitiam. Contra Joh. Prævotius aſſeruit partem eſſe, quum vita foetus vivat, non matris ſuaque habeat venas propriæ nutritioni dicatas. Aquam verò penetrare poſſe negabat, non ſolum quod tunicæ hæ à natura geminæ ſint conſtitutæ, ut ſerum retineant, cui foetus innatat, ſed etiam quod ab externo aëre condenſentur. Hæc ita inter eos acta, fida beati Rhodii noſtri relatione ſcio. Noſtris patriæ ritibus ſepultura infantibus nullis denegatur, qui parentibus Chriſtianis nati, quocunque impedimento, ſine contemptu Sacramenti, à baptiſmo excluſi fuerunt. Neque enim privatio, ſed contemptus damnat, & quanquam parentes ſint negligentiores, culpam tamen innocui infantes non luent, qui filii ſunt τῆς διαθήκης Actor. 3. 25. Secundinas partem infantis eſſentialem non magis credo quam domum, quam inhabito, quæ meis impenſis & exſtruitur & conſervatur, partem mei eſſe neceſſariam, aut tunicam qua veſtior. At arctè connatæ membranæ præter naturæ ordinem, morboſum infantem notant. An vis ſpiritus per aquam baptiſmi minus efficax ſit in morboſo hoc ſtatu, judicent Theologi.

Nativitas poſthuma & antiquis & recentioribus Autoribus non infrequens. In *Florilegio* Var. Epigrammatum Lib. 3. cap. 12. num. 42. ex incerto de tribus narratur liberis defuncta matre editis. Is quippe, interprete *Eil. Lubino* loquitur.

E mortua Matre vivus partus. Unus ſanè Deus
Ab hac vitam ſuſtulit, his verò dedit.

Exempla recentiora ſuppeditant Schenckius & Marcellus Donatus. Rara Bruxellis hiſtoria 1633. agitata fuit, Mediciſque propoſita, de muliere gravida ſeptimeſtri, quæ convulſionibus Epilepticis die Jovis circa nonam veſpertinam ſuffocata fuit. Die Veneris ſpuma ex ore matris prodiit, exauditus murmurillus, quaſi vagientis infantis in utero matris, tumque venter ab aſſidentibus obſervatus attolli ac deprimi. Die ſabbathi circa decimam matutinam profluvium ſanguinis coëgit adſtantes denudare corpus, & intra femora matris provolutus infans deprehenſus adhuc calidus. Inde nata quæſtio, quæ Medicis Pariſienſibus, Andreæ du Chemin, Nicolao Pietre, Johann. Riolano, Abeli Brunier, Bruxellis tum cum Regina Matre commorantibus excutienda & judicanda proponebatur: An fœtus extinctæ Matri tamdiu ſuperſtes fuerint, ut poſt triginta ſex horas ab interitu matris, vivus ſuopte impetu ab ergaſtulo ſuo erumpere potuerit? Cui responderunt laudati Viri, ſi relationi certa fides adhibenda ſit, veriſſimile eſſe mulierem poſt illas convulſiones epilepticas & hyſtericas, ſpiratione, ſenſu, motuque orbatam, habitam ac derelictam fuiſſe pro mortua, ut in mulieribus hyſtericis & epilepticis ſæpiſſimè accidit, quæ ad funus elatæ revixere: In iſtis convulſionibus orificium internum uteri ſufficienter ad partum dilatari potuiſſe, & fœtum imbecillum ſubſiſtere & morari in utero per 24. horas & ultra, ad recuperandas vires in iſtis convulſionibus matris proſtratas. Attamen vixiſſe ſub finem diei Veneris, & matrem & Fœtum mulieris corpus adhuc calens, vagitum uterinum & abdominis ſubſultum, ac elevationem manifeſtè indicare & atteſtari: ſed vagitum infantis morientis matris indicem fuiſſe, & propriæ calamitatis internuncium, atque tum matrem obiiſſe cum ſpuma ex ore prodiit: Ac proinde potuiſſe Fœtum ſeptimeſtrem die ſabbathi ſuopte impetu, ruptis membranis tenerrimis & jam extenſis, vivum ab utero emergere, prius tamen mortua & extincta matre.

Reſponſionem Collegarum tuetur Riolanus, & illuſtrat Lib. 6. Anthropogr. cap. 8. Nam ſpatium illud diuturnioris moræ & cunctationis in utero per triginta ſex horas eſſe impoſſibile: Fœtum enim ſubſidio materno deſtitutum, vix per duodecim horas propria vita vivere poſſe, quandiu incarceratus uteri ergaſtulo detinetur; ideoque extinctam Matrem, niſi confeſtim exeat, aut perfectionem Cæſaream eximatur, diu ſuperſtitem eſſe nequire, atque ex viginti prægnantibus in enixu morientibus, vix unum aut alterum fœtum ſecto matris utero extrahi viventem, multo minus vivum & incolumem ſervari in utero. Veroſimile igitur eſſe ultra duodecim horas in tali caſu mulierem non poſſe vitam producere, Soli Deo competere trium dierum ſepulturam & reſurrectionem, & de Lazaro reſuſcitato. Itaque aut fictam eſſe hanc hiſtoriam, alieno fœtu ſuppoſito intra femora matris mortuæ, aut non poſſe aliter explicari quam à Medicis Pariſienſibus fuit pronunciatum ac determinatum.

Eadem hiſtoria ad Patavinos Medicos fuit tranſmiſſa. Habeo Synopſin Reſponſionum eorundem, P. Magiſtri Serafini, Patavini Auguſtiniani cura editam, ad duo quæſita circa notabilem Matronæ Belgicæ partum. Ad Primum videlicet: Utrum infans poſt obitum Matris potuerit naſcit, ſi non vixiſſet tempore ſuæ nativitatis? Reſponſ. Ex communi ferè omnium conſenſu ſtatuitur Infantem tempore nativitatis ſuæ omnino vixiſſe, quod comprobatur ex eo, quod ante partum, validè in corpore materno commotus fuerit, atque in ipſo partu ventrem Matris ſublevaverit. Supervixiſſe etiam ad tempus, poſt partum, à nemine negatur, quia vagitus Infantis evidenter perceptus fuit. Confirmat idem corpuſculi tepor, labiorum rubor, & genuum divaricatio, atque eorundem poſtea ſupervenien s frigus & rigiditas. In illo diſſentiunt: Utrum infans natus fuerit in ipſo Agone mortis maternæ; an verò mater prius mortua, & paulo poſt Infans ex utero prodierit. Priorem ſententiam tenent illi, qui exiſtimant matrem ob ſalivam apparentem, & calorem circa ventrem ac lumbos perſeverantem, (ut in multis fieri ſolet epilepticis mulieribus) non fuiſſe verè mortuam ſicut aſtantibus videbatur. Poſteriorem amplectuntur illi primò, qui indubitata fidei exempla adducunt, Infantium ſcilicet, paulo poſt extinctas matres ex utero erumpentium: deinde quod facta commotione corporis materni, nocte ſubſequente obſervata, nulla amplius ſigna vitæ præſentis apparuerint.

Ad ſecundam: Utrum ſecundum naturæ curſum, & rationem naturalem non ſequatur, ut res vera & neceſſaria, dictum infantem vixiſſe

poſt ſuam nativitatem, & quod per copercula, aut aliter materiam ſanguinolentam fuerit extinctus & ſuffocatus. R. Ad hanc quæſtionem, communi conſenſu determinatur, Infantem, partim ob nutrimenti defectum, corpuſculi laſſitudinem, ſanguiniſque malignitatem, partim verò, quia pronus jacuit, & ſtragulorum pondere oppreſſus ſecundiniſque implicitus fuerit, ſuffocatum interiiſſe. Patav. 1633. *D. Thomæ Bartholini.*

De partu difficili, & fœtus cum duplici mola excluſione.

Ad militis cujuſpiam uxorem difficultate pariendi graviſſimè laborantem, nec ullum à biduo calcitrantis antea fœtus motum ampliùs ſentientem haud ita pridem accerſitus, fœtuſque hoc & aliis extinctionem ſtatim auguratus ſignis, ejuſdem quam primùm excluſionem, exitii materni metu, ſum molitus; præcipitata itaque auxiliis adhibitis mediocri mola, major altera ſubſecuta eſt, verùm ita fracto parturientis animo, ut conclamatum de miſera putarem, cum illa novas, tribus horis poſt, recolligens vires, gracile quippiam, & mortuum, at partibus omnibus abſolutum fœtum edidit, ac tandem evaſit. *D. Franc. Bouchard.*

De diſlocatione Oſſium pubis in partu.

Vivit adhuc honeſta fœmina, cui primiparæ, ſub difficiliori foetus exitu, oſſium pubis commiſſuræ (ætate ſatis tum matura) non ſolùm divulſæ ſunt, verùm etiam, uti infelicioribus nonnunquam in fracturis accidit, utrinque ſeorſim occalluerunt, invicem ſeparatæ, ut in ſcalarum aſcenſu ac deſcenſu, conſueta (ſanis validiſque) pedum alternatione uti nequeat, ſed alterum ſemper (poſito priùs altero pro fundamento) quaſi poſt ſe trahat; digito eandem Alternationem circa dictas oſſium extremitates eodem tempore apertè ſentiente. Aliquoties poſtmodum, at æquè difficulter peperit, anguſtia fortè colli nimia. *Dom. Danielis Ludovici.*

Puerperis periculoſus annus.

Anno currente pluſculæ foeminæ Haſnienſes vel abortum paſſæ, vel difficultate partus mortuos ediderunt, vel ſectione per Chirurgum ſibi extrahi diſcerpique viderunt, vel febre varioliſque extinctæ. Et pleræque femellas pepererunt, imbecillitatis indicio. Juvit humida anni conſtitutio & frigida, qua laxata uteri ligamenta foetum, ut decet, conſtringere non potuerunt. Hinc perverſus in utero embryonis ſitus, quem cum obſtetrices pleræque, harum accidentium ignaræ, emendare in partu non valerent, puerperas in vitæ periculum adductas deſerere coactæ ſunt. Ego quidem innocuas manus gero, ſalvamque conſcientiam, qui toties de obſtetricum Medico examine monui, ſed ſurdis hactenus fabulam narravi. Ipſæ viderint quæ utiliſſimis conſiliis obſtant, & ſibi conſcientiæ damna imputent. Quomodo facili manu reduci ad naturalem ſitum in partu fœtus poſſit, docui in l. de Inſolitis Partus Viis cap.19. Inter tot infelicia exempla apud vicinas & amicas obvia, ſalva laus Deo filia mea Margareta, filiolam pulcherrimam Sophiam Reginam Mulleram prid. Feſt. Pentecoſt. 1672. circa meridiem enixa eſt, magno licet labore & ſubſecuta febre continua, quæ quarto die per diarrhœam ſoluta eſt. *D. Thomæ Bartholini.*

Epileptica pariens.

Puerpera primipara ſub ipſum partus tempus excruciabatur paroxyſmo gravi epileptico. Obſtetrix imperterrita fœtum partui vicinum ſentiens, paroxyſmo neglecto ſtrenuè munia ſua exequitur, feliciterque fœtum extrahit: quo facto, ſtatim ſubſequitur paroxyſmi intermiſſio, lochiorum debita excluſio, firmaque per Deum valetudo, nec hucuſque ullum hujus mali ſignum in trium jam liberorum matre apparuit.

Scholium.) Singulare eſt in hoc Caſu, epilepſiam à partu originem pariter & medelam inveniſſe. Author ſanè Libri de natura pueri, Hippocrates quibuſdam creditus, in partu maximè laborare prodidit quæ primos partus experiuntur, eo quòd doloribus non adſueverint; quorum etiam dolorum tum ſævitia, tum nimiùs metus primiparam hanc dubio procul in epilepticum iſtum inſultum conjecerat; qualem quoque perpeſſa fuit fœmina, cujus Dec. I. Ephemer. harum Ann. 2. Obſervat. 67. mentionem facit. Uti verò ad partum naturaliter feliciterque abſolvendum, non parturientis tantùm matris, ſed fœtus quoque parturiendi conatus requiruntur: ita præſenti in caſu nixus, quem moliri puerperam gravis illa morbi invaſio prohibuerat, ab hoc ipſo motu convulſivo peractus fuit, totius nempe corporis motu & agitatione uterum una commovente, fœtumque inhærentem & exire paratum excutiente, non ſecus ac à Vomitoriorum etiam operatione, corpus concutiente, partum promoveri nonnulli obſervarunt, atque ſupervenientem difficulter parturienti ſternutationem (quæ ipſa *Ebn-Sinæ* lib.3. ſen.1. tract.5. cap.8. quaſi motus levis epilepticus eſſe videtur, uti viciſſim epilepſia quaſi ſternutatio multa & fortis) ſalutarem eſſe cum Hippocrate 5. Aphor. 38. Celſus lib.2. cap.8. experientia non contradicente, adnotavit: Simile exemplum vide Anno 3. Obſerv. 212. & apud *Tulpium lib.1. cap.10. D. Samuelis Ledelii.*

Partus per Umbilicum.

Antonia Boiſſet uxor Petri Quiſſac Laniſici Nemauſenſis, vigeſimum quartum ætatis annum agens, brevis ſtaturæ, cum jam ter uterum geſſiſſet, fœtuſque paulò antè ſtatutum partus terminum extinctos, perita obſtetrix ſemper extraxiſſet, quartò concepit, Martio menſe anno milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo primo: & ut calamitati in quam toties reciderat maturè occurreret, remediis per totum fermè graviditatis decurſum, cum ſpecie felicis futuri exitus, uſa fuit: fœtus enim ſtrenuè in utero movebatur, ipſaque prægnans bene valens rebus ſuis alacriter incumbebat. Sed completo nono

menſe, inſtanteque pariendi tempore, in longa acerbiſſimaque ventris tormina, & atroces femorum lumborumque dolores incidit, qui propter omnimodam interni oris clauſuram, in nixus inanes & identidem recurrentes deſinebant. Horrenda illinc ſymptomata emerſere, frequentia ſcilicet animi deliquia, vomitus indeſinens, anhelitus fœtor, extremorum frigus, & cætera quæ mortuum in utero fœtum arguunt ſigna. Poſt tranſactos aliquot in iſtis anguſtiis dies, vires ſenſim recuperavit, recreataque remediorum ope, domeſticis muneribus fungebatur. Secundo abhinc menſe moderatum ex utero ſanguinis effluvium, a menſtruo non alienum, per duos menſes paſſa eſt: quibus exactis fluor albus, tandemque puris fœtidiſſimi egeſtio, inſequuta ſunt. Lac interim in mammis ad hæc uſque tempora, nempe decimum tertium graviditatis menſem habuit. Febre, ciborumque faſtidio ſemper laboravit, flaveſcente ac penè cadaveroſa facie deformis, tetrumque toto corpore fœtorem ſpirans, animo gravius quam corpore ægrotare videbatur. Non illa omnia puris, ichorum, ſanguiniſve profluvia, non frequens diarrhœa, aut teneſmus, tumorem, duritiem, doloremve abdominis minuere valuerunt. Poſt ſeptimum a ſanguinis fluore menſem ingraveſcebant per totum corporis habitum qui jam infeſtaverant dolores, ſed imprimis ad uteri vaginam, è qua oſſiculum emerſit. Elapſa mox hebdomada emerſit alterum. Sexto ſequenti die, prodiit aliud. Perſeverante fluore uterino, dolorum ſæpiſſime recurrentium adventus, oſſiculi cujuſdam brevi tempore prodituri prodromus erat: ſicque ab Octobris initio ad medium Decembrem, viginti aut circiter oſſa, quædam ex articulis manuum aut pedum decidua, oſſium majorum epiphyſes, & ſquammæ, inciſorius dens, auriſque malleus, prodiere. Tandem, circa natalitia, intumuit ipſi ad juglandis magnitudinem umbilicus, poſtque acerbiſſimos dolores per quatriduum infeſtantes, ex ſponte diſrupto tumore ſerum tantummodo emanavit. Reſedit cuticula quæ ſeroſum humorem continebat, nullo præteriti tumoris, præterquam guttatim ſcaturientis per porum viſum effugientem ſeri, veſtigio ſuperſtite. Ex eo ſenſim ſeri acrimonia corroſo, & per immiſſum pexiculum patentiori, facto, modo pus, modo fœculenta fætidiſſimaque ſanies effluebat. Circa vigeſimum à diſrupto tumore diem, capilli aliquot cum pure, prodierunt. Decimo ſecundo Calendas Februarii, doloribus cruciata, mihi accerſito ulcus umbilici tumidum & penitus obturatum, cum circumfuſâ inflammatione patefecit. Specilli ope compertum os, ſine Levi inciſurâ, educi non poſſe dixi: abnuit ægrotans, meque Chirurgi munere invitum coëgit fungi. Ex illa igitur forcipulâ ab umbilico pubim verſus peractâ, fœtus cubitum, quâ cum humero connectitur, extraxi, alio oſſis extremo capillis adhærentibus obvoluto. Turundam oſſis craſſitiei reſpondentem in ulcus immiſi, unde in poſterùm tanta puris copia emanavit, ut quinquies ſexieſve quotidie ſordentes faſciæ eſſent abjiciendæ. Nec tantum effluvium ventris dolorem tumoremve adhuc abſtulit; Verùm tunc temporis cibos appetivit. Octavo abhinc die, quinto ſcilicet Calendas Februarii, majoribus adhuc oſſibus ad ulceris ora appellentibus, vocatoque Carolo Treutignan, doctiſſimo peritiſſimoque Chirurgo, diligentius explorato ulcere, femur, radius, cum oſſe ilium extracta ſunt. Putris ſimul caro, ex fœdâ cutis, adipis, membranarum, muſculorumque copulatione conflata, & naturæ viribus propulſa, ex ulcere, ad duorum digitorum tranſverſorum latitudinem, ſemperque pubim verſus alterius inciſo, educta eſt, ſemipedali longitudine, & carpi craſſitie, quæque oſſiculorum quorundam diſpoſitione, ſub ſpinæ dorſalis ſpecie innotuit. Sed cum ſine patentiori ſectione minime poſſent extrahi pectus truncuſque corporis cui prædicta adhæreſcebat caro, illa, ne relaberentur, funiculo colligavimus, & in ſinum ulceris balſamicum detergenſque decoctum injecimus. Poſtridie mane pendebamus animis, utrum novâ amplioreque inciſurâ omiſsâ, cui ſuſtinendæ vix ſufficerent vires ægrotantis, quæ ob cadaver in utero tamdiu geſtatum, febre macieque confecta erat, quæ ſupererant in ulcere ferramentis confracta oſſa diſcerptaſque carnes ſenſim & iteratis vicibus extraheremus. Verùm talia inſtrumenta in partem non penitus exploratam & cognitam immittendi periculum, cujuſque aditus à carne oſſibuſque fœtus, eò vi naturæ propulſis, omnino intercludebatur, nos a tali conſilio deterruit. Quamobrem peracta fuit, ut antea, pubim verſus, immittendæ manui ſufficiens inciſio; cujus beneficio coſtas, artuum oſſa, corporis truncum, capitiſque oſſa ſponte à ſeſe invicem ſecedentia Chirurgus eduxit. Reliqua verò quæ ob putredinem à carnibus reſoluta, cum pure taboque reſtagnantibus, oſſicula prodiere. Hiante ſordeſcentis ulceris cavitate, prædicto decocto ablutâ, convenienterque deligatâ. Ceſſavit penitus, quem per umbilicum apertum puris egeſtio non coërcuerat, aut minimum revocaverat, uterinus fluor. Ad octavum uſque ab operatione celebrata diem, omnia ex voto ſe habuere; ex ulcere intus & extra belle conſtituto, pus, licet magna copia erumpens, colore & conſiſtentia laudabilibus donatum, fœtore carebat. Somno indulgebat, ciboſque horis aſſuetis capiebat ægrotans, & pene immunis febre doloribuſque, reluctanti animo vitæ rationem tenebat, & ſe lecto affigi ægre patiebatur. Verum ſexto idus Februarii, tam fælicia & proſpera ſigna infauſta ſymptomata exceperunt, & ex ulcere decolore fœtidiſſimum & minima quantitate pus emanavit. Tantæ ergo mutationis cauſam explorantes, hanc oſſicula quædam in ulceris ſinu à dextris exiſtentia procreaſſe comperuimus. Eorum unum ciceris magnitudine, rotundum depreſſumque & capillis obvolutum è veſtigio eductum eſt. Eadem die Veſperi os aliud rotundum & minus prædicto, denſque inciſorius cum duobus cirris eruta fuere. Ulcerius indagantes, quædam adhuc oſſicula deprehendimus, quæ diſruptum inter peritonæum muſculoſque abdominis corroſos, in profundis ulceris abditis prope dextrum inguem latitabant. Maximamque item capillorum copiam, palmari latitudine ab umbilico diſtantium deſuper & à dextris, ubi fœtus caput antea recumbebat. Oſſicula equidem mobilia, ſed in latibulo recondita, quæque vix extremis digitis contingere

gere licebat, per ulceris orificium educi nequaquam poterant; capillique ita tenaciter carni adhærebant, ut ad minimum contactum compreſſionemve ſtridentes, vix ſine labore, acerbiſſimoque dolore avelli poſſe videbantur. Quarto idus Februarii ægrotans ipſamet immiſſis in ulcus digitis cirros duos divellebat. Pridie prædicti menſis idus, oſſiculum inſtar prioris eductum eſt. Aquanam autem corporis parte tot oſſicula disjuncta eſſent, quatenus mutila corroſaque, intelligere non licuit. Quotieſcumque autem oſſiculum aut cirrum eruere contigit, febris accenſa eſt, doloreſque in partibus, à quibus prodiere, citiſſimè autem deſinentes, oborti ſunt. Verùm in oppoſita parte, iliorum nempe, lumborumque regione, ſiniſtrorſum, acutiſſimi excitabantur. Obſirmatis ibidem doloribus, totum abdomen inflammatione tumoreque affectum fuit, excepta parte in qua oſſiculi latitabant, quamque potius inflammatio invadere debuiſſet, ob labores quibus agitata fuerat, cum illa educere conaremur. Interim ægra à definita vivendi lege deſciſcens, vomitu & rigore vexata, in frequentes lipothymias incidebat. Stranguriâ, ventris doloribus, & teneſmo, cum febre vigiliiſq; ſtipantibus torquebatur, perditiſſimuſque ulceri, alias laudabili colore prædito & parum dolenti, adveniens fœtor, ad os uſque ipſius pertingebat. Exſiccata in ſinu ulceris ſanies, ab interno uteri orificio ad vaginam injectioni viam præcluſerat; ſed digitorum ope remotâ, facillimè ad externum uſque orificium patuit. Dira hæc ſymptomata, quæ ad decimum Calendas Martii infeſtaverant, maximum profuſumque ſeri ab ulcere profluvium, paulatim ſuſtulit: verum ſemper ſolliciti de ulceris fœtore, quem ab oſſiculis latentibus pendere liquidò conſtabat, factâ inciſione in infimâ hypogaſtricæ regionis parte juxta dextrum inguen, tria oſſicula, quorum unum rotundum depreſſumque, inſtar prioris, & duo reliqua vertebrarum particulæ, evulſa ſunt. Hujus inciſuræ beneficio totam ulceris cavitatem eluebamus; unde in poſterum minori quantitate, laudabilioribuſque colore & conſiſtentia præditum pus effluebat. Non ideo tamen omnibus eramus impedimentis ſoluti, maximumque nobis negotium incumbebat in evellendis cirris qui prædictæ parti tenaciſſimè adhærentes, ulceri & puri emananti fœtorem identidem impertiebant. Periculum etiam impendere videbatur in adhibendis ſepticis, ut ſcilicet putrefacta carne, faciliori cirrorum avulſioni conſuleremus; ſatius ergo ducentes eam immiſſo roſtro anatino moliri, ipſamet ægra propriis aliquando digitis eos conglobante, hoc opus bonis avibus intra dies octo peregimus; Sed qua vi quantoque labore, Chirurgi, manus ſuæ niſum tantum non adhibentis, conatus, capillorumque parti fermè coalitorum ſtridor, tandemque adipis carniſque ſemiputridæ fruſtula ſimul educta teſtabantur. Eradicatis ergo penitus cirris, ulcus utrumque fœtore prorſus caruit, & puris quantitas quotidie decreſcens, à parte, cui prius affigebantur capilli, tantummodo emanabat, quæ ob prægreſſam inflammationem aliquandiu dura tumidaque ad nativam conſtitutionem reducebatur; utroque itidem ulcere cicatricem recipiente & reſtincta febre, virium recreatio, appetentia, confectioque ciborum, ſomni placiditas & vividus oris color, valetudinem reſtitutam luculenter arguebant. Verùm, quod præſtabilius, fluor ex utero plerumque manans, menſtruæque purgationis prodromus, partis illius tonum citò confirmatum iri teſtabatur: ſcilicet per umbilicum, cujus vaſa & ligamenta eruendo fœtui arte aut naturâ patefacta nondum planè coaluerant, menſtruus ſanguis elapſo uno menſe profluxit. Sed incongruente hac viâ penitus tandem præcluſa, antiquum & vulgare iter ſuo tempore deinceps, natura duce, conſtantiſſimè affectam, Juliô menſe ann. 1683. *Ex amicâ communicatione Viri Clariſſ. D. Rivalier Medici quondam Nemauſenſis Celeberrimi.*

Anatomicæ Inſpectiones.

Partus difficultas ob corpus uteri in ſcirrhum concretum & vitioſum fœtus ſitum. 1. *Ob ſcirrhum & perforationem uteri.* 2. *Ob Abſceſſum.* 3. *Ob Tumorem durum cum ulcere & uteri diſruptione.* 4. *Ob orificium arctè clauſum, compreſſum à recto inteſtino fæcibus oppleto.* 5. *Ob uteri craſſitiem extraordinariam.* 6. *Ob omenti craſſitiem.* 7.

§. 1. Anno 1611. 24. Maii Uxor D. A. Morge, 30. annos nata, cum quinto utero geſtaret & finem noni menſis attigiſſet, doloribus parturientium correpta fuit circa horam 10. matutinam, cum pro more pranſa eſſet, dolores tam acerbos & motum fœtus tam vehementem ſuſtinuit, ut vix unquam ſimiles viſos aſtantes retulerint quare vires protinus proſtratæ fuerunt: circa 3. pomeridianam leipothymia & horrores maximi ſupervenerunt, quo tempore infantem in utero obiiſſe credo: dolores enim atque conatus ad parturiendum ab eo tempore ceſſarunt, nec fœtus percipi potuit: Acceſſitus circa 11. noctis pulſum vix percipere potui, extremitates frigidæ erant & ſudor frigidiſſimus in toto; brachium dextrum extra vulvam propendebat: ideo mortem proximam prædixi: Ne itaque inventionem meam, quæ hactenus in multis feliciter mihi ſucceſſit, apud vulgus odioſam redderem, manum adhibere nolui: Adſtantium tamen & ægræ precibus commotus, aliquid Confectionis Alkermes ex aqua cinnam. propinavi: poſtea, quia genitalia veluti arida erant (quandoquidem ne guttula ſanguinis profluebat) ſacculum ex relaxantibus, emollientibus, anodynis applicui, unguento emolliente imum ventris, coxas, os ſacrum & genitalia inunxi, tandem eodem unguento inuncta manu ſitum infantis exſpiſcari cœpi, qui etſi monſtroſus eſſet, & brachium dextrum extra collum matricis propenderet, caput tamen, quod pectori incumbebat (prius tamen inuncto & clementer intruſo brachio) verſus collum matricis manu reduxi: verum cum uterum & ipſius collum ob virium & expultricis ſummam imbecillitatem ſupramodum clauderetur, adeoque conſtringeretur ut manus mea ſufferre non poſſet ab opere deſiſtere coactus fui, brachium mox iterum egreſſum eſt, Et circa decimam matutinam ſequenti die obiit.

Mira-

Miratus quod fœmina illa, alioqui ſana, tam ſubito extincta fuiſſet, ſuaſi ut cadaver incideretur: Aperto itaque ventre, vacuum ſanguine ſeroſo repletum reperi: ob ingentes enim dolores & violentum motum infantis, venæ nonnullæ in ipſo parenchymate Hepatis & circa os ſacrum ruptæ fuerant: inde profuſionem ſanguinis & mortem ſequutam eſſe nullum eſt dubium: Situs autem fœtus talis erat, caput collo matricis proxime adhærebat, brachium dextrum, quod lividum, extra collum matricis propendebat: Crura verſus pectus & caput ita reflectebantur, ut pedes in vertice conjungerentur, manus ſiniſtra hypochondrio dextro ita erat impoſita ut brachium crura verſus poplitem amplecteretur: Exempto fœtu ſcirrhum duriſſimum qui magnitudinem capitis infantis fere adæquabat, inveni. Ille autem utero non ſimpliciter adhærebat, ſed ipſum corpus uteri in ſcirrhum concretum atque induratum fuerat.

Scirrhum hunc cauſam fuiſſe mortis nemo negare poterit, cum uterus ratione hujus ſcirrhi ita anguſtus factus fuerit, ut cum mulieri adeſſet partus, ſeſe extendere non poſſet, & quia fœtus maturus & vegetus impetum talem fecerat ut venæ rumperentur, necnon hæmorrhagia & mors ſequeretur. *G. Fabritius Hildanus cent. 3. obſerv. 57. & Epiſt. ad M. Döringium.*

§. 2. Honeſta quædam matrona juvencula bis fœtum mortuum, opportuno tamen tempore enixa, tertium gravida, tempore partus inſtante, doloribuſque urgentibus fœtum fruſtra excludere allaborat: Ego prima Julii 1670. veſperi ad eam vocatus inveni ſatis adhuc vegetam: quærens de ſtatu ipſius, ab obſtetricibus reſponſum tale retuli, os uteri apertum eſſe, reliquaque bene conſtituta, ſitum autem infantis malum, manu tantum dextra extra vergente, capite verò & reliquis membris imperveſtigabilibus: cum ita per totam noctem una cum tribus obſtetricibus adeſſem, nonnullaque corroborantia & fœtus expulſionem promoventia præſcriberem, ægraque ſine faſtidio libenter aſſumeret, omnia tamen in eodem ſtatu permanſerunt, manu infantis uſque ad ſcapulam fere exerta, & jam emortua immobili permanente, puerperaque ſumme debili, donec natura tandem in totū deficiente, die 22. Julii paulo ante primam pomeridianam obiit.

Cadavere ipſius ſtatim poſt mortem aperto, inferius uterum invenimus laceratum & quaſi ex ulcere perforatum, fœtu maſculino perfecto cum ſecundinis extra uterum inter inteſtina latitante, manu tantum dextra partim in vagina uteri, partim extra uterum prominente: præterea quoque uterus in fundo diſſectus, ad palmæ craſſitiem ſcirrhoſa duritie tumidus apparuit *Obſervat. Simonis Scholzi in miſcell. curioſis anni 1671. Obſerv. 86.*

§. 3. Anno 1670. menſe Auguſto uxor militis laborabat 5. aut 6. diebus doloribus partus: infans primis diebus vivus perſentiebatur, tandem nulla ſigna vitæ edens & matrem jam doloribus fractam è vivis ſubſequi fecit.

Aperto utero, tantus fœtor emanavit, ut etſi in atrio domus res facta fuerit, præ abſurdiſſimo tamen fœtore nemo ſat longo tempore accedere potuerit: tandem exempto jam mortuo infante, collum uteri abſceſſu turgidum reperi, ſaniemque inde emanantem teterrimo fœtore nares percellentem: Hoc autem obſervatu dignum circa fœtum reperi: Infantem bene formatum, & ut judicare licuit, alias ſanum fuiſſe, Et dum inſtabat hora exitus, ipſummet conatum fuiſſe viam quærere per quam exiret; cumque eadem ob tumores eidem non patuiſſet, tamen tantos impetus fortitudinis propriæ exeruiſſe, ut magnam partem cranii in parte dextra ad intra ſibi compreſſerit: Ex quo clare eluceſcit non ſolum vim expultricem uteri facere ad protrudendum fœtum, ſed & ipſum infantem allaborare ad ſui è carcere liberationem. *Joh. Jacobus Venceſl. Dobrzensky. à Negroponte, in miſcellan. curioſis anni 1670. Obſerv. 18.*

§. 4. Anno 1670. Aug. 23. Pragæ Catharina Wolrahin, temperamenti frigidi & hum. ætatis 35. ann. quatuor jam antea proles robuſtas feliciter peperit, tandem de dolore uteri ſubindequerebatur, colore pallida, macies in dies incrementum ſumpſit, tuſſis ſicca moleſtabat, cum quinta prole ad nonum menſem, naturale pariendi tempus pervenit: quatuor diebus laborioſo partu miſere torquebatur, fœtus dextram manum exporrectam habuit, nec ultra ab obſtetrice adjuvari, nec à conatu matris protrudi potuit, quinta tandem die fœtu jam extincto & illa exſpiravit.

Aperto leniter abdomine, puer robuſtus extra uterum, omnis involucris ſolutus, pedibus in ſiniſtrum hypochondrium extenſis Lienem contingens, capite cum manu exporrecta, intra oſſa pubis & cervicem uteri hærebat: Chirurgo adſtanti ut fœtum ſuaviter eximat dico, quo exempto manus livida una cum parte capitis, quæ exitum tentabat, ob vehementem facultatis expellentis conatum, in acutum redacta, deprehenſa; Uterus in parte ſiniſtra, una cum ſecundinis à conatu pueri pedibus diſruptus: In parte vero dextra, tumor quidam durus in convexum uſque ad cervicem uteri inſtar globi ſe extendebat: in concavo hujus, ulcus nigrum gangrenoſum illum tumorem cauſans, qui fœtui vitam præcluſit, repertum eſt: Sectus per medium tumor, craſſitiem quatuor tranſverſorum digitorum ſuperabat: hæc cauſa detenti fœtus. *Simon Aloyſius Tudecis in Miſcellan. curioſis anni 1671. Obſerv. 254.*

§. 5. Gravida 5. menſe paralyſi totius corporis inferioris à coxis ad extremos pedes tentatur: Ob longam in decubitu moram gangræna nates derepente occupat, qua generoſioribus remediis ablata, quum nulla vitæ ſpes ſupereſſet, calore nativo à fœdis evaporationibns infecto, prorſus deficiente, ad extrahendum fœtum quinquemeſtrem, cujus nuper motum ægra mater ſenſerat, operas ſuas manuſque certatim conferunt Medici pariter & obſtetrices: Hæ igitur manu immiſſa nullum fœtum in utero adeſſe clamant, niſi molam fortaſſis: At peritior Medicus tumorem ſtatim deprehendit ex inteſtino recto fæcibus induratis repleto: ad uterum verò progrediens, nulla vi manum intrudere poteſt.

Mortuæ cadaver apertum, viſumque os uteri arctiſſime clauſum, fœtuſque optimi coloris & habitus in utero mortuus, nec vicinarum partium fœditate ulla putridus, membra narumque uteri denſitate intertot moleſtias tutus. *Bartholinus cent. 4. hiſtor. 27.*

§. 6. La-

§. 6. Lapidicidæ uxor maxima cum difficultate fœtum edit, qui paulo poſt extinguitur: Eo excluſo tumidus nihilominus remanet venter, unde molæ ſuſpicio; nihil tamen manum intrudens obſtetrix præter anguſtiam deprehendit, Die ſequenti à partu interiit.

Recluſo ventre inſignis uteri craſſities, per totum ambitum ſcirrhoſi, tres digitos ſpiſſitudine æquantis deprehenditur. Mirum fuit quomodo & concipere, & fœtum geſtare, multoque magis quomodo eniti valuerit, ac fœtus intra eas anguſtias, præ duritie renitentes, componere ſe ad exitum potuerit. *Obſervatio M. Benjamin. Noel Chirurgi Genevenſis.*

§. 7. Mulier aliquando parit difficulter ob Omenti & viciniarum partium nimiam ſpiſſitudinem & obeſitatem: Nam Hippocrates ſcripſit Omenti magnitudinem impedire conceptum os uteri comprimendo, ſic & facile partum moleſtat: In quibuſdam enim Omentum deſcendit inter veſicam & uterum, ibique ſpiſſius fit. *Rondeletius pract. cap. 64.*

Partus impeditus ob oſſis Pectinis malam conformationem, quam uteri diſruptio ſequuta.

1. *In Partus difficultate uterus laceratus, impediente ſcirrho uteri fœtus excluſionem.* 2. *Fœtus extra uterum diſruptum repertus.* 3. 4. *Impeditus ob adnatum uteri orificio ſarcoma.* 5. *Ob uteri orificium caput fœtus conſtringens, Hydropem abdominis in matre.* 6. *Ob apophyſin non naturalem in interna oſſium pubis facie aut iſchii.* 7. 8. *Uterus diſruptus prope cervicem, in cujus foramen fœtus brachium intruſerat.* 9. *Partus impeditus ob anguſtiam oris matricis, hujuſque lacerationem.* 11. *Ob vitioſam oſſium coccygis & pelvis conformationem.* 12.

§. 1. Anno 1594. Haganoæ Alſatiæ mulier 40. annor. cum jam ſepties fœtus alioquin integre efformatos, ſed mortuos peperiſſet, ultimo partu, 8. ſcil. ipſa quoque una cum fœtu, non tamen edito ſuccubuit, poſtridie nimirum quam fœtus in alvo materna extinctus animadverteretur: Inſtantibus autem partus doloribus, iiſque vehementiſſimis (valide quippe puer movebatur) atque ſæpius toto triduo recurrentibus, quibus prægnans miſere ſed fruſtra excruciabatur: dolorum tandem ſævitia, potiſſimum tamen ultima nocte illis exaſperatis, viriumque reſolutione proſtrata, interiit: Multa quidem à mulieribus aſtantibus tentata fuere, aſt ſine ullo parturientis juvamine.

Demortuæ cadaver aperiendo, vix leviter impreſſa novacula, muſculos epigaſtrii cum peritonæo dividere voluimus, quo uteri ſitum ptius cum fœtu contemplaremur: At vix inquam immiſſa acie, & abdomine parum diſſecto, dorſum pueri vulneratur: Nos nil tale ſuſpicantes primo uterum tactum fuiſſe credidimus: ideoque cautius ſectionem abdominis inſtituendam putamus, qua peracta integer ſtatim fœtus, omnibus numeris abſolutus (licet jam inflatus & cuticula abſcedente ob incipientem putredinem) occurrit, atque immediate peritonæum ſuperne contingens; inferne inteſtino recto incumbens, liber in ventris capacitate inferioris, nullo neq; velamine aut membrana, neque utero cinctus; ſitu alioquin ad partum faciliorem accommodato, capite deorſum facie ad poſteriora reclinata, corporis trunco in longitudinem extenſo, omnibus reliquis partibus, tam earum quæ ab utero, quam quæ ad uterum, ut & quæ in utero, (una ruptione excepta) nihil præternaturale oſtendentibus: nullibi apparente neque contuſione, neque vulneratione, ulcere, aut apoſtemate conſpiciendus offertur, Ubi etſi nos ob rei novitatem admiraremur, non tam fœtus ſitum & figuram rectam, licet extra uterum in abdominis capacitate factam, quam foetum ipſum integrum & juſtæ magnitudinis ac conformationis citra uterum atque extra matricem viſus objectum, tamen lacero, rupto, ſeu potius abrupto utero conſpecto, mirari aliqua ex parte deſiimus: Cauſas vero hujus ruptionis indagandi haud ſine majore admiratione anſam datam animadvertimus: Porro alligatus adhuc foetus erat vaſis umbilicalibus ſuis ſecundinis, quæ ſurſum ad ſiniſtram, lienem verſus, ad inteſtina & lumbos retractæ, & tanquam per convulſionem & abbreviationem vinculorum firmiter connexæ iſtis partibus cernebantur, ut eaſdem inde abſtrahere difficile fuerit: De uteri verò ſubſtantia, quæ quidem tenuior ſolito apparebat, quantum equidem conſpici potuit, illud ſecundinis, ac potiſſimum placentæ, ſeu chorio aut uterino jecori, tanquam concretum, rurſuſque in minorem magnitudinem (ut alias poſt naturalem partum contingere ſolet, contractum fuerat, atque adeo ſecundinas nequaquam amplitudine excedere videbatur, uterus ut propterea eundem, quia conciderat, ratione potius quam ſenſibus agnoſcere neceſſe habuerimus: Cæterum juxta cervicem uteri, ad os pectinis, intrinſecus ſub veſica, membranæ portio, uſitati cultri craſſitiem non excedens, latitudinem dimidiæ palmæ propendebat, quæ uteri abrupti particula fuit: reliquum autem, una cum proprio uteri orificio, ipſiſque ſecundinis omne ad inteſtina, ut dictum eſt, ſurſum raptum, alieno loco detinebatur: unde penitus à cervice, ſeu ſinu muliebri omnibuſque vicinis partibus, quibus adnaſci ſolet, avulſum, atque ex parte dilaceratum fuiſſe uterum patuit. Ex his illud maxime ſuſpiciendum & quærendum videtur, cujus vi uterus abruptus fuerit; Nos tot fœtuum in partu interemptorum cauſam deprehendimus Oſſis pectinis malam conformationem, nimis ſcil. Depreſſi, quod in gibbum ſuperne, inferne autem in arcum excavatum eſſe oportuiſſet. *Leonardus Doldius Noribergenſis Medicus.*

§. 2. Matrona quædam Luſtriæ, ad marginem Lacus Lemanni, totos ſex dies parturiens fuerat: Ego tandem advocatus, ipſam in agone mortis reperio, eaque ipſa nocte obiit.

Corpore aperto uterum laceratum, & caput infantuli in ventris capacitatem dimiſſum inveni: Hujus autem difficultatis cauſa fuerat ſcirrhus, qui magnitudinem capitis infantuli propemodum adæquabat, matrici tamen non uſque adeo adhærebat: Hic obſtitit quominus uterus tempore prægnationis ſeſe ſatis extendere, & parturientis violentum motum fœtus ſuſti-

ſuſtinere potuerit. *Fabritius Hildanus cent.* 1. *Obſervat.* 67.

§. 3. Anno 1607. D. Binet Chirurgus Pariſienſis diſſecuit cadaver Janæ du Bois: Aperto abdomine fœtus inteſtinis incumbens repertus, lacerata enim & rupta matrice eam omnino egreſſus erat, ſimul effuſa magna ſanguinis copia in ventris capacitatem: *Jac. Guillemeau cap.* 13. *lib.* 2. *de facili partu.*

§. 4. Teſtes adduco D. Pineau, Guerin, Lanay Chirurgos Juratos Pariſienſes, me diſſecuiſſe cadaver pauperculæ mulieris in Noſodochio mortuæ: in cujus ventre repertus infans aquis innatans, utero circa fundum diſrupto. *Idem.*

§. 5. Expleto geſtationis tempore fœmina Hafnienſis, fœtum eniti nullo conatu potuit: Extinctus embryo miſeræ quoque matri acceleravit interitum.

In aperto cadavere inventus quidem embryo, ſed adnata uteri orificio carnea excreſcentia viam occluſit, omnemque egreſſuro exitum intercepit: hinc ſuffocatus embryo, denegato ad vitam meatu fruſtra laborantem matrem aura maligna infecit. *Thom. Bartholinus cent.* 1. *hiſt.* 94.

§. 6. Fuit apud nos Netrix 24. annor. ætatis, quæ à quodam vitiata gemellos concepit, fœmellam, cujus ſitus in dextro latere, & maſculum cujus ſub hypochondrio ſiniſtro: illa minor, viva edita eſt, quanquam in tergum prodiret; hic major intra matrem eſt ſuffocatus: cùm enim maſculus aquis emiſſis ſequi vellet, ab orificio matricis conſtricto ſtrangulatus hæſit: mater paulo poſt exſpiravit.

Cùm juſſu Magiſtratus aperiretur, Omentum deerat; ruptum credo in latera ad inteſtina conceſſiſſe; Viva mater ſæpe conqueſta eſt ventrem ſibi divulſum iri: Statim in conſpectum prodiit uterus; alicubi rubar, alicubi nigro ſanguine infectus, alicubi lividus occupabat totam capacitatem uſque ad foveam pectoris fere? modico enim intervallo aberat ſternum, ſeu malum punicum: Ventriculum compulerat verſus diaphragma, ita ut à lateribus uteri in ſummo appareret: Hepar intra dextrum hypochondrium latebat; Utero aperto ſecundæ in conſpectum veniebant: Hic quærebatur geminæ ne eſſent, an una tantum? Vocabatur una in medio diviſa in duo domicilia, interventu amnii: Secundis diſſectis infans apparebat albis ſordibus obductus: Caput merſum erat in collum matricis, & ab uteri orificio ſic tenebatur, ut vi eſſet revellendum: Dorſum ſpectabat ventrem, alvus ad ſpinam matris verſa erat, nates & pedes complicatis genubus in ventriculum matris tendebant, brachia adjacebant lateribus & genibus occurrebant: Omnino ſitus erat naturalis & ad exitum diſpoſitus, ſi vires pariendi non defeciſſent prodiiſſet ita ut occiput anteriora, frons poſteriora matris reſpiceret, qui eſt alter ex naturalibus ſitus; Viſa deinde ſunt membra cætera propter hydropem matris: Pulmo lividus, atro ſanguine refertus, Cor flaccidum, Hepar & Renes boni, Lien in ſiniſtro latere adhærebat ventriculo orbicularis circumferentia & nonnihil tumidus, palmæ manus inſtar habens, ſanguis intus ex puniceo niger: Judicatum eſt vitio Pulmonis hydropem eſſe ortum, cùm Hepar rectè ſe haberet, & ex thoracis capacitate aqua ichoroſa efflueret:, laboraverat autem Aſthmate: In ventriculo nihil cibi erat, ſed bilioſa quædam ſuperfluitas, quæ orificium acrimonia vellicaverat, unde querelæ de roſione cordis: Inteſtina inflata nihil fere excrementorum continebant, ob jejunia & ciborum faſtidia: Mammæ in rugas contractæ papillis nigreſcentibus conſpiciebantur: Foris à ventris tumore verſus latera & dorſum ſuffuſus, ſanguis lividus, niger, puniceus, pedes œdematoſi: Periiſſe judicatum eſt defectu virium in duplici partu. Vires autem proſtratæ fuerant, hydrope, aſthmate, curis, doloribus dorſi validis: Spina enim intus elevata quaſi in arcum erat, haud ſcio an convulſa, an pondere uteri & inteſtinorum tracta. *A Libavius in ciſta med. Hornungi Epiſt.* 76.

§. 7. Ex parte matris nihil præter naturam eſſe debet, ut eſt πλοειδὴς; διάφυσις vel ἀγκυροειδὴς in interna oſſium pubis aut iſchii facile, quæ obſunt fœtibus, ita ut nonniſi mortui emitti poſſint: Quod à nobis, pluribuſque aliis Medicis ac Chirurgis Lutetiæ viſum in cadavere honeſtiſſimæ mulieris, in difficili eam ob cauſam puerperio functæ, quæ dictam, apophyſin prælongam præter naturam habebat, oſſi pubis ſiniſtro innatam, intus prope ſynchondroſeos infernum finem: Os pubis tali præditum apophyſi alias dedi Dom. Parco Regis Chirurgo. *Severinus Pinæus libro ſecundo de Not. virginitatis cap.* 5.

§. 8. Nullus aliquando fit Partus ob minus minimeve explicata pubis oſſa, Tum ob aliquas excreſcentias oſſeas in prædictis viis exiſtentes exitumque fœtui præcludentes. *Sylvius de le Boë Practica lib.* 3. *cap.* 8. §. 8.

§. 9. Inter pariendum moritur fœmina quædam Lipſiæ: Maritus certior de matre & fœtu eſſe cupiens, rogat ſectioni ut præeſſe velim Secto itaque abdomine, infans extra uterum ſupra inteſtina reperitur: Rem mirati, Uterum inquirimus & ruptum illum ad Ilion dextrum prope cervicem, ad dimidiæ ſpithamæ longitudinem offendimus: Fœtus quoque brachium dextrum, quod pridie ejus diei exeruerat & retraxerat, corruptum erat & fœtens: *Phil. Salmuth centur,* 1. *Obſerv.* 16.

§. 10. Uxor cujuſdam militis gravida, pallida & melancholica, cum circa feſtum Paſchatos anno 1624. ultra triduum parere non poſſet, vocatus, omnibuſque quæ cum ipſa acta fuiſſent intellectis, ventremque ipſius ubi tetigiſſem, obſervavi tumorem durum magnum (quem obſtetrix, nec non mulierculæ adſtantes caput infantis eſſe putabant] in ſiniſtro latere è regione umbilici tactui renitentem, quo obſervato, ſtatim de felici partu cœpi dubitare: Erat enim hic tumor ſcirrhoſus, melancholicus, ex humore terreno melancholico abſque inflammatione præcedente genitus: Tempore geſtationis nullum calorem, è contra ſegnitiem haud exiguam ad omnes vitæ actiones ſenſit: Et quia varia tam interna quam externa medicamenta mulierculæ adhibuerunt, utrique os cervicis arcte clauſum, ſpeculum matricis uteri collo admovendum, ad partum promovendum (quod tamen ob ſcirrhi duritiem abſque omni fructu fuit intromiſſum)

curavi: hinc quia fœtus aliter excludi non potuit, ſectione cæſarea patientem liberandam duxi, quam tamen ſuſtinere non potuit: hinc ſymptomatibus creſcentibus, altero die circa veſperam e vita diſceſſit.

Hujus corpus per me apertum fuit, uterumque in dextra; (ſana nimirum parte) diſruptum & infantem extra uterum poſitum: ſcirrhumque inſignis magnitudinis, à fundo uteri incipientem & ad os uteri deſinentem inveni: Ob quam cauſam parere non potuit, Diſruptionem autem puto dolores partus acutos & vehementes peperiſſe. *Ex obſervationibus Tobiæ Knoblochii Archiatri Onolsbacenſis.*

§. 11. Anno 1593. Coloniæ diſſecui aurificis uxorem ex partu mortuam: comperta eſt matrix erumpente infante lacerata, ejuſque caput in lævam ventris capacitatem dimiſſum, eademque matrix, pars nervoſa, circa infantis collum contracta, quæ ipſum fœtum ſuffocarat: Mater totos XI. dies parturiens fuerat, obſtetricibus, meque tandem ipſo pridie ante obitum, fruſtra adhibitis, quum multo ante mortuus fuiſſet infans, in utero ſolo extante lævo brachio quod propendebat: Ab obſtetrice præterea, aliiſque matronis, quæ in parturientis agone adfuerant, didici anguſtiſſimi oris matricem fœminæ iſtius fuiſſe, unde magnus extans fœtus, per viam anguſtam erumpere nequierit, robuſtus quantumvis fuerit: *Fabricius Hild. cent.* 1. *Obſerv.* 64.

§. 12. In viis cauſa difficilis partus eſt, aliquando dum oſſa coccygis à prima conformatione non ſolum firmiorem compagem & articulationem habent, ſed &, ac quidem præpue, ſi juſto latiora ſunt, & extra ita compreſſa, ut intus gibba potius quam cava ſint, & ab oſſe ſacro & coccygis non ſatis diſtent, & ita fœtui exitum quærenti viam præcludant, eamque nonniſi anguſtam concedant, ut ita vel occipite vel ſincipite infans in iſtis anguſtiis neceſſario hæreat, quæ maxima Partus difficilis cauſa eſt, ob quam & fœtus & mater interdum periclitantur, imo pereunt: Quod etiam fit ob oſſa coxendicis male formata & ſita in claudicantibus. *Sennertus lib. de morb. mulierum p.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4.

Partus impeditus ob fœtum mortuum, putrefactum. Item. Ob Fœtum extra uterum conceptum.

Mulier Senonenſis, (Columba Chatry) quæ Ludovico Carita homuncioni, quadrato tamen & bene habito, nupſerat ab annis 48. fracta ætate & valetudine hic occubuit agens annum 68. Hæc ante annos 28. quæ nunquam antea uterum geſtarat, licet jampridem nupſiſſet (nihil de ſanitate prius admodum conqueſta,) certiſſima habuit inchoati hominis indicia: nam qui ſtatis periodis erumpere ſolebant menſes, illi ſtatim ſubſtiterunt: Pica primis menſibus laboravit, tempeſtivum embryonis motum & frequentem perſenſit, tumore lumborum & abdominis paulatim ſubcreſcente mammiſque turgentibus: Tandem autem decurſo pene veræ geſtationis curriculo labores puerperii graves & alvi tormina experiri incepit, urina ad aliquot dies ſuppreſſa (Medicis tunc varia dubia de illa κυοφορίᾳ ſentientibus) quæ poſtea currente veluti alveo & magna vi erupit, profuſo illo ichore non tam ex veſicæ meatu, ut credibile eſt, ſcaturiente, quam ex loculis: Amnio tunica diſrupta, quæ ſudorem fœtus & urinam continet, cum una cum iſtis ſeroſis recrementis (quos mulierculæ aquas vocant) aliquis coacti ſanguinis thrombus emerſerit: Inde autem & mammæ concidere viſæ ſunt, motus infantis aut ignavus aut nullus, labores mulieris tolerabiliores: quibus omnibus attonitæ fuerunt obſtetrices, quæ antea certiſſimum puerperium expectaſſent: A ludibrio autem iſtius fœturæ totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conqueſta, de tumore, de duritie, de torminibus alvi (quam obviis quibuſque tractandam exhibebat) de inutili & gravi illo pondere, quod pro vario geſtantis motu modo in hanc modo in illam partem procumbebat: denique de languente & depravata appetentia, quam ſubinde acetariis & abſorpto omphacio ſollicitabat, alioqui perpetuo ἄσιτος i. e. ſine cibo.

Poſtquam autem fato eſſet functa, ejus vir officioſus in uxoris manes accerſivit Chirurgos, ambos valentes arte & artis uſu, quibus (licet de ſcirrhoſo tantum tumore cogitarent) diſſecto mulieris abdomine, & rejecta infra peritonæo tunica, quæ inteſtina viſcera, uterum & veſicam contingit, uterus ſeſe offert aſpectu quidem rugoſus & verſicolor, ut criſta illa pendula quæ Gallis Indicis ex ſummo capite prolabitur, vel potius ut operimentum illud cutaneum quod illorum collum ambit: tactu autem, durus teſtaceus & craſſus inſtar τῶν ὀστρακοδέρμων, id eſt, eorum quæ teſta teguntur: Tum novaculam in portentoſam illam molem & gypſeam injiciunt, qua ad aciem cultelli renitente; ſcalprum altius adigunt: Eorum autem alter inflicto caſu in cranium vulnere, & in aliquot coſtas, tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens oſſis caput certiſſimam fecit fidem oſſium illic latitantium: Ex quo ſcalpellum alio transferunt, & magna vi, ſenſim tamen & recta, uterum ſecant, diductiſq; duriſſimis vulneris labris, infantem in orbem implicitum, & ex tranſverſo in utero poſitum introſpiciunt in penitiſſimo ſinu & altiſſimis latebris ſtabulantem, in ſuamque velut cyſtin, quam allantoidem tunicam, quæ in utero totum fœtum ambit, fuiſſe puto calloſiſſimam, reconditum: Quo ſpectaculo inexpectato obſtupefacti Medicos convocant, quos in re inaudita conſulant, adhibeantque in teſtimonium & judicium rei hujus quæ pene fidem omnem ſuperet: Interea multis ad novum prodigium accurrentibus, & opus Chirurgorum interturbantibus, venit iſtis in mentem totam iſtam molem ex illo veluti antro & manibus & uncis Chirurgicis, qua valerent vi, abſtrahere, ut arborem ex ſuo caudice, domumque comportare, ut privatim & apud ſe accuratius corpuſculi anatomem ſectarentur, & cum peritis de novo portento & inaudito conſilia conferrent: In præcipiti autem & violenta illa laniena, non licuit opus feſtinantibus proſpicere quod ſubſtratum eſſet infantulo chorion, quæ uteri acetabula, quæ umbilici

vaſa, quis eſſet allantoidis cum utero & cum fœtu nexus, cum uterus ipſe, præcipue ad coxam dextram, ad nates, & ad partem ſpinæ dorſi cum cute infantuli omnino coaluiſſet: ſitus infantis erat pene ſphæricus, facie ad thoracem affixa, ſublatis ad nates genibus, unde poſtea eæ patulæ, retuſæ & reſimæ ſunt conſpectæ: Oſſa capitis tenuia quidem, ſed firma & inſtar cornu nitentia, cute capitis multis in locis piloſa; Caput in ſiniſtrum brachium ita procumbebat, ut à protuberante humero auris & os occipitis impellerentur quod incavatum ex parte introceſſiſſe conſpiceretur: Cubitus ad ſummum humerum reflectebatur, porrecta ſola manu, quæ in pugnum adeo firmiter erat contracta, & ſummi digiti ita palmæ inhærebant, ut licet apparerent ſeratim inter ſe diſtincti, re ipſa tamen in unum idemque vere lapideum corpus concreviſſent: Dextrum autem brachium ad umbilicum manum extendebat, quæ ad carpum inadvertenter exciſa fuit & in alvo matris relicta, Femur, genu, tibia ſiniſtra dextris incumbebant, quibus tamen ita erant implicita, ut talus ſiniſter, pediſque planta in dextrum pedion (eſt pars pedis ſuperior) implantarentur, quibus excavatum cederet & pene indiſſolubili nexu colligaretur: Utrumque crus in ventrem & pectus reflectebatur, certiſſimamque ſexus fœminei notulam tegebat: Tibia utraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita inter ſe compactis & lapidefactis, ut facto ex oculis & tactu judicio totum iſtud opus Phidiæ alicujus eſſe dixiſſes, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ætatis embryi abſolutiſſimam iconem expreſſiſſet, maxime cum in ea duritie corpuſculi moles cum concidiſſet, imo cum cute nitida integram ſuam & ſymmetriam & polyſarciam retinuiſſet: Partes autem internæ, viſcera nempe omnia, cor & cerebrum, habebant naturaliter, eo dempto quod ultra modum induruerant (minus tamen quam externæ) Ita ut hodie externum iſtud corpuſculum neque putredinem minetur neque teredinem: *Joan. Alboſius.*

§. 2. Dom. H. Biſaccionus Patritius Aeſinas, uxorem duxit Ferrariæ anno 1571. hanc ille poſt menſem compreſſit, tum decimo incipiente, doloribus partus advenientibus, & aqua plurimum fluente, deluſæ fuerunt obſtetrices ac matronæ: dolores illico ceſſarunt ventre adhuc tumido manente, atque ipſa magnam gravitatem ſentiente: Nullum remedium non tentatum fuit à Medicis Ferrarienſibus ut fœtum educerent ſive vivum ſive mortuum, Tandem cum incaſſum laboraſſent, & pondus utero incumberet, moveretur que ad corporis motum, anno jam præterito, putarunt unanimi conſenſu mulierem pati molam, pro qua educenda remedia nihil profecerunt, ſic miſera annis duobus eum geſtavit uterum: Ejus vir duxit ex voto conjugem ad ſacram ædem D. Virginis Lauretanæ, ac in patriam reverſus vocat ad conſultationem Medicos; quo tempore levi febre & continua tenebatur cum eiſdem circa uterum ſymptomatibus: Hæſitabamus omnes, alius aliam dicebat imaginabaturque, ac poſt diſcurſus multos in eam ſententiam venimus Tumorem adeſſe in utero p.n. vel oëdematoſum, aut molam. Dum ita ambigimus, ac ab omni genere medicamentorum abſtinemus, ſolo victu accommodato contenti, mulieri fluor alvi ſupervenit fœtidiſſimus, erant excrementa flava, ac ut plurimum alba & livida & copioſa; ſingula quaque hora decies fere egerebat, En, mirum dictu, nondum viſum, nondum imaginatum, cum ipſis excrementis duæ effluunt coſtæ parvæ: quæ indicabant nobis ob parvitatem eſſe coſtas pueri in utero exiſtentis, rurſus die ſequenti duas alias emiſit & exſpiravit.

Exenterato cadavere, inventus eſt uterus putrefactus, qua parte rectum inteſtinum tangit, hocqae ipſum totum corruptum: Inventus eſt fœtus ſine involucris, ſine ſecundis, cujus caput non aderat: hoc putamus ex putredine diſſolutum: erant integra reliqua coſtis quatuor exceptis, atque viſceribus quæ putredine tabuerant, Quis hunc non admirabitur caſum? *Horatius Augenius libro ſecundo de Hum. partu cap. 25.*

§. 3. Catharina de Fiefs cum ſecundas contraxiſſet nuptias, eodem tempore in morbum incidit, & gravida eſt facta: Cum vero ſe utero geſtare non ſuſpicaretur, Lutetiæ infinitis remediis, & quidem diæta ſudorifica (auxilium adverſus morbum quærens) uſa eſt, etſi non deeſſet ex obſtetricibus quæ gravidam ipſam pronuntiarent, eo quod ſymptomata ea quæ utero gerentibus accidere ſolent, in ipſa obſervarent, idque à tempore ſuppreſſorum menſtruorum, donec etiam lac in mammis obſervabatur, & uſque ad nonum menſem quo tempore omnia illa ſymptomata deſiere, una cum motu ipſius fœtus: dein dolores partus irriti tum ſupervenere, & ſtatim poſt omnia ſigna fœtus emortui obſervare licuit, attamen horum omnium ſignorum ratio non habebatur: Quare cum Lutetia domum rediiſſet, adhuc fœtum mortuum utero geſtavit idque menſium quindecim ſpatio à die ipſius interitus ſupputatione facta, præter anteactos novem menſes quibus in utero materno vixerat: ſic molliores putrefactæ per inferiora ejiciebantur, quæ non abſque ratione aliqua per D. Ponetum medicum pro ſanie ex uteri ulcere manante habebatur quemadmodum oſſa quæ remanſerant ſcirrhum lienis eſſe cenſebat.

Tandem extincta 5. Nonis Octobr. anni 1670. aperta fuit, Quare copioſa adhuc ſanies in abdomine reperta abſque utero, & fœtus oſſa aliqua jam putrida, aliqua vero integra erant: & inter hęc unum ex oſſibus claviculæ jam lividum, peritonæum & abdominis muſculos jam perforarat, ita ut ſola cutis integra remanſerit, qui in latere ſiniſtro forinſecus conſpiciatur, quod jam pridem pro ſplenis ſcirrho habebatur. *Franc. Rouſſetus de Partu Cæſareo ſect. 4. cap. 2.*

§. 4. Vidimus puerum putrefactum & fruſtulatim rejectum, relictis magnis oſſibus in utero per longum tempus, quæ poſt in utero matris mortuæ ſunt reperta, Uxor fuit Chirurgi Monſpelienſis, qui poſt mortem, ut cauſam alicujus affectus interni cognoſceret, paſſus eſt illam diſſecari. *Rondeletius lib. 1. Pract. c. 65.*

§. 5. Fit

§. 5. Fit etiam ut conatus pariendi eo tempore ſeſe manifeſtent, mulierque paritura videatur, & ad partum ab obſtetrice diſponatur, aquaque jam, ſicuti ante partum fieri ſolet, effluxerit, ſed his omnibus rurſum ceſſantibus, atque evaneſcentibus, nullus partus ſequatur, & niſi denuo hæc redeant, uti aliquando fit, fœtus extinctus nunc in utero, nunc extra hunc hæreat, qui tandem cum involucris putreſcens, febres animique defectus, & ſi nihilominus retineatur, uterum parteſque vicinas ſimul inficiendo, matri exitium parit, ſicut in quibuſdam accidiſſe (Inter quas una quinque, ſupra decimum menſem, fœtum mortuum antequam ipſa exſpiraret, profluente fœda interim eluvie, & vena umbicali propendente, utero incluſum geſtavit) aliquoties vidimus, tanta corruptione intrinſecus facta, ut & uterus ſimul cum fœtu, & abdominis muſculis illius loci ex putredine nigricantibus, ſumme fœtentia, poſt mortem ſectione facta, deprehenſa fuerint: priuſque vivente matre, interdum tumor pellucidus veſicæ inſtar, circa umbilicum elevatus, ſubjectæ putredinis character, per quem fœtus vertebræ cernebantur, eoque rupto eximebantur, ſeſe obtulerit. *Platerus Pract. lib. 1. c. 9. p. 440.*

§. 6. Matrona Londinenſis gravida, ad nonum uſque menſem fœtum utero geſtavit, quo tẽpore dolores quaſi parturitionis accidunt, qui ingentes & diuturni fuere; primipara enim erat, quod aſſiſtentes mulierculas non terruit, etſi proxima partus alia ſigna non accederent, ut dilatatio oris exterioris matricis: Dolores ii duos integros dies, totidemque noctes afflixere: ideo convocati Medici, qui tardantis partus cauſam exiſtimarunt, quod Lucinæ nondum eſſet experta labores: Multa ideo præſcripta quo is facilis redderetur, deſieruntque tormina eo non ſuccedente. Ab eo tempore fœtum moveri nunquam obſervavit, ac conſultatione inter Medicos & Chirurgos inſtituta, ſtatutum fœtum exitum affectaſſe, jamque defatigatum à motu ceſſare matremque, quæ nunquam alias pepererat, erraſſe circa tempus conceptionis: Tertio vel quarto abhinc de reſtituta, ac moræ in urbe pertæſa, villam equo tolutario pro more patrio, vecta conceſſit, nulla hinc ſequuta noxa; ſed menſe exacto priſtini dolores repetunt, tota die & nocte moleſti, poſtea, ut prius ceſſantes: Medici & Chirurgi convocati ejuſmodi dolores colicos cenſent, prioreſque dolores ſeptimo menſe contigiſſe aſſerunt, quo tempore, teſte Hippocrate, exitum affectat fœtus, qui defatigatus, jam quieſcat; Addebant veriſimile non eſſe eum mortuum, quod mater vividi eſſet coloris, vegeta & appetitu polleret; abſentibus etiam omnibus ſignis, ex quibus Hippocrates, Galenus aliiſque Medici mortuum eſſe fœtum colligunt: In ſtatu ergo præcedenti menſem integrum perſtitit, undecimum explentem: quo exeunte, leves invadunt dolores, illico ſuccedente cardialgia; ideo lecto ſe tradidit, exhibitumque vinum, morte ſubito invadente, antequam auxilium implorare licuerit: In demortuæ latere dextro macula nigra in ventre comparuit, Daleri magnitudine: Cadavere aperto, fœtus putridus inventus, cujus caro in pus converſa ab oſſibus abſcedebat; Leipothymia non ante prehendente matrem quam gangræna panniculum carnoſum attigerit: *Lodoica Borgeſia obſerv. lib. 2. p. m. 20.*

§. 7. In quatuor puerperiis difficillimis adhibitus fui anno 1605. primo Lauſannæ 6. Septembris, Sed parturientem in morbis agone inveni, atque in illa ipſa hora, in qua ad ipſam acceſſi, è vita diſceſſit: Poſt mortem aperto ventre, fœtus ſemiputridus, Uterus vero dilaceratus conſpectus eſt. *Fabritius Hildanus Epiſt. 12.*

§. 8. Mihi ex Gallia reduci narrarunt D. D. Colet & Raiſin anno 1665. ſe menſe Aprili anni 1662. D. de la Foreſt, Chirurgum Aurelianenſem, cum D. D. Balduino Medico Pariſienſi, in Noſodochio fœminam diſſecuiſſe, quæ diuturnos partus dolores irritoſque conatus experta tandem obiit:

In cujus ventre inventus ſit puellus egregius & optime formatus, extra uterum locatus, nempe in ſpatio quod uterum & rectum inteſtinum interjacet; utero inſonte & illæſo, nequaquam rupto aut pervio verſus inteſtinum; matri autem puellus exiguo ſupervixit intervallo. *Monconis Tomo 2. Itiner. Italici p. 450.*

In mulieris decima à partu hora mortuæ cadavere Vterus, Hepar & Pulmones in vitio deprehenſa.

Mulier honeſta, mollis & rara, annorum 30. febre, deſtillatione veteri in pulmones laborabat, fœtum geſtans octimeſtrem: imperatæ aliquot purgationes, phlebotomia iterata: ratio vitæ ex expreſſis carnium ſuccis: contra exulceratum guttur pugnatum, In difficultate partus decoctum veteris galli cum modico caſſiæ ligneæ, croci & tantillo vini odoriferi, unctio pubis &c. Peperit die 7. levata febris, & omnia imperata quæ inſtaurant &c. prohibetur ſomnus in horam unam aut duas propter multas vacuationes &c. Mortua eſt decima hora à partu.

Apertæ uterus grumis plenus inventus eſt, totus venter flatibus tumens, Ren dexter purulentus, Hepar quantitate peccans, lobo uno nothis coſtis hærens, colore totum vitiatum, aridum ac veluti frixum, aliis partibus quaſi putredine mucoſum, Similiter & Pulmones, in quorum ſummo ad arteriam vomica pure plena erupit. *Hollerius lib. obſervat. propr. n. 8.*

Partus ad 16. menſem prorogatus, ob vitioſam capitis fœtus conformationem, & illi accretum tumorem.

De ſtupro conqueritur juvencula; Illa in dies tumidior ad partus terminum viſa eſt acceſſiſſe, nec tamen fœtum ullum enitebatur, Hinc molam ſuſpicatus Medicus expellentia præſcripſit, & tumido ventri cataplaſma ex ſemine lini &c. applicuit, quibus aliquandiu uſa, 16. menſe feliciter peperit fœtum, ſed debilem, nec ultra unum alterumve diem ſuperſtitem: Caput infantis nucem juglandem vix ſuperabat, tumor vero capiti ſuperna parte adnatus erat, univerſo capite major, qui quoties manu contrectabatur, toties infans convulſionibus corripiebatur:

Mortuo infante caput apertum, inventaque in ipſo cranio exigua cerebri portio, quam pro cerebello habuit Chirurgus, In tumore vero ſubſtantia cerebro valde ſimilis: Hinc diuturnam

iſtam in utero materno moram, ex vitioſa cerebri conſtitutione derivavit, qua impeditus fœtus & fractus, ſubſidiariam operam matri parturienti ferre non potuit. *Thom. Bartholinus cent. 3. hiſtor.* 51.

Partus impeditus ob Fœtum in Utero incuneatum. 1. *Ob Fœtus tranſverſum ſitum.* 2. *Ob vitioſum ſitum, Uteri diſruptionem, vaſorum umbilicalium convolutionem.* 3. *Ob Fœtus magnitudinem, ſitumque tranſverſum.* 4.

§. 1. Inſpectio aliquot honeſtarum fœminarum, quibus difficilis reſtitans fœtus vitæ filum abruperat, feneſtram aperuit meditandi de captivitate hac exterminanda: Intuitus etiam ſæpe cum ſtupore ſitum fœtus in alvo matris incuneati mortui, meorum præceptorum nullus aggredi arduum opus: commendabatur Deo & naturæ: confiſis ego judicii maturitati, manuum dexteritati, neglectum opus aggreſſus ſum. Gloriatur Rouſſetus ſuo pro arbitratu in ſectione Cæſarea, & ſecuram periculi proclamet, Ego ſemel aggreſſus infauſto eventu ita territus fui, moriebatur enim poſt quatriduum puerpera, epilepticis convulſionibus tentata, vulnere inflicto multa ſalutaria promittente: ut nunquam hanc operationem in viva ſuaderem, veritus ne quam ſors perimere decrevit, Medici manu ſublatam rumor increbeſcebat: At extractionem per uncos & forcipes affabre adornatos felici cum ſucceſſu molitus, nunquam niſi voti compos cum aſtantium admiratione diſceſſi. *Rolfinkius Diſſert. Anatom. lib.* 1. *cap.* 13.

§. 2. Sartoris cujuſdam uxor, poſtquam triduum parturiendo conſumpſiſſet, nulliſque medicamentis fœtus jamjam mortuus exturbari potuiſſet, ſupervenientibus leipothymiis moritur.

Petitu mariti & obſtetricis apertum fuit corpus, exemptuſque infans jacens, ſupino quaſi corpore per tranſverſum uteri, capite ſiniſtrum, pedibus dextrum attingens os Ilion, brachio vero ſiniſtro extra uterum pendulo: Scrutando reliqua viſcera, ex veſica fellea præter morem magna, bile lenta & ex viridi nigricante repleta, extraxi calculum olivæ majoris (quas regias vel Hiſpanicas appellant) magnitudine, nec colore & figura ibi abſimilem, cæterum æqualem, & drachmam unam civilis ponderis pendentem, quem adhuc ob formæ raritatem integrum ſervo. *Carolus Raygerus in miſcellan. curioſis anni* 1673. *obſerv.* 283.

§. 3. Matrona Bernenſis adhuc juvenis, cum tertio uterum gereret, & juſtum geſtationis tempus abſolviſſet, doloribus parturientium tam acerbis ac vehementibus correpta fuit ut vix unquam ſimiles obſervati fuerint: aqua quin etiam quæ fœtum comitari ſolet, uti quoque ſanguis copioſe profluxere, brachiumque dextrum fœtus primo quoque inſultu erupit: Poſt horam tamen dolores omnes & conatus parturientium ceſſarunt nec deinceps redierunt, Quarto poſt die videns obſtetrix rem in anguſto poſitam, ſuaſit ut uxor mea advocaretur: Illa cum ad parturientem perveniſſet, brachium dextrum ex utero propendens reperit, febris quoque, leipothymiæ & vomitus aderant: Exhibita Confectione Alkermes, inuncto ventre oleo lil. alb. & amygd. d. brachio ex orificio matricis remoto, dolores hypochondriorum, qui antea ob tenſionem peritonæi acerbi fuerant, ceſſerunt, verum dolores & conatus parturientium (etſi dolores reliquarum partium continuo vexarent) nunquam leniri potuerunt nec medicamentis neque manu Chirurgi: Variis præſtitis cæteri dolores remiſerunt, ita ut cibum libenter aſſumeret, ſomnum caperet, & ita quidem ut nihil præter excluſionem fœtus deſideraretur: Cum vero motum aliquem naturæ, qui nobis viam modumque procedendi oſtenderet, ex conſilio adſtantium, in ſeptimum uſque expectaremus, ecce cardialgia, cum rigore quodam & leipothymia accedente, protinus placideque exſpiravit.

Corpore aperto, cauſa deprehenſa eſt ſitus fœtus præternaturalis, in tranſverſum enim ſitus erat, & ita quidem ut caput ſiniſtro, pedes vero dextro hypochondrio ita inſiſterent, ut in utroque latere prominentia non obſcura obſervari poſſet: ſpina dorſi autem fœtus verſus orificium uteri vergebat: brachium dextrum extra orificium propendebat, ſiniſtrum vero, uti quoque crus dextrum (quod verſus caput reflexum) mediantibus vaſis umbilicalibus (qui truncum corporis bis circumdederunt) trunco corporis ita alligabantur, ut ab initio fœtus ad exitum minus commodum ſeſe parare poſſet, ſed omnia inverſo ordine acciderent: Præterea, ab initio cum fœtus, qui & maturus & robuſtus erat, maximo impetu ſe moveret, & ad exitum præpararet, ſiniſtro pede corpus ipſum uteri verſus dextrum latus dilaceraverat: *Fabricius Hildan. cent.* 4. *obſerv.* 57.

§. 4. Sartoris uxor annorum circiter 30. quæ quater prius pepererat, quinto gravida facta, exactis decem menſibus, cum jam pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore fœtus quandam convolutionem, leveſque aliquot pariendi conatus ſentiret, tandem iis omnibus ceſſantibus, fœtum mortuum, uti poſtea apparuit, antequam exſpiraret, adhuc quinque menſes retinuit: Quo tempore cum an gravida eſſet, ex eo quod ſupra geſtationis tempus tamdiu ſuperſtes maneret mulier, nec graviora pateretur accidentia, in quæſtionem veniret, & de mola aliove aliquo tumore inter obſtetrices conſultaretur: tandem conſilio meo habito (licet eam vivam non viderim) de fœtu mortuo pronuntiavi, & ad fœtum mortuum propellendum medicamenta præſcripſi, pilulas & peſſarium, quod cum unam ſaltem noctem retinuiſſet, mox chorda umbilicalis propendere cœpit, quæ tandem, cum putris eſſet, amiſſa fuit: verum cum nullus ſequeretur abortus, nulluſque eſſet omnino fœtum excludendi conatus, ut is promoveretur, mulier quædam ventrem illi variis modis aliquoties compreſſit, deorſumque impulit, unde fluor uterinus, per quem putris, alba, fœtidiſſimaque materia ex utero profluebat, exortus eſt: Quo octo ſeptimanarum ſpatio perſeverante, accedente interim febre, corpus adeo contabuit, ut nihil in ea carnoſi fere amplius præter ventrem, tranſverſum admodum tumentem & durum appareret: donec viginti ſeptimanarum ſpatio, ſupra decimum menſem, quo uterum geſtavit, tempore exacto exſpiraret.

Ro-

Rogatus ut corpus aperirem, primo ventris intuitu veſicas geminas, lividas, in latere umbilici, ubi tumor durus inæqualis adhuc tranſverſim eminebat, deprehendi, Quibus levi negotio, cum tenuiſſimæ eſſent, diruptis, ſtatim vertebræ ipſius fœtus, una cum ſcapulis & coſtis obvia erant; tranſverſim enim collocatus & ſupinus dorſo inflexo, & in orbem convolutus jacebat, & verſus exteriora prominebat: qui exemptus diductuſque adeo putris erat, ut præter cutem & oſſa, quæ tamen levi negotio diſſolvebantur, & quod fœmella erat, nihil alias liceret, vel fœtor immenſus ſineret cognoſcere: hoc ſaltem manifeſtum erat tranſverſum illum ſitum, atque eximiam magnitudinem, quam longitudo illius & capitis amplitudo, prolixis admodum capillis conſtans declarabant, impedimento fuiſſe quo minus in partu prodire potuerit, ſicque retentum 20. ſeptimanarum ſpatio, computruiſſe, & ſimul vicinas partes undique infeciſſe, cum univerſus uterus, una cum involucris & omenti portione aliqua, muſculiſque epigaſtrii illius loci deſiderarentur, totaque illa regio pure, fœtore & nigredine infecta eſſet, & ad extremam uſque cutem, ubi veſicæ apparuerant liveſcentes, corrupta: Quo in loco ſi forte ſectio, ante extremam illam viſcerum corruptionem facta fuiſſet, foetum eximi, matre ſuperſtite manente credibile eſt. *Platerus obſerv. lib. 2. pag. 228. & Pract. lib. 1. cap. 9.*

Oſſa pubis & coxendicis in partu diſtrahantur.

Quanquam miraculo diſtractio oſſium in partu carere non videatur, tamen quia in Anatomicis ratio prius audienda non eſt quam ſenſus conſulendus, inique faciunt qui quod ipſi non viderunt aliorum experientiæ credere abnegant: Nec facile hic à communi errore abſceſſiſſem, niſi Genevæ, cum Illuſtris Senatus nobis meretricem juvenculam, ſexto poſt partum die in lacu Lemano ſuffocatam, quæ adeo facilem partum ediderat ut & heram falleret, ad ſectionem offerret, contrarium me ſenſus docuiſſent. Difficile eſt hoc apud nos deprehendere, ubi nefas putatur ex partu mulierem mortuam ſecare: & quæ ſuppliciis afficiuntur, non prius ad mortem ducuntur quam disjuncta oſſa longo temporis intervallo viciſſim coierint. *Henningus Arniſæus obſerv. Anat. 6. Idem in Hildani Operibus, Epiſt. 45.*

Hi qui mulierum & virginum plura cadavera ſecuerunt, videre potuerunt illas quæ nunquam conceperunt, eſſe longe anguſtiſſimas, eaſdemque habuiſſe cartilagines inter hæc oſſa ſitas, quibus mediis uniuntur, admodum tenues, ſiccas & fere nullas aliarum reſpectu: Sed quibus in utero ſæpius habere, plurieſque parere contigit, etiamſi longo tempore poſt ultimum partum obierint, in his interjectas cartilagines craſſas reperiri certum eſſe, In iiſdemque ilia & oſſis ſacri latera ampla, atque oſſa pubis ubique, præſertim inter ſpinas anticas oſſium pubis latitudine inſigni ab invicem diſſidere. Quæ vero aliquoties tantùm, ut ſemel aut bis, pepererant, medio quodam modo habere: Quod etiam ex inſpectione matricis probatur, Nam ut in his quæ nunquam conceperunt matricis corpus tenue eſt & parvum, ſic in his quæ pluries ſunt enixæ, craſſius ſemper remanet ad extremum uſque vitæ diem: & in his quæ raro aut ſemel, mediocris eſt; hæcque perpetuo vera ſunt, dummodo his partibus nihil præter aut contra naturam acciderit: Hæc autem ſententia ulterius confirmatur hiſtoria anatomica ſequenti, Anno 1579. Menſe Febr. in Regio Chirurgorum Pariſienſium Collegio, cadaver muliebre diſſectum, Quæſitumque an in partu mulierum oſſa pubis & ilium, hæc ſcilicet ab oſſe ſacro, & ilia ab invicem diſtrahantur necne? major pars adſtantium negabant, Alii affirmabant, Alii dubii omnino tacebant, Dubium autem iſtud ſtatim ſolutum fuit, veritaſque ex tempore eluxit, Accepto enim altero cadaveris femore ſeu crure integro, ſublevatoque eo, cute minime ſecta, ſed integre ſervata, cæteriſq; ſymphiſi ſuperpoſitis partibus, os pubis ejuſdem lateris attollebatur, ſupraque alterum latitudine ſaltem medii pollicis eminebat: Quod oculis digitiſque ab omnibus veriſſimum judicabatur; Ut facilius meliuſque videretur, crus alterum ſupini cadaveris ſupra menſa locati ſumme extendebatur, nulloque modo iſchii flexo articulo, ambabus alteri natium ſubductis & ſubſtractis manibus, ſurſum os pubis cum minimo conatu attollebatur, & cum eo os innominatum totum, quod, ut dictum eſt ſæpe, componitur ex tribus, Iſchii, Pubis & Ilii oſſibus, quæ in ea ætate penitus coaluerant per ſymphyſin, quæ eo loci fit ſine medio, unde poſticas duas ſynchondroſes multo laxiores fuiſſe ſolito neceſſario concludimus: Eo enim quo diximus modo, elato crure, innominatiſq; oſſibus reſupinati cadaveris, os pubis lateris ejuſdem ſua ſpina latitudine medii tranſverſi digiti à ſuo congenere diſtabat, atque ei ſuperveniebat: contra verò ſublatis manibus, & æqualiter poſitis manibus æqualis oppoſito apparebat: altero verò crure elato, illud quod prius eminebat, inferius conſpiciebatur, unde plures non abs re mirati ſunt. *Severinus Pinæus de Notis virginitatis lib. 2. cap. 6. & 8. Vide Bauhinum Anatom. lib. 1. cap. 49.*

A plurimis agitata hæc quæſtio, ac noſtro ſæculo à D. D. Laurentio & Pinæo hic diſſentientibus: Ego verò experientiæ credo, adſtiti quippe ab nnis 40. partui pluſquam quingentarum mulierum, in quibus manifeſte deprehendi crepitationem & diductionem ab invicem dictorum oſſium, inſerto inter utrumque os pectinis digito, ubi manifeſtam ſeparationem animadverti: quinimò mulieres omnes, quibus ægrior partus, tunc temporis accuſant dolorem eo in loco: Imò infra coccygem impoſita manu, prædictam ſeparationem licuit mihi percipere, Nec non in quibuſdam ab inani nixu extinctis facta Cæſonia ſectione, reperi oſſa prædicta ſeparata & relaxata, necnon ligamenta ea colligantia, mollia facta & dilatata; eo quippe loco maxima matricis portio incumbit, *Jac. Guillemeau de facili partu lib. 2. cap. 1.*

Vivit adhuc honeſta fœmina, cui primiparæ, ſub difficiliori fœtus exitu, oſſium pubis commiſſuræ (ætate ſatis tum matura) non ſolum divulſæ ſunt, verum etiam uti infelicioribus nonnunquam in fracturis accidit, utrinque ſeor-

ſim occalluerunt, invicem ſeparatæ, ut in ſcalarum aſcenſu ac deſcenſu, conſueta, ſanis validiſque pedum alternatione uti nequeat, ſed alterum ſemper (poſito prius altero pro fundamento) quaſi poſt ſe trahat; digito eandem alternationem circa dictas oſſium extremitates eodem tempore aperte ſentiente, Aliquoties poſtmodum, at æque difficulter peperit, anguſtia forte colli nimia. *Daniel. Ludovici in miſcell. curioſis anni 1673. obſerv. 255.*

Fernelius lib. 6. Pathol. inter cauſas difficilis Partus recenſet oſſium Pubis firmiorem compagem: Sed quid opus teſtibus in re tam manifeſta? ſola experientia fidem faciet, cui Medicus plus debet tribuere quam rationibus: Sæpius, atque pluſquam trigeſies, in mulieribus mox à partu extinctis, vel paulo ante enixum, vidi præſentibus Medicis & Chirurgis, cartilaginem quæ oſſa Pubis colligat, minimi digiti latitudine diductam, ita ut hiulca pubis oſſa apparent ſi digito intus attrectarentur: Quod etiam ante cadaveris diſſectionem innoteſcebat, uno crure ſublato, ſic enim oſſa Pubis mobilia deprehendes, unumque alteri ſupereminere: Atq; anno 1631. cum publicam Anatomen inſtituerem mulieris, quarto die à partu ſuſpendio ſtrangulatæ, præſentibus trecentis Auditoribus, demonſtravi commiſſuræ oſſium pubis interjectam cartilaginé, digiti latitudine laxatam; quin etiam oſſis ſacri cum oſſibus Ilium commiſſuras mobiles admodum ſcalpello tenuiſſimo facillime ſeparavi: Oſſibus Ilium oſſis ſacri, loco cartilaginis, interjecta erant ligamenta craſſa, rubicunda, quæ cavitatibus utriuſque oſſis inculcata erant; oſſibus pubis cartilago craſſa interpoſita erat: Poteſt & controverſia etiam ipſo ſenſu componi, Accipe perfectæ mulieris oſſa ilium, ante inter ſe per ſymphiſin, & recto oſſi ſacro juncta: ſi per hoc foramen ampliſſimum, caput infantis recens nati libere traducatur, fatebor oſſa Pubis non diduci; alioquin ſuſtinebo, non ſine maxima oſſium pubis dilatatione fœtum egredi, quia ſpatium illud anguſtius reddit caro intus circumjecta. *Riolanus Anthropogr. l. 6. cap. penult.*

Quomodo poſſibile eſt ut maturus & magnus fœtus per pelvis anguſtias, muſculis aliiſque partibus undequaque obſitas & infarctas, in partu tranſire poſſit? Dico, ſi parvus fuerit foetus, eum per dictas anguſtias ſine magna moleſtia tranſire poſſe, docente id experientia quotidiana; nam partus tempore, ab humorum copioſo affluxu, adeo lævæ & laxæ fient partes genitales, ut exigente neceſſitate, etiam obſtetricis vel Chirurgi totam manum facile admittant: Verum ſi magnus fuerit foetus, vel partes per ſe ſint anguſtiores, tunc gravẽ & laborioſum fieri partum, atque pubis oſſa, laxatis ligamentis & cartilaginibus, aliquantum dehiſcere, imo cartilaginoſam quoque connexionem oſſis ſacri cum ilii oſſibus adeo laxari, ut manifeſte à ſe mutuo recedant: Hanc dehiſcentiam harum partium primi notarunt, Hippocr. lib. de nat. Pueri, Avicenna lib. 3. fen. 12. tract. 1. cap. 2. Aetius tetrabil. 4. ſermone 4. cap. 22. quam acriter quoque defendit Sever. Pinæus operis phyſiolog. lib. 2. cap. 5. 6. & 7. Contrarium ſentientes evincit certiſſima rerum magiſtra experientia (hac docente omnes qualeſcunque rationes concidunt) qua non ſemel illud fieri compertum ac clariſſime demonſtratum eſt. Nos quoque anno 1654. menſe Martio, puerperam ſequenti poſt partum die mortuam, in publico theatro ſecuimus, in qua pubis oſſa à ſe invicem adeo divulſa erant, ut minimus digitus facile interponi poſſet. *De Diemerbroëck Anatom. l. 6.*

Paræus lib. de gener. cap. 3. ſcribit ſe olim fuiſſe in illa opinione, oſſa ilium & pubis in partu non poſſe divelli, ſed tandem tamen contrarium ipſi apparuiſſe in ſectione cujuſdam mulieris, 15. die poſt partum ſuſpenſæ, cujus oſſa ilium ab oſſe ſacro diſtracta erant, & oſſa pubis à ſe invicem diſtabant latitudine dimidii digiti.

Idem obſervavimus hic Baſileæ ante annos duodecim, cum Nobilis matronæ Gallæ ventrem, quæ ob ſecundinas retentas interierat, pluribus adſtantibus aperiremus. *Bauhinus Theatri Anatom. lib. 1. cap. 49.*

Experientia edoctus aſſero oſſa pubis ſæpe ab invicem in partu laxari, emollito eorum cartilagineo connexu, totamque hypogaſtrii regionem ad miraculum uſque ampliari: Non quidem ab aquoſæ ſubſtantiæ profuſione, ſed ſua ſponte, ut fructus maturi excludendis ſuis ſeminibus ſolent hiſcere. *Harveus de Generat. animal. Exerc. 57.*

In publicis fœminarum, ex difficili partu mortuarum ſectionibus, conjunctionis oſſium pubis, ut & ilii ac ſacri dehiſcentiam ſpectatoribus multoties conſpiciendum exhibui. *Spigelius lib. 2. de Humani corpor. fabrica cap. 24.*

Os Vteri in prægnantibus arctiſſime clauſum repertum. 1. 2. *Vteri ſtatus à Partu ſecundo die.* 2. 3. 6. *De craſſitie uteri in Gravidis.* 4. *Vteri ſtatus ſexta poſt partum hebdomada.* 5. *Vteri conſtitutio in Graviditate & à Partu.* 7. *Vterus hypogaſtrio adſtrictus poſt maris partum.* 8.

§. 1. Os uteri, teſtibus Hippocr. & Galeno, in prægnantibus tam arcte clauditur, ut ne quidem ſpecilli aciem, nec ullius aëris aut aquæ (in balneo) introitum admittat; quod licet nonnulli in dubium vocent, & ſolummodo de levi aliqua conniventia explicent, tamen à nobis veriſſime viſum eſt anno 1649. quo aperuimus & examinavimus ancillæ veneno interemptæ cadaver; in quo, inter alia, invenimus uterum à longitudinis manus fœtu tumidum, ejuſque oſculum non modo arctiſſime contractum, ſed tam glutinoſo ac tenaci humore pituitoſo obſeratum, ut nuſquam tenuis ſtylus immitti poſſet, niſi majore vi per gluten illud adigeretur.

§. 2. Illud etiam vidimus in alia muliere circa 7. menſem gravida, repentino fato extincta menſe Decembri 1665. *De Diemerbroëck Anatom. lib. 1. cap. 3.*

§. 3. Excluſo in lucem fœtu redit uterus ad priorem conſuetudinem ſenſim & ſenſim: Aperto cadavere altero à partu die, uterus conglobatus apparebat ad capitis infantis bimuli magnitudinem, albicans, in tubulis nullo ſanguinis apparente veſtigio. *Rolfinckius parte 2. de Organis generat. cap. 21.*

§. 4. Os uteri ita extenſum & lacerum erat ut vix appareret, Uterus magnitudine capitis

pitis erat adhuc & craſſitie pollicari: Intus ſanguinis reliquiæ & ora vaſorum craſſo & nigro ſanguine adhuc ſudantia: Vincula uteri cum oſſibus Ilium, ſacro & lumborum, & inteſtino recto firmiſſima, parte anteriore nulla, præterquam cum veſica admodum exigua. *Iac. Sylvius in appendice Iſagoges anat. de variorum corporum ſectione.*

§. 5. Falcolburgius teſtatur in diſſectis ſe obſervaſſe gravidis, craſſiorem videri tum temporis uterum, ſed falli oculos ab hepate uterino arctiſſime connexo, quod ſeparatum fucum detegit; Sed contrarium docet experientia: Nempe craſſities illa in utero, fœtu jam abſoluto oculis conſpicua, duorum pene digitorum craſſitiem æquat, præcipue circa fundi illam partem qua ſecundina adhæret: adeſt etiam adſtipulante Harvæo, in ea parte qua placenta utero non adnaſcitur: Conſtatur hæc craſſities à ſanguine in tubulis uteri ſtabulante. *Rolfinckius cap. 21. de organis generationis parte 2.*

§. 6. Infanticida fœmina ſexta poſt partum hebdomada capite patratum ſcelus expiat. Juvencula parvæ ſtaturæ, obeſa & ſana: Peritonæo aperto non comparebat uterus prima fronte, ſed veſica lotio tumida conſpectum illius adimebat, ſub qua delituit uterus, durus ſatis & conſtrictus, ut mirari ſatis nequiverim tam brevi poſt partum tempore contractum: Magnitudine vix pugnum æquabat. Nymphæ contractæ, carunculæ quoque obliteratæ, niſi orificio veſicæ appoſita: Vagina diſſecta ad uteri orificium ſine rugis ſolitis: Externa pudendi labra ſatis hiabant: Uteri orificium arctiſſimum durumque: Uterus ipſe craſſus & fungoſus, vix pomo excipiendo: In ipſis parietibus craſſis foraminula utrinque patebant ſeu acetabula, quibus per fiſtulam inflatis, elevabantur vaſa teſtibus ſubjecta, ſeu alter Tubæ inferior ramus ex vaſis deferentibus ortus. *Th. Bartholinus hiſtor. 92. cent. 1.*

§. 7. Nuper diſſecui Nob. mulierem, quæ 24. horis à partu deceſſit è vivis, aquarum copia, quibus abundabat thorax, corde ſuffocato: Inveni uterum fere ad naturalem magnitudinem contractum vix enim manus complicatæ amplitudinem æquabat, Diſſecti uteri cavitas exigua erat, & adhuc cotyledones, ſive tubercula, granis milii ſimillima apparebant: Parietes uteri duorum digitorum craſſitiem æquabant. *Riolanus Anthrop. l. 5. c. 1.*

§. 8. Membranas Uterus obtinet duas, Exteriorem duplicatam validam à peritonæo: Interiorem propriam, fibroſam magiſque poroſam: Inter has carnoſus & fibroſus contextus quidam reperitur, qui in mulieribus gravidis ab affluentium humorum nutritiorum ubertate admodum una cum dictis membranis increſcit, ita ut quo magis augetur & increſcit fœtus, os carnoſior, fibroſior & craſſior evadat uterus, qui poſtremis geſtationis menſibus pollicis, & nonnunquam circiter duorum digitorum craſſitiem adæquat: Hæc craſſities non eſt ex ſolis humoribus in poroſitates uteri ſe inſinuantibus, ut multi exiſtimant, ſed eſt vera & ſatis denſa caro, quæ poſtea muſculorum inſtar inſervit ad fœtus expulſionem: Qualem carnoſam uteri ſubſtantiam anno 1653. menſe Novembri, in theatro Anatomico publice demonſtravi, in cadavere puerperæ, duodecim horis poſt partum mortuæ, Et non ita dudum privatim in muliere in partu una cum fœtu mortua: Hoc tamen carnoſum incrementum poſt partum, humoribus & ſanguine maxima copia ab utero effluentibus, denuo emaciatur & exareſcit, atque ſic ad priſtinam formam ac magnitudinem uterus redit & contrahitur. *De Diemerbroëck Anatom. lib. 1. cap. 24.*

§. 9. Nuper vidi in muliere 15. diebus à partu ſtrangulata, uterum in dextrum latus inclinatum, & firmiter adſtrictum: Ligamentum latum dextri lateris brevius erat ſiniſtro; marem enixa fuerat: An eo modo conſtitutus iis, quæ mares potius quàm foeminas generant? *Riolanus Anthop. lib. 2. cap. 33.*

Secundinarum retentio ob arctam cum Utero adhæſionem item Ob eandem cohæſionem cum carne Utero adnata.

In Noſodochio noſtro apperui corpus puerperæ, ſtatim poſt puerperium defunctæ; cauſam indagans mortis, Inveni ſecundinam undiquaque ipſi utero tam firmiter adhærentem, ut vix & nonniſi labore ſeparari potuerit, eratque omnino exſanguis, ut & reliquum corpus parum admodum ſanguinis habebat, reſpectu ejus qui alias eſſe ſolet. 2. Uteri ſubſtantia admodum craſſa erat & fere duorum digitorum craſſitiem adæquabat, multis tamen iiſque conſpicuis foraminibus inſtar ſpongiæ pervia, inter ſcil. duas tunicas proprias: orificium ob recentem partum cum cervice maxime hiabat: oſſa pubis nullo modo ſejuncta, ſed arctiſſime, & ut naturaliter fieri ſolet; firmiſſime connivebant: Venæ ſpermaticæ ampliſſimæ erant, ita ut infantis cujuſdam minimum digitum adæquarent, ſanguine refertiſſimæ, in exortu naturaliter ſe habebant, dextra tamen paulo infra exortum, alium adhuc ramum, & eum quidem inſignem ab ipſo trunco aſſumebat, eumque mox ſibi conjungebat, ut ex duobus vaſis unum fieret. *I. R. Saltzmannus obſerv. p. 4. 43.*

Uxor D. Morel Laniſtæ, præpinguis & vorax, eximiæ fœcunditatis, 12. partu filium enititur Junii 13. 1673. hora ſecunda pomeridiana; Partum magnus ſequitur lochiorum effluxus, ea quantitate ut jugulatum bovem dixiſſes, hinc leipothymiæ, ſubſiſtunt ſecundinæ: Educere tentantem obſtetricem conatu adhibito, prohibeo, quod arctius adhærere judicarem; perſeverant leipothymiæ, jectigatio accedit, puerperiorum eductionem urgent iterum aſſidentes mulierculæ, & enixa obnixe poſtulat; advocantur Chirurgi, qui manum admovere ob virium debilitatem recuſant, veriti ne in ipſa operatione expiraret, Accedens alter Medicus omnia ſymtomata in reſtitantem ſecundinam rejicit, tetros vapores emittentem: Repugno quod ante tres demum horas ſatis felix partus præceſſiſſet, nec eſſet veroſimile tantillo ſpatio eas computruiſſe; ſeptem horis à partu occubuit.

Reſerato poſtridie hypogaſtrio, adeps ad trium digitorum ſpiſſitudinem ſe offert, Uterus bene conſtitutus, quo inciſo ne gutta ſanguinis per ejus ſubſtantiam diffuſa cernitur; In cavitatis parte ſiniſtra cotyledones manifeſti erant:

erant : Parte dextra ſecundina arctiſſimo nexu utero adhærebat ; Ita ut judicatum ſit ab imperitia obſtetricis partum intempeſtive promoventis, mortem contigiſſe : Aderat porro grumus ſanguinis, ovi parvi gallinacei magnitudine, ad uteri oſtium, à quo tetra illa accidentia proveniſſe veriſimile eſt potius quàm à ſubſiſtente ſecundina, quæ illacera & incorrupta apparuit, Mortis autem cauſam ſanguinis profuſionem magnam credo, quamvis plethorica eſſet mulier, hæmorrhagiis obnoxia, quæ quater vel quinquies per graviditatem ſanguinem ſibi mitti curabat.

Mulier Nobilis Galla, quæ jam multoties pepererat, cum ante annum in partu, ob ſecundinam retentam, ab hora quarta matutina, ad 8. veſpertinam, qua demum, uſa prius injectionibus, ſternutatoriis, ſuffitibus ſecundinam ejecit, vix evaſiſſet, anno 1588. Martii 25. denuo cum mane fœtum excluderet, ob ſecundinam ſubſiſtentem in periculum venit, propendente interim chorda umbilicali : Fruſtra autem variis remediis tentatis, magnaque ſanguinis grumoſi continuo effluente copia, vires adeo collapſæ ſunt ut ſequenti die circa horam 4. veſpertinam extingueretur :

Sectione facta uterus ſpiſſus & amplus (qualem puerperis per octiduum permanere, indeque ſenſim ſe recolligere, & ad priſtinam parvitatem redire aliquoties obſervavi) in hac quoque inventus eſt : Quo in longum ipſiuſque cervice diſſectis, ſecundinam, tum circa uteri orificium, quod amplum admodum erat, initium adhæſiſſe, tum per carneam placentam uteri interiori ſubſtantiæ adeo accreviſſe, ut ægre manibus avelleretur & tracta laceraretur, viſa fuit; cui adhuc amnios tunica, chordaque umbilicalis adhærebant : Præterquam & corpus quoddam, parenchymate craſſo & ſublivido conſtans, hepatis ſubſtantiæ coctæ ſimillimum, propria involutum tunica, illic quoque citra connexum jacuiſſe obſervavimus : *Platerus obſervat. lib.1. pag. 231.*

Mulieri poſt 15. annos à connubio parere contigit, Secundæ ſubſtiterunt, evulſæ fruſtulatim: Obſtetrix aſſerebat ſupereſſe aliquid ; febris nata, hinc lingua nigra, dentium intervalla ſcabritie nigricantia, facies νεκρώδης : ſeptimo die mortua : Secta ; Inventa caro oblonga adnata utero, membranarum pars quæ computruerat. *Hollerius libello obſerv.* §. 10.

Finis Tom. III.

Syrupus chalybeatus antimelanch. fol. 327
Et vinum medicatum
Specificum pro lue venerea
cum animadversionib. fol. 218:
Caeterum Chalybis Tozzi — fol. 417: